Sept. 15. 1685.

In Concilio REGIÆ SOCIETATIS, *Londini*, ad Scientiam Naturalem promovendam.

Liber cui Titulus Historia Plantarum Species hactenus editas aliasque insuper multas noviter inventas & descriptas complectens, &c. *Authore* JOANNE RAIO, *M. A.* è *Societate Regia*: *Imprimatur ab* Henrico Faithorne, *dictæ Societatis Typographo.*

S. Pepys, Pr. R. S.

Sept. 15. 1685.

In Concilio Regiæ Societatis, *Londini,*
ad Scientiam Naturalem promovendam.

Liber cui Titulus Historia Plantarum Species hactenus editas aliasque insuper multas noviter inventas & descriptas complectens, &c. *Authore* Joanne Raio, *M. A.* è *Societate Regia : Imprimatur ab* Henrico Faithorne, *dictæ Societatis Typographo.*

S. Pepys, Pr. R. S.

HISTORIA PLANTARUM

Species hactenus editas aliasque insuper multas noviter inventas & descriptas complectens.

In qua agitur primò

De Plantis in genere,

Earúmque

PARTIBUS, ACCIDENTIBUS & DIFFERENTIIS;

Deinde

Genera omnia tum summa tum subalterna ad Species usque infimas,

Notis suis certis & Characteristicis

Definita,

METHODO

Naturæ vestigiis insistente disponuntur;

Species singulæ accurate describuntur, obscura illustrantur, omissa supplentur, superflua resecantur, Synonyma necessaria adjiciuntur;

VIRES denique & USUS recepti compendiò traduntur.



AUCTORE

JOANNE RAIO,

E Societate Regiâ, & SS. Individuæ Trinitatis *Collegii apud* Cantabrigienses *quondam Socio.*

TOMUS PRIMUS.

LONDINI:

Typis MARIÆ CLARK:

Prostant apud HENRICUM FAITHORNE & JOANNEM KERSEY ad insigne Rosæ in Cœmeterio D. *Pauli*, & è regione ædium Bedfordiensium in vico the Strand dicto. CIↃ IↃ CLXXXVI.

Sept. 15. 1685.

In Concilio REGIÆ SOCIETATIS, *Londini*, ad Scientiam Naturalem promovendam.

Liber cui Titulus Historia Plantarum Species hactenus editas aliasque insuper multas noviter inventas & descriptas complectens, &c. *Authore* JOANNE RAIO, *M. A.* è *Societate Regia: Imprimatur ab* Henrico Faithorne, *dictæ Societatis Typographo*.

S. Pepys, Pr. R. S.

HISTORIA PLANTARUM

Species hactenus editas aliasque insuper multas noviter inventas & descriptas complectens.

In qua agitur primò

De Plantis in genere,

Earúmque

PARTIBUS, ACCIDENTIBUS & DIFFERENTIIS;

Deinde

Genera omnia tum summa tum subalterna ad Species usque infimas,

Notis suis certis & Characteristicis

Definita,

METHODO

Naturæ vestigiis insistente disponuntur;

Species singulæ accurate describuntur, obscura illustrantur, omissa supplentur, superflua resecantur, Synonyma necessaria adjiciuntur;

VIRES denique & USUS recepti compendiò traduntur.



AUCTORE

JOANNE RAIO,

E Societate Regiâ, & SS. Individuæ Trinitatis *Collegii apud* Cantabrigienses *quondam Socio.*

TOMUS PRIMUS.

LONDINI:

Typis MARIÆ CLARK:

Prostant apud HENRICUM FAITHORNE & JOANNEM KERSEY ad insigne Rosæ in Cœmeterio D. *Pauli*, & è regione ædium Bedfordiensium in vico the Strand dicto. CIↃ IↃ CLXXXVI.

Prænobili Viro

D. CAROLO HATTON

ARMIGERO,

Nobiliſſimi Domini

D. CHRISTOPHORI HATTON

BARONIS LIBERI

ANGLIÆ FILIO,

HANC

Plantarum Hiſtoriam

Ipſius inſtinctu compoſitam perquam officioſè dedicat & plurimam Salutem vovet

JOANNES RAIUS.



UM tu, Nobiliſſime Vir, Operis hujus aggrediendi mihi auctor fueris, tibi in ſolidum debentur gratiæ, ſiquid indè vel emolumenti, vel honeſtæ ſaltem oblectationis ad Lectorem redundabit. Quòd ſi ſucceſſus vòtis non reſpondeat, nec multorum expectationi, quâ me tua aliorúmque amicorum affectui nimium indulgentium malè fundata opinio oneravit, minimè ſatisfaciam, paratam habeo excuſationem, me non inſtinctu proprio, ſed tuo ſuaſu tuóque conſilio, quæ apud me ſemper mandatorum vim obtinent, permotum ei conſcribendæ animum appuliſſe. Qualiſcunque autem ſucceſſus fuerit, hæc veſtra de viribus meis opinio aliquem uſum habuit, ad induſtriam ſcilicet noſtram excitandam, ut veterno excuſſo omni ſtudio & contentione niterer eam ſi non mereri, ſaltem non penitus fallere & fruſtrari, non minùs tamen irrito & ridiculo conatu, quàm ſi Rana bovem intumeſcendo æquare contenderem, ni quantum in viribus meis æſtimandis affectui licere permiſeris, tantum in opere ipſo judicando permittas.

Non uſque adeo Suffenus ſum aut meiipſius palpo, ut magni aliquid me præſtitiſſe putem. Materiæ maximam partem aliunde mutuatam agnoſco. Quæ tamen deſiderari animadverti ipſe ſupplevi, quæ redundare amputavi, errata correxi, obſcura, qua potui illuſtravi, brevitatem ubique ſecutus ſum, quatenus tamen cum perſpicuitate conſiſteret, nè ſuſpenſum & incertum Lectorem dimitterem, néve Specierum non neceſſariæ multiplicationi anſam præberem. Methodus denique & diſpoſitio in plurimis noſtra eſt ac nova.

Hæc ſi Tibi tuíque ſimilibus candidis & ingenuis probari intellexero, aliorum vel minùs idoneorum vel minùs æquorum Hiſtoriæ noſtræ cenſorum nec aſteriſcos capto, nec obeliſcos metuo, verùm veſtro judicio fretus, quicquid illi ſenſerint ſecurus, alacri & erecto animo ad reliqua pertexenda, & coronidem tandem Operi imponendam progrediar.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO.



Auca quædam, Amice Lector, quæ vel tu fortasse scire desideras, vel nostrâ interest ut scias, huic operi præfanda habeo, nimirum Primò, quæ me rationes ad id aggrediendum impulerint: deinde quam Methodum secutus sim; tandem quid in eo præstiterim, aut saltem me præstitisse putem.

Quod ad primum attinet, scias me suasu & hortatu D. Francisci Willughby *b. m. Amici nostri æternùm honorandi plantas maximè vulgares describere, materiámque, & supellectilem Historiæ Plantarum condendæ & instruendæ parare cœpisse. Verùm illo fatis functo cùm mecum reputarem Medicinam meam non esse professionem, opus etiam illud plus operæ & temporis exigere, quàm ego ei impendere possem aut deberem, remissiùs agere cœpi, & paullatim omnem ejus curam & cogitationem abjicere; præsertim cùm intelligerem* Robertum Morisonum *Aberdonensem, Scotum, Virum magni nominis & famæ ob scientiam Botanicam, ínque ejus studio & plantarum cultura diu versatum ejusmodi Historiæ conscribendæ insudare. Audito tamen postea opus illud, uno Volumine edito, interruptum ob Autorem ære alieno implicitum, unde eum brevi se expedire & institutum persequi exigua spes esset; nec ita multo post certior factus ipsum D.* Morisonum *infelici casu rebus humanis exemptum, instinctu & hortatu Nobilissimi Viri* D. Caroli Hatton *aliorúmque Amicorum, quorum ego de facultate mea opinionibus nimis credulus, Historiam denuo in manus sumere, eámque quanta potui industria & festinatione prosequi & perficere decrevi. Rationes autem quibus præcipuè permotus amicorum precibus cessi & consiliis obtemperavi fuere sequentes.*

Primò Divinæ gloriæ illustratio: Cùm enim inexplicabilis stirpium varietas, eximia pulchritudo, mirus ordo, immensa utilitas infinitæ supremi Opificis potentiæ, sapientiæ, bonitatis luculentissima indicia & argumenta sint, qui materiam hanc pro dignitate tractabit, Attributa illa omnibus unà agnoscenda, suspicienda, veneranda proponet.

Deinde, quòd tale opus desiderari animadverterem: Cùm enim multi jam effluxerint anni ex quo Jo. Bauhini *Historia Plantarum &* Jo. Parkinsoni *Theatrum Botanicum evulgata sint, plurimæque interea temporis novæ plantæ observatæ & descriptæ fuerint à Clarissimis Viris* Gulielmo Pisone, Georgio Marggravio, Jacobo Bontio, Reccho, Hernandez, Paulo Boccone, Jacobo Zanoni, Roberto Morisono, Jacobo Breynio, Horti Malabarici auctoribus, Christiano Mentzelio, Muntingio, *aliísque, tempestivum videbatur olim descriptis recens inventis additis & in sua genera distributis, unam ex omnibus Historiam componere, tum ut tenuioribus earum cognoscendarum avidis, quorum facultates tot libris coemendis non sufficiunt consuleretur, tum ut rudioribus facilior aditus ad eas intelligendas & addiscendas pateret.*

Tandem cùm nemo hactenus ex nostra natione Historiam stirpium Latino sermone conscriptam publicavit, nè putarent exteri neminem id potuisse aut posse.

Ego autem tum instinctu proprio, tum amicorum monitu festinandum censui, partim ob ætatem ingravescentem, nè mors cessantem occuparet, & vitæ filum priùs intercideret quàm Historiæ telam pertexuissem; partim ut è diverticulo in viam studiorum redirem, & stationem pristinam, quam in aliena castra transfuga ad tempus deserueram, quamprimùm repeterem, & res meas agerem.

Sequitur proximo in loco ut de Methodo quam secutus sum compendio dicam.

Methodum Memoriæ matrem esse apud omnes in confesso est, Memoriam autem Musarum fabulantur Veteres. Quocirca nè Historiam Musis & Apolline nullo composuisse videar, de ea adornanda maximè solicitus, id præcipue operam dedi, ut & summa Genera rectè constituantur, & tanquam in acie bene ordinata Species omnes tum subalternæ tum infimæ suis locis disponantur, quo & universæ faciliùs comprehendi, & singulæ clariùs intelligi queant, & indaganti promptiùs occurrant, & memoriæ firmiùs inhæreant.

Aliis autem Methodis rejectis ob rationes * alibi expositas, eam quæ à convenientia stirpium in partibus præcipuis, flore putà & ejus calyce, semine ejúsque conceptaculo, notas genericas sumit amplector & usurpo: quæ & maximè naturalis & philosophica est, & ad Botanicen compendiò addiscendam longè commodissima. Hujus enim interventu & auxilio studiosus quisque quamvis subsidiis alienis destitutus, & proprio Marte rem aggressus, Plantarum cognitionem haud difficulter assequetur. Oblatâ enim quacunque stirpe è non vulgo cognitis, cum summorum Generum notis (quas expedit ut in numerato habeat) eam conferendo, ad quodnam pertineat mox deprehendet: deinde Tabulæ ductum sequendo velut Ariadnæo filo per Genera subalterna pari facilitate descendet ad Species usque infimas, cum quarum descriptionibus collatâ plantâ vel descriptam agnoscet, vel novam & inobservatam concludet.

Verùm quod alias dixi illud hic repeto & inculco, non sperandam à me Methodum undequaque perfectam & omnibus suis numeris absolutam, quæ & plantas in Genera ità distribuat ut universæ Species comprehendantur, nullâ adhuc anomalâ & sui generis reliquâ, & unumquodque genus notis suis propriis & characteristicis ità circumscribat, ut nullæ inveniantur Species incerti, ut ita dicam, laris, & ad plura genera revocabilis. Nec enim id patitur natura rei. Nam, cùm Natura (ut dici solet) non faciat saltus, neque ab extremo ad extremum transeat nisi per medium, inter superiores & inferiores, rerum ordines nonnullas mediæ & ambiguæ conditionis producere solet, quæ de utroque participent, & utrosque velut connectant, ut ad utrum pertineant omnino incertum sit. Præterea eadem alma Parens in Methodi cujuscunque angustias coerceri repugnat, sed ad libertatem & αὐτονομίαν suam nullis legibus obnoxiam ostentandam in unoquoque rerum ordine nonnullas species creare solet, tanquam exceptiones à regulis generalibus, singulares & anomalas.

Notandum autem, non semper & in omnibus plantis notas Generum indices certas miniméque fallaces è forma seminis externa ejúsve involucri aut conceptaculi sumi (ut nonnullos velle audio) ità ut quibus hæ partes similes & conformes sunt eæ genere conveniant, quibus dissimiles differant: siquidem in genere Cumini datur aliqua species semine hispido & villoso, quæ reliquarum partium figura earundemque & ipsius seminis odore, colore, sapore cum vulgari Cumino semine striato lævi convenit. Pastinacæ latifoliæ sativæ semina lata & compressa, seu foliacea sunt; Sisari & Sii dicti angusta & striata. Quis tamen plantas ipsas ob convenientiam in foliis odore & sapore, (quæ tanta inter Sisarum & Pastinacam intercedit ut vix ovum ovo similius sit) non potiùs ad idem genus referendas statueret, quàm ob solam seminum difformitatem separandas, & procul à se invicem removendas. Fumariam siliquosam à γυμνοσπέρμῳ ego equidem invitus separo. Spergulam quæ semine est foliaceo ab eo cui semen rotundum nemo utique sejungit: Nec probo Papaver corniculatum à capitato divelli, quantumvis seminibus & vasculorum figuris discrepent.

Superest ut quid in hac Historia præstiterim, aut me saltem præstitisse putem brevibus exponam.

Primo

PRÆFATIO.

Primo in loco Plantas omnes hactenus editas, & per multa volumina sparsas, in Genera & Species veluti tot membra distributas in unum quasi corpus redegi. Quod ut efficerem, non omnes quotquot extant Stirpium Historias, Theatra, Pandectas, Adversaria, Observationes, Illustrationes, Commentarios evolvere & examinare necessarium duxi, nè actum agerem, cum Viri longè eruditissimi maximéque industrii J. Bauhinus & Casp. Bauhinus *fratres immenso labore diligenter perlectis & studiosè inter se collatis Botanicorum scriptis ante se editis, species jam tum cognitas, paucissimis omissis excerptas & methodicè digestas, hic in* Theatri Botanici pinace, *ille in* Historia Plantarum generali *exhibuerunt. Stirpes noviter inventas, & post Bauhinum utrunque denatum editas à Clariss. Viris* Prospero Alpino, Joanne Veslingio, Jacobo Cornuto, Joan. Parkinsono, *aliisque superiùs memoratis ipse collegi & ad sua genera retuli: non paucas denique à meipso observatas tam in Anglia, quàm in transmarinis regionibus adjeci.*

Longissimè tamen abest ut me perfectam Plantarum omnium Historiam composuisse, aut alium quemvis componere posse existimem, cùm nè dimidiam quidem partem plantarum toto terrarum orbe nascentium Europæis hactenus cognitam aut observatam esse certissimum sit. Primùm etenim vastissima terrarum spatia diverso mundi cardini subjecta nondum detecta, at nè fando quidem audita latere plusquam verisimile est: Quin earum regionum quarum aliqualem notitiam habemus pars longè maxima Botanicis inaccessa, nondum certè lustrata est. Tandem in iis etiam quæ omnium diligentissimè perscrutatæ sunt non paucæ Botanicorum industriam eluserunt & etiamnum inobservatæ latitant: ut hujusmodi Historiam vixdum inchoatam, non ante absolvendam putem

Exitio terras quam dabit una dies.

Præterea non sum nescius alias adhuc præter hoc opere comprehensas species, novas & nondum descriptas, in hortis Medicis quà Academiarum publicis, quà Magnatum & curiosorum privatis ali, à cultoribus suo tempore publicandas: ego autem editarum præcipuè historiam præ me fero; ex quibus etiam nonnullas per incuriam, oscitantiam, oblivionem aut festinationem omissas esse mihimetipsi conscius sum, plures fortasse Lectores observabunt. Quid enim aliud sperari potest ab uno, & homine, qui ne Amanuensem quidem habuerim, verum propriâ manu omnia exarare coactus sum.

Constitutis speciebus proxima cura fuit singularum descriptiones plenas & accuratas tradere: cùm autem animadverterem Clarissimos Viros utrosque Bauhinos, Fabium Columnam *&* Car. Clusium *in plantis describendis præ aliis diligentes & curiosos esse, eorum præcipue descriptiones mutuatus sum (quarum tamen non paucas emendavi & supplevi) autorum nominibus præfixis, nè pro meis eas venditare videar. Alias multas nimis succinctè & obscurè traditas, quales sunt pleræque familiarissimæ & passim nascentes, plenius & acuratiùs describere adnixus sum. Novæ & post Bauhinum evulgatæ ab autoribus suis, quos plerunque singulares habent, satis accuratè describuntur, ut de iis minùs laborandum esset; singulæ duntaxat suis sedibus disponendæ.*

Obscuris & ambiguis lucem aliquam fœnerari conatus sum, multis nihilominus admissis speciebus incertis & suspectis, nec enim quas pro talibus habeo omnes rejicere & eliminare ausus sum, nè Charybdin evitare cupiens in Scyllam inciderem, & superflua amputandi studio vivo aliquo membro Historiam mutilarem.

Cùm autem plantarum numerum in natura adeò ingentem noverim, ut haud facilè à quoquam memoriâ comprehendi & retineri omnes possint, summopere cavendum duxi nè ipse novas cuderem, unam & eandem speciem in plures distrahendo, quod in tanta multitudine specierum, brevitatéque & obscuritate descriptionum quæ ejusdem plantæ in diversis libris occurrunt evitari vix potest; qua in parte à summis etiam viris sæpius erratum novi.

Errores

PRÆFATIO.

Errores & παροράματα quæ in Botanicorum scriptis adnotavi obiter correxi, non ut cujusquam famam minuam aut existimationem lædam, sed solo veritatis illustrandæ studio, quo nihil antiquius nobis esse debet. Aliis autem siquid humanitus acciderit facilè ignosco, cùm ipse sæpius, quamcunque curam adhibeo, titubem aut dormitem, æquum autem sit,

Erratis veniam poscentem reddere rursus.

Quod ad synonyma attinet, quatuor præcipuè Auctorum Joannis Bauhini, Caspari Bauhini, Gerardi, & Parkinsoni *nomenclaturas & titulos exhibui, nec plures necessarias putavi, cùm reliquæ jamdudum à C. Bauhino in pinace & J. Bauhino in Historia traditæ sunt. Novæ & post Bauhinum editæ singulos plerunque uc Autores, ità titulos habent.*

De stylo & orationis nitore parum solicitus, magis laboravi ut sententia clara esset quàm ut sermo ornatus. Perspicuitati etiam brevitatem quoad potui conciliare studui

——— Ut citò dicta

Percipiant animi dociles teneántque fideles.

Vires & Usus à Botanicis quà Veteribus quà Recentioribus fusè traditas in compendium contraxi, Observationes etiam plurimas ab Amicis communicatas adjeci.

Icones nullas adhibui, non quod minùs necessarias aut inutiles ducerem, sed partim nè operis editionem morarer, partim ob sumptus immodicos: Ligneæ enim ad gustum seculi non sunt, æneis autem exsculpendis vix census Senatorius sufficeret. Quòd si Historia eas mereri videbitur, non minùs commodè ei jam editæ addi quàm unà edi possunt.

Restat tantum ut fatear per quos profecerim, eorúmque nomina qui Historiæ huic aliquid contulerunt vel in ea edenda mihi adjumento fuere grata commemoratione recenseam. Ii fuere D. Gulielmus Bowle M. D. *defunctus*, D. Petrus Dent, *Medicus & Pharmacopœus Cantabrigiensis* D. Radulphus Johnson, D. Martinus Lister M. D. D. Gualterus Needham M. D. D. Jacobus Newton, D. Josua Palmer M. D. D. Philippus Skippon *Eques auratus*, D. Barnhamus Soame, Tho. Willisellus *defunctus. Horum mentio frequens in hoc opere occurrit, eorúmque nomina symbolis suis adscripta Lector reperiet. Quatuor autem præ aliis celebrandi veniunt qui Historiam nostram plurimis observationibus locupletârunt, vel aliter ei perficiendæ non inutilem nobis operam navarunt. Nimirum*

D. Edvardus Hulsius *M. D. vetus Amicus noster, de Republicâ Literariâ optimè meritus, sua laude & multorum commodo Londini Medicinam exercens, cui ob promptum Operis hujus promovendi & perficiendi studium tot Observationibus medicis ultro collatis testatum, maximæ à me & Lectoribus meis, siquos habiturus sum, debentur gratiæ.*

D. Tancredus Robinsonus *M. D. quem ob præclaram eruditionem, suavissimos mores, & propensum in me animum merito suo plurimùm diligo, qui & opus ipsum variis Observationibus ditavit; inque ejus editione accurandâ exornandâque non minus diligens & industrius fuit, quàm si ipsemet ejusdem Auctor fuisset.*

D. Hans Sloane, *M. D. Botanices apprimè gnarus, qui & multas rariores plantas à se collectas, & curiosè observatas quas mihi non antea videre contigerat, suásque de iis Observationes benevole communicavit, & plurima etiam rariorum semina impertivit, quo stirpes inde enatas observare & describere possem.*

D. Samuel Dale, *Medicus & Pharmacopœus vicinus & familiaris noster, Brantriæ in Essexia degens, qui libris diligenter collatis Synonyma examinavit, errata correxit, & omissa supplevit, præterea siquas species per incuriam aut festinationem omissas observavit, me commonefecit, ut ejus ope Historia nostra aliquot mendis repurgata, & speciebus aucta sit.*

Det Deus Opt. Max. ut quem mihi scopum destinaveram petam, eáque absoluto opere consequar quibus me ad illud inchoandum initio permotum dixi, nempe ut ipsius gloriam illustriorem reddam, & proximi commodis, Botanicorum præcipuè studiis promovendis inserviam.

Explicatio

Explicatio nominum abbreviatorum & recensio operum ab eisdem Autoribus editorum.

AD. & *Ad. Lob.* Adversariorum opus, à Petro Pena & Matthia de Lobel editum, primò Londini Anno 1570. additis circiter 284. figuris. Postmodum Anno 1576. Antverpiæ: novus titulus præfixus, epistolâ ad Reginam omissâ: cui operi Lobelius Observationes suas cum novis figuris junxit. Tandem Anno 1605. iterum Londini edidit Lobelius Adversaria, unà cum parte secunda & Pharmacopœa Rondeletii.

Amat. Amatus Lusitanus, qui in libros quinque Dioscoridis enarrationes edidit, additis diversarum linguarum nominibus. Argentinæ 1554. in 4.

Apul. Apuleius Platonicus, non antiquus ille Madaurensis, sed alius recentior, quem Johnsonus in Præfatione ad Gerardum à se emaculatum sexcentis retro annis aut circiter vixisse conjectatur, & opusculum suum de plantarum virtutibus primùm Græcè scripsisse. Idem observavit in duobus libris manuscriptis à se visis Autorem hunc Platonem Apoliensem nominatum. Constantinopolin autem urbem *Apoley* dictam fuisse auctor est Ferrarius.

Alp. Prosper Alpinus sextus Horti Patavini præfectus de Balsamo Dialogum, additâ ejus figurâ, scripsit. Venetiis 1594. 4. Ejusdem de Plantis Ægypti liber cum figuris 46. & cum medicina Ægyptiorum Venetiis 1592. 4. Liber de Plantis Ægypti & Dialogus de Balsamo unà cum Observationibus Jo. Veslingii secunda vice impressus est Patavii 1640. in 4.

Ejusdem de Plantis Exoticis libri duo cum figuris æneis à filio post ejus mortem editi sunt Venetiis 1627.

Ang. Aloysius Anguillara Horti Patavini tertius in ordine Præfectus de plantis suam sententiam diversis communicavit: Opusculum in partes 14. divisum operâ Joan. Marinelli Italicè prodiit; additis duabus figuris Chamæleontis & Sedi arborescentis. Venetiis 1561. 8.

Bell. Honorius Bellus Vicentinus, medicus Cydoniensis in Creta insula. Extant Epistolæ ejus de Plantis ad Clusium conscriptæ, ejúsque historiæ additæ.

Bellon. Petrus Bellonius, scripsit Observationum libros tres, qui à C. Clusio Latinitate donati, additis plantarum figuris 10. prodiere Antverpiæ 1589. 8. Item tractatum de neglecta stirpium cultura quem idem Clusius vertit, & unà cum Observationibus Exoticorum, libris adjecit. Item librum de arboribus coniferis, resiniferis & semper virentibus cum earundem iconibus 8. Parisiis 1553. 4.

C. B. Casparus Bauhinus in pinace. *C. B. Phyt.* Idem in Phytopinace. *C. B. prod.* Idem in Prodromo Theatri Botanici *C. B. Theatr.* Idem in primo volumine Theatri Botanici.

C. Bauhinus medicus & Professor Basileensis in Phytopinace 2460. plantarum nomina cum aliquot Synonymiis exhibuit, & 164. descriptiones novarum plantarum, octóque figuras adposuit. Basileæ 1596. in 4.

Idem P. Andreæ Matthioli opera omnia in Germania priùs non cusa emaculata dedit, additis 330. figuris, & 50. novis ab ipso primùm descriptis, cum Synonymiis. Francofurti 1598. in fol.

Idem Animadversiones in Historiam generalem Lugdunensem in quibus circiter 400. figuras in illo opere bis térve positas & repetitas esse ostendit. Francofurti 1600. in 8.

Idem Jacobi Theodori Tabernamontani Historiam Germanicam correxit, maxima parte auxit: figuras novas plures addidit: nonnullas descripsit, & parti primæ synonymias adposuit. Francofurti 1613. in fol.

Ejusdem Prodromus Theatri Botanici, in quo circiter 600. plantæ ab ipso primum descriptæ, additis 140. novis figuris, Francofurti 1620. in 4. editus est. *Continet hic liber multas species nobis suspectas, à plantis siccis descriptas.*

Ejusdem Catalogus Plantarum circa Basileam sponte nascentium, cum eorundem Synonymiis & locis natalibus. Basileæ 1622. in 8.

Tandem Anno 1623. prodiit Pinax Theatri Botanici, opus absolutissimum, 40. annorum, circiter 6000 plantarum nomina continens cum earundem Synonymiis & differentiis. *Liber isthic Sphalmatis & erroribus suis non caret: Species aliquæ bis térve repetuntur sub diversis titulis, aliæ locis non suis disponuntur, ut Historiam generalem Ebrodunensem, Morisoni Prælud. Bot. & Historiam Oxoniensem, & nostram etiam legenti patebit.*

Multis post obitum C. Bauhini annis Joan. Caspar. Bauhinus ejus filius edidit primum Volumen Theatri Botanici sive Historiæ Plantarum, quod est pars duodecima totius Operis, Basileæ 1658. in fol.

Boccon. Paulus Boccone Siculus Panormitanus: Icones & descriptiones rariorum plantarum Siciliæ, Melitæ, Galliæ, Italiæ Oxonii edidit Anno 1674. 4. Ejusdem Epistolæ Gallico sermone conscriptæ, & Amsterodami editæ, nonnulla de Lithophytis aliisque plantis submarinis continent.

Bont. Jacobus Bontius medicus Bataviæ novæ libros 6. Historiæ naturalis Indiæ orientalis conscripsit, quos morte præventus indigestos reliquit, posteà Gulielmus Piso eos in ordinem redegit, illustravit, & edidit simul cum Historiâ naturali Indiæ occidentalis, Amstelodami 1658. cujus Historiæ Lib. IV. de Arboribus, Fructibus, Herbis Medicis atque alimentariis nascentibus in Brasiliâ & regionibus vicinis agit. VI. Mantissam Aromaticam continet. XII. Notas in Garciam ab Hort. XIV. & ultimus Historiam quarundam plantarum Indicarum.

Ans. *Boetius de Boot* edidit Historiam quorundam Florum, Herbarum, Frugum cum Iconibus æneis, Brugis 4.

Breyn. Jacobi Breynii Patritii Dantiscani, Borussi Exoticarum plantarum Centuria prima, Gedani 1678. cum æneis figuris elegantissimis in fol. edita.

Idem

Idem Prodromum fasciculi rariorum plantarum edidit Gedani 1680. qui liber ad manus nostras nondum pervenit.

Brunf. Otho Brunfelsius. Primus Germanorum vivas plantarum icones edidit. Hujus Historia Latina tribus tomis prodiit; primus Anno 1530. alter 1531. & tertius posthumus Anno 1536. Argentinæ cum figuris 238. at sedecim bis ponuntur: summatim cum & sine figuris 288. describuntur. Idem & Germanicè scripsit in folio cum eisdem figuris, & in 4. parvis figuris additis Argentinæ 1539.

Jo. Theod. de Bry. Florilegii partes tres 1612. 1614, 1618. folio.

Cæs. Andreas Cæsalpinus Aretinus in Acad. Pisana Professor de plantis 16. libros scripsit, nullis figuris additis: prodiere Florentiæ 1583. Ejusdem Appendix ad hos libros Romæ 1603. in 4.

Cam. & Cam. hort. Camerarius in hort. *Cam. ep.* Camerarius in Epitome Matthioli. Joachimus Camerarius Matthioli Historiam Germanicam per Hantschium primùm versam & cum Matthioli figuris cusam rursus emaculavit, novis iconibus 123. & notis auxit.

Idem Matthioli epitomen dedit cum figuris 1003. Francofurti 1586. 4

Idem Hortum Medicum & Philosophicum scripsit, figuras 56. addidit. Francofurti 1588. 4.

Cast. Castor Durantes medicus Romanus Herbarium novum cum figuris plantarum quæ in tota Europa, India Orientali & Occidentali nascuntur Italicè edidit, viribus Latinis versibus expressis. Ordinem Alphabeticum observavit, & plantarum figuras 879. adposuit. Romæ 1585. in fol.

Cat. Aldorf. Catalogus Plantarum in agro Altdorffino locisque vicinis sponte nascentiu m à Ludovico Jungermanno primò editus, à Casp. Hofmanno recensitus, à Mauritio Hofmanno denuo recognitus & auctus, A. D. 1662. in 4.

Clus. & *Clus. hist.* Clusius in historia. *Clus. pan.* Clusius in Pannonicis. *Clus. exot.* Idem in Exoticorum libris. *Clus. cur. post.* Curæ posteriores.

Carolus Clusius Atrebas, Botanicus insignis Dodonæi historiam vernaculâ linguâ conscriptam Gallicam fecit, & corollarium de Aromatibus addidit, cum figuris quæ separatim in octavo prodiere Anno 1560. in fol.

Idem Garciæ ab Horto dialogos de Aromatibus & simplicibus, Lusitanicè conscriptos in Epitomen contraxit, Latinos fecit, Annotatiunculis & figuris plantarum 30. illustravit. Antverpiæ Anno 1574. in 8. cujus editio quinta auctior additis 36. figuris cum ejusdem exoticis 1605. in folio prodiit.

Idem Nicolai Monardis lib. de Medicamentis Indiæ Occidentalis ex Hispanico transtulit, notis & figuris 9. illustravit. Anno 1574. in 8. cujus editio quarta cum Exoticis excusa est. Ejusdem Monardis liber tertius ab eadem Latinè redditus Antverpiæ 1583. in 8. cusus.

Idem Christophori Acostæ historiam ex Hispanico Latinam fecit, in Epitomen contraxit, Scholiis illustravit, & anno 1582. edidit. Tertiò verò additis 6. figuris cum Exoticis An. 1605. in fol. prodiit.

Idem de plantis per Hispaniam observatis libros duos scripsit, figuris 230. additis. Antverpiæ 1576. 8.

Postea ab Imperatore Maximiliano II. evocatus Austriam, Pannoniam & adjacentes provincias lustravit, & de simplicibus ibi observatis lib. 4. conscripsit, figuras 353. addidit. Antverpiæ 1583. 8.

Idem tam Hispanicâ, quàm Pannonicâ Historiâ simul junctâ, & aliis quibusdam additis, unam ex omnibus Historiam composuit, sex libris comprehensam, & sub titulo Historiæ plantarum rariorum evulgavit, additis figuris 1135. Antverpiæ 1601. in fol.

Idem Exoticorum libros decem scripsit, quorum sex priores variam materiam circa Animalia & Plantas cum iconibus Plantarum 194. continent. Item Garciæ, Monardis & Acostæ libros supradictos, item Nicolai Monardis lib. 3. De lapide Bezoar, de Scorzonera, De Ferro & Nive An. 1605. fol.

Ejusdem Curæ posteriores cum additam, post mortem editæ sunt, additis 27. figuris, Antverpiæ 1611. in fol.

Col. Fabius Columna Neapolitanus, è familia Columnarum Romana, doctissimus Vir & limati judicii, ex Academia Lynceorum edidit Phytobasanon cum figuris 36. Neapoli 1592. Item De minus cognitis plantis partes duas, quarum prima cum figuris 161. Romæ Anno 1606. altera etiam cum figuris 44. ibidem 1616 cusa est.

Idem Annotationes & Additiones in Historiam Plantarum Mexicanarum Fr. Hernandez & aliorum scripsit, quæ cum dicta Historia editæ sunt Romæ 1651.

Cord. & *Cord. Hist.* Cordus in historia. Valerius Cordus scripsit Annotationes in Dioscoridem: item lib. 4. de Stirpium historia cum figuris 272. ex Trago, & aliquot novis à Gesnero additis: Item Sylvam observationum, quæ omnia, Gesnero curante, Argentinæ 1561. in folio edita. Ejusdem Dispensatorium sæpius recusum est.

Corn. & *Cornut.* Jacobus Cornutus Gallus, Medicus Parisiensis edidit historiam Plantarum Canadensium aliarúmque, Parisiis 1635. 4.

Diosc. & *Dioscor.* Pedacius Dioscorides Anazarbeus. Vixit circa Plinii tempora, Botanicus & Medicus insignis, non tamen Allexandrinus ille Marco Antonio & Cleopatræ familiaris, scripsit De Materia Medica usu antiquissimo & experientiâ longâ comprobatâ libros 8. qui sæpius recusi sunt. Nonnulli C. Plinium Secundum multa ex hoc opere in Historiam suam transtulisse, nulla Auctoris mentione facta, opinantur. Quod quoniam candori Pliniano repugnat, ego potius cum Salmasio sentio utrumque tum Dioscoridem tum Plinium à Sextio Nigro ea mutuatum, nec Plinium Dioscoridis librum unquam legisse, aut vidisse.

Dod. Dodonæi Pemptades Latine in fol. *Dod. gal.* Ejusdem historia Gallica *Clus. Dod. Belg.* Ejusdem historia Belgica.

Rembertus Dodonæus Medicus Mechliniensis stirpium historiam Belgicè scripsit, quæ à Clusio Gallicè reddita cum quibusdam additamentis prodiit Antverpiæ 1559. ut superiùs diximus.

Anno 1552. edidit frugum historiam in 8. Latine; & paulò post Florum & purgantium histor. in 8.

Eadem simul juncta in libros 30. divisa Antverpiæ Anno 1583. in fol. cum 1305. figuris. Hæc Historia denuò recusa Belgicè cum cujusdam annotationibus prolixis, additis adhuc 36. novis figuris

ris, Anno 1608. & Latinè similiter ab Autore emaculata, paucis mutatis, & figuris quæ in Belgica editione habentur cum descriptione additis, Anno 1616. prodiit.

Dodart. Description de quelques Plantes nouvelles. A Paris 1676. Librum hunc mihi nondum videre contigit.

D. Johannes *Evelynus*, Vir eruditissimus, Sylvam, seu tractatum de Arboribus, Londini edidit in fol. unà cum aliis ad rem Botanicam spectantibus.

Eyst. Hortus Episcopi Eystettensis in Bavaria, à Basilio Beslero Pharmacopœo Norimbergensi editus cum magnis figuris in æs incisis 1083. Norimbergæ 1613. In hoc opere exhibentur Synonyma tantùm & descriptiones. In 4. partes secundùm 4. anni tempestates dividitur: & singulæ partes iterum in tres subdividuntur secundùm anni menses.

Ephem. German. Ephemerides medico-physicæ Germanicæ: sive Miscellanea curiosa medico-physica S. R. Imperii Academiæ naturæ curiosorum per Germaniam.

Acta Haf. Acta Hafniensia Medica & Philosophica à Tho. Bartholino edita.

Emanuelis Swertii Florilegium Francofurti impressum fuit cum figuris & plantis novis, fol.

Ferrar. Joan. Baptista Ferrarius Senensis S. J. Scripsit Floram seu de Florum cultura libros 4. editos ultimo Amsterodami 1646. Continet hic liber figuras & descriptiones Plantarum aliquot novarum.

Joannes Fragosus Hispaniarum Regis medicus & Chirurgus aromatum, fructuum, & simplicium aliquot ex utraque India in Europam delatorum historiam Hispanicè scripsit. Israel Spachius medicus Argentinensis edidit Argentinæ 1610. 8.

Fuch. Fuchsius in Historia Latina in folio. Leonardus Fuchsius Germanus, Tubingensis, medicus, doctus & industrius Botanicus, Tragi æmulus edidit Historiam Latinam cum 516. figuris artificiosissimè ligno incisis, Basileæ 1542. in fol. Hunc præceptorem suum Jo. Bauhinus appellat.

Flora D. Rea. Londini fol.

Gal. Claudius Galenus, Pergamenus Medicorum omnium post Hippocratem facilè princeps.

Ger. Joan. Gerardi Historia plantarum Anglica cum figuris ipsius Tabernamontani, nonnullis etiam Lobelii, & insuper 16. novis additis. Londini 1597. in fol. Joannes Gerardus (referente Johnsono in Præfat. ad Gerardum emaculatum) natus est Nantvici in comitatu Cestriensi, unde Londinum venit, ubi Chirurgiæ operam dedit, in qua adeò profecit, ut magisterium in ea facultate adeptus sit. Linguarum mediocrem aut nullam habuit peritiam. Hujus operis potissima pars & quasi corpus sunt Pemptades Dodonæi, Anglicè redditæ à quodam Doctore *Priest*, quas Gerardus ferè integras transsumpsit. Hoc ut celaret mutavit Dodonæi methodum in Lobelianam, à Graminibus & Graminifoliis initium sumens. Huic versioni Dodonæi addidit insuper nonnullas plantas è Clusio, alias ex Adversariis Penæ & Lobel. ex suis circiter 14. non antea editas. Assumpsit verò icones Tabernamontani, quas sæpius imperitè confudit & transposuit.

Ger. emac. Gerardi Historia emaculata & aucta à doctissimo Viro Thoma Johnsono, cive & pharmacopœo Londinensi, quem ob insignem totius Medicinæ, sed præcipuè Rei Botanicæ peritiam Academia Oxoniensis Doctoratûs gradu & titulo meritissimè auxit. Opus hoc bis Londini impressum est, primò 1633. iterum 1636.

Gesn. Gesnerus. *Gesn. hort.* Gesnerus in libro de hortis Germaniæ. *Gesn. col.* in libello de collectione stirpium. *Gesn. cat.* in Catalogo plantarum quadrilingui. Conradus Gesnerus Tigurinus, ingenio, eruditione, industria, fide, modestia nulli secundus, Historiam plantarum & vires ex Dioscoride, Ægineta, Theophrasto, Plinio & recentioribus Græcis juxta Elementorum ordinem edidit, Venetiis 1541. 16.

Item, Catalogum plantarum quadrilinguem, Tiguri 1542. in 4.

Item, De Lunariis & noctu lucentibus cum figuris 5. & montis Fracti sive Pilati Lucernatum descriptione ibid. 1552. 4.

Item, De Hortis Germaniæ librum cum Appendice & Corollario ad Cordi historiam, in quo fig. 5. cum Cordi operibus. Argentinæ 1561. in fol.

Item, De Lapidibus, fossilibus & gemmis cum marinarum plantarum 8. figuris, Tiguri 1565. 8.

Ejusdem Epistolæ medicinales per Casparum Wolfium editæ, addito de Aconito primo asseveratione cum 3. fig. Tiguri 1577. 4.

Item, De stirpium collectione per Wolfium edit. Tiguri 1587. 8.

Hunc Jo. Bauhinus Præceptorem suum sæpius appellat, & à candore ac modestia commendat.

Melchior Guilandinus Borussus, quartus in ordine Horti Patavini præfectus, emisit librum qui inscribitur Theon, sive Apologia adversùs Matthiolum. Patavii 1558. 4. Item Epistolas aliquot de stirpibus. Ibid. Item Commentarium in tria C. Plinii capita de Papyro, qui inscribitur Papyrus. Ejusdem conjectanea synonymica plantarum cum horti Patavini Catalogo sub annum 1591. Jo. Schenckii operâ edita. Francofurti 1600. 8.

Hermol. Hermolaus Barbarus Patriarcha Aquileiensis scripsit quinque libros Commentariorum in Dioscoridem, quos Corollarium vocat. Colon. 1530. in fol. Item in C. Plinii Historiam Naturalem castigationes. Basileæ 1534. 4.

Hernandez. Plantarum, Animalium, &c. Mexicanorum Historia, à Francisco Hernandez primùm compilata & à Nardo Antonio Recchoin Volumen digesta. Romæ 1651. in fol.

Hort. Malab. Hortus Malabaricus Indicus, continens Regni Malabarici omnis generis plantas rariores, Latinis, Malabaricis, Arabicis & Bramanum characteribus nominibúsque expressas. Unà cum Floribus, Fructibus & seminibus, naturali magnitudine delineatas, & in æs incisas; Addita insuper accurata earundem descriptione, Adornatus per Henricum Reed van Draakenstein aliósque. Hujus operis quinque volumina, jam edita sunt; nec tamen ultra arbores & frutices progressum est.

Hort. Leyd. & *Hort. Lugd. Bat.* Horti Leydensis Catalogus.

Hort. Paris. Horti Regii Parisiensis Catalogus Anno 1665. editus in folio.

Hort. Blæſ. Hortus Blæſenſis auctus, à R. Moriſono editus Londini 1669. 8.
Catalogos variorum hortorum collegit, & unà edidit S. Paulus. Hafniæ 1653. 16.
Hort. Farneſianus cum figuris à Tobia Aldino, Romæ fol.
C. Hofman. Caſpari Hofmanni Libri duo De Medicamentis Officinalibus. Catalogum Altdorfienſem Jungermanni recenſuit. Altorfii 1615. 4.
J. B. Joannes Bauhinus, Caſpari frater, Ducis Wirtemberg. Archiater, ingenioſus admodum & eruditus, ſummæ fidei, infinitæ lectionis, limati & maturi judicii, in omnibus Botanicorum, tam Antiquorum quàm Recentiorum ſcriptis verſatiſſimus, omni humanioris & ſeverioris literaturæ genere inſtructiſſimus, uno verbo Herbariorum Coryphæus, præter opuſcula quædam, v. g. Libellum de Plantis à Divis denominatis. Baſileæ 1598. 8. Libellum de Abſinthii generibus. Montisbeligardi 1593. 8. Et De plantis circa Balneum Bollenſe naſcentibus Catalogum, Pomorum figuris 60. & Pyrorum 40. additis cum Hiſtoria de Balneo Bollenſi. Montisbeligardi 1598. 4. Præter hæc inquam Hiſtoriam Plantarum Univerſalem inchoavit, ínque eâ perficienda exornandâque diu multúmque laboravit, verùm morte præventus opus illud imperfectum reliquit: quod recenſuit & auxit Dominicus Chabræus M. D. Genevenſis, juris vero publici fecit Franciſcus Lud. à Graffenried, Dominus Gertzenzee, &c. Opus omnium quæ hactenus lucem viderunt abſolutiſſimum, complectens quicquid fere ſcitu & obſervatione dignum vel apud Veteres vel apud Neotericos occurrit: unà cum ſynonymis, æquivocis, ſuccedaneis, &c. Summo ſtudio cavet hic Auctor, nè ſpecies præter neceſſitatem multiplicaret, & ex una plures faceret, veritati adeò addictus, ut hujus cauſâ non dubitet etiam τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν. Multæ in hoc opere ſpecies deſiderantur ex iis quas proculdubio non omiſiſſet Auctor ſi ſupervixiſſet & editioni præfuiſſet, quin potiùs alias plurimas addidiſſet, omniúmque ordinem & diſpoſitionem in melius mutâſſet.
Imperat. Ferrantes Imperatus Neapolitanus Pharmacopœus evulgavit Hiſtoriæ naturalis lib. 28. cum figuris lapidum, corallorum, ſpongiarum, &c. plantarum verò & fructuum 33. Neapoli 1599. in fol. & Venetiis 1672. ab Ant. Ferri aucti.
Jo. Bod. Joannes Bodæus à Stapel, medicus Amſtelodamenſis in Commentariis ſeu notis in Theophraſti hiſtoriam, Amſtelodami editis, unà cum Græco contextu 1644. in folio. Habentur in hoc opere tum vulgarium, tum rariorum plantarum icones permultæ.
Jung. Joachimi Jungii Iſagoge Phytoſcopica, &c. Hamburgi 1679. 4.
Lac. Andreas Lacuna. Extant ejus Commentaria in Dioſcoridem cum figuris Hiſpanicâ linguâ conſcripta. Salmanticæ 1552. in fol.
Item Annotationes in Dioſcoridem, in quibus Ruellii verſio caſtigatur.
Lob. Lobelius in Obſervationibus aut Adverſariis. *Lob. ico.* Idem in iconibus ſeparatim editis. Lobelius præter Adverſariorum opus de quo ſuperius diximus, edidit Plantarum ſeu Stirpium Hiſtoriam, quam etiam Stirpium Obſervationes inſcribit, additis figuris 1476. Antverpiæ 1576. in fol.
Poſtea Hiſtoriam plantarum ſeu ſtirpium Belgicè edidit, in qua & Adverſaria & Obſervationes complexus eſt, aliis inſuper additis. Cum figuris 2116. quæ poſtea ſeorſim cuſæ ſunt Antverpiæ in forma longa.
Deſignavit inſuper aliud magnum opus, cui titulus Stirpium Illuſtrationes. Verùm mors illud interrupit. Hujus fragmentum aliquod diu poſt ejus mortem Londini impreſſum eſt.
Lobelium, quantum memini, Jo. Bauhinus alicubi vagum & inanem jactatorem appellat: quam cenſuram quamvis minùs probem, obſervavi tamen Lobelium in plantis deſcribendis parum curioſum fuiſſe & memoriæ nimium fiſum ſæpius erràſſe, in locis præſertim plantarum. Nam multas pro indigenis Angliæ habet, quas nemo præter ipſum in Angliæ ſponte naſcentes obſervavit, quáſque in locis ab illo deſignatis fruſtra requiſiveris: imò nec alibi fortè in rerum natura. Exemplo ſit Lycopſis altera Anglica, & Nymphæa lutea, necnon alba minor.
Lon. Adamus Lonicerus: Is Herbarium Eucharii Roſlin, ſui in Officio Francofurti anteceſſoris Germanicè ſcriptum quarto auxit, quod poſtremò anno 1569. prodiit: poſtmodum remoto Eucharii nomine ſuum præfixit, & cum figuris 833. circiter Anno 1582. dedit Francofurti.
Lugd. Hiſtoria generalis plantarum lib. 18. à Dalechampio inchoata, per Joan. Molinæum collecta & edita, qui nomen ſuum non adpoſuit. Lugduni Anno 1587. excuſa eſt. In hac figuræ 2686. proponuntur; verum circiter 400. bis térve repetuntur.
D. Marcellus Malpighius, Vir ſagaciſſimus, & D. *Nehemiah Grew* ediderunt Anatomiam plantarum ſummo cum applauſu. Utraque Londini impreſſa fol.
Matth. Petrus Andreas Matthiolus. Hujus Commentaria Italica cum 957. magnis figuris, 1568. Venetiis edita: Ejuſdem Italica cum parvis figuris 1563. De ejuſdem editione Germanica Camerariana, & Latina à C. Bauhino emaculata ſuperiùs diximus, déque Epitome.
Ejuſdem Epiſtolæ cum Commentariis Francofurti editæ ſunt cum Apologia in Amatum Luſitanum. Lobelio aliiſque magnam incurrit reprehenſionem.
Magn. Petrus Magnol Monſpelienſis Medicinæ Doctor, Botanicus inſignis edidit Catalogum Plantarum circa Monſpelium naſcentium, titulo Botanici Monſpelienſis Lugduni 1676. 8. in quo & obſcura multa illuſtravit, & novarum aliquot Plantarum icones & deſcriptiones dedit.
Marggrav. Georgius Marggravius de Liebſtad, Miſnicus Germanus ſcripſit Hiſtoriæ rerum naturalium Braſiliæ libros octo: quorum tres priores agunt de Plantis. Amſtelodami 1648. in fol.
Mentzel. Chriſtianus Mentzelius Furſtenwald. March. Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, Sereniſſ. Electoris Brandeburgici Conſiliarius & Archiater edidit Indicem Nominum Plantarum Univerſalem multilinguem, cum Pugillo rariorum Plantarum & figuris aliquot in æs inciſis. Berolini 1682. in fol.
Moriſ. præl. Moriſoni Præludia Botanica. *Moriſ. Hiſt.* Moriſoni Hiſtoria plantarum Univerſalis. Robertus Moriſonus Aberdonenſis Scotus M. D. Botanices Profeſſor Oxonienſis, & Horti Medici Præfectus edidit Hortum Blæſenſem auctum, unà cum Plantarum inibi contentarum nemini

ni huc usque scriptarum brevi & succincta delineatione, Hallucinationibus quas vocat C. Bauhini in Pinace & Jo. Bauhini in Historia, aliisque nonnullis, Præludiorum Botanicorum titulo. Londini 1669. 8.

Item, Plantarum Umbelliferarum Distributionem novam, per Tabulas cognationis & affinitatis, Oxonii 1672. in fol.

Item, Historiæ Plantarum Universalis Oxoniensis Partem secundam Oxonii 1680. in folio.

Hic quandiu intra suos limites se continuit, & Catalogis Hortorum componendis, notis generum characteristicis indagandis, Botanicorum in Dispositione specierum erroribus aut, ut loqui, amat hallucinationibus detegendis corrigendisque operam dedit, laudem sane meruit. Verùm cum sibi nimis placeret suique plenus alios etiam se doctiores contemneret, majora viribus aggredi, & Plantarum Historiam Universalem conscribere ausus, nec famæ suæ consuluit, nec multorum expectationi satisfecit.

Munting. Abrahamus Muntingius M. D. & in patria Academia Groningensi Botanices professor, edidit librum de vera herba Britannica cum Appendice de speciebus Aloes, Amsterodami 1681. 4. Historiam etiam plantarum Belgicè edidit An. 1672. 4.

P. B. Phytologia Britannica Londini edita 1650. 8.

P. Renealm. Paulus Renealmus Blæsensis specimen Historiæ plantarum cum figuris 43. typis æneis expressis edidit Lutetiæ 1611. 4.

Park. Parkinsonus in Theatro Botanico. *Park. parad.* Parkinsonus in Paradiso terrestri. Joannes Parkinsonus Londinensis, Pharmacopœus Regius Anno 1629. edidit Paradisum suam terrestrem Anglicè, in qua florum omnium historiam, quin & Arborum fructiferarum, olerum & fruticum elegantiorum quæ in hortis aluntur historiam latè persequitur.

Postea Anno 1640. emisit Theatrum suum Botanicum, itidem Anglicè, omnes in universum plantas exceptis Paradiso terrestri comprehensis complectens, in quo novâ Methodo usus, plantas secundum vires & facultates præcipuè in varias Classes distribuit. Continet hoc opus plures species quàm quævis alia quæ hactenus extat Historia. In plerisque C. Bauhini vestigiis insistit: multas tamen species addit ex Alpini Exoticis, Cornuti Canadensium historia aliisque. Ex altera etiam parte per oblivionem aut festinationem multas omittit, aliquas etiam repetit.

Plin. Caius Plinius Secundus, Vixit temporibus Vespasiani. Vesuvii vaporibus sulphureis suffocatus, dum incendii causas rimaretur interiit, Anno Dom. 79. Plurima scripsit quæ injuriâ temporum interciderunt: Supersunt de Historia mundi lib. 37. in quibus multa habet de plantis earumque cultura & viribus, quorum tamen nullam partem è Dioscoride transcripsit, ut vulgarem opinionem secutus aliquando scripsi, cùm clariss. Salmasius Dioscoridem Plinio vel æqualem vel potius posteriorem fuisse demonstret in *Præfat. ad Homonyma Hyles Iatricæ:* nec conveniat candori Pliniano quem erga omnes etiam sui seculi scriptores & etiamnum viventes, quos expressè nominat, semper ostendit, tot ab alio aliquo suffuratum esse quot cum Dioscoride communia habet, nulla Auctoris mentione facta; quin potius verisimile est utrumque ubi eadem habent, à tertio quodam, præcipuè Sextio Nigro mutuatum esse. Plura in hanc rem vide apud Salmasium Præfationis citatæ pag. 25. & sequentibus.

Pon. Jo. Pona pharmacopœus Veronensis simplicium in monte Baldo nascentium Catalogum scripsit, & nonnullarum descriptiones cum figuris 16. addidit. Clusius suæ Historiæ rariorum adjunxit.

Idem auctiorem dedit, & nonnullarum stirpium ab Honorio Belli in Creta observatarum descriptiones cum figuris 38. addidit. Basileæ 1608. 4.

Idem auctus cum plurimis aliis exoticis ex nobiliss. Nicolai Contareni Senatoris Veneti horto instructissimo acceptis, fig. 91. additis à Filio Francisco Pona M. D. in linguam Italicam translatus, Venetiis, 1617. in 4. prodiit.

Petrus Laurembergius, de plantis tuberosis, bulbosis, & de Horticulturâ scripsit. Francofurt. 4. cum fig. æneis.

Leonard. Rauwolfius, Med. Augustanus in peregrinatione suâ in Orientem plurimas plantas descripsit, & Icones adjecit. Lavingæ 1583. 4.

Ruel. Joan. Ruellius Dioscoridem Latinè vertit: De natura stirpium libros tres scripsit. Basileæ 1537. in fol.

Schwenck. Casparus Schwenckfeldius scripsit Catalogum Stirpium & fossilium Silesiæ. Lipsiæ 1601. 4.

Schrod. Joannis Schroderi Pharmacopœia Medico-Chymica sæpius impressa.

Sibbald. Prod. Roberti Sibbaldi Prodromus Historiæ naturalis Scotiæ. Edinburgi 1684.

Tab. Jacobi Theodori Tabernamontani historia Germanica tribus partibus edita cum figuris 2087. Francofurti 1588. in fol.

Idem emaculatus, & auctus plantarum descriptionibus & figuris & medicamentis plurimis à C. Bauhino anno 1613. in fol.

Ejusdem icones cum nudo nomine Latino & Germanico Francofurti 1590. in longa forma prodiere. Hunc ut ignarum in re herbaria taxat Jo. Bauhinus.

Thal. Joannis Thalii Medici Northusani Sylva Harcynia sive Catalogus plantarum in montibus & locis vicinis sponte nascentium cum plurimarum descriptioubus; cum Camerarii horto, 9. figuris additis, editus Francofurti 1588. 4.

Theophr. & *Theophr. Hist.* Theophrastus Eresius Aristotelis in Schola successor. Vixit circiter 322. annis ante Christum natum. Scripsit De Historia Plantarum libros 10, quorum novem, de causis Plantarum libros 8. quorum sex tantum ad manus nostras pervenerunt.

Trag. Hieronymus Tragus Medicus Germanus. Scripſit ille Hiſtoriam Plantarum, quæ ſæpius Germanicè Argentinæ in folio prodiit: & per Davidem Kyberum Latinè reddita, cum iconibus 567. licet ad 800. deſcribantur, Argentinæ 1552. excuſa eſt in 4. Editio Germanica à Melchiore Sebitzio & Nicolao Agerio emaculata eſt 1595. in fol.

Tur. Gulielmus Turnerus M.D. Anglus, vir ſolidæ eruditionis & judicii Anno 1551. emiſit plantarum hiſtoriam Anglicè, in qua figuras Fuchſii plerunque adhibuit. Nomina expreſſit Latì-Græcè, Anglicè, Germanicè, Gallicè. Ordinem Alphabeti ſecutus eſt.

Ulyſſis, Aldrovandi Dendrologia fol. Bonon.

Joan. *Jonſtonii* Dendrologia cum figuris æneis, Francoſurt. fol.

Zan. & *Zanon.* Jacobus Zanonius, Italus, Bononienſis, Pharmacopœus, Horti Medici Bononienſis, qui eſt in Palatio Cardinalis, præfectus, rei Herbariæ peritiſſimus, ſcripſit Italicè Hiſtoriam Botanicam Plantarum rariorum à ſe obſervatarum & cultarum, partim in horto ſuo privato, partim in publico Bononienſi, quarum plurimæ nondum à quoquam ante ſe editæ aut deſcriptæ fuere. Bononiæ 1675. in fol. cum figuris æneis elegantiſſimis.

D. Wheeleri, & Sponii Itinerarium in Græciam: & in aliis quamplurimis Itinerariis & navigationibus (præſertim ad Indiam Orientalem & Occidentalem) variis locis editis plantæ paſſim deſcribuntur, quæ omnia enumerare Lectori tædio eſſet.

ERRATA.

Pag.	lin.	lege
4	28	efficitur.
14	16	alis.
	22	Rubia.
23	22	in *ante* uteri&c.
	33	*pro* Nunc Nam.
	44	ori.
25	51	etiamnum.
26	10	arbores.
	35	frontes.
30	33	ni.
31	13	affluxum.
34	4	lætiùs.
35	57	ridetur.
37	6	liber libro.
	8	*pro* libræ *l.* ligni.
44	37	lætiorem.
	53	Hertoda.
	65	recta.
47	18	ſimilitudine.
	56	ἄποιος.
51	1	*zoophyta.*
98	14	*inter* utrinq; & demonſtrantib⁹ *inſere* ſe.
103	26	idem.
109	6	duarum.
133	19	microſcopiis.
137	51	3. m. p.
144	10	raris.
154	24	autem.
156	45	ridicas.
157	15	qui.
159	28	macim.
ib.	59	Schorigenam.
169	35	ni.
180	18	Aronis.
186	19	utilitas.
195	34	mavis.
208	8	commendat.
	20	melle.
210	15	necne.
214	50	Boutonetum.
229	30	extima.
230	30	bitten.
244	37	emittit.
257	44	ſpinoſis foliis.
258	25	*dele* obſitis.
259	23	Singulos.
261	13	lanuginoſis.
269	5	maximo.
281	40	expellunt & enecant.
313	28	ætatem.
389	32	ſata.
404	27	*dele* à.
411	5	perficiuntur.
424	66	Morinum.
426	36	ceu.
428	4	roſtris.
433	21	*κύειν*
434	55	*dele* per.
436	7	luxuriat.
	18	craſſæ, obliquæ.
	30	Tridentum.
448	49	*dele* minora.
459	1	Hippomarathrũ ſphærocephalũ.
464	1	*pro* Danubio *l.* Ratisbona.
467	9	tria.
468	47	ſtrati.
471	2	Simeoni.
475	34	exortu.
482	30	Fractu.
	41	Mart.
518	43	herbacea.
520	25	lanuginoſis capitulis.
535	12	quà.
543	49	*ἐνπόρισα.*
550	22	ſunt flores.
551	68	duabus.
554	69	autem ſenſim.
567	30	formentur.
580	22	unde undc.
	51	quæ.
590	27	tranſlatus.
597	16	deleteria.
603		*ult.* plantas.
608	69	Carinthiacis.
609	9	*μιμαίκυλον.*
617	27	compeſcit ſi.
623	42	radicis.
629	30	rotundi folio.
631	9	florem.
633	1	Hermaphroditica.
	38	colorum.
639	45	Lagenariam.
641	42	ſuccedunt.
643	13	inunctio non.
647	71	humidum.
649	17	minutim.
650	70	Caule tenui rotundo, viridi, herboſo ſerpit, & fruticibus ſe implicat. Folia hederæ ſcandentis foliis figurâ ſimilia, in tria cornua diducta, ſuperiùs ſplendidè viridia, &c.
654	*ult.*	ei tribuit.
666	*ult.*	cauliculo.
669	37	*dele* in.
671	*ult.*	Eſt.
678	35	trium.
679	4	diſtinctæ.
684	Cap.	XXVII. per errorem operarum in medium Capitis XXVI. inſeritur.
685	4	albis.
687	16	pediculus.
689	29	ſuæ.
694	47	in *lege* &.
706	69	*dele* quantum.
709	70	flori.
734	17	proſiliunt.
737	17	trium.
742	45	Speculi.
748	70	obſoleti.
768	42	His.
765	18	& 21. q. ſ.
777	10	voces ſingula & bina *ranſponendæ ſunt.*
778	14	*voces illæ* Majore, foliis ſœminalibus *pertinent* ad *lin.præced.*
780	7	perfert.
	23	alii.
	24	multi *item* odorati.
	33	ſeu.
791	33	floribus.
796	9	perfert.
800	25	*dele* à congeneribus.
804	35	Latium.
806	4	majora.
	37	acetariis.
816	37	B. M.
833	56	continentes ſuccedunt.
834	70	*pro* & *lege* ad.
841	33	perfecti.
877	38	Pſyllii.
884	41	ſatus.
888	27	nigra.
890	10	ſiliqua.
892	42	congeſti.
898	48	purpureus.
900	12	ſylveſtri.
901	36	duas aut duas.
902	33	item 53 *Tine.*
911	22	ſiliquæ.
	53	Hoxoquamoclit.
915	4	Valer.
	61	ſcire deſiderat.
927	24	editæ.
937	38	cœruleis.
940	39	ſint.
937	34	*cæruleis.*
942	47	Gaſtonii.
944	15	longiori.
94[illegible]	57	*dele* J. B.
948	49	aſtringens.
950	49	hoc.
951	50	continent.
955	22	Trifolium.
956	17	tectis.
958	13	exiccatis.
959	23	iique.
961	7	poſt *diximus* deeſt periodus.
569	33	*Alpini.*
	41	magni.
971	34	pinnatus.

Errata multa leviora in literis *a* & *e*, *a* & *u*, *a* & *o*, *e* & *c*, *e* & *i*, ab Operis, eas in MS. noſtro minùs accuratè pictas non rectè diſtinguentibus, invicem permutatis, admiſſa Lectorem ſemel monuiſſe ſufficit: nam & ipſe facilè ea detegere & emendare poteſt.

Terminorum quorundam & vocum generaliorum Interpretatio & Explicatio brevis.

A.

A*Blaqueare* arbores eſt terrâ circa truncum ſeu caudicem in ambitu effoſsâ radices ſuperiores denudare & aeri exponere, ut magis fructificent; vel, Palladii verbis, *circa codicem dolabrâ diligenter terram aperire, & purgatis omnibus velut lacus efficere, ut Solis teporibus & imbribus provocentur.*

Acinus non pro uvæ vinaceo apud idoneos autores, ſed pro uva ipſa ſeu fructu toto accipitur, qui ex ſucco, & parte quæ veluti caro eſt, & ex vinaceis, & ex ambiente cute ſeu folliculo conſtat. Angl. **A Grape, not a Grape-stone.** Columel. lib. 11. cap. 2. *Cùm expreſſeris vinacea, quæ acinis celantur, eâque jam infuſcata, & propemodum nigra fuerint,* &c.

Extenditur & hoc nomen latiùs ad fructus minutiores arborum fruticúmve ſpiſſiùs creſcentes & coactiùs, ut *Hederæ*, &c. & ſic à *bacca* diſtinguitur, quæ rariùs creſcit, ut in *Olea*, *Lauro*, &c. *Jun.*

Medici recentiores pro gigarto ſeu vinaceo accipiunt, cùm dicunt *uvæ exacinatæ.*

Acus, eris, purgamentum frumenti, palea. **The Chaff.** Porrò *Acus* Plinio dicitur cùm per ſe ſpica pinſitur; Palea verò ubi cum ſtipula teritur in area.

Adonidis horti vocantur μετέωροι καὶ μὴ ἐῤῥιζωμένοι, quales ſunt qui teſtis & fictilibus è feneſtris ad Solem exponi ſolent.

Ala caulis eſt angulus quem cum caule vel ramo vel folium, vel pediculus folii conſtituit, qui ſemper ferè acutus eſt, vel rectus ſaltem, quia pediculi ſurſum nituntur. *Jung.* Non raró etiam accipitur pro ramulo, ut cum dicimus *caule multis alis brachiato*, vel *in multas alas diviſo*, quia rami veluti totidem alæ cauli adnaſcuntur.

Alabaſtra ſunt folia illa viridia, herbacea quæ flores ſepiunt. *Junius* exponit *alabaſtrum* Roſæ globum nondum explicitum totum, ſed conniventem.

Alburnum Plinio dicitur exterior ligni pars mollior & teredini obnoxia, à colore albo.

Alica vel *Halica* interdum accipitur pro certo frumenti genere: Vide Plinium lib. 18. cap. 7. & Celſum lib. 3. c. 6. ſed frequentiùs pro re factitia, quæ fiebat ex Zea quæ ſemen appellatur, cui admiſcebatur creta, quæ tranſibat in corpus, colorémque ac teneritatem adferebat. Hæc propria & genuina Alica res Romana à Plinio dicitur, apud quem lib. 18. cap. 11. modum conficiendi vide. Differt autem Alica latè ſumpta à Græcorum Chondro, ut genus à ſpecie; ſiquidem Chondrus non creta ſed gypſo & arena repurgaretur, quemadmodum altera Zeæ ſpecies memorata Plinio, adulterina cognominata, ex Zea in Africa degenerante confecta.

Amylum dicebatur quòd χωρὶς μύλης ſine mola pararetur: cujus conficiendi modum vide apud C. Bauhinum in *Theatr.* lib. 1. Macerabatur ſcilicet ſæpius quotidie Triticum aut Siligo aquâ affuſâ & effuſâ, donec ita molleſceret ut cremor exprimi poſſet, qui deinde in Sole ſiccabatur, & hunc Amylum vocabant. Hujuſmodi Amylum ex avena paratum apud Wallos in cibis æſtimatur, & *LLummery* dicitur.

Antheræ Offic. ſunt ſummitates ſeu cacuminula in florum medio ſtaminibus incumbentia, q. ἄνθος ῥόδυ, i. e. flos roſæ. **The Chives.**

Apices idem ſignificant quod *Antheræ.*

Arbor [Δένδρον] eſt planta lignoſa, craſſitudine & altitudine inter omnes maxima, cui caudex pro ſuperficie eſt perennis & naturâ ſimplex, qui in multos ramos majores, quos ἀκρέμονας & ὄζυς Græci vocant, & deinde in ramuſculos complures, quos iidem κλάδυς, Latini ſurculos appellant, dividitur. Anglicè **a Tree.**

Arilli Offic. Vinacea, gigarta, q. aridula, quòd ſicci ſint, & nullum ſuccum præbeant.

Ariſta Acus exilis ac longa è gluma extans. **The Beard or Awn.**

Aſparagus dicitur primum germen herbarum quod edendo eſt vel oleris cujuſque turio antequam in folia explicetur, à [illegible]. **The tender ſprout or ſhoot of any herb from the ground.** Hinc per Antonomaſian dicitur herba quædam quæ grandes profert & edules aſparagos.

B.

Baccæ dicuntur qui ſparſim arboribus fruticibúſque adnaſcuntur fructus parvo-rotundi, **Berries** Anglicè, & ſic ab Acinis diſtinguuntur, qui ſunt racematim dependentes baccæ. Nos in hoc opere reſtrictiore acceptione voce *Baccæ* utimur pro fructu minore pericarpio ſeu pulpa carnéve molli & humida ſemina includente, & membrana tenuiore tecto.

Balauſtium, ſylveſtris mali Punicæ flos. **The flower of the wild Pomegranate-tree.**

Bulbus eſt radix ſubrotunda vel pluribus tunicis in orbem ſe amplexantibus, vel pluribus ſquamis imbricatim ferè diſpoſitis coagmentata, fibras plurimas ex ima ſede ſeu baſi emittens.

Interdum latiùs accipitur pro radice quavis uno tubere conſtante etiam ſolidâ & ſubſtantiâ continuâ, nec diviſâ in ſquamas aut tunicarum involucra, fibras ex ima ſede aut baſi emittente. Sic Croci & Colchici radices bulboſæ cenſentur.

C.

Calyx, folliculus ſeu involucrum floris priuſquam dehiſcat, præcipuè Roſæ: interdum flos ipſe roſæ connivens & nondum expanſus. At nunc frequentiſſimè accipitur pro folliculo, quo flos primùm deinde ſemen herbarum & fructus arborum cooperitur. **The Cup encloſing, or containing the flower.**

Capillamenta ſunt filamenta illa tenuia, in florum medietate ſurgentia, apicibus plerunque donata. **Threads.**

Capitulum

Capitulum est quod constat ex pluribus floribus & staminibus arcte in globosam aut circularem sive disci figuram congestis, ut in Cyano, Scabiosa, Jacea, Carduis, &c.

Capitatæ plantæ nobis in hoc opere dicuntur, quarum flores ex flosculis, etiam marginalibus, fistulosis componuntur, quoniam calyx eorum squamosus in ventrem plerunque extumescit grandiusculum & subrotundum: cujusmodi sunt *Jacea*, *Carduus*, *Centaurium*, &c.

Capreolus, est pars quædam auxiliaris, filamenti aut funiculi æmulus, cincinni in modum contortus, quâ planta quævis vicinis stirpibus aliisve stipitibus se implicans, in altum enititur. Angl. **A clasper or tendrel.** Hujusmodi cernuntur in Vite & Leguminibus.

Caro in Phytologia substantiam illam molliorem fructuum succulentorum notat, quam aliàs pulpam vocamus, ut pulpa seu caro Cassiæ, caro Prunorum, &c. *Schrod.*

Catulus apud recentiores Botanicos idem sonat quod Julus aut nucamentum, ut catuli Salicis aut Juglandis, id est Juli. **A palm or Catkin.**

Caulis est quod supra terram simplex assurgit, unde folia frondésque seu ramusculi emicant: vel, definiente Jungio, est pars herbæ superna, ita in altitudinem exporrecta, ut anteriora à posterioribus, vel dextra à sinistris non differant. In arboribus & fruticibus *caudex*, in frumentis *culmus* appellatur. **The stalk of any Herb; The stem or trunk, or body of a Tree.**

Cicus & *ciccum*, membrana tenuis acinos in Malo Punico discriminans. Hinc proverbialis locutio *Ciccum non interduim*, id est, Non curo, perinde mihi est.

Clavicula idem quod Capreolus. **A clasper or tendrel.**

Comæ sunt plantarum summitates vel arborum frondes.

Conus in Phytologia dicitur fructus ex compactili lignosarum squamarum strue compositus, coni figuram æmulans, hoc est, à lata & circulari basi in mucronem desinens, qualis est *Pini*, *Abietis*, &c. Anglicè, **A Cone or clog.**

Cor sive corculum seminis est portiuncula seminis unde tum radix, tum germen enascitur.

Cortex, exterior arboris quasi crusta, **The bark of a Tree or other plant.** Interior tunica ipsi ligno adhærens *Liber* dicitur. *Cortex* autem à *corium* & *tego*, quia quasi corium tegit, ut Isidorus ἐτυμολογίζει.

Corymbus in genere significat quodvis summum. Nam prima notio τῦ κορύμβυ est in capite Veterum Atticorum tutulus seu meta suggestûs capillorum, autore Scaligero. Verùm apud plantarum scriptores Corymbi propriè Hederæ racemi appellantur. Plin. lib. 16. cap. 34. in descriptione Hederæ ponit, *Racemis in orbem circumactis qui vocantur Corymbi.*

Corymbi nomen extendit Jungius ad significandam extremitatem caulis, ita subdivisam, & floribus aut fructibus onustam, ut sphærica figura inde oriatur, ut in *Sambuco aquatica*, *Cepa*, *Porro*, &c. Alii Umbellæ synonymum faciunt.

Corymbus etiam aliàs sumitur apud recentiores Botanicos pro flore composito discoide, qui in pappos non resolvitur: qualis in *Chrysanthemo*, *Bellide*, *Chrysocome*, &c. cernitur: Nam hujusmodi flores in latum extensi umbellam seu corymbum quodammodo æmulantur.

Croci idem sunt quod apices. Est enim Crocus nihil aliud quàm apex croci herbæ floris stamini incumbens.

Culmus, frumenti (aut etiam Graminis) calamus à radice ad spicam, **The blade of any Corn or Grass.**

Cyma, *æ*, & *Cyma*, *atis*, q. κῦμα, id est, partus novellus qui prima germinatione producitur, est ipsorum caulium delicatior teneriórque cauliculus, & dicitur præcipuè de Brassica: verùm & in genere Cymæ sunt cauliculi teneriores delicatiorésque scaporum, quos à prima sectione præstant: imò Cymæ apud Botanicos adhuc latiùs sumuntur pro summitatibus quarumcunque herbarum.

Cytinus, flos mali Punicæ sativæ: sed & hic quoque Balaustium Officinis dicitur, quibus Cytini appellatio incognita est.

D.

Dactylus, Palmula, caryotis, Palmæ arboris fructus, à digiti similitudine sic dictus. **A Date.**

Digitatum folium nobis cum Jungio dicitur, in quo plures laciniæ seu plura simplicia folia quasi ad unum petioli punctum sive terminum aptata sunt, ut in *Pentaphyllo*, *Lupino*, *Cannabe*, *Vitice*, *Trifoliis*, *Fragaria*, &c.

Discus est media pars floris compositi ex compressis & confertis flosculis ita ut unam quasi apparentem superficiem constituant, ut in Caltha, Flore Solis, &c. à similitudine *disci* cujus figura plana erat ac rotunda, ut ex veteri statua apparet. Hinc Sol Græcis Discus appellatur. Erat autem Discus moles aliqua è plumbo aliòve metallo quam jacientes athletæ inter se decertabant.

E.

Echinus, asperum & spinosum Castaneæ operculum, & in genere quicquid numerosa congerie aculeorum stipatur, sive tegmen, sive caput, sive cacumen fuerit, à similitudine Echini animalis. **A Bur, or any prickly fruit.**

Emplastratio, **Budding or inoculating**, cujus descriptionem vide Lib. 1. cap. 19.

F.

Fibræ sunt veluti stamina rebus nonnullis intertexta, v. g. *ligno*, *foliis*, &c. sic fibras ligneas vocamus corpora seu filamenta in longum extensa, ex quibus maximam partem lignum componitur, vid. lib. 1. cap. 8. Item fibræ dicuntur minutissimæ & extremæ radiculæ.

Flos est pars plantæ tenuior, colore vel figurâ, vel utroque insignis, fructui prævia, eíque plurimum cohærens, & tenello tegendo fovendóque inserviens, quæ postquam explicatur brevi aut decidit aut inarescit. Flos simplex & compositus seu aggregatus, uniformis & difformis, discoides, radiatus, &c. quis sit vide Lib. 1. cap. 11. pag. 18, 19.

Folium, definiente Jungio, est quod à sede cui adhæret ita in longitudinem & latitudinem extenditur, ut tertiæ dimensionis termini inter se differant, hoc est, superficies folii interna seu superior caulem respiciens ab externa seu inferiore.

Folii

Folii differentias, quidque per folium digitatum, pennatum & triangulatum intelligimus vide lib. 1. cap. 9. p. 13.

Folliculus, eſt theca tenuis quæ granum, vel ſemen continet involutum. **A huſk or cod.**

Frit Varroni quod in ſumma ſpica matura minus eſt quàm granum.

Frontatum petalum ſeu floris folium nobis dicitur quod in extremum latius & non rarò rectâ lineâ terminatum deſinit, ut in *Calendula* & ſimilibus; cui opponitur Cuſpidatum, in angulum deſinens, quale in Ptarmica Auſtriaca *Cluſ.* & Flore Solis cernitur.

Fructus ſunt grandiores illi ac ſucculenti plantarum fœtus, ſeminum receptacula, ut *Poma, Pyra, Pruna*, &c. à fruendo, ſed & latiùs extenditur nomen fructus ad omnem agrorum proventum. Jungio *fructus* dicitur *pars plantæ annua, flori cohærens & ſuccedens, qui ubi maturuerit, id eſt, ad perfectionem ſuam pervenerit, ſponte à planta abſcedit, & terrâ aliâve commodâ nutrice excepta, novæ plantæ fit initium.* Angl. **The fruit.** Sunt ergo fructus, vel Pericarpia integra cum ſeminibus contentis, vel Semina ſola in iis quibus pericarpium deeſt.

Fruges, quicquid de terræ proventu in alimoniam cedit. Errant ergo qui diſcriminant legumina à frugibus.

Frumenta ſive frumentacea Botanicis dicuntur quæcunque geniculato culmo & arundinaceis foliis conſtant, ſemenque pultibus aut panificio aptum in ſpicis aut jubis producunt, ut *Triticum, Hordeum, Milium, Panicum*, &c. Frugum enim duo ſunt ſumma genera, Frumentacea & Legumina. Cæterùm & Ficuum grana illa exigua Frumenta dicta ſunt Plinio.

Frutex, definiente Bodæo à Stapel, eſt ſtirps inter lignoſas altitudine ac craſſitudine mediocris, cui pro ſuperficie ſtipes perennis, natura multiplex, quique facilè in naturam arborum ſtolonum abſciſſione tranſcendit. **A ſhrub.**

Fundus plantæ [πυθμὴν] Jungio eſt limes communis in quo radix & pars ſuperna cohærent.

G.

Gemma in Phytologia idem eſt quod Oculus. Anglicè **A Bud.** Id quod in arboribus tumeſcit cum parere incipiunt. Gemmæ pleniorem deſcriptionem vide lib. 1. cap. 8. p. 12.

Geniculum eſt nodus quidam herbarum in caule. **A joint or knot.**

Glans dicitur quod cortice conſtat cruſtoſo unicum tantùm ſemen continente, cujus pars poſterior, quæ arbori adhæret, calyce proximè cooperitur, parte ſuperiore nuda. *Spigel. Iſag.* Rectiùs Glans dicitur ipſe fructus calyce contentus.

Gluma, utriculus, folliculus grani ſeu involucrum ſeminum in frumentis, à glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum. **The huſk or chaff of Corn or Graſs.**

Granum propriè ſemen frugum dicitur, indè generalius quicquid minutum eſt, & ſimilitudinem aliquam habet cum grano frumenti.

Gummi eſt ſuccus plantæ concretus, qui in aqua facilè diſſolvitur, in igne non liqueſcit, nec flammam concipit, ſed duntaxat crepitat; cujus generis ſunt *Gummi Arabicum, Gummi Ceraſi*, &c.

H.

Herba (definiente Bodæo à Stapel ex Antiquorum ſententia) eſt ſtirps cujus ſuperficies eſt ex foliis tantùm, vel etiam ex caule ſed illo annuo, carnoſo & qui diutiùs durare nequit, lignoſúſque non eſt niſi cùm exaruerit. In praxi medica pro foliis ſolis, utplurimùm uſurpatur.

I.

Internodium eſt intervallum inter bina genicula, quale in culmis & arundinibus cernitur. **The ſpace between two joints.**

Juba in Phytologia eſt arundinacea coma laxè effuſa, qualis in Milio eſt.

Julus, nucamentum, quod in Corylo, Juglande, &c. velut prælongus vermiculus dependet, & nihil aliud eſſe videtur quàm florum ſtamineorum ſeries. **A Catkin, and in Willows a Palm.** Salicum Juli à Juglandis, &c. diverſi ſunt; nam in fertilibus plantis numeroſis vaſculis ſeminalibus conſtant.

Inſitio latiſſimo ſenſu eſt ejuſmodi applicatio ſurculi ſeu gemmæ ad truncum ramúmve, vel ſuum vel alienum, ut tandem uniantur & coaleſcant: & multas ſpecies ſeu modos ſub ſe complectitur. Angl. **Grafting.**

L.

Lachryma eſt humor è plantis, tum ſponte effluens (ſive is concreſcat v. g. in oleum, reſinam, gummi, ſive non) tum facta inciſione emanans. *Schrod.* Spigelius lachrymam in eo diſtinguit à ſucco, quòd liquor qui ex contuſa herba exprimitur aut elicitur ſuccus vocetur, qui verò vel ſponte, vel inciſione manat *lachryma*.

Lacinia eſt portio folii inter duas fiſſuras (fiſſura eſt profundior ſciſſura) incluſa. **A Jag.**

Lanugo in Phytologia eſt mollis foliorum aut fructuum lana, ut Cydoniorum, &c. *Jun.* vel (ut Schroderus definit) filamenta tenella cuticulæ extimæ inſtar pilorum aut lanæ adnaſcentia. **Down.**

Legumen, legumentum, quicquid ex terræ ſatis in ſiliqua naſcitur, ut Faba, Piſum, Cicer, Lens; à legendo, teſte Varrone, quoniam id non ſecatur ſed legitur manu vellendo. **Pulſe.** Nos in hoc opere leguminibus accenſemus herbas omnes quæ florem producunt papilionaceum.

Liber, interior tunica arboris ipſi ligno adhærens. *Jun.* Unde Liber adhuc dicitur, in quo ſcribitur ex quacunque fiat materia, quia ante repertum chartæ vel membranæ uſum de libris arborum volumina compaginabantur. **The innermoſt bark of a Tree.**

Loculamentum eſt camera quædam ſecluſa & diſtincta in ſeminum vaſculis, uti videre eſt in capitulis Papaverum. *Jun.* **a Cell.**

Locuſtæ in Phytologia ſunt Avenaceæ glumæ ſingulares cum ſeminibus ex longis filis dependentes, ob quandam ſimilitudinem cum locuſtis dictæ. Extenditur hoc nomen ad Graminum paniculatorum grana glumis involuta ſignificanda.

M.

M.

Malicorium, Mali Punici cortex.

Matrix arboris idem est quod ejus medulla sive Cor.

Medulla in Phytologia mediam cujuslibet plantæ partem molliorem & spongiosam significat, quam & Cor matricémve appellant, cujus descriptionem pleniorem vide lib. 1. cap.4. p.7.

Malleolus, definiente Columella lib. 3. cap. 5. novellus est palmes innatus prioris anni flagello, cognominatúsque à similitudine rei, quòd in ea parte quæ deciditur ex vetere sarmento prominens utrinque Malleoli speciem præbet.

Merges, manipulus spicarum, quantum sci. semel instrumentum messorium mergus dictum inter metendum capiat.

Mutica spica dicitur quæ aristis caret, quasi mutila.

N.

Nervus, in Phytologia, prælongum & continuum filamentum folia perreptans, ut in Plantagine, quæ indè quinquenervia & septinervia dicitur.

Nucamentum, idem quod *Julus*, quædam scilicet quasi panicula dependens è ramis nucum aliarúmve arborum: **A Catkin or Palm.**

Nucleus, Veteribus *Nuculeus*, id vescum quod sub putamine nucis latet, & generaliùs semen quodcunque nucibus vel fructibus inclusum & occultatum.

Nux, agriculturæ scriptoribus dicitur omne Pomum quod foris duro tegitur cortice, intus verò continet quod est esui. *Macrob.* Hi nempe existimarunt Pomum cum Malo haud idem esse, sed Pomi nomen Nuces atque Mala continere.

O.

Oculus, Gemma, tuberculum in arborum surculis unde germinant **A Bud.** Hinc *inoculatio* insitionis species, cujus descriptionem vide lib.1. cap. 19. pag. 37. Schroderus oculos exponit florum prodromos, ínque flores explicabiles, nimis restrictè, nam Oculus æquè latè patet ac Gemma.

Olus, quæcunque herba esculenta, ab olla nomen sortita, quòd in cibum veniat *Jun.* Holus Julio Scaligero ab ὅλον, claro indicio priscæ frugalitatis, quæ ad victum nihil obsonii sibi deesse existimaret, modo nè deesset olus. Hoc enim ὅλον est sicut Panis πᾶν. Jos. Scaliger in notis ad Varronem olus deducit ab *oleo* cresco, quod olera in hortum translata ex agrestibus culta fiant. **Potherbs.**

Ossiculum, O, penetrale fructuum carne contectum, in quo nucleus est, ut in Cerasis prunisque. **The stone of a Plum, Cherry or the like fruit.**

P.

Palmula, Dactylus, caryotis. **A Date.**

Panicula est lanosa coma unde semen dependet, ut in Arundine, Milio, Gramine, &c. seu (ut Jungius definit) Spica laxè diffusa præsertim propendentibus petiolis, ut in *Milio*. Idem valet quod Juba & opponitur Spicæ.

Pappus, lanugo è floribus veterascentibus decidua & volatica, qualis in Carduis, Erigero, Hieracio, &c. cernitur. Hinc Herbarum classis Papposa seu Pappiflora dicta. **The Down growing to the seed or wherein the seed lies.**

Pecten arboris, linearum tractus qui in longum excurrit in materia seu ligno, cujusmodi in pectine conspiciuntur dentes. **The grain of the Wood.**

Pennatum folium, est in quo bini lobi seu mavis folia partialia, è regione sibi ad idem quasi costæ punctum sive ad eandem costæ distinctionem opponuntur, ut in *Fraxino, Juglande*, &c. seu folium compositum ex foliis partialibus binis sibi invicem ad costam mediam oppositis.

Petala nobis F. Columnam sequutis dicuntur floris folia, seu laminæ illæ tenellæ colore insignes & fugaces. Hoc autem nomine partim ob brevitatem, partim ad Homonymiam evitandam pro floris folio utimur. Hinc monopetalæ herbæ nobis dicuntur quorum flos unico folio seu laminâ constat, tripetalæ, tetrapetalæ, pentapetalæ &c. quorum flos tribus, quatuor, quinque, &c. foliis componitur.

Pediculus est à quo folium, aut flos, aut fructus dependet. **The foot-stalk of a leaf, flower or fruit.**

Perianthium est quod florem tegit, & dicitur etiam calyx.

Pericarpium, nonnullis restringitur ad significandam pulpam mollem seu humidam semina ambientem ut, *Pyris, Pomis*, &c. Alii latiùs extendunt id nomen ad significandum thecam aut involucrum seminis quodcunque, sive membranosum id sit ut in vesicis Ulmi, Staphylodendri, &c. sive durum ut in *Castanea*, sive carneum ut in Pomis, &c.

Petiolus idem est quod pediculus. **A foot-stalk.**

Pomum generale nomen est, quo continetur omnis fructus arboris esui aptus, sive is molli corio tegatur, sive duro, ut sci. Nucem & Malum sub se complectatur. Nos cùm arbores quasdam *Pomiferas* dicimus Pomi, nomen strictiùs accipimus pro fructu cujus caro esculenta nec duro putamine includitur, nec officulum in se continet. **An Apple or a Pear.** Alii Pomum à Nuce distinguunt, ut Pomum sit quicquid foris habet quod edendo est, & durum intus includit, Nux quicquid foris duriore corio tegitur, intus habet quod est esui.

Pulpa est caro seu substantia fructuum succulentorum inter corticem ac nucleum comprehensa, v. g. Pomorum, Cerasorum & similium. Primariò significat partem carnosam in corpore animalis.

R.

Racemus est integra uva è multis constans acinis. **A Cluster of Grapes.** Ad alios etiam fructus extenditur qui uvæ in modum ex pluribus acinis sunt conglobati.

Radix, definiente, Jungio est pars plantæ inferior, quæ intra corpus solidius, quod plantæ sedem præbet, abdita (sive illud terra sit ut plerunque, sive saxum, sive calx, sive arena, sive lignum, sive quodcunq; aliud) & alimento attrahendo destinata est. Nonnullæ ex plantis submarinis radices habent expositas & minime intra corpus aliquod solidius abditas, sed duntaxat saxa in fundo jacentia amplectentes.

Ramus est in quem caulis dividitur, éstque velut brachium plantæ. **A Bough or Branch.**

Resina

Resina eſt liquor pinguis & oleaginoſus ex arbore ſeu ſponte ſeu eâ vulnerata deſtillans, quæ in aqua non diſſolvitur ſed in oleo duntaxat, & flammam facilè concipit.

S.

Sagitta dicitur ſuperior pars ſurculi aut flagelli. Vid. lib. 1. cap. 18. pag. 33.

Scapus eſt caulis rectus in columnæ modum. *Jun.* Eſt enim ſcapus ipſum corpus columnæ inter baſin & epiſtylium. **The Shaft**, vel Scapus eſt pars caulis ramoſi, qui à fundo ad cacumen unâ quaſi lineâ extenditur, cui rami utrinque adhærent. *Jung.*

Scobs quod ſerra de ligno deteritur. **Saw-duſt.** Sic etiam dicitur limatura, ſeu illa velut farina quæ limâ abraditur: à Scabendo.

Semen in Officinis minutiores plantarum fructus denotat ex quibus ſimile naſci poteſt. *Schrod.*

Servia, ſertum è floribus, ſive paſtillus è floribus compactus *Jun.* **A Garland.**

Siliqua eſt folliculus oblongus cui Leguminum & ſimilium grana includuntur. **A Cod or Husk.**

Spadix, Ramus Palmæ unà cum fructibus revulſus; inde color quidam Spadiceus denominatur. **A colour approaching to Bay or Cheſnut, but with more red in it.**

Spica eſt quod culmus extulit, continétque granum, glumam & ariſtam, **an Ear of Corn.** Verùm hoc nomen latiùs extenditur: unde rectè à Jungio definitur, quod ex floribus vel ſeminibus ſpiſsè compoſitum eſt, ità ut conus erectus ſed oblongus, ſive admodum acutus indè evadat, ut in Plantagine, Biſtorta, Secali, Hordeo, &c.

Stamina idem ſunt quod Capillamenta, quæ ſic deſcribit * *Spigelius.* Sunt autem ſtamina in floris medio, quod umbilicus appellatur, partes oblongæ, tenues veluti capillamenta, interdum paulò craſſiores, paululum prominentes in ſummitate, apicibus frequenter præditæ, quæ ſtylum partem ſimiliter oblongam, ſed paulò craſſiorem, atque è centro umbilici emergentem ambiunt.

* *Iſag. l. 1. c. 6.*

Stirps, planta firmitate prædita *Jun.* in genere Plantæ Synonyma eſt.

Stolones ſunt cauliculi inutiles à radicibus aut caudicis lateribus ſuccreſcentes. **Suckers from the root.** Jo. Bodæus à Stapel Stolonem dici vult quæ naſcitur circa ſtipites & avellitur cum radice & corporis parte; quo à Viviradice differt, quæ integra ex arboribus è longinquo extrahitur. Vid. lib. 1. cap. 19. p. 33.

Stylus in Phytologia eſt pars floris medium ejus occupans & rudimento fructûs aut ſeminis cohærens. Dicitur ſtylus quia in longitudinem tenuem plerunque extenditur *Jung.* Vid. lib. 1. cap. 10. pag. 18.

Suffrutex eſt planta humilior, ligneſcens & perennis, à radice non foliata, & ab imo ſtatim ramoſa; vel Planta inter lignoſas minimæ & altitudinis, & craſſitudinis ſuperficie perenni, non gemmipara, ut *Salvia, Ruta, Lavendula.*

Surculus eſt quod in ramis ſimplex aſſurgit, tenerum & exile. Eſt etiam ramulus novellus, qui inſpicatur ad ſerendum. **A ſmall twig of a tree, alſo a Cyon or graft,** germen arboris anniculum.

T.

Talea nonnullis eſt ſurculus præciſus ab utrâque parte ut terræ inſeratur. Vid. lib. 1. cap. 18. pag. 32.

Termes, Ramus ex arbore decerptus cum fructu. Propriè (ait * *Porphyrius*) termes eſt Olivæ, ut palmes Vitis. Gellius tamen termitem appellat ramum Palmæ cum fructu decerptum.

* *In Horatium.*

Thyrſus eſt quod virgulæ in modum, aut in teli rectitudinem in planta conſurgit: *Caulem autem medium fruticis qui vulgo thyrſus dicitur*: Servius. Voſſius exponit, *quicquid ſic conſurgit ut in gracilitatem attenuetur, ut arbores coniferæ, vel coni piceæ.* Apud Botanicos cum Spica confunditur. Item Haſtula frondibus veſtita, quam ſolebant Bacchantes ferre.

Tomentum eſt lana brevis forpicibus deſecta, aut in poliendo à fullone de pannis rudibus aut interpolatis deducta, quâ inferciuntur culcitræ qualeſcunque. *Jun.* **Flocks or Flox.** Hinc ad plantas transfertur quæ molli & lanoſâ comâ in capitulis eminente præditæ ſunt, ut *Carduus tomentoſus, Gramen tomentoſum*, &c.

Topiarium opus vocant arbores & herbas egregio artificio in formas animalium aut aliarum rerum ductas: ſive quæ in picturas opere hiſtoriali trahuntur. Plin. lib. 16. cap. 33. A topiis ſeu funiculis nomen obtinuit, quibus frutices aut arbuſculæ tonſiles religatæ, multis hinc indè diſtinentur locis, torquentur, flectuntúrque ad fingenda quæ ludunt rerum & animalium argumenta.

Truncus caudex arboris ramis & frondibus deſtitutus.

Tuber, eſt fungus ſubterraneus, à tumeo. Hinc dicitur de plantarum radicibus prætumidis, rotundis. Radices tuberoſæ, **knobby roots.**

Turiones, tenella arborum, fruticum aut herbarum cacumina, quaſi teneriones; vel ut Voſſius vult, quia facilè teruntur. Teneritates ſummitatum ipſarum arborum quæ ſingulis annis creſcunt. *Schrod.*

U.

Verticillatæ plantæ dicuntur quarum floſculi caulem articulatim velut verticilli amplectuntur foliolis interſperſis, ut in *Pulegio* & *Marrubio* cernitur. Sunt autem Verticilli inſtrumenta quædam rotunda, quæ fuſis adhibentur ut faciliùs vertantur: Anglicè **Wherles** dicimus.

Vimen, omne virgultum lentum ac flexile, ad ligandum aptum, à viendo. **A bending twig or wythe.**

Vinaceum, granum acini, γίγαρτον. **A grape-ſtone.** Vide *Acinus.* Accipitur etiam nonnunquam pro tortis uvæ expreſſæ reliquiis.

Virgultum, cremium, Ligna tenuia ſeu germina quorum uſus eſt ad cremandum, **Bruſh-wood or ſmall ſlender twigs.**

Vitilia, vimina, propriè quibus vites vinciuntur.

Umbella vocatur floris ſeminíſve velut pedamentum in plures diviſum longiores pediculos, qui ſimul ex eodem faſtigio orti in latius continuò radiantur, ſingulíque florem ſuſtinent in orbem circumactum, ut in Fœniculo, Anetho, Apio, &c. vel, ut Jungius definit, eſt extremitas caulis per multas ſubdiviſiones in coni univerſi figuram aptata; à ſimilitudine umbellæ qua mu-

mulieres faciem à Sole arcent. In Umbelliferis enim summus caulis, summique ramuli in plures ab eodem puncto ortos radios dividuntur, singuli radii itidem in plures pediculos qui flores sustinent.

Umbilicus, 1. quod in Pomis vel prominet, vel reconditur ab adversa pediculi parte. 2. media pars floris unde stylus & stamina emergunt.

Unguis pars ima folii Rosæ albida. Extenditur etiam ad florum aliorum petala.

Uniformem florem dicimus cujus anterior pars posteriori & dextra sinistræ similis est. Vide lib. 1. cap. 11. pag. 18.

Volva, Pomi medium, in quo ceu loculo latent semina. *Scribon.*

Uruncus, quod in infima spica ad culmum stramenti est minus quàm granum.

Utriculi sunt seminum in frugibus involucra & operimenta, quæ trita & cribro excussa Glumæ sive Acus dicuntur.

A litera Plantæ alicui præfixa indicat speciem illam in Anglia sponte nasci. Verùm nota illa per incuriam aut oblivionem seu nostram, seu Operarum non omnibus Angliæ indigenis præfigitur, sed in multis omittitur, quarum idcirco Catalogum dabimus.

Asteriscus præfixus denotat plantam nobis nondum conspectam.

INDEX.

INDEX.

Cicuta

INDEX.

L.

INDEX.

Rusa

INDEX.

Plantæ Omissæ quarum descriptiones (ut & aliarum quotquot occurrent) in Appendice dabimus.

Acetosa Indica Bontii, Alceæ species videtur.
Fungus spiralis seu Alga spiralis maritima P. Boc.
Fungus typhoides coccineus Melitensis
subcœrulea pulpa arillis flavis refertus.
Malicorii facie.
Tuba marina Musæorum Londinensium.
Malva altera repens, foliis Betonicæ Zanoni.
Aster latifolius Tripolii flore.
Urtica racemosa Canadensis.
Astragalus Canadensis flo. viridi flavescente.
Brunella Lusitanica flore & spica majore.
Cyanus Syriacus flo. luteo fistuloso.
Saxifraga aurea Lichenis facie Morisoni.
Loto affinis Coryli folio.
Scabiosa stellata annua prolifera.
Sedum serratum flore albo multiflorum.
Thlaspi semper virens.
Trachelium Americanum flo. cœruleo patulo.

HISTO-

HISTORIÆ PLANTARUM
LIBER PRIMUS
QUI EST
De Plantis in Genere.



QUÆ Historiæ nostræ Botanicæ de Plantis in genere præmittenda duximus ad sequentia Capita reducemus.

I. Primum erit de Definitione Plantæ. Cap. i.

II. Secundum, de Partibus Plantarum: Primò in genere. Cap. ii. Secundò in specie:

1. De earum Radicibus. Cap. iii.
2. De Caulibus. Cap. iv, v, vi, vii.
3. De Gemmis. Cap. viii.
4. De Foliis. Cap. ix.
5. De Floribus. Cap. x, xi.
6. De Fructibus & Seminibus. Cap. xii, xiii, xiv, xv.
7. De Partibus auxiliaribus. Cap. xvi.

III. Tertium erit de Actionibus Plantarum. Quæ sunt, 1. Nutritio, Cap. xvii. 2. Auctus, Cap. vi. 3. Propagatio. Cap. xviii.

IV. Quartum de Accidentibus Plantarum respectu Quantitatis. 1. Permanentis; sc. De Statura & Magnitudine Plantarum. Cap. xxii. 2. Fluentis; sc. De Ætate & duratione Plantarum. Cap. xxiii.

V. Quintum de Qualitatibus Plantarum. 1. Primis; Frigore, calore, humiditate, siccitate. 2. Secundis; Odoribus, Saporibus. Cap. xxiv. Viribus in Medicina. Ibid.

VI. Sextum de Adjunctis Plantarum externis, *v. g.* 1. De Loco Plantarum. Cap. xxv. 2. De usibus quos hominibus præstant in Cibo, Medicina, Ædificiis, Mechanicis, *&c.* Cap. xxiv. 3. De operationibus circa Plantas, *v. g.*

1. De Satione. Cap. xviii.
2. De Insitione. Cap. xix. De reliqua cultura, *v. g.* Translatione, putatione, stercoratione, protectione, *&c.* Vid. Agriculturæ & Horticulturæ Scriptores.
3. De Collectione, exsiccatione, asservatione, *&c.* Plantarum earumque partium. Cap. xxviii.
4. De Chymica Plantarum Analysi, & partium resolutarum usu. Cap. xxix.

VII. Septimum, De iis quæ præter naturam Plantis accidunt, *v. g.* De morbis Plantarum eorumque remediis. Cap. xxx.

VIII. Octavum, De Plantarum differentiis genericis & specificis, & de divisione Plantarum. Cap. xxi, xxvi, xxvii.

Caput Primum.

Quid sit Planta.

PLANTA [φυτὸν] definiente *Jungio, est *corpus vivens, non sentiens, certo loco, aut certæ sedi affixum, quod nutriri, augeri, se denique propagare potest.*

Isag. Phytoscop. cap. 1.

Vita quid.

Vita est unio seu conjunctio animæ cum corpore. Animam voco principium illud internum, quodcunque tandem sit, sive Substantia, sive Accidens, à quo operationes Vegetabilium propriæ, uti sunt Nutritio, Augmentatio, seminis Productio, fluunt: quandiu enim principium illud intus corpori unitum manet, tamdiu Planta vivere dicitur.

Non sentiens in Definitione additur ad excludendum Animalia, quæ non minùs quàm Plantæ vivunt & vegetant.

Objiciet quispiam, Plantas nonnullas *Æschynomenas* seu *pudicas* Veteribus dictas, Recentioribus *Vivas* & *Sensitivas* & *Mimosas*, haud obscura sensûs indicia prodere: Siquidem folia earum manu aut baculo tacta, & paululum compressa, pleno etiam meridie, splendente Sole, illico se contrahunt & veluti marcescunt, quod idem ab Aeris frigidioris appulsu patiuntur.

Fatemur equidem quomodo hæc fiant, si sensum omnem & motum spontaneum plantis denegemus, mechanicâ aliquâ ratione explicare perdifficile esse.

Herbarum folia & summitates avulsas aut decerptas brevi flaccescere & collabi experientiâ constat: cujus Phænomeni ratio manifesta est, nimirum ob succi eorum vasa & poros replere & distendere soliti fugam & evaporationem, novo non succedente. Quemadmodum enim Animalium pulmones aere inspirato repletæ extenduntur & attolluntur, sic pariter folia plantarum spiritibus & vaporibus per nervos influentibus: quemadmodum etiam è contrario iidem pulmones, aere seu exspirato seu per poros elapso vacui, concidunt & collabuntur; sic itidem folia succo evaporato exinanita. Cur, inquies, in decerptis expirat succus, in matri hærentibus non item? Imo in utrisque expirat: Plantarum enim omnium partes humidæ in perpetuo fluxu sunt, pérque earum poros indesinenter evaporant: at in matri hærentibus novæ jugiter in locum abscedentium à radice subministrantur, non item in avulsis aut decerptis, unde hæc flaccescunt, illa etiamnum extensa manent. Fieri ergo potest ut tangentis manus nervorum compressu succi vaporosi influxum tantisper impediat & retardet, unde eo qui nervos & vasa replebat exhalante, folia necessario contrahentur & collabascant.

Præterea Plantarum nonnullarum partes, [folia, ramuli, aristæ,] siccitate etiam contrahuntur & interdum convolvuntur, humore iterum explicantur & extenduntur, quod in aristis Avenaceis inque Planta illa, *Rosa Hierichuntina* perperam dicta, evidentissimè cernitur. Hæc enim postquam planè exaruit, imò per multos annos sicca reposita in globum coeuntibus ramulis contracta fuerit, si radice tenus in aquam tepidam immittatur, illico se explicat, & ramulos in orbem denuo expandit, humore scilicet in ramulorum poros sese insinuante eósque extendente. Notandum etiam tam folia, quàm ramulos plantarum siccitate sursum seu introrsum contrahi & curvari: cujus ratio esse videtur, quia partes internæ seu supinæ solaribus radiis expositæ humore evocato priùs & magis siccentur, unde necessariò illorsum contractio fit, non secus ac in tabulis seu asseribus ligneis aut etiam librorum operimentis membranisve videmus, quæ si Soli aut igni exponantur, in partem Soli obversam curvantur & inflectuntur. Verùm contractio quæ fit ex siccitate hic, ut puto, locum non habet.

Datur adhuc & alia contractio ex frigore, quod corporum fluidorum, præsertim in vaporem resolutorum, motum illico sistit eaque in angustius spatium coarctat: Atque ex hoc genere videtur esse contractio illa in foliis plantarum mimosarum, qua de agitur. Frigus enim seu digiti, seu ambientis, succi in nervis motum expansivum cohibet, ejúsque influxum magna ex parte sistit, unde sponte se contrahunt fibræ, & foliorum lobos unà adducunt; non secus ac idem frigus corporis nostri cutem condensare & corrugare, uti è contrario calor eandem extendere solet. Lobi autem foliorum introrsum ad se mutuo trahuntur, quoniam fortasse fibrillæ in nervis superiores Siccioresque sunt adeóq; promptiùs & citiùs contrahuntur, inferiores autem molliores, adeóque faciliùs cedunt & extenduntur.

Quòd contractio hæc foliorum à frigore fit, argumento est Leguminosarum fere omnium quæ folia pariter lobata seu pinnata obtinent, similis prorsus nocturno tempore contractio & diurno expansio foliorum. Item florum nonnullorum internoctu se claudentium compressio, ut *v. g.* Calendulæ, Cichorii, Convolvuli, *&c.* Etenim, Jacobi Cornuti experimento Flos anemones, qui ex hoc genere est, decerptus & loco calidissimo reconditus, velut arculâ exiguâ fideliter obsignata, illico præter tempus aperitur, si modo ejus pediculus aquæ tepenti immergatur.

Verùm in causis hujus phænomeni assignandis mihimetipsi non satisfacio. Valvulas autem, quas nonnulli comminiscuntur in plantarum vasis dari neutiquam concesserim.

Augeri dicitur planta quæ plus substantiæ sibi restituit quàm dissipata est. Planta autem non solùm secundùm omnes non satis adultas partes in omnes dimensiones major redditur, verùm etiam novas partes sibi semper aggenerat, *folia, flores, fructus*: in quo ab Animali differt, quod neque amittit ullas partes, neque aggenerat, nisi pilos plumásque pro partibus accipias, quæ quotannis defluunt novis succrescentibus. Excipiendum tamen hic videtur Cervinum genus, in quibus cornua quotannis decidunt & regerminant. Cornua enim æquo si non potiori jure partes Animalium quàm folia Plantarum censeri possunt; nec obstat quòd sentiendi facultate careant, cùm & ossa periosteo denudata sensus expertia sint; nec minùs tamen Animalium partes ab omnibus habentur. *Fructus* qui in plantis pro partibus reputari solent, non minùs in Animalibus quàm in Plantis à matre decedunt; an verò novi in Animalibus perinde ac in plantis generentur, est cur dubitem. Cùm autem Animalium ova plantarum fructibus adeò exactè respondeant, eodémque fere modo ex ovario germinent quo plantarum fructus è gemmis & racemis, cur nomen Partis iis denegetur, his concedatur, rationem non video.

Plantæ perennes augmenti respectu, ab Animalibus differunt, quòd partes illæ quæ perennant, quandiu planta vivit augentur, ut in arboribus quantumvis annosis manifestè cernitur, quibus quotannis novus accedit ligni circulus: Animalia autem cùm justum magnitudinis terminum assecuta sunt augeri desinunt.

Additur in definitione, *certo loco, aut certæ sedi affixum*, quod tamen nec omnibus in universum plantis, nec solis convenit. Non omnibus; siquidem *Stratiotes* Veteribus dicta, (Dioscoride teste,) *aquis supernatans sine radice vivat, quamvis folium habeat Aizoo simile ac majus*; quod & *Prosper Alpinus in parte confirmat, *pro radicibus*, inquiens, *exigua quædam & rara lanugo dependet*: & eruditiss. † Veslingius, *Planta tota sessili basi Nilo incubat, aquis innatans citra radicem, quamvis radicum vicem demissa terram versus tenuissima fibrarum veluti filamenta sustineant.* Tenuia autem isthæc filamenta, quæ versùs terram extendi, non terram attingere scribit, non videntur plantam stabilire posse aut sistere quo minùs huc illuc fluitet & locum mutet. At nec solis plantis convenit terræ aliíve sedi affigi; verùm id Animalibus etiam nonnullis commune est, iísque non imperfectis tantùm, aut ancipitis naturæ, quæ Zoophyta appellare solemus, sed etiam perfectioribus. Sunt enim ex genere testaceorum certæ sedi affixa, quæ μόνιμα, id est, stabilia, Aristoteli ob eam rationem dicuntur; idque non casu aliquo, sed ex ipsius naturæ instituto. Vidimus enim ipsi Mytilorum speciem funiculo è testa egresso petris adnexum: quin & balani illi *Conchæ anatiferæ* dici soliti apophysi quadam fistulosâ, coriaceâ, rugosâ, oblongâ navium carinis aliisque lignis vetustis in mari fluitantibus adhærescunt. Verùm terræ aliíve sedi ità adhærere ut alimentum inde attrahat seu exugat, id plantæ proprium est, nec ulli (quod sciam) Animali convenit. Nam quæ de *Agno Scythico* traduntur pro falsis & fabulosis habeo.

* *De Plantis Ægypt. c.* 35.

† *Observat. in Alpin. Ægypt. plant. cap.* 35.

CAP.

Cap. II.

De Partibus Plantarum in genere.

ANtequam partium Plantarum divisionem instituam, non incommodum erit celebrem illam distinctionem partium in *similares* & *organicas* paulisper excutere, quidque per similares intelligimus, quid per organicas, paucis exponere.

Pars *similaris* (verba sunt * Sennerti) ut vel ipsum nomen Græcum ὁμοιομερὴς indicat, est quæ simplicis & unius est naturæ, & ex partibus naturâ diversis non constat, & proinde propriè opponitur *dissimilari*: cujus generis sunt *Ossa, Cartilagines, Caro, Membranæ, Nervi, Venæ,* &c. Pars ergo *similaris* quatenus est similaris, nullum publicum Officium habet, sed saltem nutritionem suam procurat. Pars *Organica* est quæ præter sui nutritionem aliam aliquam actionem habet, quâ vel aliis partibus, vel toti corpori inservit. Hinc patet partem similarem non propriè opponi Organicæ sed dissimilari, ut modò diximus: Eadem enim pars potest esse & similaris & Organica diverso respectu: similaris nimirum respectu texturæ & constitutionis; Organica respectu figuræ & conformationis, adeóque usûs & officii in corpore. Sic vena quidem suâ naturâ similaris pars est, sed quatenus eo modo conformata est, ut sanguini refluo ad cor derivando aptus canalis sit, Organica dicitur: sic tibiæ os suâ naturâ simplex est, sed quatenus suam habet peculiarem figuram & magnitudinem, tibia nominatur.

* *Institut. lib.* 1. *cap.* 3.

Pars *organica* alia est *simplex*, alia *composita*. *Simplex* est, quæ constat ex partibus ejusdem quidem naturæ & temperamenti, verùm peculiarem aliquam figuram & conformationem requirit ad actionem communem, hoc est in usum vel corporis totius, vel aliarum partium, exercendam. Hujusmodi sunt *Os, Vena, Nervus,* &c. Pars organica *composita* est, quæ constat ex pluribus partibus diversæ naturæ & constitutionis, quæ tamen simul ad eandem actionem concurrunt, atque hoc sensu accepta *Pars organica similari* opponitur. Sic *v. g.* Oculus est Pars organica, composita ex variis tunicis & humoribus, diversæ texturæ & constitutionis, quæ tamen simul ad visionem conspirant. Hujusmodi actiones quæ ab organis è multis diversæque naturæ partibus compositis obeuntur Perfectas vocat Galenus.

His ad distinctionis istius intelligentiam præmissis, nos partes plantarum dividemus in *simplices* & *compositas*.

Simplices sunt quæ constant ex partibus ejusdem texturæ & constitutionis.

Compositæ quæ ex partibus diversæ naturæ coalescunt.

Simplices sunt vel *continentes* seu vasa, vel *contentæ* seu succi.

Verisimile enim est partes simplices in universum omnes, corpus integrantes, in Plantis saltem, si non & in Animalibus, vel vasa esse, vel succos seu liquores, in vasis contentos.

Partes *contentæ* omnes ad sensum similares sunt: quamvis enim chymicâ Analysi in alias adhuc simpliciores possint resolvi, sunt tamen ita per minima divisæ & commixtæ, ut quælibet pars sensibilis pariter ex omnibus hisce simplicioribus mixta sit, adeóque ejusdem naturæ cum reliquis sensibilibus partibus.

Partes *continentes* dupliciter considerari possunt; vel respectu *substantiæ* & texturæ suæ uniformis, quomodo *similares* sunt; nec aliam habent actionem præter sui nutritionem, vel respectu *figuræ* & *conformationis* ad usum aliquem & officium in corpore obeundum destinata, adeóque *organicæ* appellantur.

Partes *compositæ* quæ ex pluribus partibus simplicibus iisque (ut diximus) diversæ naturæ constant, *Organicæ* etiam appellantur, quia partes hæ simplices simul ad unam quandam actionem concurrunt.

Partes compositæ in quas Planta dividi solet sunt *Radix, Caulis, Folia, Flos, Fructus*, de quibus in specie agemus.

Sunt etiam aliæ partes minùs principales seu secundariæ, ut *v. g. Capreoli* seu *Claviculæ, Pili, Spinæ,* &c.

Cap. III.

De Radicibus Plantarum.

RAdix (definiente Jungio) est *pars Plantæ inferior, quæ intra corpus solidius, quod Plantæ sedem præbet* (*sive illud terra sit, ut plerunque, sive saxum, sive calx, sive arena, sive lignum, sive quodcunque aliud*) *abdita, & alimento attrahendo destinata est.*

Radices dividi possunt in *fibrosas* & *crassiores*. *Fibrosas* voco quæ plurimis fibris seu filamentis è plantæ fundo separatim exeuntibus constant.

Crassiores quæ corpore pro plantæ modo crassiore sunt vel in surculos diviso, vel fibras emittente. Hæ vel carnosæ sunt, & in *latum extumescentes*, vel in *longum extensæ*, plerunque strictiores & lignosiores.

Carnosæ & in *latum extumescentes* sunt vel *Bulbosæ*, vel *Tuberosæ*.

Bulbosas voco quæ unico constant tubere seu capite, eóque vel squamato vel tunicato, fibras plurimas ex ima sede seu basi emittente.

Bulbosæ ergo strictè dictæ sunt vel *tunicatæ*, hoc est, ex pluribus corticibus in orbem se amplexantibus compositæ, cujusmodi sunt *Cepa, Allium, Hyacinthus, Tulipa,* &c. vel *Squamosæ, h. e.* è pluribus squamis imbricatim ferè dispositis coagmentatæ, ut *Lilium* & *Martagon*.

Notandum autem *Bulbosas* strictè dictas Fibrosis rectiùs accenseri. Fibræ enim è bulbi fundo exeuntes propriè duntaxat radices sunt; Bulbus ipse nihil aliud esse videtur quàm gemma grandior subterranea

terranea, ut rectè eruditissimus & ingeniosissimus Vir, D. *Nehemias Greiv.* M.D. ob præclara sua inventa & observata, in *Anatome Plantarum*, reliquaque earundem Historia meritò celeberrimus.

* *Lib. de Anatome radicum.*

Tuberosæ sunt quæ carne solidâ continuâ constant, suntque vel simplici tubere ut in *Rapa, Croco*, &c. vel multiplici, ut in *Asphodelo, Pæonia*, &c.

Not. Plantæ nonnullæ duûm generum radicibus donantur, tuberosis & fibrosis, ut *Orchis*.

Radices in longum extensæ quæ plerunque strictiores sunt & lignosiores, vel *sarmentosæ* sunt & transversim progredientes seu reptantes, ut *Glycyrrhizæ, Cardui viarum, Acetosæ Ovillæ*, &c. vel *cauliformes* & in altum descendentes.

Notandum autem, in plurimis reptatricibus propagines sub terra reptantes, geniculatæ cùm sint, & è geniculis fibras emittant, ut in *Gramine canino Offic. Mentha, Pilosella aurea, Ptarmica*, &c. caules potiùs subterraneos videri quàm radices.

Radices *cauliformes* & in altum descendentes sunt vel *simpliciores*, fibras tantùm è lateribus emittentes, vel *ramosæ*: Hæ autem ad modum caulium vel ab exortu statim ramosæ sunt, vel simplici scapo aliquousque descendunt, deinde in ramos; rami in surculos & fibras sparguntur. Nonnullæ etiam plantæ plures è fundo emittunt radicum truncos.

Possent & aliæ radicum differentiæ, à coloribus, sapore, odore, facultatibus sumi, quas hoc in loco prosequi nostri non est instituti; alibi fortassè earum catalogos daturi sumus.

† *E cujus lib. de Anat. Radicum sequentia omnia transtulimus.*

Radices nonnullas bulbosas ut *v. g. Tuliparum*, annuatim in terram descendere à Botanicis dudum observatum est: idem nuper in aliis plurimis & quidem diversorum generum radicibus observavit † D. Grevius, ut *v. g. Ari, Valerianæ, Scrophulariæ, Hellebori nigri, Tanaceti, Lychnidis, Crithmi, Primulæ, Caryophyllatæ, Acetosellæ, Iridis*, &c. quarum omnium, eodem observante, Radix quotannis ex trunco seu caule ipso renovatur, aut potiùs particulatim reparatur. Basis sci. seu ima pars caulis, sensim infra superficiem terræ descendens, séque in ea occultans in naturam genuinæ radicis transmutatur, ejúsque locum occupat, & officium præstat. Ad motum autem caulis radix etiam unà descendit, & pro durabilitate substantiæ suæ brevior aut longior evadit, vetustiore & inferiore ejus portione eisdem gradibus putrescente quibus superior è caule descendente & transmutato augetur. Sic in *Scrophularia v. g.* sed præcipue Succisa, quæ ab radice præmorsa apparet, ima pars caulis gradatim subsidens donec terræ immergatur superior radicis pars efficitur, & descensu continuato, sequenti anno, inferior ejusdem pars evadit, proximo deinde anno corrumpitur & evanescit; novâ scilicet quotannis è caule accessione facta, prout inferiores & vetustiores partes putrescunt & absumuntur. Ità pariter in *Dracontio, Croco, Gladiolo*, &c. ubi bulbus geminus est, superior & inferior, basis caulis anno insequenti fit superior radix, proximo inferior, tertio interit & absumitur.

Hujusmodi descensus caulis & transformatio in radicem in nonnullis plantis evidentiùs cernitur & clariùs demonstratur quàm in aliis, ut in transversis & tuberculosis radicibus *Primulæ* & *Acetosellæ*. Harum enim Plantarum foliis successivè marcescentibus & abscedentibus bases eorundem copiosiore succo enutritæ in totidem nodulos crassiores turgescunt. Idem in aliis nonnullis colligi potest ex simili vasorum & partium lignosarum situ in trunco & in radice, ut *v. g.* Helleborastro, sed præcipuè Iride tuberosâ, in qua quamvis folia proximè juxta caulis superficiem decidunt, postquam tamen caulis descendit & in radicem intumuit, foliorum delapsorum sedes seu vestigia unà cum vasorum iis inservientium extremitatibus non obscurè apparent, radice sci. annulis quibusdam, & lineis punctatis variegatâ, annulis foliorum sedes, punctis vasorum orificia demonstrantibus.

Descensus hujusce causa proxima & visibilis seu manifesta sunt radices fibrosæ, quas hujusmodi caules emittunt: hæ enim in terram rectà descendentes, velut totidem funiculi truncum post se rapiunt. Hinc radicum nonnullarum figura veluti invertitur. Nam cùm pleræque inferiùs in ramos aliquot ceu totidem crura divaricantur, nonnulla supernè in plures veluti cervices seu cornua [capita vocant Botanici] dividuntur, ut in *Dente leonis* aliisque nonnullis cernitur. Hæ enim radices è summo capite plures protrudunt gemmas, quæ in totidem caules abeunt. Gemmæ hæ seu germina nova successivè folia emittentia, vetera abjiciunt, adeóque paulatim continuò descendentia, in totidem tandem cervices, 3, 4, 5. aut etiam plures uncias longas, abeunt.

Hinc intelligitur quomodo radices nonnullæ præmorsæ videntur, ut in *Succisa*, perennésque evadunt, nimirum successivâ aggeneratione novarum portionum in locum earum quæ quotannis corrumpuntur & intereunt, ut in plantis de quibus egimus, ex parte trunci quotannis descendente annua sua damna reparantibus, inque *Orchide, Battata, Napello, Chelidonia minore* aliisq; tuberosis in quibus, vetustioribus radicibus seu tuberibus marcescentibus, novæ earum loco aggenerantur. Cùm his etiam consentiunt *Tulipæ* aliæque radices bulbosæ: tunicæ enim ex quibus præcipuè bulbi constant quotannis exarescunt, & in tenues membranas seu cuticulas exiccantur, novis assiduè in medio succrescentibus foliis & corticibus. Ad eundem modum fibrosæ earum radices aliæ aliis annuatim succedunt; unde post aliquot annos bulbus quamvis idem perseverare videtur, alia omnino revera res est, nullâ ejus particulâ primitivâ residuâ.

Partes Radicis uti & Caulis sunt Cortex, Lignum aut in herbaceis pars ligno respondens, & medulla.

CORTEX.

Cortex componitur ex cuticula & substantia interiore.

Cuticula.

Cuticula à cortice originem habere videtur, & nihil aliud esse quàm corticem veterem exarescentem & contractum, novo quotannis subnato; quemadmodum spolium Serpentis quod quotannis exuit ejusdem cutis exarefacta est. Cuticula in radice iisdem partibus componi videtur quibus & in caule, nimirum utriculis seu vasiculis velut parenchymate, ligneis aliquot vasis seu fibris fistulosis intermixtis, quæ quamvis etiam microscopio ægrè visibiles sunt, adesse tamen colligit *D. Grevius* ex eo quòd cuticula multo difficiliùs finditur aut dilaceratur transversim quàm secundùm longitudinem, aliisque argumentis, quæ apud ipsum vide.

Corticis substantia interior crassitudine plurimùm variat, in nonnullis enim radicibus ut *Flore Solis pyramidali, Tragopogone*, & arboribus plerisque prætenuis est, in aliis crassa admodum, longè

gè maximam radicis partem constituens, ut in fibris *Asparagi:* Quin cortex radicis in plurimis plantis multò majorem obtinet proportionem ad lignum, quàm Caulis; atque hac in re radix à caule insigniter differt, corticis nimirum crassitie.

Cortex in radice iisdem ferè partibus componitur quibus & in caule, nimirum, 1. Utriculis seu vesiculis ceu parenchymate, Sphæricis plerunque, interdum tamen oblongis, minimè perviis seu in se mutuò hiantibus, sed undique clausis, & aquæ bullarum instar pellucidis, adeò ut corticis Parenchyma, quoad compositionem suam, spumam Cerevisiæ aut ovorum conquassatorum proximè referat, aut panis probè fermentati medullam. Vesiculæ hæ adeò parvæ sunt ut absque microscopio ægrè sint visibiles; magnitudine tamen differunt, tum in eadem, tum præcipuè in diversi generis radicibus. In rectas lineas seriatim non raró disponuntur tam secundùm longitudinem quam secundùm latitudinem radicum. Liquore limpido seu pellucido semper turgidæ sunt, qui per earundem membranarum poros se insinuat, nec enim datur patentior janua quà intret. D. Malpighius utriculos in se mutuò hiantes & pervios facit.

Utriculos hosce in nonnullis plantis duûm generum esse observavit D. *Grevius*: præter descriptos enim alii dantur albidiores nec transparentes, sicciores etiam nec liquore turgidi, unde verè repletos esse opinatur. Pleniorem horum descriptionem videsis apud laudatum autorem in libro de *Anatome radicum.*

2. Præter utriculos fibræ etiam ligneæ seu vasa succifera, plura pauciorave, corticis compositionem ingrediuntur, ut ex faciliore dilaceratione corticis secundùm longitudinem quam transversaliter; ex ductu earundem fibrarum secundum longitudinem visibili, tenuium filamentorum specie; & ex ascensu succi cortice transversim secto, iis in locis ubi filamenta isthæc terminantur, patet.

Reticulares plexus eodem modo componunt fibræ hæ quo in cortice caulium. Quamvis tamen ad se invicem accedant, & iterum reflectantur, nullæ omnino (observante *Grevio*) dantur inter eas anastomoses, sed unumquodque filamentum unicum & simplex vas est ab imo ad summum continuum, non ramosum, cavitate ab imo ad summum æquali. At neque alia aliis circumvolvuntur, alitérve implicantur, sed sibi mutuò duntaxat contigua sunt. Plexus hi in variis plantis numero & figurâ variant, in aliis rariores, in aliis crebriores. Notandum autem singula filamenta, non singula vasa esse, sed vasorum parallelorum fasciculum seu congeriem, quæ tamen nec in se mutuò pervia sunt, nec sibi invicem in fasciculo suo convolvuntur alitérve implicantur, ut de filamentis diximus. Eadem de tracheis seu vasis aerem deferentibus quæ in lignea parte occurrunt dicta sunto. Est tamen cur suspicemur dari in hujusmodi vasis anastomoses, nec D. Grevii sententiæ penitus acquiescamus, præcipuè quod ad fibras ligneas attinet, partim ab analogia venarum & arteriarum in animalibus quarum propagines manifestè in se mutuò perviæ sunt & reticulariter inosculatæ, partim à foliorum, quæ sunt ligneæ expansiones, structurâ, in quibus fibræ sibi mutuò occurrentes inosculatæ & reticulariter implexæ videntur: partim denique ab experimento de succi motu deorsum in sectione transversa inferiùs proponendo.

Color radicum in plerisque plantis albus est, in nonnullis flavus, in paucis ruber aut atro-rubens, ut Anchusa, Erythrodano, Pastinaca tenuifolia.

Vasa hæc diversorum generum esse ex diversitate liquorum quos continent colligit D. Grevius, quem consule: alia enim lympham continent, alia lacteum succum, alia in plantis nonnullis rorem seu vaporem. Verùm vasa hæc iis quæ in caulium corticibus observantur analoga esse, & succos congeneres deferre opinamur, atque idcirco plura de iis dicere supersedemus.

LIGNUM.

Lignea radicis pars eisdem ferè partibus constat, eodémque modo contextis quo in caule, nimirum, 1. Parenchymate seu utriculis in radios diametrales à circumferentia ad centrum tendentes dispositis, ut in transversa sectione patet.

2. Fibris ligneis seu vasis succiferis, quæ etiam ut in cortice duûm generum sunt, nimirum vel lympham deferentia, vel succum lacteum, aliúmve plantæ peculiarem, seu, ut vocant, specificum.

3. Fistulis aeri excipiendo & derivando destinatis seu tracheis, de quarum textura seu compositione infra dicemus. De earum magnitudine, numero, situ, quæ in variis plantarum generibus variant, vide *Grevii* lib. de *Anatome Radicum*, cap. 4. Has autem in radicibus majores plerunque esse & magis patentes quàm in trunco ac ramis annotat *Malpighius.*

Medulla plantarum omnium radicibus communis non est: Nonnullæ enim, ut *v. g. Nicotianæ, Stramonii,* &c. eâ carent. Aliæ quamvis parte inferiore nullam habeant, supernè tamen satis conspicuam obtinent. Ex utriculis componitur ut in caule, iisque etiam magnitudine & figurâ diversis, quibus vasa aliquot succifera interdum admiscentur.

Notandum autem utriculos seu vesiculas hasce ex quibus Medulla componitur, non meras & rudes membranas esse, sed ex plurimis ordinibus seu seriebus tenuissimarum fibrarum seu filamentorum ab imo ad summum vesicularum juxta positorum, & à vesicula ad vesiculam transversim, (ut in subtegmine à staminis filo ad filum) decurrentium compositas; adeò ut Medulla nihil aliud sit quàm rete quoddam mirabile, seu infinitus fibrarum minutissimarum mirabili ordine complicatarum numerus. Quinetiam fibræ hæ non simplices sunt, sed ex pluribus simul conjunctis compositæ, fibrillis etiam transversis, (quæ simplices esse videntur) contextæ.

Quâ ratione alimentum radices subingrediatur meos adhuc sensus fallit (inquit *Malpighius*) ut probabiliter tamen conjectari licet; aqueæ particulæ solutos sales, & reliqua mineralia per terram dispersa sibi associant ac fluida reddunt, appellénsque hujusmodi heterogeneum corpus ad plantarum radices, veluti per cribrum trajectum, in ligneas fistulas exprimitur; seu per pilorum, qui circa tenellas radices copiosè luxuriant, orificia intret; seu per exteriorem ambientem cuticulam percoletur, adeóque vel sensim utriculis commmunicetur & ab his in contiguas fistulas derivetur, vel per extrema fistularum ora intro excipietur, & ab iisdem transversalibus utriculis ministretur; ut in minimis radiculis quæ fibræ appellantur probabiliter accidit, in quibus ad extrema usque fistulæ deducuntur, transversalibus utriculis parum luxuriantibus.

CAP. IV.

De Caulibus Plantarum, & eorundem partibus continentibus, è Clariss. Malpighii & Grevii scriptis.

* *In Isag. Phytoscop.*

CAulis, definiente * Jungio; est pars Plantæ superna in altitudinem ità exporrecta; ut anteriora à posterioribus, vel dextera à sinistris non differant. Caulis in arboribus & fruticibus *caudex* [*Stipes, truncus*] in fistulosis *calamus*, in frumentis *culmus* dicitur.

Caulis est vel *simplex*, vel *ramosus*.

Scapus caulis est pars caulis ramosi, quæ à fundo ad cacumen summum unâ quasi lineâ extenditur, cui rami utrinque adhærent.

Caulis partes sunt *Cortex, Lignum*, aut in Herbaceis pars ligno respondens, & *Medulla*.

Cortex est qui caulem & ramos undique investit. Componitur autem è *cuticula* & substantia interiore.

Cuticula.

Cuticula utriculis seu sacculis horizontali ordine-locatis, ità ut annulus efformetur, componitur, qui ambientis rigiditate & ætatis vitio deplentur, & in seipsos collapsi aridam interdum epidermidem efficiunt, ut in Betula, Cerasis, Pomísque præcipuè observatur. *Malpigh.*

De Cortice.

CORTICIS substantia interior constat, 1. Ex *fibrarum lignearum* in plexus retiformes contextarum plurimis involucris, exteriore interius tunicarum Cepæ in modum ambiente: deinde, 2. Ex utriculis seu sacculis subrotundis [interdum ovalibus aut angulosis] plexuum modò dictorum maculas seu spatia replentibus, horizontali situ lignum versùs radiorum instar directis. 3. Denique ex vasis peculiaribus; succum plantæ proprium & specificum continentibus.

D. Grev. substantiam corticis interiorem in vasa & parenchyma primò distinguit: parenchyma vocat utriculos modò dictos qui parenchymati viscerum in animalibus respondent. Vasa dividit in lympham deferentia quæ duûm generum esse statuit: exteriora enim & cuticulæ proxima succum specie diversum ab interioribus & ligno vicinis deferre opinatur: [hæc vasa sunt quas fibras ligneas diximus] & succum plantæ proprium & specificum continentia, qualia sunt *v. g.* in Abiete & Pinu resinifera, in Prunis & Cerasis gummifera, in Tithymalo lactifera. De tribus hisce partibus explicatiùs paulo agemus.

Fibræ ligneæ, seu Vasa lympham deferentia.

1. *Fibræ ligneæ*, describente Clariss. *Malpighio*, sunt tubulosa corpora, subingredientibus liquoribus pervia, ipsarúmque structura è quadratis [aliúsve interdum figuræ] corporibus, concavis, invicem hiantibus constat. Vasa hæc nec recta, nec parallela ducuntur, & ut plurimùm in fasciculos coagmentantur. Horum aliqua iterum inclinata, & [à fasciculis suis] separata rete efficiunt, unde reticularia quæ diximus involucra, quibus lignum ambitur. Fibras hasce Lymphæ-ductus seu vasa lympham deferentia appellat D. *Grevius*, quia scilicet liquorem aqueum, limpidum & pœne insipidum continent. Plexus hi fibrarum retiformes è fasciculorum portionibus digredientibus & ad proximos tendentibus cúmque iis unitis, & rursum reflexis contexti in radice Rapæ caulescentis, præsertim coctæ, manifestè possunt discerni, imò digitis extendi.

Utriculi seu Parenchyma corticis.

2. *Utriculi* dicti sunt vesiculæ seu ampullæ liquore turgidæ, quem è fibris ligneis excipiunt, horizontaliter plerunque sitæ in lineis rectis seu radiis à cuticula ad lignum tendentibus, suntque veluti corticis parenchyma, ut superiùs diximus. [D. Grev. utriculos corticales in radios diametrales rariùs disponi ait: quo à radicis corticis parenchymate differunt.] A fibris fistulosis ligneis horizontales (verba sunt Malpighii) utriculorum ordines pendent & erumpunt. Etenim dum tenelli adhuc corticis fistulæ vi evelluntur, continuatæ utriculorum appendices subsequuntur. In hos igitur transversales utriculos ascendens humor chyli instar exoneratur, ibique longiorem passus moram antiquiori succo intimè commixtus & fermentatus in naturam alimenti exaltatur. Copiosus admodum in corticis hujusmodi horizontalibus appendicibus excoquitur succus, qui ligno, reliquísque plantarum partibus distribuitur; unde nil mirum si cortex abundantius & validius pabulum præ reliquis plantarum partibus igni subministret.

Vasa succifera.

3. Vasa succum plantæ proprium & specificum deferentia in variis plantis diversum succum continent, ut *v. g.* in Abiete resinam, in Tithymalo & Lactucaceis lac. Succus hujusmodi è vasis extractus humore aqueo evaporante plerunque concrescit in resinam gummi, aliúdve crassamentum.

Succi hujus (inquit *Malpighius*) varia est natura, frequenter aquei diaphanique humoris specie effluit, quandoque Lactis instar, non rarò luteo inficitur colore, & interdum semiconcretus lentorem acquirit, ità ut quot Plantarum species extant, totidem peculiares succi inveniantur. *Hic* (pergit) *succus, in singulas partes delatus, roris instar affunditur, & concrescendo ipsas auget, & ad debitam magnitudinem perducit.* Videtur ergo respondere sanguini animalium: quamvis (ut verum fatear) sententiæ D. Malpighii, nimirum succum hunc ultimum & specificum plantæ alimentum esse, non penitus acquiesco. Esse eum Quintessentiam (ut vocant) totius plantæ, ejúsque & odorem & saporem reddere virésque velut concentratas in se continere non diffiteor.

Vasa aerem deferentia nulla in cortice observantur, certè si adsunt, adhuc inconspicua sunt, nec suo funguntur munere, ut in Animalibus intra uterum conclusis accidit, & sola conversione corticis in ligneam naturam manifestantur & patent, ut loquitur Malpighius.

De Ligno.

LIGNUM eisdem partibus, eodémque modo connexis componitur quibus cortex, nimirum, 1. *Fibris ligneis* fistulosis, in fasciculos coagmentatis, & in retiformes plexus contextis; 2. *Utriculis* earundem maculas & spatia replentibus; 3. Vasis succum specificum deferentibus; & 4. Peculiari insuper vasis genere aeri derivando destinato, & animalium tracheæ & pulmonibus respondenti.

1. *Fibræ ligneæ* ejusdem sunt naturæ cum corticem componentibus: iisdem enim (ut *Malpighii* verbis utar) componuntur minimis vacuísque orbiculis, invicem hiantibus, & consimilem admittunt succum. Cæterùm inter corticis & ligni fibras hæc intercedit differentia, quòd illæ trunco transversim dissecto succum sponte effundunt omnes; harum autem nullæ semper, pleræque nunquam

quam id faciunt. Fibræ hæ ad majorem firmitudinem & robur transversalium utriculorum ordines superequitant, ità ut ex horum mutuâ implicatione quædam veluti storea efficiatur. Præcipua autem & potior trunci caulisve portio ligneis hisce fistulis constat. Hæ in variis plantarum speciebus magnitudine, numero, situ differunt, ut facile esset ostendere. Vide *Malpighii* & *Grevii* Plantarum & Truncorum Anatamen.

Inter ligneas fibras anastomosin intercedere, non aliter quàm in Animalibus inter venarum ramos probat Malpighius, *Anat. Plant. p.* 11.

2. *Utriculi* in radios diametrales fibras & vasa intercurrentes, à cortice ad medullam extensos disponuntur; non tamen omnes ipsam attingunt, sed interdum versùs interiora ligni obliterantur, novis subortis in penitioribus ligni circulis: patent autem secto per transversum ramo seu caudice. In fruticibus (observante *Malpighio*) & in quibus non valdè crassum est ligneum corpus, & condita medulla ampla, à cortice utriculorum appendices in medullam deducuntur & in ipsum laxantur: unde eadem natura in utrisque [corticalibus & medullaribus utriculis] reperitur: quin & eadem phænomena quæ in corticis utriculis contingunt, quandoque in medulla occurrunt. Utriculorum autem ordines ovalibus invicem hiantibus corporibus compaginantur, unde & contento succo turgent, in nonnullis plantis diaphano, in aliis colorato; tenui autem pellucidâ, diaphanâque membranâ singuli utriculi constant. In diversis plantarum speciebus plurimùm variant, numero, magnitudine, texturâ, extensione, *&c.*

3. Vasa succum plantæ proprium & essentialem continentia in tot circulos disponuntur quot sunt tunicæ seu involucra annui incrementi à medulla ad corticem; eademmet enim sunt cum corticalibus interioribus quæ à cortice quotannis abscedunt, & ligno se applicant, angustiora duntaxat ob fibrarum lignearum undique circumstantium pressuram reddita.

Tracheæ.

4. Vasa aeri excipiendo & derivando destinata, quæ fistulas spirales & tracheas appellat *Malpighius*, argenteâ laminâ in spiram contortâ componuntur, ut facilè laceratione in oblongam & continuatam fasciam resolvantur. Lamina hæc si ulteriùs microscopio lustretur particulis squamatis componi deprehenditur. [Lamina hæc (observante Grevio) è multis fibris teretibus collateraliter in eodem plano sitis, tæniæ seu fasciolæ Staminum in modum, & minoribus transversis fibellis velut subtegmine contextis constat.] Ampliores spirales fistulæ frequenter pulmonares quasi vesiculas, trachearum substantiâ, continent, quandoque invicem hiant, interdum ovali constant formâ, & altero nonnunquam fine imperviæ sunt, ità ut parùm dissimiles insectorum pulmonaribus vesiculis extent. D. Malpighius Naturam in Insectis & Plantis spiralem laminam squamosis frustulis compactam tracheæ vice fabrefecisse opinatur, ut constrictionem & dilatationem in vehementibus flexuris & curvationibus arborum, & in elastico conclusi aeris motu pati possit. Tracheas hasce fibræ ligneæ persæpe fulciunt & undique stipant & interdum coarctant, unde insecto per transversum ligno earundem orificia frequenter ovalia apparent, vel rotunda, interdum angularia: Tracheæ autem non multùm à recto declinantes, à radicibus sursum in truncum, caulem, & ramos disperguntur, in foliis verò curvatæ in rete implicantur. Vasa hæc exceptis succiferis corticalibus propriis omnium longè maxima; per totam ligni substantiam frequentissima occurrunt, in cortice autem nulla observantur.

Tanta est Respirationis necessitas & usus, ut natura in singulis viventium ordinibus varia sed analoga paraverit instrumenta, quæ pulmones vocamus, cum hoc discrimine, ut quæ perfectiora nobis censentur, ea minori pulmonum apparatu gaudeant, ut per Quadrupeda, Aves, Pisces, Exanguia aquatica & Insecta discurrendo ostendit Cl. Malpighius. In plantis verò, inquit, quæ infimum Animalium attingunt ordinem tantam trachearum copiam & productionem extare par est, ut his minimæ vegetantium partes præter corticem irrigentur.

Qua parte aer vasa hæc subintret quæstio est, an sci. per radicis, an per trunci, foliorum, reliquarúmque partium superficialium poros. D. *Malpighius* se diu anxiè quæsivisse scribit, an in foliis & cortice orificia pro aere paterent, nec ea unquam deprehendere potuisse: radices verò tot tantisque coagmentari tracheis observavit, ut in quibusdam plantis & arboribus hæ reliquarum molem longè superarent. Quare (ut conjectari licet) vapor seu respiratorius succus, à terra aquæ & aeri admixta separatus, tracheas subintrans ipsas replet & distendit. Ligneæ autem fibræ aut horizontalium utriculorum ordines separatam à trachearum tunicis halitûs partem seu succum pro respiratione recipiunt, cùm ligneæ fibræ Hederæ instar tracheas ambiant. *D. Grevius* aerem omnium partium tam superficialium quàm subterranearum poros subingredi statuit, hos autem posteriores copiosissimé. Pori enim in plantarum nonnullarum truncis adeò ampli sunt, ut nudo & inermi etiam oculo pateant, ejusmodi sunt *cannæ Indicæ* quibus pro virgis & scipionibus utimur: quin & in Pinuum foliis eleganti ordine per totam foliorum longitudinem dispositi cernuntur; verisimile ergo est aliquam Aeris partem per hos se insinuare. Potissima tamen & quasi regia via quâ ingreditur Aer, sunt radicis oscula, in quæ succo commixtus se ingerit. Radix enim in Plantis Animalium ori respondet. Deinde si aer per partium superficialium tantùm poros intraret, antequam cum radicis succo commisceri possit, necessario deberet descendere, contra motum succi qui perpetuo ascendit, adeóque Aer & Succus sibi mutuò occurrentes impedimento essent, quod non videtur verisimile; cùm si per radicem reciperetur motu ascensûs facili & naturali unà cum succo conspiraret. Quod idem ulteriùs argui potest à paucitate & parvitate diametralium portionum [utriculorum] in trunco præ quàm in radice, quas natura ibidem Aeri à succo, quocum commixtus excipitur, separando designâsse videtur. Hactenus D. *Grevius*, apud quem plura vide.

De Medulla.

MEDULLA, cordi & cerebro analoga olim credita, multiplici globulorum per longum locatorum ordine constat. Globuli quos diximus membranosi utriculi seu vesiculæ sunt, in plerisque quidem plantis rotundi, in nonnullis tamen angulosi & vel cubici, vel pentagonis, vel hexagonis lateribus. Medulla quamvis à ligni & corticis parenchymate [ità voco utriculos diametrales fibrarum spatia replentes] diversum nomen obtineat, naturâ tamen & substantiâ cum eo convenit, ut & textura & continuitas evincunt; continuitas, inquam: Nam utriculorum ordines à cortice emanantes (ut D. *Malpighii* verbis utar) per ligneas fibras producti in medullam terminantur, unde eadem natura

natura in utrisque [corticalibus & medullaribus utriculis] reperitur: nec aliter quàm magnitudine inter se differunt utriculi *medullares*, qui omnium maximi sunt, *corticales*, qui mediæ magnitudinis, & *lignei*, qui minimi.

Medullæ magnitudo in variis plantis varia est: in *Absinthio*, v. g. *Rhoe*, *Ficu*, *Oxyacantha*, (observante D. *Grevio*) amplissima: in *Pinu*, *Fraxino*, *Agrifolio*, *Juglande* minor seu angustior ferè duplo: in *Quercu*, *Malo*, *Pyro*, *Corylo* adhuc minor: in *Ulmo* minima.

Herba & Frutices majores plerunque obtinent medullas quàm Arbores, pro magnitudinis ratione, ut in *Rhoe*, *Ficu*, *Oxyacantha* apparet. Medulla ex vasis & utriculis componitur, vasa ad marginem medullæ sita sunt, eámque circulariter ambiunt: continent autem succum plantæ essentialem & proprium.

Medullares utriculi quamvis reliquorum ejusdem plantæ respectu majores dicantur, in diversis tamen plantis magnitudine insigniter differunt: In nonnullis enim, ut *v. g. Carduo* vulgatiss. centuplo majores sunt quàm in aliis, *v. g. Quercu.*

Notandum etiam utriculorum magnitudinem non sequi medullæ proportionem; cùm in medulla Sambuci, quæ multò amplior est medulla Oxyacanthæ, utriculi componentes duplo minores sunt quàm hujus.

Medullæ primi anni, eique soli convenit succulentam esse: post primum enim annum medulla exarescit, nec unquam postea succum admittit; unde laxæ mollésque supersunt pelliculæ. *Grev.*

In medullæ utriculis, necnon in transversalibus vascula utriculos reticulariter ambientia occurrunt, unde conjectari licet vasorum plexibus tum medullarium tum transversalium sacculorum ordines irrigari.

CAP. V.

De Partibus caulium contentis & de motu succi.

Partim è *Clariss. Malpighii, & Grevii* scriptis, partim ex nostra observatione.

QUot vasorum genera sunt in truncis & radicibus, totidem etiam partium contentarum differentiæ. Utriculos hic è vasorum numero excludimus, & parenchymatis ascribimus, quamvis & hi revera vasa sint, Partes ergo contentæ sunt, 1. Lympha seu succus limpidus & aqueus, in Lymphæ-ductibus seu fibris ligneis fistulosis; 2. Succus plantæ essentialis seu specificus, in vasis peculiaribus succiferis reconditus; 3. Aer in fistulis spiralibus delatus; qui tamen plantæ pars non videtur dicendus. Succum limpidum in nonnullis plantis ex structura & situ Lymphæ-ductuum duûm generum esse colligit D. *Grevius.*

Utriculi (ut diximus) sunt veluti parenchyma trunci, nec succum à supradictis diversum continent, sed inter vasa mediant, & vel succo crudiori concoquendo inserviunt, ut vult D. *Malpighius*; vel etiam aeri è fistulis spiralibus excipiendo & in vasa succifera derivando, eodem ferè modo quo in animalibus pulmonum vesiculæ aerem à bronchiis tracheæ exceptum Arteriis impertiunt, ut opinatur *D. Grevius.*

Lympha. Succus limpidus seu lympha ab aqua communi, cùm primùm effluere incipit, nec gustu, nec consistentiâ multùm differt. Tantâ copiâ verno tempore ascendit, ut in nonnullis arboribus è vulnere inflicto ubertim emanet. Vasa autem per quæ movetur, autore D. *Grevio*, sunt fistulæ spirales seu tracheæ D. *Malpighio* dictæ. Ratio, seu causa (inquit) propter quam primo vere per fistulas hasce ascendit, est, quia corticis Lymphæ-ductus seu vasa per quæ totâ æstate fertur, tum primùm formari incipiunt, cùm ergo hàc viam non invenit, in vasa aerea digreditur; quamprimùm verò lymphæ-ductus prædicti consistentiam & extensionem debitam consecuta sunt, succus è diverticulo in viam redit, & tracheis derelictis in hæcut in proprium suum receptaculum se confert. Hæc D. *Grevius*, qui tamen nobis non undequaque satisfacit: quamvis enim satis causæ sit cur succus in tracheas primùm irruat, cùm tamen vasa ista ampliora sint & patentiora quàm noviter extructi lymphæ-ductus, & nihil obstet quo minùs cursum continuet, cur hisderelictis velut electione quadam ad novos canales se reciperet, rationem non video. Interim tamen succum verno tempore per vasa aerea sursum ferri, & vulnerato trunco per eorum orificia effluere minimè negamus.

Quæ de motu succi vernali in *Betula*, *Vite*, *Acere majore & minore*, *Juglande*, *Carpino*, *Salice* (nam has solas arbores in nostra regione lachrymare hactenus observavimus) experiendo didicimus, subjicienus.

1. Per quæcunque tandem vasa ascendat succus, per totam ligni crassitiem ascendere experimenta evincunt: Siquidem terebrato trunco aut ramo radicéve, quò profundius factum fuerit foramen eò copiosior succus extillat, & quidem pro altitudinis proportione, ut ex duplo profundiore foramine dupla ferè succi quantitas eodem tempore emanet.

Deinde ut omnem vel scrupulosissimo cuique dubitandi ansam præscinderemus, grandiorem Betulæ ramum serrâ reciprocatâ ad medullam ferè incidimus, spatióque circiter semipedali interposito, ab eadem parte paris altitudinis sulcum seu incisionem fecimus, deinde ligno serraturas, intercedente exempto, inque areæ ligneæ complanatæ medio foramine terebrato, panni laciniam seu filtrum ei immisimus, cauto interim nè quid desuper liquoris in filtrum deflueret. Quibus peractis succum nihilominus è foramine copiosè extillare deprehendimus.

2. Succum in vasis tam deorsum quam sursum liberè moveri constat. Virga enim Salicis aliúsve arboris cùm succo turget recisa, & perpendiculari situ suspensa, ab inferiori majore extremo lachrymam aliquandiu extillabat: quin si taleæ aut baculi saligni aut Acerni utrinque recisi superiori extremo fistulam ceream ita applices & agglutines, ut vasculum quoddam efformet, cujus latera sint circumferentia tubi, fundus planum extremi baculi recisi, eíque perpendiculariter erecto aquam infundas,

videbis

videbis brevi aquam tranſito ligno ab altera baculi extremitate paulatim extillare, nec ceſſare antequam vaſculum prædictum exinanitum fuerit. Idem in Tithymalo aliiſque lacteſcentibus cernitur, quæ reciſæ ab utraque parte, tam supernâ quàm infernâ ſuccum lacteum pariter effundunt. Unde patet nullas in plantarum vaſis valvulas dari. Quod indè etiam confirmatur, quod ſi talea aut ſurculus inverſus plantetur, ſuperiore nimirum extremitate terræ immiſſâ, nihilominus comprehendit, & quantumvis mutatâ ſucci directione germinabit, ut in *Salice* experti ſumus. Hoc tamen perpetuò evenit (*Malpighio* monente) plantatos taliter ſurculos minùs proficere.

3. Vaſa ſuccifera in progreſſu inter ſe communicant per mutuas anaſtomoſes, quod hujuſmodi experimento probamus. Serrato profundè per tranſverſum Betulæ adultioris caudice, deinde interpoſito ſpatio ab eadem caudicis parte ad eandem quantum conjectari potuimus profunditatem ſerrâ adactâ, non ab inferiore tantùm ſulco lachrymavit truncus, ſed etiam à ſuperiore, & quidem æquâ quantitate, idque non tantùm cùm primò ſerraturæ ſeu ſulci facti eſſent, ſed etiam poſt aliquot dies, & de novo iterum poſtquam ceſſâſſet aliquoties effluere. Vaſa autem diſſecta non aliunde ſuccum excipere potuerunt quàm ab integris & intactis in altero trunci latere aſcendentibus, cum quibus in ſuperiore arboris parte per anaſtomoſes conjungebantur. Hic autem obiter monere convenit, Sectionem Corticis tranſverſam circularem non ſemper aut omnem arborem perimere, ut vulgò creditum eſt. Siquidem ex noſtra obſervatione in Agrifolio corticis annulo palmaris propè latitudinis detracto, & ligno denudato, arbor nihilominus per plures annos ſupervixit. D. autem Malpighius in variis diverſarum arborum ſurculis & ramis *Opuli* v. g. *Prunorum*, *Mali Cydoniæ*, *Quercûs*, *Salicis*, *Populi*, *Avellanæ*, horizontalem ſectionem in cortice fecit, ablata ejuſdem & libri annulari portione: quo facto pars ſuperior ſurculi ſeu caudicis ſupra ſectionem brevi vegetans ità excrevit ut longè turgida redderetur. Cortex enim, in *Quercu* præcipuè, in *Prunis* & *Cydonia malo*, horizontales utriculorum ordines ita elongat, ut frequenter appendices promantur, quibus denudata ligni portio cooperitur; & factâ denuo mutuâ anaſtomoſi cum inferiori ſecti corticis labio continuus redditur cortex: rami quoque portio ultra ſectionem ligneo ſuperexcreſcente circulo & involucro, impenſè craſſa protuberat. Denudata verò lignea portio gracilis adhuc ſubſiſtit nullo vigente incremento, quod reliquo quoque ſurculi infra ſectionem contingit. Hinc autem patet,

Succum non tantùm inter corticem & lignum ſurſum repere, ſed etiam in vaſis in ipſa ligni ſubſtantia ſitis aſcendere.

Quandoque dubitavi (inquit D. *Malpighius*) & nos quoque unà, an expoſitus tumor ultra circularem ſectionem in ſuperioribus ramorum partibus excitatus, ab impetu ſucci ſurſum propulſi contingeret: Secto namque cortice per ſolas ligneas fiſtulas aſcendens alimentum quaſi ab anguſto & arcto loco, laxiorem corticis campum ultra ſectionem inveniens ad extra dilatari poſſet; unde hærendo nutritionem in proximis partibus promovere valeret. Quoniam tamen in novellis, præcipuè Quercûs, facta corticis laceratione, ſi exigua rami portio ultra ſectionem circularem ſuperſit, amputatâ ſci. rami extremitate, nullus ferè tumor ſubcreſcit: & in arboribus, in quibus factâ pariter horizontali ſectione, ità tamen ut portio ejuſdem corticis minimi unguis latitudinem æquans adhuc integra ſuperſit, cortice ità continuato; certum eſt nutritionis augmentum ſubſequi in relictâ corticis parte, & in ſuperiori portione: Quare ex his probabiliùs conjeci nutritii ſucci motum à ſuperioribus etiam ad inferiora promoveri. Hactenus Malpighius, cui & nos etiam ſuffragamur, imò ſucci deſcenſum ex ſuperiùs allato experimento, atque etiam ex diſciſſa radice ab utraque parte, tam quæ trunco hæret, quàm quæ in terra reſtat, lachrymante, neceſſariò colligi & concludi opinamur, adeóque ramuli ſupra annulum decorticatum germinationem & augmentum ſucco deſcendenti deberi, qui cùm ulteriùs inferiora verſus ob corticem interruptum motum ſuum continuare nequeat, in corticis & ligni novum involucrum erogatur.

4. Succus non tantùm inter corticem & lignum, ut olim & vulgò creditum eſt, neque inter annuos tantùm ligni circulos ſeu tunicas ſurſum repit, ſed etiam in vaſis in ipſa ligni ſubſtantiâ ſitis, ut modo oſtendimus.

5. Arbores nonnullæ citiùs lachrymare incipient quàm aliæ ejuſdem generis & ætatis: adultiores & majores citiùs perpetuò quàm minores & juniores, & copioſiùs etiam ex æqua inciſione.

6. Arbor quæcunque ex inciſione antequam ſuccus aſcendat facta, cùm idem aſcendere incipiet lachrymabit.

7. Diſſecta particulari aliqua radice, ab utraque parte, hoc eſt, tam ab ea quæ trunco unita manet, quàm ab ea quæ ab eodem ſeparatur; ut mox innuimus, ſuccus exſtillabit, unde etiam conſtat eum ſuſque deque in utramvis partem moveri.

8. Succus è vulnere inflicto in eundem locum aliquandiu deſtillans gelatinam quandam ſeu coagulum albicans paulatim præcipitabit, & copioſius cùm arbor folia explicare incipit. Coagulum hoc videtur eſſe materia ligni.

9. In motu & effluxu ſucci in varii generis arboribus magna eſt differentia. *Acer majus* Autumno etiam poſt delapſa ſtatim folia, & deinceps per totam hyemem idoneâ tempeſtate vulnerata ſuccum extillat: idoneâ inquam tempeſtate, hoc eſt, aeris temperie gelida & leviter pruinoſa. *Acer majus*, *Juglans*, &c. inciſæ aut terebratæ, poſt nocturnum gelu ſplendente Sole, modò frigus non nimiùm vehemens ſit, ſuccum uberrimè manant, non internoctu quidem aut ſummo manè, ſed duabus tribúſve à Solis exortu horis, & circa meridiem maximé. Poſt gelu vehementius & diuturnius, cùm frigus incipit ſe remittere, ſuccus maximâ omnium quantitate effluit, etiam è vulneribus pridem factis, iiſque arboribus quæ vix unquam aliàs vulneranti reſpondent. Quod adeò verum eſt, ut ſi gelu fortè inciderit adulto vere, cùm jam ſuccus extillare deſiit, fluxum denuò repetit, & matutinis ſaltem horis emanat. Gelu ergo modò non ſit valdè vehemens ſucci motum promovet, imò jam ceſſantem revocat: vidimus enim è vulneribus Aceri majori & Juglandi inflictis noctu diúque extillantem liquorem cùm ſtatim poſt egreſſum vi frigoris in ſtirias concreſceret & condenſaretur. Notandum etiam in gelu vehementi, cùm terræ ſuperficies nive obtegeretur, radicem Aceris majoris diſciſſam, è parte terræ hærente uberrimè lachrymâſſe, & copioſiùs

copiosiùs quàm aliàs unquam, cùm tamen ob vim frigoris succus in trunco vel congelatus vel ad motum pigrior redditus incisione facta non efflueret. Unde patet copiosi hujusce effluxûs causam gelu fuisse; an quia superficies terræ constricta vapores ascendere solitos cohiberet & repercuteret: qui exitum non invenientes, paulò infra terræ superficiem constipati, impetu facto in radicis poros irruerent? Verùm (ut verum fatear) in ratione hujus phænomeni reddenda mihimet ipsi non satisfacio: eadem tamen proculdubio est quæ copiosissimæ emanationis fontium vivorum in gelu vehementissimo, quale brumâ præcedenti accidit.

Succi plantarum proprii & specifici plerumque concrescunt vel in gummi, vel in Resinam, vel in mediam quandam naturam inter gummi & resinam.

Gummi quid. *Gummi* est succus concretus qui in aqua facilè dissolvitur, in igne nec liquescit, nec flammam concipit, sed duntaxat crepitat; cujus generis sunt Gummi *Arabicum*, Gummi *Cerasi*, &c. Hoc genus [D. Grevio] nihil aliud est quàm mucilago exsiccata, cujus substantia parum vel nihil olei continet.

Resina quid. *Resina* est liquor pinguis & oleaginosus ex arbore sæpiùs sponte, interdum eâ vulneratâ defluens: Est autem ratione consistentiæ duplex, liquida & sicca. *C. B.* Cùm aquæ paucum, plurimum olei contineat, in aqua non dissolvitur, sed in oleo duntaxat. Hujus generis sunt *Terebinthina*, *Mastiche*, &c.

Medii generis succus inspissatus cum partibus suis oleosis plurimum aquæ admixtum habet; idéoque tam in aqua quàm in oleo dissolvi potest, ut Galbanum, Sagapenum, Ammoniacum, *&c.* Hæc autem nihil aliud initio sunt quàm succi lactei inspissati. Cujuscunque enim plantæ lactescentis succus probè exsiccatus flammam facilè concipit, eámque lucidam & diuturnam emittit, non secus quàm *Terebinthina* aut Pix liquida. Color enim lacteus in plantarum succis ex admixtione partium oleosarum cum aqueis copiosiore oritur. Eadem utique (ut rectè *D. Grevius*) vegetabilium quæ animalium lactis origo & causa est, mixtura nimirum prædicta partium oleosarum cum aqueis per minima, ut vocant. Hinc partes lactis serosæ & oleosæ ab invicem separatæ utræque diaphanæ evadunt. Hinc in destillatione aquæ Anisi aut Cinnamomi *v. g.* qui primò exit spiritus limpidus est & diaphanus, verùm cùm spiritûs pars maxima exhausta est, cúmque residuo aqueæ particulæ ascendunt quæ oleosas secum sursum rapiunt, liquor turbidus & albidus, ac si lacte suffusus esset, evadit.

Color lacteus in succis undè.

CAP. VI.

De annuo trunci incremento.

ARborum & fruticum trunci, indéque emergentes rami, novis quolibet anno additis ligneis involucris augentur. Quolibet enim anno novus fibrarum annulus interiori libro accrescit, & bifariam tandem divisus in diversa discedit, pars exterior cortici adjungitur, interior sensim indurescens ante exactum Autumnum ligni duritiem & soliditatem acquirit, & à cortice abscedens ligno agglutinatur, adeóque truncum auget: *ita ut non rarò oblongam & continuatam fibram, mox in lignum ferruminatam, paullò infra corticis, naturam adhuc servantem animadverterit* D. Malpighius: *unde (inquit) nil mirum si in truncis & ramis arborum, quibus corticis exigua portio detracta est, subjecta lignea pars cortice destituta nunquam incrementum capiat.* Cùm ergo trunci & rami hoc tantùm modo augeantur, hinc olim creditum succum nutritium inter corticem & lignum duntaxat ascendere; quam opinionem erroneam esse superiùs ostendimus.

Circuli hi seu tunicæ ligneæ in arboribus intra tropicos nascentibus omni ex parte æqualiter inter se distant, & medullam pro centro legitimo obtinent, ut in ligno Brasiliano Acanthino dicto observavit * Gassendus, in cæteris verò regionibus vel ad Austrum, vel ad Septentrionem positis meridiem versùs dilatantur, & à parte polum respiciente contrahuntur, adeò ut medullæ respectu habito semper excentrici reperiantur: hinc multi ex hac circulorum positura meridianum invenire docuerunt; & Geoponici peritiores arbores translaturos monent, ut eundem denuò plantatis partium situm respectu plagarum cœli servent quem in priore statione obtinebant.

* *Tom. 2. pag.* 178.

Ex circulorum ligneorum numero trunci vel rami ætas innotescit, siquidem numerus circulorum numerum annorum quos duraverit æquat.

Circuli interiores angustiores sunt quàm exteriores, tum quia cùm planta robustior est copiosius alimentum attrahit & crassiores circulos efformat; tum quia interiores ab exterioribus premuntur & constringuntur, tum denique quia lignum tempore arescit & contrahitur. Hæc de arboribus vegetis & nondum staturam & magnitudinem justam adeptis; nam in annosis & γέρουσι aliter se res habet.

Interiores circuli, dum annis & siccitate contrahuntur, medullam spongiosam magis magísque comprimunt & coarctant donec in quibusdam omnino occultetur & evanescat.

Lignum circulorum interiorum durius est quàm exteriorum, & plerunque colore saturatiore tinctum, nunquam certè dilutiore. Hinc exterior ligni pars à colore Alburnum † Plinio dicitur, nostratibus **The Sap of the Tree.** D. Malpighius fibris & transversalibus utriculorum ordinibus, quibus lignum contexitur, peculiarem affundi succum existimat, cujus corporaturâ & concretione varia firmitas & durities ligno comparatur. Longum tamen (inquit) tempus requiritur, ut recenti ligno talis concilietur soliditas, qualis deprehenditur in præexistente ligno: unde nova inducta lignea additamenta talem duritiem non sortiuntur quam subcrescentia insecta non erodant, sed teredini summè obnoxia sunt. In Quercu octo circulos & involucra alburnum constituere vidi, quare cum aeris & aquæ injuriis cedant, à mechanicis ut inutilia abjiciuntur.

† *lib.* 16. *c.* 38.

Arbores & rami qui in altitudinem per plures annos crescunt in parte superiore pauciores circulos ostendunt quàm in inferiore, exteriores autem circuli utrísque communes sunt, non interiores:

res: exteriores enim interioribus quotannis ſuperinducuntur, unde & interiores qui cacumen non attingunt, ſemper in punctum deſinunt, & ſinguli velut conum concavum efficiunt, ut perſpicuè videre licet in Abietis tabulis per longitudinem arboris ſectis.

Ex comparatione horum circulorum in variis arboribus innoteſcit differentia annui incrementi quarumlibet collatarum. Sic *v. g.* triennale augmentum Quercûs quinquennale ulmi incrementum craſſitudine adæquat. Ex comparatione etiam circulorum annui incrementi in eadem arbore (qui non ſemper æquales ſunt, ſed craſſitie plurimùm differunt, pro anni, ut veriſimile eſt, conſtitutione) colligere licet qualiſnam anni temperies latitudinali arboris cujuſcunque incremento maximè propitia ſit.

CAP. VII.

De Caulium differentiis è Joach. Jungii *Iſagoge Phytoſcopica, additis & mutatis nonnullis.*

CAules multipliciter differunt,

1. Reſpectu Foliorum, Caulis vel eſt *foliis veſtitus*, vel iis omnino deſtitutus, ſive *nudus*. Foliis veſtiti plerique plantarum caules ſunt. Caulis *nudus* vel *abſolutè*, vel *ſecundum quid* nudus eſt. *Abſolutè* nudum dicimus qui nullis omnino foliorum rudimentis donatur, ut *Taraxaci*, *Plantaginis*, *Bellidis*, &c. *Secundùm quid* nudum, qui foliis admodum exilibus, & à caule non ſatis diſtinctis eſt amictus, ut *Tuſſilaginis*, *Petaſitis*, *Dentariæ aphylli*, &c.

Differentiæ caulium foliorum reſpectu.

Caulis foliis *veſtitus* eſt vel *determinatè* vel *indeterminatè* foliatus. *Determinatè foliatus* eſt qui ex certa diſtinctione tantùm folia profert: Ex *unica* quidem in Anemone, Pulſatilla, Herba Paridis, Aconito hyemali: Ex *duabus* in Phthora, Unifolio, Cotyledone altera. *Indeterminatè* foliati ſunt reliqui.

2. Reſpectu ramorum & petiolorum, Caulis eſt vel *ſimplex*, vel in *ramos diviſus*: *Simplex*, ut in Taraxaco, Bellide, Plantagine, Pulſatilla, Anemone, Nymphæa, Biſtorta, Vincetoxico, Pyrola vulgari, *&c.* *Ramoſus* in pleriſque.

Differentiæ caulium ramorum reſpectu.

Inter ſimplicem & ramoſum ambigit caulis in umbellam ſparſus, ut in Primula veris, Auricula urſi. In his tamen caulis petiolis potiùs quàm ramulis eſt diffuſus.

3. Reſpectu ſitûs florum, Caulis vel *determinatus* eſt, vel *indeterminatus*.

Differentiæ foliorum ſitûs reſpectu.

Determinatus eſt qui in extremitatibus ſive faſtigiis ſtipitis flores & ſemina producit, ideóque vel in *capitulum*, vel in *ſpicam* ſive *thyrſum*, vel *paniculam*, vel *umbellam*, vel *corymbum* terminatur.

Capitulum eſt quod conſtat ex pluribus floſculis & ſeminibus arctè in globoſam aut circularem ſive diſci figuram congeſtis, ut in Cyano, Scabioſa, Jacea, Carduis, *&c.* inque Bellide, Chryſanthemo, *&c.*

Capitulum quid.

Spica eſt quod ex floribus & ſeminibus ſpiſſè compoſitum eſt, ità ut conus erectus ſed oblongus ſive admodum acutus inde evadat, ut in Lyſimachia purpurea, Verbaſco, Plantagine, Luteola, Reſeda, Biſtorta, Secali, Hordeo, *&c.*

Spica quid.

Panicula, item *Juba*, eſt ſpica laxè diffuſa, præſertim perpendentibus petiolis, ut in Milio.

Panicula quid.

Umbella eſt extremitas caulis in plures longiores pediculos diviſa, qui in latius continuo radiantur, inque minores diviſi flores ſuſtinent in orbem circumactos: à ſimilitudine umbellæ, quâ mulieres faciem à Sole arcent, dicta.

Umbella quid.

Corymbus eſt extremitas caulis ita ſubdiviſa & floribus aut fructibus onuſta ut ſphærica figura indè oriatur, ut in Hedera arborea, Sambuco aquatica, Cepa, Porro. Corymbus interdum pendulus eſt, ut in Sambuco aquatica, ſeu roſea.

Corymbus quid.

Corymbi nomen latiùs patet, & in genere quodvis ſummum ſignificat. Nam prima notio τῶ κορύμβω eſt, in capite veterum Atticorum, tutulus ſeu meta ſuggeſtûs capillorum, autore Scaligero. Verùm apud Plantarum ſcriptores Corymbi propriè Hederæ racemi appellantur. *Plin. lib.* 16. *cap.* 34. in deſcriptione hederæ ponit, *Racemis in orbem circumactis, qui vocantur Corymbi.* Dioſcorides in capite de Hippophae, *Flores corymbis Hederæ ſimiles*, inquit, *velut racemi cohærentes inter ſe.*

Corymbus etiam aliàs ſumitur apud recentiores Botanicos pro flore compoſito diſcoide, qui in pappum non reſolvitur.

Corymbi alia acceptio.

Caulis *indeterminatus* eſt qui petiolis à latere caulis prognatis flores & ſemen gerit.

Caulis indeterminatus quis.

Ideoque nullum extenſionis habet terminum niſi quem hybernum frigus imponit.

4. Reſpectu *figuræ* Caulis vel *anguloſus* eſt, vel *teres*; & uterque vel *ſolidus*, vel *cavus*.

Differentiæ caulium reſpectu figuræ.

Anguloſus caulis vel *triquetrus* eſt, ut in Cypero & Gramine Cyperoide, Papyro, *&c.* Ad triangulum caulem etiam referri poteſt caulis qui ternis foliorum proceſſibus, præſertim ſpinoſis diſtinguitur, ut Carduus chryſanthemus.

Vel *Quadrangulus*, in Salvia, Mentha, Lamio, Marrubio, Rubia & ſexcentis aliis.

Vel *Quinquangulus* in Campanula, Polyacantha vulgari:

Vel *Sexangulus* in Lyſimachia purpurea trifolia.

Inter angulatos & teretes caules ambigunt ſtriati, ut in Siciliana.

Caulis *teres* ſeu rotundus eſt in Anagallide aquatica, Nummulariâ, & infinitis aliis, præſertim in Bulboſis.

Caulis *inanis* vel totus inanis eſt, vel in nodis ſeu geniculis conſolidatus, ut in Arundine, Frumentis, Graminibus, Fœniculo, Gentiana, *&c.*

5. Tandem Caulis ſitûs reſpectu vel *rectus* eſt, vel *repens*. *Rectus* vel ſuis viribus ſe ſuſtentat; vel adminiculis indiget, quibus vel circumvolvendo ſeſe implicat, ut Lupulus & *Convolvuli*; vel claviculis ſe alligat, ut *Vitis*, *Bryonia alba*, & *Legumina* pleraque; vel foliorum pediculis annectit, ut *Naſturtium Indicum* & *Fumaria*; vel cirris adhæreſcit, ut *Hedera*.

Differentiæ caulium ſitûs reſpectu.

Repens

Repens est quæ horizontaliter extensus ad intervalla folia emittit & radices agit: ut in Fragaria, Pentaphyllo, Ranunculo. Quibus caules hujusmodi sunt Plantas plurium fundorum appellat Jungius. Pleræque autem hujus generis plantæ duûm generum caules emittunt, alterum *erectum*, alterum *repentem*, ut in Fragaria, Bugula, Ranunculo cernitur.

CAP. VIII.

De Gemmis, è Clariss. Malpighii *&* Grevii *præcipuè scriptis.*

GEmmæ dicuntur arborum & fruticum fœtus novelli, quos quotannis Æstate aut Autumno pariunt squamosis tegumentis veluti secundis obvoluti, in quibus per totum hyemem latitant, & vere tandem novo in surculos explicari incipiunt. Hæ (inquit Malpighius) in nostris hisce regionibus circa Junium mensem [serius apud nos in Anglia] è tenello surculo erumpunt, intra folii axillam cubantes. Singulis enim annis è quibuscunque tenellis ramulis novæ emergunt partes, à quibus excoquitur & derivatur non tantùm seminum materia, sed & Spermatica organa. Non enim idem uterus perpetuo viget, & reliquo inservit vegetanti corpori cui appenditur, ut in Animalibus, sed singulus quique ramus anno quo luce fruitur propriis gaudet spermaticis organis, & fœcundus brevi viget, reliquum vero suæ vitæ infœcundum transigit.

Nec surculi tantùm arborum & fruticum, sed & radices quoque herbarum restibiles gemmas quotannis Autumno pariunt.

Gemma cùm sit compendium surculi, seu tenellus surculus cum futurorum foliorum inchoamentis compendio quasi conclusus, iisdem partibus integratur quibus & rami componuntur. Media enim & profunda substantia tenellum est lignum suo cortice circumdatum, fibris ligneis utriculisque medullaribus contextum, & frequentissimè candidis pilis obsitum, à quo hinc indè erumpunt folia, squamatim locata, quorum exteriora quæ protegendæ gemmæ inserviunt, vel temporanea sunt & caduca, vel in alienam degenerant formam, ut multis exemplis ostendit D. Malpighius. Hæc autem (ut ille philosophatur) non tantùm interioribus & conclusis custodiam pariunt, sed contentus ipsorum reliquorúmque succus in propriis utriculis excoquitur, & longa illa [per hyemem] quiete digeritur, donec exaltatus spermatico illo spiritu, ope ambientis aeris, in gemmæ carinam, surculum sci. tenellum revehatur, ut ulteriorem foliorum vegetationem excitet. Unde hujusmodi gemmarum folia non unicam costulam, ut in stabilibus foliis ferè semper miramur per medium productam possident, sed multiplices fasciculi à basi assurgentes in proprios appensos utriculos desinunt. Contabescunt postremò foliola hæc gemmarum, dum gemina uni adstant stabili folio, exhausto jam concocto humore, & tandem concidunt, vel gracilescendo in petioli formam absumuntur.

Non autem una perpetuò est naturæ methodus in augendis gemmarum foliis, ità ut primò caduca erumpant folia, mox stabilia emergant, & tandem adauctis illis ista contabescant & decidant, sed passim in pluribus arboribus gemmarum folia, & præcipuè quæ basin ipsius componunt, mitrali amissâ figurâ, novis mutationibus tandem in stabilia evadant folia, quibus surculus condecoratur.

Naturæ pariter methodus in producendis stabilibus foliis mirabilis est. Primò enim costula seu petiolus, carinæ instar, humore turgidus cum appensis fibrulis manifestatur, à quibus probabiliter sacculorum seu utriculorum transversalium membranulæ pendent, ut in Animalium primæva delineatione observatur. Patent autem deducto novo alimento, quia complicata sacculorum moles subintrante succo turget, & ità folio latitudinem & laxitatem conciliat.

Foliorum stabilium situs intra gemmæ claustra mirabilis pariter est: ità enim ipsorum partes contorquentur & complicantur, ut sibi mutuò adaptata tutò custodiantur & minus occupent spatium.

Sic, exempli causâ, in *Lapatho, Acetosa, Bistorta*, &c. singula folia membraneo tenuique sacculo involvuntur, geminæ pariter foliorum partes convolutæ versus exteriorem partem, minori folio intra proprium sacculum contento locum supra excurrentem costulam parant: quod pariter intra involucrum suum custoditum, eandem suarum partium revolutionem patitur, minúsque adhuc foliolum suo sacculo circundatum supra costulam custodit, & ità usque ad minima, vel si à minimis exordiamur, hæc cum proprio suo velo seu involucro, semper cum folio proximè majori alteri utrisque communi velo includuntur, deinde utraque hæc folia velis suis obtecta unà cum folio proximè majori alteri itidem omnibus communi involucro obteguntur, & ità progrediendo usque ad maxima. Est autem (inquit D. Grevius) regula generalis quam observat natura in gemmis, cùm foliorum pediculi longiores sunt quàm ut folia sibi mutuo commodè obvolvi possint, nec alia specialis tutela providetur, è pediculorum basi membranas latas extendere, velut stragula foliis protegendis, interdum binas, interdum singulas.

Varios autem modos quibus natura folia tenella complicat, ut in gemmæ angustias coerceantur, pro uniuscujusque certè figura & compositione commodissimos, vide apud Grevium lib. de *Anatome Plantarum*, cap. 4. itemque lib. 4. de *Anat. Foliorum* cap. 1.

Gemmarum duo sunt genera, aliæ folia tantùm intra se continent, & in surculos foliosos explicantur, aliæ etiam floribus prægnantes sunt, quæ facilè ab illis veris initio magnitudine sua discernuntur.

Flores autem omnes, (observante *Grevio*) non secus quàm surculi perfectè formantur omnibus suis partibus absolutis tribus aut quatuor mensibus, & interdum dimidio anno, aut etiam ampliùs antequam in lucem & conspectum prodeunt: Adeò ut perennium herbarum omniúmque in genere Arborum & Fruticum, qui censentur anni cujuscunque flores, anni illius revera non sint, sed diu antea extiterunt, præcedenti sci. anno integram omnium partium formam & dispositionem adepti: ut singularum gemmas dissecando patebit. Sic flos *Mezerei v. g.* qui Januario mense interdum aperitur, circa medium Augustum anni præcedentis integrè formabatur: quo tempore foliis gemmæ viridibus cautè detractis floris petala ejusdémque apices, seminis conceptaculum cingentes

gentes, perspicillo etiam mediocri clarè & distinctè visibilia redduntur. Alia exempla adducit laudatus Autor quæ apud ipsum vide. Tempus autem quo Flos generatur seu formatur à nemine ante se observatum miratur. Invenio tamen in Lunaria min. tempus illud ab oculatissimo F. Columna observatum. In hac specie (inquit) omnes plantæ in imo petiolo supra radicem folliculum quendam habent, veluti Ari florem exiguum, in quo plantulam exiguam, veluti fœtum complicatum extare vidi, intra folliculum, uteri vicem gerentem integram, foliosum tantùm quæ racemo vidua erat, post annum proferendam, & quæ racemosa cum ipso exiguo sed integro racemo convolutam. Et hoc mirum Naturæ institutum. Alias plantas simili modo infra terram uterum gerere agnovimus & suo tempore proferre, sed non anno integro, & forsan non medio, verùm à nova radicis ipsius extumescentia, ut in bulbosis quibusdam, in quibus intra bulbum ipsum spicatum cauliculum observavimus, suo tempore proferendum.

Cap. IX.

De Foliis Plantarum è Joach. Jungii *&* *aliorum scriptis.*

F*Olium*, definiente * Jungio, est quod à sede cui adhæret ità in longitudinem & latitudinem extenditur, ut tertiæ dimensionis termini inter se differant, hoc est, superficies folii interna ab externa.

* *In Isag. Phytoscop.*

Superficies folii interna, quæ & superior, item supina dicitur, est quæ caulem respicit, ideoque vel cavitatis aliquid obtinet, vel saltem minùs convexa est quàm altera exterior, sive inferior sive prona superficies.

Folium aliud est *simplex*, aliud *compositum*.

Folium compositum quid.

Folium *compositum* est quod ex petiolo sive nervo, sive costa, & lobis vel laciniis [potius quàm, ut vult Jungius, simplicibus foliis] constat. Totum enim illud, ut Theophrastus nos docuit, quod cum petiolo decidere solet, folium appellari debet, ut in *Juglande, Fraxino, Sorbo,* &c. Partes autem illæ, quæ in multis folia videntur distincta, lobi sunt & laciniæ, non propriè folia.

Petiolus quid.

Petiolus sive pediculus folii pars est in longitudinem extensa, quæ folium sustinet & cauli connectit. *Petiolus* strictè dictus à caule usque ad folii initium intelligitur; id quod inter folia est *nervus* sæpiùs aut *costa* dicitur.

Folium compositum, dividente Jungio, est vel *digitatum*, vel *pennatum*, vel *triangulatum.*

Folium *digitatum* est ubi plures laciniæ, [seu plura simplicia folia Jungio] quasi ad unum petioli punctum sive terminum aptatæ sunt, ut in *Trifoliis & Pentaphyllis, Fragaria, Lupino, Cannabe, Vitice,* &c.

Folium *pennatum* est in quo bini lobi [Jungio folia] è regione sibi ad idem quasi costæ punctum sive ad eandem costæ distinctionem opponuntur. [*Lobi non semper sibi mutuo directè opponuntur in hujusmodi foliis, ut in multis Filicum speciebus aliisque observavimus.*] Hoc genus folia sunt vel *pariter*, vel *impariter* pennata. *Pariter* pennata, ut in Faba, Vicia, Piso, *&c.* [Una arbor Lentiscus pariter pennata folia obtinet.] *Impariter* pennata, ubi ultimus costæ terminus singulari folio clauditur, quod imparem loborum numerum tribuit, ut in Rosa, Juglande, Fraxino, Potentilla, Sorbo, *&c.* Folium pennatum porro vel est *uniforme*, vel *difforme*. *Uniforme*, si lobi circa eandem costam hærentia magnitudine ferè æqualia sint. *Difforme*, si majoribus minora sint interposita, ut in Ulmaria, Agrimonia, Filipendula.

Folium *triangulatum* est cujus costa ità ramosa est ut bini rami ex eadem distinctione sibi primariò oppositi in tot ramos findantur quot reliqua exterior costæ primariæ portio obtinet, dicitur etiam ala foliosa sive folium ramosum. Hæc *Jungius*. Verùm nos cum oculatissimo F. Columna Lynceo Folium compositum malumus dividere in 1. *digitatum* seu circumscriptione rotundum & ad pediculum usque incisum: 2. *pennatum* seu πτεροειδῆ & 3. *multifidum* seu πολυσχιδῆ *h. e.* in plures lobos seu lacinias dissectum. In hoc autem genere quæ latos habent lobos seu lacinias folia πλατυπολυσχιδῆ, ut Apii, Cicutæ, Angelicæ, Sphondylii & similium; quæ verò angustioribus lobis seu segmentis dividuntur, λεπτοπολυσχιδῆ dici possunt, ut Ligustici, Thapsiæ, Rutæ, *&c.* quæ denique in capillares omnino lacinias dividuntur, τριχοειδῆ merito appellantur, ut Ferulacea, Ammi, Millefolii, Fœniculi & similium.


Folium simplex est quod non dividitur in lobos seu lacinias disjunctas. Estque margine vel integro vel scisso, vel sinuato vel sine sinubus, denique vel planum, vel concavum. Sin dichotomian observare malumus Folium simplex dividi potest in planum & teres, teres autem in farctum & concavum seu fistulosum: *Planum* in *margine* integro & *æquali* donatum, & *margine inæquali*, eóque vel *sinuato* vel *scisso*. Folium sinuatum est vel angulosum vel absque angulis.

Angulatum folium inter integri & scissi marginis folium quasi ambigit, ut Hederæ adultæ, Bryoniæ: Absque angulis, ut Smilacis asperæ.

Scissi marginis folium est vel laciniatum, vel serratum sive crenatum, vel dentatum [denticulatum.]

Lacinia est portio folii inter fissuras (fissura est profundior scissura) inclusa.

Folium teres est vel farctum, ut in Juncis; vel fistulosum & intus vacuum, ut in Cepa: in his autem infima pars & cauli proxima plana est.



Possunt etiam folia aliter multis modis dividi, ut v. g.

1. Respectu Superficiei, in 1. Lævia à Græcis λεῖα dicta, qualia sunt Betæ, Lapathi, &c. 2. Hirsuta seu lanuginosa & tomentosa, [δασέα] ut sunt Verbasci, Lychnidis, &c. 3. Aspera [τραχέα] qualia obtinent Buglossum, Echium, &c. 4. Aculeata vel spinosa [ἀκανθώδη] ut Carduorum, Agrifolii, &c. An dentur plantæ quæ spinam pro folio habent dubito; Scorpius certè præter spinas folia etiam habet.

2. Respectu Figuræ & circumscriptionis, in rotunda & longa, triquetra, teretia, &c.

3. Respectu Quantitatis, in magna & parva, lata & angusta, longa & brevia, crassa & tenuia.

4. Respectu Coloris, in viridia, ut sunt major pars foliorum tam herbarum quàm arborum, in luteum languentia, obscurè virentia, ad cœruleum vergentia, candida & incana, rubentia, maculosa, striata, &c.

5. Respectu Durationis, in perpetua seu diuturna, & decidua.

6. Respectu Situs & ortus, in ea quæ ordinatè caulem cingunt, nimirum è singulis geniculis seu caulis distinctionibus vel *bina* prodeunt, ut in Salvia, Urtica & aliis quamplurimis.

Notand. *Plantas quadrato caule præditas omnes conjugatim & bijugo ordine, & quidem alternatim proferre folia; itemque ramos ex aliis, sive sinubus, sive angulis quos folia & pediculis folii cum caule constituit.*

Alternatim pronasci dicuntur folia, aut germina, aut rami petiolive, si superioris paris oppositio decusset aut quasi ad angulos rectos secet inferioris paris oppositionem.

Multa etiam plantæ teretis & non quadrati caulis bijuga habent folia, ut Bugula, Brunella, &c. Vel *terna*, ut in Lysimachia lutea, cærulea, purpurea; vel *quaterna*, ut in Cruciata; vel *sena* aut plura, ut in Gallio, Rupia, Aparine, &c. vel inordinatè & singula hærent: quamvis, inquit Columna, nec ista tam inordinata dici possunt, ut non aliquo numero, quino, aut majore vel minore in circuitu ramuli ordinem aliquem observent, ut in Vermicularia, Tithymalo & similibus.

Partes folium integrantes. Quod ad partes folium componentes attinet, sciendum est easdem illas esse quibus truncus integratur, nimirum fibras ligneas seu lymphæ-ductus; vasa succum specificum deferentia, tracheas; utriculos fibrarum reticulariter contextarum spatia replentes; & cuticulam. Sciendum enim est, folii petiolum fistulis ligneis unà cum tracheis & vase peculiari à tenelli surculi profundiore ligno seu intimioribus fistulis fibrísve ad extra continuatâ substantiâ derivatis, & in fasciculum collectis componi. Enascitur autem è tenello surculo & nunquam ab antiquioribus ramis aut trunco ipso, nisi medio gemmæ surculo. Petiolus velut peculiaris caudex in ramos & surculos scinditur. Frequenter per longum excurrens sub costulæ specie hinc inde promit ramulos, qui tandem in reticulares plexus desinunt. In aliis autem foliis petiolus statim ac latitudinem attingit scinditur in minores ramos, conspicuos tamen, qui quasi ab uno exorti umbilico alios minores producunt, ut in Hedera aliisque apparet. Notandum fibras petiolum componentes, initio antequam pediculum ingrediantur reticulari opere implicari, ut mos est Naturæ.

Petiolo appenditur folium dilatatum, cujus præcipua pars occupatur à costulis seu nervis vario ritu productis. Fibræ etenim ligneæ unà cum tracheis & peculiari vase conglomeratæ, à petiolo excedentes, velut minima arbor hinc inde disperguntur, & solvuntur in ramulos, & hi denuo ulteriore divisione in surculos, qui sibi mutuò occurrentes & unitæ in reticulares plexus contexuntur, qui in plerisque foliis consumptâ utràque cuticulâ emergunt, in Salviæ autem & similium foliis etiam virentibus, aversâ præsertim parte, conspicui sunt.

Vasa Succifera peculiaria dari probatur. Fistulas & tracheas concomitari peculiaria vasa, quæ concoctum succum continent, humoris eruptione patet, qui cùm alieno pollet colore, vel crassiore constat substantiâ facilè in conspectum se dat. Sic in sectis foliis Tithymali, Cichorii & similium lac emergit, in Chelidonio subluteus humor: in reliquis autem herbarum & arborum foliis, quia limpidus aut aquosus humor est, nullam sui exhibet notam, cum tamen adesse analogia evincit.

Utriculi quales. Reticularium plexuum maculas seu areas utriculorum series à costulis emanantes & quasi ab ipsis pendentes replent, unde foliorum crassities consurgit. Hi autem utriculi ex contenti succi natura, mutuâ compressione vel laxitate varias subeunt in exteriori regione formas, unde quasi cæcales aut vermiculares vesiculæ contortæ apparent: Interdum angulis scatent, & frequenter irregulariter terminantur.

Inter utriculos & fibrosum rete in plerisque foliis peculiares folliculi seu loculi disperguntur, qui patenti hiatu foràs vel halitum vel humorem fundunt. Horum descriptionem in plantis aliquot peculiaribus unà cùm succo quem continent vide apud * *Malpighium.*

** Anat. Plant. pag. 37.*

Has omnes partes quibus folia coagmentantur levis superextensa cuticula seu epidermis obducit, quæ subjectorum colorem refert, ipsáque contenta investit & custodit.

Foliorum extremus unguis seu margo quasi zonâ seu crassiore lineâ circundatur. Hæc in aliquibus solæ membranæ esse videtur, quibus hinc indè tegitur folium exiguis interceptis utriculis, unde facilè à lumine pervaditur & diaphana fit. In aliis hujusmodi zona crassior est, & exteriùs oblongis cooperitur utriculis, interiùs verò ligneæ fibræ reliquis continuatæ excurrunt. *Malpig.*

In laciniarum apice in quas folia dissecantur dum tenella adhuc vegetant papillæ & utriculi quidam eminent diversos continentes succos. *Malpigh.*

Plantarum ferè omnium, paucis admodum exceptis, Atriplicibus v. g. & Amarantis nonnullis, folia postquam explicantur, Herbarum etiam caules colore viridi imbuuntur: cujus coloris quæ causa sit ambigitur. Plerique rei naturalis scriptores aeri eum ascribunt, nec præter rationem. Nam non tantum radices Plantarum in terra latitantes albæ plerumque sunt, nunquam certe virides, sed & folia aere excluso, ejúsve appulsu prohibito, albescunt, ut in *Brassicis* & *Lactucis capitatis* videmus, quarum interiora folia exterioribus obvoluta, & liberi aeris usurâ privata colorem album contrahunt. Deinde ad *Lactucam*, Endiviam, Cichoreum, Myrrhidem, Apium dulce, aliáque olera dealbanda pro Acetariis, vel ligamentis quibusdam folia vinciunt, vel terrâ obruunt, vel alio quodam artificio aeris appulsum arcent. Quin & plantæ in conclavi undique occluso satæ folia in luteum colorem languent, eò pallidiorem quo aeris externi ingressus diligentiùs prohibetur.

Aliud

Aliud adhuc experimentum ad hanc opinionem confirmandam producit D. *Grevius*: nimirum quòd in caulibus Althææ & aliarum quarundam plantarum transversim dissectis, quamvis corticis parenchyma album sit, vasa tamen succifera parenchymate inclusa non minùs virent quàm cuticula ipsa; nimirum quia tracheis seu vasis aerem deferentibus proxima & contigua sunt, cùm parenchyma ab aere externo cuticulâ intercluditur, ab interno vasis succiferis interpositis.

Quòd plantæ Aerem liberum & apricum affectent luculento experimento ostendit * D. *Sharrocus*. Plantam tenellam è semine ortam, fictili exceptam in Fenestra collocavit, cui unica vitri quo obturata erat quadra deerat. Plantula quæ aliter sursum succreverat, relictâ hac directione, illico se inclinans versùs foramen rectà tendit, situ ad superficiem terræ in fictili propemodum depresso & ferè parallelo: Deinde fictili converso ita ut inclinatio caulis à foramine aversa aliorsum spectaret; plantula caule reflexo & in formam literæ C incurvato, ad foramen iterum se direxit; mutato denuo fictilis situ, & superiore curvaturæ cornu à foramine averso, caulis pariter summa pars directionem suam mutavit, & versùs patentem quadram sese retroflexit, & in literæ S figuram incurvavit; & interdum animi causâ ut admirationem excitaret, amicos aut adstantes rogavit ut dicerent versus quam partem vellent ut planta crescendo tenderet, eámque notâ aliquâ in margine fictilis signarent; quod cum fecissent parte illa fictilis fænestræ foramini obversâ, intra paucas horas, sponte suâ, nullâ vi adhibitâ planta illa caulem suum illorsum inclinavit.

* *Lib. de Histor. propagationis Vegetabilium.*

Nobis tamen non tam aer quàm lumen, luminisve actio coloris in plantarum foliis viridis causa esse videtur. Nam externo Aere excluso plantæ tamen nonnullæ viridem utcunque colorem acquirunt & retinent, ut in vitreis operculis seu campanis tegi solitis cernitur, ut v. g. Plantâ mimosâ humili nostratibus dictâ, quæ ob cœli nostri frigiditatem aeris externi appulsum non patitur, sed perpetuò tegi postulat, & tamen colore viridi tingitur. Vitrum autem quamvis lumen admittat, aerem excludit. Unde colligimus luminis actionem causam viroris esse. Eædem enim plantæ vase opaco tectæ haud dubiè pro viridi pallidum induerent colorem, ut in conclavi clausis contingit. Nec tamen adeo lætè virere puto plantas vitreo operculo tectas ac aeri libero expositas, quoniam vitrum quamvis radios aliquos luminis transmittit, alios tamen intercipit & reflectit, nec enim aliter visibile esset. Quinetiam aqua vel aerem excludit, vel modicâ admodum quantitate intra poros suos admittit, & tamen plantæ ei immersæ virescunt, quod nobis luminis potiùs actioni tribuendum videtur, quàm (ut *D. Grevius* opinatur) aeri interno radicibus excepto. Verùm quicquid sit de lumine ejusque actione, nec enim huic sententiæ mordicùs adhæremus, certissimum est ad virorem inducendum non sufficere aerem conclusum & stagnantem, sed liberum & apertum requiri: unde in sylvis etiam opacis nascentes herbæ dilutiùs virent, quàm in locis apricis & solaribus radiis expositis. Nec tamen omnibus plantarum partibus colorem hunc conciliat sive aer, sive lumen, sed tantùm ritè præparatis & dispositis ad actionem suam excipiendam: Fieri etiam posse non negamus ut Aer salinas aliquas particulas plantæ succo communicet, quæ eum in viridem colorem mutent. Unusquisque quod sibi verisimillimum videtur sequatur. Ad hunc autem colorem inducendum non requiritur calor, sed potiùs frigus moderatum: Aer enim in conclavi occluso calidior est quàm sub dio, ut patet ex celeri & immodico in longitudinem auctu plantarum inibi ex semine nascentium: vidimus enim ejusmodi in locis plantulæ semipalis scapum in semipedalem ferè longitudinem excrescentem subtus folia seminalia, seu antequam folia explicaret. Quin inclinationem prædictam caulis ad foramen in fenestra relictum indè ortam putamus, quòd Aer externus in foramen irruens & parti caulis eidem obversæ occurrens, frigore suo poros ex ea parte constringeret, adeóque caulem illorsum incurvari faceret.

Quis foliorum usus sit, quodnam officium quæritur. Cæsalpinus hujus gratiâ folia data existimat ut tenerum germen (quod tanquam manibus invicem superpositis circumplectuntur) tueantur, vel etiam fructum, ubi fructus erumpit cum germine. Postquam verò eadem explicata sunt, germine adultiore, alium usum præstare videntur, umbram scilicet, nè à Sole nimis urantur tum fructus, tum novella germina; moderatos enim Solis radios utraque desiderant, quod foliorum positione & formâ præstatur, illos partim transmittentium partim retinentium. Ideo plurimis in Autumno decidunt folia perfectis fructibus & germinibus induratis. Ferunt autem in regione fervente, ubi perpetui ferè sunt æstus, nullis arboribus folia decidere, quod rectâ ratione fit: egent enim plantæ perpetuâ inibi foliorum operâ ad umbram faciendam. *Cæsalp.*

Clarissimus *Malpighius* alium præterea usum plantæ præstare folia existimat. A natura, inquit, fabrefacta videntur ut coctioni alimenti inserviant. Nutritii namque succi portio quæ radices subingreditur, nec in appensas transversales stirias derivatur, postremò à ligneis fistulis in folia exoneratur; ideò necesse est, ut in ipsorum quasi transversalibus utriculis moram trahat, & antiquo succo commisceatur & fermentetur, juvante non parùm externo ambientis aeris calore, ut faciliùs inutilia transpirata evolent. Dari autem hujusmodi concoctionem in foliis, seminalis plantulæ structura indicare videtur. Hæc geminis plerumque constat foliis, quæ propriis vasculis & utriculis succo turgidis ditantur, ut mole suâ reliquum plantulæ superent. In germinatione verò soluti & turgidi hujusmodi plantulæ humores advenientem succum fermentant & antiquum augent, ità ut in ampla folia extendantur, ut patet in *Endivia, Peponibus & Cucurbita*, cujus seminalia folia in tantam excrescunt molem ut vix credibile sit, & ablatâ cuticulâ series pendentium utriculorum tam manifestò exhibentur, ut evidenter pateat folia hujusmodi conditoria esse seu penu concreti succi. Quoniam tamen sensim, vegetante radicis trunco & plantulæ germine, contabescere incipiunt hujusmodi folia, hinc constat à foliis in caulem & caudicem regressum esse concocti succi, & quasi peculiarem circulationem. Remittunt itaque & *folia* probabiliter concoctum succum, ipsúmque in annotino & novello surculo, cui adnascuntur, congregant, ut in tenellam gemmam absumatur. Etenim non longè ab insertione & folii eruptione gemma post aliquod tempus succrescit; & maturatus per longum tempus in surculo coercitus humor, advenientis veris ope refermentatus, in gemmæ fœtum absumitur, & nutritionem inchoat: Unde videtur nulla succrescere, ut plurimùm gemma quam non antecedat & successivè alat folium.

Idem ministerium præstant probabiliter folia seminibus, &c. Corruptis singulis annis minimis meatulis, exhaustóque antiquo succo, cùm folia ampliùs naturæ nequaquam inserviant, abjiciuntur, novumque organum formatur: & quibus in plantis folia adhuc virent, novis tamen æstate germinantibus gemmis antiqua marasmo confecta collabuntur. Hæc omnia D. Malpighius, quæ & nobis probantur.

CAP. X.

De Floribus Plantarum, & primò de eorum partibus.

FLos, definiente *Jungio*, est pars plantæ tenuior, colore vel figurâ, vel utroque insignis, rudimento fructûs cohærens. Hæc definitio, vel ipso Jungio fatente, nimis angusta est: nec enim omnis flos rudimento fructûs cohæret: nam in *frumento Indico Maiz* dicto, *Palma Christi* seu *Ricino*, *Bardana minore* seu *Xanthio*, *Heliotropio tricocco*, *Lachryma Jobi*, *Ambrosia*, à fructu aliquantulum removetur. Nec in herbis tantùm sed & in arboribus ut v. g. *Juglande*, *Corylo*, *Quercu*, *&c.* dantur flores amentacei à fructu disjuncti.

Quinimo non in eadem tantùm planta florem à fructu removit natura, sed etiam in eadem specie flores & fructus totis individuis discrevit, ità ut quæ flores ferrent, infœcundæ & steriles essent, quæ fœcundæ, flores non producerent: Has in eadem specie sexu differre volunt Botanici, & fertiles fœminas, steriles mares appellant. Præterea in plurimis plantarum speciebus, in quibus etiam flores fructibus cohærent, dantur plurimi flores inutiles, hoc est, quibus nullus fructus semenve succedit, ut in Pomiferis, *Pepone*, *Cucurbitâ*, *Melone*, *&c.* inque *Malo* & *Pyro* manifestè cernitur.

Rectiùs ergo meâ sententiâ definitur *flos*, Pars plantæ tenuior & fugax, colore vel figurâ vel utroque insignis, fructui prævia, eíque plurimùm cohærens & tenello tegendo fovendóque inserviens, quæ postquam explicatur brevi aut decidit aut marcescit.

Fructui prævii dici possunt etiam flores inutiles & amentacei, quamvis eidem contigui non sint, quoniam plerunque aut decidunt aut marcescunt antequam fructus maturescit.

Partes floris sunt. 1. *Calyx* sive *Perianthium*, quod tamen nonnullis adjunctum potiùs quam pars floris censetur. 2. *Folia* illa *tenella* & *fugacia*, quæ nos ad Homonymiam vitandam cum Columna *petala* appellare solemus. 3. *Stamina*: & 4. *Stylus*.

Flores *perfecti* dicuntur qui omnibus hisce partibus donati sunt: *imperfecti*, qui harum partium aliquâ carent. Nos tamen in hoc opere florem *perfectum* vocamus quicunque petalis seu foliis fugacibus coloratis constat, sive calycem habeat, ut plerique, sive non, ut *Calthæ palustris*, *Anemones* & bulbosarum nonnullarum flores; *imperfectum* qui apetalos est, seu foliis illis fugacibus, coloratis caret: Hunc etiam stamineum vocamus, quia staminibus & calyce duntaxat constat. Sub staminibus etiam stylum comprehendimus quo paucissimi flores carent.

CALYX. *Calyx* est qui florem tegit & sustentat, ejusque velut basis & fulcimentum est, ideóque crassior est & minùs insignis flore ipso. Oritur autem ex exteriore surculi cortice, ideoq; (inquit Cæsalpinus) herbacei coloris est, nec decidit cum flore. Verùm ex nostra observatione in nonnullis plantarum generibus vel unà cum flore decidit, ut in *Ranunculo* & *Lysimachia siliquosa*; vel etiam ante florem, ut in *Papavere*.

Calyces seu Perianthia in nonnullis plantis, tum colore, tum consistentiâ, tenella florum petala proximè referunt, distinguuntur quòd non defluant aut marcescant antequam semina maturescant, verùm ipsis pro vasculis inserviant. Hujusmodi sunt *Fegopyri*, *Potamogitonis angustifolii*, *Bistortæ*, &c. florum calyces. Calyces enim voco quantumvis coloratas has partes, quia nec deciduæ sunt, nec fugaces.

PETALA. *Petala* seu floris folia sunt laminæ illæ tenellæ, colore insignes & fugaces. Ad petalum enim constituendum duæ hæ conditiones concurrant oportet: 1. Ut sit tenue & colore insigne: 2. ut sit fugax & caducum: adeò ut siqua pars plantæ harum conditionum alterutrâ careat, quamvis alteram habeat, petalum dicenda non sit. Ob defectum primæ conditionis Ranunculi & Papaveris calyces quamvis decidui pro petalis non sunt habendi: ob secundæ carentiam Bistortæ & Persicariæ supradicti calyces à petalorum numero excluduntur.

Quod ad petalorum texturam & compositionem attinet, Interioris cauliculi seu ligni (docente * Malpighio) substantia, fistulæ scil. & tracheæ extenduntur & elongantur in floris folia, quæ omni vasorum genere instructa pendentibus utriculorum seriebus integrantur. Hæc tenui halituosóque turgent succo, unde incisuras non patiuntur: ob humoris etenim benignitatem & ductilitatem utriculorum ordines extenduntur usque ad extremum unguem, & ut plurimùm vasa non ab una excedunt costula, sed copiosi fasciculi à basi exurgunt, & productis ramis in omnem dimensionem elongantur. Quod ad colores, excepto nigro & viridi, omnes in floribus spectantur.

* *Anat. Plan. p.* 55.

STAMINA. *Stamina* seu capillamenta, describente * Spigelio, sunt in floris medio, quod umbilicus appellatur, partes oblongæ, tenues, veluti capillamenta, interdum paulò crassiores, paulò prominentes in summitate, apicibus frequenter præditæ, quæ stylum partem similiter oblongam sed crassiorem atque è centro umbilici emergentem ambiunt.

* *Isag. ad rem Herbariam.*

Stamina pediculo constant & capitulo seu apice.

Pediculi staminum plerunque liberi sunt, & in quamplurimis plantis à fundo floris seu dilatatâ petioli substantiâ (ut cum D. Malpighio loquar) oriuntur: in Digitali & plerisque omnibus tubulosa petala habentibus (ut galeatis & labiatis) ab interioris superficiei petali ima parte erumpunt, interdum toti eidem affixi sunt seu cohærent, ut in *Symphyto majore*, *Lithospermo*, *Polygonato*, *&c.*

Differentias staminum Jungius sic * persequitur.

* *Isag. Phyto-scop. c.* 20.

Pediculi staminum liberi plerunque teretes sunt, raro latiusculi ut in *ornithogalis*.

Pediculus teres vel tenuis est, vel crassiusculus.

Pediculus

Pediculus item, alius curvus est, ut in galeatis floribus in quibus sub galea latentia stamina curvaturam ejus imitantur, ut in Salvia, Lamio, Sclaræa: & in Papilionaceis in quibus latent in inferiore carina sursum recurva.

Staminum pediculi porro plerunque glabri sunt, interdum hirsuti; ut in *Blattaria.*

Stamina ferè semper inter se æqualia sunt, interdum inæqualia, ut in Napello, Colutea, Scorpioide, &c.

Staminum pediculi ferè semper simplices sunt, in Lauro ramosi.

Staminum numerus plerunque foliis aut laciniis ambitus respondet, ità ut aut æqualis sit, aut multiplus, aut submultiplus. Sic in *Rutæ* flore 4 petala sunt, 8 stamina; in Cervicariæ flore campaniformi 5 laciniæ seu cuspides intus in fundo 5 stamina; in Iride 9 folia, 3 stamina; in Gladiolo Ital. 3 stamina, folia 6.

Sunt autem flores tam copiosa habentes stamina, ut eorum numerus non facilè possit iniri, staminosi idcirco dicendi; ut Ranunculo, Papavere, &c.

Capitula sive cacuminula staminibus incumbentia *Apices* dicuntur; Malpighio staminum capsulæ. Hæc diversimode colorantur & figurantur, frequenter tamen lutea aut crocea sunt, interdum nigricant, aliàs albescunt; observavimus etiam purpureo aut rubente colore conspicua, quamvis rariùs, ut v. g. in Hepaticæ trifoliæ specie illa, quam Parkinsonus albam staminibus rubris appellat, Gramine leucanthemo minore, Alsine pulchro flore, folio tenuissimo nostrate, aliisque quæ non occurrunt memoriæ: ideóque securè nimis * affirmat Grevius, Apicum colorem nunquam rubrum esse; quicunque tandem floris petalorum color sit, intus non rarò concava sunt, & globulorum congeriem continent.

APICES.

* *De florum Anat. cap. c.3. & 5.*

Eadem vel ex medio longitudinis suæ aptata sunt pediculo vel quasi medio, rariùs extremo, ut in *Tulipis, Iridibus, &c.*

Staminum capitula plerunque ità sita sunt, ut longitudo cujusque ad longitudinem pediculi sui sit transversa, hoc est, angulos cum ea vel rectos, vel obliquos constituat. Est & ubi longitudo capituli longitudini pediculi in directum quasi sita est, ut in *Tulipis:* imò sunt flores in quibus staminum capitula pediculis directim sita, lateribus inter se coeant, ut fistulam quandam constituant, in qua stylus ità includatur, ut extimâ tantùm parte promineat, ut in Boragine, Solano, Dulcamara. Denique in omnibus flosculis capitula florea constituentibus, ut in Eupatorio cannabino vulgari, Agerato, Centaurio majore, Scabiosis, Cyanis, Jaceis, Carduis; item in flosculis discos floreos constituentibus, ut in Flore Solis, Helenio, Ptarmica, Millefolio, Tanaceto, Acanthio loco staminum est foliolum aliquod oblongum, fronte in aliquot quasi staminum petiolos scissâ, quod complicatum fistulæ instar stylum involvit. D. Malpighius accuratiùs, tubum hunc efformari ait petiolis quinque ab interiori floris substantia sursum productis & unitis, qui etiam in capite laciniatur, in nonnullis.

Hæ staminum partes, pediculus nimirum & appensa capsula (autore Malpighio) ligneis fibris & tracheis integrantur singulæ, quibus utriculi per longum locati adduntur. Quare cùm in galeatis & quibusdam etiam aliis ab elongatis floralibus foliis producantur, iisdem etiam particulis necessariò componuntur.

Quis harum partium usus sit ambigitur: nonnulli ornatûs tantùm gratiâ floribus concessas putant: alii ad materiam generationi seminum incongruam eliminandam, ut residua purior & defæcatior evadat: adeóque velut emunctoria quædam esse, per quæ determinata quædam succi portio excernitur, nimirum aerea, ut semen oleosius reddatur, ejusque principia fixiora. Hinc (inquit *Malpighius*) fortasse non incongruè derivato nomine, *menstruæ purgationes*, quæ in mulieribus conceptionis tempora proximè antecedunt, *flores* dicuntur: nam ut in plantis determinata succi portio per stamina & floris petala excernitur, ità in viviparis, quæ conceptûs particulas quoquo modo inficere possunt, singulo mense cribratæ per uterum foràs protruduntur, ut reliquum defæcati sanguinis in utero stagnantis, faciliùs vi seminis fœcundetur, & in animalis naturam dirigatur.

Grevius noster non hunc tantùm usum stamina præstare opinatur, sed & pollinem illum seu globulos quibus apices prægnantes sunt, quósque per maturitatem effundunt, spermatis masculini instar seminibus fœcundandis inservire existimat; ac proinde maximam plantarum partem utriusque sexûs participem esse. Quod non adeò incredibile videri debet, cum & in Animalium genere nonnulla androgyna observantur, ut v. g. Cochleæ terrestres; quamvis quidem in seipsis non generent, quo à plantis differunt. Nec obstat, quòd particulæ hæ (si modò sperma sint aut spermati analogæ) in uterum aut semina non penetrent, nam & in piscibus externè tantùm ovis jam editis inspergitur genitura, nec in ullo animalium genere, quod sciam, ovarium intrat, at nè uterum quidem ipsum in plerisque, sed solus ejus halitus & effluvia subtilia sufficiunt ad ova fœcundanda, & embryon intus conclusum vivificandum.

Hæc si ità sint, non similitudine aliqua duntaxat, sed revera & strictè loquendo sexu differunt plantæ illæ, quarum aliæ semen absque flore, aliæ [ab ejusdem plantæ semine ortæ] florem absque semine producunt. Tales sunt in Arborum genere *Palma dactylifera*, *Salices* pleræque ex nostra observatione, & secundùm Plinium etiam *Cedrus major*: in Herbarum, *Lupulus salictarius*, *Cannabis*, *Cynocrambe*, *Mercurialis*, *Phyllon*, *Urtica*, *Spinachia*, *Sesamoides* Clusii, aliáque non pauca.

D. *Grevii* sententiam magnopere confirmant, quæ de Palma dactylifera à * Veteribus & Recentioribus traduntur, nimirum fœminas non omnino fructificare, nisi mas juxta ipsas consitus fuerit: quin & pulverem maris fœminæ aspersum eam fœcundiorem reddere. Ni enim Ægyptii hoc fecerint (inquit Prosper * Alpinus) sine dubio fœminæ vel nullos fructus ferent, vel quos ferent non retinebunt, neque hi maturescent. At inquies in arenosis & desertis, ubi nemo maris pulverem seu pollinem florum fœmineo fœtui aspergit, fœminæ nihilominus fœcundæ sunt. Immo verò ventorum beneficio, qui pulverem marium fœminis afflant.

* *Plin. Hist. Nat. lib. 13. c. 4*

* *Lib. de Plantis Ægyptiacis.*

Cæterum rectè à D. *Grevio* observatum, globulos hosce seu particulas seminiformes apicum thecis inclusas, illud ipsum corpus esse quod Apes colligunt & femoribus appensum gestant, quod nostrates *panem Apum* vocant, quod etiam in cellulas unà cum melle recondunt. Ceram enim ore domum portant, mel ventriculo.

Opinio autem hæc de usu pollinis prædicti ulteriori adhuc confirmatione indiget; nos ut verisimilem tantùm admittimus.

STYLUS. *Stylus* est pars floris medium ejus occupans & rudimento fructûs sive seminis inhærens. Dicitur Stylus quia in longitudinem tenuem plerunque extenditur.

Foliosa pars floris modò apici, modò sedi fructus seminísve cohæret; Stamina vel medio, vel imo foliosæ; Stylus semper apici fructûs seminísve inhæret, ideóque reliquis floris partibus defluentibus in planta remanet. Hæc *Jungius.*

D. *Malpighius* Stylum concavitate sua semen fovere, appendice assurgere, intérque stamina ludere ait. Vasculum ergo seminale Stylum facere videtur *Malpighius*, & Styli appendicem, quem alii Stylum vocant: hanc autem uterinis tubis analogam existimat, & exemplis probat. Est ergo Stylus uteri seu vasculi seminalis tubus perpetuò hians, ad semen intus conclusum ventilandum, & halitus expellendos.

Videndum in verticillatis an Stylus summo semini insideat nécne: nobis quatuor semina Stylum circumstare videntur.

Stylus plerunque unicus adest, interdum tamen plures, ut v. g. in Aquilegia quini, quia rudimentum fructus in quinas maturatur siliquas.

Flores nonnulli Stylo carent, ut Papaver, Tulipa, &c. nisi vasculum seminale pro Stylo admittere velimus. In Iride tria folia interna sub quibus stamina occultantur Styli succedaneum facit Jungius.

Stylus propriè dictus terminatur vel *cuspide*, vel *globulo*, vel *cono*, vel *cornibus*: *Cuspide*, ut in Digitali, Symphyto majore alisque plurimis; *Cono*, ut in Liliis nonnullis; *Globulo*, ut in Convolvulo peregrino purpureo: *Cornua* vel *brevia* sunt, ut in Convolvulo vulgari, vel *prolixa*, ut in Eupatorio vulgari: interdum adeò prolixa ut plures adesse videantur Styli, ità bini in Staphylodendro: quod ad numerum attinet vel *bina* sunt, ut in Cichoreo; vel *terna*, ut in Cervicaria; vel quod rarius, *quaterna*, ut in Lysimachia Virginiana. Cornua plerunque *æqualia* sunt, interdum *inæqualis* longitudinis, ut in Salvia & Æthiopide; plerunque etiam *reflexa* sive recurva sunt, ut in Cichorio, Cervicaria; interdum *recta*.

CAP. XI.

De Florum differentiis: è Joach. Jungii *Isagoge Phytoscopica, additis & mutatis nonnullis.*

FLos *perfectus*, qualem superiùs descripsimus, vel est *simplex*, vel *compositus*.

Simplex nobis dicitur qui non dividitur in flosculos, sive qui unico & simplici plerunque stylo sive vasculo seminali donatur.

Compositus seu *aggregatus*, qui ex pluribus flosculis in unum totalem florem coeuntibus constat; quorum unusquisque non tantùm folio seu bracteâ coloratâ, verùm etiam vel staminibus vel stylo saltem constat, & singuli singulis seminibus cohærent. Ejusmodi flores sunt, Lactucæ, Hieracii, Carduorum, *&c.*

Flos simplex interdum opponitur multiplici seu pleno. [*Jungius* simplicem absolutè vocat quem nos monopetalon seu unifolium.]

Flos ergo simplex est vel *Monopetalos* seu unifolius, vel *Polypetalos* seu multifolius: uterque per accidens plenus seu multiplex est.

Monopetalos est qui unico petalo continuo constat, quod plerunque cavum aut fistulosum est.

Polypetalos qui pluribus foliis in una serie aut circulo dispositis componitur. Estque vel *dipetalos* seu *bifolius*, ut in *Circæa Lutetiana*, *Hypocoo Clusii*, *Alsines facie nova planta* Columnæ: vel *tripetalos*, ut in *Plantagine aquatica*, *Sagittaria*, *Militari Aizoide*, *Nymphæa alba minima*: vel *tetrapetalos*, ut in *Leucoio*, *Brassica* & congeneribus alisque plurimis: vel *pentapetalos*, ut in *Alsine*, *Lychnide*, *Caryophyllis*, &c. vel *hexapetalos*, ut in *Bulbaceis* & congeneribus. Columna Flores nullos naturaliter heptapetalos observavit. Trifolium hepaticum florem octapetalon proferre observavit F. Columna; Florem Africanum enneapetalon; Granadillam Mexicanam decapetalon. Verùm in hujusmodi polypetalis quorum petala senarium numerum excedunt dubitamus an Natura certum numerum observet.

Flos uterque tam monopetalos quàm polypetalos vel *uniformis* est vel *difformis*.

Monopetalon uniformem cum Jungio voco qui terminos duarum dimensionum inter se similes habet, sive qui dextrum sinistro & anterius posteriori simile, superius inferiori dissimile obtinet, sive figuræ quasi tornatilis est.

Tornatilis autem figura est quæ oritur planâ figurâ super uno latere rectilineo quiescente in orbem motâ, sive rectilinea sit mota figura sive mixtilinea.

Dixi quasi tornatilis figuræ, quia si plicæ, striæ & fissuræ accedant tornatilis figura esse desinit.

Monopetali flores uniformes sunt in *Convolvulo*, *Campanula*, *Buglosso*, *Hyoscyamo*, *Tabaco*, &c.

Flos monopet. uniformis margine superiore vel *integro* est, vel in *lacinias fisso*: *integro* ut in *Convolvulo*; *fisso* ut in *Buglosso*, &c.

Si profundæ sint scissuræ sæpe compositum florem simulat; sed discernitur ab eo, quòd totus [seu integer] decidat; uti flores *Boraginis*, *Buglossi*, *Sambuci*, *Cyclamini*.

Fissi flores vel *numero* laciniarum differunt, vel *figurâ*.

Numero, ut vel tribus in *Casia Poetica*, *Phalangio Virginiano* & paucis admodum aliis, vel quatuor; vel quinque; vel sex; ut in plurimis.

Figurâ

Figurâ, vel *angulosâ*, angulo *acuto* ut in *Boragine*; *obtuso* ut in *Hyoscyamo*: vel *rotundâ* seu *sinuata*, ut in *Primula veris*, seu *simpliciter rotundâ* & *convexâ* ut in *Buglosso*.

Porrò flos uniformis tunicâ est vel uniformiter tereti; vel plicis, ut in Convolvulo; aut striis, ut in Campanula, variatâ.

Monopetalos difformis est qui unius tantùm dimensionis terminos inter se similes habet, *h. e.* cujus non superiora tantùm ab inferioribus, sed & anteriora à posticis discrepat, uti sunt Lamii, & reliquarum verticillatarum. Estque vel 1. *Semifistularis*, qui fistulâ superiùs obliquè resectâ constat, ut in Aristolochia: vel 2. *Labiatus*, idque vel unico labio, eóque vel superiore seu interiore, ut in Acantho sativo; vel inferiore seu exteriore ut in Scordio, Teucrio communi & Bætico, *&c.* vel duobus, ut major pars florum labiatorum, in quibus labium superius vel repandum est sive sursum reflexum, convexam faciem alteri labio obvertens, ut in Chamæcisso *&c.* vel convexum sive deorsum reflexum, cavitatem inferiori labio obvertens, quod frequentius est; unde Labium hujusmodi Galea, Cucullus, Galericulus; & flos ipse galeatus, cucullatus & galericulatus dicitur. Est & labium aliud integrum, aliud scissum in lacinias, *&c.* vel 3. Flos monopetalos difformis *corniculatus* est. Corniculum in flore vocat Jungius quod alii Calcar seu Calcaneum. Est ergo, eodem definiente, Corniculatus flos flos cavus qui partem aliquam corniculo similem superiori sui parti connexam habet, *h. e.* cavam & rotundam partem, quæ in cuspidem non perviam desinat, ut in Linaria, Delphinio, *&c.*

Flos multifolius seu polypetalos *uniformis* est, cujus petala figurâ & situ conveniunt, licet magnitudine interdum differant, ut in Umbelliferis. *Difformis* est cujus petala figurâ, aut situ, aut utroque differunt, ut *v. g.* Iridis, & Leguminum, licet fortasse horum flos, potiùs monopetalos profundè laciniatus sit.

Superiùs diximus florem simplicem tam monopetalon, quàm polypetalon per accidens interdum plenum esse seu multiplicem. [Simplicem florem appello qui ex flosculis Composito opponitur, non qui multiplici.]

Flos per accidens plenus est cujus pars foliacea ob culturam, ubertatem soli, aliúdve accidens multiplicata est. Quod si laminâ unicâ flos non plenus constet, in pleno laminâ aliquoties iteratâ, prima secundam, secunda tertiam includit, ut in *Stramonia*, *Aquilegia*, &c. sin ex pluribus foliis compositus sit floris ambitus, gyri foliorum repetuntur, ut in *Rosa*, *Ranunculo*, *Anemone*, *Papavere*, *Caryophyllo*, *Leucoio*, *Pæonia*, *Colchico*, *Croco*, *Caltha*, *Melanthio*.

Quidam flores ad plenitudinem culturâ perduci nequeunt, ut Galeati & Papilionacei, *&c.*

Superest ut Floris compositi superiùs descripti differentias adferamus.

Flos ergo compositus vel est discoides, vel planifolius naturâ plenus, vel fistularis.

Discus est quod ex plurimis compressis & confertis flosculis ità componitur, ut unam quasi apparentem superficiem constituant.

Flos *discoides* est vel disco *radiato*, vel disco *nudo*.

[Flos discoides disco radiato, interdum per accidens plenus est multiplicatis foliis marginalibus, ut in Matricaria & Chamæmelo cernitur: interdum etiam prolifer, ut in Calendula, Bellide, *&c.*]

Disco *radiato* est cujus exteriora folia quæ marginem quasi floris constituunt prolixiora & dispersiora sunt reliquis quæ discum efformant, & quasi plana.

Folia illa vel sunt frontata & quasi parallelogramma, vel cuspidata, ut in Ptarmica Austriaca *Clus.* Flore Solis *&c.* frontata sunt vel integrâ, vel crenatâ fronte, ut in Caltha vulgari. Disco *nudo* est qui flosculis marginalibus caret, ut in Tanaceto, *&c.*

Flos planifolius, naturâ plenus, seu secundum speciem plenus est qui ex flosculis quasi planis, in aliquot gyros dispositis confarctus est.

Frons autem horum foliorum plerunque crenata est, ut in Taraxaco, Sonchis, Cichoreis, Hieraciis, Scorzonera, Tragopogone.

Flos fistularis est qui plurimis concavis oblongis flosculis, ad margines in longas lacinias dissectis compositus est. Est etiam in hoc genus floribus differentia. Nonnulli flosculos marginales cæteris productiores & majores obtinent; alii omnes æquales.

Not. In floribus compositis flosculi illi, qui à nonnullis perperam Stamina dicuntur, inferiori parte in prolixum candidum, quasi pediculum desinunt, quo seminibus singulis cohærent, habéntque plerumque oram supremam sive craterem in lacinias aliquot sectum: è singulis quoque prominet stylus aliquis (bifidus plerunque) qui peculiari fistulâ coloratâ usque ad apicem sive cornua vestitus est.

Perfectus,

Flos est vel

- *Perfectus*, qui petalis, stylo & staminibus constat; estque vel
  - *Simplex*, qui in flosculos non dividitur, isque vel
    - *Monopetalos*, qui unico petalo sive laminâ continuâ constat, ut in *Convolvulo*, *Campanula*, &c. estque vel
      - *Uniformis*, qui dextram partem sinistræ, & anteriorem posteriori similem, inferiorem superiori dissimilem obtinet, ut in *Convolvulo*. Estque margine vel
        - *Integro*, ut in *Convolvulo*.
        - *In lacinias fisso*, differentes
          - *Numero*, in nonnullis sci. tres, in aliis quatuor, vel quinque, vel sex laciniæ sunt.
          - *Figurâ*, vel angulosâ, vel rotundâ.
      - *Difformis*, cujus non tantùm superiora ab inferioribus, sed & anteriora à posticis differunt, éstque vel
        - *Semifistularis*, ut in *Aristolochia*.
        - *Labiatus*, labio
          - *Unico*, eóque vel *superiore*, ut in *Acantho sativo*; vel *inferiore*, ut in *Scordio*, &c.
          - *Duobus*, superiore vel
            - *Reflexo* sursum, ut in *Chamæcisso*.
            - *Convexo* sive deorsum reflexo, sive galeato, ut in *Lamio* & plerisque Verticillatis.
        - *Corniculatus* corniculo seu calcaneo concavo & impervio retrorsum extenso, ut in *Delphinio*, *Linaria*, &c.
    - *Polypetalos* sive multifolius est qui pluribus petalis in unica serie aut circulo dispositis componitur; éstque vel
      - *Uniformis*, in quo petala, figurâ & situ conveniunt, quamvis magnitudine interdum differant; éstque vel
        - *Dipetalos*, ut in *Circæa Lutetiana*.
        - *Tripetalos*, ut in *Plantagine aquatica*.
        - *Tetrapetalos*, ut in *Leucoio*, *Brassica*, *Thlaspi*, &c.
        - *Pentapetalos*, ut in *Lychnide*, *Caryophyllo*, *Alsine*, &c.
        - *Hexapetalos*, ut in Bulbosis. *Polypetalos* in aliis.
      - *Difformis*, ut in *Viola*, *Papilionaceis*, &c.
  - *Compositus*, qui ex pluribus flosculis, quorum singuli singulis insident seminibus, in unum totalem florem coeuntibus constat; éstque vel
    - *Discoides*, in quo flosculi breves, arctè compressi unam quasi planam superficiem componunt, ut in *Calendula*, &c. est vel
      - *Radiatus*, limbo vel margine foliorum planorum discum cingente; foliis marginalibus vel *frontatis*, fronte *crenatâ*, ut in *Calendula* & papposis lactescentibus, *æquali*: vel *cuspidatis*, ut *Ptarmica Austriaca* Clus.
      - *Nudus*, qui petalis illis seu flosculis marginalibus caret, ut in *Tanaceto*, *&c.*
    - *Naturâ plenus*, ut in Papposis lactescentibus.
    - *Fistularis*, ut in Capitatis dictis, *Jacea*, *Carduo*, &c.
- *Imperfectus*, qui harum partium aliqua caret.

Usus floris est ad tenellos fructus tegendos: priusquam enim explicantur, aut insident ipsis fructibus, aut illos undique circumplectuntur: crescente autem fructu jam flores aperiuntur, ac paulo post, tanquam in futurum inutiles, decidunt arefacti. *Cæsalp.* D. * *Malpighius* interdum florum petala in suis utriculis succum excoquere, quem intrò refluentem tenello utero & seminis inchoamento effunderent opinatus est: quandoque petalorum ministerium in incongrui potius humoris depuratione versari existimavit. Verùm cùm avulsis sæpius floris petalis antequam hiarent (in Tulipa præcipuè) interdum styli seu uteri incrementa remorari observavit, quandoque quædam

* *Anat. Plant.* p. 55. 56.

morari observavit, quandoque quædam semina absque noxa debitam magnitudinem sortita esse, se adhuc dubium restare ait, an floris folia tenello utero à Solis & externi aeris injuriis tutando duntaxat inserviant; an ulteriùs etiam depurando præparent auctivam seminis materiam.

Floris folia si plus justo luxurient multiplicatis exortibus, vel semina manca redduntur, vel deficiunt & nullus plerunque uterus adest, ut in plenis floribus observatur. An quia singuli fistularum fasciculi in folia elongentur & absumantur? nullæque ligneæ fibræ uteri structuræ & colliquamenti vesiculæ relinquantur? & ità infœcundi contingunt flores.

Quamvis autem plerique flores naturâ pleni steriles & infœcundi sint, hoc tamen perpetuum non est in omnibus plantarum generibus: Caryophylli enim pleno flore nihilominus fœcundi sunt. Idem etiam observatur in floribus compositis planifolio margine, per accidens plenis, ut v. g. *Matricaria* & *Chamæmelo*; nimirum hujusmodi etiam fœcundos esse.

Aliæ adhuc florum Differentiæ à situ sumi possunt, idque vel respectu caulis, vel respectu fructûs. Caulis respectu flos aut solitarius est, aut coacervatus.

Solitarius est qui ità in caule dispositus est ut alium proximè non tangat.

Coacervatus, qui vel in spicam, vel verticillum, vel corollam ut in Trifolio corniculato *Dod.* vel umbellam, vel corymbum, vel paniculam, vel racemum dispositus est.

De Spica, Umbella, Corymbo, Panicula, in differentiis caulis superiùs diximus.

Verticilli in plantis dicuntur flores & semina caules ad nodos in orbem cingentes, ad similitudinem instrumentorum illorum quæ fusis adhibere solent mulieres, ut faciliùs vertantur.

Solitarius flos aut sigillatim, aut sociatim cauli adhæret.

Sigillatim si unus ex una caulis aut rami distinctione prodeat.

Socialiter si aut bini ut in multis, aut tergemini ut in Sagittali, aut seni ut in Viola aquatica.

Respectu fructûs aut rudimenti fructûs Flos aut insidet summo fructui, aut sedi fructûs cohæret.

Qui summo fructui insidet, aut nudo semini insidet, ut in *Veleriana*; aut pericarpio sive folliculo seminis, ut in *Cucurbita*, *Melone* reliquisque Pomiferis, *Bryonia*, *Periclymeno*, *Aristolochia*, *Ligustro*, *Rosa*, *Pruno*, *Pomo*, *Pyro*, *Grossularia &c*. Siliquæ in *Lysimachia Siliquosa*.

Flos sedi fructûs cohæret, ideóque fructûs rudimentum quasi includit & protegit in *Solanis*, *Capsico*, *Geraniis*, *Papavere*, *Leguminibus* & siliquosis omnibus (excepta *Lysimachia siliquosa*) *Lychnide*, *Ranunculo*, *Nymphæa*, *Arbuto*, *Tulipa*, *&c*.

Superest ut Calycis etiam seu Perianthii differentias ex ejusdem Jungii * Isagoge Phytoscopica adjiciamus.

* *Isagog: Phytoscop. cap.* 24.

Perianthium ergo aliud ab initio *clausum* est, quod florem nondum explicatum totum involvit, & dehiscens deinde eundem retegit, ut in Papavere omni, Capparide, Palma dactylifera, Lauro, Pæonia: Aliud semper *apertum*, ut in plerisque aliis.

Perianthium plerunque suum cuique flori proprium est; interdum etiam pluribus commune, videlicet nondum explicatis, ut in *Palma dactylifera* & *Lauro*.

Perianthium aliud flori cum fructu commune est, aliud flori proprium. Commune in iis omnibus plantis in quibus flos fructum complectitur, sive quarum flos sedi fructûs affigitur, ut in Spergula, item cavis floribus, quibus nuda subsunt semina, sive labiatis, ut in Salvia, Marrubio alisque Verticillatis, sive uniformibus, ut in Buglosso, Lithospermo, &c.

Perianthium deinde vel simplex est, vel compositum.

Simplex quod utriculus est solâ laminâ constans, ut in *Salvia* alisque Verticillatis, Nicotiana, Lychnidibus, Caryophyllis &c.

Compositum, quod vel foliis pluribus juxta se positis constat, ut in Eupatorio cannabino, & Scabiosis: vel ex foliis aut squamis sibi invicem arctè & imbricatim insidentibus, ut in Jacea, Cinara, & aliis Carduis.

Perianthium simplex plerunque in margine in lacinias sectum est, vel acutas ut in *Salvia*, *Lamio*, vel obtusas, ut in *Priapeia*; item vel profundè in lacinias prolixas, vel minus profundè in breviculas, ut in Othonna.

Perianthium plerunque inferiore parte strictius est, interdum tamen ventriosum quasi & turgidum, ut in *Geraniis*, *Ocymoide*, *Vaccaria*, *Ben albo &c*.

Perianthium aliud rotundum & teres est, ut in Caryophyllis; aliud striatum sive sulcatum, ut in Othonna.

Inter nudos & Perianthio vestitos flores ambigunt flores Cucurbitæ & Peponum: Viridibus enim quibusdam sive nervis, sive dorsis, sive strigibus à fundo ad marginem tendentibus variantur, quorum nonnulli [nervi] intra mediam floris partem à flore quasi avulsi speciem perianthii angustifolii exhibent.

Peculiare etiam quid in iisdem floribus observatur, quòd inferiores partes aliquid inter stamen & stylum ambigens, vel ex stamine & stylo conflatum obtinent.

CAP.

CAP. XII.

De Fructibus & Seminibus Plantarum.

FRuctus à fruendo dicitur, éstque pars ea Plantæ quâ in cibis fruimur, sive Pericarpium sit, sive Semen. Nomen autem fructus per analogiam ad omnium plantarum partes similes, quamvis nullum nobis usum præstent, nec in cibis neque in medicina, extendi potest.

Fructus ergo (describente Jungio) dicitur Pars Plantæ annua, flori cohærens & succedens, qui ubi maturuerit, i. e. ad perfectionem suam pervenerit, sponte à Plantâ abscedit, & terrâ, aliâve commodâ matrice excepta, novæ plantæ fit initium.

Succedere dicitur flori fructus, quòd floris inchoatio, perfectio, defluxio, fructûs inchoationem, perfectionem, defluxionem antecedat. Fructus igitur à reliquis plantæ annuis partibus differt, quòd cùm primùm absolutus est, sive ad perfectionem devenit, pars esse desinit, cùm reliquæ (uti folia & flores) tum demum ubi marcescere, putrescere, alitérve corrumpi incipiunt, à plantâ suâ separantur.

Fructus vel semen est, vel Seminis conceptaculum, [vasculum, folliculus, capsula, theca, involucrum.]

Conceptaculum est quod semini ad tempus undique tegendo [alitérve continendo] peculiariter destinatum est.

Excluduntur ab hujus appellationis ambitu perianthia illa in quibus flore delapso semina latitant, uti fit in Salvia reliquísque Verticillatis plantis: nam nec undique tegunt semina, cùm superiore parte hient, neque peculiariter seminis tutelæ inserviunt; sed flori potissimùm muniendo destinata sunt. *Hactenus Jungius.*

Semina vel *duplici* conceptaculo seu involucro, altero alterum ambiente teguntur, vel *simplici* & unico; *Duplici* in Prunis & Cerasis, nimirum Pericarpio & Officulo; in Malis & Pyris, nimirum Pericarpio & Cartilagine; in Nucibus Avellanis, nimirum Folliculo membranaceo & Officulo; in Pinu, nimirum Cortice lignoso & Officulo, ut alia plurima omittam. *Simplici*, in Faba, Piso, aliísque Leguminibus, in Leucoio, Brassica, Thlaspi, aliísque siliquosis & capsulatis tetrapetalis, &c.

Seminum conceptacula sunt vel *solitaria*, seu *simplicia* unicâ intus cavitate, ut in Faba, Piso, aliísque leguminibus, in quibus semina siliquæ dorso adnectuntur; item in Lychnide, Caryophyllo, Primula &c. in quibus seminis sedes est in medio, exteriùs protegente vasculo: vel in *plures cellulas* seu loculamenta *divisa*, eásque vel *disjunctas*, ut in Aconito, Aquilegia, Delphinio: vel *conjunctas*; seu 1. *binas*, vel cum *solitariis* seminibus in singulis alveolis, ut in Xanthio, Mercuriali &c. vel cum *pluribus* in singulis alveolis, ut in siliquosis, *Brassica, Leucoio, &c.* in capsularibus, *Verbasco, Thlaspi, &c.*

2. *Ternas*, seminibus intus vel *solitariis* in singulis alveolis, ut in Ricino, Tithymalo, Heliotropio tricocco, vel *pluribus* in singulis alveolis, ut in Convolvulo, Viola, Hyperico, Asaro &c.

3. Multas, incerto numero, ut in *Papavere, Lino, &c.*

Unus fructus quis.

Cæsalpinus rectè meo judicio unum fructum esse statuit qui uno tegmine continetur externo, quamvis interna divisa sint, ut in Pæonia, Aconito tres siliquæ aut plures in eodem exortu, sub eodem flore continentur, quæ enim sub eodem flore sunt, sunt etiam sub eodem floris tegmine, quod externum est. Plures verò qui nullo communi tegmine teguntur, licet ex ejusdem sedis divisione oriantur, ut Uvarum acini, singuli enim sub singulis floribus sunt, licet racemus unus sit.

Semina nuda voco quæ nullo præter perianthium vasculo aut tegmine donantur, ut *Valerianæ, &c.*

Pro seminibus etiam nudis in hoc opere habemus quæcunque pericarpio non inclusa, solitariè & singulatim decidentia, siliquas suas sponte non exuunt, verùm iis induta à planta matre abscedunt. Sic Malvæ, v. g. semina, ut & umbelliferarum omnium, nobis nuda censentur.

Semina sunt vel
- *Nuda*, nullo præter perianthium vasculo aut tegmine donata, ut *Valerianæ, Thalictri*, Umbelliferarum & Verticillatarum.
- *Conceptaculis* inclusa,
  - *Simplicibus* unicam intus cavitatem habentibus, ut in Leguminibus aliísque plurimis,
  - *In plures cellulas seu loculamenta divisis,*
    - *Disjuncta*, ut in *Aconito, Aquilegia, Delphinio, &c.*
    - *Conjuncta*, simul, vel
      - *Bina*, cum seminibus in singulis alveolis
        - *Solitariis*, ut in *Xanthio, Mercuriali, &c.*
        - *Pluribus*, ut in Siliquosis, *Brassica, Leucoio, &c.* inque capsularibus, *Verbasco, Thlaspi, &c.*
      - *Terna*, seminibus itidem in singulis alveolis
        - *Solitariis*, ut in *Tithymalo, Ricino, Heliotropio tricocco, &c.*
        - *Pluribus*, ut in *Convolvulo, Hyperico, Asaro, Viola*, & Bulbosis omnibus.
      - *Multa*, incerto numero, ut in *Papavere, &c.*

De

De processu Naturæ in generatione seminum è D. Malpighii Plantarum Anatome.

Stylus in plantis utero in Animalibus respondet. Nam sicut in oviparis unica est concameratio, in solitariam tubam desinens: in viviparis verò uterus geminis ovariis totidemque tubis [seu cornibus] componitur: ità in plantis uterus seu ovarium unicum quandoque est, cujus tuba hiatu patet, quandoque multiplex, totidemque exporriguntur tubæ.

Not. *Conceptaculum seu vasculum seminale nobis Uterus potiùs plantæ videtur dicendum: quod quidem interdum stylus est, ut in Tulipa, Papavere, &c. interdum corpus à stylo distinctum ut, in Caryophyllis inque Pomo & Pyro aliisque, in quibus flori subest, cùm Stylus pars floris censetur: in his tamen aliisque stylus conceptaculi apici insidet. Verùm quem nos stylum dicimus* D. Malpighius *styli tubam seu appendicem appellat. Non est ergo cur de nominibus litigemus, siquidem Uterus plantæ vel est stylus ipse, vel basis styli, seu corpus cui stylus insidet, quod Malpighius stylum facit.*

Uterus igitur plantarum, seu conceptaculum seminis, in aliquibus solo membraneo gracilique corpore, concavo & tubuloso, vesiculæ instar, constat, hocque ligneis fibris, tracheis & utriculis contexto; in cujus centro semina seu fœtus gignuntur & adolescunt. In aliis vegetantium ordinibus, ut in siliquosis, crassiori substantiâ, quasi pericarpio, constare videtur: In quibusdam oblongæ quædam appendices adduntur, quæ semina stipant & fovent, & crassius pariter obducitur pericarpium, elongatis fibrarum & trachearum fasciculis, à quibus utriculi succo turgidi pendent, adeóque uteri substantia conflatur è fasciculis jam dictis & utriculorum stiriis in commune corpus quod fructus dicitur, conglobatis; non dispari ritu ac in Fœminis accidit, quarum uteri substantia contento sanguine ità tumet, ut solitam crassitiem triplo excedat. In aliquibus pericarpii hæc moles, turgidi uteri vices supplens, ambiente interiùs corpore obvelatur, quod plerunque cartilagineum est, ut *pomis pyrisque* accidit; in aliis autem osseam substantiam sortitur, hujusque structura in tenellis adhuc è pericarpio uteri cavitatem cribratum extillat humorem.

Pericarpium, in iis quibus datur, concoctum fortasse succum contento fœtui subministrat, vel saltem externi caloris vim obtundit, nè solaribus radiis contabescat. Quoniam tamen plures uteri pericarpio vel ejus analogo destituuntur, ideo fas est credere, succum qui à pericarpio percolatur in semen, non omnino productioni ejusdem conducere; sed materiam à fibris derivatis immediatè à petiolo & secundinis excerni, pericarpii verò succum tutari potiùs quàm componere. Quòd vero pericarpia nonnulla nobis aliisque animantibus gratum cibum ministrent, non est ex primaria naturæ intentione, quæ pericarpium ad seminis tutelam destinavit, sed ex secundaria.

Seminis integumenta seu membranæ semen involventes Secundinis analoga sunt, quorum ope diu custodiuntur & terræ concredita pro germinatione juvantur.

Officula in Cerasis, malis Persicis & Mespilis, quibus semen custoditur, pro uteris habet D. Malpighius, non pro secundinis. Nunc licet crassioribus constent parietibus, pericarpio tamen continuantur, & per ipsos humor fortasse in contentum semen percolatur. Secundinæ autem proprie sunt quæ hiante utero unà cum semine excidunt.

At pace tanti viri nullam video rationem cur Avellanarum & Juglandium putamina secundinæ censenda sint, Cerasorum autem & Persicorum officula minimè; cùm tamen si secundinam rectè definiat, *quæ hiante utero unà cum semine excidet*, necessariò ita se res habebit, cùm illarum putamina, utero se aperiente, unà cum semine excidant, horum autem officula minimè.

In plerisque Secundinis, ut v. g. *Pyri & Pomi*, hiatus aperitur arctiori in cacumine, ubi scil. plantulæ conus latitat, in aliis verò fenestra occurrit patenti cum hiatu. Quis hujus fenestellæ seu foraminis usus sit ambigitur, an ut externus aer admittatur ad fermentationem excitandam aut promovendam; an ut incongrua eliminentur evidenti transpiratu; an potiùs ad humorem nutritium excipiendum. Quod nobis magis probatur: Foramen isthoc ovi in Animalibus respondere existimat *Malpighius*. Sicut enim (inquit) in Animalibus fœtus non tantùm per umbilicum nutritur, recepto sanguine alimentitio succo commixto, sed etiam per os, derivato scilicet chylo in ventriculum, indéque solitis viis in cavam, ut sensim instituatur hæc alimenti via, quæ in edito fœtu durante vita manuteneri debet, ità probabiliter contingere reor in seminalibus plantulis: Siphones [qui in plurimorum seminum secundinis horizontaliter ordine collocati sunt] alimentum foliis plantulæ ministrant, quod præexistenti in propriis utriculis succo commixtum, per propria vasa gemmam versùs intro deducitur, & ità plantula quasi per umbilicum augeri videtur. Et quoniam hiatus in *Pomis, Pyris*, & sim. fenestella in *Ciceribus, Fabis, &c.* aperitur sub quibus extremum conici corporis, radicum scil. inchoamenta, conduntur, & eidem externum ministratur alimentum, ut regia nutritionis via instituatur, ab extremis videlicet radicibus in caulem vel caudicem, & ab his in ramos & folia, ideò hanc nutritionis viam analogam ei puto quæ per os celebratur in Animalium fœtu. His accedat radicis truncum vaginâ, copiosis utriculis compaginatâ condi, quorum ope extremo caudici debitum auctivum subrogatur alimentum.

Notandum autem naturam non in omnibus Pericarpium exteriùs collocâsse, & fructui seu semini circumposuisse, quamvis nomen Pericarpii id videtur indicare & exigere, sed in aliquibus inversâ viâ, à pericarpio in globosum corpus coagmentato emergere voluit uteros & semina, ut in Fragis præcipue cernitur.

Seminis autem seu potiùs plantulæ seminalis intra secundinas generatio viventium productionibus analoga est. Primò enim umbilicus occurrit qui manifestè perforatus est, & sensim in extremitate laxatus seu dilatatus, colliquamenti ichore (qui in Fabis fluidus est, in reliquis utriculis, coercitus) repletus, in molem diversæ [in diversis seminibus] figuræ intumescit. Tractu temporis semen seu fœtus emergere incipit, in apice scil. amnii, supereminentibus binis foliolis, alarum instar apertis, & frequentissimè diductis, ità ut angularis amnii apex fissuram impleat: à foliis verò seu alis acuminatum minimúmque consimilis substantiæ corpus (quod gemma est) assurgit. Successivo incremento auctior reddita amnii moles fœtum quoque seu plantulam auget & fovet. Amnio in plurimis plantis utriculorum ordines chorii instar circumaffunduntur; Chorium autem in quibus adest à primordiis turget, sensímque adaucto amnio exinanitur, & postremo à plantula amnion, in quod

perco-

percolantur omnia, absumitur. Quare probabiliter seminalis humor primo ex secundinis in umbilicum, & sensim in laxatum amnion derivatur; unde prima plantulæ delineatio. Verùm hæc omnia exemplo & iconibus appositis clariùs intelligentur.

Augetur autem probabiliter amnion, non tantùm subministrato succo ab umbilico, sed & transudante humore à chorio, cùm tractu temporis obliteretur umbilicus. Et cùm plantula seminalis peculiari umbilico destituatur, quo exteriùs adveniens alimentum altè ipsam penetrans, in singulas diffusus partes eas augeat & alat: sed ut plurimùm contiguus amnii humor foliorum hiatum repleat, ipsísque hæreat, non incongruum fortasse rationi erit censere, filtratione transductum chorii humorem in amnion, tandem plantulæ folia, inversâ nutritionis subingredi, ex his in caulem & gemmam derivari.

Mira autem est Plantarum nonnullarum fœcunditas seminis respectu, ut v. g. Verbasci, Digitalis, Papaveris, Hyoscyami, Nicotianæ. In uno Helenii flore (inquit P. * Laurembergius) numeravi ultra 3000 semina, neque tamen perveni ad finem. Helenium autem in eodem caule multos producit & gestat flores. Ex uno grano τῆ *Mayz*, seu Frumenti Turcici iterum 1050; in Virginia 2000 colliguntur, seritúrque bis quotannis Martio & Junio. Ex uno flore Solis majore, prognata ex uno semine eodem anno Camerarius exemit circiter 4000 semina: ego 3000 & paulò amplius. Sed hæc nihil sunt si cum Tabaci veri fœcunditate conferantur. Ego curiositati meæ indulgens, numerare aliquando cœpi, quot granula seminum Nicotianæ ponderent drachmam unam, & expertus sum ponderi unius grani medici (quæ est minima mensura) respondere grana Tabaci 1012. Jam verò ex una planta collegi seminum maturorum drachmas circiter sex, quæ faciunt medica grana 360 hæc multiplicata per 1000 (omissis 12) largiuntur grana 360000, quorum ferax fuit una planta Tabaci nata ex uno granulo.

* Horticulturæ, l. 1. c. 17.

Papaver album (supputante D. Grevio) semina 32000 annuatim producit, quam summam ità colligit: Quatuor plurimùm planta hæc capitula matura profert, in quorum unoquoque denæ minimùm membranæ seu parietes, totidem cellulas disterminantes sunt. Harum uniuscujusque alterutri lateri semina adnascuntur circiter 800, quibus in 10, numerum membranarum, ductis, exurgit summa 8000, quâ iterum 4 pro capitulorum numero multiplicatâ efficitur numerus prædictus 32000.

Not. *Planta hæc, si cælum & solum faveat, non dico quatuor capitula, sed duplo triplóve plura producit.*

Typha major (eodem observante) ultra 120000 quotannis semina perficit, quod ità demonstrat. Semina enim unà cum lanugine spicam seu clavam cylindriacam efficient 6 uncias longam, diametro $\frac{5}{8}$ unciæ æquali circumferentiâ $1\frac{3}{4}$ unciæ. Horum autem seminum 9, latere ad latus juncto, ut in spica collocantur, $\frac{1}{8}$ duntaxat unciæ partem efficiunt, adeò ut 72 lineam uncialem expleant. Verùm quoniam in spica pili seminibus interpositi sunt, 10 detractis, 62 tantùm supputabimus; quibus si addamus $\frac{3}{4}$ numeri 62, hoc est 46, exurgit pro circuitu cylindri summa seminum 108, cùmque cylindrus 6 uncias longus sit sexies 62, hoc est 372, semina unam longitudinis lineam component. Quo numero in 108 ducto producitur summa 40176, pro numero seminum unius clavæ; próque trium quas planta illa singulis annis plurimùm profert, 120000.

Verùm numerosissima omnium semina producunt herbæ capillares dictæ. Unius *Linguæ cervinæ* plantæ annuus proventus ad decies centena millia seminum ascendit. Vide Caput de Phyllitide.

CAP. XIII.

De Plantarum Seminibus observationes quædam generales.

I. NAtura non observat magnitudinis proportionem inter semina & plantas ab iisdem ortas, ità ut majus semen majorem semper producat plantam, minus minorem. Sunt enim in genere herbarum non pauca, quarum semina arborum nonnullarum seminibus non dico æqualia sunt, sed multo majora, Sic v. g. semina *Fabæ*, *Pisi*, *Viciæ*, *Lupini*, *Peponis*, *Melonis*, *Cucurbitæ*, ut alias innumeras omittam, semina *Ulmi*, *Populi*, *Salicis*, *Betulæ*, *Ficûs*, *&c.* multis vicibus magnitudine superant.

Atque hoc non in plantis duntaxat diversorum generum observari potest, sed interdum etiam in ejusdem generis speciebus. Sic in genere arborum glandiferarum *Ilex* coccifera dicta, quæ fruticis modum vix unquam excedit, glandem edit *Quercûs* vulgaris parem: *Cerrus* arbor *Quercui* nostrati magnitudine cedit, glandem tamen duplo majorem producit. *Cerinthe* purpurea annua *montanâ perenni* minor est, semen tamen illius hujus semine majus. Eadem differentia magnitudinis respectu observari potest inter semina *Rapistri* & *Sinapeos*, plantarum productricium proportioni contraria: nam semen *Rapistri Sinapeos* semine majus est, cùm *Rapistrum* ipsum *Sinapi* minus sit. At neque Natura in animalibus oviparis eandem perpetuò magnitudinis differentiam observat inter ova quæ est inter animalia quæ ea ponunt. Quamvis enim inter *Locustas* & *Astacos*, magnitudine excepta qua *Locusta Astacum* excedit, indiscreta ferè similitudo sit, ova tamen *Astaci Locustæ* ovis multò majora sunt; Sic in Avium genere ova *Anatis Arcticæ* Clusii *Alkæ* Hoieri, ejusdémque *Lomwiæ* tanto Anatum domesticarum ovis majora sunt, quanto *Aves* ipsæ *Anatibus* minores. Notandum tamen, Aves hasce palmipedes esse & tridactylas & unicum tantùm ovum una vice ponere antequam incubent, adeóque unum duntaxat pullum excludere. Notatu autem dignissimum est, quò minora sunt eò esse fertiliora: Feracissima enim sunt Papaver, Nicotiana, Digitalis, & capillares omnes, Sinapi, Typha, ut alia omittam, quæ semina minutissima proferunt.

II. De Herbarum annuarum seminibus nota, 1. Ea omnium longè maxima esse, ut in *faba*, *piso*, *lupino*, *cicere*, *melone*, *pepone*, *cucurbita*, *flore solis*, *Phaseolo*, aliisque patet. 2. In iis etiam generibus

in

in quibus aliæ ſpecies annuæ ſunt, aliæ perennes; annuarum ſemina ſeminibus perennium majora eſſe, magnitudinis plantarum ratione habita. Sic v. g. *Piſa* vulgaria majora ſunt ſeminibus *Lathyri* majoris perennis: Sic *Triticum, Secale, Hordeum, Oriza, Avena*; *Maiz ſeu Frumentum Indicum*, quæ nihil aliud ſunt quàm Graminum annuorum ſemina, majora ſunt ſeminibus cujuſcunque Graminis perennis nobis cogniti, Arundinibus etiam maximis non exceptis. 3. Semina omnia quæ hominibus in cibum veniunt herbarum annuarum genimina eſſe: ſive frumenta ſint, ut v. g. *Secale, Triticum, Oriza, Sorghum, Frumentum Indicum, Milium, Panicum, Avena, Hordeum, &c.* ſive Legumina, ut *Fabæ, Piſa, Lentes, Viciæ, &c.* Cujus ratio eſſe videtur, quia ex ſeminibus ſaporis grati & nutrimenti ſalubris ea maxima ſunt, adeóque eorum purgatio facilior, proventus uberior & farinæ ad ſurfures proportio major.

III. Quamvis in plantis nonnullis, quæ flagellis radices ſubinde agentibus ſe propagant, aut quæ radicibus proliferis vel reptatricibus ſe multiplicant, ut in *Vinca Pervinca, Colocaſia, Battata Canadenſi, Raphano ruſticano, &c.* verum ſit quod à nonnullis obſervatur, eas ſcilicet ſemen rariùs perficere & ad maturitatem perducere, quoniam natura his propagationis modis intenta eum qui eſt per ſemen negligit: Quamvis inquam hoc in nonnullis verum ſit, procul tamen abeſt à regula generali, cùm ſtirpes non paucæ reperiantur quæ aut radicibus reptant, aut flagellis ſe propagant, & tamen ſemen copioſum idémque fœcundum gignunt. Prioris generis ſunt *Herba Gerardi, Solanum halicacabum, &c.* Poſterioris *Fragaria & Ranunculus repens.* Verùm ex altera parte in genere & ſine exceptione verum exiſtimo, quòd quæ plantæ ſemen paucum perficiunt eædem modis ſuperius tactis ſe propagant: aliàs enim natura, quæ in neceſſariis non deficit, talium ſpecierum conſervationi & perpetuitati non ſatis caviſſe videretur.

IV. Plinius aliique rei naturalis ſcriptores dudum de Animalibus obſervârunt, quòd, diutiùs geſtantur quibus ſunt longiora vitæ ſpatia: Hanc obſervationem ſi plantis accommodare velis minimè veram invenies. Nam ex ſpatio temporis breviore aut productiore, quod intercedit inter eruptionem floris & ſeminis perfectionem, de vita ſeu duratione iſtius plantæ nihil certi colligi poteſt. Videmus enim *Ulmum*, cujus ſemen primo vere ſtatim à flore edito perficitur, atque etiam defluit ante quam folia explicantur, arborem eſſe ſatis longævam.

V. Semina plantarum oleo copioſiore ſcatent quàm quævis alia earum pars; quod prælo ſubjectæ & tortæ fatentur, magna ejus quantitate fuſâ. Oleum autem cùm corpus ſit viſcidum, nec facilè evaporet, ſeminali ſpiritui continendo idoneum eſt vehiculum. Hinc fit quòd ſemina per multos etiam annos fœcunda manent, & ſata germinant. Quin & copioſum ſalem volatilem continent, ut luculenter demonſtrat *Wedelius* in *Experimento novo chymico de ſale volatili plantarum.* Verùm de chymica ſeminum analyſi agere in præſentiarum noſtri non eſt inſtituti.

VI. Quot annos ſemina plantarum fœcunda durabunt, difficilis admodum quæſtio eſt: Veterum nonnulli vel 40 prodidere: D. *Morriſonus* non ultra decennium affirmat; alii fœcunditatis ſpatium quinquennio circumſcribunt. Proculdubio autem magna hoc reſpectu inter ſemina eſt differentia; alia enim diutiùs fœcunditatem ſuam cuſtodiunt, alia eam citiùs amittunt & ſterileſcunt, ut veriſimile ſit nonnulla fœcunditatem ſuam ultra decennium prorogare, alia ante quinquennium eam amittere. Oſtendit mihi olim D. *Toll* curioſus florum cultor *Lennæ Norfolciæ* fimetum, in quod ante aliquot annos projectæ fuiſſent uvæ paſſæ corruptæ, ut ibidem computreſcerent; ex earum autem vinaceis quotannis, ſtercore moto, vites aliquam multæ enaſcebantur, & novæ poſt 4. minimùm annos. Ego (ut verum fatear) in nullo adhuc ſemine, 5. annis vetuſtiore experimentum feci, quinquennia autem germinare compertum habeo. Multum autem conducit ad fœcunditatem prorogandam ſeminum conſervatio; cavendum enim eſt nè humorem nimium bibant indeque ſitum & putredinem contrahant, neve nimium calefiant & exareſcant; nonnulla etiam frigus vehementius urit & corrumpit. Quicquid ſit, in terræ gremio latitantia, quamvis tot caloris, frigoris, humoris & ſiccitatis varietatibus ibidem obnoxia, diutiùs tamen (ut puto) fertilitatem ſuam tuentur, quàm ab hominibus diligentiſſimè cuſtodita; nam & ego & alii ante me multi obſervarunt *Sinapeos* vim magnam enatam in aggeribus foſſarum recens factis, inque areis gramineis effoſſis, ubi poſt hominum memoriam nulla unquam *Sinapeos* ſeges ſuccreverat. Quam tamen non ſponte ortam ſuſpicor, ſed è ſeminibus in terra per tot annos reſiduis etiam prolificis.

VII. Semina omnia ſeu ab hominibus ſata, ſeu ſponte è conceptaculis ſuis in terram delapſa, primum ſuum alimentum per poros tegumentorum hauriunt; aut (ut veriùs & magis Philoſophicè loquar) primum ſeminum ſatorum alimentum per tunicarum ſeu tegumentorum poros ſe inſinuat. In pleriſque autem ſeminibus foraminulum quoddam ſeu feneſtella patentior obſervatur, quà humor alimentaris primitus ſubintrat: quo ſemel admiſſo, ſpiritus vitalis intus hoſpitans plantulam ſeminalem ejuſque involucra fermenti in modum inflat & extendit, unde etiam humor terreſtris copioſè in eam irruat neceſſe eſt, quo nutritur & augetur.

VIII. Magna eſt analogia & ſimilitudo inter vegetationem & augmentum ſeminum ſeu ovorum plantarum in terra, & viviparorum animalium in utero. Quemadmodum enim ſemen plantæ plenam maturitatem adeptum in terram decidit, ibidemque liberum & ſolutum jacens alimentum (ut dixi) primitus per poros tegumentorum ſuorum attrahit imbibitve; poſtmodum radices in terram agit; ſic pariter ovum Animalis vivipari, maris ſemine fœcundatum, & quaſi ad maturitatem perductum ab ovario velut arbore in uterum ceu terram delabitur, ubi aliquandiu liberum & ſolutum permanens, abſque ullâ cum utero cohæſione, primum ſuum alimentum per membranas involventes ſeu ſecundas attrahit. Aliquanto autem poſt, velut radicibus actis utero ſe affigens, aliquam ſaltem nutrimenti portionem inde exugere videtur. Ovaria voco corpora illa, teſtes fœmineos vulgo dicta, quæ qui diligenter inſpexerit, oculorum teſtimonio victus nihil aliud eſſe quam congeries ſeu racemos ovorum neceſſario confitebitur. Cùm ſemen humorem imbibere aſſero, aut fœtum alimentum attrahere, vulgari & uſitato loquendi modo utor, nec aliud intellectum vellem, propriè & Philoſophice accipiendo, quàm humorem per poros ſe inſinuare, aut influere per venas & vaſa: nec enim attractionem propriè dictam in natura dari ullatenus conceſſerim. Neque verò ſemina duntaxat

taxat plantarum verùm & earundem radices maximam alimenti ſui partem per poros tegumentorum attrahere exiſtimo, minimam autem per capillarium fibrarum extremitates, quas nonnulli pro totidem oſculis habent. Quòd plantæ per corticum poros alimentum hauriant à modo ramulos & ἀποσπάσματα depangendi quem memorat *P. Laurembergius* Horticult. *cap.* 21. §. 1. clariſſimè evincitur. *Nulla* (inquit ille) *ferè ſtirps eſt quæ non queat propagari per ramulos anniculos, modo* 1. *inferior extremitas abſciſſa oblinatur emplaſtro ſequenti:* ℞ *ceræ* ℥i *terebinth.* ℥i *reſinæ communis* ℥ii *commixtis.* 2. *Non directè infigas terræ ramulum ſic oblitum, ſed incurvo arcu, ut ſuprema pars promineat è terra, media tangat imum, infima, quam oblinendam dixi ſurſum nonnihil vergat*, itâ tamen ut deliteſcat. In hoc caſu non alia patet via qua ſuccus alimentaris ſubintret, quam corticis pori.

Quoniam autem mentio incidit hujus arboris ramulis ſeu taleolis depactis ſerendi methodi, operæ pretium fore putem eam in omne genus Pomiferis experiri; cùm ſi ſuccedit facillima omnium erit & fructuoſiſſima propagandi ratio. Quamvis enim ſurculus inſitus eodem pariter anno fructum producat, truncus tamen ſeu ſtipes aliquot annos à ſatione exigit antequam inſitioni idoneus ſit. Quin & ramulus cum multo major ſit quàm ſurculus & uberius creſcat, fructus longe plures eodem temporis ſpatio producit. His adde, quod ſi planta quævis non comprehendat, facilè extirpari aliaque ejus loco depangi poteſt. Quod vero hic plantandi modus in cujuſcunque generis pomiferis arboribus ſuccedet veriſimillimum judico, cum nulla mihi ſufficiens ratio reddi poſſè videtur, cur in eodem Arboris genere alia ſpecies ramulo ſata comprehendat, ut v. g. **Codlings** & **Moyls** noſtratibus dictæ; aliæ minimè. Qua in ſententia valdè confirmabar à *D. Joſſelino*, qui in ſua *Novæ Angliæ* deſcriptione hunc apud indigenas ramulis avulſis plantandi modum in omne genus Malis & Pyris cum ſucceſſu frequentari ſcribit.

CAP. XIV.

De foliis Plantarum Seminalibus dictis.

SEminum ſatorum pars maxima binis primulum foliis è terra exoritur, quæ quoniam multiplici reſpectu ſuccedentibus diſſimilia ſunt, hortulanis noſtris non ineptè, *folia ſeminalia* appellantur.

1. *Folia* hæc *ſeminalia* à ſuccedentibus differunt, primò Parvitate, ut quæ in omne genus plantis illis minora ſint.

2. Figurâ, ut quæ integra ſint & indiviſa iis etiam plantis quibus ſubſequentia multifariam diſſecta ſunt, ut v. g. *Umbelliferis*, circum oras æqualia iis quibus reliqua crenata aut dentata; in pleriſque plantis à ſequentibus foliis circumſcriptione diverſa. Hic tamen notandum eſt, quòd quamvis *folia ſeminalia* in pleriſque plantis integra ſunt abſque ulla omnino crena, ſectione aut diviſione, non tamen hoc in omnibus conſtans eſt & perpetuum, ſiquidem *naſturtii hortenſis* folia ſeminalia in tres lobos dividuntur quæ totidem folia mentiuntur; *Braſicæ, Raphani, Sinapeos, Rapæ* frondes unicâ crenâ inciſas obtinent, *Naſturtii Indici* duplici crena in tres dentes diviſas: *Geranii moſchati* pinnata ſunt ad modum ferè ſubſequentium. Verùm nullam hactenus plantam novi cujus folia ſeminalia circum oras undique crenata aut dentata ſint, *Urticæ* aut *Betonicæ* modo.

3. Differunt Superficie, lævi v. g. iis etiam plantis quarum folia hirſuta ſunt aut piloſa; non tamen omnibus, nam folia ſeminalia *Boraginis, Bugloſſi* aliorumque quotquot obſervavi ex Aſperifoliis dictis hirſuta ſeu piloſa ſunt.

4. Differunt inſuper Situ & naſcendi modo, cùm bina oppoſita naſcantur, non in iis duntaxat plantis quarum folia in caulibus conjugatim diſpoſita ſunt, verùm etiam quibus ſingulatim & alternatim oriuntur, ad inferiorem articulum ex hoc latere, ad ſuperiorem proximè ex adverſo, vel 2. ſtellatim plura caules ad nodos ambiunt, ut in *Aſperula, Aparine*, &c. vel 3. crebra in caule confuſè & nullo ordine naſcuntur, ut in *Lino, Linaria, Tithymalo.*

5. Folia ſeminalia totáque in univerſum ſeminalis plantula ante germinationem, dum adhuc tegumentis ſuis includitur, pulpoſa eſt & fragilis, ut tota fere carne conſtare videatur, fibræ autem minimum continere.

CAP. XV.

De Plantula ſeminali reliquiſque ſemine contentis.

IN omnibus quæ unquam diſſecui idoneæ magnitudinis ſeminibus plantulam ſeminalem ſemper inveni, in nonnullis perfectè efformatam, ut partes ejus omnes nudis etiam oculis poſſent diſcerni, & digitis à ſe invicem diduci, in aliis minùs perfectam, certè partes ejus non ità facile à me potuerunt diſcerni.

1. Plantula hæc ſeminalis in pleriſque ſeminum generibus *binis foliis ſeminalibus* conſtat, aut ſaltem gemino lobo foliis ſeminalibus reſpondente; *Radicula* & *Gemmâ*. Gemino dixi lobo foliis ſeminalibus reſpondente, quia ſunt ex hoc ſeminum genere quæ lobos ſuos ſupra terram foliorum formâ non exſerunt, unde nonnulli fortaſſè foliorum titulum iis minimè tribuendum cenſeant. Verùm quoniam ejuſdem omnino naturæ ſunt, eundémque proculdubio uſum obtinent, nullam video rationem cur eodem etiam nomine non poſſint inſigniri.

2. In nonnullis ſeminum generibus plantula ſeminalis non conficitur ex *binis foliis ſeminalibus, Radiculâ & Gemmâ*: ſed vel ſolo trunco abſque foliis conſtat, vel trunco folioſo, vel folio ſolo abſque

que trunco, nudo saltem oculo visibili. Ex hac seminum divisione sumi potest generalis plantarum distinctio, eáque meo judicio omnium prima & longe optima, in eas scil. quæ plantulâ seminali sunt bifolia aut διλόβοι, & quæ plantulâ seminali adultæ analogâ.


3. E primi generis seminibus (in quibus plantula seminalis binis foliis seminalibus, gemmâ & radiculâ constat) sunt in quibus præter plantulam seminalem nihil omnino pulpæ aut medullæ continetur; sunt etiam in quibus præter plantulam alia etiam continentur, seu in quibus plantula pars tantùm est pulpæ seu medullæ.

Semina illa quæ nihil aliud continent præter plantulam seminalem in duplici itidem sunt differentia, 1. In nonnullis plantula seminalis plana est & extensa absque ulla plica, ruga aut convolutione. 2. In aliis folia seminalia cum radicula variè complicata sunt aut convoluta. In primo genere folia seminalia nihil aliud sunt quàm seminis lobi planis suis superficiebus coaptati, ut in *Avellana* nuce videre est. Gibba seu exerna lobi alterutrius superficies eadem est figurâ cum medietate seminis secundùm longitudinem per medium fissi. Hujus generis sunt *Fabæ, Pisa, Phaseoli, Viciæ, Amygdalæ, Pruna, Glandes, &c.*

Hic obiter notare possumus unionem hanc seu connexionem radiculæ cum lobis non semper seu in omni plantarum genere ex ea parte esse qua semen fructui aut vasculo seminali cohæret; unde nec in omnibus speciebus germinatio à puncto cohæsionis incipit, ut nonnulli tradiderunt; sed in aliquibus ad distantiam notabilem à loco cohæsionis, ut in *Fabis, Lupinis, &c.* in aliis ad extremum oppositum, ut in *Glandibus, Juglandi* nuce, *Amygdalis, Prunis, Boragine, Buglosso, & Asperifoliis reliquis.* Jam vero in seminibus oblongis aut acuminatis radiculam ad acutiorem extremitatem sitam observavi, sive extremitas illa vasculo cohæret, sive eidem è diametro opposita sit. Sic v. g. in seminibus *Pomi, Pyri, Floris Solis, Melonis, Peponis, Cucumeris & Verticillatarum* omnium, cum acutior extremitas eadem sit quæ vasculo seminali contigua est, radiculæ etiam apex cohæsionis punctum respicit: in seminibus autem *Glandis, Amygdali, Boraginis, Buglossi; &c.* in quibus acutior seminis extremitas cohæsionis puncto è diametro opponitur, radicula quoque eundem situm obtinet. In quibus seminibus medullæ cum lobis connexio vel loco cohæsionis seminis ipsius, vel eidem opposito adjacet, hoc est, in seminibus productioribus in quibus alterutram extremitatem occupat, radicula necessario brevis est, in quibus verò connexionis locus à seminis cum planta cohæsione distat, radicula aliquanto longior est, & juxta marginem loborum producitur, donec apice suo ad cohæsionis locum terminetur.

Hæc observatio nonnullius usûs esse potest in serendis seminibus saltem grandioribus, nam eorundem germinationem proculdubio nonnihil promovebit, ità ea serere ut plantulæ radicis apex deorsum spectet; ut vice versa necessariò vegetationem & augmentum impediet, eo situ serere ut ejusdem apex sursum tendat. Radix enim in hoc casu integrum semicirculum seu duos angulos rectos inflectatur oportet antequam deorsum descendat, & ex altera parte similiter gemma tantundem incurvanda est antequam sursum erigatur, ita ut succus nutritius bis reflectatur necesse est antequam è radice in caulem derivetur.

Secundi seminum generis in quo plantula seminalis convoluta seu complicata est multæ sunt varietates, cùm complicatio foliorum seminalium & radiculæ in variis generibus admodum variet. Exempla aliquot proponam seminum majusculorum in quibus tegumentis detractis complicationis modus clarè apparet, ut quivis facile eum oculis discernere queat, & plantulam inclusam propriis digitis extendere aut explicare. 1. In Raphano & ut verisimile est in aliis omnibus quæ foliis seminalibus similibus è terra exeunt, ut v. g. *Brassicis, Rapis, Sinapi, Rapistro, Eruca, &c.* Plantula seminalis in figuram globosam elegantissimè convolvitur hoc modo. Foliis seminalibus sibi mutuo admotis seu appressis ut in aliis plerisque, primò radicula inflexa iis superimponitur, deinde foliorum eorundem partes dextra & sinistra versus se mutuò incurvatæ supra radiculam, & tandem occurrentes eam sinu suo amplectuntur; cujus sic convolutæ & explicatæ plantulæ icones exhibemus è *Malpighii Plantarum Anatome desumptas, Tab.* 53. *Fig.* 319. 2. In *Acere majore Sycomoro* falsò dicta, folia seminalia sibi mutuò admota, ut in priore, ambo simul paulò supra mediam longitudinis partem incurvantur, donec sibi mutuo dimidiæ earum partes contiguæ fiant, deinde unà cum radicula in globulum convolvuntur, ut siquis angustam laciniam bis replicaret, deinde à flexuræ loco incipiendo convolveret. Apposita icon rem illustrabit. 3. In *Nasturtii* hortensis semine lateralia duo segmenta utriusque folii seminalis parti posticæ medii seu præcipui segmenti applicata (quæ simul ejusdem cum illo exactè la-



titudinis ſunt) tegumentis includuntur, radiculâ non nudâ in folia reflexâ, ſed velut ſi priùs extenſa tegumentis involuta fuiſſet, poſtmodum autem una cum tegumentis ad folia ſeminalia inflexa, ut ſemen ipſum contemplanti manifeſtè patebit. 4. In ſeminibus *Convolvulorum* omnium, ſed præcipuè marinæ ſeu *Soldanellæ*, folia ſeminalia multis plicis ſeu flexuris corrugantur, adeò ut è tegumentis exempta facillimè poſſint expandi & erugari, cum tenuiora ſint minúſque fragilia quam in pleriſque aliis, quin & viriдeſcunt nonnihil; adeo ut ex omnibus quæ hactenus obſervavi hujus generis ſeminibus huic uſui commodiſſima ſint, nimirum demonſtrando naturæ artificio in complicando intra membranas involventes plantulam ſeminalem, quod ſanè valde admirabile eſt & ſpectatu jucundiſſimum.

Hactenus de Seminibus quorum pulpa ſeu medulla tota nihil aliud eſt quàm plantula ſeminalis ſeu extenſa, ſeu complicata, ſequitur ut de iis agam in quibus præter plantulam ſeminalem aliud etiam corpus continetur, ſeu plantulæ ſeminali alendæ ſeu defendendæ inſerviat. Hæc etiam conſimiliter in duo genera dividi poſſunt. Primum eſt eorum in quibus plantula ſeminalis plana eſt & extenſa abſque ulla plica aut flexura. Hujuſmodi ſunt Fraxini ſemina & Umbelliferarum nonnullarum. Secundum eſt eorum in quibus eadem plantula inflexa complicata aut convoluta exiſtit; cujuſmodi ſunt ſemina Malvæ, Stramonii, Atriplicis, Spinachiæ, aliarumque plurimarum, in quibus pulpa reſidua ſeminali plantulæ dum adhuc tenella eſt alendæ aut (ut diximus) fovendæ inſervire videtur.

In priore genere caro ſeu pulpa foliorum ſeminalium ſeu loborum primum radici nutrimentum, cùm primulum germinat ſuppeditare videtur; quæ poſt productior facta, & in terram deſcendens inde alimentum tum ſibi exugit, tum foliis viciſſim rependit. Folia enim ſeu lobi ſeminales in id genus ſeminibus dum adhuc tegumentis incluſa latent, craſſi ſunt (ut ante diximus) carnoſi & fragiles, fibræ paucum, carnis multum obtinentes: ideóque ordo ſeu proceſſus germinationis in eis hujuſmodi eſſe videtur. Semine terræ commiſſo humor ſeu ſuccus nutritius duplici filtratione per ſeminis tegumenta & plantulæ ipſius membranulam depuratus à foliorum pulpa imbibitur, cumque eorundem ſalinis & oleoſis particulis commixtus idoneum radiculæ nutrimentum ſuppeditat. Hæc autem primùm germinans tunicas diſrumpit & producta in terram deſcendit, indidemque nutrimentum & ſibi haurit, & foliis ſeminalibus reddit, quæ deinde aucta & explicata è terra erumpunt, tegumenta dilacerata exuunt, inque longitudinem & latitudinem extenduntur, rariores tamen magiſque ſpongioſæ, lentæ quoque & fibroſæ evadunt. Verùm in ſeminibus quorum folia ſeu lobi ſeminales ſupra terram non exurgunt, ut v. g. Fabis, Piſis, Viciis reliquiſque leguminibus radicula (quantum quidem ego obſervare potui) lobis alimentum non ſuppeditat, qui idcirco creſcere & augere propriè non ſunt dicendi, quamvis intumeſcant admodum ratione humoris in eorum poros ſe inſinuantis, ſpongiæ in modum. Lobi ut & folia ſeminalia aliquandiu poſt plantæ germinationem turgida & extenſa durant, poſtea paulatim extenuantur & flacceſcunt, tandémque exiccata decidunt. An nutrimentum aliquod plantæ poſt emerſionem è terra ſubminiſtrent & quandiu turgidæ maneant, mihi non conſtare fateor. Experimentum autem facilè fieri poſſet folia ſeu lobos abſcindendo quamprimum plantula è terra prodierit, eámque cum altera coæva cui maneant comparando. Si enim mutila integram vigore & augmento æquat, manifeſtum eſt nullum folia nutrimentum plantulæ ſaltem neceſſarium ſuppeditare.

Ex quo hæc primum ſcripſi ad manus meas venit ſagaciſſimi & verè incomparabilis Philoſophi, naturæ ipſi à ſecretis *Marcelli Malpighii Anatomes Plantarum pars altera*, in qua experimentum hoc à ſummo viro factum invenio in variis ſeminum generibus tam ante quam poſt germinationem inchoatam: quo ſucceſſu ipſum referentem attende. Primo, inquit, vere *Fabarum* plurimas plantulas ſevi, detractis prius cotyledonibus ſeu farinaceo pericarpio. Ex his binæ tantum plantulæ, reliquis corruptis, parum vegetârunt, gemma ſcilicet ſurſum excreverat immota hærente conica radice. Circa undecimam diem gemma non expandebatur: ſed foliola in extremitate areſcebant: cauliſque non elongabatur; ſed maculis in atrum tendentibus inficiebatur. Tranſactâ vigeſimâ primâ totus caulis minimus nigrefactus tandem contabuit: corrupta priùs radice, quæ nullum augmentum omnino erat experta. Menſe quoque *Maii* alias ſeminales plantulas *Fabarum & Phaſeolorum* ablatis pariter binis ſeminalibus foliis ſeu cotyledonibus incubandas poſui; è quibus unica *Fabæ* plantula vegetavit, elatâ ſupra terram minimâ gemmâ, productâque parum infra radice, ità ut tota plantulæ longitudo ſemidigitum non excederet. Hæc tranſactâ vigeſimâ primâ nigrefacta radice & exiccatis foliis gemmæ ſeu futuri caulis contabuit. Alias denuo plures ſeminales *Fabarum* plantulas detractis omnino cotyledonibus plantavi, quarum nullæ penitus vegetarunt. Idem expertus ſum in plantulis *Cucurbitæ, Peponum, Lupinorum & Phaſeolorum*: qui inſigni pollent trunco & gemma.

Hanc eandem obſervationem progrediente in cubatu & poſt inchoatam vegetationem tentavi, dum ſcilicet cotyledones ſub ſpecie ſeminalium foliorum ſupra terram emergebant. In *Cucurbitæ* itaque plantulis vegetantibus diſcuſſo cortice, ablatis binis ſeminalibus foliis, protrahebatur quidem vegetatio, ſed gemma ſeu relictus caulis nullum ferè augmentum capiebat, hócque ſæpius mihi accidebat. Idem contingebat in *Lupinis*, quorum cotyledones in ampla & craſſa extuberabant folia. In *Peponibus* quoque, in *Lactuca, Endivia, Raphano* & Rapis; quorum plantulæ cotyledonibus orbatæ, vegetationis incrementa non ſortiebantur; ſed vel citò extinguebantur, vel minima abſque vegetatione tabida ſubſiſtebant. Plantulis verò à primordiis vegetantibus, unico detracto folio, altero autem ſuperſtite, germinatio producebatur, non tanta tamen fœlicitate qualis in non mutilatis obſervatur.

Vegetantium cotyledonum vim & durationem exploraturus, plura ſevi *Lupinorum, Cucurbitæ & Fabarum* ova: à quibus plantulis, dum ſupra terram erumpebant ſingulo die ſeminalia folia abſtuli. In *Lupinis*, quarta die è terra emergentibus laceravi folia; in *Cucurbita* pariter, quinta die primò apparente planta, idem molitus ſum, & ſeptima die in *Faba* vegetante cotyledones abſtuli, & ità ſubſequentibus diebus idem tentavi in conſimilibus plantis per ſpatium dierum decem, Lupinorum igitur tres primæ plantulæ, cotyledonibus orbatæ, nullum ferè ſortitæ incrementum poſt menſem

conta-

contabuerunt; reliquæ verò longè minores perdurarunt. Cucurbitæ verò quatuor primæ reliquis vegetantibus extinctæ ſunt. Fabarum plantæ cotyledonibus orbatæ, plures quidem vegetarunt ſed gracillimæ & minimæ.

Ex his igitur conjectari licet, bina illa, utplurimum craſſa, folia quæ plantulæ ſeminali hærent uterinæ placentæ vel cotyledonum vices explere. Hæc autem humorem expoſcunt à terreno utero emanantem, quo ſoluti fermentativi & ſpermatici eorum ſucci per propria umbilicalia vaſcula quotidianam plantulæ alimoniam & auctivam materiam ſuppeditant: unde plantulæ fœtus è fermentatis & in motum actis particulis, in placentis ſcilicet ſeu ſeminalibus foliis jam concretis, non ſolùm laxatis meatulis augetur; ſed ad vegetandum excitatur. Hactenus *Malpighius*.

Quòd folia ſeminalia ad primam vegetationem ſeu germinationem plantulæ neceſſaria ſint, experimenta allata evincunt: ſeu quia humor terrenus minimè idoneus eſt plantulæ dum adhuc tenella eſt alendæ, niſi præparetur per admixtionem ſucci foliorum ſeminalium fermentativi, ut *Malpighius* conjectatur, & rationi conſonum eſt, ſeu quia tenella & imbellis plantula è terra nondum haurire valeat quantum ſibi alendæ ſufficiat, ſed ſupplemento adhuc egeat à foliis ſubminiſtrato, ut pullo recens excluſo alendo vitellus neceſſarius eſt, quantumvis cibum ore capeſſat; ſeu ob utramque rationem.

Quòd folia hæc ad vegetationem proſperam faciant aliquamdiu etiam poſtquàm planta è terra emerſerit experimenta itidem probant.

Quod verò non ſemper neceſſaria ſint, neque etiam utilia, manifeſtum eſt, quia poſt aliquod tempus paulatim marceſcunt & intereunt, radice totum ſuum nutrimentum plantæ ſubminiſtrante.

Notandum quoque eſt, quòd poſt vegetationem inchoatam plantula tenella recens nata partem ſaltem aliquam nutrimenti ſui radice attrahit, ut patet à celeri auctu & extenſione foliorum ſeminalium. Sic in Animalibus videmus quòd Embrya partem aliquam nutrimenti è cotyledonibus ſeu placenta uterina exugunt, partem ore admittunt, dum adhuc in utero ſunt: ſiquidem in ventriculo diſſecto idem planè humor invenitur qui in amnio cernitur, & in inteſtinis etiam excrementa, poſt ejuſmodi humoris coctionem & diſtributionem reliqua, obſervantur.

Ex his omnibus colligere licet primum plantulæ ſeminalis alimentum, & (ut veriſimile eſt) fœtus etiam in utero à cotyledonibus ſeu placentis uterinis, hoc eſt in plantis à foliis ſeminalibus præparari & præberi; poſtmodum ſucco nutritio partim ore ſeu radice hauſto, partim à cotyledonibus ſubminiſtrato aluntur, adeóque paulatim indies ore ſeu radice plus aſſumentes, à cotyledonum ſucco velut ablactantur, eóque tandem prorſus deficiente, animalia ore, plantæ radicibus integrum ſuum alimentum hauriunt aut capeſſunt.

Supereſt jam ut de iis ſeminibus dicamus, in quibus plantula ſeminalis non binis ſeminalibus foliis, radice & gemmâ conſtat, ſed cujus folia primùm apparentia ſubſequentibus ſimilia ſunt.

Horum duo genera obſervavimus. Primum eſt eorum in quibus plantula ſeminalis alteri ſeminis extremitati, ei nimirum quæ vaſculo ſeminali contigua eſt, exteriùs affigitur, figurâ ferè gemmæ cum ſcuto ſuo in emplaſtratione arboris alicujus trunco aut ramo appoſitæ. Secundum eſt eorum in quibus plantula ſeminalis media ſeminis pulpa velut medulla includitur.

Prioris generis ſunt frumenta omnia & gramina quæ fibroſas obtinent radices; plurimis minutis fibrillis è fundo plantæ unà erumpentibus, non autem ſimplici trunco qui poſtmodum in ſurculos & fibras ſpargitur. Sic in grano *Hordei* v. g. obſervavi ſex ejuſmodi fibrillas enatas, antequàm folium germinare inciperet. Plantula ſeminalis in his vix decimam partem pulpæ ſeu medullæ ſeminalis magnitudine æquat. Reliqua pulpa ſeu farina plantulæ dum adhuc tenella eſt nutriendæ inſervit, etiam poſtquam radices egerit; quemadmodum in Animalibus oviparis ovi vitellus pullo alendo aliquandiu etiam poſtquam excluditur, quamvis interim ipſe cibum roſtro capeſſat. Pulpam hanc ſeu carnem ſeminis in hoc genere folium conglobatum appellat vir nunquam ſatis laudatus *Marcellus Malpighius*, in *Plantarum Anatomes parte prima, pag.* 77. qua occaſione in hanc opinionem inductus eſt ipſe declarat. In *tritico* (inquit) & *avenaceis* videtur plantula ſeminalis unico hócque obſcuro folio prædita. Huic meditationi lucem tulit ſeminum *pomi Armeniaci* frequens inſpectio: ſemel enim incidi in ſeminalem plantulam folio deſtitutam, & hujus gemma cum radice non parum luxuriabat: aderat autem intra eundem nucleum alterum ſemen ſeu plantula, in cujus auctionem primò conſpiraverat natura. Ex hoc itaque monſtro interdum credidi frumenti & conſimilium ſeminales plantulas unico pollere folio, cui hæret gemma cum cauliculi inchoamento & radicibus. Sic in *Avena* præcipuum corpus ſeu ſeminis caro in ovale & oblongum configuratur corpus, quod in ſui medio excurrentem exhibet foveam. Namque eſt veluti craſſa lamina ſuis extremis in medium reflexis & convolutis cujus ſummitati plantula ſeminalis appenditur ſeu inſeritur. Hactenus *Malpighius*. Verum hæc medulla ſeu caro farinacea ſeminis, ſeu folium convolutum conglobatúmve dicenda ſit ſive minus, certè plantulæ recens ſatæ alimentum ſuppeditat, ut in *tritico*, v. g. evidentiſſimè apparet. Si enim cùm primùm exorta fuerit plantula, eam extirpes, pulpam in grano ferè integram invenies; quod ſi de die in diem plantulas ſimul ſatas extirpare pergas, pulpam ſeu farinam ſenſim quotidie minui obſervabis, donec tandem nihil reliquum ſit præter vacuum folliculum plantæ fundo adhærentem. Pulpa autem ſeminis ſeu farina poſt germinationem terræ humore per poros tegumentorum percolato commixta in cremorem faceſſit chylo non diſſimilem. In iis autem frumentorum generibus quorum grana membranâ tenui veſtiuntur, ut v. g. *tritico* & *ſecali*, folium tegumenta dirumpit, & ab eadem cum radicibus extremitate egreditur. In quibus verò grana cortice craſſiore obteguntur, ut *Hordeo* & *Avena*, folium ſub craſſiori cortice reptans è ſeminis ſummitate exit, quamvis gemma ſeu plantula ſeminalis eidem ſeminis inferiori extremo adnaſcatur, primáque tum folii tum radicis germinatio ab eodem puncto incipiat tam in hoc genere quàm in illo.

Secundi generis ſemina, h. e. in quibus plantula ſeminalis mediâ ſeminis pulpâ includitur nonnihil variant. In nonnullis enim tum truncus tum folia perfectè formantur. Sic v. g. in nucleis *pineis* (& ut veriſimile eſt, aliarum omnium coniferarum & reſiniferarum arborum ſeminibus) *Pinum*

pusillum perfectè effigiatam truncóque & foliis suis discretam, prout apparet cùm primum sata è terra emerserit, si eos dissecueris facilè invenies. Pulpa exterior, cujus medium occupat plantula seminalis, eidem alendo non videtur inservire, saltem maxima ejus pars. Observavi enim à germinatione post plantulam enatam totam ferè pulpam exteriorem in cortice residuam. Si conjecturas sequi licet, verisimile nobis videtur, pulpam inservire semini partim protegendo nè arescat nimis & humidum ejus radicale evaporet, partim succo nutritio per filtrationem depurando, partim denique ut tenuior ejus pars cum humore commixta in nutritionem plantulæ tenellæ facessat.

2. In aliis plantula seminalis nihil aliud esse videtur quàm cylindrus aut bacillus quidam, in nonnullis acuminatus, in aliis in capitellum extuberans. Plantula hæc cylindroides in nonnullis seminibus incurvatur, in aliis rectà extenditur, in omnibus eam seminis partem occupat, quæ matri adnascitur, & ad molem pulpæ seminalis minimam obtinet proportionem; reliqua autem pulpa corpus est durum & cartilagineum; quod plantulæ seminali partim alendæ, partim protegendæ inservire videtur. Hujus generis sunt semina bulbosarum omnium, *Iridum*, *Ari*, *Asparagi*, & (ut puto) *Pæoniæ* & *Cyclamini*. Aliquam etiam inter hæc semina differentiam observavi. Nam in seminibus *Cepæ* & *Porri* exterior terminus cylindrici stipitis seu plantulæ seminalis, primùm germinans, deorsum rectà descendit in terram, & fit radix, pulpâ seminali alimentum eidem suppeditante, & eam velut protrudente. Radix deinde terram apprehendens alimentum inde attrahit, & vicissim trunco reddit, qui in longum extensus supra terram assurgit inflexus, cum alteri extremo radix alteri autem semen alimentum subministret. Verum cum radix copiosiùs præbeat quàm semen, hinc fieri videtur, quòd à flexura trunci medietas illa quæ radici continuatur, celeriùs crescens & productior facta, alteram medietatem unà cum semine adhærente è terra extrahat & sursum rapiat.

Siquis autem plantulam seminalem videre desiderat, semen quodvis ex majusculis (quæ huic usui aptiora sunt) adultum quidem, dum tamen adhuc viride est & humore turget, dissecandum sumat; quòd si exiccatum offeratur, aquâ tepidâ prius infundat donec intumescat & germinare incipiat. Tunc enim plantulam tunicis exutam facile explicabit, omnesque ejus partes, folia seminalia, radiculam & gemmam, clare discernet. Quod si fecerit, non poterit non naturæ artificium in plantis seminalibus tam curiosè complicandis summopere admirari, & tam amœno spectaculo vehementer capi & delectari.

CAP. XVI.

De Partibus Plantarum secundariis seu auxiliaribus, Capreolis, Spinis, &c.

CUM Plantarum nonnullarum eximiæ etiam magnitudinis Caules infirmiores sint quàm ut per se subsistant, quin humi provolvantur, necesse est in alienis adminiculis sustententur: harum securitati solicita partes aliquas secundarias & auxiliares ingeniosa excogitavit Natura, quarum ope vicinis stirpibus aliisve fulcimentis sese implicantes adhærentésve firmentur & in altum enitantur, adeóque & seipsas tutentur, & fructus suos ad maturitatem feliciùs perducant. Aliis enim Capreolos concessit seu claviculos, quibus (ut Cæsalpini verbis utar) tanquam manibus vicinas plantas apprehendant, & velut funiculo circumducto amplexentur, ut *Viti*, *Cucurbitæ*, *Piso*, aliisque leguminibus. Oriuntur autem Capreoli vel in ipsis foliorum alis, vel à latere, vel ex adverso, vel etiam in summis foliis, ut Leguminibus quibusdam contingit. Hujusmodi capreoli styliformes appendices seu flagella exserunt, modò tria, frequenter quatuor, & non raró etiam sex. Hæc à primordiis tenella, & parùm obliqua (verba sunt Malpighii) producuntur; temporis tractu solidiora reddita in spiram contorquentur, unde occurrentes plantarum ramos arctè amplexantur. Capreolorum color viridis est, & fistulis, tracheis, & interpositis utriculorum ordinibus compaginantur. Aliis eadem polydædala natura aliud vinculorum genus machinata est. Sic *Hederæ* vulgari cirros quosdam seu radiculas pilosas indulsit per totam caulem frequentes hinc indè, velut Millepedum pedes, qui, observante sagacissimo *Malpighio*, glutinosum fundunt humorem seu terebinthinam, quâ arboribus aut parietibus occurrentibus pertinaciter adhærescunt & agglutinantur. Sic Hederæ Canadensi quinquefoliæ quasi manus quasdam elargita est, velut in digitos divisas, qui diuturnitate temporis cincinni instar in spiram contorquentur. Horum extremitates (eodem observante) dum tenelli sunt acuminatæ extant, tandem verò laxantur in corpus crassiusculum, quod papillis seu minimis siphonibus refertum, terebinthinam fundit, unde parietibus hærens concretam quasi cuticulam efformat, quæ nisi summâ vi à muro vel subjecto ligno avelli nequit.

Aliis autem plantis infirmis (ut id obiter notemus) vel caules volubiles concessit, ut *Convolvulo*, *Lupulo*, *Phaseolis*, *Helxine*, *&c.* quibus vicinas stirpes aut pedamenta amplexentur, serpentum modo iis se circumvolventes; vel foliorum pediculos tortiles, quibus sese iis adnectant, ut in *Clematide*, *Fumaria*, *Nasturtio Indico* cernitur.

Alias præterea Plantis partes minùs principales aut forte excrementitias donavit natura, pilos & aculeos. Illos vel ornamenti vel tutelæ causâ, vel (quod opinatur Malpighius) ut turgentis alimoniæ sub harum forma incongrua portio erumpat & digeratur; de quibus ipsum eruditè & subtiliter, ut solet, philosophantem consulas: hos ad arcendas injurias aut etiam inferendas, nunc in caulibus, ut Rubo; nunc in foliis, ut Agrifolio; nunc in fructu, ut *Tribulo*; nunc sub foliis tantum, ut Ononi; nunc ubique, ut in plurimis Acanaceis *Cæs.* In his ipsis plantis nonnullis elargiendis providentiam naturæ satis admirari amplectique non est (inquit Plinius.) Naturæ autem consilium in hujusmodi aculeatis efformandis ingeniosè simul & succinctè explicat, pro more suo, verbis sequentibus. Inde excogitavit aliquas aspectu hispidas, tactu truces, ut tantùm non vocem ipsius naturæ fingentis illas rationémque reddentis exaudire videamur, nè se depascat avida Quadrupes, ne procaces manus rapiant, nè neglecta vestigia obterant, ne insidens ales infringat, his muniendo

aculeis

aculeis telisque armando, [provisum] remediis ut tuta ac salva sint. Ita hoc quoque quod in iis odimus hominum causâ excogitatum est.

Cap. XVII.

De Nutritione Plantarum.

N*Utritio* dicitur alimenti intus suscepti & alterati in omnes Plantæ partes distributio, sique earundem substantiam transmutatio, ad supplendum id quod continuè caloris seu insiti, seu adventitii vi absumitur & evaporat. Partes enim humidiores tam Plantarum, quàm Animalium in perpetuo fluxu sunt: id quod ex foliis & floribus decerptis evidentissimè apparet. Hæc enim flaccescunt illico & contrahuntur, ob succi eorum vasa & vesiculas replentis & distendentis fugam. Eadem autem succi evaporatio partibus hisce accidit dum adhuc plantæ matri cohærent, nec tamen sentitur, foliis consistentiam & extensionem suam nihilominus retinentibus, ob novi scilicet humoris à radice subministrati jugem effluxum. Plantarum autem nutritio à nutritione Animalium in eo differt, quòd hæc cibum ore assumptum in ventriculo concoquant, adeóque comminuunt & partium ejus unionem laxant, ut sponte ferè ab invicem secedant, saltem purum ab impuro, clarum à fæculento, alimento idoneum ab excrementitio haud difficulter possit secerni, adeóque illud vasorum mesentericorum (quæ plantarum radicibus respondent) seu poros, seu orificia subire, hoc per partes & meatus ad id officium destinatos expelli: Plantæ autem succum nutritium non præparant; nullus enim in iis ad hoc præstandum partium apparatus, nullum os, nullus ventriculus, nullæ primæ viæ, sed quem in terra inveniunt succum radicibus excipiunt & assimilant.

An Plantæ electione quadam in alimento attrahendo utantur, ut quod congruum est & nutritioni idoneum imbibant, incongruum repudient; an verò quodcunque se offert indiscriminatim admittant, ambigitur. Nonnulli attractionem electivam asserunt: quæ tamen nobis non probatur. Primò enim attractionem propriè dictam in rerum natura dari, imò possibilem esse, vix concedimus. Fieri tamen potest ut radicum pori taliter figurati sint, ut particulas amicas & plantæ alendæ aptas intromittant, alienas & incommodas excludant; quomodo Hepar bilem, Renes urinam transmittentes à sanguine intus cohibito secernunt. Verùm id non fieri multis experimentis probatur.

Aqua enim vulgaris, fibrarum cava facilè subintrat, eáque liberè permeat, ut superiùs ostendimus. Deinde verno tempore qui factâ incisione effluit liquor, pruinosa præsertim tempestate, ab aqua communi gustu vix potest discerni. Probabilius ergo nobis videtur, stirpes omnes succum quemcunque in terra invenerint intus suscipere, qui in vasis cum succis uniuscujusque propriis permixtus concoquitur & assimilatur, superfluo & ad nutriendum inutili rejecto & evaporato; ad eundem modum quo tertia (ut vocant) concoctio in Animalibus peragitur, quæ ex chylo in sanguinem recepto partem aliquam assimilant, reliquum qui nutritioni superest, per transpirationem insensibilem evacuant, qui sanè longe maxima ejus pars est. Animal enim plus excrementorum hoc modo expellit quàm omnibus aliis viis simul sumptis, ut * *Sanctorius* demonstrat.

Plantas aquâ solâ nutriri posse & augeri tum nostra, tum aliorum experientiâ constat. † D. *Sharrocus* Catalogum nobis exhibet herbarum quarum surculi in phialas vitreas aquâ oppletas à se immissi germinârunt, quem non pigebit huc transcribere. *Balsamita fœmina*, *Menthæ quæcunque*, *Pulegium*, *Sedum multifidum*, *Prunella*, *Nasturtium aquaticum*, *Bugula*, *Trifolium purpureum*, *Clematis daphnoides*, *Herba Doria*, *Ranunculus*, *Becabunga*, *Althæa*, *Lauro-cerasus*, *Scordium*, *Tripolium*, *Polygonum*, *Nummularia*, *Panax coloni*, *Matricaria*, aliæque quarum non meminit. Nec dubium est, quin & aliæ multæ quas ille expertus non est pariter germinarent & radices agerent. Aqua enim non est simplex & purum elementum, sed multas heterogeneas particulas, præsertim salinas, in se continet.

* *Lib. de Medicina Statica.*

† *Lib. de propagat. Vegetabilium.*

Quomodo autem Aer hujusmodi Plantarum radices intret, non ità perspicuum est, cùm enim vitri poros non permeet, oportet ut per phialæ orificium ingrediatur & per aquæ poros se insinuet. Aquæ autem pori admodum stricti sunt, nec aerem nisi parvâ admodum quantitate, & in minimas particulas divisum admittunt. Et tamen (quod mirum) particulæ hæ quas Aer aquæ communicat non solùm plantarum vegetationi sed & piscium respirationi sufficiunt. Quandiu enim Aer aquæ superficiem lambit, tandiu pisces in vase vitreo incarcerati bene se habent: quamprimum verò Aer externus excluditur, ejus inopiâ laborant, & in superficiem aquæ confestim enatant, ut eo liberiore fruantur. Sive ergo Aer præcipitet nitrosas particulas in aquam (ut nonnulli volunt) sive subtilius aliquod corpus, certum est continuè & non interrupto tenore ab aere decedere hujus particulas, & per aquam diffundi: nam si perexiguo tempore, aer (ut diximus) intercludatur, pisces conclusi ejus absentiam sentiunt, & ægrè se habere incipiunt, quod & patiuntur in stagnis & piscinis amplissimis, cùm per hyemem aquæ superficies congelatur. Quòd si nitrum esset ab aqua solutum & præcipitatum cujus particulæ piscibus pro respiratione inserviunt, adeóque aqua perpetuo nitrosas particulas ab aere imbibat, quomodo fit ut aqua omnis jamdudum tantâ nitri copiâ impregnata non sit, quantam sustentare potis est, ut salsedo vel gustui perceptibilis fiat? saltem in stagnis immensis & piscinis: aquæ enim fluentes & per terram multam percolatæ facilè in eam particulas hasce iterum deponere possunt.

Quomodo succus nutritius per fibrarum poros arborum etiam altissimarum summa fastigia conscendat mihi non penitus perspectum fateor. Aquam in tenues tubulos utrinque apertos, perpendiculariter etiam erectos aliquousque ascendere experientiâ constat, eóque altiùs quò angustiores sunt tubi. Quis verò istius ascensus terminus sit, certúsne an incertus, & pro angustia tuborum in tantum altior, ut in angustissimis ad excelsarum etiam arborum summos apices evadat, me later.

Contra-

Contrarium tamen videtur cùm, annotante nobilissimo Boylio, satis difficulter ad tres quatuorve uncias ascendat. Quo impulsore hoc fiat, difficile est investigare. Aquam equidem in angustiores meatus quàm aerem, vel sponte se insinuare, vel vi compelli posse, adeóque tubulorum angustias aeri impervias subire, experimenta evincunt, quia scilicet aqua minoribus particulis componitur quàm aer. Cùm ergo fibrarum cava ob angustias suas aerem excludant, aquam admittant, externi autem aeris gravitas effectum suum sortiatur, quidni humorem in fibras sursum compellet, ad eam scilicet altitudinem, donec ad æquilibrium cum aere externo veniat, hoc est, ad triginta duorum plus minus pedum? Hæc quamvis ratiocinanti verisimilia videantur, si tamen experientiam consulas longè aliter rem se habere deprehendes; siquidem nobilissimus Boylius aquam in istiusmodi tubulis filtrisve non minùs intra Recipiens seu vas magnum aere exhaustum suspendi quàm extra in Aere libero & aperto, experiundo didicit & nos docuit.

Verum (ut id concedatur) arbores altissimæ duplo triplóve hanc mensuram excedunt. Alia ergo adhuc ascensûs causa, saltem adjuvans, quærenda est. Experientiâ constat aquam in vaporem resolutam, & in minima divisam, gravitatem suam amittere, & per aerem medium ascendere, quæcunque tandem gravitatis causa sit. Videtur ergo ut gravitas suum sortiri possit effectum, requiri ut corpus grave aliquam habeat molem & magnitudinem; aliàs enim (ut vidimus) si in minima dividatur, fieri potest ut à fluido cui innatant ejus particulæ vel sustentari possit, ut metalla etiam ponderosissima in menstruis eadem in minima solventibus, vel etiam sursum compelli, ut aqua in vaporem resoluta in aere. Fortè ergo succi in angustissimis fibrarum canaliculis in tenuissima filamenta divisio ad ascensum ejus promovendum concurrere potest.

Lib. de Anatome truncorum.

D. *Grew* ascensum succi in plantarum vasis, partim vasorum angustiæ, partim parenchymatis vasa ambientis, ex innumeris vesiculis compositi pressuræ attribuit. Hæ enim vesiculæ ad ingressum alicujus liquoris naturali quadam propensione se dilatant, ut in Spongiis apparet, quarum textura plantarum parenchymati non adeò dissimilis est. Parenchyma ergo succo repletum & intumescens continuum sese dilatandi & extendendi conatum exserit, unde & vasa unà comprimat & coarctet necesse est, adeóque & succum sursum compellat. Verùm cum compressio utrinque tam deorsum, quàm sursum effectum suum sortiatur, non video quin ascensum succi initio impediat, nisi valvulæ obstent, quas neque nos, neque D. *Grew*, ob rationes superiùs dictas admittimus. Adde quòd unde oriatur hæc sese dilatandi propensio in parenchymate plantarum, explicatione ulteriori indiget.

Nos equidem succum eodem ferè modo plantarum fibras subire & conscendere, quo aqua panis aut spongiæ poros, pannique linei laneive lacinias aut aliud filtrum solet, concedimus. Fibrarum etiam structura & conformatio (ut observat D. Malpighius) liquoris ascensum adjuvat. Sunt enim fibræ tubulosa corpora, è corpusculis plurimis concavis, quadratis, aut interdum orbicularibus, aliúsve figuræ, invicem hiantibus, composita. Subintrans itaque humor (D. * Malpighii verba sunt) sursum ascendit & quasi suspenditur. Singula namque portio quæ fibrarum frustula unit, cùm parum interiùs emineat, valvulæ vices supplet, & ità minima quælibet guttula veluti per funem, seu per gradus ad ingens deducitur fastigium. Quænam autem ascensûs hujusce causa efficiens seu impulsiva sit, quæ succum sursum adigat & compellat, nos hactenus latet; nec enim in causis assignatis nobismetipsis satisfecimus.

* *Anat. plant. part. 1. pag. 5.*

CAP. XVIII.

De Satione & Propagatione Plantarum.

SAtionis & propagationis Plantarum varii modi sunt. Veteribus usitati fuere *Semine*, *ramo*, *surculo*, *talea*, *malleolo*, *gemma*, *stolone*, *viviradice*.

Semen quid sit notius est quàm ut definiri debeat: Ramus pariter, & Surculus.

Talea nonnullis est Surculus utrinque præcisus. Varro lib. 1. de Re Rustica cap. xi. Demum in oleagineis seminibus arbores videndum, ut sit de tenero ramo, æquabiliter præcisum, quas alii clavolas, alii taleas appellant, ac faciunt circiter pedales.

Plinius Taleam à Ramo atque etiam Surculo distinguit, Ramum facit majorem Talea, Taleam Surculo. Ejus verba sunt, [lib. 1. cap. 17.] *Multa sic seruntur* (ramis scilicet) *ac imprimis Ficus, omnibus quidem aliis modis nascens, præterquam talea. Optimè quidem si vastiore ramo pali modo exacuto adigatur altè, exiguo supra terram relicto capite, eóque ipso harenâ cooperto. Ramo seruntur & Punicæ, palis laxato priùs meatu: item Myrtus: omnium horum longitudine trium pedum, crassitudine minùs brachiali, cortice diligenter servato, trunco exacuto. Myrtus & taleis seritur: morus taleâ tantùm, quoniam ramis eam seri religio fulgurum prohibet. Quapropter de talearum satu nunc dicendum est: Cavendum in eo ante omnia, ut taleæ ex feracibus fiant arboribus, nè curvæ, nè scabræ aut bifurcæ, néve tenuiores quàm ut manum impleant, nè minores pedalibus, ut illibato cortice, atque ut sectura inferior ponatur semper & quod erat ab radice, accumuletúrque germinatio terrâ, donec robur planta capiat.*

Palladius Clavolam à Talea diversam facit, quam Varro (ut vidimus) cum eadem confundit. *Mense* (inquit) *Martio Citri arbor 4 modis seritur, semine, ramo, talea, clava: & paulò post, Clava seri commodius est, quæ fit manubrii crassitudine, longitudine cubitali, ex utraque parte lævigata, nodis & aculeis recisis, sed relicta summitate gemmarum, per quas spes futuri geniminis intumescat, &c. Talea & gracilior & brevior esse potest, quæ similiter ut clava mergatur. Sed talea palmis duobus supersit; clava omnis obruatur.*

Malleolus à Columella de Re Rust. l. 3. c. 5. sic definitur. Malleolus novellus est palmes, innatus prioris anni flagello, cognominatúsque à similitudine rei, quòd in ea parte, quæ deciditur ex vetere sarmento prominens utrinque malleoli speciem præbet: & Plinius *l.* 17. c. 21. Solebat capitulatus utrinq, è duro surculus seri, eóq; argumento malleolus vocatur etiam nunc: & Columella, c. 17. Malleolis autem sic ab iisdem [agricolis antiquis] pangebatur, ut novello sarmento pars aliqua veteris hæreret:

ret: Sed hanc positionem damnavit usus. Nam quicquid ex vetere materiâ relictum erat depressum atque obrutum celeriter humore putrescebat, proximásque radices teneras & vixdum prorumpentes vitio suo enecabat: quod cùm acciderat superior pars seminis retorrescebat. Secuti ergo quicquid residui fuit ex vetere palma, per ipsam commissuram, quâ nascitur materia nova, resecuerunt, atque ita cum suo capitulo sarmentum depresserunt.

Et ad faciendum malleolum supremam flagelli partem resecuerunt, solámque eam quæ est juncta cum vetere sarmento probaverunt. Longitudo quæ debeat esse parum certa est (inquit idem) quoniam sive crebras gemmas habeat, brevior faciendus est: seu raras longior: attamen nec major pede, nec dodrante minor esse debet.

Superior pars surculi seu flagelli Sagitta rusticis vocabatur, eodem autore, sive quia longiùs recessit à matre & quasi micuit atque prosiluit; sive quia cacumine attenuata prædicti teli speciem gerit. Hanc prudentissimi agricolæ negaverunt conseri debere; nec immerito: Omnis enim fœcundus pampinus intra quintam aut sextam gemmam fructu exuberat, reliqua parte, quanvis longissima, vel cessat, vel perexiguos ostendit racemos. Quam ob causam sterilitas cacuminis jure ab Antiquis accusata est. *Sagitta quid.*

Stolo à Stolone viro qui propter diligentiam culturæ Stolonum confirmavit cognomen dictus est, quòd scilicet nullus in ejus fundo reperiri poterat Stolo, quod effodiebat circum arbores è radicibus quæ nascerentur è solo quas Stolones appellabant. Stolo ergo *J. Bodæo à Stapel* est qui nascitur circa stipites & avellitur cum radice & corporis parte & sic seritur: quo à Viviradice differt, quæ integra ex arboribus è longinquo extrahitur. *Plin.* lib. 17. cap. 10. Et aliud genus simile natura monstravit, avulsique arboribus stolones vixere. Quo in genere & cum perna sua avelluntur, partémque aliquam à matris quoque corpore auferunt secum, fimbriato corpore. Hoc sensu si accipiatur non video quid differat avulsio à Stolone. Nobis tamen Viviradix dicta videtur vel soboles quæcunque à radice, jam ablactata à matre, & suis radicibus sibi sufficiens; vel alia quævis propago quæ jam radices egit. *Stolo quid & unde dictus. Viviradix.*

Antequam exponamus quot modis arte propagentur plantæ, inquirendum videtur quot quibúsque modis sponte naturæ se propagant: Ii autem sunt vel 1. *Semine*: vel 2. *Flagellis* ceu funiculis emissis; ad nodos radices agentibus & sursum germinantibus: quæ flagella ad plantam propagandam nata videntur. Nam germina illa ad nodos radices agentia, cùm invalescunt, funiculis exarescentibus à matribus suis sponte separantur, & novæ plantæ fiunt: ut in *Fragaria, Pentaphyllo*, &c. videre est. 3. *Sobolibus* ex radice, iisque vel surculorum seu virgarum specie è radice transversim acta seu reptante succrescentibus; vel gemmarum seu bulbillorum specie; idque vel ex radicis fundo vel ex fibris in bulbulos intumescentibus, ortis. Quæ ex tuberibus sponte propagantur plantæ ad alterum genus, ex radicibus transversis in tubercula extumescentibus referendæ sunt. 4. *Caulibus* ipsis, humi procumbentibus, & ad nodos radices agentibus, quod plurimis plantis contingit.

Dantur & alii modi peculiares quibus plantæ nonnullæ se propagant, ut v. g. Ficus Indica gummi è ramis in terram usque demisso funiculi specie. Allii quædam genera bulbulis seu spicis in summo caule confertim enascentibus. Chelidonium minus tuberibus in alis imorum foliorum ortis: Moly Homericum dictum bulbo in summo folio excrescente: Opuntia foliis depactis. Verum quoniam paucarum admodum specierum sunt, non est cur eorum rationem habeamus.

Superest jam ut exponamus quot modis plantæ arte propagari possint, aut soleant. Ii autem ad duos reduci possunt, *sationem* nimirum & *insitionem*. Quod ad primum attinet, Plantæ seruntur vel 1. *Semine*, vel 2. *Ramo* [Sub ramo comprehendo etiam *taleam*, *clavolam*, *malleolum*, *surculum*] eoque vel deciso, seu avulso à caule antequam radices egerit, & in terram depacto; vel terræ submerso, nec à matre separato antequam radices egerit: vel 3. *Sobole* seu ex flagello, ut in Fragaria; seu ex radice sub terra reptante, surculi specie assurgente, quæ vel Stolo vel Viviradix dicitur, seu è radicis fundo exeunte, Gemmæ specie, ut in Bulbosis. Bulbus enim (ut diximus) nihil aliud esse videtur quàm Gemma grandior subterranea. In bulbosis autem soboles non semper è bulbi parentis fundo exit, sed interdum è fibra crassiore in bulbum extuberante, seu denique è radicum tuberibus in iis quæ radicibus tuberosis sunt. Potest etiam propagari planta radice divisâ in tot scil. partes si placet quot ex ejus capite gemmæ exeunt; gemmâ cum parte aliqua radicis adhærente decisâ. *De Satione. Propagatio per Semen.*

Plantæ autem inseruntur multis modis, de quibus postea breviter agemus, cùm varios sationis modos expediverimus: Primò ergo plantæ seruntur *Semine*.

Antequam autem Semina terræ mandentur, oportet ut solum debito modo præparetur, nimirum ut aratro sæpius vertatur, ligone fodiatur, surculo findatur, bipalio subigatur, occa & rastro in minutias dividatur. Hoc autem fieri convenit, partim ut inutilibus herbis eradicatis & submersis, aut ejectis liberetur: partim ut solum laxius & levius, mollius & tenerius reddatur, quo fit tum ut satorum radices facilius illud penetrent, adeóque fibras undique spargentes latiùs se diffundant, & copiosius alimentum attrahant, unde plantæ lætiores & vegetiores fiant: tum ut particulæ aeris nitrosæ, quibus præcipuè vegetatio promovetur, in terreni interstitia liberiùs & copiosiùs se insinuantes ibidem præcipitentur & terreno adhærescant. Quin & aquæ pluviæ fortasse ad salium solutionem conducunt, quos secum unà in radicum poros convehunt. Præterea in terra laxa & soluta aquæ promptius subsidunt, adeóque nec humore nimio radices suffocant, nec frigore corrumpunt. Præterea terra laxa & soluta ad hoc conducit ut Aer copiosior radicum tracheas subeat ad respirationis usum, quam Plantis non minùs necessarium esse quàm Animalibus superiùs ostendimus.

Commodissimum serendi tempus Natura indicat, nimirum quando semina jam plenam maturitatem adepta vel dehiscentibus conceptaculis in terram decidunt, vel contrahentibus se valvulis excutiuntur, vel lanugine innascente alata ventorum arbitrio huc illuc feruntur & latè disseminantur.

Harum nonnulla Autumno plantas producunt totâ hyeme virentes: aliæ per hyemem in terra restant, nec ante ver proximum ex involucris erumpunt. Ex iis quæ Autumno exeunt alia, ut v. g. *Angelicæ*, ex observatione nostra & aliorum, collecta & asservata vere serentem plerunque frustrantur, sponte delapsa & terræ gremio excepta, vel etiam à satore eidem mox concredita haud dubie

dubie germinabunt nisi tempestas admodum sicca & æstuosa fuerit, quo in casu per hyemem in terra quiescentia, sequenti tamen vere in lucem exibunt; cùm tamen si à colligente reposita vere sata fuissent nequaquam germinâssent. Alia quamvis vere etiam sata haud infeliciter proveniant; fideliùs tamen & latiùs Autumno, firmiores etiam fiunt plantæ inde enatæ adversùs injurias cœli, & sequenti æstate uberiore quam vernales proventu, cæteris paribus, Agricolam aut Hortulanum locupletant, grano quoque turgidiore, solidioréque fœtæ. Nam ex observatione prudentissimi agricolæ, Amici nostri plurimùm honorandi, quò planta aliqua ex semine nata diutius duraverit antequam in semen abierit, hoc est, quo maturiùs sata fuerit, eo semen copiosius, plenius, ponderosius, cæteris paribus producit. Sic Triticum & Avena hyberna seu autumno sata, vere editis, firmiora solidioraque sunt.

Reliqua quæ per hyemem in terra restant, proculdubio vel terreni vapore macerata, vel salinis quas imbibunt particulis imprægnata ad germinandum præparantur: & securiùs interim latitant, tempestatúmque omnes mutationes constantiùs tolerant, quàm in Apothecis recondita, & quam diligentissimè adservata.

Exoticas tamen plantas & regionum calidiorum alumnas si habere velimus, oportet ut eorum semina vere seramus, quandoquidem illæ hyemes nostras non tolerant, sed à frigore facilè corrumpuntur.

Quinimo si præcoces fructus è tenerioribus desideramus, sive rariores & delicatiores omnino ad maturitatem perducere cupimus; oportet ut pulvino calenti, è fimo equino recenti paleis permixto extructo, deinde terra pingui cribrata, ad trium quatuórve digitorum altitudinem instrato, & operculo è storeis superinducto tecto, semina committamus.

Quocunque autem tempore seras Semina eligantur recentia, æstatis proximè præteritæ, si haberi possunt. Quamvis enim Plantæ nonnullæ ad decennium & ultra fœcunditatem suam custodiant, alia tamen eam citiùs amittunt: omnia autem quò vetustiora eò difficiliùs & parciùs germinant.

Quæ in aquâ subsidunt firmiora sunt, & ad serendum fideliora, quæ fluitant languidiora & propagationi inepta.

In siliquis & spicis media potiùs quàm ima aut summa nobis probantur, quamvis Ferrarius ima in Caryophyllis commendet.

Quòd si flores multiplices aut variegatos desideras, præstat semina colligere è siliquis aut conceptaculis ejusmodi floribus succedentibus. Sive enim varietates illæ morborum symptomata sint, sive naturæ errores, sive ejusdem lascivientis lusus, pronior certè erit natura in his ad ita iterum deerrandum aut lasciviendum: quemadmodum videmus in Animalibus parentes morbo aliquo aut corporis vitio, membro v. g. deficiente aut redundante, laborantes sobolem non raró procreare iisdem vitiis affectam, & morbis obnoxiam. Hoc autem præcipuè in *Mirabili Peruviana* servandum si floribus striatis insignem plantam obtinere cupias.

Semina omnia sicca tempestate serenda sunt, tertio quartóve die à pluvia largiore. *Nec tamen* (inquit * Ferrarius) *simul ac magnis imbribus terra permaduit seres, sed tantisper exspectabis dum pluvius ille mador modicè exsiccetur, nè madenti limosóque solo statutæ radices exputrescant.* Hoc autem in seminibus quæ humore nimio in mucilaginem facilè solvuntur, ut v. g. *Myrrhide, Ocymo, Scorzonera*, præcipuè servandum est nè solo madido serantur, néve recens sata irrigentur.

* Horticult. lib. 3. c. 1.

Cavendum etiam est, nè recens sata quæcunque tempestate frigidâ irrigentur, néve aquâ gelidâ fontanâ aut puteali, nisi prius probè insolata fuerit.

Nonnulli Semina aquæ seu simplici, seu nitratæ, vino, aliive alicui liquori priùs infundunt quàm terræ committunt ad germinationem promovendum: quod tamen non necessarium esse puto in seminibus recentibus & indigenis, fortè etiam nocivum in aliquibus. Verùm in vetustis & aridioribus, aut exoticis *Hen. Corvini* Romani praxin non improbo cujus meminit * *Ferrarius* his verbis. *Antequam contumacis lentæque duritiæ semina solo committat, aquam defundit in catinum, nitri modicum superfundit ac distabescere sinit: in eam nitratam aquam semina immittit: duodenas horas pro varia duritie plus minúsve macerari & medicari patitur, exinde serit: eandem aquam inspergit, ut nitrum ex igneo terræ halitu concretum seminalem contumaciam ad uberem germinationem proritet.*

* Hortic. l. 3.

Generale est in omni satione ut semina terrâ operiantur, non quod exposita & intecta minimè germinent, sponte enim decidentia non minùs feliciter pullulant, sed nè avibus spermologis præda fiant. Seruntur autem & conteguntur variis modis, nimirum vel in sulco terrâ aratro superinjectâ, vel in superficie terræ occâ aut rastro inhumata, vel in area coæquata, pulvere aut velut farina terræ manu aut incerniculo inspersa, vel denique seorsim singula in foraminulis pastino factis sepulta.

Summopere autem cavendum est nè semina altè demergantur aut nimiâ terrâ obruantur, adeóque sine ulla resurrectionis spe sepeliantur. Plurimos enim hac in parte errare video. Nam quamvis Triticum aliáque Cerealia quorum spiritus vegetiores leni etiam colore excitantur, germináque validiora gravem terræ incumbentis molem haud difficulter penetrent, ideóque ut hyemem facilius tolerent altius inhumari solent, nè scilicet radices immodico frigore perurantur; non tamen omnium, imò paucorum seminum eadem conditio est. Pleraque enim ad vegetandum segniora blando solarium radiorum tepore fovenda & ad pariendum invitanda sunt, ideóque in summa tellure modico insperso pulvere exponenda.

Quo Semina maturiùs seruntur vere, eò plantulæ indè enatæ diligentiùs à frigore defendendæ sunt; quò seriùs, eò largiùs irrigandæ & inumbrandæ.

An Plantæ sponte oriantur.

An Plantæ aliquæ nullo semine prævio sponte è terra oriantur difficilis quæstio est.

Qui affirmativam tuentur rationibus & experimentis suffragantibus non destituuntur. Cùm enim nulla non regio peculiares suas stirpes obtineat, verisimile videtur terram ipsam nullo imprægnatam semine familiares regionibus plantas producere.

Deinde in aggeribus fossarum derivandis aquis ad paludes exsiccandas ductarum in insula *Eliensi* ingentem Sinapeos vim enatam, & alibi etiam in areis gramineis effossis, mirati sumus: quam Sinapeos seminibus in terra residuis ortum suum debere verisimile non est, cùm nullum unquam Sinapi post hominum memoriam ibidem nascens observatum fuerat. In ruderibus etiam Urbis *Londinensis*

dinensis post deflagrationem illam funestissimam quæ anno 1666. accidit, non minorem copiam *Erysimi angustifolii Neapolitani* succrevisse Autores fide dignos habemus, partim etiam ipsi vidimus; cùm loca illa per multas annorum centurias ædificiis occupata fuissent, nec ullus ibi auditus Erysimi proventus. Oportet ergo ut vel sponte ortum sit, vel ex seminibus per tot annos in terra latentibus: nisi fortè suspicari velimus malè feriatum aliquem plantæ istius semina de industria sparsisse ut curiosis illuderet & admirationem excitaret. Non est autem cur quis miretur, ubi tantam seminis copiam, quæ ducentis agri jugeribus conserendis sufficeret, colligere potuisset. Plantam enim illam ad vias inter urbem & *Kensington* vicum, & alibi circa urbem copiosissimè provenientem observavimus: semina autem minutissima & numerosissima profert.

Tertio, Plantas imperfectas, *Fungos, Tubera, Muscos* & id genus ex semine non nasci manifestum est, cùm nullum (quantum hactenus observatum est) gignant: quin & Submarinas omnes, *Algas, Fucos, Corallia, Alcyonia, &c.* ob eandem rationem sponte oriri arbitramur, quod scilicet, nullum hactenus semen in iis animadversum fuerit, quod tamen satis mirari nequimus in tanta specierum multitudine, & uberrimo omnium proventu. Alii fortasse post nos diligentiores aut feliciores harum etiam semina detegent, aut propagandi modum invenient.

Vulgò receptum est, & experientiâ (ut aiunt) quotidianâ confirmatum, quòd si aqua in qua Fungi aliquandiu infusi distabuerint, vel etiam abluti fuerint, veteri pulvillo calenti, qualem modò descripsimus, affundatur, vel etiam Fungorum frustulatim divisorum particulæ minimæ eidem inspergantur, magnam indè Fungorum vim illico exorituram; unoquoque nimirum frustulo seu ramento imperfectæ istius plantæ prolifico & fœcundo, seminali vi potiùs dotari credito, ut in * *Mali Cydoniæ* v. g. ramis cernitur, quàm ut Natura semen aliquod visum fugiens, certè nondum detectum, in aliqua ejus parte occultaverit.

‡ *Sharroc. de Propag. Vegetab. c. 3. n. 5.*

Quartò & ultimò, Perfectiores etiam plantas interdum sponte oriri, aut ex alieno succo germinare magnum nobis argumentum Viscus suppeditat, arboribus innatus, etiam in prona seu aversa ramorum parte. Unde omnino fabulosum esse constat, quod de ejus exortu Veteres prodidere, quodque Proverbio illi *Turdus malum ipse sibi cacat* originem dedisse perhibetur. Quanto rectiùs Maro

Viscum
Fronde virere novâ cecinit, *quam non sua seminat arbos.*

Ex altera tamen parte satis mirari nequimus, Naturam *quæ nihil facit frustra*, semen alicui plantæ dedisse absque effectu, sed tota specie ad generandum inutile.

His omnibus rationibus & experimentis contrariam opponimus Clarissimi Viri Marc. Malpighii experientiam. Is enim ut exploraret an Terra nullo semine fœcundata plantas aliquas sponte produceret, terram è profundo erutam vitreo vase conclusit, cujus orificio multiplex Sericum velum super extendit, ut Aer & affusa aqua admitteretur, exclusis minimis seminibus, quæ vento rapiuntur: In hâc autem, inquit, nulla omnino planta vegetavit.

Ego equidem sententiam opinantium nullam dari in plantis generationem spontaneam libenter amplecterer, si experimenta permitterent. Verùm quæ adduximus contrarium suadent, necdum satis perspicio quomodo iis responderi possit. Temerarium enim nimis esset asserere, Plantas etiam imperfectas vulgò creditas semen gignere, cùm nullum in iis ostendere possimus.

Notandum tamen fieri posse ut plantulæ è radicum aut ramorum frustulis enatæ pro spontaneis fallant. Radicum autem frustula germinare ipse expertus sum in *Raphano rusticano* & *Scorzonera*: Ramorum minimas particulas J. Bodæus à Stapel, in *Salice* & *Rosa centifolia* ut apud ipsum videre licet, *Comment.* in *Theophr. hist.* lib. 2. cap. 1. pag. 73. D. Sharrocus in malo cydonia. *Lib. de propag. Plant.* cap. 3. n. 5.

Cæterùm Semina rariora in fictilibus serere convenit, ut Plantæ indè enatæ commodiùs transferri, & per hyemem, si opus sit, in hypocausta subduci possint. Oportet autem ut fictilium fundi foraminibus pertundantur, ut Plinius olim monuit, nè humor in fundo stagnans diutinâ morâ putresceret, & plantarum radices seu vapore, seu frigore suo corrumperet: fortè etiam nè respirationis inopia eædem suffocentur: quam rationem Plinius etiam ipse eleganter pro more suo innuit, *Per foramina* (inquiens) *infernè dato radicibus spiramento.*

Propagatio ex Surculo sato.

Secundò, Plantæ seruntur ramo aut surculo, vel avulso decisóve & terræ impacto, vel dum adhuc matri hæret depresso & eidem immerso tantisper donec radices egerit.

Surculi hi majores minorésve esse possunt pro natura plantæ serendæ. Aliæ enim seruntur ramo majore, aliæ taleâ, aliæ malleolo, aliæ sagitta, quas voces superiùs exposuimus.

Taleæ surculíve serendi recentes sint oportet, Oleæ tamen rami etiam sicci germinant, Veteribus id attestantibus, ut v. g. Virgilio, *Truditur è sicco radix oleagina ligno.* Quod quamvis Recentioribus nonnullis videtur, Fortunii tamen Liceti autoritas me movit ut Veteribus assentiar, Recentioresque eos dum temere rident seipsos deridendos propinâsse putem. Scribit autem Licetus se vidisse Rechi in horto patrui sui stipitem Oleæ sativæ aridum ferè ac levem, per decennium & ultra à trunco separatum, neque posthac unquam terræ implantatum, ad alterius ligni fulcrum in terram demissum, & ligno cui fulcimentum præstabat clavis ferreis affixum, pullulâsse germinâsseque eodem anno plures Olivarum novellas, foliis ac fructibus onustas, atque in posterum etiam per plures annos protulisse. Hinc virga illa arida, quam monachus à superiore suo, ut obedientiam ejus probaret, jussus assiduè irrigavit, si fortè oleagina fuit, potuit sine miraculo radices agere & germinare.

Quò teneriores sunt plantæ eò surculi earum seriùs pangendi sunt; adulto scilicet vere in frigidioribus hisce regionibus. Oportet etiam si tempestas permittat satos irrigare; si tempestas, inquam, permittat, nam si Aer paulò frigidior sit, nimius humor recens plantatos facilè corrumpit: quin & sereno cœlo radii Solares umbraculo opposito solicitè arcendi sunt, nè surculos depactos confestim urant & exsiccent.

Observandum etiam in plantis quarum caules nodis intercepti sunt, ut surculus serendus vel in ipso nodo, vel proximè infra nodum decidatur. Cùm enim radices ex nodis tantùm pullulent, si quid internodii relinquatur, necessariò putrescet & corrumpetur, adeóque vitio serpente periculum est nè proximum nodum veneno suo inficiat & surculum perimat.

Arbores surculis seu ramulis propagandi modum docet P. Laurembergius his verbis, Ramulum elegantem non tortuosum aut erosum, vegetum, anniculum (relinqui illi poterit portio exigua adhærescentis rami bimi.) Hujusmodi igitur ramum præcisum ab arbore, utraque extremitate mutilatum terræ fœcundæ ad profunditatem dimidiæ ulnæ arcuatim impone, substrato fimo, bubulo aut ovillo. Fossam terrâ conculcatâ reple.

Fruticum herbarumque taleolis vel ramulis pangendis alteram extremitatem malleo priùs conculca, ut filamenta ducat: Tum aqua irriga, non fimo, quem nullâ ratione ferunt: postea terrâ operi.

Nulla (pergit ille) ferè stirps est quæ non queat propagari per ramulos anniculos, modo 1. Inferior extremitas abscissa oblinatur emplastro sequenti vel simili, ℞ Ceræ, Terebinthinæ ana ℥i. Resinæ communis ℥ii. commisceantur. Sic naturalis succus non exsudabit, nec inutilis humor subibit, qui alioqui putredinem inferre solet. 2. Non directè infigas terræ ramulum sic oblitum, sed incurvo arcu, ut suprema pars promineat è terra, media tangat imum, infima, quam oblinendam dixi, sursum nonnihil vergat, ità tamen ut delitescat. E medio illo ramuli dorso innumeras videbis radices pullulare.

Alium adhuc modum proponit Stapelius. Ramus ab arbore avellitur superne deorsum, ut quasi pes illi adhærescat. Hinc pedunculus aut appendix undique perforatur subulâ: ad dimidiam ulnam defoditur in terra fertili, sæpiusque irrigatur.

Submersio. Propagationem illam quæ fit ramulorum submersione ipsa etiam natura docuit, plantarum plurimarum ramulis quamprimum reclinati terram attigerint radices sponte agentibus. Ramuli autem submersi non priùs ablactandi seu à matre separandi sunt, quàm radicibus multis in profundum actis terram firmiter apprehenderint: quâ autem parte matri hærent transversim initio ad medium ferè incidendi sunt, ut succo à matre parcè subministrato ei è terra exugendo assuescant adeóque faciliùs & tutiùs cùm res postulat ablactentur.

In Caryophyllis (monente D. Sharroco) surculi submergendi scapum sub infimo seu radicis capiti proximo, aut saltem secundo geniculo transversim imâ parte ad medium ferè incidito, deinde ab incisione facta sursum ad secundum (seu ab imo juxta quem incisio fit proximum) internodium findito, folii particula in fissuram immissa ut aperta teneatur, quamvis id non sit omnino necessarium: cùm enim incisio, ex ima (ut diximus) seu terram spectante parte fiat, surculus autem leniter primo à radicis capite reclinetur seu deprimatur, ut moris est, deinde summa ejus pars terra substrata erigatur mediâ in arcum flexâ, fissura sponte sua aperietur & hiabit, si omnia ritè peragantur. Nonnulli uncinulo ligneo in terram adacto surculum apprehensum detinent nè resiliat, sed in eodem situ in quo primò depositus fuit perseveret. Tandem surculi arcum seu partem inflexam terrâ pingui operias eámque frequenter irriges.

Aliarum etiam plantarum, exceptis iis quæ quoquo modo depositæ comprehendunt, ut Vitis, &c. surculos flagelláve submergenda pari modo incidere utilissimum erit, nè dicam necessarium. Tempestate etiam sicca surculi submersi assidue irrigandi sunt, aliàs enim radices non facilè emittent.

Tempestates autem huic operationi cum successu exercendæ commodissima sunt Veris initium, aut Æstas caloribus remissis in Autumnum declinans.

Circumpositio. Circumpositio non differt à submersione, nisi quòd in hac ramulus deprimitur ad terram, in illa terra vase idoneo vimineo ligneóve excepta attollatur ad ramulum, eíque circumponatur, ramulo scilicet per vas recipiens seu terram continens foraminibus ad id factis trajecto. Locum autem habet ubi ramulus ob altitudinem suam & distantiam à terra eo usque non potest deprimi. Solent autem nonnulli ramulum eâ parte quâ terrâ circumpositâ latitat, vel aliquantulum delibrare, vel corticem ejus superne subulâ perforare.

Itali utuntur cistulis ligneis quadratis, quæ ità confectæ sunt, ut non solùm foramen habeant in fundo, sed & compactæ sint ex duabus medietatibus, pro libitu separandis, vel iterum conjungendis: ut ità commodiùs ramis circumponi, & postmodum his in terram deponendis segregari iterum possint. * P. Lauremberg.

* *Horticult. lib. 1. cap. 22.*

Huc spectant hæc Plinii, lib. 17. cap. 13. *Alterum genus luxuriosius radices in ipsa arbore sollicitandi, trajectis per vasa fictilia vel qualos ramis, terrâque circumpactis: atque hoc blandimento impetratis radicibus inter poma ipsa & cacumina, audaci ingenio aliam arborem longè à tellure faciendi.*

Tertiò, Plantæ propagantur sobole, eâque vel

1. Ex flagellis seu cauliculis funiculorum specie serpentibus, & radices subinde agentibus, ut in *Fragaria, Pentaphyllo, Ranunculo, &c.*

2. Ex radicibus transversis, flagelliformibus, sub terra reptantibus, obiter germinantibus & surculos emittentibus: ut in *Ulmo, Pruno sylvestri, Ceraso, &c.* Atque hoc genus Soboles propriè *Viviradices* appellantur. *Stolones* enim dicuntur, qui è majoribus radicum truncis propè ipsum matris corpus seu ex imo ipsius caudice oriuntur, autore *J. Bodæo à Stapel.*

3. In herbis radicibus tuberosis donatis ex ipsis radicum tuberibus, ut in *Chelidonia minore, Flore Solis pyramidali, Croco.*

4. In bulbosis, ex ipso bulbi fundo aut fibra aliqua crassiore propè bulbum, bulbillorum seu nucleorum specie egerminante, ut in *Tulipa, Narcisso, Allio, &c.*

De his nihil præcipiendum habemus, nisi ut opportuno tempore transferantur, éque solo steriliore in fertilius & pinguius; nec antequam firmitatem aliquam & robur contraxerint à matribus ablactentur.

Cap. XIX.

De Insitione.

INsitio, voce latissimo sensu accepta, est ejusmodi applicatio surculi seu gemmæ ad truncum ramumve, vel suum, vel alienum, ut tandem uniantur & coalescant.

Insitio quid.

Cùm autem potissima succi nutritii pars inter libram & lignum ascendat, totum inserendi artificium in eo consistit, ut in trunco & surculo libra libræ, lignum ligno continua sint, & in eandem superficiem disposita; vel ut surculus gemmáve stipiti seu ramo ità applicentur, ut interstitium libræ & corticis in utroque [trunco & insito] ferè continuum sit, & unam quasi superficiem componat, unde è trunco in insitum [surculum gemmámve] facilis & expeditus succi transitus fiat.

Insitio est vel *surculi* vel *gemmæ*. Gemma autem à surculo non aliter differt quàm infans ab adulto. Gemma enim nihil aliud est quàm velut embryon surculi, perfectè quidem efformatum, omnibúsque suis partibus distinctum, tegumentis tamen velut secundis obvolutum & per Hyemem latitans, Vere sequenti in lucem edendum, & in surculum paulatim extendendum.

Insitio quotuplex.

Gemma & Surculus quid differant.

Surculus inseritur vel applicatione externa seu coaptatione, vel insitione strictè dicta.

Surculum inserendi modi.

Applicatio externa seu coaptatio est vel

1. Quando virgæ minori transversim obliquè dissectæ surculus paris crassitiei, pari obliquitate cæsus, ità applicatur, ut interstitium libræ & corticis in utroque (ut diximus) ferè continuum sit; deinde vinculo seu fasciâ circumductâ firmiter adalligatur, ut in situ contineatur. Obliqua sectio uncialis minimùm aut longior esse debet. Hic modus inserendi nostratibus *Whipgrafting* dicitur, & ob difficultatem surculum virgæ, sectionem sectioni coæquandi, ut exactè congruant, minùs frequentatur.

Primus coaptandi modus.

2. Vel secundò coaptatio fit, cùm surculus obliquè ut prior dissectus, ità tamen ut in suprema obliquæ sectionis parte cultello perpendiculariter adacto cortex cum tantillo ligni auferatur, trunco transversim primò seu horizontaliter dissecto, deinde ab uno latere [Austro-occidentali] cortice obliqua sectione eousque denudato, ut plano sectionis in surculo exactè respondeat, ità applicetur, ut angulus ejus seu projectura plano horizontalis trunci sectionis innitatur: adeóque vinculo adalligetur, & luto oblinatur. Hic modus inserendi *Shoulder-grafting* nostratibus appellatur.

Secundus modus.

Insitio propriè dicta duplex iterum est, vel

1. Inter corticem & lignum. Timebant scilicet Prisci, referente Plinio, truncum findere, ideóque inter corticem & lignum inserebant. Hic modus à * nonnullis nunc dierum in usum revocatur, & in arboribus quarum cortex à ligno ob ascensum succi priùs separabilis est quàm surculi ob gemmas nimis explicitas insitioni inepti (hujusmodi autem è frugiferis solæ Mali sunt) omnium optimus habetur.

Insitio inter corticem & lignum.

* *D. Langford.*

Trunco ergo & surculo ut in secundo coaptationis modo præparatis corticem nè auferas, sed duntaxat findas seu secundùm longitudinem incidas, à capite deorsum ad longitudinem ferè obliquæ surculi sectionis, ab Austro-occidentali trunci latere. Deinde cortice à ligno primò cultello, deinde instrumento ex ebore, osse, aut ligno aliquo solido, figurâ obliquæ surculi sectionis sed minore, ad id facto, immisso, leniter separato & elato, inter corticem & lignum surculum intrudas, ablato prius à tenui extrema surculi acie cortice, nè inter demittendum replicetur. Deinde quoniam surculus insitus corticem à trunco elevans, & ad utramque cuspidis suæ aciem cavitatem relinquens, influxum succi interrumpit, cortex trunci ad utrunque surculi latus incidendus est, nè à trunco abscedat, & ut ejus oræ cum corticis surculi marginibus concurrant & coaptentur, ad transitum succo à trunco in surculum dandum. Quibus peractis vinculo obligandus & luto muniendus est, ut in præcedentibus operationibus.

2. In fissuram ipsius ligni: quam Plinii verbis exsequar. Aufertur, inquit, serrâ æqualiter superficies, lævigatur falce truncus: deinde eodem per media leniter fisso, cuneóque tenui fissuram custodiente, donec cuspidatim decisus descendat in ramum calamus, operatio absolvitur. Surculi inserendi cuspis ità solet incidi ut cum basi ejusdem utrinque extante angulos efficiat, quò basis summo trunco firmiùs innitatur. Nonnulli tamen hanc praxin improbant, quia cuspis indè infirmior fit.

Insitio in fissura.

Verùm quoniam hæc inserendi ratio omnium longè usitatissima est, descriptio autem Pliniana nimis fortasse concisa & obscura alicui videatur, pleniorem & explicatiorem è Petri Laurembergii Horticulturæ, lib. 1. cap. 24. mutuatam dabimus.

Elige (inquit) verno tempore arbusculam crassitie trium circiter pollicum, cui deme partem superiorem serrâ, relicta unius ulnæ altitudine, operámque dato nè librum, id est, corticem saucies. Siquid inæquale relictum à serra, id cultro abscinde, & conforma in æqualitatem. Stipitem ita dispositum molli cultri ictu leviter finde per meditullium, cavendo summâ diligentiâ nè fissuras ducat fissura. Hanc fissuram cuneolo eburneo aut buxeo servabis apertam, ut eò promptiùs recipiat hospitem venientem surculum; sed neque illud negliges circumligandum esse stipitem funi aut vimine, eo loco quousque terminatam iri fissuram reberis, quæ si profundiùs penetrabit emorietur stipes, túque omnem perdes operam. His sic paratis sume surculum inserendum, quem in summitate præfectum altera crassiore parte, proximè sub nodo vel tumore, (qui omnibus bonis surculis inest, unde incipit quod unius anni ætatem gerit) scalpello conformabis in triangularem formam, cunei instar, non præsecto cortice ab uno loco, * integrâque servatâ quantum fieri potest, medullâ. Jam hunc surculum apice cuneato insere in stipitis ante præparati fissuram, eâ lege ut cortex surculi cortici stipitis respondeat, totúsque surculus firmiter fissurâ comprehendatur, subtracto iterum cuneo. Denique fissuram superne & ad latera arctissimè obtura ac obline emplastro emphyteutico, mox argillâ aut limo circumda, & linteolo investi aut cannabino vinculo obliga fortiter.

* *Hanc observationem nihili esse puto.*

Emplastrum hoc emphyteuticum non necessarium ducimus fortè etiam nocivum; siquis autem illud experiri velit ita præparet.

℞. Resinæ commun. ℥i. Ceræ ℥ß. Visci ℨij. Butyri antiq. q. s. ad form. empl.

Quæ arborum species sibi mutuò insitæ coalescunt.

1. Multa in hoc genus insitione servanda sunt. Primùm omnium quæ patiatur coitum talem arbor, & cujus arboris calamus. Facillimè coalescunt quibus eadem corticis natura, quæque pariter florentia ejusdem horæ germinationem succorúmque societatem habent. *Plin.* Oportet certè ut surculi truncis cognati & congeneres sint, aliter non coalescunt. Hinc mirum nobis non videtur, *Pyrum* vel *Cydoniæ*, vel *Oxyacanthæ*, huic *Mespilum*, *Pruno Armeniacam* insitam comprehendere, & vice versa. Quid enim est Malus Cydonia dicta quàm Pyrus fructu tomentoso? Malus Armeniaca quàm Pruni genus? nec fructus Oxyacanthæ à parvo Pyro vel figura, vel qualitate multum abludit. *Pyrus* & *Malus* ob dissimilitudinem non coeunt, uti nec *Malus* & *Oxyacantha*, nec (observante D. *Sharroco*) *Pyrus* & *Sorbus*. Hæ tamen (ut ex ejusdem observatione habeo) ut & aliæ diversi generis, sibi mutuo insitæ non rarò comprehendunt: post perfectam tamen (ut videtur) unionem, & germina productiora edita, surculi paulatim, quamcunque curam adhibueris, languescunt & tandem intereunt, ob succum vel deficientem, vel incongruum.

Fissura qualis esse debet.

2. Alia observatio est, nè fissura in nodo fiat. Repudiat quippe advenam inhospitalis duritia, ut in parte nitidissima, nè longior multo tribus digitis, nè obliqua, nè translucens, nè hiscat nimium rima laxéque capiat, aut nè parùm & exprimat, aut expressum necet. *Plin.* Hinc si truncus crassior sit monent hortulani, ut cuspidis surculi interior pars, quæ aliàs in aciem tenuari solet paulò crassior relinquatur, nè exterior adeò comprimatur, ut cortex laxetur aut corrugetur, adeóque succi influxus impediatur aut interrumpatur. Alii in hujusmodi truncis fissuram cuneo ligneo tenui adacto apertam tenendam malunt.

Electio surculorum.

3. Certum est (inquit Plinius) ab humeris arborum Orientem æstivum spectantibus surculos petendos, & è feracibus, & è germine novello, nisi vetustæ arbori inserantur; ii enim robustiores esse debent. Præterea ut prægnantes, hoc est, germinatione turgentes, & qui parere illo speraverint anno; denique ut è pulcherrimis & robustissimis ramis eligantur: ante omnia gemmantes nitere convenit, nihil usquam ulcerosum esse aut retorridum. Hortulani nostri præcipiunt, ut aliquid (uncia saltem) veteris, i. e. bimi ligni surculo supersit, ità ut surculi cuspis fiat paulo infra articulum seu commissuram veteris ligni cum novello. Ità enim & ad resistendum injuriis cœli firmiorem, & durabiliorem & feraciorem futurum. Surculum nimis gracilem & è germine tantum novello, contra præceptum Plinii, inseri vetant ob contrarias rationes. Monent etiam ut surculi cùm inseritur summitas præcidatur.

Surculi longitudo & gemmæ quot.

4. Quod ad longitudinem surculorum & numerum gemmarum attinet, ità præcipiunt, Si trunci cortex viridanti nitore se succo turgere prodat, ut largum insito alimentum se ministraturum spondeat, plures in surculo gemmæ relinquantur, sufficiunt plurimùm tres quatuórve ad exitum succo dandum. Præferuntur autem surculi quorum gemmæ crebriores sunt, nec nimis distent vel à se invicem vel à surculi sui pede. Si arborem * patulam desideras, surculum longum inseras, qui supra trunci caput ad 5, vel 6 digitos extet, ut crebriores ramos emittat: si arborem rectà assurgentem & proceram; brevem adhibeas, qui non ultra 4 digitos supra stipitem abscissum emineat, duabus gemmis supra lutum relictis; vel si placet, unicam tantùm gemmam adolescere sinas. Quò enim longior est surculus eò languidiùs succum attrahit, eóque magis & ventorum concussionibus, & avium injuriis opportunus est.

** Plinius surculum inversum inseri jubet, cùm id agitur ut minor altitudo in latitudinem se diffundat.*

Surculi quandiu & quomodo si opus sit, asservandi.

5. Surculos decisos duas trésve septimanas antequam inserantur servare expedit; ut trunci succo magis turgeant, surculi exhauriantur, adeóque sitibundi avidiùs novum combibant. Non oportet autem eos terrâ humidâ obruere, nè ad præproperè germinandum invitentur, adeóque cùm inseruntur aeri frigido expositi perurantur & exarescant. Sub arbore aut tecto, alióve loco frigido reponere sufficit, aut si à gelu periculum sit, terrâ siccâ aut arenâ operire. Si longiùs afferantur surculi rapo infixos optimè custodire succum arbitrabantur, inquit Plinius. Nonnulli è nostris imam partem luto madido infigere, reliquum musco aut palea obvolvere jubent; verùm sufficit vasculo inclusos, tempestate præsertim tepidiore, musco madido circumposito, aut terrâ cribratâ munire.

Quâ parte trunci inserere convenit.

6. Inserere aptissimum quamproximum terræ, si patiatur nodorum truncique ratio. *Plin.* Præsertim si surculum arboris naturâ crassioris & grandioris gracilioris trunco inseras ut *Pyrum*, *Cydoniæ* aut *Oxyacanthæ*. Item à parte trunci vento occidentali aut Libonoto opposita (hic enim apud nos omnium vehementissimè spirat) ut vi venti ad truncum potiùs cui pede suo innititur, quàm à trunco impellatur: indè enim periculum est nè abrumpatur aut luxetur.

7. Si fructum copiosum ab insito quamprimum desideras, adultiorem truncum decapites, eíque calamos inseras.

Quot surculi inserendi.

8. Eidem trunco plures inserere surculos expedit, ut mortalitati ex numero succurras. *Plin.* & nè si fortè unus deficiat, truncus ipse periclitetur. Cautiores tamen Agricolæ vetant truncum transversim seu in crucem findere, quoniam nimia indè trunco injuria fit, & vulnera ægrè consolidantur. Optimum virgæ minori, & quæ unum tantùm calamum admittat, inserere.

Cur stipiti cicuri potius quàm sylvestri.

9. Si mitem & generosum succum desideras, trunco sylvestri aut spontaneo nè inseras, sed potiùs cicuri & culto. Hinc enim fructus mitior & delicatior evadit, ut qui alimento mitiore & meliùs præparato utitur, quamvis arbor ipsa ad durandum minùs firma, & brevioris ævi, esse credatur. Surculus decisus arbori suæ iterum insitus, meliorem dabit fructum quàm arbori etiamnum hærens.

Tempus inserendo aptissimum.

10. Tempus inserendo aptissimum censetur veris initium, aut ver proximè antecedens, antequam gemmæ explicari incipiunt: quamvis per totam hyemem insitio satis feliciter plerumque succedat; & D. *Sharrocus* asserit se observasse surculos *Malo* insitos Novembri mense & circa Natalitia Christi comprehendisse. Pyrum vel florentem inserere licet, autore Plinio, & in Maium quoque mensem protendere insitionem. Verùm ex recentiore observatione, surculus cujus gemmæ jam explicantur ægrè coalescet: unioni non repugnat quòd truncus germinaverit.

Lutum ad insitum muniendum quale.

11. Ad insitum muniendum contra injurias cœli & bestiolarum, Cato olim argillæ vel cretæ harenam fimúmque bubulum admisceri, atque ità ad lentorem subigi jubet, idque interponi & circumlini.

cumlini. Plinii ætate abundè arbitrabantur paleato luto libros farcire, duos digitos insito extante. Hortulani aliqui nunc dierum fimum bubulum luto tenaci probè admistum & in massam subactum illinunt. Non multum interest utrum adhibeas. P. Laurembergius emplastrum emphyteuticum commendat, de quo supra.

Novæ fructuum species ab insitione frustra sperantur. Est enim regula generalis & perpetua in Horticultura, *Fructum semper surculi naturam sequi.*

Insitio fructum non mutat.

Aiunt tamen transmarinos quosdam Horticultores surculorum vel gemmarum specie diversarum, per mediam longitudinem seu medullam fissarum medietates disparatas tam dextrè coaptare & inter se componere, ac deinde inserere nôsse, ut & coalescant & comprehendant, & fructus ex utrâque specie mixtas producant.

Nonnulli truncum non findunt sed rimam seu sulcum in ejus latere cultello excavant, & surculum eidem adaptatum dextrè immittunt, & vinculo alligant.

Dantur & alii surculum ad trunci minimè decapitati latus applicandi modi, quos vide apud D. *Langford* in libro de Arborum frugiferarum satu & cultura.

Non immeritò autem quæritur quinam ex his inserendi modis præstabilior sit. Longus omnium seculorum usus eum qui fit in fissura approbavit. At verò Auctor mox laudatus tertium omnibus aliis præfert, & post eum secundum reliquis, ob has rationes.

Quinam inserendi modus præstantior.

1. Quia trunci hujusmodi operationum capaces sunt aliquot annis antequam ad calamum admittendum findi apti.

2. Quia ab illis minùs læduntur quàm ab hoc genere. Fissura enim humorem facilè admittit, qui arbores corrumpit, unde trunci insitioni iteratæ minùs idonei fiunt, si fortè surculi prima vice non comprehendant, aut alio quovis modo corrumpantur.

3. Surculus multò expeditiùs trunci amputati caput cortice & ligno obducet & integet, quod ad firmitatem, salubritatem & celeriorem auctum arboris magnopere conducit.

4. Hæ operationes faciliores sunt, citiùs perficiuntur & feliciùs plerunque succedunt.

Datur adhuc & alia inserendi ratio, quam *Ablactationem* vocant, cùm surculus alicujus arboris ab uno latere delibratus, matri adhuc hærens, arboris vicinæ ramo pariter delibrato applicatur & alligatur donec coaluerit, deinde à suo stipite separatus alieno duntaxat succo ali permittitur. Plinius in *Vite* hanc operationem sic breviter præcipiendo è Catone describit. Si inter se Vites contingant, in obliquum latere contrario adraso junctis medullis colligari. Notandum autem plantas nonnullas hoc modo sibi invicem implantari & concrescere quæ prædictis insitionum rationibus in societatem trahi non possunt, ut v. g. Vites diversarum specierum, Mali *Armeniacæ* & *Persicæ*.

Ablactatio quid.

Hactenus de insitione quæ surculo fit. Gemmâ inserendi ratio duplex est, altera *Inoculatio* dicitur, altera, quæ sola nunc dierum in usu est, *Emplastratio.*

Gemma inserendi ratio duplex. Inoculatio.

Inoculatio Antiquis usitata, describente Plinio, fiebat sutoriæ simili fistulâ aperiendo in arbore oculum cortice exciso, semenque includendo eâdem fistulâ sublatum ex alia.

Emplastratio, eodem Plinio auctore, ex inoculatione nata videri potest. Ergo (inquit) amputatis omnibus ramis, nè succum avocent, nitidissima in parte, quâque præcipua cerniter hilaritas, exemptâ scutulâ (ne descendat ultra ferrum) cortici imprimitur ex alia arbore cortex par cum sua germinis mamma, sic compage densata, cicatrici ut locus non sit, & statim unitas fiat, non humorem, non afflatum recipiens; nihilominùs tamen & luto munire & vinculo melius.

Emplastratio.

Alii non eximunt corticem, sed duntaxat incidunt, primò rectè deorsùm, perpendiculari incisione, digitum longâ, deinde in summa hujus parte lineâ transversâ eousque utrinque extensâ, ut corticis anguli commodè elevari possint, & scutum (quod ima parte in angulum exacuari debet) ligno applicandum sinu suo excipere, tandem cortices angulis seu labiis scuto appressis & vinculo ligatis in situ omnia continentur.

Alii perpendiculari incisione facta, media ejus parte transversam lineam imprimunt, & cultello vel calamo elatis, ut priùs quatuor angulis seu labiis corticis, scutum cum gemma sua inserunt & vinciunt, ut in præcedente sectione.

Alii quadrata incisione scuto æquali in cortice facta ut in primo modo, totum tamen corticem non auferunt, sed inferiore medietate relicta & elata scutum sub ea ligno applicant & vinculo ligant.

Optima ratio gemmam à surculo integram & illæsam auferendi est lineis scutum finientibus cultello per corticem adacto ductis, reliquum lignum decorticare, scuto solo cum gemma intacto; deinde è pennæ anserinæ calamo per medium fisso imbrice facto, acie ejus extrema (quæ acuta esse debet) sub cortice immissa gemmam exscindere seu extirpare.

Quomodo gemma à surculo exstirpanda.

Ut loco denudato scutum exactè congruat necesse est, ideóque tum longitudo tum latitudo scuti circino sumptæ in ramulo denudando signentur; vel surculo unde scutum sumitur utrinque ad longitudinem ejus deciso, & ad latitudinem per medium fisso, applicetur scutum cum frustulo ligni adhuc adhærente surculo delibrando, & lineæ circumducantur.

Antequam scutum cum gemma eximitur, locus in quem transferendus est ritè præparetur, ut quàm ocyssimè possit inseri: aliàs gemma aeri exposita vitium contrahet aut exarescet. Vincula fiant ex materia extendi apta, v. g. Juncis lævibus, filo lineo laneóve, ut trunci scutíque cortici intumescenti cedant. Vincula enim non solvi antequam gemmæ explicentur melius.

Gemma exempta statim inserenda.

Tempus inserendi gemmâ à primo vere cùm pruinæ cessaverint tandiu durat, donec tantùm spatii supersit ad reditum pruinarum, quantum sufficiat gemmæ cum trunco cui applicatur conglutinandæ & consolidandæ, omnium aptissimum censetur media æstas circa festum S. Joannis Baptistæ.

Tempus emplastrationi aptissimum.

Quod ad electionem gemmarum attinet eadem observentur quæ de surculis præcepimus.

Si gemma comprehendat sequente Martio quæ supra eam sunt omnia amputentur, & gemmæ in parte reliqua, unâ exceptâ (quam nonnulli ad succum deducendum hauriendum necessariam arbitrantur) omnes detergantur.

Quæ arbores emplastra admittunt.

Quæcunque arbor surculo insito eadem & emplastratione propagari potest, nisi obstet tenuitas & imbecillitas scuti. *Vitis non recipit emplastra, nec quibus tenuis ac caducus rimosúsque cortex. Fertilissima omnium inoculatio, eadem tamen infirmissima. Et quæ cortice nituntur tantùm vel levi aurâ ocyssimè deplantantur. Inserere firmissimum & fœcundius quàm serere.* Plin.

Emplastrationem insitio præferendam probatur.

Mali Persicæ & Armeniacæ rarò & difficulter insitione, emplastratione facilè propagantur.

Emplastrationem in quibus succedit insitioni longè præferendam esse multis probare nititur D. Langfordus.

1. Quia stipes seu truncus duobus tribúsve annis citiùs magnitudinem emplastrationi quàm insitioni idoneam assequitur: unde & tempus lucrefit; & arbor multò celeriùs augetur post naturam immutatam quàm antea.

2. Arbor indè sanior efficitur quàm ab insito, quia stipitem decisum citiùs & securiùs obducit & investit gemma cum scuto quàm surculus.

3. Arborem minùs lædit quàm insitio, & si fortè gemma non comprehendat, potest arbor vel proximo anno, vel interdum etiam eodem, denuò emplastrari.

4. Praxis ejus facilior est, expeditior & delectabilior quàm insitionis: mediâ enim æstate peragitur, quando nullum à frigore periculum imminet, quod persæpe vehemens est, & vix sine injuria aut valetudinis detrimento delicatioribus tolerabile, Februario & Martio mensibus, tempestate insitioni aptissima.

CAP. XX.

De specifica (ut vocant) Plantarum differentia.

UT Plantarum numerus iniri possit, & earundem divisio rectè institui, oportet ut notas aliquas seu indicia specificæ (ut vocant) distinctionis investigemus. Nobis autem diu multúmque indagantibus nulla certior occurrit quàm distincta propagatio ex semine. Quæcunque ergo Differentiæ ex ejusdem seu in individuo, seu specie plantæ semine oriuntur, accidentales sunt, non specificæ. Hæ enim speciem suam satione iterum non propagant: Sic v. g. *Caryophyllos* flore pleno seu multiplici pro specie distinctis à Caryophyllis flore simplici non habemus, quia ab horum semine ortum suum ducunt, & semine sati Caryophyllos simplices iterum edunt. At quæ ex eodem specie semine nunquam proveniunt eæ demum specificæ censendæ sunt: aut si inter duas aliquas comparatio instituatur, quæ plantæ ex alterutrius semine non proveniunt, nec unquam semine satæ transmutantur in se invicem, eæ demum specie distinctæ sunt.

Sicut enim in Animalibus sexuum distinctio non sufficit ad speciei diversitatem arguendam, quia sexus uterque ex eodem specie semine, eisdémque non rarò parentibus oritur, quamvis multis & insignibus Accidentibus inter se differant; nec Taurum cum Vacca, Virum cum Muliere specie convenire aliud requiritur argumentum, quàm utrosque iisdem persæpe parentibus eadémve matre ortos esse: sic pariter in plantis convenientiæ specificæ non aliud certius indicium est quàm ex semine ejusdem plantæ seu in specie seu in individuo oriri. Nam quæ specie differunt speciem suam perpetuò servant, neque hæc ab illius semine oritur, aut vice versa.

Hinc pro distinctis plantarum speciebus non habendas censeo,

1. Quæ solo floris colore, geminatione aut multiplicitate differunt.

Genes. 2.

Cùm enim specierum numerus in natura certus & determinatus sit: cum * *Deus sexto die ab omni opere suo,* hoc est, à novarum specierum creatione, requievit: floris autem colore & multiplicitate variantium plantarum numerus, novis quotannis exorientibus, infinitus sit, meritò eas à specierum gradu & dignitate dejicimus & excludimus.

Deinde, si hæc sufficerent ad specificam distinctionem inferendam, Æthiops quoque pari ratione ab Europæo, Juvencus niger ab albo, rubro, variove specie differret; quod nemo, ut opinor, sanæ mentis unquam concesserit.

Quinimo hæ varietates cœli, aut soli, alimentíve differentiis debentur: quæ quantam vim habeant ad hæc & similia effecta producenda in domesticis & mansuetis animalibus patet. Cùm enim fera in plerisque speciebus eosdem colores servent, mansueta & domestica coloribus infinitùm variant, nec coloribus tantùm, sed & carnis sapore, aliisque accidentibus à feris differunt, ut à palato non admodum sagaci haud difficulter gustu possint distingui.

Præterea hæ varietates seminio non propagantur, sed vel ramulis avulsis, vel sobole, vel stolonibus.

Denique arte & mangonio induci possunt, nimirum translatione iterata de loco in locum, & irrigatione aquâ colore aliquo imbutâ. Nam *P. Laurembergius*, vir fide dignus, Horticult. cap. 28. Sect. 3. se in Caryophyllis sæpius expertum scribit, *Caryophyllos quos simplices Vere primùm, deinde Autumno, iterum Vere sequenti transposuerat, (neque interim florere passus erat) Æstate omnes flores multiplices protulisse. Deinde ad mutationem coloris in flore inducendam variis in locis hæc repetit. Terrâ pinguissimâ in Sole exsiccatâ aut cribratâ reple vas aliquod. Ei implanta germen florum candidorum (nam hi soli tingi possunt) ad irrigandum non utere aliâ aquâ quàm rubefactâ si flores rubeos desideras, viridi si virides, &c. Tali aqua de die plantam irriga manè & vesperi, noctu transfer in ædes, nè nocturnum aut matutinum bibat rorem per tres septimanas. Produci flores experieris tinctos non prorsus eo colore quem effudisti, sed partim eo, partim naturali.* Hæc quamvis à nonnullis ridentur, Laurembergio tamen Autori ἀξιοπίστῳ in iis quæ sibi comperta tradit fidem derogare non audemus. Quid quod plantæ florum coloribus aut multiplicitate spectabiles in eodem loco sine cultura diutiùs relictæ & neglectæ colorum delicias amittant paulatim, petalorum comam exuant, & ad sylvestrium ingenium redeant.

Idem

Idem esto judicium de floribus nudis in iis plantis quæ radiatos plerunque proferunt, ut *Chamæmelo, Cotula, Parthenio*: *prolif*eris dictis, in *Bellide, Calendula*, aliisque nonnullis Corymbiferis: petalis fistulosis donatis, in iis quibus naturaliter plana sunt, ut *Bellide* & *Flore Africano*, & siquæ præterea sunt hujusmodi florum differentiæ.

Quoniam verò varietates hæ floribus plenis aut variegatis insignes ob pulchritudinem & elegantiam raritatémque suam à Florum cultoribus magni æstimantur, & non rarò insanis pretiis redimuntur, non ab re fuerit quibus illæ mediis obtineri possint ostendere.

Et quod ad Caryophyllos attinet, eos è simplicibus multiplices fieri translatione iterata de loco in locum Laurembergio aliisque expertis credimus: nec dubitamus quin & aliis plantis flores plenos producere aptis pariter translatis idem eveniret.

Quin & unica sola translatione in plantis nonnullis flores è simplicibus in plenos evectos legimus. D. *Sharrocus* se novisse ait qui *Anemonas nemorum & Colchica flore multiplici* in hortis habuerint, qui asserebant se eosdem simplici flore sylvestres ex agris in hortos transtulisse, soli luxurie, & culturâ diligenti mutatione illâ inductâ.

* *Lib. de propag. Vegetabilium.*

Verùm quicquid sit de translatione, varietates prædictas certissimè & facillimè satione obtinebis. Si enim plantæ cujuscunque florem mutare aptæ semen solo læto & opulento largâ manu severis, inter multas flore simplici, nulla colorum varietate spectabiles paucæ enascentur flore pleno, & nonnullæ etiam variegato insignes. Cujus generis ut plures obtineas ex sententia Hortulanorum seminum serendorum electio fieri debet. Sic v. g. ex florum Caryophylleorum Aurantii mali colore tinctorum, tam purorum quam variegatorum seminibus satis plurimæ & pulcherrimæ habentur varietates. * Ferrario autore, ex albi Caryophilli semine multiplex varietas provenire solet: item ex fuscis maculis distincti.

* *Horticult. lib. 3. cap. 13.*

Observatio nonnullorum ad obtinenda Leucoia flore pleno ut semina colligantur ex siliqua flori succedente per luxuriam pentapetalo, experientiâ nostrâ frivola est & falsa.

In Tulipis præcocibus ad producendas varietates purpureæ aut purpurea marginibus albis semina omnium optima esse observavit Parkinsonus: in mediis quæ coloribus lucidioribus sunt reliquis præferuntur.

2. Plantas sola magnitudine differentes. Quamvis enim dentur certi magnitudinis termini in unaquâque specie, quos neque excedere, neque ab iis deficere possunt individua: neque enim Grossularia v. g. Quercûs staturam & dimensiones unquam assequetur, quamcunque culturam adhibueris; magna tamen inter hos terminos latitudo est, & maximi fortasse ad minimum decupla proportio. Quæ tamen differentiæ vel soli ubertati aut sterilitati, vel regionis temperiei caloris aut frigoris respectu, vel tempestati siccæ aut pluviæ, vel alii cuipiam accidenti debetur, non specificæ plantæ naturæ. Si enim Plantæ, culturæ patientis, in suo genere minimæ & pauperrimæ semen accipias, idque læto & pingui solo, loco Soli exposito & ab aeris injuriis tuto severis, brevi sobolem matre planta decuplo fortè majorem obtinebis; immo verò si plantæ alicujus perennis & culturæ patientis radicem à monte sterili & aprico, ventis exposito, quem *per hyemem Boreæ penetrabile frigus adurit*, in hortum pinguem & tepidum transtuleris, mirum quantum luxuriabit & magnitudine proficiet, ut vix pro eadem agnoscas. Nec minor hoc respectu differentia invenitur in Animalibus inter individua ejusdem speciei: siquidem in Anglia nostra oves quæ in montosis & sterilioribus frigidis degunt quintuplo ferè minores sunt iis quæ in pinguibus & temperatis pascuntur, adeò ut illæ vix quinque solidis nostræ monetæ singulæ veneant, cùm hæ interdum duas libras, i. e. octuplum illarum pretii, valeant. Equi etiam qui in montibus Cambricis immodico frigore perustis educantur & aluntur, adeo pumili fiunt & contemptæ parvitatis, ut canem Molossum magnitudine & staturâ non multùm superent. Vidimus enim Cestriæ qui quatuor aut quinque solidis emi possent.

Excipiendæ tamen hic videntur species plantarum nonnullæ à nobis & aliis inventæ, quæ quantum hactenus observavimus, non alia in re quàm magnitudine differunt; suspicamur tamen & alias inter eas intercedere differentias, rémque ulteriori observationi committimus. Has specie diversas esse opinamur quia simul in eodem loco nascentes nos & alii observavimus, & tamen major minorem triplo quadruplove magnitudine superabat. Tales sunt Hyssopifolia major & minor à nobis; Alchimilla major & minor à *Morisono*; Heliotropium majus Siculum & majus vulgare à *P. Boccone*, Millefolium aquaticum flore luteo galericulato majus & minus à *D. Dent* Cantabrigiensi unà nascentes observatæ. Vidimus etiam in horto Nobilissimi viri D. *Caroli Hatton* Astrantiæ nigræ speciem minorem, quæ non aliâ in re quàm parvitate sua à vulgari differre nobis visa est. Alias etiam non paucas invenies apud D. Morisonum in *Historia Plant. univers.*

3. Foliorum variegatio, qualis in Alaterno, Buxo, Rosmarino, Dulcamara, &c. cernitur, tantum abest ut sit specificæ distinctionis nota; ut sit potiùs symptoma morbidæ constitutionis in Planta aliqua, quæ vel calce radici supposita, vel pari mixtura calcis cum terra ruderata induci potest; unde in ramis depactis durat, in plantis è semine ortis evanescit. An floris petalorum variegatio morbi etiam symptoma sit inquirendum.

An planta foliorum marginibus crispis à congeneribus foliis planis specie differant ambigo. Quantum enim hactenus observavi, quæ hujusmodi sunt speciem suam satione semper propagant, nec unquam plantas planifolias producunt. Quin & Nasturtii hortensis crispi folia seminalia ab hortensis vulgaris seminalibus figurâ suâ & incisuris differunt, cùm hæc tripartita seu in tres lobos divisa sint, illa unica duntaxat hinc inde incisione secta: quod argumento est eas specie differre.

At 4. Quæ radicis colore solo differunt, cujusmodi sunt Pastinacæ tenuifoliæ radice lutea, alba, atro-rubente; Rapæ radice alba & lutea pro specie distinctis non habendas censeo: nec magis quæ radicis tantùm figurâ differunt, ut Rapæ radice longa & rotunda.

Denique 5. Quæ Fructûs seu Pericarpii magnitudine, sapore, figurâ, colore differunt ut Pomorum & Pyrorum infinitæ ferè varietates: Cæterum (observante * D. *Sharroco*) Arbores è Mali & Pyri hortensium & cultarum seminibus satis ortæ non semper degenerant in naturam sylvestrium; sed interdum sapidiores & mitiores generosioresve fructus edunt, quàm earundem matres seu productrices; contra quàm vulgo creditum & receptum est.

* *Lib. de propag. Vegetab.*

Quæ item ſeminis colore ludunt, ut Phaſeoli, Fabæ vulgares, Frumentum Indicum, ob rationes ſuperiùs allatas ſpecie diſtare non concedimus. Quin de induſtria experiundi causâ Fabas rubras plures unà aliquando ſevimus; quæ tamen indè enatæ ſunt plantæ pleræque Fabas albas dederunt. Notandum tamen diſtinctam propagationem ex ſemine non eſſe illud ipſum quod conſtituit differentiam eſſentialem ſeu ſpecificam, ſive in quo illa conſiſtit, ſed ejus ſignum ſeu indicium tantùm.

Deinde cum dicimus in Plantis ſpecie diſtinctis hanc ab illius ſemine non oriri, de eo quod plerunque & naturaliter contingit loquimur, non de eo quod raro & inuſitatè extra ordinem naturæ. Nam ut inferiùs oſtendemus, Plantarum nonnullarum ſemina degenerem & diverſæ ſpeciei ſobolem interdum producunt; unde colligimus dari in plantis veram ſpecierum tranſmutationem.

CAP. XXI.

De Specierum in Plantis tranſmutatione.

PLantas quæ ex eodem ſemine ortum ducunt, & ſpeciem ſuam ſatione iterum propagant, ſpecie convenire ſuperiùs docuimus; adeóque varietates illas in florum colore, geminatione & multiplicitate, in foliorum variegatione, radicis colore, fructûs ſeminíſve ſapore aut etiam colore, ſpecificæ quam vocant diverſitatis notas aut indicia non eſſe, concluſimus.

Verùm nota hæc quamvis ſatis conſtans ſit ſpecificæ convenientiæ ſignum, non tamen perpetuum eſt & infallibile. Semina enim nonnulla degenerare, & diverſæ à matre ſpeciei plantas interdum licèt rariùs producere, adeóque dari in plantis tranſmutationem ſpecierum, experimenta evincunt.

Hypomn. 5. cap. 2.

Triticum, referente * Sennerto, degenerat in Lolium; Rapum in Rhaphanum; Siſymbrium in Mentham; Ocimum in Serpyllum: Vitis nigra in albam, alba in nigram mutatur: Zea in Triticum, & è contra Triticum in Zeam. Si in Ungaria Secale Germaniæ ſeratur, generatur indè Triticum. Si ager paulò ſterilior ſit, Avena noſtra alba quam appellant in nigrum degenerat. Si idem ſemen eodem in agro aliquot annis ſeratur in vilius degenerat. Galeni pater Triticum & Hordeum aliquando ſevit, omnibus diverſi generis ſeminibus quæ ipſis erant admiſta, ſelectis, quo certò cognoſceret num ex eorum mutatione Lolium & Ægilops naſcerentur, an proprium hæc quoque ſemen haberent. Cùm autem fortè unà cum puris ſeminibus, in Tritico quidem frequens Lolium, in Hordeo autem magnam Ægilopis vim, natam conſpiceret, in aliis quoque ſeminibus idem eſt aggreſſus. Reperit igitur in Lente durum quoque rotundúmque Aracum & Securinum, præterea Aparinem enatam.

Hæc experimenta ex variis Autoribus collecta Veteribus & Recentioribus, quamvis eorum nonnulla veriſimilia nobis videntur, partim tamen quia vulgo per errorem non cauſam pro cauſa accipienti, partim quia Philoſophis vel nimis credulis, vel minùs circumſpectis in cauſis phænomenon aſſignandis, & receptis opinionibus addictis, originem ſuam debent, pro incertis & ſuſpectis habemus, nec ſufficere putamus ſententiæ adeò ancipiti & controverſæ ſtabiliendæ.

Sic Galeni patrem in ratione phænomeni modò dicti reddenda deceptum putamus. Nec enim ſequitur quia frequens Lolium in Tritico naſceretur, Triticum in Lolium mutatum fuiſſe, ſeu ex Lolii ſemine Triticum enatum; potuit enim ex Lolii ſemine in agro ſuperiore anno reſiduo Lolium oriri. Et quod ad Ægilopem attinet, ipſe olim obſervavi in agro quodam ubi Triticum purum ſatum fuerat magnam Ægilopis vim enatam, idque ſæpius, etiam poſtquam intermiſsâ ſatione, ut mos eſt, ager ille annum integrum requieverat: quæ tamen ipſius Ægilopis non Tritici ſemini originem ſuam debuit. Cùm enim Ægilops citiùs matureſcat & ſemen ſuum perficiat quàm Triticum, cúmque ſemen ipſius per maturitatem facilè defluat, vel vento, & inter metendum manu decutiatur in terram, ibi relictum, quamvis ager non ſeratur ſequenti anno, per integrum biennium durabit, & cùm frumento poſtmodum ſato ſuccreſcet. Nec dubium eſt quin ſemina plantarum, non dico per biennium, ſed per decennium & amplius in terra non raro fœcunda reſtent, ut ſuperiùs oſtendimus.

Verùm quanvis experimenta allata incerta nobiſque ſuſpecta ſint, non deſunt tamen alia certiora, idoneis teſtibus confirmata, quæ rem planè conficiunt & extra omnem dubitationis aleam ponunt.

E Braſſicæ floridæ ſemine ſato Braſſicam capitatam ſæpius enatam hortulanis apud nos plurimis affirmantibus credimus, imò Braſſicæ ſpecies omnes ſatione in ſe invicem tranſmutari affirmat R. Moriſonus, & experimentis probat. Braſſicæ tophoſæ ſemina ex Italia ad Reverendiſſimum Epiſcopum Londinenſem D. *Hen. Compton* tranſmiſſa Braſſicam produxere tophoſam, ſed hujus ſemen denuò ſatum degeneravit in vulgarem apertam lævem Braſſicam. Idem dicendum de Braſſica florida botryte, nimirum ex ſemine plantarum in Anglia naſcentium & cultarum ſato Braſſicam longifoliam apertam oriri: quod *Richardus Baal* hortulanus Brainfordenſis multorum experimentis damno ſuo didicit. Hic enim ingentem copiam ſeminis Braſſicæ floridæ in horto ſuo collectam, hortulanis quamplurimis in ſuburbanis *Londini* locis, vulgò dictis the Neat-houses degentibus vendidit: atque hi cum ſumma cura & induſtria eadem ſemina terræ pingui à multis annis bene ſtercoratæ commiſerunt, quæ Braſſicas ſatis magnas, longifolias apertas ipſis produxere. Quare prædicti hortulani animadvertentes ſe oleum & operam perdidiſſe, & in rem nihili labores & ſumptus impendiſſe, ſe fraudatos queruntur, & prædicto *Richardo Baal* litem intendunt in foro Weſtmonaſterienſi: qui ex ſententia Judicum illic ſedentium condemnatus eſt, non ſolùm ut ipſis pecunias quas accepiſſet reſtitueret, ſed ut jacturam temporis & amiſſum terræ uſum fructum reſarciret.

Idem

Idem accidit Brassicæ Sabaudæ tam hybernæ, quàm æstivæ, cujus semina recenter ex Italia ad nos transmissa, feliciter hic proveniunt [in Anglia] verùm semina ejusdem hic ortæ collecta & sata degenerant in Brassicam apertam. Oportet ergo si species has habere velimus, ut nova quotannis semina è transmarinis regionibus petamus.

Nec Brassicæ tantùm semina sata degenerem prolem producunt, sed & Primulæ veris seu Paralyseos. Affirmavit nobis, Oxonii cùm essemus, *Jacobus Bobertus* Horti publici Academici custos, è semine Primulæ veris majoris sibi enatas Primulam vulgarem & Primulam pratensem inodoram luteam.

Olaus Wormius *Musei, lib. 2. cap. 7. pag.* mihi 150. asserit se habere Hordeum quod Hermaphroditicum vocat, quia in una spica & Hordeum & Secale contineret, cujus descriptionem videsis loco citato. *Johnsonus* quoque apud *Gerardum emac. lib. 1. cap. 46. pag. 65.* sibi ostensam refert à *D. Goodyer* spicam Tritici albi, circa cujus mediam partem tria aut quatuor grana Avenacea undique perfecta enata sunt.

Hæc si vera sunt, ut à fide dignis narrantur, negativam sententiam, in quam proniores sumus, deserere nos cogunt, & vel invitos concedere, dari in plantis specierum transmutationem.

Observandum tamen transmutationem hanc dari tantùm inter species cognatas & ejusdem generis participes; quásque nonnulli fortasse specie differre non concedent.

Quòd vero plantæ nonnullæ bulbosæ diuturniore in eodem loco morâ absque translatione, mirabili metamorphosi in alias species vel degenerent vel transmutentur, ut v. g. * *Crocum* in *Gladiolum*, *Leucoium* in *Hyacinthum* & vice versa, utrique *Boberto*, nè juratis quidem crederem.

* *Sharroc. de propagat. Plant. cap. 1. n. 4.*

CAP. XXII.

De Statura & Magnitudine Plantarum.

De magnitudine Plantarum nihil notatu dignum habeo quod adjiciam iis quæ ab Historiæ naturalis conditoribus traduntur.

Dari in unaquaque specie certos dimensionum terminos, quos neque excedere, neque ab iisdem deficere possunt individua, opinamur: Magna tamen inter hosce latitudo existit, & maximi ad minimum decupla, ferè proportio. Arbores Animalia, saltem terrestria, (Belluæ enim marinæ excipiendæ videntur) statura & magnitudine tantùm excedunt quantum herbulæ minutissimæ parvitate ab iisdem vincuntur. Dantur enim Animalcula quæ oculorum etiam lynceorum aciem fugiunt.

Arbores omnium maximas & altissimas India utraque aliæque regiones fervidæ producunt: quà calor maximè viget,

Quaque dies medius flagrantibus æstuat horis.

Ibidem & animalia visendæ magnitudinis: in Quadrupedibus, Elephas, Rhinoceros, Hippopotamus; in Avibus Struthio & Emeu; in Serpentino genere, Crocodilus aliique stupendæ longitudinis & crassitiei, in Exanguibus aquaticis testaceis Murices, Buccina aliaque portentosæ molis innumera nascuntur.

Mira sunt & fidem penè superantia, quæ de arborum nonnullarum crassitudine & proceritate feruntur. Plinium attendamus, Volum. 16. cap. 40. exempla producentem. Amplissima arborum ad hoc ævi existimatur Romæ visa, quam propter miraculum Tiberius Cæsar in ponte naumachiario exposuerat, advectum cum reliqua materie. Fuit autem trabs è Larice, longa pedes 120, bipedalis crassitudinis, æqualis. Quo intelligitur vix credibilis reliqua magnitudo fastigium ad cacumen æstimantibus. Fuit memoria nostra & in porticibus septorum à M. Agrippa relicta, æquè miraculi causâ, 20 pedibus brevior, sesquipedali crassitudine. Abies admirationis præcipuæ in nave, quæ ex Ægypto Caii principis jussu obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum advexit. Arboris ejus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat. Cedrus maxima in Cypro traditur ad undeciremem Demetrii succisa centum triginta pedum; crassitudinis verò ad trium hominum complexum. Germaniæ prædones singulis arboribus cavatis navigant, quarum quædam & triginta homines ferunt. Quid hoc ad Congenses arbores, è quarum singulis pariter excavatis Canoæ (ità vocant hoc genus cymbas monoxylas) ducentorum hominum capaces fieri possunt.

Pontis è Rhetia.

In Indiæ Orientalis Regno Malabarico stupendæ magnitudinis Arbor enascitur, *Atti-meer-alou* Indigenis dicta, caudice quinquaginta plerunque pedum ambitu: cujus generis in provincia Cochinensi prope templum *Beykam* habetur, quæ bis mille annos vixisse dicitur. *Hort. Malab.*

Hic tamen obiter monere convenit falsum omnino esse quod Plinius aliique de magnitudine Ficus Indicæ prodidere, nimirum vasto matrem corpore esse, ut 60 pedes pleræque orbe colligunt. Celeberrimus enim Vir, idemque fide dignissimus D. *Gualterus Raleghe* eques auratus, qui vicies mille minimum hujus generis arbores in quâdam valle non procul Paria Americæ nascentes vidit, nec pauciores in intimis *Trinidado*, & alibi 12 etiam milliarium iter sub earum umbra se confecisse scribit, magnitudinem mediocrem earum truncis attribuit, & inter decies mille unam aliquam reliquis majorem invenire perdifficile esse ait.

Quæ sequuntur exempla arborum maximarum è celeberrimi viri D. *Joannis Evelyn* Sylva, ut labori nostro parceremus, pleraque transtulimus.

Quod ad staturam attinet, Arborum in Fortunatis insulis proceritatem ad 144. pedes adolescere prodidit Sebosus. *Plin.* lib. 6. cap. 31. Idem in India arbores quasdam tantæ proceritatis inveniri refert, ut sagittis superari nequeant, lib. 7. cap. 3. Et quod omnia miracula excedit in insula *Barbados* Antillarum una Palmitas regales dictas sesquipedali non majore trunci diametro ad trecentorum pedum altitudinem adolescere non solùm Ligonus scripsit, sed & testes αὐτόπται nobis confirmârunt.

Matthiolus

Matthiolus arboris in insulâ Cypro natæ meminit, quæ ad 144 pedum altitudinem materiem produxit.

Quod ad magnitudinem, referente Plinio, sylvestris circa Memphin regio tam vastas arbores producit, ut terni nequirent vel circumplecti. Arborum ad Gambræ fluvium nascentium 37 pedum diametro meminit Jul. Scaliger. Alii in Nicaragua & Gambra arbores tantæ crassitudinis nasci referunt, ut 17 homines ulnis extensis eas ægrè complecti possint, nec minores in Brasilia, in quibus una ab Indigenis religioni habita, 120 pedum erat ambitu. In Historia Chinensi non ità pridem edita legimus arborem quandam *Ciennich*, [i. e. Arbor mille annorum] dictam in Provincia *Suchu* propè urbem *Kien* reperiri, adeò portentosæ magnitudinis, ut sub unico solo ramo ducentas oves adeò integat & occultet, ut ab appropinquantibus discerni non possint: & aliud etiam monstrum & miraculum potiùs arboris quàm arborem in Provincia *Chekiang*, adeò stupendæ amplitudinis, ut 80 etiam homines vix truncum ejus complecti possent.

Verùm ut exotica mittamus, Arborum nonnullarum ex domesticis & Europæis in specie exempla proponemus.

Pyrus. Pyrum propè Rossam in Herefordia 18 pedum ambitu meminit Autor noster quæ septem quotannis dolia majora Pyracei exhibuit.

Castanea. In Siciliæ monte Ætna ad locum *gli Castayne* inde dictum trium Castanearum meminit Kircherus, quarum unius cortex tantæ amplitudinis erat, ut intra eam integer pecorum grex à pastoribus tanquam in caula commodissima noctu includeretur. *Chinæ illustr.* p. 185.

Tilia. Tiliam visendæ magnitudinis & staturæ Depehamiæ in Norfolcia à se visam & mensam literis ad D. *Evelyn* datis describit celeberrimus & eruditissimus Vir D. *Thomas Brown* Norwicensis, cujus hæ dimensiones erant. Trunci ambitus gracillima sui parte, duobus supra terram ulnis, 8½ minimùm ulnarum nostræ mensuræ, i. e. 24 pedum erat: ima parte terræ & radici proximâ 16 ulnarum: superius ad cubiti distantiam 12 fere ulnarum: Altitudo ad summos ramos 30. Tiliam illam famosam Tiguri in Helvetia omnibus dimensionibus superans: an à quaquam in externis Tilicetis hoc genus arbore excedatur incertum. Nam prodigiosa illa Neostadii in Ducatu Wirtembergensi conspicienda Tilia, ob enormem magnitudinem tantopere celebrata ut urbi ipsæ cognomentum dederit, Germanis *Nieustadt ander grossen Linden* indè dictæ, humilior fuit, ut cujus trunci circumferentia non plus 27 pedum, & 4 digitorum erat; ramorum extensorum ambitus 403, ejúsque diameter à Meridie ad Septentrionem 145, ab Oriente ad Occidentem 119.

Platanus. Platani ingentis duodecimo volumine Plinius meminit his verbis, Nunc est clara in Lycia gelidi fontis socia amœnitate, itineri apposita, domicilii modo cava 80 atque unius pedis specu, nemoroso vertice, & se vastis protegens ramis arborum instar, agros longis obtinens umbris: ac nequid desit speluncæ imagini, saxeâ intus crepidinis coronâ, muscosos complexa pumices: tam digna miraculo ut Licinius Mutianus ter Consul, & nuper provinciæ ejus legatus prodendum etiam posteris putavit, epulatum intra eam se cum duodevicesimo comite, largè ipsa toros præbente fronde, ab omni afflatu securam, optantem imbrium per folia crepitus, latiorem quàm marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro cubuisse in eadem.

Ulmus. In manerio de Horton in Parœcia de Elsham in Surreia, cujus Dominus Autoris nostri frater, Ulmi etiamnum restant in sepibus bene multi, truncis trium in quadrum pedum ad 40 plus pedum altitudinem. Ulmus folio lævi intra tres quatuorve annos in D. Gualteri Bagoti Parco in Comitatu Staffordiæ dejecta, ad 40 ulnas extensa 48 ligni ad focum vehes in summo capite seu coma gestabat, ejúsque truncus ad sedem 17 pedum diametro præter 8 modiolorum paria 8660 pedes tabularum seu asserum præbuit. Tota materies ad 97 tonnas æstimabatur. Eruditissimus Vir D. Rob. Plot, in Hist. Nat. Oxoniensi Ulmi cujusdam meminit, quæ pauperculæ cuidam gravidæ ab inhospitali vicinia exclusæ receptum & hospitium præbuit, quæ in ejus cavo puerum enixa est, marem adhuc viventem adultum & robustum juvenem.

Fraxinus. Fraxinos in Essexia 132 pedes longas nuper venundatas audivimus.

Taxus. His adde Taxum ingentem in Cœmeterio Ecclesiæ de *Crowherst* in Surreia decem ulnarum ambitu: & aliam annosam visendæ magnitudinis in cœmeterio Brabournensi in Cantio, cujus truncus 58 pedum & 11 insuper unciarum erat in circuitu, unde colligitur diametrum 20 ferè pedum fuisse.

Salix. Dantur etiam & Salices enormis crassitiei. D. Plot è Joan. Ferdinandi de Hortoda cujusdam in *Moravan* Moraviæ pago crescentis meminit, intus concavæ 27 pedum ambitu.

Quercus. Sed ad Quercus transeamus, Hujus generis arborem memorat idem celeberrimus Vir, in vireto de *Kidlington* Comitatûs Oxoniensis adhuc stantem, cujus interior cavitas carceris extemporanei usum præstat. Ei etenim incarcerandos tantisper includere solebant donec ad carcerem publicum commodè transmitti possent. Quercuum nonnullarum in Westphalia non ità pridem stantium & florentium incredibilis vastitas, quarum altera Arcis & Propugnaculi loco munita, altera 130 pedes alta, 30 pedum diametro fuisse fertur.

Silentio transmittendæ non sunt arbores illæ imprimis memorabiles quas Galfridus Chaucerus poeta ævo suo celeberrimus in Parco *Denningtonensi* plantâsse fertur, tanto satore dignæ, quarum una Regis, altera Reginæ, tertia ipsius Chauceri dicebatur. Harum prima, quæ Regis, ad 50 pedum altitudinem ἀκλαδὸς & enodis erat, ad imum quinque in quadrum pedum, tota firma & solida, optimâ materie: Secunda, quæ Reginæ, ad 40 pedum altitudinem rectus & enodis, præstantissimâ materie, imâ parte 4 in quadrum pedum, summa propè trium erat. Tertia, quæ Chauceri, staturâ & magnitudine inferior, pulchra tamen & ipsa erat. Hinc, si vera sunt quæ feruntur de harum arborum satione, colligi potest ad quantam altitudinem & crassitiem intra 300 annos (nec enim antiquior est Chaucerus) Quercus excrescere potest. Ingens nobilis imprimis arbor erat ex qua trabes transversæ ad navem illam longè maximam & pulcherrimam **the Royal Soveraign** dictam, ab optimo Principe Carolo primo exædificatam, factæ fuere; diametro 4 pedum & 9 insuper unciarum, in 4 tigna, singula 44 pedes longa, dissecta. Nec prætereunda, quamvis alterius generis

neris, arbor illa prægrandis & procera, quæ navigio prædicto mali usum præstitit, 99 pedes longa, diametro 35 pedum.

Ingeniosissimus Vir D. Rob. Plot in laudatissima sua Historia Nat. Oxon. Quercum meminit inter *Newenham-Courtney* & *Clifton* crescentem, cujus diameter ab extremo ad extremum ramorum extensorum pedum erat 81, aream 560 ulnarum quadratarum inumbrans, in qua 2420 homines commodè consistere possent: Et aliam adhuc majorem propè januam Ambulacrorum Collegii Magdalenensis Oxonii, cujus rami à caudice ad 16 ulnas extenduntur: aliam denique Ricoti in Parco nobilissimi Baronis Dom. *Norreys*, cujus rami à trunco ad 54 pedes porrecti, 304 equitibus, peditibus 4374. opacandis sufficiunt.

D. Rob. Harley literis superiùs memoratis, Quercûs in ædium suarum vicinia non ità pridem dejectæ meminit, cujus crassitudo 5 in quadrum pedum erat ad 40 usque pedum altitudinem, in cujus unoquoque pede (omnibus utique simul sumptis divisione facta) dimidia tonna materiei erat. Rami præterea 25 ligni chordas suppeditabant in focum.

Multa adhuc exempla adducit Autor quem sequimur ingeniosissimus, Quercuum enormis magnitudinis & crassitiei vel etiamnum stantium, vel non ità pridem dejectarum, in Shesteldensi Eboracensis comitatûs præcipuè agro & locis vicinis, scitu non indigna, & idoneis testibus comprobata, quæ omnia huc transcribere longum & operosum nimis foret. Qui plura desiderat librum ipsum adeat, cap. 30.

Cap. XXIII.

De Ætate & Duratione Plantarum.

Plantæ durationis respectu immensum distant. Aliæ brevis admodum ævi sunt, aliæ admodum longævæ.

Aliæ Æstivæ sunt, quæ Vere oriuntur, Autumno intereunt, & sequenti iterum Vere ex semine in terra residuo se renovant. Hujusmodi sunt *Atriplices, Blita, Sonchi, &c.*

Aliæ annuo spatio ætatem circumscribunt. Hæ Autumno exeunt, per hyemem virent, æstate sequenti excaulescunt, florent, & demum semine ad maturitatem perducto radicitus exarescunt. Hæ tamen etiam Vere satæ Autumno insequenti perficiuntur.

Aliæ biennes aut triennes sunt, aut plurium etiam annorum, ut v. g. *Petroselinum vulgare, Angelica, &c.* Hæ primo aut secundo postquam satæ sunt anno in caulem non abeunt, imo earum nonnullæ quinquennium interdum & amplius excaules durant, at caule semel edito & seminibus perfectis funditus marcescunt.

Aliæ denique perpetuæ sunt, nec certum durationis terminum obtinent.

Hæ autem vel radice tantùm sunt perpetua vel etiam superficie.

Quæ radice tantùm sunt perpetua *restibiles* appellantur, quæ etiam superficie *perennes*.

Quæ radice perpetuæ censentur non eandem omnes perpetuò radicem individuam servant, nisi impropriè & (ut Philosophi loqui amant) per æquivalentiam; novâ aggeneratione annua radicis damna reparantes, ut superiùs in capite de Radicibus Plantarum ostendimus.

Arbores admodum longævas esse plurimis exemplis allatis volumine xvi. cap. 48. probat Plinius. *Vita arborum quarundam immensa credi potest* (inquit) *siquis profunda mundi & saltus inaccessos cogitet. Verùm ex his quas memoria hominum custodit, durant in Liternino Africani prioris manu satæ Olivæ, item Myrtus eodem loco conspicuæ magnitudinis. Romæ verò Lotos in Lucinæ area, Anno qui fuit sine Magistratibus 369 Urbis æde condita: incertum quantum ipsa vetustior. Esse quidem vetustiorem non est dubium, cùm ab eo luco Lucina nominetur. Hæc nunc circiter annum 450. habet. Antiquior illa est sed incerta ejus ætas quæ capillata dicitur, quoniam Vestalium Virginum capillus ad eam defertur. Verùm altera Lotos in Vulcanali, quod Romulus constituit ex victoria de decimis, æquæva Urbi intelligitur, ut autor est Massarius. Radices ejus in forum usque Cæsaris per stationes municipiorum penetrant. Fuit cum ea Cupressus æqualis circa suprema Neronis Principis prolapsa atque neglecta. Vetustior autem Urbe in Vaticano Ilex, in qua titulus æreis literis Hetruscis religione arborem jam tum dignam fuisse significat.* Reliqua quia incerta & fabulosa nobis videntur, omittimus: Videat qui volet apud Plinium loco citato.

Idem celeberrimus autor lib. xvi. cap. 2. Hercyniæ, inquit, Sylvæ arborum vastitas, invicta ævis & congenita mundo, propè immortali sorte miracula excedit. Ut alia omittamus fide caritura, constat attolli colles concursantium inter se radicum repercussu, aut ubi secuta tellus non sit arcus ad ramos usque, & ipsos inter se rixantes, curvati portarum patentium modo, ut turmas equitum transmittant. Josephus de Bello Judaico lib. 5. cap. 31. Sexto ab urbe Hebron stadio Terebinthum cerni refert, ὃ φασι ἀπὸ κτίσεως μέχει νῦν διαμένειν

Lawsonus nostras Horticulturæ scriptor non incelebris arbores etiam frugiferas, *Malos* & *Pyros* ad nongentos usque annos vitam producere non contemnendis rationibus probare nititur. Habere se in horto arbores, quas ante octoginta annos satas fuisse seniorum testimonio constat. Has tamen aliis congeneribus (quas noverat) nec commodiùs sitis, nec diligentiùs cultis, quin potiùs neglectis & malè tractatis, necdum plenè adultis triplo minimùm magnitudine & perfectione inferiores fuisse. Unde colligit hoc genus arbores trecentos circiter annos augmento impendere antequam ad ἀκμὴν perveniant. Cúmque in animalibus statûs & declinationis spatia incrementi minimum dupla sint; quanto magis in Arboribus quarum substantia solida, ad durandum firma, cœli injuriarum patiens: victus naturalis & purus, nullis fæcibus aut πειλώμασι contaminatus? Quòd si arbores frugiferæ, tot injuriis obnoxiæ ex iterata translatione, putatoris falce, aliisque accidentibus, quin & ex prodiga succi nutritii in tot annuos fructus impensa vigore exhaustæ, tot annos durent

quanto

quanto magis longævas esse credi par est arbores illas statura & magnitudine excellentes, materie firma & invicta, locis natalibus adolescentes, nec succi in fœtus prodigas, quibus terra mater est non noverca, alimentum idoneum, nec vires cultu aut mangonio labefactatæ.

Verùm facessant rationes quantumvis speciosæ; experimenta quærimus non argumenta. Quæ de arborum longævitate feruntur apud nos non facilè fidem inveniunt. Cùm enim temporum quibus arbores primum satæ sunt nulla aut perquam rara fide digna testimonia, literis consignata extant; quæ de earum vetustate traduntur, incertis & male fundatis rumoribus & opinionibus constant, ideóque vel omnino falsa & fabulosa nobis videntur, vel incerta & conjecturis plena. Quercuum certè longævitati repugnant quæ *D. Rob. Harley* ad *D. Rob. Murray* literis ante decennium datis perscripsit: Nimirum se ex inquisitione 200 circiter abinde retro annis capta certiorem factum, in Parco quodam suo (sic vocant vivaria ferarum septis circundata) & sylvis adjacentibus nè unam quidem Quercum tunc temporis per ætatem glandibus ferendis parem extitisse, in quibus cùm hæc scriberet se observâsse plurimas eximiæ magnitudinis & proceras, intérque eas nonnullas jamdudum παρακμάζοντας & vigore defectas, in extremo senii & marasmi declivio constitutas.

CAP. XXIV.

De Viribus & Usibus Plantarum in Cibo & Medicina.

PLantarum usus latissimè patet, & in omni vitæ parte occurrit. Sine illis lautè, sine illis commodè non vivitur, at nec vivitur omnino: Quæcunque ad victum necessaria sunt, quæcunque ad delicias faciunt, è locupletissimo suo penu abunde subministrant. Quanto ex iis mensa innocentior, mundior, salubrior quàm ex Animalium cæde & laniena? Homo certè naturâ Animal carnivorum non est, nullis ad prædam & rapinam armis instructum, non dentibus exertis & serratis, non unguibus aduncis. Manus ad fructus colligendos, dentes ad mandendos comparati. Nec legimus ei ante diluvium carnes ad esum concessas. At non victùm tantùm nobis suppeditant, sed & vestitum, & medicinam, & domicilia aliáque ædificia, & navigia, & supellectilem, & focum, & oblectamenta sensuum animique: Ex his naribus odoramenta & suffumigia parantur. Horum flores inenarrabili colorum & Schematum varietate & elegantia oculos exhilarant, suavissima odorum quos expirant fragrantia spiritus recreant. Horum fructus gulæ illecebræ mensas secundas instruunt, & languentem appetitum excitant. Taceo virorem amœnissimum oculis amicum, quem per prata pascua, agros, sylvas spatiantibus objiciunt, & Umbras quas contra æstum & solis ardores præbent. Verùm, his missis, de earum tantum viribus seu usibus in Medicina verba faciam, quæque dicenda habeo in pauca contraham. Medici tum Antiqui, tum Recentiores de Plantarum temperamentis, Qualitatum primarum quas vocant, *caloris; frigoris, humiditatis & siccitatis* respectu, fusè disserunt. Singulas enim qualitates in quatuor gradus, & unumquemq; gradum in tres mansiones subtiliter nimis distinguunt. Verùm quoniam doctrina hæc argutior nobis quàm utilis videtur, neque de qualitatum gradibus in plerisque plantis autores consentiunt, atque ex saporum differentiis & gradibus de temperamentis judicium faciunt, hujusmodi minutiis immorari non necessarium ducimus: qui iis delectantur Institutionum Medicarum Scriptores adeant. Magis ad rem foret Odorum sed præcipuè Saporum differentias, causas, effectus indagare: ex his enim vires plantarum & usus in Medicina certiùs colligi posse quàm ex aliis quibuscunque notis signisve omnes consentiunt. Quæcunque enim plantæ saporibus conveniunt, facultatibus quoque consentire verisimillimum est. Verùm antequam de saporibus in specie agamus, alios plantarum Vires indagandi modos excutiemus, quorum primus est ex signaturis dictis. Signaturam vocant Plantæ alicujus ejúsve partis, radicis puta, caulis, folii aut fructûs, cum parte aliqua corporis, aut morbo ejúsve symptomate, similitudo aut convenientia in figura, colore, textura, alióve accidente, unde eam tali corporis parti amicam & salutarem, talíve morbo utilem esse conjiciunt. Ejusmodi enim similitudinem talis proprietatis signum seu notam à natura impressam arbitrantur. Signaturas præcipuè crepant Chymistæ. Chymicum autem dudum definivit Davisonus ut memini (quàm rectè ipse viderit) *Animal credulum & mendax.*

Nos alibi Signaturas rejecimus, nec ullas notas naturæ consilio plantis impressas ut naturalium facultatum indices essent, demonstravimus, nec dum sententiam mutamus, ob rationes ibi adductas, quas hic repetemus.

1. E plantis specificis dictis, quæ scilicet cuivis parti aut membro corporis, aut morbo, ut propriæ & salutares dicantur, numerus earum quæ Signaturis carent longè major est, ut in Cardiacis, Thoracicis, Cephalicis, Hepaticis, &c. facilè esset ostendere.

2. Diversæ partes ejusdem plantæ diversas, imò nonnunquam contrarias exhibent Signaturas.

3. Plurimæ plantæ rerum naturalium & artificialium imagines exprimunt, ad quas tamen nullum habent respectum; ut flores quarundam Orchidum, Muscarum, Apum, Papilionum, hominis nudi, &c. [inter quas tanta (ut id obiter notem) intercedit similitudo, ut nemo non statim illam agnoscat, nec facilè sibi persuadeat in tot præsertim speciebus casu evenisse, sed potiùs naturæ ludentis consilium arguere:] Bursæ pastoris vascula seminalia sacculi: Thlaspeos biscutati clypei: Antirrhini vulgaris capitis vitulini; Phaseoli semina renum: Tragopogon Barbæ hircinæ: radix Terræ glandium muris; Gladiolus gladii; Fœnugræci siliquæ cornuum; folia Medicæ cochleatæ vulgatissimæ cordis: cujus etiam imaginem expressam gestat Pisum cordatum dictum; ad quæ tamen referri nullatenus aut debent aut possunt.

4. Partes plantarum quarundam eas interdum partes corporis repræsentant quibus quam maximè adversantur. Sic Anacardii fructus cor repræsentat, est tamen venenatus. Fungi arborei pulmones figurâ, colore & spongiosa mollitie referunt; Fungus phalloides membrum virile; Utrique tamen maligni sunt & perniciosi. Tithymalorum succus acerrimus lacti similis est, nemo tamen il-

lum

lum nutricibus propinat ad lac augendum, Mespilorum caro stercori colore & consistentia respondet, alvum tamen non subducit, sed adstringit & constipat.

5. Eædem corporis partes diversis & non rarò contrariis morbis afficiuntur, qui diversa & qualitatibus discrepantia remedia exposcunt.

6. In diversis plantis partes ejusdem speciei & figuræ vires diversas aut etiam contrarias obtinent, ut in bulbosis radicibus constat, quarum aliæ vomitum cient, ut Narcissi, aliæ cibum præbent gratissimum ut Tulipæ, Cepe, Allium, &c.

7. Signaturarum paucitas, & assignatarum obscura nec cuivis facilè observabilis cum rebus quas repræsentare dicuntur similitudo nullum naturæ intendentis consilium arguunt, sed potiùs humani ingenii observantis & accommodantis subtilitatem. Utcunque tamen memoriæ juvandæ inserviunt, & efficiunt ut faciliùs recordemur facultatum earum plantarum, quæ hujusmodi notam velut fronti impressam gestant. Alia ratio Plantarum vires investigandi est Insectorum easdem depascentium observatio; quæ revera nonnullius usus esse potest. Et primò quas nullum animal, nedum insecta attingant, eas venenatas esse extra dubium est. Et hoc indicium habuerunt Europæi, cùm Americæ sylvas oberrarent, fructus aliquos edules esse, aut saltem impunè gustari posse, si nimirum ab Avibus decerptos aut admorsos viderent.

Verisimile etiam est viribus convenire quas eadem insecta arrodunt. Ipsi sæpiùs observavimus Scarabæi genus parvum, nigrum, (quem à parvitate æquali & aliquali similitudinem Pulicem hortensem hortulani nostri vocitare soliti sunt) plantas duntaxat acres & calidas, Piperitin, Nasturtium, Iberidem appetere; unde certò colligere licet, quamcunque plantam illud attingat ejusdem qualitatis participem esse. Sic & Erucam quandam annulis nigris & aureis transversis insignem Jacobæam plerunque, interdum tamen & Senecionem depasci; unde concludimus plantas illas ut facie sic viribus affines esse.

Quin si quod Insecti genus peculiarem aliquam speciem affectet, reliquis omnibus spretis, verisimile est Plantam illam pollere etiam vi aliqua aut proprietate peculiari, quanvis fortè ea sensus nostros non incurrat. Insecta enim subtiliùs quàm nos sapores distinguunt.

Non est autem hæc observatio certa & universalis in omne genus insectis: dantur enim nonnulla polyphaga & pamphaga, quæ nullum fere escæ genus aversantur.

Superest tertia & optima initio proposita Plantarum vires indagandi ratio, nimirum ex saporibus.

Medici vetustiores novem saporum differentias seu species constituunt, temperamentorum indices, calidi tres, tres frigidi, & medii seu temperati totidem, quas tribus versiculis complectitur Schola Salernitana,

Hi fervore vigent tres, salsus, amarus, acutus:
Alget acetosus, &c.

Jo. Fernelius Autor imprimis eruditus & elegans pro styptico acerbum substituit, pro Pontico sapore austerum: Saporum autem differentias seu species sic describit,

Sapor acer est, qui linguam & os acrimoniâ ferit atque compungit, simulque calfacit & interdum quasi exurit: is maximè conspicuus est in Pipere, Pyrethro & Euphorbio.

Acidus sapor gustum quoque penetrat & tenuitate ferit, sed citra ullum sensum caloris. Tale maximè in aceto deprehenditur, deinde etiam in succo mali cytrii, limonum, &c.

Pinguis sapor nec calore, nec acrimonia gustum sollicitat, sed linguam orisque partes lentore quodam oblinit. Is præcipuè animadvertitur in oleo, butyro, adipe, &c.

Salsus sapor linguam non admodum calfacit, sed acriter siccando corradit. Hic imprimis elucet in sale communi.

Austerus sapor os & linguam moderatè constringit & quadam asperitate coarctat: hinc quadantenus siccat & refrigerat. Hic propriè *crudus* appellatur, estque immaturis fructibus peculiaris, ut in succo uvæ acerbæ, pomorum, pyrorum, mespilorum immaturorum.

Dulcis sapor gustu suavis atque jucundus oblectat, nullaque qualitate exuperante molestus est. Ejusmodi conspicuus est in Saccharo, melle, glycyrrhiza, &c.

Amarus sapor dulci ex adverso oppositus, insuavis ac tristis; sensum ipsum veluti corradit aut divellit. Eo insignis est Aloe, deinde absinthium, centaurium minus & colocynthis.

Acerbus sapor austero finitimus, eo tamen gravior molestiórque est, ac magis linguam omnémque gustum constringit & exasperat, ac proinde magis tum siccat, tum refrigerat. Is luculenter in malicorio, in galla, in rhoe & nucibus cupressi conspicitur.

Insipidus, ἄποιος dictus, qui propriè sapor non est, sed saporis privatio, nulla qualitate manifesta gustum ferit. Talis esse videtur Farris universum genus, & cucurbita & citrulus. Hactenus Fernelius, qui & causas horum saporum assignat, in quibus tamen nobis non satisfacit.

At neque hic, neque alii seu Medici, seu Physici saporum differentias satis diligenter observâsse videntur; & nonnullos etiam compositos pro simplicibus habuisse, alios gradu tantùm diversos pro specie distinctis. Quocirca Grevius noster doctrinâ in Scholis traditâ non contentus, rem totam ad examen revocans & curiosiùs expendens sexdecim minimùm simplicium saporum species diversas animadvertit & distinxit. Eæ sunt,

Primò Sapor *amarus* qualis in *Absinthio* sentitur: cui opponitur. 2. *Dulcis*, ut in *Sacchаro* 3. *Acidus*, ut in *Aceto*; cui adversatur, 4. *Salsus*. 5. *Calidus*, ut in *Caryophyllis*; cui opponitur 6. *Frigidus*. Dantur enim corpora quædam quæ frigoris sensum linguæ manifestè imprimunt, ut v. g. *Sal prunella*, idque quamvis liquor in quo solutus fuerit calidus degustetur. 7. *Aromaticus*, nec enim minùs sapori quam odori convenit aromaticum esse. Aromaticum autem saporem à calido distinctum esse manifestum est, cùm plurima observentur corpora calido gustu vel remisso vel etiam intenso, quæ nullatenus aromatica sunt, ut v. g. Euphorbium. Adeò ut quamvis sapor Aromaticus

maticus cum calido sæpissimè conjunctus sit, non est tamen una eadémque saporis species, sed diversa. 8. *Nauseosus* seu malignus præcedenti contrarius, qualis unà cum adstringente & amaro in Rhabarbaro sentitur, cum amaro & dulci in Aloe. Malignus dicitur quia ingratus est quamvis vel remisso gradu cum aliis saporibus misceatur. 9. *Vapidus*, in albumine ovorum, Amylo, Bolis nonnullis. 10. *Unctuosus*, qualis in Oleo, Adipe, &c. atque hosce duos sapores *molles* vocat Auctor noster, quemadmodum sequentes quatuor *duros*. 11. *Penetrans*, qui sine acrimonia aliqua in linguam se insinuat, quomodo nonnulla insecta in cutem: qualis in radice & foliis Cucumeris agrestis sentitur. 12. *Stupefaciens*, qualis in radice Hellebori nigri percipitur, quæ commansa, & linguæ aliquandiu imposita, eam paralytico quodam stupore afficit, ac si nimis calidum sorbendo ustulata fuisset. Atque hos duos proximè dictos sapores vapido contrarios facit; quemadmodùm sequentes duos 13. *Adstringentem* scilicet, qualis in Gallis sentitur, & 14. *Pungentem*, qualis in spiritu Salis Armoniaci, Unctuoso seu pingui opponit. Deinde Sapores dividit in continuos quales plerique & 15. *Intermittentes*, cujusmodi observatur in radice Dracontii, qui postquam planè sopitus & extinctus videtur, ad intervalla quasi reviviscit & renovatur, maximè ex appulsu linguæ ad fauces aut gingivas. Denique sapores sunt vel æquales ut plerique, vel 16. *Tremuli*, ut calor à Pyrethro productus, quem vibratio quædam comitatur. Verùm hæ duæ ultimæ species nobis potius Affectiones saporum videntur, cum & multis saporibus accidere possunt, nec seorsim & ab aliis omnibus separati existere.

Sapores compositi numerosissimi sunt, interdum enim bini, interdum terni, quaterni, quini aut etiam plures in eodem subjecto concurrunt.

Ex innumeris ferè Saporum conjunctionibus quæ in variis corporibus observari possent ob linguæ Latinæ egestatem & inopiam verborum, sex tantùm (quod novimus) nomina imposita sunt, nimirum *Acerbo*, *Austero*, *Acri*, *Muriatico*, *Lixivo* & *Nitroso*; quorum plerique saporibus simplicibus annumerari solent, verùm admodum impropriè, cùm omnes compositi sunt, aut decompositi. Est enim

1. *Austerus* ex adstringenti & amaro compositus; ut in immaturis & mollibus uvarum nucleis seu vinaceis.

2. *Acerbus* propriè dictus ex Adstringente & Acido; ut in Omphacio.

3. *Acris* ex pungenti & calido, nec enim simpliciter calidus est, cùm multa corpora calida reperiantur quæ non sunt acria, ut radices Zedoariæ, Millefolii, Contrayervæ; nec minùs pungentiæ pariter non acria, cujus generis est Ari radix.

4. *Muriaticus* est salsus cum pungente remisso compositus; velut Salis communis Sapor.

5. *Lixivus* dicitur Salsus cum pungente & calido.

6. *Nitrosus* vocatur Salsus cum pungenti & frigido concurrens. Differunt præterea Sapores variis modis; 1. Respectu graduum: 2. Respectu Durationis. 3. Respectu subjecti quod afficiunt.

1. Differunt sapores in unaquaque specie respectu graduum. In aliis enim corporibus remissiores sunt, in aliis intensiores, idque eo excessu, ut in nonnullis decem gradus possint distingui. Sic, v. g. Radix Curcumæ primo gradu amara est, Gentianæ decimo, Cardui benedicti radix gradu primo calida est, Clematidis peregrinæ siliquæ decimo. Et quamvis in omnibus saporum speciebus tanta graduum latitudo seu differentia non inveniatur; plerique tamen quinque saltem gradus intensionis & remissionis observabiles obtinent.

2. Differunt sapores respectu durationis, & terminorum motûs. Quemadmodum enim morborum ita & Saporum quatuor tempora sunt, seu motûs termini, nimirum *Principium*, *Augmentum*, *Status* & *Declinatio*.

Ad quos rite observandos & distinguendos oportet ut corpora duriora quorum partes gustabiles non adeò promptè abscedunt & gustui occurrunt, in pulverem tenuissimum reducantur. Aliàs de principio nullum potest fieri judicium.

Principium voco spacium illud temporis quod intercedit inter primum corporis gustandi contactum, & primam saporis manifestam perceptionem. Sic ex. gr. corpora *acida* aut *amara*, ut *Acetum* & *Absinthium* ad primum statim contactum, quatenus acida & amara sunt, sensum afficiunt, & talia esse deprehenduntur, adeóque principium habent brevissimum. *Acria* principium aliquanto longius obtinent. Sic Clematidis peregrinæ folliculi, quamvis acrimoniam vehementissimam ad decimum usque gradum obtineant, ea tamen non statim sentitur, nec tam citò gustum afficit quam Rosarum amaror, qui secundum gradum non excedit. Verùm saporum calidorum principium longius seu tardius plerumque est quàm aliorum quorumcunque. Sic *Hellebori nigri* radicum amaror, qui gradum secundum non transcendit, mox tamen à contactu sentitur; calor verò quem in linguâ excitant, quamvis uno saltem gradu intensior, non ante duo minuta temporis à primo occursu exacta omnino percipitur. Consimiliter Enulæ amaror qui quartum gradum non superat, citiùs tamen sentitur quàm ejusdem calor qui octavum attingit gradum.

Augmentum appello interstitium illud inter primum saporis perceptionem & summum quem assequitur intensionis gradum interveniens. Sic calor *Galangæ* non solùm statim percipitur, sed & intra unius minuti dimidium ad ἀκμὴν seu summum intensionis gradum ascendit. At radicis *enulæ* calor ad augmenti terminum non accedit nisi post integrum minutum; nec *Hellebori nigri* ante 4 à primo contactu minuta præterita.

Status, seu spatium quo Sapor in vigore suo persistit, in variis substantiis varius est. Sic, v. g. siliquarum Helleborastri calor, ad ἀκμὴν pervenit & declinare incipit intra dimidium minutum; radicis Nasturtii hortensis non ante minutum exactum; radicis *Asari* post duo demum minuta completa.

Declinatio, à prima saporis remissione ad totalem ejus extinctionem extenditur, cujus etiam duratio varia est, pro differentia corporum gustatorum. Sic v. g. Folia *Millefolii* in quarto gradu amara sunt, in primo tantùm calida, & tamen calor aliquandiu durat, amaror illico evanescit. *Calamus*

mus Aromaticus amarus est in quarto gradu, in primo calidus, in tertio Aromaticus: Amaror tamen illico extinguitur, calor duo minuta durat, Aromaticus sapor 7. aut 8. Calor radicis *Contrayervæ* ad duo propemodum minuta extenditur; pungens sapor *Gialappæ* ad sex ferè: calor *Nasturtii hortensis* ad 7. aut 8. *cucumeris agrestis* amaritudo ad horæ ferè quadrantem: At *Euphorbii* calor, ut & *Hellebori nigri* multò diutiùs, ad dimidiam scilicet plus horam permanet. *Ari* radix vere gustata per 12. etiam horas linguam compungere interdum perseverat.

Adeò ut augmentum rariùs ultra 4. aut sex minuta à contactu primo extenditur, at declinatio ad 30, 40, aut etiam plura.

3. Differunt Sapores respectu *subjecti* seu *sedis* seu partis illius corporis quam præcipuè afficiunt. Atque hoc respectu sunt vel *fixi*, vel *mobiles*.

Fixus sapor dicitur qui ab initio ad terminum intra ejusdem partis limites se continet, ut v.g. apicem radicémve linguæ.

Mobilis est vel *diffusivus*, vel *transitivus*; si ita loqui liceat.

Diffusivum voco qui gradatim in partes vicinas se diffundit & propagat, nec tamen interim partem illam deserit quam initio affecit. Sic amaror radicum exsiccatarum *Hellebori nigri*, qui in linguæ apice primò sentitur, ad ejusdem mediam partem se dilatat; amaror foliorum *Cucumeris agrestis* ab apice ad radices usque linguæ se extendit.

Sapor *transiens* dicitur, qui partem quam initio affecit post moram aliquam penitus deserit, & in aliam se transfert. Sic *Gentianæ* amaror ab apice linguæ ad ejus mediam partem illico transit.

Partes illæ quas modis prædictis sapores afficiunt, quibus etiam respectibus Saporum sedes & organa gustûs dici possunt, sunt *Labia, Lingua, Palatum, Fauces, Gula.*

Labiis radix Hellebori albi, ut & Pyrethri caloris sensum imprimit, qui 9. aut 10. minuta durat; in aliis partibus multo diutiùs.

Linguam tribus præcipuè in locis sapores afficiunt. 1. in *Apice*, ut plerique. 2. Propè basin, ubi *Cucumeris agrestis* foliorum sapor se præcipuè manifestat. 3. Mediâ parte, ubi *Gentianæ, Colocynthidis*, & aliorum plurimorum corporum sapor viget, cùm nec in apice, nec in alia parte omninò sentitur.

Palato radix Solani lethalis (quantum memini) sui sensum præcipuè imprimit, & ad 4. minuta ibidem durat.

Fauces seu Guttur saporum non raró sedes est. Non pauca etenim corpora quamvis in Lingua reliquisque partibus prædictis saporem nullum manifestent, gutturi tamen & faucibus vehementem satis infligunt. Sic *Bellidis minoris, Chelidonii minoris, &c.* folia, ut & radices *Jalappæ, Mercurialis, Asparagi, &c.* commanducata linguæ exiguum aut nullum saporis sensum imprimunt: at succus eorundem deglutitus guttur quodammodo compungit, & lacessit, catarrhi acris in modum: qui affectus ab aliis acribus & calidis ut v. g. *Pyrethri* & *Gentianæ* succis deglutitis non producitur.

Postremò, Saporis voce latissimè accepta *Gula* quoque seu *Oesophagus* ejusdem *sedes* seu subjectum (ut vocant) esse potest. Sic v. g. calor à radice *Absinthii vulgaris* productus, qui primò in apice linguæ percipitur, inde primo ad radicem ejus transit, deinde in fauces & paulatim in gulam descendit, ut ipsum tandem ventriculum calefacere videatur, caloris sensu ad horæ quadrantem durabili, idque quamvis nihil omnino succi deglutiatur, neque tamen ingratus est aut caput tentat, quemadmodum folia; unde obiter colligi potest, radicem hanc, quæ ab ominibus vulgo ut inutilis rejicitur, præstantissimis stomachicis annumerari debere, prout eam revera esse etiam experientiâ didici.

Quæ de Saporum causis Autor noster habet apud ipsum quærenda omitto, ne nimium (quod aiunt) extra oleas.

Cæterum Saporum in plantis diligens & curiosa observatio ad nondum cognitarum aut fortè oblatarum vires investigandas eximii usûs esse potest, cùm enim in iis quarum vires traduntur, quæ saporibus conveniunt viribus quoque convenire compertum sit, quidni in nondum traditis aut expertis eadem observatio locum habeat? Sic. v. g. cùm *Jalappa, Mercurialis & Bellis*, quæ eundem fauces exasperantem saporem obtinent, vi cathartica intensiore aut remissiore omnes polleant, colligere licet alias etiam plantas quæ eundem gutturi saporem imprimunt (plures autem ejusmodi sunt) eadem quoque facultate purgatrice dotatas esse, ut alia exempla omittam.

Deinde in plantis ejusdem generis quæ saporibus differunt & facultatibus unà distare verisimillimum est: quemadmodum *Rhabarbarum* à reliquis Lapathis.

Interest quoque plurimùm in diversis ejusdem plantæ partibus saporum differentias observare. Sic v. g. cortex arboris *Sassafras* ejusdem ligno triplo fortior est; quod & in aliis plerisque vulgo cognitis arboribus experimur. Unde verisimile est, *Santali, Ligni Rhodii, Ligni Aloes, &c.* cortices (si haberi possent) eorundem lignis efficaciores futuros & majorum virium. Nonnullarum etiam partium ejusdem plantæ, sapores quàm reliquarum delicatiores sunt & palato gratiores, ut florum v. g. Cardui benedicti quàm foliorum ejusdem. Nos etiam alibi [in catal. plant. Cantabrig.] indicavimus & allatis exemplis confirmavimus, diversas ejusdem plantæ partes diversis interdum imò planè contrariis qualitatibus & viribus instructas esse.

Observatu quoque dignum est quomodo plantarum sapores & facultates conservando, exsiccando aut præparando vel immutantur, vel minuuntur, vel planè abolentur & amittuntur. Sic v. g. Ari radix recens effossa vehementer mordax acris & pungens est, eadem penitus exsiccata, præsertim si diutiùs asservetur, planè insipida evadit, & proinde, ut verisimile est, prorsus inefficax & nullarum virium. Idem esto judicium de aliis plantis quarum virtus in parte humida & vaporosa consistit. Olea multarum plantarum stillatitia earum partibus unde eliciuntur plerumque validiora sunt; in nonnullis tamen, ut in *Euphorbio*, imbecilliora.

Tandem ex superiùs de saporibus dictis summâ verisimilitudine colligit Autor noster, Plantis nonnullis vires specificas quas vocant, hoc est, partem aliquam corporis, *Cerebrum, Cor, Hepar, &c.* respici-

respicientes inesse, quas Medici & Philosophi nonnulli pernegant, alii in dubium vocant. Cùm enim una aliqua planta aut plantæ pars uni alicui oris parti privatim saporis sui sensum imprimat, non alii: cur non & eadem vel alia quædam unum aliquod viscus afficiat, aliud non item; præsertim cum oris partes textura & constitutione minùs differre videntur quàm viscera nonnulla inter se.

Horum pleraque è D. Grevii ingeniosissimo libello de saporum causis & differentiis, in Latinum versa huc transferre non piguit, quoniam scitu dignissima sunt, & nonnulli fortasse qui hæc nostra legent, Anglicanum sermonem in quo conscripta sunt non intelligent.

CAP. XXV.

De loco Plantarum.

PLantæ loci respectu dividi possunt in eas 1. Quæ certo alicui loco aut sedi ità adstrictæ sunt, ut alibi nec durare. nec vivere omnino possunt, cujusmodi sunt *Viscus arboreus*, & *Submarinæ* omnes.

2. Quæ quamvis locum aliquem peculiarem affectent, nec temerè alibi sponte sua ortæ reperiantur, culturam tamen admittunt, & in hortis curâ adhibitâ educari, florere, semen perficere, seque propagare possunt.

3. Quæ plurium locorum communes sunt, nec ullum ferè solum aut cœlum refugiunt.

Secundum genus multas admittit subdivisiones cœli, solique respectu: Aliæ enim locis frigidis gaudent, aliæ temperatis, aliæ calidis: Aliæ montanæ sunt, aliæ campestres, aliæ sylvaticæ, aliæ pratenses, aliæ palustres & aquaticæ, aliæ maritimæ, &c.

De loco plantarum cœli respectu observavimus quòd quo ad Meridiem & Solis cursum propiùs accedas eò plures plantarum species sponte oriri deprehendes. Quamvis enim Regiones frigidæ & Septentrionales suas quoque peculiares stirpes obtineant, paucissimæ tamen eæ sunt si cum illarum multitudine conferantur quæ in temperatis & calidioribus tantùm proveniunt. Cui accedit, quod juga, vertices aut etiam latera montium in regionibus calidis cum frigidiorum depressis, planis & sylvosis aeris temperamento quodammodo conveniunt, quo fit ut easdem ferè stirpes producant, adeóque nè plantæ quidem Septentrionales Meridionalibus desint.

Deinde multæ plantæ quæ in frigidis & Septentrionalibus regionibus Fruticum modum non excedunt, in calidioribus Arborum staturam & magnitudinem assequuntur, ut superiùs ostendimus.

Tandem in regionibus calidis multæ observantur herbarum species fruticescentes, ut v. g. *Sempervivi majoris, Althææ, Malvæ, Tithymali, Scabiosæ, &c.*

Respectu sitûs sublimioris aut humilioris in eadem regione observavimus, Montes excelsos, quorum vertices maximam anni partem nivibus operiuntur, varietate specierum præcipuè abundare. Alpes certè quæ Italiam & Galliam Germaniámque disterminant, inexhausto plantarum penu Botanicorum scrutiniis in hunc usque diem sufficiunt, magnâ adhuc nondum proditarum residuâ multitudine. Nec ullus ferè vertex excelsior est præsertim salebrosus & præruptus, qui non peculiares aliquas species, nec alibi quàm in paris altitudinis & naturæ verticibus inveniendas producat. Quin & altissimos omnium montes & montium vertices & plurimas & rarissimas plantarum species fundere observavimus. Hæc specierum diversitas soli differentiæ, partim etiam aeris temperamento deberi videtur. Si enim montes terræ motibus originem suam debent, ut Claris. *Hookii* sententia est, materiam eructatam è visceribus terræ, & in montes aggestam, non in omnibus verticibus imo nec in eodem uniformem esse, ejusdémve naturæ seu temperamenti certum est, sed diversissimam, unde nil mirum si diversas plantarum species producat.

Observavimus insuper Plantas montanas omnium sui generis plerunque maximas esse, & pulcherrimos flores edere, in partibus montium non nimium apricis & ventis Septentrionalibus expositis. Quod tanta soli fertilitas dicam an luxuria nivibus imputanda sit, nobis equidem videtur; seu quia nix velut vestis superextensa radices foveat, & ab injuriis cœli & frigoris vehementiâ defendat, sive quòd Sale nitroso, quo abundare creditur, terram lætificet & fœcundet: Ob quas rationes agricolæ etiam nostri hybernas nives ad satorum tutelam in terræ superficie aliquandiu restare exoptant. In montibus autem, colliquatis statim nivibus, brevi temporis spatio, celerrimo auctu adeò proficiunt pascua, ut montium juga vernantium pratorum speciem exhibeant.

CAP. XXVI.

De Divisione Plantarum in genere.

PLantarum divisionem instituere, cujus membra seu genera subalterna universas species complectantur, nullâ adhuc anomalâ & sui generis relictâ, quæque singula genera notis suis characteristicis ità circumscribat, ut non communicent in vicem, hoc est, ut nulla possit inveniri species incerti (ut ità dicam) laris & ad plura genera revocabilis, difficillimum esset imò planè impossibile.

Nec enim primò id patitur natura rei. Cùm enim *Natura* (ut dici solet) *non faciat saltus*, nec *ab extremo ad extremum transeat nisi per medium*, inter superiores & inferiores rerum ordines species nonnullas mediæ & ambiguæ conditionis, quæ utrosque velut connectant, producere solet, ut ad utrum

utrum pertineant omnino incertum sit: ut v. g. inter Plantas & Animalia *Zophyta* dicta. Deinde in unoquoque etiam ordine non paucas exhibet species singulares & anomalas, sui, ut vocant, generis, tanquam exceptiones à regulis generalibus, ad libertatis scilicet suæ nullis legibus obnoxiæ ostentationem.

At neque secundò, si natura rei id pateretur, humana conditio admitteret. Cùm enim plantarum numerus ingens sit, in his ætatis angustiis, memoriæ imbecillitate, intellectûs inadvertentia & caligine; quis adeò universalem specierum omnium notitiam, adeóque claram & distinctam singularum, se unquam assequi posse sperat, ut tali incepto sufficeret? Quis adeò circumspectus esse potest ut ad omnes omnium convenientias & differentias attendat; eásque sub uno quasi intuitu comprehendat, quod tamen ad eas inter se conferendas necessarium est?

Nos ergo Methodum Plantarum omnibus numeris absolutam non pollicemur, cùm natura (ut diximus) intra limites Methodi cujuscunque coerceri repugnet: at neque quam patitur natura perfectam & elimatam: non enim id unius est hominis aut ætatis; sed quàm potuimus accuratam pro ingenii nostri tenuitate, & modica harum rerum peritiâ.

Methodos autem illas quæ plantas secundùm locos natales, aut florendi tempus, vires & usus disponunt, rejicimus, quoniam omnes illæ cognatas species separant, alienas consociant; eam autem quæ à similitudine & convenientiâ partium præcipuarum, floris scilicet, & calycis, seminis ejúsque conceptaculi notas characteristicas generum sumit, amplectimur & usurpamus.

CAP. XXVII.

De Divisione Plantarum, in Arbores, Frutices; Suffrutices & Herbas; & singulorum in genera sua subordinata.

PLanta perfecta à Botanicis vulgò dividi solet in Arborem, Fruticem, Suffruticem & Herbam.

Arbor [Δένδρον] definiente * *Jo. Bodæo à Stapel*, cujus definitionem probamus, est Planta lignosa, crassitudine & altitudine inter omnes maxima, cui caudex pro superficie est, perennis & naturâ simplex, qui in multos ramulos majores, & deinde ramusculos multiplices finditur, ut *Pyrus, Abies, Quercus, &c.*

Frutex [Θάμνος] eodem definiente, est stirps inter lignosas altitudine & crassitudine mediocris, cui pro superficie stipes perennis, naturâ multiplex, quique facilè in naturam arborum stolonum abscissione transcendit.

Suffrutex [Φρύγανον] eidem ex Antiquorum sententia sic definitur; stirps minimæ inter lignosas & crassitudinis & altitudinis, caule perenni, interdum simplici, interdum multiplici & sarmentaceo, folio minuto & tenui, ut *Rosmarinum, Lavendula, &c. Hæc definitio nullas continet notas quibus Suffrutex à Frutice certò possit distingui; ideóque nos paulò post commodiorem dabimus.*

Herba [Πόα] eodem definiente ex Antiquorum sententia, est stirps cujus superficies est ex foliis tantùm, ut *Phyllitis, &c.* vel etiam ex caule, sed illo annuo, carnoso, & qui diutiùs durare nequit, lignosúsque non est nisi cùm exaruerit.

Divisio hæc quamvis unicuique è vulgo nota, & populari usu omnibus seculis recepta & frequentata fuit, non tamen accurata & Philosophica censenda est.

Nam primò, Plantæ nonnullæ inter duo genera ambigunt, ut ad utrum pertineant difficile sit judicare, aliis Botanicis uni, aliis alteri eas ascribentibus. Sic v. g. *Vitis* Theophrasto arbor est, reliquis Botanicis frutex, ut alias omittam. Natura enim tam in plantarum, quàm in Animalium genere, inter superiores & inferiores ordines, species nonnullas mediæ & ambiguæ conditionis producere solet, quæ utrosque velut connectant, ut ad utrum pertineant omnino incertum sit.

Secundò, Arbores nonnullæ recisis cymis in frutices; frutices avulsis aut abscissis stolonibus in arbores facilè transeunt. Sic v. g. Lentiscus magnâ solùm ex parte fruticat; multis ab una radice stolonibus & virgultis assurgens; interdum verò quando non cæditur sed negligitur (ut plerisque locis ad Anam fluvium observavi) in arborem justæ magnitudinis excrescit, inquit * Clusius. Juniperus quoque apud nos in ericetis frequentissima, cæsa aut à jumentis depasta plerunque fruticat; sin permittatur nec violetur in arborem adolescit. Idem dicendum est de Buxo, & (ut nonnullis videtur) Ilice coccifera, quæ in Galliæ Narbonensi eisdem de causis in fruticum ordine coercentur. Ex altera parte Myrtus nisi sæpiùs purgetur in fruticem transit. Theophrast. Hist. lib. 1. cap. 5. *Comarus* [Arbutus] suâ naturâ pusilla est, sed ramis expurgata in magnam altitudinem assurgit, quemadmodum etiam Malus Punica. Bellon. *de neglect. stirp. cult.* Prob. 12.

Tertiò, Plantæ nonnullæ in aliquibus regionibus fruticum modum non excedunt, in aliis arborum staturam & magnitudinem assequuntur. Sic *Ricinus*, quæ Lobelio in *Adversar.* annua nec rediviva planta dicitur, in Creta multos perdurat annos, & in tantam excrescit altitudinem, ut nonnisi scalis admotis conscendi possit, quod * Bellonius tradit. Clusius quoque in maritimis Bæticæ Ricinos crassitudine humana, altitudine trium hominum, multis prægrandibus ramis brachiatos & multos annos durantes observavit, eósque exactissimè congruentes descriptioni Dioscoridis. *Schol. in Monard. cap.* 4. Nos quoque in Sicilia Ricinum arbusculam, Sambuci æmulam lignosam & perennem, in sepibus frequentem observavimus. *Rhododendri* nonnullis Cretæ insulæ locis ad ædicularum trabes conficiendas aptæ, quæ alibi parvæ sunt. *Bellon. de neglect stirp. cult.* Probl. 12. Idem *Observ.* lib. 1. cap. 43. Rhododendri rubro flore, inquit, in monte Atho in summam celsitudinem attolluntur, earúmque caudices crassitudine ficubus non cedunt. Arbuti quoque, quæ in aliis locis plerunque duntaxat fruticant, ingentes illuc fiunt arbores. *Bellon. ibid.* Cornus fœmina, quam Galli Latinos imitati Sanguineum fruticem appellant, haud minor in monte *Castagne*, non procul Philippis Macedoniæ urbe,

* *Comment. in Theophr. Hist.*

* *Hist. lib. 1. cap. 10.*

* *Observat. lib. 1. cap. 18.*

urbe, nascitur quàm majores nostri Corni mares. Idem *Observat.* lib. 1. cap. 56. Multis Austriæ locis nascuntur etiam Corni fœminæ arbores mare non minores. *Clus. Annot. ad dictum locum Bellon.* Suffrutices quoque alicubi in fruticum aut etiam arborum altitudinem excrescunt. Josephus Rutæ cujusdam Machærunte in ipsa Regia plantatæ meminit, quæ à nulla Ficu vel celsitudine vel magnitudine vincebatur. Nos quoque vidimus baculum tricubitale ligno satis duro & solido, è caudice Rutæ cujusdam in Virginia nascentis factum, uti retulit generosus quidam ex amicis nostris, qui secum illud gestare & circumferre solitus erat.

Quartò denique Arbores nonnullæ cum Fruticibus, Frutices & Suffrutices inter se & cum Herbis genere proximo conveniunt, eosdémque characteres seu notas genericas & essentiales obtinent. Sic in genere *Buxi* alia reperitur arborea, alia pumila; in genere *Amygdali* alia pariter procera, alia nana; necnon in genere Ilicis, ut alias omittam. In *Sambuco* autem, *Hyperico, Tithymalo, Sempervivo, Malva, Scabiosa* aliisque plurimis res est manifestissima. Ebulus enim quæ herba est, cujúsque superficies quotannis emoritur, easdem omnino cum Sambuco (quæ arbor Botanicis censetur) notas genericas & essentiales obtinet. Tragium quoque (quod frutex est lignosus) cum Hyperico: Tithymalus dendroides cum vulgaribus herbaceis; Sempervivum arborescens, Scabiosa arborea Cretica, Malva arborea, &c. cum cognominibus plantis notis genericis conveniunt, & primo statim aspectu ad eadem genera pertinere agnoscuntur.

Verùm his non obstantibus, quoniam Divisio hæc passim cognita & recepta, omniúmque ferè seculorum usu approbata est, nec alia commodior occurrat, nos quoque eam retinebimus, certiores tamen inter *Fruticem, Suffruticem* & *Herbam* distinctionis notas afferemus.

Plantas ergo initio, divisione dichotomâ, partiemur in eas quæ caule sunt *annuo*, vel si perenni non lignoso, & quæ caule *perenni* lignoso. Quarumcunque caules annui sunt, Herbas appellamus, sive radices perennent sive non; nonnullæ, etiam caule perenni non lignoso herbis accensendæ videntur, ut v. g. Brassicæ species nonnullæ, Nicotiana cujus caulis interdum perennat, Malva arborea marina, &c. Quæ caule sunt perenni vel *gemmiparæ* sunt, & surculos simplices non ramosos annuatim producunt, vel non *gemmiparæ*, germina producentes eodem anno in ramos & ramulos interdum divisa. Has Suffrutices appellamus; illas adhuc in Arbores & Frutices subdividimus, inter quas hactenus certas & stabiles distinctionis notas non invenimus, ideóque superiùs in earundem definitionibus positis contenti simus oportet. Gemmas appello Arborum & Fruticum fœtus novellos quos quotannis Autumno, aut interdum etiam Æstate, concipiunt, squamosis tegumentis velut secundis obvolutos, in quibus per totam hyemam latitant, quâ exactâ, vere novo in surculos explicari incipiunt, ut superiùs diximus.

Arbores ergo & Frutices à Suffruticibus distinguo quòd illæ gemmiparæ sunt, hæ autem minimé. Esto ergo Suffrutex nobis definientibus, Planta minimæ inter lignosas altitudinis & crassitudinis, non gemmipara, caule perenni. Seu Planta caule perenni, lignoso, non simplices tantùm surculos annuatim producens, sed ramos in ramulos & surculos divisos & subdivisos.

Verùm quoniam Suffrutices plerique cum Herbis notis genericis conveniunt, nec admodum numerosi sint, eos Herbis admiscebimus, adeóque tria duntaxat summa Plantarum genera constituemus, Arborem, Fruticem, Herbam.

Summis autem generibus constitutis sequitur ut subalterna, seu horum unicuique subordinata exquiramus.

Horum autem notæ characteristicæ non tantùm à semine ejúsque conceptaculo (quanquam ab his præcipuè) sed & à flore ejúsque calice desumendæ sunt; non omnino neglectâ Radicis figurâ & constitutione, aut foliorum situ. Flores enim & perianthia nonnullorum generum certiores & magis conspicuos characteres exhibent quàm semina aut eorundem involucra. Sic v. g. in genere Leguminoso *Flos papilionaceus* character est insignis, quem species omnes *Leguminum* velut fronti impressum intuentibus ostentant; cùm ex seminum eorúmve conceptaculi numero, figura, situ aliisve accidentibus difficile esset notam generis indicem sumere.

De Arborum & Fruticum divisione instituenda, cùm horum genera non admodum numerosa sint, non est cur multum laboremus. Herbæ autem cùm numerosissimæ sint, in iis ritè distribuendis & ordinandis præcipua est difficultas. Nobis diu multúmque considerantibus non alia prior aut potior differentia videtur quàm quæ desumitur à *Plantula seminali.* Plantas ergo primo in loco dividemus in eas quæ *Plantulam seminalem* habent *bifoliam* aut *bivalvem*, seu mavis, binis cotyledonibus instructam; & eas quæ eandem obtinent *altero* vel *utroque folio* seu cotyledone *carentem*; in his quæ primò è terra exeunt folia succedentibus similia sunt.

Posterioris generis omnes, paucis exceptis, *Asparago, Pæoniâ, Aro, Cyclamino* & siqua sunt similia, foliis sunt Gramineis. Florum respectu dividuntur, in eas quæ floribus sunt *apetalis* seu *stamineis*, & eas quæ floribus *petaliferis* seu bracteatis. Quæ floribus *stamineis* sunt dividuntur in *Culmiferas*, hoc est, quæ caulem teretem, geniculatum & plerunque concavum edunt, singulis foliis ad singula genicula eum involventibus: & *Graminifolias caule*, geniculis nodosis non intercepto. Culmiferæ grano majore quarum semina hominibus in cibum veniunt *Frumenta* & *Cerealia* vocantur, reliquæ grano minore *Gramina.* Quæ floribus *petaliferis* sunt, vel conceptaculum seminale in terna loculamenta divisum obtinent, seu radice *bulbosâ* propriè dictâ sint, hoc est, vel è pluribus squamis invicem incumbentibus, vel è pluribus tunicis exteriore interiorem ambiente contextâ; seu radice *tuberosâ*, ut Crocon Colchicum, Asphodelus, &c. seu radice *fibrosa*, ut Phalangium; vel *bacciferæ* sunt, ut *Asparagus, Arum, Dracontium, &c.*

Prioris generis herbæ, quæ scilicet plantulam seminalem bifoliam aut bivalvem obtinent, à floris conditione commodissimé dividi posse videntur in eas quæ florem habent *apetalon* seu *stamineum*, hoc est, solis staminibus cum Stylo & Calice compositum, foliis illis fugacibus, tenellis, coloratis, petalis nobis cum *Columna* dictis, quæ vel decidunt vel marcescunt ante seminum maturitatem, carentem: & eas quæ florem obtinent πεταλώδη seu bracteatum, foliis illis fugacibus coloratis instructum.

Not. Ad petalum constituendum duæ conditiones concurrant oportet; 1. Ut sit tenellum, & colore aliquo præter herbaceum insigne. 2. Ut sit fugax aut caducum, hoc est ut vel defluat, vel marcescat antequam semen maturescat.

Quæ florem habent *petalis instructum* seu bracteatum, vel sunt eodem *composito*, vel *simplici*.

Florem *compositum* voco qui ex multis flosculis in unum totalem florem coeuntibus constat. Florem hunc unicum compositum voco potiùs quàm flosculorum agmen, quia unico pediculo donatur, & unico calice includitur, & id multis speciebus circulum in margine habet foliorum planorum radiatim medium discum ambientium, diversæ à reliquis flosculis figuræ & magnitudinis.

Herbæ flore composito vel *lactescunt*, suntque eodem planifolio plerunque naturâ pleno; vel *succo limpido* scatent. Hæ autem vel sunt flore *discoide*, h. e. ex pluribus brevibus, compressis & confertis flosculis, in unam quasi apparentem superficiem digestis composito; succedente semine vel *pappo* innascente alato, cujus generis herbæ *Papposæ* dicuntur, vel *solido* & pappo destituto, in *Corymbiferis* dictis; vel flore *fistulari*: hoc est, ex pluribus concavis oblongis flosculis, ad margines in longas lacinias dissectis composito. In hoc genere flosculi etiam marginales fistulosi sunt. Hæ *Capitatæ* vulgò dicuntur, quia calyx earum squamosus in ventrem plerunque extumescit.

Quæ florem habent *simplicem*, h. e. ex petalis, tantùm cum staminibus & stylo constantem, seminum respectu dividi possunt in duo genera, Primum est earum quæ seminibus sunt *nudis* seu verè, seu apparentur tantùm, h. e. nullo præter Perianthium vasculo aut tegmine donatis: Alterum earum quæ seminibus *conceptaculo* proprio, & à perianthio distincto *tectis*.

Quæ seminibus sunt *nudis* pro numero seminum singulis floribus succedentium dividi possunt, in eas quæ semina ad singulos flores obtinent. 1. *Singula*, 2. *Bina*, 3. *Terna*, 4. *Quaterna*, 5. *Multa* incerto numero. Quæ *bina* ad singulos flores semina obtinent in duplici sunt differentia, Aliis *flores pentapetali* in umbellas plerunque digesti, & hæ *Umbelliferæ* dicuntur: aliis flores monopetali, quadripartiti, folia caules ad singula genicula stellatim ambientia, multa, & hæ *Stellatæ* appellantur.

Quæ itidem *quaterna* producunt semina post florem unumquemque, duorum sunt generum: Aliis folia in caulibus ad singulos geniculos ex adverso bina, flores labiati, quæ *Verticillatæ* appellantur: aliis folia alterna, seu singulatim in caule sita, quæ *Asperifoliarum* titulo innotescunt.

Verùm quoniam semina, quæ videntur in nonnullis hujus generis plantis nuda, reverà non sint, sed folliculis seu thecis inclusa, ideóque titulum hujus membri divisionis sic emendabimus.

Herbæ flore perfecto seminibus vel nudis, vel in singulis folliculis, à planta matre unà abscedentibus, singulis.

Nos equidem in Methodo plantarum non ità pridem edita pro nudis habuimus Verticillatarum semina, prout vulgo habentur, quamvis in nonnullis, ut *Libanotidis cachryophoræ*, dari nucleum, à spongioso cortice discretum non nesciremus, quoniam in plerisque hujus generis cortex nucleo arctè adhæret, & Theophrastus ipse semina hujusmodi nonnulla pro nudis habet: idem de reliquis hoc genus seminibus, ut v. g. Stellatarum, Asperifoliarum, & Polyspermon dicendum, ea à nobis nudis accenseri quia folliculi quibus includuntur interiori nucleo in multis speciebus adhærent, in omnibus (etiam Malvis ipsis) unà cum seminibus inclusis à planta productrice abscedunt; ideóque videntur & vulgo reputantur non conceptacula seu uteri seminum, sed membranæ tantùm involventes, & secundinis analogi.

Quæ semina ferunt in conceptaculis seu vasculis propriis, à perianthio distinctis, distingui possunt in eas quæ in pericarpio seu pulpa humida aut molli semina inclusa obtinent: Hæ duûm generum sunt, nimirum vel 1. *Fructu majore*, corticoso, cui flos insidet; quæ *Pomiferæ* dicuntur: vel 2. fructu minore membranâ tenuiore vestito, quæ *Bacciferæ* appellantur: & eas quæ in *conceptaculis siccioribus* semina continent. Hæ autem in multa adhuc genera subdividuntur. Sunt enim vel *conceptaculis pluribus & disjunctis* eidem flori succedentibus, quas *Multisiliquas* dicimus, ut v. g. *Aconitum, Aquilegia, Delphinium, &c.* vel *conceptaculis singulis, aut conjunctis*, quas enim nos pro ejusdem vasculi cellulis habemus, Cæsalpinus aliíque pro conceptaculis diversis sed conjunctis. Has autem pro numero foliorum in flore & eorundem figurâ dividimus in 1. *Monopetalas*, quarum scilicet flos unico & continuo folio constat, eóque vel *Uniformi*, vel *Difformi*. Florem uniformem superiùs descripsissimus in capite de Floribus plantarum. 2. *Tetrapetalas*, flore pariter vel *Uniformi*; cui succedit vasculum seminale, seu *oblongum* ut in *Tetrapetalis siliquosis*, seu *breve* & *curtum* in *Tetrapetalis capsulatis*; vel *Difformi*, quales sunt *Papilionaceæ* dictæ, quia earum flos Papilionem alis expansis quadantenus imitari videtur. 3. *Pentapetalas*, seu *veras* quarum flos quinque petalis distinctis constat; sive *apparentes*, quarum flos revera monopetalos est, cùm laciniæ in quas dividitur ad ungues junctæ sint, sed pentapetalum refert ob profundas & ad unguem ferè pertinentes scissuras.

Cap. XXVIII.

De Collectione, exsiccatione, asservatione Plantarum, earumque partium.

In Plantis earúmve partibus colligendis observationum cœlestium, & Astrologicarum de partibus Zodiaci, planetarum aspectibus, configurationibus, influentiis, &c. rationem non habendam censemus. Quantum enim hactenus observare licuit, incertæ & fallaces sunt, & successu carent.

At neque multum referre putamus quâ Lunæ ætate collectæ fuerint plantæ: quin æque durabiles esse crescente & decrescente sydere collectas.

Omnes denique de modo colligendi observatiunculas superstitiosæ vanitatis damnamus.

In genere autem colligendas censemus cùm in statu & vigore sunt, cùm succo jam miti & probè concocto turgidæ, antequam indurescentibus fibris lignescere incipiant: & quod ad tempus attinet, die sereno, cùm Solaribus radiis matutino rore dissipato penitus exsiccatæ fuerint.

Verùm (ut rectè Schroderus) finem duplicem collectio respicit, asservationem & usurpationem.

Asservationis causâ (ut ille pergit) colligendæ sunt eâ temporis periodo, quâ vigent qualitates ad durationem facientes, ut sunt siccitas, caliditas, vel moderata frigiditas.

Usurpationis ratione colligi requirunt dum qualitates vigent medicationi aptiores.

Sed ut de partibus plantarum in specie agamus,

1. Quod ad Radices attinet nonnulli Vere potiùs quàm Autumno colligendas judicant, quia tum (priusquam succus in folia & fructus absumitur) major iis insit & vegetior vis, humórque abundantior: è contra Autumno parciori polleant succo, siquidem æstatis decursu in caules, folia, flores, fructus omnis facultas insumpta sit, & proinde radix enervata. Alii præstare putant æstate eas colligere, cùm planta in vigore ac maturitate fuerit. Quippe ut integram plantam itâ & radicem cum maturitate vigorari censent. Alii denique Autumno colligi satius esse statuunt, cùm folia decidunt, caulésque contabescunt, ob has rationes, 1. Quia omnis humor à stirpe ad radicem recedit. 2. Plurimæ per hyemem in terra relictæ ad ver usque pereunt non raro frigore, aut gelu constrictæ corrumpuntur, ut v. g. Cichorium, Beta, Carrota, &c. 3. Non habent radices hyeme quod nutriant, adeóque sibi solis alendis vacant, & tunc temporis robustissimæ sint oportet. 4. Accedit frigus Autumni, condensans radicum calorem, omniáque exactiùs concoquens. 5. Radices Autumno vegetiores esse inde etiam evincitur, quòd Autumno transplantatæ faciliùs proveniant quàm Vere. Hæc omnia * P. Laurembergius.

* *Horticult. lib. 2. cap. 7. sect. 7.*

Verùm rationes hæ rem non concludunt, Iisque facilè respondetur. Nam 1. Nullus est Autumno humoris à caule in radicem recessus propriè dictus: quod tamen in idem recidit, humor qui in caule erat evaporat; cúmque ascensu à frigore inhibito, novus à radice non subministretur, tum folia defluunt, tum in nonnullis caulis ipse inarescit. Radix autem in terra latitans succo turgeat necesse est, cùm humor semper præsto sit quem è terra combibat, nec ullum in folia & caules impendat. Nec tamen inde sequitur Autumno vegetiorem esse radicem, sed potiùs Vere, postquam succus longa in vasis per hyemem digestione & velut circulatione exaltatus fuerit, mitiórque & maturior evaserit.

2. Excipiendas concedimus quæ à brumali frigore vel corrumpuntur, vel etiam damnum & injuriam sentiunt: has enim Autumno colligere præstat.

3. Cùm radices per hyemem non habeant quod nutriant, tunc temporis robustissimas quidem esse convenit, non tamen initio hyemis, sed cùm temporis diuturnitate earum succus (ut diximus) probè concoctus & maturatus fuerit.

4. Quòd frigus Autumni condenset radicum calorem omniáque exactiùs concoquat concedimus. Quo ergo diutiùs insultus ejus senserint, (ni nimis vehemens sit) eò meliùs concocto succo mitiores & maturiores fiunt; ut in Pastinacis latifoliis experimur, quarum radices tempore Quadragesimali erutæ longè sapidiores & dulciores sentiuntur quàm Autumno.

5. Quòd Radices Autumno transplantatæ faciliùs proveniant, eas tunc temporis vegetiores esse non convincit. Ideò enim faciliùs comprehendunt, quia cum omnis germinatio sursum à frigore inhibeatur, nec aliud habeant quod agant, fibris duntaxat agendis vacant; nec ante foliis & caulibus emittendis distrahuntur, quàm diuturnitate temporis solo assuerint, eíque firmiter coaluerint. Adde quòd per hyemem terra plerunque humore scatet, ut nullum iis à siti periculum sit, quæ æstate plerunque calore ambientis humorem evocante, perimuntur.

Nos ergo herbarum omnium radices colligendas censemus cùm plenam maturitatem adeptæ sunt, antequam caulem emittere incipiunt: atque nonnullas autumno, alias æstate, plerasque vere: Plantarum annuarum æstate: Biennium, si periculum sit nè Brumali frigore corrumpantur, aut vitium contrahant, ut *Carotæ*, autumni initio; si hyemem facilè tolerent nec lignescant, primo vere antequam germinent, ut *Pastinacæ latifoliæ*; quòd si ante hyemem exactam lignescere incipiant, ipsâ etiam hyeme, ut *Rapa*: Earum quæ caule edito radicitus intereunt, vere antequam germinent; quo tempore pleræque etiam plantarum perpetuarum radices colligi postulant: nonnullæ tamen, ut *Acetosæ*, *Althææ*, *Asari*, *Buglossi*, *Cyclamini*, *Dracunculi*, *&c.* quovis anni tempore excepta hyeme colligi possunt. Ratio cur radices plerarumque plantarum colligendæ sunt antequam caulem edant vel germinent est, quia cùm caulem emittunt, succus illico radicem destituit & fibræ lignescunt.

Flores (ut rectè Schroderus) colligendi sunt, cùm pulchritudine sua luxuriant, nec tamen marcescunt. Excipe paucas quæ in gemmis colligi volunt, ut *Rosæ*, *Jasmini*, & sim.

Herbæ & folia cùm odore, colore, sapore, cacuminéque superbiunt, & florescentiæ appropinquant, ad usum scilicet, medicum, aut ad Herbarium siccum conficiendum, cùm enim nimis teneræ sunt, succus aquosior est, & tota ferè planta in humorem resoluta evaporat. Hinc & gramen non ante demetunt pro fœno quàm in caulem abierit. Nam quamvis ad pascua aptius sit, dum adhuc tenerum & recens est, non tamen ut exsiccetur in fœnum: quia quamvis tunc temporis humore admodum turgeat, postquam tamen exaruerit, succo evaporante parum solidi restat pro pabulo, sed in nihilum ferè contrahitur. Deinde succus minùs exaltatus minùs firmum & solidum nutrimentum præbet. Tandem succus ille specificus, vasis propriis contentus, in quo tota vis plantæ quà talis consistit, aliquo tempore indiget, ut ritè præparetur, & maturescat.

Ad usum culinæ sive in acetariis, sive in olere, Herbæ ferè aptiores sunt dum teneræ adhuc & recens natæ, ut in *Asparagis*, *Lactucis*, *Portulaca*, *&c.* cernimus.

Herbæ, utplurimum ad usum medicum cum floribus asservantur, colligendæ itaque hæ erunt quando floribus triumphant; ut *Calamintha*, *Centaurium*, *Chamædrys*, *Chamæpitys*, *Daucus*, *Fumaria*, *Majorana*, *Origanum*, *Polium*, *Pulegium*, *Serpyllum*, *Thymus*, *&c.* Schrod.

Semina

Semina colligenda ſunt cùm bene matura fuerint, ſiccarique cœperint, nec tamen exciderint: *Idem.*

Fructus ad medicinam cùm bene maturuerunt, ut rectè idem Schroderus: ad aſſervationem, ut idem è *Bapt. Porta in Mag.* antequam omnino matureſcant, at neque omnino acerbi ſunt, neque ad juſtam maturitatem pervenerint.

Verùm nos eorum potiùs conſilium probamus qui non ante plenam maturitatem fructus colligendos monent. Maturitatis autem indicia ſunt quòd ſponte defluere incipiunt, vel quòd grana ſeu ſemina colorem mutare & nigreſcere cœperint.

Qui enim immaturi decerpti ſunt contrahuntur admodum & corrugantur, eorúmque caro ſicca & lenta evadit.

EXSICCATIO. De exſiccatione plantarum, earúmque partium ambigitur. Plerique enim medici præcipiunt ut in umbra ſiccentur. Nos potiùs iis aſſentimur, qui citò & in Sole ſiccari jubent, quod in Fœno etiam exſiccando commodiſſimum experimur. Quo enim citiùs exſiccantur eò meliùs. Nam quæ in umbra ſiccantur, ni diligens cura adhibeatur, facilè ſitum & rubiginem contrahunt, & tandem corrumpuntur. Quod ſi velles ut flores & folia colores nativos diutiùs retineant, in umbra ſiccare præſtat. Cùm autem folia, flores & ſummitates plantarum in ſole ſiccandos dico, nollem ut ſingulatim ſparſa Solaribus radiis exponantur, ſed in acervulos compoſita ſæpiùs verſentur donec probè exſiccata fuerint.

Fructus pulpâ molli conſtantes quales ſunt *Pruna* & *Uvæ* in ſole aut in furno exſiccari requirunt: reliqui exſiccari non deſiderant.

Pro Herbario ſicco efficiendo Plantarum folia & flores diligenter explicata inter chartas ſiccas reponenda, & moderatè premenda ſunt: nam ſi nimis comprimantur, vaſis ruptis humoribus confuſis, colorem mutant & nigreſcunt. Sæpiùs deinde transferenda ſunt in chartas novas & ſiccas, aliàs facilè muceſcunt & corrumpuntur. Cùm penitus ſicca evaſerint chartis potiùs aſſuenda quàm agglutinanda ſtatuimus, quoniam agglutinatio minùs firma & durabilis eſt.

ASSERVATIO. Aſſervanda ſunt herbarum folia, flores & ſummitates, poſtquam probè exſiccata fuerint in ſacculis chartaceis (alii coriaceos præferunt) iíſque pyxidibus ligneis incluſis, inque loco ſicco & frigido potiùs quàm calido repoſitis. Calor enim partes ſpirituoſas & odoriferas (in quibus vis plantæ præcipuè hoſpitatur) agitando facilè evaporabiles & fugitivas reddit. Conducit certè ad diuturnam aſſervationem, ut aer ſedulò arceatur, qui partes activas ei expoſitæ plantæ brevi evocat & diſſipat. Aeris enim partes in perpetuo motu ſunt, movendo autem dividunt & partes volatiliores plantæ ſecum auferunt, præſertim ſi ſit calidior. Proprium enim caloris eſt partes agitando à ſe invicem ſeparare & dividere. Quòd ſi hoc non eſſet, & partes plantarum vaporabiles non minùs in vaſe clauſo quàm in aere libero exhalarent; vaſis tamen latera eos cohibent nè longiùs recedant, ſed ad plantam concluſam rurſus reflectantur, & ibidem quandam quaſi circulationem efficiant. Hinc morem illum improbamus herbas in faſciculos colligandi, déque Officinarum tectis ſuſpendendi.

Fructus qui exſiccari non deſiderant, ut *Mala* & *Pyra*, aeri expoſita & in acervos congeſta ſatis commodè ſervantur, ſi modò loco ſicco & frigido reponantur: nam ſi locus calidior ſit ſucco exinanitos contrahi & corrugari experientiâ didicimus. Sed nè nimius ſim, varios modos ſervandi fructus vide apud P. Laurembergium *Horticult.* lib. 2. cap. 3. §. v.

Semina in conceptaculis ſuis optimè ſervantur loco frigidiore & ſicco: ſatis commodè etiam in ſacculis aut involucris chartaceis iiſque ciſtis ligneis incluſis, inque loco ſicco non nimis calido repoſitis. Nam calor immoderatus eo uſque exſiccat ſemina ut germinationi inepta evadant.

Semina nonnulla ſi probè aſſervata fuerint per decennium integrum fœcunditatem ſuam cuſtodiunt & ſata germinant. Maximum ab humore damnum ſentiunt & ad putredinem diſponuntur. Et tamen (quod mirum eſt) terræ gremio excepta, quantumvis per hyemem perpetuò ferè madeant, ſecura & illæſa latitant, novoque vere promptiùs & alacriùs germinant quàm quæ diligentiſſime cuſtodita fuerint, ut ſuperiùs innuimus.

CAP. XXIX.

De Chymicâ Plantarum Analyſi, & partium reſolutarum Uſu.

Miſsâ controverſiâ illâ inter Chymicos & Philoſophos tantopere celebratâ, an Ignis ſit verus corporum Analyſta, vulgò notum eſt, conſtitutiva vegetabilium principia eſſe ſpiritum, ſal, phlegma, oleum, & terram.

Spiritus Vegetabiles ſunt vel Vinoſi, vel Urinoſi; illique vel Acetoſi vel Sulphurei; hi verò nil aliud ſunt quam ſalia volatilia modico phlegmate ſoluta. Salia dividantur in volatilia & fixa, illa in Urinoſa & Oleoſa (Olea enim interdum concreſcunt in Salia ſui generis) hæc in eſſentialia, ſeu marina, & lixivialia, etiam & in ſaccharina. Phlegma prout magis vel minùs participat de Sale, vel Oleo, varia ſortiatur epitheta, ut ſimplex, inſipidum, aqueum, frigidum, albeſcens, aromaticum, amarum, calidum; phlegma per ſe proprie loquendo eſt humiditas elementaris. Olea ſunt vel diſtillata, vel expreſſa, eáque odorifera, balſamica, fætida, inodora, inflammabilia, ætherea, craſſa, &c. terra damnata & inſipida audit, licet interdum variis operationibus & uſibus inſerviat, quod quidam Chymici optimè norunt. Hæc principia Vegetabilium in ſe invicem tranſmutentur, ſunt enim ſecundaria elementa.

Modi eliciendi & præparandi hæc principia, ſeu Membra Vegetabilia è ſeminibus, frugibus, floribus, foliis, aliiſque partibus plantarum, putrefaciendo, fermentando, digerendo, deſtillando, ſeparando,

parando, rectificando, incinerando, elixiviando, filtrando, evaporando, vel Crystallizando, adeò triti & omnibus familiares sunt, ut hìc non opus sit Cramben totiès coctam propinare.

In Scholis Medicis notissimum est, spiritus acetosos vim Bezoardicam habere, volatilem venenatámque acrimoniam domare, ferocientes humores figere, & obtundere; unde apud Chymicos corrigentis Vice admodùm frequenter funguntur in præparando Antimonio, Saturno, Helleboro, Opio, Aro, &c.

Spiritus sulphurei sunt inflammabiles, inebriant, sanguinem accendunt, absumunt roridum nectar partium, exiccántque tonum Viscerum, & humores reddunt acres, undè horum potatores sæpissimè evadunt Phthisici, Hectici, vel Hydropici; modicè tamen sumpti sunt Cordiales, & labantes vires sæpè revocant; in externis applicationibus sunt egregii usus contra frigidas intemperies; inserviunt etiam extrahendis tincturis, & resinis.

Spiritus urinosi vegetabiles, & salia volatilia, sunt diaphoretica, diuretica, acidum destruunt, & cum illo se jungunt, undè sal compositum resultat Armoniaco simile; sanguinem torpidum, crassum, vel emortuum, resuscitant, fluidum & volatilem reddunt, & restaurant; spiritibus animalibus, & generi nervoso sunt admodùm amici; undè juvant in Scorbuticis, Cephalicis, & convulsivis affectibus. Notandum tamen est, quòd hæc salia vel spiritus urinosi frequentèr vel copiosè propinati appetitum dejiciant, & digestionem impediant, obtundunt enim glandulosum fermentum primarum viarum, & interdum excitant paroxysmos Hypocondriacos, convulsivos & scorbuticos, (licet eosdem eradicent, & tollant,) fermentando cum materiâ morbificâ, quæ sæpenumero habet texturam acidam.

Salia volatilia plantarum raro in Alembicum ascendunt sub siccâ formâ, aut lateribus vasis adhærent, sed liquore immerguntur, & solvuntur; quod patet ab odore, & mixturâ cum acidis. Hi spiritus urinosi & volatiles reddantur fixi cum spiritu salis, aut vitrioli: affirmant nonnulli omne hoc Sal volatile oriri ex animalculis copiosissimè repertis in plantis putrefactis, sed hi nimis indulgent suæ phantasiæ; multa enim experimenta faciunt ex contrariâ parte. Hi spiritus urinosi seu Salia volatilia non solùm eliciantur è plantis calidis, Aromaticis, aut vulgò dictis antiscorbuticis, cephalicis, & Stomachicis, ut Cinnamomo, Galangâ, Zingibere; Cochleariâ, Aro, Nasturtio, Lepidio, Beccabungâ, Raphano; Rosmarino, Majoranâ, Salviâ, Rutâ, Lavendulâ, Thymo; Menthâ, Absynthio, Chelidonio, &c. Sed etiam è frigidioribus vel insipidis, ut gramine, papavere, lactucâ, portulacâ, endiviâ, acetosâ, sempervivo, melissâ, musco, Nymphæâ, lenticulâ palustri, &c. quod experimenta & argumenta D. *Wedelii*, & *Coxii*, extra dubium posuerunt. Hoc intelligendum est de vegetabilibus dùm recentes & virentes sint; semina dicuntur maximâ ex parte esse fertilissima hoc sale.

Phlegma maximè fungitur officio Vehiculi, & inservit Julapiis: Laudana, Spiritus, tincturæ, & Olea vix adhibeantur absque idoneo Vehiculo.

Olea destillata habent suos Usus tam internos, quam externos; nam rarefaciunt, penetrant, discutiunt, & roborant, attamen cautè & cum judicio internè adhibenda sunt, nè inflammabili suâ facultate febrim sanguini, & uredinem visceribus inferant, præcipuè in infantibus: verùm Olea expressa & cocta pigriora sunt, lubricant, & laxant, commodéque miscentur cum destillatis, ità enim & horum caliditas & illorum segnities corriguntur, quod rectè monet *Wedelius*: inserviunt etiam variis usibus mechanicis.

Salia fixa videntur differre in suis viribus, saporibus, figuris, aliisque qualitatibus, pro ratione plantæ, vel operationis; omnia tamen obtundunt & destruunt acida, aperiunt & resolvunt coagulationes; undè in cachexia, affectibus Hypochondriacis, Ictericis, & febrilibus juvent. Hæc salia inter se non differre affirmat Clarissimus Coxius noster; attamen illa viribus discrepare ostendit D. *Grevius*; & figuris suis multum variari demonstrat D. *Lewenboeck*. Inserviunt etiam pro conficiendo Vitro, & Sapone.

Wedelius videtur (meâ saltem opinione) rem acu tetigisse, affirmans Sal Alcali unum ab altero non differre, in genere, formâ externâ, seu affectu generali, attamen figuris, poris, & viribus per omnia non convenire.

Salia essentialia, & marina è lixiviis Crystallisata, quorum præparationes, & figuras vide apud D. *Grevium*, suos habeant usus in Medicinâ, incidendo, & detergendo; nec fermenta viscerum tam facilè obtundunt, & debilitant, ut volatilia, & lixivialia.

Salia seu concretiones Saccharinæ (qualia fiunt è succis Fraxini, Aceris majoris, Cannæ Indicæ, & Arboris Coco dictæ) inserviunt officinis pro conficiendis syrupis, conservis, electuariis, conditis, &c. variisque usibus domesticis. Attamen Clarissimus *Willisius*, & *S. Paulus* contendunt Scorbutum, tabem, aliosque morbos chronicos ab horum usu generari, & propagari; continent enim particulas acres & corrosivas mixtas cum rotundis & roscidis, palliantibus acrimoniam, quæ distillatione se manifestat.

Decocta plantarum, modò clausè & diligenter fiunt, numerentur inter optimas præparationes; vires enim, & virtutes vegetabilium maximâ ex parte continent, sic etiam & tincturæ, extracta, & pulveres; attamen singulæ partes plantarum chymica analysi solutæ non donantur omnibus specificis virtutibus, quas in ipsis plantis reperiamus; licet sæpissimè id separatim agant, quod conjunctim non agant.

Succi vegetabiles fermentati dant omnia genera Vinorum & liquorum inebriantium, quæ varia induunt nomina & qualitates pro naturis plantarum & regionum, & sunt apprimè utilia necessitatibus humanæ vitæ, modò sobriè utantur secundùm salutiferum naturæ institutum. Hi succi colliguntur vel incisione, vel maceratione, & expressione. Succi inspissati dicuntur *Rob*, quod fit vel solâ coctione, vel mixtura sacchari seu mellis. *Rob* cum liquoribus diluta essentias efficaces constituunt, vel inserviunt pro fundamento bolorum & pilularum. Gummi seu Resinæ nil aliud esse videntur quam succi vegetabiles magis cocti, digesti, & concreti. Omnia operantur pro ratione plantæ, hinc audiunt diuretica, cathartica, & narcotica, e. g. Terebinthina, Gummi Gotta, Opium, &c.

Meliora

Meliora & nobiliora fiunt medicamenta è spiritibus urinosis, salibus, & oleis, inter se invicem mixtis, & unitis s. a. digerendo, circulando, & destillando repetitis vicibus. Balsama, & sapones componantur è lixiviis, & oleis, egregii usûs in pharmaciâ, & mechanicis.

Tincturæ vegetabiles, & extracta optimè eliciantur & præparentur cum spiritibus, seu menstruis ab ipsis plantis abstractis, corpora enim facillimè solvuntur à suis propriis spiritibus, seu menstruis; e. g. tinctura rosarum extrahatur cum ipso spiritu rosarum.

Colores seu laccæ eliciantur è floribus cum succo limonum percolato, & depurato; vel cum lixivio benè filtrato è calce vivâ & cineribus clavellatis, seu sodâ. Hoc fiat degerendo, decantando, & evaporando. Hi colores seu laccæ inserviant pingendis floribus, aliisque rebus colorandis, seu miniandis, quandò solvuntur & parantur in aquâ gummatâ, aut cum albumine Ovi; habeant & suos usus in pharmaciâ.

Caput hoc de Chymicâ Plantarum Analysi partiumque resolutarum usu contribuit ingeniosissimus, vir & singularis amicus noster D. Tancredus Robinson, *M. D.*

Cap. XXX.

De Morbis Plantarum eorumque Remediis.

Quamvis de morbis Plantarum eorúmque remediis multa ab aliis dicta sunt, & plura adhuc cum fructu dici possent iis qui earundem culturæ & observationi multùm temporis & operæ impenderunt. Me tamen, cui aliud est quod agam, quique stirpes ὡς ἐν παρέργῳ & animi duntaxat causâ contemplor, observationes & experimenta destituunt, nec quicquam ferè dicendum suppetit, quod non ab aliis jampridem dictum est: ad quos Lectorem remittere mallem, quàm eorum commentarios exscribendi tædium devorare. Quocirca caput hoc paucis absolvam, & primo huic libro coronidem imponam.

Morbi Plantarum sunt vel interni, vel externi.

Internos voco qui à succo nutritio intus suscepto originem ducunt. Hic enim si vel nimis parcè subministretur, vel nimis copiosè irruat, vel nimis frigidus & aqueus sit, vel maligna aliqua aut noxia qualitate imbuatur, morbos in plantis generat; Fame plantas non minùs quàm animalia tabescere & tandem enecari minimè dubium est. Nonnullæ ex nimio alimento obesitate laborant: *ut omnia quæ resinam ferunt, nimia pinguedine in tædam mutantur; & cum radices quoque pinguescere cœpere intereunt, ut animalia nimio adipe*, autore Plinio. Est & alius ab alimento nimis ubere morbus quem φυλλομανίαν Græci vocant, cùm arbores aut etiam herbæ foliis aut frondibus adeò luxuriant, ut fructum, vel nullum, vel paucum, vel strigosum edant. * *Luxuria hæc in segetibus castigatur dente pecoris dum in herba sunt, & depastæ quidem, vel sæpius nullam in spicæ injuriam sentiunt.* Sed & tonsura prodest, quicquid contradicat Plinius. Ab humore nimio radices perpetuò alluente aut inundante pleræque plantæ præcipuè læduntur, vel ob frigiditatem, vegetationi maximè inimicam, vel fortè quod humor poros obstruens aeris ad radices liberum appulsum & influxum prohibet. Hinc in Septentrionalibus montosis Angliæ & Scotiæ, ubi solum palustre rarum & fungosum Spongiæ instar aquam imbibit & retinet, Ericæ longè latéque omnia occupant, & paucissimæ præterea plantæ proveniunt: hinc in fictilibus fundo impervio satæ stirpes languent, & ad frugem non perveniunt: quamvis in his fortassè etiam aqua stagnans computrescat, & ad plantas corrumpendas conducat. Hinc, ni fallor, corticis in arboribus nimia constrictio & densitas, quæ succi liberum ascensum impedit, & truncum in latitudinem extendi & augeri non permittit; cui malo hortulani nostri subveniunt cortice secundùm longitudinem lineis aliquot ductis inciso: hinc denique arbores musco infestantur, qui ab humore crudo & frigido ortum ducit. Ustilago frumentorum & graminum nonnullorum morbísne internis an externis accensenda sit dubito. Dispositio certè ad hunc morbum est in ipso semine, quamvis fortassè detur aliqua causa procatarctica seu externa quæ in materiam dispositam agens morbum facilè inducat. Verùm de ustilagine in capite de frumento fusius agetur.

* Plin. lib. 18. cap. 17.

Externos morbos voco qui ab externa causâ inducuntur. Causæ externæ morbos producentes sunt vel injuriæ cœli & tempestatum, vel insectorum punctiones, erosiones aut etiam afflatus maligni. Cœleste malum (ut cum Plinio loquar) & maxima segetum pestis *Rubigo* est, Anglice Mildew vocamus. Frequentissima hæc in roscido tractu convallibúsque & perflatum non habentibus: è diverso carent eâ ventosa & excelsa. Hujus remedium superstitiosum & magicum proponit Plinius, nimirum Lauri ramos in arvo defixos, in quarum folia vitium ex arvis transit. Meliùs probâssem ferias, festósque dies solennes, quos huic pesti averruncandæ instituebant, *Robigalia* appellantes, si modo vero Numini & non falsis & fictitiis quibusdam Diis sacrati fuissen.

Insectorum punctionibus, erosionibus aut etiam afflatibus noxiis originem debent plerique tumores & excrescentiæ in plantis, quæ generali Gallarum nomine complectitur summus Vir Marcellus Malpighius, quorumque historiam & Anatomen solitâ sua sagacitate & ἀκριβείᾳ exsequitur Anatomes Plantarum parte altera. Tractatum autem illum de Gallis sic concludit, Erunt ergo Gallæ & reliqui plantarum tumores morbosæ excrescentiæ vi dispositi [ab Insecto] ovi à turbata plantarum compage & vitiato humorum motu excitatæ, quibus inclusa ova & animalcula, velut in utero foventur & augentur, donec manifestatis firmatísque propriis partibus quasi exoriantur novam exoptantia auram. Nam superiùs multis adductis exemplis demonstrarat plantarum tumores reliquásque sideratas partes muscas & diversa Insectorum genera fovere & alere donec emancipata viam sibi faciant. Plura enim (inquit) insecta sua edunt ova, omni fere auctivo succo destituta, quarum aliqua cortice privantur, ità ut mollis primæva partium compages occurrat sub specie quasi vermis. Ut igitur inclusum animal debitam acquirat partium manifestationem & soliditatem, uterum

vel

vel saltem vicariam ipsius opem exigit, quam in plantis sagax insectorum natura perquirit. Quare ex diversa Ovorum contentorúmque Animalium indigentia à parentibus Muscis varie diversis plantarum partibus ova committuntur vel deponuntur. Quæ enim robusto cortice muniuntur, & alimoniam unà cum animali claudunt, quacunque arborum parte jam tabefacta opportunè custodiuntur. Quæ verò molliora sunt in foliis ipsis deponuntur, vel si copiosius exigant humidum, majorémque tutelam, intra gemmæ tenellum corpus; intra surculos, flores, amentum, pericarpium, semina, lignum, radices & singulas ferè vegetantium partes conduntur, ope terebræ, qua Gallarum muscæ præ cæteris pollent. Terebræ enim quam diximus radix ovario nectitur, ità ut dispersa per multiplices tubas ova per communem ductum, quasi per uterum seu vaginam foràs à basi terebræ propellantur. His conjecturis sensuum fidem addere liceat. Semel propè Junii finem vidi muscam [qualem alibi delineavit] insidentem Quercinæ gemmæ adhuc germinanti: Hærebat etenim foliolo stabili ab apice hiantis gemmæ erumpenti; & convulso in arcum corpore terebram evaginabat, ipsamque tensam immittebat, & tumefacto ventre circa terebræ radicem tumorem excitabat, quem interpolatis vicibus emittebat. In folio igitur avulsâ muscâ minima & diaphana reperi ejecta ova, simillima iis quæ adhuc in tubis supererant. Tam ferax itaque muscarum familia è Gallis erumpentium, sic dictante natura, terebræ seu duplicis limæ usu vulnerat & perfodit molles plantarum partes; ità ut ex diversa ipsarum natura & compage variæ pariter emergant morbosæ excrescentiæ & tumores. Ex infuso namque liquore è terebræ extremo effluente, qui summè activus & fermentativus est, nova in tenellis vegetantibus particulis excitatur fermentatio seu intestinus motus, ita ut appellens nutritivus succus & in transversalibus recollectus utriculis, peregrinâ aurâ inspiratus fermentari incipiat & turgere, ut frequenter in nobis & sanguineis perfectis Animalibus ex apum inflicto vulnere, & subinde infuso ichore experimur. At non ex vulnere tantùm & liquore fermentativo infuso morbi excitantur, sed afflatu ipso ovi aut insecti afficiuntur & contabescunt plantarum partes: Mirabilius est (inquit idem Clariss. Malpighius) quod passim ex relicto uno vel altero muscæ minimo ovo in foliis Vitis, Quercûs & similium accidit: convulsis enim fibris totum folium circa expositum ovum in spiram contortum contabescit: quin tanta est depositi ovi vis; ut non solùm subjectum folium, sed communicata pediculo labe, indéque continuato surculo & appensis foliis; totus tenellus ramus in spiram contortus summâ colorum jacturâ exarescit. Hæc omnia D. Malpighius.

Notandum autem non omnes Plantarum tumores & excrescentias ab insectorum vulneribus aut afflatibus venenatis excitari, sed quosdam ab interno principio, nimirum succo nutritio quomodocunque alterato, vitiato, & à debita sua crasi & consistentia recedente oriri: interdum etiam ab externo vinculo aut pressura, contusionéve impedito nè per propria vasa liberè fluat: Cum enim à radice semper copiosè subministretur, & à dictis causis impediatur nè cursum continuet, in latus digreditur, & vasis impetu ruptis tumores gignit. Verùm de his consulatur Clariss. Malpighii liber modo laudatus. Nos his contenti hunc librum finiemus.

HISTO-

Herbarum Tabula generalis, summa genera exhibens.

Herbæ sunt vel

- *Imperfectæ*; quæ partibus præcipuis, flore scilicet & semine, sed præcipuè semine, vel carent, vel carere videntur, adeóque ortum habere spontaneum; ut FUNGI, ALGÆ, & MUSCI species nonnullæ. LIBER II.
- *Perfectiores*; quæ flore & semine donantur, saltem semine. Hæ vel sunt semine
  - *Minutissimo*, & nudis oculis inconspicuo; adeò ut earum pleræque ante inventum microscopium à nonnullis etiam magni nominis Botanicis steriles habitæ sunt; ut CAPILLARES *herbæ* dictæ, &c. LIB. III.
  - *Majore*; quæ vel sunt Plantulâ seminali
    - *Bifolia*, seu bivalvi, binisve cotyledonibus instructa. Hæ semine satæ binis primò foliis plerunque è terra exeunt, rariùs valvas seu cotyledones non efferunt supra terram foliorum specie: Sunt autem vel flore
      - *Imperfecto* seu stamineo, hoc est solis staminibus cum stylo & calyce composito, foliis illis tenellis, fugacibus, coloratis, quæ nos Petala dicere solemus, carente. LIB. IV.
      - *Perfecto*, seu petalode aut bracteato, foliis illis fugacibus instructo: Hæ autem vel sunt eodem
        - *Composito*, seu ex pluribus flosculis in unum totalem florem coeuntibus aggregato: qui vel
          - *Plantifolius*, naturâ plerunque plenus, plantâ lactescente. LIB. V.
          - *Discoides*, hoc est, ex plurimis brevibus, compressis & confertis flosculis, in unam quasi apparentem superficiem digestis compositus, succedente semine, vel
            - *Pappo innascente alato*, in PAPPOSIS inde dictis. LIB. VI.
            - *Solido & pappo destituto*, in CORYMBIFERIS. LIB. VIII.
          - *Fistularis*, h.e. ex pluribus concavis oblongis flosculis, ad margines in longas lacinias dissectis compositus flosculis etiam marginalibus fistulosis; quod genus herbæ CAPITATÆ dicuntur. LIB. VII.
        - *Simplici*, seu ex petalis tantùm cum staminibus & stylo constantem. Hæ vel sunt seminibus
          - *Nudis*, hoc est, nullo præter perianthium vasculo aut tegmine donatis; ad singulos flores, vel
            - *Singulis*. LIB. IX. PAR. I.
            - *Binis*, floribus
              - *Pentapetalis*, in umbellæ formam plerunq; dispositis, UMBELLIFERÆ. LIB. IX. PAR. II.
              - *Monopetalis*, in quatuor lacinias dissectis, foliis caules ad nodos stellatim ambientibus, STELLATÆ. LIB. X. PAR. I.
            - *Ternis*, cujus generis est *Nasturtium Indicum* dictum.
            - *Quaternis*; Hæ vel sunt foliis in caule
              - *Ex adverso binis*, floribus labiatis, caules plurimùm verticillorum in modum ambientibus, VERTICILLATÆ. LIB. XI.
              - *Alterno vel nullo ordine positis*; floribus monopetalis, margine quinquepartito; quæ ob folia in plerisque speciebus aspera ASPERIFOLIÆ denominantur. LIB. X. PAR. II.
            - *Pluribus quatuor*, nullo certo aut definito numero, quas *Gymnospermas polyspermas* vocamus. LIB. XII.
          - *Conceptaculis propriis & à perianthio diversis donatis*, quæ constant vel

Pericarpio

Insere inter *pag.* 58. & 59.

Pericarpio molli, seu pulpâ per fructûs maturitatem humidâ semina ambiente; Hæ vel sunt fructu

Majore cortice crassiore tecto, cui flos monopetalos margine quinquepartito insidet, semina etiam majora sunt: POMIFERÆ dictæ. LIB. XIII. PAR. I.
Minore, membranâ tenui vestito, seminibus etiam minoribus. BACCIFERÆ. LIB. XIII. PAR. II.

Materiâ per maturitatem sicciore, Hæ autem vel in

Conceptaculis pluribus & distinctis eidem flori succedentibus semina continent, quas MULTISILIQUAS dicimus. LIB. XIV.
Conceptaculis solitariis & singulis, aut conjunctis, quas florum respectu dividimus in

Monopetalas, flore vel

Uniformi.
Difformi.

Tetrapetalas, flore itidem

Uniformi seu

SILIQUOSAS, flori succedente vasculo oblongo.
SILICULOSAS, capsulatásve, vasculo succedente curto.

Difformi, papilionem alis expansis quadantenus referente, quas idcirco PAPILIONACEAS vocant.

Pentapetalas seu

Veras & genuinas, quarum flos quinque petalis distinctis constat:
Apparentes, quarum flos revera monopetalos est, cùm laciniæ in quas dividitur ad ungues junctæ sint, sed pentapetalum simulat, ob profundas & ad unguem ferè pertinentes scissuras.

Unifoliâ aut aphyllo, i. e. singulis aut nullis cotyledonibus donatâ, ideóque foliis succedentibus similibus, è terra exit. Hæ vel sunt

Flore imperfecto seu stamineo, seu

CULMIFERÆ, hoc est quæ caulem teretem, geniculatum & plerunq; concavum edunt, singulis foliis ad singula genicula eum involventibus, súntque vel grano

Majore, quarum semina hominibus in cibum veniunt, FRUMENTA & CEREALIA dictæ
Minore, GRAMINA.

Caule geniculis nodosis non intercepto, vel non tereti. *Graminifoliæ floribus stamineis.*

Flore perfecto, seu petalode, quæ vel sunt radice

Bulbosâ, hoc est ex pluribus tunicis, exteriore interiorem ambiente, contextâ.
Tuberosâ fibrosâve, in bulbosis affinibus nobis dictis.

His adnumeramus plantas nonnullas quæ semina pulpâ per maturitatem humidâ inclusa obtinent, ut Arum & Dracontium, quas ni obstaret nota generica cum aliis communis ad Bacciferas rectiùs retulissem.

TAB. I.

Plantæ imperfectæ.

Plantas imperfectas voco quæ flore & ſemine carent, aut ſaltem carere videntur, cùm neque flos neque ſemen in iis hactenus obſervatum ſit, adeóque ſponte provenire creduntur. Hæ ex loco natali diſtingui poſſunt in

- *Aquaticas*, quæ vel
  - *Marinæ*, ſuntque vel conſiſtentiæ
    - *Durioris* & *lapideæ*, plurimarum ſpecierum; CORALIUM, *Corallina*, *Porus*.
    - *Tenerioris & herbaceæ*; referentes
      - *Herbas*, ſeu frutices,
        - *majores* & cauliferæ ferè; FUCUS.
        - *minores*; ALGA. Utriuſque generis ſpecies plurimæ obſervantur.
      - *Muſcum ſeu Fungum*; SPONGIA.
  - *Aquarum dulcium alumnæ*; vel foliis
    - *Carentes*, capillaceæ ſeu filamentoſæ; CONFERVA.
    - *Trifidis*; LENS PALUSTRIS, *Lenticula*.
- *Extra aquas naſcentes*, quæ vel ſunt ſubſtantiæ
  - *Craſſioris*, ad carnes aut ligna accedentis. Hæ nihil ferè commune habent cum plantis perfectioribus: nec enim color iis herbaceus, nec textura analoga, neque flos ullus ſeménve, aut folium propriè dictum adeſt; FUNGI: qui vel
    - *Arborei*, ſecundùm arbores quibus innaſcuntur diſtinguendi; peculiaria autem nomina ſortiti ſunt Fungus Laricis AGARICUM dictus, & Fungus Sambuci *Auricula Judæ*.
    - *Terreſtres*, iique vel
      - *Cauliferi*, qui vel
        - *Pileati*, pileo ſubtus
          - *Lamellato*; quorum ſpecies plurimæ eſculentæ & noxiæ.
          - *Poroſo*; *Fungus* POROSUS.
        - *Non pileati*, qui vel ſunt caule
          - *Simplici*; *Fungus* OPHIOGLOSSOIDES, *Digitelli*.
          - *Ramoſo*; *Fungus* RAMOSUS.
      - *Caule carentes*, vel
        - *Tenuiores*, membranam ſeu corium referentes; PEZICÆ *Plinii*.
        - *Craſſi* & in formam globoſam coacti; *Fungus* PULVERULENTUS, *Crepitus lupi*.
    - *Subterranei*, TUBERA *terræ*.
  - *Tenuioris* & ſiccioris, ad herbæ naturam propiùs accedentis. Hæ vel ſunt
    - *Cauliferæ & ramoſæ*, plurimarum ſpecierum; MUSCI.
    - *Caule carentes*, cruſtæ modo in terræ ſuperficie, aut in arboribus, lignis, lapidibus, *&c.* reptantes; LICHEN *arboreus & terreſtris*.

Herbarii Fuci & Algæ nomina ferè confundunt: & revera admodum eſt difficile plantas haſce ſubmarinas ad genera aliqua reducere quæ notis certis & eſſentialibus differant.

Quæ Muſci marini Botanicis cenſentur, nobis Algæ ſpecies ſunt.

Stirpes marinas à maritimis ità diſtinguimus, ut marinæ dicantur quæ perpetuò aquis innatant, vel ſingulis ſaltem æſtuum acceſſibus aquis operiuntur; maritimæ quæ extra aquas in maris litoribus, aut paluſtribus mari vicinis, alibíve in confinio maris oriuntur.

Præter muſcos ſemine viduos de quibus in hac Tabula agimus, eſt & aliud Plantulæ genus eodem nomine, ſemine minutiſſimo prægnans, de quo in ſequenti.

Sennertus *Hypomn. Phyſ.* probabile exiſtimat tubera & fungos omnes è plantis provenire & naſci.

TAB. II.

TAB. II.

Herbæ semine minutissimo & nudis oculis vix conspicuo sunt vel eodem

- *Foliis aversis adnascente*: v. Tab. sequentem.
- *Caulibus ipsis* aut pediculis privatis innascente insidentéve: Hujus generis sunt vel
  - *Imperfectiores* superficie perenni
    - *Caule carentes*, foliis in superficie terræ reptatricibus latè se diffundentes, pediculis semina sustinentibus è foliis enatis; LICHEN *terrestris*.
    - *Cauliferæ*,
      - *Majores*,
        - *Spicatæ* & repentes
          - *Abietiformis*; LYCOPODIUM.
          - *Cupressiformis*; SABINA SYLVEST.
        - *Non spicatæ* & erectæ; *Muscus* seu *abietiformis*, seu *Polyspermos*
      - *Minores*, vasculis seminalibus
        - *Caules terminantibus*; ADIANTHUM AUREUM.
        - *E lateribus caulium egredientibus*; seu erectus; MUSCUS *terrestris* sive repens.
  - *Perfectiores superficie annua*; suntque vel
    - *Monophyllæ*,
      - *Spicatæ*, folio integro simplici; OPHIOGLOSSUM.
      - *Paniculatæ*, folio è multis segmentis composito; LUNARIA.
    - *Polyphyllæ*, foliis teretibus, caules ad nodos in orbem ambientibus multis, radiorum in modum; foliis & caulibus pyxidatim articulatis; EQUISETUM.

Muscus quamvis ab imperitissimo quoque primo statim aspectu agnoscatur; cùm latissimè pateat id nomen, omnes ejus differentias unica definitione complecti difficillimum est.

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER SECUNDUS.

QUI EST

De Plantis imperfectis.



PLANTAS imperfectas voco quæ flore & semine carent, aut saltem carere videntur, cùm neque flos neque semen in iis hactenus observatum sit, adeóque sponte provenire creduntur. Sunt qui affirmant Fungorum plurimos è terra erumpentes semen habere si curiosè examinentur, formâ, quamvis minori, Alceæ Ægyptiacæ semen ferè exprimente. *Ephem. German. An.* 6. & 7. *Obs.* 174. Et clariss. Car. Clusius plantam quandam Submarinam describit *Corallinæ plumatæ* seu *Myriophylli pelagii Cortusi* titulo, quæ in nuculis quibusdam tenellas plantas, jam formatas, matri facie similes continet, quæ nihil aliud sunt quàm semina. Unde fortasse his etiam quæ imperfectæ & seminum expertes censeri solent vim generandi semen, seque ordinario & usitato modo propagandi natura contribuit. Verum tantisper donec hac de re certiùs constiterit nihil innovabimus, sed receptæ sententiæ adhærentes Plantas submarinas, Fungos, Muscos pro imperfectis habebimus.

Plantæ ergo imperfectæ sunt vel submarinæ, *Coralia, Fuci, Spongiæ, &c.* Vel terrestres. Terrestres autem sunt vel *Fungi*, vel Musci. Proinde Librum hunc primum in tres partes dividemus. Prima erit de Plantis submarinis: Secunda de Fungis: Tertia de Muscis, sterilibus scilicet seu infœcundis: Dantur enim aliqui hujus generis, aut saltem nominis, fertiles & semine prægnantes.

PARS PRIMA.

De Plantis submarinis.

QUAMVIS in ipso maris fundo & imis gurgitibus innumeræ Vegetabilium species exoriantur; in immenso gaudio fertilitatis nusquam cessante natura, sed ubique divitias suas explicante: Nobis tamen per amplissima submarina vireta spatiari, & plantas ibidem pullulantes indagare non conceditur; adeóque eæ duntaxat in notitiam nostram venire possunt, quas vel æstûs reciprocatio detegit, vel undarum agitatio abrumpit, & in littus expellit, cùm Venti

** Incubuere mari, totúmque à sedibus imis*
Unà Eurúsque Notúsque ruunt, creberque procellis
Africus, & vastos volvunt ad littora fluctus.

* *Virgil. Æneid.* 1.

Quin & harum etiam quota pars hactenus cognita & observata est? cum plerique maris accolæ profundâ barbarie oppressi, & cœcis ignorantiæ tenebris mersi, & velut sepulti jaceant, nec quicquam sublime aut ingenuum sapiant cogitentve: Alii qui ad eos commeant negotiandi causâ lucro intenti hujusmodi inquisitiones negligunt, & stultæ curiositatis damnant. Horum tamen avaritiæ (ut id obiter moneam) pleraque debemus quæ de *Coraliis* aliisque *Lithophytis* nobis innotuere, dum insatiabilis divitiarum sitis explendæ studio sese in profundum demergant, & Coralia retibus implicita à rupibus abrumpere & extrahere satagant: Alii qui hujusmodi scrutiniis libenter operam impendere vellent, ob rei familiaris angustias sumptibus in itinera necessariis faciendis non sufficiunt. Harum ergo historiam plenam & perfectam texere, non dico nobis, sed nè exercitatissimo cuique in re Botanica possibile est. Sufficiat impræsentiarum paucas illas species quæ vel ab aliis traditæ, vel nobis observatæ fuerint, curiosis exhibuisse.

Primùm

TAB. II.

Herbæ ſemine minutiſſimo & nudis oculis vix conſpicuo ſunt vel eodem

- *Foliis averſis adnaſcente*: v. Tab. ſequentem.
- *Caulibus ipſis* aut pediculis privatis innaſcente inſidentéve: Hujus generis ſunt vel
  - *Imperfectiores* ſuperficie perenni
    - *Caule carentes*, foliis in ſuperficie terræ reptatricibus latè ſe diffundentes, pediculis ſemina ſuſtinentibus è foliis enatis; LICHEN *terreſtris*.
    - *Cauliferæ*,
      - *Majores*,
        - *Spicatæ* & repentes
          - *Abietiformis*; LYCOPODIUM.
          - *Cupreſſiformis*; SABINA SYLVEST.
        - *Non ſpicatæ* & erectæ; *Muſcus* ſeu *abietiformis*, ſeu *Polyſpermos*
      - *Minores*, vaſculis ſeminalibus
        - *Caules terminantibus*; ADIANTHUM AUREUM.
        - *E lateribus caulium egredientibus*; ſeu erectus; MUSCUS *terreſtris* ſive repens.
  - *Perfectiores ſuperficie annua*; ſuntque vel
    - *Monophyllæ*,
      - *Spicatæ*, folio integro ſimplici; OPHIOGLOSSUM.
      - *Paniculatæ*, folio è multis ſegmentis compoſito; LUNARIA.
    - *Polyphyllæ*, foliis teretibus, caules ad nodos in orbem ambientibus multis, radiorum in modum; foliis & caulibus pyxidatim articulatis; EQUISETUM.

Muſcus quamvis ab imperitiſſimo quoque primo ſtatim aſpectu agnoſcatur; cùm latiſſimè pateat id nomen, omnes ejus differentias unica definitione complecti difficillimum eſt.

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER SECUNDUS.

QUI EST

De Plantis imperfectis.



PLANTAS imperfectas voco quæ flore & femine carent, aut ſaltem carere videntur, cùm neque flos neque ſemen in iis hactenus obſervatum ſit, adeóque ſponte provenire creduntur. Sunt qui affirmant Fungorum plurimos è terra erumpentes ſemen habere ſi curioſè examinentur, formâ, quamvis minori, Alceæ Ægyptiacæ ſemen ferè exprimente. *Ephem. German. An.* 6. & 7. *Obſ.* 174. Et clariſs. Car. Cluſius plantam quandam Submarinam deſcribit *Corallinæ plumatæ* ſeu *Myriophylli pelagii Cortuſi* titulo, quæ in nuculis quibuſdam tenellas plantas, jam formatas, matri facie ſimiles continet, quæ nihil aliud ſunt quàm ſemina. Unde fortaſſe his etiam quæ imperfectæ & ſeminum expertes cenſeri ſolent vim generandi ſemen, ſeque ordinario & uſitato modo propagandi natura contribuit. Verum tantiſper donec hac de re certiùs conſtiterit nihil innovabimus, ſed receptæ ſententiæ adhærentes Plantas ſubmarinas, Fungos, Muſcos pro imperfectis habebimus.

Plantæ ergo imperfectæ ſunt vel ſubmarinæ, *Coralia, Fuci, Spongiæ, &c.* Vel terreſtres. Terreſtres autem ſunt vel *Fungi*, vel Muſci. Proinde Librum hunc primum in tres partes dividemus. Prima erit de Plantis ſubmarimis: Secunda de Fungis: Tertia de Muſcis, ſterilibus ſcilicet ſeu infœcundis: Dantur enim aliqui hujus generis, aut ſaltem nominis, fertiles & ſemine prægnantes.

PARS PRIMA.

De Plantis ſubmarinis.

QUAMVIS in ipſo maris fundo & imis gurgitibus innumeræ Vegetabilium ſpecies exoriantur; in immenſo gaudio fertilitatis nuſquam ceſſante natura, ſed ubique divitias ſuas explicante: Nobis tamen per ampliſſima ſubmarina vireta ſpatiari, & plantas ibidem pullulantes indagare non conceditur; adeóque eæ duntaxat in notitiam noſtram venire poſſunt, quas vel æſtûs reciprocatio detegit, vel undarum agitatio abrumpit, & in littus expellit, cùm Venti

> * *Incubuere mari, totúmque à ſedibus imis*
> *Unà Eurúſque Notúſque ruunt, crebérque procellis*
> *Africus, & vaſtos volvunt ad littora fluctus.*

* *Virgil. Æneid.* 1.

Quin & harum etiam quota pars hactenus cognita & obſervata eſt? cum plerique maris accolæ profundâ barbarie oppreſſi, & cœcis ignorantiæ tenebris merſi, & velut ſepulti jaceant, nec quicquam ſublime aut ingenuum ſapiant cogitentve: Alii qui ad eos commeant negotiandi causâ lucro intenti hujuſmodi inquiſitiones negligunt, & ſtultæ curioſitatis damnant. Horum tamen avaritiæ (ut id obiter moneam) pleraque debemus quæ de *Coraliis* aliiſque *Lithophytis* nobis innotuere, dum inſatiabilis divitiarum ſitis explendæ ſtudio ſeſe in profundum demergant, & Coralia retibus implicita à rupibus abrumpere & extrahere ſatagant: Alii qui hujuſmodi ſcrutiniis libenter operam impendere vellent, ob rei familiaris anguſtias ſumptibus in itinera neceſſariis faciendis non ſufficiunt. Harum ergo hiſtoriam plenam & perfectam texere, non dico nobis, ſed nè exercitatiſſimo cuique in re Botanica poſſibile eſt. Sufficiat impræſentiarum paucas illas ſpecies quæ vel ab aliis traditæ, vel nobis obſervatæ fuerint, curioſis exhibuiſſe.

Primùm

Primùm autem mirari ſubit, quòd in tanta ſpecierum multitudine, & uberrimo omnium proventu, modus propagandi curioſos mortalium oculos tamdiu latuerit: nullum enim in iis ſemen hactenus obſervatum fuit, niſi fortè *Corallinam plumatam* ſeu *Millefolium pelagium Cortuſi Clus* excipias. Interfuit ſcilicet majeſtatis Naturæ non omnia ſtatim opera ſua propalare, ſed nonnulla viſibus humanis ſubducere, & velut in adytis occultare, partim nè omnium oculis expoſita quotidiano ſpectaculo faſtidioſæ mortalitati vileſcerent, partim ut ſtudioſorum induſtriam ad ea indaganda excitaret, & modeſtè inquirentium labores arcani alicujus revelatione compenſaret.

Hæ plantæ quamvis in ſuo fortaſſe genere perfectæ ſunt, à nobis tamen imperfectis accenſentur, quoniam partibus generum indicibus, flore nimirum & ſemine, vel carent, vel ſaltem carere videntur: eas autem in tria genera diſpeſcemus.

Primum erit earum quæ ſubſtantiâ durâ & lapideâ conſtant, ut *Corallium* & *Pori dicti*.

Secundum earum quæ conſiſtentiæ ſunt ligneæ & tenacis, aut quodammodo corneæ; *Corallinæ* Botanicis dictæ.

Tertium denique earum, quæ molliores ſunt & herbaceæ; ut *Algæ, Fuci, Spongiæ, Muſci, &c.*

SECTIO PRIMA,

De Plantis ſubmarinis Subſtantiæ lapideæ.

CAPUT PRIMUM.

De Corallio.

Corallium dictum volunt nonnulli ὅτι ἐν ἁλὶ κείρεται, quòd in mari tondetur, quò Plinius reſpicit, lib. 32. cap. 2. *Aiunt tactu protinus lapideſcere ſi vivat, itaque occupari evellique retibus, aut acri ferramento præcidi: Hac de cauſa Curalium vocitatum interpretantur.* Variè autem ſcribitur, vel cum ſimplici l. *Coralium*: vel cum duplici; cum i ſequente *Corallium*, vel ſine i *Corallum*.

Subſtantiâ lapideâ ſolidâ, & minimè poroſâ aut ſpongioſâ à *Poro* dicto reliquiſque lapideis marinis ceu notâ characteriſticâ, diſtinguitur. *Lithodendron* nonnullis antiquitus dictum fuiſſe autores ſunt Dioſcorides & Plinius.

1. *Corallium rubrum* J. B. Ger. *rubrum majus* Park.
Corallum rubrum C.B. Red Corall.

Corallium frutex (inquit Cæſalpinus) villoſâ ſubſtantiâ obſitus eſt inſtar Muſci, colore viridi aut cinereo, intus rubrâ, qualis eſt color carnis, aut intenſioris rubedinis, qualis Cocci. Figurâ autem eſt arboreâ, lapidibus hærens, cubito brevior, multis ramis tortuoſis [qui rurſus in alios minores divaricantur] ſine foliis, ſine fructu, ac ſine radice. Falsò Plinius putavit baccarum formam artificio paratam ſponte naſci.

Subſtantiâ petroſâ eſt, denſâ, quæ præclaram atque inſignem polituram admittit.

Quod Veteres tradiderunt, & plerique neoterici eos ſequuti crediderunt, nimirum Corallium

* *Quo primùm contigit auras*

Tempore in lapidem *dureſcere, mollem ſub undis herbam fuiſſe* Experientia falſi convincit. Teſtantur enim viri fide digniſſimi, qui ejus piſcationi (ut loquuntur) interfuerunt, non minùs ſub undis quàm ſupra undas durum & lapideum eſſe, cortice duntaxat molli & muſcoſo (qui tamen facilè deraditur) integi.

* *Ovid. Metamorph.*

Obſervante ingenioſiſſimo Viro & rei Herbariæ callentiſſimo *D. Paulo Boccone* Panormitano Siculo, excipiendæ ſunt ramorum ſummitates ſubrotundæ, quæ inflatæ ſunt & teneræ, ſuccúmque lacteum parva licet quantitate fundunt, Lactucæ aut Tithymali quodammodo ſimilem. Extremitates hæ ſeu faſtigia tumida grandiora non ſunt Ribeſii aut Berberis baccis, neque apud Autores Botanicos deſcripta aut depicta reperiuntur, quandoquidem in corallio ex aquis extrahendo non ſatis diligentes & cauti fuere. Ipſe enim obſervando didicit Corallium retibus implicitum teneras ſuas extremitates abrumpi faciles plerumque amittere.

Idem *Boccone* cruſtam tartaream corallium integentem, in rubro coral. rubram eſſe, in albo albam obſervavit: quin & ſub cruſta exteriore plures rugas ſeu ſulcos ad extremitates prædictas terminatos cerni, ubi cellulæ quædam obſervantur. In extremitatum autem circuitu clariſſimè diſcernuntur complures pori ſeu foramina exigua ſtellata, quæ & in omnibus aliis partibus ad pedem uſque habentur. Pororum nomine intelligit notas quaſdam in 7 aut 8 fiſſuras diviſas, quæ omnes ſimul ſtellam efformant, nudo etiam oculo abſque microſcopio conſpiciendam, quos ramorum productioni inſervire exiſtimat.

Extre-

Extremitates rotundas supradictas curiosiùs examinans, & unguibus rumpens, plerasque omnes invenit in sex cellulas distinctas, humore quodam albo & pingui repletas, sapore acri cum aliqua adstrictione ad Piperis & Castaneæ saporem accedente, qui in recens è mari extracto Coralio manifestè sentitur, in exsiccato evanescit, adstrictione tantum residua.

Succus quem diximus lacteus intra sex circiter horas postquam Corallium è mari extractum est siccescit, & colorem mutat.

Cæterum Corallium rubrum & album Dioscoridis non vegetabilium modo per succi nutritii intus susceptionem crescere & augeri contendit, sed per extra-positionem seu additionem partis ad partem: unde & lapidibus non plantis annumerandum censet. Argumenta quibus opinionem hanc suam confirmat apud ipsum vide in Epistolis.

Cum *D. Boccone* sentit doctissimus & ingeniosissimus *Petrus Guisony* M. D. Avenionensis, cujus in Epistola ad *Paul. Boccone* hæc verba sunt, Sed brevi propositæ difficultati respondeo, nullum prorsus *Corallii* genus esse plantam, at purum putam minerale ex multo sale & paucâ terrâ potissimùm compositum. Existimo quidem variorum salium cum terra aliisque mixtionis principiis arietantium occursu atque præcipitatione tam nobile mixtum emergere, non secus ac famigeratam illam incrementi tantùm non extemporanei Chymicorum arborem metallicam, quæ Mercurii & argenti cupellati in aqua Stygia priùs dissolutorum, & aquæ communi dein innatantium subsidentiâ atque nexu per appositionem partis ad partem accrescit, &c. Nobis nondum satisfactum est.

In mari Tyrrheno & Siculo passim invenitur, perhibente Matthiolo. Verùm non credo Corallium rubrum adeò frequens inveniri iis in locis. Nobis certè in Italia peregrinantibus de ejus piscatione nihil inauditum. In Catalonia Hispaniæ ad promontorium *Cau de creux* indigenis dictum, in rupibus copiosè nascitur, ubi ejus piscandi modum observavit D. *Franc. Willughby.*

Machina, quâ ibi loci ad illud extrahendum utuntur, est Crux lignea grandis, cujus centro, ut in aquis promptè subsidat, affigitur globus plumbeus magni ponderis: Huic autem adnectitur funis validus, prælongus. Unicuique cruri seu extremo crucis rete orbiculare appenditur. Demissa in aquas cruce, cùm urinatores in imo mari rupem invenerint cavernosam, Coraliis fœtam, is cui funis regendi cura demandatur, in ejus cava unum vel alterum machinæ crus impellit; adeóque Corallium (si quod inibi oritur) retibus implicitum abrumpunt & extrahunt qui supernè in lembis præstolantur. Color fruticis dum adhuc viget & rupibus adnascitur pallidè cinereus est; verùm cùm exteriore crustâ, quæ cortici in arboribus respondet, exuitur, rubet. Cùm vel æstu maris, vel piscantium manu abruptum, fluctibus in litus ejectum est, corticem amittit, & rubiginem quandam è viridi cinerascentem contrahit. Omnes autem quos consuluimus urinatores uno ore sub aquis durum & lapideum esse constanter asseverarunt. Nobis ob ventos vehementiores turbido mari piscationem ejus propriis oculis videre non contigit, impossibilis enim ea est nisi mari admodum placido & tranquillo.

Urinatores arbusculas Corallii, tectis & fornicibus tantùm cavernarum adnasci, atque deorsum versus crescere nobis asseruerunt, verùm non persuaserunt; suspicamur enim illas pro situ rupium tam sursum, quàm deorsum & ad latus crescere.

Interdum sed rarissimè ramos vel arbusculas tres quatuórve libras pendentes inveniunt & avellunt.

Quæ de Corallii viribus traduntur pleraque nobis suspecta sunt: verùm adstrictoriâ vi pollere, præsertim ustum & in pulverem redactum non abnuerim; unde & fluxus quoscunque alvi, uteri, penis, [gonorrhœam] sistit, & ad omnes affectus valet in quibus adstrictione opus est. An verò cor exhilaret, aut Epilepsiam infantium præcaveat (si recens nato ante omnem cibum in lacte materno grana 10. exhibeantur, ut præscribit Schroderus) in medio relinquimus. *Vires.*

Extrinsecùs commendatur ad ulcera quæ carne explet, ad cicatrices quas extenuat, ad oculos quorum lachrymas sistit, visúmque recreat in Collyriis. *Schrod.*

Solent nutrices & mulierculæ apud nos in Anglia de collo infantulorum corallia suspendere ad dentitionem promovendam: infantes enim iis ori admotis & commorsis (quod libenter faciunt quoniam & lævia sunt & frigida) gingivas atterunt, & dentium eruptionem faciliorem reddunt; nec enim proprietate aliqua aut vi occultâ, ut vulgò persuasum est, ad id valere concedimus.

Tinctura Corallii in febribus pestilentibus magnopere commendatur. Boetius de Boot eâ cum successu usus est. Garenciers in iis curandis spem suam rarò fefellisse scribit. De Coral. pag. 10, 46. & aliis. Verùm quæstio est inter Chymicos an detur vera & genuina tinctura Coralii.

2. *Corallium nigrum* C. B. *nigrum sive Antipathes* J. B. Ger. Park.

Imperatus Corallium nigrum substantiâ omnino simile ait rubro, & colore nigerrimo tantùm differre atque raritate.

In Museis curiosorum in Italia asservatum vidimus non semel.

* 3. *Antipathes hirsutum sive Corallium foliatum* J. B. *Corallina nigra setacea hirsuta* C. B. *Antipathes 2. species* Ponæ.

Foliis est minutis instar setæ porcorum seu aristæ triticeæ. Invenitur in maris Sardiniæ fundo inter Corallia piscandum. Est autem longitudine unius hominis staturæ, & vocatur in illis partibus vulgò *Sambeggia.*

4. *Corallium album* C. B. J. B. Lob. Ger. *album majus* Park.

J. B.
J. Bauhinus Corallii albi officinarum truncum ramosum à se adservatum sic describit. Maxima crassities ferè carpi humani est; pars quâ hæret lapidea, porosa; substantia solida, lapidea, ponderosa, exteriùs lævis, tota candida, multis foraminibus, radiatim intus striatis donata. Rami temere & inæqualiter divisi, tortuosi, quos cum radice Polypodii, si figuram spectes, haud malè conferri posse dixeris.

Imperatus distinguit Corallium album à nigro densitate & politurâ quam recipit; sed in cæteris omnibus rubro simile dicit, albedine pura & lactea. Tradit & alterum Corallium album, fistulosum, valdè ramosum, in superficie foratum, quod ex Sicilia adferri testatur.

Matthiolus autor est Corallium nivei candoris in Tyrrheno & Siculo mari reperiri, non quidem ut rubrum compactum ponderosúmque, sed lævius ac rarius, spongiarum modi inane.

Nos Genuæ venales vidimus pulcherrimas Corallii albi arbusculas, valdè ramosas, candoris nivei.

* 5. *Corallium album verrucosum punctatum* C. B. *candidius verrucosum punctatum* J. B.

J. B. ex Imp.
Colore est quàm vulgare candidiore, superficie tenus punctatum, tuberculosum, trunco cæteroqui ramísque crassioribus quàm rubri.

Provenit in Oceano: reperitur quoque in Mari majori, seu Ponto Euxino.

* 6. *Corallium stellatum albi puri coloris* J. B. *Corallum album stellatum* C. B.

J. B. ex Imp.
Substantiâ est cæteris Corallii speciebus simili, colore exquisitè candido, superficie tenus denso agmine stellarum minutularum impressarum obsita, unde & nomen. Planta est de Coralliorum genere magna satis, trunco & ramis teretibus, quadam sui parte striata.

* 7. *Corallium stellatum minus album* J. B. *alterum sive album stellatum minus* C. B.

J. B. ex Imp.
Hoc ex mari Hispanico delatum substantiâ est minùs solidâ, nec ità candidum sicut id quod punctatum modò vocavimus, cæterùm undique etiam stellis parvis impressis notatum. Truncus quoque & rami crassiores quàm reliqua Coralli genera.

Hanc aut sequentem speciem Londino habuimus Corallii Sinensis titulo.

8. *Corallii albi varietas stellata* J. B. *Corallium album ramosum alterum* C. B. *Coral. album alterum* Ger. Park. *Coralloides sive Coralli albi varietas.* Lob.

Lob.
Stipite est reliquis longè crassiore, brachium æquante, & materiâ magis fungosâ, acetabulis insculptâ aut inscriptâ. Universa planta pedem unum longa est, víxque cubitum proceritate superat.

9. *Corallium album articulatum* C. B. Park. *geniculatum album* J. B.

J. B.
Ex argumento nomen inditum est. Constat enim hoc Corallium internodiis quibusdam ceu articulis animalium. Ramosum etenim est, & rami ad instar articulorum animalium ad invicem committuntur. Figurâ cæteroqui sunt rectâ, circa articulos nodosiore, per longitudinem striatâ. Substantia ejus densa, alba, in medio exiguum meatum, medullæ ut puto vices supplentem, habet, qui à radice productus in omnes ramos propagatur. Est ut & alicubi velut pluribus corticibus constare videatur, alioqui cortice unico obtectum est, undique corallineo, albo, & reliquæ substantiæ simili. Percussu secundùm longitudinem facto facilè diffinditur.

Crescit in Majorica insula, unde ab Imperato delatum est. *Vidimus aliquoties in Museis Italicis.*

* 10. *Corallium asperum candicans adulterinum* J. B.

J. B.
Ex lato principio crassus exoritur caudex, qui mox in ramos divaricatur minutiùs divisos, albicantes, superficie asperos, tortuosos. Substantia interna minutissimis poris pertusa est, & quàm externa facies albicantior. Omnium maximè lapideum hoc Corallium esse videtur. Altitudo vix quatuor uncias adæquat.

11. A. *Corallium album pumilum nostras. An album minus* Park. *album* Ger. *qui cum albo* Lob. *perperam illud confundit.*

Vix triuncialis est, admodum tortuosus, culmi crassitie aut paulo majore. E fundo maris in portus Falmuthensis recessibus copiosissimè extrahitur.

12. *Pseudo-*

12. *Pseudo-Corallium croceum, articulatum, punctatum, ramosum* P. Boccone Epist.

Valdè porosum est hoc genus, & in medio coloris coccinei ad croceum inclinantis. Ab imo caule ad extremos ramulos in exiguas particulas seu frustula dividitur, pollicem circiter longas extremis uniuscujusque rotundis. Materia articulos intercedens, iisque conjungendis inserviens flavicat, & molliuscula est, quo fit ut separatu admodum faciles sint. In medio perforatum seu concavum non est, quemadmodum illud quod describit Imperatus: verùm è contra meditullium partibus durioribus minúsque porosis constat quàm totum corpus reliquum, quod superficie est rugosa.
Pori quibus scatet hoc genus sunt fermè ovales. Lima autem deraso & rotundato tum hoc, tum Corallio vero Dioscoridis, hujus superficiem glabram & politam observavi, corpus ipsum ponderosius nec ullis quæ alicujus momenti essent poris pertusum; illius verò [Pseudo-corallii] poris absque microscopii ope conspicuis creberrimis perforatam, quorum respectu corpus ipsum apparuit velut frustulum ossis cariosi rotundati. Ramulos autem seu surculos extremos & tenues crusta persæpe flavicans, delicata, tomentosa & velut holosericea investit, quæ punctis seu maculis rubris respersa est, ex opposito uniuscujusque articulationis sitis [quæ verba non satis capio.]
Locum hujus natalem ignoravit descriptionis autor *P. Boccone.*

Cap. II.

De Poris dictis.

Plinius lib. 36. cap. 17. Pori lapidis servandis corporibus idonei meminit: *Pario similis candore & duritie, minùs tamen ponderosus, qui Porus vocatur.* Cum Plinius ità brevis sit, an de his locutus ignoramus. Pori autem hi à crebris poris seu foraminibus quibus pertusi seu intercepti sunt dicuntur. Sunt autem substantiâ Coralliis proximâ, & porositate tantùm ab iis differunt. Horum alii propiùs ad Corallia accedunt, alii longiùs distant. Qui candidiores densiorésque sunt, ii Coralliis similiores, & eundem ramorum divaricationis modum servant. Omnes autem communiter albi sunt. Qui rugosi sunt, lineas habent striatas secundùm longitudinem tum truncorum, tum ramorum ad extrema usque. Sed & meatus internâ suâ substantiâ porosâ habent per ramorum longitudinem procurrentes, medio quodam atque communi filo interposito. Quorum superficies punctata est, meatus habent quos radii à centro à medio filo constituto ad ambitum ducti intercipiunt. Hæc è J. Bauhini Historia: nec enim nobis multa ex hoc corporum genere videre contigit.
Quamvis distinctionem quam assignant inter Corallia & Poros maximè probamus, ut quæ certa & clara sit; suspicamur tamen corpora nonnulla quæ Coralliis accensentur, ea nimirum quæ superficie sunt punctatâ aut stellatâ, non omnino pororum intus expertia esse.

* 1. *Corallo affinis Porus magnus* J. B. C. B. Imp.

J. B.
Ab una radice in ramos diffunditur. Truncus circa radicem crassitudine ferè est brachii humani. At cum Corallis collata altitudine sua non respondet. Nam brevi intervallo, quà truncorum divisura est, à crassitie sua deficit atque minuitur: neque enim altè assurgit. Terminatur in germina crassitudine digitali. Circa truncos solidus est instar Corallii, at ultimi rami admodum porosi sunt & fragiles. Color ei albus, superficies rugosa, cæteràsque obtinet conditiones Poris in genere tribui solitas.

*2. *Corallo affinis Porus ramosus* C. B. *Porus ramosus* Imp. J. B.

J. B.
Effigiem habet Coralli albi; dictus est autem ramosus ob frequentem ramorum divisuram & dilatationem. Circa radicem crassitudine est digiti humani. Rami exquisitè teretes, superficie tenus punctati, in amplitudinem spithamiæam panduntur. Durities ejus præ cæteris Poris ad Corallii naturam accedit.

* 3. *Coralliis affinis Madrepora* J. B. *Cor. aff. Madrepora stellata* C. B. *Madrepora* Imp.

J. B.
Multis cannis ex uno trunco prodeuntibus, & circa ortum sibi mutuò cohærentibus constat. Ergo favi formam quodammodo repræsentant. Substantia tubulorum ossi spongioso similis est, in quorum extremis cavitas apparet, radiis à centro ad ambitum protensis: in quorum medio ceu flosculus quidam conspicitur, segmento plano. Crassities eorum digito parvo æqualis, ab ortu ad extrema usque eadem; superficie tenus transversim rugosi, quod in nullo alio à nobis descripto Poro observare licuit. Recenter exempti sorde quadam purpurea obtecti sunt, quæ temporis progressu nigricat.

* 4. *Coralliis affinis Madrepora ramosa* J. B. C. B.

J. B.
Extrema huic sunt plana, quemadmodum præcedenti; sed in trunco & ramis magna est differentia: Quippe primarius truncus densus est & candidus sicut Corallium, sequentes, qui velut annui adjuncti sunt, rari admodum ac debili substantiâ, colore obscuro & purpureo. Eadem substantia aliquid habet membranei, unde (inquit Autor) colligi potest Spongiarum in modum participare aliquid de vita sensitiva.

* 5. *Corallium adulterinum porosum* J. B. *Millepora* Imper. C. B.

J. B.
Numerosæ densóque agmine ex lapideo ferè principio exeunt fistulæ, albicantes, striatæ, palmares, longiores plus minus, intus porosæ, quæ à centro ad ambitum ità radiatæ sunt, ut stellam multiplicem repræsentent. Substantia earum planè lapidea est, dura, nec ità fractu facilis. Primum pondere superat. A Millepora Imperati differt, quod strias per longitudinem non præ se ferat.

* 6. *Porus similis Salinæ* J. B. *facie Sabinæ* C. B. Imper.

J. B.
Ramos habet subtiles, altera parte compressos: Superficies eminentiis quibusdam acutis donata est.

* 7. *Coralliis affine Alcyonium rubrum* C. B. *Coral. af. Alcyonium fistulosum rubrum* J. B. *Tubularia purpurea* Imp.

J. B. ex Imp.
Tabularia purpurea *Imp.* quam quidam inter Alcyonia recensent, & quidam Alcyonium Milesium vocant, ex parvis tubulis concavis & ut plurimum connexis coagmentata est, colore puniceis, intus politioribus, foris mediantibus quibusdam crustis transversis æquali intervallo ordinatis, unitis. Matriculæ putantur animalculorum marinorum, in quibus nascantur sicut apes in favis.
Hujus autem valde similis specimen habuit *J. B.* quod specie & figurâ partium Corallio rubro accedens halcyonium quibusdam æstimabatur. Ex meris tubulis rubris, Corallio albo fere concoloribus, aut certè saturatiùs tinctis, crassitudine culmorum Avenæ, ex semunciali aut breviori intervallo crustulis lapideis connexis cæterâ parte æqualiter diffidentibus coagmentatum est. Pleræque tamen superficie tenus albicante quadam aspergine obiter vestitæ sunt. Tota substantia lapidea est sed Corallio rubro fragilior.

* 8. *Porus tubularis* J. B. C. B. Imp.

J. B.
Tubularis dictus est quòd parvorum tubulorum formam referat, ex quibus alii tubuli etiamnum pronascuntur, superficie interna rugosi, externâ punctati & porosi. In his sæpe materia Alcyonii aut alterius cujusdam substantiæ reperitur.

* 9. *Porus anguinus* Imp. J. B. C. B.

J. B. ex Imp.
Anguinus Imperato dictus est, quòd exuviis serpentum similis sit substantiâ suâ. Adhæret radici Algæ alterive alicui materiæ, estque velut incrustatio quædam ex multis atque subtilissimis spoliis sibi mutuò incumbentibus coaggesta, sive colorem, sive subtilitatem, sive impressiones atque delineationes spectes. Substantia porosa est & fragilis admodum, propter extremam subtilitatem tunicarum, colore candido, & ea parte qua altera tunica ab altera separata conspicitur argenteo splendore lucida.
In aquis salsis & maris quieti stagnantibus concrescit. Reperitur in tractu Neapolitano, in mari mortuo sub Baiis.

* 10. *Abrotonoides planta saxea* J. B. Clus. *Abrotono similis saxea* C. B.

Clus.
Planta hæc ex Orientalibus regionibus delata tota erat lapidea, pedalis ferè altitudinis, in multos ramos divisa, qui deinde in frequentes alios minores sese spargebant, elegantissimo spectaculo, & illos quidem Abrotoni fœminæ foliorum formam pæne referentes. E saxis autem in imo mari nascentibus abruptam fuisse arbitrabar.
An Planta hæc intus porosa & foraminulenta fuerat, an planè solida, non dicit Clusius: proinde an rectè eam hîc disposuerim ignoro, an ad Corallia pertineat.

Cap. III.

De Lithophytis frondes imitantibus, reticulatis.

1. *Porus reticulatus & Eschara marina* Imper. C.B. *Eschara* J. B. *Retepora* Imper. *Rosa marina* Cæs.

J. B.
QUæ Eschara Rondeletio dicitur pro radice principium habet latiusculum, ex quo foliacea quædam, & Lactucæ crispæ in modum substantia exit lapidea, crassiuscula, albicans, fragilis, cribri instar, foraminum seu rimarum longiuscularum plena. Dentibus facilè atteritur, nullo manifesto nec odore, nec sapore.

Elegantissimam hanc plantam saxeam è mari Tyrrheno sæpiùs inter piscandum retibus extrahunt. Nos fragmenta ejus Romæ in foro piscatorio multoties vidimus.

* 2. *Eschara marina frondipora* J. B. *Frondipora* Imp. C. B.

Retiporæ descriptæ quodammodo similis est. Frondes quippe substantiâ similes, itidémque ramosæ & incisæ, quibus extrinsecus eminentiæ quædam costis aut nervis foliorum similes adnatæ, quarum extrema mutuo connexu unita poros constituunt, & retis formam quodammodo efficiunt.

* 3. *Reticulatum tophaceum marinum* J. B. *An Porus in* figura di mutassa Imper. ?

J. B.
Filamentorum, convolutorum in morem totum ex filis tophaceis candicantibus, ac etiam (quod in tanta exilitate mirum) fistulosis ac cavis coagmentatum est, ut rete quodammodo in unum glomerem confusum repræsentet. Ipsa crassities frusti coagmentati uncialis est, multis cavernis Spongiæ aut pumicis ferè instar cavata, substantiâ levi & dentibus facilè friabili, durâ, digitis non cedente, odore salso, sapore nullo. Adhærescit aliis substantiis & rebus marinis.

His annumeranda videntur Corpora illa ex lamellis plurimis sibi mutuò incumbentibus & velut articulatim junctis composita, substantiâ durâ & lapideâ, quorum nonnulla ob figuram pentagonam stellæ in modum radiatam *Astroites* appellantur, alia ob figuram rotundam, rotæ aut orbiculi æmulam *Trochites* & Entrochi dicuntur. Hæc enim eruditissimus Vir & sagacissimus Naturæ operum indagator D. *Martinus Lister* M. D. vetus amicus noster reverà lithophyta esse & petris accrescere & ramulos laterales emittere primus quod sciam detexit: Verùm quoniam in rupibus à mari longiùs remotis inveniuntur, an mari originem suam debeant meritò dubitatur: ideóque plura de iis dicere hoc in loco supersedemus.

Cap. IV.

De Musco marino lapideo, seu Corallina.

1. A. *Corallina* J. B. *Muscus maritimus sive Corallina Officinarum* C. B. *Musc. mar. sive Corallina alba Officinarum* Park. *Corallina Anglica* Ger.

J. B.
UNciam unam aut alteram [imo duas trésve interdum] alta est, colore incano cinereóque, [aliàs rubicundo, luteolo, herbaceo aut candido,] ramulis numerosissimis, pyxidatim geniculatis, gracilibus, pinulis interdum è latere excrescentibus, odore nauseoso, pisculento, sapore salso, ingrato: Sub dentibus lapillorum instar crepitat, & facilè vel attritu digitorum in pulverem fatiscit.

Rupibus marinis, petris, & interdum etiam conchis aut testis accrescit ubique ferè apud nos: non tamen mollis est quandiu sub aquis, (ut scribit Cæsalpinus) sed dura & lapidea. *Locus.*

In pulverem crassiusculum contrita ad interaneorum vermes necandos atque etiam expellendos non immeritò celebratur. Datur pulvis in vino, lacte aut Cassia, pueris qui nondum annum ætatis 14. attigerunt ℈ ß. pondere, adultioribus ℈j. *Vires.*

* 2. *Corallina fistulosa fragilis* J. B.

J. B.
Duûm triúmve unciarum numerosos progignit *coliculos*, cinereo filo crassiori pares, superficie crispâ seminum Saccharo conditorum, aliàs lævi & veluti torno elaboratâ, circularibus zonis densis præcincta, intus fistulosa, decussatísque cruciformium interstitiorum cancellis distincta, fragilis admodum, & levi digitorum attritu in arenam solubilis, sapore fatuo. Propagines mediante tenui brevissimóque filo adnectuntur.

Est & alia subtilior multò, ceu pili aut filamenta quædam crustulis obtecta essent. Intus enim velut pilus tenuissimus: crustâ intecta porosâ est albâ, in plures ramulos vermiculatos divisa, Corallinæ in modum, sed minimos, delicatulos.

3. A. *Corallinæ affinis sive Muscus marinus tenui capillo* J.B. *Muscus marinus albidus* Ger. *capillaceus multifido folio albidus* C.B. *marinus sive Corallina rubens* Park.

J.B.
Saxis aut concharum fragmentis innascitur, verum latiùs multò se spargit, propaginibus etiam 4. unciarum abundè circumfusis, ad teretem, durum, nigricantem nervum adnatis cirris crebris capillaceis, mollicellis, ramosis, colore albicante, cinereo, viridanti, rubente, vel denique nigro, sapore Corallinæ salsuginoso. Verùm licèt ad tactum mollis sit, sub dentibus tamen Corallinæ instar crepitat, & nescio quid lapidei refert.
Est & ut vix uncialem altitudinem superet, villis itidem ramosis densissimis.
Saxis, testis, Algæ, aliisque plantis marinis innascitur.

* 4. *Muscus candidus Coralloides squammulis loricatis* Lob. *Muscus marinus squamosus, sive Corallina squammata* Park.

Præter titulum hujus & figuram nihil habent.

* 5. *Corallinæ affinis Nodularia* J.B. C.B.

Ramulis est brevibus, multifidis, coloris cinericei, concretione lapidea, fragili, sub dentibus crepitat. Cum Corallina nescio quid commune habet, nullo tamen thorulo farcta, ut sunt Coralloides frutices.
Variat colore albo, pullo, puniceo.

CAP. IV.

De Fungis lapideis.

1. *Androsaces Matth. sive Fungus petræus marinus, sive Umbilicus marinus* J.B. *Andr. Matth. sive Cotyledon marina & Umbilicus marinus* Park. *Androsaces Chamæconchæ innascens, vel minor* C.B. *item Androsaces petræ innascens, vel major* ejusdem.

J.B.
Vitam agit sub aquis, concharum striatarum gibbis scopulisve innascens; staminibus fili instar tenuibus, uncialibus & sescuncialibus; quorum singulorum extremum excipit umbilicus clypeoli, circinatæ rotunditatis, lineolis à centro creberrimis productis striati: color cinereus: sapor salsuginosus.
Androsaces Dioscoridis non est, nec enim semen fert; sed Fungi petræi species. Duplex habetur major & minor.
Circa montem Cetium in stagno Volcarum petris & conchis innascens abundè invenitur; ut & nos observavimus.
Quæ de hujus viribus traduntur, conjecturis nituntur & incerta sunt. Lobelius tamen ventrem sistere novit, ut hic scrupulus (inquit) Anguillaræ eximatur, nec expeti ut alvum solvat.

2. *Fungus lapideus major in Nilo natus* C.B. J.B. F. *Saxeus Nili major* Clus.

Clus.
Quem Clusius descripsit 10. unciarum habebat circumferentiam: ejus diameter 3½ unciæ, totus autem saxeus erat & candicans, supernâ parte ab umbilico ad circumferentiam multis profundis striis, obliquè quodammodo excurrentibus ornatus; infernâ autem minùs elatis striis, iisque asperis & quodammodo echinatis erat præditus, quæ à circumferentia ad pediculum productæ desinebant, quâ videlicet parte magis fuscus erat. Pediculus ejus brevis & crassiusculus, qui à scopulo aut petra abruptus videbatur.

3. *Fungus lapideus minor* C.B. J.B. *saxeus minor* Clus.

Clus.
Hic compressus floris formam quodammodo exprimebat: circumferentia & ambitus [qui valdè sinuosus] sex unciarum erat, diameter in longitudine duarum cum semisse, in latitudine autem unius aut paulò plus, & quia floris quodammodo in formam assurgebat, altitudo pænè duarum unciarum erat, ab extremo orbe descendendo sensim gracilescens. Pediculum habebat brevem & crassiusculum. Striæ quæ externa parte à pediculo ad circumferentiam excurrebant valde erant conspicuæ; quæ autem in parte interna profundiores, & magis conspicuæ, simul etiam in medio coeuntes.
Præter hos, Clusius aliorum è mari majorum meminit, quales in museis curiosorum in Italia asservatos aliquoties vidimus.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De Plantis Submarinis consistentiæ ligneæ & tenacis.

Cap. I.

De Corallina reticulata, seu Flabello marino nostratibus dicto.

2. *Corallina cortice reticulato maculoso purpurascente* C. B. *Cor. reticulata plana purpurascens* Park. *Frutex marinus elegantissimus albus, Corallium nautis* J. B.

Clus.

AD binûm interdum pedum aut etiam majorem altitudinem assurgit, planus & in latum expansus flabelli instar, à caudice simplici, brevi, statim in ternos, quaternósve aut plures crassiusculos ramos divisus, à quibus innumeri alii tenuiores ramusculi oriuntur, in longum & latum se spargentes, adeò miro ordine, ut simul coalescant, vacuáque tantùm quædam spatia relinquant, cribri aut reticuli maculas imitantia. Integer frutex purpurascente materiâ obductus est velut crustâ quadam aut gypso, quæ facilè deradi potest; eo autem deraso apparet interior substantia nigricans, lenta, frangi contumax, adeóque dura ut vix cultello scindi possit.

Scopulis aquâ marinâ tectis adnascitur, latâ plerunque sede. Ex India tum Orientali tum Occidentali ad nos delata fuit, teste Parkinsono.

Fruticem quem descripsit Clusius salsuginosa candida materia obduxerat: illam verò salsuginem creberrimis iisque valdè exiguis foraminulis, tanquam acu impressis tam affabrè tantóque artificio elaboratam conspicere licebat (præsertim in minutioribus ramulis) ut nullum opificem imitari posse sibi persuaderet Clusius.

Fruticem hunc sæpiùs vidimus, & ipsi etiam elegantissimam ejus plantam habemus.

* 3. *Corallina reticulato cortice altera* C. B. *Planta marina retiformis* J. B. Clus.

Clus.

Quam descripsit Clusius, instar virgulti lignosa erat, prorsus tamen plana, in frequentes ramos, eósque etiam planos sparsa; ex quibus in longitudinem & obliquè exibant multi nervi, retis instar ferè contexti, adeò firmi, ut ex æneo filo conflati viderentur, lumini tamen oppositi glutinis substantiam veriùs referrent. Tota planta cubito longior erat, prorsus (ut dixi) plana, & multis maculis retis instar pertusa, subrubescens, multis tamen locis salsugine quadam infecta, extima parte ferè pedem lata, infima verò palmum, sed ea non integra, nam ex utroque latere plurimum abruptum fuisse apparebat: Salsus ejus sapor.

Scopulis adnascitur in Oceano Americano.

A præcedente in paucis mihi videtur differre.

Cap. II.

* *Arbuscula marina Coralloides* Clus. J. B. *Corallinæ facie grumoso cortice* C. B.

Clus.

QUam Clusius vidit, tres cubitos alta erat, unde meritò arbusculam dixit, in multos ramos laterales, eósque in anteriorem partem nutantes divisa. Caudex infima parte 7 uncias in ambitu crassus erat, firmúsque & solidus cùm videretur, materiâ tamen quodammodo fungosâ constabat, illâque candicante & zingiber resiccatum referente. Totus caudex cum ramis innumeris tuberculis respersus erat, ipsique rami in majuscula tubera desinebant, intus fungosa, & seminum, inanium tamen, speciem in cavernulis continentia, externè autem orbicularibus notulis, lapidis Stellaris instar, distincta. Tota planta, sive veriùs arbuscula, tenui quidem sed grumoso cortice tecta erat, eóque rubri coloris, ut minio inducta videretur, qui an ascititius fuerit ignorabat Clusius, adeò autem salsi saporis erat tota cum suo cortice arbusculæ substantia ut merum Sal referret.

De loco natali nihil inaudivit Clusius. Longè autem majorem postea è Norwagia misit *Hen. Hoierus Bergensis* medicus, quamvis infimâ parte mutilam, 6. tamen pedes altam, totam planam & semipedem duntaxat latam, binas verò uncias spissam; reliqua apud * Clusium vide.

* *Exotic. lib. 6. c. 1.*

CAP.

CAP. III.

* *Corallina fruticosa purpurea* C. B. *Quercus marina Theophrasti* Clus.

Clus.

QUam descripsit Clusius pedalis erat longitudinis, in multos eosque planos ramos expansa; & illos deinde in plures alios minores divisos, multisque tuberculis quaquaversum obsitos, ut Myricæ sive Cupressi veriùs foliorum formam & exactiùs referrent, quàm alterius alicujus plantæ: coloris purpurei saturi qualis ferè conspicitur in vini rubri fæcibus, salsi prorsus saporis. Ipsa fruticis materia dura & lignosa erat, imò quasi cornea aut saxea. Confracta porro infima parte erat hæc planta, ut saxóne an Ostraceæ testæ innata fuerit nihil affirmare potuit Clusius.

C. Bauhinus huc refert Corallinam rubentem Antipathis facie *Lob.* Lithophyton marinum rubri seu purpurei coloris *Gesn.* An rectè ambigitur. *J. Bauhinus* has plantas *Coralloidis sui fruticosi marini rectiori* synonymas facit, quod sic describit,

Densè fruticat cornu cervini figurâ: radicem verò scopulis apprimit lapidescentem, trunco brevi, statim in infinitos ramos diviso, modò patulos, modò surrectos, & quà fors tulit huc illuc divaricatos, dodrantales & palmares, singulos thorulo corneæ duritiei & flexibilitatis, necnon coloris, farctos, crustâ obductos, jam penitus niveâ, jam cinereâ, modò luteâ, modò conchyliatâ vividâ, aliàs cinereâ & rubrâ, aliàs luteâ rubrâ, non rarò omnis coloris stigmatibus punctata.

CAP. IV.

* *Corallina lignosa Ericæ facie* Park. *Cor. ruffescens exasperata* C. B. *Ericæ facie frutex marinus* J. B. Clus.

Clus.

ERat is frutex quem descripsit Clusius cubitalis aut amplioris altitudinis, statim ab infimo in frequentes ramos assurgens: atque illi denuo in minores alios divisi erant, interdum simul coalescebant, ut in plerisque plantis in mari nascentibus evenire solet: tenui cortice tegebatur, terrestrisque coloris erat. Totus porrò frutex planâ formâ excreverat, & in sesquicubitalem latitudinem expansus erat. Omnes autem rámi tanquam quibusdam tuberculis erant obsiti, sed minores longè frequentioribus & majoribus, ut tanquam flosculorum gemmis ornati viderentur, quæ trita in tenuissimum pollinem resolvebantur. Tota alioqui planta lignosa & dura erat, atque lapidi aut scopulo innata fuisse videbatur; salsi saporis, ut quæ in Oceano natæ plantæ.

C. B. Plantam hanc duobus in locis, sub duobus generibus collocat: sub Corallina, & sub Fuco folliculaceo cujus speciem XVII. eam facit, titulo Ericæ similis maritimæ.

CAP. V.

* *Resedæ similis maritima* C. B. *Resedæ facie Planta marina* Clus. J. B.

Clus.

TOtus lignosus & durus erat quem descripsit Clusius hujus generis frutex, non secus ac Erica fruticans, salsâ & albâ materiâ obductus; sesquipedalis altitudinis, non tamen integer, sed infima parte fractus, in 10. vel plures ramos inæqualiter & nullo ordine nascentes divisus, quorum aliqui abrupti. Qui supererant toti tecti erant exiguis quibusdam vasculis, rugosis, deorsum propendentibus, coloris ex albo cineracei, Resedæ vasculis, quæ semina jam matura continent, non valdè dissimilibus, longè tamen minoribus, & infima parte ut plurimum connexis ipsis ramulis, quæ vacua & valdè fragilia, ut quæ digitis attrita facillimè in pulverem resolvebantur, salsi admodum saporis.

De loco natali nihil potuit intelligere.

CAP. VI.

* *Hippuris saxea* Clus. J. B. *Equiseto similis saxea* C. B.

Clus.

TOta quam vidit Clusius Planta in unam partem inclinabat, ut pleræque Pelagicæ Plantæ solent, & prorsus saxea apparebat, in imo mari scopulo aliquo, ut videbatur, adnata, cujus fragmentum infima parte adhuc retinebat. Ex Orientali Oceano allata ferebatur, eratque 20. uncias longa, & in multos graciles ramos divisa, ac frequentibus nodis & articulis distincta.

cta. Candicabat porro tota, ſingulíque articuli ſtriati & veluti canaliculati erant, ad ſingula verò genicula ſive nodos graciliores, & fuſci, ſplendentis tamen coloris, ut etiam ſinguli articuli (qui interdum uncialis longitudinis, magna verò ex parte ſemunciales aut breviores erant) fuſco aliquo glutine connexi viderentur. Interior autem plantæ pars lignoſa erat, quemadmodum ex abruptis quibuſdam particulis conſpicere licebat.

Cap. VII.

* *Coralloides granuloſa alba* J. B.

J. B.

HUjus portio ex magno ramo decerpta, cervini cornu inſtar plures ramos de ſe mittebat, modicè recurvos, ſurſúmque ſpectantes. Tota planta albo granuloſóque cortice obducta erat ac ſi ſaccharo incruſtata eſſet. Interior ejus ſubſtantia, cui cruſta hæc granuloſa adhærebat, nigra erat duráque.

Cap: VIII.

* *Salix marina* J. B. Park. *maritima* C. B.

Lugd.

RAmi multi, ex glauco nonnihil rubentes, in aqua natant, foliis comantes longis, Salici ſimilibus, maxima ex parte per oras non inciſis, quibuſdam velut inciſuras nonnullas oſtendentibus, guſtu ſalſis. Inter ramulos virgulæ ſurriguntur, florem Salicis ſuſtinenti ſurculo haud abſimiles, apicibus plurimis veluti ſquamatim compactis, non aliâ formâ quàm quæ ſpectatur in Salice, dum herbaceo iulo florem parturit.

Teſtis oſtreorum & ſaxis quæ ſub aqua marina ſunt innaſcitur & ſic adhæret, ut iis agglutinata, non radice defixa videatur.

Cap. IX.

* *Corallina plumata ſive Myriophyllum pelagium Cortuſi Cluſio* Park. *Myriophyllum pelagium* J. B. *Muſcus maritimus filicis folio* C.B.

Cluſ.

QUantum ex ejus pictura (inquit Cluſius) quam miſit Cortuſus conjicere licebat, fuerat hæc planta cubitalis altitudinis, *caule* recto, ſatis tamen gracili, prædita, in plures ramos, ſeu potiùs, ut Pliniano utar verbo, ramuloſa folia diviſo, foliorum Filicis pænè forma & effigie, ſed longè tenuiora, nutantia inſtar ramorum Palmæ, colore palleſcente. Summus caulis minoribus foliis obſitus, deſinebat in nuculas quaſdam velut in caput congeſtas, quæ nullum aliud ſemen continere deprehenſæ ſunt, quàm tenellas plantulas jam formatas, matri facie ſimiles, quæ cadentes infimum mare petunt, deinde creſcunt & in eandem magnitudinem evadunt quàm matres obtinent. Ipſe caulis quamplurimis tenuiſſimis & plus quam capillaceis fibris tanquam radice nititur, non ſuper ſaxis aut Oſtreorum teſtis, ut pleræque aliæ pelagicæ plantæ, ſed ſuper arena aut luto in imo mari ſito. Fragilis eſt caulis non minùs quàm vitrum aut Corallina dum ſiccus eſt ; at viridis & terræ adhuc inhærens lentus eſt & flexibilis inſtar Sparti.

Naſcitur in altiſſimis gurgitibus maris Illyrici. Tota planta etiam exſiccata ſalſedinem ſuam retinet.

Cap. X.

A *Fruticulus marinus cauliculis craſſiuſculis teretibus rigidis, pennatus.*

CAulis hujus ſeu ſcapus palmaris, craſſiuſculus rigidus : ab imo ad ſummum ramulos hinc indè pennarum pinnulas è ſcapo exeuntes ſitu ſuo imitantes emittit.

Communicavit *D. Newton.*

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De Plantis Submarinis consistentiæ mollioris & herbaceæ.

CAP. I.

De Fuco marino seu Alga marina minore, foliis divisione sua dichotomiam plerunque observantibus.

FUcus propria & primaria sua significatione herbam marinam denotat, cujus ad tingendum usus est. Quod & Servius testatur cùm ait, *Fucus herbæ genus quâ vestes tinguntur:* & Acro quoque in 2. Sat. lib. 2. cùm scribit, Fucum esse genus herbæ marinæ unde lana inficitur, & adfert illud Horatii ex Od. 5. lib. 3. *Neque amissos colores Lana refert medicata fuco.* Hinc & pro colore ipso accipitur, & generatim pro quavis tinctura. A Botanicis autem extenditur ad omne genus Algæ marinæ significandum, quamvis ad tingendum utilis non sit, ob similitudinem nimirum & convenientiam in notis genericis. Quamvis autem Plinius neget Linguam Latinam habere nomen, quo Græcum φῦκος exprimat; [itaque etsi ipse Algam maris vocat, tamen existimavit non satis esse id nomen accommodum] nihil tamen causæ est, cur putemus non posse transferri *fucum.* Nam & ipse Plinius *lib.* 25. *cap.* 10. ait, Phycos thalassion, id est, *Fucus marinus:* inque indice lib. 1. ait, *Phycos tria genera, quod Fucus marinus:* Et ratio favet, φύκει enim usæ mulieres ad conciliandum ori ruborem, ut Lucianus in Amoribus, aliique plurimi auctores tradunt. At Latinorum fucus ad eundem usum adhibebatur, ut unicuique notum. Et Plinius capite ante citato scribit, φύκει circa Cretam nato in petris purpuras quoque inficiunt. Unde cognoscitur quis color fuerit fuci, nempe rutilans & quodammodo puniceus. *Hæc omnia Vossius in Etymolog.* Cùm autem mulieres genis fuco tinctis pulchriores viderentur quàm essent, & falso colore viros fallerent, hinc *fucum facere* est falsâ & simulata specie alicui *imponere, decipere:* & *fucus* in genere pro quovis pigmento accipitur.

Hoc autem capite comprehendimus herbas marinas foliaceas minores, quarum folia divisione sua dichotomiam plerunque observant. Quibus etiam subjungimus alias Musco, Licheni, Confervæ affines, necnon Spongias & Alcyonia.

Cæterùm Fucus omnis sive Alga marina ipsa per se, ut est à mari advecta, pro pinguissimo lætamine habetur, non secùs ac Marga, éstque in frequenti usu apud Scotos maris accolas ad agros emaciatos reficiendos; ut ipsi observavimus cùm per Scotiam iter faceremus: Nec apud Scotos tantùm sed & apud Narbonenses Gallos: ut [circa *Vicum* oppidulum in valle Frontiniana] observavit & nos monuit *D. Martinus Lister*, cùm Monspelii commorabatur.

A. 1. *Fucus maritimus vel Quercus maritima vesiculas habens* C. B. *Quercus marina* Clus. Ger. Park. *Fucus sive Alga marina latifolia vulgatissima.* **The most common broad-leaved Sea-wrack.**

Clus.

Nascitur hæc planta in scopulis qui mari alluuntur, aut marinâ aquâ operiuntur, sine ramis, sed oblongis latisque foliis, adeò mollibus ut cùm æstus recessit nullo modo sustinere se queant, sed strata in saxis atque diffusa conspiciantur: multifida verò sunt hæc folia, & secundùm alarum exortus atque cavitates bullas quasdam seu vesiculas aquâ plenas eminentes habent; eorum verò extrema *in folliculos pariter intumescunt*, Clusio in quoddam veluti rudimentum exigui Cucumeris desinunt, subflavescens, aquâ plenum: Atra viriditate prædita sunt quamdiu sub aquâ latent, aut recenter à marinis undis ejecta, siccata autem nigrescunt & glutinis instar splendent. Nullis radicibus firmantur, sed Lepadum modo saxis aut Ostreorum testis inhærent.

Hæc planta adeò lubrica est, ut saxis quibus innascitur sine lapsûs periculo inambulare aut insistere nequeas. Vesiculæ autem non semper aquâ repletæ sunt, sed aere interdum aut flatu, adeò ut pedibus pressæ non sine crepitu rumpantur.

Hujus speciem minorem, aliàs per omnia similem, nisi quòd minùs profundè, & aquæ superficiei proximè nascatur, observavimus.

In saxis, rupibus, & clivis maritimis singulis æstuum accessibus aquâ inundatis & coopertis passim & abundè oritur.

A 2. *Fucus sive Alga marina angustifolia vesiculas habens. Fucus maritimus nodosus* C. B. *Quercus marina tertia* Ger. emac. *i. e. Fucus maritimus* 3. Dod. Belg. **Long narrow-leaved Sea-wrack.**

Hujus flagella longiora sunt multò & angustiora quàm præcedentis, frequentibus folliculis bullata, in acutos mucrones desinentia. Cum priore interdum promiscuè oritur, sæpiùs tamen profundiùs aquis inundatur, & submergitur.

A 3. Fu-

A. 3. *Fucus ſive Alga latifolia major dentata.* **Broad-leaved Sea-wrack with indented leaves.**

Hæc vulgari latifoliæ ſimilis eſt, ſed aliquanto major, foliis circa margines dentatis; nervo eminentiori media percurrente. In profundioribus, æſtuum tamen receſſibus detectis & nudis oritur. Veſiculas autem in hac ſpecie non obſervavimus.

A. 4. *Fucus tenuifolius foliis dentatis.* **Narrow-leaved Sea-wrack with indented leaves.**

Pedalem nonnunquam longitudinem aſſequitur, & in multiplices ramulos ſeu folia iteratâ diviſione finditur. Sunt autem folia ſeu flagella plana, perangusta & vix culmum lata, per margines utrinque denticellis quibuſdam longiuſculis, ceu ſpinulis, ſurſum ſpectantibus inciſa.
In litore Cornubienſi inter alia maris rejectamenta invenimus.

A. 5. *Fucus ſive Alga membranacea purpurea parva. An Alga membranacea ceranoides* C. B?

Altitudine eſt palmari: *Foliis* planis, tenuibus & membranaceis, ramoſis, diviſione ſua plerunque dichotomiam obſervantibus. Per ſiccitatem purpureo colore tingitur, eſtque pellucida Pergameni ferè inſtar.
Frequenter à mari in litus rejicitur.
Hanc ſpeciem in Hibernia *Delsk* vocant, & contra vermes eſitant pro remedio.
Hujus varietatem à ſe in litore maris inventam communicavit *D. Newton*, in qua foliorum ſegmenta initio anguſta paulatim dilatabantur, deinde iterum contractiora reddita ſumma parte in duo cornua acuta dividebantur.
Aliam adhuc varietatem communicavit in quæ extrema foliorum ſegmenta dilatata, in multas lacinias ſecta & veluti criſpa ſunt.

A. 6. *Fucus ſive Alga exigua dichotomos, foliorum ſegmentis longiuſculis craſſis & ſubrotundis. An Fucus ferulaceus* Lob. Ger. Park? *Fucus folliculaceus Fœniculi folio longiore* C. B? *An Gramen aquæ innatans cum utriculis ſive Fœniculacea marina* J. B?

Longitudinem ſemipedalem vix aſſequitur: eodem modo quo præcedentes diviſione ſua dichotomian obſervat. Segmenta autem longa ſunt, ſubrotunda, in acutum deſinentia, malignè viridia, per ſiccitatem nigra, Crithmi foliorum ſegmenta quadantenus referentia. Supremi ramuli ad divaricationes nonnihil ſunt compreſſi, quod in figura Lobeliana *Fuci ferulacei*, folliculorum ſpecie repræſentari videtur, unde & folliculaceus *C. B.* denominatur.
In litus crebrò rejicitur.

A. 7. *Alga exigua dichotomos, arenacei coloris.*

Altitudine eſt palmari, flagellis tenuibus teretibus, in ramulos plurimos divaricatis, diviſione ſua dichotomiam obſervantibus, colore ex cinereo flavicante qualis eſt arenæ marinæ. Nullas in hac ſpecie veſiculas obſervavimus. Circa Hollandiam pagum non longe ab Harvico in litus maris rejectum invenimus.

A. 8. *Alga marina platyceros poroſa* J. B. *Fucus Corallio affinis, ſeu Porus cervinus Imperati* C. B. *Fucus telam lineam aut ſericeam texturâ ſuâ æmulans.* **Silken Wrack.**

J. B.
Ab uno principio plures exeunt rami trium quatuórve unciarum, lati atque patuli, compreſſi, flexiles, cruſtoſi, pallidi, colore exalbido, cum ſtriis obliquis quaſi texturam demonſtrantibus Damæ cornua lata non infeliciter æmulatur; unde πλατύκερως dici poteſt ex re nata.
Siccam ſæpius in litora rejectam collegi, virentem ſeu recentem nondum videre contigit. Eſt autem telæ lineæ texturâ ſuâ perſimilis.

A. 9. *Fucus teretifolius ſpongioſus parvus.* **Small round-leaved ſpungy Wrack.**

Ad palmarem altitudinem aut etiam altiùs excreſcit, ramulis ſeu foliis teretibus, craſſis, ſordidè viridibus, ſpongioſis, ut facilè inde aquam exprimere poſſis, mollibus & veluti holoſericeis. Eodem modo dividitur quo præcedentes.
In litus Cornubiæ æſtu maris ejectum vidimus.

A. 10. *Fucus parvus ſegmentis prælongis, teretibus, acutis.*

Hic vix palmaris eſt, ad imum quædam velut foliola habere videtur, diſſecta in modum Umbelliferæ cujuſdam plantæ. Scapi ad aliorum hujus capitis Fucorum modum diviſione ſua dichotomiam obſervant, & in ſegmenta deſinunt prælonga, teretia, in acutos mucrones terminata, per ſiccitatem nigra. Habui à *D. Newton* in litore maris collectum.

* 11. *Alga crispa Scabiosa rubra & pallida* J. B.

J. B.
Ex foliis folia fractu contumacia nullo ordine itémque ex ramulis oriuntur. *Folia* quidem sunt tenuia, lucem transmittentia, uncialia & sescuncialia, culmum quædam lata, alia latiora, crispa, rubra, vel ex fusco pallida, in ramos divisa, aspera; quandoque hinc indè verrucis albis crustisque cinereis & Halcyonii, sapore prædita salso: in quibusdam adhærent radices crassæ, capite villoso, Algæ radici similes, quæ an propria asserere non ausim, potiùs tamen contrarium censuerim.

Cherlerus attulit Monspelio ex tractu Narbonensi maris Mediterranei. *D. Magnol* albam & rubram copiosè invenit versùs montem Cetium cum aliis maris purgamentis.

A. 12. *Fucus longo, angusto, crassóque folio* C. B. *marinus secundus Dodonæi* Park. *Quercus marina* 2 Ger.

Figura Dodonæi, quæ habetur apud Gerardum & Parkinsonum hunc optimè repræsentat. Flagella angusta sunt, crassa, coriacea, plana, dichotoma sæpius iteratâ divisione. Paulo supra radicem (in omnibus quas observavimus plantis) rotula latiuscula caulem velut axem ambit, quæ & in icone Dodonæi pingitur: quâ notâ à reliquis hujus generis facilè distinguitur.

In litoribus nostris, æstu marino ejectus, frequens invenitur.

* 13. *Rosa marina* J. B.

Patulis in orbem est ramis, palmo longioribus, Quercûs marinæ divisurâ tenuiore, ligulis angustioribus, coloris cinericei, per extremum digitatis, crispis, asperis.

Ex plantis Valerandi habuit *J. Bauhinus.*

CAP. II.

A. *Fucus Kali geniculato nonnihil similis, non tamen geniculatus.*

Longitudinis palmaris est & interdum dodrantalis; ramulis seu flagellis foliisve teretibus, colore sordido ex viridi subluteo aut citrino. Ubi ramuli è trunco exeunt non efficiunt acutos cum eo angulos, verùm cùm ramuli tum truncus ipse nonnihil reflectuntur & angulos efficiunt rotundiusculos: Ramuli aut, seu malis, folia, ubi cauli adnectuntur, minora seu graciliora sunt, unde & pediculum quendam habere videntur. Segmenta ultima seu suprema semuncialia sunt aut uncialia.

Rupibus propè oppidum *S. Ives* in Cornubia innascentem observavimus; proculdubio etiam & alibi satis frequens est.

CAP. III.

* 1. *Fucus folliculaceus Linariæ folio* C. B. *Lenticula marina Serapionis & Uva marina quorundam* Lob.

Lob.
Tyrrheni maris & Adriatici (inquit Lobelius) indigena hæc, foliis angustis Scopariæ dictæ Osyridis, in flexilibus loricatis petiolis, sesquipalmaribus, refertis & onustis copiosis baccis, vacuis, membranaceis, teretibus, Lenticulæ similibus & paribus; unde ei nomen.

* 2. *Fucus folliculaceus serrato folio* C. B. *Lenticula marina serratis foliis* Lob.

Lob.
Persimilis (inquit) & eadem præcedenti, nisi latiora & breviora, nonnihil ambitu serrata essent folia.

CAP.

Cap. IV.

* *Fucus foliis Ericæ, Erica marina quibusdam* J. B. *Tamarisco similis maritima* C. B.

J. B.
UT minor est quàm Creminea Alga infra describenda, ità tota tenerior, ramis tenuibus, non lignosis rigidísve, non minùs tamen frequentibus, imo latiùs divulsis & ad fœniculaceam Algam accedentibus, fibris tamen utcunque tenuioribus, ínque turgidulas vesiculas desinentibus. Sicca nigricat.

D. Magnol in scopulis montis Ceti propè Monspelium sæpissimè collegit.

A. Huic similem si non eundem nobis communicavit *D. Newton* in ramulos creberrimos variè divisum & subdivisum, eósque foliolis vestitos crebris, brevibus, angustis, acutis, Myricæ æmulis sed minoribus multo. Sub aquis plantam pulcherrimè virere nobis retulit inventor.

Cap. V.

A. *Fucus angustifolius vesiculis longis siliquarum æmulis.*

QUem in litus ejectum invenimus circa Hollandiam vicum non procul ab Harvico portu, 5. trans *S. Osithæ* oppidulum milliaribus in Essexia, sesquicubitalis minimùm longitudinis erat: caule & ramulis compressis, angustis, ab imo ad summum crebros surculos alternatim hinc indè emittentibus, quorum plerique abrupti erant. Surculi & flagella extrema, seu folia mavis dicere, in vesiculas oblongas, siliquarum æmulas, Araci minoris propemodum magnitudine, exteriùs velut nodosas, interiùs crebris diaphragmatis interceptas, procurrente interdum ultra siliquam folio. Per siccitatem atro colore tingitur.

Præter hîc descriptos alias Fuci parvi species nobis ostendit *D. Jac. Newton* in litoribus nostris à se collectos. 1. Unum cauliculis teretibus tenuibus longis, obiter interdum capillamenta emittentibus. 2. Alterum fruticosum per siccitatem nigricantem. 3. Tertium flagellis longis folliculaceis. 4. Quartum parvum, dichotomum, segmentis planis, compressis & latis.

Cap. VI.

De Fucis sive Algis tinctoriis.

HOs uno capite comprehendimus, quamvis fortasse genere inter se differant, eorúmque nonnulli ad primum caput seu genus pertineant, quoniam facultate tinctoria conveniunt, & plerique nobis incogniti sunt.

* 1. *Fucus sive Alga tinctoria* Lugd. *lentus fœniculaceus, seu Coralloides lenta fœniculacea* J. B. Botan. Monsp.

J. B.
A pede lato, quo scopulis oppressa hærere solet, *rami* prodeunt complures, dodrantales, multipliciter divisi, lenti, flexiles, tenaces; quorum minores in minima, fœniculacea & propemodum muscosa atque capillaria crispáque segmenta secantur. Colore porro variant. Sunt enim quæ livido aut pallido ac albo; aliæ quæ fusco, subnigro aut rufo, saturatè rubro, vel purpureo, aliæ denique quæ viridi sunt colore, & hoc in eis visu jucundum, quòd bicolores plerunque sunt singulæ plantæ; crassiores rami uni, tenuiores alteri, colore donati plerique transparenti. Sapor & gustus salsuginosus, pisculentus, sub dentibus nihil sabulosi exhibent, sed glutinis modo atteruntur, cui quidam rami pæne concolores visu. Qui Hepatis venas à parenchymate separatas viderunt, rem huic Coralloidi apprimè similem conspexerunt. Quædam asperantur hinc indè crustaceis tuberculis albis.

Copiosè observavit atque collegit Cherlerus in tractu illo Narbonensi maritimo quo Magalonâ Agdam tenditur. Eundem etiam sæpius vidit *D. Magnol* cum maris purgamentis ejectum.

* 2 *Alga tinctoria* J. B.

Hanc à Valerando Dourez habuit *J. B.* cui inscriptum Alga 2. ex Candia, quæ ei non absimilis quâ involvuntur vitra, latior, pari tenuitate & lentore, fractu contumaci, colore purpureo obscuro seu spadiceo, sapore nullo evidente, propter vetustatem fortè: chartam cui involvebatur purpureo floridiore tinxit.

* 3. *Fucus marinus dictus, Roccella tinctorum* J. B. C. B.

Materies ejus colorem præbet nobilissimi purpurei: quapropter priscis fœminis tingendis genis expeditum in fucum. Fucus hic antequam in tincturam redigatur, parte interna ex rubello candicat, externa nigricat. Evocatur vividus ejus color maceratione facta in urina: sic paullatim tincturam acquirit, donec ultimo species quædam [*Soda*] Salis Alkali complementi loco & ut densetur addatur. Fuci in compositione ad urinam portio est quintupla plus minus pro bonitate Fuci. Maceratio uno mense completur. Salis pars duodecima additur, quod maceranti Fuco adjectam colorem pariter odorémque violæ excitat atque producit. *J. B.* ex Imperato lib. 27. c. 9. *Roccella* autem à colore rubro dicitur.

* 4. *Fucus capillaris tinctorius* J. B.

Imperatus lib. 27. cap. 9. ex Oriente delatum scribit nomine Roccellæ, & excellentissimum ait ad tincturam.

* 5. *Fucus verrucosus tinctorius* J. B. C. B.

Hic apud tinctores etiam Roccella dicitur, eodem Imperato autore, loco superiùs citato. Uterque *J. Baubino* & nobis incognitus.

CAP. VI.

De Fucis foliis longissimis integris & non dichotomis.

A. 1. *Fucus folio singulari longissimo, lato, in medio rugoso.*

RAdix ei qualis Fuco phasganoidi, sed minor & tenuior, pediculus brevis, duos vel tres digitos vix excedens, tenuis etiam, & multis vicibus minor quam illius. Folium singulare indivisum, 4. & 5. nonnunquam digitos latum, ad utramque oram membranâ tenui & veluti crispâ, ceu fimbriâ ornatur, mediâ parte crassius, & crebris rugis flexuosis adeò inæquale ac si acupictum esset. Longitudo ejus ulnam & dimidiam mensuræ nostratis interdum excedit. Versùs apicem sensim angustatur.

Huic vel idem est, vel persimilis

Fucus longissimo, latissimo, crassóque folio C. B. prod.

Quem describit *radice* brevi, ex crassis fibris compositâ; ex qua pediculus crassus, rotundus semipalmaris prodit, qui in folium expanditur unum, ingentis longitudinis, pedes aliquot & ulnas excedens [rariùs ex una radice duo folia ejusdem omnino formæ & longitudinis] latitudine uncias 4. superans, ejusdem ferè per totum folium principio excepto latitudinis, in medio æqualiter planum, ad utrumque verò latus parùm convolutum, tortuosum & sinuosum, obscurè virens, crassum, & dum terræ adhuc affixum tactu formâ gelatinæ viscosum & madidum: quare propter nimium madorem vix asservari potest, licet sæpius Soli exponatur; nam quoties chartæ reponitur mador iste cum fœtore recrudescit, ità ut à corruptione, nonnisi post aliquot septimanas, donec planè siccetur, servari possit.

Hic à nostro differt, quòd ex una radice duo interdum folia emittat, quod in nostro nunquam observavi; quodque medium folium æqualiter planum est, cùm in nostro rugis inæquale sit. Johnsonus Gerardi emaculator Fucum hunc C. B. *cum phasganoide (quem interdum folio simplici, interdum gemino provenire observavit) eundem specie putat, nec nos magnopere repugnamus. Noster autem, quem in litoribus Eboracensibus & Cornubiensibus copiosum observavimus, à phasganoide dicto specie diversissimus est. Quòd verò* C. B. *de difficili hujus plantæ exsiccatione dicit Fucis omnibus commune esse experientiâ didicimus.*

* 2. *Fucus longissimo latissimo tenuique folio* C. B.

C. B. prod.

Hic priori non multùm absimilis, qui ex radicula nigra, fibrosa pediculum tenuem, triuncialem emittit, qui in folium sesquicubitalis longitudinis, unciarum 5. vel 6. latitudinis, planum, per margines hinc indè convolutum absumitur, substantiæ tenuissimæ membranaceæ, coloris pallidè virentis.

Hunc cum aliis Maris Mediterranei purgamentis rejectum non longè à montis Cetii radice collegit *C. Bauhinus.* Si hic à superiore diversus sit nobis certè ignotus est, nec apud *D. Magnol,* in Indice plantarum circa Monspelium, ullam ejus mentionem invenio.

A. * 3. *Fucus alatus sive phasganoides* C. B. *An Fucus Scoticus latissimus edulis dulcis* Sibbald. in Prodr. Hist. Nat. Scot? **Broad-leaved esculent Wrack.**

C. B. prod.

Hujus (inquit Cargillus qui ex Abredonia Scotiæ transmisit) admiranda est forma. Saxis quæ Oceanus lambit & in æstu quoque mergit adhæret, lepadum instar, mytulis coronata: *caule* tereti, pennæ anserinæ magnitudine; colore quem exhibent pruna Damascena, inter rubrum & nigrum saturatum medio: At *folia*, quæ nonnisi caulem adultum ornant, saxo hærentia [in sicco virescunt] ad luteum magis vergunt, quæ palmæ latitudine supra radicem nascuntur plurima, ligularum instar, cartilaginea, 3, 4, 6, aut 8. uncias longa; inter quæ caulis, eousque teres, latescit, porrigiturque interdum ad ulnæ longitudinem, infirmus, ut nisi aquis innatans sustentetur, humi semper procumbat: Huic, si adultior, utrinque ala adnascitur tantæ quanta & ipse caulis est longitudinis. Ea verò tota membranea est, fibris hinc inde venosis à caule conspersa. Notandum autem membranam hanc, prout in sagittarum alis est videre, imâ parte angustiorem, sensim latiorem reddi, ità ut tres ab ortu pollices transversos æqualis deinceps tota existat, 1, 2, aut 3 unciarum latitudine.
Hic præsertim Septembri viget, alio anni tempore inutilis: membranæ abjiciuntur, reliquo vescuntur gravidæ, aliisque etiam in cibos cedit. Sapore est salso cum modica dulcedine; sitim manducantibus excitat. D. Sibbaldus instar Acetarii comedi asserit.

A. 4. *Fucus arboreus polyschides* C. B. *maximus polyschides* Park. *phasganoides & polyschides* Ger. emac. **Sea-girdle and hangers.**

A radice fibrosa saxo alicui aut petræ adnascente caulem emittit pedalem, cubitalem aut longiorem, teretem, caulem Angelicæ maximæ (ut rectè C. B.) crassitudine æquantem, cujus fastigium in latus cartilaginosas membranas variè dividitur, eo propè modo quo balthei pars de qua ensis suspenditur apud Helvetios. [*Suprema caulis pars in* 8, 9, 10, 12 *aut plura pauciorave folia longa dividitur.*]
In litoribus nostris ubique ferè invenitur. Vidimus etiam rupibus singulis æstûs marini accessibus aquâ opertis innascentem circa Monam insulam & alibi, copiosissimé. Hæc planta est quam Lobelius in Obs. **Wrack** Normannorum appellat, ut mihi quidem videtur. Quin & Alga Maderensis grandi folio *J. B.* i. e. Alga latifolia chartæ similis, costa carens *C. B.* huic eadem videtur, aut penultimo in loco descriptæ.

A. 5. *Fucus chordam referens teres, prælongus. An Fucus cavus* J. B. *i. e. Herba cava* Imper.? **Sea-Laces.**

Ad duas nonnunquam ulnas seu quatuor cubitos longitudine accedit, ad radicem exilis, in medio crassior, tandem iterum in acutum tenuatus, teres, magnitudine & specie chordæ musicæ maximæ, simplex & indivisus, intus concavus, verùm crebris diaphragmatis interceptus.
In litore marino ad latus Angliæ Occidentale saxis adnascentem sæpius observavimus.

A. 6. *Alga angustifolia vitrariorum* J. B. C. B. *Alga* Ger. *Fucus marinus sive Alga marina graminea* Park. **Grass-Wrack.**

J. B.
Folia longissima, cubitalia & longiora, plana, lævia, mollia, fragilia, modò alba, modò rubra vel atro-virentia, ligulas adstrictorias æmulantia; ex iis quædam sunt latiora, alia angustiora: hærent substantiæ cuidam lignosæ, nigræ, umbelliferarum plantarum instar comosæ, capillamentis cinereis, quæ in fibras fatiscentia folia vetera & decidua reliquerunt.
Cæsalpinus folia initio virere, deinde cùm exsiccantur albescere scribit.
Toto tractu mediterraneo ad Aquas Marianas Adriatici & Occidui maris universi pœnè litoribus nihil vilius & frequentius algâ. *Lob.*
Veneti hujus foliis vitrea vasa involvere & præmunire solent, alioqui hodie nullius est usûs. *Lob. Matth.*
Graminis potiùs marini quàm Algæ species videtur, ubique fere in litoribus marinis obvia.

Cap. VII.

A. *Fucus maritimus Gallo-pavonis pennas referens* C. B.

C. B. prod.
HIC membranaceus est, sese sensim latè expandens, qui in plures lacinias, semicirculares, sibi quandoque incumbentes dividitur, per quas variæ striæ semicirculares variegatæ, diversæque latitudinis, ut in pennis Gallo-pavonis eleganti spectaculo cernuntur.
Scopulis maritimis adnascitur in Scotico, seu Britannico Oceano.
Ostendit nobis hanc plantam D. Stevens à se inventam propè Exoniam Devoniæ urbem. Fungo auriculari Cæsalpini similem Musco cuidam aut Licheni propiùs accedentem quàm Fuco. Cùm ergo consistentiâ & texturâ Auriculæ marinæ & Opuntiæ sit, hinc illuc transferri debere putamus.

CAP. VIII.

* *Fucus folliculaceus foliis Abrotani* C. B. *Cremenei Istris Abrotoni vel Thymi foliis* J. B. *Fucus marinus foliis Abrotani maris* Lob. *Muscus marinus Abrotonoides* Park.

J. B.
FIgura ejus & facies ceu siquis arborem quandam aspiciat. Nam primùm trunco est pedali, crassiusculo, tuberoso, nigro. Ab hoc supernè rami exeunt complures, pedales, breviores, in alios minores divisi, foliis vestiti Abrotani & multipliciter dissectis, quorum segmenta in oblongum intumescunt turgescúntque, colore pullo aut nigricante: plerisque cæterum locis cinereâ quadam salsugine incrustatur, alicubi etiam fungoso & spongioso tegumento. Sapor salsuginosus sicut & odor.

Valerandus, à quo *J. B.* habuit, ex Istria detulit. Fortè hæc planta rectiùs Submarinis lignosis secundâ Sectione contentis annumeraretur; uti & subsequens.

CAP. IX.

* *Fucus fruticosus caudice verrucoso* Botan. Monsp. *Fruticosa marina planta, quibusdam Conferva lignosa* J. B.

J. B.
LAtâ basi vel radice scopulis adhæret, pedalis & cubitalis ferè ejus caudex lignosus, tortuosus, totus niger vel pullus, quasi adustus foret, rugosus, fragilis, in ramos palmares divaricatus, quos obsident undique verrucosa tubercula, modò longiora, modò breviora, ad radicis Polypodii tubercula accedentia, quæ versùs superiora Ciceris pænè magnitudine, olivari formâ, rugosa, crispa, racemorum modo cohærentia, in quorum turbinato fine exeunt coliculi ramulive nigri vel rufi, inque segmenta incondita cæsi, subinde à medio ad summum usque denticulati; in quibusdam foliola segmentis ad Abrotanum accedunt, paulò tamen latioribus.

Planta hæc non parùm variat, itá ut quis diversas plantas suspicari posset. Quædam enim statim à radice plures stolones producit, aliàs unum plerunque videtur proferre. Observantur etiam ad radicem pili quales in Algæ vitrariorum radice. Quædam tophaceis cinereis crustis obducuntur: aliis adhæret Linum capillare vel muscus tenuissimus, &c. Sapor ligno nullus insignis, nisi aliquantulum astringens cum levi salsugine, quæ in foliis evidentior.

In litore Narbonensis maris propè Monspelium plures hujus generis plantas collegit *P. Magnol.*

CAP. X.

A. *Fucus spongiosus nodosus* Ger. emac. **Sea ragged Staff.**

SUcculenta admodum & fungosa est planta, crassitie pollicari, colore obscuro sordidè flavicante, tuberculis verrucosis inæqualibus undique obsita. Propè *Margate* in insula *Thanet* Cantii invenit *Th. Johnsonus.*

CAP. XI.

Plantæ submarinæ Musco & Licheni affines, aliæque parvæ incertæ positionis.

* 1. *Abies marina Belgica* Clus. J. B. Ger. emac. *Abies marina* Park.

Clus.
HAnc Clusius, ut & sequentem, se observâsse scribit in Flandriæ ora maritima ostreorum testis & Mytulorum conchyliis adnatam, quæ Abietis figuram itá referebat, ut pumila Abies videretur, ramulis ordine utrinque dispositis, fragilis, admodum pusilla, raró palmi altitudinem excedens, ex tenuibus velut squamis contexta, nonnunquam omnino plana, aliàs interdum prominentibus in orbem ramulis. An huc referendum *Musci marini genus foliis pinnatis?* quæ trium unciarum est altitudine, in pulchros ramulos unciales & sescunciales fissa, vivido virore tincta, foliis pinnatim annexis ut in Viola aquatica, apophysibus nonnullis inæqualibus.

2. *Cupressus*

2. *Cupressus marina Belgica Clusii* J. B. Ger. emac. *Cupressus marina* Park. *An Fucus cupressinus* Imperati? *Fucus Cupresso similis* C. B.

Clus.
Hæc cupressum adeò æmulabatur, ut Clusius satis mirari nequiret providentiæ divinæ opus & artificium, ramulis frequentibus in orbem sed nullo ordine nascentibus, & sursum spectantibus, Cupressinorum foliorum modo efformatis. Harum autem, tametsi aliquot annos inter chartas asservatarum & compressarum rami, si in vitrum aut aliud vas aquâ plenum injiciantur, statim sese explicare & in orbem diffundi séque surrigere incipiant.

A. 3. *Lichen marinus* Ger. *Lactuca marina sive Intybacea* J. B. *Fucus marinus Lactuca marina dictus* Park. *Muscus marinus Lactucæ folio* C. B.

J. B.
Maris sinubus innatantia quædam sunt *folia*, ab uno veluti pede prodeuntia, membranacea, lævia, & cum exsiccantur quasi papyracea, pellucida, invicem incumbentia complicatáque & corrugata, colore herbido dilutóque, Lactucam aut Intybum crispam quodammodo repræsentantia, vel Rosam expansam.
Petris & Scopulis aut etiam testis in fundo maris adnascitur eodémque modo quo Lichen seu Hepatica terrestris se diffundit & expandit.
Refrigerat & astringit: commodiùs autem applicatur Arthritidi quàm Muscus capillaceus sive Corallina *J. B.*

A. 4. *Lactuca marina tubulosa.*

Hanc in fossis palustribus majoribus & fluviis quos mare singulis accessibus æstuum influit observavimus: est autem prælonga concava seu tubulosa, velut in cellulas divisa coli intestini evacuati æmula, eodem ferè cum præcedente colore & consistentia.

5. *Scutellaria sive Opuntia marina* J. B. *Opuntia marina* Park. *Fucus folio rotundo* C. B. *Lichen marinus rotundifolius* Ger.

J. B.
J. Bauhino descripta pede erat crassiusculo, fungoso, unciali. A quo surculi (si ità vocare fas sit) prodeunt plures ex meris foliis mutuo incubitu constantes, ità ut alterum ex alterius margine enasci videatur instar corollæ cujusdam qua preces connumerari solent: aut uti propiùs accedamus in re non usque adeò dissimili, sicut in Ficu Indica quam Opuntiam vocant. Surculi isti rursus in alios laterales dividuntur. Singularia porro istius concatenationis folia orbiculata sunt, utcunque latiora quàm longiora, nummi instar compressa, crassiuscula tamen, nonnihil rugosa, quæ diligentiùs inspecta velut ex binis membranulis compacta videntur, ac prima quidem unguis ferè latitudine, pauca quædam Lupino paullo majora, alia medio modo se habentia. Cæterùm superius plerunque folium qua gibbum inferioris excipit modicè sinuatum est. In extremis quæ sunt foliola plerunque vix Lentem superant. Tota planta salsuginosa est, tum sapore, tum odore.
In litore Siculo propè promontoriolum Cerciolo dictum collegimus.

6. *Auricula marina. Fungus auricularis* Cæs. J. B.

Cæs.
Foliis constat auriculæ figurâ, pluribus lineis circumductis, colore cinereo, mollibus specie Fungi, gustu mordaci. *Et paulò post*, eorum Fungorum figuram præ se fert qui vetustis caudicibus innascuntur lignosi: sed hoc tenue est, membranosum, molle, infernè asperum, superiùs læve.
In litoribus Maris Mediterranei sæpiùs ejectum collegimus.

7. *Palma sive Manus marina quibusdam* J. B. *Fucus aliquibus Palma marina* C. B.

J. B.
Amputatam à radio cubitóque manum affabrè exprimit; ac ex carpo crassiore [compresso tamen] albicante, angustiore in metacarpium sensim dilatatur; hinc in digitos quaternos, quinos, pluréśve, ferrugineos, fungosos, rugosos, multifidos dividitur, qui rursus in minores particulas subdividuntur. Tota substantia coriacea quodammodo est & membranosa. Sapor & odor salsus.
Hanc etiam in Maris Mediterranei litora ejectum collegimus aliquoties.

* 8. *Alga cornu cervi divisurâ* J. B.

J. B.
Foliis erat membranaceis, rubentibus, duarum aut trium unciarum, cervini cornu denticulis incisa, sapore salso.

* 9. *Palma marina quibusdam* J. B.

J. B.
Ejus ramuli erant plani, dimidiati culmi latitudine, multifidi, nigri aut cinerei, foliis amicti gracilibus, brevibus, divisurâ accedentibus ad Chondrillam, multò tamen minoribus.

* 10. *Musci marini genus foliis pinnatis* J. B.

J. B.
Trium unciarum est altitudine, in pulchros ramulos unciales & sescunciales fissa, vivido virore tincta, foliis pinnatim annexis ut in viola aquatica, apophysibus nonnullis inæqualibus.

Alias adhuc Fuci species observavit & descripsit Ferrantes Imperatus, quas quia nobis incognitæ sunt, nec ab alio præter eum Botanico, quod sciam, descriptæ aut pictæ, lubens prætereo. Earum autem descriptiones si desideras, videri possunt apud J. B. *Hist. Plant.* lib. 39. cap. 20. Latinæ factæ.

* 11. *Reticulum marinum* J. B. *An Rete marinum* Imp.? *lib.* 28. *cap.* 1.

J. B.
Nomen ex rei ratione ascivit sic namque veluti stamine atque subtegmine intertexto est, ut rete aliquo modo repræsentare videatur. Compressu duriuscula est, neque renitens: colore subcinereo obsoleto: odore atque sapore salsuginoso. Dentibus attritum cedit ob lentam & tenacem substantiam, nec facilè comminuitur.

Maritimorum accola est.

* 12. *Fuci fungiformes* J. B. *Fucus fungis affinis* C. B.

J. B.
Sunt de numero foliorum marinorum, folio quasi circino orbiculato, non sine impressis lineamentis, itidem in orbem contortis. Adhærent rebus quibus innascuntur eâ parte quæ in vicem est centri. Accedunt colore & figura ad fungos quosdam, qui supra arbores crescunt. Majores redditi finduntur secundùm lineas quæ ab ambitu vergunt ad centrum. In hoc genere altera species quæ major est, acquirit spithamæ longitudinem sive altitudinem, atque in aqua provenit minutulis nixa pedicellis. Hæc in ambitu foliorum crispatur. Minor verò duas uncias vix excedit & plana est, & sæpe alterum folium stat supra alterum. Color utplurimum spadiceus est.

* 13. *Muscus marinus* Clus. *Muscus maritimus viridis multifido folio* C. B.

Clus.
Quatuor unciarum aut paullo amplioris est longitudinis, in frequentes & latè sparsos ramos divisus, qui deinde in alios plures minores & multifidos desinunt instar foliorum Chamæmeli, vel si quæ sunt illis minora aut tenuiùs incisa, molles initio & flexiles, transparentes si lumini opponantur, virides infima parte, supremâ verò purpurascentes. Sed nec resiccata planta, licet asperior siccitate reddita, valdè fragilis est, ut Corallina vulgò dicta, tametsi ad ejus aliquod genus quodammodo referri possit, saporem tamen valdè salsum retinens, & si aquæ immergatur, & aliquantulum maceretur denuò mollescens.

A. 14. *Muscus marinus rubens pennatus nostras.*

Palmari est longitudine, in innumeros ramulos divisus & subdivisus, foliolis brevissimis pennatim dispositis, creberrimis vestitos. Color totius intensè ruber aut sanguineus.

In maris litus rejectum non longè à Bervico oppido collegimus.

15. *Muscus maritimus Adianto similis alter* C. B. *Polypodium marinum* J. B.

Nomen obtinuit à similitudine caulis quam habet cum terrestri, qui repens hinc indè locis hæret unde prognascitur: folia quoque simili ratione modóque Polypodii quercini surriguntur, sed figurâ dissimili & ad Adianti folia accedentia. Scapus substantiâ constat lanuginosâ: Sæpius zoophytis hæret, quæ, referente Imperato, Italis Neapolitanis *Carnume* dicuntur.

A. 16. *Muscus marinus major, argutè denticulatus.*

Altitudo huic vix palmaris; color ad arenam marinam accedens. In ramulos innumeros subdividitur, qui singuli caulem ipsum magnitudine æquant, seta equinâ vix crassiores. Per totam longitudinem argutis denticellis crebris ex adverso binis serratus est. Folia commansa mollia sunt & non scruposa in modum Corallinæ. In ramulis vesiculas habet pellucidas.

Fuco phasganoidi adnatum observavi in mari Britannico.

A. 17. *Muscus marinus denticulatus minor denticulis alternis.*

Scapos plurimos è radice emittit, palmares, non ramosos nec admodum firmos, surculis creberrimis ab imo ad summum usque, nunc longioribus, nunc brevioribus prout fors tulerit, non binis ex adverso sed impari ortu, pennæ capillamenta imitantibus divisos, colore arenaceo, utrinque dentatis

tatis. Denticuli autem valdè acuti ſunt, veluti ſquammulæ ſeu foliola acuta tum ſcapis tum ramulis utrinque adnaſcentia, non tamen bina ex adverſo, ſed alterno ſitu.

A. 18. *Muſcus marinus denticulatus procumbens caule tenuiſſimo, denticulis bijugis.*

Caule eſt tenuiſſimo, infirmo, ſeſquipalmari, ab imo ſtatim ramoſo, ramis aut filamentis capillaceis, crebris ſingulatim hinc indè emiſſis. Denticuli bini ex adverſo ſiti ſunt. Singulare eſt in hoc genere, quòd caulis imus nihil major ſit ſummis capillamentis, quanvis tot intercedant diviſiones & ſubdiviſiones. Color aliquâ ruboris tincturâ diluitur, veluti ſabulum.

A. 19. *Muſcus pennatus ramulis & capillamentis falcatis.*

Cauliculo aſſurgit palmari, huc illuc undatim reflexo, ramulos crebros hinc indè emittente: Ramuli digitales capillamenta creberrima hinc inde promunt, non tamen adverſo ſed alterno ſitu pinnularum plumulæ in modum; omnia tamen uti & ipſi ramuli ſurſum reflexa & velut falcata. Capillamenta autem ſi curioſè ſpectentur compreſſa ſunt & aliquam latitudinem habent, ab uno latere crenata.

A. 20. *Muſcus marinus equiſetiformis non ramoſus.*

Plurimi ab eadem radice exeunt ſcapi, intus concavi, creberrimis geniculis per totam longitudinem, breviſſimis ſetarum velut rudimentis, in ambitu quinis, obſitis. Sunt autem ſcapi [quos vidimus] palmares, ſetâ equinâ craſſiores.

A. 21. *Muſcus marinus denticulatus denticulis bijugis unum latus ſpectantibus.*

Quam vidimus plantula vix palmaris erat longitudinis, cauliculo ſetæ equinæ craſſitudine, hinc inde ramulos crebros alterno aut nullo ordine emittente, qui in ſegmenta capillaria iteratè diviſa & ſubdiviſa creberrimè utrinque denticulata finduntur. Color velut arenæ marinæ. Denticuli ex adverſo bini versùs unam partem ſpectant velut duæ antennæ junctæ.

A. 22. *Muſcus Corallinæ in modum articulatus ex albo rubeſcens.*

Palmari longitudine excreſcit variè in ramulos & ſurculos ad tactum molles nullo ordine diviſus & ſubdiviſus.

A. 23. *Muſcus capillaris ramoſus, per ſiccitatem obſcurè purpuraſcens.*

A. 24. *Muſcus marinus erectior, ramulis in innumera & tenuiſſima capillamenta diviſis.*

A. 25. *Muſcus marinus purpureus parvus, foliis oblongis Millefolii ferè diviſurâ.*

Haſce tres ultimas ſpecies in maris litoribus à ſe collectas nobis oſtendit D. *Jacobus Newton.* Sufficiunt eis tituli pro deſcriptionibus.

26. *Alga nigra capillaceo folio ſeu Filum marinum Germanicum* C. B. prod.

C. B. prod.
Hoc exiguo lapillo innaſcitur, & in plurima bicubitalia, anguſtiſſima, nigricantia, lævia, craſſiuſcula & firma, aliquando inter ſe complicata fila abſumitur.
Ex mari Baltico accepit C. Bauhinus.

A. 27. *Conferva paluſtris marina, ſeu Filum marinum Anglicum.*

Color huic ex albo ſubluteus: magnitudo fili quo veſtes conſui ſolent. Longitudo filorum ſingulorum ſi extrahantur (nam variè invicem implicata & contorta ſunt) cubitalis aut amplior.
In foſſis paluſtribus propè Camalodunum in Eſſexia obſervavimus. Alibi etiam haud dubiè conſimilibus in locis reperitur.

* 28. *Muſcus marinus capillaceus Dioſcoridis Donati* Park.

Corallinæ ſimilis non eſt, utpote minimè dura aut lapidea, ſed muſci terreſtris aut arborei conſiſtentiâ, petris aut conchyliorum teſtis adnaſcens, mollis & herbaceus, totus ex filamentis veluti laneis albis compoſitus, abſque ullo ramo aut pediculo, colore rubente & cinereo interdum variat, viridis non reperitur. Datur & hujus minor ſpecies petris aut lapidibus juxta mare adnaſcens, interdum etiam lignis, nonnunquam in litore maris inter algas & alia purgamenta ejectus reperitur, priori ſimilis, albus ſapore nonnihil ſalſo & adſtringente.
Antonius Donatus obſervavit in Lio Venetorum inſula.

* 29. *Muſcus marinus argenteus plumiformis Donati* Park.

Rupibus maritimis, vel etiam piſcium teſtis innaſcitur pulcherrimum hoc muſci genus, interdum etiam inter Algas in litus ejectum reperitur. In ramulos plurimos capillares aliorum Muſci generum

rum instar dividitur, plumarum particulas proxima similitudine referentes, colore argenteo adeò puro & claro, ut miraculi instar sit ullum musci marini genus vel naturâ vel arte adeò candidum reddi posse.

Cum aceto adhibitum lienem absumit, tumoresque & scrophulas illico dissolvit: urinam copiosè deducendo Hydropi confert. Renes expurgat, calculos & arenulas eluens, si pulvis ejus drachmæ pondere in aqua Erysimi cum pari quantitate succi limonum mixta sumatur.

30. *Muscus marinus Venetus Costi Indici radicis effigie Ponæ* Park.

Rupibus maritimis accrescit, atque undarum agitatione non raro abrumpitur & in litus expellitur. *Radicem* nullam habet, sed totus velut ex fasciculo seu cespite virgularum festucarúmve componitur. Siccus Costi Indici radicem refert, nisi quod candidior sit, humectatus denuo intumescit iterum, & in formam prædictam se explicat.

Salsus admodum est, & sale velut arena refertus.

31. *Penna marina aurea Donati* Park.

Colore aureo resplendent tum caulis tum folia; Ad Spartum Austriacum Clusii figurâ suâ proximè accedit.

Antonius Donati hunc & antepenultimam in Lio Venetorum insula observavit, descripsit & depinxit.

CAP. XII.

De Spongia in genere.

QUÆ Latinis Spongia Græcis Σπόγγος dicitur: Etymologus autem sic appellari scribit παρὰ τὸ σπᾶν τὸ ὑγρὸν, quòd humorem attrahat & combibat. Quæ Veteres, Aristoteles & Plinius, de vita, sensu, motu & contractione spontanea, esca & alimento Spongiarum tradunt partim pro incertis & suspectis, partim pro falsis habeo. Quis enim credere potest eas conchis ac pisce ali? eo scilicet argumento, quod conchæ minutæ in eis reperiantur: quasi verò hæc animalcula non ultro irrepant in earum poros & foramina, seu ob tutelam, sive ob escam; facilè enim credimus conchas marinas Spongias depasci, tantùm abest ut Spongiæ conchas. Quis intellectum iis inesse putet, quia nimirum ubi avulsorem sensere contractæ multò difficiliùs abstrahuntur? Ego nullam ejusmodi vim eis inesse concesserim, confictam suspicor, quoniam Spongiæ compressæ & in angustum coactæ ultro resiliunt & se dilatant vi quadam elasticâ, quâ multa præterea inanimata pollent.

Est ergo (ut rectè Imperatus) Spongiarum natura Fungis proxima, de vegetabilium marinorum genere, quarum substantia velut ex lana compacta, fistulosa seu foraminata, & undique mucagine quadam membranea vestita. Vivunt Spongiæ, scopulis, testaceis & arenæ radice sua affixæ. Avulsæ à sua radice repullulant & ut aliæ plantæ recrescunt. Earum proprium est, facilè constringi, & in pristinam amplitudinem dilatari: adhæc humoris esse sitibundas, quem facilè imbibant, & compressæ remittant.

1. *Spongia globosa* Imper. C. B. J. B.

Imp.
Neapolitanorum litorum propria est, figurâ Pomi, aliquantùm turbinatâ; substantiâ tenerâ, flexili [*arrendevole*] & Spongiarum simili, sed maximè foraminatâ hiantibus apertísque cavernis. Reperitur sanè magnitudine capitis humani aut etiam majori.

2. *Spongia compressa* Imper. C. B. *Spongiæ compressæ schiacciatæ* J. B.

Imper.
Figurâ sunt orbiculari, latâ, parùm crassâ, substantiâ flexuosâ & quæ facilè comprimi possit, tenaci, foraminatâ, sed exiguis poris, præ cæteris omnibus ad Spongiarum usum, ob plures conditiones requisitas quas habet, expetita. Has Spongias (si Imperato credimus) Antiqui Achilleas nominârunt propter earum subtilitatem firmitatémque: quapropter ad arma sustinenda corporibus equitum interponuntur, & uti motum eorum atque impulsum prohibeant. Fulciuntur pediculo instar Fungorum, quibus similitudine quadam respondent.

3. *Spongia compressa magna* C. B. *compressa schiaccitata Oceani latissima* Imper. J. B.

Imper.
Et hæc Oceani Spongia propter substantiam densam atque tractabilem ad usus à Spongiis expeti solitos valet, teste Imperato. A figuræ amplitudine commendatur, quippe cujus diameter duos æquet cubitos: craffitudo duorum digitorum; figura plana, expansa atque compressa. Habet præterea foramina quædam quatuor radiis stellata. Centro hærens vivit sicut cæteræ spongiæ.

4. *Spongiæ*

4. *Spongiæ hircinæ* Imper. C. B. J. B.

Imper.
Duræ ſunt hæ, ideoque à Spongiarum bonitate degenerant, figurâ inæquali, cum eminentiis diverſis cavitatibúſque per quas aqua marina tranſmeat.

5. *Spongiæ velares* Imper. C. B. J. B.

Imper.
Velares dicimus quarum textura rara eſt. Nam ablatâ mucagine, quæ fibrarum vacua replet ſpatia, reſtat tantùm quiddam lanuginoſum filamenti inſtar, aut capillorum ſimul ligatorum. Harum ergo uſus non eſt qualis Spongiarum.
Eſt & hujus ſpecies quædam, cujus proceſſus avium pedes quodammodo repræſentat, quarum ſuperficies aſperitatibus eminentibus obſita.
Etiamnum alia hujus caudæ avis ſimilis, cujus fibræ ab ortu ad extrema uſque extenduntur.
Alia quæ Cornu cervi figuram æmulatur: nam à radice aſſurgens in ramos unâ tantùm parte, ſine altero tantùm latere dividitur. Hujus ſubſtantia ſimilis eſt laxo alicui nec condenſato filtro.

6. *Spongia infundibulum imitata* J. B. *Spongia formâ Infundibuli* C. B. *Spongia elegans* Cluſ.

Cluſ.
Quam deſcripſit hujus generis Cluſius, inhærebat adhuc ſuo ſaxo, eíque duriſſimo & nigro, quod duodecim libras pendebat. Ipſa autem Spongiæ forma quaſi infundibulum imitabatur, aut floris imaginem repræſentabat, nam tota cava erat & infima parte, quâ ſaxo adhærebat, valdè anguſta; deinde ſenſim ſe attollens expandebatur, inæqualiter tamen, cùm uno latere ad novem unciarum altitudinem duntaxat aſſurgeret, adverſo autem ad undecim uncias pertingeret: oræ inæquales erant & ſinuoſæ, in interiorem partem interdum adeò reflexæ, ut foliorum formam quodammodo exprimerent: amplitudinis diameter ſuperna parte 13½ erat unciarum; exteriore parte lobum quaſi foliolum adnatum habebat, interiore verò bina foliola inſtar calycum formata: totâ autem materiâ vulgares Spongias referebat.

7. *Spongia ramoſa* C. B. *ramoſa Britannica* Park. *Conſervæ marinæ genus* Lob.

Lob.
In Angliæ litore Meridiano inſulæ Portlandiæ vocatæ, ex adverſo Normanniæ, inter fluitantes Algas reperimus (inquit Lobelius) plantæ quoddam rudimentum, cujus ſi ſpectes & attrectes ſurculos palmares & ſeſquipalmares, puſtuloſos, molles, flexiles, Spongiam prorſus dicas, cui etiam concolor eſt, & vixiſſe putes: ſin habitum & ortum ramis brachiatum, Corallinis affiniorem dicas; unde quidam apud Plinium Plocamon Iſidos Corallio ſimilem, ſine foliis præciſum, mutato colore in nigrum dureſcente, cùm cadat frangi ſolitum, conjectârunt. Ea tamen videtur Antipathes Dioſcoridis. Quam nobis communicavit D. *Newton* ſicca vix palmaris erat, colore ex viridi cinereo, in ramulos non ità crebros, culmo craſſiores, in extremo dichotomos & veluti cornutos Algæ fere in modum diviſo.

8. *Spongia ramoſa fluviatilis* Newtoni.

Colore eſt per ſiccitatem magis cinereo quàm præcedens, ramulis digitum minimum craſſis, nonnullis diviſione ſua digitos imitantibus, aliis in extremo dichotomis & velut cornutis, aliis variè & nullo ordine diviſis.
In fluvio Yare *obſervata eſt à* D. Newton.

Spongiarum multiplex uſus eſt: nimirum 1. ad fomenta; multò enim diutiùs decoctorum quibus membra fovenda ſunt calorem retinent, quàm panni aut linteamina: 2. Ad ſanguinem aliúmve liquorem imbibendum & exſiccandum, quo Anatomicis, Chirurgis, Mechanicis utiles ſunt. 3. Ad ulcera cava, nondum perfectè ſanata, dilatanda & quandiu opus eſt aperta tenenda, & ad putrida exſiccanda. Uſtarum cinere Veteres uſi ſunt ad ocularia medicamenta, & ubi quid extergere opus eſt. Plerique recentiores Medici iiſdem Spongiæ cineribus ex vino albo propinatis utuntur in cura bronchoceles, toto unius Lunæ curriculo, certiſſimâ experientiâ. *Quercetan.* Multa præterea de Spongiarum viribus & uſibus habent Veteres, quos conſule.

CAP. XIII.

De Alcyonio.

ALcyonium Plinio lib. 32. cap. 8. fit in mari, ex nidis (ut aliqui exiſtimant) Halcyonum & Ceycum. Quatuor ejus genera recenſet: Dioſcorides quinque. Veterum Alcyonium quodnam ſit non certò conſtat. Recentiores pro Alcyonii ſpeciebus habent corpora quædam fungiformia in mari naſcentia.

1. *Alcyonium*

* 1. *Alcyonium spongiosum Officinarum* J.B. *Alcyon. durum sive* 1. *Diosc. Imper.* C.B.

J.B.
Hujus frustum à se adservatum ità describit *J.B.* Duos pugnos crassitudine amplitudinéque facilè æquat: Substantia, quâ superficie tenus veluti cortice obtectum est, albicat, aliàs cinerea est, nonnunquam pulla, pro temporis (ut arbitror) ratione, crustosa, tota punctis cavis notata, cavernis pluribus inæqualis. Interior facies Spongiæ similis est, sed firmior, colore pullo, tota porosa; nam acicula vel modicè pressa facilè penetrat. Pondus pumicis lapidis non adæquat; odor & sapor salsuginosus.

* 2. *Alcyonium stupposum Imperati* J.B. *stupposum vel* 4. *Diosc. Imper.* C.B.

Imper.
Stuppis in glomerem convolutis substantiâ interiore quodammodo simile est, ad tactum molle. Involucro tenus Alcyonio duro aliquantulum simile, concavo, calycis formam imitante; ex cujus concavo odor expirat piscosus. Et germina interdum protrudit, sicut de molli dictum.

* 3. *Alcyonium tuberosum* J.B. Imp. *Alc. formâ fructûs alicujus Ficûs* C.B.

Imper.
Tuberosum est hoc Alcyonium, pediculo latiusculo, firmo, superficie tenus punctato: Substantia interior fibrosa, fibris directè è corticis cavitate porrectis, & circa media junctis, & quasi in unum convolutis. Totum candidum est, & plurimùm Algæ radicibus adhærens, figurâ tuberosâ inæquali, magnitudine interdum quantum vix ambobus brachiis amplecti liceat.

* 4. *Alcyonium molle Imperati* J.B. *molle vel* 4. *Diosc. Imper.* C.B.

Imper.
Hujus materia spongiæ similis est, ad tactum cedens, cortice obtectum è quo alia germina exeunt Juncorum specie, crassitudine calami Anserini, concava: inter quæ textura quædam tessellata, prætenui filo raróque velamento obducta, conspicitur.

* 5. *Alcyonium monstrosum* Clus. Exot *Alc. Cervi cornua cum cranii parte referens* C.B.

Clus.
Monstrosum erat (inquit Clusius) & valdè admirabilis formæ, quia cervina cornua cum cranii cui adhæsissent parte quodammodo referebat, in varios ramos sparsa, infernâ parte denso corpore & crasso, spongioso tamen, & retinente scopuli, cui innatum fuerat & adhæserat fragmenta. Cornua ipsa sesquicubitalis erant longitudinis, & palmaris aut amplioris crassitudinis, in varios ramos satis crassos sparsa, cavos tamen, & spongiosâ, rudi, crassâque materiâ constantes, ac veluti reticuli instar compositas, ut lumini oppositi transparentes essent & pervii: color ad spadiceum tendens: ramulorum nonnulli singulares erant, quidam etiam gemelli, & ex parte interdum coalescentes. Sapor valdè salsus erat.
Ex America delatum erat.

* 6. *Alcyonium Chirothecæ facie* Clus. C.B.

Clus.
Quod descripsit hujus generis Clusius mirandæ etiam erat formæ, Nam chirothecam in 4 lacinias, digitalis longitudinis, eásque cavas & inanes, ac veluti tuberibus cineracei coloris exteriore parte obsitas, sectam valdè referebat: interiore vero parte læviores & multis exiguis foraminibus præditas. Tota planta (si hac appellatione eam donare convenit) spongiosæ quodammodo naturæ erat, & levis admodum. Ejus sapor non valdè salsus, ut diu asservatum esse, & temporis diuturnitate salsedinem exuisse credendum esset. Scopulo aut saxo inhæsisse videbatur, nam sedes plana erat. Cum secundo autem Alcyonii genere à Dioscoride descripto nonnullam affinitatem habere videbatur.

* 7. *Alcyonium ingens &* 3. *quod ad* 5. *Diosc. referri potest* Clus. exot. C.B.

Clus.
Illo majus (inquit Clusius) videre non memini: Crassitudine porro longitudinem valdè superabat: Nam cum $8\frac{1}{2}$ duntaxat uncias longum esset, crassitudo in medio corpore 16 uncias ambitu continebat, in extremis autem partibus pæne 12. Ipsa enim forma prorsus inæqualis erat, modò in dorsum assurgens, modò in multas lacunas depressa: totum autem Alcyonii corpus cineracei coloris crustâ tectum erat: interna pars fungosâ sive spongiosâ quadam materiâ constabat, & frequentibus lacunis erat prædita, salsique admodum saporis, & acrimoniæ etiam particeps: nam illius supra candens ferrum resiccatæ pulverem, si cuti adfricaretur, non modò magnum pruritum excitare, sed etiam valdè mordicare & urere experiebar, non secus quàm aliorum Alcyonii generum.

8. *Alcyo-*

8. *Alcyonium* XII. *sive Bursa marina* C. B. *Algæ pomum Monspeliensium* J. B.

J. B.
Pilæ palmariæ simile est, modò majus modò minus: turget & plenum est aquæ, colore Spongiæ, vel fungorum Juglandium, qui in sicco in album mutatur. Comprimitur etiam instar orbis, habétque umbilicum, & juxta illum nonnunquam pilos similes Algæ pilis. *Quod nos in Siciliæ insulæ litoribus invenimus, colore erat viridi, & propiùs accedebat ad Bursæ marinæ Cæsalp. descriptionem; erat enim intus concavum, ex muscosa seu spongiosa scilicet capillari substantiâ constans, & ostiolum habebat rotundum quà lapidibus adhærebat.*

Arantium marinum *Imper.* nobis huic idem videtur: qua in sententia *D. Magnol* nos confirmavit, cùm Bursam marinam Monspeliensium vulgo *Iranges de mar*, appellatam scribat. *Ind. Plant. Monspel.*

* 9. *Alcyonium stupposum, rubrum perforatum* Pauli Boccone Epist.

Boccon.
Radicem habet Fungorum campestrium [*Champignons*] similem. Caulem nunc unicum edit; [interdum tres quatuórve] non ramosum, rectum, crassitie pollicari, semipedali longitudine. Tota ejus superficies erosa est & foraminulenta, unoquoque foramine oblongo, absque ullo vel radiorum vel fissurarum signo aut vestigio. Leve admodum est: materia ex qua componitur albicans, porosa, in fibras parvas ordinatas divisa, paleis illis similes quæ à Cannabe decidunt, aut à Lino, dum ab operariis contunditur, ut à quisquiliis repurgetur. Verùm si microscopio observes has ipsas partes in medio sitas, videbis fibras dictas similes frustulis glaciei oblongis quæ componuntur ex membranulis albis & lucentibus. Alcyonium isthoc transversim perpendiculariter sectum in medio maculam ostendit coloris rosei quæ à radice ad summum caulem extenditur, éstque valdè diversa, à fibris & à materia albicante, quæ totum reliquum corpus Alcyonii componit. Hæc autem materia albicans & stupposa transversim secta parvis arenæ granis repleta cernitur. Ut foraminum in superficie apparentium causam investigarem ea quàm potui diligenter dissecui & aperui, & in unoquoque foramine inveni folliculum insecti cujusdam exuviis similem inter duas fibras firmatum, vesiculæ parvæ æmulum. Folliculus isthic flavus est, è pluribus membranulis valdè tenellis compositus & interdum membrana intermedia divisus in duas cellulas: unde minimè dubium puto foramina illa superficialia ab insectis erosa esse. Verum cur Insecta hæc in exteriore tantùm & superficiali Alcyonii parte nidulentur, in interiorem autem & medullarem non penetrent, difficilis quæstio est. Reliqua vide apud Autorem.

Pilam marinam cum Imperato de numero Vegetabilium esse negamus, quòd sit è minutulis paleis atque pilis congestus globus, seu à volutatione ab aqua marina factus, ut ille vult, seu in piscium ventriculis conglomeratus. Innumeræ autem in litus Maris Mediterranei rejiciuntur.

Ex quo hæc scripsi invenio in Ephemerid. Germanicar. An. undecimo, Observ. XIV. Novam sententiam D. Lucæ Schrockii de his corporibus, nimirum Arundinis esse progeniem, & quidem foliorum ejusdem. Cujus rei fidem ei fecerunt pilæ ejusmodi quamplurimæ, ad eum allatæ, quæ intus plantam ipsam tanquam circumvolutionis principium & fundamentum continuerunt. Reliqua vide loco citato.

Vesicaria marina *J. B.* Pila marina ex ampullis constans ad Spumæ similitudinem *C. B.* Item Vesicaria marina nigra, Favago Aristotelis quorundam *J. B.* Ostrearum aliorúmve testaceorum & fortè etiam Mollium fœtura nobis videntur, ideóque hujus loci non sunt.

LIBRI

LIBRI SECUNDI
PARS SECUNDA.
De Fungis.

De Fungis in genere.

CUM in universo Corporum naturalium, vitâ saltem præditorum, cœtu, & singulis eorum classibus, quò perfectiora quæque sunt, eò pauciora eorum genera reperiantur, quò imperfectiora eò numerosiora, horum multitudine illorum pretium pensante; ut Vegetabilia & Animalia inter se, & in genere Animalium *Quadrupeda, Aves, Pisces, Insecta*, in genere Vegetabilium *Arbores & Herbas* conferenti patebit; Fungorum genus, ut maximè imperfectum, ità numerosissimas omnium species sub se complecti deprehendetur. Quibus omnibus exquirendis & describendis cùm ego nec vacem, nec sufficiam, ab Historia plantarum aggredienda nonnihil deterreor nè scilicet infausto omine in ipso statim operis limine impingere videar. Verùm cùm mecum reputem accuratam harum recensionem & enarrationem, vel omnino supervacuam, vel curiosiorem quàm sit utilis plerisque Lectoribus visum iri, me ob paucas ex propria observatione jam descriptis additas multorum potiùs reprehensionem incursurum vereor, quàm ut omissarum veniam ab iisdem facilè impetraturum dubitem. Iis tamen qui ingenio pollent, & otio abundant, latissimus aperitur campus, in quo se cum fructu exerceant, & bonas horas bene collocent, in tot nimirum specierum nondum traditarum historia concinnanda, atque adeò Divini opificis in iis magno miraculo absque seminio producendis infinita potentia celebranda. Absque seminio, inquam, quamvis unica tam in his, quàm in Submarinis species contrario exemplo semen manifestum ostentans huic sententiæ refragetur; nósque suspensos reddat & dubios, annon & reliquæ quoque seminiferæ sint, quanvis semen in iis necdum compertum fuerit: Nec enim verisimile est has solas species à reliquarum omnium norma & analogia abludere. Verùm de Fungorum ortu pluribus superiùs egimus.

Fungus nonnullis à *Funere*, vel à *Funus* & *ago*, vel à *Fungor* dictus videtur, quia veneno suo ad Funus vescentes deducit. Quicquid sit de Etymo, Fungus certè hoc nomine non immerito malè audit, ut qui avidè deglutientibus non rarò funestus & exitialis fuerit. Nam ut eos prætereeam fungos qui se noxios fatentur, & habitu ipso malitiam produnt: Alii non pauci maligni cùm sint salubres simulant, adeóque incautos persæpe fallunt, & ad se colligendum invitant. Unde de oblatorum salubritate securos nos esse non sinunt colligentium vel imperitia, vel incuria, vel fortè etiam malitia. Quin & salubres & esculenti habiti vitium facilè contrahunt, vel ex genio loci ubi nascuntur, vel ex natura succi quem combibunt, vel ex putridorum aut venenatorum vicinia & afflatu. Quòd si nihil horum sit, consentientibus Dioscoride & Galeno vel optimi largiùs sumpti lædunt, ut qui pravum succum generent, ægrè concoquantur, strangulent, & bilis sursum ac deorsum eruptionem inducant. Recentiores etiam nonnulli Fungos in universum omnes in cibis damnant, & mensis abdicant. Præ aliis * Athanasius Kircherus his verbis, *Fungus qualiscunque sit semper malignus est, semper exitialium qualitatum apparatu instructus: etsi non statim sentiatur, frequenter tamen comesus nescio quid successu temporis occultæ machinationis interiore viscerum administratione moliatur.*

* *Lib. de Peste.*

Apagete ergo perniciosa isthæc gulæ blandimenta. *Quæ tanta* (ut cum Plinio loquar) *voluptas ancipitis cibi?* An usque adeò vitæ tædet, ut eam tam vili offâ permutemus, mortémque semper in procinctu stantem ultro solicitemus.

Nobis præcipuè Septentrionalis regionis incolis cavendus est Fungorum esus: nec enim ob defectum caloris & humoris abundantiam in his oris probè concoqui & (ut ità dicam) maturescere possunt. Ex *Act. Medic. Thomæ Bartholini An.* 1673. *Obs.* 116. historiolam in hanc rem sequentem ad me transmisit Eruditissimus simul & ingeniosissimus Vir *D. Tancredus Robinsonus*, Amicus noster imprimis charus, qui & aliis multis Observationibus, partim propriis, partim è probatissimis Autoribus collectis Historiam nostram locupletavit. Ex *Observ. D. Casp. Collichen*, Fungi non ubique innoxiè eduntur. In patria mea Silesia (inquit) in tanta copia crescunt, ut non tantùm recentes, sed etiam furno exsiccati, rusticis per hyemem gratum præbeant edulium: Hic verò in Dania, ubi rariores sunt, magis sunt exitiosi: id quod accidit Hafniæ civi, qui in Gallia illos sæpe innoxiè comederat; hic verò coctos & more solito præparatos cùm devorâsset in cœna, hora noctis duodecima Apoplexiâ corripitur: Sanguis enim torpidior reddebatur, & spirituum motus impediti erant à narcotica vi Fungorum. *At verò potuit fortasse civis ille per errorem Fungos noxios pro esculentis colligere & vorare.*

Verùm quamvis eos in cibis improbamus, aliis tamen usibus inservire possunt, vel in medicina, vel in operibus mechanicis.

Fungi nihil ferè habent commune cum plantis perfectioribus. Nec enim color iis herbaceus, nec textura analoga, neque flos ullus seménve, quod hactenus nobis certò constat, aut folium propriè

propriè dictum. Brevissimo temporis spatio plerique oriuntur, & brevis pariter ævi sunt. A ligno plerunque aut ejus frustulis elevantur. * Sennertus probabile esse existimat, Fungos omnes in plantis & è plantis provenire & nasci; cujus sententia & nobis etiam probatur. Clarissimi Viri D.D. *Malpighius* & *Sharrocus* Fungos ex fungis frustulatim discerptis & disseminatis pullulare (ut vulgò etiam creditum est) opinantur. Etenim contentus in utriculis transversalibus adhuc succus (verba sunt *Malpighii*) superveniente exteriore humiditate fermentatur, & extra turgendo quasi netur. Effluvia namque pilorum instar concreta contextum probabiliter efficiunt; unde ulteriori subsequente fermentatione & quasi vegetatione, (urgente exterioris aeris elasticâ vi) congesta sursum in caulem eriguntur, & deficiente vi effluviorum prementeque aeris gravitate quasi reflexa in capitulum desinunt.

* Hypomn.

Ex quo hæc scripsi monuit me mox laudatus D. *Tancr. Robinson* in *Ephem. German.* An. 6. & 7. Obs. 174. proditum, observâsse nescio quos, Fungorum plurimos è terra erumpentes semen habere, si curiosè examinentur, formâ quamvis minori Alceæ Ægyptiacæ semen ferè exprimente. At cur non addunt quibus Fungis, cui parti accrescant; an nuda, an vasculis inclusa, aliásque circumstantias? Cur rem tanti momenti, quæ hactenus Botanicorum omnium industriam elusit tam negligenter & perfunctoriè tradunt?

Nos in hoc libro Fungos in duo genera dividemus, Primum erit Terrestrium. Secundum Arborum caudicibus aut ramis innascentium. Arborum intellige non dejectarum & in terra jacentium, sed adhuc stantium. Aliàs enim Fungi plerique (ut diximus) Arborum ligno putrescenti originem suam debent, qui tamen humoris nutritii maximam partem è terra combibunt.

Fungos terrestres dividimus in lamellatos & lamellis carentes. Lamellati omnes pileati sunt. Lamellati carentes sunt vel pileati, vel absque pileis. Utrique autem tam lamellati quàm non lamellati, vel esculenti sunt, vel noxii. Arborei variarum formarum & generum sunt. Hunc ergo tractatum, qui est de Fungis, in quatuor Sectiones dividemus.

Prima erit de Fungis terrestribus lamellatis, qui simul & pileati sunt, cujus duo membra, Primum de Esculentis, Secundum de noxiis.

Secunda erit de Fungis terrestribus, lamellis carentibus, sive pileati sunt, sive minùs.

Tertia de Fungis arboreis cujuscunque sunt generis.

Quarta & ultima, quæ unico capite absolvitur, de Fungis subterraneis *Tuberibus* dictis, qui tamen terrestribus non lamellatis potuissent adjungi.

SECTIO PRIMA.

De Fungis terrestribus pileatis simul & lamellatis.

MEMBRUM PRIMUM.

De Fungis terrestribus lamellatis esculentis.

CAP. I.

* *Fungus candidus regius odoratissimus* J. B. *candidus odoratissimus orbe magno* C. B.

PORta villæ lib. 10. cap. 70. autor est hunc fungum, Antiquis indictum, esse candidum, odoratissimum, orbem vix utrâque manu diductis pollice & indice cingi posse, tam esui suavem ut crudus edatur, præberi ægris innoxiè: incolas *Richione* vocare, quasi magnum Fungorum regem dicas: Autumnalem esse.

CAP. II.

* *Fung. esculentorum 21. genus* Clus. *An* Gallinaccia *Neapolitanis dicta* Portæ? *max. Ungaricus, multis laciniis squammatim incumbentibus* C. B.

Clus.

TAntâ nonnunquam amplitudine excrescere audivit Clusius ut bigam facilè impleret, & monstrum veriùs Fungi quàm Fungus censeri posset. Verùm quos in Ungaria observavit multò minores erant: pediculo sesquipalmari aut ampliore, semipedalis altitudinis; corpore in longitudinem & latitudinem diffuso bipedalem aut majorem, multis valdè amplis &

 laciniatis

laciniatis foliis squamatim vel imbricatim sibi invicem incumbentibus constans; quorum etiam nonnulli Quercûs sinuosa folia imitarentur, coloris ex rufo nigricantis, vel ex albo nigri, aut multis maculis nigris in albo conspersis notati.

Suspicatur Clusius quinti generis à se descripti fungos esse hujus generis nondum adultas species. Fungus autem quintus *Clus.* Fungus angulosus pediculo exiguo nobis cum *C. B.* dicitur.

Cap. III.

* *Fungus bulbosus fuscus duplici pileolo* C. B. *Fun. Quercinus Dipsacoides* Col.

Col.

OCtobris initio Campoclari in Quercetis humentibus post pluvias hunc observavit F. Columna.

Totus albus est præter pilei superficiem, quæ fusco colore Castaneæ operitur, verùm crescente intus carne disrumpitur, ut in coriis depictis evenit, deinde vi extensis; & maculosa videtur: interna pilei pars pectinatim à centro ad circumferentiam deductas lamellas obtinet, ut in aliis. In medio verò petiolo, aut circa summum, labrum inest, circa extremas oras fusco colore, coriaceum, asperum limbum habens, ut dipsaci folia circa genicula hærentia, cava, unde nomen imposuimus Dipsacoidis. Petiolus intus cavus est, in imo crassescens, & extirpatus veluti capitatus bulbus apparet, in quo fibræ hærent alimentum è terra attrahentes, & pars terræ hærens nigrescens parùm & inæqualis invenitur. Siccatus servatur, nec putrescit: quod innoxii signum esse censetur fungi.

Cap. IV.

Fungi verni, Mouceron *dicti, odori & esculenti* J.B. *An Fungus minimus odoratus, capitulo donatus cinereus* C. B? *Prunuli* Cæs.

J. B.

FUngi genus illud, quod quia sub Musco communiter proveniat, ac sub eo latitet Galli *Mousseron* dicunt, magno in pretio est, mensisque lautioribus expetitum. Hi primulùm erumpentes *pediculis* brevibus fibras deorsum agentibus *capitula* sustinent Piso magno æqualia; duodecuplo majorem molem [nisi avellerentur] assecuturi. Sed pediculus ipse teres, & in imo crispus vel rugosus, ex terra non multum emergit. Cæterùm clusiles sunt, rotundique in summo, subtus verò, quà instar tentorii reflexi, rimosis à centro ad circumferentiam striis donati: ubi penitus excreverunt *campestrium Fungorum* instar expanduntur. Totâ verò substantiâ intus forisque candidi, gustûs gratissimi, odorisque grati.

Primo Vere sub Martii finem & Aprilis initium prorumpunt locis apricis, nemoribúsque inter spinas: Montbelgardi potissimùm & per Comitatum Burgundicum, finitimásque oras nullo non ferè observavimus Vere, inquit *J. B.* Sunt autem & in Gallia frequentissimi; ubi diligenter repurgatos, lotos, & in jure ex Vino, Agresta, Aceto, Cepis, Sale, Aromatis, Aurantiis, Citriis, cum herbarum odoratarum aut Lauri tantillo parato decoquunt, coctos eximunt, & cremori lactis dulci, addito juris in quo cocti sunt tantillo, immittunt.

Nos in Anglia nomen hoc *Mouscheron*, nonnihil tamen detortum & in Mushrome mutatum, omnibus in genere Fungis accommodamus: quòd huic, ut videtur, principem olim inter Fungos locum dedimus.

Funguli incarnati coloris miniati, musco innati *Mentzel.* hujus generis esse videntur.

Cap. V.

* *Fungi D. Georgii coloris exalbidi cum pauca flavitie, esculenti, pratenses* J. B. *orbiculatus exalbidus pratensis* C.B. *Fungi esculenti* 3. *genus* Clus.

Clus.

PArva Fungi species est, duarum unciarum amplitudinem vix æquans, orbiculari ferè formâ, supernè quidem aliquantulùm extuberante, & quodammodo pulvinatâ, infernè verò concameratâ, & quibusdam veluti venis distinctâ, *pediculo* crasso, brevíque coloris exalbidi, cui flavi quidpiam admixtum est.

In siccioribus atque pascuis pratis circa diem S. *Georgii*, i. e. 23. Aprilis invenitur.

Aliorum Fungorum modo præparandus est (inquit Clusius) qui repurgati ut plurimum elixari solent, & in frusta concidi, quæ inter binas lances reposita, insperso oleo olivarum vel butyro, & pipere addito, super prunas coquuntur: aut cum larido injicitur jusculum ex lactis cremore paratum.

CAP.

Cap. VI.

A. *Fungus campestris, albus supernè, infernè rubens* J. B. *esculentus* 13. *sive pileolo lato & rotundo livido* C. B. *esculentus* 12. Park. **The most common esculent Mushrome or Champignon.**

J. B.

FUngi hi, quos à natalitio solo campestri *Champignons* appellant Galli, primo pullulatu globosi sunt, postmodum paullatim explicati membranulas infra ostentant rubentes, confertas: superiùs inoffenso lævore æquabiles & albi, materiâ intus candidissimâ, pediculis brevibus, crassis. Saporis & odoris sunt boni primulum è terra erumpentes; ideóque antequam explicantur colligendos monent; nam vetustate vitium contrahunt & noxii fiunt, gravem odorem contrahentes & fuscum colorem, ut rectè Lobelius. Sunt autem è Fungorum majorum numero.

In pascuis sterilioribus media æstate passim proveniunt apud nos, in calidioribus fortè maturiùs. Post pluvias potissimùm exeunt.

Boletis (inquit *J. B.*) membranulas lividi coloris, antequam in cibos veniant, detrahere oportet, ac tum demum ipsos aquâ bullire, butyróque & aromatibus condire convenit.

Hunc ad Fungi esculenti nonum genus Clusii referri posse putat *C. Bauhinus*: cujus idcirco descriptionem hîc proximè subjiciemus, ut Lector commodiùs ea invicem conferat.

Cap. VII.

* *Fungi pileolo lato & rotundo* C. B. *Fungi esculenti nonum genus* Clus. *Germanis* **Kremling.**

IN hoc genere quatuor differentias observavit & descripsit Clusius. 1. Prior species Secundo generi valdè absimilis non est; nam circinatæ ferè in plano est rotunditatis, unciam aut binas magna, supina parte pulvinata & candicans, infernè autem magis est fusca, & evidentioribus striis donata quàm secundum genus.

2. Ad quinti generis primam speciem plurimùm accedit altera species: etenim angulosa est, sed amplior, ut quam uncias quatuor, autplures æquare existimem, supernè etiam albicans, non ut illa fusca: infernè verò non lævis & glabra instar illius, aut alba, sed crassis striis ab umbilico sive pediculo in oras ductis insignita.

3. Tertia magnam affinitatem habet cum octavi generis altera specie: quia ferè orbiculata est, & æqualis pæne magnitudinis: supernè tamen in albedine magis fusca est; infernè illi non dissimilis, nisi quòd ejus striæ crassiores sunt, & pediculus illum sustinens crassior, brevior atque magis nigricans.

4. Sola magnitudine ab octavi generis tertia specie differt hujus quarta species: Illa enim amplior est, hæc minor, utraque autem circinatæ ferè in plano rotunditatis; illa supernè rubescens, hæc multò magis rufescens, eámque ob causam Germanis **Rotte Kremling** dicta; graciliore illa pediculo subnixa, hæc crassiore & magis albo, ut etiam inferna hujus pars candidior est quàm illa, & minùs evidentibus striis exarata.

Nascuntur autem omnes eodem quo octavi generis species tempore, atque in cæduis plurimùm sylvis, quemadmodum & illæ. Nec locus, nec descriptiones horum, me judice, bene conveniunt campestribus Fungis: Fortè nomen Germanicum illis convenit. Clusius Fungorum esculentorum octavum genus Gallis *Champignons* dici asserit: & reverà in primæ & secundæ hujus generis speciei descriptionibus nihil est quod contradicat, atque idcirco mihi planè persuadeo rem ità se habere. Eorum tamen descriptiones subjiciendas duxi, nè Lectori imposuisse videar.

Fungus pileolo lato orbiculari candicante C. B. *Fung. esculent. octavum genus* Clus. *Germanis* **Pfifferling**, *Gallis* Champignon *&* Potiron.

Hujus tres species facit Clusius: prima & secunda sola magnitudine differunt.

1. *Prima* duas ferè uncias lata est, planæ sed orbiculatæ figuræ, supernè tamen quodammodo pulvinata & candicans, infernè veluti camerata & convexa, striis quibusdam à crasso pediculo in oras ductis distincta.

2. *Altera* huic prorsus similis, sed amplioris magnitudinis, ut quæ 4 aut plures uncias æquet, ejusdem cum prima figuræ, sed crassiore pediculo subnixa, supernè albâ cute, cui inspersæ aliquot maculæ fuscæ & flavescentes, infernè flavescens aliquantulum, & magis conspicuis striis à pediculo in extremas oras productis exarata.

3. *Tertia* adhuc amplior est Secundâ specie, & magis circinatæ rotunditatis, longiore gracilioréque subnixa pediculo, & colore superna & inferna parte ex fusco subrubente, non minùs evidentibus & conspicuis striis à pediculo in orbem diffusis inferiùs distincta quàm Secunda species.

Omnes autem species ut plurimùm in cæduis sylvis nascuntur circiter Pentecosten, h. e. sub extremum Maium aut Junii initium.

Priores duæ species palato gratæ esse feruntur: Tertiam edunt etiam nonnulli sed perpauci.

C. Bauhinus Fungorum tertium genus Tragi [qui J. B. Fungus piperatus lacteo ſucco turgens] huic ſynonymum facit: Fortè quia Cluſius hunc Germanis Pfifferling dictum ſcribit. C. Bauhinum reprehendit Chabræus, quia Cluſius Fungum hunc amarum eſſe innuit, Tragus autem ſuum Piperei ſaporis facit. Jam verò (inquit) quantum inter ſaporem amarum & acrem ſeu ferventem intercedat, vel Fungus judicet. Quicquid autem ſit de nomine (quo in univerſum omnia pæne Fungorum genera donant) nullius acrimoniæ ſeu fervidi ſaporis in deſcriptione meminit Cluſius; ſed priores duas ſpecies palato gratas eſſe ſcribit.

CAP. VIII.

* *Fungi punicei, lacte dulci manantes, pratenſibus ſimiles edules* J. B. *Fungus pileolo lato puniceo lacteum & dulcem ſuccum fundens* C. B.

IN nonnullis altiſſimis ſylvis, ut eſt *Odenwaldt* appellata, naſcuntur, puniceo colore præditi, pratenſium fungorum, quos boletos vocant, magnitudinem haudquaquam excedentes, lacteum & dulcem manantes ſuccum. Hi à quibuſdam crudi devorantur, ſed qua utilitate ignoro, inquit Tragus.

CAP. IX.

A. *Fungus piperatus albus, lacteo ſucco turgens* J. B. *Fungus* 10. *ſive pileolo lato, orbiculari candicante* C. B. *item Fungus* 27. *ſive albus acris* ejuſdem. *Fungus tertius* Trag. *quem piperei ſaporis facit.* The milky pepper-Muſhrome.

FUngi hi è majoribus ſunt, Campeſtres tamen [*Champignons*] magnitudine non multùm excedunt, quibus etiam figurâ perſimiles ſunt, pileolis circinatæ rotunditatis, craſſis, carne multa [J. Bauhino Campeſtribus pro magnitudine minùs denſi] ſtriis ſeu lamellis ſubtus prætenuibus, laxis & profundis: *pediculo* tereti, ſolido & minimè concavo, pollicem circiter craſſo, ſex interdum digitos tranſverſos alto. Non pediculus tantùm & pileolus, ſed & lamellæ huic fungo candidiſſimæ ſunt, cùm Campeſtribus rubeant. Ubilibet vulneratus lacteum ſuccum fervidum copioſè effundit. [Inveteraſcentes, ſurſum flexis oris & pileolo tabeſcente, ſuperiùs cavi redditi metam inverſam aut infundibulum referunt.]

In altiſſimis & tenebroſis ſylvis Septembri & Auguſto menſibus naſcitur. *J. B.* Ingenioſiſſimus Vir, & totius Hiſtoriæ Naturalis callentiſſimus, D. *M. Liſter*, in ſylvis Martonenſibus propè ſtagnum *Pinno* dictum, in ea Comitatûs Eboracenſis parte quæ *Craven* dicitur, invenit, déque ſucco lacteo obſervationes ſequentes à ſe factas nobis communicavit.

1. Teneriores & juniores fungos promptiùs & copioſiùs lacteſcere quàm adultos & plenam maturitatem adeptos: aridis & marceſcentibus nihil intus lactis apparere.

2. Succum hunc lacteum piper ſapere & olere, imò omni pipere acriùs linguam vellicare & adurere. *J. B.* ſcribit, ſe cùm ſuccum hunc digitis aliquando attigiſſet, & ex improviſo palpebras digitis abſterſiſſet, quamprimùm magnas punctiones & pruritum expertum eſſe, talem quidem qualis è Tithymali ſucco evenire ſolet.

3. Eundem tamen ſuccum ad tactum minimè viſcidum aut lentum eſſe.

4. Quamvis eodem cultello centum (inquit) minimùm hujus generis fungos diſſecuerim, lac tamen ferro illitum & diu adhæreſcens colorem non mutavit, contra quàm aliis pleriſque vegetabilium ſuccis evenire ſolet.

5. In vaſe vitreo quo eum excepi ſubitò concrevit, intráque paucos admodum dies in maſſam ſolidam condenſabatur, nullo intermixto ſero aut humore.

6. Quod exiccatus etiam acrem illum & mordacem ſaporem retinet, minùs tamen vehementem. Exſiccati autem color ex luteo pallidè admodum viridis eſt.

7. Quod ſuccus iſte modò promptiùs & copioſiùs emanet ex parte exteriore, & ut ità dicam, ſuperficiali, quæ cortici in plantis perfectioribus reſpondet, quàm ex interioribus quæ ligno & medullæ.

8. Fungos hos cùm lacte maximè turgerent, ut eorum acrimoniam & fervorem lingua ferre non poſſet, eulis quibuſdam ſeu vermiculis refertos obſervavi, eorúmque recentiſſimos & tenerrimos à Limacibus cinereis exeſos.

CAP. X.

* *Fungus albus, dictus Montbelgardenſibus & vicinis* Biſſette J. B.

J. B.
AUguſti fine (inquit) obſervavi hos fungos, Campeſtribus ſimiles, ſed infra ſupráque totos albos. Hos olim eoſdem putabam cum *Columbettes*, verùm diſtinguebam à Campeſtribus, quòd tardiùs provenirent, & pede longiores eſſent.

In ſylvis Quercuum, ſed rariùs, occurrunt. Præcedunt *Columbettes* & minores ſunt.

Cap. XI.

* *Fungus magnus, totus albus, sine succo lacteo, edulis,* Columbettes *Montbelg.* J. B.

J. B.

EX edulium quoque fungorum (inquit) censu sunt hi, magnitudine excellentes, toti albi tam subtus quàm supra, omnísque succi lactei expertes, quo turgent Piperati illis similes. Per ambitum aliàs cristati, aliquando reflexi & inæquales sunt, interdum non. Distinguuntur autem *Columbettes* à *Bisette* pede elatiore, & quòd latiores sint tardiúsque proveniant.

In sylvis è regione urbis Montbelgardensis dictis *le Chesnois* invenit J. B. & alibi.

Cap. XII.

A. * *Fungi longissimo pediculo candicantes, sed maculati esculenti* J. B. *Fungus pileolo lato, longissimo pediculo variegato* C. B. *Fungus esculenti* 18. *genus* Clus.

Clus.

INter fungos innoxios longissimo pediculo hunc præditum putat Clusius: est enim ille in 8 aut 9 unciarum longitudinem, porrectus, digiti minimi crassitudine, rectus, versicolor & ποικίλος, striis quibusdam & maculis parvis & magnis, ex albo, ruso & fusco coloribus commixtis distinctus, marmoris varii instar. Ipsum verò fungi corpus pilei seu galeri formam quodammodo refert, valdè laxis oris, deinde sensim in turbinatam metam desinens, altitudine trium unciarum aut ampliore, orarum diametro uncias ferè 8 occupante, candicantis supernè coloris, multis tamen maculis magnis & exiguis ex fusco rufescentibus infecti, supremo fastigio prorsus fusco. Inferna pars cava admodum & camerata, candicans quidem, sed plurimis striis fuscis, obliquis, & veluti in cincinnos compositis, distincta: duabus autem ferè unciis infra supremum pediculi fastigium corolla digitalis circiter latitudinis ipsum amplectitur, unde corporis ipsius Fungi oræ abruptæ videntur, dum in laxitatem se diffudit.

In arvis plerunque provenit tum in Hungaria, tum in Germania, tum etiam in Anglia; mihi tamen nondum observatus.

Cap. XIII.

* *Fungus umbilicum referens variegatus* C. B. *Fungi esculenti* 13. *genus* Clus.

QUinque hujus assignat species Clusius: 1. Quincunciali est diametro, plurimùm orbicularis, pediculo digitali, unciam crasso, supernè protuberans, ex albo virescens; infernè candicans & striata.

2. Diametro 4 uncias non excedente, coloris ex cœruleo viridi & fusco commixti, infernè ex albo subfusci; pediculo pollicem crasso, breviore quam prima.

3. Præcedenti ferè æqualis est, paululum angulosa; supernè ex purpureo & saturatè rubro commixti coloris, raris albis maculis aliquando emicantibus; infernè candicantis, fuscis striis aspersis, oris dilutè purpurascentibus.

4. Tertiâ minor, diametro 2 uncias vix excedente, pediculo unciali, graciliore, supernè flavescens veluti fuligine infecta, infernè alba, fuscis striis distincta.

5. Quartæ æqualis est, reliquis asperior, supernè coloris ex albo fusci, inferiùs candicans, striis fuscis in oras excurrentibus.

Hujus pleræque species figuræ sunt orbicularis, supernâ parte intumescentis & pulvinatæ in medio nonnihil compressæ ut umbilicum mentiatur.

Nascuntur promiscuè in sylvis, & Junio Julióque mensibus inveniuntur.

Cap. XIV.

* *Fungus in metam fastigiatus, albus, fusco tinctus* C. B. *Fungi in metam fastigiati esculenti, coloris albicantis fusco tincti* J. B. *Fungi esculenti IV. genus* Clus.

TRes species describit Clusius. 1. Uncialis aut paulo amplioris magnitudinis, crasso pediculo, coloris albicantis fusco tincti.

2. Paulo planior est & quasi in orbem circinata, duarum unciarum aut majoris amplitudinis, cætera similis.

3. Trium plerunque unciarum magnitudine est, crassiore pediculo, magis fuscus, interdum notis distinctus. Superna pars utplurimùm lacera & discissa apparet.

Sub Pruni arboribus nascitur.

CAP. XV.

* *Fungus orbicularis sulcatus albus fusco permixto* C. B. *Fungi tuberosi esculenti albi fusco permixti, vel maculis distincti* J. B. *Fungi esculenti VII. genus* Clus.

Duplex est, 1. Alter nonnihil tumens, interdum etiam in ambitu lacerus: 2. Alter orbicularis pæne, tota superficie candicans, ut ovum excalptum exprimere videretur, præsertim adempto pediculo.

In siccioribus pratis & pascuis juxta pagos sitis proveniunt.

CAP. XVI.

* *Fungus orbicularis oris intro reflexis* C. B. *Fungi esculenti 15 genus* Clus. *Fungi Suilli Ungaris.*

Duplex est, 1. Orbicularis ferè, quatuor circiter uncias latus, brevi crassioréque pediculo, supernè nonnihil extuberans, utrinque subalbidus & veluti fuligine infectus, at supernè aliquot maculæ albæ asperguntur, striæ infernè nigricant.

2. Major, cujus pars superior coloris est purpurei rubro saturo commixti, in meditullio tamen flavescens & secundùm oras maculis albis distincta: inferior ex albo fusca, striis tenuioribus.

In sylvis nascuntur, & Junio Julióque mensibus reperiuntur.

CAP. XVII.

* *Fungus pileolo magno, plano, orbiculato, venis exasperato* C. B. *Fungi Abietini esculenti* J. B. *Fungi esculenti 20. genus* Clus.

Clus. Triplex est. 1. Binas aut ternas uncias latus; supernè dilutè rubens aut latericei coloris, venis quibusdam sic exasperata ut hirta videatur, in medio compressus & velut umbilicatus; infernè pallescens, striis fuscis, pediculo unciâ longiore, medium digitum crasso.

2. Crassiore paullò est pediculo, supernè extuberat, coloris ex albo pallido & fusco mixti, infernè candicat, striis fuliginosis.

3. Longè amplior est, supernè coloris ex albo, pallido, ruffo & fuliginoso mixti, extuberans; infernè plana, rubescens, striis ex atro purpurascentibus.

Sub extremum Autumnum in sylvis, plerunque autem sub Abietibus, nascitur.

CAP. XVIII.

* *Fungus pileolo in plano orbiculari, villoso* C. B. *Fungi sylvestres esculenti cervini* J. B. *Fungi esculenti X. genus* Clus.

Clus. Duplex est, 1. Duas uncias latus aut amplior, supernè nonnihil extumescens, & veluti sericeis villis obsitus, colore puniceo dilutiore, oris in infernam partem valdè reflexis, quæ ex albo rubescit.

2. Longiore est pediculo, supernè coloris ex rufo fusci, oris non adeò in infernam partem inflexis, quæ colore est ex pallido nigrescente. In hac specie bini plerunque fungi conjunctim ex eodem pede oriuntur.

Nascuntur in cæduis sylvis sub extremum Maium aut Junii initium. Cervinum vocat J. B. à nomine Germanico **Hirschling**.

CAP. XIX.

* *Fungus pileolo plano subfusco oris laceris* C. B. *Fungi laceri, sylvestres, esculenti, subfusci coloris, infernè candicantes* J. B. *Fung. esc. XI. genus* Clus.

Clus. Initio quidem inæquali est figurâ, magis tamen ad orbicularem tendente, per oras lacer, duas uncias latus, supernè fuscus, infernè candicans. Adultior magis orbiculatus est & per oras lacer, longè amplior [quatuor uncias] colore magis fusco supernè & albicante infernè, cui fuscedo quædam admixta est.

Circa festum Pentecostes in cæduis sylvis nasci scribit Clusius.

Cap. XX.

* *Fungus angulosus pediculo exiguo* C. B. *Fungi ferè sine pediculo coloris ex rufo fusci, esculenti in arborum caudicibus nasci soliti* J. B. *Fungi esculenti 5 genus* Clus.

Clus.

SOla horum differentia in magnitudine consistit, quandoquidem formâ, materiâ & colore pæne conveniunt. Tres eorum differentias facit Clusius.

1. Angulosâ est figurâ, quatuor uncias lata, brevi & quasi nullo pediculo sed eo valdè crasso: inferna ejus pars candicante & satis densâ materiâ constat; superna spongiosa est & quasi villis quibusdam obsita, coloris ex rufo fusci.

2. Magis orbicularis, crassiore & longiore paulò pediculo, 5 aut plures uncias latus & longus.

3. Longè major, in tres lacinias divisus, pileoli diametro semipedali, pediculo unciam crasso; supernè spongiosis quibusdam crassisque villis sive potiùs frondium rudimentis ex fusco pallescentibus præditus.

In Ulmorum Populique albæ caudicibus dejectis nasci solet, & bis plerunque, etiam ter interdum in anno provenire.

Cap. XXI.

* *Fungus planus orbiculatus aureus* C. B. *Fungi lutei magni, dicti* Laseras, *speciosi* J. B. *Fungi esculenti 17 genus* Clus. *Boletus Antiquorum.*

Clus.

PRimum è terra erumpentis hujus Fungi forma ovum quodammodo candore & figurâ refert: alterâ aut tertiâ die laceratur hæc alba cutis seu (ut Plinii vocabulo utar) volva supernâ parte, & veluti ovi luteum ostendit; deinde magis extuberat illud luteum, & fungi formam induit, paullatim & sensim evanescente pereuntéque volva. Magnitudo autem Fungi suâ volvâ inclusi tres uncias in longitudinem patet, duas in latitudinem. Consumptâ volvâ Fungus in planam orbicularem sese explicat formam, cujus diameter quatuor pæne unciarum est; superna facies aliquantulum intumescens aureum sive croceum colorem elegantissimum habet, inferna [membranulis contexta] flava est. Pediculus digitalis longitudinis & crassitudinis est, flavíque coloris. At cùm jam adolevit paulò amplior est ejus magnitudo, & in ternas aut quaternas partes scinditur, colorisque illum florem & elegantiam deperdit; nam supernè languidioris est aurei coloris, infernè omnino pallidi.

Provenit in sylvis rarâ Quercu consitis, iisque cæduis præsertim & editioribus sicciorIbúsque locis, bis singulis annis, circa messem videlicet & ante vindemiam. Principem inter Fungos esculentos locum tenet: Et sane adeò elegans est, ut non mirandum sit si illos qui fungis libentur vescuntur ad se edendum invitet.

Non dubium autem est,pergit Clusius,quin hic Fungus sit ille veteribus adeò celebratus Boletus,ac à principibus viris sic in deliciis habitus: nam si conferantur quæ de Boleto scripsit Plinius cum hujus historia, similis esse deprehendetur. *Infamis autem & immenso exemplo in crimen adductus fuit, quòd olim Tib. Claudium Cæsarem (qui Boletorum esu impensè delectabatur) conjunx Agrippina Boleto veneno illito sustulerit, ut Neronem filium ipsi successorem Imperio daret.* Hinc illi Juvenalis in Satyris sales de Boleto. Nam Sat. 5.

> *Vilibus ancipites* (inquit) *fungi ponentur amicis,*
> *Boletus Domino, sed qualem Claudius edit*
> *Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.*

Et Satyra VI.

> ——— *Minus ergo nocens erit Agrippinæ*
> *Boletus; siquidem unius præcordia pressit*
> *Ille senis, tremulúmque caput descendere jussit*
> *In cœlum.*

Hinc etiam illud Martialis.

> *Quid dignum tanto ventrique gulæque precabor?*
> *Boletum ut qualem Claudius edit edas.*

Sed & ipse Nero Boletum Deorum esse cibum cavillari solebat, quia illo periisset Claudius Cæsar, & defuncti Cæsares in Deorum numerum referri solerent.

Recentes boleti [apud Ungaros] in aquâ elixantur, deinde in tenuia frusta conciduntur: frustula concisa in jusculum è cremore lactis confectum injiciuntur, adjectis Selini foliis minutim sectis & pipere. Vel repurgati præciso pediculo invertuntur, & super prunas positi addito ovi luteo torrentur. Vel recentes etiam recisis pediculis friguntur cum butyro atque ovo simul in sartagine coctis, dissolutis & simul mixtis. Sed & exsiccati servantur, deinde ovorum instar in aqua elixantur, tum demum

demum cum condimento ex ipsorum jusculo & pane tosto parato, additis aceto, piperis, zingiberis & caryophyllorum aromaticorum polline eduntur.

Jusculum in quo coquuntur croceo colore tingunt.

Cap. XXII.

Fungus pileolo lato, orbiculari flavescente C. B. *Fungus pallidus* J. B. *Fungi esculenti* 12. *genus* Clus.

J. B.

AUtumni munus, Campestri similis Fungus, pari ferè magnitudine, sed variante, coloris tam externè quàm internè luteo-pallidi: Clusio infernè ex flavo rufescit.

Provenit in sylvis, & reperitur circa Pentecosten.

Cap. XXIII.

Fungus angulosus & velut in lacinias sectus C. B. *Fungus luteus sive pallidus,* Chanterelle *dictus, se contorquens esculentus* J. B. *An Fungi esculenti* 14. *genus* Clus.?

J. B.

MOnbelgardensibus dictus *Chanterelle* Fungus rarò dimetientem habet palmarem, sæpiùs eam magnitudinem non assequitur, plano pileo, aliàs cavo, pallidus, oris subinde contortis, ut crispi nonnihil habere videri possit, membranis infra nec densis contextus. Hujus pediculus rarò in umbilicum inseritur, sæpius à medio deerrat. Odor gratus & innocens eum commendat, & ob id mensis lautioribus curiosioribúsque expetitur.

Clusius quarti generis duas species, seu fortè ætatis ratione differentias, describit. Prior supernè pallida est, flavis maculis variegata; infernè flavescens cum striis fuscis. Secunda duplo major, supernè flava, infernè croceo colore infecta.

Oritur in sylvis & nemorosis locis sub fagis utplurimùm, mense Junio ac etiam Septembri.

Cap. XXIV.

Fungi plures simul, albi, ad arborum radices, esculenti J. B. *Fungi umbilicum exprimentes plures simul, albi* C. B. *Fungi esculenti* 6. *genus* Clus.

Clus.

FOrmæ ferè orbicularis sunt, planæ tamen, inferna parte albi & striati, supernè aliquantulum protuberantes, mediâ autem nonnihil depressi, ut umbilicum exprimere quodammodo videantur, colore magis fusco quàm inferné. Minores circiter unciam lati sunt, aut paulò ampliores: medii binarum unciarum latitudinem explent: Maximi quaternarum amplitudinem superant.

Ad Ulmi, Quercûs, Populi, Juglandis & aliarum arborum dejectarum radices nascuntur, à novo Vere in Autumnum usque.

Populus alba humo tenus secta ad radicem usque, & aquâ calidâ in qua fermentum fuerit dissolutum perfusa infra quatriduum fungos copiosos edet, esui quoque gratissimos. *Matth.*

SECTIONIS PRIMÆ
MEMBRUM SECUNDUM.
De Fungis lamellatis terrestribus noxiis.

CAP. I.

* *Fungus Coryleus orbicularis* C. B. *Fungorum noxiorum* 6. *genus* Clus.

Clus. ORbicularis est figuræ, duas uncias latus aut major: supernè nonnihil tumescens, extremis oris in supinam partem flexis; coloris ex rubescente fuliginosi, cui albedo quædam permixta videtur, interdum etiam omnino fuliginosi & fusci: infernè nonnihil rubescit, striis crassiusculis fuscis: pediculo est gracili duas uncias longo.

Sub Corylis crescit Maio aut sub Junii initium.

CAP. II.

* *Fungus bufonius orbiculatus* C. B. *Fung. nox.* 7. *genus* Clus. *Fungi bufonii perniciosi* J. B.

Clus. HUjus tres observavit species Clusius.

1. Pediculo erat valdè gracili, duas plus uncias longo, pileolo in metam sublato, unciam ferè lato, albo fuligine quodammodo infecto, summo fastigio flavescente, interiore & cava parte fusco prorsus cum striis nigris.

2. Magis orbiculata, crassiore pediculo; supernâ & tumescente parte, duas interdum, aliàs tres uncias amplâ, modò fuscâ omnino ex albo-pallescente, modò flavâ, fuligine infectâ; Singuli autem fungi maculis albis & nigris summa parte notati, ut Rubetæ colorem, præsertim fuscus, valdè referre videatur. Pars inferna alba est, cum levibus striis subfuscis.

3. Reliquis major, orbiculatæ in plano figuræ, tres uncias lata, supernè alba admixto ruboris tantillo, raris pallescentibus maculis inspersis: infernè pallescit, frequentibus striis fuliginosis.

Circa idem cum præcedente tempus emergit.

CAP. III.

* *Fungus Betulaceus orbiculatus albus* C. B. *Fungorum noxiorum* 8. *genus* Clus. *Fungi Betularum albi maculati perniciosi* J. B.

Clus. ORbiculatæ pæne est figuræ, supernè paulò elatioris, albus fuligine levi adumbratus, in quo maculæ quædam rufescentes; duas uncias latus; infernè totus albus exceptis striis fuligine infectis: pediculo gracili, binas uncias longo.

Circa Pentecosten provenit in sylvis ad Betularum truncos & radices.

CAP. IV.

* *Fungus minimus pallescens infundibuli formâ* C. B. *Fungorum noxiorum X. genus* Clus.

Clus. VAlde exilis est: nam primùm emergens vix uncialis est magnitudinis: interdum singularis, nonnunquam bini simul nascuntur, ipso Fungi corpore minimi digiti unguem vix æquante, rufescentis coloris, cùm adolevit corpus in uncialem magnitudinem excrescit, inferna parte valdè à pediculo striata se invertente, adeò ut superna pars velut camerata & cava reddatur, & cum suo pediculo parvum infundibulum mentiri videatur. Color flavescit tam externè quam internè, & superna pars jam in umbilici speciem contracta rufis maculis est distincta.

Bis in anno reperitur circa messem & vindemiam in sylvis proveniens.

CAP. V.

* *Fungus fatuus candidus, pileolo in metam assurgente* C. B. *Fungorum noxiorum* XI. *genus* Clus. *Fungi stultorum boleto similes perniciosi* J. B.

Clus.

EOdem tempore similibúsque locis reperitur. E terra autem erumpens valdè boletum imitatur, imo quodammodo mentitur. Corpore dum è sua volva erumpit boleto est dissimili, longiore pediculo subnixo, minimo digito graciliore, sescuncialis latitudinis, in metam assurgente, superna parte candidâ, infernâ cameratâ.

CAP. VI.

* *Fungus muscas interficiens* C. B. *Fungi venenati 5 muscarii dicti* J. B. *Fungorum noxiorum* 12. *genus* Clus.

HUjus quinque species,

1. Orbicularis, unam interdum, sæpissime duas uncias lata, vel supernè pallescens tantillo rubedinis & fuliginis admixto, vel lurida & fuligine infecta, inspersis albicantibus maculis atro permixtis: pars inferior alba striis fuscis: pediculo gracili, sescunciam longo.

2. Paulo major, pediculo longiore & crassiore, viz. digitum minimum longo & crasso: orbiculata penè, diametro triente paulo minore. Color supernè ex purpura dilutiore & satura, ruso, pallido & albo variè mixtus est: infernè pallet cum nigris crassioribus striis.

3. Primùm emergens contracto est corpore, crasso & unciali, quasique Ari radicem mentiente, pediculo fulta, duas uncias lata & totidem longa, in metæ formam sublata, coloris lateritii, frequentibus maculis albicantibus aspersis, summo tamen fastigio pallida. Adultior verò palmari pediculo digitalis crassitudinis assurgit, inferna parte tuberosa, orbicularem autem figuram acquirit, quatuor uncias lata, per oras interdum fissa & lacear, coloris pronâ parte rubri, albis maculis infecti, oris rufis supinâ albi prorsus, striis levi fuligine infectis.

4. Omnium elegantissimæ, recens natæ orbis minor, duas scilicet solummodo uncias lata, rubro colore valdè saturo veluti concreti sanguinis tincta, frequentibus maculis albis conspersa: Adultior latior fit, v. g. quincuncialis aut amplior, tumida supernè, rubro etiam colore sed paulo remissiore, obscurioribus veluti undis intercursantibus, & crebris etiam ex albidis maculis infecta. Pediculo constat protuberante infima parte, unciam crasso, trientem longo. Striæ crassæ nigræ. Bini interdum ex eodem pede conjunctim nascuntur.

Hanc muscæ valdè appetunt, & plerunque ei insident non sine ipsarum pernicie; siquidem quotquot degustant intereunt: ideóque circa Francofurtum ad Mœnum in conclavibus ad fenestras in hunc usum ejus frusta spargere solent.

5. Junior duas uncias lata est, in totidem unciarum metam assurgens, coloris ex ruso fusci & velut fuligine infecti: adultior trientalem aut ampliorem latitudinem habet, in metæ formam assurgens, oris valdè laceris, coloris supernè mixti ex albo, ruso, pallido, fusco, mixturâ vel radiatim, vel maculis duntaxat inspersis constante. Color inferna parte prorsus fuliginosus cum striis nigris.

CAP. VII.

* *Fungus latus orbicularis candidus* C. B. *Fungorum noxiorum* 13. *genus* Clus. *Fungi ranarum albi perniciosi* J. B.

Clus.

ADultus quatuor uncias latus est, in orbem ferè circinatus, immaculati supernè candoris, nisi orbis centrum palleret; inferna etiam pars candida est cum multis purpurascentibus striis: pediculus gracilis est & longus. Junior minor est & fuligine quadam utrinque infectus, striis raris & vix adhuc apparentibus.

Secundam vias & semitas in cæduis sylvis provenit extremo Augusto.

CAP. VIII.

A. *Fungi albi venenati viscidi* J. B.

J. B.

EDulibus albis aliquo modo similes sunt, pediculo digitum crasso, 3, 4ve plus minùs alto, qui clypeum sustinet orbicularem, palmarem, pressum, subtus candidissimo membranarum squarro stipatum: Superna facies subcinericea, ad albidum nonnihil vergens, viscido tactu, fungosis verrucis eminentibus conspersa, quæ tamen sine membranæ noxa avulsu faciles, quas merè

acciden

accidentarias esse putamus, ut quæ non in omnibus appareant. Sapore sunt minimè ingrato, sed subdulci, sapore aqueo.

Interest sanè horum formam & naturam vel apprimè novisse, ob periculum quod ex errore contingere potest. Nam civis (inquit) quidam Montbelgardensis qui deceptus hos coctos imprudens voravit, primò vomitu infestabatur, deinde vertiginosus fit, prostratis tandem viribus membrisque refrigeratis soporosus jacuit non sine mortis periculo. Nam & loquelâ privatus, pulsu deprehensus fuit perexiguo, cum suffocationis metu. Qui tamen paulò post vomitu provocato priùs, Alexipharmacis, Theriacâ potissimùm, enematibus item restitutus fuit, postquam non paucas horas dubius & velut oppressus inter vitam & mortem quasi succubuerat.

A Fungis campestribus differunt pediculis tenuioribus & longioribus: capitellis minùs crassis, lamellis subtus albis, odore ingrato.

Cap. IX.

A. *Fungus major, pediculo brevi crasso, lamellis crebris albentibus.*

Pediculus vix palmaris, pollicem crassus, imâ parte in latum extumescens, capite est crasso, diametro palmari, pulvinato, media tamen parte circa umbilicum depresso, colore nunc rubente, nunc fulvo sordidiore, creberrimis subtus lamellis albentibus striato: superior spongiosa substantia candidissima.

Sub Quercubus Augusto mense enatum observavimus.

Cap. X.

* *Fungus latus orbicularis oris intus conversis* C. B. *Fungorum noxiorum* 14 *genus* Clus. *Fungi à sue appellati, albi sed maculati, sylvestres perniciosi* J. B.

Clus.

Eisdem in locis eodémque quo prior [us] tempore invenitur.

Duas ejus species observavit Clusius.

Primæ recens natæ corpus unciâ majus non est, coloris albi fuligine velut infecti, pediculo unciali, minimum digitum crasso, interdum geminum ex eodem pede nascens. Adultæ triunciali est diametro, orbiculatum ferè, supernè album sed fusco colore infectum, flavo fastigio, infernè verò pallidum, striis rufis, pediculo digitalis longitudinis & crassitudinis.

Secunda circinatæ ferè rotunditatis est, diametro trientem lato pediculo brevi pollicémque crasso, supernè candida cui maculæ parvæ fuscæ & flavescens nonnihil color inspersus est, oris aliquantulum in infernam partem conversa: infernè pallida striis fuliginosis.

Cap. XI.

A. *Fungus pediculo in bulbi formam excrescente* C. B. *Fungorum noxiorum* 15. *genus* Clus. *Fungus bulboso pediculo pallidus maculatus* J. B.

Clus.

Duplex est, Prior pediculo duarum unciarum, [corpore unciali] suprema parte pollicaris crassitudinis, infernâ sescuncialis, in bulbi formam excrescente, coloris ex albo pallescentis. Corpus ipsum fungi supernè etiam pallidum est, sed maculis dilutè nigricantibus distinctum, atque oris in supinam partem inflexis; infernè striæ ex pallido fuscæ sunt.

Secundus valdè tetri coloris est, ut veriùs ligni sive radicis cujusdam nodosum & nigrum fragmentum videatur quàm fungus, quod utraque manu vix comprehendi queat: crasso brevíque pediculo innititur.

In cæduis sylvis crescit extremo Sextili.

Cap. XII.

Fungus oris laceris & in lacinias divisis C. B. *Fungorum noxiorum* 16. *genus* Clus. *Fungi sub corylis serpentini dicti perniciosi* J. B.

Clus.

Tres hujus species observavit Clusius, Prior oblongo gracilique pediculo est, cui insidet initio velut ovum exsculptum, uncialis magnitudinis, externè album velut fuligine perfusum, internè nigrum: quod deinde oras explicans $1\frac{1}{2}$ unciæ amplitudinem acquirit, in pilei parvíque galeri similitudinem formatum, albi supernè coloris frequentibus fuscis maculis distinctum, atque ipso fastigio veluti fuligine infecto.

Secunda pediculo longo gracili, corpore parvi galeri figurâ, initio vix ungue majore, dilutiore fuligine infecto, cùm adoleverit supernè atrâ fuligine tincto, infernè instar fornicis camerato & nigris striis exarato.

Tertia

Tertia præcedenti æqualis est, valdè laceris oris & quodammodo laciniatis, rufi interdum, aliàs albi coloris fuligine infecti supernè, infernè fuliginosis, aliàs nigriis striis exarata: aliquando etiam inferna parte adeò inversâ & reflexâ, ut florem aliquem mentiri videatur.

CAP. XIII.

* *Fungus latus oris laceris* C. B. *Fungorum noxiorum 17. genus* Clus.

Clus.

DUplex est, 1. dodrantali magnitudine, pediculi digitum minimum crasso, duas aut tres uncias longo, ex cujus imo subnascitur exigua proles: orbiculatæ ferè est figuræ oris in inferiorem partem nonnihil inflexis, colore supernè rufo ad nigredinem tendente, cui flavescens circa medium admixtus est: inferna pars pallida est, striisque fuliginosis exarata.

2. Illi æqualis est, sed graciliore pediculo, circinatæ etiam rotunditatis, nisi laceras haberet oras in ambitu, supernè planè luridus venis quibusdam exalbidis maculosus, ipsâ substantiâ sub externa cute omnine atrâ, uti etiam est pars infima, sic tamen ut crassæ nigræ striæ obscurè appareant.

Planis & apertis locis circa Festum S. Bartholomæi apparet.

CAP. XIV.

* *Fungus parvus parvi galeri formam exprimens rufus* C. B. *Fungorum noxiorum 18. genus* Clus.

Clus.

IN sylvis eodem quo præcedens tempore oritur; est autem eo longè minor, nec uncialem aut sescuncialem magnitudinem superat, pilei aut parvi galeri figurâ in metam sublatus, supernè rufus, infernè exalbidus cum striis fuscis: pediculo gracili duas trésve uncias longo.

CAP. XV.

* *Fungus orbicularis secundùm vias & in Quercetis Autumno nascens* C. B. *Fungorum noxiorum 19. genus* Clus.

HUjus sex species describit Clusius: Prima tantùm hujus loci est.

Prima pediculo est valdè gracili, duas uncias aut amplius longo, capitello orbiculato sescunciam lato, aliquantulum in infernam partem inflexo, coloris ex flavo, rufo, fuliginoso commixti supernè, ex pallido fusci infernè.

CAP. XVI.

* *Fungus Abietinus oris reflexis, substantiâ rubrâ* C. B. *Fungorum noxiorum 21. genus* Clus. *Fungi hirsuti internâ parte perniciosi* J. B.

SUB extremum Septembrem provenit subter Abietibus.

Recens natus unciâ non multò major est, oris valdè in infernam partem inflexis; crassiusculo corpore & veluti crassis quibusdam venis subrubentibus, in orbem supernè ductis notato in albicante planicie. Adultus vicesimi esculenti amplitudinem acquirit, oris est magis inæqualibus: infernè dilutè rubet cum striis rufis; pediculo digitalis ferè crassitiei, duas uncias longo, qui confractus rubrâ substantiâ constare deprehenditur.

CAP. XVII.

* *Fungi dumetorum ex uno pede prodeuntes* C. B. *Fungorum noxiorum 22. genus* Clus.

QUatuor hujus species recenset & describit Clusius.

Primæ sex aut septem nascuntur ex uno pede fungi, longis & gracilibus pediculis, orbiculato ferè corpore, (fornicato tamen seu camerato infernè) vel semunciali, vel unciali, colore flavo, uti sunt & ipsi pediculi, qui maculis tamen nigris distincti.

Secundæ etiam octo aut novem ex uno exortu nascuntur, breviore & perinde gracili pediculo; corpore in orbem veluti expanso, unciam aut sescunciam lato, supernè presso & tanquam umbilicato, coloris flavi rufo suffusi, infernè flavi, striis fuliginosis.

Tertiæ viginti aut plures nascuntur ex eodem pede, gracilibus pediculis, orbiculati, latitudine inæquali, pro ætatis ratione; nam & inveniuntur ungue non minores, unciales, & sescunciales; omnes rufo colore tincti supernè, infernè fuscis striis exarati.

Quartæ

Quartæ triginta aut plures ex eodem pede proveniunt, pediculo pro singulorum ætate brevi aut longo, orbiculati, magnitudine tertiæ speciei fungis pares; colore variant, nam vel flavi sunt, multo tamen rufo perfusi, aut omnino rufi sed nonnihil tumescentes & fusci, infernè striis nigricantibus notati.

Ad Spinarum quæ vetustate corrumpi incipiunt atque inter dumeta nascuntur, & in ipsis truncis humi jacentibus nascuntur circa Calendas Octobris.

Cap. XVIII.

Fungus fimetarius in plano orbicularis, candidus C. B. *Fungi sterquilinii albi perniciosi* J. B. *Fung. nox. 3. genus* Clus.

Clus. VUlgaris admodum (inquit Clusius) est hic fungus, ideóque nemini non notus, formæ orbicularis in plano, velut circino ductæ, exili & tenui fultus pediculo, tenui non crasso corpore, candidus omnino, & veluti farinâ conspersus, cum infernè tum supernè; pars tamen aversa fuscis striis distincta est.

Cap. XIX.

Fungus orbicularis, ex atro rufescens C. B. *Fungi quodammodo orbiculati, atro-rufescentes, perniciosi* J. B. *Fung. nox. 9. genus* Clus.

Clus. CIrca Solstitium æstivum invenitur in sylvis nascens.

Crasso & protuberante constat corpore, sphæricæ quodammodo & orbicularis figuræ, duas uncias lato in minoribus, in adultioribus tres aut etiam quatuor; supernè ex atro rufescens, infernè exalbidus, striis rufescentibus.

Cap. XX.

* *Fungus orbicularis in palustribus* C. B. *Fung. nox. 23. genus* Clus. *Fungi rubri perelegantis coloris & rufi* J. B.

Clus. HOrum primus Uncialis magnitudinis habet orbem, supernè rotundum, & rubri perelegantis coloris; infernè albicantem, fuscis tamen striis exaratum, unciali pediculo, non tamen valdè gracili fultum.

Secundus orbiculatæ etiam est formæ, paulò tamen amplior superiore, longioréque pediculo subnixus, prolem fungi ab exortu plerumque proferente: supernè rufi & ad lateritium tendentis coloris; infernè dilutior & frequentibus striis distinctus.

Tertius in nodum velut collecto est corpore, infernè fornicato atque camerato, suis oris pediculum uncialis crassitudinis, duarum autem unciarum longitudinis stringente & amplectente, coloris ex albo rufo & fusco variè commixti.

Quartus duas uncias latus est, sed inæquali orbe, superna parte candicans ex cineraceo, infernè similiter, sed striis fuscis. Pediculus brevis & crassus.

Cap. XXI.

A. *Fungus minor ex albido subluteus, pileolo hemisphærico.*

AD trium aut quatuor digitorum altitudinem interdum assurgit, sæpiùs humilior, pediculo culmum crasso; pileolo hemisphærico, diametro unciali, ex albido subluteo, lubrico & mucilagine quadam oblito, subtus lamellis crebris sublividis, veluti tot radiis à pediculo ad circumferentiam extensis, adeò ut infernè ferè planus sit hic fungus & minimè concavus. Lamellæ autem admodum latæ sunt, seu mavis profundæ, ut exterior cutis seu caro sit valdè tenuis.

Per totum Autumnum in pascuis frequens oritur, plerunque è fimo vaccino aut equino.

Figura Fungi parvi albi cum luteola parte in summitate capituli, visco nitente resplendentis * *J. B.* huic exactè respondet.

* *Tom. 3. lib. 40. c. 69.*

CAP. XXII.

A. *Fungus parvus galericulatus striis lividis aut nigris. An Fung. nox. tertium genus* Clus?

SUperiorem petioli longitudine & craſſitie, necnon pileoli magnitudine refert. Ab eo differt utriuſque colore ſublivido, ſuperficie ſicca nec muco oblita: pileolo magis nonnihil turbinato, intus magis concavo; lamellis denique obſcurioribus & per vetuſtatem nigricantibus. Septembri menſe & per totum Autumnum in iiſdem cum præcedente locis, nec minus frequens invenitur.

Icon pag. 848. tom. 3. Hiſt. Plant. *J. B.* hunc fungum optimè repræſentat.

Lobelius & *J. Bauhinus* non ſatis diſtinctè ſcribunt de his Fungis.

Obſervavimus in paſcuis Fungum hujus generis paulò minorem pulverei coloris ſeu ex albo ſordidè flaveſcentis, ſtriis ſubtus obſcurè fulvis, quem ab hîc deſcripto ſpecie differre ſuſpicamur.

CAP. XXIII.

A. *Fungus puſillus pileolo tenui utrinque ſtriato; ſeu plicatilis plicaturis utrinque demonſtrantibus.*

DUobus proximè antecedentibus minor eſt multò, pediculo tenuiore & teneriore, fragili admodum ſecus quàm præcedentium, lubrico & velut muco oblito: pileolo turbinato, diametro ſemunciali, tenui admodum & utrinque ſtriato & ſulcato, ac ſi membranâ in plicas compoſitâ conſtaret, coloris ex albo cinerei. Summus pileolus ubi pediculus inſeritur non rarò planus eſt, & macula rubente inſignis.

In paſcuis Autumno reperitur.

Huic affinis eſt non tamen idem.

CAP. XXIV.

* *Fungus albus pileolo inverſo* J. B. *tom.* 3. *p.* 847. *lib.* 40. *cap.* 73.

PArvus admodum eſt, vix ad unciam ſe attollens ac etiam multò minor: inſtar calycis creſcit, plicaturis & foliis ſe externè demonſtrantibus, non ſub pileolo [tantùm] ut in reliquis. Pileolus etiam inverſus facit veluti ſcutellam.

Sunt etiam majores, altitudine trium digitorum, & latitudine duos excedentes.

In prato loco clivoſo menſe Septembri obſervavit *J. B.*

CAP: XXV.

A. *Fungus parvus, pediculo tenui, longo, firmo, lento; pileolo in medio faſtigiato, ſtriis exteriùs apparentibus.*

PEdiculo quadrantali aut altiore aſſurgit, tenui at firmo, non fragili: pileolus è fuſco albicat, in medio turbinatus, ſtriis exteriùs apparentibus, intus concavus, lamellis crebris albentibus ſtipatus.

In paſcuis menſe Septembri.

CAP. XXVI.

A. *Fungus minor tenerrimus, farinâ reſperſus, pileolo ſupernè cinereo, lamellis tenuiſſimis nigris.*

PEdiculo aſſurgit tres quatuórve interdum uncias longo, tenello, albo, farinâ albâ reſperſo, intus concavo, qui levi compreſſu in longum finditur, pileolum ſuſtinens unciali aut ſeſcunciali diametro, ſupernè tenui membranâ cinereâ farinâ reſperſâ conſtans, infernè lamellis tenuibus creberrimis, nigris propè centrum, nam circum oras interdum cinereæ ſunt, infundibuli figurâ, concavum. Oræ per vetuſtatem non rarò laceræ ſurſum reflectuntur.

In paſcuis menſe Septembri aut etiam Octobri obſervavimus.

CAP.

Cap. XXVII.

Fungus minimus, pediculo longo tenuissimo lactescens.

INter gramina in pascuis oritur solitarius.

Cap. XXVIII.

A *Fungi pratenses parvi, externè viscidi, albi, lutei vel rubentes.* *An F. orbicularis in palustribus* C. B?

CApitelli diameter uncialis circiter; interdum major; figuræ in plano orbiculatæ, raris subtus lamellis reliquo corpori concoloribus: Pediculus gracilis triticeum culmum magnitudine vix æquat, binas circiter uncias altus. Tum pediculus tum capitellum muco quodam viscido oblita sunt. Striæ in hoc genere ad pediculum inferiores multò sunt quàm ad oras capitelli, ut infundibuli aut coni inversi specie à pediculo aliquousque assurgere videantur: hoc tamen non est perpetuum, nec in junioribus fungis sed in adultis & declinantibus.

Augusto & Septembri mensibus in pascuis frequentes oriuntur.

Cap. XXIX.

* *Fungi luteoli dicti, colorem mutantes, maligni* J. B.

Imper.

HUjus capitelli figura vulgari similis est; substantia ejusmodi quæ mox vigorem perdat & in mucum abeat. Infernâ parte filamenta quædam, in retis formam obliquè intricata, facilè à suo capitello separantur. Color aliquoties flavescens, mox tamen in virentem & inde in azureum abit.

Cap. XXX.

Fungi albi lucentes, ex uno principio plures, ex radicibus arborum J. B.

J. B.

IN cariosis arborum truncis occurrunt Fungi ex uno principio plures; longis pediculis insidentes, emaculati undique candoris, etiam per membranas, animalculorum morsiunculis & arrosionibus obnoxias, majusculi, tenues, lentore viscido superiùs obducto nitidi. Inveniuntur his similes lividi aliorúmque colorum.

Cap. XXXI.

* *Fungi multi ex uno pede, clypeiformes lutei & rubri* J. B. *Fungus clypeiformis major* C. B.

HOrum forma plana quidem est, sed rugosa & per oras reflexa, flavi coloris, pediculis fuscis.

Inveniuntur etiam alii ejusdem formæ planæ & orbiculatæ, sed qui non sunt reflexi, & eorum etiam aliqui per oras crenati.

Innascuntur plerunque putridis lignis, aut asseribus vetustarum ædium rusticanarum & stabulorum.

Inveniuntur adhuc alii his non valdè dissimiles in arvorum aggeribus sub sepibus, rubri coloris, quorum nonnulli nullo peculiari odore sunt prædіti, alii verò moschi odorem quodammodo referunt.

Cap. XXXII.

A. *Fungi plures ex uno pede, è Prunorum radicibus enati.*

PLurimi simul confertim nascuntur: pediculis binas circiter uncias longis, mediocriter crassis, coloris lutei sulphureive. Capitelli rotundi diameter uncialis aut sescuncialis; supernè rufescit, lamellis subtus tenuissimis & creberrimis, initio flavis, postea in cinereum mutantibus.

CAP. XXXIII.

* *Fungus latus sanguinei coloris* C. B. *Linguæ in caudicibus Castanearum* Cæs.

Cæs.
LInguæ appellantur in caudicibus præcipuè Castanearum, figurâ crassâ, sanguinei coloris tum extra, tum intra. Optimi atque innocentissimi existimantur.

CAP. XXXIV.

A. *Fungus sordidè fulvus in acutum conum fastigiatus.*

MEmbranulæ subtus creberrimæ, colore cinereo. Cortex exterior tenuis est & membranosus, nec quicquam carnis aut pulpæ corticem & lamellas interjacet. Hujus icon habetur apud Parkinsonum pag. 1321.

CAP. XXXV.

A. *Fungi minimi plurimi simul nascentes turbinati, exteriùs cinerei aut subfulvi, striis nigricantibus.*

PEdiculo albo, fili instar tenui, longitudine digitali capitulum insidet turbinatum metæ aut galeri figura, diametro vix quartam digiti partem excedente, colore exterius sordidè fulvescente striis subtus in adulto fungo fuscis aut nigris: inter lamellas & cutem externam nihil omnino carnis intercedit; cuticula autem ipsa lineolis seu sulcis ab apice ad circumferentiam ductis minimè tamen profundis striatus est.

Augusto mense Anni 1685. observavimus, propè palos ligneos in terram depactos, denso agmine exortos, qui vix quatriduum durabant antequam marcescerent: postea hujus generis decuplo etiam majores confertim nascentes vidimus.

SECTIO SECUNDA.

De Fungis terrestribus lamellis carentibus.

Horum alii pileati sunt; alii pileolis carent, suntque vel cauliferi ramosi & non ramosi, vel ἄκαυλοι, *formæ vel globosæ, vel planæ.*

CAP. I.

1. *Fungus porosus magnus crassus* J. B. *An fungi esculenti 16. Clusii tertia species? Fungus Augusti mensis* C. B.

J. B.
INsistit pedi crasso, longo, pileus palmari latitudine, omnium (inquit *J. Bauhinus*) quos vidi densissimus, turbinatus, ex fusco albicans, infernè candidus, nullo subtus membranarum plexu textilis, sed infinitis poris tenuissimis pervius, substantiâ interiore albâ.

Observavi in pascuis mense Septembri.

Fungi esc. 16. Clus. tertia species colore supernè ex fusco rufescente à descripto differt.

A. 2. *Fungus porosus magnus nostras. An Fungi esculenti 16. genus 3.* Clus?

Pediculus huic palmaris, crassus, secundùm longitudinem ligni modo fissilis. Capitulum grande, diametro sesquipalmari aut majore, colore supernè rubiginoso aut fulvo sordidiore, infernè citrino

citrino seu ex luteo virente. Duplici constat substantiâ. Superior albicat: inferior, quæ in aliis Fungis in lamellas seu membranulas à pediculo ad circumferentiam extensas dividitur, in hoc infinitis foraminulis pertusus est favi in modum, sed multis numeris minoribus, è flavo (ut dixi) virescit. In pascuis frequens occurrit.

Augusto mense exit. Ab omnibus aliis Fungis facilè distinguitur substantiâ inferiore foraminulenta seu poris creberrimis pertusâ, ejúsque colore ex luteo virente, & interdum planè luteo.

Cap. II.

* *Fungi esculenti 16. Clusii prima & secunda species. Fungus Augusti mensis* C. B.

Clus.

PRior pediculo est trientali, supernâ parte minimi digiti crassitie, infernâ unciali aut ampliore, coloris variè mixti ex cœruleo viridi & fusco. Capitello orbicularis in plano figuræ, tumescente & quasi pulvinato, cujus diameter trium unciarum aut paulò major, color ex candicante subfuscus, infernè albus.

Secunda pediculo est breviore, sed longè crassiore, ut qui supernè digitali sit crassitudine, infernè $2\frac{1}{2}$ unciarum: capite orbiculato sed inæquali & quasi sinuoso, cujus diameter pediculi infimam partem amplitudine non valdè superet, colorísque est ex flavo rufescentis: versa pars nonnihil camerata est, colorísque est ex flavo pariter rubescentis.

Habet verò (inquit Clusius) hoc Fungi genus aliquot notas ob quas Pauli Ἀμανίταν esse liceat conjicere. Etenim colore fuliginoso sunt ejus species, orbe etiam quarundam tam amplo ut sæpe caput humanum æquent, pediculo omnium crasso, infra colore nigro virescente.

Cæterùm hic Fungus apud Ungaros in hunc modum apparari solet. Repurgatus conciditur; frusta paululum in clibano exsiccantur, deinde in aqua elixantur: iis deinde exemptis panis vulgaris, quo viz. familia uti solet, taleæ super craticulam tostæ in prædicto jusculo coquuntur, id demum jusculum cribro farinario succernunt: postremò huic condimento (quod nec tenue nimium, nec crassum nimis esse debet) elixa fungi frusta imponuntur, additoque aceto, piperis, zingiberis atque Caryophyllorum aromaticorum polline eduntur.

Cap. III.

A. *Fungus pænè candidus, prona parte erinaceus* J. B.

J. B.

RAro naturæ miraculo (inquit *J. B.*) parte prona pro membranulis innumeris veluti aculeis muricatus erinaceum in memoriam revocat, unde ex argumento nomen imposuimus: majusculus est Fungus, etiam palmo major, albus, minùs tamen quam piperatus & ferè exsuccus.

In sylvis propè Monbelgardum *J. Bauhino* observatus est; nobis in sylvis Warwicensibus ad *Middleton* vicum.

Cap. IV.

Fungus orbicularis secundum vias & in Quercetis Autumno nascens C. B. *Fung. nox.* 19. *genus* Clus.

HUjus sex species proponit Clusius. Priorem quoniam subtus striata seu lamellata est superiùs sub genere Fungorum striatorum posuimus. Reliquæ huc pertinent. Quartam & quintam species *C. Bauhinus* sub propriis & distinctis titulis exhibet: nimirum quintæ speciei titulum imponit Fungi tuberis figurâ, sextæ Fungi Cyclamini radicem colore & formâ referentis.

Secunda amplior est, crassiore pediculo, orbiculata, supernè paululùm intumescens, colore vel rufo raris quibusdam maculis consperso, vel fusco omnino & fuliginoso; infernè pallido, frequentibus fuscis maculis notato, vel ex fusco pallido omnino, nec ullis striis distincto.

Tertia crasso est pediculo, unciali; pileolo in metam assurgente, dum recens nata est, unciali, ex cineraceo fusco; adulta duarum unciarum, magis exalbido, & notis quibusdam distincto, lacero & hiante.

Quarta duplex videtur, vel infra duarum unciarum magnitudinem, crasso corpore, gracilioréque pediculo, supernè ex atro rufescens, infernè flava frequentissimis parvis maculis inspersis: vel trientali magnitudine, crasso & protuberante corpore, fusco supernè & scissuris quibusdam albis lacero; infernè ex flavo pallescente, striarúmque experte.

Quinta satis informis est tuberis (dum junior) figurâ, supernè valdè fusca, infernè rubra satura & nigricans, circa oras flava, binas uncias lata: Adulta quatuor est unciarum, orbiculata, per intervalla protuberans supernè, & fusca, elucente quibusdam in locis dilutiore rubescente colore, infernè ex rubro atra aut obscura, striis carens, pediculo valdè crasso, inæquali & fusco: ipsum autem fungi corpus confractum cœrulei, virescente intercepti, est coloris.

Sexta magnum Cyclamini tuber valdè refert, tum amplitudine, tum colore, & inæquali rotunditate: infernâ autem parte ochræ colore est, venis quibusdam rufescentibus aut subfuscis distincto; nullis tamen striis.

Septima omnium amplissima est, v. g. sesquipalmaris, inæquali tamen ambitu, supernè purpurascentis coloris, cui permixti sunt rufus & fuliginosus: ipsum internè corpus subcœrulei est coloris, ut etiam pars supina cui pediculus inhæret; reliqua pars inferior flava est, binis aut ternis magnis maculis rufis insecta. Junior & primùm emergens minor est.

CAP. V.

Fungi prunorum commixti coloris, perniciosi J. B. *F. ex eodem pede, sed non conspicuo, numerosi* C. B. *Fung. nox. genus* 2. Clus.

Clus.

SUb Pruni arboribus novo Vere nascuntur confertim ex eodem pede numerosi, nullo tamen pediculo conspicuo, varia magnitudine & forma; nonnulli duas aut tres uncias lati atque etiam ampliores, alii vix unciam lati; vel orbiculatæ figuræ, vel angulosæ; omnes ex albo, pallido & fusco coloris commixti.

CAP. VI.

* *Fungus crassus in metam surrectus* C. B. *Fungi in metæ formam surrecti perniciosi* J. B. *Fung. nox.* 20. *genus* Clus.

QUatuor hujus species describit *Clusius*.

Prima crasso est corpore, in metæ formam surrecto, supernè cineraceo, infernè ex flavo pallente, pediculo sescunciam longo, unciam crasso.

Secunda longiore est pediculo, non minùs tamen crasso parte terræ proximâ, summâ tamen graciliore: capite crasso, duas uncias lato, ex pallido fusco vel fuliginoso prorsus, infernè ochræ colore.

Tertia crasso etiam est pediculo parte terræ proxima; capite in juniore sescunciali, ruso, in adultiori duarum unciarum aut amplioris latitudinis, circinatæ uterque ferè rotunditatis & nonnihil extumescens. Infernè ochræ est colore fuligine perfuso.

Quarta species, cùm infernè strias habeat, non est hujus loci.

CAP. VII.

A. *Fungus favaginosus* Park. Lob. *rugosus vel cavernosus sive Merulius* J. B. *esculentus* 1. *sive porosus* C. B. *Fung. esc.* 1. *genus* Clus. **Honey-comb Mushrome.** *Mourilles.*

J. B.

LAutioribus mensis expetitus, reponitur etiam exsiccatus, ut alienis mensibus gulæ serviat, formâ turbinatâ, totus circumquaque scrobiculis pervius, ut favos apum imitetur, ex albo nonnihil rubescens, fulvus aut niger; interiori cæterùm parte totus cavus, albus & velut farinaceo quodam lævore aspersus: pediculus vero, qui fungi corpus sustinet, infima parte crispus, totus albus, cavus quoque.

Clusius quatuor hujus species observavit; quæ magnitudine & figurâ differunt. Prima pollicis extremum articulum raro superat; cute valdè rugosâ & favi æmulâ, albicante quasi fuligine infecta.

Secunda radicem Aristolochiæ rotundæ exsiccatam refert, coloris ex rufo fusci, priori magnitudine par.

Tertia duplo amplior, plerunque orbicularis, colore & rugarum cellulis primæ æmula.

Quarta in longitudinem metæ instar excrescit. Plenas descriptiones si desideras, Clusium adeas.

In Germania, Gallia, Anglia reperitur in pratis & pascuis, inque dumetis verno tempore.

Mentzelius in Pugillo suo plantarum rariorum Fungi hujus, pyramidalis & in metam fastigiati quatuor differentias exhibet: item porosum communem intestinorum gyros referentem.

Fungus Autumnalis bisulcus velut apex Flaminis Plinii *Mentzel.* ex horum genere est, frequens Autumni tempore in sylvis Pinastricis *Marchiæ Brandeburg.* Quidam ungulam bifidam; quidam tiaram seu Episcopalem mitram referunt.

CAP.

Cap. VIII.

A. *Fungus phalloides* J. B. *Phallus Hollandicus* Park. *F. virilis penis effigie* Ger. *F. fœtidus penis imaginem referens* C. B.

Longissimis filis seu funiculis albis variè implexis sub terra reptantibus ceu radicibus, hic illic accrescunt volvæ dictæ, phallos claudentes, bulbi cujusdam aut pilæ palmariæ specie & magnitudine, aut paulo interdum majores, albæ, ponderosæ, tunicâ satis crassâ exteriùs tectæ; cui proximè subest gelatina quædam viscosa & pellucida, gelatinæ autem secunda tunica paris cum extima crassitiei, superficie interna candoris nivei; quæ sinu suo amplectitur substantiam quandam coloris obscurè & sordidè virentis consistentiâ ferè massæ farinaceæ. Huic subjacet tertia tunica, cellulis quibusdam exteriùs reticulata, favi ad instar, aut ventriculi bovini reticuli dicti: erumpente phallo tunica hæc protruditur, fitque capitellum seu glans penis, substantiâ mucosâ proximè dictâ ei incumbente, ejúsque cellulas replente, quæ putrescens colliquatur, & virosum fœtidissimum halitum expirat; Hanc muscæ avidissimè appetunt & exugunt. Meditullium volvæ occupat substantia candida, levis admodum & spongiosa, utrâque extremitate acuminata, quæ corpus veretri efficit.

Disruptâ volvâ phallus exilit, & in justam magnitudinem excrescit brevi temporis spatio, unius nempe aut alterius diei; idque etiam volvâ è terra revulsâ, & in conclave aliquod repositâ adhuc integrâ, priusquam colem effuderit: genitalis humani ferè figurâ. Materiâ scapus fungosâ constat, rarâ, plumâ leviore, foramine pervio rimosus, eóque lævi ac velut dedolato, teres, ad duorum palmorum longitudinem accedens. Huic insistit, non uti Fungo petasus, sed galea aut capitellum, in figuram metæ propemodum fastigiatum, exemtile, cætera glandis virilis specie, nisi quòd cancellatâ sit cute.

Invenimus Middletoni, in D. *Franc. Willughbei* viridario, è Fraxinorum quarundum dejectarum radicibus in terra putrescentibus enatum, ut conjectabamur.

Fungus Clusio pro quinta specie 23. generis Fungorum noxiorum descriptus, ad hunc non tantùm accedere videtur sed prorsus eundem esse, ideóque Chabræus *C. Bauhinum* hoc nomine immeritò reprehendit quod illum hujus synonymum fecerit.

Cap. IX.

* *Fungus Coralloides cancellatus* Clus. J. B. *rotundus cancellatus* C. B. *Fungus lupi crepitus vulgi efflorescens* Col. *Fungo phalloidi congener.*

Clus.

Nascitur hic gallinacei ovi formâ dum è terra primùm erumpit, colore prorsus niveo, radicémque habet tenuem, candidam, in multas fibras valdè tenues divisam. Ovum autem illud sive volva dum maturescit sensim disrumpitur & dehiscit, & inde exilit tanquam marsupium aliquod, distinctione cancellatim reticulatâ constans, & in obliquos veluti ramos invicem se secantes, atque summa parte in unum coeuntes formatum, rubri coloris; ut totidem Corallii rami sibi invicem implexi videantur. Odorem fœtidissimum exhalat, à crasso cineraceóque quodam liquore, rubentes illos ramos supina parte obsidente ortum; quem simul atque è volva sua exclusus est fungus, varii generis parva insecta mirificè appetunt, & tandem etiam absumunt.

Hos Fungos in sylvis Belgenteriensi agro interdum, frequentiores autem inter harundines secundùm fluviolum magna ex parte agrum illum rigantem consitas se reperisse scribebat qui eos ad Clusium misit *N. de Callas Peirets* toparcha.

Hunc *C. Bauhinus* à fungis pulverulentis non oportere distingui scribit in Pin. Verùm nos diversum sentimus, & ad Fungos phalloides potiùs referendum censemus; siquidem è volva pariter erumpit, estque liquore quodam fœtidissimo oblitus, quem muscæ avidissimè appetunt & exugunt: quamvis *C. Bauhinum* Lynceum perspicacissimum F. Columnam in hoc secutum scimus.

Cap. X.

A. *Fungus ramosus flavus & albidus* J. B. *ramosus, & Imperati* C. B. *Fung. escul.* 19. *genus* Clus. *An F. digitatus major atque etiam minor* C. B?

J. B.

Substantiâ est cum cæteris Fungis parili, sed figurâ longè aliâ. Nam ex uno geminóve crasso trunco in alios minores, hi in alios adhuc minores ad minimos usque creberrimis & anfractuosis segmentis Corallii fruticis in modum, sed longè densiore stipatu, finditur. Est & varietas quædam. Nam alii in tenuissimas ad extremum venarum instar hepatis divisuras abeunt; alii in Coralli aut paleæ crassitudine subsistunt. Colore sunt aliàs flavo, aliàs albido.

Clusius in tres species colore inter se differentes, nonnihil etiam formâ, hunc dividi posse arbitratur: quem si placet consule.

Septem-

Septembri mense sub Corylis nasci gaudet, inquit Clusius; *J. Bauhinus* Autumno in umbrosis sylvis. Nos in ericetis observavimus.

Huc pertinere existimat *J. Bauhinus Fungos digitellos* à digitis dictos, quorum meminere Hermolaus & Ruellius, itémque Lonicerus, licèt non demonstrent quid velint. Huc item refert Fungorum 5. genus, Digitellos, luteos prorsus, partim ex albo pallidos & roseos *Tragi*, Digitellos sive Maninas vulgò *Cæsalpini* : *C. Bauhinus* hos distinguit; & quidem rectiùs, sunt enim diversissimi, ut patebit ex descriptione addita. Hujus generis quoddam reperitur in Castaneis (inquit Cæsalpinus) spectabili magnitudine, ut unus sufficiat.

Hoc Anno 1685. observavimus Fungi genus in pascuis Augusto mense, pluribus simul ab eodem principio seu radice exeuntibus, duas uncias longis, culmi triticei crassitie, non tamen exactè rotundis sed paulum compressis, digitum figurâ quadantenus imitantibus, nivei candoris, valdè fragilibus, nullâ partium distinctione. Figura Fungi digitati apud Parkinsonum pag. 1318. non est huic speciei dissimilis. Hic longissimè differt à Fungo ramoso *J. B.* & *C. B.* & ab eo omnino separandus est: accedit proximè ad F. Ophioglossoidem.

CAP. XI.

* *Fungi ramosi argentei* J. B. *Fungus ramosus candidus* C. B. *Fung. nox.* 25. *genus* Clus.

Clus.

IN putridis dejectarum arborum caudicibus crescit circa Calendas Novembris.

Semipedalis est magnitudinis aut amplior, elegantissimæ formæ: Nam fruticosus est, & in innumeros quodammodo ramulos divisus, candoris immaculati, quorum nonnulli abiegnorum ramulorum figuram exprimunt, adeò ut si splenderet, ex puro puto argento conflatum quis æstimare posset: aliquando nullum habet pediculum, sed ipsi dejectæ arboris caudici inhæret: interdum sescunciali fulcitur pediculo.

CAP. XII.

A. *Fungus ramosus niger compressus parvus, apicibus albidis.*

LIgno putrido, præsertim radicibus adnascitur, éstque compressus, durus & tenax, digiti longitudine, summâ parte veluti in cornua divisus, apicibus albicantibus aliàs totus niger. Figura sua ad Algam marinam quodammodo accedit.

CAP. XIII.

A. *Fungus Ophioglossoides niger.*

IN montosis pratis agri Westmorlandici copiosè provenit. Color ei niger, magnitudo & figura spicæ Ophioglossi: quibus notis à reliquis abundè distinguitur ut ulteriori descriptione non indigeat. A sequenti fortè non aliter differt quàm vetustate.

CAP. XIV.

A. 1. *Fungi parvi lutei ad Ophioglossoidem accedentes.*

AB Ophioglossoide nigro colore differunt luteo, & nonnihil etiam figurâ, quæ in his ab imo ad summum æqualior videtur. In vivario Middletoniano in agro Warwicensi, & alibi in pascuis copiosum observavimus.

2. Fungus digitatus Parkinsoni. Hujus descriptionem vide *Cap.* X.

CAP. XV.

A. *Fungus pulverulentus dictus Crepitus Lupi* J. B. *Crepitus Lupi sive Fungus ovatus* Park. *F.* 3. *sive orbicularis* Ger. *F. noxius* 42, *sive rotundus orbicularis* C.B. *F. nox.* XXVI. *prima species* Clus. **Puff-balls or dusty Mushrome, Bul-fists.**

Clus.

NUllo ferè conspicuo pediculo nititur, glomeratæ rotunditatis, Juglandis magnitudine, & minoris, & majoris, primò albâ cute & medullâ itidem albâ conspicuus, postea ex albidâ vel lividâ; medullâ cùm corrumpitur in tenuissimum siccissimúmque pulverem abeunte. Calcatus crepitum edit & fumum pulverulentum emittit. *Nobis observati dum juniores adhuc essent*

essent cute quidem albâ, ad cinereum tamen tendente, eâque non lævi & æquali, sed velut granulatâ tecti erant, eorum autem pulpa interior mollis interdum, initio candidus, indè virescens.

In pascuis & pratis siccioribus ubique ferè Autumno invenitur. Hujus pulvis gravem & fœtidum spirat odorem *Imper.*

Siccat admodum & astringit, unde vulneribus inspersus sanguinem sistit, ulcera inveterata deficcat, hæmorrhoidum fluxum cohibet: oculis tamen inimicus, imò perniciosus, censetur.

A. 2. *Fungus maximus rotundus pulverulentus dictus Germanis* Pofist. *Fung. nox.* XXVI. *secunda species* Clus.

J. B.

Tantam assequitur magnitudinem, ut caput humanum facilè æquet aut etiam excedat, cute membraneâ satis firmâ [quæ in principio ex albo cinerea, mox cum tempore livida redditur] undique cinctus, substantiâ partim cohærente sed rarâ, eorum instar quos excipiendis silice chalybéque excussis scintillis præparatos vendunt, colore etiam persimili: sicci levissimi sunt, ut caput humanum singuli æquantes unciale pondus non excedant.

Sunt qui pro certo asserant vetustiores & jam justam maturitatem adeptos præstare ad compescendas sanguinis eruptiones, etiam periculosissimas; quibus & ipsi multorum cum præsenti salute usi sumus in eo ipso casu, J. B. In quem usum tonsores eos exsiccatos & omni pulvere vacuos in officinis suis adservare solere multis Germaniæ in locis scribit Clusius.

* 3. *Fungus rotundus albus* J. B.

Grandis est pilæ instar, rotundus, foris pallenti cortice, intus candidâ, succosâ, dulcíque carne, non in pulverem transiens, sed hyemis injuriâ, Peponum exemplo, putrescens.

Nascitur vere ex meris arenis. *Cord. in sylva Obs.*

* 4. *Fungus ollularis vel botryoides fimarius* J. B.

Uvarum albarum, amplarum, crassarum & longarum, veteribus Græcis βουμαστῶν dictarum similitudinem quodammodo refert.

Cap. XVI.

A. *Fungus minimus* ἀνάνυμος Clus. *minimus ligneis tabellis areolarum hortorum adnascens* C. B. *An Fungi calyciformes seminiferi* Mentzel.

Clus.

Vix semunciam altus est, Autumno plerunque nullo petiolo fultus, ligneis tabellis pulvinos & areolas in hortis ab invicem segregantibus adnascitur, cineracei vel exalbidi coloris, formâ pæne grossum immaturam referens, minimi digiti extremum articulum magnitudine vix æquans, singularis plerunque, vel (quando plurimi) bini, terni aut quaterni simul cohærentes, qui maturi supernâ parte dehiscentes, pleni apparent lento quodam succo, & seminibus, magnitudine quidem seminis Cyclamini, sed exiles fungulos formâ figuræ exprimentes, cineracei, ut parens, coloris.

Ab aliis omnibus nobis cognitis fungis abundè distinguitur quod semine prægnans sit.

Cap. XVII.

Fungi calyciformes seminiferi. Mentzel. *ita describit*;

Erumpunt primò instar globulorum pyriformium & aperti jam formam calycis præstant; in quibus (quod mirum) semen durum Lentis magnitudine continetur.

Hos observavit Mentzelius sponte provenientes ad parietes arcularum lignearum semiputridarum, itémque in terra umbrosa putredinem ex lignis continente juxta ædificia lignea, tempore Veris & Autumni, tempestatibus pluviosis & serenis alternatim mixtis.

Hujus generis fungos à se observatos ad nos misit eruditissimus Vir, & rei herbariæ peritissimus *D. Hansius Sloane M. D.* & Amicus noster singularis. Erant autem ii semunciali longitudine, campaniformes aut calyciformes, scyphulorum musci pyxidati similes, figurâ coni inversi, ab imo puncto ad margines summos paulatim dilatati. In fundo semina continent satis grandia, rotunda, compressa, tenui filo alimentum deferente annexa, per maturitatem aquâ pluviâ scyphulos replente & eorum labra præterfluente semina elevantur & unà quà fors tulit devehuntur. Per siccitatem nigricant.

Locus

Locus idem qui Fungi minimi anonymi Clusii, nimirum tabulæ ligneæ areolarum hortorum. Radix parva. E tumore parvo rotundo erumpunt primulum. D. Merret in Pinace rerum nat. Angliæ, hoc genus *Fungus campaniformis niger multa semina plana in se continens* dicitur.

CAP. XVIII.

A. *Fungi Pezicæ Plinii.* Col. *Fungus acetabulorum modo cavus, radice carens* C. B.

Col.

QUia sine radice aut pediculo nascuntur, à terra minimè se attollentes πεζικοὶ Græcis dicti sunt, autore Plinio. Solidior his caro, & callosior est, qui non à ligni putredine, vel alterius rei, sed à terræ pituitâ oriuntur. Horum ortus est, quando imbribus prægnans humus est, locis non putridis & uliginosis, sed in solidiore terrâ cui ità hærent, ut nonnisi cum ipsa in imo hærente evellantur, aut disrumpantur. Pyxidum aut acetabulorum modo cavi sunt, profundo & lato fundo, ut quatuor uncias aquæ majores capiant; alii rotundo ore, alii inæquali circumferentiâ, angulosâ, trigonâ, aut pluribus sinubus, vel lucernarum modo rostrati, oblongi. Carne constant crassâ, solidâ, humanæ auriculæ modo, albi exteriùs, interiùs verò purpurascentes, atque ita densâ & solidâ, ut aquam pluvialem multis diebus continere observaverimus; nec marcescunt duorum mensium intervallo. Fibrulas aliquot pro radice vix conspicuas diligenter excussâ terrâ habere comperimus.

Hanc observavit *D. Lister* è terræ rimis emergentem circa *Burwell* in provincia Lincolniensi.

A. *Fungi Pezicæ altera species* Col. *Fungus Hepaticæ saxatilis formâ* C.B.

Est (inquit *Col.*) & altera species congener, iisdem locis, carne solida, Hepaticæ aut Bryo similis quasi, foliosa, crispa & convoluta, humo adhærens eodem modo, nec putrescit sed durat.

Huic similem si non eundem observavimus è terra enatam in vivario ferarum D. *Fr. Willughby*, in **Middleton** pago agri Warwicensis. Similis erat membranæ crassæ aut corio crudo, fragilis tamen, supina facie rubro aut saturo Mali Aurantii colore. Ex uno puncto enati in latum se diffundebant hujus generis fungi, infundibulorum aut calicum ferè in modum circumvoluti, oris tamen non commissis seu continuis, adeò ut aquam continere non possent; ut de prima specie refert Columna.

SECTIO TERTIA.

Fungi Arborei.

CAP. I.

A. *Fungus membranaceus auriculam referens sive Sambucinus* C. B. *F. Auriculæ Judæ, coloris ex cineraceo nigricantis, perniciosus, in Sambuci caudice nascens* J. B. *F. Sambucinus sive Auricula Judæ* Ger. Park. **Jews-ear.**

Clus.

BReviſſimo vel potiùs nullo pediculo nititur, sed caudici arboris inhæret, aut singularis, aut geminus, membranacea cute constans, implicatâ & sinuosâ, coloris ex cineraceo nigricantis. Vulgus *Auriculam Judæ* nominat, cartilagineâ enim & membranaceâ est substantiâ, quemadmodum auris.

Vires. Fungus hic exsiccatus etiam per annum servari potest. In lacte decoctus aut aceto maceratus, in Angina aliisque oris aut gutturis tumoribus aut inflammationibus exhiberi solet ad gargarisandum aut guttur eluendum. Omnis generis inflammationes & tumores ex aqua rosacea aut vino impositum sedare & reprimere tradidere quidam. *Trag.*

Oculorum affectibus medetur in aqua appropriata maceratus & impositus. *Schrod.*

Cap. II.

A. *Fungus Intybaceus* J.B.

J.B.
MEmorabilis est magnitudinis & formæ: planus & compressus, dimetiente sesquipedali, ex foliis totus, aliis incumbentibus, aliis subeuntibus consarcinatus: Intybo crispo haud ineptè comparaveris: singulares foliosæ portiones cristatis crispisque oris, in quas radii ab insertione producuntur, pectunculos imitati. Color parte supina veluti cinericeus, pronâ albus; inversus porosus apparet, Stellámque marinam arborescentem egregiè exprimit. Odor haud ingratus: substantia lignosior quàm ut in cibos venire possit, mense Septembri repertus; mense autem Augusto non ità durus observatur, quem quidam edulem dicunt.

Nascitur in sylvis. Nos ad radices Quercuum invenimus in Parco dicto Middletoniano agri Warwicensis.

Cap. III.

* 1. *Fungi Laricum maximi lutei esculenti* J.B. *Fungus Lariceus aurei coloris* C.B.

HI, autore Matthiolo, Laricibus innascuntur in Ananiensibus montibus, triginti librarum pondere, aureo colore, per ambitum dissecti, in cibis gratissimi, nullo amarore præditi, licet Agaricus ab eadem arbore productus sit amarissimus.

2. *Agaricum* J. B. *Agaricus sive Fungus Laricis* C. B. *Agaricus ex Larice* Park. **Agarick.**

J.B.
Concretu fungoso Larici adnascitur, nunc majoribus, nunc minoribus massis conglobatum, [Parkinsono à manûs ad capitis humani magnitudinem] leve, candoris nivei, in farinam digitorum attritu friabile, sapore primùm dulci, mox subamaro, tandem acri cum aliqua adstrictione. Reprobum & candore cedit magísque nigricat, & minùs facile friatur, pondere etiam vincit, utrumque verò obvestit callosus cortex & nigricans. Notæ optimi Agarici hoc disticho continentur,

Res frangi præsto pretiosus Agaricus esto,
Candidus & splendens, bonus in libra leve pendens.

Hinc improbatur qui stirpi proximus est, quia trahit aliquid de nigredine corticis, quin ferè lignosior est, ideóque minùs friabilis. Agaricus Dioscoridi & Plinio duplex habetur, Mas & fœmina. Mas rotundus est & undique sibi similis, Plinio crispior amariórque; Fœmina rectas intus habet pectinum modo venas & quasi divisuras, Plinio Fœmina solutior est, initio dulcis, mox in amaritudinem transit. Hæc præfertur, illa reprobatur. Officinæ nostræ hoc modo non distinguunt, quod sciam.

Etymon. *Locus.* Agaricum in Agariâ Sarmatiæ regione nascitur, autore Dioscoride, unde & nomen ei inditum. At non in Agariâ tantum, quamvis ibi fortè præstantissimum, oritur, sed & in Delphinatu Galliæ & in montibus Tridentinis, necnon Rhætorum, Vindelicorum & Noricorum tractu. Ad nos olim ex Hungaria, (ubi copiosæ Larices crescunt) delatus fuit: hodie tamen optimus habetur qui in sylvis Tridentinis & Noricis oritur: candidissimus enim, levis & mollis plerunque est: improbatur autem niger, & qui multis nervis in medio dum frangitur constare conspicitur, ut & compactus, gravis, &c. *D. Palmer* communicavit ex dictatis *D. Hermans.*

Brassavolus aliique se Agaricum Quercui adnascentem vidisse scribunt; alii Ilici, Abieti, Piceæ. Matthiolus se nunquam vidisse Agaricum alii arbori præter Laricem innascentem refert, neque in montibus Tridentinis & Ananiensibus, neque in Carniola aut Dalmatia alibíve in Germania & Italia, ubi copiosissimæ Quercus, Ilices, Abietes, Piceæ crescunt.

Quin & miratur Bellonius audere quenquam affirmare Agaricum nasci in aliis arboribus quàm in Larice. Verùm negativam propositionem perdifficile est probare; neque vel Matthiolus vel Bellonius certi esse potuerunt Agaricum aliis præter Laricem arboribus non innasci, quia ipsi innascentem non viderant, nisi (quod impossibile est) omnes per totum terrarum orbem nascentes Quercus, Ilices, Abietes, Piceas, aliásque arbores, quibus adnasci dicitur lustrâssent: & vel uni testi fide digno asserenti se innascentem vidisse potiùs credendum est, quàm vel mille cujuscunque autoritatis sunt id negantibus. Utcunque tamen ego in Matthioli & Bellonii sententiam inclino; & Fungos illos, quos prædicti autores Quercui aliísque arboribus innascentes viderant, Agarico affines & similes potiùs quàm veros Agaricos fuisse opinor.

Vires. Agaricum purgat pituitam, præcipuè crassam & lentam [tenuem, aquosam, serosam & viscosam totiùs corporis, *Schrod.*] & bilem utramque. Datur Hepaticis & anhelosis, & ictericis, & nephriticis & dysentericis, & in urinæ difficultate, & in uteri strangulatu, & in vitiato colore, drachmæ pondere. Facit quoque ad dolorem ischiadicum & comitialem morbum. Ducit & menses, unde & prægnantibus usus ejus interdicitur, aliaque multa præstat quæ vide apud Botanicos & Practicos.

Datur

Datur in substantia à ʒj ad ij, in infusione à ij. ad v.

Duo vitia corrigenda sunt in Agarico, 1. *Tarditas* ipsius. 2. *Levitas*, ob quam ad fundum ventriculi ægrè descendens nauseam & vomitum facit. Optima ratio corrigendi est, si trochiscetur Agaricus cum s. q. vini albi vel Malvatici in quo zingiber fuerit infusum. *Le Brun.* Quia ventriculo nauseabundus est corrigitur stomachicis Zingib. Caryophyll. Spica Celtica, &c. Quia tardè operari solet additur stimulus ex Sale gemmæ, Crystallis Tartari & similibus. *Schrod.*

Hos corrigendi modos impugnat, nec optatum effectum consequi ostendit Aug. Ferrerius: siquidem zingiber ad flatulentiam quidem castigandam prodesse poterit, ad oris Ventriculi adstrictionem planè nihil. Reliqua apud ipsum vide.

CAP. IV.

* *Fungus auritus Juglandium albicans* J. B.

Imper.

ORecchivole species Fungi coriacei, figurâ foliacei, quæ ab uno pedicello in curvaturam abit, in ambitu Rosæ dimidiatæ instar dissecta. Pars inferna reliquorum fungorum in morem striis foliaceis secta.

Nascitur in arboribus, specialiter in nucibus, colore albicante.

CAP. V.

* *Fungus lignosus arboreus ad furfures* J. B. *Fungus noxius 4. sive ad cutim extergendam aptus* C. B.

Imper.

FUngus quo, autore Imperato, ad abstergendos capitis furfures utimur, de lignosorum Fungorum genere est, magnus & maximi capitis medietatem adæquans. Nullo pediculo nititur, sed arboribus immediatè affixus hæret, divisuras, infernè manifestas habens, quarum ope furfures decutiuntur.

CAP. VI.

* *Fungus villosus arboreus coloris ochræ tinctorius* J. B.

MEdiocris magnitudinis est, duobus pugnis simul junctis ferè æqualis, undique tunicâ mucosâ obtectus, quæ in villos disjungitur breves, quorum longitudo ipsam tunicæ crassitudinem æquat. Interior quoque substantia villosa est, quæ arbori adhærens in filamenta quæ ex corio emergunt, quaquaversum terminantur. Colliguntur ex arboribus pomorum, colore intus ochræ, qui exsiccati nigrescunt. Utuntur mulierculæ horum decocto ad tingenda vestimenta lugubria.

CAP. VII.

A. *Fungi arborei ad ellychnia* J. B. *F. durus arborum, sive igniarius* Park. *F. nox. 3. sive in caudicibus nascens unguis equini figurâ* C. B. Touch-wood.

J. B.

EX Juglandibus [imò & aliis arboribus] colliguntur Fungi, truncis annosis adnati, substantiâ callosâ lignosâque in ambitu & fibris rectis contextâ, in meditullio molliore; in qua [si rectè memini] vix ulla apparent fibrarum vestigia. Color foris cinereus, intus obscurior, ad fuscum inclinans: præparatione autem assequuntur mollitiem illam, & vim ignium rapacem, quos depopulantes ipsorum substantiam ad extremum fovent.

Fungos hosce ad id negotii parare solent hoc modo. Decoquunt illos in lixivio, & siccatos tundunt, rursúsque nitro coquunt: hoc enim pacto ad concipiendum ignem aptiores redduntur.

CAP.

Cap. VIII.

* *Fungus putridus arborum ramis inhærens, plurimis simul cohærentibus* C. B. *Fungi dicti Spongii, lignorum perniciosi* J. B. *Fungorum noxiorum* 24. *genus* Clus.

Clus.
TRes hujus species observantur,

1. Reliquis major, in majusculis ramorum fragmentis nascitur, unciæ aut duo unciarum magnitudine, formâ Auriculæ Judæ, colore rubro, interdum plures cohærentes & in unum corpus veluti coalescentes, valde tamen se remittente colore.

2. Longè exilior, unguis latitudine & interdum majore, singularis aliquando, interdum bini simul conjuncti, formâ velut supernè exscalptâ, coloris egregiè rubentis & adeò floridi ut coccineum provocare videatur. Inhæret plerunque tenuibus ramorum aut corticis illorum fragmentis; in umbrosis.

3. In iisdem ramulis nascitur, rugoso corpore, unciali aut sescunciali magnitudine: interdum bini simul cohærent, unciâ minores, plerunque etiam terni, & illi quidem elegantiore aureo colore præditi, reliqui flavo.

Octobri mense in putridis dejectarum arborum ramis crescit.

Cap. IX.

* *Fungi Salicum colore varii perniciosi* J. B. *Fungus Salignus Lichenis formâ variegatus* C. B. *Fungorum noxiorum* 4. *genus* Clus.

Clus.
NOvo vere post præmaturas pluvias in Salicum caudicibus confertim plerunque nasci solet, firmiter inhærens Lichenis instar, in corpus tuberosum excrescens, variâ figurâ & magnitudine: nam pleraque tubera uncialem magnitudinem non superant, alia duas & tres uncias interdum ampla sunt, coloris elegantis & variè commixti: nam in eis & albedo conspicua est, & pallor, & suave-rubens color, & satur, atque etiam flavus; adde his fuscum sive fuliginosum colorem hinc inde ipsis inspersum.

Cap. X.

A. *Fungus arborum & lignorum putrescentium coloris varii. An Fungus Cerasorum* Clus.? *F. Cerasorum imbricatim alter alteri innatus, variegatus* C. B.

EST hic, ut puto, quem Clusius aliique eum sequuti Botanici *Fungum Cerasorum* appellant, quamvis non rarius aliis arboribus adnascatur quàm Cerasis. Est autem pulchrè variegatus ductibus seu fasciis, diversi coloris ad marginem parallelis, aliis supra alios. Hujus generis plures ex eodem pede nati, imbricatim sive tegularum instar alter supra alterum conferti nascuntur, ut rectè Clusius. Infernè foraminulis innumeris punctatus est, minimè striatus, colore albicante.

Hic est ut puto Fungus holosericeus Iridiformis quasi colorum alternatione variegatus *Cat. Altd.* Supina enim ejus pars ad tactum interdum mollis est holoserici instar.

Clusius colores diversos ordine transversim eum secantes recenset, primo ex albo pallentem unciali latitudine à pede. Secundo ex rubro flavóque permixtum; deinde flavum maculis fuliginosis infectum; extimis tandem oris saturâ rubedine nitentibus, quam nonnihil fœdat linea quædam veluti farinâ conspersa. Verùm colores hi non iidem in omnibus hujus generis Fungis sunt, sed in diversis arboribus nascentibus diversi.

Cap. XI.

A. *Fungus Fraxineus niger, durus, orbiculatus.*

FRaxinis marcescentibus & tabidis accrescit, variæ magnitudinis & figuræ, plerunque tamen subrotundus, nullo pediculo pugnum interdum æquat, plerunque minor est: ex variis fibrarum nigricantium velut areis seu stratis aliis supra alias, compositus, ut in fluoribus quibusdam lapidibus aut petris accrescentibus sæpius observavimus. Durus est & ligneus, cum vetustior lævi est superficie, colore nigro.

CAP. XII.

A. *Fungus Quercinus niger.*

CAudicibus & ramis Quercuum dejectarum innascitur, circulari ambitu, diametro sescunciali aut duarum unciarum, nullo pediculo propriè dicto, sed à marginibus circumquaque sensim se contrahens, donec ad punctum seu locum illum ubi ex arbore enascitur valdè gracilis evadat. Interior ejus substantia dum adhuc junior est & tener, gelatinæ cuidam lentæ aut visco similis est; inferna parte color minùs niger sed potius fuscus est & rugosus. Octobri mense hunc observavi, puto tamen omni anni tempore inveniri.

CAP. XIII.

* *Fungus pannis laceris similis igneus* C. B.

Cæs.
QUidam (inquit Cæsalpinus) pannis laceris similes sunt aut Spongiis, colore igneo; ideò ignem sylvestrem vocant, inutile cibis. Oriuntur præcipuè ad radices Oleæ. Pulvis inspersus valet ad ulcera putrida & erodentia.

CAP. XIV.

* *Fungus coriaceus Quercinus hæmatodes* Breynii *in Ephemer. German. An.* 4. *&* 5. *Obser.* 150.

Breyn.
IN medio Quercûs, medullæ velut subucula circumvolutus, inventus est; tener erat, mollis, flexilis, planus, nonnihil rugosus, eâ longitudine & latitudine ut colobium ex eodem commodè conficere licuisset: colore pallido ad flavum nonnihil tendente; itemque substantiâ, tractatione & figurâ alutæ ex pelle caprina confectæ similior quàm ovum ovo, nisi quòd crassior, materia minùs compacta, intus præterea passim duriuscula & rotunda tubercula, in manus magis quàm in oculos incurrentia occultante. Initio gustatûs vis statim quædam attractiva apparebat. Reperitur & in aliis arboribus.

Nobilissimum præstantissimúmque remedium hæmorrhagiæ narium inhibendæ, si cordi particula ejus imponatur, dicitur.

CAP. XV.

* *Fungus Cornu Dorcadis facie* Breynii, *ibid. Observ.* 152.

Breyn.
AMstelodami hic ex arboris Pyri aut Pruni trunco originem habuit. Duobus constabat ramis formâ, magnitudine, crassitie, ramulísque adhærentibus cum cornibus Capreæ mediocris comparandus. Substantia erat lignea, levis ac fungosa, color candens.

SECTIO QUARTA.

De Fungis Subterraneis, seu Tuberibus terræ.

TUber Latinis à tumeo dictum est, quomodo à *facio faber*, ab *humeo huber* & per aphæresin *uber*, à *glubo glaber*, & alia multa. *Voss. Etymolog.* Græcis ὕδνον dicitur ἀπὸ τοῦ ὕδειν, id est, nutriendo, plurimum enim alimenti præbet. In Aldino & Basileensi [Theophrasti Hist.] codd. observante Jo. Bodæo, οἴδνον legitur, & fortasse rectiùs, ἀπὸ τοῦ οἰδεῖν vel οἰδαίνειν, quia sunt οἰδήματα τῆς γῆς, terræ tumores.

Tubera J. B. C. B. *Tubera terræ* Ger. *Tubera terræ edulia* Park.

J. B.
Nihil aliud sunt Tubera quam sine caule, sine foliis radices, magnitudine varia, pugillari interdum, aliàs Juglandis castaneæ aut Avellanæ, tuberculis extantibus inæquales, externâ superficie rugosâ

gosâ & nigrâ, substantiâ albâ, consistentiâ carnis castanearum, gustu fatuo, odore nonnihil gravi, & hircino.

Imperato Tubera è genere vegetabilium sunt, sub terræ cortice latentia, figurâ inæqualiter globosâ. Substantia eorum callosa est, tenera, nutritioni apta. Crescunt locis arenosis & inter stirpes. Nostratia ut plurimum ad Melonum magnitudinem accedunt, cortice tecta nigro, scabro atque rimoso; substantiâ internâ colore lacteo, sapore communiter grato. Dignoscuntur Tuberum loca natalia ex rimis quæ in terræ superficie spectantur.

Modus quo Rustici in Italia (ut nobis relatum est) Tubera indagant, perridiculus est. Procellum scilicet Autumni tempore funiculo alterutri posteriorum pedum alligato præ se agunt in pascua ubi horum proventum solere esse nôrunt; qui ubi ad locum venit in quo tuber latitat, odore mox id percipit rostróque eruit, erutum qui insequitur præripit, & ad alia indaganda porcellum abigit. Christianus Mentzelius Porci actorem ipsum sue, quamprimum rostro indicium dederit resti retracto, tubera effodere, ínque usum humanum gulæque delicias colligere scribit.

Tubera quæ Bononiæ & Florentiæ vidit Mentzelius exterius fusci coloris erant, interius quoque ejusdem, sed multo candore instar marmoris interfusi. Frixa cum oleo recenti & pipere gustui grata sunt, Venerémque stimulant.

Idem Mentzel. in Marchia Brandeb. propè *Furstenwaldiam* tubera quædam à porcis eruta observavit, quæ testiculos humanos scroto denudatos formâ, magnitudine & colore exactè referebant. Cùm ergo testiculos humanos proxima similitudine referant, & hircinum odorem spirent, indicium est non leve ea Veneri stimulando idonea esse.

Tubera cocta & pro emplastro imposita Anginosis adeò prosunt, ut quidam jam morituros hoc auxilio liberârunt. *Cardan.* de variet. rerum, cap. 28.

• *Tuberum genus, quibusdam cervi boletus* J. B. *Tubera cervina & Lob.* C. B.

J. B.

Magnitudine est Juglandis, interdum Avellanæ, & minore, tuberosum & inæquale, substantiæ inter duritiem & mollitiem mediæ, cortice intectum ex cineraceo ad fulvum nonnihil inclinante, superficie granulata, cui callus subest atro-purpureus, eâ quam diximus consistentiâ, qui recentior subastringit, exiccatus adstrictione amissâ dulcedinem leviusculam linguæ offert. Meditullium fungosa quædam substantia ex albido purpurascens occupat; texturæ perquam raræ, ut similiter Aranearum telis convolvatur, & in nihilum stylo vel mucrone cultelli terendo abeat, relicto quà abscedunt calli latera spatio inani. Siccum & jamdudum repositum nihil aliud continere comperitur quàm pulvisculum, ut in Crepitu Lupi, sed farctiorem, sapore adstringente nonnihil, colore fuliginoso, nullâ relictâ in medio cavitate, cortice circumjecto satis crasso, duriusculo.

Quæ de locis ubi nascuntur hæc tubera, & eorum ortu è genitura cervorum à Matthiolo & aliis referuntur, quoniam fabulosa & conficta mihi videntur, lubens omitto. Consulat Lector, si placet, J. Bauhinum tom. 3. *lib.* 40. *cap.* 80. *pag.* 851. Cordus eum invenit in præruptissimis montium sylvis, quò nè damæ & rupicapræ quidem pervenire possunt, nedum cervi. Sanè repertus est, subdit Jordanus, in locis ubi ab hominum memoria nullus unquam visus est cervus. Ad Trenzinium nobile Hungariæ oppidum circa Carpathi juga frequentissimus montuosis locis, sylvis opacis, ubi licèt cervos reperias, non tamen tantâ copiâ quæ plaustris Fungorum sufficeret. Hæc J. Bauhinus.

Cæterùm fungi hi cum crepitu Lupi dicto plurimum convenire nobis videntur, v. g. cute exteriùs granulatâ, & substantiæ interioris consistentiâ.

LIBRI SECUNDI
PARS TERTIA.
De Muscis sterilibus seu aspermis aliisque affinibus.

MUscus à Græco Μόσχος dicitur, quo notantur tenera & novella, uti tenera boum soboles, & tenelli arborum rami. Muscus autem quamvis res notissima sit, ejúsque species ab unoquoque primo statim aspectu agnoscantur, non tamen itá facile est eam definire, aut generalem aliquam descriptionem cudere, quæ omnibus Muscis & solis conveniat.

Solent autem Musci censeri Aridiores illæ & exuccæ, plerunque decolores, substantiæ, quæ oriuntur vel in opacis, vel in muris, tectis, arboribus, petris, aliísque locis sterilioribus, immodico frigore aut calore perustis, aut etiam siccis & squalidis, in quibus plantæ perfectæ nec provenire, nec durare possunt; aut saltem plantis perfectioribus minùs commoda & propitia sunt.

Musci sunt vel steriles & ἄσπερμοι, vel fertiles & σπερματοφόροι.

De sterilibus, iis saltem qui steriles censentur quoniam nullum in iis semen hactenus detectum & observatum fuit, hoc in loco agemus.

CAP. I.

De Muscis terrestribus nobis observatis.

MUscos terrestres hoc capite comprehensos voco quamvis & horum plerique arboribus interdum aut ædium tectis innascantur, quoniam in terra maximam partem oriuntur.

A. 1. *Muscus filicinus* J. B. Ger. Park. *filicinus major* C. B. **Fern-moss.**

Ad trium unciarum altitudinem assurgit, ejúsque caules, seu folia mavis dicere, filicina bene imitantur, sunt enim ramosa, ramulis utrinque è scapo seu nervo medio crebris exeuntibus, brevioribus sensim, donec nervus tandem in acumen desinat: inferiores autem ramuli, ut in filicibus ramosis, utrinque surculos emittunt; surculi denique foliolis capillaribus creberrimis vestiti sunt: itá ut totum folium (si parva magnis componere licet) filicinum proximá similitudine referat. Color ex viridi flavicat. Umbrâ gaudet, ideóque in sylvis plerunque oritur, & quidem copiosissimé. Capitula seu vascula seminalia in hoc genere non observavimus. Folia quæ diximus in hac plantula veriùs rami sunt seu cauliculi ramosi.

2. *Muscus denticulatus major* C. B. Park. Ger. *terrestris denticulatus* Lob. *Muscus pulcher parvus repens* J. B. **The greater dented Moss.**

J. B.

Serpit Chamæcissi modo pulchellus hic Muscus, cui ad costam tenuem fili instar denticulata foliola, tenera, pulchrè viridia, alterna plerunque, non adversa ut vult J. Bauhinus, absque pediculis lata basi adnascuntur. Cæterum in varios divaricatur ramulos, qui hinc inde tenues radiculas emittunt. Lobelius eum rectè denticellis & sarmentosis viticellis compressis argutá naturæ solertiá elaboratum scribit.

Vascula seminalia in hoc non observavimus, suspicamur tamen ei non deesse.

3. *Muscus denticulatus minor* C. B. Park. Ger. *terrestris Lusitanicus* J. B. **The lesser dented Moss.**

Tenerrima herbula est hic Muscus, dodrantalibus aut pedalibus interdum repens viticulis, filo tenuioribus, numerosis utrinque adnatis ramulis in obliquum expansis & subinde capillaribus quibusdam quas producunt fibris terræ adhærentibus. Omnes autem viticulæ tectæ sunt frequentissimis foliolis, sive squamulis potius tenuissimis & tenerrimis, pulcherrimá serie digestis, dilutioréque & quodammodo pallescente viriditate præditis, tactu quidem mollibus, sed veluti siccis, adstringente gustu cui tamen grata quædam dulcedo admista sit.

Nusquam hoc Musci genus Clusio conspectum quàm in umbrosis aggeribus olivetorum ad Colibriam Lusitaniæ urbem, trans flumen *Mondego* Latinis Munda nuncupatum, non procul à deserto quodam sacello, in colle sito. Somerseti Angliæ sterilibus montibus [*Mendip* vernaculè] ubi plumbum effoditur, nonnusquam magnâ gliscit copiâ, referente Lobelio. Nos Clusio descriptum nondum

nondum vidimus in Anglia sponte provenientem; verùm speciem aliam longè minorem in ericetis, muscis aliis adnascentem.

* 4. *Muscus parvus stellaris* C. B. Park. *Muscus in ericetis proveniens* J. B. Lob.

J. B.
Apud Lobelium frustra delineationem aliquam hujus plantæ inquisiveris præter ejus picturam in Icon. Plant. & in Hist. Belg.

* 5. *Muscus stellaris roseus* J. B. C. B. Park.

C. B. Prod.
Ex fibellis nigris radicem constituentibus pedicelli unciales prodeunt, quibus singulis folia plura instar rosæ compacta pallidè virentia, acuminata, in modum stellæ disposita insident.
In saxosis Telamontii provenit.

A. 6. *Muscus corniculatus* J. B. Park. *An Muscus terrestris ceranoides* C. B? *An potiùs M. ter. coralloides incanus* ejusdem?

Cornu cervino multis ramis similis est, quem nos observavimus tubulosus erat, ejúsque summi surculi in acutas spinulas plerunque desinebant. Lithobryon coralloides *Col.* huic persimile est, nisi quòd plerunque colore sit virenti, quódque in humentibus saxis & muscosis oriatur.

A. 7. *Muscus coralloides apicibus coccineis. An Muscus terrestris coralloides erectus cornibus rufescentibus* C. B. Park?

Hic (inquit C. Bauhinus) in ramulos rigidiusculos dividitur, qui licet candidus sit, illius tamen summitates cornutæ & rigidæ rufescunt.
Ad Wiesam fluvium latè expansus in arenosis reperitur.
Ab hoc Musco à C. B. descripto alium adhuc apicibus coccineis diversum habemus: nec enim cornutæ sunt aut rigidæ ejus summitates, sed potiùs molles, apices etiam coccinei obtusi; & ramuli tubulosi sunt. Ad radices arborum dejectarum & in uliginosis sterilioribus nascitur.

A. 8. *Muscus tubulosus ramosissimus Fruticuli specie. M. Coralloides sive Corallina montana* Ger. emac. *corallinus montanus* Park. *Coralloides sive cornutus montanus* C. B.

Ad duarum triúmve unciarum altitudinem assurgit, in plurimos tenuissimos ramulos teretes fistulosos divisos & subdivisos, eósque leves, aridos, albicantes, adeò ut corallinam quodammodo referat, quamvis non omnino lapideus sit.
In ericetis squalido & spongioso solo oritur.

A. 9. *Muscus pyxidatus* J. B. Park. Ger. *terrestris ramosus* 13. *sive pyxioides terrestris* C. B. **Cup-moss.**

J. B.
Lichenis modo foliis terræ instratis se diffundit granulatus hic fungosæ substantiæ muscus, surgentibus hinc inde uncialibus aut semuncialibus pyxidulis, crassis, cinerei coloris, superius in acetabuli formam patulis, pede angusto nixis.
In aridioribus è corio terreo saxis instrato oritur, inquit J. B.

* 10. *Muscus pyxioides saxatilis* J. B. C. B.

C. B.
Tubulis est longè minoribus, copiosioribus, nec ità candidis qui petris saxísve latissimis innascitur, eáque obtegit, quemadmodum in via Telamontium versùs videre est, inquit C. B.
Musci pyxioidis vulgaris pulvis in zythogalo, Cerevisia tenui, alióve convenienti vehiculo per aliquot dies exhibitus tussim convulsivam puerorum, nonnullis catarrhus ferus seu ferinus dictam, specificâ proprietate lenire & sanare dicitur. *Vires.*

Cap. II.

Musci quidam terrestres C. Bauhino in Prodromo descripti.

* 1. *Muscus Abietis facie* C. B.

C. B.
PRædicto [Musco filicino minori] non multùm absimilis est, viticulis in ramos divisis, foliis capillaceis, utrinque (ut in Abiete) costæ longiusculæ adnatis, multò quam in priore brevioribus & viridioribus.

* 2. *Muscus pennatus* C. B.

C. B.
Colore est ex luteo virescente, lateque serpit multis viticulis, sed brevibus, ramosis, minutis foliis pennam æmulantibus vestitis, qui fibras tenues pro radicibus habent.
In petrosis & sylvis reperitur.
Hujus altera species, radice rufescente, è copiosissimis fibris composita, viticulis ramosioribus, foliis minoribus in sylva Vilensi locis uliginosis provenit.

* 3. *Muscus ramosus repens* C. B. *velut spicatus.*

C. B.
Hic ad arborum radices nigris radiculis terræ affigitur, viticulis crassis & longis serpit, & de se copiosas veluti spicas oblongas, ex tenuissimis & levissimis foliis compactas, ramulorum instar emittit.
Huic similis & alter foliorum tantùm apicibus candicantibus discrepans. Uterque in monte Crentzacho reperitur.

* 4 *Muscus ceranoides major & minor* C. B.

C. B.
Major trium quatuorve unciarum est, foliis carens, cauliculis latiusculis, in ramos divisis, hique in alios breves, & hi similiter in tenuissima segmenta, trifida, quadrifida acutè scinduntur.
Minor totus incanus, unciam non excedens, ex plurimis ramulis proximè junctis compositus; quorum summitas communiter in duo minutissima & acutissima cornua abit.
Uterque in Hercynia collectus fuit.

CAP. III.

* *Muscus Islandicus* Bartholini, Sibbald. Prodr. *Hist. Nat. Scot.*

DE hoc musco Tho. Bartholinus Act. Med. An. 1671, 1672. obs. 66. ex Observatione Borrichii hæc habet.
Fert Islandia muscum, nulli hactenus Botanicorum, sed jam & pharmacopolis nostris cognitum: Terrestris est & firmus, colore subalbidus, ramosus, lato ungue vix latior, sed qui in longum variè proserpit, costis hinc indè spinosis horridulus.
Eo insulæ coloni primo vere utuntur ad expurgandos humores corporis noxios; reliquo æstatis siccatum in farinam comminuunt, & pulmentariis admiscent, expirante demum vi purgatrice, & succedente alimentaria. Ex adversar. D. *Tancredi Robinson.*

CAP. IV.

De Muscis arboreis.

A. 1. *Muscus arboreus: Usnea Officinarum* C. B. *Muscus arboreus vulgaris & Quercinus* Park. *Muscus Quernus* Ger. *Muscus arboreus villosus* J. B.

J. B.
EX arboribus adultis, inprimis verò senio confectis, nisi frequentem senserint putatoris falcem, villi dependent incani, lignosi, tenuibus contexti filis, gustu adstringente.
Varius est, unus tenuior, crassior alter, quidam brevior, alius prolixior: omnes candescentes, pauci rutilantes, quandoque nigri.
Locus. Reperitur potissimùm in Quercu, Populo, Ulmo, Betula, Pomo, Pyro, Pinu, Picea, Abiete, Cedro, Larice & aliis quamplurimis verùm primæ nobilitatis, & odorati sunt Cedrinus, Lariceus, Pineus & Abietinus, secundum locum tenet Populneus: Candidus præstat, nigricans improbatur, rutilans medium locum tenet: vilissimus Quernus. *C. B. è Dodonæo.*
In annosis Quercubus & Ilicibus Valenæ sylvæ reperitur non longè Monspelio, unde Pharmacopœis defertur. Est enim pulvis ejus basis pulveris Cyprii Monspeliensibus dicti, & vulgò ibi dicitur *Corps de Cypre gris. Botan. Monsp.*
Apud nos in Anglia rarissimum est hoc Musci genus, nec mihi, quod sciam, unquam conspectum; fortè in exteris regionibus frequentius, quamvis & ibi rarissimè nobis in conspectum se dedit. Semel in Bavaria in Abietum vetustarum sylva copiosissimum observavimus muscum è ramis dependentem, Musci arborei villosi *Dod.* descriptioni egregiè respondentem, qui à nobis collectus & inter chartas repositus eas colore ex flavo rubente, ac si igne torreri inciperent, tinxit; imò sæpius translatus novas adhuc chartas eodem colore infecit, etiam post multos annos. Quocirca nisi abundet magis circa Monspelium quàm alibi, minimè sufficeret pro base tantæ pulveris Cyprii quantitati, quanta quotannis ibidem præparatur & divenditur. Quin si Quercubus & Ilicibus innascens inser-

inserviat pro corpore famoso illi pulveri odorato Monspeliensi, non adeò vilis sit oportet ut vult C. Bauhinus, nisi fortè ob melioris penuriam eo uti coacti sint: quod non videtur verisimile, quoniam pulvis Cyprius Monspeliensis in hoc genere nobilissimus censetur. Ego, ut verum fatear, suspicor Monspelienses pro corpore pulveris sui Cyprii adhibere seu assumere Muscum arboreum ramosum nobis cum J. Bauhino dictum, necnon promiscuè muscum arboreum pellatum & scutellatum *ejusdem*, (eum intellige qui Quercubus & Ilicibus innascitur) partim quia hi ubique inveniuntur maximâ quantitate, partim quia Fer. Imperatus utrumque hunc muscum odoramentis admisceri scribit, effectu pari. Imperatus autem, Pharmacopœus ipse cùm fuerit, hujusmodi pulverum odoratorum compositionem ingredientia optime novit. Hæc ex conjectura scribimus, non tamen negamus Muscum arboreum in hunc etiam usum assumi, si quando offeratur.

Muscus capillaceus longissimus *C. B.* non videtur à descripto specie distinctus; vel si differat, ex solo titulo satis innotescit.

Musco arbore pulverisato extrinsecus sanguinem è vulneribus effluentem compescere solere Chirurgos in Germaniâ scribit D. Sachs. Ephemer. Germ. An. 2. pag. 92. *Vires.*

A. 2. *Muscus amarus Absinthii folio* J. B. *fortè: An potiùs Muscus arboreus ramosus* J. B? *Foglio diramato* Imper.? *An M. alter Quernus latifolius, coralloides ἄφυλλος* Col.

Similis est pergameno dissecto (inquit J. B. ex Imperato) [aut Algæ vulgari] Principium latius, in ramos divisum latos pariter & planos, colore candicante supernâ seu adversâ parte, nam infernè nonnihil admixtum habere videtur flavedinis, veluti flos lactis. Non raró etiam orbiculos habet. Differt magnitudine & latitudine segmentorum.

In omnibus ferè arboribus reperitur, & quidem copiosissimè: nec in arboribus tantùm, sed & in lignis aridis; unde miror Botanicos illius non meminisse, vel obiter tantùm & obscurè attigisse. Musci ceranoidis majoris *C. B.* descriptio ei non ineptè quadrat. Verùm ille rariorem eam facit, & longè ex Hercynia petit. Nostro ad descriptionem sufficit, quòd sit caulibus, seu foliis mavis dicere, compressis, planis, algæ ferè in modum divisis, & in omnibus arboribus ubique vulgatissimus, colore albicante seu incano. Vide descriptionem Columnæ, quæ in plerisque Musco nostro convenit, nisi quòd lævem ac splendidum eum dicat: icon non bene respondet: nam caulis & rami nimis angusti, divaricationes non satis crebræ pinguntur. Vide apud J. B. Musci amari, &c. descriptionem.

Suspicor hunc (ut dixi) pulveris Cyprii odorati compositionem ingredi. Sententiam nostram de materia seu corpore (ut vocant) pulveris Cyprii confirmat *D. Sachsius, Scholio in Observ.* 51. *An.* 2. *Ephemer. Germ.* ut nobis suggessit *D. Tancredus Robinson.* Muscus (inquit ille) arboreus ramosus coralloides *C. B.* qui in cariosis & corruptis lignis, item truncis abscissis arborum, seu humi super terram in eorum radicibus, maximè in Quercu, Larice, Abiete, Cupresso, invenitur, & Coralii plantulam æmulari solet (etiam aliquando delicatissimum musci odorem spirat) odoramentis sæpissime admiscetur. Galli pulveres suos odoratos, quos Cyprios vocant, ex hoc musco parare solent, quos virgines & mulierculæ non vestibus tantùm sed & capillorum cincinnis aspergunt. Modum singularem parandi hunc pulverem habet *Jo. Zwelferus in Pharmac. Regia, p.* 100. Ego apud C. B. non invenio muscum hoc titulo *Musc. arbor. ramosus coralloides*, sed Musc. arb. coralloid. absque epitheto ramosi; est tamen muscus ille quem intelligit C. B. quémque depingit & describit F. Columna revera ramosus; ísque è quo præcipuè, ut opinamur, fit pulvis ille odoratus, Gallis Cyprius dictus.

A. 3. *Muscus arboreus peltatus & scutellaris* J. B. *arboreus cum orbiculis* C. B. *Quercinus fœniculaceus* Park. *ramosus floridus* Ger. *arboreus τειχόφυλλος.*

Col. J. B.

Muscus ille ab aliis non differt, nisi quòd veluti fructifer videatur. Umbellas singulis cacuminibus habet latas, cavas, umbilicatas, læves, semunciali ad summum latitudine, non raró minores, per ambitum radiis stamineis circumcirca coronatas, intus læves, albescentes: radii verò longi admodum ut diametrum umbellæ superent aliquando, inter quos hirsuties altera est densior, brevis admodum atque tenuior, per ambitum hærens. Color huic ut præcedenti ex viridi cinereus seu albicans. Teretibus, crassiusculis, rigidis veluti coliculis, ramosis, quos cirri tenues vestiunt in arboribus crescere solet.

Hoc aut præcedens genus cerevisia aut zythogalo incoctum & potum gravedinem & destillationes compescit & sanat.

* 4. *Muscus arboreus capitulis cavis* C. B. *Muscus alter πλατυπυκνοδασύφυλλος* Col.

Col.

Ortum cum præcedente eundem habet, latis & planis foliis sive ramulis, cavis etiam, sed utrinque hirsutis umbellas sive capitula potiùs huic cavo umbone, nigrescente intus, limbo circundata aliquando dentato, ex cujus latere eodem modo falcata sive brachiata, sed huic ramis dividuntur. Tota brevior est, colore cinereo candicante incaniore, non ut superior aliquando pallente.

A. 5. *Muscus arboreus nodosus* C. B. *nodosus sive geniculatus* Park. *Dendrobryon geniculatum sive nodosum* Col.

Col.

Ex arboribus prolixè dependet non tantùm in Italia sed & in Anglia. Oblongos quidem, ac etiam breves, habet inanes, quam-plurimos tuberculos, nervulo trajectos inter se cohærentes. Candicans

cans est, prolixum, ramosum, ex crasso caudice in ramos sese diffundens, ut latam prolixámque barbam seu comam pedalem aut sesquipedalem, in extremo verò tenuitate capillarem efficiat, illámque ex ramis dependentem.

In Lancastriæ pago *Burnell* è Corylo dependentem invenit & ad nos attulit *Tho. Willisellus.*

A. 6. *Muscus arboreus pulmonarius* C. B. *Muscus pulmonarius sive Lichen arborum* Park. *Lichen arborum* Ger. *Lichen arboreus sive Pulmonaria arborea* J. B.

Licheni sive Hepaticæ fontanæ similis, sed major per omnia, squamato foliorum incubitu, ineffabili laciniarum variatione, profundiorum quàm in Hepatica, quæ quà matri suæ hærent albicant, alterâ verò parte virent, rugosa, lacunis eminentiisque inæqualia sapore amaricante non sine adstrictione.

Locus. Annosis rimosisque caudicum Quercûs, Fagi aliarumque arborum corticibus innascitur, in opacis ac densis sylvis. *Dod.* Observavimus etiam in saxis coacervatis in umbrosis jacentibus. Apud nos Quercui plerunque, raró aliis arboribus adnatum invenies.

Vires. Siccat & astringit, unde sanguinem profluentem compescit, vulnera recentia glutinat, alvum ac menses sistit. Utuntur eâ vulgò ad pulmonem affectiones, asthma, tussim, suspiria, nostrates etiam ad phthisin & tabem, confecto ex eo pulvere, syrupo aut aquâ destillatâ non sine successu.

Eum qui Quercui innascitur in ictero omnium medicorum solertiam eludente efficax remedium expertus est Andreas Golius mercator. De hoc autem musco accepit manipulum additâ librâ Cerevisiæ secundariæ, quam in olla fideliter occlusa ad dimidium decoxit, postea tredecim cochlearia tepida manè atque vesperi imbibit. *Ephemer. Germ.* ann. 3. obs. 290.

CAP. V.

A. *De musco arboreo aut petræo crustaceo, seu Lichenis facie.*

1. *Muscus crustæ aut Lichenis modo arboribus adnascens cinereus. Lichen Dioscor. & Plin. secundus* Col.

CRustæ vel Lichenis modo super arborum cortices, ligna arida, petras, tegulas se diffundit, supernè cinereus, infernè niger, variè laciniatus, circum oras veluti crispus aut fimbriatus, nec caulem ullum edit, aut orbiculos habet, quantum hactenus observavimus. F. Columna Februario mense acetabula quædam emittere observavit, parva, Milii magnitudine, colore lutescentia, veluti botrulos muscosos, sericeos, duros, parùm eminentes, coacervatos, albentibus oris, in quibus nullum seminis vestigium noscitur. Est autem hic muscus ut & species congeneres, velut folium quoddam variè laciniatum supra arborum cortices aliáque quibus adnascitur reptans & se expandens.

A. 2. *Muscus crustæ modo arboribus adnascens cinereus mollior, & in angustiores lacinias divisus.*

Hujus laciniæ angustiores sunt & argutiores. Sufficit titulus pro descriptione. In hoc orbiculos non observavimus.

A. 3. *Muscus crustæ modo arboribus adnascens flavus.*

Hic colore suo statim se prodit, est autem tenerior & minor quàm prima species, subtus cinereus aut canus. In hoc, verno tempore, efflorescentias quasdam croceas observavimus.

A. 4. *Muscus crustæ modo arboribus adnascens pullus.*

Hic tenuior est quàm muscus cinereus, caudici cui innascitur appressus, supernè pullus, infernè quasi ex nigro & candicante varius.

A. 5. *Muscus arboreus supinus marginibus pilosis.*

Nota hujus characteristica quâ à reliquis sui generis facilè possit dignosci est, quòd segmentorum seu laciniarum, in quæ variè & eleganter dividitur, margines & extremitates pilis quibusdam seu setulis brevibus raris sint fimbriata. Habet quoque orbiculos seu scyphulos circa margines crispos.

In Malo, Fraxino, Juglande aliisque arboribus observavimus.

A. 6. *Lichen petræus purpureus Derbiensis* Park. *Muscus tinctorius crustæ modo petris adnascens.* Cork or Arcel.

Muscus hic crustaceus lichenis modo se in petris diffundit, colore obscurè purpureo aut cinereo. Hunc rustici cultello alióve instrumento ferreo à petris deradunt, & in pulverem comminutum in massam humidam cogunt, & in doliis recondunt, quæ pannis purpurascente colore tingendis inservit, qui quamvis facilè eluitur nec diu durat, sufficit tamen pauperioribus pro vestimentis inficiendis.

Joan.

Joan. Franciscus Abela in descriptione Melitæ Insulæ hujus Musci meminit, quem à Melitensibus rusticis *Vercella* dictum scribit, & suo modo præparatum ad lanas colore incarnato tingendas adhibitum scribit. Hoc genus Musci nec Wallis ignotum est, sed usu frequentatum, & *Kenkerig* dictum. Est autem hic crustæ cuidam aut licheni similior quàm plantæ, nec folia imitatur, ut musci prædicti, éstque pinguior visu & tactu quam illi.

Cap. VI.

De Lichene terrestri Sterili.

A. 1. *Lichen terrestris cinereus.* **Ash-coloured ground Liverwort.**

NUllos hic flores aut capitella (quod ego unquam viderim) profert. Folia aversâ parte albidiora, & crebris fimbriatis radiculis inter reptandum emissis terram aut subjacentes plantas muscúmve apprehendunt, eodem enim modo super eas se diffundit interdum quo Lichen terrestris super terram. Supinâ parte colore est cinereo.

In pascuis siccioribus, interdum & in uliginosis frequentissimus est, unde Botanicis nostratibus non descriptum miror.

A. 2. *Lichen terrestris foliis angustioribus virescens.*

In humidis & uliginosis nascitur foliis quàm præcedens angustioribus, virescentibus cum nigricantibus lineis.

* 3. *Muscus fugax membranaceus pinguis* Botan. Monsp.

Magn.

Statim post pluvias oritur in herbidis satorum marginibus; in iis præcipuè quæ orientem solem spectant, sed citò exsiccatur, ideò fugacem dixi. Membranaceus est & pinguis, & ferè semper convolutus reperitur, dum autem expanditur Muscum Lactucæ folio refert, sed multo pinguior est, pallidè virens, qui facillimè disrumpitur. Mira de isto narrant Chymici, quem modò Solis florem, modò Lunæ sputum vocant, aliísque cœlestibus nominibus decorant, & vegetabilis naturæ principium ac radicem continere arbitrantur.

Aliam adhuc Lichenis speciem nobis ostendit *D. Newton*, variè dissectam secundum longitudinem in lacinias longas, membranaceam densam seu coriaceam, cineream.

Muscus cranio humano innatus.

Non videtur nobis species musci ab omnibus aliis distincta, sed musco arboreo crustaceo congener. Celebratur ille à plurimis Autoribus in hæmorrhagia, præsertim à Chymicis Usneæ titulo. Ingreditur autem compositionem famosi illius Unguenti Armarii dicti. Vide Ephemer. German. An. 2. p. 100. & sequentibus.

Cap. VII.

De Lenticula palustri.

A. 1. *Lens palustris* Ger. J. B. *palustris sive aquatica vulgaris* Park. *Lenticula palustris vulgaris* C. B. **Ducks meat.**

J. B.

STagnantium aquarum incola Lenticula eisdem innatat, totam superficiem densissimo foliorum, infernè nigricantium, supernè virentium, nitidorum, orbiculatorum, Lentisque modo compressorum stipatu obtegens, quæ inter se capillamentis tenuissimis & albis arctè revinciuntur, iisdémque ceu radicibus è limo adhærescente alimentum hauriunt.

In lacubus & stagnis aliísque non fluentibus aquis, ut urbium fossis, innatans, & latè sæpe earum superficiem occupans reperitur.

Quæ de mirabili hujus plantulæ metamorphosi in plantam Sisymbrio aquatico haud absimilem habent Matthiolus, & post eum Lugdunensis, apud me sanè fidem non inveniunt, quantumvis Lugdunensis operum naturæ indagatorem Dalechampium illud non sine admiratione observâsse scribat.

Vis ei refrigerans, unde inflammationibus, podagræ, & ignibus sacris convenit. Agglutinat etiam in pueris hernias intestinorum. Vide sis Matthiolum & Lugdunensem. *Vires.*

Nuper mihi communicavit pro secreto infallibili ad icterum infusionem Lentis palustris in vino albo per novem dies, ℥vi. manè præbendo. *D. Bates* in M. S.

Vescuntur eâ Anates magnâ voluptate, quod & nomen Anglicum **Ducks-meat.** i. e. Anatum esca, indicat; ut etiam gallinæ cùm aquis exempta furfuribus permiscetur. *J. B.*

cans est, prolixum, ramosum, ex crasso caudice in ramos sese diffundens, ut latam prolixámque barbam seu comam pedalem aut sesquipedalem, in extremo verò tenuitate capillarem efficiat, illámque ex ramis dependentem.
In Lancastriæ pago *Burnell* è Corylo dependentem invenit & ad nos attulit *Tho. Willisellus.*

A. 6. *Muscus arboreus pulmonarius* C. B. *Muscus pulmonarius sive Lichen arborum* Park. *Lichen arborum* Ger. *Lichen arboreus sive Pulmonaria arborea* J. B.

Licheni sive Hepaticæ fontanæ similis, sed major per omnia, squamato foliorum incubitu, ineffabili laciniarum variatione, profundiorum quàm in Hepatica, quæ quà matri suæ hærent albicant, alterâ verò parte virent, rugosa, lacunis eminentiisque inæqualia sapore amaricante non sine adstrictione.

Locus. Annosis rimosisque caudicum Quercûs, Fagi aliarumque arborum corticibus innascitur, in opacis ac densis sylvis. *Dod.* Observavimus etiam in saxis coacervatis in umbrosis jacentibus. Apud nos Quercui plerunque, rarò aliis arboribus adnatum invenies.

Vires. Siccat & astringit, unde sanguinem profluentem compescit, vulnera recentia glutinat, alvum ac menses sistit. Utuntur eâ vulgò ad pulmonem affectiones, asthma, tussim, suspiria, nostrates etiam ad phthisin & tabem, confecto ex eo pulvere, syrupo aut aquâ destillatâ non sine successu.
Eum qui Quercui innascitur in ictero omnium medicorum solertiam eludente efficax remedium expertus est Andreas Golius mercator. De hoc autem musco accepit manipulum additâ librâ Cerevisiæ secundariæ, quam in olla fideliter occlusa ad dimidium decoxit, postea tredecim cochlearia tepida manè atque vesperi imbibit. *Ephemer. Germ.* ann. 3. obs. 290.

CAP. V.

A. *De musco arboreo aut petræo crustaceo, seu Lichenis facie.*

1. *Muscus crustæ aut Lichenis modo arboribus adnascens cinereus. Lichen Dioscor. & Plin. secundus* Col.

Crustæ vel Lichenis modo super arborum cortices, ligna arida, petras, tegulas se diffundit, supernè cinereus, infernè niger, variè laciniatus, circum oras veluti crispus aut fimbriatus, nec caulem ullum edit, aut orbiculos habet, quantum hactenus observavimus. F. Columna Februario mense acetabula quædam emittere observavit, parva, Milii magnitudine, colore lutescentia, veluti botrulos muscosos, sericeos, duros, parùm eminentes, coacervatos, albentibus oris, in quibus nullum seminis vestigium noscitur. Est autem hic muscus ut & species congeneres, velut folium quoddam variè laciniatum supra arborum cortices aliáque quibus adnascitur reptans & se expandens.

A. 2. *Muscus crustæ modo arboribus adnascens cinereus mollior, & in angustiores lacinias divisus.*

Hujus laciniæ angustiores sunt & argutiores. Sufficit titulus pro descriptione. In hoc orbiculos non observavimus.

A. 3. *Muscus crustæ modo arboribus adnascens flavus.*

Hic colore suo statim se prodit, est autem tenerior & minor quàm prima species, subtus cinereus aut canus. In hoc, verno tempore, efflorescentias quasdam croceas observavimus.

A. 4. *Muscus crustæ modo arboribus adnascens pullus.*

Hic tenuior est quàm muscus cinereus, caudici cui innascitur appressus, supernè pullus, infernè quasi ex nigro & candicante varius.

A. 5. *Muscus arboreus supinus marginibus pilosis.*

Nota hujus characteristica quâ à reliquis sui generis facilè possit dignosci est, quòd segmentorum seu laciniarum, in quæ variè & eleganter dividitur, margines & extremitates pilis quibusdam seu setulis brevibus raris sint fimbriata. Habet quoque orbiculos seu scyphulos circa margines crispos.
In Malo, Fraxino, Juglande aliisque arboribus observavimus.

A. 6. *Lichen petræus purpureus Derbiensis* Park. *Muscus tinctorius crustæ modo petris adnascens.* Cork or Arcel.

Muscus hic crustaceus lichenis modo se in petris diffundit, colore obscurè purpureo aut cinereo. Hunc rustici cultello alióve instrumento ferreo à petris deradunt, & in pulverem comminutum in massam humidam cogunt, & in doliis recondunt, quæ pannis purpurascente colore tingendis inservit, qui quamvis facilè eluitur nec diu durat, sufficit tamen pauperioribus pro vestimentis inficiendis.

Joan.

Joan. Franciscus Abela in descriptione Melitæ Insulæ hujus Musci meminit, quem à Melitensibus rusticis *Vercella* dictum scribit, & suo modo præparatum ad lanas colore incarnato tingendas adhibitum scribit. Hoc genus Musci nec Wallis ignotum est, sed usu frequentatum, & *Kenkerig* dictum. Est autem hic crustæ cuidam aut licheni similior quàm plantæ, nec folia imitatur, ut musci prædicti, éstque pinguior visu & tactu quam illi.

Cap. VI.

De Lichene terrestri Sterili.

A. 1. *Lichen terrestris cinereus.* **Ash-coloured ground Liverwort.**

NUllos hic flores aut capitella (quod ego unquam viderim) profert. Folia aversâ parte albidiora, & crebris fimbriatis radiculis inter reptandum emissis terram aut subjacentes plantas muscúmve apprehendunt, eodem enim modo super eas se diffundit interdum quo Lichen terrestris super terram. Supinâ parte colore est cinereo.

In pascuis siccioribus, interdum & in uliginosis frequentissimus est, unde Botanicis nostratibus non descriptum miror.

A. 2. *Lichen terrestris foliis angustioribus virescens.*

In humidis & uliginosis nascitur foliis quàm præcedens angustioribus, virescentibus cum nigricantibus lineis.

* 3. *Muscus fugax membranaceus pinguis* Botan. Monsp.

Magn.
Statim post pluvias oritur in herbidis satorum marginibus; in iis præcipuè quæ orientem solem spectant, sed citò exsiccatur, ideò fugacem dixi. Membranaceus est & pinguis, & ferè semper convolutus reperitur, dum autem expanditur Muscum Lactucæ folio refert, sed multo pinguior est, pallidè virens, qui facillimè disrumpitur. Mira de isto narrant Chymici, quem modò Solis florem, modò Lunæ sputum vocant, aliísque cœlestibus nominibus decorant, & vegetabilis naturæ principium ac radicem continere arbitrantur.

Aliam adhuc Lichenis speciem nobis ostendit *D. Newton*, variè dissectam secundum longitudinem in lacinias longas, membranaceam densam seu coriaceam, cineream.

Muscus cranio humano innatus.

Non videtur nobis species musci ab omnibus aliis distincta, sed musco arboreo crustaceo congener. Celebratur ille à plurimis Autoribus in hæmorrhagia, præsertim à Chymicis Usneæ titulo. Ingreditur autem compositionem famosi illius Unguenti Armarii dicti. Vide Ephemer. German. An. 2. p. 100. & sequentibus.

Cap. VII.

De Lenticula palustri.

A. 1. *Lens palustris* Ger. J. B. *palustris sive aquatica vulgaris* Park. *Lenticula palustris vulgaris* C. B. **Ducks meat.**

J. B.
STagnantium aquarum incola Lenticula eisdem innatat, totam superficiem densissimo foliorum, infernè nigricantium, supernè virentium, nitidorum, orbiculatorum, Lentísque modo compressorum stipatu obtegens, quæ inter se capillamentis tenuissimis & albis arctè revinciuntur, iisdémque ceu radicibus è limo adhærescente alimentum hauriunt.

In lacubus & stagnis aliísque non fluentibus aquis, ut urbium fossis, innatans, & latè sæpe earum superficiem occupans reperitur.

Quæ de mirabili hujus plantulæ metamorphosi in plantam Sisymbrio aquatico haud absimilem habent Matthiolus, & post eum Lugdunensis, apud me sanè fidem non inveniunt, quantumvis Lugdunensis operum naturæ indagatorem Dalechampium illud non sine admiratione observâsse scribat.

Vires. Vis ei refrigerans, unde inflammationibus, podagræ, & ignibus sacris convenit. Agglutinat etiam in pueris hernias intestinorum. Vide sis Matthiolum & Lugdunensem.

Nuper mihi communicavit pro secreto infallibili ad icterum infusionem Lentis palustris in vino albo per novem dies, ℥vi. manè præbendo. *D. Bates* in M. S.

Vescuntur eâ Anates magnâ voluptate, quod & nomen Anglicum **Ducks-meat.** i. e. Anatum esca, indicat; ut etiam gallinæ cùm aquis exempta furfuribus permiscetur. *J. B.*

* 2. *Lens palustris quadrifolia* J. B. Park. *Lenticula palustris quadrifolia* C. B.

Fibrosis radiculis nititur è crassiore aliâ (licèt eâ tamen tenui) transversa demissis, unde propagantur rami multi, multifariam divisi, atque tum ex iis, tum ex radicibus pediculi ad aquæ superficiem pertingentes, quorum singulorum extremis adhærent aquæ innatantia quaterna folia, triquetra, per extremum lata, angulis acutioribus ad pediculum coeuntibus; circa verò ramulorum divaricationes pediculorúmque exortus numerosa semuncialibus pediculis nixa cohærent grana, nigra, dura, Lentibus majoribus paria.

A. 3. *Lenticula aquatica trisulca* J. B. C. B. *Hederula aquatica* Ger. *Ranunculus hederaceus aquaticus* Park. **Ivy-leaved Duckmeat.**

Lenticulæ palustris vulgò notæ ritu aquæ stagnanti innatans visum pæne fugientibus fibrillis limum arripit alimentum sucturis: quibus etiam inter se committuntur folia, non vulgarem sortita connexum & formam. Foliolo enim Lenti leguminosæ pari pinnæ utrinque foliaceæ transversim squammosâ commissurâ itâ incumbunt, ut trahentem leviter sequantur, & iis attractis tenuius redditum folium visum transmittat: tota autem omnium trium connexio trisulcam hederacei folii formam quodammodo exhibeat: At hujus connexus capillari petiolo transversim incumbit folium veluti temere projectum, nequaquam tamen solutum licet adhæsûs ratio oculos fallat.

In aquis cœnosis pigrioribus: in fossis paludosis insulæ Eliensis copiosissimè oritur.

Cap. VIII.

De Conferva.

A. 1. *Conferva Plinii* Ger. emac. *Linum aquaticum* Imper. *Alga viridis capillaceo folio* C. B. *Alga aquatilis capillacea sive Conferva Plinii, aliis Linum aquaticum* Park. **Hairy Riverweed, Crow-silk.**

TOta ex filamentis viridibus sericeorum æmulis in aqua fluitantibus constat. Reperitur autem in aquis pigrioribus & stagnantibus copiosissima.

Alga bombycina C. B. nobis Confervæ species videtur.

Conferva à conferruminando dicta est. Curatum esse scio omnibus ferè ossibus confractis prolapsum ex arbore alta putatorem circundatâ universo corpori, aquam suam inspergentibus quoties inaresceret, raróque nec nisi deficientem herbam mutationis causâ resolventibus: convaluisse incredibili celeritate. *Plin.*

A. 2. *Alga fontalis trichodes* C. B. *Alga sive conferva fontalis trichodes* Park. *Trichomanes aquaticum: Dalechampii* J. B.

Hujus figuræ apud Lugdunensem prorsus similem vidimus in cisterna seu conservatorio aquæ fontanæ Ledensis Abbatiæ seu ædium *D. Guil. Meredith*, in Cantio, inque tubulis aquam fontanam deducentibus: unde putamus Algam capillaceo folio iv. seu in tubulis aquam fontanam deducentibus *C. B.* minimè distinguendam esse ab ejusdem Alga cap. fol. iii. seu fontali trichode.

HISTORIÆ PLANTARUM
LIBER TERTIUS.
QUI EST
De Herbis ſemine minutiſſimo, flore vel nullo, vel imperfecto.



HUNC Librum in duas partes dividemus, Prima erit de Herbis hujus generis cauliferis. Secunda, de caule carentibus hypophylloſpermis.

Hæ autem præcedentibus imperfectis & ſemine deſtitutis meritò proximè ſubjiciuntur, quia & ipſæ non ità pridem ſteriles & aſpermæ habitæ ſunt antequam microſcopii interventu eorum ſemina in lucem & conſpectum venerunt.

PARS PRIMA.

De Herbis ſemine minutiſſimo & nudis oculis inconſpicuo Cauliferis.

IN horum nonnullis pediculi potiùs quàm caules dicendi ſunt ſtyli illi qui ſemina ſeu capitula geſtant, ut in Lichene terreſtri, cùm ex ipſis foliis exeant. Quin & nonnullæ Lichenis ſpecies cauliculos non producant, ſed eorum ſemina foliis ipſis abſque pediculo innaſcuntur, nunc in prona, nunc in ſupina parte, quas tamen ob id à reliquis non disjungendas putavimus, cùm in aliis omnibus notis characteriſticis conveniant.

CAP. I.

De Frutice Muſciformi.

1. *Planta muſcoſa & plumoſa Guyanenſis major* Breynii.

RAmulum hujus palmarem ac penitus planum ex Guyana accepit Breynius, quem ſic deſcribit.

Cauliculo ſquamulis denſis Muſci terreſtris Luſitanici in modum contecto conſtat ſubtili, aliquot utrinque adnatis ramulis expanſo, atque multis *foliolis* tenerrimis pectinatim diſpoſitis denſo agmine ità ſtipato, ut Abietis ramulum haud malè repræſentare videatur. Adeò autem lentus, & ad proportionem ità eſt gravis, ut ſublatus inſtar plumæ Struthionis deorſum flectatur, viriditate inſuper venuſtiſſima, aureo cuidam intermixta fulgori, averſa imprimis foliorum parte, in ſingulare hujus plantæ ornamentum, decoratur, velut ſempiternam famæ illius memoriam, quâ ob auri ubertatem celebrata olim fuit ejus patria, conſervare Natura artificioſiſſima conſtituiſſet.

An Muſci denticulati majoris *C. B.* ſpecies?

2. *Planta muſcoſa & plumoſa Guyanenſis minor* Breynii.

Aliam adhuc lepidiſſimæ & concinnæ hujus plantæ ſpeciem eadem ex regione obtinuit, priori multò delicatiorem, minùs arctè ſquamatis viticulis, atque foliolis longè minoribus.

Has plantas ob ſimilitudinem quam habent cum Muſcis clavatis hoc in loco diſpoſuimus: quamvis propriè ad Fruticum genus pertineant, quod & in aliis herbis fruticeſcentibus, ut *Malvis*, *Althæis*, *Coluteis*, *Kali*, &c. facturi ſumus. Quæ enim notis genericis & eſſentialibus conveniunt, me judice, ſeparari non debent, quantumvis aliæ ligneſcant, aliæ herbaceæ ſint. Neſcimus tamen an hæ plantæ notis characteriſticis cum Muſcis clavatis conveniant, cùm nec flores nec fructus viderit Breynius, ſaltem non meminerit ſe vidiſſe.

CAP. II.

De Musco clavato.

MUscum clavatum appellamus qui præter cauliculos foliosos humi stratos & repentes pediculos emittit nudos in cacumine clavatos, geminis seu pluribus clavis, Iulos imitantibus, oblongis, teretibus, pulvisculo tenuissimo flavicante refertis.

1. *Muscus clavatus sive Lycopodium*, Ger. Park. *terrestris repens sive clavatus* C. B. *terrestris repens à Trago pictus* J. B. *Plicaria & cingularia Polonis.* **Club-moss, or Wolfs-claw.**

J. B.

Longè latéque per terram serpit, subindéque à transversis *ramis* demissis fibris longis, lignosis, crassiusculis *radicatur.* Ipsi verò rami variè in multos *surculos* diducuntur, funiculi instar habens crassiusculi, *foliis* amicti occultatíque confertissimis, Camphoratæ ferè nisi latiora essent. Adultis plantis succrescunt *pediculi* aliquot, ex ramis postremis producti, sesquipalmares, tenues foliis ferè nudi, singuli in geminam, teretem sextantalem, mollicellam, imbricatam *clavam* desinentes, coloris sulphurei, quæ Autumnali tempore digiti percussu pulverem subtilem copiosum de se spargere solent.

Locus. In Hampstediensi ericeto non procul Londino invenitur: Estque in montibus *Wallicis*, *Eboracensibus*, *Derbiensibus* aliisque in Septentrionalibus Angliæ frequentissima, hæc planta: nec minùs in transmarinis, ut patebit Herbarios consulenti.

Vires. Vino decoctus & potus calculos comminuit & educit experimento certissimo, ut plerique testantur, *Trag.* Contusus aut in vino decoctus dolorem aut inflammationem sedandi vim obtinet, ideóque podagræ calidæ impositus prodest. Pulvis ejus drachmæ pondere sumptus cum vino rubro cohibet fluxum alvi & dysenteriam, & si decocto abluatur os, tremulos dentes confirmat.

Vino pendulo impositus intra paucos dies illud restituit; unde Germanis nonnullis **Weingrein** & **Weinkraut** appellatur.

Mense Augusto & Septembri collectus pulverem dat subtilissimum flavum, qui vi fulminante gaudet. Persis non ignotâ, uti notat Olearius *Itiner. Moscovit. Persic.* lib. 4. cap. 24. Persæ enim, ut & Moscovitæ pulverem Augusto colligunt, in fornacibus siccant, & ignibus artificialibus sub nomine *Plauen* instar pulv. pyrii adhibent. Pulvis recens dum est & probè exsiccatus majus concipit incendium præ illo qui dudum collectus est. Prunis injectus non tonat, sed flammæ, putà candelæ accensæ immissus aut inflatus. [Pulvis resinæ idem præstat, teste Oleario.] Huic pulveri si aliquid addatur de Thur. Mastich. Succin. & Benzoe pulv. & per flammam sufffletur, non solùm fulgur edit, sed & odorem suavissimum excitat instar pulveris pro suffumigio. Si folia Betulæ pulverisata simul misceantur strepitum majorem edet. Commendatur hic pulvis in Epilepsia præcipuè infantum, inque cardialgia eorundem & torminibus ventris flatulentis. Egregiè urinæ facilitat exitum, si quantum cuspide cultelli contineri potest propinetur. *Ephem. German. Acad. natur. curios.* Anno primo *Observat.* 97.

Poloni & maximè *Rutheni* ac *Lituani*, ob consuetum & jam quotidianum hujus plantæ usum in extirpanda & curanda plica, morbo sibi familiari, *Plicariam* & *Cingulariam* eam nominare solent. Accipiunt autem plantam hanc seu muscum, quem priùs cultello aliquo sursum versùs dissecare solent; postea infundunt decocto *Brancæ ursinæ*, priùs optimè calefacto, & post unam aut alteram lenissimam adhuc ebullitionem adjiciunt aliquid fermenti [panis siliginei] illúdque reponunt postea ad fermentandum propè fornacem. Decoctum hoc vel per se, vel cum ovis recentibus, in forma jusculi quotidie bibunt & comedunt. Exteriùs cum illo decocto priùs excalefacto, & aliquando ad majorem potentiam seu virtutem secunda vice cum recenti musco incocto instar lixivii obscurè rubri coloris, lavant caput bis in septimana, nullo ampliùs adhibito pectine, &c.

Unguentum ad Plicam. ℞. *Plicariæ* & radicum *Bryoniæ* partes æquales, Adipis *erinacei* q. s. Ex his tribus optimè commixtis in vase vitreo bene obturato, & coctis in B. M. per horam fiat unguentum s. artem, cum quo radices capillitii in capite complicati bis in die inungantur. Oleum ex Erinaceo quod ad confectionem hujus Unguenti requiritur parare solent in olla nova foraminata igne circulari per descensum more consueto.

Muliérculæ rusticæ in *Ukrania* in nimio fluxu menstruorum & doloribus ac strangulationibus uterinis cingulum ex illo faciunt circa nudum corpus applicandum; pariter ad hæmorrhagiam narium caput eo cingunt ceu coronâ. *Ephem. Germ. Ann. secund. Observ.* 52.

Semen hujus plantæ à gr. xii. ad ℈ i. præsentaneo cum successu exhibitum erat in Epilepsia cum ischuria complicata ex observatione Wedelii. *Ephemer. German. An.* 3. *p.* 21.

Lycopodii alia species. In montibus Stiriacis Lycopodii speciem à vulgari superiùs descripto diversam invenimus, nimirum cum foliis in caulibus & flagellis multò rariùs sitis, & paulò, ut nobis videtur, longioribus; clavis non dissimilibus, non tamen ut in illo longo & nudo pediculo insidentibus, sed usque ad ipsam clavam folioso foliis similibus iis quæ in reliquo caule.

2. *Muscus clavatus foliis Cupressi* C. B. Ger. emac. *clavatus cupressiformis* Park. *terrestris ramosus pulcher* J. B. *Sabina Sylvestris Trag.* **Cypress-moss, or Heath-cypress.**

Hæc planta eodem modo procumbit, & fibris subinde demissis serpit, quo præcedens, *foliis* multò brevioribus & angustioribus, acutis, obscuriùs viridibus, nec adeò confertis in caulibus, quaterno ordine

ordine squammatim surculos convestientibus, Cupressi aut Sabinæ foliorum æmulis. Ob parvitatem foliorum caules & surculi multo minores seu graciliores videntur quàm in Lycopodio. E summis caulibus & ramulis pediculi longi exeunt raris foliolis vestiti, bifariam divisi & subdivisi, Iulos seu clavas gestantes multas, Lycopodii æmulas sed strigosiores, luteolas, consimili pulvisculo fœtas. Secundum caules per intervalla surculi plures simul conferti in agminulis oriuntur, ramulis plurifariam divisis & subdivisis.

In montibus *Snowdon* & *Caderidris* in Wallia, *Ingleborough* in Eboracensi provincia, *Anderkin* in Scotia copiosè provenientem observavimus; in transmarinis in ericeto *Mosæ Trajecto* non procul, viâ qua inde ad *Sylvam Ducis* itur. Ramuli non adeò compressi nobis visi sunt, uti eos describit **Jo.** Bauhinus.

Hæc species odorem interdum exhibet moscho æmulum, quem siccata etiam conservat. Hujusmodi muscum odoratum observavit *Elsholz.* Germanus circa Berlinum enatum versùs domum venatoriam *Grunwald.* Vide *Ephemer. Germ.* An. 1. Observ. 97. Nos talem odorem in hac planta non sensimus.

Ex moschato hoc musco (inquit D. *Sachs.* obser. citat.) egregiam & odoratissimam mihi medicinam pronuper chymicus eximius communicavit sub nomine *Auri horizontalis Vegetabilis.* Colliguntur nempe antheræ ex hoc musco, quæ tenuissimæ & levissimæ sunt substantiæ, coloris aureosulphurei, inflammabiles ad ignem candelæ, & per se quoque, ut & flores Lycopodii *Dod.* In calculo, Epilepsia & pulmonum affectibus cum butyro Maiali utiliter manè sumuntur: hæ Antheræ si cum spiritu vini tartarisato aliquandiu macerentur, & postea destillentur, oleum præbent rubicundissimum & odoratissimum quæ omnium sulphurum vegetabilium apex dici meretur.

Cap. III.

Muscus terrestris repens clavis singularibus foliosis erectis. **Creeping Club-moss with upright heads.**

Lycopodio similis est sed minor: terræ per quam repit appressus arctè adhærescit, ad eundem ferè modum quo Hedera muris & arboribus. Præter cauliculos repentes alios etiam surrigit semipalmares, summa parte in clavas turgescentes, nec figurâ, nec colore à repentibus diversos. Clavæ autem in hac specie nec pediculis longis tenuibus insident, nec iulos seu nucamenta referunt, ut in Lycopodio, sed reliquo cauli similes & foliis similibus cinctæ sunt, in majorem duntaxat crassitudinem intumescentes ob semina in alis foliorum contenta.

Locus. In ericeto Hampstediensi primò invenimus, dein in Bagshotano, postea & in montibus Angliæ Septentrionalibus cùm aliis Speciebus, locis uliginosis invenimus & in Alpibus aliísque montibus excelsis.

Hæc species nondum (quod sciam) à quoquam descripta est.

Hujus etiam Musci aliam observavimus speciem in montibus (quantum meminimus) Galliæ Narbonensis, non repentem, ramulis ab eodem pede plurimis confertis enascentibus, quorum summitates consimiliter in clavas foliosas extumescebant.

Cap. IV.

Muscus erectus abietiformis. An Muscus terrestris rectus J. B. **Upright Firr-moss.**

Foliis oblongis acutis caules & ramulos undique cingentibus & operientibus Lycopodio similis est, verùm erectus, palmum aut semipedem altus, ramis (ut vult J. Bauhinus) crassioribus, in duas ac etiam quatuor partes divisis, ursi digitos exprimentibus. In planta quam exsiccatam asservo caules & ramuli divisione dichotomiam observant: verùm hoc (quantum memini) non est perpetuum, interdum enim in summa parte in plures, dividuntur surculos: sunt autem folia longiora paulò & latiora quàm Lycopodii, (ut rectè J. Bauhinus) sursum tendentia. A Lycopodio abundè distinguitur, quod nec clavas producat, nec repat. Inter summorum penè foliorum alias granula lutea quædam exigua mense Maio protruduntur, quæ flores ac fructus, clavarum loco quibus caret: ut refert D. *Jac. Breynius* in *Ephemer. Germ.* An. 4. & 5. *Observat.* 149.

Chamæpeuces Turneri icon huic respondet, at non descriptio: Thalio *Selago tertia* dicitur.

Locus. In montibus excelsis Walliæ, *Snowdon* v. g. & *Caderidris:* inque Eboracensibus, Derbiensibus aliísque Septentrionalibus copiosè provenit.

Hujus descriptionem vide in *Ephemer. Germ.* Anno & Observat. citatis, ubi de ejus viribus hæc habes:

Vires. Vis ei ad fœtus depellendos efficacissima, meretricibus infanticidium sæpius eadem committentibus plus satis nota, inest. Hinc in officinis nostris, quæ *Maschlaber* ei nomen tribuunt, ut alia noxia, non promiscuè omnibus venditur. Rhizotomæ mulierculæ febri & corrupto stomacho eandem opponunt, decoctámque cum Cerevisia ac haustam, multis fuisse salutiferam perhibent, & purgantem volunt. Vomitum ciet vehementissimum, corpus humoribus variis peccantibus exonerantem, sed maximè etiam alterantem: Tutiùs robustioribus quàm tenerioris texturæ hominibus

præbetur. Vilioris conditionis homines in aqua coquunt, quâ ad abigendos pediculos caput lavant, quod tamen turbare maximè dicitur.

Apud J. Bauhinum in Histor. Plantar. tom. 3. p. 767. malè cum Sabina Sylv. *Trag.* seu Selagine prima *Thal.* errore typographico, confunditur, ut rectè observavit idem Jac. Breynius. Nam lineæ posteriores 13, quæ hujus Musci terrestris descriptionem sequuntur, post Musci terrestris ramosi pulchri; & lineæ 6 sequentes post hujus descriptionem sunt ponendæ.

Muscus terrestris ramosus saturatè viridis C. B. minùs rectè dicitur: nam nostra observatione Sabina sylvestris Tragi hoc longe viridior est.

CAP. V.

Muscus terrestris erectus polyspermos. **Seeding Mountain-moss.**

HIC minor est multo *abietiformi musco* supra descripto, alioquin ei non usque adeò dissimilis, infirmus & vix se sustentans, caule & ramulis eodem modo foliolis creberrimis undique obsitis; quæ tamen à ramulis magis extare & quasi reflecti videntur. Semine majusculo cinereo in alis foliorum nascente, aut potius vasculis seminalibus, abundat.

Loca montium humida & scaturigines aquarum sectatur. In montibus *Snowdon* & *Ingleborough*, aliisque supradictis Wallicis & Eboracensibus nascitur, minus tamen copiosè.

CAP. VI.

De Musco terrestri vulgari.

1. *Muscus terrestris latioribus foliis major seu vulgaris. Muscus terrestris & hortensis* J. B. **The most common Earth-moss.**

J. B.

OMnium vulgatissimus est hic Muscus, aspergine madentibus saxis, terræque humidiori appressus, repens, mollicellus, ramis longis, tenuibus, foliolis acuminatis, plumatim costæ hærentibus, colore viridi, aut ex viridi flavescentibus. Hæc descriptio etiam minori speciei accommodari potest. Hunc etiam capitula producere suspicamur, nondum tamen observavimus.

2. *Muscus terrestris vulgaris minor Adianthi aurei capitulis.*

Hic passim provenit tum in pascuis sterilioribus tum in sylvis, præcipuè ad arborum & fruticum radices, tum etiam non rarò in truncis & ramis arborum, iis in partibus ubi humor pluvius non adeò prompte & citò delabitur. Foliola hujus minora sunt & cauli magis appressa quàm in præcedente. Capitula ex alis foliorum ad caulium latera exeunt non ex summo caule ut in Adianto.

Empirici hoc musco ad sistendum sanguinem utuntur ab ursis admoniti: hi enim, quamprimum vulnerati sunt, eo sanguinem sistunt. *J. B.*

Muscus qui hortos & prata humecta obsidet, ità ut gramen supprimat, Martio mense cinere aboletur, sed eo quo lixivium fuerit confectum. *J.B.*

3. *Muscus palustris terrestri similis. Muscus terrestris vulgaris* Dod. *terrestris vulgatissimus* Park. C. B.

Omnino villosa est hæc species (describente Dodonæo) admodum densa, candicans, quæ latè subinde expatiatur. Rarum est hunc muscum alibi invenire quàm ubi aquæ subsunt.

Hæc omnia Musco nostro palustri egregiè conveniunt, terrestri autem vulgari minimè: quin & icon Dodonæi optimè respondet huic speciei, non autem Musco terrestri, & capitula illa brevibus pedicellis nixa versùs ramulorum apices, quæ in hac specie cernuntur, pulchrè repræsentat. Videtur tamen Dodonæus hunc cum terrestri musco vulgari confundere, quod & titulus indicat; eúmque sequuti Botanographi nostrates Gerardus & Parkinsonus cum C. etiam Bauhino idem faciunt.

4. *Muscus aquaticus terrestri vulgari similis, sed major. An Fontalis minor lucens* J. B.

Hic aquis innatat, est foliolis multo majoribus quàm M. terrestris vulgaris, triangulis, lucidis: minùs etiam quàm ille ramosus est.

Fontalem minorem lucentem J. Bauhinus sic describit. Aquis innatat itidem ut præcedentes [Fontalis species] ramulis exilibus infirmis, interdum lapidibus adhærescens, foliis alternatim positis, minutulis, nigricantibus ferè. Tota quamproximè ad Muscum accedit planta.

In fontibus & fluminibus sæpiùs observavimus. Capitula in hac specie nondum vidimus ut sterilem esse suspicemur & ad præcedens genus pertinere; ob similitudinem cum Musco terrestri vulgari hìc eam disposuimus.

5. *Muscus saxatilis repens comâ sparsa* C. B.

C. B.

Hic ex radice transversim repente & nigricante ramos frequentes, latè sparsos & semipalmares emittit; quorum summitates, ob foliola compactiora, velut in spicam abeunt. Foliis est brevibus, latiusculis primùm, dein acutis.

Hic apud nos aquæ in rivulis innatat, & nonnihil splendet.

CAP. VII.

Musci quidam terrestres è C. Bauhini Prodromo desumpti.

1. *Muscus filicinus minor floridus* C. B.

C. B. Prod.

PEr terram serpit cauliculis tenuibus, in summo ramosis, foliolis Filici similibus, sed tenuissimè dissectis: ex ramulis pedicelli aliquot capillares, rufescentes, biunciales efferuntur; quibus singulis capitulum exiguum subrotundum, incurvum in apicem exiguum desinens insidet.

* 2. *Muscus terrestris ramosus erectus major* C. B.

C. B. prod.

Hic cespitis instar eleganter & arctissimè quasi compactus, ex radicibus oblongis capillaceis cauliculum trium quatuórve unciarum emittit, qui in binos, ternos, quaternósve biunciales etiam triunciales ramulos, & hi quoque in alios, erigitur, qui minimis capillaceis foliis vestiuntur. Inter ipsa foliola pedicelli unciales, nudi, capillacei, capitulum ut in Adianto aureo sustinentes efferuntur.

In *Crentzacho* monte ad arborum radices aliis Muscis commixtus conspicitur.

* 3. *Muscus ramosus erectus minor* C. B.

Ex capillacea radicula cauliculus ad summum biuncialis, variè divisus, foliolis vix conspicuis cinctus emergit. Eodem cum priore in loco.

* 4. *Muscus saxatilis ericoides* C. B.

C. B. prod.

Huic circa radicem folia multa Musco vulgari similia; inter quæ viticuli sunt palmares, asperi foliolis Ericæ Coridis folio similibus inordinatè vestiti, aliquando hinc inde nudi, quorum summo capitulum exiguum insidet.

* 5. *Muscus cupressiformis* C. B.

C. B. prod.

Parvus est, ramosus, foliolis Cupressi formâ atrovirentibus; inter quæ pedicellus exurgit, qui minimas spicas molles & pallidas sustinet. Ex Harcynia.

CAP. VIII.

De Adianto seu Polytricho aureo.

A. 1. *Adianthum aureum majus* Ger. *Polytrichum aureum majus* Park. C. B. *Polytrichum Apuleii & majus quibusdam* J. B. **Great golden Maiden-hair.**

J. B.

RAdicibus constat tenuibus, longis. *Cauliculi* duas aut tres uncias longi abundant *foliolis* longiusculis, postea nudi sunt & ad totidem uncias læves, quorum summitati innascitur capitulum sublongum, hians & nutabundum.

Hujus (inquit idem) aliud est genus, *radicibus* multò longioribus; *cauliculis* etiam multò majoribus, tum parte foliosâ, tum nudâ, quæ palmaris: capitula quoque majora, hiulca, è quibus concussu levi pulvisculus excidit luteus.

In paludosis, spongioso & putrido solo, præsertim in montosis Derbiensibus, Eboracensibus, Westmorlandicis copiosissimè provenit, quod secundo in loco describitur: in sylvis etiam udis non raró.

2. *Polytrichum scoparium* J. B. *Muscus scoparius, muscidorum & udorum Belgii & Frisiæ Orientalis sectator* Lob.

J. B.

Prolixæ *radices*, cubitum plerunque longæ, rigidæ, rubentes, angulosæ, tenues in scopas excutiendo pulveri vestibúsque purgandis plecti solitæ, terræ superficiem versùs foliosis squamis, vel pilis nitentibus rutilisque comosæ. Lobelius multis dodrantalibus, pedalibus etiámque amplioribus ramulis donatum scribit, purpurâ aureâ nitentibus, innumerâ cirrorum tenuium sobole comosis, quibus singulis exseruntur capitula Lini, Ericæ aut Selaginis minora.

Hæc planta C. Bauhino sub titulo Polytrichi aurei majoris primò proponitur [ex sententia Chabræi,] deinde iterum sub titulo Musci erecti ramosi pallidi. Gerardo & Parkinsono nostratibus Lobelium sequutis Muscus scoparius inscribitur.

An & quomodo à Polytricho secundo in loco descripto differat inquirendum?

3. *Polytrichum aureum medium.*

Hoc præcedente omnibus suis partibus minus est, aliàs non ità dissimile. In hoc genere peculiare esse observavimus, quòd ramuli interdum altius assurgant, & foliis vestiantur oblongis cum latitudine aliqua, membranaceis & ferè pellucidis, ad margines undulatis & veluti crispis.

In locis humidis & uliginosis invenitur.

4. *Polytrichum aureum minus* C. B. Park. *Apuleii minus quorundam* J. B. *Muscus capillaris sive Adianthum aureum minus* Ger.

J. B.

Contemnendæ exiguitatis est: Ex muscoso cæspite tanquam stamina capillaria, recta & rigidiuscula se attollunt, semuncialia aut uncialia, tenuissima, colore purpureo aut aureo [interdum etiam, saltem cùm primò erumpunt, flavo aut viridi] quorum unicuique insidet apiculus falcatus, quem avicularum unguiculis minimis haud ineptè comparaveris, quem convestit consimili figurâ inducta vaginula, quæ ubi cedere incipit extrema cauda surrecta galeritæ caput miro naturæ artificio exprimere arbitreris; ubi deciderit capitellum relinquit oblongum, atro-purpureum. Linguæ vinosi saporis aliquid imprimit.

In muris, aggeribus antiquis, ædium tectis & tegulis, similibúsque complutis locis & asperginosis limbis ubique ferè oritur.

5. *Adiantum aureum humilius foliis latis subrotundis. An Muscus Trichomanis facie Jungermanni, foliis utrinque rotundis splendentibus* Cat. Aldorf?

Surculi huic unciales aut sescunciales, densè stipati, exiles admodum, rubentes, aut ex rubro nigricantes, *foliis* ornati statim à radice alternatim positis, latis, subrotundis, tenuibus & ferè membranaceis. An flores aut capitula proferat nobis hactenus incompertum.

In ipsis fontium scaturiginibus, in montosis Eboracensibus aliisque Septentrionalibus Angliæ, v. g. in aggere **Shoat** dicto, ea montis parte quæ **Skipton** oppido imminet.

6. *Muscus palustris Adianto aureo affinis, scapis tenuibus, foliolis brevibus.*

Hujus scapi seu ramuli prætenues sunt, foliolis creberrimis brevissimis cincti, colore ex viridi flavicante aut subcinereo. Pediculis tenuissimis sescuncialibus capitula satis grandia. Adianthi æmula, sed breviora & turgidiora insident.

In locis palustribus, præsertim ubi aquæ scaturiunt, oritur.

CAP. IX.

De Lichene.

Lichen Græcis & Latinis ità dicitur quod lichenas, id est impetigines sanat. Plin. lib. 26. cap. 4. *Lichen herba in lichenis remediis omnibus præfertur, indè nomine invento.*

Est autem Lichen herba ex meris foliis, in terræ superficie aut in arborum corticibus se diffundentibus constans.

Hic autem duplex est, vel 1. *sterilis*, saltem quantum hactenus observatum est, de quo superiùs egimus; & *fertilis* seu semine prægnans.

A. 1. *Lichen sive Hepatica vulgaris* Park. *Lichen sive Hepatica fontana* J. B. *Hepatica terrestris* Ger. *Lichen petræus latifolius sive Hepatica fontana* C. B. **Liverwort.**

Cùm Lichenem primum Plinii, pileatum *Col.* pro Hepatica terrestri vulgari seu Lichene officinarum habeam, ejus descriptionem subjungam Columnianam, quæ cum nostris observationibus exactè congruit.

In saxis aquosis oritur, umbrosis, Septentrionem maximè respicientibus. Radicibus hæret sericeis similibus pilis, tenuibus admodum, copiosis sub foliis, quæ digiti sunt latitudine, & duplâ longitudine

vel

vel majore, ſupernè virentia vel parùm flavicantia, ſquamoſa velut Serpentum cutis vel Limacis, ſingulíſque ſquamis punctum in medio inſcriptum elevatur. Florem non producit, quod obſervare potuimus. *Caulem* ex parte folii extrema parum ſciſſa & ſinuoſâ, lunatâ, album, lævem, firmum, ſuccoſum, Junci craſſitie, diaphanum, quatuor uncias longum habet, ſupra quem pileolus veluti fungus inſidet parvus, in quatuor aut quinque partes infernè diviſus, [quibus ſubtus impacta ſunt totidem ſemina ſeu potiùs vaſcula ſeminalia, pulviſculo viridi repleta.] Columnæ pileolus primò viridis eſt, parum ad flavum inclinans, poſtea flaveſcit, atque demum ruffus efficitur, & partes illæ inferiores diviſæ fructum nigrum diſruptæ oſtendunt, atque apertis fructus decidunt nigro-purpurei, ſuccoſi cùm virides adhuc, ſiccatos verò pulverem pro ſemine nigreſcentem fuliginoſum habere comperimus.

Martio menſe caulem edit, Aprili verò perficitur.

A. 2. *Lichen petræus umbellatus* C. B. *Lichen ſive Hepatica minor umbellata* Park. *Hepatica umbellata* Ger.

Hanc cum vulgari Hepatica miſcet J. Bauhinus, poſt cujus deſcriptionem addit, Ex foliis eminent interdum parvi velut umbilici, quales exprimuntur apud Lobelium. Nobis equidem ſpecie diverſus videtur.

A. 3. *Lichen petræus ſtellatus* C. B. *Lichen ſive Hepatica minor ſtellata* Park. *Hepatica ſtellata* Ger.

J. Bauhinus hanc ſpeciem à vulgari Lichene non diſtinguit, quem vetuſtate tandem pediculos erigere ſcribit, unciales & ſeſcunciales, tenues, glabros, quorum unuſquiſque florem ſtellatum herbacei coloris ſuſtinet, qui exprimit parvum galerum ſuis radiis deorſum nutantibus. Parkinſonus quoque Hepaticæ vulgari flores parvos ſtellatos attribuit; aliam autem adhuc minorem facit Hepaticæ ſtellatæ ſpeciem, ex duabus Lobelii iconibus, ut puto, ad id inductus. Quicquid autem ſit de Lichene terreſtri vulgari, ſive is habendus ſit qui fructu eſt ſtellato, ſive qui pileato: hos tamen duos inter ſe revera & ſpecie differre minimè ambigo.

In uliginoſis & umbroſis areis hortorum & ambulacris glareoſis aut ſaxoſis ſæpiùs obſervavimus.

A. 4. *Lichen petræus cauliculo calceato* C. B. *Lichen alter minor caule calceato* Col.

Col.
Iiſdem locis gaudet hic [cum prima ſpecie] ſimilíque modo oritur, minor omni ſua parte; delicatiore folio atque minore, tenui admodum, tranſlucido, ut in opaco obſcurum videatur, atque cùm vetuſtius eſt ex purpureo nigreſcat, læve nec ſquamoſum, ſed veluti è dorſo ferè vagina vel calceus fimbriatis oris parum eminens, ex quo Martii Idibus pilula exit, Orobi magnitudine, atro-virens, lævis, lucida, quæ poſtea ſupra caulem quatuor digitorum ſubeuntem emicat, parum luteſcens, atque in florem dehiſcens luteum quatuor foliolorum, intus quamplurima continentem tenuiſſima atq; impalpabilia ſtamina. *Caulis* areſactus terram verſus demittitur, qui rotundus erat, lævis, nudus, ſuccoſus, diaphanus, albus, facilè tactu corruptibilis. *Radix* villoſa ſericea eſt, ut non ſubtilior inveniatur.

In udis paludoſis ad aquarum ſcaturigines in agro Warwicenſi obſervavimus.

5. *Lichen petræus minimus fructu Orobi* C. B. *Lichen alter acaulis* ὑποφυλλόκαρπος Col.

Col.
Simili cum ſuperioribus natali gaudet, eodémque tempore invenitur. Parvi digiti unguis magnitudinem rarò æquat foliis. Viride eſt, punctis albidioribus extuberantibus aſperſum, ut aſperum videatur. Floris vice ante fructum, inferna folii parte dum parvum eſt, utrinque nigras ex purpureo cartilagines habet, coſtarum modo vel valvarum inter ſe oppoſitas, quas acie cultelli elevare potes: à folio differunt quòd illud viride ſit. Cùm autem grandius eſt totum folium nigreſcit ex purpura, atque in extremo intumeſcit, fructúmque emittit Orobi magnitudine, eodem colore, mollem, ſuccoſum aqueo albicante ſucco, poſtea quid croceum emittentem, maturiorem effectum. Diſrupto cortice illo nigro, veluti pericarpium continet fructum, intus lutea pelle contectum, luteum pulverem continentem, & ſi teratur ſuccoſum, atque digiti calore ſtatim humido illo exiccato, infectus digitus cernitur luteo pulvere illo. Folium tenuiſſimis & quàm breviſſimis, albicantibus, atque delicatiſſimis fibrillis hæret.

6. *Lichen petræus muſcoſus racemoſus* C. B.

C. B.
Foliis eſt longè minoribus Hepaticæ vulgaris foliis, ſquamarum inſtar junctis, pallidè virentibus & nonnihil hirſutis; inter quæ quamplurimi pediculi capillacei, biunciales nudi efferuntur; quorum ſinguli capitulum parvum inſtar racemi compactum ſuſtinent, quantum ex ſicco colligere licuit.

A. 7. *Lichen ſive Hepatica lunulata,* ἐπιφυλλόκαρπος.

Folia minora & breviora ſunt quam Hepaticæ vulgar. *Officin.* neque tam manifeſtè punctata; per margines ſinuata & veluti criſpa. In mediis foliis & interdum versùs eorum margines lunulæ quædam foliaceæ ſupra folii ſuperficiem eminentes exoriuntur, quæ ſinu ſuo ſemina conferta ſupino folio incumbentia excipiunt. Vere poſtquam ſemen maturuit lunulæ evaneſcunt.

2. *Polytrichum scoparium* J. B. *Muscus scoparius, muscidorum & udorum Belgii & Frisiæ Orientalis sectator* Lob.

J. B.

Prolixæ *radices*, cubitum plerunque longæ, rigidæ, rubentes, angulosæ, tenues in scopas excutiendo pulveri vestibúsque purgandis plecti solitæ, terræ superficiem versùs foliosis squamis, vel pilis nitentibus rutilisque comosæ. Lobelius multis dodrantalibus, pedalibus etiámque amplioribus ramulis donatum scribit, purpurâ aureâ nitentibus, innumerâ cirrorum tenuium sobole comosis, quibus singulis exseruntur capitula Lini, Ericæ aut Selaginis minora.

Hæc planta C. Bauhino sub titulo Polytrichi aurei majoris primò proponitur [ex sententia Chabræi,] deinde iterum sub titulo Musci erecti ramosi pallidi. Gerardo & Parkinsono nostratibus Lobelium sequutis Muscus scoparius inscribitur.

An & quomodo à Polytricho secundo in loco descripto differat inquirendum?

3. *Polytrichum aureum medium.*

Hoc præcedente omnibus suis partibus minus est, aliàs non ità dissimile. In hoc genere peculiare esse observavimus, quòd ramuli interdum altius assurgant, & foliis vestiantur oblongis cum latitudine aliqua, membranaceis & ferè pellucidis, ad margines undulatis & veluti crispis.

In locis humidis & uliginosis invenitur.

4. *Polytrichum aureum minus* C. B. Park. *Apuleii minus quorundam* J. B. *Muscus capillaris sive Adianthum aureum minus* Ger.

J. B.

Contemnendæ exiguitatis est: Ex muscoso cæspite tanquam stamina capillaria, recta & rigidiuscula se attollunt, semuncialia aut uncialia, tenuissima, colore purpureo aut aureo [interdum etiam, saltem cùm primò erumpunt, flavo aut viridi] quorum unicuique insidet apiculus falcatus, quem avicularum unguiculis minimis haud ineptè comparaveris, quem convestit consimili figurâ inducta vaginula, quæ ubi cedere incipit extrema cauda surrecta galeritæ caput miro naturæ artificio exprimere arbitreris; ubi deciderit capitellum relinquit oblongum, atro-purpureum. Linguæ vinosi saporis aliquid imprimit.

In muris, aggeribus antiquis, ædium tectis & tegulis, similibúsque complutis locis & asperginosis limbis ubique ferè oritur.

5. *Adiantum aureum humilius foliis latis subrotundis. An Muscus Trichomanis facie Jungermanni, foliis utrinque rotundis splendentibus* Cat. Aldorf?

Surculi huic unciales aut sescunciales, densè stipati, exiles admodum, rubentes, aut ex rubro nigricantes, *foliis* ornati statim à radice alternatim positis, latis, subrotundis, tenuibus & ferè membranaceis. An flores aut capitula proferat nobis hactenus incompertum.

In ipsis fontium scaturiginibus, in montosis Eboracensibus aliisque Septentrionalibus Angliæ, v. g. in aggere **Shoat** dicto, ea montis parte quæ **Skipton** oppido imminet.

6. *Muscus palustris Adianto aureo affinis, scapis tenuibus, foliolis brevibus.*

Hujus scapi seu ramuli prætenues sunt, foliolis creberrimis brevissimis cincti, colore ex viridi flavicante aut subcinereo. Pediculis tenuissimis sescuncialibus capitula satis grandia. Adianthi æmula, sed breviora & turgidiora insident.

In locis palustribus, præsertim ubi aquæ scaturiunt, oritur.

CAP. IX.

De Lichene.

Lichen Græcis & Latinis ità dicitur quod lichenas, id est impetigines sanat. Plin. lib. 26. cap. 4. *Lichen herba in lichenis remediis omnibus præfertur, indè nomine invento.*

Est autem Lichen herba ex meris foliis, in terræ superficie aut in arborum corticibus se diffundentibus constans.

Hic autem duplex est, vel 1. *sterilis*, saltem quantum hactenus observatum est, de quo superiùs egimus; & *fertilis* seu semine prægnans.

A. 1. *Lichen sive Hepatica vulgaris* Park. *Lichen sive Hepatica fontana* J. B. *Hepatica terrestris* Ger. *Lichen petræus latifolius sive Hepatica fontana* C. B. **Liverwort.**

Cùm Lichenem primum Plinii, pileatum *Col.* pro Hepatica terrestri vulgari seu Lichene officinarum habeam, ejus descriptionem subjungam Columnianam, quæ cum nostris observationibus exactè congruit.

In saxis aquosis oritur, umbrosis, Septentrionem maximè respicientibus. Radicibus hæret sericeis similibus pilis, tenuibus admodum, copiosis sub foliis, quæ digiti sunt latitudine, & duplâ longitudine vel

vel majore, ſupernè virentia vel parùm flavicantia, ſquamoſa velut Serpentum cutis vel Limacis, ſinguliſque ſquamis punctum in medio inſcriptum elevatur. Florem non producit, quod obſervare potuimus. *Caulem* ex parte folii extrema parum ſciſſa & ſinuoſâ, lunatâ, album, lævem, firmum, ſuccoſum, Junci craſſitie, diaphanum, quatuor uncias longum habet, ſupra quem pileolus veluti fungus inſidet parvus,in quatuor aut quinque partes infernè diviſus, [quibus ſubtus impacta ſunt totidem ſemina ſeu potiùs vaſcula ſeminalia, pulviſculo viridi repleta.] Columnæ pileolus primò viridis eſt, parum ad flavum inclinans, poſtea flaveſcit, atque demum ruffus efficitur, & partes illæ inferiores diviſæ fructum nigrum diſruptæ oſtendunt, atque apertis fructus decidunt nigro-purpurei, ſuccoſi cùm virides adhuc, ſiccatos verò pulverem pro ſemine nigreſcentem fuliginoſum habere comperimus.

Martio menſe caulem edit, Aprili verò perficitur.

A. 2. *Lichen petræus umbellatus* C. B. *Lichen ſive Hepatica minor umbellata* Park. *Hepatica umbellata* Ger.

Hanc cum vulgari Hepatica miſcet J. Bauhinus, poſt cujus deſcriptionem addit, Ex foliis eminent interdum parvi velut umbilici, quales exprimuntur apud Lobelium. Nobis equidem ſpecie diverſus videtur.

A. 3. *Lichen petræus ſtellatus* C. B. *Lichen ſive Hepatica minor ſtellata* Park. *Hepatica ſtellata* Ger.

J. Bauhinus hanc ſpeciem à vulgari Lichene non diſtinguit, quem vetuſtate tandem pediculos erigere ſcribit, unciales & ſeſcunciales, tenues, glabros, quorum unuſquiſque florem ſtellatum herbacei coloris ſuſtinet, qui exprimit parvum galerum ſuis radiis deorſum nutantibus. Parkinſonus quoque Hepaticæ vulgari flores parvos ſtellatos attribuit; aliam autem adhuc minorem facit Hepaticæ ſtellatæ ſpeciem, ex duabus Lobelii iconibus, ut puto, ad id inductus. Quicquid autem ſit de Lichene terreſtri vulgari, ſive is habendus ſit qui fructu eſt ſtellato, ſive qui pileato: hos tamen duos inter ſe revera & ſpecie differre minimè ambigo.

In uliginoſis & umbroſis areis hortorum & ambulacris glareoſis aut ſaxoſis ſæpiùs obſervavimus.

A. 4. *Lichen petræus cauliculo calceato* C. B. *Lichen alter minor caule calceato* Col.

Col.

Iiſdem locis gaudet hic [cum prima ſpecie] ſimilique modo oritur, minor omni ſua parte; delicatiore folio atque minore, tenui admodum, tranſlucido, ut in opaco obſcurum videatur, atque cùm vetuſtius eſt ex purpureo nigreſcat, lævè nec ſquamoſum, ſed veluti è dorſo ferè vagina vel calceus fimbriatis oris parum eminens, ex quo Martii Idibus pilula exit, Orobi magnitudine, atro-virens, lævis, lucida, quæ poſtea ſupra caulem quatuor digitorum ſubeuntem emicat, parum luteſcens, atque in florem dehiſcens luteum quatuor foliolorum, intus quamplurima continentem tenuiſſima atq; impalpabilia ſtamina. *Caulis* areſactus terram verſus demittitur, qui rotundus erat, lævis, nudus, ſuccoſus, diaphanus, albus, facilè tactu corruptibilis. *Radix* villoſa ſericea eſt, ut non ſubtilior inveniatur.

In udis paludoſis ad aquarum ſcaturigines in agro Warwicenſi obſervavimus.

5. *Lichen petræus minimus fructu Orobi* C. B. *Lichen alter acaulis* ἐπιφυλλόκαρπος Col.

Col.

Simili cum ſuperioribus natali gaudet, eodémque tempore invenitur. Parvi digiti unguis magnitudinem raro æquat foliis. Viride eſt, punctis albidioribus extuberantibus aſperſum, ut aſperum videatur. Floris vice ante fructum, inferna folii parte dum parvum eſt, utrinque nigras ex purpureo cartilagines habet, coſtarum modo vel valvarum inter ſe oppoſitas, quas acie cultelli elevare potes: à folio differunt quòd illud viride ſit. Cùm autem grandius eſt totum folium nigreſcit ex purpura, atque in extremo intumeſcit, fructúmque emittit Orobi magnitudine, eodem colore, mollem, ſuccoſum aqueo albicante ſucco, poſtea quid croceum emittentem, maturiorem effectum. Diſrupto cortice illo nigro, veluti pericarpium continet fructum, intus lutea pelle contectum, luteum pulverem continentem, & ſi teratur ſuccoſum, atque digiti calore ſtatim humido illo exiccato, infectus digitus cernitur luteo pulvere illo. Folium tenuiſſimis & quàm breviſſimis, albicantibus, atque delicatiſſimis fibrillis hæret.

6. *Lichen petræus muſcoſus racemoſus* C. B.

C. B.

Foliis eſt longè minoribus Hepaticæ vulgaris foliis, ſquamarum inſtar junctis, pallidè virentibus & nonnihil hirſutis; inter quæ quamplurimi pediculi capillacei, biunciales nudi efferuntur; quorum ſinguli capitulum parvum inſtar racemi compactum ſuſtinent, quantum ex ſicco colligere licuit.

A. 7. *Lichen ſive Hepatica lunulata*, ἐπιφυλλόκαρπος.

Folia minora & breviora ſunt quam Hepaticæ vulgar. *Officin.* neque tam manifeſtè punctata; per margines ſinuata & veluti criſpa. In mediis foliis & interdum verſùs eorum margines lunulæ quædam foliaceæ ſupra folii ſuperficiem eminentes exoriuntur, quæ ſinu ſuo ſemina conferta ſupino folio incumbentia excipiunt. Vere poſtquam ſemen maturuit lunulæ evaneſcunt.

In umbrosis uliginosis oritur sed rariùs: *D. Dale* pharmacopœus & medicus Brantriæ, vicinus noster, Botanices studiosus primus detexit nobisque ostendit, non longè à domicilio nostro nascentem; & alibi etiam copiosius.

7. *Lichen minimus foliolis laciniatis.*

Hic vulgari Lichene decuplo minor est, eodem modo se diffundens tenuissimis capillamentis è mediis foliis emissis. Foliola autem tenuia sunt, non punctata, circa margines laciniata crebris laciniis, unde velut crispa videntur. Nullum hactenus fructum in hac specie observare potuimus.

Iisdem cum Lichene vulgatissimo in locis invenitur. Sub finem Augusti descripsimus. Vere cùm primùm observavimus alia (quantum memini) facie apparuit.

Vires. Lichen sapore est aqueo cum amarore nonnullo & adstrictione. Hepatica est insignis [in calidis cum siccitate hepatis malis, C. *Hofman.*] Usus præcipuè in obstructionibus hepatis & vesicæ, quorum signaturas in foliis gerit: hinc in hectica, in ictero, in scabie & lichenibus, in gonorrhœa, in febri. Extrinsecus sistit sanguininem vulneribus. *Schrod.*

Notavit Cæsalpinus quòd purget leniter humores adustos, & crassos, si in magna copia, ut pond. ℔ ii. ejus decoctum sumatur. Quo remedio iterato per multos dies sanatos multos vidit ex maligna scabie & ulceribus exedentibus. Oportet autem singulis diebus novam decoctionem parare, præcipuè cum sero lactis, quia facilè exolescit.

C. Hofmannus Hepaticam peculiari vi purgante præditam esse non magis credit quàm serum. *Imò serum ipsum copiosè haustum non raro purgat.*

CAP. X.

De Ophioglosso.

Ophioglossum J. B. Ger. *Ophiog. sive Lingua serpentina* Park. *Ophioglos. I. sive vulgatum* C. B. **Adders-tongue.**

J. B.

Etym. Ophioglosso floris arguta cuspis (inquit J. Bauhinus) linguam serpentis exertam imitata, nomen impertivit, fictum quidem ex Germanico: Veteribus indictum esse nonnulli existimant, certè quo nomine illis innotuit inter Botanicos non convenit.

Multis & satis crassis fibris in fasciculum velut collectis cirratâ, Ellebori modo, si præsertim pinguius nanciscatur solum, radice donatur, post dulcedinem quam primùm linguæ ingerit, caloris & acrimoniæ nonnihil in palato relinquens & paululum amarescens *Cam.* Huic surgit pedicellus palmaris folium singulare sustinens, Betæ parvæ quodammodo, pinguius tamen & carnosum, minimèque nervosum, modò angustum & longiusculum, modo latum & subrotundum, læve, erectum, sapore dulciusculo cum viscositate & virositate aliqua; è cujus sinu quà pediculo committitur ligula exit bifurcata, non tamen secta, in acumen sensim desinens, citra extremitatem utrinque denticulata, scobinæ aut Limæ aurifabrorum effigiaturâ. Seminis loco (inquit Camerarius) ei tenuis quasi pollen in linguæ insectionibus adest, iisque per maturitatem dehiscentibus excidit.

Locus. In pratis & pascuis humidioribus frequens invenitur. Aprili vel demum Maio mense prodit, & adusque Junium viget, paulò post tota superficies marcescit, radice in terra superstite; quæ profundè demergitur, ut extirpatu difficilis sit.

Vires. Vulnerarium est insigne, tum intus sumptum in potionibus, tum extrinsecus applicatum. Recentia folia vulnera conglutinant & enterocelas sanant. Datur potanda ex aqua Equiseti ad intrinseca vulnera. Herbæ pulverem aliquot diebus exhibitum ramices omnes curare posse affirmat Baptista Sardus.

Verùm non modò ad vulnera recentia sed & vetera ulcera & ramices præcipuæ æstimationis est oleum quod ex foliis ejus in oleo Olivarum vel omphacino ad Solem diutiùs maceratis, vel breviùs ad ignem decoctis donec inarescant & exucca evadant, deinde expressis, conficitur, præsertim, inquit Parkinsonus, si resinæ Terebinthinæ tantillum in eo dissolvatur.

Ophioglossa ratione magnitudinis inter se differre deprehendit Mentzelius circa oppidum Furstenwaldiam. Minimum ultra unciam cum sua lingua & foliolo non assurgit. Medium verò bis unciale folium habet longius & linguam ultra tres uncias excrescentem: Majus autem folium obtinet quatuor uncias longum & unum cum dimidio latum, linguâ in altum satis se erigente.

Ibidem quoque trilinguia Ophioglossa, necnon bilinguia reperit idem.

CAP. XI.

De Lunaria.

Lunaria Recentioribus dicta à foliis Lunæ crescentis modo falcatis, an Veteribus cognita ambigitur. Vide *C. B.* Pin.

Folio singulari pinnato, & in nonnullis speciebus ramoso aut multifido, cauliculo racemulis flosculorum & seminum onusto ab aliis omnibus plantis, nedum hujus generis, distinguitur.

Observavit * Columna in hac specie omnes plantas in imo petiolo supra radicem folliculum habere quendam veluti Ari florem exiguum, in quo plantulam exiguam veluti fœtum complicatum

* *Annot. in Res Medicas novæ Hispan.*

plicatum extare vidit, intra folliculum uteri vicem gerentem, integram, foliosam tantùm quæ racemo vidua erat, post annum proferendam, & quæ racemosa cum ipso exiguo sed integro racemo convolutam: Et hoc mirum (inquit) Naturæ institutum. Alias plantas simili modo infra terram uterum gerere agnovimus, & suo tempore proferre, sed non anno integro, & forsan nec medio, verùm à nova radicis ipsius extumescentia, ut in bulbosis quibusdam, in quibus intra bulbum ipsum spicatum cauliculum observavimus, suo tempore proferendum.

Cap. XII.

1. *Lunaria minor* Ger. Park. *L. botrytis* J.B. *racemosa minor vel vulgaris* C. B. Moonwort.

J. B.

E Radice tenui, subnigra, intus flavescente *folium* exit singulare, unà cum pediculo interdum palmare, 4, 5, 6, 7, aut pluribus pinnarum crassarum, ubi nervo medio connectuntur angustarum; in latum & falcatum mucronem desinentium, conjugationibus compositum; pinnarum superiorum concavo inferiorum gibbum excipiente. Ex eodem pediculo ex infimæ conjugationis sinu surculus prodit palmaris, succulentus, crassus, è cujus lateribus alternatim oriuntur pediculi racemulis onusti, jubam imitantes. Racemuli acinos habent, congestos, paucos, virides, qui nec florem unquam edunt, nec semen intus habere conspiciuntur, sed pro eo pallido colore pulvis tenuissimus atque impalpabilis invenitur, quo sato an ex eo planta exeat incertum est, sæpe quidem cùm expertus sum nunquam exire aliquid cognovi, inquit Columna.

Ego pulverem hunc ipsum plantæ semen esse minimè dubito, quantumvis à Columna satum, loco fortasse alieno, non provenit.

In montibus Eboracensibus propè *Settle* oppidum copiosissimè provenit: & alibi in montosis & frigidioribus variis in locis, tum in Anglia, tum in transmarinis regionibus.

Lunaria botrytis minor multifolia *J. B.* Lun. racemosa ramosa major *C. B.* an sit Lusus naturæ tantum; an species Lunariæ distincta ambigimus, præsertim cùm Camerarius eam in Anglia inveniri tradat: Nos autem nihil tale unquam invenimus, nec ab aliis inventum audivimus in Anglia, nisi forte accidentarium & monstrosum.

2. *Lunaria Botryites ramosa Silesiaca* J. B. *racemosa multifido folio* C. B.

Clus.

Dodrantalis est planta, statim à radice unam aut aliam foliorum alam protrudens, sive folium ramosum & multifidum, frequentibus foliis, Lunariæ minoris vulgaris foliis ferè similibus constans, sed longioribus & crassiusculis, crebrâque incisurâ divisis, colore ut in vulgari viridi dilutiore, & quodammodo pallescente. Secunda ala, ut tenerior est & postremò nata, tenui quadam sed rara admodum lanugine pubescere videtur, succulentiórque est quàm prima: ex ejus quasi utero secundùm radicem emergit cauliculus pinguis & succulentus, sustinens multifidam & majorem uvam [floris'ne an fructûs dicere debeam hæreo] quàm vulgaris, alioquin admodum similem. *Radix* vulgaris instar multis fibris latè in ambitum sparsis, crassioribus tamen, constat.

In altis Silesiæ montibus oritur; culturam autem respuit ut pleræque montanæ.

3. *Lunaria racemosa minor Adianti folio* Breynii.

Breyn.

Vulgari foliis laciniatis (cujus effigies apud Camerarium in Matthiolo Germanicè edito sub numero II. exstat) per omnia similis præter folia, quæ Capilli Veneris sive Adianti foliis Coriandri *C. B.* in modum eleganter sunt dissecta.

Nascitur in montibus Cassubiæ, sed admodum rara.

4. *Lunaria racemosa minor Matricariæ folio* Breynii.

Breyn.

Montium Cassubiæ est incola, unde satis copiosè allata. *Cauliculi* in omnibus allatis magis curti erant quàm vulgaris, racemis brevioribus magisque ramosis, ac *foliis* brevioribus, plures in lacinias angustiores dissectis, Matricariæ haud imparibus onusti.

Cap. XIII.

De Equiseto.

EQuisetum Latinis à seta equina nomen traxit. *Græcis* Ἵππουρις i. e. Cauda equina, à similitudine dicitur, quia folia habet setis similia medio scapo adnascentia. *Etymon.*

Planta est singularis & sui generis, tum scapo medio tum foliis (si modo folia dicenda sunt) pyxidatim articulatis. Propriè loquendo folia non habet, quæ enim folia dicuntur nullam habent

bent pronæ & supinæ partis distinctionem; excepto tamen Polygono fœmina dicto, quod ab aliis Equisetorum speciebus in tantum differt, ut diversum genus à nonnullis meritò constituatur.

A. 1. *Equisetum majus* Ger. *majus palustre* Park. *majus aquaticum* J. B. *palustre longioribus setis* C.B. **Great Marsh or Water-Horse-tail.**

J. B.

Pro radicibus sunt creberrimæ tenuissimæque nigricantes fibræ longè è caulium geniculis demissæ. Asparagos primùm protrudit palmares, & cubito altiores Polygoni fœminæ crassitie, internodiis longioribus, pyxidata insertione distinctos (cotylâ fimbriatâ nigricante alterius tubulum excipiente, quâ notâ etiam à Polygono fœmina differt) striatos, inanes, quorum summo fastigio clavatum insidet capitulum, veluti nucamentum, cujus divulsis dehiscentibusque commissuris flosculi apparent ex fusco albidi. Procedente tempore *caules* bicubitales & interdum altiores, minimi propemodum digiti crassitie, teretes, concavi, albicantes plerunque, læves aut striis vix conspicuis exarati, crebris geniculis pyxidatim cohærentibus intercepti. Singulos geniculos ambiunt folia seu setæ plurimæ [ultra triginta numeravimus] prælongæ, tenues, asperæ, striatæ, virides, non ramosæ, octo aut novem, pluribusve aut paucioribus internodiis pyxidatim articulatis compositæ. Cùm veterascere incipit caulis in colorem spadiceum aut atro-rubentem è latere Soli obverso non rarò mutatur.

In palustribus & aquosis passim provenit.

A. 2. *Equisetum arvense longioribus setis* C. B. Park. *minus terrestre* J. B. *segetale* Ger. **Corn-Horse-tail.**

Radice est gracili, nigra, articulatâ & serpente, fibris nigricantibus è geniculis exortis capillatâ: quæ Aprili mense haud secus ac Equisetum majus Asparagos emittit, sed graciliores, longioribus & laxioribus fimbriatis, nigricantibus cotylis tubulos excipientibus, nucamenti æmulum capitulum, apicibus albis confertum, sustinentes. Maio mense *caules* frequentes sequuntur, pedales, geniculis distincti, pyxidatim inserti; cavi, scabri *C. B.* [Ego nullam fere scabritiem in caule aut foliis sentio] Ex geniculis folia radiatim enata dodrantem æquant, & ipsa quoque ex articulis sobolem pariunt.

A præcedente differt *caule* multis numeris minore & breviore, viridi, manifestiùs striato, longioribus internodiis, cavitate intus minore: *foliis* seu setis pro plantæ magnitudine majoribus, profundiùs striatis [quatuor sulcis] tortuosis, è geniculis interdum folia seu setas secundarias emittentibus, paucioribus ad singulos caulis nodos.

Inter segetes solo humidiore non rarò invenitur.

Setæ in hoc minùs asperæ quàm in præcedenti, imò nobis tractantibus vix omnino asperæ videntur.

Vires. Equisetum astringit validè, hinc ad sanguinis rejectionem, ad profluvium muliebre, potissimum rubrum, & ad dysenterias reliquósque ventris fluxus strenuum & generosum est remedium vel herba ipsa aut ex aqua, aut ex vino epota [pulvis ℨj. pondere, aut decocti in vino ℥iiij. manè & vesperi propinatæ] vel aqua ejus stillatitia si cochlearia tria duobus tribúsve diebus bibantur. Sanat hæmorrhagias sive per ἀναστόμωσιν, sive per διαίρεσιν, ut loquitur Casp. Hofmannus: item exulcerationes renum & vesicæ.

Hujus Asparagos, autore Matthiolo, in Hetruria, modo in defectu melioris cibi, modo in dysenteriæ aliisque alvinis fluxibus comedunt Hetrusci, & sentiunt aliquando ità sibi stringi ventrem, ut colici fiant.

Exteriùs emplastri modo imposita conglutinat maxima vulnera, etiam ubi nervi sunt incisi.

Dioscorides urinam movere refert.

In diuturnis febribus, etiam malignis, miracula fecisse cum aliis se comperisse scribit Casp. Hofmannus.

Ad sanguinis sputum exhibe radicis exsiccat. & pulveris. ℨj. cum succo Granatorum acidorum.

Ad pectoris pulmonúmque ulcera Decoctum Equis. in aquâ mane & vesperi calidè potum ad ℥iiij. vel ejus succi ℥ij.

In phthisi pulvis Equiseti ℨj. pondere cum Aquæ Plantag. ℥iij. manè & vesperi aliquot diebus sumptus commendatur.

Alios ejus exhibendi modos contra vomitum sanguinis & dolores ventriculi, contra rupturas, contra calculum, urinæ stillicidium, &c. vide apud * *C. Bauhinum*.

* Theatr. Botan. l. 1. Sect. 2. cap. 19.

A. 3. *Equisetum sylvaticum* Tab. Ger. *sylvaticum tenuissimis setis* C. B. *omnium minimum tenuifolium* Park. Lob. illustr. *Equisetum sive Hippuris tenuissima non aspera* J. B. **Wood-Horse-tail.**

C. B.

Caule est pedali, geniculis farcto, è cujus articulis singulis utrinque frequentissima folia, tenuissimorum capillorum instar prodeunt, quæ variè & minutim dividuntur.

Setas habet omnium tenuissimas & maximè ramosas, quibus notis, ut & lævore suo à reliquis suæ sortis facilè distinguitur.

Hanc speciem esse putamus quam describit Lobelius in Illustrationibus stirpium & ex eo Parkinsonus sub titulo superiùs posito. Et locus enim & descriptio conveniunt.

In locis humidis sylvarum & umbrosis oritur, solo palustri, non tamen ità frequens.

A. 4. *Equisetum palustre* Lob. Ger. *palustre minus* Park. *palustre brevioribus setis* C. B. **The lesser marsh Horse-tail.**

Ab Equiseto segetali, cui aliàs persimile est, differt, 1. Caule paucioribus & profundioribus striis seu sulcis exarato. 2. Pro numero striarum paucioribus ad singula genicula foliis cincto, nimirum septem, octo vel novem; cùm in illo duodecim aut plura habeantur. 3. Pyxidulis quibus inseruntur internodia longioribus. 4. Foliis seu setis mavis dicere, plerunque brevioribus, minùs sparsis & tortuosis, minus profundè sulcatis, non ramosis, apicibus seu denticulis pyxidularum in quas inseruntur internodia non ut in illo extrorsùm reflexis, sed cauli appressis; quâ notâ, primâ statim fronte ab illo (cujus articuli velut fimbriati sunt) discernitur. 5. Tandem Capitulis floriferis summos caules foliosos terminantibus cum in illo spicæ seu capitula seorsim, velut Asparagi quidam, exeant antequam caules oriantur.

His addi posset prima setarum à scapo medio internodia multò breviora esse in hoc genere quam in illo.

In palustribus solo putrido & spongioso oritur, quo etiam ab Equiseto segetali differt quod solidiorem & minùs aquosam terram non aspernatur; quamvis & illud humore delectetur.

Not. quot sunt in caule striæ tum in hoc tum in aliis Equisetis, tot poris secundùm longitudinem, ceu tubis minoribus medium majorem circumstantibus, perforatur.

A. 5. *Equisetum palustre brevioribus foliis polyspermon* C. B. *palustre alterum brevioribus setis* Park. *Cauda equina fœmina* Ger. *Equiseti facie Polygonum fœmina* J. B. **Female Horse-tail.**

C. B.

Radice nititur rufescente nigricantéve, tenera, articulata, per transversum sparsa, plurimis capillamentis fibrata & limo hærente, quibus se propagat; à qua primo vere, antequam caules exeant, asparagi aliquot prodeunt, formâ spicatâ, colore candicante, tenelli, esui apti, qui ejus *flores* sunt. *Caulem* habet aliquando unum, aliquando ternos & quaternos, Arundini teneræ similes, & Junco multò crassiores, in tenuitatem desinentes, rectos, rotundos, læves neque striis asperos, cubitum superantes, densè geniculatos, internodiis frequentibus commissis: ex articulorum pyxidatis insertionibus brevi admodum intervallo *folia* radiatim exeunt, quæ brevia & angusta, mollia ac virentia, prima quidem Linariæ parvæ, superiora Piceæ similia; quibus singula, ceu grana oblonga (Milio minora Cordo) rufescentia, ad articulorum commissuras disposita, sæpe dena & plura, eleganti ordine adnascuntur. Verùm cum non semper reperiantur, idcirco Herbariorum figuræ his carent, &c.

In lacubus & stagnis & ad rivulorum ripas, sed plerunque in ipsis aquis oritur, aut aquis exsiccatis in limo, non tamen admodum frequens apud nos in Anglia.

* 6. *Equisetum palustre minus polystachion* C. B.

C. B.

Radice est repente, geniculis distincta: *caule* tenui, cubito minore, geniculis crassioribus articulato: foliis aut potiùs geniculatis cirris ad articulum utrinque ternis vel quaternis, junceis, palmaribus: quibus pænè singulis minuta *spica* Iuli instar insidet: caulis verò iulum oblongum minùs compactum, flosculis pallidissimè rubentibus donatum, sustinet.

Basileæ in aquosis Michelfeldensibus observavit *C. Bauhinus*.

A. 7. *Equisetum nudum* Ger. *junceum sive nudum* Park. *foliis nudum non ramosum sive junceum* C. B. **Naked Horse-tail.**

C. B.

Radice nititur nigricante, per transversum repente, fibrosa & insipida: ex quâ *caules* singulares, ad radicem atro-rubentes & splendentes exurgunt, iique cubitales, juncei, striis asperi, cavi & nudi, geniculis multis articulati, & tuborum modo sibi immissi, qui in acuminatum fastigium, aliquando & in asparagum terminantur, & quandoque circa summum caulis, ex articellis folia admodum parva emittit: rariùs ramus unus & alter è geniculo prodit.

In rivulis & fossis aquosis, sæpè ex fundo culmi tricubitales exoriuntur.

Hæc species à præcedentibus omnibus revera distincta est, siquidem asperior est multo, solidiórque & perpetuò etiam viret; quamvis nos *J. Bauhinum* secuti asparagum potius esse Equiseti palustris quàm plantam ab eo diversam aliquando sensimus & scripsimus. Et revera Equisetum palustre non raro etiam scapos nudos seu junceos emittit.

Hæc præcipuè species est cujus junceis virgis materiarii fabri multorum minutorum operum veluti pectinum & manubriorum scabritiem in lævorem expoliunt; unde & Anglis non minùs quàm Germanis **Shavegrass** dicitur.

bent pronæ & supinæ partis distinctionem; excepto tamen Polygono fœmina dicto, quod ab aliis Equisetorum speciebus in tantum differt, ut diversum genus à nonnullis meritò constituatur.

A. 1. *Equisetum majus* Ger. *majus palustre* Park. *majus aquaticum* J. B. *palustre longioribus setis* C. B. **Great Marsh or Water-Horse-tail.**

J. B.

Pro radicibus sunt creberrimæ tenuissimæque nigricantes fibræ longè è caulium geniculis demissæ. Asparagos primùm protrudit palmares, & cubito altiores Polygoni fœminæ crassitie, internodiis longioribus, pyxidata insertione distinctos (cotylâ fimbriatâ nigricante alterius tubulum excipiente, quâ notâ etiam à Polygono fœmina differt) striatos, inanes, quorum summo fastigio clavatum insidet capitulum, veluti nucamentum, cujus divulsis dehiscentibúsque commissuris flosculi apparent ex fusco albidi. Procedente tempore *caules* bicubitales & interdum altiores, minimi propemodum digiti crassitie, teretes, concavi, albicantes plerunque, læves aut striis vix conspicuis exarati, crebris geniculis pyxidatim cohærentibus intercepti. Singulos geniculos ambiunt folia seu setæ plurimæ [ultra triginta numeravimus] prælongæ, tenues, asperæ, striatæ, virides, non ramosæ, octo aut novem, pluribúsve aut paucioribus internodiis pyxidatim articulatis compositæ. Cùm veterascere incipit caulis in colorem spadiceum aut atro-rubentem è latere Soli obverso non rarò mutatur.

In palustribus & aquosis passim provenit.

A. 2. *Equisetum arvense longioribus setis* C. B. Park. *minus terrestre* J. B. *segetale* Ger. **Corn-Horse-tail.**

Radice est gracili, nigra, articulatâ & serpente, fibris nigricantibus è geniculis exortis capillatâ: quæ Aprili mense haud secus ac Equisetum majus Asparagos emittit, sed graciliores, longioribus & laxioribus fimbriatis, nigricantibus cotylis tubulos excipientibus, nucamenti æmulum capitulum, apicibus albis confertum, sustinentes. Maio mense *caules* frequentes sequuntur, pedales, geniculis distincti, pyxidatim inserti; cavi, scabri *C. B.* [Ego nullam fere scabritiem in caule aut foliis sentio] Ex geniculis folia radiatim enata dodrantem æquant, & ipsa quoque ex articulis sobolem pariunt.

A præcedente differt *caule* multis numeris minore & breviore, viridi, manifestiùs striato, longioribus internodiis, cavitate intus minore: *foliis* seu setis pro plantæ magnitudine majoribus, profundiùs striatis [quatuor sulcis] tortuosis, è geniculis interdum folia seu setas secundarias emittentibus, paucioribus ad singulos caulis nodos.

Inter segetes solo humidiore non rarò invenitur.

Setæ in hoc minùs asperæ quàm in præcedenti, imò nobis tractantibus vix omnino asperæ videntur.

Vires. Equisetum astringit validè, hinc ad sanguinis rejectionem, ad profluvium muliebre, potissimum rubrum, & ad dysenterias reliquósque ventris fluxus strenuum & generosum est remedium vel herba ipsa aut ex aqua, aut ex vino epota [pulvis ʒj. pondere, aut decocti in vino ℥iiij. manè & vesperi propinatæ] vel aqua ejus stillatitia si cochlearia tria duobus tribúsve diebus bibantur. Sanat hæmorrhagias sive per ἀναστόμωσιν, sive per διαίρεσιν, ut loquitur Casp. Hofmannus: item exulcerationes renum & vesicæ.

Hujus Asparagos, autore Matthiolo, in Hetruria, modo in defectu melioris cibi, modo in dysenteriæ aliisque alvinis fluxibus comedunt Hetrusci, & sentiunt aliquando ità sibi stringi ventrem, ut colici fiant.

Exteriùs emplastri modo imposita conglutinat maxima vulnera, etiam ubi nervi sunt incisi.

Dioscorides urinam movere refert.

In diuturnis febribus, etiam malignis, miracula fecisse cum aliis se comperisse scribit Casp. Hofmannus.

Ad sanguinis sputum exhibe radicis exsiccat. & pulveris. ʒj. cum succo Granatorum acidorum.

Ad pectoris pulmonúmque ulcera Decoctum Equis. in aquâ mane & vesperi calidè potum ad ℥iij. vel ejus succi ℥ij.

In phthisi pulvis Equiseti ʒj. pondere cum Aquæ Plantag. ℥iij. manè & vesperi aliquot diebus sumptus commendatur.

Alios ejus exhibendi modos contra vomitum sanguinis & dolores ventriculi, contra rupturas, contra calculum, urinæ stillicidium, &c. vide apud * *C. Bauhinum*.

* *Theatr. Botan. l. 1. Sect. 2. cap. 19.*

A. 3. *Equisetum sylvaticum* Tab. Ger. *sylvaticum tenuissimis setis* C. B. *omnium minimum tenuifolium* Park. Lob. illustr. *Equisetum sive Hippuris tenuissima non aspera* J. B. **Wood-Horse-tail.**

C. B.

Caule est pedali, geniculis farcto, è cujus articulis singulis utrinque frequentissima folia, tenuissimorum capillorum instar prodeunt, quæ variè & minutim dividuntur.

Setas habet omnium tenuissimas & maximè ramosas, quibus notis, ut & lævore suo à reliquis suæ sortis facilè distinguitur.

Hanc speciem esse putamus quam describit Lobelius in Illustrationibus stirpium & ex eo Parkinsonus sub titulo superiùs posito. Et locus enim & descriptio conveniunt.

In

In locis humidis sylvarum & umbrosis oritur, solo palustri, non tamen ità frequens.

A. 4. *Equisetum palustre* Lob. Ger. *palustre minus* Park. *palustre brevioribus setis* C. B. **The lesser marsh Horse-tail.**

Ab Equiseto segetali, cui aliàs persimile est, differt, 1. Caule paucioribus & profundioribus striis seu sulcis exarato. 2. Pro numero striarum paucioribus ad singula genicula foliis cincto, nimirum septem, octo vel novem; cùm in illo duodecim aut plura habeantur. 3. Pyxidulis quibus inseruntur internodia longioribus. 4. Foliis seu setis mavis dicere, plerunque brevioribus, minùs sparsis & tortuosis, minus profundè sulcatis, non ramosis, apicibus seu denticulis pyxidularum in quas inseruntur internodia non ut in illo extrorsum reflexis, sed cauli appressis; quâ notâ, primâ statim fronte ab illo (cujus articuli velut fimbriati sunt) discernitur. 5. Tandem Capitulis floriferis summos caules foliosos terminantibus cum in illo spicæ seu capitula seorsim, velut Asparagi quidam, exeant antequam caules oriantur.

His addi posset prima setarum à scapo medio internodia multò breviora esse in hoc genere quam in illo.

In palustribus solo putrido & spongioso oritur, quo etiam ab Equiseto segetali differt quod solidiorem & minùs aquosam terram non aspernatur; quamvis & illud humore delectetur.

Not. quot sunt in caule striæ tum in hoc tum in aliis Equisetis, tot poris secundùm longitudinem, ceu tubis minoribus medium majorem circumstantibus, perforatur.

A. 5. *Equisetum palustre brevioribus foliis polyspermon* C. B. *palustre alterum brevioribus setis* Park. *Cauda equina fœmina* Ger. *Equiseti facie Polygonum fœmina* J. B. **Female Horse-tail.**

C. B.

Radice nititur rufescente nigricantéve, tenera, articulata, per transversum sparsa, plurimis capillamentis fibrata & limo hærente, quibus se propagat; à qua primo vere, antequam caules exeant, asparagi aliquot prodeunt, formâ spicatâ, colore candicante, tenelli, esui apti, qui ejus *flores* sunt. *Caulem* habet aliquando unum, aliquando ternos & quaternos, Arundini teneræ similes, & Junco multò crassiores, in tenuitatem desinentes, rectos, rotundos, læves neque striis asperos, cubitum superantes, densè geniculatos, internodiis frequentibus commissis: ex articulorum pyxidatis insertionibus brevi admodum intervallo *folia* radiatim exeunt, quæ brevia & angusta, mollia ac virentia, prima quidem Linariæ parvæ, superiora Piceæ similia; quibus singula, ceu grana oblonga (Milio minora Cordo) rufescentia, ad articulorum commissuras disposita, sæpe dena & plura, eleganti ordine adnascuntur. Verùm cum non semper reperiantur, idcirco Herbariorum figuræ his carent, &c.

In lacubus & stagnis & ad rivulorum ripas, sed plerunque in ipsis aquis oritur, aut aquis exsiccatis in limo, non tamen admodum frequens apud nos in Anglia.

* 6. *Equisetum palustre minus polystachion* C. B.

C. B.

Radice est repente, geniculis distincta: *caule* tenui, cubito minore, geniculis crassioribus articulato: foliis aut potiùs geniculatis cirris ad articulum utrinque ternis vel quaternis, junceis, palmaribus: quibus penè singulis minuta *spica* Iuli instar insidet: caulis verò iulum oblongum minùs compactum, flosculis pallidissimè rubentibus donatum, sustinet.

Basileæ in aquosis Michelfeldensibus observavit *C. Bauhinus*.

A. 7. *Equisetum nudum* Ger. *junceum sive nudum* Park. *foliis nudum non ramosum sive junceum* C. B. **Naked Horse-tail.**

C. B.

Radice nititur nigricante, per transversum repente, fibrosa & insipida: ex quâ *caules* singulares, ad radicem atro-rubentes & splendentes exurgunt, iique cubitales, juncei, striis asperi, cavi & nudi, geniculis multis articulati, & tuborum modo sibi immissi, qui in acuminatum fastigium, aliquando & in asparagum terminantur, & quandoque circa summum caulis, ex articellis folia admodum parva emittit: rariùs ramus unus & alter è geniculo prodit.

In rivulis & fossis aquosis, sæpè ex fundo culmi tricubitales exoriuntur.

Hæc species à præcedentibus omnibus revera distincta est, siquidem asperior est multo, solidiórque & perpetuò etiam viret; quamvis nos *J. Bauhinum* secuti asparagum potius esse Equiseti palustris quàm plantam ab eo diversam aliquando sensimus & scripsimus. Et revera Equisetum palustre non rarò etiam scapos nudos seu junceos emittit.

Hæc præcipuè species est cujus junceis virgis materiarii fabri multorum minutorum operum veluti pectinum & manubriorum scabritiem in lævorem expoliunt; unde & Anglis non minùs quàm Germanis **Shavegrass** dicitur.

* 8. *Equisetum foliis nudum ramosum* C. B. *junceum ramosum* Park. **Naked branched Horse-tail.**

C. B.

Caule est longissimo, parte inferiore nigro, striato, aspero, foliis nudo, concavo & geniculato, at geniculis paucioribus, & à se invicem longiùs distantibus quàm in aliis speciebus. Ex articulis modò utrinque unus, modò ab altero latere duo, & ab altero unus ramus, Junci crassitie, sesquipalmaris, colore, striis & articulis cauli correspondens, & in tenuissimum apicem finiens prodit. At ipse caulis in pyxidulam ferè semuncialem, striatam, albam & crenatam finit: ad cujus pyxidulæ latera similiter & communiter utrinque unus ramus cubitalis effertur.

In sylvis uliginosis, sed rariùs, reperimus.

* 9. *Equisetum nudum minus variegatum Basiliense* C. B. *nudum minus variegatum* Park. **Small parti-coloured naked Horse-tail.**

C. B.

Ex *radice* parva, nigra, transversa, nonnihil capillata *cauliculi* plures, inæquales, rarissimè pedales, communiter palmares, semipalmares & multò breviores, striati, pallidè virentes, geniculis parte inferna nigris, supernâ albidis, articulatis, foliis carentes & cavi; in quorum summitatibus *capitulum* brevissimum iuli instar insidet, quod à corona alba, ex octo, novem, etiam duodecim foliolis acutis composita sustentatur; & quando pedibus calcatur crepitat.

Ad Rheni ripam, juxta locum *die Baar* dictum, ad minorem urbem provenit.

A. 10. *Equisetum fœtidum sub aqua repens* C. B. J. B. Ger. Park. **Stinking water Horse-tail.**

C. B.

Radice est fibrosa; *caulibus* plurimis, tenuibus, rotundis, per obliquum ut Saccharum penidium striatis, geniculatis, fragilibus, sub aqua per terram sparsis (in aquis enim plerunque demersum, rariùs emergens) quandoque cubitalibus, in plures cauliculos brachiatis: *foliis* aliquot brevibus, in breves apices distinctis, & simul ad genicula junctis. Tota planta fragilis est, quæ dum in aqua est viridis est [non semper, nam interdum & in ipsa aqua cinerea cernitur] at extracta & exsiccata incana & friabilis, ita ut non solùm digitis minimo negotio in pulverem comminuatur, sed etiam sponte in pulverem abeat. Odoris est lutosi & sulphurei.

In aquis cœnosis abundè oritur plurimis in locis.

A. 11. *Hippuris Coralloides* Ger. emac. *An Hippuris lacustris quædam foliis mansu arenosis* Gesn?

Multis exit surculis, duas trésve uncias altis, ad singulos articulos foliola multa emittentibus, cauliculum seu scapum denso agmine proximè circumstantibus, aliorum hujus generis more sitis. Versùs summos scapos articuli admodum crebri sunt. Color totius plantulæ cinereus ad viridem nonnihil inclinans. Valde fragilis est & sub dentibus scruposa Corallinæ instar; pedibus etiam pressa crepitat ac si congelata esset.

Locus. In palustribus putridis & spongiæ instar aquam imbibere & retinere aptis oritur: ut v. g. non procul à *Chisselhurst* vico in Cantio, necnon tribus trans Oxonium milliaribus, propè Trajectum *Evenshami*. Vide Ger. emaculat.

Supersunt adhuc duæ aliæ Equiseti species à *C. Bauhino* propositæ & descriptæ, quarum altera *Equisetum palustre tenuissimis & longissimis setis*, altera *Equisetum pratense longissimis setis* inscribitur: quæ adeò parum differunt à nonnullis ex descriptis, ut specie distinctas non existimemus. Vide, si placet, *C. Bauhini Theatr. Botan.*

LIBRI

LIBRI TERTII
PARS SECUNDA.

Herbarum caule carentium hypophyllospermων seu Capillarium Tabula.

Herbæ caule carentes, epiphyllospermæ, seu mavis, hypophyllospermæ, quia semina aversæ foliorum parti, in punctis lineolisve ibidem efflorescentibus, adnascuntur; nonnullis *Capillares*, aliis *Dorsiparæ* & *Tergifœtæ* dictæ, sunt vel foliis.

- *Simplicibus*, seu integris & indivisis, oblongis,
  - *Sinu in basi ad pediculum falcato* excavatis, cum appendice utrinque producta; HEMIONITIS.
  - *Nullo ad basin folii sinu* aut appendice; PHYLLITIS, *Lingua cervina*.
- *Dissectis* aut incisis
  - *Simplici divisurâ* in lacinias tantùm aut pinnas: Suntque vel
    - *Majores*, folio
      - *Breviore* & *latiore*, radice purgatrice; POLYPODIUM.
      - *Longiore* & *angustiore*; LONCHITIS.
    - *Minores*, folio
      - *Laciniato*,
        - *Majore*, oblongo & utrinque velut dentato; SCOLOPENDRIA.
        - *Minimo*, brevi, summâ parte in duas trésve lacinias, vel uti in totidem cornua fisso; ADIANTHUM ACROSTICHON *Thal.*
      - *Pinnato*, seu ex foliolis ad mediam costam utrinque adnexis composito,
        - *Latiore* & *crassiore* Polypodii æmulo; CHAMÆFILIX MARINA.
        - *Angustiore* & *tenuiore*, Viciæ cujusdam simili; TRICHOMANES.
  - *Duplici divisurâ*, seu semel subdivisis; primariâ divisione in tarsos seu surculos, secundariâ in pinnulas seu cristas, easque vel
    - *Prælongas*, Osmundæ regalis æmulas; HEMIONITIS MULTIFIDA.
    - *Breviores*,
      - *Densiùs dispositas*, pediculis brevibus aut nullis hærentes,
        - *Dentatas* aut *aculeatas*,
          - *Major*; FILIX MAS.
          - *Minor*; seu repens, FILIX PALUSTRIS, *Dryopteris Adm.* seu non repens; FILIX SAXATILIS.
        - *Æquales ad margines*, & non dentatas. FILIX Fontis *Adm.* NON DENTATA *J. B.*
      - *Rariùs dispositas*, pediculis longis appensas, latas, breves, obtusas, vel
        - *Crassiusculas*, pediculis viridioribus & crassioribus hærentes, Rutæ quodammodo æmulas; ADIANTUM ALBUM.
        - *Tenues* & *mollicellas*, propemodum triangulares, fronte altiùs incisâ, pediculis nigris, tenuibus, tremulis appensas; ADIANTUM NIGRUM.
  - *Triplici divisurâ*, seu bis subdivisis, nimirum primò in ramulos seu alas, secundò in tarsos seu surculos, tertiò tandem in pinnulas sive cristas, atque hoc genus ramosæ dicuntur. Hæ sunt vel
    - *Scandens*, exotica; FILIX SCANDENS *Brasiliana*.
    - *Rectæ*, & suis se viribus sustentantes,
      - *Majores*,
        - *Florifera* dicta, in surculis peculiaribus semina congesta proferens, palustrium alumna; FILIX FLORIDA, *Osmunda regalis*.
        - *Non floriferæ*, seminibus aversæ foliorum parti, ut in reliquis, adnascentibus, pinnulis
          - *Dentatis*, FILIX MAS RAMOSA.
          - *Non dentatis*, radice reptatrice; FILIX FOEMINA *vulgaris*.
      - *Minores*,
        - *Florifera*, ad Adiantum album accedens foliis pulchrè incisis; ADIANTUM ALBUM FLORIDUM.
        - *Non florentes* in surculis peculiaribus, pinnulis crassis, angustioribus & longioribus, in acutum desinentibus; DRYOPTERIS NIGRA.

De Herbis caule carentibus epiphyllospermis, Capillaribus & Dorsiferis vulgò dictis: & primò in genere.

* *In Isagoge Phytoscopica.*

CUM Caulis (rectè eum definiente * Jungio) sit *pars plantæ superna, in altitudinem ità exporrecta, ut anteriora à posterioribus, vel dextera à sinistris non differant*; herbas de quibus hoc in loco agimus, *Capillares* & *Dorsiferas* dictas, in universum omnes, tam ramosas quàm non ramosas, caule omnino carere, earúmque superficiem ex meris foliis constare manifestum est. Nam qui in Filicibus ramosis caules censentur, reverà foliorum compositorum seu ramosorum pediculi sunt, cùm partem anticam à postica diversam, illam scilicet planam aut concavam, hanc teretiusculam & convexam obtineant; cúmque in folium terminentur, quod vero cauli nunquam contingit.

Cæterùm *Capillares* dictæ sunt hæ plantæ, quia capillis sanitatem & nitorem conciliare, omnibúsque illorum vitiis mederi creduntur: *Dorsiferæ* seu *Dorsiparæ*, quoniam eorum semina aversæ foliorum parti adnascuntur, in punctis illis seu lineolis ferrugineis ibidem efflorescentibus.

Filicem reliquásque *capillares* herbas semine carere Veteres plerique Historiæ Plantarum & Rei Medicæ scriptores, *Theophrastus, Dioscorides, Plinius* & *Galenus*, prodidêre; quos etiam secuti sunt è Recentioribus nonnulli, *Dodonæus* v.g. *Spigelius* in *Isag.* ad rem Herbar. & *Dalechampius*. Nec probabili sanè ratione destituti sunt hujus sententiæ patroni. Cùm enim (ut modò ostendimus) hoc genus herbæ caulibus careant, quibus fructus & semina plurimùm innasci solent, & semine unà carere verisimillimum est: cúmque nemo unquam in hujusmodi plantis, quantumvis oculatus aut Lynceus fuerit, semen ullum discernere aut detegere valuerit, rationi magis consentaneum videtur, negare ulla eis omnino semina adesse, quàm fingere præ parvitate invisibilia, in tam eximia præsertim plantarum magnitudine. Alii è contra, ut v.g. *Bauhinus* uterque, *Johnsonus* apud Gerardum, *Tragus*, *Parkinsonus* in Theat. Botan. & nobiliss. *F. Columna*, Botanicus egregius & verè Lynceus, *Annotat. ad res medicas N. Hispan. Ant. Recchi*, Filices & congeneres spermatophoras esse contendunt: partim quia Historia Creationis *Genes.* 11. 12. herbis in genere omnibus vim sementandi semen tribuere videtur: partim quòd verisimile non sit; Plantas adeò perfectas, tam eximiæ magnitudinis & staturæ quàm sunt nonnullæ Filices, ab aliarum omnium norma & analogia abludere: partim denique quòd sub adultis & vetustioribus Filicum stirpibus tenellæ & recens natæ plantulæ non rarò observatæ fuere, quæ semini deciduo ortum suum & originem debere videntur. Volunt autem semina aversæ foliorum parti accrescere in punctis illis aut lineolis pulverulentis ferrugineisve ibidem extantibus. Hanc sententiam verissimam esse non modò argumenta allata suadent, sed & autopsia convincit. Siquidem Federicus Cæsius, Lynceorum olim Princeps, referente F. Columna *Annotat. modò laudatis*, microscopii adjumento observavit & apertè demonstravit ejusmodi plantarum semina; quod quidem [Engyscopium] Polypodii & congenerum semina Piso vel Ciceri paria oculis obtulit. Qui enim (inquit Columna) suo tempore pilosam illam extuberantiam in similibus microscopio examinaverit, & flores virescentes magnos, & semina conspiciet, & insuper in semine umbilicatam partem; quâ hærebat atque alimentum & incrementum capiebat, clarissimè perspiciet; in hac scilicet pilosa flavescente in folii dorso extuberantia bino ordine dispositos corymbos deprehendet, & in singulis quinquagenos circiter flores sive fructus cum suis seminibus. Nec Cæsio tantum aut Columnæ Capillarium fructus perspicillorum ope in lucem prolatos videre contigit, sed & nuperrimè ingeniosissimus Vir D. *W. C.* microscopiis longè perfectioribus & summâ arte elaboratis usus, earundem tum semina tum vascula seminalia accuratiùs & distinctiùs multò observavit ipse, & amicis spectanda exhibuit: Observationes autem suas de iis curiosissimas literis Bristolio datis Septemb. 30. 1669. Clariss. *D. Hookio* communicavit; qui easdem paulò post cum aliis non minùs curiosis naturæ arcanis in publicam lucem emisit. Harum bonam partem Latinam facere & huc transcribere in gratiam transmarinorum Anglicè nescientium non ab re fore putavi.

Pyxidulæ seu capsulæ semina continentes in plerisque hoc genus plantis perquam exili granulo arenæ vulgaris cinereæ plus duplo minores sunt; imò in nonnullis speciebus vix tertiam quartámve arenulæ partem magnitudine æquant, vesicularum quarundam annulis aut fasciolis vermiformibus obvolutarum speciem exhibentes.

Nonnullæ ex his vesiculis centum circiter semina continere deprehendebantur, quatenus scilicet Observationum Autor supputando, [aut potiùs conjectando] assequi potuerit; adeò eximiâ parvitate ut nudo oculo prorsus essent invisibilia, nec nisi microscopii interventu detegi possent. Vide infra, in capite de Lingua cervina, vasculorum descriptionem.

Folia *Filicis* utriusque, præcipuè *fœminæ* (quæ præ reliquis omnibus seminibus scatet) si cautè colligantur & asserventur nè comprimantur aut ullatenus violentur, brevi deinde Soli aut aeri sereno exponantur, vesiculæ seminales quotquot maturuere, fasciolis modò dictis se contrahentibus dirumpentur, & semina quaquaversùm spargent, ad eundem ferè modum quo aliarum aliquot stirpium siliquæ, *Cardamines* putà aut *Persicariæ* siliquosæ, per maturitatem dissiliunt, & semina cum impetu ejaculantur.

Quin si quantitas modica seminum à foliis in subjectam chartæ mundæ aut Pergameni schedam decutiatur detergatúrve, & deinde in acervum converratur, vesicularum seminalium plurimis unà dissilientibus, & sibi invicem allisis, acervulus variè moveri per partes videbitur, non secus ac si Syronibus aut istiusmodi bestiolis repletus esset; motu nudo etiam oculo perceptibili: quin si locus tranquillus sit, aure proximè admotâ, crepitantium inter rumpendum vasculorum sonitus haud difficulter percipietur; & si microscopio circumducto chartam oculis oberres, semina per eam undique sparsa, & ad notabilem ab acervo distantiam projecta comperies.

Vascula

Vascula seminalia ut & semina ipsa *Filicum* omnium reliquarúmque *Capillarium* ejusdem proximè figuræ sunt & magnitudinis, quantumvis plantæ eorum productrices utroque respectu plurimum distent, ut v. g. *Filicis fœminæ* vulgaris, *Rutæ murariæ*, *Phyllitidis & Osmundæ regalis*, quarum priores tres inter se dissimillimæ sunt, posteriores duæ staturâ & magnitudine admodum inæquales.

Osmunda regalis, quæ aliis omnibus Filicis speciebus mole, pulchritudine, viribus antecellit, & à Botanicis nonnullis sterilis censeri solet, vascula seminalia obtinet æquæ cum reliquis congeneribus magnitudinis, ejudémque proximè figuræ, quorum immensa & visum fugiens parvitas cum magnitudine plantæ collata (quam integram cum radice & superficie tota appensam decem interdum libras pondere superare animadvertit Autor) adeò nullam gerere proportionem invenietur, ut tantam plantam è tantillo semine produci attentum observatorem meritò in admirationem rapiat.

Quod verò, (pergit) mihi alisque qui unà mecum adfuerunt testibus oculatis præcipuè admirabile visum est, fuere animalcula diversarum specierum plurima, inermi oculo prorsus inconspicua, imò nec lentibus vitreis simplicibus, magnitudinem valdè augentibus interpositis visibilia, quæ microscopio tamen in planta recèns collecta inter vesiculas seminales velociter discurrentia jucundo spectaculo haud difficulter potuere discerni: è quibus nonnulla adeò infimæ parvitatis fuere, ut bina è seminibus vesiculis inclusis corpusculorum moleculis vix adæquarent.

Filicum semina microscopio primæ notæ quæ objectorum quantitatem immensum augent spectata & examinata Viciæ exiguæ aut Lentis magnitudine apparuere, eorúmque nonnulla per siccitatem contracta & corrugata, valleculis depressioribus & tuberculis seu eminentiis inæqualia ad modum Pisorum alborum visa sunt. *Polypodii* autem semina tum figurâ tum colore à reliquis discrepant; cæteris enim leucophæis aut rubentibus, hæc lutea sunt, & ad modum Medicæ seminum reniformia.

Capillarium semina non ante Autumnum maturescunt: unde patet quàm frivola & falsa sint quæ circumferuntur de collectione seminum *Filicis*, quam quidam ipso Solstitiali die, alii vigiliis *S. Joannis Baptistæ* instituendam asserunt, linteis substratis. Mirari autem subit Botanicum diligentem & minimè vanum *Hieronymum Tragum* publico scripto non dubitâsse testari, se neque superstitione ductum, nec præstigiis aut incantationibus, aut ullis characteribus usum rem aggressum esse, & quater in vigilia *D. Joannis* nocte tentâsse substratis linteis & Verbasci foliis, an semen id deprehendere & excipere posset, & sanè sibi contigisse fateri, ut manè ante illucentem diem semen parvum, nigrum, Papaverini specie repererit, & hoc amplius ac copiosius sub alia atque alia Filice, alio item atque alio anno. Verùm quantumvis superstitionis suspicionem à se amoliri studeat Tragus, vix tamen apud sobrios judices superstitiosæ credulitatis notam effugiet, quòd à se impetrare potuit, ut ejusmodi vanis fidem adhiberet, aut eorundem experimenta tentaret, quódque tandem seu imaginatione falsa, seu præstigiis Dæmonum sibi imponi passus fuerit, ut existimaret se videre Filicum semina quæ tunc temporis nulla fuere, (cùm non ante mensem Septembrem producantur) nec si fuissent inermi (ut diximus) oculo potuere discerni.

Quæ de antipathia inter *Arundinem* & *Filicem* tradunt Veteres pro fabulosis habemus, nec iis refutandis immorari operæ pretium fore putamus. Consule si placet Dodonæum.

Cæterùm Herbæ acaules Epiphyllospermæ foliorum respectu dividi possunt in eas quæ foliis sunt vel

1. *Simplicibus* seu integris & indivisis, cujusmodi sunt *Phyllitis & Hemionitis* dicta.
2. Laciniatis tantùm aut pinnatis simplici divisurâ, uti sunt *Polypodium*, *Trichomanes*, &c.
3. Bifariam divisis seu semel subdivisis, viz. primariâ divisione in tarsos seu surculos, secundariâ in pinnulas, quales sunt *Filix mas* vulgaris, *Dryopteris* Lob. &c.
4. Trifariam divisis seu bis subdivisis seu ramosis, primo scilicet in ramulos seu alas, deinde in tarsos seu surculos, & tandem in pinnulas, cujus generis sunt *Filix fœmina* vulg. Adianthum album & nigrum, &c.

Hanc divisionem reliquis, quæ vel à magnitudine varia, vel à punctis lineísve seminalibus peti possent, commodiorem arbitramur, quoniam à notis tum magis perspicuis & distinctis, tum magis obviis & visui expositis differentias generum subalternorum constitutivas sumit: Eam ergo sequuti Librum hunc in quatuor *Sectiones* partiemur.

Prima erit de Herbis Capillaribus quarum folia integra sunt & indivisa:
Secunda de iis quarum folia simplici divisurâ secta sunt, seu laciniata sint sive pinnata.
Tertia de iis quæ semel subdivisa folia obtinent, primariâ scilicet divisione in tarsos seu surculos; secundariâ in pinnulas seu cristas factâ.
Quarta de iis quibus folia bis subdivisa seu ramosa sunt, primò in ramulos seu alas, deinde in tarsos seu surculos, tandem in pinnulas.

SECTIO PRIMA.

De Herbis Capillaribus foliis integris & indivisis.

CAP. I.

De Phyllitide.

QUÆ Græcè φυλλὶς, quasi foliosum dicas, cùm nihil nisi foliosus cespes appareat, Latinis pariter Græcum nomen retinentibus Phyllitis dicitur. Officinis *Lingua cervina* à similitudine foliorum appellatur. *C. B.*

A. *Phyllitis* Ger. *Phyl. sive Lingua cervina vulgi* J. B. *Phyl. sive Lingua cervina vulgaris* Park. *Phyllitis, Lingua cervina Officinarum* C. B. **Harts-tongue.**

J. B.
E capillaribus *radicibus*, nigricantibus, numerosis *Trago*, *Cordo* masculæ Filici [id est, vulgari] similibus, implicitis, cum foliorum vestigiis connexis, foris nigricantibus, intus in pallido viridibus *folia* fundit longa, sena, octona, vel dena (inquit *Lobelius*) interdum etiam plura incerto numero, dodrantalia aut pedalia, duarum unciarum plerunque latitudine, *Cordo* acuto Rumici similia, *Trago* & *Cæsalpino* spleni, vel linguæ cervinæ, imâ parte falcatæ Lunæ modo corniculata, læto virore splendentia supernè, infernè verò obliquis, pulverulentis areolis, ceu lumbricis ruffis [*Cordo* flavis aut rubentibus, *Trago* subluteis] virgata; sapore acerbo, odore *Dod.* graveolente. Color linearum in foliis aversis variat pro ætate ; nam cùm primò erumpunt albidæ sunt, deinde cœrulescunt, postea paulatim ad ferrugineum tendunt.

Vascula hujus seminalia prout à *D. Grevio*, microscopio præstanti examinata describebantur, hujusmodi fuere. Unaquæque capsula seu vasculum seminale pediculo à semuncia ad unciam & amplius longo insidebat, crassitudine ad basin (ut apparuit) setæ equinæ duplâ, ad cacumen paulo crassiore. Capsula ipsa coloris erat argentei, magnitudine circiter officuli Cerasini, figuræ sphæricæ, valido tendine coloris aurei circumcincta. Tendinis hujusce superficies cochleam delicatam, seu vasa ligni aerea referebat. Quamprimum autem seu Aeris inclusi vi, seu aliter, tendo hic satis rigidus evadit diffiliens capsulam illico bifariam in duos scyphulos distrahit, & semina disjicit. Capsulæ hæ in obliquis sulcis averso folio exaratis nascuntur, à semuncia ad unciam longis & $\frac{1}{6}$ circiter unciæ partem latis. Singulis sulcis unciam longis plures 300 capsularum prædictarum innascuntur, ideóque si decem tantum semina singulis capsulis attribuimus, plus 3000 semina ; quo numero in summam sulcorum ducto, & producto iterum in numerum foliorum quæ una radix plerunque emittit, exurget summa 1000000 seminum, pro annuo proventu unius plantæ.

Locus. In umbrosis, uliginosis & saxosis, præsertim montanis, in omnibus ferè Angliæ provinciis oritur ; in ipsis etiam puteis & specubus inter lapidum aut laterum commissuras non rarò exit.

Hæc herba in petrarum cavernis antrosisque cautibus enascens pusilla, tenera & mollicella evadit ob ventilationis defectum, unde nonnulli magni etiam nominis Botanici eam pro distincta specie, nimirum *Hemionitide vera* Dioscoridis habuerunt, & *Londinum*, *Mechliniam*, &c. eo nomine in hortis plantandam miserunt. Hæc autem non ità multo post, libero aeri exposita, non mirabili aliquâ metamorphosi, ut illi imaginati sunt, in Phyllitidem abiit, sed quod antea erat veram Phyllitidem se esse prodidit. Vide *Lobel.* Observ. pag. 469.

PHYLLITIS POLYSCHIDES. *Phyllitidem polyschidem* sive *multifidam*, aliis folio laciniato aut digitato dictam, à vulgari Phyllitide specie diversam esse non libenter concesserim ; quin potius lusus quidam naturæ aut accidentalis varietas esse videtur.

PHYLLITIS CRISPA. Ejusdem commatis esse puto & *Phyllitidem crispam*: Utramque pingit & describit *J. Bauhinus*, utramque & nos vidimus Lutetiæ Parisiorum in horto Regio, elegantiâ & raritate spectabilem. Sive tamen specie, sive accidentibus tantùm differant, tituli soli ad eas tum à vulgari Phyllitide, tum à se mutuò distinguendas sufficiunt, nec descriptione alia eis opus est.

Vires & usus. Usus hujus plantæ præcipuus est in liene tumido, fluxu alvi, exputione sanguinis. Extrinsecùs mundificat vulnera & ulcera. *Schrod.*

Pulvis herbæ exsiccatæ in palpitatione cordis, in suffocatione uterina, in motibus convulsivis mira præstat, si in cerevisia tenui, aut Zythogalo seu liquore Posseti nostratibus dicto, modica ejus quantitas propinetur, ut plurimis experimentis nobis constat: potest & è foliis virentibus conserva ad hos usus parari. Folia in vino pota serpentum morsibus adversantur, autore Dioscoride.

In Catalogo Horti Regii Parisiensis præter suprascriptas multas adhuc alias Phyllitidis varietates invenio quas à reliquis specie differre non puto.

* 2. *Phyllitis Virginiana foliis quernis non descripta* Hort. Lugd. Bat.

Cùm nec ab aliis descripta sit, nec mihi hactenus visa, de ea nihil dicendum habeo.

Cap. II.

De Hemionitide.

Hemionitis seu Σπλήνιον Graecis, Latinis similiter Hemionitis, quasi Mulariam dicas & Splenium nominatur; quòd ejus folia sicut & Phyllitidis Medicorum splenia, nimirum oblongas plagulas formâ imitentur. Quid si potiùs ab eorum usu quòd spleni medeantur, siquidem ex aceto pota lienem absumunt, autore Dioscoride. *C. B.* Hemionitis autem dicta est hæc herba ob sterilitatem: Mulum enim parere pro prodigio olim haberi solet. Verùm herba quæ à Botanicis pro *Hemionitide* traditur non magis sterilis est quàm *Phyllitis* aliæve Capillares, siquidem lineæ vermiculatæ similes in aversa foliorum parte eminent; imò nobis nondum planè constat an specie à Phyllitide differat, an accidentaliter tantúm. Quinimo si verum sit quod scribit Dalechampius de *Hemionitide multifida* dicta, nullum unquam omnino pulvisculum aversæ ejus foliorum parti adnasci, potiori jure Hemionitidis titulum sibi vendicabit quàm planta hoc capite à nobis proposita.

* 1. *Hemionitis vulgaris* C. B. *major* Ger. Park. *Hemionitis* J. B. **Mules Fern.**

J. B.
Hemionitidis folium à Zuingero sibi datum his verbis describit *J. Bauhinus.* Longitudo ejus quatuor erat unciarum, latitudo diametri ab una ad alteram appendicem ferè æqualis, figurâ quodammodo ad sagittam accedente: ipsum quoque folium in pyramidem fastigiatum circa ima utrinque appendicem insignem habet. Sinus circa pediculum qualis ferè Aristolochiæ rotundæ, quem folii prætensio quædam in angustum porrecta comitatur. Ipse pediculus videtur duarum unciarum esse, costam insignem per folii medii longitudinem emittens, à qua ab imo statim ad ambitum quaquaversum ipsæ etiam apophyses diriguntur. Parte adversâ in ambitum eminentiæ vermiculatæ apparent, quales in Phyllitide cernuntur, sed magis sursum spectantes; facies opposita glabra.

Aliorum descriptiones conveniunt, nec alias notas addunt, nisi quòd radices è pluribus fibris tenuibus constent.

In Italia provenire dicitur, in rupibus nonnullis & saxorum interveniis. Nos eam Romæ circa Amphitheatra antiqua frustra quæsivimus, loco à Matthiolo memorato, ubi eam minimè inveniri Lobelius etiam testatur. *Locus.*

An specie distincta sit à Phyllitide judicent quibus spontaneam videre contigit: nobis certè nec spontanea, nec culta hactenus visa est.

* 2. *Hemionitis peregrina* Clusii *& aliorum.* **Strange Mules Fern.**

Clus.
Hujus *folia* quaternorum digitorum transversorum, vel circiter trium unciarum longitudinem non excedebant, ferrei venabuli mucronis formam explicantia, inferiore basi, quâ suo petiolo sustinebantur, duplicem apophysin habentia, & extima parte mucronata; parte internâ lævia & dilutâ viriditate prædita, externâ verò lineis seu versibus obliquis ex utraque nervi parte insignita, quemadmodum *Phyllitidis* folia. *Radices* illi nigræ, fibrosæ, quales in legitima Hemionitide.

Eruta fuit è veteris cujusdam Theatri ruinis Romæ. *Naturæ lusus esse videtur hæc, non species Hemionitidis* distincta. *Locus.*

Cæterum Hemionitis ex aceto pota lienem absumere dicitur, ut superius ex Dioscoride monuimus.

Cap. III.

De Plantis quibusdam exoticis, Phyllitidi affinibus, quas sub Polypodii & Scolopendriæ titulis exhibet & describit Jacobus Breynius.

* 1. *Polypodium Indicum Scolopendriæ facie primum* Breynii.

Breyn.
Radicem agit subdulcem, verrucosam, longè latéque sub terra repentem, instar Polypodii vulgaris, in qua *folia* multa, pediculis brevissimis insidentia exsurgunt, viridia, acuminata, pedalia & duplo longiora, pollices tres lata, Phyllitidis consistentiâ & figurâ, inferiùs autem

autem faſtigiata, quorum longitudinem nervus craſſus, averſa parte conſpicuus ac elatus percurrit, à quo ab imo ſtatim ad ambitum quaquaverſum ipſæ etiam apophyſes diriguntur. *Flores* Polypodii de more punctulis lanuginoſis ſed nigris conſtantes, in prona foliorum parte proveniunt.

Cùm hujus plantæ folia conſiſtentiâ ſuâ & figurâ Phyllitidis folia referant, ſintque indiviſa; ex his notis obviis & manifeſtis ego potiùs ad Phyllitidem eam retulerim quàm ad Polypodium, ob radicem repentem aut punctula lanuginoſa, cùm hæ notæ pluribus Capillarium ſpeciebus communes ſint. Atque hoc mutatis mutandis de ſequentibus etiam ſpeciebus dictum eſto.

* 2. *Polypodium Indicum Scolopendriæ facie ſecundum* Breynii.

Breyn.
Radice nititur longiore, tenuiore ac magis albicante, minutioribus etiam tuberculis ac acetabulis prædita: ex quâ *folia* pedalia longioráve, pediculis longis ſplendentibus ſuffulta, pronaſcuntur, Phyllitidis facie, in mucronem autem longiſſimum ſubinde convexum deſinentia, & juxta baſin faſtigiata. Horum nonnulla ad Hemionitidis propiùs accedunt, atque in lacinias tres diviſa ſunt.

* 3. *Polypodii Indici ſecundi ſpecies altera* Breynii.

Breyn.
Aliam, inquit, adhuc ſecundi ſpeciem aſſervo, *Foliis* in tres quoque lacinias diviſis, cujus lacinia media ſeu maxima in ambitu flammæ in modum laxè ſerrata, vel potius undulata eſt: an autem ſpecies diverſa, aut idem Polypodium Indicum ſit ſecundum affirmare non audeo.

* 4. *Polypodium Indicum Scolopendriæ facie tertium* Breynii.

Breyn.
Tertii *radix* nihil à ſecundi differt niſi quòd longior paulò, validior & ſaturatiore viriditate colorata. Folia pediculis brevioribus ſuffulciuntur, & non multò longiora quàm ſeſquipalmaria ſunt, duas circiter aut tres uncias lata, ſubſtantiâ & formâ Phyllitidis, ſed duriora, ſolidiora & retuſa, Limonii Matthioli formam pænè æmulantia. In hujus ut & ſecundi foliis reſiccatis, quæ in Herbario aſſervamus noſtro, ſi Sole adverſo perſpiciantur, punctula innumera juxta extimam fibrarum criſpitudinem apparent, quæ flores imperfectos, in utero ante partum ſuffocatos arguere videntur.

* 5. *Scolopendria Indiæ Orientalis Muſæ facie* Breynii.

Breyn.
Ex *radice* fibroſa, obſcurè cinereâ ſeu fuſcâ, & ex foliorum jam conſumptorum venis & nervis, qui materiam ferrugineam, levem, ſpongioſam, fibrarum putrefactarum tanta copiâ eâque figurâ offerunt, ut eos ante accuratiorem contemplationem radices muſcoſas & lanuginoſas exiſtimarem: Ex venarum & nervorum horum reliquorum medio multa in orbem ordinata, Muſæ junioris non diſſimilia, pediculis fermè carentia prodierunt *folia*, tantâ longitudine quantam ferè cubitus, & latitudine quantam palma imò & ſeſquipalma implere ſolet; ſubſtantiâ Scolopendriæ, tenuia & membranacea, colore ex ſubalbido viridantia, & ad Olivarum conditarum vergentia. Horum quodlibet medium nervus, præter morem craſſus & validus, ex purpuraſcente cinerei coloris, diſſecat, à quo rurſus utrinque innumerabiles, denſæ & ſubtiles venæ, linearum inſtar, in lateribus folii nonnihil ſurſum tendentes, in teneram uſque quâ cincta, fimbriam ſparguntur. In centro verò foliorum juxta radicem hirſuties quædam rigida, atra & ſplendida, velut lana aduſta, in globum Juglandis magnitudine conglomerata, occultatur. An verò foliorum pars ſupina, Scolopendriæ in modum vulgaris, pulverulentis areolis ruffis virgata ſit, hactenus nec quidquam, ut neque de natura & viribus percipere potui.

SECTIO SECUNDA.

De Herbis Capillaribus, foliis ſimplici diviſura inciſis, ſeu laciniatis tantùm, ſive pinnatis.

CAP. I.

De Polypodio.

Πολυπόδιον Græcis dicitur hæc planta, quia in radice ejus ſunt tubercula, acetabulis iis ſimilia quæ in Polyporum cirris apparent. Ῥίζα δὲ ὕπεστι δασεῖα, πλεκτάνας ὥσπερεὶ πολύπους ἔχουσα. Dioſcor. & Plinius *Radix,* inquit, *acetabulis cavernoſa ceu Polyporum cirri.* Hæc tubercula ſive acetabula ſunt veſtigia foliorum annuatim abſcedentium, ut *Cæſalpinus* loquitur.

A. 1. *Polypo-*

A. 1. *Polypodium* J. B. Ger. *vulgare* C. B. Park. Polypody.

J. B.
Polypodii radix obliquè sub terræ superficie reptat, altiùs fibras suas ex tuberculis, quibus plurimis scatet, demittens, ad crassitudinem ferè minimi digiti accedens, nunc tenuior, colore foris buxeo, intus ferè herbaceo, sapore dulci, tandem acerbo & adstringente. *Folia* ex transversa radice filicea, è foliis seu potiùs segmentis multis, gustu adstringentibus, non denticulatis, supernè virentibus, infernè ad nervi latera utrinque ordine quodam acervulis quasi pulvisculi ruffi punctatis, etsi interim hoc non semper observetur, ad costam unam, media parte foliis viduam annexis, composita.

Hujus semina Microscopio inspecta tum figurâ suâ, tum colore à reliquorum Capillarium seminibus discrepare deprehenduntur; cæteris enim leucophæis aut rubentibus, hæc lutea sunt, & ad modum Medicæ seminum reniformia.

Nascitur in muris antiquis & ædium tectis, in aggeribus terrenis, ad radices aut truncos arborum vetustarum, ínque capitibus cæduarum Quercuum Salicúmve putrescentibus & carie exesis. Quod Quercui innascitur reliquis in medicina præfertur, & à nonnullis pro specie distincta perperàm habetur. *Locus.*

Hujus radix medicamentis purgantibus accensetur: Educit autem bilem adustam ac pituitam lentam. Hinc utilissimum in obstructionibus Mesenterii, Epatis ac Lienis, & inde natis passionibus, hypochondriorum, Scorbuticis. Raro autem solum datur, sed aliis purgantibus ferè admiscetur, & quia segniter purgat, plerunque in decoctis vel infusionibus, raro in aliis formulis adhibetur. *Schrod.* *Vires & Usus.*

Dodonæus Polypodium per se haudquaquam purgare scribit, sed ex jure veteris galli, cum Beta aut Malva aliisve lubricantibus alvum decoctum ad alvi lenitionem nonnihil tantummodo conferre. Nonnulli Cumini sativi seu Romani, Fœniculi & Anisi semina, cum radice Polypodii & Zingibere, in minutas partes conscissis, æquali pondere, cum vetulo gallo gallinaceo decoquunt, posteàque jusculum hoc colicâ passione laborantibus exhibent. Estque decoctio hæc medicamentum certè perquam utilissimum torminibus ventris. Radicis pulvis drachmæ pondere ad minus ex aqua mulsa potus, ità tamen ut pòst tribus aut quatuor horis jejunes, iisdem pollet viribus quibus & decoctio jam dicta: idem per aliquot dies exhibitus, addito, si placet, cremoris Tartari & Cassiæ ligneæ tantillo, ad lienem tumidum, icterum & hydropem remedium est præstantissimum. *D. Bowle.*

Aqua destillata ad febrem quartanam, tussim, asthma, & pulmonis affectiones, adversùs melancholiam & gravia ac molesta insomnia aliquot dies continuos bibita facit. *Trag. Turnerus* ad quartanam & melancholiam magis probat decoctum radicum ex vino, saccharo ac melle dulcoratum, quàm aquam stillatitiam, nec sine ratione: imò tam hujus quàm aliarum plantarum efficacior Turnero videtur succus aut decoctum quàm aqua stillatitia: cui & nos libenter suffragamur.

Decoctum Polypodii in cura Arthritidis universalis apud Menapios alióśque Rheni & Mosæ accolas in usu esse scribit Dodonæus, quem consule.

Polypodium Quernum Dioscorides luxatis efficaciter imponi, & adversus rimas digitorum, [cubitorum & digitorum in pedibus *Plinius*] scribit, [radicem nimirum tritam.] Aridæ radicis farinam naribus inditam Polypum consumere scribit Plinius.

A. 2. *Polypodium Cambro-britannicum pinnulis ad margines laciniatis.*

Hujus folium bene asservatum nobis communicavit ingeniosissimus Vir, & rei Herbariæ peritissimus D. *Hans. Sloane*, M. D. Erat illud dodrantali minimùm longitudine, latitudine quincunciali ferè, pinnulis seu laciniis ad utrumlibet costæ seu nervi medii latus adnexis circiter septendecim, non ex adverso binis, sed alternatim sitis, ex angustiore principio seu cervice adeò circa mediam longitudinem dilatatis, ut sibi mutuò incumberent, & admodum crebræ & confertæ apparerent, deinde in acutos apices contractis. Singulæ autem pinnulæ utrinque ad margines in crebras laciniolas acutas satis profundè incisæ erant, quo à Polypodio vulgari differt.

Rupi cuidam adnascitur in sylvâ propè Arcem *Denis Powis* dictam tres mille passus à *Cardiffâ* oppido in Glamorganensi comitatu Walliæ; ut nobis retulit *D. Newton.* *Locus.*

* 3. *Polypodium Ilvense* Lugd. J. B. *An Lonchitis aspera Maranthæ?*

Lugd.
Ilva Tyrrheni maris insula Polypodium hoc gignit, quod Hist. Lugdunensis autor ab aliis diversum facit, sicuti etiam à Lonchitide aspera Ilvensi, seu Maranthæ separat. Nascitur autem in saxis, *radice* ut in aliis generibus velut Polyporum cirris nodosâ, fibratâ; *caulibus* pedalibus è ruffo nigrescentibus, infernè hirsutis; *foliis* oblongis pinnatis, æquali situ in caule dispositis, alterâ parte virentibus, altera pulvisculo obsitis, gustu subdulcibus & nonnihil austeris: nullo flore, nullo semine [nudo oculo conspicuo.]

Hanc plantam *C. Bauhinus Lonchitidi asperæ Maranthæ* eandem facit, & *Lonchitidem folio Ceterach* appellat. *J. Bauhinus* dubitat an sit eadem nécne; Parkinsonus nostras diversam putat, si modò radix rectè depicta sit crassa & oblonga, quæ Lonchitidi fibrosa est. Nobis non constat, in *C. Bauhini* tamen sententiam magis propendemus. Quibus insulam Ilvam adire & lustrare contigerit, plantam hanc inquirant, & cum Lonchitide Maranthæ diligenter conferant.

* 4. *Polypodium exoticum foliis Quercûs* C. B. *Pol. Indicum* Cluf. J. B. Park. Indian Polypody.

Clus.
Unde Clusius hanc plantam nactus sit apud ipsum vide: eam autem sic describit.
Radice nitebatur sex uncias longâ, unam pænè crassâ hirtâ, quemadmodum Europæi Polypodii radices ferruginei coloris, & eodem modo summâ tellure obliquè repente, è qua terna prodibant *folia*, quorum tertium reliquis duobus minus, bina autem majora undecim uncias longa erant; à medio verò nervo satis crasso folii longitudinem secante utroque latere in quinque pænè unciarum latitudinem expansa, per oras laciniata, ad instar foliorum Quercûs in novellis surculis natorum, quæ plerunque ampliora iis quæ in vetustis ramis nascuntur esse solent. E medio illo nervo alii minores in lateribus oriebantur usque ad laciniarum extrema protensi; inter quos multiplices venulæ, reticuli instar contextæ, & sese invicem secantes excurrebant, quæ magnam venustatem folio conciliabant. Firma autem erant ea folia, coloris ex spadiceo fusci, qualis in Quercûs siccis foliis conspicitur; infima parte brevi pediculo è radice emergentia, etiam aliqua ex parte eam tegentia, quia statim ab ortu in latera se spargebant. *Radix* manducata Polypodii saporem quodammodo retinebat, minùs tamen dulcem sed levi quadam acrimonia præditum, quem ex calidioris regionis in qua planta nata intemperie, aut ex vetustate forsan contraxerat.
Filicis cujusdam Indicæ Polypodii facie iconem exhibet Christ. Mentzelius in pugillo rariorum plant.

CAP. II.

De Lonchitide.

LOnchitis Dioscoridi duplex est, altera foliis Porri, quam solam Plinius novit, cujus semen triangulum & lanceæ cuspidi simile, unde etiam planta ipsa sibi cognomentum arrogavit; altera quam alii asperam dicunt, folia proferens Scolopendrii, sed asperiora, majoráque, ac multò magis divisa, quæ hujus loci est. Hæc fortè (inquit *C. Bauhinus*) à λόγχη [lancea] dicitur, eò quòd folia instar lanceæ in acutum desinant.

A. 1. *Lonchitis aspera* C. B. *asp. major* Ger. *asp. major Matthiolo* Park. *altera cum folio denticulato, sive Lonch. altera Matthioli* J. B. Rough Spleenwort with indented leaves.

J. B.
Unius & ejusdem plantæ nulla est foliorum diversitas & lusus, ut in Lonchitide aspera vulgari: pinnæ ad costam ligatæ non penitus adnascuntur, sed brevi hærent pediculo, in ima summáque ala breviores quàm in media [longissimæ unciam excedunt] formâ falcatâ, gibbo deorsum spectante, longitudine circiter unciali, latitudine minimum duplâ ad Lonchitidis vulgaris segmenta, & denticellis spinulis similibus circumquaque exasperatæ, subtus ferrugineo pulvere obductæ. *In hac planta præcipuè notabilis est processus quidam seu auricula, ad basin uniuscujusque pinnæ à latere superiore seu à radice remotiore secundùm costam seu nervum folii medium productus; quo Filicem nostram non ramosam pinnulis latis auriculatis spinosis imitatur.* Folii pediculus musco quodam ferrugineo obsitus est.

Locus. Plantam hanc in summis jugis montis Juræ circa *Thuiri*, & alibi in Alpibus invenimus: quin & Baldi montis incola est: Reperitur etiam Monspelii in montibus circa Gangem, *J. Bauhino* teste.

2. *Lonchitis aspera* Ger. *aspera minor* C. B. Park. *altera folio Polypodii* J. B. Rough Spleenwort.

J. B.
E *radice* nigra villosa, compacta, ac cespitis instar contexta supra sexaginta aliquando *folia* prodeunt, primo exortu Linguæ cervinæ modo recurva, postea cùm se explicaverint non tam lata quàm illius, sed adstrictiore apparent, & ubi excreverunt in ambitu in terram reclinantur, pedalia aut cubitalia, nigris propter terram pediculis, quorum primæ cæsuræ Asplenii folium satis exprimunt, superiores ad summum usque fastigium ad Polypodium accedunt, sic tamen ut maxima segmentorum (quantum hactenus animadverterim) longitudo vix sit uncialis, ambitu æquali, nec denticulato, nec alia ratione ulla inciso. Horum in medio aliud surgit foliorum genus, quæ recta, longiora, raris cæsuris, satisque longo intervallo distantibus scalarum gradus imitantur, aversa parte pulvere Filicum ferrugineo aspersa.

Locus. In humidioribus, nemorosis, asperis & ericetis provenit copiosè per totam Angliam.

Struthiopteris Cordi. Dubitat *J. Bauhinus* An Struthiopteris *Cord. Hist.* huc referenda sit: *C. Bauhinus* distinctam Filicis speciem facit sub titulo *Filicis palustris alterius, subfusco pulvere hirsutæ*: & tamen quoad iconem Struthiopterin *Cord.* hujus synonymam facit. Nos quoniam non libenter Entia sine necessitate multiplicamus, Struthiopterin illam pro una & eadem cum Lonchitide hac plantæ specie habemus.

Herbam

Herbam esse vulneribus glutinandis lienibúsque absumendis idoneam docet Matthiolus, illis enim imposita cum aceto trita nè inflammentur vulnera impedit.

* 3. *Lonchitis aspersa Maranthæ* J. B. Clus. Park. Ger. *Lonchitis folio Ceterach* C. B. *An Polypodium Ilvense* Lugd? **Marantha's rough Spleenwort.**

J. B.
A superioribus duabus haud obscurè differt ista, toto habitu alia: rami dodrantales (ut in nostra planta sicca observavimus) in spadiceo nigricant splendéntque, ex russa lanugine prodeuntes, cui longæ nigréque capillares fibræ subjectæ. Nudi supra medium sunt rami, indè verò summo tenus breves exeunt pediculi, foliis cincti, quæ avulsa planè dicas Asplenio, Ceterach vulgò dicto, detracta, tam arcta est similitudo divisionum, lanuginis parte inferiore, foliorúmque in Scolopendræ formam convolutionis. Camerario radix nigra cirrosáque.

In Stiriacarum Alpium jugis, locis editis & saxosis, vel in nemoribus aspero loco nascitur. *Clus.* *Locus.*

Cùm *C. Bauhinus* Polypodium Ilvense *Lugd.* Lonchitidi asperæ Maranthæ eandem faciat, nec abnuat Joannes frater, his potiùs accedimus quàm Parkinsono, qui diversam plantam statuit. Vide supra Polypodium Ilvense.

* 4. *Filix Zeilanica Lonchitidis facie* Breynii.

Sesquipedales interdum surrigit *caules*, in quibus *folia* falcata Lonchitidis asperæ majoris Matthioli, sed majora multò atque latiora.

Cap. III.

De Asplenio sive *Ceterach.*

Asplenium Ἀσπλήνιον Græcis ab ἀ privat. & σπλὴν dicitur, quia lienem absumere creditur. Eadem Scolopendrium dicitur à foliorum incisuris Scolopendræ animalculo similibus; vel, ut alii volunt, quòd contra morsus Scolopendræ & aliorum reptilium venenatorum conducat. Asplenium πτέρυγα dici Dioscorides scripsit. Nomen illud impositum quòd cum Filice aliquam habeat similitudinem: vulgo *Ceterach* vocant, quam vocem à Pteryga manâsse volunt, *P.* in *C.* mutato, ut aliàs sæpe: sic ex Peteryga Ceteryga & corruptè Ceterach. *Bodæ. à Stapel.* in *Theophr. Hist.*

A. *Asplenium sive Ceterach* J. B. Ger. Park. *Asplenium sive Scolopendria, Ceterach Officinarum* C. B. **Spleenwort or Miltwast.**

J. B.
Capillaribus filamentis, nigricantibus, perennibus contexta est *radix*; ex qua *Folia* plurima, haud temere supra digitum longa, brevibus pediculis appensa exurgunt, falcatis utrinque incisuris Polypodii, sed longè brevioribus, licet aliquanto latioribus interdum divisa, pinguiuscula, supernè viridantia, infernè lanuginosa, russâ farinâ aspersa. Ea (inquit Dodonæus) cùm inarescunt complicantur, & in teretem figuram contracta, forísque hirsuta Scolopendræ similia apparent. [Nobis potiùs ob foliorum segmenta utrinque Scolopendræ incisuris quibus pedes annexi sunt aliquatenus similia Scolopendrium dictum videtur.] Saporem folia adstringentem, & aliquantulum tenuem habent.

Folia in hac plantula vix unciam lata sunt, laciniata potiùs quàm pinnata, siquidem incisuræ ad mediam costam vix pertingunt: laciniæ autem seu divisuræ non conjugatim sed alternatim digestæ sunt, suntque breves & obtusæ.

Seminales efflorescentiæ in aversa foliorum parte non in punctula seu lineolas divisæ sunt, sed continuæ, tum colore tum asperitate corii densati & præparati superficiem interiorem quodammodo referentes. Hæ microscopio spectatæ ab aliis omnibus diversæ apparent, jucundissimo spectaculo oculos animúmque exhilarantes: in harum enim fabrica & constructione curiosissimum & fidem pænè omnem, nè dicam imaginationem superans, in tam contemptæ præsertim parvitatis plantulâ, naturæ artificium & ingenium elucet: siquidem hæ velut membranulæ quædam tenuissimæ, quales sunt muscarum alæ, apparent; variis figuris, ut ita dicam, reticulatæ, favorum cum cellulis melle repletis & cerâ obturatis speciem exhibentes, inter quas velut in totidem cellulis vascula seminalia, qualia superiùs descripsimus, disponuntur. *W.C.*

In saxorum crepidinibus, inque vetustis muris, in Occidentali Angliæ parte abundè provenit, v. g. circa *Bristolium* urbem & in rupe *S. Vincentii* dictâ inter saxa. *Locus.*

Hujus foliorum decocto in aceto per quadraginta dies poto lienem absumi aiunt. *Plin. Diosc.* Stranguriæ quoque, singultui & morbo Regio auxiliantur folia, calculósque vesicæ comminuunt: non danda fœminis quoniam sterilitatem faciunt. *Iidem.* Usus præcipuus est in Liene tumido, expuitione sanguinis, fluxu alvi. Extrinsecùs mundificat vulnera & ulcera. *Schrod.* *Vires.*

Tradit Matthiolus aureum illum pulverem, qui invenitur in aversâ foliorum parte ℨj. cum albi Succini farinæ ℨß. ex succo Portulacæ aut Plantaginis potum gonorrhœâ laborantes mirificè juvare.

CAP.

CAP. IV.

De Chamæfilice marina.

HÆc tùm à Polypodio tum à Lonchitide in multis differt, ut descriptiones conferenti patebit; proinde caput peculiare ei assignavimus.

A. *Filix marina Anglica* Park. *Chamæfilix marina Anglicana* J. B. *Filicula petræa fœmina, sive Chamæfilix marina Anglica* Ger. emac. *Filicula maritima ex insulis Stœchadibus* C.B. **Dwarf Sea-Fern.**

E pusilla, autore Lobelio, multis implexa cirris, & compacta radice Trichomanis foliola exeunt binûm ternûmve (imò quaternûm aut quinûm) unciarum, rigida, carnosa, numerosa, atro-virentia, lucida, [supina parte intellige, nam pronâ pallidiora sunt] octo aut novem pinnarum, (quæ tamen non ex adverso respondent sed alternatim adnascuntur) paribus composita. Pinnæ autem singulæ non immediatè annexæ sunt, ut in Polypodio, sed brevibus pediculis intercedentibus, semunciam longæ, latiusculæ, mucronibus obtusis, circum oras crenatæ, lituris aversa parte extantibus ferrugineis. Supremum folium in acutum mucronem procurrit. Pediculi & medius nervus sericeo nitore ex fusco lucent.

Locus. E saxorum rupiúmve interveniis, ut rectè Lobelius, enascitur ad maris litus, in Occidentali & Meridionali Angliæ latere, ut v. g. in insula *Presthολma* propè *Bellum mariscum* Angleseiæ oppidum, ad *Llandwyn* vicum in eadem *Angleseia* seu *Mona* insula Taciti: in muris templi *Aberdarensis* in *Carnarviæ* comitatu: in rupibus propè *Hastingæ* arcem jam dirutam in *Sussexia*.

CAP. V.

De Trichomane.

TΡιχομανὲς Græcis à vi sua dicitur, quòd rara cute fluentem capillum expleat & subnasci faciat: μανὸν enim illi rarum vocant, & τρίχα capillum, C. B.

A. *Trichomanes* Park. *mas* Ger. *Trich. sive Polytrichum* J.B. *Trich. sive Polytrichum Officinarum* C.B. **English black Maiden-hair.**

J. B.
Capillatâ nigricantéque *radice* & conferta nititur. *Foliola* habet ad costam, pedalem interdum, sæpiùs breviorem & semipedalem aut digitalem, teretem, rigidiusculam, fragilem, nervulo albo farctam, atro-rubentem splendentémque adnexa, plurima, impari folio extremam alam claudente, parva, semuncialia, in ambitu nunc crenata, nunc nullis crenis conspicua, interdum crispa, supernè virentia, infernè ruffo pulvisculo aspersa, sapore mixto, adstringente, subdulci, amaro. Folia integra Viciæ aut Securidacæ aut terrestris Tribuli folia referunt.

Locus. In umbrosis aggeribus & antiquis muris, ínque petris umbrosis & roscidis magnus ejus per totam Angliam est proventus; nec minor in regionibus transmarinis.

Vires. Officinis nostris Adianti veri seu Capilli Veneris, (qui in Anglia non invenitur spontaneus) succedaneum est & eisdem viribus pollere creditur; quin & Tragus easdem facultates ei attribuit. Vino aut hydromelite decocta herba, & per aliquot ex ordine dies pota obstructiones jecinoris solvit, morbum Regium expellit, pulmonis vitia expurgat, spirandi difficultati prodest, melancholiam per urinam ducit, tumores Lienis duros emollit, calculos trahit, & venenum haustum, mulierúmque menses expellit. Rursus prædicta decoctio, herbæ pulvis, necnon ex ipsa confecta eclegmata, syrupi, aqua denique destillata quasvis alvi fluxiones inflammationésque jecinoris refrigerant. In lixivio decocta folia, si caput eo abluatur, defluentes capillos continent, ictibus serpentum medentur aliorúmque animalium morsibus. Pastores quidam in medendis porcorum affectionibus Trichomane utuntur, singulari experimento.

Sed periti dijudicent (inquit *J. Bauhinus*) an herbæ adstringentes, frigidæ & siccæ possint ea præstare quæ hic prædicantur de Trichomane. Vires præcipuæ hujus plantæ, de quibus inter medicos ferè convenit sunt vitiis pulmonis & thoracis auxiliari, calculo renum & urinæ stillicidio subvenire.

TRICHOMANES RAMOSUM. *Trichomanes ramosum J. Bauhino* aliísque depictum pro luxuriantis naturæ lusu habeo non pro specie Trichomanis distincta.

TRICHOMANES MINUS ALBUM. *Trichomanes minus album* ejusdem *Bauhini* accidentaliter potiùs quàm specie à vulgari Trichomane differre arbitror. Est autem eo mollius, tenerius & albidius, foliolis nonnihil sinuatis, pediculis inferna parte nigricantibus, radicibus capillaribus.

Duas præterea hujus plantæ varietates in Scotia observavit *D. Sibbaldus*; alteram foliis mucronatis profundè incisis: alteram foliis crenatis.

CAP.

Cap. VI.

A. *Adiantum petræum perpusillum Anglicum foliis bifidis vel trifidis* Newtoni.

PLantula est uncialis aut sescuncialis, à *D. Jacobo Newton* observata in rupibus quibusdam udis, propè summas partes montium altiorum, *Hardknot* & *Wrenose* verticibus dictis proximorum, inter muscos breves Iulio mense Anni 1682.

E *radice* tenui, capillacea & (ut mihi videtur) repente *folia* edit uncialia aut paulò longiora, quorum pediculi & nervi medii tenuissimi pariter & planè capillacei, tribus quatuórve hinc indè adnascentibus foliolis bifidis trifidisve, seu potiùs foliolorum pinnularumve angustarum, oblongarum, obscuriùs virentium paribus aut ternionibus, non ex adverso binis, sed alternatim positis alati. Extrema costa, ut in hujus generis reliquis in folium terminatur.

Hanc ipsam plantulam ante aliquot annos à *D. Daire* Pharmacopœo Londinensi propè *Tunbrigiam* oppidum in Cantio, inventam fuisse audio.

D. *Plucknet* M. D. in aversa foliolorum parte vesiculas quasdam adnascentes microscopio detexit, quæ proculdubio vascula seminalia sunt.

Cap. VII.

A. *Filix saxatilis Tragi* J. B. Park. *Adianthum ακροσχιστόν seu furcatum* Thal. *Filix saxatilis* V. *sive corniculata* C. B. **Horned or forked Maiden-hair.**

INnumeris capillaribus, nigricantibus cirris *radicatur*; nec minorem numerum *coliculorum* profert, palmum altorum, capillaceæ quoque tenuitatis, qui circa summum in duas trésve portiunculas, paulò latiores & ferrugineo pulvisculo, Filicum aut Asplenii ritu, respersas findun-tur. Summitates hujus plantulæ & segmenta recurva sunt & deorsum nutant.

In rupium fissuris propè Rhenum fluvium in Germania primò hanc observavimus, postea in Italia locis petrosis: tandem *Tho. Willisellus* in Vivario ferarum Edinburgensi in rupibus nascentem observavit & ad nos detulit.

Adiantho albo dicto seu Rutæ murariæ colore & consistentiâ, texturâque foliorum simile esse videtur.

Cap. VIII.

Filices quædam exoticæ à Jacobo Breynio descriptæ.

* 1. *Filix non ramosa foliis integris serratis Brasiliana* Breynii. *Filix an Polypodium* Marggrav.

Marg.

HErba est unico caule assurgens in trium circiter pedum altitudinem, recto, continente *folia* sibi invicem opposita [seu potiùs alternatim posita] circiter quatuor digitos longa, angusta, acuminata, & in ambitu subtilissimè serrata, atque postica parte secundum nervum in longitudinem ubique brunnâ aspergine variegata.

* 2. *Filix non ramosa foliis integris non serratis maxima Indiæ Orientalis* Breynii.

Breyn.

Omnium est maxima, ut quæ viri altitudinem superet. Hæc à Bontio sub nomine Phyllitidis figuratur.

* 3. *Filix non ramosa foliis integris serratis, Capitis bonæ spei* Breynii.

Breyn.

Medium inter Filicis non ramosæ foliis integris serratis Brasilianæ jam descriptæ & Zeilanicæ proximo in loco describendæ faciem obtinet.

* 4. *Filix non ramosa foliis integris serratis Zeilanica* Breynii. *An Phyllitis ramosa* Alpin. exot?

Cum Hemionitide altera Dalechampii adeò convenit, ut ab eadem nonnisi in foliis, quæ majora & argutiùs crenata, sit discernenda.

Hæc planta eadem videtur Phyllitidi ramosæ *Prosp. Alpini*, quam in libro de Exoticis describit. *Phyllitidem illam ramosam Hemionitidi alteri Dalech. eandem esse puto. Quâ in sententia Catalogus hort. Pat. me confirmat, qui hanc illi synonymiam facit. Patavini enim Phyllitidem ramosam Alpini proculdubio optimè nôrunt.*

* 5. *Filix*

* 5. *Filix non ramosa foliis integris non serratis Zeilanica minor* Breynii.

Breyn.
De hac, inquit, caulem accepimus præcedenti similem, pedalem, foliis verò multò crassioribus atque solidioribus, magis venosis, & in mucronem obtusum exeuntibus, in quibus crenæ nullæ conspiciuntur.

CAP. IX.

* *Polypodium Brasilianum* Marggravii.

Marggr.
E Radice octo aut novem dig. longâ, nodosâ, digitum crassâ subruffo musco obductâ, interiùs ex albo flavescente, saporis subdulcis cum quadam austeritate, succulentâ, ascendit *caulis* tres aut quatuor pedes altus, striatus, contortus, niger aut ruber, qui in summitate multa habet *folia*, bina sibi directè vel alternatim opposita, quatuor circiter digit. longa, plus digit. lata, lætè viridia, mollia, nervo obscurè ruffo secundùm longitudinem: juxta quem in utroque latere inferiori quadruplex series punctorum pulveris lutescentis è ruffo conspicitur; & inter punctula à nervo per latera transversim multæ tenues venulæ virides.

* *Lens palustris latifolia punctata* C. B. Park. *palustris Patavina* J. B.

Ob *folia* ad unam costam longiusculam utrinque alæ in modum adnata, superiùs punctata, inferiùs musco obducta vasculis etiam seminalibus adnascentibus, huic generi accensenda videtur.

SECTIO TERTIA.

De Herbis Capillaribus foliis semel subdivisis.

CAP. I.

De HEMIONITIDE *multifida dicta.*

PLANTA hæc, si figuras & descriptiones ejus quæ apud Botanicos extant attendas, ad hoc genus non pertinet, sed ad præcedens. Verùm adultioribus plantis folia subdivisa esse, non simpliciter pinnata Αὐτοψία certior magistra nos edocuit: proinde in hac sectione primum ei locum dedimus, ut siquis velit præcedenti adjungat. Fortè enim duæ ejus habentur species, altera folio pinnato tantùm, altera folio surculoso seu semel subdiviso.

Hemionitis multifida C. B. *Hem. altera Dalechampii, Filici floridæ similis* J. B. *Hem. Ilvensis Dalechampii, multifido folio* Park. Branched Mules Fern.

In Ilva provenit *radicibus* multis capillacea tenuitate, brevibus, subnigris: *cauliculis* pedalem altitudinem vix attingentibus, in folia septem ferè aut novem divisis, quorum quaterna, senáve utrinque caulem pari ordine vestiunt, terna verò in summo caule extantia inferiorum foliorum versum claudunt. Sunt autem ea omnia longa, angusta, in ambitu nonnihil crenata, obliquis incisuris utrâque parte distincta, quas per medium folium procedens & eminens costa separat. *Flos* ei nullus, nullum semen, atque adeò ne aversam quidem foliorum partem subflavus pulvisculus contegit qui in aliis id genus plantis cernitur.

Descriptio est Dalechampii: verùm non in Ilva tantùm provenit hæc planta, sed & in variis locis Regni Neapolitani. Nos eam observavimus propè Salernum, itémque propè Neapolin in viâ umbrosâ, quâ ab urbe ascenditur ad Camaldulensium cœnobium, copiosé. Quinetiam folia ei cùm adultior est subdivisa esse observavimus, & non simpliciter tantùm pinnata.

Si nullus unquam omnino pulvisculus foliis aversis adnascatur, summo jure Hemionitidis titulum sibi vendicat hæc species; verùm hoc perpetuum esse in foliis omnibus ut credam ægrè à me impetrabit Dalechampius, quamvis in iis etiam quos ipse collegi ramulis nullus cernatur: fortè seriùs & post solstitium æstivum erumpit; fortè rarior est, & paucis duntaxat plantis accrescit: fortè etiam semina seorsum in peculiaribus surculis nascuntur, quemadmodum in *Osmunda regali*, cui hæc planta similior est quàm cuivis alii Filicis speciei.

Parkinsonus

Parkinsonus iconem *Lugd. Hist.* sub titulo Phyllitidis ramosæ Alpini exhibet, & pro Hemion. Ilvensi Dalechampii novam proponit, quæ quidem plantam à nobis observatam in agro Neapolitano melius refert.

Phyllitis autem ramosa Alpini ab hac planta non videtur differre, & ut video, Catalogus *Hort. Pat.* hanc illi synonymam facit.

Cap. II.

De Filice mare *dictâ seu non ramosa.*

Filix Græcis Πτέρις à πτερὸν ala dicta est, quia Folia ejus in ramulis seu potiùs pediculis disposita alarum speciem referunt. *Folia habet lateribus pennata, unde nomen Græci imposuere. Plin.* lib. 27. cap. 9. *Etymon.*

Filix Latinis à findo nonnullis dicta putatur, quòd folia habet minutim fissa & divisa. Haud dubito (inquit *Vossius* in Etymolog.) quin à Πτέρις derivata sit vox hæc [quæ in libris antiquis *Felix* etiam scribitur] eliso scilicet τ, ut in *pinso* à πτίσσω, π in f mutato, ut in *fido* à Πείθω, *Trophæum* à τρόπαιον, &c. & ρ in λ, ut in *paulum* à παῦρον, *Lilium* à λείριον, &c.

Duplex est Græcis & Plinio, mas & fœmina. Nos Filicem non ramosam marem facimus ad aliorum imitationem, ramosam fœminam.

A. 1. *Filix mas vulgaris* Park. *Filix non ramosa dentata* C. B. *F. vulgò mas dicta, sive non ramosa* J. B. *F. mas non ramosa, pinnulis latis, densis, minutim dentatis* Ger. emac. **Common male Fern.**

J. B.

Mense Aprili, autore Trago, aliquantò serius apud nos, multos promit asparagos, primo exortu inflexos (ut in aliis Filicibus ferè fit) cano capillitio obductos; atque ii progressu temporis abeunt in *folia* ampla, bicubitalia, crebra, recta, frangi facilia, diluto colore virentia, ferruginea lanugine aversa parte hirsuta, aliis seu tarsis ex quibus componuntur mediæ costæ alternatim adnascentibus, non conjugatim, longiùs distantibus quàm in proximè sequenti, in pinnulas seu cristas latas, & latâ basi nervo tarsi medio adnascentes, obtusas, circa margines dentatas divisis. Linea nigra nervum uniuscujusque alæ medium supernè producta notat. Singulæ pinnulæ supina parte venulis insignes sunt, pronâ duplici ordine punctorum ferrugineorum.

In hac specie costa folii media musco ferrugineo, minùs tamen copioso quàm in sequenti, obducitur; alæ ex quibus folium componitur longiores sunt, adeóque folium totale multò latius.

Locus. In aggeribus sepium præsertim umbrosis ubique invenitur.

Vires. Radix hujus generis mulieribus inimica censetur, sterilitatem enim facit, conceptionem impedit, abortum causat, quemadmodum & Filicis fœminæ. *Theoph. Diosc. Plin.*

Quòd si equus conciderit, nesciatúrque qua ægritudine laboret, particula hujus radicis linguæ subjiciatur, quo facto equus confestim utrinque dejiciet excrementa, rursúsque consurget; id quod ipse ita habere comperi, inquit Tragus. Credat qui volet, quique credit experiatur.

Cæterùm planta hæc cum Filice fœmina vulgari viribus convenit: peculiariter tamen Rachitidi morbo dicto confert.

* *Filix Brasiliana* Marggravii.

Marggr.

In duorum, trium aut etiam quatuor pedum altitudinem assurgit: *caulis* quadratus ex russo nigricans splendens, lanugine russa obductus. *Folia* ejus alata sibi invicem alternatim opponuntur, quinque aut sex dig. longa. Foliola autem alæ sunt tenera viridia, itidem alternatim opposita, in ambitu subtiliter serrata: in uno autem latere cujusque folioli pulvis secundùm oram folioli in longum adpendet russus.

Nascitur ubique in Mediterraneis.

* 2. *Filix mas non ramosa Zeilanica, foliis integris Filici vulgari similis* Breynii.

A filice vulgari eo tantùm differt quod alarum cristæ aliæ aliis annatæ sunt.

A. 3. *Filix mas non ramosa pinnulis latis auriculatis spinosis* Ger. emac. *An Filix mas aculeata major* C. B. prod?

Radix huic non admodum crassa, foris nigricans, intus lutea, fibris tenuibus, nigricantibus terræ firmiter adhærescens, *folia* tria, quatuor, vel quinque quotannis producens, cubitalia & longiora, adeò ut in adulta planta. Filicis maris vulgaris foliis longitudine ferè paria sint, quamvis iis latitudine multùm cedant. Pediculus, idémque costa folii media, per totam longitudinem musco ferrugineo obducitur: tarsi seu alæ utrinque eidem adnascentes breviores sunt quàm in Filice mari, vix palmum longæ, non ex adverso respondentes, sed alternatim sitæ. Pinnulæ è quibus tarsi componuntur alternatim pariter angustis pediculis mediæ tarsi costæ adnectuntur, à se mutuò non multùm distantes, breves, latæ, circa margines dentatæ, summitate uniuscujusque in spinulam terminatâ,

minatâ, & interdum etiam denticulis reliquis. Verùm (quod præcipuè notabile est) pinnulæ, præsertim costæ folii contiguæ, imâ parte, è latere à costa dicta remotiore processum ceu auriculam quandam obtinent, in spinulam terminatam. Folia hujus plantæ glabriora sunt, spissiora & lucidiora quàm Filicis maris vulgaris. Lonchitidi asperæ majori Matthioli persimilis est foliorum seu pinnularum consistentiâ, glabritie, processibus auricularibus, denticulis spinosis, toto denique habitu; differt eorundem compositione.

Locus. In umbrosis sepium aggeribus, locis præsertim humidis & petrosis frequens oritur per totam ferè Angliam. Miror eam exteris scriptoribus minimè descriptam aut depictam fuisse; nisi fortè sit Filix mas aculeata major *C. B. prod.* qui tamen auricularum in pinnis non meminit.

A. 4. *Filix mas non ramosa pinnulis angustis, rarior profundi dentatis* Ger. emac. **Male Fern with thin-set deeply indented leaves.**

Radicibus cum reliquis sui generis convenit. Caules seu potiùs folia sesquicubitalia sunt & longiora, erectiora. Tarsorum seu alarum triginta interdum in uno folio paria sunt: qui in medio folio longissimi sunt sesquipalmares, pinnulis utrinque circiter triginta componuntur. Neque tarsi, neque pinnulæ ex adverso oppositæ sunt, sed alternatim sitæ. Tum tarsi, tum pinnulæ in acutos mucrones exeunt. Hæ autem oblongæ sunt, angustæ, raræ nec sibi invicem contiguæ, denticulis mollibus non pungentibus profundè incisæ. Nullæ in pinnulis venæ aut fibræ ut in præcedente apparent. Ima pars scapi ad tertiam fere totius longitudinis partem nuda est, muscosis squamis obducta. Pinnulæ ut in aliis speciebus aversa parte duplici punctorum ferrugineorum ordine donatæ sunt. Plurima ex eadem radice (vetustiore intellige) exeunt folia.

In palustribus, humidis & umbrosis non raro invenitur.

* 5. *Filix mollis sive glabra vulgari mari non ramosæ accedens* J. B.

J. B.
Rectis surgit & simplicibus pediculis Filicis vulgaris in modum, sed glabris penitus, omnique hirsutie destitutis. Tarsi particulares in segmenta dividuntur duplo ferè longiora, longiùs multò ab invicem distantia, mucrone acutiore, modò æqualibus marginibus, modò obiter profundiùs incisis, nullo tamen ordine serratis aut dentatis. Hanc speciem mollities & segmentorum varietas à vulgari Filice mare distinguit.

Locus. Circa Tigurum collegit *J. Bauhinus.*

* 6. *Filix Lonchitidi affinis* J. B.

J. B.
Lonchitidi filicifoliæ similis est: pediculi tamen glabri sunt, plures, unde ex adverso positæ oriuntur alæ palmares & sesquipalmares, quarum unaquæque in cristas unciales & sescunciales dividitur, singulas denuo in alia segmenta, non admodum profunda, mitibus spinis donata subdivisas.

Locus. Hanc observavit *J. B.* in proximis sylvis Fontis admirabilis Ducatûs Wirtemberg, & in valle Griesbachiana.

* 7. *Filix tenuissimè & profunda denticulata Montbelgardica* J. B.

J. B.
Magnitudine non cedit vulgari Filici mari non ramosæ. Foliorum haud dispar positus; verùm cristati folii portiunculæ valdè sunt concinnæ, angustæ, profundis & argutis denticulis incisæ; cristæ verò totæ costæ annexæ alternatim oriuntur. Similis est Filici Rhæticæ, quæ tenuior: aliquid similitudinis habet cum nostro Adiantho albo Officinarum folio Filicis.

Provenit in sylvis propè Montbelgardum; item in monte Masmunster & in monte Rosberg, necnon in valle fontium acidorum Griesbachiana.

* 8. *Filix palustris maxima dentata* C. B. prod. **The greatest Marsh-Fern.**

C. B. prod.
Radice est omnium Filicum crassissima, duos pugnos superante, nigrâ, velut crassissimis squamis compactâ, & multis fibris nigris capillatâ, unde emergunt *folia* plura, atro-virentia, tres cubitos superantia, in latus amplissimè expansa, quorum pediculus rufescens, angulosus, cavus instar oblongi auriscalpii ex radice prodit, qui ubi pedalem altitudinem adeptus est, foliosus redditur ad modum Filicis maris vulgaris: nam veluti ex plurimis pinnis secundùm margines crenatis, & ad unum pediculum cohærentibus componuntur. Verùm ad radicem inter media folia plura foliorum rudimenta cubitalia, velut futurorum principia, conspiciuntur, eo modo quo in Filice florida sive Osmunda dicta circa summos caules apparent, à qua tamen differt, quòd Osmunda caules edat, & caulium summis veluti flores sive seminum rudimenta adhæreant, & folia habeat latiora, & haudquaquam ad margines serrata.

Hanc locis palustribus circa thermas Marchicas copiosè observavit *C. Bauhinus:* aliquando in editis & saxosis sed humidis montibus etiam reperitur, ut circa *Ramstein* arcem Basileensium idem observavit.

* 9. *Filix Indica Osmundæ facie* Bod. à Stapel. Hort. Par.

Bod.
E Virginia, inquit, delata est, foliis *aquaticæ Filicis*, latioribus tamen, totâ alioqui facie Filicibus similis. Huic quâ parte ab homine tacta est altero aut tertio, nonnunquam quarto die, rubiginosa quædam apparet macula, quæ totum folium percurrit & exsiccat. Exsiccatum alio subnascente decidit.

* 10. *Filix baccifera* Cornuti. *F. Saxatilis baccifera Americanâ* Park. **Berry-bearing Fern of America.**

Cornut.
Dryopteridis instar enascitur, ac sensim in cubitum erigitur, pennatis *foliis*, in ambitu crenatis, luteo-virentibus; quæ crescunt utrinque ad *caulem* non facilè flexilem citra rupturam, ponè rotundum, ante excavatum sinu exiguo, per totam longitudinem exporrecto. *Seminum* etiam rudimenta posticis foliis adhærent; inter quæ sparsim eminent rotundi globuli, nunc bifidi, virides initio, deinde nigri, gustu suavi, Polypodii ferè radicis saporem referente, qui tandem maturi vix tactum patiuntur, sed sponte decidentes terræ infiguntur, unde nova succrescit soboles. *Radice* nititur multis contextâ fibris capillosis, colore fuscis & gustu subacerbis.

Locus. In America Septentrionali passim inter saxa provenit: pullulat Aprili ineunte, baccæ media æstate maturescunt, folia Novembri marcescunt, sola per hyemem superstite radice. Hanc in Angliam è Virginis primur intulisse dicitur Joannes Tradescantius. Cùm plantam hanc nondum nobis videre contigit, cujus generis sint baccæ foliis innatæ, an scilicet fructus, an excrescentiæ insectorum matrices, determinare nequimus.

* 11. *Adianthum Brasilianum*, Avenqua *Lusitanis* Marggr.

Marggr.
Duplex est, majus & minus.
Majus in duorum pedum altitudinem assurgit, ex *radice* intus flava, extus nigricante, sub terrâ serpente, & multa habente filamenta. *Caulis* hujus tenuis, striatus, ex brunno nigricantis & splendentis coloris, & lanugine quadam hepatici coloris vestitus. Superiùs ramulos aliquot habet inordinatè positos, qui, ut & caulis summus, *folia* habent alternatim posita, quædam tres, quædam duos, quædam unum digitum longa, dilutè viridia, in ambitu dentata, atque singularis figuræ.
Minus in eandem altitudinem assurgit, caulibus ejusdem cum priore figuræ & coloris, non vestitis lanugine, verùm pulvere albo velut farinâ quadam aspersis. *Folia* alata, alternatim posita habet, variæ longitudinis, à semidigito scilicet ad tres digitos; in extremitate enim caulium brevissima sunt. In quolibet folio alæ hæ alternatim positæ, interiores longiores, exteriores breviores, supernè saturatè viridis coloris, inferiùs farinâ pulvere nigerrimo mixtâ aspersæ. Inferiores *cauliculi* progerminantes parum convoluti (quod omnibus Filicibus commune est) & pulvere farinaceo planè albi sunt.

Cap. III.

* *Filix fontis admirabilis ad marem vulgarem non ramosam accedens non dentata* J. B.

J. B.
MAsculæ vulgò dictæ non ramosæ Filicis in morem simplices erigit *caules*, quos rami non dividunt, non sine hirsutie aliqua: Cristæ singulares paulò videntur longiores, divisione ferè foliorum *Ceterach*, segmentis minimè crenatis, sed acutioribus, quorum aversa parte pulverulenta ferruginea puncta agminatim proximè margines circumcirca conspiciuntur, medio libero.
In montibus prope Fontem admirabilem in Ducatu Wirtemberg. Augusto mense collegit *J. B.*
Huic persimilis est, major tamen, tarsísque arctiùs pennata *Filix non ramosa Brasiliana, foliis Asplenii acutioribus* Breynii.

* *Filix non ramosa Guyanensis, foliis Asplenii obtusioribus* Breynii.

Observatur magis hirsuta quàm antecedens, atque obscuriùs virens, pinnulis obtusioribus, puncta rariora habentibus.

CAP. IV.

A. 1. *Filix minor non ramosa* J. B. *Dryopteris* Ad. Lob. Ger. emac. *Filix minor palustris* nobis.

R*Adices* locis paludosis sub terræ superficie reptant, sibi mutuò implexæ, radicum Polypodii instar, culmi crassitudine, 5, 6, 7, digitos longæ, foràs atræ, intus albæ, sapore subdulci & astringente, fibrillis innumeris tenuibus capillatæ. *Caules* sparsim oriuntur variis in locis, plures pauciorésve simul pro ætate, magnitudine aut vigore radicis, [vidimus pusillas & tenellas radices quæ duos trésve solummodo producerent, grandes & vegetas quæ 14 aut 15.] Dupliciter tantùm dividuntur, nimirum in scapum medium & ramulos foliis vestitos. Scapus quem diximus 5, 6, 7, uncias longus est, tenuis, anticâ parte planus, posticâ rotundus, lævis & viridis. Primum ramulorum par tribus circiter digitis à radice exit; succedunt 8, 9, aut 10, paria, conjugatim sibi mutuo opposita, longissimo ramulo unciam vix excedente. Folia seu pinnulæ alis seu ramulis conjugatim quoque adnascuntur, ad 8 aut 9 in singulis paria, nullis crenis aut denticulis incisa, colore pallido seu ex viridi luteo. Filicula hæc radicibus Polypodium æmulatur, caulibus Filicem marem vulgarem, nervis & pinnulis Filicem fœminam.

Descriptio est D. Goodyeri apud Gerardum emaculatum, à nobis Latina facta.

Locis palustribus putridis pluries observavimus in insula Eliensi & alibi, præcipuè in Septentrionalibus Angliæ.

In tantam nonnunquam staturam & magnitudinem excrescit, ut Filicem marem mentiatur; verùm facilè discernitur, quod pinnulæ æquabili ambitu circumscriptæ sint & minimè crenatæ.

A. 2. *Filix pumila saxatilis altera Clusii* Park. *Filix non ramosa, nigris maculis punctata* C. B. **Dwarf-Stone-Fern not branched.**

Clus.

Quinos aut senos habet *cauliculos*, teretes, rectos, initio virides, deinde temporis successu omnino nigricantes, palmares, à medio unicam foliorum insectorum alam, unico ad fastigium usque artu porrectam sustinentes, eâdem quâ in mare vulgari formâ & facie, multò verò minorum tenuiorúmque, sapore nonnihil adstringente, pronâ etiam parte multis nigris maculis (quæ vetustate efflorescere videntur) aspersorum. *Radix* velut in caput coacta, sicut in mare vulgari, & multis nigris durísque fibris capillata est.

Locus. In montibus saxosis Derbiensibus, Eboracensibus & Westmorlandicis copiosè provenit. Invenimus & in transmarinis non procul à *Spada* in territorio Leodiensi. Præcedenti similis est, magnitudine & natalibus differt.

3. *Filix saxatilis non ramosa minima.*

Folia exserit palmaria & longiora, angusta, tarsis seu alis semuncialibus, angustis, 14 aut pluribus hinc inde ad utrumlibet costæ seu nervi medii latus adnexis, alterno potiùs quam contrario situ, composita. Alæ longiores è 4 aut 5 pinnularum, exiguarum, obtusarum, & in extremo nonnihil crenatarum conjugationibus constant, extremâ alâ in folium angustum procurrente. Pediculus & costa folii media in sicca alba & glabra videntur.

Locus. E petrarum rimis versùs summitatem montis Salevæ propè Genevam exit.

CAP. V.

De Adiantho albo seu Ruta muraria.

A*Diantum* unde dictum sit vide Sect. 4. cap. 5. *Adiantum* autem *album* dicitur hæc planta, quòd cauliculi ejus seu rectiùs foliorum pediculi minùs nigricant quam Adianthi nigri dicti. *Ruta muraria* ob aliqualem cum foliis Rutæ similitudinem appellatur.

A. 1. *Adianthum album* Tab. *Ruta muraria* C. B. J. B. Ger. *muraria, sive Salvia vitæ* Park. **Wall-Rue, Tentwort.**

J. B.

Radice tenuissimis fibris nigricantibus capillata, subastringente parietinas rimosas occupat; *pediculos* promens multos, semipalmares, tenues, juxta radicem nigricantes aut atro-rubentes, reliqua parte virentes, nonnihil in summo divaricatos; ex quorum tum extremitatibus, tum lateribus *folia* oriuntur Rutæ vel Adianti veri, sed multò minora, striata, rigidula, per ambitum crenata, superna parte virentia, inferiùs pulvisculo russo aut fusco aspersa, gustu nonnihil acerbo & subastringente, cum tantillo dulcedinis leviusculæ vestigio.

Locus. In muris & pontibus lapideis, ínque petrarum fissuris multis Angliæ in locis invenitur. Amat saxa viva, coctis lateribus immoritur, inquit Camerarius; quod tamen nobis observantibus non est perpetuum; vidimus enim in muro lateribus extructo Adiantum album innatum.

Facul-

Facultatibus cum Adianto vero convenit, unde in Tussi, Asthmate, Pleurisi, Ictero, obstructionibus Lienis prodesse creditur: quin & ad renum & vesicæ dolores valere, urinam clementer ciere, calculósque & arenulas expellere. *Vires.*

Peculiariter præstare eam perhibet Matthiolus ad Enterocelas puerorum; continuis 40. diebus pulvere exhibito.

Per totam hyemem viret, non priùs emarcescens quàm incipiant emergere folia, quæ quotannis Aprili mense inter vetera prodire conspiciuntur.

Valdè efficax esse dicitur in Scorbuticis affectibus: hâc enim omnes milites, arce quadam obsessi liberati erant à Scorbuto. * *Hofman.* * *Method. medendi. l. 1. p. 347.*

* 2. *Adiantum album crispum Alpinum* Schwenckfeld.

Schwenck.

Huic è *radice* pluribus tenuibus capillamentis implicita *coliculi* plures, graciles, juncei, læves, in summo brachiati nascuntur, *foliolis* Rutæ murariæ similibus, magnis, virentibus, crassioribus, crispis ac veluti punctis Ledi insignitis, absque flore & semine: aspectu jucunda plantula.

Rarissimum inventu nonnisi altissimorum montium petrosis oritur. In montibus Pictlandicis Scotiæ invenit D. Sutherlandus. *Sibbald.* *Locus.*

* 3. *Adiantum album tenuifolium Rutæ murariæ accedens,* J. B.

J. B.

Pedales ex radice emittit sed tenues *caules,* qui superiùs in ramulos alternos ferè dividuntur, atque hi denuò sæpius in alios minores, nullo ferè ordine; foliis Rutæ murariæ dimidio minoribus, incisis, pulchrè viridantibus, tenerioribus, mollicellis.

E monte Gothardo ad J. Bauhinum attulit Hen. Cherlerus.

* 4. *Adiantum novum Germanicum Rutæ murariæ facie* Breynii.

Breyn.

Speciosum hoc & prorsus novum Adianti genus in Franconia non procul à pago illo, ob acidulas celeberrimo, *Langen Schwalbach* dicto, in umbroso inter saxa loco enatum quamvis rarissimè observavimus.

Hoc è *radice* ex plurimis cirris nigris capillata coliculos 30 vel plures spargit, juxta radicem nigricantes, reliqua verò parte virentes, & in tertia superiùs parte *foliolis* angustioribus, hilariore virore præditis, inque lacinias longiores angustioresque quàm Rutæ murariæ dissectis ornatos.

Convenit in multis cum Adianto albo tenuifolio Rutæ murariæ accedente *J. B.* à quo tamen manifestè differt.

Adianti cujusdam majoris Coriandri folio, Adianto vero affinis, pediculo pallidè rubente, in Scotia nascentis, meminit D. Sibbaldus in *Prod. Nat. Hist. Scot.*

CAP. VI.

De Adianto vero seu nigro.

HÆC planta Adiantum nigrum meritò censenda est, quia cauliculi ejus seu potiùs foliorum pediculi politiore nitore nigricant, ut cum C. Bauhino loquar. Capillus autem Veneris dicta est, quia capillis nitorem & venustatem conciliat.

1. *Adiantum sive Capillus Veneris* J. B. *Ad. verum sive Capillus Veneris verus* Park. *Cap. Veneris verus* Park. *Ad. foliis Coriandri* C.B. **True Maiden-hair.**

Musco rufóque cespiti implexæ sunt capillares radicum fibræ nigræ. *Caules* exeunt multi, tenues, nigri, læves & splendentes, dodrantales aut etiam pedales, in ramos stamineæ tenuitatis divisi, per quos tremulo filo appensa alterno ordine visuntur *folia,* viridia, crebra, mollicella tenellaque, lævia, Coriandrinis primitus erumpentibus similia, nec magnitudine multum cedentia, ferè triangularia, sectionibus per extremum rarioribus, altioribus cæsa. Cùm planta ad ἀκμὴν & statum suum pervenerit in foliis extremis cernuntur parvæ veluti plicæ, albicantes, sub quibus pulvis occultatur vix perceptibilis, illi similis qui aliis plantis Capillaribus aversâ parte accrescit.

In parietibus, locis petrosis, umbrosis, humidis, secus fontes & aquarum stillicidia exire testatur Dodonæus, in regionibus calidioribus, Gallia Narbonensi & Italia: in frigidioribus, ut reliqua Gallia, Germania, Belgio & Anglia raró aut nunquam provenit. Nos Patavii in puteo nascentem & media hyeme adhuc virentem observavimus; circa Genuam ad marginem cujusdam fontis. *Locus.*

Vulgus Narbonense pro signo infallibili bonitatis & levitatis aquarum habet Adianti circa puteos & fontes proventum.

Quavis anni parte, etiam hyeme viret, Solem & aerem calidum & siccum refugit, umbrosis & humidis delectatur.

Folia & summitates hujus plantulæ in usum medicum veniunt; quæ, quod ad vires & usus attinet, Sanguinem purificat, humorésque in massa ejus commixtos ad justam temperiem reducit: præparat & purgat pituitam, necnon bilem utramque, atram & flavam: humiditates superfluas dissipat, *Vires & Usus.*

CAP. IV.

A. 1. *Filix minor non ramosa* J. B. *Dryopteris* Ad. Lob. Ger. emac. *Filix minor palustris* nobis.

R*Adices* locis paludosis sub terræ superficie reptant, sibi mutuò implexæ, radicum Polypodii instar, culmi crassitudine, 5, 6, 7, digitos longæ, foràs atræ, intus albæ, sapore subdulci & astringente, fibrillis innumeris tenuibus capillatæ. *Caules* sparsim oriuntur variis in locis, plures pauciorésve simul pro ætate, magnitudine aut vigore radicis, [vidimus pusillas & tenellas radices quæ duos trésve solummodo producerent, grandes & vegetas quæ 14 aut 15.] Dupliciter tantùm dividuntur, nimirum in scapum medium & ramulos foliis vestitos. Scapus quem diximus 5, 6, 7, uncias longus est, tenuis, anticâ parte planus, posticâ rotundus, lævis & viridis. Primum ramulorum par tribus circiter digitis à radice exit; succedunt 8, 9, aut 10, paria, conjugatim sibi mutuo opposita, longissimo ramulo unciam vix excedente. Folia seu pinnulæ alis seu ramulis conjugatim quoque adnascuntur, ad 8 aut 9 in singulis paria, nullis crenis aut denticulis incisa, colore pallido seu ex viridi luteo. Filicula hæc radicibus Polypodium æmulatur, caulibus Filicem marem vulgarem, nervis & pinnulis Filicem fœminam.

Descriptio est D. Goodyeri apud Gerardum emaculatum, à nobis Latina facta.

Locis palustribus putridis pluries observavimus in insula Eliensi & alibi, præcipuè in Septentrionalibus Angliæ.

In tantam nonnunquam staturam & magnitudinem excrescit, ut Filicem marem mentiatur; verùm facilè discernitur, quod pinnulæ æquabili ambitu circumscriptæ sint & minimè crenatæ.

A. 2. *Filix pumila saxatilis altera Clusii* Park. *Filix non ramosa, nigris maculis punctata* C. B. **Dwarf-Stone-Fern not branched.**

Clus.

Quinos aut senos habet *cauliculos*, teretes, rectos, initio virides, deinde temporis successu omnino nigricantes, palmares, à medio unicam foliorum insectorum alam, unico ad fastigium usque artu porrectam sustinentes, eàdem quâ in mare vulgari formâ & facie, multò verò minorum tenuiorúmque, sapore nonnihil adstringente, pronâ etiam parte multis nigris maculis (quæ vetustate efflorescere videntur) aspersorum. *Radix* velut in caput coacta, sicut in mare vulgari, & multis nigris durísque fibris capillata est.

Locus. In montibus saxosis Derbiensibus, Eboracensibus & Westmorlandicis copiosè provenit. Invenimus & in transmarinis non procul à *Spada* in territorio Leodiensi. Præcedenti similis est, magnitudine & natalibus differt.

3. *Filix saxatilis non ramosa minima.*

Folia exserit palmaria & longiora, angusta, tarsis seu alis semuncialibus, angustis, 14 aut pluribus hinc inde ad utrumlibet costæ seu nervi medii latus adnexis, alterno potiùs quam contrario situ, composita. Alæ longiores è 4 aut 5 pinnularum, exiguarum, obtusarum, & in extremo nonnihil crenatarum conjugationibus constant, extremâ alâ in folium angustum procurrente. Pediculus & costa folii media in sicca alba & glabra videntur.

Locus. E petrarum rimis versùs summitatem montis Salevæ propè Genevam exit.

CAP. V.

De Adiantho albo seu Ruta muraria.

ADiantum unde dictum sit vide Sect. 4. cap. 5. *Adiantum* autem *album* dicitur hæc planta, quòd cauliculi ejus seu rectiùs foliorum pediculi minùs nigricant quam Adianthi nigri dicti. *Ruta muraria* ob aliqualem cum foliis Rutæ similitudinem appellatur.

A. 1. *Adianthum album* Tab. *Ruta muraria* C. B. J. B. Ger. *muraria, sive Salvia vitæ* Park. **Wall-Rue, Tentwort.**

J. B.

Radice tenuissimis fibris nigricantibus capillata, subastringente parietinas rimosas occupat; *pediculos* promens multos, semipalmares, tenues, juxta radicem nigricantes aut atro-rubentes, reliqua parte virentes, nonnihil in summo divaricatos; ex quorum tum extremitatibus, tum lateribus *folia* oriuntur Rutæ vel Adianti veri, sed multò minora, striata, rigidula, per ambitum crenata, superna parte virentia, inferiùs pulvisculo ruffo aut fusco aspersa, gustu nonnihil acerbo & subastringente, cum tantillo dulcedinis leviusculæ vestigio.

Locus. In muris & pontibus lapideis, ínque petrarum fissuris multis Angliæ in locis invenitur. Amat saxa viva, coctis lateribus immoritur, inquit Camerarius; quod tamen nobis observantibus non est perpetuum; vidimus enim in muro lateribus extructo Adiantum album innatum.

Facul-

Facultatibus cum Adianto vero convenit, unde in Tussi, Asthmate, Pleurisi, Ictero, obstructionibus Lienis prodesse creditur: quin & ad renum & vesicæ dolores valere, urinam clementer ciere, calculósque & arenulas expellere. *Vires.*

Peculiariter præstare eam perhibet Matthiolus ad Enterocelas puerorum; continuis 40. diebus pulvere exhibito.

Per totam hyemem viret, non priùs emarcescens quàm incipiant emergere folia, quæ quotannis Aprili mense inter vetera prodire conspiciuntur.

Valdè efficax esse dicitur in Scorbuticis affectibus: hâc enim omnes milites, arce quadam obsessi liberati erant à Scorbuto. * *Hofman.*

* *Method. medendi. l. 1. p. 347.*

* 2. *Adiantum album crispum Alpinum* Schwenckfeld.

Schwenck.

Huic è *radice* pluribus tenuibus capillamentis implicita *coliculi* plures, graciles, juncei, læves, in summo brachiati nascuntur, *foliolis* Rutæ murariæ similibus, magnis, virentibus, crassioribus, crispis ac veluti punctis Ledi insignitis, absque flore & semine: aspectu jucunda plantula.

Rarissimum inventu nonnisi altissimorum montium petrosis oritur. In montibus Pictlandicis Scotiæ invenit D. Sutherlandus. *Sibbald.* *Locus.*

* 3. *Adiantum album tenuifolium Rutæ murariæ accedens*, J. B.

J. B.

Pedales ex radice emittit sed tenues *caules*, qui superiùs in ramulos alternos ferè dividuntur, atque hi denuò sæpius in alios minores, nullo ferè ordine; foliis Rutæ murariæ dimidio minoribus, incisis, pulchrè viridantibus, tenerioribus, mollicellis.

E monte Gothardo ad J. Bauhinum attulit Hen. Cherlerus.

* 4. *Adiantum novum Germanicum Rutæ murariæ facie* Breynii.

Breyn.

Speciosum hoc & prorsus novum Adianti genus in Franconia non procul à pago illo, ob acidulas celeberrimo, *Langen Schwalbach* dicto, in umbroso inter saxa loco enatum quamvis rarissimè observavimus.

Hoc è *radice* ex plurimis cirris nigris capillata coliculos 30 vel plures spargit, juxta radicem nigricantes, reliqua verò parte virentes, & in tertia superiùs parte *foliolis* angustioribus, hilariore virore præditis, inque lacinias longiores angustiorésque quàm Rutæ murariæ dissectis ornatos.

Convenit in multis cum Adianto albo tenuifolio Rutæ murariæ accedente *J. B.* à quo tamen manifestè differt.

Adianti cujusdam majoris Coriandri folio, Adianto vero affinis, pediculo pallidè rubente, in Scotia nascentis, meminit D. Sibbaldus in *Prod. Nat. Hist. Scot.*

Cap. VI.

De Adianto vero seu nigro.

HÆC planta Adiantum nigrum meritò censenda est, quia cauliculi ejus seu potiùs foliorum pediculi politiore nitore nigricant, ut cum C. Bauhino loquar. Capillus autem Veneris dicta est, quia capillis nitorem & venustatem conciliat.

1. *Adiantum sive Capillus Veneris* J. B. *Ad. verum sive Capillus Veneris verus* Park. *Cap. Veneris verus* Park. *Ad. foliis Coriandri* C.B. True Maiden-hair.

Musco ruffóque cespiti implexæ sunt capillares radicum fibræ nigræ. *Caules* exeunt multi, tenues, nigri, læves & splendentes, dodrantales aut etiam pedales, in ramos stamineæ tenuitatis divisi, per quos tremulo filo appensa alterno ordine visuntur *folia*, viridia, crebra, mollicella tenellàque, lævia, Coriandrinis primitus erumpentibus similia, nec magnitudine multum cedentia, ferè triangularia, sectionibus per extremum rarioribus, altioribus cæsa. Cùm planta ad ἀκμὴν & statum suum pervenerit in foliis extremis cernuntur parvæ veluti plicæ, albicantes, sub quibus pulvis occultatur vix perceptibilis, illi similis qui aliis plantis Capillaribus aversâ parte accrescit.

In parietibus, locis petrosis, umbrosis, humidis, secus fontes & aquarum stillicidia exire testatur Dodonæus, in regionibus calidioribus, Gallia Narbonensi & Italia: in frigidioribus, ut reliqua Gallia, Germania, Belgio & Anglia rarò aut nunquam provenit. Nos Patavii in puteo nascentem & media hyeme adhuc virentem observavimus; circa Genuam ad marginem cujusdam fontis. *Locus.*

Vulgus Narbonense pro signo infallibili bonitatis & levitatis aquarum habet Adianti circa puteos & fontes proventum.

Quavis anni parte, etiam hyeme viret, Solem & aerem calidum & siccum refugit, umbrosis & humidis delectatur.

Folia & summitates hujus plantulæ in usum medicum veniunt; quæ, quod ad vires & usus attinet, Sanguinem purificat, humorésque in massa ejus commixtos ad justam temperiem reducit: præparat & purgat pituitam, necnon bilem utramque, atram & flavam: humiditates superfluas dissipat, *Vires & Usus.*

dissipat, serosósque humores resolvit & per transpirationem insensibilem amandat: Sudores & urinam provocat, putredini potenter resistit, unde in omne genus febribus, simplicibus, putridis, malignis, pestilentibus, continuis, intermittentibus felici cum successu exhibetur. Singulari & specifica proprietate capillis conducit, omnibúsque illorum vitiis medetur, Alopecias sanat, furfures aliásque eorum sordes detergit, marcidis & decoloribus vigorem & nitorem conciliat, defluentes continet, raros densat & honorem capiti restituit, canitiem denique arcet [Adiantum capillis dicare, tanquam eorum remedium proprium & specificum signatura (ut vocant) eidem impressa, nimirum caulium & ramulorum ejus cum Capillis in tenuitate, colore & nitore convenientia Botanicos, ut puto, induxit.] Omnes cerebri facultates exsuscitat, humorum in illud decumbentium excessus temperat & vitia corrigit: Spiritus animales depurat, vapores calidos & biliosos compescit, acres, acidos & narcoticos lenit. Proinde adversus vigilias immoderatas, affectus comatosos, catarrhos, Epilepsiam, phrenesin, maniam, melancholiam, cephalalgiam, contráque omnigenas intemperies & tumores qui capiti accidunt conducit: visum acuit, humores ad dentes, aures, colli aut faucium glandulas defluere solitos cohibet & dissipat. Odore seu halitu suo suavi cor exhilarat, & facultates vitales recreat & corroborat: Pectoris vitia emendat, Pulmones expurgat, humores crassos, viscidos & tenaces asperæ arteriæ canalibus & bronchiis impactos incidit & evacuat, ejusdem asperitates lenit, adeóque adversus Tussim, respirationem difficilem, Asthma, Peripneumoniam, Pleuritidem, Hæmoptysin, Syncopen, Lipothymiam, Cardialgiam remedium est præsentaneum. Oesophagi & ventriculi fibras nimis laxas restringit, iisque debitum tonum restituit: Excrementorum nauseam causantium colluviem expurgat & aufert: sitim extinguit; penetrat, humectat & purgat leniter admodum & benignè ventriculum & intestina: Hepatis & Lienis calores temperat, eorundem obstructiones quantumvis inveteratas reserat: Calculum renum & vesicæ comminuit, & urinæ meatus omnes aperit: Adversus Icterum & colores pallidos tum Antidotum est, tum remedium: Partibus generationi inservientibus inprimis utilis est & amica: Sterilitati opitulatur, uteri immunditias expurgat, Secundas educit, menstrua ciet, & tamen (quod mirum est) immoderata cohibet, fluorem album sistit & emendat: Juncturis & nervoso generi commoda est, vapores halituosos, qui ad musculorum capita coacervantur dissipat, unde ad stupores, spasmos, pandiculationes facit. Duritias & excrementa articulorum ligamentis impacta emollit & resolvit, hinc ischiadico dolori & omnigenæ Arthritidi medetur: Utilis etiam est ad tumores quoscunque seu calidos, sive frigidos, œdematosos & scirrhosos, phlegmonas, erysipelata, contra plagas, ulcera, ossium fracturas & luxationes, omnia denique cutis vitia.

Has omnes virtutes Adianto vero attribuit Petrus Formius M. D. Monspeliensis in libello quem de hac planta Gallicè conscriptum publicavit Anno 1644. quæ si universæ eidem convenirent, panacea quædam esset & medicamentum universale, ad omnium ferè corporis partium sanitatem tuendam & morbos debellandos vel sola sufficiens. Verùm cum in qualitatibus omnibus temperata sit, vires ejus admodum remissas & debiles esse oportet. Schroderus facultates ejus approbatas paucis complectitur, Pulmonum, inquiens, renúmque vitiis medetur: Epatis & Lienis obstructiones reserat: Urinam & menses ciet.

Varios modos plantam hanc ad usum medicum præparandi, seu varias formulas medicamentorum ex ea parandorum describit supra laudatus autor. Nos aliis omissis Ptisanam tantùm Adianti, quam miris laudibus extollit, proponemus.

℞. summitatum aut foliorum Adianti adhuc virentium & recens collectorum tres circiter manipulos. Infundantur supra cineres calidos per spatium unius noctis in duobus tribúsve sextariis [**pots**] aquæ fontanæ optimæ, tandémque si placet, leviter bulliant.

Colatura vasi vitreo immissa pro potu ordinario inserviet, vel sola, vel cum tantillo vini. Si tincturam saturatiorem desideras, herbam ex aqua nè eximas, sed tandiu relinquas donec contabuerit, deinde recentem infundas eousque continuando donec tincturam non ampliùs deponat.

Ptisana hæc superfluas humiditates absumit, & per insensibilem transpirationem eliminat: sudorem & urinam provocat, & eadem ferè omnia præstat quæ de Adianto prædiximus. Sufficiat (inquit) affirmare, me complures parvulos & infantes exiccatos & ferè consumptos febre lenta, ab obstructionibus mesenterii ortâ hujus usu sanitati pristinæ restituisse. *Considerandum annon Rachitis nostratibus medicis dictus morbus fuerit quo laborârunt hi infantes.*

Adianti nigri varietas. Cæterùm Adiantum magnitudine & foliorum crassitie variat. Quod majus est & crassioribus foliis *Adianthum Syriacum* Tabernæmontano, *Capillus Veneris Syriacus* Gerardo dicitur.

2. *Adiantum Americanum* Cornuti. *Ad. fruticosum Americanum* Park. **Black Maiden-hair of America.**

Cornut.

Huic *radix* pusilla, capillamentis nigris fibrata; *Cauliculi* exeunt atro-purpurei, in cubitum se attollentes, septémque aut octo ramulis divisi, in orbem expansi, latissimè se spargunt; adnascentibus interim processibus quamplurimis, qui cum ramulis leviter crispantur extremo. *Folia* Adianto vulgari similia sunt, sed ampliora, Galli cristam referentia; sunt enim infima parte lineâ curvâ clausa, superiori nonnullis sinubus laciniosa, omnia contrariis pediculis densa inter se & ex adverso. Singulorum foliorum pars altera gratâ viriditate lucet, altera punctulis fuscis exasperatur. Sapor idem cum nostrate, parùm acerbus.

Hoc Adiantum Canadensi regioni frequentissimum est: nusquam adeò altum provenit. Tradunt duorum cubitorum altitudine amplius reperiri, expansísque brachiis tantum umbræ parere, ut eò succedere possint homines in æstu, facileque se ab eo hujus umbraculi præsidio tueri. Apud nos autem hujus plantæ proceritas intra pedem unum aut alterum subsistit.

Hanc è Virginia in Angliam invexit Joan. Tradescantius filius. Rectiùs fortasse ad quartum genus seu Capillares ramosas refertur.

Filix non ramosa Brasiliana Breynii.

Quæ ad sesquicubitalem excrescit altitudinem, Filicis maris nostratis facie, atris verò caulibus, quadratis & insigne splendentibus, pinnulis obtusis, superiore tantùm margine incisis. Adianti Americani Cornuti colore, formâ & toto habitu æqualibus; an à prædicto differat Lector judicet, mihi certè non videtur.

Adianthum fruticosum Brasilianum C. B. prod.

C. B.

Filicis instar excrescit, *caule* tenui, lævi, subnigro, puniceo colore nitente, qui in alios subdividitur; circa quos folia viridia, Adianto vero aliquantum similia, parva, oblonga, sed obtusa, supernè tantùm incisuris divisa, inferiore costâ quâ capillaceo insident petiolo integra; alternatim pediculo seu cauliculo, & quidem utrinque, à duodecim usque ad 20 per pedicellum junguntur.

Apud Toupinambaultios in Brasilia natum à Bursero accepit C. Bauhinus.

Ab Adianto Americano Cornuti eo tantùm differt, quòd folia seu pinnulæ cauliculis & ramulis alternatim adnascantur, non contrariis inter se pediculis bina. Verùm quoniam reliqua descriptio cum præcedente Cornuti egregiè convenit, hanc plantam ab illa non separamus: nam in iis Filicum speciebus quarum folia plerunque inter se contraria oriuntur, reperiuntur interdum costæ nonnullæ alternatim positis vestitæ; quin & in eadem costa eodémve ramulo pinnulæ seu cristæ inferiores adverso situ adnatæ, superiores autem alterno non rarò observantur.

Adianto vero affinis minoris Scotici, folio obtuso, saturatè viridi, altiùs inciso cum pediculo viridi meminit D. *Sibbaldus* in *Prod. Nat. Hist. Scotiæ.*

SECTIO QUARTA.

De Herbis Capillaribus foliis bis subdivisis seu ramosis.

Cap. I.

A. *Filix femina* Ger. *fem. vulgaris* Park. *major & prior Trago, seu ramosa repens* J. B. *ramosa major, pinnulis obtusis non dentatis* C. B. **Female Fern or common Brakes.**

J. B.

Caule [seu veriùs pediculo] assurgit tres quatuórve cubitos alto, rigido, ramoso, solido, lævi & aliquatenus anguloso. *Folia* (quod * nomen indicat) pinnata, alatáve, in tarsos primò, deinde in pinnulas seu lacinias angustas, oblongas, acutiusculas, obiter interdum dentatas, aliàs æquales, dissecta, supernè viridia, infernè canescentia; & punctis ferrugineis notata. Nos in Filicis fœminæ foliis hujusmodi puncta non observavimus: verùm quælibet folia in exteriore margine versùs interiora reflexo semina copiosa custodiunt & alunt. Nam elongatis utrisque membranis cutaneis folii fit quasi nidus seminum, ut docet D. *Malpighius*, quocum consentit *D. Colius*, qui expressiùs semina hujus speciei marginibus dentium in quos folia dividuntur aversâ parte accrescere tradit. Revera enim experientiâ teste margines pinnularum seu denticulorum in quos folia dividuntur circumcirca reflectuntur. *Radix* digitum subinde crassa, foris nigricans, intus albida, longè latéque importuno reptatu terram occupans, sapore amaricante succóque glutinoso prædita, quæ summa parte obliquè aut etiam transversim incisa bicipitis Aquilæ speciem quandam exhibet.

* Πτέρις.

In pascuis sterilioribus ubique ferè luxuriat hæc planta, agricolis maximè exosa: prolixa autem non indiget descriptione; sufficit ad eam ab aliis omnibus distinguendum dixisse, quòd sit è maximis, omnium in Anglia vulgatissima; ramosa radice repente.

Locus.

Hujus etiam speciei non minùs quàm aliarum Filicum superficies ex meris foliis constat: qui enim *caules* esse videntur ramosorum foliorum revera pediculi sunt, ut patet tum quia partem anticam seu supinam posticæ seu pronæ dissimilem obtinent, tum quia in folium terminantur.

Ex hujus & Filicis etiam maris exustæ cineribus cum aqua in massam coactis pilas seu globulos efficiunt nostrates, præsertim Warwicenses & Staffordienses, & in Sole exsiccant: quorum usus est lotricibus ad linteamina mundanda, saponis aut lixivii loco. Antequam iis utuntur in ignem luculentum immittunt donec candefiant, tunc enim facilè in pulverem fatiscunt. Hâc exsiccatâ, ligni aut straminis inopiâ, ad furnos excalefaciendos rustici utuntur: in Sussexia etiam ad calcem coquendam: est enim ejus flamma vehemens admodum & huic usui valdè idonea, ut ab * Amico ingenioso, qui & ipse sæpius expertus est, & alios ejus usum edocuit, certior factus sum.

Vires & Usus.

* *D. Gualtero Burrel Armigero.*

Hujus radix in pulverem redacta, & pondere dimidiæ unciæ [℥i. S. Paulo] ex aqua mulsa sumpta lumbricos latos [atque etiam longos] enecat, imò præsentissima earum pestis est, teste S. Paulo, eámque inter secretissima secreta adversus lumbricos habent & venditant Agyrtæ.

Eadem in vino decocta, & per aliquot dies pota laborantes Lienis excremento recreat; Gravidis autem infensa censetur, ut quæ abortum faciat. *E Veteribus.*

Ad ambusta omnia vel igne, vel fervidâ aquâ, aut oleo, mirificè conducit radicis succus, vel recentis tusæ, vel exsiccatæ, affusâ aquâ rosaceâ, vel aquâ è fimo vaccino, vel florum Tiliæ, vel harum defectu fontanâ communi: tunc enim succus lentus seu mucilaginosus exprimitur qui iis medebitur, ubi reliqua medicamenta auxilium negaverint. *Trag. S. Paulus.*

Aremoricos & Neustriorum ultimos, qui vastas sylvas colunt in frugum inopia è radice Filicis panem conficere notum est ex Dalechampii relatione, ejusdémque cineribus nitri loco injectis saxa liquare, & vitrea vasa fingere colore viridi & subobscuro.

Filicis fœminæ varietas. Hujus speciei varietatis cujusdam meminit *J. Bauhinus*, titulo *Filicis majoris mollis ramosæ*, cujus segmenta singularia paulò videntur latiora brevioráque quàm illius [superiùs proximè descriptæ] nec ut illi dura sed mollia nec subtus incana.

Circa Tigurum Helvetiorum se collegisse putat Autor, meminítque (inquit) ejus Gesnerus in *App. Hort.* nomine *Filicis maris mollioris.*

Plinius Filicem biennio mori scribit si frondem agere non patiaris: Id efficacissimè contingere germinantis ramis baculo decussis, quod & experientia hodierna confirmat, quamvis rationem quam addit Plinius ingeniosè sane excogitatam si experientia confirmaret, non probem, nimirum quòd succus ex ipsa defluens radices necet.

Præterea famam esse ait & circa Solstitium avulsas non renasci, quod aliis experiendum proponimus.

CAP. II.

A. *Filix mas ramosa pinnulis dentatis* Ger. emac. **Great branched Fern with indented leaves.**

Fibris plurimis, capillaribus, nigricantibus, ex infimis caulibus (seu veriùs foliorum pediculis) qui in unum veluti corpus radicis coalescunt, enascentibus *radicatur.* Primo vere foliorum asparagos convolutos paulatim sese explicare incipientes cernas, squamis ferrugineis propè terram obtectos, arctè invicem junctos. Planta junior pauciora habet folia, adultior & annosior plura ad decem aut duodecim. *Folium* autem unumquodque ab ima parte propè locum sui cum sociis coalitûs, quamprimum se prodit, antequam longitudinem digitalem assecutum fuerit, fibris ejusmodi nigris demissis alimentum attrahit. Folia jam extensa trifariam dividuntur, Filicis fœminæ vulgò dictæ in modum, nimirum in scapum seu pediculum costámve mediam, ramos laterales primarios, & surculos seu ramulos secundarios, quibus utrinque pinnulæ seu folia adnascuntur. Scapus folii dictus in planta nobis descripta (quæ è maximis erat) quatuor minimùm pedes longitudine æquabat. [Sunt autem aliàs folia unius, duorum, triúmve pedum] squamis illis seu Musco ferrugineo obductus, præcipuè radicem versùs, firmus, anticâ seu adversa parte planus, posticâ subrotundus, ab imo ad viginti circiter unciarum spatium nudus, deinde ramosus ramis in universum circiter viginti ex utrolibet latere egressis. Rami tertii à radice paris, qui omnium longissimi erant, novem uncias extendebantur, reliquis ordine brevioribus ad summos usque. Radici propiores bini plurimùm oppositi cauli adnascebantur, quo ab ea remotiores eò magis ab oppositione aberrabant. Surculi seu nervi pinnulas sustinentes in ramis lateralibus duorum erant digitorum cum quadrante longissimi, deinceps sensim breviores ad extremos usque ramulos, (qui in folia tandem facessebant) in ramis longissimis numero circiter viginti ad alterutrum scapi latus. Pinnulæ seu folia maximam partem bina adversa in surculis oriuntur, ad octo aut novem paria in singulis, súntque per oras altiùs incisa, segmentis in acutos mucrones desinentibus, supina parte obscuriùs viridia, pronâ pallidiora, punctis squamosis ferrugineis duplici ordine adnascentibus. Folia totalia (si ità loqui liceat) cùm plenè extensa & perfecta sunt, in eorum medio ad radicem rudimenta foliorum vere sequenti explicandorum jam tum formata, conglobata seu convoluta & squamis obducta apparent.

Folia in hac planta nonnulla per totam hyemem virorem suum retinent, locis præsertim calidioribus, quæ tandem novis subnascentibus sequenti æstate marcescunt.

Locus. In umbrosis, sabulosis præsertim aut petræis, ubi aquæ scaturiunt, quin & in paludosis ad stipites Quercuum putridorum cum *D. Goodyero* eam sæpiùs invenimus, non in Sussexia tantùm (quamvis ibi plurimam) sed & in multis aliis Angliæ locis.

Prolixam descriptionem *D. Goodyeri* non piguit Latinam facere, & è Gerardo emaculato huc transcribere, quoniam nescimus an à quoquam præterea descripta fuerit hæc species; planta autem ipsa ad manum non sit.

CAP. III.

* *Filix tenuissimè secta ex monte Balon.* J.B.

J. B.

Folia cubitorum aliquot, ferrugineo musco obsessis pediculis; in *ramos* particulares divisa, non planè ex adverso respondentes, palmares & sesquipalmares, quorum unusquisque *cristas* habet, alternatim positas, semunciales & duarum unciarum, in segmenta exigua per extremam oram crenata subdivisas.

Hanc

Hanc invenimus in Vogesi montis parte *Balon*, quam ex fodinis argenti dictis *Gerardmegni* conscendimus mense Augusto.

Cap. IV.

* *Filix Rhætica tenuissimè dentata* J. B.

J. B.

AD Filicem tenuifoliam profundè dissectam accedit; verùm cristæ, quarum alternatus ortus in singulares denuo cristulas dividuntur, unciales, paulóve altiores aut longiores, tenues admodum, crebróque & profundè dissectas, longè inter se distantes, aversa parte punctatas, ut aliæ Filices.

Similis est Adiantho folio Filicis, sed differt non solùm in eo quòd major est Adiantho, sed præterea quòd pediculi Adiantho ad radicem rubeant, quódque segmenta sunt quoque diversa.

Reperi in Rhætia primò, deinde in monte *Rosberg* propè *Masemunster*.

Cap. V.

A. *Filix florida sive Osmunda regalis* Ger. *Osmunda regalis sive Filix florida* Park. *Filix floribus insignis* J. B. *Filix ramosa non dentata florida* C. B. **Flowring Fern or Osmund royal.**

J. B.

EX uno perplexarum *radicum*, longarum, nigricantium cespite *caules* attollit bicubitales & altiores, virides, glabros, striatos, ramis patulos. Hinc inde alæ exoriuntur; pinnatis octo novémve conjugationibus *foliorum*, impari una alam claudente, constantes. Singularia autem folia omnia sursum spectant, trium quatuórve unciarum longitudine, semunciam lata, ex principio latiore sensim extenuata, in obtusum mucronem desinentia, à nervo per longitudinem decurrente exporrectis in margines, (qui integri sunt nec crenis secti) infinitis obliquè venulis. Caulis scapus in surculos aliquot divisus, racemulos unciales in singulis surculis multos sustinet, seminibus multis confertissimos.

Locus. Nascitur locis riguis ac palustribus putridis, in humidis quoque sylvis, in multis Angliæ provinciis. In insula Mona in clivis maritimis & rupium interveniis udis copiosam observavimus.

Flores Herbariis dicti nobis nihil aliud esse videntur quàm folia ob semina adnascentia non explicata, sed ad margines reflexa.

Vires. Hujus radicem ad Hernias & ulcera exploratissimi commodi esse scribit Lobelius, quinetiam colicis & spleneticis plurimùm conferre; nonnihil calidam esse & acrem, odoris non ingrati.

Pars illa radicis media subcandida efficacissimam putatur non modò vulneratis, sed & cæsis, ruptis, ex alto deturbatis decocta vel etiam tusa & cum aliquo liquore sumpta. *Dod.*

Rachitidi morbo dicto remedium præstantissimum & quasi proprium & specificum censetur hujus radix, cui percurandæ vel sola sufficiat. In Rachitide uti soleo conservâ Asparagorum seu germinum teneriorum hujus & Filicis maris, vel etiam Asplenii & Phyllitidis, prospero successu. *D. Bowles.*

Cap. VI.

A. *Filix saxatilis ramosa maritima nostras.*

HUnc ad litus Angliæ Occidentale rupibus maritimis adnascentem invenimus: *D. Newton* in puteo quodam Camaloduni in Essexia observavit.

Plantula palmaris aut sesquipalmaris est, ramosa; ramuli & pinnulæ non ex adverso sed alternatim oriuntur; pinnulæ obtusæ, latiusculæ, per extremum crenatæ. Intensiùs viret hæc species quàm pleræque aliæ Filices. Pediculi & costæ foliorum mediæ in sicca rubere videntur.

Cap. VII.

A. *Filix ramosa minor* J. B. *saxatilis ramosa nigris maculis punctata* C. B. *pumila saxatilis prima Clusii* Park. *Dryopteris Tragi* Ger. emac. **The lesser branched Fern.**

J. B.

PArietinas & rudera sequitur, radicem habens Labyrintheo contextu multipliciter implexam, Polypodii radicibus tenuiorem, repentem, & in obliquum se spargentem, nigram, raris fibris tenuibus & duris capillatam (inquit Clusius) sapore cum levi dulcedine insigniter acerbo. Cauliculi multi, tenues, ex viridi fusci, palmares & dodrantales, longiorésque ramosi Filicis

Eadem in vino decocta, & per aliquot dies pota laborantes Lienis excremento recreat; Gravidis autem infensa censetur, ut quæ abortum faciat. *E Veteribus.*

Ad ambusta omnia vel igne, vel fervidâ aquâ, aut oleo, mirificè conducit radicis succus, vel recentis tusæ, vel exsiccatæ, affusâ aquâ rosaceâ, vel aquâ è fimo vaccino, vel florum Tiliæ, vel harum defectu fontanâ communi: tunc enim succus lentus seu mucilaginosus exprimitur qui iis medebitur, ubi reliqua medicamenta auxilium negaverint. *Trag. S. Paulus.*

Aremoricos & Neustriorum ultimos, qui vastas sylvas colunt in frugum inopia è radice Filicis panem conficere notum est ex Dalechampii relatione, ejusdémque cineribus nitri loco injectis saxa liquare, & vitrea vasa fingere colore viridi & subobscuro.

Filicis fœminæ varietas. Hujus speciei varietatis cujusdam meminit *J. Bauhinus*, titulo *Filicis majoris mollis ramosæ*, cujus segmenta singularia paulò videntur latiora brevioráque quàm illius [superiùs proximè descriptæ] nec ut illi dura sed mollia nec subtus incana.

Circa Tigurum Helvetiorum se collegisse putat Autor, meminítque (inquit) ejus Gesnerus in *App. Hort.* nomine *Filicis maris mollioris.*

Plinius Filicem biennio mori scribit si frondem agere non patiaris: Id efficacissimè contingere germinantis ramis baculo decussis, quod & experientia hodierna confirmat, quamvis rationem quam addit Plinius ingeniosè sane excogitatam si experientia confirmaret, non probem, nimirum quòd succus ex ipsa defluens radices necet.

Præterea famam esse ait & circa Solstitium avulsas non renasci, quod aliis experiendum proponimus.

CAP. II.

A. *Filix mas ramosa pinnulis dentatis* Ger. emac. **Great branched Fern with indented leaves.**

FIbris plurimis, capillaribus, nigricantibus, ex infimis caulibus (seu veriùs foliorum pediculis) qui in unum veluti corpus radicis coalescunt, enascentibus *radicatur*. Primo vere foliorum asparagos convolutos paulatim sese explicare incipientes cernas, squamis ferrugineis propè terram obtectos, arctè invicem junctos. Planta junior pauciora habet folia, adultior & annosior plura ad decem aut duodecim. *Folium* autem unumquodque ab ima parte propè locum sui cum sociis coalitûs, quamprimum se prodit, antequam longitudinem digitalem assecutum fuerit, fibris ejusmodi nigris demissis alimentum attrahit. Folia jam extensa trifariam dividuntur, Filicis fœminæ vulgò dictæ in modum, nimirum in scapum seu pediculum costámve mediam, ramos laterales primarios, & surculos seu ramulos secundarios, quibus utrinque pinnulæ seu folia adnascuntur. Scapus folii dictus in planta nobis descripta (quæ è maximis erat) quatuor minimùm pedes longitudine æquabat. [Sunt autem aliàs folia unius, duorum, triúmve pedum] squamis illis seu Musco ferrugineo obductus, præcipuè radicem versùs, firmus, anticâ seu adversa parte planus, posticâ subrotundus, ab imo ad viginti circiter unciarum spatium nudus, deinde ramosus ramis in universum circiter viginti ex utrolibet latere egressis. Rami tertii à radice paris, qui omnium longissimi erant, novem uncias extendebantur, reliquis ordine brevioribus ad summos usque. Radici propiores bini plurimùm oppositi cauli adnascebantur, quo ab ea remotiores eò magis ab oppositione aberrabant. Surculi seu nervi pinnulas sustinentes in ramis lateralibus duorum erant digitorum cum quadrante longissimi, deinceps sensim breviores ad extremos usque ramulos, (qui in folia tandem facessebant) in ramis longissimis numero circiter viginti ad alterutrum scapi latus. Pinnulæ seu folia maximam partem bina adversa in surculis oriuntur, ad octo aut novem paria in singulis, súntque per oras altiùs incisa, segmentis in acutos mucrones desinentibus, supina parte obscuriùs viridia, pronâ pallidiora, punctis squamosis ferrugineis duplici ordine adnascentibus. Folia totalia (si ità loqui liceat) cùm plenè extensa & perfecta sunt, in eorum medio ad radicem rudimenta foliorum vere sequenti explicandorum jam tum formata, conglobata seu convoluta & squamis obducta apparent.

Folia in hac planta nonnulla per totam hyemem virorem suum retinent, locis præsertim calidioribus, quæ tandem novis subnascentibus sequenti æstate marcescunt.

Locus. In umbrosis, sabulosis præsertim aut petræis, ubi aquæ scaturiunt, quin & in paludosis ad stipites Quercuum putridorum cum *D. Goodyero* eam sæpiùs invenimus, non in Sussexia tantùm (quamvis ibi plurimam) sed & in multis aliis Angliæ locis.

Prolixam descriptionem *D. Goodyeri* non piguit Latinam facere, & è Gerardo emaculato huc transcribere, quoniam nescimus an à quoquam præterea descripta fuerit hæc species; planta autem ipsa ad manum non sit.

CAP. III.

* *Filix tenuissimè secta ex monte Balon.* J.B.

J. B.

FOlia cubitorum aliquot, ferrugineo musco obsessis pediculis; in *ramos* particulares divisa, non planè ex adverso respondentes, palmares & sesquipalmares, quorum unusquisque *cristas* habet, alternatim positas, semunciales & duarum unciarum, in segmenta exigua per extremam oram crenata subdivisas.

Hanc

Hanc invenimus in Vogesi montis parte *Balon*, quam ex fodinis argenti dictis *Gerardmegni* conscendimus mense Augusto.

Cap. IV.

* *Filix Rhætica tenuissimè dentata* J. B.

J. B.

AD Filicem tenuifoliam profundè dissectam accedit; verùm cristæ, quarum alternatus ortus in singulares denuo cristulas dividuntur, unciales, paulóve altiores aut longiores, tenues admodum, crebróque & profundè dissectas, longè inter se distantes, aversa parte punctatas, ut aliæ Filices.

Similis est Adiantho folio Filicis, sed differt non solùm in eo quòd major est Adiantho, sed præterea quòd pediculi Adiantho ad radicem rubeant, quódque segmenta sunt quoque diversa.

Reperi in Rhætia primò, deinde in monte *Rosberg* propè *Masemunster*.

Cap. V.

A. *Filix florida sive Osmunda regalis* Ger. *Osmunda regalis sive Filix florida* Park. *Filix floribus insignis* J. B. *Filix ramosa non dentata florida* C. B. **Flowring Fern or Osmund royal.**

J. B.

EX uno perplexarum *radicum*, longarum, nigricantium cespite *caules* attollit bicubitales & altiores, virides, glabros, striatos, ramis patulos. Hinc inde alæ exoriuntur; pinnatis octo novémve conjugationibus *foliorum*, impari una alam claudente, constantes. Singularia autem folia omnia sursum spectant, trium quatuórve unciarum longitudine, semunciam lata, ex principio latiore sensim extenuata, in obtusum mucronem desinentia, à nervo per longitudinem decurrente exporrectis in margines, (qui integri sunt nec crenis secti) infinitis obliquè venulis. Caulis scapus in surculos aliquot divisus, racemulos unciales in singulis surculis multos sustinet, seminibus multis confertissimos.

Locus. Nascitur locis riguis ac palustribus putridis, in humidis quoque sylvis, in multis Angliæ provinciis. In insula Mona in clivis maritimis & rupium interveniis udis copiosam observavimus.

Flores Herbariis dicti nobis nihil aliud esse videntur quàm folia ob semina adnascentia non explicata, sed ad margines reflexa.

Vires. Hujus radicem ad Hernias & ulcera exploratissimi commodi esse scribit Lobelius, quinetiam colicis & spleneticis plurimùm conferre; nonnihil calidam esse & acrem, odoris non ingrati.

Pars illa radicis media subcandida efficacissimam putatur non modò vulneratis, sed & cæsis, ruptis, ex alto deturbatis decocta vel etiam tusa & cum aliquo liquore sumpta. *Dod.*

Rachitidi morbo dicto remedium præstantissimum & quasi proprium & specificum censetur hujus radix, cui percurandæ vel sola sufficiat. In Rachitide uti soleo conservâ Asparagorum seu germinum teneriorum hujus & Filicis maris, vel etiam Asplenii & Phyllitidis, prospero successu. *D. Bowles.*

Cap. VI.

A. *Filix saxatilis ramosa maritima nostras.*

HUnc ad litus Angliæ Occidentale rupibus maritimis adnascentem invenimus: *D. Newton* in puteo quodam Camaloduni in Essexia observavit.

Plantula palmaris aut sesquipalmaris est, ramosa; ramuli & pinnulæ non ex adverso sed alternatim oriuntur; pinnulæ obtusæ, latiusculæ, per extremum crenatæ. Intensiùs viret hæc species quàm pleræque aliæ Filices. Pediculi & costæ foliorum mediæ in sicca rubere videntur.

Cap. VII.

A. *Filix ramosa minor* J. B. *saxatilis ramosa nigris maculis punctata* C. B. *pumila saxatilis prima Clusii* Park. *Dryopteris Tragi* Ger. emac. **The lesser branched Fern.**

J. B.

PArietinas & rudera sequitur, radicem habens Labyrintheo contextu multipliciter implexam, Polypodii radicibus tenuiorem, repentem, & in obliquum se spargentem, nigram, raris fibris tenuibus & duris capillatam (inquit Clusius) sapore cum levi dulcedine insigniter acerbo. Cauliculi multi, tenues, ex viridi fusci, palmares & dodrantales, longioresque ramosi Filicis fœminæ

fœminæ vulgò dictæ instar (cui tamen magnitudine plurimùm cedit) quibus pinnatim annexa folia Filicea, crenulis denticulata, subinde aversa parte pulverulentis tuberculis aspersa.

In opacis ad latera montium observavimus sæpiùs tum in Anglia, tum in regionibus transmarinis; in Anglia propè Abbatiam Tinternensem in agro Monmuthensi, inque Westmorlandia plurimam variis in locis: in transmarinis circa *Franchimont* castellum in agro Leodiensi non procul à Spada urbecula Acidulis celebri; in sylvosis ad latera montis Salevæ propè Genevam, & alibi.

CAP. VIII.

De Adiantho.

ADiantum Ἀδίαντον Græcis dicitur ὅτι ὁ διαίνεται, i. e. in aquis non madescat, ob siccitatem scilicet superficiei, quæ aquæ contraria est, & eam solet repellere, quemadmodum in pulvere & pennis, & aliis siccis & lævibus contingit, in quibus non consistit aqua, sed aut elabitur, aut in guttulas rotundatur. *Plin.* lib. 22. c. 21. *Aliud Adianto miraculum, aquas respuit, perfusum mersúmve sicco simile est, tanta Dissociatio deprehenditur, unde & nomen à Græcis.* Non quod nunquam omnino madescat, quasi longiore mora in aqua submersum non æquè ac aliæ plantæ irrigetur, sed quòd imbris è cœlo decidentis stillicidia foliis ejus non insideant, ut Nicander, ob siccitatem scilicet & lævorem superficiei. Alii ἀπὸ τὸ διαίνειν marcescere & ἀ privativa dictum censent, quia non ut reliquæ herbæ illico decerptum marcescit. Polytrichum dicitur quòd capillos multos & densos faciat, eorúmque defluvia expleat.

A. 1. *Adiantum album folio Filicis* J. B. *Filix saxatilis caule tenui, fragili nobis dici solita.* **Stone-Fern with a slender brittle stalk.**

J. B.

Radice transversâ, satis crassa in parietum rimas & saxorum interstitia se insinuat, fibris nigricantibus demissis, sapore cum majore adstrictione subdulci, herbaceo Polypodii colore. *Cauliculi*, vel potiùs foliorum pediculi, dodrantales aut pedales, tenues, fragiles, viridantes nigricantésve inferna parte. *Ramuli* aliàs bini oppositi, aliàs alternatim adnati, ad duodecim aut quatuordecim paria, extremo scapo in folium abeunte, ut in aliis omnibus Filicis speciebus, longissimi duas trésve uncias æquantes, pinnulis alternatim adnatis, oblongis, altiùs incisis, ut è pluribus compositæ videantur, unde hæc planta ambigere videtur inter ramosas & surculosas seu bis & semel subdivisas. *Folia* mollia sunt & tenera, facilè marcescentia, minutis denticulis incisa, aversa parte atomis virentibus, tandem ferrugineis extantibus aspersa; sapore citra evidentem adstrictionem dulci, tam evanido ut pæne fatuum dicas cum viscido lentore, inquit *J. Bauhinus.*

Filicem nostram saxatilem caule tenui fragili eandem specie plantam esse cum Adiantho albo Filicis folio *J. B.* minimè dubito, ideóque ejus descriptionem Filici illi nostræ accommodavi, cui ab aliis Filicum minorum speciebus distinguendæ sequentes notæ sufficiunt. Quòd sit è minoribus in hoc genere, altitudine tamen interdum dodrantali, *caule* tenui, fragili; *foliis* mollibus, teneris & facilè marcescentibus: *pinnulis* oblongis, altiùs incisis, raris.

Locus. In muris antiquis è lapidibus exstructis, inque rupibus & saxorum interstitiis in regionibus montosis, ut v. g. in *Pecco* Derbiensi, Westmorlandia & Occidentali Provinciæ Eboracensis parte frequens occurrit.

A. 2. *Adianthum nigrum Officinarum* J. B. *nigrum vulgare* Park. *foliis longioribus pulverulentis, pediculo nigro* C. B. *Onopteris mas* Ger. **Common black Maiden-hair, or Oak-Fern.**

Radix pro plantæ modo satis crassa, obliquè acta, plurimis fibris nigris terram firmiter apprehendit. *Cauliculi*, seu veriùs foliorum pediculi dodrantem interdum longi, firmiores quam præcedentis, nec adeò fragiles, læves, in nigrore splendentes, quibus in æquali ortu adnectuntur *ramuli*, utrinque pinnati, pinnulis altiùs incisis, & in alias interdum subdivisis, unciali ferè circa principium latitudine, sensim in tenuem mucronem desinentibus, circum oras crenatis, altiùs quàm in Ruta muraria, lineolis pulverulentis aversâ parte de Filicum more distinctis.

Folia huic plantæ firmiora & densiora sunt quàm præcedenti, adeóque Rutæ murariæ similiora, glabra & splendentia.

Locus. In opacis ad radices arborum & fruticum, inque aggeribus umbrosis & muris antiquis passim provenit tum in Anglia, tum in exteris regionibus.

Dryopteris alba *Park.* alba Dodonæi *Ger. emac.* cùm à præcedente solo foliorum & pediculorum colore dilutiore differat, distincta species censenda non est, cùm hæc accidentia ætati aut loco natali deberi verisimile sit.

Adianthum nigrum pulcherrimum Lugdunensi simile *Thal.* nos cum *C. Bauhino* huic specie idem esse censemus.

Viribus cum reliquis hujus generis convenit.

A. 3. *Adiantum album floridum seu Filicula petræa crispa.* **Small flowring Rock-Fern.** *An Adiantum album petræum Rutæ murariæ accedens* J. B? *cujus descriptio superius posita est. An Ad. album crispum* Schwenckf? *cujus etiam superius meminimus. An fortè Ad. foliis minutim in oblongum scissis, pediculo viridi* C. B?

Radix ei firmiter in terram depacta plurimis fibris rufescentibus constat, gustui amara. *Folia* ex eadem radice multa, longis pediculis insident, palmaribus scilicet aut semipedalibus, satis firmis, glabris, virentibus, ipsa quoque obscuriùs virentia quàm reliquarum hujus generis, ramosa & variè divisa, Adianti albi folia magnitudine & divisurâ suâ nonnihil referentia, majora utcunque atque profundiùs & argutiùs secta. Sunt autem duûm generum, alia segmentis seu pinnulis latioribus constant, súntque tenuiter incisa & Coriandri seu Petroselini crispi folia quadantenus referunt; alia segmentis longis, angustis, ad margines undique reflexis & flores dictos Osmundæ regalis referentibus. Sapor foliorum acris & calidus.

Locus. Rara hæc & perelegans planta in agro Westmorlandico propè *Orton* vicum & alibi, ad macerias & muros antiquos è lapidibus nulla calce commissis extructos, quibus eò loci agros disterminant, copiosè provenit. Invenimus etiam in arduis & excelsis montis *Snowdon* rupibus, in Cambria Septentrionali.

Cap. IX.

* *Filix scandens exotica anomala. Filix scandens perpulchra Brasiliana* Breynii. *Filicis an species* Marggravio.

Breyn.

PAlmam sanè inter Filices jure meritóque obtinet Brasiliana hæc elegantissima, quæ vicinis fruticibus aliisque rebus advolvitur, & ab imis ad summa repit, sarmentorum ope rigidiusculorum, splendentium, è viridi spadiceorum, ex quibus per intervalla palmaria longioráve noduli contrariis semper inter se brevissimis nascentes pediculis generantur, hirsuti, quorum singuli utrinque costam, ejusdem quo sarmenta coloris, proferunt, hirsutam, palmarem & sesquipalmarem, foliolis viridantibus, elegantissimis, alterno positu alatam, tandémque in longum desinentem. Quodlibet verò foliolorum aliquo modo *Convolvuli folio Althææ* foliis conveniens, parvo hirsutóque pediculo innititur, in tres plerunque divisum lacinias: utpote in duas breviores obtusas, denticulis quatuor, quinque, vel sex, longis radiatas, unámque longam, nonnunquam sescuncialem, (è medio brevium exorientem) denticulis utrinque instar Pristis rostri ab imo ultra medium, atque inde usque ad extremum cacumen crenis subtilissimis præditam. Denticuli dicti omnes angusti sunt, Coryli nucamentorum figurâ, in superiore latere squamulis crispis arctissimè atque curiosè vestiti subtilissimis ferruginei coloris, inter quas granula orbicularia * *Selaginis primæ* Thalii magnitudine & figurâ occultantur.

* *Musci clavati cupressiformis.*

HISTO-

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER QUARTUS.

QUI EST

De Herbis flore imperfecto, seu apetalo stamineove.



FLOREM imperfectum voco quicunque foliis illis tenellis, fugacibus, coloratis caret quæ nos petala dicimus, adeóque solo calyce & staminibus componitur. Sub staminibus etiam stylum comprehendimus, quo paucissimi flores carent.

Notandum tamen calyces seu perianthia in nonnullis plantis, ut v. g. *Fegopyro, Potamogitone angustifolio, & Bistorta*, tum colore tum consistentiâ tenella florum petala proximâ similitudine referre. Distinguuntur quòd non defluant aut marcescant antequam semina maturitatem consequantur; verùm ipsis pro vasculis inserviant.

Librum hunc in tres Sectiones partiemur.

Prima erit de iis quorum fructus floribus contigui non sunt, sed vel totis plantis dirempti, in Sexu distinctis: vel in eadem planta paululum remoti seu sejuncti, ut in *Ricino, &c.*

Secunda de herbis semine triquetro donatis.

Tertia de reliquis quæ semine sunt rotundo, aut paululum compresso, aliúsve cujuscunque figuræ præter triquetrum.

Herbæ flore imperfecto, seu stamineo, petalis carente sunt vel fructu

- *A flore totâ plantâ dirempto*; quæ sexu distinctæ habentur, quia ab eodem semine ortæ aliæ florem absque fructu, aliæ fructum absque flore producunt. Hæ aut sunt vel
  - *Scandentes*, fructibus squamosis, in racemos congestis, quorum usus est ad condiendam cerevisiam nè citò acescat: LUPULUS.
  - *Erectæ*, quæ vel sunt folio
    - *Composito digitato*, è cujus corticibus linteamina fiunt; CANNABIS.
    - *Simplici*; seminibus
      - *Solitariis*; plantâ totâ
        - *Spinulis urentibus obsitâ*; foliis in caule binis ex adverso sitis: URTICA.
        - *Glabrâ & innoxia*, foliis singulatim alterno ordine positis, seminibus in nonnullis plantis muricatis: SPINACHIA.
      - *Binis cohærentibus*, testiculorum ferè in modum, vasculis inclusis, foliis in caulibus adversis; radice
        - *Perenni reptante*: CYNOCRAMBE.
        - *Annuâ*, foliis
          - *Glabris*: MERCURIALIS.
          - *Hirsutis*: PHYLLON.
- *In eadem planta à flore aliquantulum remoto*, fructu echinato aut aspero.
  - *Monospermo*, foliis laciniatis Absynthii: AMBROSIA.
  - *Bina intus semina claudente*, foliis subrotundis Bardanæ: *Xanthium Arctium, Bardana minor.*
  - *Tricocco, verrucoso*,
    - *Elatior & arborescens*, foliis laciniatis, fructu Ricino animalculo simili: *Ricinus, Palma Christi.*
    - *Pumila*, foliis & facie Heliotropii: HELIOTROPIUM TRICOCCON.
- *Flori contiguo seu cohærente*, Hæc vel sunt semine

Triquetro, eóque vel
Lucido seu *splendente* ac si politum esset; lateribus atque etiam angulis
Æqualibus, floribus seu florum calycibus
Hexaphyllis, quorum tria conniventia semen, ceu vasculum quoddam, amplectuntur & occultant, interdum etiam arctè adhærentia; foliis mollibus aut lævibus, radice lutea aut rubente: LAPATHUM. Hujus species illa quæ acido est sapore OXALIS seu *Acetosa* dicitur; quæ radice purgatrice, RHABARBARUM.
Pentaphyllis, floribus in summis caulibus & ramulis, in spicas congestis, radice intorta astringente: BISTORTA.
Inæqualibus, angulo duobus minoribus lateribus comprehenso valdè obtuso, reliquis duobus majori lateri adjacentibus non minùs acutis, foliis Persicæ, flosculis quadrifoliis, in spicas congestis; PERSICARIA, quæ vel Acris folio emaculato; *Hydropiper*; vel Mitis folio maculoso;
Sordidiore & non *splendente*
Major & *elatior*, floribus hexaphyllis, foliis amplis, liratim striatis facultate sternutatoria & emetica vehementi: HELLEBORUS ALBUS.
Minores, floribus pentaphyllis
In spicis è foliorum alis egressis, foliis triangulis
Erecta, floribus speciosis, semine esculento: FEGOPYRUM, *Erysimum Circale*.
Scandens, floribus minoribus, fructu non esculento, CONVOLVULUS NIGER.
In foliorum sinubus, cauliculis crebris geniculis interceptis, foliis parvis angustis: POLYGONUM.

Rotundo aut *paululum compresso*, aliúsve cujuscunque figuræ præter triquetrum. Hæ vel sunt flore florísve calyce
Sedi seu basi seminis fructúsve cohærente, semine vel
Nudo, nullo scilicet præter calycem vasculo seu tegmine clauso vel excepto;
Tetrasperma, aquaticæ, flosculis in spicas dispositis: POTAMOGITON.
Monosperma, calyce interdum arctè connivente & semen amplectente, interdum aperto, semen visui exponente: BLITUM SYLVESTRE; cujus species illa quæ folio est quernum æmulante odorata BOTRYS dicitur, quæ in maritimis oritur foliis Vermiculata KALI MINUS ALBUM; reliquæ pleræque Atriplicum nomine censentur.
Flosculo à perianthio distincto incluso, herba in parietinis & ruderibus nascente: PARIETARIA.
Vasculo à flore distincto protecto, eóque vel
Bivalvi, è duabus laminis ceu valvulis conniventibus tantùm, non cohærentibus composito; ATRIPLEX.
Subrotundo, membranaceo, undique clauso, quod per maturitatem horizontaliter rumpitur, foliis ad margines æqualibus, oblongis; seminibus in singulis vasculis
Singulis, spicis minùs pulchris: BLITUM SATIVUM.
Pluribus, spicis sericeis, colorísque gratiam diu retinentibus siccatis: AMARANTUS HOLOSERICEUS.
Cordato, flore flavo, foliis crenatis subrotundis, in aquosis nascens: SAXIFRAGA AUREA.
Summo semini aut fructui innascente, eíque vel
Vasculo incluso
Verrucoso, osseo, in spicis prælongis angustis, folio lato, glabro, radice esculenta: BETA.
Molliore & membranaceo, nullis verruculis scabro,
In terna loculamenta diviso, foliis rotundis crassis, duris Hederæ, facultate cathartica valida: ASARUM.
Simplici, nec diviso in cellulas, striato, flosculis & seminibus
In summis caulibus & ramulis, foliis subrotundis, eleganter crenatis: ALCHIMILLA.
Ad latera caulium è foliorum alis exeuntibus: PERCEPIERRE.
Nudo, foliis angustis Caryophylli aut Graminis: KNAWELL.

Præter herbas hac Tabulâ comprehensas alias adhuc aliquammultas flore imperfecto seu apetalo huic Sectioni addidimus, quarum quoniam flores & semina, eorúmque situs, figura aliaque accidentia nobis nondum probè observata & perspecta sunt locum iis suum & proprium in Tabula assignare non potuimus.

Eæ sunt Kali geniculatum cujus ramulorum compages constat ex frequentibus squamulis pulposis, sub quibus instar Lentis semina concipiuntur, quæ decidunt arescentibus squamulis in hyeme, ut observavit Cæsalpinus.

Kali semine cochleato spinosum & non spinosum, quod genere differt à Kali geniculato.

Sedum fruticosum seu Vermicularis frutex, qui quibusdam species Kali habetur.

Scoparia seu *Belvedere* Italorum.

Campho-

Camphorata & Camphoratæ congener.

Herbæ nonnullæ minimæ Polygoni & Anthyllidis nominibus Botanicis insignitæ, quarum flores & semina adeò exigua sunt, ut eorum partes & figuræ, reliquæque proprietates & accidentia nudo oculo vix discernenda sunt.

N. Præter herbas hac Tabulâ comprehensas dantur etiam aliæ in aliis generibus sexu differentes, ut Sesamoides parvum *Clus.* aliæ quoque quarum fructus à floribus remoti sunt, ut v. g. Frumentum Indicum *Maiz* dictum, Lachryma Jobi, Sparganium, &c.

N. Plantæ semine triquetro aliter & fortasse commodiùs distingui possunt florum respectu in eas quæ sunt floribus

- *Hexaphyllis* ut Helleborus albus & Lapathum.
- *Pentaphyllis*,
  - *Speciosis*, spicatim dispositis
    - *In summis caulibus*: BISTORTA.
    - *In spicis è foliorum alis egressis*: FEGOPYRUM.
  - *Minùs pulchris*, ut in Convolvulo nigro & Polygono.
- *Tetraphyllis*, in Persicaria.

SECTIO PRIMA.

De Herbis quarum fructus floribus contigui non sunt.

PARS PRIMA.

De Herbis quarum fructus à floribus totis plantis distant, seu de Sexu distinctis.

PLANTÆ hac Sectione comprehensæ, si sexu reverà non differant, prout nos opinamur, umbram saltem aut similitudinem quandam sexûs obtinent, cùm in eadem specie nonnullæ naturâ steriles sint, & seminis infœcundæ; aliæ fertiles & semine prægnantes. Has nonnulli mares vocant, illas fœminas: alii rectiùs illas mares faciunt, has fœminas. Semina enim plantarum Animalium ovis respondent, quæ fœminæ pariunt, non mares. *C. Bauhinus* quas nos sexu tantùm diversas statuimus, specie distinctas facit: minùs rectè; cùm ex ejusdem plantæ semine utræque oriantur: æquo enim jure Virum & Fœminam species hominis distinctas facere potuisset.

CAPUT PRIMUM.

A. *De Lupulo Salictario.*

LUpulum à Plinio *l.21.c.15.* Lupum salictarium nominatum volunt. Lupulus cur dictus sit me latet, Salictarius autem dicitur quia subit scanditque Salices & arbusta omnia circumvolvendo: A salicibus autem potiùs quàm ab aliis arboribus denominationem sumpsisse nobis videtur, quia locis humentibus & ad fluviorum ripas, ubi & Salices, nasci amat. Lobelius Salictarium dictum existimat, quia fulcra quæ scandit ut plurimum Saligna sunt. Mesue *Volubilis folio aspero* dicitur. Cæterùm notæ Lupuli characteristicæ quibus à reliquis hujus generis distinguitur sunt, Caules volubiles: Fructus squamosi in racemis laxis; quibus incoctis efficitur ut Cerevisia ætatem ferat incorrupta, nec citò in vappam aut acetum degeneret.

Lupulus mas & fœmina J. B. I, *seu mas* & II, *seu fœmina* C.B. 1. *sive sativus* & 2. *sive sylvestris* Park. *nec enim aliter differunt quàm magnitudine & exilitate aliisque accidentibus à cultura ortis. Lupus salictarius* Ger. **Hops, the Male and Female.**

J. B.

Anadendras Lupulus, per se infirmus, facilè redicis & proxima adminicula, quæ apprehendit, conscendit; non ille quidem capreolorum, quos nullos habet, ope, sed tortilibus asperis, angulosis, purpurascentibus & concavis *sarmentis*, tenaci pedamentorum complexu, in altum subnitens, cæteroqui humo se tollere vix potis. *Folia* è geniculis bina adversa, pediculis palmaribus, asperis, & interdum rubentibus adnexa, modò Mori folia imitata, integra in mucronem abeunt, plerunque trifariam

trifariam aut quinquefariam divisa, totidem mucrones ostentantia, tum hic, tum illic per ambitum serrata. *Flores* in mare dicto è foliorum alis racemosi, cannabacei, colore herbido pallescentes, sex foliolis & totidem *staminibus* componuntur, nullo sequente fructu evanescentes. *Fructus* in fœmina strobilorum instar, squamis compactiles, verùm membranaceis & laxis, colore pallido seu ex viridi luteo, *semen* continent ruffum, amarum.

Locus. In sepibus passim abundat, & ad dumeta & margines pratorum humentium luxuriat. Lupuli tam in Anglia, quàm in Germania Vitium instar, in lupuletis seruntur & coluntur, magnâ curâ, nec minore impensâ, depactis prælongis perticis, quas sarmenta conscendunt atque etiam superant. Solo gaudent humidiore, lætiore & pinguiore, benè stercorato. Tota planta culta lætior multò evadit, florum thyrsis foliaceis & squamosis grandioribus, semine etiam paulò majore. Vindemiæ tempore uvæ decerpuntur, in furno ad id præparato exiccantur, in saccos deinde congeruntur & venum exponuntur. *Hæc partim ex Adversar. Lobelii, partim ex nostra observatione.*

Vires & usus. Harum usus notissimus est toti orbi, ad condiendam nimirum Cerevisiam nè citò acescat aut corrumpatur, sed in longum tempus asservetur: quod præstant mediante insigni amarore quem ei communicant, quid tamen ætate paulatim evanescit, Cerevisia interim vinosum saporem vetustate contrahente. Quinimo Lupulus incoctus Cerevisiam salubriorem reddere existimatur & sapidiorem; diureticam quoque & emmenagogam vim eidem communicare, sanguinem purgare, ictero & hypochondriacis affectibus utilis esse. An verò calculo renum & vesicæ atterendo & expellendo conducat, an è contra ad ejus generationem & coagulationem faciat, à nonnullis ambigitur. Qui adversùs calculum eum commendant eo argumento nituntur, quòd calidus sit & diureticus.

Qui usum ejus in calculo damnant, sententiam suam valido sanè tibicine experientiâ suffulciunt, quâ teste Cerevisiæ lupulatæ (quam nos *Bieram* vocamus) usu calculosorum paroxysmi exacerbantur; qui è contra Alæ (sic dicimus Cerevisiam cui Lupulus non fuerit incoctus) potu leniuntur & mitigantur: præterea ex quo Lupuli in Cerevisia usus in Angliam introductus sit, calculum apud nos epidemicum factum esse, multóque plures quàm olim infestâsse clamitant. Nos iis potiùs assentimur, qui usum ejus in Cerevisia probant & commendant. Salubrior enim inde nobis videtur, & ventriculo gratior, & cibo concoquendo utilior. Nec obstat quòd Cerevisiæ lupulatæ potus calculosis à medicis interdicatur, Alæ præscribatur: illud enim fit ad leniendos paroxysmos; cui usui Ala ob lenitatem & lubricitatem seu lævorem suum conducit, non ad morbum eradicandum, ejúsve causam tollendam; cùm Ala ob lentorem & viscididatem suam, utque Tartari aut fæcum copiam quam deponit, calculo generando potiùs & coagulando quàm dissolvendo & comminuendo apta nata videatur. Falluntur autem qui calculum epidemicum factum, ex quo Lupuli in cerevisiâ usus introductus sit, existimant. Nam quamvis Lupulus frequentioris hodie usûs sit in urbe Londino quàm unquam antehac fuerit, pauciores tamen inibi nunc dierum quàm superiore seculo calculo laborant, ut ex accuratis *D. Graunt* Observationibus patet. Quod ad calculum attinet, putamus liquores illos qui Tartarum copiosum continent & præcipitant, generationem ejus in corpore humano promovere; unde & aquæ potores à morbo illo immunes futuros arbitramur; qui autem vino indulgent, & merum assiduè bibunt, persæpe calculo aut podagrâ vexantur: quorum morborum eadem causa, eadem materia esse videtur, ideòque non rarò in se mutuò transmutantur. Observatum quoque est, longè plures in Gallia, ubi vinum quotidianus potus est, calculosos fieri, quàm in Anglia ubi Cerevisiâ pro potu ordinario utimur. Vinum autem Gallicum copiosum Tartarum præcipitare notissimum est. Verùm enimvero cùm ingeniosissimus Vir D. *Fredericus Slare* receptam illam opinionem, quòd scilicet Tartarum calculi materia sit, experientiâ planè refutavit, quamvis verum sit meri bibulos calculo obnoxios esse, & vinum etiam Tartaro abundare, non tamen idcirco calculum generat, quòd Tartarum copiosum deponat, sed ob aliam aliquam nondum exploratam rationem. Deinde ad calculum præcavendum conducere opinamur, ut renes & ureteres copioso sero seu urinâ subinde inundentur & proluantur, ità enim & meatus omnes urinarii dilatantur, & arenulæ unà eluuntur. Hinc qui se plusculum invitant, & strenuè bibunt rarissimè calculo infestantur: Diuretica quoque si effectum suum sortiantur, & urinam copiosam cieant, calculi materiam in renibus residem auferunt, ejúsque concretioni antevertunt.

Turiones Lupuli velut & Asparagi vulgaris verno tempore coquuntur, cúmque butyro aut oleo communi, aceti tantillo & sale mensis adhibentur. Eorum esu sanguis purgatur, scabies præcavetur, alvus solvitur, epar & lien obstructionibus liberantur.

℞. Salis nigri, Lupulorum recentium ana manipulos duos, Uvarum Corinthiacarum cœrul. ℔ ß. Probè contusa, mixta, & in massam fragilem redacta carpis applicentur pro epithemate ad Febrem quotidianam fugandam. D. *Boyl. de Utilit. Philosoph. nat.*

Lupulus scandendo perticas motum Solis observat, h. e. à dextra ad sinistram, seu ab Oriente per Meridiem versùs Occidentem flectitur, nunquam in contrariam partem, licèt ipse manu volvendo & dirigendo ut eò tendat afficere coneris. Idem & aliis omnibus Convolvulis ab hac parte Æquatoris nascentibus commune esse aliquando existimavimus. Nunc tamen experientiâ contrarium edocti sumus, alii enim à dextra sinistram versùs flectuntur cum Lupulo, ut v. g. *Brionia nigra, Convolvulus niger, & Periclymenum*; alii à sinistra versùs dextram, ut *Phaseolus, Cuscuta, Convolvulus major & minor*; alii nunc in hanc, nunc in illam partem, ut *Dulcamara*. Sunt ergo qui Solem sequuntur; sunt etiam qui refugiunt; sunt denique qui ambigunt.

Idem & Cochleis terrestribus accidere, ut id obiter notemus, observavit ingeniosissimus Vir & singularis Amicus noster D. *Martinus Lister*; quarum quamvis maxima pars à sinistra dextram versùs circumactis orbibus intorqueatur, nonnullæ tamen (minores hæ sunt & acutiori vertice) spiris in lævam tendentibus fastigiantur.

Cæterùm non omittenda sunt quæ Clusius habet de Lupuli radicum apud Salmanticenses usu.

Vulgus (inquit) & Vetulæ Salmanticenses medicinam empiricam factitare solitæ ad curandam alopeciam à Venerea lue natam hac ratione lupulo utebantur. Ejus radices pondere libræ unius probè lotas & à sordibus repurgatas per noctem in aquæ libris octo macerabant: postridie in illa

P ipsa

ipsa aqua lento igne & fumi experte ad tertiæ partis consumptionem coquebant, vel etiam ad mediam partem, si vehemens esset Alopecia. Decoctionem servabant in usum. Ejus ℥viii. manè ægris jejunis propinabant, deinde stragulis injectis sudorem provocabant. Addebant interdum Apii sive Selini hort. duas aut tres uncias, & graminis aliquot radices, & nonnunquam etiam passas uvas à gigartis mundatas.

CAP. II.

De Cannabe.

CAnnabis nonnullis à *Canna* nomen habere putatur [est autem Canna, ut Calamo major, ità Arundine minor] Cannabis enim propter Cannam seu Culmum præcipuè expetitur. Sunt autem Græcis Κάναβοι fonticuli spurcæque scaturigines, quibus locis cùm Cannabis sponte & sata luxuriet, videtur Lobelio id nominis indepta. Cannabis notæ characteristicæ sunt Folia digitata; corticum filamenta valida & tenacia, ad funes & linteamina texenda idonea.

A. 1. *Cannabis sativa* C. B. *mas & fœmina* J. B. *sativa mas & fœmina* Park. 1. *seu mas & 2. seu fœmina* Ger. emac. **Hemp the male and female, or Winter and Summer-Hemp.**

Radix ei simplex, alba, lignosa, fibris aliquot donata: *caulis* quadratus, hirsutus & ad tactum asper, intus concavus, singularis, homine altior, licet (inquit J. Bauhinus) fœmina mari altitudine cedat, cortice in fila ductili.

Folia contrariis inter se pediculis bina, in quatuor, quinque, aut plura segmenta ad pediculum usque dividuntur, venosa, atro-virentia, aspera, serrata, odore caput tentante. *Flores* in mare sive sterili ex alis foliorum exeunt in quatuor surculis seu racemulis se decussantibus, Crucis S. Andreæ dictæ in modum, ut in Urtica; quinque foliolis compositi, exteriùs purpurantibus, albentibus interiùs, cum totidem in medio *apicibus* subluteis. Fœmina seu fertilis nullo præeunte flore *semen* copiosum fert, secundùm caules confertum, majusculum, subrotundum, nonnihil compressum, glabrum.

Locus. Locum natalem ubi sponte suâ oritur nondum novimus; verùm in omnibus ferè regionibus in agris seritur. Amat solum pingue, stercoratumque & riguum, ut rectè Columella. Commodum solum nacta adeò luxuriat, ut herbas omnes, tam noxias quàm utiles, suffocet, nec enasci, nedum adolescere permittat, adeò terram totam occupat & inumbrat.

Vires & Usus. Semen Cannabis lacte decoctum tussi opitulari dicitur. Sunt qui eo frixo cum aliis tragematis utuntur. Tragemata autem voco ea quibus post cœnam voluptatis inter bibendum excitandæ gratiâ utuntur. *Galen.* apud *J. B.* In Francia Orientali, referente Trago, aliisque nonnullis regionibus semen Cannabis quotidie inter cæteros cibos decoquitur, non aliter quàm Hordeum: at caput vaporibus replet & immodicè si estur delirium facit, ut Coriandrum. *Sethi.* Quin & F. de le Boe Sylvius à solo Cannabis semine in lacte bubulo pingui ad crepaturam circiter cocto & colato, atque bis terve in die ad ℥v. aut vi. sumpto plures curavit ictericos. *Sylvius de le Boe prax. lib.* 1.

Emulsio seminis Ictero prodesse dicitur, siquando ex sola obstructione & citra febrim exoritur. *Lugd.*

Herbæ succus necnon seminis, è viridi expressus instillatus aurium dolores ab obstructione natos sanare traditur: est insuper hic succus certa pernicies insectis interaneis & vulnerum putridorum alumnis. Hinc (ut tradit Matthiolus) Cannabis recentis decoctum, expressâ validè herbâ, terrestrium lumbricorum cavernulis inspersum statim eos evocat, eodem modo quo foliorum Persicæ aut Juglandium putaminum succamentum decoctúmve.

Semen insuper Gallinas ovorum feraciores reddere experientiâ sese comperisse scribit idem Matthiolus, adeò ut Cannabis semine pastæ, etiam hyeme sæviente, quo tempore aliàs rariùs parere solent, ova frequentiùs multo ponant: Verùm easdem (ut scribit Lobelius) ob alimenti copiam quam suggerit, postea steriles & quasi pinguedinis mole obrutas reddit. Aviculis etiam cibus est ac tantum saginæ adfert (eodem referente) ut aut enecet, aut cantillandi adimat alacritatem aut facultatem, ut *Carduelibus, Rubicillis, Linotis, &c.* Nos quidem comperimus Aviculas canoras non alio semine libentiùs vesci quàm Cannabis, nec si modicè præbeatur, & aliis seminibus, Rapæ v. g. aut Napi permistum, ullum eis damnum aut nocumentum inferre observavimus.

Quòd semen hujus plantæ genituram extinguat, inter Botanicos convenit. Verùm experientia melior magistra concordibus eorum suffragiis refragatur. Persæ enim nunc dierum ad Venerem stimulandam semen Cannabis frixum & cum Sale commixtum in secundis mensis esitant: quin & herbæ nondum plenè maturæ folia, in umbra siccata, & in pulverem redacta, deinde in pilulas ovi Columbini magnitudine formata, ad eundem usum vorare solent, ut refert *Olearius* in *Itinerario.* Chirurgus Ducis Lotharingiæ laudabat unicè D. Heubergero secretum suum ad ambusta, plurimorum salute expertum, oleum expressum ex semine Cannabis in quo Ceræ aliquid dissolutum sit, applicetur: Sedat dolorem & calorem extrahit. Succus ex eo recente expressus aurium doloribus adhibetur apud Dioscoridem. D. Turquetus [i. e. D. Theodorus Mayerne] apud Petrum Asselineum referebat, Elizabetham Angliæ Reginam doctam illam & mira regendi prudentiâ Sexus impotentiam supergressam, contractas Variolarum suppuratione maculas in seipsa delevisse emulsione lactea ex semine Cannabino, separatis corticibus, cum aquâ Rosarum paratâ, & cum Gossipio admotâ. Ex observationibus Henr. Reusneri ab Hieron. Velschio editis. Obs. 88. & 183. excerpsit & ad nos transmisit *D. Barn. Soame.*

Cunctis populis (Lobelio teste) penuriam Lanæ, Lini, Xylique resarcit Cannabis, ad vestium Stragula, Vela, Papyrum, quamlibet denique supellectilem. Mas robustior [hæc nobis fœmina dicitur quia prolifica] rudentibus & capistris torquendis nata habetur, mulierculis adagio jocantibus dicentibúsque esse *Fœminam potiorem mari.*

Lacunis & scrobibus aquâ plenis immerguntur utriusque sexûs fasces & manipuli, ubi macerantur eluuntúrque multùm & diu: deinde siccantur in Sole ut tundantur, ac demum cortices staminei tundendo idonei fiunt ut pectine separentur à crassioribus quisquiliis & fungosâ caulium substantiâ, ut Lino fit, ad filum & telas. Sed lacustris aqua cui intabuerit tantopere viru nocet, ut epota præsentissimo sit sitientibus exitio, cuique antidotis præstantissimis & tempestivè etiam datis occurri vix possit. Hinc legibus Angliæ sub gravi mulcta cautum est, nè Cannabis aut Linum in flumine aliquo aut aqua currente, néve in fonte, stagno, alióve conceptaculo aquarum publico aut communi, ubi pecudum greges & armenta solent adaquari, maceretur.

Galenus Cannabem Urticæ similem facit non solùm figurâ sed & facultatibus; Et revera Urticæ cum Cannabe in multis convenit, nimirum flosculis stamineis, sexûs differentiâ, flosculorum & seminum racemulis ad nodos cruciatim dispositis, caulium denique corticibus & nervis ad linteamina efficienda idoneis.

* 2. *Bangue* Park. *Bangue Cannabi simile* J. B. *Cannabi similis exotica* C. B.

Simile ferè est (describente Acosta) Cannabi: *caulem* habet quinque palmorum altitudine, quadrangulum, colore dilutiùs virenti, fractu contumacem, nec adeò concavum ut Cannabinus caulis, cujus cortex non minùs quàm illius in fila diduci potest [at Garcias stolones lignosos, nullo ferè cortice vestitos ei attribuit] *Folia* Cannabina, supernè virentia, infernè lanugine pubescentia, gustu terrestri & insipido.

Indi (inquit Acosta) semine & foliis vescuntur, cùm ut validiores in re Venerea sint, tum ad excitandam cibi appetentiam. Magnates & militiæ præfecti ut laborum obliti securiùs & liberiùs dormiant, seminis & foliorum in pulverem redactorum quantum videtur sumunt, illique addunt Arecam sive Avellanum Indicam viridem, & Opii nonnihil pro arbitrio, omniaque saccharo exceptâ devorant. Si verò in somno varias rerum species sibi obversari cupiunt, addunt selectissimam Camphoram, Caryophyllos, Nucem Moschatam & Maim: si verò hilares esse volunt & faceti, & præsertim in Venerem procliviores, Ambaro & Moscho additis, saccharo excipiunt, & electuarium faciunt. Multi autem affirmant, hujus semen & folia ad libidinem ciendam multæ esse efficaciæ. Unde (inquit J. Bauhinus) colligere licet, nihil affinitatis habere cum Cannabi, licet illi admodum similis sit: quandoquidem, autore Dioscoride, Cannabis calida & sicca sit, & genituram extinguat.

Quæ de Bangue feruntur nos dubios reddunt annon Olearius, cùm Cannabin apud Orientales in usu esse scribit ad Venerem excitandam, per errorem *Bangue* dictam plantam pro Cannabe habuerit, & è contra annon *Bangue* Orientalium sit ipsissima Cannabis Europæa: sin verò plantæ distinctæ sint, annon utraque pariter Venerea sit.

Ex quo hæc scripsi, Bangue à Cannabe plantam specie distinctam esse ab eruditissimo Viro & rei Herbariæ peritissimo D. *Hans. Sloane* certior factus sum.

Cap. III.

De Urtica.

Urticam ab urendo dictam esse consentiunt Grammatici, quòd igneæ sit naturæ, unde admota cuti vel levi tantùm tactu, pruritum ac pustulas excitat, quomodo hoc præstat paulo post ostendemus. Ἀκαλήφη vel Ἀκαλύφη Græcis dicitur, ὅτι τὸ μὴ ἔχειν χαλῆν ἁφῆν, quod injucundo sit tactu, & pruritum cieat. *Athenæus.* Dicitur & κνίδη quod lanugine noxia vellicet, pungat, & suo morsu sensum lacessat, à verbo κνίζειν, quod pungere & vellicare significat.

Urticæ quatuor tantùm species novimus, duas racemiferas, duas piluliferas, Racemiferas voco quæ flores suos & semina in quibusdam velut racemulis è foliorum alis egressis gestant; Piluliferas quæ eadem in pilulas seu globulos congesta, eodem tamen situ, proferunt: illarum semina minora sunt; harum majora, splendentia, & Lini seminum æmula. Racemiferæ sunt

1. Urtica vulgaris major *J. B.*
2. Urtica minor annua *ejusdem.*

Piluliferæ,

3. Urtica Romana *Ger.*
4. Urtica Romana altera Parietariæ foliis *Hort. Paris.*

Præter has, alias exoticas, & nobis nondum cognitas, ex Histor. Marggravii & Horto Malabarico proponemus.

* 1. *Urtica Brasiliensis,* Pinò *indigenis dicta* Marggr. *An* Batti Schorigeriam Hort. Malab.?

Marggr.

Ex *radice* parva, filamentosa, in octo aut novem pedum altitudinem assurgit, *caule* striato, aliquantulum piloso & crasso. *Folia* habet hinc indè posita, solitaria, vel juxta se invicem, quorum quodlibet innititur pediculo sesquipedem longo, aut etiam longiori, ex albo paulum rufescenti. Folia autem Urticæ nostrati similia, magna, in ambitu dentata, triangularibus dentibus, & raris

pilis prædita. Fert ſuperiùs racematim plures *floſculos* planè parvulos, candidi coloris, longo pediculo inſidentes, tenui è foliorum ſinubus egreſſo.

Hæc ſpecies eadem videtur *Batti Schorigenàm* ſeu Urticæ Malabaricæ ſpeciei ſecundæ *Horti Malab.* illâ tamen procerior, utpote quæ altitudine eſt trium tantùm pedum.

Adde Floribus delapſis in capitulis ſuccedere gemmulas virides ſeminales, è quibus ſemina fermè in totum cùm matura ſunt emicant, albicantia, parva, ac magis minuta quàm aliarum ſpecierum ſemina, rotundiola & plana, coloris albicantis & ſubflavi.

Plenam deſcriptionem videſis in Horto Malabarico.

• 2. *Urtica fruticeſcens Malabarica* Schorigenam *dicta*. Hort. Malab.

Hort. Mal.

E *radice* parva, tenui, dura & albicante, plures longas capillares fibras tam ſubtus, quàm à latere diffundente *caulis* exit tripedalis, tenuis, teres, tenui viridíque claro cortice amictus, pilis ſeu ſpinulis urentibus obſitus (uti ſunt & folia ex utraque parte & fructus) *foliis* veſtitus alternatim poſitis, cæterarum ſpecierum minoribus, baſi ſubrotunda, anteriora versùs in cuſpidem contractis, ad margines ſerratis exceptâ parte pediculo proximâ, ſubtus ex viridi albicantibus, tribus nervis inſigniori-bus donatis, quorum medius nervulos minores arcuatos hinc inde emittit; laterales nervulos ſpargunt in apices dentium deſinentes. *Flores* in ſpicis è foliorum tam ſuperiorum quàm inferiorum ſinubus egreſſis, pediolis parvis, tenellis valdè piloſis, nihil aliud ſunt quàm congeries gemmularum parvarum, quæ coloris ex viridi diluto flaveſcentis ſunt.

Floribus deciduis ſuccedunt *capitula* trilatera ac valdè piloſa, ex tribus globulis junctis conſtantia, ac ſex ſurrectis, oblongo-anguſtis, viridibus foliis, quæ denſis tranſverſis cuſpidibus minutis obſita ſunt, comprehenſa; ſuntque coloris primùm viridis, deinde ſubflavi & nonnihil rubeſcentis. In quolibet capituli globulo continetur *ſemen* unum, rotundum ac nonnihil oblongum, quàm reliquarum ſpecierum majus, cum umbilico bifido ſeu in duo labra ſulcato, colore per maturitatem nigricante & in umbilico rubro-fuſci.

• 3. *Urtica Malabarica tertia, Ana-Schorigenam dicta.* Hort. Malab.

Hort. Mal.

Radix quàm præcedentibus tenerior & albicans. *Caulis* craſſior, minùs durus, humanâ altitudine, ſuperiora versùs profundè ſtriatus, imâ parte obſcurè rubens, maculis albicantibus rarioribus aſperſus, ſuperiùs maculis albicantibus viridi, dilutis, tanquam cutis ſerpentis *Cobra capella* dicti, varius. *Folia* in pediculis longis, craſſis, ſucculentis grandiora cæteris, baſi lata ac rectiore minúſve rotunda, cuſpidibus craſſioribus circumcirca inciſa; è coſtis ſeu nervis craſſioribus, ex viridi albicantibus, ternis, pluribus obliquis ſeu tranſverſis nervulis in cuſpides excurrentibus. *Flores* in petiolis longioribus racematim compacti, è gemmis ex viridi albicantibus parvis, rotundis, expliciti, in quatuor petala è viridi albicantia, anguſta, anteriùs in nodulos criſpata ac convoluta, dividuntur. Floribus delapſis proveniunt *ſemina* nullis incluſa capſulis, ſpicatim ad unam partem petiolo ejúſque ramulis viridibus adhærentia, ſúntque petioli cum ramulis in altera parte rigidis albicantibúſque ſpinulis adeò denſè obſiti ac tam arctè convoluti, ut ſemina occultent, nec viſui offerant niſi ex convolutione in rectum explicentur. *Semina* plana, rotunda, ſubflava aut ſubruffa, in medio craſſiora.

A. 4. *Urtica major vulgaris* J. B. *major vulgaris & media ſylveſtris* Park. *Urens prima & ſecunda ſive urens maxima & altera urens* C. B. **Common stinging Nettle.**

Radicibus luteis ſub terra reptat & latè ſe propagat. *Caules* ſurrigit bicubitales, interdum etiam altiores, quadratos, rigidos, ſtriatos, uridâ lanugine hirſutos, concavos, ramoſos, *foliis* veſtitos per intervalla ex adverſo binis, pediculis oblongis inſidentibus, à lata baſi in acutum mucronem ſenſim anguſtatis, majuſculis & profundioribus denticulis per margines ſerratis, ſpinulis minacibus horridis. Versùs ſummitates caulium & ramorum ad ſingula foliorum paria quatuor exeunt *racemuli* in formam crucis diſpoſiti, floſculis vel ſeminibus onuſti; nimirum ad latera ramuli è ſinu uniuſcujuſque folii exeuntis hinc indè unus, appoſitâ ligulâ ad racemuli pediculum utrinque. *Flores* herbacei, quadrifolii, perexigui, ſtamina quatuor apicibus donata continent. *Vaſcula ſeminalia* velut triquetra, duabus lamellis conniventibus compoſita, ſingula ſemina occultant, exigua, ſublonga, ruffa. Ex Urticis autem aliæ mares ſunt, aliæ fœminæ, aliæ nempe floſculos duntaxat inutiles proferunt, aliæ ſemen. Mordacibus Spinulis, quibus tum caulis tum folia obſita ſunt, Urtica ab aliis plantarum generibus abundè diſtinguitur. Spinulæ autem omnes (ut obſervavit clariſſ. *Hookius*) concavæ ſunt & fiſtuloſæ, mucronibus acutis, tactu levi cutem perforantes, & folliculis quibuſdam liquore venenoſo repletis innaſcuntur, ſingulæ ſingulis, qui ſpinularum tactu compreſſi per earundem cava ſyringarum modo liquorem ſuum in carnem transfundunt, qui pruriginem illam moleſtam & puſtulas excitat.

Æſtate floret. Superficies quotannis hyeme marceſcit, radice reſtibili.

Ad ſepes in locis ruderatis nimis frequens.

Vires. Urtica omnis diuretica eſt & lithontriptica, peculiaritérque Cicutæ adverſari dicitur, ut & Hyoſcyamo. In olere ſumpta ſolvit alvum, abſtergit renes, calculos expellit, expectorationem morbillorúmque eruptionem promovet. Matronæ noſtrates novella urticarum germina, & folia primulum erumpentia verno tempore juſculis incoquere ſolent ad ſanguinem depurandum. Succus herbæ aut ſyrupus ex eâ confectus in hæmoptyſi efficaciſſimus eſt. ℞. ſucc. Urticæ ℥iv. 5 aut 6 diebus continuis manè bibatur jejuno ventriculo, & ipſa urtica juſculis incoquatur. Ægri depoſiti à medicis hoc reme-

remedio convaluerunt. *Amatus.* Communicaverunt *D. Needham* & *D. Hulse*, Aq. ſtill. ſp. vini q. ſ. ad largam aciditatem mirificè reſtringit hæmoptyſin.

Hæmorrhagiam narium ſibi frequentiſſimam, certo experimento ſiſtere ſolebant Hier. Rehlingerus Duumvir & Udalricus Jungius radice Urticæ rubræ albâ, lignoſâ & tereti naribus inditâ, & attractâ aquâ. *D. Soame* è Cumani Obſerv. à Velſchio editis.

Extrinſecùs putridis, gangrænoſis ac malignis ulceribus auxiliatur, duritias ac tumores diſcutit; reprimit uvulam inflammatam (gargariſat.) ſedat hæmorrhagiam narium (Urtica minor ſcilicet contuſa, aut ſuccus ejus naribus inditus) *Schrod.*

Semen Urticæ [Romanæ præcipuè) Uſûs crebri eſt in pulmonum affectibus, aſthmate, tuſſi contumace, pleuritide, peripneumonia. Conſerva quæ fit ex racemulis florum & ſeminum in calculo renum inque thoracis affectibus & ſputo ſanguineo medicamentum eſt præſtantiſſimum. Semen Urticæ urinam & menſes ciere, & Venerem extimulare inter Medicos convenit; unde à meretricibus amaſiis ſuis propinari ſolet. Radix Urticæ majoris commendatur maximopere ad icterum: Eadem vino & melle decocta non vulgare medicamentum eſt adverſus frigidas tuſſes & orthopnœas.

Æſtum, puſtulas ac pruriginem ab Urticis excitatas ſedat & extinguit oleum olivarum, oleum roſarum, Nicotianæ ſuccus illitus, aut etiam folium viride applicatum: ipſius denique Urticæ ſuccus expreſſus, referente Parkinſono.

Quin & eruditiſſimus Vir, Amicus noſter ſummus, D. *Tancredus Robinſonus* è *Riverii Centur. obſerv.* p. 640. *Centur.* IV. *Obſ.* 81. aliiſque Medicinæ practicæ ſcriptoribus ſuggeſſit nobis exempla immodici hæmorrhoidum fluxûs cùm omnia fruſtra exhibita fuiſſent ægro admodum debilitato, tandem curati à ſolo uſu ſucci Urticæ, levi ebullitione *depurati, & dati ad* ℥ij. *cum pauco Saccharo.*

Populares mei certo experimento Cereviſiæ recentis intempeſtivam fermentationem inhibent, & à tonitru defendunt collocando in doliis Urticam urentem maximam & fruſta Chalybis. *S. Pauli Quadr. Bot.* cl. 4. pag. 536, 537.

A. 5. *Urtica minor* Ger. *minor annua* J. B. *urens minor* C. B. **The leſſer ſtinging Nettle.**

Radix ei alba, ſatis craſſa, ſimplex, ſurculoſa tamen, ſurculis fibrillis aliquot tenuibus capillatis. *Caules* craſſi pro plantæ modo, ſemipedales & interdum pedales, quadrati, ſolidi, ſtriati, ſpinulis rarioribus horridi, ramoſi, minùs recti quàm præcedentis. *Folia* per intervalla ex adverſo bina, pediculis longis appenſa, atro-virentia, quàm præcedentis breviora & obtuſiora, per margines profundè dentata, ſpinulis venenatis utrinque minacia. Ad ſingulos caulium nodos, ut in præcedente; floſculorum aut ſeminum racemuli quatuor in crucis formam diſpoſiti. *Floſculi* ſinguli tetrapetali, caduci. *Vaſcula ſeminalia* exigua, bivalvia, è duabus lamellis conniventibus compoſita, ut in Atriplice, ſingula *ſemina* continent, exigua, longiuſcula, ſplendentia, figurâ ferè ſeminum Lini.

In hortis oleraceis & locis ruderatis, frequens oritur; nec ultra annum durat. *Locus.*

A. 6. *Urtica Romana* Ger. Park. *Romana ſive mas cum globulis* J. B. *urens, pilulas ferens, prima Dioſcoridis, ſemine Lini* C. B. **Common Roman-Nettle.**

J. B.

Radix ſublutea plurimas fibras ſpargit longiuſculas, quibus terram firmiter apprehendit, [non alia (inquit *J. Bauhinus*) quàm Urticæ vulgari] non tamen perinde vivax. *Caulis* quatuor aut quinque interdum pedes altus [hominis altitudinem interdum multùm ſuperans *J. B.*] rotundus, ramoſus, infirmior, rigidioribus pungentibus ſpinulis pro urida vulgatæ lanugine donatur, perinde ut & folia, quæ ad nodos bina oppoſita quàm in illa altiùs inciſa. E foliorum ſuperiorum alis exeunt pilulæ virides aſperæ & mordaces, pediculis appenſæ longiuſculis, in quibus incluſum continetur *ſemen*, quod & compreſſâ laterum formâ, & lubricâ ſuperficie ſemen Lini æmulatur, *floſculis* præcedentibus fibroſis luteolo pulviſculo plenis.

Spontaneam obſervavimus in ipſis pluteis oppidi *Yarmouth*, & in arenoſis circa *Aldeburgum* oppidum in Suffolcia: inveniri aiunt & in plateis *Romaniæ* oppidi in Cantio, & *Liddæ* propè *Romaniam*. *J. Bauhinus* Monſpelii paſſim in ſepibus obſervavit florentem & ſemina ferentem menſib. Aprili, Maio & Junio; Baſileæ in pratis. *Locus.*

7. *Urtica Romana ſeu pilulifera altera Parietariæ foliis.* Hort. Paris. **The other Roman-Nettle, with Pellitory leaves.**

Caule aſſurgit ſeſquicubitali, tereti, ſtriato, inani, in apricis purpurante, ſpinulis mordacibus obſito, ramoſo, *foliis* veſtito ex adverſo binis, pediculis oblongis inſidentibus, minoribus, pro magnitudinis tamen ratione latioribus, quàm Urticæ vulgaris, in acumen productis, lanugine urida hirſutis, per margines ſerratis, minùs tamen profundè quàm Urticæ vulgaris, nec ad mucronem uſque. Quæ primulùm erumpunt folia marginibus ſunt integris & æqualibus, Parietariæ æmula. E ſuperioribus geniculis, ut in reliquis urticis, quatuor exeunt pediculi, in crucis formam diſpoſiti, ſinguli ſingulas pilulas ſuſtinentes hirſutas, quæ poſtea in quoſdam velut floſculorum racemulos explicantur. Singuli *floſculi* quadrifolii, quatuor obtinent ſtaminula, apicibus albentibus inſignia. *Semina* majuſcula, ſplendentia, per maturitatem nigricantia, figurâ & nitore ſuo Lini ſemina referunt. *Radix* ſubeſt alba, craſſiuſcula, fibris aliquot donata, quæ tamen hyemem non fert.

Floſculis in pilulas coactis, ſemine Lini æmulo, cum Urtica Romana vulgari convenit: foliis Parietariæ, &c. ab ea differt.

Nostratibus ludicro nomine *Majorana Hispanica* dicitur: cùm enim adhuc junior est, adeò Parietariæ aut Majoranæ cuidam similis est, urticæ autem dissimilis, ut facilè incautis persuadeant eam naribus admovere; unde mordacibus ejus spinulis ex improviso compuncti, risum spectatoribus excutiant.

CAP. IV.

De Spinachia.

SPinachia, tam celebre & usitatum nunc dierum olus, Veteribus indicta & incognita videtur. Spinachia autem Recentioribus à semine spinoso dicta est, quamvis reperiatur etiam semine lævi & spinis destituto. *C. Bauhinus* Σπινάχιον à raritate in usu medico Græcis recentioribus dictam scribit. Hujus an dentur species diversæ nobis non certò constat. Duas tamen seu species, seu varietates novimus, nimirum

1. *Spinachiam semine spinoso* C. B.
2. *Spinachiam semine non spinoso* ejusdem.

Spinachia semine non pungente, folio majore & rotundiore *J. B.* si à præcedente differat nobis incognita est: *C. B.* præcedentis synonymam facit. Spinachia fœmina seu sterilis perperam pro specie diversa à *C. B.* ponitur, cùm ex eodem cum fertili semine proveniat.

1. *Spinachia* Ger. Park. *Spin. mas & fœmina* J. B. *Lapathum hortense seu Spinachia semine spinoso* C. B. **Spinache.**

E *radice* tenui, albâ, simplici, paucissimis fibris donatâ, *caules* surrigit pedales, fistulosos, teretes, striatos, in alas divisos. *Folia* Atriplicis ferè, longis pediculis nixa, inferiora ad basin suam interdum utrinque laciniata, mucronibus acutis; quæ autem in summo caule existunt, duos tantùm processus velut auriculas ad basin obtinent, tenui quadam polline, Atriplicis in modum, aspersa. *Flores* in caulibus à medio ferè usque ad fastigium, in *Mare* herbaceis aut purpurantibus apiculis è calice quadrifolio exeuntibus constant, in oblongis surculis seu racemis è foliorum alis ortis, ut in Mercuriali. In *Fœmina* flores nulli cernuntur, sed tantùm apiculi quatuor albi in summo semine. *Semina* autem ipsa foliorum alis arctè adnascuntur, conferta, aliàs (ut nomen docet) spinosa; aliàs lævia, in globulos seu racemulos congesta, majuscula, nonnihil compressa, orbiculata.

Locus. Spinachia ubi sponte oritur nobis non constat. Hispaniæ autem originem suam debere argumento est nomen quo à quibusdam vocatur, nimirum *Olus Hispanicum*. Passim in hortis seritur, nullum solum aut cœlum respuens, tum Martio & reliquo Vere, tum Septembri, non horrens hyemis frigora, quæ si iniqua nimis, Juglandis foliis conservatur ut vere cibum suppeditet, quo tempore semen profert. Martio verò sata intra duos menses perficitur. Autumno sata foliis magis luxuriat, nam quæ vere seritur caulescit illico; unde ad pultes Autumno potiùs serenda.

Usus. In culinis per totam ferè Europam, (teste Trago & experientiâ) vix quicquam frequentioris est usûs pultibus ex Spinachia confectis, quas oleo aut butyro condiunt & inungunt, herbâ minutim concisâ; nonnulli uvas Corinthiacas eis admiscent. Citra aquam coquitur hoc olus, quòd magnam vim humoris inter coquendum remittat, & velut proprio contentum jure alienum aspernetur.

Inter omnia olera culinaria meo judicio Spinachia laudatissima est & gratissima. *Trag.* Unde & in omni penè ægritudine cibo deligi potest.

Febricitantibus & senibus adstrictioris alvi maximo commendanda est opere; illis imò vel hecticis, ut febrilem æstum temperet, his ut alvum lubricet, quod longè melius est quàm ut suppositariis & catharticis semper extimuletur. *S. Paulus.*

Refrigerat & humectat, nitrosa sua qualitate, alvum emollit, gutturis asperitati medetur & aridæ tussi confert: nauseam facilè parit nisi zingibere aut alio consimile condiatur.

Succus & aqua destillata Stomachi ardorem & rosiones mitigare, & lac elicere dicitur.

Extrinsecus ventriculo & epati imposita cataplasmatis instar, eorum inflammationes dolorémque tollere creditur.

2. *Spinachia semine non pungente, folio majore & rotundiore* J. B. **The greater unprickly Spinache.**

J. B.
Longè major majoribúsque est foliis quàm Spinachia vulgaris, necnon rotundioribus, cæteroqui similibus, quemadmodum & floribus proximè circa caulem ad pediculorum exortum muscosis. Semina sequuntur conglomerata velut in racemulum, Lenticulis ferè paria, rotunda, nullis Spinis horrida, cinericei coloris.

Nos Spinachiam semine non spinoso, ut & semine spinoso majorem *Park.* à vulgari spinoso semine specie non differre putamus, sed accidentibus quibusdam à loco natali & culturâ ortis. Verùm examinandum proponimus, an Spinachia semine spinoso, necnon Sp. semine lævi satæ semper producant sui generis sobolem, hæc nimirum semine lævi, illa semine spinoso fœtam, an interdum diversi?

Cap. V.

De Mercuriali.

Mercurialis à Mercurio denominationem sumpsit. *Plin.* lib. 25. cap. 5. *Linozostis sive Parthenium Mercurii inventum est, ideo apud Græcos Hermupoan multi vocant eam, apud nos omnes Mercurialem.*

Pro Mercurialis speciebus habeo Cynocramben dictam & Phyllon: adeóque tres Mercurialis species agnosco, unam perennem, duas annuas; eæ sunt,

1. *Mercurialis perennis repens,* Cynocrambe *dicta.*
2. *Mercurialis annua glabra vulgaris.*
3. *Mercurialis annua hirsuta,* Phyllon *dicta.*

A. 1. *Cynocrambe mas & fœmina* Ger. emac. *mas & fœmina, sive Mercurialis repens* J. B. *Merc. sylvestris Cynocrambe dicta vulgaris mas & fœmina* Park. *Merc. montana testiculata, & Merc. montana spicata* C. B. **Dogs Mercury.**

J. B.

Plurimis fibrosis *radiculis* perennibus & lentis, sapore nonnihil dulci, sed fastidioso per terram repit Cynocrambe tam mas quàm fœmina, nervo duro, fibrarum Hellebori instar farctis. *Caules* surriguntur multi, teretes, concavi, longis internodiis geniculati, pedales, propter terram purpurascentes non ramosi. *Folia* ad articulos bina opposita, lanuginosa, foliis Mercurialis paulò longiora, duarum scilicet triumve unciarum, tenera, [inferiora multò minora sunt] acuminata, in ambitu serrata, pediculis brevibus, gustu nauseoso. Ex alis foliorum pediculi exeunt, in mari quidem breviores, quatuor vel quinque, semunciales, unciales ac majores, breviores alios interdum à latere proferentes, quibus insident *flosculi* herbaceo colore prædìti, ternis foliolis constantes, quorum medium occupat loculamenti seminum rudimentum, ex cujus cacumine emicant apiculi bini, corniculati, extrorsum reflexi: loculi hirsuti, compressi, in geminos testicellos Lentis magnitudine divisi, *semina* bina continent, dissepimento membranulæ distincta, in uno pediculo tergemina. At in Cynocrambe fœmina ex foliorum alis pediculi surriguntur, tres, quatuor aut quinque uncias longi, tenues, striati, in quibus *flosculi* in spicam digesti muscosi, ternis foliolis herbaceis compositi, in quibus staminula aliquot herbacea, qui nullo succedente semine intereunt. Dodonæo tota herba virosi odoris ingratum redolet.

Cynocrambe in sylvis, sepibus, aliisque perinde umbrosis gignitur. Primo vere exit, autumno exeunte, folia & caules marcescunt, radice superstite. *Locus. Tempus.*

Facultatibus cum Mercuriali convenit Prævotius. Mercurialem sylvestrem olerum more coctam, & oleo ac sale conditam inter medicamenta serositates benignè evacuantia enumerat in libro De *Medicina Paup.* quod è Dioscoride hausit. *Vires.*

A. 2. *Mercurialis mas & fœmina* Park. *Merc. mas & Merc. fœmina* Ger. *M. testiculata sive mas Dioscoridis & Plinii, & M. spicata sive fœmina eorundem* C. B. **French Mercury.**

J. B.

Folia hujus ad Parietariæ folia accedunt, sed glabra sunt, atro virore splendentia & in ambitu serrata, sapore nitroso, calidiusculo & nauseoso. *Caules* ei angulosi, spithamæi ac etiam majores, geniculati, læves. Ex foliorum alis, fœminæ quidem ligulæ rectæ emicant, tenues, quas verticillatim seu in spica ambiunt *flosculi* glomerati muscosi, qui in quatuor foliola herbida sese explicantes, cirros apiculorum luteolorum aut herbidorum ostentant, nullo succedente semine pereuntes. Mari autem ex iisdem alis breves pediculi oriuntur, quorum singulis testiculata *bursula*, nonnihil compressa, hirsutáque insidet, gemina *semina* recludens. *Radix* utrique tenera & fibrosa, annua.

In hac descriptione *J. Bauhinus* vulgarem opinionem sequitur, Mercurialem sterilem pro fœmina, & fertilem pro mari accipiens: cùm è contra rationi consonum sit & aliarum rerum naturalium analogiæ, ut sterilis dicatur mas, fertilis fœmina. Fœmina enim est in omni genere quæ fœtificat & fructum edit.

Mercurialis reperitur in hortis olitoriis, vinetis, aliisque locis humentibus ac umbrosis. In maris littore propè *Ryde* Vectis insulæ oppidulum sponte & copiosè provenit. *Locus.*

Est è numero quinque illarum famosarum emollientium herbarum; abstergit, alvum movet, aquas ac bilem purgat, unde & hodie in enematis frequentissimus ejus usus. *Vires.*

Sunt è nostratibus mulierculis, qui Mercurialem infantibus cum pappa exhibent, ut alvum solutam retineant, tormináque præcaveant. *Schrod.*

Observatum est omnis generis verrucas hujus foliis vel eorum succo tolli; item semen cum Absinthio decoctum ictericos mirificè juvare. *Matth. & Ruel.*

Quæ Veteres habent de vi maris ad efficiendum ut mares gignantur, fœminæ ut fœminæ, nobis fabulosa videntur & falsa.

3. *Phyllon marificum & fœminificum* Park. *arrhenogonon & thelygonon folio incano Monspessulanum* J. B. *arrhenogonon sive marificum, & thelygonon sive fœminificum* Ger. *testiculatum & spicatum* C. B.

J. B.

Pedales & cubitales habet *caules*, totos candido tomento pubescentes, & per ætatem lignescentes, qui in ramos ex adverso positos ordine certo abducuntur. *Folia* oblonga, subrotunda, crassiuscula, nervosa, mollia, lanuginosa, incana ad articulos oriuntur. *Flosculi* minimi, in mari quidem ad juncturas, brevibus pediculis nixi, vix apparentes ante fructus, sunt duo apices ochræ colore pallido. *Fructus* autem sunt gemelli, testiculati, villosis loculis comprehensi. *Semina* (inquit Lobelius) uti minoris Heliotropii exiliunt, immatura albida, matura verò cyaneo nitent colore, rotunda & quàm Papaveris majora, gustu fervida, & nonnihil pinguia. *Radix* lignosa, exilis. In fœmina flores spicati racemosique, ut in Mercuriali fœmina.

Theophrastus Phyllo Ocymi folia tribuit, & rectè nostrâ sententiâ. Illud inter alia ei cum Mercuriali, Cynocrambe & Heliotropio minore commune est, ut erutæ radices temporis successu cœruleum colorem contrahant. *Clus.* quod & nobis observatum, etiam de caule & fructu.

Locus. Circa Monspelium in fossarum aggeribus & ad vias publicas, præsertim propè aquas oritur; ut nobis observatum. Clusius multis Hispaniæ & Galliæ Narbonensis in locis nasci refert, ubi Aprili floret & interdum maturiùs, at in regiones frigidiores translatum nonnisi æstate.

Vires. Salmanticenses utriusque decoctum omnibus animalibus à cane rabido demorsis propinant, magno successu, ut inquiunt. Granatensibus verò, Mauritanis præsertim, ad muliebres morbos magno in usu est. *Clus.*

SECTIONIS PRIMÆ

PARS SECUNDA.

De Herbis quarum fructus à floribus aliquantulum remoti seu sejuncti sunt, in eadem planta.

CONVENIUNT hæ plantæ cum superiore sectionis hujus parte traditis, quòd in his flores pariter fructibus contigui non sint. Differunt quòd singulæ plantæ tam flores quàm fructus proferunt, quamvis à se invicem separatos seu remotos.

Sunt & aliæ nonnullæ plantæ flore etiam imperfecto quæ flores à fructibus sejunctos gerunt: ut v. g. Lachryma Jobi seu Milium arundinaceum, Maiz seu frumentum Indicum, Sparganium. Verùm hæ ad aliud genus pertinent.

CAP. I.

De Ambrosia.

AMbrosia Veteribus τὸ τῶν θεῶν βρῶμα, Deorum cibus dicitur, quòd eum mortales non edant, vel quòd qui eum edunt immortales evadant, ità eximiæ fragrantiæ gratiâ etiam Diis expetita.

Cùm autem unica duntaxat Ambrosiæ species hactenus cognita & descripta sit, non est cur notas generis characteristicas adscribamus, cùm eæ ex descriptione peti possint.

Ambrosia Dod. Ger. *quibusdam* J. B. *hortensis* Park. *maritima* C. B.

J. B. Dod.

Compluribus fruticat statim à radice ortis virgultis [Dod. unico caule fruticis exigui modo assurgere scribit] striatis, rubentibus, subhirsutis, in ramos multos diductis: *folia* suaveolentia, Absinthii communis magnitudine & divisurâ, albicantia, lanuginosa, sapore aromatico, amaricante non ingrato. *Flores* secundùm ramulos alternatim dissiti, sublutei, rotundi, muscosi, absque fructu pereunt, ut rectè Dodonæus; subsunt inferiùs angulosa, terrestris Tribuli instar echinata *capitula* exigua, nunquam florentia, in quibus *semen* nigricans, singulis unicum inest, nigrum, gigarto vitigineo simile & ferè par. *Radix* lignosa, simplex, fibris aliquot capillata. Inalbicat è virore tota herba, & gratum odorem spirat.

Locus. In maritimis Hetruriæ arenosis spontaneam observavimus.

CAP.

Cap. II.

De Xanthio.

Xanthium Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ ξανθὰς ποιεῖν τὰς τρίχας, quòd flavos reddat capillos: Lappa minor Botanicis ob aliqualem florum & fructuum vestibus adhærentium similitudinem. Vocatur etiam hæc planta in Officinis *Bardana*, voce vel Gallicâ vel Hispanicâ, inquit C. Hofmannus.

Xanthii notæ characteristicæ sunt flores staminei, inutiles, nec fructui contigui: fructus durus, echinatus binis intus cellulis bina semina, hoc est, in singulis singula continens.

1. *Xanthium sive Lappa minor* J. B. *Lappa minor, Xanthium Dioscoridis* C. B. *Bardana minor* Ger. The lesser Burr-Dock.

J. B.
Caule est cubitali circiter, hirsuto, punctis rubris guttato, ramoso. *Folia* alternata pediculis nituntur tres uncias longis, cauli concoloribus, Tussilaginis foliis quodammodo similia, sinuata & crenata, colore (id quod nomen ipsum loquitur) Xantho, utrinque hirsuta, sapore acriusculo, & quodammodo aromatico. Quà foliorum pediculis est ortus plura simul *capitula* se promunt bullata, *flosculos* stamineos emittentia: quibus tamen non succedunt, sed in ramulis ex alis foliorum erumpentibus seorsim sine pediculis enascuntur *echini* lappacei, vestibus adhærentes, oblongi, in duos acutos rigidósque mucrones desinentes, qui duobus distinctis loculis totidem grana condunt hordeacea. *Radix* parva, nec vivax, alba, multas undique fibras crassiusculas profert, quibus terræ firmiter adhærescit.

Locus. Gaudet solo læto ac pingui: rariùs in Anglia spontaneum vidimus: in transmarinis ad rivulos & in aquosis scrobibus sæpiùs & copiosum.

Vires. Gustu est subamaro & acri, unde calfacere & siccare colligitur. Usus præcip. (secundùm Matthiolum) in minera lepræ educenda [cum Rhabarbaro exhibetur radix] in lipothymia: extrinsecùs in struma & tumoribus discutiendis [epithema] in capillis luteo colore tingendis; in quem usum Veteres fructum colligendum præscribunt antequam perfectè siccescat, deinde tusum fictili vase recondi; cúmque usus exigit ejus sextarii semissem aquâ tepidâ dilui, móxque eo caput nitro ante perfrictum illini.

2. *Lappa Canadensis minori congener sed procerior.* Hort. Reg. Paris.

Procera & speciosa est hæc planta, quæ nobis hoc anno [1685] ex semine ab ingeniosissimo Viro & rei Herbariæ peritissimo *D. Hans. Sloane* M. D. misso succrevit. Non tantùm procerior est vulgari Bardana, sed etiam magis patula & ramosa, ramis latè diffusis, & ipsum etiam caulem longitudine superantibus. *Folia* quàm illius majora sunt, longioribus pediculis nixa, altiùs incisa, in acutiores apices producta, nervis rubentibus insignia, iisque (quod notatu dignum est) supra folii supinam superficiem nonnihil eminentibus seu elevatis, magis quàm in vulgaris foliis. *Flores* & semina eodem modo quo in vulgari ex alis foliorum conferta exeunt. *Lappæ* quam in illa multò majores sunt, spinulis hamatis rarioribus, iis tamen longioribus & crassioribus obsitæ.

Planta hæc maturiùs è terra exit quàm vulgaris Bardana, serius tamen floret & semen perficit, totáque viridior videtur quàm illa. Folia seminalia longiora sunt & angustiora.

Cap. III.

De Heliotropio.

Ἡλιοτρόπιον Dioscoridi lib. 4. cap. 193. dicitur, quòd τὰ φύλλα τῷ τοῦ ἡλίου συμπεριστρέφεται i. e. quòd folia cum Sole circumagat: & Σκορπίουρος, quòd ramuli cum floribus Scorpionum caudæ modo circumagat. Plinius lib. 22. cap. 21. Heliotropii miraculum inquit sæpiùs diximus, cum Sole se circumagentis, etiam nubilo die, tantus syderis amor. Noctu veluti desiderio contrahit cœruleum florem. In Heliotropio Recentioribus dicto nulla hujusmodi ad Solem conversio observatur; ut neque in alia quavis specie plantæ nobis cognita. Plurimæ sunt quarum folia, nec pauciores quarum flores interdiu expanduntur, noctu contrahuntur, quarum tamen è numero Heliotropium non est; quod tamen aliàs satis accedit ad veterum Heliotropii descriptionem.

Cæterùm Heliotropium tricoccum quamvis magnitudine, ut & caulis & foliorum figurâ cum vulgari Heliotropio conveniat: flores tamen & semina toto genere diversum arguunt.

Heliotropium tricoccum C. B. J. B. Ger. Park.

J. B.
Radix ei subest lignosa, simplex, paucis apophysibus fibrata, annua. *Caulis* cubitalis, [pedalis *Clus.*] rectus, ramosus incano tomento obsitus, sicuti & *folia*, Heliotropii majoris similia, majora, sinuata, nervosa, mollia. *Flores* racematim in privatis pedicellis cohærent, exigui, luteoli, nullum

nullum post se semen relinquentes. *Siliquæ* enim nullo præcedente flore ex alarum cavis exeunt, ex longis petiolis dependentes, sub foliis quasi occultatæ, tricoccæ, cinerei coloris, asperâ superficie & verrucosâ, quibus dehiscentibus *semen* exilit cinereum.

Hæc capita sive siliquæ pannis affricatæ florido viridi colore eos inficiunt, qui temporis momento in cœruleum eúmque elegantem mutatur. *Clus.* Panni hi aquæ intincti & expressi eam purpureo eleganti colore imbuunt, vini rubri æmulo, eorúmque usus est ad gelatinas, scriblitas aliáque ejusmodi scitamenta coloranda.

Locus. Circa Monspelium & alibi in Gallia Narbonensi æstate & autumno in satis passim provenit, ubi ad usus prædictos à rusticis colligitur, & vulgo *Turnesol* appellatur.

CAP. IV.

De Ricino.

Ricinus, Dioscoridi Κίκι ἢ Κρότων à similitudine Crotonis vel Ricini animalis, quod semen ejus refert, dicitur. Κίκι autem vox est Hebræa vel Orientalis, quæ legitur in Prophetia Jonæ, cujus significatio incerta.

Ricini notæ genericæ sunt caudex lignosus, fructus tricocci muricati, in surculo peculiari racematim ferè dispositi: semen Ricino animalculo simile.

1. *Ricinus vulgaris* J.B. C.B. *Ric. sive Cataputia major vulgaris* Park. *Ricinus sive Palma Christi, vel Kiki* Ger. Palma Christi.

J. B.

Insigni auctu celeriter adolescit, *caule* crasso, striato, glauco, geniculato, inani, trium, quatuor & plurium cubitorum, superiùs ramoso, ex obscura purpura nitente & glabro; candido videlicet deterso tenui instar farinæ pulvere, quo veluti conspersus subinde apparet. *Folia* ampla, Cordo Platano & Aceri similia, digitata, in septem, octo aut novem acuminata, serratáque segmenta, in quorum singula nervus è folii centro exporrigitur, dividuntur, atro-virentia, splendida, & interdum acetabuli instar concava, potissimùm loco quo segmentorum nervi coeunt, unde & pediculus averso folio oritur dodrantalis, purpurascens, concavus: quanto autem superiora fuerint folia tanto ampliora existunt, sic ut ex his petasum æquantia sit reperire, nullum è vulnere lac manantia. *Flores* longâ serie thyrsoide surculo peculiari racemati insident, è sanguineis crispísque staminibus, quæ terna è fructûs rudimento emicant, conflati: quibus muricata triquetra vascula succedunt, quæ *semina* claudunt oblonga, Ricini animalculi æmula *Dod.* foris livida & maculosa, interiore medullâ candida, quæ capitulis per maturitatem fissis ac rimas agentibus, cum impetu exiliunt. Ac præter flores dictos videre est in eodem thyrso muscosa glomerata nucamenta coloris herbacei, quæ nullo relicto fructu tandem marcescunt. *Radix* subest simplex, longa, crassa, dura, candida, crebras circumcirca fibras emittens.

Locus. Seritur apud Germanos & Gallos (inquit *J. B.*) non modò ad spectaculum sed etiam ad tutelam adversus talparum injuriam, quas ferunt Ricinum fugere. Annua verò in Germania stirps est, atque etiam in Anglia. Verùm in Creta multos perdurat annos, & in tantam excrescit altitudinem ut non nisi scalis admotis possit conscendi, quod Bellonius tradit *Observat.* lib. 1. cap. 18. * Clusius quoque Ricinos crassitudine humana, altitudine trium hominum, multis prægrandibus ramis brachiatos, & multos annos durantes in maritimis Bæticæ observavit, easque exactissimè congruentes descriptioni Dioscoridis. Nos quoque in Sicilia Ricinum arbusculam Sambuci æmulam, lignosam & satis longævam, in sepibus frequentem observavimus.

* *Schol. in Monard. Hist. c. 4.*

2. *Ricinus Americanus* Ger. Park. *Americus, Curcas Incolis* Clus. not. in Monard. *Ric. Americanus major semine nigro* C.B. *Ric. major Americanus Curcas dictus & Faba purgatrix Indiæ Occiduæ* J.B. *Munduy Guacu Brasiliensibus* Marggrav. & Pisonis. *Pinhones Lusitanis. Ricinus Americanus folio Staphisagriæ* C. B. app.

Marggr.

Arbor est in Ficûs magnitudinem & figuram excrescens, ligno molli & fragili. *Folia* habet circa ramos inordinatè posita, quodlibet suo pediculo semipedem longo insistens: suntque viridia, ad tactum mollia, foliis Ficûs aliquo modo similia, sed non ità profundè secta, verùm subrotunda, & anteriùs in tres angulos desinentia [*C. Bauhino* folia pallidè virentia, pediculis oblongis & hirsutie asperis donata, inferiora ad foliorum Ficûs formam nonnihil accedentia, & in lacinias quinque divisa, superiora verò quæ Staphidis agriæ foliis similiora, in ternas lacinias secta sunt, omnia verò per circumferentiam crenis acutis exasperantur, & nonnihil pubescunt, ità ut attactu mollia sint:] Lignum & folia fundunt è lacteo aquosum succum. *Flosculos* fert copiosos racematim, parvos, pentapetalos, petalis anteriùs viridibus, deorsum incurvatis, in medio flavis staminulis, quæ decangularem stellam referunt, subdulcis odoris. Sequitur hos *fructus* turbinatæ figuræ, seu instar Juglandis mediocris, & ejusdem magnitudinis, primò viridis, mox flavus, ubi plenè maturuit fuscus sive niger, qui sponte finditur in tres partes, quamvis sex constare videatur. In quolibet fructu sunt tres nuclei, magnitudine & figurâ pineis similes, in tribus concamerationibus distincti, cortice nigro corticis Castaneæ crassitie tecti, & in extremitate sunt maculæ albæ [Harum alii non meminerunt] Nucleus albus, instar cuticulæ ovi, exteriùs etiam pellicula albâ obductus.

Validè

Validè purgant tres aut quatuor nuclei comesti, & quidem nimis si pellicula interior non separetur, ideò semper adimenda.

Arbor facilè transplantatur, nam ramus decisus & terræ infixus aliam arborem progenerat, ideò ad sepes vivas faciendas circum hortos usurpatur.

Arborem hanc pro Ricino Americo Clusii *Curcas* dicto habet Piso, & rectè, quamvis in descriptione fructûs non meminit operimentum illius tuberculis asperis non esse obsitum, ut in vulgari Ricino, sed læve & cinerei coloris. Huic etiam eandem omnino plantam esse minimè dubito quam *C. Bauhinus* in appendice ad pinacem sub titulo Ricini Americani folio Staphisagriæ describit, cujus ramum duntaxat siccum vidit. Ideòque eandem plantam bis ponit, pro duabus distinctis.

Hæc arbor videtur esse quam *Quauhayohuatli* 3. nomine describit Franc. Hernandez, quamvis icon non conveniat.

Ex iis quæ de nucleis hisce tradunt Auctores liquidò constat (inquit *Joannes de Laet*) cum summa cautione exhibendum esse hoc purgans medicamentum, & summam esse habendam rationem ætatis & virium illorum quibus datur.

* 3. *Ricinus major Africanus, Syriacus vel Ægyptiacus* Park.

Hujus generis meminit Camerarius in Horto, semine duplo majore quàm præcedentis, minùs pallido aut maculoso, è Syria allati.

* 4. *Ricinus minor* Park. *Americanus minor* C. B. *Erawaj*: Clus. *exot.*

Vulgari Ricino omnibus partibus minor est, præcipuè verò semine.

* 5. *Ricinus Americanus tenuiter diviso folio* Breynii.

Breyn.

E *purgatrice Avellana* Monardis Planta rarissima enata est *Papaiæ* pænè arbusculæ minoris formâ, quæ toto æstatis autumníque tempore vix sesquipedalem altitudinem obtinebat. Ea à radice *Caulem* rectum, lævem, rotundum, geniculis omnino destitutum edebat, pollicaris crassitiei, ac subviridis cum purpurascente quodam intermixti coloris, Serpentariæque instar maculis obsoletis aspersum. Hujus fastigium *foliis* ornabatur, inferiùs glaucis, superiùs atro-virentibus & splendentibus, magnitudine & divisurâ Aconiti seu Geranii batrachioidis, substantiâ autem Ricini, & quodammodo etiam figurâ, quæ in septem, octo, novem, imò & decem acuminata, ast Coronopi foliorum instar laciniata, segmenta (in quorum singulis nervus rufescens è folii centro exporrigitur) ad gyrum, in quo segmentorum nervi coeunt, unde & pediculus longus averso folio oriebatur, dividebantur. Inferiora horum foliorum lætissimum ad tempus virorem cum luteo tristi commutabant colore, atque tandem decidebant, relictis tamen quibusdam subviridium macularum in caule vestigiis. *Flores* nullos proferebat, multò minùs fructus. Hi tamen [aliundè accepti] Juglandis minoris sunt magnitudine ac ferè facie, rotundi nempe, & à medio corpore paulatim in mucronem desinentes, cordísque humani formam quodammodo repræsentantes, tenui è cinereo candicante, nonnunquam ad fuscum inclinante cortice, lento & molli constantes, qui exteriùs octo nervis à summo ad imum ductis, fibris frequentibus intercursantibus distinguitur; & interiùs in concamerationes duas separatur: In quarum quavis *semen* magnitudine, colore ut & figurâ fermè Avellanam exoletam, vel potiùs (cùm pæne triangulare & altera parte semper planum) Castanellam peregrinam *J. B.* referens, continetur, putamine tenui, *Nucleo* candido, solido, subdulci, substantiâ Avellanæ haud absimili: qui in Medicina apud Hispanos in India Occidentali degentes percelebris, & alvo evacuandæ servit.

* 6. *Ricinus minor Indicus Solani foliis* Breynii.

Breyn.

Rami, qui duo Autori fuere hujus plantæ, sesquipedalis erant longitudinis, teretes, glabri, inanes, diluto virore tincti, ac enodes: quos è contrario correspondentia *folia*, laxis dentibus circumserrata, pediculis pænè uncialibus insidentia ambiunt, Solani non admodum dissimilia, longiora verò magísque venosa, ac teneriora, & substantiâ Ricini, eo fermè etiam colore, utpote superiùs saturatè, inferiùs dilutè virentia, ac ibidem nervum, venas, fibrásque magis conspicuas habentia. E singulis horum alis singuli surculi, *Flosculos* longa serie muscosos racematim sustinentes, unciales prominent; in quorum nonnullis *fructus* jam unus, in aliis jam duo, pedunculis teneris dependentes visuntur triquetri, magnitudine, formâ & colore à Lathyridis nihil discrepantes, nisi brevi quadam incanâque lanugine, instar Tuliparum caulium, aspersi essent. Hi maturitatem adepti dissiliunt in tres capsulas, quarum quælibet in partes duas cum impetu se aperit, & semine coloris lividi, Lathyridis non majore, ast magis splendente, maculísque nigris, Ricini in modum majoris è Guinea eleganter variegato se exonerat.

Similitudinem aliquam cum *Pineis nucleis* Acostæ habere videtur.

Cadel-Avancu Hort. Malab. florum & fructuum situ à planta descripta differt: siquidem *Cadel-Avancu* flores ad extremitates ramorum proveniunt, cùm tamen hujus flores inter folia compareant, ut adnotavit doctiss. Joan. Commelinus, ad *Cadel-Avancu* plantam dictam.

* 7. *Ricinus parvus Orientalis* Dende *dictus; quibusdam & Faba purgatrix* J. B. *Ricinus Americanus falsò creditus*, Dende *Serapionis & Abelmoluch Mauritanorum Imperato* C. B.

Hunc fructum ità describit *J. Bauhinus*,
Dimidio minor est Ricino Americo, cortice tectus cinericeo, maculis hinc inde pullis asperso, gibbo, altera parte elatiore paulóque planiore, tribus interdum elevatis costis conspicuo. Cortici vulgari simili tenui pellicula involutus subest nucleus, bipartitus, consistentiâ Ricini majoris Americi, sed colore pallido: saporis non ingrati, acris, & fauces diu multúmque vellicantis.
Fabas purgatrices Monardis quæ Carthagine & *Nombre de Dios* nascuntur huic Ricino Orientali seu *Dende* subjungit *J. Bauhinus*. Hæ autem, describente Monarde, nostris similes sunt sed minores, ejusdem cum nostris formæ & coloris, pelliculâ quadam tenui ut ceparum tunicula exterior illas per medium intersecante quæ cum cortice abjicienda est. Clusius diversum sentit.
Interim quærendum est, An & quid differat *Dende* à Ricino Americano minore *C. B.*

* *Heliotropio similis aliquo modo* J. B.

J. B.
Frequentes per humum supinos spargit *cauliculos* palmares & sesquipalmares, ramis multis brachiatos, tenues: *foliis* vestitos ex viridi cinereis, asperis, semunciâ angustioribus, oblongis, & per extremum rotundis. *Flores* luteolos excipiunt *siliquæ* oblongæ, in stylum desinentes, cinereæ, hirsutæ, duobus loculis totidem *semina* rufa continentes. *Radix* parva, lignosa, alba.
Ab Agerio in Austria collectum habuit *Jo. Bauhinus*.
An hæc planta hujus loci sit nescimus: si florem tetrapetalon habeat, ad Thlaspi potiùs referenda videtur.

SECTIO SECUNDA.

De Herbis flore imperfecto, semine triquetro.

CAPUT PRIMUM.

De Helleboro albo.

HElleborus, autore Etymologo, Græcis dicitur παρὰ τὸ ἑλεῖν τῇ βορᾷ, quòd esu perimat. Veratrum Latinis dictum volunt quòd mentem vertat.
Scribitur & Ἐλλέβορος, sine aspiratione.
Duorum generum est, albus & niger. Hi quamvis nomine, & aliquatenus etiam viribus conveniant, facie tamen externâ minimé; unde & toto genere nobis differunt.
Flore sex foliolis constructo, semine triquetro cum Lapatho convenit; ab eodem differt foliis nervosis, tenuioribus, liratim striatis & velut plicatilibus; radice fibrosa, purgatrice, emeticâ & sternutatoriâ vi prædita.

1. *Helleborus albus* Ger. J. B. *albus vulgaris* Park. *albus flore subviridi* C. B. **White Hellebore.**

J. B.
Helleboro albo *radices* subsunt fibrosæ, albæ in caput collectæ: *Caulis* bicubitalis interdum, teres, *foliis* stipatus quorum pediculi caulem involvunt. Sunt verò ipsa folia formâ quidem quodammodo Plantaginea, vel potiùs Gentianæ similia, longitudine verò pedali, haud multò angustiora, mollia, liris densissimis striata, & veluti plicata, subhirsuta. Caulis à medio ferè ad cacumen usque ex foliorum quorundam parvorum alis thyrsos emittit palmares & sesquipalmares *florum* creberrimorum, senis ex herbaceo albicantibus foliolis radiatis constantium; quibus succedunt *semina* parva, longiuscula, triquetra, albicantia, nuda, nec ullo præter florem folliculo aut vasculo tecta, ut rectè Parkinsonus.

2. *Helleborus albus præcox atro-rubente flore* Park. *albus flore atro-rubente* C. B. *albus præcox* Ger.

Foliis longioribus, tenuioribus magísque caducis: *caule* proceriore, paucioribus foliis cincto, *floribus* atro-rubentibus; quódque priorem ortu suo seu germinatione prima menstruo minimùm spatio antevertat; à superiùs descripto differt.

Gaude

Gaudet Veratrum album montanis & asperis; non modò in Græcia, Italia aut aliis calidioribus regionibus; verùm & in Germaniæ ac Helvetiorum montibus viret. Nos in montosis pascuis palustribus propè summitatem montis Juræ offendimus copiosissimum. *Locus.*

Hellebori albi radix (quæ sola hujus plantæ pars in usum medicum venit) ob violentiam purgationis quam per superiora ac inferiora movet, usum purgandi internum soli ferè Helleboro nigro reliquit *Schrod.* potest tamen (inquit Tragus) per viginti quatuor horas vino aut oxymelite macerata, posteaque resiccata, ℥ß. pondere cum vino exhiberi furiosis & melancholicis. Helleborum utrumque, dicit Gesnerus, [si cum aceto & melle temperetur & decoquatur ut syrupus fiat] medicamentum innoxium, & ad plerosque phlegmaticos morbos (thoracis & capitis inprimis, ut asthma, dyspnoeam, epilepsiam) πολύχρηστον sæpe utilissimè se expertum esse: alvum enim, urinam & meatus omnes, etiam cutis, mirificè nullâ molestiâ expurgare. *Vires & usus.*

In usu Hellebori albi (inquit C. Hofmannus) duo præcipuè videnda, alterum ut morbi sint pertinacissimi, alterum ut vires constent, hinc non debet radix hæc seni, puero, fœminæ ullive delicato dari. Accedit tertium, nè quidquam fiat nisi prægressâ & corporis & Hellebori diligenti præparatione.

Vetustissimus mos est dandi cum Raphano, idque tripliciter, vel enim Raphanum radicibus transfixum ibique per viginti quatuor horas relictum [radicibus abjectis] dabant: vel Raphanum b. m. transfixum in oxymelite infundebant, & oxymel solum offerebant: vel Raphanum ità habitum per noctem relinquebant, manè abjectis Helleboris in oxymelite infundebant, oxymelque propinabant. Optima ejus præparandi ratio (inquit Parkinsonus) est ut succo Mali Cydonii infundatur, aut Cydonio indita in furno aut sub cineribus coquatur. Quin si ab Helleboro sumpto strangulationis periculum immineat, Cydonia comesta eorúmve succus aut syrupus præsentaneo remedio sunt. Radix in aceto decocta, ac in ore aliquandiu retenta dolorem dentium tollit. In lixivio decocta, si eo caput abluatur, pediculos & furfures enecat & abstergit; idem unguento aliquo permixta efficit: scabies, impetigines, serpigines sanat: animalia pleraque interimit, talpas, mures, lacertas, aves, &c. in pasta exhibita. *Trag.*

Pulvis naribus inditus sternutamenta movet unde & Anglicè **Neeswort**, i. e. sternutamentaria herba seu Ptarmica dicitur.

De Hispanorum toxico ex succo radicum in vase fictili fermentato confecto, quo sagittas intingunt ut vulnera insanabilia infligant, consule Parkinsonum, & Jo. Langium Epist. Medicinalium lib. 1. Epist. 68. Maximè mirum alicui videri possit quòd venenum hoc epotum nullam saltem lethalem noxam infert sed tantùm vulneri infusum, adeóque sanguini permistum; verùm idem est de veneno viperino, quod intrò assumptum nulla perniciosa symptomata inducit, verùm sanguini immissum per vulneris aut puncturæ orificium maximas illico tragœdias excitat, & in opportunis remediis occurratur, brevi animal interimit.

Cæterùm Helleborus uterque in furiosis & insanis sanandis olim fuit celeberrimus; neque nunc nisi in morbis magnis, ut Epilepsia, vertigine, mania, hydrope, ischiade, convulsione & similibus adhibendus est.

Cap. II.

De Lapatho.

Lapathum, Græcis λάπαθον, ἀπὸ τοῦ λαπάζειν seu λαπάζειν i. e. κενοῦν, movere, evacuare dicitur, quia foliorum ejus decoctum alvum emollit; Latinis Rumex, à rumo, i. e. sugo, quia solerent succum ejus exsugere. *Voss.* Notæ Lapathi genericæ sunt semen triquetrum splendens, flos hexaphyllos, i. e. sex foliolis constans, quorum tria semen obtegunt, arctè interdum adhærentia.

Lapathum in tria genera subalterna dividi potest: Aliud radice est purgatrice, *Rhabarbarum* dictum: Aliud foliis acidis *Acetosa* & *Oxalis* denominatum. Aliud denique foliis magis insipidis, sapore oleraceo, *Lapathum* simpliciter generico nomine dictum.

Primi generis tres species novimus, nimirum

1. *Rhabarbarum verum* Ger.
2. *Hippolapathum rotundifolium vel Pseudo-rhabarbarum Monachorum.*
3. *Lapathum majus sive Rhabarbarum Monachorum* J.B. *Patientiam vulgò dictam.*

Tertii septem, si modò Lapathum pulchrum Bononiense sinuatum reverà specie distinctum sit ab Oxylapatho vulgari. Eæ sunt

1. *Hydrolapathum majus.*
2. *Lapathum vulgare folio obtuso* J. B.
3. *Lapathum folio acuto crispo* C. B.
4. *Lapathum acutum sive Oxylapathum* J. B.
5. *Lapathum folio acuto, flore aureo* C. B.
6. * *Lapathum pulchrum Bononiense sinuatum* J. B.
7. *Lapathum folio acuto rubente* C. B. *aliis Sanguineum, & Sanguis Draconis.*

1. *Rhabarbarum* Alpin. exot. *Rha verum Dioscoridis* Ger. *Hippolapathum maximum rotundifolium exoticum, sive Rha Ponticum Thracicum, sed veriùs Rhabarbarum verum* Park. **True Rubarb.**

Veris initiis cùm germinare incipit, *caput* grande, rotundum, fuscum protrudit è *radice* crassa, fungosa, lutea, quod in *folia* aliquot successive se aperientia paulatim explicatur. Sunt autem *folia* initio cùm primùm apparent valdè corrugata & complicata, postea sensim dilatata & extensa, rugis & plicis coæquatis lævia fiunt, perampla & subrotunda, pediculis atro-rubentibus pollicem crassis, & in lætiore solo binos pedes longis insidentia, longitudine bipedali, nec minori latitudine, obscurè viridia & cùm juniora sunt subglauca, consistentiâ crassiore quàm Hippolapathi rotundifolii vulg. sapore acido, Lujulæ aut Acetosæ hortensis gratiore. In medio foliorum (non tamen singulis annis) exurgit *caulis* crassus, robustus, humilior tamen quàm Rhabarbari monachorum, foliis ejusmodi rotundis sed minoribus ad nodos amictus, ad summum usque etiam inter *flores*, qui in hac planta, secus quam in alia quacunque Lapathi specie, albi, hexapetali, cum multis intus staminulis albis. Flosculis, ut in aliis Lapathis, succedunt *semina* triquetra, maxima coloris Bætici seu castanei, aut ruffi pulchrè splendentia. *Radix* processu temporis in magnam crassitudinem excrescit & multos ramos seu brachia emittit, colore foris obscuro seu atro-rubente. Cortici exteriori subest membrana tenuis, sublutea, pulpam seu substantiam radicis interiorem proximè investiens: quâ detractâ apparet radix nuda, colore adeò vivido cum venis carneis eam permeantibus & distinguentibus, ut præstantissimum etiam Rhabarbarum quod ad nos ex Indiis & China advehitur eam vix possit superare. Hæc si curiosè & diligenter exiccetur blando hypocausti calore, cavendo nè inter siccandum frusta se mutuò contingant, colorem suum retinet non secus ac si recens esset, & Salivam Masticata colore flavo tingit.

Locus. Rhabarbarum, nullibi nisi in China provenire Garcias, Acosta, Linschotanus consentiunt, unde per Tartariam *Ormuz* & Alepum defertur, inde in Alexandriam, & tandem Venetias; vel per *Usbeken* in Turciam, & hinc Venetias. Scribit Acosta Rhabarbarum in interiore Chinarum regione duntaxat provenire, unde in urbem *Canton* (illius Provinciæ portum & emporium ubi Lusitani habitant) exportatur, & indè navibus in Indiam advehitur, quod citiùs corrumpitur; vel aliâ viâ per Tartariam camelis, quod non adeò cariosum.

Nunc dierum navibus ad nos defertur ex India Orientali, non ut olim ex Alexandria Ægypti, aut Venetiis: in Indiam è Sinis (ubi sponte oritur ut diximus) advehitur.

An Rha ponticum Antiquorum & Rhabarbarum modernorum sit una & eadem specie planta, à Botanicis controvertitur, aliis eandem esse affirmantibus, aliis negantibus: nonnulli etiam sibi non constant, & nunc eandem, nunc diversam affirmant, quorum sententias & rationes vide apud *J. B.* in Appendice Tomi II. *Hist. Plant.* Nec enim opus est ut iis immoremur; nunc enim Rhabarbarum verum Sinense (quod à Rha Pontico Thracico toto genere diversum est) in hortis Lugd. Bat. & Groning. colitur, & ab Abrahamo Muntingio accuratè describitur. *J. le Brun* in libello de *materia medica* hæc habet. Radix hæc Dioscoridi & Galeno ignota fuit, unde malè quidam Rhaponticum *eorum* cum nostro Rhabarbaro confundunt: nam Rheum Diosc. non habet vim purgatricem, & notis veri Rhabarbari caret. Rhabarb. enim substantiâ compactum est, ponderosum & aridum, sapore amarum, odore acre, colore exteriùs subnigro ac rufescente, intus ex rufo flavescente, & ad nucis moschatæ colorem internum accedente, ac maceratum vel manducatum tingens croceo colore. Rhaponticum non est compactum sed rarum, non ponderosum sed leve; non aridum sed lentum; non amarum sed subacre, non odoratum nec colore simile Rhabarbaro.

Vires. Rhabarb. purgat benignè bilem flavam, pituitámque viscosam ac tartaream in ventriculo primáque regione stabulantem. Epati specificè confert, adeò ut cor Epatis dicatur: curat icterum, & quia vim quoque astrictoriam obtinet in omnibus morbis dissolutis, Dysenteria v. g. & Diarrhœa, præ aliis commendatur. Exhibetur pulverisata in Vino albo aut sero lactis.

Sunt qui Rhabarbari usum pueris & prægnantibus interdicunt ob vehementiam: verùm sine causa sufficiente: nam J. Bauhinus aliíque se prægnantes multas eo feliciter sine ullo damno purgâsse referunt. Infusionem præferunt substantiæ, quò enim citius sine violentia medicamentum purgans evacuat, eò gratius. *J. B.*

Partem cùm purgantem, tum adstringentem obtinere creditur, quarum prior facilius elicitur, posterior difficiliùs. Hinc pro diversa intentione diversimodè quoque tractatur. Nonnulli levi tostione vim purgantem minui, & adstringentem augeri sibi imaginantur; quod alii improbant, nec immeritò: Etenim cùm vis purgans fixior sit, quàm ut levi tostione in auram evanescat, tostio illa vix satisfaciet. Præstat itaque si astrictoriam vim auctam velimus, rejectâ primâ coctione denuò id coquere, & fortissima expressione exprimere. *Schrod.* Alii quoque in Dysenteria improbant torrefactum Rhabarbarum; tum quia nimiâ torrefactione vim purgatoriam penitus amittit; tum quia moderatâ vix evitari potest, quin acrimoniam contrahat, unde intestina rodit, & novam materiam ad locum affectum attrahit. Nos tamen in Dysenteria Rhabarbarum tostum bono cum successu usi sumus, etiam in nostro corpore.

Non approbo (inquit *J. Bauhinus*) eorum morem, qui in dysenteria à principio adstringentia exhibent: ii augent morbum dum per ea retinent educenda: nempe acres, malignos & putridos humores quò natura vergit eò ducere oportet, si per convenientia fiat loca: si igitur statim à principio educantur convenientibus purgantibus, sublevantur citò, & postea tutò adstringentibus uti licet.

Cùm substantia frigida & terrea totum permeat, ignea autem in superficie sit; ideò per infusionem separantur partes calidæ & purgantes; manent frigidæ, terrestres & adstringentes. Hinc in infuso plus purgat quàm in substantia. Verùm quia hoc modo fit penetrantissimum, timetur in iis præcipuè qui aliàs ardore & difficultate urinæ laborant, ut Fallopius observat. Diureticum enim

enim cùm sit, agitat & pellit eò humores, ut ardor urinæ sit molestus, quamdiu actio ipsius durat in corpore. *Hofman.*

Ad febres ex obstructione diuturnas, ℞. ℥ij. Rhabarbari, vel ℥j. pro infantibus: in taleolas concisæ linteo raro includantur, & in aq. Cichorii ℔j. infundantur. Dos. ℥iv. nodulo quolibet manè expresso. Has omnes Febres se curâsse hoc remedio testatur Montanus. Hoc etiam ego usus sum in quibusdam affectibus longis cum febre, parte affecta non bene cognita, & semper mihi bene cessit. *Chesneau.* Communicavit *D. Hulse.*

2. *Lapathum folio rotundo Alpinum* J. B. *Hippolapathum rotundifolium vulgare* Park. *Hippol. rotundifolium montanum* C. B. *Hippol. rotundifolium* Ger. **Bastard Monks Rubarb, or Great round-leaved Dock.**

J. B.

Radice surculosa & longa nititur, cujus singuli surculi plusquam pollicarem crassitudinem facilè assequuntur, rugosi & fibrosi, flavescentes intensè, sapore amaro. *Caulis* bicubitalis & tricubitalis, cavus, profundis sulcis exaratus, rubescens, alis multis donatur. *Folia* Bardanæ, notabilis latitudinis, rotunda, glabra, pallidè & quasi ex luteo virentia, pediculo rubente & striato appenduntur. *Flores* muscosi, copiosissimi alas ferè totas obsident, ex herbidis sex foliolis apicibusque multis luteis compositi: quibus semina succedunt triangularia, nonnihil rubentia.

Nascitur (autore Clusio) in omnibus jugis Alpium Stiriacarum & Austriacarum, præsertim circa humidiora illa loca ad quæ armenta, stationem istic habentia, æstivis mensibus aquationis gratiâ frequentissimè convenire solent. *J. Bauhinus* in Rhœtiæ Alpibus invenit. *Locus.*

Purgare aiunt si ad duplum Rhabarbari exhibeatur. *Vires.*

3. *Hippolapathum sativum* Ger. *Hippol. latifolium* C. B. *Lapathum majus sive Rhabarbarum monachorum* J. B. *Lapathum sativum sive Patientia* Park. **Monks Rubarb or Garden Patience.**

J. B.

Hominis proceritatem interdum assequitur, *caule* surgens striato, rubente, superiora versùs in numerosos surculos diviso: *floribus* serie longa per totos ferè ramos muscosis; *semine* subsequente anguloso, folliculis membraneis circundato. *Folia* pedalia & sesquipedalia, lata, acuminata, non tamen dura & rigida, ut vult *J. Bauhinus*, & rubentia, sed potiùs mollia, lævia & obscuriùs viridia, oris aliquando sursum nonnihil reflexis, ut canalem quendam imitentur, æqualibus tamen & minimè crenatis, pediculis rubentibus longis nixa. *Radix* prolixa, crassa, multis adnatis fibris donata, intensè crocea.

Folia mense Martio emergunt, appetente Junio floret & sponte semine se propagat. *J. Bauhinus* se in variis Germaniæ, Galliæ & Italiæ locis se observâsse scribit. *Tempus & Locus.*

Radix bilem flavam & serosos humores educit. Rad. aridæ drachmam, zingiberis scrupulum in pulverem redige, sume jejunus in jure calido. Pro Rhabarbaro qui substituunt duplici dose utuntur. *Trag.* Radicis succum cum sulphure illitum scabiem sanare, cum Lupinorum verò farina lentigines; alphos & alias cutis infectiones exterere refert Matthiolus. Radicis dilutum ex vino paratum, aut siccæ pulvis ex meraco potus ad pellendos renum calculos præstat. *Idem.* Quinetiam ex Marrubii decocto haustus auriginem curat. *Idem.* *Vires.*

Huic idem nobis videtur

Lapathum sativum Lapas J. B. *Lap. hortense folio oblongo, sive secundum Dioscoridis* C. B.

Hanc speciem Lausannæ Sabaudiæ oppido Tragus & Gesnerus provenire scribunt. Est autem inquiunt, Rhabarbaro monachorum quadantenus similis, at folia tenuiora sunt, pinguiora & molliora, ac etiam magis exigua, quare inter olera reliqua, ob dulcedinem suam in culinas recepta est.

J. Bauhini judicium seu sententiam de hac planta adscribam, cui & ipse libenter suffragor.

Ut liberè dicam quod sentio, suspicor Tragum & Gesnerum pro Lapatho hortensi Lausannensi observâsse Rhabarbarum monachorum primo anno satum, quod tunc delicatius est quàm sequentibus. Siquis nos aliter doceat, rem gratam faciet.

Cæterum Bardanam majorem Monspeliensibus *Lappas* dictam scribit *D. Magnol* in Indice plantarum circa Monspelium nascentium.

A. 4. *Lapathum maximum aquaticum sive Hydrolapathum* J. B. *Hydrolapathum magnum* Ger. *majus* Park. *Lapathum aquaticum folio cubitali* C. B. **Great Water-Dock.**

J. B.

Magis huic in fibras diducta est *radix* quàm vel Oxylapatho vel Hippolapatho, foris nigra, intus buxea, cum notabili adstrictione amaricans. *Caules* assurgunt ad duos trésve cubitos, *flore* & *semine* Lapathi acuti sed majore. *Folia* lata, prælonga Rhabarbari monachorum non dissimilia, sed multo longiora, duriora & rigidiora, [longitudine ferè sesquicubitali, Lapathi acuti foliis similia, sed læviora minùsque rugosa *J. B.*] leviter crispatis oris, subacida & strenuè adstringentia.

Folia hujus plantæ non longiora tantùm sunt quàm cujusvis alterius nobis cognitæ Lapathi speciei, sed & surrectiora.

Nascitur, inquit *J. Bauhinus*, aquosis, palustribus ac stagnantibus locis, & fossis humidioribus; imò in ipsis plerunque aquis oritur, raro extra eas. *Locus.*

Quicquid existimet *J. Bauhinus*, hanc plantam à vulgari Oxylapatho tota specie differre & non variare tantùm ob situm, minimè dubito.

Vires. Radix crassa, crocea lenit alvum; Icteritiam discutit. *Folia* podagricis calidis & ulceribus utiliter imponuntur fluentibus. *Schwenckf.*

Hæc planta est quam sub titulo *Britannicæ Antiquorum veræ* describit & depingit Abrahamus Muntingius, quamvis descriptio quoad radicem non convenit cum Bauhiniana. Verùm Muntingii veriorem & accuratiorem esse existimo, quam idcirco nonnihil contractam proponam.

Lapathum longifolium nigrum palustre, sive Britannica Antiquorum vera, vel Hydrolapathum nigrum Muntingii.

E *radice* crassa, rotunda, lata ac spongiosa (annosa dum sit) & succulenta, manûs circiter longitudine, in varias partes crassiusculas, non adeò longas, inferiùs divisâ, & radiculis fibrosis cinctâ colore recens effossa in loco natali, exteriùs nigro, intus candido; qui mox in luteo-rufescentem qualis est Rhabarbari veri mutatur, per siccitatem planè fusca, *folia* protrudit haud multa, Lapathorum omnium longissima, juxta se posita non tamen arctè juncta, sed separatim, sursum semper vergentia, sesquipedem aut duos pedes longa, tres aut quatuor digitos lata, in medio latissima, & in mucronem acutum tandem desinentia, colore superius saturo-viridi vel è cœruleo atro-virente, subtus pallidiore, venulis pallidè viridibus, substantiâ crassiusculâ, tactu duriuscula, densa, constipata & firma, marginulis interdum, præsertim in cauli adnascentibus, parum crispis, pediculo modicè longo & crasso, propè terram interdum rubente, adstringentia & ex parte acida, sub Augusti finem evanescentia. *Caulis* unicus aut etiam plures pro ætate & magnitudine plantæ, duas, tres, & quatuor interdum pedes longus, rectus, teres, viridis, cavus, foliis minoribus hinc inde adnexis ornatus, tam sursum quàm deorsum parumper vergentibus; è quorum sinubus ramuli rariùs dispositi exeunt, flosculis pallidis, sub Julii initium se aperientibus, rarò non tamen verticillatim ad articulos dispositis, è brevibus & teneris petiolis pendulis onusti. Foliola tria floris exteriora duabus, ab utraque parte è pallido colore albidis hirsutis gemmulis, in nulla Lapathi specie præterquam Virginiana Britannica visendis exornantur. Semen parvum, spadiceum.

Hanc plantam veram & genuinam Antiquorum Britannicam esse contendit Abrahamus Muntingius: Siquidem descriptionibus ejus quæ apud Veteres extant tum facie tum viribus per omnia respondeat. Quin & nomen Britannicæ Frisicæ originis esse probare nititur; neque enim à Britannia insula cui ut propinquæ eam dicavêre Frisii denominationem sumpsisse (ut conjectatur Plinius) verisimile est. *Brit* Frisiis consolidare, firmare, compingere, significat: *Tan* verò Dens est: porro *Ica* vel *Hica* idem quod ejectio valet: unde Britannica dicitur herba quæ firmat & consolidat dentes vacillantes; vel medetur morbo dentes excutienti.

Vires. Omnes hujus herbæ partes, caules, folia, flores, semina, sed præcipuè radices validè astringunt, indurant & conglutinant. Hinc omnia putrescentia, ut Erysipelata tam ulcerata, quàm integra, Herpetes, Phagadenica, Gangrænas, &c. inhibet & sanat. Undecunque manantem sanguinem, Hæmorrhoides simul & menses sistit: uno verbo ad omnia valet ad quæ reliqua adstringentia frigida. Nervis, eorúmque incommodis, ruptis, vulsis, contractis, tremulis, spasmo, paralysi, febrilibus æstibus, necnon rigoribus medetur: Venena ac serpentes abigit, & ictus eorum sanat: quare jure inter Alexipharmaca numeratur. Omnes Anginæ species uvulæ relaxationem, paristhmia, similiáque oris, faucium ac ventriculi mala, astrictione egentia, ac apostemata, tumores & ulcera probè depellit, variáque rheumata aufert.

Tandem latentium causarum morbos Stomacacen scilicet, Scelotyrben, cruráque ulcerata antipathiâ suâ curat.

Folia imponuntur ulceratis partibus per horas duodecim viridia, renovantúrque alia: Succus quoque caniculari sole induratus, aut igne inspissatus inungitur.

Varios hujus herbæ ejúsque radicum ad usum præparandi modos, itémque varias compositiones & mixtiones cum aliis quæ operationem ejus promovent medicamentis videsis apud Autorem nostrum prædictum cap. 16.

Quoniam autem (inquit) Scorbutus altas adeò in quibusdam egit radices, ut ex solius Britannicæ decocto parum commodi sentiant, hanc ob causam confectum Medicamentum, à nemine mortalium hactenus (quod scio) scriptis publicatum apponere volui, ut omnes notitiam illius haurire, sibíque facili negotio parare possint. Est enim auro pretiosius, ac domi adversùs omnem morbi Scorbuti suspicionem, inæstimabilis instar thesauri habendum.

℞. *Croci* ℥ij.
Macis
Glycyrrhizæ
Cinnamomi opt.
Piperis nigri
Radicum Gentianæ ana ℥iij.
Britannicæ ℥vj.

Omnia grosso modo pulverisata, immisceantur vini Hispanici spurii libris sedecim, aut pintis Hollandicis 4½ vel 4¼.

Aceti Sambucini vel alterius fortissimi ℔iv.
Ovorum recentium vitella tria.

Macerentur simul in vase lapideo vitreato, probè obturato per horas 72. in cinere calido, fimo equino vel arena calida, eo tamen modo, ut ultra caliditatem tepidam non procedatur. Reponatur deinde & usui servetur.

Hujus

Hujus decocti tres, quatuor, quinque, vel sex etiam uncias pro natura subjecti sumat æger manè jejuno stomacho per dies quatuordecim vel viginti, vel plures. Bibat etiam quotidie ad sitim extinguendam Vinum Rhenanum optimum: vel si Cerevisiæ sit assuetus, sumat non recentem, sed defæcatam benéque coctam: Ac quoties illam æger bibit, toties ipsi cochlearia tria hujus vini exhiberi necesse est.

Notandum tamen, quòd si in hujusmodi ægro siccitas quædam tussis vehemens, vel Tabis suspicio adsit, Piperis loco sumat Glycyrrhiza ℥vj. Vino usu ferè consumpto reliquiis adhuc semel vel bis tantum vini addi permittitur.

Hoc vino non solùm brevi temporis spatio inveteratus Scorbutus, præsertim si absque febre vel inflammatione sit, verùm etiam reliqua Scorbuti genera omnia, inveteratæ Herniæ, Paralytici atque Gallico morbo infecti felicissimo successu curantur. Hæc omnia Muntingius.

A. 5. *Lapathum vulgare folio obtuso* J. B. *sylv. folio subrotundo* C. B. *sylv. vulgatius* Park. *sylv. folio minùs acuto* Ger. **Round-leaved wild Dock**, rather, **The most common great broad-leaved wild Dock.**

Radix huic simplex, interdum surculosa, crassa, altè in terram descendens, exteriùs fusca, interiùs lutea. *Folia* quæ à radice exeunt longis insident pediculis, quæ in caulibus sunt brevioribus, palmum & sesquipalmum lata, longitudine ad latitudinem dupla, aliàs rotundiora & obtusa, aliàs longiora & acuta, marginibus extimis sinuatis ut crenata videantur, utrinque glabra, [media tamen costa & nervi insigniores hirsuti aversa parte] pallidiùs virentia. *Caules* plures, cubitales & sesquicubitales, teretes, striati, brevi lanugine hirsuti, medullâ farcti, ramosi foliis ad nodos longis intervallis distantes alternatim positis cincti. In summitatibus caulis & ramorum *flores* in spicas longas, laxas tamen, & è pluribus florum verticillatim dispositorum agminibus constantes digesti. Flosculi singuli brevibus & tenuibus pediculis penduli, hexaphylli, *staminibus* intus pluribus cum *apicibus* subluteis. Tria interiora flosculorum folia in magnum aucta vasculorum usum seminibus præstant. *Semen* in unico vasculo unicum, triquetrum, splendens, colore castaneo, pallidius quàm *Oxylapathi crispi*. Foliola illa terna quæ vasculum seminale conficiunt ad margines dentata sunt, secus quàm *Oxylapatho crispo*.

Hæc planta *Lapathum sylv. magnum vulgare J. Bauhini* nobis videtur: nam & hujus etiam foliis rustici butyrum obtegere & involvere solent; quin & locis humidioribus in areis pagorum plerunque, ad stabula reperiri solet. Eadem etiam *Lapathum vulgare folio obtuso* Lobelii nobis esse videtur: icon enim convenit; quantumvis Lobelius *Lapathum suum vulgare folio obtuso* Lapatho acuto simile esse scribit semine, caule, flore & radice; foliis duntaxat supernè retusis, brevioribus & rotundioribus differre. Unde nos olim decepti, pro *Oxylapatho* seu *Lapatho acuto* habuimus hanc Lapathi speciem cùm folia acuta produceret, quod non rarò evenit. Verùm jam videmus *Lapathum acutum* Herbariis dictum, eandem plantam esse quàm nos pro *Lapatho acuto minimo* habuimus; & reverà *Lapathum acutum minimum* Lobelii & reliquorum non videtur specie differre à *Lapatho acuto* seu *Oxylapatho* eorundem; ut in ejus historia ostendemus. At planta hæc de qua agimus, tota specie differt ab Oxylapatho, non foliorum duntaxat figurâ, ut descriptiones conferenti patebit.

D. Morisonus aliam hujus seu speciem, seu potiùs varietatem adfert, quam *Lapathum sylv. fol. subrotundo seminis involucro lævi seu plano* denominat, quod non aliter à descripto differt quàm seminum involucris planis & lævibus, non asperis, seu ad latera dentatis. *Varietas.*

A. 6. *Lapathum folio acuto crispo* C. B. *acutum crispum* J. B. *acutum minus* Park. *acuti varietas folio crispo* Ger. emac. **Sharp-pointed Dock with curled leaves.**

Radice cum præcedente convenit nisi quòd minor huic sit, uti sunt & reliquæ ejus partes. *Foliis* differt angustioribus, longioribus, obscuriùs virentibus, per margines crispis & sinuatis, præsertim propè pediculos. *Flosculi* minores, longioribus tamen pedicellis penduli, verticillis crebrioribus, ut semina caulem plerunque penitus contegant & occultent. Tria illa foliola, quæ conniventia semen amplectuntur & includunt, per margines æqualia sunt, non ut præcedentis denticulata. *Semen* quàm illius rubicundius seu castaneo colore intensiore præditum, magnitudine æquale.

In locis incultis, hortorum areis, humidis præsertim & uliginosis passim & copiosè provenit.

Hanc speciem *Johnsonus* & *Morrisonus* pro Lapatho aquatico minore *Tab.* & *Ger.* habent. Figura tamen Hydrolapathi minoris quam adhibent *Ger. Park.* & *J. B.* ad Lapathum anthoxanthon propiùs accedere nobis videtur: utcunque cum illis sentio Lapathum illud aquaticum minus non differre specie vel à Lapatho acuto crispo, vel à Lap. anthoxantho.

A. 7. *Lapathum acutum* Ger. *acutum sive Oxylapathum* J. B. *acutum majus* Park. *folio acuto plano* C. B. **Sharp-pointed Dock.**

Folia huic quàm præcedenti breviora, inferiora à lato principio in acutum mucronem sensim angustantur, minora quàm penultimi, aliàs colore subluteo similia. *Caules* in parem altitudinem attolluntur, sunt tamen graciliores & minores, rigidi, & interdum tortuosi; rami à caule magis extant, seu obtusiores cum eo angulos efficiunt. *Florum* verticilli rariores, seu longiùs distantes, apposito interdum ad singulos foliolo ligulæ instar. *Flosculi* minores quàm præcedentibus; *semina* plus duplo minora. Extimo foliolorum quæ semini pro vasculo inserviunt tuberculum seu verruca rubens grandis innascitur, cui & similis in præcedente Lapatho cernitur sed multo minor.

In humidioribus, ad aquarum margines, interdum etiam in ipsis aquis, nec minùs frequens ad fossas & sepes.

Cum hac ſpecie convenire nobis videtur Lapathum acutum minimum *J. B. C. B. Ger. Park.* Siquidem *J. Baubinus* omnibus partibus minus Oxylapatho vulgato, cætera ei ſimillimum ſcribit: interim, (pergit) hoc peculiare habere videtur, quòd ſtatim à radice ferè caulis in alas incipit dividi, in quibus flores ex certis intervallis verticillatim naſcuntur, muſcoſi, luteoli, ſingulis ferè verticillis appoſito foliolo ligulæ inſtar, quo verticilla tamen extrema carent. Notæ hæ non ſufficiunt ad differentiam ſpecificam arguendam, nam & Lapatho acuto vulgari ubicunque provenit flores verticillati ferè ſunt, appoſitis foliolis ad ſingulos verticillos: quòd autem caulis ſtatim à radice in alas incipiat dividi, natalibus imputandum cenſeo.

Vires. Simon Paulus in ſcabie & prurigine plurimum laudat decoctum radicum Oxylapathi cum vel ſine decocto ſtercoris galli gallinacei, ſi pars affecta eo abluatur.

Ad hujuſmodi affectus duo ſequentia remedia proponit, ut inſignia, 1. ℞. ſucci Oxylapathi, Rhabarbari Monachorum, Rad. Chelidoniæ maj. an. ℥j. pingued. lactis ℥iv. Miſta coque ad ſucci fere conſumptionem. Adde Diapompholygos ℥j. Ceruſſæ ʒij. Aluminis ℥j. Thuris ʒß. Sulphuris ℈j. Miſta deinde diu multúmque agitentur in mortario piſtillo ligneo vel plumbeo. Quòd ſi inter agitandum ſiccius fiat, addatur ſemper pinguedo lactis, ut fiat linimentum mollius.

2. Rad. Oxylap. Althææ an. ℥ß. Helenii ʒij. Herb. Ariſtolochiæ, Scabioſæ, Nummulariæ, Plantag. an. Man. ß. Coque ad putrilaginem in ſ. q. aquæ fluviat. Trajiciantur per ſetaceum rarius: Addatur deinde flor. Sulph. ℈ij. Balſami Peruviani parum. F. l. a. linimentum ad Scabiem.

Backmeiſterus mihi & aliis ceu certiſſimum ad ſerpigines tollendas remedium communicavit pulverem radicum Oxylapathi plani cum aceto miſtum. *Sim. Paulus.*

Sola fricatio radicis Lappatii [i. e. Lapathi, fortè de hac ſpecie intelligit] delet impetiginem. Expertum à me ſæpius. Ex Obſervationibus Marcelli Cumani ab Hieron. Velſchio editis excerpſit & ad me tranſmiſit D. *Barn. Soame.*

Lapathi acuti radix Cereviſiæ infuſa laudatiſſimum Antiſcorbuticum habetur. *Willis de Scorbuto.*

Oxylapathi radices decoctæ vel ſeorſim, vel cum aliis ſpecificis mixtæ, in Ictero ſanando eximii uſus ſunt. *N. B.* Caro quæcunque quantumvis vetus & dura, ſi cum lapatho cujuſcunque generis coquatur, mollis & tenera evadit. *Langham.* Hort. ſanitat.

Pulvis ſeminum lapathi hepar roborat & fluxus alvi quoſcunque ſiſtit. Eſt quidem Medicamentum obvium & ubique parabile, verùm uſus non contemnendi: Ego ei interdum admiſceo pulv. rad. Tormentillæ, ſacch. roſ. & pulv. putaminum ovorum. *D. Bowle.*

A. 8. *Lapathum folio acuto flore aureo* C. B. *Lapathum anthoxanthon* J. B. **Golden Dock.**

Radice eſt brevi, ſurculoſâ, fibratâ, durâ, lignoſâ: *caule* nunc ſimplici nunc multiplici anguloſo, altitudine palmari aut dodrantali; *foliis* oblongis, anguſtis, flavicantibus: *floribus* in ſummis ramis confertis, inferioribus in verticillos habitiores compactis, colore flavicante. *Semina* perexigua ſunt & pallidiora quàm reliquorum congenerum.

Locus. In paluſtribus & uliginoſis locis ſponte exit: Juxta *Swarſton* pontem ad *Trentam* fluvium copioſè, necnon propè *Crowland* oppidum in inſula Elienſi aut Lincolnienſi comitatu. Obſervavimus etiam ſemel Middletoni in Warwicenſi agro in foſſis juxta ædes D. *F. Willughby.*

9. *Lapathum pulchrum Bononienſe ſinuatum* J. B. **The Fiddle-Dock.**

Ex craſſa *radice* multa folia, duarum pleraque unciarum pediculis ejuſdem penè longitudinis profert, unciam plus minùs lata; in medio profundo utrinque ſinu ex adverſo reſpondente, extremitate ſubrotunda, ut muſicum illud inſtrumentum noſtratibus **a Viol** dictum figurâ ſuâ imitentur. E medio foliorum caulis pedalis, nonnunquam ſeſquipedalis exit, in plurimos ramos incurvos brachiatus. Ad ſingula genicula *flores* herbaceos muſcoſos cæterorum Lapathorum more profert: quibus ſingulis ſuccedunt terna foliola anguloſa dentata, continentia ſemina triangularia ſubruffa.

Locus. In areis & paſcuis circa Londinum; & in agris *S. Georgii* dictis propè *Southwark* copioſè provenit. In Helvetia itinerantibus paſſim ſe nobis obtulit: unde non eſt cur è Bononia natales ejus arceſſamus.

Deſcriptio quam adhibuimus partim è *J. Bauhini*, partim è Moriſoni Hiſtoria deſumpta eſt, cùm planta ipſa ad manum non ſit. Eſt cur dubitemus an hoc à Lapatho acuto ſeu Oxylapatho ſpecie differat nécne. *D. Magnol* Oxylapathum vulgare foliis mirè ludere ſcribit, modò acutis, modò ſubrotundis, ſæpiſſimè etiam ſinuatis.

10. *Lapathum folio acuto rubente* C. B. *Lapathum ſanguineum* Park. *Lap. ſanguineum, ſive Sanguis Draconis herba* J. B. **Bloodwort.**

J. B.
Facilis eſt hujus à reliquis Lapathis diſcretio, ſanguineo ſucco quo ſcatet, nervis per folia Lapathi minoris acuminata crebris diſcurrentibus, varióque implexu ruborem ſangineum virentibus foliis conciliantibus, quorum ſuccus & manus & alutam primùm purpureo, mox in cœruleum degenerante colore tingit; quo ſimul & pediculi foliorum turgent. Reliqua effigiatura non abſimilis Lapatho acuto, niſi quòd magnitudine ſuperetur.

In

In hortis seritur pro olere: Junio floret & semine deciduo facilè se propagat.

Folia alvum cient in jusculo, aut expressus succus sanguineus totius plantæ. *Lob.* Nitrosior Oxylapatho esse deprehenditur: reliqua sunt cum eodem communia. Semen pulverisatum & in aliquo decocto astringente potum singularem habet efficaciam in sistendis nimiis mensibus & similibus fluxibus. *Camer.*

11. * *Lapathum Chalepense folio acuto, seminum involucris profundè dentatis* Morison. **Sharp-pointed Aleppo-Dock.**

Hujus caulis valdè ramosus ascendit ad altitudinem sesquipedalem, ad cujus singula genicula nascitur unicum folium acutum. *Flores* ibidem producuntur confertim nascentes, herbacei; atque singulos deciduos sequuntur involucra valdè dentata, quasi spinosa, in quorum singulis singula continentur semina triangularia, ut in cæteris hujus classis.

Plantam hanc ipse nondum vidi; descriptionem ejus è D. Morrisoni Historia mutuatus sum.

12. * *Lapathum marinum sinuatum* J. B. *Lapathum maritimum fœtidum* C. B. Park. **Strong-scented Sea-Dock.**

C. B.

Radice est & *caule* atro-rubente, pedali, incurvo: quem *folia* atro-rubentia, subrotunda, longis pediculis donata, & uncialia, interdum sinuata, communiter alata ambiunt, ex quorum sinu *ramuli* exurgunt, similibus foliis cincti, quorum superiora leviter per ambitum dentata sunt. In caulis summo *flosculi* quadrifolii, muscosi, quasi in spica dispositi, quibus utriculi foliacei, subrotundi, satis exigui *semen* continentes succedunt. Hæc dum viret gravis odoris est & in maritimis non longè Monspelio provenit.

Hæc planta, si modò rectè à *C. Bauhino* describatur, Lapathi species esse non potest, cùm flos ejus quadrifolius sit, omnis autem Lapathi hexaphyllos, ut de vasculis seminalibus nihil dicam. *D. Magnol* in *Botanico suo Monspeliensi Lapathum marinum sinuatum J. B.* hujus synonymam facit; nec sanè præter rationem, cùm & descriptio & locus conveniant. Lapathum autem marinum sinuatum *J. Bauhinus* sic describit.

Cauliculos emittit humi procumbentes, aliàs obliquè erectos, dodrantales, in ramulos divisos angulosos atque striatos, quibus *folia* uncialibus ferè pediculis hærent, alternatim posita, laciniata, duabus insignibus laciniis imam partem in totidem appendices dividentibus, figurâ oblongâ, è quorum sinubus ramulorum exortus est, qui velut in spicas longas ex semunciali intervallo *flosculos* minimos aggestos habent, obsoleti coloris & ex luteolo virente quodammodo albicantes. *Radix* rufescens, simplex ferè, paucisque fibris donata.

D. Magnol ob aciditatem quam habet ad Acetosam refert hanc plantam. Nos ad aliud genus pertinere putamus; verùm quoniam à tribus magni nominis Botanicis hìc fuerit collocata, nec nos quò pertineat certò sciamus, noluimus eam temere loco movere, donec de numero petalorum in flore, & figurâ seminis & vasculorum seminalium certiùs edocti fuerimus.

In sabulosis monticulis parùm ultra Cetium montem, quos reptatu suo occupat, Collegit *D. Magnol.* Cherlerus apud *J. B.* Junio cum flore circa *Aigues mortes.* *Locus.*

Præter has à nobis aliisque visas & descriptas Lapathi species, alias adhuc aliquammultas à se observatas producit Abrahamus Muntingius *M. D.* & in patria Academia Groningensi Botanices Professor. Eæ sunt,

1. Lapathum Chinense longifolium, sive Rhabarbarum longifolium vel verum Matthioli, quæ cùm sit Planta pentapetala, flore cœruleo, non est hujus loci.
2. Lapathum longifolium nigrum palustre, sive Britannica Antiquorum vera, vel Hydrolapathum nigrum. Quod idem esse putamus Lapatho aquatico fol. cubitali *C. B.*
3. Lapathum Virginianum sive Britannica Americana.
4. Oxylapathum planum paludosum.
5. Oxylapathum vulgare minus.
6. Oxylapathum minus dentatum.
7. Oxylapathum fibrosum seu Bulapathum Plinii.
8. Oxylapathum tuberosum Americanum.

Has plantas prolixè describit Muntingius in libro de *vera Antiquorum Herba Britannica.*

Verùm quoniam longæ verborum ambages Lectori plerunque tædium excutere, résque ipsas obscurare potiùs quàm illustrare solent, omissis minùs necessariis, iisque quæ vel omnibus in genere Lapathis, communia sunt, vel iis quæ à Muntingio noviter inventa & descripta suspicamur, descriptiones contrahere conati sumus, nè eadem multoties repetere cogeremur.

Lapathis omnibus in genere convenit florem habere non deciduum aut fugacem, sex foliis, cum totidem staminulis, suos apices gestantibus, compositum, quorum tria interiora magnitudine aucta & conniventia semen triquetrum splendens, & plerunque spadiceum aut nigricans amplectuntur.

Iis quæ à Muntingio descriptæ sunt commune est, Nervum seu costam habere infernè prominulam in medio folio, secundùm ejus longitudinem excurrentem, è qua hinc inde nervuli ad folii latera producti, & ibidem semicirculariter coeuntes cernuntur.

Item tum folia ipsa, tum eorum petiolos & nervos medios maculis & punctis rubentibus contaminata habere: petiolos subrotundos inferiùs sed striatos, superiùs planos.

Cæterum Muntingius duobus nominibus nobis reprehendendus videtur. 1. Quòd non indicet locos particulares, in quibus singulas species viderit aut invenerit. 2. Quòd non dicat, quas species

cies novas & à ſe primùm obſervatas, quas ab aliis ante ſe, quibúſque nominibus traditas aut deſcriptas putet. Quæ certè nobis paulò hebetioribus plus lucis affudiſſent ad eas ritè intelligendas & diſcernendas, quàm deſcriptiones partium etiam verboſiſſimæ.

* 13. *Britannica Americana ſeu Lapathum Virginianum* Munting.

E *radice* craſſa, variè diviſa, & fibroſis appendicibus onuſta, exteriùs fuſca, internè è rubro lutea, medullâ in vetuſtioribus è fuſco rubrâ, circulo quodam albo intrinſecus exornatâ, ſubſtantiâ firmâ & ſolidâ, per ſiccitatem tamen ſpongioſiore, ſucculentâ, inodorâ, guſtu amara & adſtringente, ac ore maſticata ſuccum quaſi luteum exhibente, *Folia* edit non adeò copioſa, arctè quaſi conjuncta, ſurſum magis quàm deorſum vergentia, magnitudine varia, in planta nondum florente minora, breviora & rotundiora, in florente majora & acutiora; infima cum petiolis ſeſquipedem circiter longa, 6, 7ve digitos lata ubi latiſſima, in acutum mucronem parùm ſe contorquentem ſenſim deſinentia, modicè craſſa & pinguia, ſupernè herbacea, infernè è viridi ſubcœrulea, marginibus plurimùm rubris; necnon media coſta, & venulis indè ad latera excurrentibus, quæ tamen infernè parum aut nihil ruboris oſtendunt, guſtu validè adſtringente & acida, petiolis craſſis, nec plus quinque uncias longis nixa. E quorum medio menſe Junio erumpit *caulis* tripedalis, pollicem craſſus, teres, ſtriatus, cavus, viridis, ad genicula tamen ſeu foliorum ſedem annulo planè rubido, digitum lato cinctus, foliis hinc indè adnaſcentibus, & deorſum plerunque vergentibus, infimis multum minoribus, & ſenſim anguſtioribus ad faſtigium uſque veſtitus: è cujus apice primò non inter folia ei annexa, ut in aliis Lapathis, Julio menſe flores producuntur. Qui tamen caulis poſtea in paucas quaſdem partes tranſverſas, admodum anguſtas, ac à ſe invicem ſeparatas diſſipatur, quibus inferiùs pauca quædam foliola adhærent. Flores & ſemina ut in aliis Lapathis, à quibus tamen omnibus præter præcedentem differunt, quòd albidæ gemmulæ planè lanuginoſæ ipſis eorum foliis ab utraque parte adnectantur.

Frigoris minùs patiens, in regionibus ſeptentrionalibus per hyemem reponi deſiderat.

* 14. *Lapathum planum paludoſum* Munting.

E *radice* modicè longa, digitum craſſa, & in quaſdam partes rectà tranſverſas diviſa, colore ut in Britannica vera, ſaporis experte, necnon admodum adſtringente, *Folia* profert non multa Acetoſæ vulgaris effigie, plana & explicata, vix manum longa, duos digitos ferè lata, è baſi latiore in mucronem deſinentia, viridi colore, conſiſtentia duriuſcula, pediculis longis nitentia, marginibus planis, interdum nonnihil velut plicatis, coſtâ mediâ ſupernè interdum rubrâ, parum amara, necnon validè adſtringentia, inter quæ & alia quædam minora, longioribus pediculis, plana in obtuſum mucronem finientia, ſubſtantiâ atque effigie Acetoſæ vulgaris perſimilia. E quorum medio menſe Maio unus, vel pro magnitudine plantæ duo *Cauliculi*, recti, bipedales circiter, tenues, duriuſculi, teretes, ſtriati, rubei plerunque, interdum pro naturâ loci ex parte virides aſſurgunt; foliis hinc inde rarò à ſe invicem diſtantibus, iis quæ ad radicem latioribus, planioribus, brevioribus, atque in obtuſum mucronem deſinentibus, Acetoſæ vulgaris ſimilibus veſtitus: inter quæ à ſuperiori parte ramuli tenues, cæteris Lapathi ſpeciebus ferè omnibus numero frequentiores, permultis foliolis minoribus, & in acutum planè deſinentibus necnon ſuo in virore ad ſeminis perfectionem perſeverantibus onuſti, oriuntur. Floſculi verticillatim ad articulos diſpoſiti ſub finem Julii aperiuntur. *Semen* puſillum, triangulum.

Floſculorum foliolis tribus internis tres gemmulæ ex albido rubentes oculos protuberantes non iniquè efformantes externè adnaſcuntur: quod nos in Oxylapathi etiam floſculis obſervavimus.

* 15. *Lapathum vulgare minus* Munting.

E *radice* ferè lutea, digitum vix craſſa, ſex circiter digitos longa, in acutum deſinente *folia* profert digitum plus minus longa, ac pollicem [tranſverſum] lata, in obtuſum mucronem deſinentia, ſupernè hilariùs viridia, infernè pallidiora, pediculis tenuibus hærentia, plerunque plana, rariùs nonnihil quaſi criſpata, guſtui ingrata, atque nonnihil interdum amaritie quadam aceſcentia. E quorum medio *Cauliculus* producitur tenuis, ſeſquipedalis aut altior, teres, parùm rubeſcens & ſtriatus, varios in ramulos, tranſverſos, graciles diviſus, quibus nonnulla exigua foliola, inferioribus acutiora, ab utraque parte, rariùs diſpoſita adhæreſcunt. Ad quorum exitum è caule floſculi articulatim diſpoſiti proveniunt. *Semen* puſillum, fuſcum.

In ſiccis potiùs quam paludoſis oritur.

* 16. *Lapathum minus dentatum* Munting.

E *radice* tenui, tuberoſa, manum tranſverſam longâ, tam internè quàm externè pallidè luteſcente, *Folia* edit pauca, inferiori parte juxta ſe poſita & quaſi ex uno loco emergentia, puſilla, digiti longitudinem vix continentia, brevibus admodum petiolis, ad baſin circiter pollicem lata, indéque ſe contrahentia in acutum mucronem tandem deſinentia, ſupernè gratè vireſcentia, inferiùs pallidiora, ſolo plerunque incumbentia, rariùs ſupra illud elata, undique fermè plana, marginibus ex parte rubidis, parumper inciſis, aut gratè dentatis, guſtum valdè tenuiter ferientia. *Caulis* plerunque unicus, valdè gracilis, ſeſquipedem plus minus longus, teres ferè, parùm ſtriatus, cavus, colore ſpadiceo; non admodum altè ſupra ſolum in quinque, ſex, vel ſeptem ramulos tranſverſos, ab utraque parte provenientes diſſipatus, quibus foliola quædam exigua, vix tamen aut nihil

hil crenata, verùm inferioribus planiora adnectuntur hinc indè procul à se invicem distantia, ad quorum exortum caulibus verticillatim adnascuntur *flores* perpusilli, pallidè virides. *Semen* pusillum, nitidum, spadiceum.

* 17. *Bulapathum Plinii, sive Lapathum fibrosum,* Munting.

Humilis & exigua est planta, è *radice* tenui, brevi, pallidè pupurascente, necnon planè fibrosa, & nullo modo (ut cæteræ Lapathi species universæ) tuberosâ, aut amariusculâ, sed sapore potiùs ingratâ, Folia protrudit haud pauca rotunda quasi serie quadam disposita, tam deorsum quam sursum vergentia, brevibus petiolis inhærentia, effigie ac magnitudine *Sanguinei Lapathi* foliis, quæ parvam bubulam linguam repræsentare videntur, non dissimilia, juxta petiolos latiora, & tandem angustiora, in mucronem desinentia, parvam manum longa, duos digitos lata, supernè atro-viridia, infernè pallidiora, plerunque plana, interdum tamen in hac vel illa marginum parte parùm inversa vel quasi plicata, substantiâ modicè crassa, ore commansa parumper acida, adstringentia, atque amaritudinem quandam propinantia. E quorum meditullio Caulis sæpiùs surgit unicus, sesquipedem circiter longus, teres ferè, striatus, concavus, foliis pallidior, quatuor, quinque, vel sex foliolis pusillis, hinc indè emergentibus onustus, necnon circa fastigium in duas, tresve partes divisus, in quibus flosculi non verticillatim, verùm undique æquali semper ordine cauliculos ad summum apicem cingentes dispositi cernuntur. *Semen* pusillum, spadiceo vel fusco colore nitidum.

Floret Vere; Semen circa Maii exitum maturat. Semine prolato sæpius, non tamen semper emoritur.

* 18. *Oxylapathum tuberosum Americanum,* Munting.

E *radice* pollice nonnunquam longiore, crassâ, ovali, tuberosa, angulosa, fibris paucis hinc indè enatis donatâ, exteriùs fulvâ, internè candida, sub finem Aprilis aut Maii initium *folia* protrudit rufescentia, ex angusta origine in latius finientia, sex digitos longa, in medio duos trésve lata atque ibidem rotundiuscula, in mucronem acutum desinentia, modicè longo & angusto quasi pede nitentia, mollia & leviter flaccescentia, supernè atro-viridia, infernè pallidiora, marginibus planis, palato pergrata, quamvis & acidiuscula & parùm adstringentia. Caulis circa finem Junii nunc unus, nunc plures, pro radicis ætate aut magnitudine, pedem longi vel paulò altiores, teretes, tenues, duobus parvis, aliquando oppositis interdum separatis foliolis, vel unico tantùm, aut sæpius planè nullo onusti exurgunt. In quorum fastigio tres, quinque, vel septem nonnunquam, à se invicem separati, bini tamen semper ab utrâque caulis parte juxta se positi, flosculi, in cacumine nihilominus in unum desinentes, petiolis pusillis nixi, à præcedentibus omnibus Lapathi speciebus formâ, magnitudine, foliis ac colore planè diversi, ex albido scilicet rufescentes, explicati & omnino rotundi, conjunctim interdum & quasi coacervatim dispositi, è foliolis sex tenerrimis, intrinsecùs sive meditullium versus admodum angustis, extrinsecùs verò latioribus, atque in tres particulas ibidem acuminatas Cyani modo incisis constantes, cum perpusillis in meditullio apicibus luteis: qui post triduum in se marcescebant nullo relicto semine.

An hæc planta vera & genuina Lapathi species sit nobis non constat, cum Autor noster nec semen, nec ejus conceptaculum describat.

Superficies hujus plantæ quotannis hyeme interit: radix perennat.

Cap. III.

De Acetosa.

Acetosa ab aceto recentioribus dicta est, quia acido sapore acetum æmulatur: Græcis Oxalis pariter ab acido succo.

In nonnullis Acetosæ speciebus puto me observâsse alias plantas steriles & floriferas tantum, alias fertiles & semine prægnantes: ut in his quoque sexûs distinctio eluceat.

Hujus generis octo species nobis innotuere. Eæ sunt

1. *Acetosa vulgaris.*
2. *Montana maxima* C. B.
3. *Sterilis Moscovitica* Mor.
4. *Vesicaria Americana* Park.
5. *Rotundifolia hortensis* C. B.
6. *Scutata repens* C. B.
7. *Arvensis lanceolata.*
8. *Cretica semine aculeato* C. B. *Quæ eadem Acetosæ Ocimi folio Neapolitanæ Bucephalephoræ* Col.

A. 1. *Acetosa*

A. 1. *Acetosa vulgaris* Park. *pratensis* C. B. *Oxalis vulgaris folio longo* J. B. *Oxalis seu Acetosa* Ger. **Wild Sorrel.**

J. B.

Cubito altiores promit *caules* striatos, concavos & in apricis rubentes, in alas divisos, & *foliis* alternatim positis cinctos, Bistortæ minoribus, acuminatis, quà pediculo adhærent falcatis pinnatisve succulentis, glabris, atro-virentibus, sapore acido. *Flores* & *semen* Lapathi acuti (inquit *J. Bauhinus.*) In hac specie plantæ nonnullæ flores duntaxat proferunt, hexapetalos cum duodecim staminulis & apicibus luteis, quibus nullum succedit semen: Aliæ semen proferunt triquetrum, splendens in vasculo tribus foliolis conniventibus composito, ut in Lapathis fit. *Radix* fibrosa, lutea, strenuè siccante & astringente sapore.

Locus & Tempus. In pratis & pascuis passim & copiosè provenit, in hortos etiam admittitur in usum culinæ. Æstate floret & semen brevi perficit, quod (ut rectè Gesnerus) difficulter colligitur, cùm subitò decidat antequam probè maturescat.

Hujus varietas habetur, quam *J. Bauhinus* sub titulo *Oxalidis crispæ* depingit & describit. Hæc, inquit, natali loco, tempore & crescendi modo à priori nihil planè differt quàm quòd natura foliis crispis in hac mirè ludat.

Vires. Acetosa omnis, ut alia ferè acida, refrigerat & siccat; appetitum excitat, choleram reprimit, sitim sedat, putredini resistit, unde in febribus biliosis, simplicibus ac pestilentibus usitatissima est, atque etiam utilissima, seu succum expressum jusculis & sorbitionibus immiscere, seu folia eisdem incoquere malueris. Aqua destillata eisdem usibus inserviet hyemis tempore, cùm folia evanuerint; est autem, ut pleræque hujusmodi aquæ stillatitiæ, languidior multò & minorum virium.

Semen medicamentis additur cordialibus, éstque proculdubio facultatis adstringentis particeps, ut aliorum Lapathorum semina.

Herba æstivis mensibus acetariis infertur, éstque idoneum multorum ciborum condimentum.

Singulare est (inquit Simon Paulus) quod aliqui practici pro horribili secreto habent, quòd Acetosæ radix siccata & decocta rubello eleganti colore aquas tingat, cujus tamen Rulandus jampridem meminit.

Grœnlandi miserè vexantur Scorbuto, sed quasi renati convalescunt, miscendo Cochleariam & Acetosam simul in Brodiis suis Avenaceis vel Hordeaceis. Hæ duæ plantæ semper crescunt simul in hac regione, quasi seorsim sumi non debeant, nè separatæ noceant, quippe una sale volatili, altera acido turgescit, ex quarum mistura media qualitas exultet. *Bartholin. Act. Med.* 1671. Obs. 9. Ex adversar. D. *Tancredi Robinson.*

2. *Oxalis montana maxima* C. B. *Sylvatica maxima* J. B. *Acetosa maxima Germanica* Park.

J. B.

Duorum cubitorum circiter altitudine est caulis striatus, foliis ex intervallis certis amictus singularibus, sesquipalmaribus, uncias tres latis, acuminatis, glabris, inferioribus verò duplo majoribus, acido sapore præditis.

Acetosæ maximæ speciem cùm Cantabrigiæ degerem, diu in hortulo nutrivi sub titulo *Acetosæ maximæ Hispanicæ*, cujus folia non tantùm majora fuere quàm Acetosæ vulgaris, sed & colore dilutiore, succulentiora, & teneriora. An fortè Acetosa Hispanica grandissimis foliis *Cam.*? quæ tamen differentiæ natalibus imputandæ videntur.

Hanc plantam *C. Bauhinus* in montibus Helveticis & Sabaudicis provenire scribit: *J. Bauhinus* in monte *Thuiri* propè Genevam.

* 3. *Acetosa montana geniculis nodosis* C. B. *montana maxima* Park. *qui hanc cum præcedente eandem facit. Oxalis folio amplissimo, geniculis tuberosis* J. B. **Great knotty-jointed Sorrel.**

Clus.

Oxaldiis genus in jugo *Wechsell* Clusius observavit, sativo multò majus, foliis valdè amplis, cui hoc peculiare erat, ut in caulis nodis & geniculis subinde velut tubera quædam adnascerentur, è quibus folia tandem sese explicarent; quæ tubera tellure obruta [periculum enim fecit] sui generis plantas protulerunt.

* 4. *Acetosa tuberosa radice* J. B. *Oxalis tuberosa radice* J. B. Park. **Sorrel with tuberous or knobby roots.**

Terram suprà Oxalidem pratensem refert, *foliis* paris magnitudinis & formæ, aliis caulem alis suis complexis, aliis longiore pediculo nixis. *Flos* stamineus, luteolus, racemosus, (Lobelio teste, cui primam ejus notitiam debemus), radicibus tuberosis Filipendulæ vel Oenanthes *perquam* spectabilis.

Jacobo Zanoni hæc species *Acetosa Ragusiana* dicitur, unde verisimile est eam in confinio Ragusæ urbis, unde transmissa est, sponte oriri. Cæterum Zanoni Acetosam suam tuberosam, repentem Ragusinam à Lobelianâ tuberosâ specie diversam esse contendit: Siquidem Ragusina sub terra reptans se multiplicat, & novas in circuitu plantulas seu stolones emittit: *folia* habet sanguineis maculis (cùm primo erumpunt) notata; *florem* rubicundum; & in singulis radicibus singula duntaxat

taxat tubera, longa, crassa, Pæoniæ fœminæ aut Asphodeli majoris tuberibus similia: Lobeliana autem his omnibus notis caret, cùm Acetosæ hortensi vulg. tuberibus exceptis, per omnia similis sit; tubera autem multò sint minora, duo aut tria in eadem interdum radice aut radicis fibrâ simul juncta, Filipendulæ vulgaris crassitie. Verùm his non obstantibus Lobelio descriptam & depictam, cum Ragusina Zanoni eandem esse suspicor. Potuit enim & Lobeliana reptando se propagare, quamvis proprietatem istam Lobelius vel non animadvertit, vel non meminit: maculas autem sanguineas vel insecti cujusdam puncturæ, vel morbidæ aut vitiosæ alicujus efflorescentiæ notas esse verisimile est; tubera insuper in icone Lobeliana non multùm figurâ suâ abludunt à Ragusinæ tuberibus, nec plura sunt in singulis fibris, nisi quando fibræ majores in ramos dividuntur, quod fortè etiam in Ragusina interdum potest contingere, aut si nunquam contingat, pictori vel sculptori incauto aut cerebroso seu temere, seu de industria iconem corrumpenti, & fibris tubera appingenti deberi.

5. *Acetosa sterilis Moscovitica* Morisoni. **Barren Sorrel of** Russia.

Hæc parùm admodum differt ab Acetosa vulgari, nisi quòd sit foliosior, rotundior & omnino minor. Raro caules edit, rariùs flores; semina apud nos ad maturitatem nunquam perducit, unde non ineptè sterilis appellatur.

Folia ejus ineunte Vere teneriora cùm sint, acetariis sunt aptiora.

Locum titulus indicat: vidi in horto *D. Willughby* Middletoni cultam. Qui nobis communicârunt à *Novo castro* Northumbriæ oppido ad se transmissam retulerunt.

* 6. *Acetosa montana, radice rectâ, pedali aut sesquipedali Lapathi instar absque fibris* Moris. **Long-rooted Mountain Sorrel.**

Moris.

Radice longâ, rectâ, absque fibris adhærentibus à reliquis Acetosis differt; quoad cæteras partes convenit cum congeneribus.

* 7. *Acetosa quarta* Col. *montana bulbosa* C. B. *bulbosâ montana major* Park.

De hac Columna; Quarta montium frigidiorum incola, rotundior, bulbosa. *Folia* promit lata in imo, basi bifurcata ac veluti alata, quodammodo hederacea, trifida.

Ex brevi hac descriptione an hæc sit species à suprascriptis omnibus distincta certò definire nequimus.

8. *Acetosa vesicaria Americana* Park. *Americana longissimis pediculis donata* C. B. *Oxalis Africana* J. B. **American Sorrel.** *Acetosa Indica* Park. *quid differt?*

C. B.

E *radice* simplici, alba, paucis fibris donata *caules* plures, rotundi, striati, læves, in terram reclinati prodeunt, qui mox in plures ramos oblongos brachiantur. *Folia* gemina opposita, aliquando etiam singularia, pallida & velut nitroso pulvere obsita, angulosa, non tamen ut in vulgari bifurcata aut alata, sed potiùs Atriplicis formâ, biuncialia, & pediculis triuncialibus donata, mollia, carnosa [vel Portulaca ipsa crassiora, *J. B.*] sapore acido; ex quorum sinubus alæ surgunt foliis minoribus, sed eâdem formâ; in quorum, ut & in caulis summo *flosculi* ex luteolo virentes & rubello quodam, figurâ Oxalidis vulgaris, solâ magnitudine differentes, quippe majores, ex recurvo pediculo penduli, vel ut in spicas dispositi: quibus *fructus* foliacei (ex tenuibus rufescentibus membranis, elegantissimis venulis, veluti in Fritillariâ per eas discurrentibus compositi) ut in aliis, sed quadruplo quàm in vulgari majores, ex parvis pedicellis dependentes succedunt, quibus *semina* triangularia oblonga, rufescentia & splendentia inclusa continentur.

Cæterùm tota planta gustu & aciditate delicatiore reliquis congeneribus præferenda.

J. Bauhinus dubitat an hæc planta sit *Zacynthi Oxalis* Alpino in lib. de Plant. Ægypt. quam exilem herbam fuisse scribit, foliis parvis, crassis, oblongis, Calthæ foliorum æmulis, gustum ut nostram acido sapore ferientem. Nos Zacyn. Oxalidem huc referre malumus, quàm pro nova specie proponere cujus notæ omnes huic non ineptè conveniunt.

* 9. *Acetosa vesicaria Tingitana perennis repens, foliis longis sinuatis* Morisoni; *perennis Tingitana major dentata* Zanoni. **Bladder-Sorrel of** Tangier **with waved leaves.**

Moris.

Folia protrudit è terra plurima, longa, mucronata, profundè laciniata seu sinuata, imò undulata. E meditullio horum exit *caulis*, per terram stratus, ad cujus genicula nascuntur *folia* singularia, itidem sinuata. In summis caulibus nascuntur *flores* muscosi: quibus singulis succedunt vesicæ triangulares, in gremio continentes semina triangularia. *Radicem* profert crassam, repentem, multis fibris donatam.

Copiosè provenit in Mauritania Tingitana, unde D. *Alexander Balam* in Angliam transmisit.

D. Zanoni omnes hujus plantæ partes prolixè & accuratè describit. *Folia* quoad formam Ari similia ei attribuit, nisi quod dentata & undulata per margines sint, & ad basin suam in duas lacinias profundè incisa, *caulem* cubitalem, dum adhuc tener est humi stratum, postea se erigentem, pennæ anserinæ crassitie, infernè ad medium usque dilutè rubentem, reliquâ superiore parte virentem,

fragilem

fragilem adeò ut non sine strepitu rumpatur: *flores* & capitula tenuibus pediculis pendula, interdum solitaria, aliàs duo aut tria simul, ex eodem puncto prodeuntia. Cætera apud ipsum vide.

Cum Acetosa vesicaria præcedente mihi non multùm convenire videtur, siquidem *radice* est perenni & durabili; *foliis* oblongis sinuatis & ad basin profundè laciniatis: floribus eósque sequentibus seminibus in singulis pedicellis singulis, non pluribus simul in unum capitulum conglobatis, ut in illa.

10. *Acetosa rotundifolia hortensis* C. B. *Oxalis Franca seu Romana* Ger. *Sativa Franca sive Romana rotundifolia* Park. *folio rotundiore repens* J. B. **Roman or French Sorrel.**

J. B.

Ludit subinde hæc *foliis*, modò rotundis ferè, Cochleariæ vel Chelidonii minoris proximis, modò alarum appendicibus donatis, aliàs sagittæ instar mucronatis pinnatísque velut Spinachiæ foliorum extremum, colore glauco aut pallido, pinguiusculis, delicatóque acore præditis. *Caules* inanes, cubito longiores: Flosculi è fibris componuntur ex luteo rubentibus, ut in aliis, quibus & semen respondet. *Radix* tenuis reptat, sapore minùs acido, sed magis sicco quàm folia.

In hortis passim seritur.

Huic affinis est,

A. 11. *Acetosa scutata repens* C. B. prod. Park.

C. B.

Cauliculis nodosis tenellis, per terram repentibus, uncias quatuor longis: foliis unguem latis, sed longis pediculis cauliculos æquantibus donatis, formam scuti, vel potiùs Avonis folium referentibus, in medio tamen utrinque sinum obtinentibus, & in apicem desinentibus.

Huic eandem specie esse existimo *Acetosam rotundifoliam repentem Eboracensem folio in medio deliquium patiente* Moris. ut & *Cambro-britannicam montanam* Park. quam & nos olim in agro Westmorlandico sponte ortam invenimus. Morisonus eam vix alia in re quàm foliis rotundis, spissis, virentibus, in medio deliquium patientibus à vulgari Romana rotundifolia differre scribit.

Nec multùm abludit

* 12. *Acetosa rotundifolia Alpina* C. B. Park.

C. B.

Planta palmo minor, cui folia quina vel sena Violæ luteæ Alpinæ modo rotunda, unguem lata, pediculis tres etiam quatuor uncias longis & tenuibus donata prodeunt, & inter hæc cauliculus lævis & nudus, sexuncialis exurgit; in cujus summo flosculi muscosi parvi velut in spicâ unciali, cui foliolum simili formâ subjicitur.

* 13. *Acetosa Calthæ folio peregrino* C. B. *Oxalis Zacynthi* Alpin.

A nostris (inquit Alpinus) Oxalidibus omnibus admodum diversa erat: Quippe exilis herba, *foliis* parvis, crassis, oblongis, Calthæ foliorum æmulis, gustum non minùs quam nostra acido sapore feriens.

A. 14. *Acetosa arvensis lanceolata* C. B. *minor lanceolata* Park. *parva auriculata repens* J. B. *Oxalis tenuifolia* Ger. **Sheeps Sorrel.**

Prolixas habet *radices*, tenues, fibrosas, rubentes, sub terra reptantes & nova obiter germina ad intervalla protrudentes, quibus longè latéque brevi temporis spatio se diffundit, solo præsertim arenoso. *Caules* in lætiori solo semipedales sunt aut altiores, striati, solidi, foliis cincti crebris, situ alterno, summa parte in plures ramulos divisi, in quibus *flosculi* & semina eodem modo oriuntur quo in vulgari Acetosa, longos racemos efficientes. Sunt enim flosculi hexapetali inutiles quibus nullum succedit semen: sunt & semina quibus nullus flos prævius. Semina non conteguntur tribus foliolis conniventibus tantùm, ut in aliis plerisque hujus generis, sed herbaceo involucro arctè adhærente. *Folia* semunciam aut unciam longa sunt, ad imum auriculata, gustu reliquorum instar acido: Superiora in caule plerunque angusta sunt, & auriculis carent.

In arenosis, lapidosis & incultis agris passim provenit, reptatu suo odiosa.

Huc refero Acetosam XIV, seu lanceolatam angustifoliam repentem *C. B.* item XV. seu arvensem minimam non lanceolatam repentem *ejusdem*, quæ accidentibus quibusdam à loco natali ortis potiùs quàm specie differre videntur.

Acetosa angustifolia elatior Park.

An ab hac specie differat me nescire fateor: notæ ejus distinctivæ sunt tantùm *Caulis gracilis elatior, Folia angusta, oblonga.* Nihil adfert autor de loco ejus natali, nec unde habuit aut plantam ipsam, aut ejus iconem, dicit: quocirca nisi aliunde ejus notitiam habuerimus, oportet ut adhuc incerti maneamus.

15. *Acetosa*

15. *Acetosa Cretica semine aculeato* C. B. Park. *Oxalis minor aculeata Candiæ* J. B. **Prickly-headed Sorrel of Candy.**

Ramulos complures dodrantales & cubitales, humi fusos, undatim flexuosos, graciles, striatos producit, colore propter terram rubente, aliòqui viridi: *folia* pauca Oxalis vervecinæ, pinnis mutila, oblongis pediculis donata: *flores* ex intervallis per totam ferè ramorum longitudinem, muscosi, luteoli, velut in spicas dispositi; quibus *semen* succedit triquetrum, purpurascens, triplici membranulâ aculeata circumclusum, contorto, latiusculo succulento pediculo appensum. *Radix* gracilis, fibrosa, rufescens, summa tellure hærens.

Ex semine sub hoc titulo à D. *de Casa bona* misso, Montbelgardi in horto Ducis succrevit, Junio floruit, & Julio semen maturuit.

Huic speciê omnino eandem esse mihi persuadeo, quæ frequens circa Neapolin oritur à D. Fabio Columna descripta & depicta sub titulo

Acetosæ Ocymi folio Neapolitanæ bucephalephoræ.

Cujus descriptionem, nè Lectori temerè imposuisse videar hîc subjungam.

Folia huic Ocymi modo sunt sescunciam lata, carnosa, ovali figurâ, petiolo longo hærentia, veluti nitroso pulvere obsita, acido sapore ut in congeneribus, alternatim cauli hærentia; ex quorum sinubus *alæ* surgunt, minoribus eodem modo foliis: in quorum & in caulis summo in spicam, ut in aliis, *flores* emicant dispositi, parvi, herbidi, lutescentes, muscosi, ac etiam circa summa folia hærentes, foliolis quibusdam parvis pro calice: quibus *fructus* succedunt foliacei, ut in aliis, sed huic miro naturæ artificio Bubulinum caput exprimentes, nam veluti collo cauli hærent, & indè ad capitis extrema velut cornua parùm inter se curva; paulò inferiùs verò, & veluti è regione oculorum, aures veluti apparent utrinque & supercilia; & ab his reliquum dependens capitis totius iconem exprimens. *Caules* plures à radice exeunt, aliquando pedales aut majores, parùm angulosi ac veluti striati. *Radix* tenuis respectu plantæ, in summa tellure hærens.

Autumni fine exit; caulem edit vere; æstate perficitur.

Hanc plantam circa Neapolin, locis à *Columna* indicatis abundè provenientem vidi & collegi. Prima facie *Oxalida minimam vervecinam* putavi, verùm curiosiùs eam inspiciens diversam agnovi; & revera Descriptio *Acetosæ Creticæ semine aculeato*, quam ex *J. B. Hist.* desumptam proposuimus ei egregiè convenit, ut non dubitem eandem esse quam Bauhinus descripsit.

* 16. *Acetosa annua Ocymofolia Lusitanica* Munting.

Planta est annua, è *radice* parva, tenui, fusca, fibrosa *folia* portrudens non magna, pediculis articulum longis nitentia, digitum minimum fermè lata, ovali figurâ, ad pediculos, nimirum angusta, in medio latissima, indéque in obtusum mucronem desinentia, crassiuscula, marginibus planis, supernè obscurè virentia, infernè paulò pallidiora, gustu acido, unica in medio, tenerâ venulâ, è qua aliæ quædam pusillæ ac vix visibiles exoriuntur. *Cauliculi* inde exurgunt unus, duo vel tres; foliolis prædictis minoribus angustioribus, magísque acuminatis, hinc inde ad digiti à se invicem distantiam cincti, vix manum longi: quorum summo fastigio spicæ in modum sed verticillatim ad articulos dispositi *flosculi*, brevissimè ac arctè admodum suis pediculis adnati Augusto ac Septembri mensibus explicantur. Seminis involucrum Lunæ in cornua falcatæ modo dispositum, inferiori parte rotundiore parumper purpurascens, pluribúsque spinulis quasi molliusculis plenum necnon longiformi cuidam, crassiusculæ & lanugino sæparti, ut in Calendulæ semine, annexum.

Herba est tenera, frigoris minùs patiens, nec semen nisi calido in loco Soli exposita, in oris nostris ad maturitatem perducit.

Hæc plantula ab Acetosa Ocymi folio Neapolitana bucephalephora *Col.* solâ seminis, seu veriùs conceptaculi seminalis figurâ, Muntingio ipso fatente, differt: ut eandem specie esse suspicer, & naturâ tantùm ludente in vasculi seminalis figura variare.

* 17. *Acetosa annua Africana* Munting.

A præcedente, cui aliàs satis similis est, differt Statura paulo altiore, Foliis rotundioribus & obtusioribus, ramulis floriferis è caulium lateribus inter foliorum ortus erumpentibus.

Cap. IV.

De Fegopyro.

HÆc planta Fegopyron seu Fago-triticum recentioribus dicitur à figura seminis, quòd Faginam glandem formâ triquetrâ & colore sordido quodammodo refert, licet quantitate multò minus: apud Veteres nullum nomen obtinuit, quibus vel non cognitum, vel non usitatum, vel neglectum. *Dod.* *C. Bauhino* Erysimum Theophrasti folio hederaceo dicitur. Frumentum Saracenicum nonnullis, quia ex Africa primùm delatum creditur.

Convolvulus niger dictus Fegopyro adeò similis est, ut pro ejus specie scandente meritò censeri possit.

Hujus notæ characteristicæ ſunt Floſculi pentaphylli ſpecioſi, in ſpicis è foliorum alis egreſſis. Semine triquetro cum congeneribus convenit, ejus tamen colore ſordidiore & farinâ eſculentâ ab iiſdem differt.

A. 1. *Fegopyrum* Dod? *Tragopyron* Ger. emac. Park. *Fagotriticum* J. B. **Buck-wheat or Brank.** *Eryſimum Theophr. folio hederaceo* C. B.

Radice nititur ſurculoſa, plurimis fibrillis capillata. *Caule* ſurgit cubitali & altiore, ſimplici, tereti, glabro, ſolido, viridi ſed in apricis purpureo, ramoſo, ramulis alternatim è foliorum ſinubus exeuntibus. *Folia* ima pediculis duas uncias longis inſident, ſuperiorum in caule pediculi ſenſim breviores ſunt, donec tandem in ſummo immediatè adnaſcantur, hederacea, glabra, atrovirentia, per margines æqualia, ſapore fatuo. In ſummis caulibus & ramulis ex alis foliorum egrediuntur ſurculi ſeu pediculi unciales [*J. B.* trientales aut quadrantales,] tenues, *flores* ſuſtinentes in ſpicas habitiores ſeu racemos congeſtos, ſatis amplos, pulchellos, pentapetalos, ex albo purpuraſcentes, apicibus rubentibus. In umbilicis florum ſingulorum ſingula naſcuntur *ſemina*, oblonga, triquetra, nigris glumis obducta, farinam intus continentia candidiſſimam, inſipidam.

De loco ubi ſponte provenit mihi non conſtat: Aiunt Africanæ originis eſſe: Apud nos in arvis ſeritur, nec ullum ferè ſolum refugit. Gaudet imbribus, citò provenit, celeriter matureſcit, ut rectè *J. Bauhinus*.

Veteribus incognitam & indictam fuiſſe hanc plantam Botanici peritiores opinantur.

Uſus. Rura (inquit Matthiolus) non ſolùm ex ea panes pinſunt, ſed & pultem quoque conficiunt, quæ non ingratus eſt cibus, ubi rectè fit. Dodonæus pulmentaria ac placentas, quæ ex ejus farina conficiuntur, facilè concoqui, citò deſcendere, alimentúmque corpori adferre, exiguum quidem non tamen aut malum vitioſum ſcribit; Panem qui ex eo aliquando, cogente annonæ penuriâ coquitur, aut farinam ejus admixtam habet, humidum eſſe citiúſque deſcendere, ac flatulenti plus obtinere quàm ex Secali coctum. Herbam viridem, priuſquam ſemen maturuerit, boves jumentáque paſcuntur. Semine gallinaceum genus paſtum citiſſimè pingueſcit. *J. B.*

A. 2. *Convolvulus minor Atriplicis folio* Park. *Volubilis nigra* Ger. *Convolvulus minor ſemine triangulo* C. B. *Helxine ſemine triangulo* J. B. **Black Bindweed.**

Radice firmatur ſurculoſa, lutea, lenta, ſapore nullo inſigni. *Caulis* plurimùm ſimplex, verùm à radice ſtatim ramoſus, plurimis prælongis, tenuibus flagellis, quibus plantis vicinis ſe circumvolvendo in altum emicat, ſpiris à dextra ſiniſtram versùs tendentibus. *Folia* in caulibus & ramulis ad intervalla rara, alternatim aut ſingulatim poſita, pediculis ſemuncialibus aut longioribus appenſa, triquetra hederæ aut potiùs Fegopyri, glabra, per margines æqualia. In ſummis caulibus & ramulis & ad exortum foliorum floſculi racematim cohærent hexapetali, alii inutiles & ſemine caſſi, albidi, qui interdum aperiuntur, alii ſemine prægnantes, qui perpetuò connivent, & ſinguli ſingula ſemina triquetra, ſatis grandia, ex obſcura purpura nigricantia complectuntur.

Locus. Naſcitur in locis cultis, arvis, vineis, ſegetibus, quin & ſepes interdum longiſſimis ſuis flagellis ſuperat. Sub finem Æſtatis & Autumno ſemen perficit & brevi radicitus exareſcit.

Uſus ejus, quod ſciam, in medicina nullus.

CAP. V.

De Perſicaria.

PErſicaria Latinis à foliorum formâ haud dubiè dicta eſt, quod folia Perſicæ mali foliorum æmula obtinet: Hydropiper Græcis à loco & ſapore: in aquis enim aut circa aquas oritur, eſtque valdè calidum & acre inſtar Piperis: quamvis non omnis Perſicaria acris ſit, imò pleræque mites.

Perſicaria floſculis tetraphyllis in ſpicis ſummos caules terminantibus à reliquis hujus familiæ diſtinguitur, ſpeciatim à Biſtorta radicibus non intortis. Forma quoque ſeminis à reliquis non parum differt, quod non adeo concinnè & exactè triquetrum eſt; uno latere reliquis duobus ferè pari, adeò ut angulus iis contentus valdè obtuſus ſit, reliqui duo acuti.

Hujus quinque ſpecies nobis cognitæ ſunt, nimirum:

1. *Perſicaria vulgaris acris ſive Hydropiper* J. B.
2. *Vulgaris mitis ſeu maculoſa.*
3. *Puſilla repens* Ger. emac.
4. *Fruteſcens maculoſa Virginiana* Park.
5. *Salicis folio, Potamogiton anguſtifolium dicta.*

A. 1. *Perſicaria vulgaris acris ſive Hydropiper* J. B. *vulgaris acris ſive minor* Park. *P. urens, ſive Hydropiper* C. B. *Hydropiper* Ger. **Lakeweed or Arſmart.**

Radice parvâ, lignoſâ, albâ, ſimplici, pluribus fibris capillatâ alimentum attrahit. *Caules* plures pedales aut cubitales, ſolidi, teretes, glabri, pluribus geniculis nodoſis intercepti, in apricis rubentes,

tes, aliàs luteo-virides, ramosi. *Folia* ad genicula singularia, membraneis appendicibus caulem amplexa, pediculis brevibus insident, pallidè viridia, non maculosa, glabra, per margines æqualia, Persicæ foliis similia, unde & nomen impositum. In summis caulibus & ramulis *flores* in spicas digesti longas, laxas & strigosas, perexigui, è quibus alii inutiles sunt, nullo succedente semine, & in quatuor petala panduntur, alii perpetuò connivent, & semina singula majuscula triquetra, splendentia, & per maturitatem nigricantia, continent, ipsi exteriùs rubent. Sapor plantæ acris & mordax: annua est.

Locus. Ad rivulos, fossásque, & in aquosis nascitur.

Aiunt folia huic interdum maculosa esse; quod tamen nobis nondum observatum.

Vires. Facultatem habet evidenter calidam & siccam. Usus præcip. extrinsecus, in vulneribus, tumoribus induratis, ulceribus inveteratis, &c. *Schrod.* Aqua hujus stillatitia efficax est ad comminuendum calculum etiam vesicæ, experimento cujusdam nobilis nostratis, qui quotannis in usum pauperum magnam ejus quantitatem destillare solebat. *D. Boyl. De Utilitate Philosoph. Nat.* part. 2. pag. 65.

℞. Piper aquaticum, indatur de eo in dentis cavum. Hoc remedio sanavit mulierem J. Heurnius.

Expellendis muscis vix quicquam efficaciùs reperias: nam quæcunque in pecoribus vulnera vel ulcera succo Persicariæ oblita fuerint, ea ab injuriis muscarum tuta manent, etiam ferventissima æstate. *Trag.*

Parkinsonus nostras aliam præterea Persicariæ speciem describit, quam acrem Virginianam appellat, quæ non alia (inquit) in re à præcedenti differt quàm spicis gracilioribus seu tenuioribus & longioribus, quod tamen vix fieri potest, cùm vulgaris spicæ prælongæ sint, necnon tenues admodum & strigosæ. Quocirca eam pro Persicaria acri vulgari tantisper habebimus, donec quis certiores notas & characteristicas adferat.

Hydropiper Brasilianum *Marggr.* à nostrate non videtur diversum, proinde dantur plantæ nonnullæ Novo Orbi cum nostro communes.

Nescio tamen an nostras sub aquas natans ad nodos capillatas fibras copiosas edat nécne.

* *Persicaria angustifolia* C. B. Prod.

C. B. Prod.

Ex *radice* nigricante, fibris oblongis capillatâ *caules* plures, cubito altiores, rubentes, leves, geniculis distincti exurgunt: quos *folia* Persicariæ vulgaris foliis triplo quadruplóve minora, duas, rariùs tres uncias longa ambiunt, & in summo in ramulos brachiantur; quibus spicæ oblongæ, floribus pallidè purpurascentibus ornatæ, ut in vulgari insident. In humidis circa Michelfeldam æstate floret.

A. 2. *Persicaria maculosa* Ger. *mitis* J. B. *vulgaris mitis seu maculosa* Park. *mitis maculosa & non maculosa* C. B. **Dead or spotted Arsmart.**

Hæc ab urente Persicaria differt, *caulibus* brevioribus & ramosioribus, intùs concavis, ramulis caulem ipsum longitudine excedentibus: *Foliis* latioribus & pro latitudine brevioribus, maculâ nigrâ majusculâ circa mediam partem notatis, obscuriùs etiam quàm illius virentibus: *florum spicis* brevioribus densioribus & habitioribus multo; *flosculis* confertis, colore plerunque purpureo nitentibus, interdum albidis.

Hujus spicis nullum apponitur folium, verùm paulò infra eas flosculi aliquot pediculis earundem adnascuntur. *Sapor* huic non acris, sed adstringens & acerbus.

Locus. Ad rivulos, ínque aquosis & humidioribus arvis & hortis abundè provenit.

A. 3. *Persicaria pusilla repens* Ger. emac. Park. 4 *sive minor* C. B. **Small Arsmart.**

Hæc non erigitur quemadmodum præcedens, sed caules edit supinos & in terram reclinatos: éstque duplo minor Persicaria maculosa vulgari, aliàs non ei ita dissimilis.

In pratis humidis & aquosis invenitur frequens.

4. *Persicaria frutescens maculosa Virginiana, flore albo* Park. **Perennial spotted Arsmart of Virginia with white Flowers.**

Park.

Caules emittit plures, rigidos, teretes, virentes; in nodos ad genicula protuberantes, aliorum instar; *foliis* vestitos amplis & speciosis, sex digitos longis, latitudine ad longitudinem subdupla, in mucrones tenues & oblongos exeuntibus, ex cœruleo viridibus, maculosis plerunque ut Persicariæ mitis vulgaris, aliàs sine maculis, nervis aliquot à media costa productis eadem ambientibus, cum aliis minoribus transversis. In summis caulibus & surculis è foliorum sinubus exeuntibus *flosculi* in spicas digesti, clausi ferè, quàm præcedentium majores, *semina* consimilia, lata, splendida, nigricantia continentes. *Radix* plurimis fibris congestis nigricantibus constat quæ non emoritur quotannis præcedentium more, sed in plures annos durat. Caules tamen persæpe intereunt Autumno, novique sequenti Vere succrescunt.

Locum titulus indicat. Plantam hanc Cantabrigiæ in hortulo nostro aluimus, ab Edvardo Morgano Londino missam.

Parkinsoni descriptionem satis accuratam in Latinum versam adhibuimus, cùm planta ipsa ad manum non esset.

* 5. *Persicaria altera frutescens, longifolia, maculata Virginiana flore carneo* Park. **Narrow-leaved Virginian Arsmart with a flesh-coloured flower.**

Park.

Caulibus teretibus, erectis, quàm præcedentis multò altioribus succrescit, *foliis* vestitis longioribus & angustioribus, pariter persæpe maculatis, nec rariùs maculis carentibus. Hæc species surculos floriferos plures producit, *flosculis* in spicas breviores & densiores congestis, dilutè rubentibus, quàm superiorum amplioribus. *Semen* ad maturitatem non pervenit in horto D. *Joannis Mauritii de Thistleworth*, cui è semine Virginia transmisso enata est. *Radix* major fuit & lignosior quàm præcedentis, verùm hyemis inclementiâ congelata corrupta est.

Hujus etiam descriptionem Parkinsono debemus.

A. 6. *Persicaria Salicis folio, Potamogiton angustifolium dicta. Potamogiton angustifolium* Ger. 2. *sive Salicis folio* C. B. *Potamogiton sive Fontalis Persicariæ foliis* J. B. *Fontalis minor longifolia* Park. **Narrow-leaved Pondweed or Arsmart.**

Folia huic Persicariæ maculosæ foliis similia sed majora, venis obliquis & transversis in marginem à nervo, qui unicus secundùm longitudinem decurrit, exporrectis; alioquin etiam non ità sunt obtusa, sed in acumen desinentia, & pro loci situ [extra aquas] nonnunquam hirsuta, aquis plurimùm innatantia, *pediculo* sescunciali aut sextantali ex caulium geniculis orto: inter quæ palmo sæpe brevior pediculus exit, in spicam congestos *flosculos* Persicariæ gerens ex albo rubentes. Gustu est subacido.

Locus. In paludibus, lacubus, stagnis, necnon in rivulis & aquis fluentibus ubique frequens reperitur. Cùm extra aquas crescit, (quod non rarò fit, vel aquis exiccatis eam deserentibus, vel ipsius radicibus in fossarum aggeres ejectis) folia obtinet hirsuta, aspera, & Persicariæ in modum maculosa, unde tunc à nonnullis pro nova Persicariæ specie à Potamogitone angustifolio diversa habita est. Quin in eâdem individuâ (ut loqui amant) plantâ folia nonnulla, nimirum extra aquas nascentia, observavimus aspera & hirsuta, alia, aquis scilicet innatantia, lævia & lucida.

Hæc ergo planta Persicaria acida peculiaris *Cat. Altdorf.* nobis videtur, Persicaria hirsuta radice perenni *Cat. Lugd. Bat.* Persicaria longissimis & angustis foliis seu fol. Salicinis *D. Merret*, quam pro specie à Potamogitone angustifolio distincta per errorem habuerunt, quamvis rectè eam Persicariis annumerârunt. Nos etiam, (nec pudet fateri) in eodem errore aliquandiu hæsimus, nimirum hanc Persicariæ speciem fuisse à Potamogitone angustifolio dicto diversam.

CAP. VI.

De Polygono.

Polygonum à frequentibus geniculis quibus caules intercipiuntur dictum fuisse patet. Nos hoc in loco Polygoni nomen ad eas duntaxat plantas restringimus quæ flore sunt imperfecto, semine triquetro in foliorum alis, caule provoluto & crebris geniculis nodoso. Sciendum enim est, Polygoni nomen extendi ad plantulas nonnullas comprehendendas, quæ præter florem imperfectum seu stamineum toti huic tribui communem, vix aliâ notâ genericâ quàm parvitate sua conveniunt, de quibus in fine hujus Sectionis agemus.

A. 1. *Polygonum mas vulgare* Ger. *mas vulgare majus* Park. *latifolium* C. B. *Polygonum sive Centinodia* J. B. **Common Knotgrass.**

Radix dura, lignosa, simplex, contorta, multis fibris capillata, satis crassa pro plantæ modo, terram firmiter apprehendit, ut extirpatu difficilis sit, sapore adstringente. *Caules* inde emergunt plures, interdum erecti, sæpius in terram reclinati seu resupini, cubito longiores, lenti & tenaces, tenues, teretes, solidi, glabri, glauci, foliis vestiti non admodum crebris, alternatim positis, oblongis, angustis, glaucis, glabris, in acutum exeuntibus, pediculis admodum brevibus nixis. Ex alis foliorum inferiorum ad caulium nodos exeunt ramuli, ex superiorum alis *flosculi* pediculis brevibus duo tresve simul, pentapetali, ex albo purpurascentes, *calice* nullo, *apicibus* intus subluteis. Flosculis singulis ceu vasculis singula continentur *semina*, majuscula, triquetra, colore castaneo obscuriore. Sub finem æstatis floret, & brevi semen maturat.

Locus. Provenit in locis cultis juxta ac incultis præsertim glareosis: vias & semitas latè subinde occupat, ut rectè Dodonæus.

Polygonum 2. & Polyg. 3. *Tab.* h. e. Polygonum oblongo angustóque folio, & Polyg. brevi angustóque folio *C. B.* pro varietatibus hujus plantæ, accidentibus quibusdam à loco natali ortis, distinctis habemus, non pro plantis specie diversis.

Vires. Polygonum omne siccat & astringit, vulnerarium est. Usus præcip. in sistendis fluxibus quibuscunque, diarrhœâ, dysenteriâ, fluxu uterino, vomitu, hæmorrhagia narium. Extrinsecus prodest in vulneribus, ulceribus, inflammationibus oculorum, &c. *Schrod.*

Came-

Camerarius in Nobiliss. quodam viro hujus succum pauco Vino styptico propinatum contra vomitum sanguineum, aliis remediis frustra adhibitis, maximè profuisse expertus est.

An urinam cieat, aut calculum renum pellat, dubitatur: Dioscoride id affirmante, Galeno non consentiente.

Polygonum Saxatile C. B. Prod. Park.

Cujus *radix* tenuis, lignosa tamen, fibris capillata & alba est: ipsum ramulis multis oblongis & crebrò geniculatis serpens, circa quos *folia* subrotunda, unciam longa, semunciam lata, supernè virentia, at inferiùs albicantia, quasi polline aspersa, quæ sensim minora reddantur: cujus à geniculis *flosculi* exigui, ut in vulgari, pallidè rubentes exeunt, quos *semina* triangularia sequuntur: Hoc inquam Polygonum pro diversa specie à *C. B.* exhibitum, nobis non alia in re quàm accidentibus quibusdam à loco natali ortis à Polygono vulgari differre videtur.

A. 2. *Polygonum marinum* J. B. *marinum majus* Park. *marinum maximum* Ger. *maritimum latifolium* C. B. **Sea-Knotgrass.**

J. B.

Prolixas habet *radices* lignosas, crassiusculas, contortas, nigras: *Viticulæ* supinæ, crassiores quàm Polygoni vulgaris, frequentioribus brevioribúsque internodiis interceptæ; non tantùm foliis vestitæ majoribus, candidioribus, verùm etiam squamis tenuibus, pellucidis, albicantibus. *Flores* pulchri numero & magnitudine vulgaris flores vincunt: *Semen* nigrum, triquetrum, Oxalidis semini simile.

In litoribus maris Mediterranei copiosè provenit: invenimus etiam in arenosis Oceani Britannici litoribus, v. g. circa *Pensantiam* Cornubiæ oppidum, & alibi.

Polygonum maritimum angustifolium *C. B.* ab hoc non specie, sed accidentaliter differre nobis videtur.

* 3. *Polygonum maximum longissimis cauliculis & foliis* Moris. *Polyg. maximis foliis* Park. ico. **The greatest long-leaved Knotgrass.**

Moris.

Caules protrudit sesquipedales & nonnunquam bipedales, cortice rubente tectos, in multò plures ramos & cæteris teneriores divisos. Genicula in caulibus longiore intercapedine distant quàm in prædictis. *Folia* duplo triplóve longiora & tenuiora sunt Polygoni vulgaris foliis, angustiora itidem magísque mucronata. *Flores* rariùs multo in geniculis disponuntur, è purpura albescentes, pentapetali; quibus pariter triangularia semina, parva, fusca succedunt.

Semina hujus plantæ Chalepo Asiæ transmissa sunt ad D. Morisonum Descriptionis auctorem à D. *Roberto Huntington.*

* 4. *Polygonum majus erectum angustifolium flore candido* Mentzel.

Mentz.

Ex *radice* lignosa, digitum crassa *caulem* emittit spithamam unam, quandoque duas excedentem. *Foliola* unciam longa, teretia, tenuia per terram sparguntur, caulémque tanquam per genicula vestiunt, subinde bina sibi adversa. Summo cauli insistunt *flosculi* pentaphylli, albi, ex pericarpiis viridibus tot foliolis constantibus enati, Polygonorum formam obtinentes.

Circa Furstenwaldiam, Berolinum, Francofurtum, Crosnam & alibi in March. Brandeburg. observavit Christianus Mentzelius descriptionis autor.

5. *Polygonum minus candicans* C. B. *montanum* Ger. *montanum niveum* Park. *Paronychia Hispanica Clusii, sive Anthyllis nivea* J. B. **Silver-scaly-headed Mountain Knotgrass.**

J. B.

Aspectu pulcherrima est planta, sparsis per terram palmaribus, & in adultiore herba dodrantalibus, *caulibus* junceis, nodosis, quibus adnascuntur *folia* Polygoni vulgaris breviora. Ad nodos è foliorum sinubus prodeunt glomeruli sessiles, unciales, squamulis argenteis confertissimis compositi, præ glomerulorum densitate vix conspicuis; emicantibus è scandularum commissuris hinc indè raris foliis viridantibus, Herniariæ paribus. *Flos* illi candidus, Polygoni vulgaris floris instar, sed adeo exilis & inter membranulas istas latens, ut vix appareat. *Semen* Polygoni. *Radix* subest lignosa, alba, crassiuscula, longa, multifida.

Clusius hanc observare meminit in collibus petrosis & siccis propè Salmanticam in Hispania, itémque circa Valentiam & Murciam. Nos copiosè provenientem in pascuis & collibus saxosis circa Messanam & alibi in Sicilia; & in Calabria Italiæ vidimus.

Aspectu cùm primùm emergit, gustúque Polygono vulgari simile, unde & iisdem viribus pollere verisimile est.

Hujus aliam speciem * proponit *D. Magnol*, quam Polygonum minus candicans capitulis surrectis vocat. Q. an diversa sit à descripta.

* *In Botanico Monspel.*

* 6. *Polygonum Polonicum cocciferum* J.B. *cocciferum & Cam. ep.* C.B. *cocciferum Polonicum* Park. **The Polonian Scarlet Knotgrass.**

Cam.

Tenuissimis prodit *foliis* & mucronatis; *cauliculis* nodosis, exalbidis; & *flosculis* in summitate candidis, inter squamas virescentes. Ad *radices* ipsius coccum adnascitur elegantissimo rubore ad Chermesina tingenda commendatum, inquit Camer. in ep. Matth. qui stirpem hanc in ejusdem Hist. Germanica Polygono Trago *Knawel* dicto valdè similem ait, & à Polonis, apud quos in arenosis locis reperitur *Kosmaczek* vocari scribit.

Planta hæc, si rectè depingitur, à *Knawel* Germanorum specie omnino diversa est. Semina quippe triangula sunt, flosculi candidi. Verùm sive sit *Knawel*, sive diversa Polygoni species, coccus ejus radicibus adnata specificæ distinctionis nota non est. Coccus enim nihil aliud est quàm excrescentia præternaturalis à punctura cujusdam insecti excitata, ut sit matrix seu uterus ovi ibidem depositi, fovendi & excludendi. Quin & * S. Paul. observavit non ad hujus solùm radices sed quoque ad Pilosellæ maj. hirsut. repentis circa solstitium æstivum aut ad festum S. Joan. Bapt. bacculas seu coccos *Baphicas* seu *grana Kermes* æmulantes reperiri, quas ova alicujus insecti sibi ignoti esse ideo hariolabatur, quòd ex iis scapis pennæ Anserinæ, aut Cygneæ inditis, mox epistomio chartaceo obturato, ac dehinc apricationi commissis sponte sua intra sex vel septem dies prodiit insectum non diu superstes, quod unus ex amicis meis alatum avolâsse observavit.

* *Quadri-Part. Bot. Class. 2. p. 113, 114.*

Usus & utilitatis Cocci Polonici, radicibus hujus Polygoni adnascentis, in tingendis Sericis purpurei coloris, pro colorandis Lanis, Setis, Corio, Jubis & Caudis equorum, pro componendis confectionibus, tincturis, laccis pictoriis & cosmeticis, extat in Ephemer. German. *An.* 3. *Observ.* 104.

De modo colligendi & præparandi hunc Coccum in Ukrainâ ad usus prædictos consule easdem Ephemeridas. Hæc omnia D. *Tancred. Robinson.*

CAP. VII.

De Bistorta.

BIstorta à convolutis & intortis radicibus nomen obtinuit. Notæ ejus characteristicæ quibus à reliquis distinguitur, semine triquetro donatis sunt Flores speciosi in spicis habitioribus summos caules & ramulos terminantibus, Radices intortæ & convolutæ. Speciatim à Persicaria distinguitur numero foliorum in flore quæ huic quinque, illi quatuor duntaxat sunt. Differt præterea & figurâ seminis quod huic exactè triquetrum est angulis omnibus acutis, illi minus concinnum, angulis inæqualibus uno valdè obtuso, reliquis duobus acutis.

A. 1. *Bistorta major* Ger. *ma. vulgaris* Park. *ma. rugosioribus foliis* J.B. *radice minùs intorta* C.B. **The greater Bistort or Snakeweed.**

J. B.

Cubitum nonnunquam altitudine superant Bistortæ *caules*, tenues, glabri, geniculati: in quorum fastigio spica *florum* coloris carnei, Persicariæ, quorum singuli explicati quinque foliolis constant, oblongis, apicibus in medio flori concoloribus: quibus succedit semen ruffum & ferè nigricans, triquetrum Lapathorum modo. *Folia* Rumicis seu Lapathi acuti, minora, supernè in atrovirentia, infernè glauca, pediculo utrinque foliaceas appendices, angustas largientia, rugosa. *Radix* articulum digiti refert in se contortum, rubra, sapore strenuè adstringente.

Locus. Reperitur Bistorta locis humentibus, ut rectè *J. Bauhinus*, in opacis sylvis, pingui ac lutoso solo: apud nos in Anglia circa *Tamworthám* in pratis, necnon circa *Sheffeldiam* & alibi in Provincia Eboracensi. In calidioribus regionibus montium juga occupat. In hortos translata facilè comprehendit, & feliciter adolescit, radice perenni.

* 2. *Bistorta media folio minùs rugoso* J. B. *major radice magis intorta* C.B. *Bist. magis intorta radice* Park. *Bistorta latifolia* Ger. **Smooth-leaved great Bistort with a more writhen root.**

A priori differt foliis minoribus & lævibus, radiceque magis intorta. Rependo multùm se multiplicat.

In monte Jura reperitur. Hæc *J. Bauhinus*, nec plura cæteri Botanici.

* 3. *Bistorta Alpina maxima* C.B. Prod. *Alpina major* Park. *Alpina maxima C. Bauhini*, J.B. **The greatest Mountain Bistort.**

C. B.

Ex *radice* quadruplo quàm in vulgari majore, contorta, geniculata, fibris capillata, foris nigricante, intus alba, *Caules* bicubitales, nodosi, striati, majori ex parte nudi exurgunt, quorum quilibet spicam florum subpurpureorum unciarum quatuor sustinet. *Folia* habet oblonga, in acumen

desinentia, venosa, supernè virentia, infernè cæsia, vel etiam incana, quorum quædam ad cubiti longitudinem accedunt, sed angusta, uncias tres lata.

In altissimis Silesiorum montibus reperitur, ut in Sudetorum jugis & ad Albis fontes.

Hæc planta nobis nondum visa est; ex descriptione tamen conjicio eam à vulgari majore Bistorta specie diversam esse.

A. 4. *Bistorta minor* Ger. *minor nostras* Park. *minima* J. B. *Alpina media* C. B. **Small Bistort or Snakeweed.**

J. B. Clus.

Radicem pollicari habet minorem, contortam tamen & geniculatam, brevem, foris nigricantem, intùs albam, multis tenuibus fibris capillatam. *Cauliculum* autem promit dodrantalem interdum vel palmari paulò majorem, aut etiam minorem, tanta est varietas, tenuem, geniculatum, *foliis* vestitum paucis, angustis oblongis, acutis, duris, venosis, per oras reflexis, venulis quibusdam ità distinctis, ut serrata videantur, supernè viridantibus, infernè glaucis aut incanis, non secus ac majoris folia: alia verò ex radice orta folia habet uncialia aut sextantalia, unciam plus lata. *Caulis* summo fastigio *spicam* gerit exiguam candicantium *flosculorum*, unciâ longiorem, quibus excussis grandior fit spica, sequente dein *semine*, non triangulo ut in prioribus, sed rotundo, ruffo, ut rectè *J. Bauhinus*: Clusius malè (ni fortè aliam Bistortæ speciem describat) semen majoris semini simile ei attribuit: non rarò tamen, inquit, seminis loco multa foliola brevia & vivida in capitula congesta profert, quibus sponte decidentibus plantulas ejusdem generis in eadem in qua alebatur areola, & vicinioribus sæpe vidi.

Bistortam minimam *J. B.* (cujus descriptionem mutuati sumus) specie omnino eandem esse cum nostrate Westmorlandicâ figura seminis convincit. Bistorta Alpina minor *Clus.* si semen revera obtineat majoris Bistortæ semini simile, prout eam describit Botanicus ille eximius, à nostrate diversa est; cùm tamen aliæ omnes notæ egregiè conveniant nostrati.

5. *Bistorta Alpina media* C. B. *minor Alpina* Park. *minor seu Alpina* Cam. *in* Matth. *minima* J. B.

Camerarius hanc Bistortæ vulgari majori similem facit, sed multò minorem, cui folia in marginulis pulchrè punctulis quibusdam distincta & velut serrata apparent.

Hanc olim habui pro *Bistorta minore nostrate*, at neque *C. Bauhinum* rectè distinxisse Bistortam Alpinam mediam & minorem putavi; verùm nunc sententiam muto, & concedo eas specie distingui, cùm & Camerarius distinguat, & utraque habeatur in Catalogo *Horti Regii Parisiensis*: & aliunde ab amicis certior factus sum se utramque vidisse.

* 6. *Bistorta Alpina pumila varia* Park. *pumila foliis variis, rotundis & longis* Morisoni.

Cùm non alia in re differat secundùm Parkinsonum, à vulgari minore Bistorta, quàm foliis duûm generum, aliis scilicet latis, brevibus & subrotundis; aliis longis, angustis, ab eadem radice exeuntibus, pro diversa specie non habuissem, cùm & Bistorta minor vulg. hujusmodi foliis ludat, ut ex descriptione ejus Bauhiniana apparet: pro diversa inquam specie non habuissem, ni D. Morisonus tanquam sibi notæ peculiare nomen ei imposuisset, & præterea semen triangulare attribuisset.

Quicquid de aliis sit, Bistorta minima *J. B.* eadémque minor nostras, in monte *Thuiri*, quæ Juræ pars est non procul Geneva Junio & Julio floret. In Westmorlandia variis in locis reperitur; nobis à *Thoma Willisello* ostensa est in montano quodam pascuo sesquimilliari circiter remoto à viculo *Wharf* dicto, propè semitam quæ indè *Settlam* Eboracensis comitatûs oppidum ducit.

Bistorta Alpina minor *Clus.* in summis Austriacarum & Stiriacarum Alpium jugis tenui gramine vestitis nascitur.

Vires. Cùm plantæ hujus (radix cujus præcipuè in medicina usus est) facultate adstrictoria valida polleat, ad omnes affectus valet in quibus adstrictione opus est, ut v. g. urinæ incontinentiam, menses nimios, sanguinem è vulneribus manantem, biliosas vomitiones, sanguinis sputum, dysenteriam, aliásque ventris fluxiones, destillationes in dentes, gingivas, tonsillas & fauces. Ad hos usus adhibetur aqua destillata, & radicis in vino decoctio: præcipuè autem commendatur pulvis radicum cum conserva rosarum assumptus.

Abortum prohibet pulveris drachma semis cum pari Succini portione ex ovo sorbili diebus aliquot continuis usurpata.

Quin & Alexipharmaca censetur hæc radix & sudorifera: unde in pulverem redactam ac drachmæ pondere in potu sumptam veneno pestilentiæ resistere, ac illud per sudores expellere scribit Tragus. Ad eadem valet aqua destillata & radicis in Vino decoctum.

Summâ, eisdem pollet viribus quibus Tormentilla, ut rectè Matthiolus.

SECTIO TERTIA.

De Herbis flore imperfecto, seminibus rotundis, paululum compressis aliúsve cujuscunque figuræ præter triquetrum.

CAP. I.

De Potamogitone.

POTAMOGITON quasi fluminibus vicina, quòd in aquosis & palustribus nascatur: floribus est spicatis, quadrifoliis, seminibus etiam quaternis nudis simul junctis, foliis simplicibus, integris in ramulis singulatim positis, nisi ubi spicæ exeunt ubi bina adversa. Omnes ejus species aquis innatant, nec extra aquas durant.

A. 1. *Potamogiton rotundifolium* C. B. *rotundiore folio* J. B. *latifolium* Ger. *Fontalis major latifolia vulgaris* Park. Broad-leaved Pond-weed.

Radicibus obliquis, crassis, teretibus, albis, geniculatis, longis internodiis, è geniculis fibras tenues, crebras, altè in terram seu limum descendentes emittentibus, sub aquis reptat. E geniculis radicum *cauliculos* seu flagella prælonga, culmi crassitie, teretia, geniculata, longis internodiis, ramosa in summas aquas emittit. Ad singula genicula singula exeunt folia, sub aquis graminea, angusta, supernè nonnihil concava, infernè rotunda, dodrantem longa, in acumen desinentia, at postquam in summas aquas planta emersit longè diversa, nimirum plantaginea, figuræ ferè ovalis, basi obtusiore, mucrone acuto, pallido virore splendentia, per margines æqualia, nervis secundùm longitudinem decurrentibus striata, haud aliter ac Nymphææ aquis innatantia, longis pediculis, interdum palmaribus aut sesquipalmaribus, nixa. Ad exortum spicarum bina folia opposita in caule sunt. Ad exortum pediculi folii cujusque membrana pellucida, duos digitos longa, acuminata, (intra folii pediculum) apponitur, caulem & gemmam involvens, & etiam spicæ pediculum ubi adest. *Flores* in spicas, duas trésve uncias longas, dispositi, petiolo insident crassitudine caulibus pari, palmari aut longiore, è flosculis stamineis racematim digestis compositæ. Singuli flosculi quatuor foliolis herbaceis cochlearis formam habentibus, introrsum conniventibus constant: *Semina* unicuique insunt quatuor, satis grandia, nonnihil ad latera compressa, dorso gibbo mucronate pallidè viridia, & per maturitatem interdum purpurascentia: Apices octo.

Locus. In aquis stagnantibus frequentissimum habetur. Junio & Julio mensibus floret, & semen perficit.

A. 2. *Potamogiton aquis immersum, folio pellucido, lato, oblongo, acuto. An Potamogiton foliis angustis splendentibus* C. B? *Potamogiton longis acutis foliis* Ger? *i.e. Potamogiton alterum* Dod. Belg. *Fontinalis lucens major* J. B?

Eodem ferè modo quo præcedens sub aquis reptat, fibris subinde demissis: differt ab illo *caulibus* crebris geniculis interceptis; *foliis* longioribus multò, angustioribus paulò, [interdum æquè latis] totis lucidis [iis scilicet quæ aquis immerguntur, nam quæ aquas superant (ut interdum fit) colore, consistentiâ, brevitate & nervis præcedentis folia imitantur] pediculis brevibus, supernè planis insidentibus; iis quæ aquis immerguntur non ut in illo graminis instar angustis, sed latis. *Spicæ* florum non multum dissimiles, pediculis crassis, palmum longis insident, è flosculis pariter herbaceis, tetrapetalis, petalis quàm in illo minoribus, compositæ; quibus, ut in reliquis hujus generis, innascantur quatuor *semina* nuda, præcedentis paria, compressa, acuminata & quodammodo triquetra; non ità gibba seu convexa in externa parte ac in illo. Folia aquis immersa brevi corrumpuntur & marcescunt, ut inferna & maxima pars caulis foliis nuda sit. In foliis tenues fibræ creberrimæ in latus disseminatæ nervos connectentes cernuntur. Folia eundem cum reliquorum foliis situm obtinent, nimirum alternum, nisi ubi spicæ exeunt ubi bina opposita; & ad singulorum exortum intus membranula apposita longiuscula, aliquousque caulem amplectens, ut in præcedente.

Locus & Tempus. Julio mense floret & brevi semen perficit. In fluviis majoribus & leniter fluentibus frequens nascitur.

A. 3. *Potamogiton perfoliatum. Potamogiton foliis latis splendentibus* C. B. *Potamogiton 3. Dodonæi* Ger. emac. *at malè, est enim Potamogiton altera* Dod. *Potam. altera Dodonæi* J. B. Perfoliate Pond-weed.

Compluribus tenuibus ac teretibus *cauliculis* luxuriat, in alas subinde distributis. *Folia* lata sunt oblonga, acuminata, absque pediculis adnata, latâ basi caulem undique amplectentia, nervis secundùm longitudinem decurrentibus striata, alterno non bijugo ordine sita, præterquam ubi florum spica exit, ibi etenim bina ex adverso. *Spica* brevis pediculo crassiusculo sescunciali insidet, flosculis & seminibus reliquorum æmulis.

Aquis

Aquis plerunque immergitur hæc planta, eminente tantummodo cacumine. Folia tenuia & pellucida: Nullæ in hac ſpecie membranulæ in caulibus & ramulis, eos obvolventes, ut in Potamog: latifolio. *Locus.*

A. 4. *Fontalis media lucens* J. B. *Tribulus aquaticus minor Muſcatellæ floribus* Ger. emac. *Trib. aquat. minor alter* Park. *Potamogiton foliis criſpis ſive Lactuca ranarum* C. B. *qui ſpeciem hanc non ſeparat à Tribulo aquatico minore Quercûs floribus.* **The leſſer Water Caltrops or Frogs Lettuce.**

J. B.

E tenuibus radiculis rami multi exeunt, imbecilles, pedales, denſè geniculati, non plani ſeu compreſſi ut in præcedentibus duabus plantis, ſed rotundi. *Folia* per genicula bina ſibi correſpondentia, oblonga, in acumen deſinentia, viridia & pellucida per margines nonnihil ſinuata ſeu flexuoſa & criſpa. *Flores* ex pediculo uno aliquot [terni vel quaterni *Cluſ.*] parvi, ſimul juncti, formâ & colore quodammodo Muſcatellæ Cordi; quibus *ſemina* ſuccedunt ſimiliter conferta, parva, contorta ut Meliloti vulgaris.

D. Goodyer apud Gerardum ſingulis pediculis duos tantùm flores attribuit ſibi mutuo oppoſitos, quatuor foliolis conſtantes, quibus ſuccedunt octo folliculi, ſex quadrata ſeminum efficientes: hoc eſt ſingulis ſeminibus quaterna in figuram cubicam ſex quadratis comprehenſam diſpoſita. Nos Cluſio & Bauhino potiùs aſſentimur ternos quaternóſve flores in eodem pediculo naſci, aut forte etiam plures, quadrifolios, quibus ſingulis quaterna ſuccedunt ſemina. Verùm cùm planta ad manum non ſit, nihil certò affirmare audemus.

Hæc ſpecies à reliquis ſui generis inſigni notâ differt, nimirum foliorum in caule conjugatim diſpoſitorum ſitu.

In rivulis, aquæ præſertim puræ & limpidæ non infrequens Aquis innatat, & Junio Julióque menſibus floret. *Locus.*

Potamogiton racemoſum anguſtifolium *C. B.* vel huic eadem videtur, vel hujus minor ſpecies.

A. 5. *Fontinalis criſpa* J. B. *Potamogiton foliis criſpis ſive Lactuca ranarum* C. B. *Tribulus aquaticus minor Quercûs floribus* Ger. emac. Cluſ. *Tribulus aquaticus minor prior* Park. **Water Caltrops or Frogs Lettuce.**

Cluſ.

Bicubitales, tricubitaléſque aut longiores, pro aquæ altitudine ex radice profert *ſcapos*, tenues, punicantis coloris, planos, nodoſos, (qui reſiccati lenti fiunt & flexibiles) circa ſummum diviſos in plures ramos, alternatim ferentes in ſingulis nodis ſingularia *folia*, duarum interdum unciarum longitudine, & ſemunciali latitudine, tenuia, & quaſi tranſparentia, in ambitu adeò criſpa & ſinuoſa ut laciniata videantur, colore ex viridi ſubpuniceo: pediculi ſextante longiores, exiguos, candicantes *floſculos*, uvæque in modum congeſtos ſuſtinentes, craſſiuſculi ſunt, & inter folia exoriuntur, quæ ibi bina ſemper ex adverſo ſita naſcuntur, contrario quàm reliqua inferiora modo. Singulis floſculis plerunque ſuccedunt quaterna aculeata grana ſimul cohærentia, paucam candidam medullam continentia. Scapi infima parte ad ſingulos nodos oblongas, tenues, candicantes fibras agunt, quibus firmantur & alimentum attrahunt. Tota planta aquis immergitur. Junio & Julii initio floret.

Singuli floſculi è quatuor perexiguis, ſubrotundis foliis componuntur.

In rivulis, præſertim tardiùs fluentibus, frequentiſſimum eſt hoc genus. *Locus.*

Cauliculis planis & compreſſis cum ſequente ſpecie convenit, à reliquis omnibus differt.

A. 6. *Potamogiton caule compreſſo, folio Graminis canini.*

Cauliculi cubitum & nonunquam ſeſquicubitum excedunt, ramoſi & valdè compreſſi. *Folia* longa, anguſta, Graminis canini foliorum æmula, niſi quòd breviora & ubique ferè ejuſdem latitudinis ſint, & in obtuſum mucronem deſinant, alternatim poſita, niſi ubi ſpicarum pediculi oriuntur, ubi bina ex adverſo; in ſingulis nervi tres inſigniores per folii longitudinem decurrunt. Sub unoquoque folio membrana tenuis & pellucida caulem inveſtit. Spica brevis flores dilutè virides ſuſtinens, quatuor foliolis compoſitos, ad ſtylum incarnatos. *Stylus* duobus utplurimum apicibus terminatur. *Semina* ex altera parte rectâ, ex altera circulari lineâ clauduntur.

In fluvio Camo propè Cantabrigiam copioſè oritur, ínque aliis multis fluminibus. *Locus.*

Cauliculis compreſſis cum præcedente convenit, à reliquis ſpeciebus differt.

A. 7. *Potamogiton millefolium ſeu foliis gramineis ramoſum. An Potamogiton gramineum ramoſum* C. B. J. B. Park? *Millefolium tenuifolium* Ger. emac. ico. **Fennel-leaved Pondweed.**

Ad pedalem & majorem longitudinem excreſcit, *caule* tenui, tereti, albicante, crebris geniculis intercepto. Ad ſingula genicula è ſinu folii, ima parte dilatati & veluti vagina amplectentis exeunt ramuli ſinguli, aut bini, & non rarò terni unà; in ramulos & ſurculos creberrimos pariter diviſi & ſubdiviſi. Summi cauliculi & ramuli in ſpicas laxas exeunt, è tribus quatuórve florum velut verticillis compoſitas. Folia ſupra vaginam poſtquam à caule abſceſſerint peranguſta ſunt, inferiùs ſubrotunda, ſuperius aut plana, aut nonnihil concava, duas tréſve uncias longa. Ramuli & folia in hac ſpecie adeò crebra & numeroſa ut non ineptè Millefolium Potamogiton denominari poſſit.

Aquis

Locus. Aquis plerumque immergitur; & eodem cum reliquis tempore floret; in fluvio Camo propè Cantabrigiam & alibi variis in fluviis frequens.

A. 8. *Potamogiton pusillum gramineo folio, caule rotundo.* **Small Grass-leaved Pond-weed.**

Aquis innatat flagellis pedalibus, tenuibus, ramosis, internodiis longioribus quàm in Potamogit. ramoso millefolio. *Folia* graminea angusta, duas uncias longa, tenuia, quò à Potamog. millefolio & maritimo differt, quorum folia crassiora sunt & angustiora, nervo medium percurrente, eodem situ quo in aliis congeneribus. E singulorum sinubus exeunt tum ramuli tum membranulæ eos involventes, ut in Potamogit. latif. Ubi florum spica exit bina ex adverso folia sita sunt, ut in reliquis, & bini ramuli in quorum divaricationis angulo spica consistit: duplex ibi membranula exoritur, una spicam & unum ramulum obvestit, altera ramulum oppositum. Spica brevis, tribus quatuórve floribus composita, quorum unusquisque quatuor foliolis concavis velut calyce octo apices albentes, & totidem in medio semina continent.

Locus. In fluviis variis in locis observavimus.

A. 9. *Potamogiton maritimum pusillum folio gramineo.*

Caules huic minùs ramosi, longioribus internodiis: *Folia* longiora nonnihil latioráque; verùm florum spicæ multo minores quàm in præcedente, & toto genere diversæ: nam in illo spicæ sex, septem, octo, aut pluribus floribus componuntur, quorum singuli quadrifolio calice octo apices albicantes, ínque eorum medio quatuor semina per maturitatem gibba seu incurva continent, ut in reliquis præcedentibus: at in hoc [Potamog. marit.] spicæ multò breviores & minores sunt, è quatuor apicum albentium paribus eâdem dispositione & figurâ quâ lamellæ in spica Ophioglossi, quibus interposita sunt aliquot semina, vel (quantum discernere potui) duo trésve seminum quaterniones. Spicâ è membrana exeunte apices decidunt manentibus seminibus. Spicæ autem pediculus in longitudinem interdum ferè palmarem excurrit, éstque tenuis & infirmus. In fossis palustribus maritimis exit.

Locus. Circa Camalodunum in Essexia observavimus.

A. 10. *Potamogiton maritimum pusillum alterum.*

A præcedente differt foliis brevioribus, spicis similibus sed minoribus, quorum apicibus decidentibus interpositorum seminum pediculi in longitudinem interdum uncialem excrescunt, unicum in apice singuli semen incurvum sustinentes; ut ex eadem spica quinque vel sex pediculos velut tot radios in umbella exeuntes, & singulos singula semina sustinentes observaverim.

Locus. In fossis palustribus viâ à Camaloduno ad *Goldhanger.*

* 11. *Potamogiton minimum capillaceo folio* C. B. J. B. Park. **Small fine-leaved Pond-weed.**

C. B.

Hoc parvum est, capillaceo & caule & foliolis oblongis, inordinatè dispositis, pallidè virentibus: in summo pedicello parvo, modò uno, modò duobus, capitulum minimum & acuminatum, prioris tamen formâ insidet, quod minutissimo flosculo, pallidulo successit; quorum aliud expansum, aliud quasi vesiculæ foliaceæ in acumen desinenti inclusum est.

Locus. Monspelio allatum est. In Ludi amnis aquis circa molendina observavit *D. Magnol.*

* 12. *Potamogiton capillaceum capitulis ad alas trifidis* C. B. J. B. Park.

C. B.

Cauliculo est palmari, pilo non crassiore, ramoso, articulato. Ad quemlibet articulum *folia* bina, oblonga, quovis pilo tenuiora, ex adverso respondentia: quorum alis minutissimi *flosculi* pallidului insident; qui juncti nodulum quasi referunt, quo maturato nodulus sive capitulum ex tribus portiunculis semicircularibus in apicem abeuntibus & rufescentibus compositum conspicitur; nihilominus tamen ex priorum foliorum alis pedicellus exurgit, qui in tria, etiam plura foliola absumitur, similísque in medio nodulus adponitur; in summitate namque capitulum nullum est.

Locus. Hoc etiam Monspeliense est.

A. 13. *Potamogit. affinis graminifolia aquatica.*

Folia habet longa, angusta; cauliculos tenues, imbelles. Ad pedalem & ampliorem altitudinem assurgit, semper aquis immersum. Flores nondum observavimus. Siliquæ seu cornicula parva, recurva, duo aut tria, aut etiam quatuor simul juncta, geniculis arctè adhærent.

Locus. In aquis stagnantibus non rarò occurrit.

CAP.

Cap. II.

De Millefolio aquatico floribus stamineis.

MIllefolium aquaticum dicitur hæc herba à foliis in plurima & tenuissima segmenta divisis: quódque aquis perpetuò innatat.

1. *Millefolium aquaticum pennatum, spicatum* Park. C. B. *pennatum aquaticum* J. B. **Feather'd Water-Milfoil.**

C. B.
E *Radicibus* fibrosis tenuibus *rami* prodeunt plures, cubitales, cavi, striati, internodiis satis crebris intercepti, in alas brachiati, aquis innatantes: ad quorum geniculorum quemlibet *folia* terna aut quaterna [imò quina aut plura interdum] quasi stellatim circumjecta, tenuiter incisa, pennam & formâ & tenuitate referentia colore fusco, prodeunt. Cauliculorum summitates palmares & longiores ex aqua recti attolluntur, spicam purpurascentem, è pluribus flosculorum verticillis ad intervalla scapum ambientibus compositam sustinentes. Flores habet stamineos quorum singulis singula succedunt semina nuda.

In fluviis & stagnis majoribus in agro Cantabrigiensi & alibi in Anglia invenitur. *Locus.*

2. *Millefolium aquaticum cornutum* C. B. J. B. **Horned Water-Milfoil.**

Radice est fibrosa, *caulibus* prælongis, tenuibus, infirmis, teretibus, fragilibus, densè geniculatis, in plures ramos diductis. *Folia* ut in Equiseto genicula ambiunt, viridia, fragilia, singula primò in duo velut cornua divisa, & utrumque ferè cornu denuò in alia duo [cornuum cervinorum ramosam divisionem imitata *J. B.*] extuberantiis quibusdam ad latus pronum velut denticulata. *Flores* ad genicula caulibus & ramulis utrinque arctè adhærent, glomerati, muscosi, [herbæ ferè concolores, quibus succedunt *semina* parva, quaterna simul juncta *J. B.*]

In aquis pigrioribus & stagnantibus circa Cantabrigiam & alibi abundè provenit. *Locus.*

Nec figura, nec descriptio Millefolii aquatici cornuti apud *C. Bauhinum* in Prodromo huic plantæ convenit: ut dubitem an eadem cum nostra fuerit nécne.

Minoris hujus speciei, quam non descriptam dicit, meminit idem *C. Bauhinus* in Pinace.

Cap. III.

De Atriplice.

ATriplex à Græco Ἀτϱάφαξις nomen factum seu corruptum videtur: aliis ab atro colore quòd comestum faciat homines lividos. Ἀτϱάφαξιν autem παϱὰ τὸ ἀθϱόως αὐξεῖν dictum volunt Grammatici: nam octavo ex quo sata est die erumpit è terra. Theophr. lib. 7. cap. 1.

Nos pro Atriplicis speciebus hoc in loco non habemus plantas omnes quibus id nominis à Botanicis inditum est, sed eas duntaxat quæ in folliculis è duabus valvulis conniventibus compositis semina inclusa habent, & quidem singula in singulis: reliquas Atriplicis nomine insignitas Blitis accensemus, aut Amarantis.

1. *Atriplex alba hortensis* J. B. Park. *hortensis alba, sive pallidè virens* C. B. *sativa alba* Ger. emac. **White Garden Orache or Arrach.**

Non rarò hominis staturam adæquat, *caule* imo terete, supremo anguloso, recto, ramoso.

Folia Betæ [alius Bliti] minora, triangula ad pediculum quasi alata, nonnihil in ambitu sinuata, copiosâ farinâ respersa, colore ex viridi in luteum languente seu xerampelino, gustu fatuo. *Flosculi* in summo caule & ramulis copiosi apiculis constant luteis vel herbidis, quibus succedunt *siliquæ* foliaceæ, rotundæ, bivalves, valvulis non cohærentibus ad margines sed contiguis tantùm, in quibus *semen* rotundum compressum Amaranthi. *Radix* recta, palmum longa aut circiter, fibrosa, annua.

Folia primulum emergentia & caules novelli candicant, farinâ albicante respersa. In singulis folliculis singula nascuntur semina.

Atriplex alba & rubra hortensis non nisi sata provenit (inquit *J. Bauhinus*) Ast proculdubio alicubi terrarum spontis suæ est, quamvis locus ille nos hactenus lateat. *Locus.*

2. *Atriplex rubra hortensis* J. B. Park. *hortensis rubra* C. B. *sativa purpurea* Ger. **Purple or red Garden Orache.**

Hæc species cum præcedente omnibus suis partibus totáque facie externa convenit, præterquam sanguineo seupurpureo obsoleto colore quo penitus tingitur, & imbuitur.

In

In hujus ſeminibus etiam in eodem caule naſcentibus notabilem differentiam obſervavimus: alia enim minora ſunt & nigricantia; alia majora multò, ad latera compreſſiora & rubentia.

Atriplex hortenſis alba & rubra ſpecie differre videntur, quoniam ſemine ſatæ in ſe invicem non tranſmutantur, ſed alba ſemper producit albam, rubra rubram, ex obſervatione *J. Bauhini* & noſtra.

Atriplex hortenſis utraque ſemel in hortis ſata ex ſemine deciduo ſe quotannis renovat.

Vires. Atriplex refrigerat & humectat; cocta eſtur ut olus; in alvo ſolvenda celebris eſt, unde etiam nonnulli quinque herbis emollientibus eam annumerant. Uſus Officinalis præcipuè externus eſt in clyſteribus & epithematibus paregoricis.

Quæ præterea Veteres tradunt de Atriplicis facultatibus apud ipſos vide.

Semen exhibitum tum alvum abundè ſubducit non ſine moleſtia, tum crebros vomitus provocat, experimento Pharmacopœi cujuſdam, qui ad ruſticos purgandos eo uti ſolebat. *Matth.* De vi purgatrice & emetica vehementi hujus ſeminis aliud exemplum ex Serapione adfert *J. Bauhinus.*

A. 3. *Atriplex ſylveſtris folio haſtato ſeu deltoide. An Atriplex ſylv. altera* Ger. emac? C. B. **Broad-leaved wild Orache.**

Radice alba ſimplici, fibris aliquot majuſculis ceu ramis, & fibrillis plurimis capillaribus donatâ, terram adeò firmiter apprehendit, ut extirpatu admodum difficilis ſit. *Caulis* inde exurgit ſeſquicubitalis aut bicubitalis, minimo digito minor, ſtriatus, glaber, medullâ farctus, ab imo ad ſummum uſque ramoſus. Ramuli imi propè radicem bini adverſi, ut in aliis hujus generis, & caulem ipſum interdum longitudine æquantes, ſummi alterni. *Folia* triangula, haſtæ cuſpidi aut Chenopodii aut Spinachiæ ſimilia; pallidiùs ferè virentia, ad margines quodammodo dentata ut in Spinachia aut Chenopodio, glabra, pediculis uncialibus appenſa. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis ſtaminei, in ſpicas anguſtas, rubentes digeſti, adeò exigui ut eorum partes obtutum ferè fugiant. Succedunt *vaſcula* ſeminalia duabus valvulis triquetris conniventibus compoſita, ſingula *ſemina* compreſſa nigra continentia.

Locus. In hortis oleraceis, inque fimetis & locis ruderatis necnon foſſis ſuburbanis copioſè provenit; æſtate & initio Autumni viget; & ubi ſemen perfecerit radicitus exareſcit.

A. 4. *Atriplex ſylveſtris anguſtifolia* Ger. emac. Park. *Atr. ſylv. anguſto oblongo folio* C. B. *vulgaris anguſtifolia cum folliculis* J. B. **Narrow-leaved wild Orache.**

Folia huic quàm præcedenti longiora & anguſtiora ſunt, minùs dentata ad margines; ima enim perſæpe latiuſcula ſunt & leviter dentata ſeu laciniata. Quæ in ſummis caulibus ſunt oblonga anguſta, ad margines æqualia ſunt, nec omnino laciniata, colore glauco & figurâ ſuâ Polygoni foliorum æmula. *Caulis*, ſeſquicubitalis & altior, rectus, infirmus tamen & tenuis ſtriatus, ſolidus, ab imo ſtatim ramoſus ramis imis prælongis, binis ex adverſo naſcentibus, ſummis alternis. *Radix* illius ſimilis, ſimplex, alba, fibris numeroſiſſimis cincta, quibus terræ pertinaciter adhæreſcit, & difficulter evellitur. Summitates hujus plantæ caneſcunt magis quàm ſuperioris, & ſpicæ laxiores ſunt, floſculorum & ſeminum globulis rarioribus ſeu longiùs à ſe invicem diſtantibus. *Pericarpia* folliculacea præcedentis ſimilia, quæ dehiſcentia *ſemen* oſtentant ſingula ſingulum, compreſſum rotundum.

Locus. In hortis oleraceis & locis ruderatis frequens oritur.

* 5. *Atriplex ſylveſtris fructu compreſſo roſeo vel ſtellato* C. B. Park. **Wild Orache with compreſſed Fruit.**

C. B.

A radice *caulis* exurgit pedalis, rotundus, incurvus, lævis & albus, qui ſtatim in aliquot ramos inæquales, & hi in alios minores, dividitur. *Folia* habet alba quaſi polline aſperſa, unguem lata, ſinuata vel anguloſa, ut in Atriplice ſylveſtri quæ *Pes anſerinus* dicitur, pediculis carentia. His ferè ſingulis *fructus* foliaceus, pallidus, compreſſus apponitur, cujus formam elegantem vix exprimere licet, is enim in medio leniter extuberat, quatuor aliis extuberantiis in circumferentia appoſitis, quas tamen ſinus leves intercedunt, eâ planè formâ, quâ roſæ depreſſæ in quorundam nobilium inſignibus pingi conſuevêre: in ſingulis quatuor extuberantiis ſemen compreſſum mediocris magnitudinis continetur.

Hanc Monſpeſſuli circa mœnia collegimus.

Hæc planta nobis incognita eſt, nec ſcimus an vera ſit & genuina Atriplicis ſpecies, ob fructum tetracoccum: tantiſper tamen hic locum habere permiſimus, donec vel nobis eam videre contigerit, vel ab aliis quibus innoteſcit ad quod genus propriè pertineat certiùs edocti fuerimus.

D. Magnol Atriplicem maritimam laciniatam *C. B.* ad hanc multùm accedere exiſtimat, quæ paſſim etiam circa Monſpelium naſcitur.

6. *Atriplex anguſtifolia dentata. Atriplex anguſtifolia laciniata minor* J. B. **Wild Orache with narrow indented leaves.**

Caules huic cubitales, erecti, ſtriati, ſatis craſſi, valdè ramoſi. *Folia* anguſta, ſemunciam lata, tres digitos longa, ad margines dentata, glauca, ſuperiora anguſtiora, marginibus æqualibus abſque denticulis. *Flores* & ſemina in ſummitatibus caulis & ramorum in ſpicas longas & laxiores digeſta. *Vaſcula ſeminalia* bivalvia valvulis conniventibus tantùm, non cohærentibus, monoſperma. *Caules* firmiores craſſioréſque quàm ullius Atriplicis in Anglia ſponte provenientis mihi cognitæ,

nitæ, ſtriati, foliis imis contrariis, ſummis alternatim adnaſcentibus; ut in pleriſque congeneribus.

In hortulo noſtro nata eſt ex ſemine Londino miſſo.

Atriplex maritima anguſtifolia *C. Bauhino* in Prodr. deſcripta huic eadem eſſe videtur.

Ex quo hæc ſcripſimus Atriplicis ſpeciem in maritimis noſtris copioſè naſcentem obſervavimus, quæ huic vel eadem videtur, vel non multùm diverſa.

A. *Atriplex anguſtifolia maritima dentata.*

E *radice* alba, lignoſa, ſimplici, interdum rectâ, aliàs tortuoſâ, fibras crebras è lateribus emittente *caulem* emittit ſimplicem, craſſum, digito tamen minimo minorem, glabrum, ſolidum, ab imo ſtatim ramoſum ramulis crebris, imis oppoſitis, ſuperioribus alternatim ſitis, ut in reliquis ferè congeneribus, altitudne ſeſquicubitali interdum ſed plerunque minore. *Folia* anguſta, inferiora tamen digitum unum lata, duos longa, ſuperiora paulatim anguſtiora, per margines dentata, denticulis rarioribus & ſatis profundis, ſpiſſa, glabra, glauca. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis in ſpicas longas & laxas digeſti, ſtaminei, externè purpuraſcentes, quinque intus ſtaminula cum apicibus luteolis continentes.

Floribus ſuccedunt *vaſcula ſeminalia* triquetra è binis valvulis conniventibus compoſita, ſingula ſingulis ſeminibus fœta.

In paluſtribus ſalſis propè Camalodunum in Eſſexia copioſè provenit. *Locus.*

A præcedente differt foliis latioribus, & pro latitudine brevioribus multò, ſupremis etiam in caulibus & ramulis dentatis.

* 7. *Atriplex ſylveſtris Monſpeſſulana cum pulchris involucris* J. B. **Wild Orache of** Montpellier **with fair Seed-veſſels.**

J. B.

Folio eſt breviore, albicante, ſinuato Atriplicis vulgaris, brevi pediculo conſtante: *involucris* ſeminum anguloſis, quodammodo Cynogloſſæ noſtræ topiariæ ſimilibus [i. e. Aparine majori Plinii *Ger.*] intra ramulos & foliorum pediculos prodeuntibus, *ſemen* includentibus parvum, compreſſum, nigrum; lappis etiam multò majoribus, nec velut in ſpicas deſinentibus.

Hæc planta, inquit, ad Atriplicem 2. Matth. in poſt. figuris accedit, ut facilè eandem exiſtimârim.

An ab alio quoquam præterea Botanico deſcripta ſit hæc planta incertum: nobis nondum conſpecta eſt, ſi deſcriptionem rectè intelligimus.

D. Magnol Atriplicem ſylveſtrem lappulas habentem *C. B.* hujus ſynonymam facit; & revera deſcriptiones in pleriſque conveniunt. D. Moriſonus Atriplicem ſylv. lappulas habentem Atriplicis fragiferæ ſpeciem facit; quò & nos eam retulimus, incerti adhuc quò debeat referri.

A. 8. *Atriplex maritima* J. B. *maritima laciniata* C. B. *marina* Ger. *marina repens* Park. **Jagged Sea-Orache.**

J. B.

Caules humi ſpargit cubitales, numeroſos ex craſſa ſatis *radice* exortos, totos albicantes, per quos & *folia* candicantia, ſinuata, Pedis anſerini ſimilia. *Floſculi* per extrema potiſſimum ramulorum, racematim congeſti, flores Portulacæ marinæ imitantur. In folliculo bivalvi rugoſo, aſpero, in dorſo aculeato, ſemen continetur unicum.

Lobelius & nos quoque in maritimis Mediterraneis & Adriaticis nuſquam non obviam habuimus hanc Atriplicis ſpeciem, humi ſtratam. Lobelius eam perperàm repentem vocat: ſparſa eſt ſupra terram, non tamen repit. Hanc plantam nuperrimè in Anglia invenimus in litore maris arenoſo propè *Holland*, vicum 5. m. p. à S. Oſithæ oppido remotum in Eſſexia: *D. Dale* in Merſeia etiam inſula invenit copioſiſſimam.

9. *Atriplex Halimi folio* C. B. *ſylveſtris Halimi folio* Park. *Halimoides Lobelii* J. B. *itémque ſylveſtris foliis integris racemoſa* ejuſdem *ex ſententia D. Moriſoni & noſtra.* **Sea-Orache with the leaves of Sea-Purſlane.**

Lob.

Æſtiva eſt, *caules* edens ternûm & quaternûm cubitorum, & *folia* Halimi integra, aut parùm ſinuata: *flores* & ſemina racemoſa, folliculis membranaceis bivalvibus incluſa, cæterarum more. *Nobis incognita & ſuſpecta eſt.*

A. 10. *Atriplex maritima perennis folio deltoide triangulare, minus incano* Moriſ. *An Atriplicis maritimæ ſpecies Valerando* J. B? *Atriplex maritima noſtras* Cat. Ang.

Moriſ.

Hæc *caulibus* provenit multis, bipedalibus, lignoſis, humi ſtratis, atque medio ſurrecto longiore [fortè longioribus] ad quorum ſingulos nodos proveniunt *folia* triangularia, ſinuata tamen & acuminata, colore magis incano Atriplice ſylveſtri folio deltoide, ſed minùs Halimo fruticeſcente. *Flores* profert muſcoſos, herbaceos cæterarum Atriplicum maritimarum more, quibus ſingulis ſuccedunt ſingula *ſemina* binis foliolis in dorſo verrucoſis incluſa. *Radix* longa eſt, brachiata, diu durans, ſicut Halimi cæteri marini.

Locus. In maritimis Angliæ & Belgii provenit. Floret eodem tempore cum cæteris Halimi seu Atriplicis marinæ speciebus.

Hæc est (ni multum fallor) quam in *Cat. Ang.* sub titulo Atriplicis maritimæ nostratis descripsimus, & cum Atrip. 4. seu sylv. folio deltoide eandem esse suspicati sumus. Verùm si radix perennis sit, (quod nobis tunc non innotuit) omnino specie diversa est.

Hujus duas varietates observavimus, colore differentes, nimirum *Atrip. mar. albam*, & *Atrip. marit. rubram.*

* 11. *Atriplex minima angustifolia maritima* Bocconi. **The least narrow-leaved Sea-Orache.**

Folia huic angusta sunt Antirrhini minimi facie, incana, pulveris marísque aspergine semper sordescentia. *Semina* in exiguis nodis capituli modo in unum congestis, singulis tamen binis foliolis inclusis, spicam quasi racemosam componunt, Kali minimi formâ.

A Bigarone pharmacopola ex Stœchadibus allatam habui. Hæc *Paulus Boccone.*

Atriplex maritima angustifolia *C. B.* cujus ramum duntaxat siccum Rupellæ collectum vidit, descriptâ major fuisse videtur, *caule* nimirum cubitali, *foliis* etiam diversa, angustis, crenatis, duas uncias longis absque pediculo. Verùm mutila descriptio ad ramum siccum facta, an plantam novam demonstret, an aliquam ex descriptis nescimus, nec est cur ejus rationem habeamus; eandem tamen esse putamus Atriplici nostræ angustifoliæ dentatæ superius descriptæ, ut ibidem monuimus, aut fortè Atriplici nostræ angustifoliæ maritimæ dentatæ.

CAP. IV.

Atriplex maritima fruticosa, Halimus dicta.

1. *Atriplex Halimus dicta latifolia. Halimus Clusii* J. B. *Hal. latifolius* Ger. *latifolius sive fruticosus* C. B. *latifolius sive Portulaca marina incana major* Park. **Great broad-leaved Tree-Sea-Purslane.**

Clus. J. B.

FRutex est omnino candidus, Rhamno similis, ipso etiam candidior, eádemque altitudine [trium quatuórve aut plurium cubitorum] assurgens, multis ramis ex una radice prodeuntibus, crassis, lignosis & fragilibus, & dum juniores sunt ut Atriplicibus fungosis. *Folia* Oleæ seu potiùs Rhamni [*J. B.* Atriplicis marinæ, non tamen sinuata serratáve;] breviora tamen & latiora, interdum rhomboide figura, ordine nullo per ramos disposita, pediculis satis longis hærentia, etiam hyeme virentia, crassa, succulenta, candicantia & quodammodo splendentia, sapore subacido prædita. *Flos* Oleæ penè, parvus, muscosus, purpurascens, racematim in summis ramis cohæret. *Semen* parvum, compressum, fuscum, in lappulis non absimilibus nostræ Atriplicis lappaceæ Monspessulanæ, minoribus tamen & candidis. Radix dura est, lignosa & in multos ramos sparsa.

Tempus. Floret æstate, semen Autumno maturescit.

Hyemes asperiores in regionibus Septentrionalibus, Anglia scilicet aut Belgio, non fert nisi diligenter custodiatur, & à frigore defendatur.

Locus. Sponte provenit Ulyssippone vicinísque locis ad Tagum aut ejus ostia & æstuaria mari proxima in sepibus. Hispali etiam in sepibus. Nos in sepibus mari vicinis propè Messanam copiosam invenimus sponte ortam.

* 2. *Halimus angustifolius procumbens* C. B. Ger. *Hal. tenuifolius sive Portulaca marina incana minor* Park. *Portulaca marina fruticosa, quæ Halimus* 2. *Clusii* J. B. **Narrow-leaved Sea-Purslane.**

Clus.

Supra cubitalem aut sesquicubitalem non assurgit altitudinem, *flagellis* potiùs quàm ramis adeò infirmis, ut plerunque procumbant & humi fundantur, candidis quidem illis sed minùs superioris ramis. Hujus *folia* oblonga, angusta, pinguia & carnosa, cinerei & albicantis coloris. *Flos* summis flagellis racematim cohærens innascitur: herbacei potiùs quàm purpurascentis coloris: quibus succedunt folliculi rugosi, binis valvis triquetris compositi, singuli singula *semina* continentes, prioris seminibus minora.

Locus. In maritimis regni Valentini nascitur, itémque in aggeribus insulæ illius quam duo Rhodani cornua faciunt.

Hanc plantam cum sequente *J. Bauhinus* eandem facere videtur: verùm Clusio potiùs fides adhibenda, qui distinguit.

A. 3. *Halimus seu Portulaca marina* C. B. *Hal. vulgaris sive Portulaca marina* Ger. *Portulaca marina nostras* Park. *marina fruticosa, , quæ Halimus 2. Clusii* J. B. **Common Sea-Purslane.**

J. B.
Pedales promit *ramos* aut etiam longiores, humi plurimùm procumbentes, ex cœruleo colore purpurascentes albicantésve, tenues, lentos; in quibus *folia* quodammodo ad Oleæ aut Rhamni *Matth.* folia accedunt, nisi breviora essent, pinguia ferè & Portulacæ sativæ æmula, exalbida & ferè cinerea, lævia [priori similia, pinguiora & magis carnosa, minùs tamen incana & ex viridi potiùs canescentia *Clusio*] saporis salsi, quem in hortos translato frutice exuunt. In ramulorum extremis *semen* copiosum, racematim congestum ferè, minutum, præcedentibus floribus, qui ex viridante in purpurissum quoddam vergunt, Bliti aut Atriplicis ferè similes. Illi radix lignosa, vivax, velut & ipsa stirps, quæ decidentibus paucis foliis hyemem sustinet.

In maritimis non Mediterranei duntaxat maris sed & Zelandiæ, Flandriæ, Hollandiæ atque etiam Angliæ aggeribus & tumulis arenosis nascitur, copiosissimè verò in aggeribus fossarum in palustribus salsis, quas singulis accessibus æstus marinus influit. *Locus.*

* 4. *Halimus minor* C. B. *minor Germanicus* Park. **The least German Halimus.**

C. B.
Ex *radice* tenui, capillata, caulis cinericeus palmum superans, variè incurvatus exurgit, qui paulò supra radicem in ramulos plures, tenues, uncias tres longos abit: *foliis* paucis cinericeis & oblongo-rotundis, sed in ramulis angustioribus, nonnullis instar Atriplicis utrinque unâ laciniâ divisis. *Flosculi* plures, parvi, herbacei, muscosi, intus luteoli, longis pediculis per ramulorum summitates sparguntur: quibus vascula quadruplicia, semen parvum, griseum, reniforme continentia succedunt.

Infra Northusam provenit. *Locus.*

Planta hæc non est vera & genuina *Halimi* species, tum quia flosculi ejus præter normam aliarum Atriplicum pediculis longis appenduntur, tum quia vascula seminalia quadruplicia obtinet. Verùm quia nescimus quo eam commodiùs referamus (necdum enim nobis cognita aut conspecta est) quem assignavit autor locum occupare permisimus.

Cap. V.

De Blito Sylvestri.

Blitum, Græcis βλίτον, seu βλίτλον ut aliis scribitur, quasi βλητὸν abjiciendum, vel propter inertiam & vilitatem, vel ob insulsum, fatuúmve saporem *C. B.* Hinc Comici occasionem sumpserunt jocandi in homines nullius rei, quos Bliteos vocant & Blitomammas. Festus à βλὰξ pisce nullius usûs deducit.

Nos Bliti notas characteristicas facimus semina rotunda seu compressa, singularia seu solitaria quibus flosculi ipsi seu maris perianthia pro vasculis sunt, interdum arctè, interdum laxiùs conniventes. Ob notas characteristicas communes huc reducimus, species non paucas Atriplices vulgò dictas, Botryn vulgarem & Mexicanam, Kali species aliquot; necnon Sedum minus fruticosum *C. B.* seu Vermicularem fruticosam aliis, quoniam Kali minori albo cognata & affinis videtur, quamvis (ut verum fateamur) illius semina & vascula seminalia nondum curiosè observavimus.

Quod Blitum vulgò dicitur notis characteristicis, h. e. seminibus vasculis quæ per maturitatem, transversim in medio rumpuntur aut dissiliunt inclusis, cum Amaranto convenire suspicamur; ideóque duo Bliti genera constituenda putamus; Primum de quo hoc capite agimus Blitum sylvestre dicitur: Alterum de quo sequenti Blitum hortense.

A. 1. *Blitum Bonus Henricus dictum. Bonus Henricus* J.B. Ger. *Tota Bona Spinachiæ facie* Lob. *Lapathum unctuosum* C.B. Park. **English Mercury or All-good.**

E *radice* crassa, sublutea, fibris aliquot donata, acri & amara plures emittit *caules* striatos, concavos, partim erectos partim supinos, brevi lanugine hirsutos, pedales aut cubitales. *Folia* triangula, Atriplicis aut Ari similia, & interdum paria, supernè glabra, infernè farina tenui respersa, longis pediculis nixa, caulibus alternatim adnata, sapore nonnihil nitroso. *Flosculi* in summis caulibus conferti in thyrso, Bliti aut Amaranthi modo, staminei lutei, è *calice* quinquefolio, adeò exigui ut earum partes vix liceat discernere. Singulis autem flosculis singula succedunt *semina*, parva, per maturitatem nigra, compressa & ad renis figuram accedentia, in vesiculis membranaceis aut ipsis flosculis inclusa.

In areis & compitis, inque locis ruderatis ad semitas, aut etiam oleraceis frequens occurrit. Aprili & Maio mensibus floret. *Locus & Tempus.*

Mercurialis nostratium vulgò per errorem dicta est hæc herba, ejúsque turiones, germina novella & florum thyrsos, dum adhuc teneri sunt, in aqua aut carnium jure decocta, & cum butyro & sale condita esitant, Spinachiæ, Lupulorum & Asparagi modo, quibus saporis suavitate non multum cedunt, facultate detersoriâ præferuntur. *Vires & Usus.*

Mirificè confert ad ulcera sordida purganda & glutinanda, autore Fuchsio. Vermes in ulceribus putridis animantium quadrupedum natos excutit certissimo experimento, si herba tusa ulceribus imponatur, id quod non semel ipse vidi. *Trag. J. Baubinus* hæc de Atriplice olida dicta accipit.

Ego (inquit * Sim. Pauli) non sine felici successu Bonum Henricum [totam plantam] cataplasmatis formâ ad mitigandos Podagricos dolores adhiberi semel atque iterum apud plebeios observavi: nec quidquam periculi timendum est, cùm non repellat sed discutiat & digerat; imò insuper anodyna est, quæ qualitates rarò in uno simplici conveniunt. D. *Tancred. Robinson.*

* *Quadrip. Botan. cl. 3. p. 217.*

Cataplasma ad Podagram,

℞. Herbæ Boni Henrici recentis sine floribus *M.* iv. Florum Sambuci, Chamomillæ siccorum ana *M.* ij. Contundantur, grossè: coque in s. q. aq. Sambuci ad putrilaginem.

Remisce gummi Carannæ ℥ß. Camphoræ ʒß. M. F. lege artis Cataplasma. *Sim. Pauli.*

A. 2. *Blitum erectius sive tertium Tragi* J. B. *minus* Dod. *polyspermon* C. B. Park. *itémque Blitum album minus eorundem &* Ger. **Upright Blite or All-seed.**

Radice est simplici, rubente, fibris aliquot tenuibus capillata, altè in terram descendente si locum commodum nacta fuerit, aliàs (ut ait *J. Baubinus*) fibrosa. *Caules* dodrantem alti, striati, glabri, solidi, plurimos propè terram ramos fundentis ipsis etiam caulibus longiores; in quibus nascuntur *folia* modò adversa, sæpiùs alternatim posita, pediculis uncialibus hærentia, glabra, minùs crebra quàm in aliis Blitis, foliis Prunellæ aut Majoranæ sylv. similia, sed tantillo majora: *J. Baubinus* Ocymi foliis ea comparat: Ex quorum alis & in ramorum extremis racemati *flosculi* cohærent purpurascentes; subsequente semine parvo nigro Portulacæ, sanguineo florido colore, inquit *J. B.* ex affrictu tingente.

Semina in singulis flosculis singula non occultantur sed visui patent; proinde Lobelius florum muscosorum fœturam Botryi non dissimilem eidem non ineptè attribuit.

Locus. In fimetis, Lupuletis & arvis pinguioribus abundè provenit.

3. *Botrys* Ger. *vulgaris* Park. *Ambrosioides vulgaris* C. B. *Botrys plerisque Botanicis* J. B. **Oak of** Jerusalem.

Radice nititur parva, alba, rectà descendente, paucis fibrillis donata. *Caulis* ei dodrantalis, aut pedalis pro ratione soli, teres, rigidus erectus, hirsutus, crebris foliis alternatim positis vestitus, ab imo statim ramosus. *Flosculi* in summis caulibus & ramulis numerosissimi, longa serie velut in spicas laxas digesti. Ex uniuscujusque autem folioli sinu duo exeunt surculi & velut racemuli flosculis & seminibus onusti. Hi surculi divisionibus suis dichotomian observant, & in unoquoque divaricationum angulo flosculus sedet nullo pediculo, itémque in ipsis foliorum alis inter pediculos surculorum modò dictorum. *Flosculi* sessiles, staminei & herbacei vitium botros æmulantur: singulis singula succedunt *semina* Sinapeos similia sed minora multo. *Folia* quernorum æmulâ divisurâ, venis majoribus rubris insignia, pediculis longis insident; cùm primò emergunt rubra sunt, postea pallescunt. Florum racemuli ex viridi pallescunt, súntque ad tactum glutinosi. Odor totius plantæ suavis est & aromaticus. Botrys annua est planta, æstate florens & semen perficiens; Bliti speciebus accensenda.

In arenosis circa Rhegium in Calabria, Florentiam in Etruria, Monspelium & Nemausum in Narbonensi Gallia copiosè provenientem observavimus.

4. *Botrys Ambrosioides Mexiocana* C. B. *fruticosa Americana* Park. **American Oak of Jerusalem.**

C. B.

Radice est oblongâ, fuscâ, capillaribus fibris cinctâ, intus candidâ: *caule* pedali, etiam altiore, sed cubitum non superante, eóque subrubente, quandoque, rotundo, striato, pilis levissimis & rarissimis aspersis: *foliis* pallidè virentibus, Atriplicis sylvestris vulgaris formâ similibus, oblongis, sinuatis, pediculis oblongis donatis, & absque ordine caulem ambientibus: ad singulorum exortum ramuli unciales ut in Atriplice emergunt, pluribus velut capitulis alternatim dispositis onusti, quibus singulis foliorum exiguum subjicitur, quibúsque apertis *flosculi* exigui, luteoli, ut in Botry conspiciuntur, hisque *semen* minutum copiosúmque succedit. Planta annua est, ex semine deciduo se propagans. Et licet tota planta primo intuitu Atriplicem referat, itá ut Atriplex Mexiocana dici posset, attamen propter odorem, gravem quidem, sed non ingratum, & saporem aromaticum ad Cuminum accedentem, & propter florum & seminum copiam ad Botryn referre maluimus.

Hæc est (ut nobis videtur) *Epazotl* seu Atriplex odorata Mexicana *Fran. Hernandez.*

Vires & usus. Botrys herba in pulverem redacta, melléque in Electuarii formam excepta præstat contra pulmonum vomicas, quo remedio multos ego curavi qui pus screabant *Matth.* Valere dicitur ad dolores uteri, ad menses ciendos & emortuos fœtus ejiciendos.

Nonnulli inter vestes Botryn reponunt ad tineas abigendas & odoris suavitatem communicandam.

Cæterùm Botrys dicta est hæc herba à semine racematim caulibus adnascente.

Fr. Hernandez *Epazotl* seu Atriplicem suam odoratam Mexicanam (quam pro Ambrosia Mexiocana *C. B.* habemus) crudam coctámve adjectam condimentis corroborare scribit, pectori asthmaticis & obstructis conferre, & gratam alimoniam præbere. Jus decocti radicum dysenterias coercere, dissipare inflammationes & noxia venenis pellere animalia.

Blitum

Blitum Atriplex dictum.

5. *Atriplex baccifera* Ger. emac. *baccifera rubra* Park. *Sylvestris mori fructu* C. B. **Berry-bearing Orach, by some called Bloody Spinache.**

E *radice* alba, dulci, tenera, longâ & satis crassâ pro plantæ modo, plures emittit *caules* crassiusculos, teretes, striatos, rubentes, dodrantales aut pedales, ramosos, ad terram subinde reclinatos, quamvis medius caulis non rarò erigatur. *Folia* longis pediculis nixa, triangula, Spinachiæ aut Atriplicis hastato folio, nullo ordine posita, inferiora obiter dentata, ut in congeneribus. Ad exortum foliorum inque caulis & ramorum summitatibus, florum & seminum densè stipatorum globuli gemini, baccas seu mora imitati, cauli & foliorum alis arctè adhærent, per maturitatem rubri, & succo quodam vini rubri æmulo prægnantes. *Flosculi* autem singuli (seu calices aut vascula seminalia mavis dicere) quatuor foliolis compositi videntur, & singuli singula *semina* parva, nigricantia, subrotunda continent.

Annua est planta, semine deciduo quotannis se renovans.

6. *Atriplex Mori fructu minor seu fragifera minor* Morisoni; *Atr. sylv. baccifera* Clus. Hist.

Clus.

Assurgunt à singulari *radice* paucis foliis prædita terni aut quaterni *caules*, interdum unicus, statim à radicis capite divisus in aliquot ramulos pedem aut circiter longos, inæquales & angulosos in terram procumbentes, minoribus aliis ramulis donatos: in quibus, ut & majoribus singularia adnascuntur *folia*, modò in unum latus, modò in alterum disposita, angulosa, qualia in Atriplicis cæteris quibusdam speciebus, incana, ad quorum exortum multi in unum caput congesti orbiculi, fructûs Mori rudimenta quodammodo referentes, qui per maturitatem rubellum colorem contrahentes exigua fraga mentiuntur, atque magnam toti plantæ addunt venustatem & gratiam: singuli autem illi orbiculi semina multa continent exigua, rotunda, cineracei coloris, qualia ferè in Papavere ceratite, violaceum florem ferente.

Eandem aut similem plantam in Tirolensi comitatu reperisse se affirmabat Gulielmus de Mera Medicus, dum ex Italia rediens per eam regionem iter faceret, sub extremum Augustum magis fruticantem, & suis fructibus onustam adeò elegantibus, ut ipsum etiam ad vescendum invitarent. Hæc omnia Clusius.

* 7. *Atriplex sylvestris lappulas habens* C. B. Park. *Atr. sylv. Monspessulana cum pulchris involucris* J. B. *ex sententia* D. Magnol.

J. B.

Ex *radice* parva fibrosa *cauliculi* palmares, striati emittuntur, quos *folia* atrovirentia parva, angulosa, alternatim disposita, brevibus pediculis donata cingunt, ad quorum exortum *lappulæ* duæ Coriandri seminum magnitudine adhærent, *semen* nigrum, parvum compressum continentes.

D. Magnol hanc plantam ad Atriplicem sylvestrem Monspessulanam cum pulchris involucris *J. B.* refert, & fortasse rectiùs, nam descriptiones in plerisque conveniant. Expungas ergo Lector, si videtur, hanc speciem, nobis non invitis.

A. 8. *Atriplex sylvestris* J. B. *sylv. vulgatior* Ger. emac. *sylv. vulgatior sinuata major* Park. *I. sive folio sinuato candicante* C. B. **Common wild Orache.**

Radice simplici, albâ, lignosâ, obliquâ non rarò & huc illuc reflexâ, pluribus fibris capillaribus donatâ nititur. *Caulem* surrigit nunc unum, interdum plures, cubitales & altiores, satis crassos & firmos, solidos, angulosos seu striatos ab imo ad summum usque ramosos ramulis crebris, è foliorum alis exeuntibus; quæ ad modica intervalla alternatim adnata, pediculis sescuncialibus, duas trésve uncias longa, sescunciam aut duas uncias lata, figurâ ferè rhomboide, circum oras sinuata aut dentata, dentibus inæqualibus, lævia, supernè obscuriùs viridia, non raro tamen farinaceo candicante pulvisculo respersa inferna parte magis. *Flosculi* in summis caulibus & ramulis racematim congesti exteriùs candicantes, singuli quinque foliolis herbaceis acutis, totidémque staminulis albis compositi, adeò exigui ut eorum partes obtutum ferè fugiant. Hi tandem arctè connivent, & singuli singula *semina*, rotunda, compressa, nigra, splendentia amplectuntur & occultant: occlusi autem stellam quinque radiorum intuentibus repræsentant.

In fimetis & locis ruderatis & hortis oleraceis pinguioribus exit, Julio mense florens & per reliquam deinde æstatem. Folia plantæ marcescenti xerampelina & rubra evadunt. Annua est. *Locus.*

A. 9. *Atriplex sylvestris latifolia altera* Ger. emac. *latifolia acutiore folio* C. B. *Atrip. dicta Pes anserinus alter, sive ramosior* J. B. **Sharp-pointed Goosefoot.**

Radix huic alba, simplex, fibris capillata, dura & lignescens, interdum ramosa. *Caulis* cubitalis & sesquicubitalis, erectus, glaber, viridis, satis firmus & crassus, medullâ farctus, & ab imo statim ramosus. *Folia* caulibus adnascuntur crebra, nullo ordine, pediculis sescuncialibus, triangularia, è lata scilicet basi in acutum mucronem sensim desinentia, obscurè viridia, glabra. *Flosculi* conferti velut in racemulis in summo caule & ramulis è foliorum alis egressis, perexigui & vix conspicui, staminei. Singulis flosculis singula insunt *semina* rotunda, nigra.

In fimetis, & locis ruderatis, secus vias & semitas alibique in incultis, præsertim humentibus, invenitur frequens. *Locus.*

A. 10. *Atriplex sylvestris latifolia* Lob. C. B. *sylv. latifolia sive Pes anserinus* Ger. emac. Park. *Atriplex dicta Pes anserinus* J. B. **Goosefoot or Sowbane.**

J. B.
Persimilis est Atriplici sylvestri folio sinuato candic. sed hujus *folia* ampliora, laxiùs & rariùs sinuata, atro-virentia, caput gravante odore prædita. *Flos* racemosus, Atriplicis jam dictæ, antequam explicatur plerunque rubens. *Semen* exiguum, rotundum, nigrum. *Radix* lignescit. *Caulis* crassiusculus rectus cubitalis.
Humilior est præcedente, magísque in latitudinem diffusa, foliis magis sinuatis, obtusioribus & rotundioribus.
Eisdem cum priore locis invenitur.
His addit aliam Atriplicis sylvestris latifoliæ speciem eruditissimus Vir D. Rob. Plot, quam *Atriplicem vulgarem sinuatam spicatam* appellat, quæ à Pede anserino altero sive ramosiore *J. B.* in eo saltem differt, quòd Fragiferæ instar semina in globulos congesta caulibus arctè adhærentia gestet.

A. 11. *Atriplex olida* Ger. *olida sive sylvestris fœtida* Park. *sylv. VIII. sive fœtida* C. B. *fœtida* J. B. *pusilla, olida, hircina, Vulvaria vocata, garum olens* Lob. **Stinking Orache.**

J. B.
Vix humo tollit *caules*, ut plurimùm ramosos, dodrantales aut etiam majores; quos vestiunt *folia* ex rotunditate modicè in acumen desinentia, potissimùm superiora, in inferioribus quædam sinuata, farinaceo pulvisculo asperso candicantia: odoris virosi intolerabilis, ut qui vel attactu levi manus ita inficit, ut longo tempore vix possit elui. *Flosculi* racemosi Atriplicum aliarum sylvestrium modo. *Radix* gracilis, fibrata.
Locus. Juxta parietes & in locis ruderatis provenit, sed rariùs.
Vires. Atriplicis hujus folia contusa cum Saccharo conservam efficiunt hystericis utilissimum. *D. Needham.* Herba hæc arefacta & in aquâ cocta instar Theæ mirè passioni hystericæ prodest. *D. Palmer.*

* 12. *Atriplex sylvestris altera, folio sinuato saturè virente, spicâ subrubrâ* Moris.

Moris.
Hæc tam luxuriosa proceritate prodit, ut quaternos sæpe cubitos excedat, *caule* ut hortensis angulo so, purpurascente & ramoso: *folio* hortensi non admodum dissimili, potissimùm quod ad colorem attinet, sed paulò minore, crenato: *flore* luteo & exiguo: *semine* racematim digesto in summitatibus caulium & ramorum: *radice* fibrata.
Locus. In suburbiorum fimetis & fossis passim provenit.
An Atriplex propriè dicta hæc sit, an Blitum Atriplicis facie descriptio hæc nos incertos relinquit: ob semen racematim digestum Blitis potiùs subjunximus: quod & de sequente planta, nobis pariter incognitâ, dictum esto.

* 13. *Atriplex procumbens folio sinuato, lucido, crasso* Moris.

Moris.
Planta est pedalis, procumbens: *folia* habet crassa, pronâ parte lucida, in margine sinuata: *caules* & *folia* ut plurimum sunt rubra: *Semine* onerantur caules summi racematim compacto, cæterarum sylvestrium modo, nigro.
Locus. Reperitur in humidis pinguibúsque terrenis locis circa Blæsas in Gallia.
Flores & semina sua, nigra, minuta perficit eodem tempore cum cæteris sylvestribus.
Hujus notitiam *D. Morisono* debemus, cujus etiam descriptionem adhibuimus.

A. 14. *Blitum marinum teretifolium Kali minus album dictum. Kali minus* Ger. *minus album* Park. *minus album semine splendente* C. B. *minus, sive Sedum minus arborescens vermiculatum* J. B. **White Glasswort.**

J. B.
Duris lignosísque ramis cubitalibus, interdum rubescentibus, aliàs albidis fruticat, è quorum lateribus densissimè enascuntur propagines unciales & sextantales, foliolis perpusillis, teretibus, glaucis stipatæ per ramorum scapos longa serie, sescuncialibus plerunque aut longioribus; uniuscujusque sinum implente globulo exiguo, Milii granum æquante aut majori, qui ubi explicatur apiculos ostendit numerosos luteos. *Semen* exiguum, nigrum, lucidum, compressum: in singulis calicibus quinquefoliis singulum occultatum, ad eundem ferè modum quo in Atriplice folio sinuato candicante.
Locus. In salsis maritimis frequentissima est hæc planta. Magnitudine insigniter variat; Alicubi enim in fruticem lignosum adolescit, alibi pusilla est & humi projecta, adeo ut, an duæ sint illius species necne mihi nondum planè satisfit. Erectam & fruticescentem observavi copiosissimam in Lingula illa seu crepidine petrosa, quæ à *Portlandia* Insula versùs littus Anglicum porrigitur.

* 15. Kali

* 15. *Kali minus villosum* C. B. *Cali parvum hirsutum* J. B. **The lesser hairy Glasswort.**

Plantula est Kali minori nonnihil similis, *radice* oblonga, fibrosa, nigricante, *caule* pedali, inæquali, ramoso, ramulis multò brevioribus quàm illius, nec ità rectis sed incurvis; *foliis* nonnihil brevioribus, angustioribus, crassis, succulentis, salsis. Tota planta albicante lanugine canescens, Kali minore mollior est. Hactenus *J. Bauhinus.* Addit Casparus frater, in cauliculorum summis capitula parva ferre, florem minutum continentia; semina se non observâsse.

Fortè hæc planta à Kali minore non differt specie.

Monspelio non longè ad mare oritur.

Kali sive Vermiculari marinæ non dissimilis planta J. B. &
Kali hirsuto affinis, fortè Anthyllidis aliqua species ejusdem,

Cùm ex siccis plantis descriptæ essent, eisdémque tum flore tum semine carentibus, nescimus plane an ad hoc genus pertineant, necdum ab aliis descriptæ & depictæ sint sub hoc aut alio aliquo genere. Videsis earum descriptiones & figuras apud Bauhinum *Tom.* 3. *p.* 705.

Kali minus foliis lucidis Botan. Monsp.

Foliis copiosis lucidis & in acutum desinentibus à minori villoso & minori albo distinguitur. Præcedentium varietas videtur.

A. 16. *Sedum minus fruticosum* C. B. *Vermicularis fruticosa altera* Park. *Cali species sive Vermicularis marina arborescens* J. B. **Shrubby Glasswort.**

J. B.

Cubitalibus & bicubitalibus, teretibus, glabris lignosis *stolonibus* cinerei coloris fruticat, in ramos longiusculos diductis, per quos confertim nascuntur *folia*, semunciâ breviora, quædam etiam uncialia, succulenta, Cali hirsuti excepta hirsutie similia, alternatim disposita, sapore salso: ad quorum alas luteoli flores, minores, herbacei apparent. Radix in multas radiculas fibratas finditur deorsum versùs, superiùs satis crassa & lignosa.

Plantam hanc in squalidis campis Arelaten inter & D. Ægidii oppidum non procul à Rhodani fluentis uberrimam perennantem nos quoque post Lobelium observavimus.

Hæc planta (ut rectè *J. Baubinus*) habet multa quæ cum Kali minore conveniunt.

* 17. *Sedum minus fruticosum alterum* C. B. *Vermicularis arborescens* Park. *Cali species, sive Vermiculati fruticis varietas major* J. B. **Tree-Glasswort, or Sea-Blite with Stone-crop-leaves.**

Hæc, autore Lobelio, *foliis* est albis, densissimè confertis, denticulatis, Vermicularis acris majoribus. [Addit Morisonus;] *flores* producit ex herbaceo luteos, quàm præcedentis majores: *semina* sunt, uti Kali, nigra. Parkinsonus noster eam ità describit,

Hoc genus Sedi (ut vocat) in hortis cultum ad quinque aut sex pedum altitudinem assurgit, ab imo ad summum usque ramulis crebris, *foliisque* creberrimis exiguis, longis, teretibus, insipidis, Sedi minimi vermiculati persimilibus, verùm minoribus & viridioribus obsitum. *Flores* in summis ramulis quàm præcedentis minores (fortè error est scribæ aut Typographi pro majores) pallidè lutei. *Radices* longæ, lignosæ in terra se diffundunt.

An hæc & præcedens planta sint veræ & genuinæ Bliti-Atriplicis dicti species mihi non constare fateor, cùm flores & semina præcedentis non satis curiosè observaverim, ob similitudinem tamen cum Kali minore albo congeneres ei plantas esse suspicor: & propterea hunc eis locum assignavi.

18. *Blitum Americanum spinosum.* **Thorny American Blite.**

Hujus specimen pulcherrimum, à se curiosè exsiccatum ad me transmisit ingeniosiss. Vir & eximius Botanicus D. *Hans. Sloane* M. D. Erat id dodrantali longitudine; caule (ut videbatur) recto, satis firmo, ramoso, ramulis alternatim è foliorum sinubus exeuntibus. *Folia* Bliti polyspermi ferè figurâ & magnitudine, [aut Parietariæ] pediculis sescunciam aut duas uncias longis hærentia, [inferiora intellige] per margines æqualia, nervis in sicco admodum conspicuis. In alis foliorum flosculi staminei, sessiles, in globulos conferti, & ad exortum flosculorum hinc inde spina rigida, acuta, semuncialis. Summus caulis & ramuli in spicas longas, crebras, è plurimis flosculis confertas, Amaranti in modum, ex herbaceo flavicantes. Spicis autem nullæ intermixtæ sunt spinæ: Flosculorum singulorum partes ob parvitatem clarè discernere non licuit; neque quomodo semen gestet. Folliculi tamen bivalves videbantur.

In horto Regio Monspeliensi inque Parisiensi cultam observavit *D. Sloane.* *Locus.*

CAP.

CAP. VI.

De Blito hortensi.

Blitum vulgo dictum (ut superiùs etiam monuimus,) semina vasculis quæ per maturitatem transversim in medio levi tactu dissiliunt, ut in Portulaca, inclusa obtinere suspicamur, Amaranti in modum; adeóque ab Amarantis, spicarum præcipuè colore & elegantia differre. Alii diligentiùs rem examinent. Si seminum respectu cum Blitis superiori capite comprehensis conveniant, non est cur Caput peculiare iis assignetur, sed illis subjungi possunt.

1. *Blitum rubrum majus* Ger. C. B. Park. *Blitum pulchrum rectum magnum rubrum* J. B. **Great red Blite.**

J. B.

Facilis est adolescentiæ, *radice* pollicari fatua, ut & tota planta; *caule* fistuloso, intus extráque sanguineo rubore perfuso, concolorémque succum pressu remittente. *Folia* Betaceis minora, magis rugosa, quà cœlum spectant ex rubro nigrescunt, prona parte hilariùs rubent. *Flosculi* muscosi secundùm caulem apiculis pallidis constant. *Semen* Atriplicis sylvestris vel Amaranti, nigrum, nitens.

Locus. Planta est hortensis, necdum novimus ubi sponte proveniat. Vidimus Monspelii in hortis oleraceis. Ex semine deciduo se quotannis renovat.

2. *Blitum rubrum minus* J. B. C. B. Ger. *rubrum sylv. minus* Park. **Small red Blite.**

J. B.

Satis magnam *radicem* pro plantæ ratione habet, rubentem fibrosam, ex cujus capite plures *caules* oriuntur, supini, rubentes, & in his *folia* multa, Solani hortensis minora, nervosiora, colore atrovirente, sapore fatuo: ex quorum alis secundùm caulem numerosi nascuntur *flosculi*, ex herbidis & muscosis fibris compositi, obtutum ferè eludentes.

Locus. Seritur in hortis, ac etiam in iis sponte provenit [in transmarinis regionibus] ut & præsertim in iis locis in quibus fimus pecorum aliquandiu asservatus fuerit. Nos speciem hanc in hortis, vineis & fimetis circa Monspelium & alibi tum in Gallia, tum in Germania, copiosè provenientem observavimus.

3. *Blitum pulchrum magnum album* J. B. *Blitum album majus* C. B. Ger. Park. **Great white Blite.**

J. B.

Est hoc simile rubro, nec ab eo nisi colore differens, *caule* ut illud assurgens unico, magno, firmo, ad duos trésve cubitos erecto, albo: sed foliis majoribus, nisi locus interdum aridior diversitatem faciat.

In Burgundionum *Vaucluse* vidi, inquit *J. B.*

4. *Blitum album minus* J. B. C. B. Ger. *album sylvestre minus* Park. **The lesser white Blite.**

Radice nititur simplici, superiori parte rubente, tenuioribus fibris donatâ, profundissimè in terram ad perpendiculum descendente ac proinde evulsu difficili, *sapore* non ingrato. *Caules* emittit plures, semipedales aut dodrantales, interdum longiores, teretes, striatos, solidos, in terram reclinatos & vix se sustentantes, fungosos, succi plenos, superius nonnihil rubentes, aliàs albos; *foliis* per intervalla alternatim dispositis vestitos, inferioribus ad radicem minoribus, breviore pediculo hærentibus, superioribus majoribus, longiore nixis, nervosis, glabris, atrovirentibus, ad Majoranæ aut Nummulariæ folia quodammodo accedentibus sed majoribus, subrotundis, per margines æqualibus, in extremitate obtusis ac si abscissa essent, & fissis seu crenatis. Cùm primo exeunt liturâ in medio albâ inter duas nigras sitâ insignita sunt; cùm adolescit planta, maculâ albâ evanescente in singulis foliis nigra remanet. *Flosculi* & *semina* foliorum alis racematim adnascuntur, ut & summis caulibus, qui velut in spicas desinunt. *Flosculi* vix conspicui, staminei, herbacei. *Semen* nigrum, splendens Amaranthi, vasculis seu folliculis herbaceis (qui singula continent singuli) inclusum. Odor ex viriditate quodammodo gravis, sapor viscidus.

Locus. Montbelgardi (inquit *J. Bauhinus*) abundat passim Blitum minus album vel potiùs viride; Genevæ quoque frequens, Tubingæ aut Tiguri in agris non cultis, secùs itinera, in hortis & areis.

* 5. *Blitum Virginianum majus* Park. **The greater** Virginian **Blite.**

Caule assurgit simplici, crasso, tereti, striato, quinque aut sex pedes alto, ramulis multis, crebris ab imo ad summum usque undique cincto; *foliis* vestito quàm Bliti hortensis cujuscunque majoribus, colore viridi saturo, aliàs iis similibus: *Semen* in spicis exiguis è summo caule & ramulis exeuntibus, parvum, per maturitatem nigrum, compressum, splendens.

* 6. *Blitum*

* 6. *Blitum Virginianum minus, Amaranthi species* Park. parad. **The smaller** Virginian **Blite.**

Hæc species præcedenti simillima est, verùm minor & humilior multo, caulibus & foliis subrubentibus, minùs ramosa: spicis longis, tenuibus è squamis mollibus rubentibus compositis, *semen* parvum, nigricans minùs tamen quàm præcedentis, minúsque splendens continens. Radix parva, fibrosa, annua. Planta ex semine deciduo se renovat, nisi hyems asperior sit.

Suspicor ego has plantas Amaranti species esse & easdem quas nos *Amaranthi Novæ Angliæ viridis, & Amar. N. A. obsoletè purpurei* titulis insignimus.

* 7. *Blitum Brasilianum Cararu Brasiliensibus, Lusitanis* Bredos. Marggr.

Marggr.

Ex *radice* alba, satis crassa multi prodeunt *caules*, ab uno ad quatuor pedes alti, cum foliis similibus Blito, quæ interdum quasi farinâ videntur aspersa. In summitate fert *flosculos* virides spicatim congestos, ut in Blito, dehinc *semen* provenit minutum, instar seminis Papaveris minoris, rotundum, paulum compressum, nigerrimum, splendens, pelliculæ griseo-fuscæ inclusum.

Hoc etiam Amaranti species esse videtur: & fortè non alia quàm Amarantus viridis Novæ Angliæ.

Cap. VII.

De Amaranto.

Amarantus, malè cum *th* vulgò scribitur Amaranthus. Nam Græcè est Ἀμάραντος, quod & florem notat, & adjective significat immarcescibilis, ab α privativa & μαραίνω marceo.

Nec immeritò ità dictus est hujus plantæ flos, quoniam decerptus non statim marcescit sed coloris gratiam quàm diutissimè retinet siccatus. Pro flore hoc in loco cum vulgo spicam totam seu comam habeo.

Amarantus autem à Blito differt comâ speciosâ & immarcescibili, semine in vasculis membranaceis incluso, quæ per maturitatem transversim seu horizontaliter rumpuntur ad modum Portulacæ seu Anagallidis terrestris. [Fortè Blitum vulgare hoc respectu convenit cum Amaranto, nec aliter differt quàm spicarum colore, ut superiùs diximus.]

Amaranti duo genera sunt, alterum majus & elatius, spicis asperioribus & longioribus, minùs lucidis & splendentibus; alterum minus & humilius, spicis mollioribus, brevioribus, & Serici instar splendentibus, undè non ineptè *Amarantus sericeus* hortulanis vulgò dicitur. Ille in singulis vasculis singula habet semina; hic in singulis plura ad quatuor aut quinque.

1. *Amaranthus maximus* C. B. *paniculâ sparsâ* Ger. *purpureus major paniculis sparsis* Park. *Blitum maximum sive Amaranthus major, semine albo.* J. B.

J. B.

In hominis altitudinem lætiore solo excrescit, *caule* crasso, canaliculato, subrubente, *ramis* crebris stipato: *folia* Amaranthi purpurei, acuminata sed majora, ex viridi purpurascentia, rugosa, insipida: *flores* tum è summo caule extremísque ramis, tum è foliorum alis emicant, in spicas palmares & sesquipalmares digesti [imò pedales non raró] easque frequentes, & jubæ instar nonnunquam in latum luxuriantes, colore fuliginoso, aut purpuræ obsoletioris, staminulis luteis, quibus *semina* succrescunt minuta, alba, Milii excorticati æmula.

Cùm *Quinuæ* seu Bliti majoris Peruani *Clus.* spicæ seu paniculæ sparsæ & dependentes pingantur & describantur, dubius hæreo, an *Quinua* illa eadem specie fuerit Amarantho vulgari spicis surrectis obsoletè purpureis, semine albo, cùm hujus spicæ plerunque surrectæ sint, nec unquam, quod observaverim, nisi leviter admodum nutent: verisimilius tamen videtur eandem esse, cùm reliqua descriptio conveniat. Verùm quicquid sit de *Quinua* illa Clusii, certum est, plantam *J. Bauhino* depictam & descriptam sub titulo allato ipsissimum nostrum *Amaranthum vulgarem esse spicis surrectis obsoletè purpureis, semine albo.*

Catalogus Horti Regii Parisiensis duas alias varietates seu species hujus Amaranthi recenset, nimirum:

Amar. max. paniculâ sparsâ & longiore, semine albo. Et

Eundem rubello semine: qui granis rubris Petri Ciecæ *C. B.* variat: & idem videtur Amaranto nostro max. paniculâ longâ pendulâ, semine rubello.

2. *Amaranthus sylvestris maximus Novæ Angliæ, spicis purpureis carneis aut viridibus.*

Spicis est longis, minùs confertis quàm in Amarantho vulgari semine albo: *seminibus* minoribus, nigris cum obscuro rubore, lucidis: *foliis* pro spicarum colore vel purpureis, vel viridibus.

Amarantus hic Novæ Angliæ spicarum colore ludit, aliàs viridi, aliàs dilutè, aliàs obsoletè, purpureo. Imo obsoletè purpureus, seu ex purpura nigricans frequentior est multò quàm viridis.

Ex ſemine deciduo ſe quotannis renovat. Semen autem nè aſperrima quidem hyems corrumpit, ut hoc anno 1684. experti ſumus.

Hoc genus (ut puto) colore ſeminis etiam variat. Habemus enim in horto noſtro ex ſemine ortum, quod ſemen album producit, nec caule, nec foliis, nec ſpicis ab eo quod ſemine eſt nigro diſcernendum.

3. *Amaranthus maximus, paniculâ longâ pendulâ, ſemine rubello. Amar. coccineus elegans maximus* Park.

Caule aſſurgit ſimplici, terete, craſſo, procero, quàm præcedentis etiam altiore & majore: *foliis* veſtito illius æqualibus aut majoribus, pallidè ſeu ex luteo virentibus, pauco rubore aſperſis, interdum tamen in medio maculatis, (quâ notâ etiam antequam floreat à præcedente facilè dignoſcitur) *Flores* in *ſummis* caulibus & ramulis diſpoſiti, è principio craſſo in plurimas ſpecis ſparſi, mediâ longiſſimâ dependente, reliquis brevioribus eam ad baſin cingentibus, ut ſpica totalis ad baſin ſeu exortum ſuum admodum craſſa ſit, & pulcherrimum aſpectum præbeat; colore elegantiſſimo purpureo [aliis perperàm coccineo] lucens; quæ per maturitatem collecta coloris gratiam diu retinet ſiccata, præſertim ſi Solis radiis, aut aeri proceloſo non exponatur. *Semen* paniculis incluſum non ut in præcedente album, ſed pulchrè rubellum.

Locum hujus natalem neſcimus: Parkinſonus è Braſilia aliâve aliqua Americæ regione delatum ſcribit.

CAP. VIII.

De Amarantis Sericeis, Polyſpermis.

HOrum ſpicæ molliores ſunt quàm præcedentium & Serici inſtar lucent; colore autem variant, purpureo, coccineo, flavo, aureo, albo, incarnato. Semina in vaſculis per maturitatem tranſverſim diſſilientibus continent plura, quinque numeravimus.

* 1. *Amarantus purpureus* Ger. J. B. *purpureus minor* Park. *paniculâ conglomeratâ, atque etiam ſimplici paniculâ* C. B. **Purple Flower-gentle.**

J. B. Dod.

Radix huic craſſa, Bliti, ſucculenta, è rubore candicans: *caulis* ſingularis, purpuraſcens, potiſſimùm propter terram, ſtriatus, alternis alis concavus, cubitum aut ſeſquicubitum altus: *folia* Bliti, acutiora, minùs rugoſa, [mollia, glabra] colore virentia, per margines nonnihil rubentia, ſapore fatuo. Pro floribus exeunt *ſpicæ* in ſummis caulibus & ramulis, éque foliorum alis, aſpectui gratiſſimæ, cæterum inodoræ, in purpura ſplendentes, tactu læves, modò ſingulares, modò conjunctæ plures, quæ in attritu ſimilem ferè colore ſuccum reddunt, quarum ſi ſingulares ſumas floſculos, quinis foliolis totidémque apicibus conſtant. *Semen* per maturitatem nigrum, parvum, nitidum, lubricum, rotundum compreſſum.

Spicæ decerptæ diutinè pulchritudinem ſuam retinent, aliquot etiam annis non marceſcentes. *Dod.* Alſioſa planta, hyemis impatiens, quotannis è ſemine ſuo repullulaſcit. *J. B.*

An ſpecie differant Amaranthus paniculâ conglomeratâ *C. B.* & Am. Paniculâ ſimplici *ejuſdem* aliis inquirendum & determinandum relinquo: mihi certè non videntur differre.

2. *Amaranthus paniculâ ſpecioſâ criſtatâ* J. B. *paniculâ incurvâ* C.B. *paniculâ incurvâ holoſericeâ* Ger. **Crested velvet Flower gentle.** *Am. coccineus* Park. Parad.

J. B.

Ex omnibus Amaranthis palmam obtinet (inquit *J. Bauhinus* deſcriptionis autor) floris elegantiæ præcipuæ ſpecies, mediæ inter obſoleti coloris Amaranthum, & eum qui ſpicâ eſt purpureâ ſericeâ, magnitudinis; *caulibus* nempe multis ab eadem radice ſurgentibus, iiſque ramoſis ſtriatiſque, cubitum alterum altis, quos cortex obtegit ſucco ſanguineo propter terram turgens. *Folia* ex intervallis quàm Amaranthi ſimplici ſpicâ majora paulò, multò verò anguſtiora quàm illius obſoleti, ex quorum alis adeóque in ramorum faſtigiis fulgentes *flores* non tam ſpicati, quàm reticulatim decuſſatimque reflexis implexiſque paniculis, criſtatis latioribus conſpicui, ſtaminulis dilutiore purpurâ tinctis. Paniculas interdum fert palmares, ac uncias tres latas.

Hujus ut & præcedentis ſpicæ colore variant coccineo, nimirum, carneo, flavo, aureo, *&c.* Nobis tamen nondum conſtare fatemur, an Varietates hæ accidentibus duntaxat differant, an etiam ſpecie. Si ſemine ſatæ ſpeciem ſuam perpetuò ſervant, nec in ſe invicem tranſmutantur, argumento eſt etiam ſpecie differre.

In Catalogo Horti Regii *Pariſienſis*, Anno 1665. edito, hæ varietates, ſeu ſpecies mavis dicere, occurrunt.

Amaranthus criſtatus rubicundiſſimo flore.
Idem reticulatus ſeu corniculatus ſerotinus minor.
Amar. crameſino colore *Swertii.*
Amar. paniculâ conglomeratâ majore, puniceo colore ſplendidâ.
Amar. ſpicatus ſericeus flore luteo-vireſcente.
Amar. ſpicis carneis, interfuſa flavedine micantibus.
Amar. ſpicatus æneo colore ſimul & carneo varius.

Amar.

Amar. ſingularibus paniculis flammeo colore lucentibus.
Idem aureâ ſpicâ & ignis fulgore verſicolor.
Amar. paniculâ multiplici obſoletè violacea.
Amar. paniculâ multiplici ex fuſco purpuraſcente.

* 3. *Amaranthus carneâ ſpicâ* Park. parad. **Carnation Flower-gentle.**

Hæc Planta tum ex figura, tum ex deſcriptione ſpecies à reliquis diſtincta eſſe videtur. *Folia* ei aliquanto longiora ſunt & anguſtiora quàm aliis pleriſque hujus generis. *Paniculæ* ramoſæ, è ſpicis brevibus velut frumenti, multis, ramulis adnaſcentibus, villis quibuſdam extantibus velut ariſtis circumvallatis, compoſitæ: colore incarnato.

4. *Amaranthus ſpicis longis, ſimplicibus, albis.* **Great white Flower-gentle.**

Hæc Planta Florentiæ in Horto *M. Ducis Etruriæ* nobis viſa & collecta eſt. *Spicas* habet longas nec adeò confertas in ſummis caulibus, ut in *Amarantho vulgari floribus obſoletè purpureis, ſemine albo*; molles tamen, & ſerici inſtar ſplendentes, ſtrigoſiores etiam (quantum meminimus) & graciliores quàm illius. *Semina* nigra, compreſſa, lucida.

Amaranthi ſpicis albis nullam apud Botanographos mentionem factam invenimus.

5. *Amaranthus tricolor* Ger. Park. *Symphonia Dalechampio, ſive Amarantus tricolor* J. B. *Amar. folio variegato* C. B. **Floramour, or ſpotted Flower-gentle.**

Lugd.
Radice eſt brevi, candida, in ſurculoſas propagines diviſa: *caule* unico, pedali, rubente: *foliis* Bliti, alternatim viridi, roſeo & luteo colore pictis, ſic ut in ſingulis foliis adultis & perfectis ea coloris varietas, (Pſittaci plumas referens) jucundiſſimum intuentibus præbeat ſpectaculum. *Semen* profert in exiguis ſpicis villoſis, cauli adhærentibus ſine pediculis, flaveſcentibus punctis notatis.

Variat (inquit *C. Bauhinus*) colore, in altero *hilariore*, extremo flavo, medio puniceo, reliquo viridi, aliquando viridi, luteo, rubro, in altero *obſcuriore*, illum fœminam, hunc marem faciunt. Habetur & alia varietas in *Cat. Pariſ.* Amaranthi folio variegato ſerotini titulo.

Folia, Flores & Radices Amaranthi ad ſicciorem accedunt temperaturam. Hodiè in corollis puellarum texendis duntaxat uſurpantur. Cæterum tribuuntur huic paſſim vires quædam, quibus fides ſine ratione nequaquam eſt adhibenda; ut quòd cœliacos & dyſentericos juvet, menſium abundantiam cohibeat & albas uteri fluxiones, &c. *J. B.*

6. *Amaranto affinis Indiæ Orientalis, floribus glomeratis, Ocymoidis folio* Breynii *flore albo.*

Breyn.
Caulem rotundum, piloſum, geniculatum, medullâ niveâ ſpongioſâ refertum, & complurimis ramis diffuſum ad bipedalem altitudinem erigit; *Folia* ex intervallo in contrariis lateribus, alterno ordine & cruciformi poſitu proferentem, Lychnidis Ocymoidis flore purpureo ſimilia, temperatè virentia, & molli lanugine tam ſuperna quàm inferna parte aſperſa. Ex horum ſinu, aliquando ſimul cum ordinariis ramis ramuli etiam alii minores exoriuntur, quorum æquè ac ramorum ordinariorum ſummo pervenuſtum, globoſum inſidet capitulum, effigie ac magnitudine pœnè Lupuli folliculariurm fructuum, foliolis duobus plerunque, vel quatuor etiam aliquando, in modum Globulariæ luteæ *Col.* juxta baſin circumvallatum. Hoc inquam *Capitulum* ex innumeris ſemilunaribus compreſſis, Gnaphalii Americani florum ſquamulis æqualibus, membranaceis argenteo candore nitentibus compactum eſt *glumis*; quarum binæ ſemper conjugatæ *utriculum* chelarum figurâ efficiunt; ex cujus cavitatis centro *Floſculus* admodum parvus & quinquepartitus, Amaranthi quodammodo reſpondens, ſed omnino niveus & lanuginoſus, teneram intus tabulam comprehendens emicat: Qui ſucceſſu temporis indureſcens, ac ampullulæ in formam craſſeſcens denſa lanugine candidiſſimâ ità obducitur, quaſi humanâ induſtriâ goſſipio involutus eſſet ac *vaſculum* admodum puſillum coniforme, ex tenui pellicula confectum, Amaranthi ſimile occulit, in quo *ſemen* orbiculare, unicum, cum Amaranthi pariter conveniens, ſed altero tanto pænè majus, ac ſubrubicundo colore continetur.

Altera ſpecies ſive flore purpureo, minor nonnunquam & ſtrigoſior, magiſque ramoſa ſe oſtendens, *Capitula* profert minora, ex lepidiſſimis, vegetæ Roſarum purpuræ nitentibus, oculóſque hilari luce perſtringentibus glumis, Gnaphalii montani purpurei florum ſquamulas mentientibus compoſita: quæ ob venuſtatem formæ ac pulchritudinem, ab Indis filorum, quibus flores *Mogorri* trajectant, extremitatibus, globuli loco ornatûſque gratia annectuntur.

Præter has *tertia* etiam *ſpecies* in Braſilia reperitur. Hæc nonnihil altior quam Aſiatica flore albo excreſcit; cæterùm cum illa convenit, excepto quòd capitula ejus minora & minoribus glumis compoſita, ac circa baſin (quantum obſervare potui) foliis nullis circumvallata ſunt. An *Planta ex quâ fit Anil alia ſpecies* Marggravii?

7. *Amarantus Siculus ſpicatus radice perenni* P. Boccone. Boccone's **perennial ſpiked Flower-gentle of** Sicily.

Boc.
Folia hic gerit figurâ & formâ Amaranthi vulgaris, minora atque paulò acutiora, molli candidâque lanugine ſubtus argenteo nitore lucentia; quæ conferta naſcuntur circa ramos multiplices,

è *radice*

è *radice* lignosa atque perenni exsurgentes. *Caulis* pollicari crassitudine persæpe fruticat, éstque juxta singulas alas quasi nodosus. *Spica* simplicior est & exilior quàm in cæteris suæ sortis, neque ut Amaranthi spica vulgariter è pluribus compacta, sed *flosculis* dilutè rubentibus longo ordine simpliciter usque ad cacumen distributis constans, subeuntibus *conis* perquam exiguis, iisque deorsum nutantibus, in quibus *semen* oblongum includitur.

Locus. Oritur locis Cataniæ vicinis. Hæc Paulus Boccone.

Plantam hanc in Horto medico Messanensi vidimus & collegimus, Anno 1664. unde & in vicinia etiam Messanæ urbis ortam suspicamur.

CAP. IX.

De Beta.

BEta à figura literæ Βῆτα, quam habet cùm turget semine, dicta putatur: Nam summitatem reflexam obtinet.

Columella.
Nomine tum Graio, ceu litera proxima primæ
Pangitur in cera docti mucrone magistri:
Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu
Deprimitur folio viridi, pede candida Beta.

Græcis τεῦτλον & σεῦτλον ab impulsu, quòd facilè excrescat.

Beta fructu verrucoso osseo cui flos insidet, à reliquis hujus classis generibus distinguitur.

Sicla officinis dicta est omnis Beta, contractè à Sicula, quo cognomento Betam duntaxat candidam olim donatam fuisse Plinius & Theophrastus memoriæ prodiderunt.

1. *Beta alba* Ger. *communis alba* Park. par. *alba vel pallescens, quæ Cicla Offic.* C. B. *candida* J. B. **White Beet.**

J. B.
Radicem habet lignosam, minimi digiti crassitudine, mediocriter longam, candidam. *Folia* dilutiùs virent, Lapathi, crassa & succulenta, sapore nitroso. *Caulis* duos cubitos altus, aut etiam major, gracilis, striatus, multis alis concavus; in quibus longa serie *flosculi* exigui ex foliorum alis, apicibus luteis constantes, quinis calicum foliolis obvallati: *Semen* rotundum, & crispa superficie asperum, fuscum.

2. *Beta rubra* Ger. *communis rubra* Park. *rubra vulgaris* J. B. C. B. **Red Beet.**

Foliis est brevioribus quàm præcedens, plurimùm rubentibus plus minúsve, interdum atro-rubentibus. *Radice* est alba; foliis duntaxat distinguitur à præcedente.

Quæ folio est obscuriore *Beta nigra* dicitur: aliàs enim *Beta nigra* Rara avis in terris est, nigróque simillima cygno.

A. 3. *Beta sylvestris maritima* C. B. Park. *communis seu viridis* C. B. **Sea-Beet.**

Betæ albæ similis est, verùm *foliis* minoribus & viridioribus, planis & æqualibus, venis rubris interdum variis, aliàs sine illis: *caule* etiam graciliore & minore.

Locus. In palustribus salsis & ad maris litora frequens est.

Johnsonus apud Gerardum asserit hanc non differre specie à *Beta sativa alba*: Parkinsonus, quem sequimur, *Sylvestrem spontaneam marit. communi viridi Betæ* eandem facit, & rectè nostrâ sententiâ: C. Bauhinus *viridem communem albæ* eandem dici permittit, verùm maritimam sylvestrem specie diversam facit: Nos sylvestrem maritimam Betam cum viridi communi specie convenire existimamus; ab alba vulgari differre. Radice perenni à reliquis Betæ speciebus differt.

* 4. *Beta rubra radice rapæ* C. B. *radice rubra crassa* J. B. *Romana rubra, Raposa dicta* Park. **Roman Beet, with a Turnep-like root.**

Hæc *caule* est altiore quàm Beta vulgaris rubra: *radice* crasâ, ventricosâ interdum Napi instar, interdum productiore, & Carotæ æmulâ, intus forísque sanguineo saturo colore infectâ.

* 5. *Beta lutea major* C. B. *lutea* J. B. *lutea Syriaca* Park. **Yellow-rooted Beet.**

J. Bauhinus hanc à præcedente, radice buxeâ tantùm differre scribit; Parkinsonus etiam foliis pallidioribus quàm Betæ albæ vulgaris, seu luteo-viridibus. C. Bauhinus à præcedente etiam genere distinctam facit, cùm hanc inter *Betæ majoris foliis latissimis* species recenset, illam *minoris* speciebus annumerat.

6. *Beta Italica* Park. *Sicula, costâ latâ, albâ luteâ, aureâ, rubrâ, ruberrimâ* Moris. The Sicilian broad-ribbed Beet.

Hujus *caulis* elatior est [octo interdum cubitorum] *folia* amplissima cum costâ mediâ latissimâ, [ad palmum interdum] diversorum colorum: nec enim quæ costæ colore, etiam specie differunt, cùm ex eodem semine proveniant, quod & Gerardus olim observavit: Nam ex semine illius quæ costâ fuit rubrâ in horto *D. Norden* sato plantæ variorum colorum enatæ sunt. Frustra ergo eas distinguunt nonnulli Botanici.

Beta platycaulos non est species Betæ à reliquis distincta, sed monstrum potiùs, seu naturæ vel ludentis vel deerrantis extraordinarius effectus; cujusmodi & in aliis plantarum generibus interdum cernitur.

7. *Beta Cretica semine aculeato* Ger. C. B. *Cret. spinosa* Park. *Cret. semine spinoso* J. B. Prickly-seeded Beet of Candy.

Ex *radice* tereti, brevi, parùm fibrosa, annua *Caules* plures cubitales & minores, per terram sparsi, rotundi, striati, ad radicem levi hirsutie canescentes, in ramulos effusi, exurgunt. *Folia* habet pauca, Betæ nostrati similia sed minora, longis pediculis donata, per extremum rotunda aut saltem obtusa, juxta pediculum angustum nonnihil alata. *Flores* parvi, ex flavo virescentes, spicati in ramorum extremitatibus. *Fructus* statim ad radicem multi conspiciuntur, & hinc indè per caulem ad quodlibet ferè folium, asperi, in tres spinas radiatas, in latera reflexas desinentes, costis pulcris donati, transversisque cancellis: reticulati; quorum unicuique *semen* inest unum, formâ seminis Adonidis subrotundum, in apicem abiens, duplici membranulâ tectum, interiore proximè medullam albam farinaceam cingente.

Non in Creta tantùm insula provenit, sed & in Sicilia, ubi nos eam invenimus, in insula parva ad Promontorium Pachynum. *Locus.*

Si hæc non usurpâsset nomen Betæ ad Lapathum vel Spinachiam potiùs referrem, inquit *J. Banhinus*. Ego de hac planta, quò scilicet referenda sit, pronunciare non ausim, cum florentem nondum observaverim.

Vires & Usus. Beta estur ut olus; eâque nihil in culinis usitatius. Martialis fatuitatem ei exprobrat hoc Disticho,

Ut sapiant fatuæ fabrorum prandia Betæ,
O quàm sæpè petet vina pipérque coquus.

Calfacit & siccat, laxat alvum ob nitrositatem: errhinum est, præcipuè radix; nam succus ejus naribus exceptus sternutamenta proritat, humores pituitosos è cerebro magnâ copiâ elicit, adeóque Cephalalgiam quantumvis inveteratam compescit & profligat. Hoc medicamentum à nonnullis pro secreto habetur. At Olaus Borrichius apud *Th. Bartholinum* Act. Med. An. 1673. Obs. 63. ab experientia edoctus scribit succum Betæ esse errhinum periculosum & valdè noxium. Habui à D. *Tancred. Robinson*.

Plantulæ recentes cum radicibus leviter bullitæ, & ex aceto postea devoratæ, cibi appetentiam afferunt, sitim compescunt, choleram in ventriculo reprimunt.

Betæ Italicæ costâ latâ in aqua bullitæ costæ cum oleo, aceto & pipere conditæ delicatissimæ habentur in acetariis, summóque in pretio sunt.

Betæ rubræ Romanæ radices in assulas seu circulos transversim sectæ, & deinde in figuras & imagines monogrammas à coquis ad margines patinarum & fercula exornanda adhiberi solent.

Ejusdem Betæ radices coctæ, tum calidæ, tum frigidæ, cum olei & aceti tantillo, hyberno tempore in acetariis præcipuæ sunt æstimationis. Radices hasce ex plurimis circulis seu tunicarum involucris Ceparum in modum componi non sine admiratione primùm cùm in Italia & Gallia in acetariis nobis inferrentur, observavimus.

Radix Betæ raso nonnihil cortice, ano glandis modo indita, infantium alvum ad excrementorum expulsionem invitat, præsertim exiguo sale consperса.

CAP. X.

De Parietaria.

PArietaria dicitur hæc herba quod in parietinis exeat, item Muralis: Helxine quòd asperâ foliorum hirsutie, asperóque semine, tenaci nexu vestibus adhæreat: Perdicium à Perdicibus, quæ eam esitare solent: Vitriaria & Urceolaris quòd ob nitrositatem suam tergendis urceolis vitreísque vasis efficax sit.

Calycum & totius comæ hirsutie aspera & vestium tenaci; seminibus splendentibus quibus flosculi sunt pro vasculis, à reliquis dignoscitur hujus familiæ plantis.

A. 1. *Parietaria* Ger. J. B. *vulgaris* Park. *Officinarum & Dioscoridis* C. B. **Pellitory of the Wall.**

Radice nititur fibrosa, rubente. *Caules* ramosi, hirsuti, rubentes, solidi. *Folia* Mercurialis aut Majoranæ hirsuta, atrovirentia & splendentia, pediculis longis donata, alternatim posita. *Flosculi* conferti circa caulem è foliorum alis floccos coccinei serici imitantur primulùm è nodulo emicantes: pòst se stamina ostendunt obscurè, ex albo purpurascentibus apiculis involuta, quæ si stylo evolvere coneris, subsultim excusso pulvere cum impetu, spectaculo jucundo, se expandunt repanda. Singulis flosculis *calices* sunt trifolii; *stamina* quatuor ad crucis formam se decussantes. Flos ipse rubet & vasculi seminalis vicem supplet, unicum in se *semen* minutum splendens, vinacei ferè figurâ, continens. Flores hi semine fœcundi ab aliis sterilibus quibus nullum inest semen, figurâ diversi sunt. *Vascula seminalia* aspera sunt & vestibus adhærescunt, unde & planta ipsa Helxine dicitur. Est hæc major & minor, quæ Parietaria Ocymi folio C. *B.* In horto Leydensi pro distincta specie colitur, ut ex annotatis D. *Josuæ Palmer* didici.

Locus. In muris & locis ruderatis exit copiosè.

Descriptio est J. Bauhini, à nobis interpolata & aucta.

* 2. *Parietaria Sicula Alsines folio* Boccon. **Sicilian Pellitory with Chickweed-leaves.**

A Parietaria minore Tragi & à vulgari Matthioli differt hæc foliis tantùm, quæ minima sunt, figura atque magnitudine Alsines paria.

Locus. Passim (inquit Autor) per Siciliam viret: in montibus Hyblæis, oppido Melilli vicinis, Cataniæ, Messanæ & Agrigenti sæpius vidimus & legimus.

Vires. Parietaria abstergit & leviter adstringit refrigeràtque. Usus internus rarior est; sunt tamen qui ad tussim commendant; calculosisque & iis qui difficultate urinæ laborant succum ejus utiliter propinari dicunt. Multi hodie usùs in enematis ad ventris, uteri & renum dolores. Extrinsecùs ad tumores, erysipelata, ambusta, &c. conducit. *Schrod.* Ejusdem leviter tusæ & impositæ vis magna ad recentia vulnera sananda esse dicitur.

Herbæ exiccatæ pulvis vel melle exceptus, vel in cerevisia aut zythogalo potus ad tussim inveteratam & tabem pulmonum mirificè conducit, experientiâ teste. Quin & à Veteribus adversùs tussim & Asthma exhiberi solita est. Idem efficit vel decoctum ejus in vino aut aqua mulsa, vel aqua destillata: verùm pulvis efficacior est.

Salem nitro-sulphureum præbet hæc planta non secus quàm Borago & Buglossum. D. *Boyl. De Utilitate Philosoph. Nat.* Quod sale nitroso abundet, vis ejus detersoria ostendit. Urceolaria siquidem dicta est, quòd urceolis vitreisque vasis detergendis & mundandis efficax sit, ut superiùs monuimus.

Parietariæ affinis.

* 3. *Alsine fœtida, Fabio Columnæ Dioscoridæa* J. B. *Alsine Parietariæ foliis* C. B. Phyt. *Cynocrambe legitima* Pon. *Cynocrambe Dioscoridis* C. B. *legitima Dioscor.* Park.

J. B.

Ex *radiculis* fibrosis & frequentibus *caules* complures enascuntur, cubito longiores, humi reptantes, teretes, crebris nodis intercepti, læves, inanes, fragiles ut Portulacæ. Ex geniculis prodeunt *folia*, non illa quidem utplurimum utrinque, sed altero duntaxat latere, (licèt sit etiam ubi conjugatim adversa, ubi etiam trigemina emicent) plura simul juncta, quorum unum productiori pediculo appensum, conjugii expers, multis numeris reliqua, quæ & adversa & contrario situ posita, indidem oriuntur, magnitudine superat, Hippiæ maximæ paria, pinguiora, atro-virentia, attritu putidum quid redolentia. Ex opposito foliorum conjugii expertium, cæteroqui ex alis, semper tamen ad genicula *flosculi* muscosi plures, ex albido in herbaceum colorem languent ex duobus aut tribus foliolis, subacta bracteolarum tenuitate nitentibus, & oris plerunque extrorsum reflexis: quibus delapsis succedunt *semina* Cannabinis minora.

Hæc Planta Parietariæ affinis videtur, quocirca proximum ei locum dedimus.

C. Baubinus flosculos binos, ternos aut quaternos ad singula genicula è foliorum alis exire scribit muscosos, ex herbaceo albidos, plurimis filamentis donatos; quibus succedunt fructus totidem, geniculis inter folia hærentes, Mercurialis formâ, sed minores, rotundi, duriusculi, primùm virides, postea nigricantes, medullâ albâ referti.

Locus. Ex insula Capreis, ubi frequens sponte oritur, advectam habuit Columna. Circa rupes antri Frontignani, viâ Miravallis collegit *V. Cl. D. Jolly* M. D. Monspeliensis non procul Monspelio. *Botan. Monsp.* Vere floret, atque æstate perficitur.

Cap. XI.

De Saxifraga aurea.

HErbæ nonnullæ Saxifragæ ab effectu dictæ ſunt, cùm aqua earum ſtillatitia ut & decoctum lapides renales & frangere & pellere dicatur, ut & farina granorum ad radicem [in Saxifraga alba vulgari] ex decocto ſumpta. *C. B.*

Saxifraga aurea ob ſimilitudinem quandam in foliis cum Saxifraga alba hoc nomen obtinuit. Flores autem & ſemina genere diverſam eſſe arguunt, nè quid de viribus dicam. Flore flavicante tetrapetalo : vaſculo ſeminali bicorni plurimis minutiſſimis ſeminibus repleto à reliquis hujus familiæ generibus differt.

A. 1. *Saxifraga aurea* Ger. Park. *rotundifolia aurea* C. B. *aurea Dodonæi* J. B. **Golden Saxifrage.**

In aquoſis reptat è ramulis procumbentibus fibris plurimis capillaribus longiſſimis albis in limum demiſſis. *Caules* tenues, quadrati, raris pilis hirſuti, teneri, infirmi & vix ſe ſuſtinentes, ſolidi tamen, palmares aut longiores, *foliis* veſtiti per intervalla ex adverſo binis, ſubrotundis, Hederæ terreſtris minoribus, circum oras leviter crenatis, raris itidem pilis hirſutis. *Caules* qui flores producunt reliquis erectiores, paucis foliis veſtiti, primùm in duos ramos divaricantur, nullo neque flore in divaricationis angulo, neque ad latus appoſito folio : ſinguli deinde ramuli in binos alios ſubdividuntur, & ſic deinceps, inque ipſis divaricationum angulis plerunque ſedet *flos* pediculo nullo aut perbrevi, quatuor petalis exiguis acutis flavicantibus in crucis formam poſitis conſtans, cum *ſtaminulis* & *apicibus* in medio flavis. Ad latus uniuſcujuſque floris apponitur foliolum. In medio flore (qui neque defluit neque marceſcit) exoritur vaſculum ſeminale bicorne, qui per maturitatem dehiſcit, & ſemina aliquot parva minutiſſima ruffa oſtendit. Sapor plantæ nobis guſtantibus nullus inſignis ; *J. Bauhinus* ſubacidum & amaricantem ſtipticúmque ei attribuit.

Ad rivulos frequens, inque humidis, umbroſis paluſtribus & muſcoſis locis. Aprili menſe floret & brevi ſemen perficit. *Locus & Tempus.*

A. 2. *Saxifraga aurea foliis pediculis oblongis inſidentibus.* **Golden Saxifrage with leaves standing upon long foot-stalks.**

Hæc à præcedente differt, quòd non eodem modo ſe diffundit ſuper terram, quòd omnibus ſuis partibus, caule, folio, ſemine major ſit, quódque folia pediculis ſeſcunciam aut duas uncias longis inſiſtant, ſintque concinniùs crenata, ſegmentis latis cordatis. Sub terra reptando ſe propagare videtur, viticulis è radice exeuntibus.

Floret cum priore & eiſdem in locis oritur : Hæc ſpecies eſſe videtur quam deſcribit & depingit *J. Bauhinus* qui & duas ſpecies agnoſcit, diverſa inquiens obſervavi gerentem folia, ità ut diverſas ejus ſpecies quis exiſtimârit.

Cap. XII.

De Aſaro.

DIctum eſt Aſarum (ſi *Plinio* credamus) lib. 21. cap. 6. ab α στεφανικῶ & σαίρω, quod inter alia ſignificat orno : non enim adhibebatur coronis. *Hofm.* Dicitur & Νάρδος ἀγρία i. e. Nardus ſylveſtris, eò quòd odore Nardum æmuletur, vel, ut *Plinius* quòd Nardi vim habeat.

An Bacchar idem ſit cum Aſaro vel diverſum ambigitur. Vid. *J. B.* tom. 3. lib. 32. cap. 5. ubi Autor totum caput de Bacchare ſpurium & Dioſcoridis textui inſertum fuiſſe multis probat : Nomen autem Baccharis Latinæ originis eſſe, & Græcis antiquioribus ignotum exiſtimat.

Officinæ ut in Agno caſto utrunque nomen conjunxerunt, hanc plantam *Aſara baccara* appellantes.

Aſari notæ ſunt cytini in tres lacinias diviſi : laciniæ hæ ſunt calyx floris, cui ſubeſt fructus in terna pariter loculamenta diſtinctus, & per maturitatem in tres carinas dehiſcens : Folia craſſa, colore Hederæ & ferè conſiſtentiâ.

1. *Aſarum* Ger. J.B. C. B. *vulgare* Park. Aſarabacca.

J. B.

Non immeritò Nardis Aſarum accenſuit Antiquitas, tanta eſt in *radice* tenui reptatrice odoris affinitas : *folia* verò Cyclamini, circinatæ rotunditatis læto virore ſupernâ parte ſplendent, rigida, infernâ autem magis albent, tenerâ lanugine pubeſcentia utrinque, magis tamen infra quàm ſupra : inter folia proximè terram in brevibus pediculis hirſuti, ſexanguli *cytini*, purpuraſcentes, Hyoſcyami, in tres lacinias diviſi oriuntur, internè atro-purpureas, externè ex virore rubeſcentes, medium

dium occupantibus *staminibus* purpureis. Cytini per maturitatem in tres carinas finduntur, seménque ostendunt, acinis uvarum quoad formam externam simile, tunicula fusca, quæ medullam intus albam continet, gustu acriusculam.

Radices Asari crudi quamvis magna cum anxietate vomitum cieant, in aqua autem non in vino incoctæ mutantur in deoppilans, diureticum & tardarum febrium remedium, quod occulta tum in eo atoma prodit: ad hoc tanquam ad sacram anchoram confugiebat D. Oheimius in febribus diuturnis ab hypochondriorum inveteratis obstructionibus dependentibus. Frid. Hofmannus M.M. lib. 1. cap. 12. Asarum in infuso conveniunt unde mitius evadit, in decocto vis volatilis magis abigitur, unde vomitorium ferè esse desinit, nisi levis fit decoctio. Radicem quàm folia mitiorem deprehendimus: moriebatur hypercatharsi vir quidam robustus qui cochlear unum foliorum pulveris sumpserat, frustra datis Antidotis. *Wedelius* de S. Med. fac. p. 158. Adnotavit & ad me transmisit D. *Edv. Hulse*.

Crassam pituitam & utramque bilem per vomitum ac nonnunquam per secessum violenter expurgat Dos. radicis à ℨß. ad ℨj. in substantia, à ℨj. ad ℨiij. in infuso. Folia exhibentur num. 6, 7, 8, 9, infusa, cocta & expressa.

Diureticum est & emmenagogum insigne: unde Meretriculæ plus satis frequentant decoctum ejus, cùm sentiunt se gravidas. Quo tenuiùs est tritum eo magis urinas movere, minùs autem alvum ducere creditur.

In Arthritide & dolore ischiadico, inque Hydrope & febribus, præcipuè tertiana & quartana, tandémque in ictero utile esse censetur. Folia in vino aut aquâ decoquunt, & decoctum molle edulcorant: ad arthritidem in sero lactis.

Mesues monet cùm pro purgatione coquimus debere coctionem esse mediocrem, aliàs perituram, primùm quidem vim vomitoriam, deinde purgatoriam quoque. Unde præceptum nos capere par est, si volumus ut per inferiora tantùm purget decoquamus plusculum. *C. Hofman.* Vomitorium ex præscriptione Nicolai *Chesneau*. ℞. pulver. radic. Asari à ℨß. ad ℈iij. capiat æger cum hydromel. aut Oxymel.

Aliud. ℞. Decoct. radic. Asari aut sem. ℥iv. Propinetur post cibos pingues & liquidos, eósque diversos. *Rondelet.* Communicavit eruditissimus vir & vetus amicus noster D. *Edv. Hulse*.

* 2. *Asaron Canadense* Cornuti.

Cornut.

Hujus facies à nostrate partium amplitudine potiùs quàm viribus distat. Mox ubi bruma confecta est apud nos supra terram emergit, sine *caule, foliis* hederaceis mollioribus, non circinatæ rotunditatis, non convolutis in se, nec splendidis; sed expansis, & in mucronem desinentibus, adjectáque minuta cæsarie hirsutis. Foliorum pediculi vitiles, florúmque cytini pari lanugine pubescunt. Pro flore ab radice prodeunt *caliculi* plures, quorum viridis color languescit: dum hiant singuli in tres cultratos velut mucrones dissecantur; qui non intro flectuntur, sed in exteriora invertuntur: Cujusque floris cavitate delitescit *semen*, acinosum, mordens gustu, fervénsque in ore. *Radix* carnosa, viváxque terram obliquè perreptat, ab ea longiores fibræ profluunt suavissimi odoris, Acoro similis intensiorísque. Hæ singularem vino gratiam adjiciunt, si pinsitæ linteíque nodulo inclusæ in cadum musti colentur, cum pondusculo ut sidant, trimestríque spatio macerentur ante usum.

Asarinam foliis Asari C. B. *Asarinam* Matth.

Clusius in Histor. Tussilaginem Alpinam secundam esse suspicatur, quod & nobis verisimile videtur.

CAP. XIII.

De Alchimilla.

Alchimilla dicitur hæc herba quòd Alchimistarum præconiis celebrata sit; Pes leonis à foliorum forma.

Percipierre dicta plantula Alchimillæ propriè dictæ species non est: Differt enim & situ florum, & foliorum ex quibus componuntur numero, & seminibus in singulis vasculis singulis, non binis ut in Alchimilla. Confer si placet descriptiones.

Notæ Alchimillæ genericæ sunt flosculi in summis caulibus, octonis foliis herbaceis compositi, vasculis seminalibus, singulis bina semina continentibus insidentes, umbellatim congesti.

A. 1. *Alchimilla* Ger. *vulgaris* Park. *major vulgaris* C. B. *Pes leonis sive Alchimilla* J. B. **Ladies mantle.**

J. B.

Ex *radice* minimi digiti aut pollicari crassitudine, plurimis fibris donatâ, strenuè adstringente & desiccante *caules* surgunt aliquot tenues, teretes, hirsuti, ramosi, dodrantales, quibus insident *flosculi* herbidi, umbellatim congesti, quorum singuli octonis constant foliolis, majoribus quatuor, totidémque minoribus, alternatim positis, in quorum medio apiculi lutei. *Flosculi summis* vasculis seminali-

ſeminalibus inſident, ſuntque eorum velut umbilici. In ſingulis vaſculis bina continentur ſemina parva, non exactè rotunda, ſed ex una parte productiora, ſplendentia. *Folia* alia ſtatim à radice exoriuntur longis, ſeſquipalmaribus, pediculis hirſutis, alia cauli pediculo aut brevi aut nullo adhærent. Cæterùm folium ad Malvam accedit, ex luteo vireſcens, infra hirſutum, in octo aut novem angulos obtuſos ſeu plicas diviſum, in ſingulos angulos ſingulis nervis à pediculo prodeuntibus, concinnè in ambitu crenatos.

In pratis & paſcuis, præſertim montoſis, ſæpius ſpontaneam invenimus. In Septentrionalibus Angliæ montoſis paſcuis Eboracenſibus & Derbienſibus abundat, ubi à vulgo Pes urſi **Bears-foot** dicitur. Æſtate floret. *Locus & Tempus.*

Dicitur autem *Alchimilla* quòd Alchymiſtarum præconiis celebrata ſit: Germ. chirurgis Sanicula major, quòd ſit illi tum facie, tum viribus admodum affinis.

Vulneraria eſt è nobiliſſimis. Calfacit, ſicc. aſtring. ſanguinem ſiſtit, menſéſque & alba mulierum profluvia. Folia & ſummitates atque etiam radix vulnerariis potionibus, pulveribus, emplaſtris atque unguentis adjiciuntur. *Vires.*

Mulierum mammas impensè laxas linteum ejus decocto intinctum & impoſitum duras ſolidáſque efficit. Decoctum hoc interanea vulnera rupturáſque glutinat: idem decoctum, aut aridæ herbæ pulvis in eodem aut aquâ ſtillatitiâ ſumptus ramices inteſtinorum, potiſſimum in pueris ſanat. J. B. è Fuchſio, quem conſulat qui plura velit. Præcipua eſt in hac planta vis adſtrictoria qua mediante agit quicquid agit.

* 2. *Alchimilla minor* Moriſ. Prælud.

Præcedenti in omnibus accedit excepta partium parvitate. Eſt enim triplo vulgari in omnibus minor, ejúſque folia dilutiùs virent.

* 3. *Alchimilla minor quinquefolia* Park. *Alpina quinquefolia* C. B.

C. B. prod.

Radicem habet oblongam, nigricantem, fibras plures de ſe emittentem, ex quo folia aliquot parva, longis pediculis donata & glabra prodeunt, quæ in quinque lacinias ad pediculum, hæque in profundas crenas dividuntur: inter quæ pediculi bini ternive, tenues, glabri trium quatuorve unciarum longi, reclinati: quorum ſummitatibus floſculi, vulgari Alchimillæ formâ & colore ſimiles, trifolii, pallidi ac herbacei, ſinguli ſingulis minimis pedicellis donati quaſi umbellæ inſident.

In monte S. Bernhardi majoris & Gotthardo locis humidioribus, Auguſto florens reperitur. *Locus.*

Planta hæc ſi à C. Bauhino rectè deſcribatur flore trifolio, Alchimillæ ſpecies non eſt: quò tamen referri debeat neſcimus, ideóque loco movendam non duximus donec certiùs conſtiterit.

A. 4. *Alchimilla Alpina pentaphyllos. Pentaphyllum ſive potiùs Heptaphyllum argenteum. Flore muſcoſo* J. B. *Tormentilla Alpina folio ſericeo* C. B. *Torm. argentea* Park. **Cinquefoil Ladies mantle.**

J. B.

Radicem habet craſſam, longiuſculam fibratámque ex rubro nigricantem, nunc ſingularem, nunc in multa capita diviſam: pediculi palmares circiter, argentea lanugine obducti *folia* ſuſtinent in quinque aut ſeptem ſegmenta ad pediculum uſque, ut plurimum diviſa, per extremum ſerrata, ſubtus argenteo nitore ſplendentia, mollique villo tecta, ſuperiùs atrovirentia, glabra: *caules* dodrantales & majores, tenues, paucis foliis veſtiti, ramoſi muſcoſos confertos gerunt *floſculos* Alchimillæ modo, ſingulos quaternis foliolis virentes foris incanis hirſutiſque. Adſtrictionem aliquam percipimus in foliis.

In celſioribus montium jugis gelidiſque cautibus occurrit, autore Lobelio: nos in monte Jura propè oppidum *Jay* invenimus: item in rupibus juxta ſtagnum **Huls-water** dictum, non longè à *Pereth* oppido, in Weſtmorlandia Angliæ provincia. *Locus.*

Cap. XIV.

De Percepier.

Percepier ſeu *Percepierre* vox eſt Gallica Saxifragam denotans: Hæc enim plantula calculis comminuendis efficax cenſetur. Non eſt autem cur *Percepier* Anglorum dicatur, quaſi Angliæ propria ſit, cùm in exteris etiam regionibus ſatis frequens occurrat; niſi fortè hoc titulo intelligant non Angliæ peculiarem eſſe hanc herbulam, ſed tantùm hoc nomine Anglis notam: ſic cùm Geranium batrachioides *Germanorum Gratiam Dei* appellant, non intelligunt hanc plantam Germaniæ peculiarem eſſe, ſed tantùm *Gratiam Dei* Germanis dici.

A. *Percepier Anglorum*, Lob. Ger. emac. *Anglorum quibuſdam* J. B. *Polygonum Selinoides* Park. *Chærophyllo nonnihil ſimilis* C. B. *Alchimilla montana minima* Col. **Parſley-piert.**

Radix in plantis quas erui tenuis, ſimplex, paucis & tenuiſſimis fibris donata, lignoſa; unde emergunt *cauliculi* complures, tenues, palmares, teretes, hirſuti, quos è geniculis crebris ad ſummum uſque foliola ſtipant ſubrotunda, tripartita ferè, profundè laciniata, ad Geranii columbini folia quadantenus

nus accedentia, licet minora hirsutáque, alternatim posita, inferiora quidem pediculis donata, superiora brevi aut nullo, viridi dilutiore colore, infernè albidiora.

Ad singula genicula folii pediculus in sinum foliaceum dentatum dilatatur, qui & caulem ipsum & geminum flosculorum ordinem amplectitur. Flosculi namque ad singula genicula exceptis tribus aut quatuor imis, pediculis brevibus in duos ordines dispositi sedent, herbacei, è quatuor foliolis compositi, quibus subsunt utriculi semina intus singula continentes Milii aut Panici effigie sed minora.

Locus. Inter segetes & in solo restibili steriliore passim.

Vires. Vehementer & repente urinas ciere & calculum comminuere dicitur. Crudum estur ut olus, tum muriâ conditum asservatur, & ex eo aqua stillatitia magno usu elicitur.

CAP. XV.

De Scoparia sive Belvedere *Italorum.*

Singularis & sui generis est planta quam *Itali* ob pulchrum aspectum & venustatem suam *Belvedere* appellant; Herbarii nonnulli ob convenientiam in foliis Linariæ speciem constituunt.

An ad hoc genus propriè pertineat nec nobis nondum constat, cùm flores & semina nec ipsi hactenus observavimus, nec Botanici in eorum descriptione consentiunt.

Scoparia, sive Belvedere *Italorum* Park. parad. *Scoparia sive Osyris Græcorum* Ger. *Linaria Scoparia* C. B. *Linaria Belvedere dicta* J. B.

J. B.

Radicem habet multis nigricantibus fibris compositam; éstque planta perquam surculosa, rigidula, fragilis, cubitali altitudine. *Folia* quàm vel Lino vel Linariæ vulgari longiora, frequentiora, incondita, sapore subamaro. *Flosculi* secundùm caulem & alas herbacei, vel etiam purpurei, obtutum præ parvitate propemodum fugientes, quibus succedunt exigui loculi in quibus *semen*. Parkinsonus flores in *semina* parva, rotunda, ex cinereo nigricantia abire scribit. Cæsalpinus semina ei exigua, neque multa inter folia sine flore attribuit. Verum *flore* non carere J. Bauhini, Dodonæi, Parkinsoni consensus & autoritas, & ipsa experientia convincit; an verò semina nuda ad singulos flores proferat, an conceptaculis inclusa, mihi non constare fateor.

Flores minimi sunt, herbacei, quinquepartiti cum stylo in medio, in alis foliorum absque pediculis sessiles, conferti in summis caulibus & ramulis velut in spicas breves ex alis foliorum majorum egressas: Spicæ autem ex flosculis & foliolis inflexis eos occultantibus componuntur. *Semen* in horto nostro ad maturitatem non perduxit, ideóque de eo nihil dicendum habemus.

Æstate viret ac viget, sub Autumnum semen maturat, séque ex semine deciduo quotannis renovat, est enim teste J. B. annua herba; etiam in calidioribus regionibus. Apud nos primis statim pruinis corrumpitur.

Italis ob ramulorum densitatem & foliorum frequentium gratum virorem in pretio est, unde non in hortis duntaxat serunt, sed etiam in fictilibus alunt ad fenestras exornandas.

CAP. XVI.

1. *Camphorata hirsuta* C. B. *Camph. Monspeliensium* J. B. *major Monspeliensium* Park. *Monspeliensium an Chamæpeuce Plinii* Lob.

J. B.

Radicem habet pollicaris ferè crassitudinis, multorum capitum; *caules* emittentem lignosos, crassiusculos, cubitales aut breviores, ramosos, subhirsutos, albicantes; per quos visuntur nodi, alternatim positi; è quorum singulis confertissima prodeunt *foliola*, trientem unciæ non excedentia, tenuia, pilosa, mediocriter rigida, odore aromatico, sapore aliquantulum acri. Augusto & Septembri florens (inquit D. Magnol) herbaceum producit vasculum, ex quo quatuor, parva stamina prodeunt, quorum quodlibet apicem rubrum, vel potiùs roseum, in medio sulcatum sustinet. Succedit flori *semen* nigrum, oblongum.

Locus. Circa Monspelium, Nemausum, Avenionem & alibi in Gallia Narbonensi spontaneum observavimus.

Camphorata dicitur quòd herba digitis confricata odorem Camphoræ nonnihil referat. *C. B.*

2. *Camphoratæ congener* C. B. *Anthyllis altera Italorum* Ger. *Camphoratæ congener sive Anthyllis altera Italorum* Park.

Lob.

Surculis, foliis, ortu & facie Chamæpeucen sive Monspeliensium Camphoratam adumbrat, sed exilior tota & summis virgulis tomentosis [hoc nos non observavimus] muscosis flosculis luteo-pallentibus gustanti præsiccis.

Nos quanvis plantam hanc in Germania, Italia & Gallia, in arvis & vervactis frequentem observavimus, nunquam tamen floribus aut seminibus onustam videre contigit. *Folia* autem in cauliculis

liculis resupinis creberrima sunt, alterno situ, angustissima & mucronata, in ramulis minoribus, (qui in caule numerosissimi ex alis foliorum egrediuntur) adeò conferti ut totos fere contegant.

Camphorata minor Lugd. *glabra* C. B.

Nec nobis cognita, nec hujus loci est.

Cap. XVII.

Juncaria Salmanticensis Clus. Park. *Rubia linifolia aspera* C. B.

Clus.

TOta juncea est, sed Equiseti modo aspera & geniculata. Habet autem in singulis geniculis bina *folia* ex adverso sita, Asperulæ odoratæ foliis quodammodo similia, breviora tamen, & Lini sativi non absimilia.

Frequentes ramuli ex alarum sinu prodeunt, similibus foliis prædìti, copiosos, paleaceos, candicantésque proferentes *flores*: *semen* deinde exile, nigricans. *Radix* tenuis est, candicans, non vivax, sed singulis annis semine deciduo novellæ plantæ enascuntur, illo ipso anno etiam, sub finem mensis Augusti.

Provenit locis arenosis, inter vineta, secundo à Salmantica milliari. Floret Julio; semen Augusto maturum est. *Locus.*

Cap. XVIII.

De Kali.

KAli nomen Arabicum pluribus & quidem genere diversis plantis significandis imponitur. Siquidem Kali geniculatum à Kali semine cochleato genere differt. Kali minus album, de quo superiùs inter Bliti sylvestris species egimus, ab utroque.

Kali geniculatum, foliorum carentiâ & surculis viridibus succulentis è quibusdam velut squamis pyxidatim geniculatis compositis, ab aliis omnibus plantis primo statim aspectu discernitur.

1. *Kali geniculatum majus* C. B. *Cali geniculatum sive Salicornia* J. B. *Salicornia sive Kali geniculatum* Ger. Park. Glasswort or Saltwort.

Hujus (ut rectè monet *C. Bauhinus*) duæ habentur species; una simplicior & brevior, dodrantali altitudine, recta & annua, quæ sola apud nos habetur in Anglia: altera multis ramis fruticans lignosa & grandior, perpetua, quæ ad Mare Mediterraneum plurimis in locis occurrit, & culturam etiam admittit: nam J. Bauhinus scribit se habuisse Montbelgardi in horto, Monspelio delatam quæ reposita per hyemem duravit. Hanc autem ita describit:

Frutex est sæpe cubito altior, rectus, sapore salso: Folia non habet, sed ramos duntaxat teretes, densos, ut sunt folia Aizoi, Cepææ & similium, densè geniculatos, pyxidatim geniculo alio aliud excipiente, successu temporis circa radicem lignescentes, quibus succedunt novi, crassi, virides, interdum intensè rubentes: in quorum extremitate *flores* parvi lutei ex apicibus parvis constantes. Semina non observavi nec radicem. At Cl. Vir Andreas Cæsalpinus semina observavit. Sub squamulis pulposis (inquit) ex quibus ramusculorum compago constat, instar Lentis semina concipiuntur parva, quæ decidunt arescentibus squamulis in hyeme.

Hæc descriptio, mutatis mutandis minori etiam speciei accommodari potest.

In salsis maritimis passim & copiosissimè provenit. *Locus.*

Hanc (minorem sc. speciem herbaceam & annuam) in agro Lincolniensi & alibi aceto & sale Crithmi marini instar condiunt, & asservant ad Acetaria, & Marsh Sampire, i. e. Crithmum palustre appellant. *Usus.*

A. 2. *Kali geniculatum alterum vel minus* C. B. *Cali Arabum aliud* J. B. The lesser jointed Glass-wort.

Hoc ex *radice* crassa satis multos surculos succulentos, geniculatos, pedales & bipedales protrudit: in quorum summis fastigiis proveniunt spicatim multi *flosculi* muscosi & herbidi, quibus subveniunt semina nigra, oblonga. Surculi ad genicula crassescunt, & superius internodium videtur inseri in inferius semper, unde observantur inferiora internodia crassiora superioribus. Hæc è *D. Morisoni* Hist. Plant.

Circa Tripolin obvium habuit Rauwolfius.

* 3. *Cali Arabicum* J. B. *Kali Arabum primum genus Rauwolf Lugd. ap.* C. B. Arabian Glaſs-wort.

J. B.
Kali minori noſtrati haud abſimilis eſt planta: Denſo prodit coliculorum agmine in varios ſurculos graciliores diviſorum, quibus ſummo tenus capitula hærent penitus repleta: ſub quibus anguſtiſſima acuminatáque ſunt foliola, formâ & viribus Kali minoris jam dicti, cum levi quadam acrimonia, infernâ parte penitus alba, ſupernâ cinerea, inquit Rauwolfius.

Juxta Tripolin copioſiſſimum obſervavit Rauwolf. cujus cineribus ingentes naves onuſtas Venetias tranſvehi ad ſaponem & vitra alba conficienda idem teſtatur.

CAP. XIX.

1. *Kali majus ſemine cochleato* C. B. Ger. *majus cochleatum* Park. *vulgare* J. B. Snail-ſeeded Glaſs-wort.

J. B.
Planta eſt bicubitalis, [quando culta eſt intellige, aliàs vix cubitalem altitudinem aſſequitur,] latè ſe pandens, nullis ſpinis horrens, intensè rubens, diviſa in *ramos* rectos, craſſiuſculos, cubitales; in quibus *folia* infima quidem palmaria, ſuperiora minora, quóque magis ad ſummum ſcapum naſcuntur breviora, incurva, ex lato principio in mucronem ferè deſinentia; juxta quæ veluti capitula Tragi *Matthioli* capitulis ſimilia, ſed non aculeata; in quibus *ſemina* limacibus ſive cochleis ſimilia. Sapor totius plantæ ſalſus, ingratus. Annua eſt planta.

Locus. Ad mare Mediterraneum ſponte oritur plurimis in locis. Seritur Monſpelii in lacubus ſalſis ad Sal Alkali conficiendum, cujus modum J. Bauhino referebant conflatores ipſi.

Uſus. Scrobiculo effoſſo propè mare tranſverſim aſſulas ligneas imponunt, quibus ſuperaggerant cumulatim herbam prædictam, ex qua accenſo igne ſtillat in ſubjectam ſcrobem liquor, qui tandem concreſcens fit ſal Alkali, coloris partim nigri, partim cinericei, valdè acre & cathæreticum, ſalſum. Et ſaxum hoc, *Kali* vocatum vel *Sode* ad vitrum conflandum aptum in Italiam ſnque Septentrionem ex Gallia Narbonenſi & Aquitania deferunt.

Galli in tractu Montiſpeſſulano cum ſale Kali & Oleo nativo Gabiano in fonte adversùs *Beziers* ſaponem parant, quem arte colorare pro libitu norunt. Ex Epiſtol. Med. Th. Bartholini. Habui à D. *Tancr. Robinſon.*

A. 2. *Kali ſpinoſum cochleatum* C. B. *Tragus ſive Tragum Matthioli* Park. *Tragon Matthioli ſive potiùs Tragus improbus Matthioli* Ger. *Tragus ſpinoſus Matthioli, ſive Kali ſpinoſum* J. B. Prickly Glaſs-wort.

Seſquipalmares, interdum etiam pedales aut cubitales per terram fundit *caules*, craſſos, ſucculentos, atrovirentes, multis alis brachiatos, per quos *folia* crebra, longitudinis uncialis, anguſta, craſſa, ſalſuginoſo ſucco prægnantia, in aculeum rigidum, pungentem deſinentia; è quorum ſinu floſculi emicant parvi, herbacei; ſuccedente *ſemine* in cochleæ formam convoluto in vaſculo acutiſſimis rigidis ſpinis per oras munito. *Radix* fibroſa inutilis.

Locus. In arenoſis maris litoribus frequens invenitur.

Plantam hanc (quæ nullibi apud nos præterquam in arenoſis maris litoribus invenitur) in arenoſo quodam agro propè Viennam Auſtriæ, 300. minimùm milliaribus à mari remoto, obſervavimus ſpontaneam; poſtea etiam Florentiæ ad Arnum fluvium.

Spinæ quæ vaſculum ſeminale in circuitu muniunt ſex numero ſunt, ſecundùm Parkinſonum, in quorum medio flos albus membranaceus qui non diu durat; eóque delapſo ſuccreſcit in centro mediæ partis (quæ extuberat) ſpina exigua.

* 3. *Kali Siculum lignoſum floribus membranaceis* Bocconi. Sicilian Glaſs-wort with woody ſtalks.

Radices hujus robuſtæ ſunt, atque altiùs in terram deſcendunt, ſubinde humano crure, vel etiam coxa craſſiores: ab his virgæ plures lignoſæ exoriuntur, in tenues ramulos diſtributæ, circa quos folia Kali minoris, non temere ſparſa, ſed bina ſemper ex adverſo ſcitè poſita reſpondent. *Flores* æſtate albi, quadrifolii, patuli, membranacei, inſtar alarum papilionis, qui longo ordine, ſpectabili elegantia, densè congeſti, ramulos omnino geniculatim onerant. Semen cochleatum, exigua rubente tunica coopertum. Juxta Saccam, Catanam & Agrigentum reperit Autor, ubi vocatur ab indigenis *Liuta*, atque ejus cinere in linteis mundandis & dealbandis maximè utuntur.

Planta hæc cum Kali majore ſemine cochleato & Kali ſpinoſo ſive Trago Matthioli flore & ſemine convenit, ideóque cum iiſdem meritò copulatur.

Sequentem plantam rectiùs ad Aizoon aut Telephium retuleris.

* 4. *Kali floridum repens aizoides Neapolitanum* Col. *Kali Crassulæ minoris folio* C. B. *Kali floridum repens Neapolitanum* Columnæ Park.

Col.
Radiculam promit staminis crassitie [adulta etiam planta tenuem, parùm flavicantem, tenuibus & longis fibris] parùm supernè rubescentem, & ex illa bina, crassa, carnosa veluti vermiculata, sed latiuscula *folia*, supra humum expansa aut parùm elata; ex quorum sinu bina alia digitali longitudine, parùm canaliculata, & rotundiora, Aizoo secundo Dioscoridis æmula emittit, in summo parùm crassiora, deinde ex adverso alia bina, & sic deinde in viticulos producta geniculatim alia: in ramos dividitur, & humi procumbit: Adulta autem resupinis assurgit parùm viticulis, in quibus alternatim folia erumpunt, & ex illis singulæ alæ, in quibus *flores* in crassis petiolis, meridiano præsertim sole illustrati dehiscunt, candidis barbulis tenuibus radiantes, viginti numero ut plurimum, medium exiguum umbilicum luteum habentes, exiguis luteis *staminibus* compositum. His *fructus* succedit, quinque angulis definitus, totidémque apicibus carnosis vallatus, in quo *semen* copiosum, ex nigro fulvescens continetur, exiguum; & fructus stellatâ quinquepartitâ lineâ dehiscit, ut semen decidere possit, atque in hoc non parum Aizoo similis est.

Augusto mense floret, & Septembri proficiscitur; in terrenis editis locis maritimis, non arenosis, ut nonnisi maris æstus aspergat, & sata in hortis lætè provenit, sed gracilior. Tota salso admodum est sapore, ut sal gustare censeas, succosa, carnosa & aspergine quadam splendida depicta. *Locus. & Tempus.*

Cap. XX.

De Herbis quibusdam minimis Polygoni *nomine vulgò insignitis.*

Polygoni nomen cum Botanicorum vulgo hoc in loco extendimus ad plantulas nonnullas comprehendendas, quæ nec genere proximo, nec alia fortasse in re quàm parvitate sua & flosculis stamineis herbaceísve conveniant. Cùm enim earum partes generum indices adeò exiguæ sint ut nudo & inermi oculo non facilè possint discerni, satius duximus, iis omissis, obviam & expositam parvitatis notam pro charactere generico assumere, quàm importunâ subtilitate Lectorem fatigare eúmque perplexum potiùs reddere quàm erudire.

A 1. *Polygonum Germanicum vel* Knawel *Germanorum* Park. *Selinoides sive* Knawel Ger. *tertium Dodonæi, sive tenuifolium* J. B. *angustissimo & acuto vel gramineo folio minus repens* C. B. *an potiùs gramineo folio majus erectum* ejusdem? German Knotgrass or Knawel.

Tota planta cineraceo colore prædita, ex *radice* lignosa, fractúque contumaci, albicante *cauliculos* complures emittens, palmares, fili instar tenues, hirsutos, propter terram aliquando paulùm rubentes, crebris nodis geniculatos; ad quorum singulos *folia* bina apposita, angustissima, acuta, medium digitum & ampliùs longa. *Flosculi* numerosissimi, in caulis & ramulorum divaricationibus singulis singuli sedent, inque extremis ramulis plures simul stellati, è quinque foliolis acutis herbaceis compositi. Flosculus unusquisque semini suo insidet umbilici instar, nec per seminis maturitatem decidit, sed eidem perpetuò inhæret, nec enim flos est sed potiùs calix floris. Caulis hujus plantulæ creberrimis subdivisionibus in numerosissimos tandem ramulos finditur, innumeris ferè seminibus onustos.

In agris sterilioribus & arenosis ubique ferè invenitur. *Locus.*

Hujus speciem aliam in arenoso solo inter segetes observavi in Suffolciæ comitatu propè *Elden* vicum inter Thetfordiam & Novum mercatum oppida copiosè provenientem, quæ procumbit magis quàm vulgare *Knawel*, tenuioribus est cauliculis, brevioribus foliis, floribus majoribus, albidioribus, magísque diffusis, atque etiam hyemem fert. Huic titulum asscripsi Knawel *incanum flore majore perenne.*

Easdem vires & usus intus & extra usurpata possidet quas Polygonum vulgare. Quoslibet ardores extinguit, fluxus ventris sistit, dysenterias scilicet, uteri profluvia, ac etiam hæmorrhagiam narium: Lapides pellit, calculum & urinam ciet. *J. B.* ex Tabernæ-montano. *Vires.*

* 2. *Polygonum littoreum minus flosculis spadiceo albicantibus* C. B. *Polygonum alterum Germanicum* Park.

C. B. prod.
Ex *radicula* candicante, tenui, longiuscula prodeunt *viticuli* plurimi, tenerrimi, per terram sparsi, ramosi & dodrantales, *foliis* oblongis, angustis & albicantibus alternatim cincti, ad radicem verò longioribus & biuncialibus Viticulorum summitatibus *flosculi* plures, minutissimi, intus albi, foris spadicei insident: quibus *semina* minutissima & copiosissima, ut singuli coliculi eo turgeant, succedit.

In arenosis ad Wiesam fluvium propè Basileam Autumno florens reperitur: alibi etiam in sabulosis ad fluminum ripas. *Locus.*

A. 3. *Polygonum*

A. 3. *Polygonum parvum flore albo verticillato* J. B. *An Polygala repens nuperorum* Lob. Ob? *Polygala repens* Park. *repens nivea* C. B? *cur niveam dicit?*

E *radicula* alba, fibris pro plantulæ modulo majusculis capillata plures fundit *cauliculos*, infirmos, humi procumbentes, teretes, geniculatos, rubentes, alios interdum de se ramulos spargentes: Ex quorum geniculis unciam ferè à se invicem distantibus bina emergunt *foliola* Herniariæ ferè sed chamæsyces instar rotunda, pallidiuscula, concava, [nobis Serpylli folia exprimere videbantur] *Flores* ad caulium nodos verticillati, albi, è quinque velut theculis coagmentati, speciem vasculorum Delphinii aut Aquilegiæ exhibent. Succedunt *vascula* seminalia parva, *semina* longiuscula continentia.

Locus & Tempus. Amat scrobes humidos, & loca uliginosa cum Nummularia rubra & Portulaca aquatica. Floret Julio & Augusto mensibus. Non alibi apud nos, quod sciam, provenit quàm in Cornubiæ parte Occidentali circa Pensantiam & alibi. Eandem in transmarinis observavimus, in Belgio & Germania.

Lobelius in Observationibus hoc describere videtur sub titulo Polygalæ repentis nuperorum.

* 4. *Polygonum capitulis ad genicula echinatis* Bocconi.

Bocc.

Tenuis huic est *radix*, prolixa & dura: *Cauliculos* habet tres aut quatuor, humi jacentes, palmares, circa quos *folia* Herniariæ aut Polygoni montani in crebris geniculis plura simul juncta, atrovirentia, inter quæ nescio quid *flosculorum* muscosorum apparet, subsequentibus verticillis, brevibus aliquot apicibus veluti echinatis, in quibus minutum *semen* includitur.

Locus. In Ilva insula juxta Portolongoni munimenta & nova mœnia visitur.

* 5. *Polygonum Creticum Thymi folio* C. B.

C. B. prod.

Herba est supina, humíque procumbens, *cauliculis* sive viticulis palmaribus, ramosis, hinc inde sparsis; *flosculis* parvis, albicantibus, pluribus simul quasi in nodis junctis; quibus foliolum Thymi formâ, modò unum, modò bina ternáve, magnitudine imparia adponuntur. *Semen* pusillum ac copiosum succedit.

Non multùm abludit à Polygono nostrate parvo, flore albo verticillato.

A. 6. *Herniaria* Ger. J. B. *Millegrana major sive Herniaria vulgaris* Park. *Polygonum minus sive Millegrana major* C. B. **Rupture-wort.**

J. B.

Latè subjectum solum opacat luxurie læta complurium ramulorum, quos ex pusilla radicula fundit, hinc indè sparsos, teretes, creberrimis geniculis interceptos, ad quorum singula adversa foliola, Serpylli minora, ex viridi lutea, gustu acri, eisdémque locis erumpunt mirum in modum numerosi flosculi ex apiculis luteolis compositi.

Locus. Hæc duplex est, alia glabra, alia hirsuta. Glabram invenimus spontaneam in promontorio Cornubiensi **The Lizard point** dicto: Hirsutam in arenosis propè Sylvam Ducis in Brabantia, pérque Germaniam, Italiam & Galliam Narbonensem copiosè.

Vires. Epipacti seu Millegranæ insignes tribuit facultates tres Anguillara. Succus ait potus aut herba esitata, vel etiam emplastri modo plagæ imposita, morsis à vipera auxiliatur. Secundò emplastrum ex ea herniam mirè restituit. Postremò jecori prodest & ictero: Aqua enim destillata & pota curat intra dies octo. Camerarius aquam destillatam, Clusius decoctum Herniariæ feliciter calculosis propinari referunt.

D. Coberus collutionem ex decocto Empetri Tragi. i. e. Herniariæ vulgo dictæ, ad dolorem Dentium certâ experientiâ in pluribus probatum commendat. *Hieron. Reusnerus in Observ. à Velschio editis.* Obs. 44.

Parkinsonus Herniariæ alterius, quam majorem Africanam vocat, meminit; quæ præcedente major erectior & ramosior est multò, in aliis parùm differt. Hanc Guilielmus Boelius ex Africa secum attulit. Hæc fortè est Herniaria fruticosa, viticulis lignosis, foliolis oblongiusculis, brevis, densissima *C. B.* Herniariæ facie & folio, perampla radice Astragali *Lob.* In plurimis satorum marginibus circa Boutontum repit, & in sterilibus locis versus pontem Villænovæ.

A. 7. *Polygonum pusillo vermiculato Serpylli foliolo* J. B. *maritimum minus foliolis Serpylli* C. B. *Serpylli folio Lobelii* Park. *alterum pusillo vermiculato Serpylli foliolo Penæ* Ger. emac. **Lobels Knotgrass with Mother of Thyme leaves.**

Lob.

Ramulis & cauliculis surculosis, prolixis, gracilibus humi sparsis luxuriat (inquit Lobelius) E geniculis *folia* pusilla, teretia, succulenta Aizoi vel Illecebræ, Thymo parvo nostrati æqualia & similia. *Radix* prælonga, lignosa, sapore amaricante, calidiusculo.

Cùm Lobelius tantum hanc plantam viderit & descripserit, (siquidem reliqui Botanici quæ de ea habent è Penæ & Lob. Adversariis transcribunt) sitque ipsius descriptio brevis admodum & imperfecta,

perfecti, nullâ præcipuarum partium, floris & seminis, mentione factâ, orandi sunt ii quibus viventem & florentem videre contigerit ut accuratiùs describere vellent; ut sciamus ad quod propriè, genus pertineat & an hujus loci sit necne. Ostendit nobis D. Jacobus Newton plantulam à se in Anglia collectam *radice* satis crassa, prælonga, lignosa; *cauliculis* & ramulis multis, confertis, humi sparsis, *foliis* Serpylli aut Alsines minimæ, *flosculis* parvis ad cauliculorum nodos; quales autem fuerint in planta sicca observare non potuimus.

Erat hæc ut putamus ipsissimum Polygonum Serpyllifolium *Lob.*

D. Goodyer apud Gerardum emaculatum Ericam maritimam supinam Anglicam *Park. Lob.* sub hoc titulo describere videtur: cujus sententiæ & ipse facilè subscriberem, si locus conveniret. Vix autem puto in collibus maritimis Gallo-provinciæ Ericam maritimam nostratem luxuriare. *D. Magnol* se sæpiùs collegisse scribit circa pratulum luci Gramuntii, & juxta viam in locis depressis *à la garrigue de Perauls.* Utinam accuratiùs descriptum nobis dedisset.

* 8. *Anthyllidis species quibusdam* J. B. *maritima, Chamæsycæ similis* C. B. *Anthyllis Valentina Clusii* Ger. *Polygonum Valentinum sive Anthyllis Valentina Clusii* Park. **Valentia Knotgrass.**

Clus.

Ex unica *radice* multos profert *cauliculos*, sive viticulas dodrantales, humi stratas, ramosas, subrubentes: *foliola* Lentis, exigua, seu potiùs Chamæsyces (cui tota planta adeò similis est, ut primo aspectu Chamæsycen putarem, illam tamen diligentiùs considerans lacteo succo carere deprehendi) & plerunque cum suis ramulis veluti quadam salsugine aspersa, etiam ipsa salsi gustûs. *Flores* inter ipsa folia enascuntur pusilli, quatuor foliolis constantes, ex albo purpurascentes: radicem singularem habet nigricantem.

Hanc plantam nusquam alibi conspexit Clusius quàm ad fossas urbis Valentiæ in Hispania, juxta eam portam quæ Regiam arcem spectat. *Locus.*

J. Bauhinus *folia* minima ei attribuit, acervatim congesta circa nodos, multò Serpylli foliis minora, per extremum latiora & subrotunda: *surculos* lignosos firmos, teretes, repandos, variéque quaquaversum brachiatos. Cherlerus in montis Ceti litoralibus observavit.

9. *Polygonifolia per terram sparsa flore Scorpioidis* J. B. *An Polygonum minus* 9. *sive tenuifolium, &* 11. *sive lentifolium* C. B? *minus Monspeliense* Park?

J. B.

Ex *radice*, quæ tenuis, singularis, interdum multifida, *folia* emergunt Lini vel Linariæ, *caules* antevertentia: at illi ubi prodierint per terram sparguntur, palmares aut etiam dodrantales ramosi, *foliis* nullo ordine positis vestiti, Polygoni, minores, cæsii coloris, sapore nullo evidenti. In extremis ramulorum acervatim congesti *flosculi*, numerosissimi, Polygoni floribus similes, minores extrinsecus purpurascentes, intus albi, caudam Heliotropii aut Scorpioidis aquatici circumflexu imitantes: *semina* parva, alba, virentibúsque striis variegata.

In Etruria non longè à Viterbo, viâ quâ Romam itur, copiosam observavimus: *D. Magnol* ascendendo ad montem Esperon, non procul Monspelio. *Locus.*

Quærit idem *D. Magnol*, an de ista intelligendus sit C. Bauhinus in *Prodr.* dum Polygonum lentifolium describit, cujus flosculi in cauliculorum summis tantùm siti sunt. In *pinace C. B.* sub diverso nomine bis ponitur. Nobis alia & diversa videtur planta Polygonum lentifolium *C. B.*

Planta hæc tum ob florum colorem, tum ob spicam caudæ Scorpii in modum reflexam ad Asperifoliarum genus potiùs pertinere nobis videtur; & Heliotropii aut Echii Scorpioidis species esse. Verùm quia non constat an cæteræ notæ respondeant, non temere solicitandam, aut locum quem occupavit movendum duximus. Alios interim quibus eam videre contigerit hortamur, ut tum flosculos, tum semina curiosiùs observent, quo nos omni scrupulo de ejus loco & genere liberemur.

* 10. *Anthyllis* Alpin. Exot.

Alpin.

Exigua est herbula, palmum alta, fruticosa valdè. Namque ab radice plures *caules* fert, numero ad minus quinque, longos, graciles, rotundos, albicantes; à quibus hinc indè brevibus intervallis exeunt surculi multi, tenues, atque breves, *foliis* multis minimis, Lentis magnitudine & figurâ undique circumsepti, qui & ipsorum & foliorum ipsos circundantium multitudine frutex densus admodum apparent & in orbem etiam actus. In surculorum verò cacumine *flosculi* parvi exeunt; quibus pro seminibus succedunt *fructus* parvi, oblongi, teretes, Tritici ferè magnitudine & figurâ. Tota planta albicat & salsum sapit. *Radix* verò longa, tenuis, geniculata, alba cernitur, eodem salso sapore gustum inficiens.

In locis maritimis [insulæ Cretæ] copiosè nascitur. *Locus.*

Accedit ad Anthyllidem à Clusio & J. Bauhino descriptam. Differt autem à Clusiana florum situ, qui inter ipsa folia nascuntur.

Polygonum minus Lentifolium *C. B.* ipso monente, cum Anthyllide Valentina *Clus.* quæ tota subrubens est, longè minoribus foliis, & copiosioribus flosculis ex albo purpurascentibus; iisque non solùm in cauliculorum summitatibus, confundi non debet.

11. *Polygonum*

II. *Polygonum muscosum minimum* Bocconi.

Bocc.

Cauliculis est pluribus, uncialibus, densè geniculatis: *Foliis* crebris, capillaribus, brevissimis, radiatim ad cauliculorum nodos dispositis: *Floribus* herbaceis, minutissimo *semine* eis succedente. Humi spargitur, Camphoratæ congenerem plantam æmulans. Cum primùm exit Iulum quendam minimum primo aspectu refert.

Locus. Propè Catanam in Sicilia, & in ambulacris horti Pisani crebrò reperitur, & deciduo semine se propagat. *D. Magnol* Maio mense copiosum observavit in satis luci Gramuntii propè Monspelium. Modò viride est, inquit, aliquando purpurascens. Ob parvitatem plantulæ, ut verisimile est, nondum fuit observatum.

HISTO-

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER QUINTUS.

QUI EST

De Herbis flore Composito planifolio, natura plerunque pleno, lactescentibus.



FLOS *compositus* seu *aggregatus* nobis dicitur qui ex pluribus flosculis in unum totalem (ità enim cum Philosophis loqui liceat) florem coeuntibus constat; quorum unusquisque non tantùm folio seu bracteâ coloratâ, verùm insuper vel staminibus, vel stylo saltem constat, & singuli singulis seminibus cohærent. Hujusmodi flos ab *umbella, corymbo, spica* differt quòd flosculi omnes communi Perianthio includuntur & continentur, quòd plerique petalorum majorum circulum medium orbem radiatim cingentium obtinent, quódque flosculi singuli singulis seminibus nudis arctè stipatis insident.

Herbæ flore composito sunt vel succo lacteo prægnantes, flore planifolio, naturâ plerunque pleno: plerunque dico quia in paucis quibusdam hujus generis, h. e. lactescentibus, ut v. g. *Chondrilla cærulea Cyani capitulis C. B.* flos discoides est: vel succo limpidiore. Hæ autem vel sunt flore *discoide*, hoc est, ex pluribus brevibus compressis & confertis flosculis (quos nonnulli perperam stamina vocant) in unam quasi apparentem superficiem digestis composito; vel flore *fistulari*, qui ex plurimis concavis oblongis flosculis ad margines in longas lacinias dissectis componitur, ut *Cyani, Jaceæ*, &c. Hoc genus herbæ *capitatæ* dicuntur, quoniam calyx earum squamosis in ventrem plerumque extumescit. Quæ flore discoide sunt distinguuntur in *Papposas*, quorum scilicet seminibus pappus seu lanugo innascitur; & *Corymbiferas*, quarum semina solida sunt seu pappo destituta.

Alii vulgò hoc genus herbas flore composito donatas primariâ divisione in *Papposas* & *Corymbiferas* distinguunt; Papposas deinde in *Capitatas* & flore discoide præditas. Verùm quoniam ex *papposis* dictis, & iis qui seminibus solidis sunt, (ità enim cum aliis vocamus commodioris vocabuli inopiâ) seu *Corymbiferis* nonnullæ insignibus notis conveniunt, nimirum succo lacteo & flore planif olio naturâ pleno, quæ hujusmodi sunt omnino conjungendas censui, ideóque novum genus constitui Herbarum flore composito planifolio naturâ pleno, lactescentium.

Not. Jo. Bauhinum *Corymbi* nomen floribus compositis non papposis attribuere, initio lib. 26. Historiæ Plantarum. Cùm enim (inquit) apud Plinium legimus *comantes auri fulgore corymbos* dictos flores, seu ut ille ait, fructus *Chrysocomes*, éstque Corymbus quodvis summum, unde & Columella de Cinara dixit,

Hæc modò purpureo surgit glomerata Corymbo.

Et pleræque hujus generis florem gerant densum & in capitulum aggestum quendam flosculorum stipatum, eum Corymbi nomine tantisper complecti libuit, dum tu [Lector] certius ac melius invenias nomen; & plantas hujusmodi floribus insignes Corymbiferas dicimus. Hunc & nos sequimur, nec sine ratione cùm flosculos in capitulum aggestos, & in gibbam seu globosam figuram non raro extuberantes merito Corymbos dixeris.

Herbæ flore composito seu aggregato, sunt vel eodem

Planifolio naturâ plerunque pleno, lactescentes, quæ vel seminibus sunt

Papposis seu alatis,

Latiusculis & compressis, brevibus, utrinque acutis; Caulibus

Gracilioribus, firmioribus, solidioribus & minùs concavis, capitulis angustioribus & minoribus: LACTUCA, cujus duo sunt genera, alterum esculentum, succo lacteo dulci prægnans; *Lactuca sativa*; alterum non esculentum, odore opii, costâ folii spinosâ, *Lactuca sylvestris*.
Majoribus seu crassioribus, tenerioribus, fistulosis, capitulis latioribus, floribus grandioribus, foliis carduorum spinosis, spinulis mitioribus: SONCHUS.

Teretiusculis aut *angulosis*, *crassitie latitudini ferè æquali*, oblongis,

Majoribus, flore circa meridiem se claudente, calyce

E simplici foliorum acutorum florum petala longitudine excedentium ordine composito, foliis gramineis, radice annua: TRAGOPOGON.
Squamoso, squamis majoribus, non ultra florum petala excurrentibus, radice in plerisque crassa, vivaci: SCORSONERA.

Minoribus,

Erectiores & non repentes, foliis plerunque laciniatis, caule

Ἀκλαύνῳ, seu *non ramoso*, foliis nudo, flore in fastigio unico magno: DENS LEONIS.
Ramoso, foliis cincto, floribus in singulis caulibus pluribus, semine

Citrino, aut *russo*, *majore*: HIERACIUM.
Nigro minore; seu *elatior*, caule multis foliis cincto; *Hieracium fruticosum*; sive *humilior*, paucis in caule foliis; *Pulmonaria Gallorum*.

Reptatrices flagellis emissis, foliis longioribus pilis obsitis: PILOSELLA, *Auricula muris*.

Solidis & pappo destitutis, foliis & caulibus

Spinosis, Carduorum in modum, lacteis lineis notatis: ERYNGIUM LUTEUM, *Carduus chrysanthemus*.
Lævibus, floribus

E lateribus caulium & ramorum exeuntibus, cæruleis: CICHOREUM, *Intybus*.
Summos caules & ramulos terminantibus; *Hieracioides seminibus solidis*: His accensemus *Cichoreum verrucarium* dictum, *Lampsanam*, *Hieracium stellatum & falcatum*, quarum flores flavi sunt & Hieraciformes.

Quæ Chondrillæ nomine feruntur plantæ, vel ad Lactucas sylvestres, vel ad Hieracia referri possunt.

Discoide, hoc est ex pluribus, brevibus, compressis & confertis flosculis, (quæ nonnulli perperam stamina vocant) in unam quasi apparentem superficiem digestis composito. Hæ vel sunt seminibus

Papposis, quæ vel sunt floribus [cum cauliculis]

Erumpentibus ante folia, & brevi marcescentibus,

In singulis caulibus singulis, radiatis, foliis subrotundis ungulæ equinæ figurâ, subtus præcipuè incanis: TUSSILAGO, *Bechium*.
In uno caule pluribus, in thyrsum dispositis, nudis, foliis subrotundis *Bechii*, sed majoribus: PETASITES.

Post folia exeuntibus, disco

Radiato, foliis

Spinosis Carduorum æmulæ, foliis florum marginalibus siccioribus & exuccis, cuspidatis: CARLINA, *Chamæleon*, *Acarna*.
Lævibus seu mitibus absque spinis,

Maximis

Maximis, oblongis, acutis, subtus incanis, floribus itidem maximis, flavis, radice crassa, aromatica: HELENIUM, *Enula campana*.
Minoribus, floribus

Aureis, amplis, sparsis, in summo caule & ramulis in pediculos prælongos excurrentibus singularibus, petalis discum ambientibus longis; foliis in genuinis speciebus subrotundis, radicibúsque tuberosis & vi deleteria præditis: DORONICUM.
Pluribus in caule, in brevioribus pediculis, barbulis discum ambientibus itidem brevioribus; foliis productioribus & angustioribus; radicibus innocuis; florum petalis

Succulentioribus & brevi marcescentibus; foliis & coma

Odoratis & plerunque tactu glutinosis aut pinguibus: CONYZA.
Inodoris aut minùs odoris,

Integris, floribus

Majoribus, stellam radiantem æmulantibus: ASTER, è quibus, maritima quæ est florum petalis marginalibus purpurascentibus *Tripolium* dicitur; quæ barbulis & disco flavis *Crithmum Chrysanthemum*.
Minoribus, in summis caulibus consertis in thyrsum aut umbellam, aureis: VIRGA AUREA.

Laciniatis; floribus in summis caulibus velut in umbellam dispositis: JACOBÆA.

Exuccis & aridioribus, unde durabiliores sunt, nec citò marcescunt, colorísque gratiam diu retinent siccata,

Frontatis aut *velut bullatis*, aliàs flavicantibus; STOECHAS CITRINA; aliàs albentibus, ut in *Gnaphalio Americano*.
Cuspidatis: foliis

Integris; JACEA *Oleæ folio*.
Laciniatis & spinosis Carduorum æmulis; CARLINA.

Nudo, foliis

Laciniatis, floribus flavis aut purpurascentibus; SENECIO.
Digitatis, floribus purpurascentibus velut in umbellam dispositis; EUPATORIUM Avicennæ
Integris, floribus

Purpurascentibus, vel foliis subrotundis maximis; CACALIA vulgaris; vel foliis longis; *Eupatorium Canadense Cornuti*.
Flavis,

Maritima & incana odore aromatico; GNAPHALIUM *maritimum*.
Mediterraneæ,

Major, floribus flavis velut in umbellam dispositis, Conyzæ facie; BACCHARIS *Monspeliensium*, *&c*.
Minor, tota tomentosa & incana, flosculis minimis; GNAPHALIUM.

Solidis seu Pappo destitutis: Vide Tabulam Libri Octavi.

SECTIO PRIMA.

De Lactescentibus Flore composito papposis.

CAP. I.

De Lactuca.

LACTUCA [Θρίδαξ] quòd copiâ lactis exuperet dicta est, quódque fœminas nutrientes lacte impleat.

Hujus notæ peculiares, quibus à congeneribus distingui possit, sunt Semina brevia, latiuscula & compressa, utrinque acuminata; caules graciliores, firmiores & minùs concavi, capitula minora.

Hujus duo sunt genera, sativum & sylvestre.

Ad posterius genus reducimus Plantas nonnullas Chondrillæ dici solitas; unam etiam cujus semen Lactucæ semini non respondet, ob capitula parva quibus Lactucam refert; nimirum *Chondrillam vimineam* dictam.

LACTUCÆ SATIVÆ.

1. *Lactuca Sativa* C. B. Ger. *sativa non capitata* J. B. **Garden Lettuce.**

J. B.

Folio est Endiviæ, longo, lato, rugoso, pallidè virente, lacte prægnante per primam adolescentiam grato, tandem amaro & cibis abdicato, quod fit ubi caulescit planta. *Caulis* firmus, teres, gracilis, sesquicubitalis & altior, in ramos dividitur, crebrò deinceps dividendos: Quorum extremis *flosculi* hærent lutei, parvi, ex squammato capitulo prosilientes; quibus in pappos facessentibus *semen* succedit parvum utrinque acuminatum oblongum compressum, coloris cinerei.

Locus. Seritur in hortis.

Vires. Lactucæ sativæ refrigerant, stomacho gratæ habentur; bilis effervescentiam & æstum compescunt; somnum conciliant. Declinante ætate (inquit *Galenus*) ex se insomni, graviter hoc incommodo afficiebar: Adversùs quod unicum mihi præsentissimum remedium Lactuca vespere commanducata fuit. Plerique antequam excaulescat in aqua elixâ utuntur, ut ego jam facio (inquit *Galenus*) ex quo dentes mihi deteriores esse cœperunt. Lac augent, alvum leniter movent; [neque alvum cohibent, uti neque impellunt] ventriculo conveniunt, multique ac laudabilis nutrimenti sunt, verùm decoctæ magis alunt, coitum tamen avertere dicuntur, & si assiduè edantur visûs hebetudinem inducere.

In phrenitide, delirio, febre ardente, &c. applica temporibus & suturæ coronali, imò carpis, nempe linteum duplicatum aut triplicatum permadefactum aquâ Lactucæ, in qua v. g. in ℔ I. pond. medicin. Salis nitri pp. & crystallizati, aut Salis Prunellæ ℥ ß dissolutæ fuerint: Quod medicamentum longè præfero his in casibus oleo rosaceo cum Lactucæ succo permisto. *Simon Paullus.*

2. *Lactuca capitata* Ger. C. B. Park. *sativa vulgaris capitata* J. B. **Cabbage Lettuce.**

Folia huic breviora, latiora, extrema circumscriptione rotundiora quàm sativæ vulgari, plana & lævia, quæ brevi in caput rotundum conglobantur, Brassicæ capitatæ in modum. *Semen* priori simile, sed nigrum.

Dodonæus Lactucam sativam culturæ mangonio folia ità mutare scribit, ut vel crispentur, vel ità in se contrahantur, ut capitatam Brassicam æmulari videantur. Ejusdem sententiæ J. Bauhinus etiam esse videtur. Verùm tum figura foliorum, tum seminis color, si perpetuò niger sit nec unquam mutat, differentiam specificam (ut vocant) arguit.

Lact. Capitata major. Parkinsonus Lactucæ Venetæ capitatæ meminit, cujus capita in eam magnitudinem interdum excrescunt ut caput humanum æquent. Hujus, inquit, semen album est; caulis humanam altitudinem assequitur. Post solstitium æstivum seritur pro acetariis hybernis. Hæc proculdubio est, quam J. Bauhinus Monspelii abundare scribit, tantæ magnitudinis, ut una patinam satis amplam repleat, tota hyeme in usu. Alterius etiam speciei meminit Jo. Bauhinus cum pluribus capitibus, quæ vix (inquit) differre videtur à cæteris capitatis, capita tamen minora; alteram tamen speciem existimârim, quandoquidem ex particulari semine nobis provenit. Hæc ille.

3. *Lactuca rubra* J. B. *maculosa* C. B. **Red Lettuce.**

Cæs.

Rubra est hæc species, ac si vinum foliis esset aspersum, latissimis foliis constat ac patulis; dulcior cæteris sed durior, idcirco recentia tantùm folia secant, regerminat enim diutiùs antequam caulescat: Semina ei nigra. Hæc J. Bauhinus ex Cæsalpino. Hujus-

Hujusmodi Lactucam in hortulo nostro habuimus sæpius, quæ foliis erat brevioribus & rotundioribus quàm Lactuca vulgaris.

4. *Lactuca Romana longa dulcis* J. B. *Lactuca Intybacea* Ger. *foliis Endiviæ* C. B. & *Lac. folio obscuriùs virente, semine nigro ejusdem. L. Romana rubra, & L. Romana alba* Park. parad. **Roman Lettuce red and white, or Endive-leaved Lettuce.**

J. B. Cæs.

Folium huic angustius est & productius, planum & minimè rugosum aut bullatum, modicè sinuatum, & inferna parte secundùm costam spinulis armatum. *Flore* est & caule Lactucæ vulgaris, sed *semine* succedente nigro.

Duplex est, *alba*, & *nigra* seu *fusca*: Est autem omnium Lactucarum maxima. In caput non surrigitur (inquit Cæsalpinus) nisi vinculo alligentur folia, sic enim candidissimam reddi & fragili teneritudine cæteras vincere.

J. Bauhinus se ignorare scribit an Lactuca sylvest. lato folio culturâ mutari possit in Romanam, quæ cum sylvestri communes habet spinas in dorso & alia quædam. Hoc nobis minimè verisimile videtur, siquidem odor virosus & vehemens opii, folia in caule superiora valdè laciniata, totus denique habitus plantæ reclamat.

* 5. *Lactuca longo & valdè angusto folio* J. B. *folio oblongo acuto* C. B. Park. **Sharp-pointed Lettuce.**

J. B.

Huic *folia* à radice statim oriuntur multa, palmum aut sesquipalmum longa, unciam unam aut alteram lata, superiora verò ut breviora, ità angustiora, spinulis quibusdam per margines donata, utraque verò acuminata. *Caulis* cubitalis & sesquicubitalis, ramosus. *Flores* & semen cum Lactucis vulgaribus eadem, sed semini color fuscus.

6. *Lactuca crispa* C. B. Ger. Park. *crispa, laciniata* J. B. **The broad-leaved curled Lettuce.**

Hæc *folio* est latiore & breviore, calore viridiore quàm proximè sequens, ad margines quidem laciniato & dissecto, minùs tamen tenuiter & profundè quàm illa: *Semine* nigro.

7. *Lactuca crispa altera* C. B. *crispa minor* Ger. *crispa & tenuiter dissecta* J. B. **Curiously cut and waved curled Lettuce.**

Hujus *folia* pallidiùs virent quàm præcedentis, laciniis tenuioribus & profundioribus incisa, iisque undulatim intro forísque flexis reflexísque crispa, pulcherrimo aspectu. *Flores* conveniunt. *Semen* album est. In parem cum præcedente altitudinem assurgit.

LACTUCÆ SYLVESTRES.

1. *Lactuca foliis quernis, an Lactuca Italica laciniata* C. B? **Oak-leaved Lettuce.**

Hujus folia figurâ suâ & laciniis Quercûs folia quadantenus referunt, súntque viridiora paulò quàm Lactucæ vulgaris, minora, & ad radicem pauca antequam excaulescat. In summa hæc planta toto habitu propiùs accedere videtur ad sylvestres Lactucas quàm ad sativas.

Lactuca Italica laciniata *C. B.* folio est tenuissimo, pallidè virenti, in plures partes semi-palmares & laciniatas diviso, per reliqua vulgari Lactucæ similis, quæ esu tenerrima. Hinc à nostra specie diversa videtur.

Nobis ex semine Londino accepto succrevit.

Tragus Lactucam suam secundam ait esse foliis Quercinis incisis.

A. 2. *Lactuca sylvestris major odore Opii* Ger. emac. *sylv. odore viroso* C.B. *Endiviæ foliis odore viroso* Park. *sylv. lato folio, succo viroso* J. B. **The greater strong-scented wild-Lettuce.**

J. B.

Ex *radice* minimi digiti crassitudine, candida, paucis fibris capillata, *caule* tricubitali & altiore adolescit, satis crasso & rigido, tereti, lævi, inani, ramoso, lac perquam amarum, tetro & viroso odore opii, ex radicis & caulis vulnere fundens. *Folia* infima lata, Intybo sativo proxima, nigricantia, non laciniata, sed spinulis duntaxat levibus per ambitum quasi serrata, ad medium ferè caulem: superiora verò profundè laciniata, Lactucæ sylvestris Fuchsii & aliorum in modum, quà terram spectant spinulis per costæ longitudinem hispida. *Flores* conferti Lactucæ, colore luteo, calice squammato, subrubente. *Semen* ex copioso tomento pendulum, nigrum.

Locus. In aggeribus fossarum nascitur, inque lapidosis saxosísque locis, minùs tamen frequens.

Vires. Quæ de viribus Lactucæ sylv. veteres prodiderunt, quòd scilicet semen ejus non minùs quàm sativæ libidinum imaginationes in somno amolitur, & Venerem arcet; quódque succus ad eadem valet, an huic plantæ conveniant dubito. Narcoticam eam esse & soporiferam, adeóque viribus Papaveri similem,

similem, ut Dioscorides & Plinius tradunt, Opii vehemens & virosus odor abundè convincit. Verùm omnia in genere opiata irritare potiùs quàm extinguere appetitum ad Venerem me jampridem monuit *D. Mart. Lister*, saltem modicè sumpta, non secus ac vinum ac alii generosi liquores, quibus & viribus quodammodo respondere videntur. De Lactuca sativa aliter se res habet: Hæc enim dum adhuc recens & tenera est, antequam excaulescat, commanducata certo certiùs Veneri adversatur, & libidinem extinguit.

Hujus herbæ incensæ fumo animi causâ naribus excepto se veluti consternatum & vertigine subita correptum, & eodem planè modo affectum sensit idem *D. Lister*, quo solent illi qui Nicotianæ fumum haurire primò aggrediuntur.

A. 3. *Lactuca sylvestris costâ spinosâ* C. B. *sylv. laciniata* Park. *sylv. foliis dissectis* Ger. emac. *sylv. sive Endivia multis dicta, folio laciniato, dorso spinoso* J. B. **Cut-leaved wild Lettuce.**

J. B.
Incondita habet per caulem *folia*, Sonchi divisurâ, laciniata & serrata, spinis secundùm costam aversâ parte donata, amaro lacte prægnantia: *Caulis* verò bicubitalis & major, in principio spinosus, qui in summo in multos abit ramulos, quos *flores* ornant parvi, lutei, lactucacei, in pappos degenerantes. Hæc odore est minùs gravi & vehementi quàm præcedens.

Locus. Ad sepes & agrorum margines reperitur, locis præsertim petrosis, inque vineis & hortis.

A. 4. *Lactuca sylvestris folio non laciniato* J. B. *sylv.* 2. Ger. emac. **Endive-leaved wild Lettuce.**

Hanc speciem Johnsonus Gerardi emaculator primæ speciei varietatem facit; J. Bauhinus secundæ, cui & nos suffragamur; siquidem illâ humilior est, & foliis minoribus, odore etiam minùs gravi, nostris saltem naribus: Non alia autem in re à secunda differt quàm foliorum figurâ, quæ huic ne in caule quidem laciniata sunt. Iisdem cum priore locis provenit.

A. 5. *Chondrilla* [*rectiùs Lactuca*] *viscosa humilis* C. B. Park. Ger. emac. *Lactuca sylvestris laciniata minima* Cat. Cant. **Small jagged wild Lettuce.**

C. B.
Ex *radice* tenui, longa, alba, *cauliculi* plures, tenues, reflexi, pedales & cubitales prodeunt, quos utrinque ad palmi [imò duorum triúmve palmorum] longitudinem flores lutei, oblongi, in pappos abeuntes alternatim cingunt. *Folia* habet ad radicem oblonga, angusta, quædam sinuata, quædam integra, & in caule paucissima.

Locus. Hanc in fossarum aggeribus nascentem nos propè Cantabrigiam, Th. Willisellus Londini propè Templum S. Pancratii, invenimus. Postea in transmarinis circa Neapolin & Monspelium eandem observavimus. In agris Basileensibus Autumno florens invenitur. *C. B.*

6. *Chondrilla* [*rectiùs Lactuca*] *sylv. viscosa caule foliis obducto* C. B. *saxatilis viscoso caule* Park. *saxatilis viscosa, caule* ἀναδενδρόφυλλ *Galeni* Col. **Wild Lettuce with booted stalks.**

Col.
Radix longa inter saxorum rimas se insinuat, ut difficilè nisi disrupto saxo excipi possit: atque si vel minimo disrumpantur radix, folia, caulis, vel etiam flores, copiosus indè exit lacteus succus viscosus, pauco tempore in grumos concrescens. *Folia* sunt Cichorii vel potiùs Dentis leonis dicti modo incisa, profundioribus etiam incisuris, tenuioribus lobis divisa, radicem versus aduncis, pedem longa, & circa radicem obliquè dependentia, in orbem expansa. *Caules* rarò plures, sed unicum sæpius, nec etiam multis alis divisum emittit, rotundum, lævem, tenuem, albicantem, cubitalem, *foliis* multis vestitum in imo, è medio verò ad summum usque tenuiora angustioráque sunt folia, per ambitum non incisa, nec erosa, sed per medium ipsorum nervum divisa, hinc atque hinc caulis & alarum latera cingunt, ut parum caulis adversarum partium conspiciatur, vel nudus remaneat; adeóque tota hærent per longum caulem amplexantia, utrinque frequenter alternata, ut vix ab inferioribus superiora distent, totúsque caulis itâ foliis obductus sit, ut velut ocreatus videatur. Horum quidem foliorum reliquum ad summum quod illorum pars quarta est vel minor, integro dorso hærens à caule recedat, ex quo veluti alâ & caule cui hæret *flores* brevibus petiolis insidentes emicant, oblongis calathis, bini ternive aut plures etiam, intus lutei, foris albicantes per medium foliolorum florum: Alii *semen* parturientes, alii enascentes vel dehiscentes, itâ ut diutiùs floreant, simúlque perfecta semina ab aliis pappo evolent, alia verò ab ipsius plantæ & florum viscosâ intercepta succo maneant ex pappo dependentia. Nigra sunt atque oblonga, in cacumine, ut in congeneribus pappo albo pilosa. Sapore est amaro admodum.

Locus. Æstate & Autumno floret. Manus tacta simpliciter lacte inficit, difficiléque abluitur ut viscum.

In vetustioribus mœniis Campoclarensium sicuti & Æquicolorum Materii castri & montanis locis provenit. *Nobis in collibus saxosis circa Messanam in Sicilia, & Monspelium in Gallia Narbonensi observata fuit.* Chondrillam vimineam viscosam vinearum *Ad.* huc refert *D. Magnol*, & rectè quidem nostrâ sententiâ.

A. 7. *Lactu-*

A. 7. *Lactuca sylvestris murorum flore luteo* J. B. *Sonchus lævis muralis* Ger. *lævis alter parvis floribus* Park. *lævis laciniatus muralis parvis floribus* C. B. Ivy-leaved Lettuce.

J. B.
Affatim lac fundit tota planta, quæ ex *radice* digitali amara *caules* perquam tenues erigit, cubitales & sesquicubitales, læves, subrubentes, subinde inanes aut medullâ fungosâ plenos: ad quorum genicula oriuntur *folia* profundè laciniata, extremâ laciniâ triangulâ, hederaceum folium referente, colore quà terram spectant purpurascente interdum; *Flosculi* in ramulis exigui, Lactucæ, plures congesti colore luteo, quinque foliis constant, totidémque concoloria stamina in medio erigunt, postmodum aliorum more in pappos abeunt.

In saxorum rimis, ínque muris & aggeribus umbrosis, interdum etiam & in opacis sylvis oritur. *Locus.*

Lactucæ murorum affinis Sonchus dendroides Dalechampii J. B. *dendroides Dalech.* Park. *lævis laciniat. lut. mont. major* C. B.

Lugd.
Radicem habet crassam, nigricantem, ex qua radiculæ multæ prodeunt: *Caules* bicubitales atque interdum altiores, teretes, *foliis* stipatos sinuosis, seu per oras ex intervallo insectis, lætis, Quercui haud dissimilibus, lacte diffluentibus. Rami in caulibus nulli sunt, sed ab imo scapo ad summum usque, non procul à foliorum singulorum exortu, singuli nascuntur petioli, tenues, qui multos *flores* sustinent luteos, quales sunt aliorum Sonchorum aut Lactucæ, qui tandem in pappos abeunt.

Sonchus hic Dalech. habet multa communia cum Lactuca murorum; veruntamen si descriptio & icon Dalech. vera est, necessariò differunt. *J. B.* quem consule.

8. *Lactuca sylvatica purpurea* J. B. *montana purpuro-cærulea major* C. B. *sylvestris purpureo flore* Park. *Sonchus sylvaticus* Ger. emac. Blew-flowered mountain-Lettuce of the Woods.

Col.
Radix huic obliqua, nodosa, dentata germinum oculis tam recentibus quàm vetustis, [pollicaris] è qua multæ undique crassæ, longissimæ dependent fibræ, [sapore grato, dulci, cum levissimo amarore præditæ.] *Caule* est tenui, bipedali [J. Bauhino bicubitali & altiore, variat utique ratione loci;] glabro, tereti, albicante, medullâ albâ pleno: quem *folia* ex intervallis alternatim vestiunt, ima pusilla, deinde majora semper multúmque latiora, parùm in ambitu sinuata, glabra, tenella, superiùs pallidè viridia, subtus glauca, mollia, tenuia, [nullo aut brevissimo pediculo donata angusto principio mucronéque] maxima semipedem longa, duas uncias lata caulem amplexantia. Folia in summo caule latiore appendice eidem hærent, iterúmque minora efficiuntur vix unciam sæpe lata, [J. B. sapore nullo excellente,] mansu grata, ut nonnisi modicè aut vix amara sentiantur. Caulis ad foliorum exortum non rectus, sed obliquè, nunc dextrâ, nunc sinistrâ inflexus & sinuosus videtur.

E foliorum superiorum alis obliqui & admodum tenues, rotundi, juncei petioli exeunt, quaquaversum in caulis cacumine expansi; florum onusti deorsum spectantium squamosis *calicibus*, oblongis, ex viridi purpurascentibus, in binos ramulos se dividentes, in quibus hiantes *flores* quatuor exserunt media *stamina*, longa, quorum pars media purpureo colore tandem emittit luteam veluti pulverosam & summo trifido apice divisam atque intortam partem, quæ totidem *petala* lata, nigro-purpurea, oblonga, incurva, ínque sese inflexa circundant, ora in summo habentia longis fimbriis divisa. *Semina* postmodum succedunt parva, lævia, cinerea, candidum mollémque pappum exserentia, latiuscula, brevia atque compressa.

In sylvis montosis calidiorum regionum frequens est. *Nos invenimus in Jura & Saleva montibus propè Genevam; ínque sylvis montosis quas pertransivimus eundo à Scaphusia ad Constantiam; & alibi consimilibus in locis.* *Locus.*

9. *Chondrilla* [*rectiùs Lactuca*] *viminea* J. B. *juncea* Ger. *juncea viscosa arvensis, quæ prima Dioscoridis* C. B. *viminalibus virgis* Park. Gum-Succory with rushy twigs.

J. B.
Pullulant primùm per terram in orbem sparsa *folia* magna, Hedypnoidis laciniis, glabra, quæ in caulem surgente planta marcescunt: ipse verò *caulis* propter terram densis spinulis totus horret, atque ad cubitos duos aut tres assurgit, frequentibus ramis vimineis variè divaricatis fruticosus, foliis aut nullis, aut raris, iisque vimineæ tenuitatis. *Flores* [ad ramulorum latera &] extremis ramulis hærent, lutei, lactucaceis pares, nec formâ dissimili, *semine* succedente iterum Lactucæ pari, verùm non compresso, sed rotundo ferè, striato, oblongo, cinereo, cum tomento villoso appenso. *Radix* subest simplex, pollicaris & crassior, glutinosissimo lacteo succo abundè prægnans, cubiti aut sesquicubiti longitudine, non ingrata dulcedine prædita. Totam plantam amaro esse gustu tradit Columna, eam fusè describens.

In Germania, Italia & Gallia Narbonensi in arenosis copiosè provenientem observavimus. *Locus.*

C. Bauhinus Chondrillam vimineam viscosam Monspeliacam ab hac distinguit, ob folia superiora ramos cingentia, in tenuissimas & acutissimas lacinias divisa: Nobis superiori eadem specie visa est. D. Magnol se nondum invenisse ait ejusmodi plantam. *Botan. Monsp.*

10. *Sonchus,*

* 10. *Sonchus, (rectiùs Lactuca) fruticosus petræus Africanus spinosus* Park. **Thorny Shrub-Sowthistle, or wild Lettuce of** Africa.

In altum exilit *caulibus* lignosis, versùs summitates in multos *ramulos* variè divisis & subdivisis undequaque diffusis, singulis viminibus seu virgulis in acutissimas spinas desinentibus. *Folia* inferiora valdè laciniata sunt & spinosa; superiora ferè integra aut parum admodum laciniata. *Flores* parvi, simplices, pallidè lutei, quibus succedunt *semina* pappo adhærente alata.

Locus. Guilielmus Boelius circa *Tunisium* & *Sapphi* Africæ urbes locis petræis invenit & eruit.

Hæ duæ ultimæ plantæ non sunt fortasse veræ & genuinæ Lactucæ species; certè præcedens seu Chondrilla viminea semina compressa non habet ad modum Lactucæ, sed rotunda ferè, striata & oblonga; verùm quia aliis respectibus Lactucæ similior est quam cuivis alii hujus generis plantæ, Lactucæ subnectendam duximus. Ultima Lactucam cæteris partibus refert, & fortè etiam semine: verùm hujus figuram non exprimit aut describit Parkinsonus.

CAP. II.

De Soncho.

SOnchus Σόγχος aliis corruptum videtur à σομφὸς rarus, quia scil. rarum & cavum caulem habet, aliis ἀπὸ τοῦ σόον χέειν dictum, quia salubrem succum de se fundit ad æstuosas stomachi lancinationes, & biliosas hepatis obstructiones utilissimum.

Sonchus à Lactuca (quâcum in multis convenit) distinguitur capitulis grandioribus; caulibúsque tenerioribus & fistulosioribus, quibus etiam ab Hieracio differt, à quo & semine compresso distinguitur.

Sonchus duplex est lævis & asper; utriusque plures sunt varietates, quas ego specie differre non libenter concesserim.

A. 1. *Sonchus lævis* Ger. *lævis laciniatus latifolius* C. B. *laciniatus non spinosus* J. B. *lævis vulgaris* Park. *quamvis icon non respondeat.* **Common smooth Sowthistle.**

J. B.
Parvâ, fibrosâ, albâque *radice* nititur: *caule* cubitali & ampliore, intus concavo, purpurascente: *folia* longa, lævia, ferè glauca, Dentis leonis divisurâ, latiora, teneriora, lacte prægnantia alternatim prodeunt, aliàs pediculo longo, aliàs nullo, sed latiore basi caulem amplectentia, in circuitu quasi dentata, in quibus vel nullæ spinæ, vel molles. *Flores* foliosi, lutei, Dentis leonis minores, [plures simul in summitatibus caulis & ramulorum, dilutiores quàm Dentis leonis aut Hieracii] quorum extima folia aversa parte purpurascunt, & in pappos abeunt. *Semen* parvum, oblongum & in fusco rubens. In hoc genere extremum folium latius est & triangulare, hastæ cuspidem quodammodo referens.

Locus. In cultis, hortis, vineis, &c. nascitur, præsertim lætiore solo.

Variat interdum floris colore niveo vel albo: foliis etiam in plures & tenues lacinias divisis.

A. 2. *Sonchus minùs laciniosus mitior sive minùs spinosus* J. B. *lævis minor paucioribus laciniis* C. B. *lævis latifolius*, Ger. **Smooth Sowthistle with fewer jags.**

J. B.
Lacte tota planta turget amaro: *Caulis* inanis, cubitum altus & major, hominem interdum altitudine excedens, ramosus. *Folia* parùm laciniata, tenera, Endiviæ ferè, spinulis in ambitu donata, sed parùm aut nihil pungentibus cauli immediatè adnascuntur. *Flores* lutei Hieracii, sed calice glabro, qui celeriter in pappos abeunt. *Radix* longiuscula, multis fibris donata. *Hæc varietas in hortis oleraceis inter reliquas species frequens est.*

3. *Chondrilla lutea* J. B. *rectiùs Sonchus lævis in plurimas & tenuiss. lacinias divisus* C. B. *fortè.*

J. B.
In lævi & glabro *caule folia* habet ad Sonchum lævem vulgarem proximè accedentia, nisi quòd multò minora sint, divisurâ ferè Chondrillæ cœruleæ: extremæ laciniæ passis alis librantem se in aere Ciconiam exprimunt, per segmentorum ambitum denticulata, quod notatu dignum, hâcque notâ non florens facilè à Chondrilla cœrulea discernitur. Ex horum sinu ramuli exeunt, quorum singulis *flos* unicus, summo autem cauli plures insident Sonchi, lutei, in pappos evanescentes.

Locus. In vineis & aggeribus circa Monspelium, inque muris ipsius urbis observavimus.

Hæc planta Sonchi species est, non Chondrillæ. Toto ferè anno floret.

Sonchi

Sonchis affinis Terracrepola. Sonchus lævis angustifolius C. B. Park. **Narrow-leaved Sowthistle.** *Hieracii species est.*

J. B.

Radicem habet Intybo similem, longam, tenuem, paucis fibris donatam candidam, *Caules* multos, cubitales, foliatos, in duos trésve ramos divisos. *Folia* Intybo similia sunt, candidiora, minùs insecta ac laciniata, gustatu suavia licèt nonnihil amara sunt. *Flos* luteus in pappos evanescens.

Locus. Nascitur sponte in aggeribus terrenis agri Monspeliensis, ut aiunt.

In cibis cruda ex oleo & aceto expetitur.

Herba quæ nobis Monspelii pro Terracrepola ostensa fuit valdè similis erat, si non eadem plantæ illi quam J. Bauhinus describit & depingit sub titulo Chondrillis affinis laciniatæ cujusdam an Trinciatellæ; cui & iconas Terræcrepolæ apud Lobelium, Ger. *&* Park. *aliquatenus respondent. Fortè Trinciatella J. Bauhini est Terracrepola aliorum autorum. Trinciatellam Italorum Camerarii C. Bauhinus Dentis leonis speciem facit. Qualisnam planta sit quam J. Bauhinus sub hoc titulo describit me nescire fateor.* Ex quo hæc scripsi, Indicem plantarum circa Monspelium nascentium à *D. Magnol* editum nactus sum, ubi invenio ipsum crepidem *Dalech. Lugd.* à Trinciatella *J.B.* non distinguendam putare. Est autem crepis illa quam intelligit J. Bauhinus titulo & descriptione hìc allatis. Vitiosa Lugdunensis figura (ut verisimile est) *J Bauhinum* decepit. v. Trinciatella.

4. *Sonchus cæruleus latifolius* J. B. *lævis laciniatus cæruleus, sive Alpinus cæruleus* C. B. *Alpinus cæruleus* Park. **Blew-flowered mountain Sowthistle.**

Clus.

Cubitali aut ampliore existit *caule*, rotundo, striato, lanugine obsito, intus cavo, quem ambiunt multa *folia*, ampla, aliquot profundis laciniis utrinque divisa, extremo mucronata, latiore pediculo caulem amplectentia, in ambitu nonnihil dentata, subtus aliquantulùm incana, lacteo succo plena: Plurimos in summo caule *flores* profert, purpurascentibus & villosis petiolis inhærentes, vicenis foliis, utplurimùm constantes, elegantissimi coloris cœrulei, qui per maturitatem in pappum cum *semine* cinereo exiguo evanescunt. *Radix* pollicaris est crassitudinis, oblonga, non in profundum acta sed obliqua, candicans, clara, velut internodiis distincta, multas circumquaque fibras crassas agens & vivax, singulis annis novos ex latere caules profert.

Locus. In sylvis ad latera montis Juræ, montiúmque maximo Carthusianorum cœnobio imminentium connascentem vidimus: Clusius variis locis umbrosis, in *Durrenstain, Sneberg, Snealben,* jugis Etscherianis, &c.

* 5. *Sonchus montanus lævis laciniatus minor* C. B.

C. B. *prod.*

Ex *radice* crassiuscula *caulis* in principio crassus & lignosus, rotundus, lævis, statim in alas brachiatus, ad cubitalem altitudinem accedens exurgit. *Foliis* est sesquiuncialibus, in paucas lacinias latè distantes & acuminatas divisis.

Flores in caulis summo veluti in spica alternatim dispositi, parvi & palliduli.

Locus. In montibus Euganeis frequens est.

Lactucæ potiùs quam Sonchi species est.

A. 6. *Sonchus asper laciniatus* Park. C. B. *laciniatus spinosus* J. B. *asperior* Ger. **Prickly Sowthistle with jagged leaves.**

A Soncho lævi laciniato differt Foliis crassioribus, obscuriùs viridibus & splendentibus, in crebras minus tamen profundas lacinias divisis, spinulis longioribus & rigidioribus asperis. Quinetiam folia extrema & laciniæ in angustiores & acutiores mucrones desinunt.

A. 7. *Sonchus asper non laciniatus* C. B. *asper* Ger. *asper major non laciniatus* Park. *minùs laciniosus asperior sive spinosior.*

Foliis est quàm Sonchus minùs laciniosus mitior crassioribus, obscuriùs viridibus & splendentibus, spinulis longioribus & rigidioribus asperis, aliàs similibus, nimirum ad Endiviæ folia accedentibus, basi sua caulem amplexantibus.

Locus. Hæ Sonchi species in hortis & vineis, inque fimetis & locis ruderatis præsertim solo pinguiore frequentissimæ sunt.

* 8. *Sonchus asper subrotundo folio* C. B. Park. **Round-leaved prickly Sowthistle.**

C. B. prod.

Ex *radice* exili, longiuscula, *cauliculus* rotundus palmaris, aliquando sesquipalmaris, parte inferiore brevissimis aculeis exasperatus exurgit, circa quem *folia* pauca, subrotunda, sesquiuncialia, quorum quædam sinuata, omnia tamen per marginem, ut & nervus per folii medium excurrens, levissimis aculeis exasperantur. In cauliculi summo duo trésve pediculi, quorum singuli unum *florem* Hieracio similem, parvum, luteum, qui in pappum abit, sustinent.

Locus. Monspelii sponte nascitur, & Sonchus asper vulgi flore Hieracii nominatur.

Est

Species minor. Eſt inquit & hujus minor ſpecies, capillari *radicula*, à qua pedicelli bini, quatuor vel ſex uncias longi, aliquot verò vix unciales, unicum *florem* parvum luteolum ſuſtinentes exurgunt. Flori *ſemen* nigrum, pappo adhærens ſuccedit. Circa radicem *folia* ſena, ſeptena, obtuſa, per latera dentata. Ibidem reperitur.

Hieracii potiùs quàm Sonchi ſpecies eſſe videtur.

D. Magnol neutram ſpeciem circa Monſpelium vidit.

* 9. *Sonchus anguſtifolius maritimus* C. B. Park. **Narrow-leaved Sea-Sowthiſtle.**

C. B.

Radice eſt palmari, tenui, fibris carente: *foliis* ad radicem pluribus, atrovirentibus, uncias quatuor, quandoque ſex longis, rariùs unciam latis, per margines ſpinulis exaſperatis, & reliquorum Sonchorum inſtar lac fundentibus; inter quæ *caulis* unicus, palmaris & ſeſquipalmaris, tenuis, lævis, duobus tribúſve foliis eum baſi ſua cingentibus, cujus ſummo *flos* unicus (rariùs duo) ſatis magnus & luteus inſidet, & tandem in pappum abit.

Locus. In litore Veneto ad *Lio* primùm, dein circa Monſpelium æſtatis initio collegimus, inquit *C. B.* In maritimis propè Monſpelium inter Juncos copiosè repit, & Auguſto menſe floret. *Botan. Monſp.*

A. 10. *Sonchus repens, multis Hieracium majus* J. B. *arboreſcens* Ger. emac. *Hieracium majus folio Sonchi* C. B. **Tree-Sowthiſtle.**

J. B.

Radices longè latéque repentes nonniſi difficulter evelli poſſunt, perennes, lactifluæ. *Caulis* cubitalis vel longior [vidimus qui hominis altitudinem longe ſuperaret in paluſtribus naſcentem] niſi hic diſtincta ſpecies ſit; concavus, minùs tamen quàm Sonchi vulgaris, inferiore parte glaber, quodammodo anguloſus, ibi demum piloſus ubi in ramulos dividi occipit. *Folia* & per terram ſparſa, & quæ cauli adnaſcuntur, Sonchi aſperi aut Dentis leonis foliis ſimilia, palmaria & pluſquam bipalmaria, non admodum lata, profundis laciniis inciſa, in acutos mucrones deſinentia, ſpinis mollicellis circa margines donata, colore ferè glauco. *Flores* in ſummitatibus caulis & ramorum plures, quàm Sonchi majores, ſaturatiùs lutei, hirſuta foliolorum atrovirentium compage coerciti, qui tandem in pappos abeunt. Villi quibus caulium ſummitates & capitula obſidentur, obſcurè flavicant. Florum petala anguſta ſunt.

Locus. Inter ſegetes, & in aggeribus terrenis recens egeſtis, ſolo laxiore frequens occurrit.

C. Bauhinus ex una hac planta duas, ni fallor, facit. Nimirum Hieracium Dentis leonis folio acuto I, ſeu Hier. majus folio Sonchi; & III, ſive Hieracium majus erectum latifolium.

Vires. Sonchus viridis & tener (inquit Galenus) eſtur ut olus, præſertim ejus radices. *Matth.* Apud noſtrates in uſu non eſt, ſed pro cuniculorum tantùm & leporum eſca uſurpatur, unde & *Lactuca leporina* dicta eſt. Succus ſtomachi roſiones ſorbitione mitigat. Caulis decoctus facit lactis abundantiam nutricibus, coloremque meliorem infantium. *Plin.* Ex Vino potus ſuſpirioſos & aſthmaticos juvat, & ſtranguriam ſanat. Succus auribus inſtillatus eorum dolores mulcere dicitur. Quæ præterea habent Veteres, apud J. Bauhinum vide. Nos iiſdem cum Lactuca viribus pollere exiſtimamus: juniorem ſcilicet & tenerum refrigerare, adultum & cauleſcentem potiùs excalfacere, ut ſapor amarus arguit.

11. *Sonchus arboreſcens alter* Ger. emac. *Sonchus lævis paluſtris altiſſimus.* **The greateſt Marſh-Tree-Sowthiſtle.**

Ad quinque vel ſex cubitorum interdum altitudinem aſſurgit, & tamen flores minores obtinet quàm præcedens, ut à D. *Sam. Dale* moniti ſumus, ipſique etiam in planta ſicca obſervavimus.

Ad ripas Thameſis fluvii non longè à Greenvico obſervavit *Thomas Williſellus*: Nos quoque in Suſſexia & in tranſmarinis non procul Francofurto ad Mœnum, ubi & olim Cluſius, invenimus.

Sonchi arboreſcentis Tabernæ-montani icon huic equidem plantæ non convenit, & tamen tum Jo. Bauhinus, tum etiam Caſparus frater Sonchum arboreſcentem *Taber.* Sonchi lævis altiſſimi *Cluſ.* ſynonymum faciunt.

Nos ergo horum autoritate inducti plantas illas ſpecie convenire, & quicquid intercedit diſcriminis loco natali imputandum eſſe aliquando ſenſimus & ſcripſimus: verum inſignis differentia in ſtatura & magnitudine, & hujus quoque florum parvitas præ illius floribus, quamvis planta ipſa multò major ſit, contrarium ſuadent. Ejuſdem ſententia eſt & *Tho. Johnſonus* in ſuo Gerardo emaculato; quem conſule.

Cap. III.

De Hieracio Chondrilla dicto.

Chondrilla dicta est ἀπὸ τῦ χόνδρυ quod est grumus, mica, & ἴλλειν, quod continere significat, quasi continens grumos, quos Mastichæ similes esse ait Dioscorides. In multis enim hujus generis plantis in regionibus calidioribus concrescunt grumi fulvescentes in foliorum alis, inque ipsis caulibus.

Quæ autem hoc nomine ferantur plantæ, vel Lactucæ, vel Hieracii species esse videntur. Nec enim quæ succum exudant in grumos concrescentem ejusdem omnes generis sunt. Chondrilla cœrulea ad Lactucam accedit, reliquæ ad Hieracium pertinent. Trinciatella & Hyoseris mascula *Ger.* insigni nota à reliquis Hieraciis differunt, quòd extimus in flore petalorum circulus calycis quibus incumbunt folia longitudine vix excedit.

Cùm Hieraciorum familia admodum numerosa sit, ut ordinem aliquem clarioris doctrinæ causâ in iis describendis servaremus, quæcunque à Botanicis quâcunque tandem ratione Chondrillæ dictæ sunt, præter eas quæ notis genericis cum Lactucis conveniunt, seorsim tradendas duximus. De prima tamen specie seu Chondrilla cœrulea ob semen latum dubitamus annon Lactucæ potiùs species sit.

1. *Chondrille vel Chondrilla cærulea* J. B. *Chon. cærulea sive purpurea* Park. *cærulea* Ger. *cærulea altera Cichorei sylv. folio* C. B.

J. B.

Caules erigit cubitales, teretes, læves, fungosâ medullâ refertos, ramis satis frequentibus brachiatos. *Folia* priora palmaria aut dodrantalia, laciniis ad Cichoreum accedentia, glabra & pænè glauca; superiora autem profundioribus laciniis incisa, leviùs etiam aliàs dissecta, glabra. In summis ramorum *flores* crebri, radiati, cœrulei, ex calice longo, squamato, in quo *semen* nigrum longum, latum. *Radix* perennis, simplex, longa, digitali crassitudine, paucis fibris donata, foris tenui & nigro cortice vestita: intus candida, carnosa, tenera & admodum fragilis. Tota planta lacteo turget liquore, & gustu dulcis est.

Nascitur in editis apricisque vineis & montibus, solum amans albicans, pingue & calcario lapidi mixtum, ut annotat Cordus. *J. B.* Nos eam inter Confluentes & Moguntiam, secus Rhenum flumen invenimus, & alibi in Germania. *Locus.*

Chondrilla cærulea latifolia laciniata C. B. Park.

Non alia in re à præcedente differt quàm foliis brevioribus, latioribus & in profundiores lacinias divisis; unde nec specie diversam existimamus.

2. *Chondrillis affinis laciniata quædam an Trinciatella* J. B? *Crepis Dalechampii* Lugd. *Terra-crepola Monspeliensibus.*

E *radice* alba aut nonnihil lutescente, simplici, paucis fibris donata, succo lacteo turgida *caules* exeunt plurimi (ad octodecim in una planta numeravimus) in lætiori solo cubitales & longiores, teretes, læves & velut juncei, infirmi & vix se sustinentes, striati, glauca quadam farina obducti, folio unico insigniore ad primi ramuli egressum præditi, reliquis quæ ad reliquorum ramulorum exortum & propè summos caules sunt angustis, exiguis nullius notæ. Ramuli pauci sunt, & ad longa intervalla, ipsi tamen interdum subdivisi. *Flores* summos caules & ramulos terminant ut in congeneribus, parvi, lutei, ex numerosissimis flosculis angustis, frontatis, densè stipatis compositi. Quin petala extima seu flosculi extimi circuli calycum foliola longitudine vix excedunt, quod vel singulare est in hoc genere, vel paucis commune. Flosculis delapsis *semina* cùm maturuere, pappo satis denso & longo innascente, in sphæricam superficiem explicantur, longa, angusta, rubentia. *Folia* è radice exeunt plurima, in orbem diffusa, angusta, longa, longiusculis utrinque laciniis, non tamen crebris velut dentata, raris pilis hirsuta ut glabra videantur. Annua est planta.

Plantam hanc J. Bauhinus & nos etiam circa Monspelium invenimus. D. Magnol in Indice plantarum circa Monspelium nascentium eam non distinguendam putat à Crepide Dalechampii *Lugd.* quam J. Bauhinus alio in loco proponit sub titulo *Sonchis affinis Terracrepolæ*: figuram autem quam adhibet vitiosam ex Lugdunensis non bona icone expressam existimat, cui & nos libenter assentimur. *Locus.*

* 3. *Chondrilla Sicula Tragopogonoides maritima* Bocconi.

Radix hujus plantæ candida, fragilis, digitalis pænè crassitudinis, altè in terram depacta, supernè in tres aut quatuor partes divisa, ex qua *Caulis* oritur pedalis & altior, pluribus alis ramosis donatus, concavus. *Folia* Resedæ divisurâ. *Flos* & *semen* ut in Chondrillis & cæteris Tragopogis.

In arenoso maris litore nascitur, in Catanæ, Agrigenti, Saccæ pastoralibus agris passim obvia. *Locus.*

Cùm plantam ipsi nondum vidimus, nec figuram seminis descripsit Autor, an hìc eam rectè collocavimus nescimus.

4. *Chondrilla*

4. *Chondrilla folio non dissecto, caule nudo & foliato* J. B. Gum-Succory with an undivided leaf.

J. B.
Radice firmatur longâ, crassâ, lacteo succo turgente, in capita aliquot divisâ, *folia* emittente multa, palmaria & longiora, semunciam plus minùs lata, Plantaginis tenuifoliæ foliis similia, acuminata, glabra, crassa, Chondrillæ cœruleæ instar, ejusdem penè coloris. *Caules* frequentes, juncei, dodrantales sive pedales, glabri, fungosi, foliis plerunque nudi, nonnunquam foliati, in binos ramos utplurimum diducuntur, quorum singulis flos insidet unus, magnus, luteus, in pappos evanescens, quibus semina adhærent tenuia, longa, striata & ruffa.

Locus. Ad radices montis *Salevæ*, & in arenosis ad fluvium *Arve* propè Genevam observavimus.

Invenimus etiam in Alpibus Carinthiacis quam hoc titulo donavimus: Verùm ut in planta sicca à D. *Philippo Skippon* asservata observamus, radices ei fibrosæ erant, & caules prætenues, ut jam specie diversam suspicer.

5. *Hieracium Chondrilla dictum incanum. An Chondrilla prior Dioscoridis legitima Clusii* Park? *Chondr. lutea* Ger? *Chondr. foliis Cichoraceis tomentosis* C. B.

Hujus semen Chondrillæ legitimæ *Clus.* titulo ad me missum est ab ingeniosissimo Viro & peritissimo Botanico D. *Hans. Sloane* M. D.

E *radice* dum adhuc junior est alba, simplici, altè & rectà in terram descendente, lacte turgida, raris fibris prædita, nunc simplex, nunc plures *cauliculi* exeunt cubitales aut etiam longiores, teretes, tenues, & vix se sustinentes, tomento brevi, denso, candicante Gnaphalii in modum obsiti, uti est & tota planta, *foliis* ab imo ad summum usque per intervalla vestiti, non admodum crebris, alterno ordine positis, tres uncias longis, vix unam latis, ab angusto principio sensim dilatatis, circa margines utrinque raris & majusculis dentibus extantibus, ut in Hieracio flore magno Dentis Leonis, tomento molli candicante utrinque obsitis. [Suprema in caulibus folia interdum ad margines æqualia sunt & in acutos mucrones exeunt.] Sunt insuper Caules ramosi; inque summis caulibus & ramulis *flores* singulares antequam aperiuntur pro calyce simplici foliolorum angustorum, oblongorum vallo obsiti, ut florum gemmæ striatæ videantur, aperti Hieracii minoris floribus similes sunt, coloris lutei. Semina ob Æstatis frigus non maturuere in hortulo nostro.

Seriùs & sub Autumnum floruit apud nos.

Hæc planta longè diversa est ab Hedypnoide Monspessulana sive Dente leonis Monspessulano *J. B.* At neque Chondrillæ prioris Diosc. legitimæ Clusii icon aut descriptio ei per omnia respondent; ut conferenti patebit: eandem tamen esse puto ob caules, folia, summitates incana & densa lanugine tomentóque obducta, qualia in nulla præterea Hieracii aut Chondrillæ specie mihi hactenus videri contigit.

Foliorum alis, ut etiam ipsis ramulis (inquit Clusius) plerunque inhærent grumi fulvescentes gummi isthic concreti.

Locus Invenitur Salmanticensi agro locis incultis & multis aliis Hispaniæ, Augusto florens vel etiam seriús.

6. *Hedypnois Monspessulana, sive Dens leonis Monspessulanus* J. B. *An Hieracium foliis & floribus Dentis leonis bulbosi* Lob.

J. B.
Ex *radice* crassiuscula, longa, nigricante, raris fibris prædita, & summa parte in aliquot capita, interdum divisa *caulis* surgit palmaris, culturâ etiam cubitalis & bicubitalis, crassiusculus, concavus, paulò supra radicem in ramos tres, quatuor, aut quinque divisus, quorum unusquisque *florem* gerit unicum, magnum odoratum, Hedypnoidis nostratis flori similem, calice multò crassiore, pulchriore, piloso, è foliis multis latis uno ordine circumvallatum; floris folia extrinsecùs rubescunt, cæteroqui lutea; tandem is in pappos evanescit. *Folia* Cichorei foliorum instar divisa sunt, incanâ & densâ lanugine tomentóque obducta. J. Bauhinus hanc habet pro Chondrilla priore Diosc. legitima *Clus.* sed erroneè nostro quidem judicio.

Locus. Nos circa Messanam Siciliæ, & Monspelium copiosè provenientem observavimus.

7. *Chondrilla lactucacea Foro-Juliensis.*

Radice est simplici. *Folia* ad terram plura triuncialia, valdè angusta, uno vel altero dente hinc indè extante, ex angusto principio, ut in hoc genus solenne est, sensim dilatata, in acumen desinentia. *Caules* ab eadem radice plures, (quinque vel sex in planta nobis collecta observavimus) sesquipalmares aut semipedales, foliis nudi, summâ parte in ramulos & surculos multos divisi & subdivisi, quorum singulos terminant *flosculi* lutei, pro calice simplici foliolorum vallo cincti, ut capitula oblonga, angusta Lactucaceorum instar appareant. *Semina* quod ad formam attinet Lactucaceis similia sunt, verùm non ità compressa, fulva, &, quantum in siccis discernere licuit, nonnihil aspera. Ad divaricationes caulium apponuntur foliola minima & angustissima; extremi etiam surculi sive petioli quibus flosculi insident tenuissimi sunt. Folia in sicca glabra videntur.

Locus. In Foro-Julii invenimus viâ quæ ducit à Vinsona ad Venetias.

8. *Chondrillæ*

8. *Chondrillæ Creticæ nomine missa, semine crispo* J. B. *Hieracium majus Creticum* Park. *majus folio Sonchi, semine curvo* C. B. **Candy Hawkweed with crooked seed.**

J. B.
Radix Dentis leonis: *caules* spinulis horridi, variè nullóque ordine in alas divisi: *Folia* Lactucæ sylvestris, prima & infima integra ferè; succedentia & superiora incisa, minùs tamen quàm Sonchi: aliàs non dissimilibus incisuris. *Flores* Sonchi: *Semen* pulchrum incurvum, ex cervice denticulata in rostellum pulchrum desinens, per maturitatem ruffum.

Brevis ævi planta, ante hyemem, imò ante Autumnum etiam perit. Floret Junio & Julio, & semen iisdem mensibus maturat.

Huc referendus videtur Sonchus asper laciniatus Creticus *C. B.* nam & figura & descriptio conveniunt; adeóque C. Bauhinus perperam, ut aliàs sæpe, ex una planta duas facit.

* 9. *Chondrilla altera Dioscoridis Rauwolfii* Clus.

Hanc Bauhinus uterque pro Conyza marina Lugdunensis historiæ habent, cujus historiam infra proponemus inter Conyzas. Mihi (ut verum fatear) descriptio Rauwolfiana non videtur convenire Conyzæ illi marinæ *Lugd.* ea autem, interprete Clusio, sic se habet:

Radice est lævi, ex fusco flavescente, supernâ parte circiter minimum digitum crassâ, quinque vel etiam octo tranversos digitos longâ, infimâ parte tenuiore, cui inhæret rotunda alia radix, castaneæ magnitudine, lacteo succo adeò plena ut turgeat. Superna radicis pars, quà se in tres cauliculos dividit, multa habet oblonga, & graminis instar angusta *folia*, simul nascentia, ad terram valdè inclinata, inter quæ prodeunt *cauliculi* aliquot foliis onusti, è quorum alis longiusculi exeunt pediculi, singuli *florem* sustinentes, Pilosellæ majoris flori æqualem, flavum.

In arvis Halepo vicinis satis abundanter invenitur. *Locus.*

An hæc descriptio sit Conyzæ marinæ *Lugd.* an alterius cujusdam plantæ, Lectoris judicio submitto. Parkinsonus nobiscum sentit diversæ esse.

Cap. IV.

De Hieracio Hyoseride aut Hypochæri.

CUr Hyoseridis nomen huic generi tribuatur rationem non video. Notam tamen insignem qua ab aliis Hieraciis differt obtinet Hyoseris mascula *Gerardi*, nimirum quod petala floris extrema seu marginalia calycis folia longitudine non excedant, quæ an reliquis speciebus communis sit nescimus. Convenit tamen Trinciatellæ *Cordi* superiùs inter Chondrillas positæ, quæ idcirco rectiùs hic collocaretur.

1. *Hieracium minus Dentis leonis folio subaspero* C. B. *Hier. asperum Hypochæris sive Porcellia dictum* Park. *Hypochæris sive Porcellia* Ger. **Swines Hawkweed.**

Folia huic multa è radice exeunt per terram sparsa, Dentis leonis foliis similia sed minora: è quorum medio *caules* exurgunt plures semipedales, tenues, subasperi, aphylli, superiùs in ramulos aliquot divisi, *flores* sustinentes singulos, satis amplos, Hieracii. *Radix* parva, longa.

In quibusdam Bavariæ sylvis plantam hanc observavimus, ejus iconi apud Tabernamont. & *Ger.* simillimam. *Locus.*

* 2. *Hieracium minus Dentis leonis folio oblongo glabro* C. B. *Hieracii parva species, Hyoseris angustifolia aspera* J. B. **The lesser Swines Succory or Hawkweed.**

Exigua sed crassiuscula donatur *radice*, succisâ nonnihil ac si præmorsa esset, pluribus fibris ornatâ: *foliis* longis & angustis, hirsutis, in terra sparsis: *caulibus* duobus aut tribus, glabris è radice prodeuntibus, non multò plus palmum longis, versùs superiora utplurimum in binas alas divisis, quarum extremitatibus insidet flos unicus, luteus, plenus, satis magnus. Tota planta amaricantis est saporis. *Tabern.*

Lucos multum amat (inquit) frequens etiam in solo arenoso, gramineo & secus vias. *Locus.*

Magnitudine, foliorum angustiâ & caulibus minùs ramosis à præcedente differt.

3. *Hieracium minimum Clusii, Hyoseris Tabernamontani & Gerardi* Park. *Hier. minus folio subrotundo* C. B. *Hyoseris mascula* Ger. **Small Swines Succory or Hawkweed.**

Radix quam eruimus alba erat, simplex, altè in terram descendens, paucis fibris donata. *Folia* è radice exeunt multa, bellidis ferè sed paulò longiora & serrata aut dentata; sive ex angusto principio paulatim dilatata, apicibus subrotundis; subglauca, lanugine adeò brevi obducta ut negligentiùs intuenti glabra videantur. *Caules* ex eadem radice emergunt in foliorum medio plures [interdum unicus] nudi, propè terram rubentes, versùs summum ramosi, ramis juxta exortum rubentibus, ad quos exigua quædam foliorum rudimenta cauli adnascuntur. Caules omnes, contra ferè quàm in aliis plantis, extuberant versùs capitula, crassioresque fiunt & tandem fistulosi, cùm infe-

 riùs

riùs ſolidi fuerint; ſinguli ſingula capitula globoſa ſuſtinentes, ex quibus *flores* parvi, lutei, floſculis brevibus, calicibus vix productioribus compoſiti.

Locus. Provenit inter ſegetes locis parùm arenoſis & terra friabili, ut rectè Cluſius.

4. *Hieracium parvum Creticum* Park. Cluſ. *minus flore ex albo carneo* C. B. Small Hawkweed of Candy.

Cluſ.

Elegans eſt plantula cujus ſena aut plura *folia* ſumma tellure diffunduntur, quâ parte radici adhærent anguſtiora, extrema parte latiora, per ambitum inciſa, medio nervo purpuraſcente: inter quæ naſcuntur bini aut terni *cauliculi*, circiter pedem alti, enodes, præterquam ſuprema ferè parte ubi in binos ramos dividuntur, ſubnaſcentibus parvis foliolis valdè inciſis. *Flores* in extremis faſtigiis naſcuntur, ſatis grandes pro plantæ proportione, ex multis foliolis ſibi invicem incumbentibus conſtantes, ſupernâ parte prorſus albis, ſubtus carnei (ſi ità appellare licet) coloris. *Radix* eſt ſingularis, oblongiuſcula, ſupernè craſſior, deinde paulatim ad infimum uſque gracilescens, aliquot lateralibus fibris donata, inſtar radicis Cichorei ſylveſtris.

CAP. V.

De Hieracio ſimpliciter dicto.

Hieracium Ἱεράκιον i. e. Accipitrina eò dicitur quoniam Accipitres ſcalpendo eam, ſuccóque oculos tingendo obſcuritatem cùm ſenſere diſcutiant. Plin. lib. 20. cap. 7. vel propterea fortè quòd pappi ejus Accipitrariis utiles ſunt ad vomitum Accipitribus ciendum.

Hieracium à Soncho differt caulibus gracilioribus, nec adeò teneris & fiſtuloſis; ſeminibus longioribus, non compreſſis ſed teretiuſculis aut anguloſis. Quæ Chondrillæ nomine feruntur plantæ, vel ad Lactucæ, vel ad Hieracii genera pertinent.

Pulmonaria Gallorum, cui congener eſt Hieracium arboreſcens, à reliquis Hieraciis ſeminibus parvis nigris differt.

Piloſella ſeu Auricula muris ſeminibus parvis nigris cum Pulmonaria Gallica convenit; flagellis reptatricibus, & caulium foliorúmque pilis rarioribus rigidiuſculis, ab eâdem & à reliquis Hieraciis differt.

A. 1. *Hieracium minus præmorſa radice, ſive Fuchſii* J. B. *Hier. Chondrillæ folio glabro, radice ſucciſa majus* C. B. *minus præmorſa radice* Park. Hawkweed with bitter roots; Yellow Devils bit.

Radix ima parte plurimùm præmorſa, fibris plurimis albis, alimentum haurit. *Folia* ad radicem plurima, longa, anguſta, utrinque laciniata laciniis longis anguſtis acutis, in mucrones prælongos acutos deſinentia, aliàs hirſuta & piloſa, præcipuè circa coſtam mediam, aliàs propemodum glabra, hilari interdum virore ſplendentia, nervo medio albo. Inter hæc *caules* emergunt plures, ad terram primò reclinati, deinde flexu arcuato paulatim ſe erigentes, cubitum aut ſeſquicubitum longi, ſtriati, inanes, ramoſi. Caulium & ramorum ſummitatibus *flores* innaſcuntur benè multi, pediculis longis, lutei, folioſi, è calice oblongo, modicè ſquamato, hirſuto. Ad primam divaricationem apponitur folium iis quæ ad radicem ſimile, ad ſuperiores caulis & ramulorum divaricationes minora, anguſta & oblonga: quin & ſummi caules & ramuli ſeu mavis florum pediculi quibuſdam foliolis ſeu foliorum rudimentis veſtiuntur. *Semen* pappo adhærente alatum.

Locus. In paſcuis frequens Julio & Auguſto menſibus floret.

Hieracium foliis & facie Chondrillæ *Lob.* Chondrillæ folio hirſutum *C. B.* item Hierac. Chondril.

A. 2. *Hieracium longiùs radicatum* Ger. emac. Park. *Hier. Dentis leonis folio obtuſo majus* C. B. *macrocaulon junceum, ſive minus primum Dodonæi* J. B. Long-rooted Hawkweed.

Ex *radice* craſſa, alba, ſimplici, ſucco lacteo amaro turgidâ, altè in terram deſcendente, *caules* exeunt cubitales & altiores, complures, anguloſi, atrovirentes, concavi, in ramos aliquot diviſi, ima parte raris pilis hirſuti, ſupernè glabri, rudimentis potiùs foliorum quàm foliis veſtiti. *Flores* ſummo cauli & ſingulis ſurculis inſident ſinguli, Hedypnoidis, lutei, è ſquarroſo & glabro capitulo emicantes, pluribus floſculis arctè ſtipatis compoſiti, quorum ſinguli ſingulis inſident *ſeminibus* longis, tenuibus, ruffis, quibus in longos & tenues mucrones productis adnaſcuntur umbellulæ pappoſæ, quâ notâ à reliquis ſui generis faciliùs & certiùs diſtinguitur, quàm aliâ quâcunque. *Folia* pleraque omnia ex radice ſtatim orta per terram ſparguntur, utrinque laciniata, hirſuta, in obtuſum mucronem deſinentia, tenera, lanugine breviore quàm Hieracii Dentis leonis flore ſingulari.

Junio, Julio & per totam æſtatem floret, in paſcuis ubique.

3. *Hieracium villosum Sonchus lanatus Dalechampio dictum. Sonchus lanatus Dalechampii* J. B. *Son. villosus luteus major* C. B. Park. **Woolly Hawkweed.**

J. B.

In cubitalem altitudinem & ampliorem excrescit, *foliis* per caulem crassiusculum, pilosúmque fortuitò dispositis, duarum triúmve unciarum longitudine, culmi latitudine, nonnihil sinuatis & subinde veluti corrosis, ad Cyani folia nonnihil accedentibus, nervo unico secundùm longitudinem excurrente, tomentosis, nullo pediculo nixis, ad quorum radices ramuli enascuntur. Superior pars caulis ramosior in plurimos surculos molli lanugine obsitos divaricatur; *flores* gerens aureos Erigerontis, tandem in pappum fatiscentes, *calicibus* circundatos tomento delicato & molli pubescentibus. *Radice* nititur satis crassa & longa, non multùm fibrosa. Planta sicca nonnihil amara.

Circa Messanam Siciliæ, & Monspelium Galliæ Narbonensis plurimum sponte ortum observavimus. *Locus.*

Tota planta (inquit J. Bauhinus) lacteo succo turget Cichorei modò, gustúque amaro prædita est, sed minùs quàm reliqua Cichorea, quorum & facultates obtinet, licet imbecilliores.

4. *Sonchus villosus luteus minor* C. B. Park. *rectiùs, Hieracium tomentosum minus.* **The lesser woolly Hawkweed.**

Ex *radice* rufa, longiuscula, fibris carente *cauliculi* bini, terni, rotundi, nonnihil villosi palmum superantes, & in summo in ramulos binos ternósve divisi prodeunt; *folia* pauca ad radicem, uncias quatuor longa, sed angustissima, laciniis latè à se distantibus & lævibus divisa, quæ circa caulem strictissima & uncialia: *Flores* in summis ramulis intensè aurei, ex parvis capitulis suavi tomento villosis prodeuntes, in pappum abeunt. Tota planta leviter tomentosa est.

Monspelii in luco Gramuntio provenit. *Locus.*

Descriptio est C. Bauhini in Prodromo. Hujus etiam J. Bauhinus verbo meminit in prioris descriptione; interdum, inquiens, hæc planta palmaris est, foliis minoribus, laciniatis.

Circa Messanam Siciliæ metropolin alteram Sonchi lanati speciem à lanato Dalechampii diversam invenimus, foliis tamen (quantum memini) minimè laciniatis.

5. *Hieracium Apulum suave-rubente flore* Col. *Dentis leonis folio, flore suave-rubente* C. B. **Hawkweed of** Apulia **with a flesh-coloured or red flower.**

Radice nititur simplici, alba, rectà descendente, paucis fibris donatâ, succo lacteo turgidâ. *Folia* in orbem spargit, ut congeneres, brevi lanugine utrinque hirsuta, ima seu primò erumpentia ferè integra, paucis denticulis donata, ab angusto principio in obtusum mucronem sensim dilatata, posteriora & quæ in caulibus existunt profundioribus laciniis Cichorei aut Dentis leonis specie incisa.

Caules ab eadem radice emergunt plures, dodrantales aut pedales, tenues, striati, solidi, rigidiusculi, raris pilis obsiti, *foliis* ad intervalla majora vestiti alternatim positis, è quorum sinubus ramuli exeunt. *Flores* in summis caulibus & ramulis, antequam aperiuntur deorsum nutant, Aquilegiæ florum in modum, è calice squamoso, suave-rubentes, satis grandes: quibus marcescentibus, *capitula* lanugine albâ, longâ, supra calicem eminente pubescunt. *Semen* longum, angustum & tenue, rufsum. *Odor* totius plantæ ad castoreum quodammodo accedit aut opium.

Loco natali Aprili mense floret, seriùs apud nos; natalem autem locum titulus indicat.

Huic affine est & ut puto, idem, Hieracium intybaceum floribus ex purpura rubentibus C. B. *intybaceum X.*Clus. hist. *intybaceum flore carneo* Park.

Quod ex singulari *radice* statim multa promit folia, Cichoreo sylvestri similia, Erucæ modo in lateribus divisa & velut erosa: deinde inter illa multos breves *cauliculos*, minoribus foliis, minúsque incisis cinctos, & in frequentes ramulos divisos, dodrantales aut longiores, nudos, summo fastigio sustinentes *calicem* seu capitulum septem aut octo squamis hirsutis constans, è quo *flos* exit denis aut duodenis foliis exterioribus, totidem internis minoribus præditus, coloris elegantis ex purpura rubentis, cui succedit *pappus*, in quo oblongum & gracile *semen* fuscum.

Annua videtur planta, subinde tamen novos flores proferens, ut tota æstate, imò etiam in medium usque Autumnum florida conspecta sit.

Hæc descriptio Clusiana in omnibus ferè convenit nostro Hieracio flore carneo; ut minimè dubium sit eandem plantam fuisse Hieracium isthoc Clusii cum nobis descripto, ut rectè judicat Parkinsonus noster. Quin & locus convenit, nam planta Clusiana nata est semine ex Italia misso; quocirca C. Bauhinus perperam eas distinguit & diversas facit.

Huic insuper, descriptiones ejus apud Bauhinum utrumque attentè legenti & consideranti, omninò eadem esse videtur.

Chondrilla purpurascens fœtida C. B. Park. *hirsuta rubente flore* J. B. *cujus descriptionem subjiciemus.*

J. B.

Plures ex eadem *radice* simplice, albâ, durâ, fibris donata, lac fundente *caules* attolluntur, pedales & cubitales, solidi, lactiflui, tenues, striati, singularibus foliis donati, quorum singulis singuli insident *flores*, monocloni, colore ex albo purpurascente, densè foliis per extremam oram crenatis stipati, ex calice thorulis hirsutis canaliculato, cui ad basin haud secus atque in Hedypnoide prominula

la apposita folia eaque glabra: Ea porro florum subinde est præmatura fœcunditas, ut vix semuncialem longitudinem assecuti caulium rudimentis jam tum capitula florum præludia innascantur. *Folia* vel à radice statim, vel ab imo caule per terram sparguntur [nam in caule reliquo rariora sunt] Hedypnoidis laciniis, quibus magnitudine tamen cedunt, utrinque hirsuta, odore gravi, succedunt semina longa tenuia cum pappo.

Vide sis descriptionem hujus & figuram apud C. Bauhinum in Prodromo.

Unde apparet C. Bauhinum ex una planta tres facere.

A. 6. *Hieracium Castorei odore Monspeliensium. Hier. minus Cichorei vel potiùs Stœbes folio hirsutum* Cat. Cant. **Rough Hawkweed with the scent of Castor.**

Ex *radice* simplici, lignosa, alba, *caules* exurgunt plures, ramosi, hirsuti, semipedales aut altiores. *Folia* ei angusta, hirsuta, laciniata, *Stœbes & Salamanticæ primæ* Clusii, sed longè minora, in acutum mucronem desinentia: *Flores* lutei parvi, citò marcescentes, quibus delapsis, calicibus conniventibus, capitula in ventrem canaliculatum turgescunt, papposam lanuginem nitidam è summitate prominentem ostentantes, quâ in re Hieracium flore carneo æmulantur. Tota etiam planta non obscurum Castorei odorem spirat, quemadmodum & illa.

An Hieracium Amygdalas amaras olens, sive odore Apuli suave-rubentis *Cat. Paris.*

Locus. In pascuis non procul Cantabrigia primùm invenimus, postea aliis in locis. Monspelii, ubi etiam sponte provenit, nobis ostensa fuit hæc species sub titulo Hieracii Castorei odore; sub quo etiam in Indice plantarum circa Monspelium nascentium à *D. Magnol* depingitur & describitur.

* 7. *Hieracium medio-nigrum Bæticum* Park.

Park.

Quatuor aut quinque parva, oblonga, angusta, glabra è viridi albicantia, in terram resupina emittit *folia*, minùs profundò laciniata, mediâ costâ albicante: inter quæ *cauliculus* exsurgit, plerunque unicus, ex viridi albicans, striatus, ramosus, sesquipedali altitudine, *foliis* paucis, minoribus ad nodos seu divaricationes vestitus, denticulis paucis aut nullis incisis. Summis caulibus & ramulis insident *flores*, singuli singulis, Hieracii, parvi, denso multiplicum flosculorum stipatu constantes, colore pallido cum macula in medio atro-purpureâ; quibus succedunt *semina* parva, leucophæa, lanugine brevi barbata. *Radix* lignosa, annua.

Locus. Hujus semina ex Hispania attulit Boelius.

Datur & alia hujus species omnibus partibus triplo minor, aliàs similis.

Hæc planta insigni notâ, maculâ, nigro-purpureâ in medio flore ab aliis omnibus Hieraciis facilè distinguitur.

8. *Hieracium calice barbato* Col. *falcatum barbatum* Park. *proliferum falcatum* C. B.

Col.

Huic floris *calix* oblongus, squamulis sive foliolis oblongis, tenuibus & incurvis, ut hirsutus sive barbatus undique videatur. *Flos* verò pallidus Maio mense oblongus, nec satis hians & latus. *Folia* parva, triunciali longitudine, angusta admodum, raris denticulis serrata, mollia, nec lævia, nec hirsuta. *Caulis* tenuis est, pedalis, duobus tribúsve foliolis hærentibus alternatim ornatus, & in summo florem, & ex illius latere soboles emittit, in quibus alii flores altiùs emergunt Impiæ vulgaris modo.

Locus. Locis Australibus in maritimis ferè provenit juxta oppidum dictum *Torre del Annunciata* non longè à Stabii ruinis in Vesuvii radice. *Circa Messanam & Monspelium frequentem observavimus. Hujus descriptionem pleniorem videsis in C. Bauhini Prodromo.*

Varietas. Hujus speciem minorem ibidem describit C. Bauhinus, quam *Hieracium minimum falcatum* appellat, quæ in paucis à præcedente præterquam parvitate differt. In arenoso maris litore non longè Monspelio.

* 9. *Hieracium alterum lævius minimum* Col.

Col.

Nudus ferè huic *caulis* est, pedalis ad summum, tenuis admodum: *Radix* exigua, parùm fibrosa. *Foliola* emittit vere, in terram strata, circa radicis caput exigua, oblonga, nec unciam longitudine superantia, sinuosa atque lanugine quadam hirsuta, locis verò pinguioribus triunciali longitudine, & semiunciam lata: cui plantæ (ob humoris abundantiam putamus) caulem in medio stipite extuberantem monstrosum in multis observavimus. Exiguis ac vix conspicuis alis alternatim vestitur, ut nudus ferè appareat, singularis plerunque; sed aliquando binos etiam caules deinde observavimus. *Florem* in summo profert luteum Senecionis, calice squamoso, lævi, oblongo, quo senescente in globum papposum *semen* oblongum, fulvescens efformatur, atque perfectum, ut in congeneribus avolat.

Maio mense floret. Cum superiore invenimus unà.

A. 10. *Hieracium echioides capitulis Cardui benedicti* C. B. *Hier. capitulis Cardui benedicti maximum, Buglossum echioides quibusdam* J. B. *Buglossum luteum* Ger. *Buglossum luteum sive Lingua bovis* Par. parad. Lang de bœuf.

J. B.
Multifida *radice* nititur, crassitudine digitali, albâ, lac amarum fundente, annua. *Caulis* bicubitalis radicis crassitiem æquat, striatus, rubens, densissimis spinis, acutis, rigidis, sed facilè caulem relinquentibus horrens, succum itidem lacteum è vulnere fundens, ramis compluribus brachiatus. Folia Buglossæ, sinuosa, longa, multò magis spinis minacibus horrida. *Flores* Hieracii crocantes, in pappos facessentes, è calice thorulis hispidis canaliculato. *Semen* oblongum fulvum aut subruffum. Annua est planta, seipsam reseminans; floret Junio & Julio.
Ad agrorum margines inque sepium aggeribus, non rarò & in cæduis sylvis sponte oritur. *Locus.*
Usurpatur pro olere in cibo: Ventrem mollire creditur.

* 11. *Hieracium Echioides capitulis Cardui benedicti majus Arabicum folio sinuato* Hort. Edinburg.

Hanc speciem nobis nondum videre contigit.

A. 12. *Hieracium asperum majori flore in agrorum limitibus* J. B. *Cichoreum pratense luteum asperum* Park. *Cich. prat. lut. hirsutie asperum, vel Hieracium hirsutum foliis caulem ambientibus* C. B. & *Cich. montanum angustifolium hirsutie asperum* ejusdem *ex sententia* J. B. *fratris. Hier. asperum* Ger. **Rough Hawkweed with a large flower, yellow Succory.**

J. B.
Satis crassæ *radices*, multifidæ, compluribus fibris donatæ, colore ad buxeum inclinante, lac fundentes amaro sapore, verùm non insigni præditum. *Caules* ex eadem radice multi surgunt, teretes, striati, rigidis pilis asperi, ramosi, lacteum succum manantes, cubitales & altiores. *Folia* inferiora quidem duos interdum palmos longa, sesquiunciam lata, acuminata, primùm atrovirentia, post de coloris intentione nonnihil remittentia, hispida, acuminata, sinuata per margines, & aliquantulum crispa; superiora verò alternatim caulibus adhærent, minora, acutiora cæteròqui similia: Sapor utrisque subamarus. *Flores* suis singuli pediculis, modò longis, modò brevibus, posteriores prioribus, ut in Impia Plinii, altioribus insident, Tussilaginis floribus pares, lutei. Foliola exteriora majora, crenata, ex capitulo è longis foliolis multis squammato, subaspero, quod delapsis floribus in ventrem canaliculatum turgescit, *semen* claudens lanugine obsitum.
Cum Hieracio capitulis Card. benedicti multa communia habet.
In agrorum marginibus, inque asperis collibus secus agros & vineas provenit. *J. B.* Julio, Augusto, Septembri & Octobri mensibus florens. *Locus & Tempus.*

* 13. *Hieracium montanum majus latifolium* J. B. *latifolium montanum* Ger. emac. *montanum latifolium glabrum majus* C. B. Park. **Great broad-leaved mountain Hawkweed.**

J. B.
Radice nititur brevi, nigro-incana, succisa, digitum minorem crassitudine æquante, fibris multis albis, in extremitate bifurcatis donatâ, lacte prægnante saporis multùm amari: *Foliis* longis, latis, crispis, ex albo incanis, rigida lanugine obductis, Hieracii echioidis folii in modum effigiatis, sed duplo latioribus, brevi petiolo hærentibus, caulem amplectentibus, præsertim superioribus, acuminatis. Inter folia ad finem Augusti procedit *caulis* rotundus, asper, pilosus, spithamam unam & mediam longus, quandoque in duas aut tres alas divisus, in quibus capitula crassa exoriuntur, multis foliolis constantia; *florem* producentia luteum, plenum, qui, ceu alii hujus generis, in floccum abit, ac una cum *semine* nigro ventis dispergitur. Tota planta lacte turget.
Harcyniæ summis montibus incola. *Locus.*

* 14. *Hieracium montanum latifolium minus* Ger. *montan. latif. glabrum minus* Park. C. B. *latifolium glabrum ex valle Griesbachiana* J. B. **The lesser broad-leaved mountain Hawkweed.**

J. B.
Priorem hæc æmulatur, licet *radix* minor sit, & *folia* angustiora & paulò breviora, inferiora etiam longiore prædita sunt pediculo, cætera verò pediculo carent, caulem amplectentia, ad exortum angustiora quàm prioris, tenera, mollia. *Caulis* abit in quinque, sex aut septem staminula, quibus singulis *flos* insidet unicus, luteus, præcedentis floribus par sed paulò minor. Tota planta amara est.
Hanc observavit J. Bauhinus in valle Griesbachiana Maio florentem ut & Tabern. Descriptionis autor. *Locus.*
In Catalogo Horti medici Leydensis invenio *Hieracium montanum latifolium glabrum non descriptum.*

15. *Hieracium montanum alterum* λεπτομακρόκαυλον Col. *montanum hirſutum minus* C. B. **Mountain Hawkweed with long ſlender ſtalks, and ſmall flowers.**

Col.

E tenui, brevi, fibroſa, parùm flavicante radice pauca promit *folia* ſecus terram magna & longa Hieracio aut Seridi ſimilia, hirſuta, mollia & quæ facilè citóque marceſcunt. *Caulem* quidem Junio & Julio menſe, tenuem [propè terram tamen ſatis craſſum] admodum longum, hominis ferè ſtaturam æquantem, ex viridi luteſcentem, hirſutie albentem, aſperiuſculum, lacteſcentémque, alternatis in ſemipedalibus diſtantiis hærentibus *foliis*, abſque petiolo ut in congeneribus, latiore origine eum amplexantibus, ſummâ parte in longas alas pluréſque fiſſum, in multos ſe tenues longóſque petiolos dividentes, in quibus oblongi calices foliolis densè conſtructi ſuperſtant, & in illis *flores* emicant lutei, admodum parvi, ſed Hieracii æmuli & ſimilium, congeneriſque plantæ Dodonæo Lampſana dicti. *Semen* parvum, nigrum pappoſum. Tota planta lacte turget, nonnihil tunc amaro ſapore viſa.

Locus. Hujus ortus in ſepibus Æquicolorum villæ Mercato dictæ, nec ibi multa.

Poſtquam ſemen dederit radicitus exareſcit: ex ſemine autem deciduo novæ plantulæ Autumno exoriuntur, quæ per totam hyemem durant.

C. Bauhinus Hieracium mont. hirſutum minus appellat, cùm tamen planta ſit ſatis grandis & procera.

Varietas Semine citrino. *Ejus plantæ quam nos è ſemine hoc titulo miſſo ortam in horto noſtro colimus caules ſummi vel glabri ſunt, vel adeò brevi lanugine hirſuti ut glabri videantur, ſtriati, concavi: Flores exigui, pallidè flavi, antequam aperiantur oblongo & veluti columnari calice è ſimplici palorum ordine compoſito, Senecionis floribus ſimiles apparent: ad calicis baſin unus ſquamarum acutarum ordo. Delapſo flore calices in ventrem turgeſcunt. Semen non nigrum ut in planta F. Columnæ deſcripta, ſed citrinum eſt.*

A. 16. *Hieracium luteum glabrum ſeu minùs hirſutum* J. B. *Cichoreum pratenſe luteum lævius* C. B. Park.

Radice nititur craſsâ, ſimplici, pluribus fibris donata. *Folia* ad radicem plurima, profundè laciniata, glabra, adeò Cichoraceis ſimilia ut diſtinguere ſit difficile: Caulis nunc unus nunc plures majores & firmiores quàm in alia quavis Hieracii ſpecie nobis cognita, canaliculati, inanes, cubitales aut bicubitales, rubentes, propè ſummitates in ramos aliquot diviſi. Ad ſingulorum autem ramulorum exortum apponitur folium iis quæ ad radicem ſimile. Flores pediculis ſinguli donati, Lampſanæ florum forma, nonnihil majores, ſimiliter lutei ex capitulo caniculato hirſuto, qui in pappos abeunt: *Semen* relinquitur minutum, ſtriatum, fuſcum.

Hujus flores, capitula, & ſemina omnium quæ in Anglia ſponte proveniunt Hieraciorum minima ſunt, ſi Hyoſerim excipias, caulis autem major & firmior reliquis.

Locus. In paſcuis frequens occurrit, & æſtate floret.

* 17. *Hieracium pulchrum* J. B. Cat. Monſp.

J. B.

Ad Dentem leonis laciniis, & Cichorium Sylveſtre accedunt hujus *folia* formâ & hirſutie, prima verò minus laciniata, alia alternatim per caulem, at ſaporem nullum manifeſtum guſtanti offerunt, quóque altiora eò minora redduntur. *Caulis* unicus, rectus, ſtriatus, hirſutus cubitalis, foliis alternatim orientibus amictus, quæ ſine pediculo latam habent baſin cum alis. *Flores* in cacumine numeroſi, ex pediculis propriis Hieracii ſimiles, lutei, in pappos faceſſentes. *Radix* non magna cum fibris aliquot craſſiuſculis.

Locus. Monſpelii vidimus florens Maio, inquit J. Bauhinus. D. Magnol copioſum invenit in humidis ſatorum & vinearum foſſis tota æſtate cum flore. *Nobis nec ibi, nec alibi apparuit: nec mirum, ſiquidem Autumno duntaxat & hyeme Monſpelii commorabamur.*

* 18. *Hieracium pulchrum ramoſum Sprengerianum* J. B.

J. B.

Caule eſt ſeſquicubitali & altiore, piloſo, ramulis alterno ſitu ex longa diſtantia brachiato, ad quorum alas hærent infernè quidem ex principio anguſto longa ac dodrantalia ferè *folia*, ſeſcunciam lata, profundis & amplis inciſuris ordine quodam ſerrata ac penè laciniata, nervo inſigni per medium excurrente: ſupernè verò folia breviora, lato principio & velut alis caulem amplectuntur Perfoliatæ inſtar. *Flores* in ſummitatibus lutei, quales in Hieraciis, in ſingulis ramis quini, ſeni plus minus, qui temporis progreſſu in pappos faceſſunt. Tota planta piloſa, potiſſimum in ramis, in quibus pili longiores.

Ex ſicca planta deſcripſit Autor, eâque non perfectâ.

* 19. *Cichorium dulce Neapolitanum* Park. *Sonchus latifolius leviter hirſutus* C. B. *rectiùs Hieracium dulce Cichorii foliis.* **Sweet Hawkweed with Succory leaves.**

Col.

A *radice* longa, nigro cortice obductâ, intus albâ, & lacte diſruptâ manante dulci, frequens toto anno regerminat. *Folia* illi Cichoracea, minùs profundè inciſa, pulpoſa, carnoſiora cæteris congeneribus, nec aſpera, ſed leni obducta hirſutie, colore obſcurè virentia. *Caulem* veris fine producit, bipedali

bipedali & aliquando majori altitudine, rotundum, solidum, hirsutum, colore candicantem, ramulis in summo brachiatum; in quibus *folia* lata, magis profundè incisa sine petiolo hærent, similia illis Sonchi & Cichorii vesicarii dicti. In summo in oblongis hirsutis calicibus Hieracio aut Sonchо similes sed hilari aureo luteo colore flores edit; quibus marcescentibus copioso *semine* turgidi remanent calices oblongi, colore obscurè rufescente, atque pappum candidum, tenuem mollem habente quo maturitatem adepto avolat, ut congeneribus evenit. Æstate perficitur.

In umbrosis vallium saxosis & Septentrionalibus locis Valvensium frequens est. *Locus.*

Sylvestris Cichorii figuram foliis repræsentat & habitu plantæ: gustu verò est adeò amaroris expers, ut omnino dulcis palato sentiatur.

20. *Hieracium latifolium montanum Genevense folio Conyzæ majoris Monspessulanæ.* J. B.

Caules edit plures, cubitales ac etiam majores, cavos, crassos, hirsutos, qui superiùs in aliquot breves ramulos divisi, *flores* gerunt luteos, magnos, Hieracii capitulis asperis pares; tandem in pappos evanescentes: *folia* infima Conyzæ Monspessulanæ majoris foliis paria, palmari circiter longitudine, unciam lata, sinuata nonnihil, & quasi serrata, per caulem alternatim sunt disposita, caulem modicè amplectentia, hirsuta potissimum parte inferiore, minùs tamen aspera quàm Hieracium asperum. *Radices* fibrosæ, crassiusculæ, nigricantes & crassis capitibus.

In ascensu montis Juræ propè Thuiri hanc plantam invenimus spontaneam. Suspicatur J. Bauhinus hanc traditam à Clusio pro Hier. Britannico: Nobis aliter videtur. *Locus.*

A. 21. *Hieracium montanum Cichorei foliis nostras. An Hieracium Britannicum* Clusii? *Hier. Alpin. asperum Conyzæ facie* C. B? **Succory-leaved Mountain Hawkweed.**

Radices habet fibrosas vivaces; *caulem* sesquicubitalem & altiorem, angulosum seu striatum, glabrum, inanem, non admodum firmum, *foliis* vestitum per intervalla quinque vel sex, glabris, circa margines dentatis, basi sua caulem amplexantibus, ad Pulmonariæ Gallorum folia accedentibus. *Folia* inferiora & ad radicem longiora sunt, & circa margines profundiùs incisa, Dentis leonis aut Cichorei foliorum æmula.

In summitate caulis, Pulmonariæ dictæ modo, *flores* complures gerit Pulmonariæ, quorum calices pilis longiusculis fuscis hirsuti sunt. *Semina* subrufa.

In montosis Septentrionalibus Angliæ, locis udis & humectis, præsertim sylvosis oritur. *Locus.*

Descriptio *Hieracii Britannici* apud Clusium in plerisque cum nostra convenit, nisi quòd semen longiusculum, striatum candicans faciat, quod nobis subruffum: verùm hæc differentia non est tanti ut diversas plantas credam: præsertim cùm quas ille vidit stirpes Londini in hortis Richæi & H. Morgani Pharmacopœorum (qui Cichoreum montanum nuncupabant) ex Borealibus Britanniæ regionibus, ubi sponte creverunt, delatæ fuerint.

Hieracium Cichoroides vesicarium nobis.

22. *Cichorium sylvestre vesicarium pratense* Col. *pratense vesicarium* Park. *pratense, hirsutum vesicarium* C. B. **Bladder-Succory.**

Col.

Folia habet virentia, splendida parùm lævia, tenera, mollia, Cichorii magnitudine, divisurâ & colore; [variat quidem iisdem locis, *foliis* aliquando latioribus & hirsutis asperioribus & minùs profundè divisis per ambitum] petiolis circa radicem & caulem rubentibus: *Radicem* parvam, longam, crassiusculam, nigrescentem, intùs lactescentem. Martio mense *foliis* invenitur in orbem expansis, in medio umbilico vesicâ, regiæ nucis magnitudine, molli, tenui membranâ obducta, intus membranosos folliculos habente: Hi caule se perficiente dehiscentes in alas & flores membranosis conceptaculis expanduntur. *Caulis* est striatus, crassus, asper, nigricante hirsutie, cavus, rotundus, alternatim foliis hærentibus cinctus; circa summum latioribus, brevioribúsque minùs profundè incisis, atque folliculi modo alas cum vesicis etiam amplectentibus in caulis summo: in quibus è foliacea, membranulæ modo tenui basi, sex foliolis cavis constructa, quæ antequam flores pandantur illos botrorum modo inclusos habet, *flores* emicant, longis *calycibus* Hieracii modo lutescentibus foliolis, infernè purpurantibus Eranthemi modo, intus multis coacervatis staminibus exuberantem umbonem conficientibus, quæ tandem perficientibus se papposis seminibus evanescunt, ipsáque semina perfecta evolant. Tota lacte turget amaro, atque in Apuliæ Cirinola in caule concrescit: usu pro Cichorio usurpatur, sapore simili.

Nos hanc plantam in sepibus & agrorum marginibus non longè à Liburno portu in Etruria copiosam sponte provenientem observavimus, Junio mense. *Locus.*

Si flosculi coacervati umbonem medium conficientes planifolii non sunt, sed breves margine in aliquot segmenta diviso ut in Corymbiferis dictis, anomala & sui generis planta est, papposa quidem & lactescens, non tamen flore planifolio, naturâ pleno. Ego (quod dolet) florem non observavi; & fortè nondum floruerat cùm eam primum inveni, nec enim bene recordor.

CAP. VI.

Hieracia quædam complectens C. Bauhino in Prodromo descripta, nec nobis visa, nec aliis ante eum (quod scimus) Botanicis tradita.

HOrum nonnulla à *P. Magnol* M.D. Monspeliensi circa Monspelium inventa descripta & delineata sunt, in Botanico suo Monspeliensi.

* 1. *Hieracium minus glabrum* C. B. prod. Park. **Small Hawkweed with smooth shining leaves.**

Ex *radice* albicante, oblonga, tenui, *cauliculi* palmares, rariùs pedales, tenues, læves, virentes, in alas divisi exurgunt. *Folia* habet pauca, ex virore splendentia, oblonga, angusta, raris laciniis prædita, quorum quædam basi latiore, & alata, cauliculum amplexantur. *Floribus* est minoribus quàm in ulla specie, aureis, quorum singuli singulis pedicellis unciam superantibus insident, & aliorum more in pappos abeunt. Apud nos circa autumnum floret. In agris reperitur.

* 2. *Hieracium Dentis leonis folio, floribus parvis* C. B. prod. Park.

Ex *radice* parva, lignosa, fibrosa, capillacea & albicante, caulis pedalis, rotundus, aliquantum hirsutus exurgit, quem ad radicem folia pauca, subaspera, corrosa, acuminata, uncias tres longa, semunciam lata cingunt: In caule ad ejus medietatem pauca, solùm dentata, eúmque basi sua complectentia: cujus summo flosculi plures lutei pedicellis brevissimis insident.

Locus. Hoc in Gallia Narbonensi circa Massiliam reperitur.

* 3. *Hieracium Dentis leonis folio bulbosum* C. B. prod. Park.

Radix ex aliquot oblongis quasi Asphodeli bulbis composita, de se mittit *caulem* cubito altiorem, nudum, lævem, striatum, circa medium in ramos pedales, (unum vel alterum) divisum, quorum quilibet *florem* parvum, subflavum sustinet. *Folia* ad radicem per terram sparsa Dentis leonis similiter sinuata & corrosa, infernè molli lanugine pubescentia, supernè subaspera, unciam lata, tres longa.

Monspelio delatum fuit.

Locus. In herbidis pratorum & satorum marginibus circa Laterum invenit *D. Magnol.* cui pro hoc maximè placet figura Hieracii intybacei *Tab.*

* 4. *Hieracium tomentosum Hispanicum* C. B. prod. Park.

Tota planta mollis est, incana, tomentosa, *radicem* habens cortice rufescente tectum: *caulem* palmarem, rotundum, incanum: *folia* ad radicem oblongis pediculis donata, uncias tres quatuórve longa, semunciam lata, mollia, crassiuscula, ad formam foliorum Dentis leonis vulgaris sinuata; quæ in caule angustiora, minúsque profundè sinuata. Cauliculi summo *flores* bini ternive lutei brevissimis pedicellis insident, quorum singuli ex eleganti calice hirsuto, in plures apices diviso emicant.

Locus. In aridis & saxosis Aragoniæ provenit.

* 5. *Hieracium maximum asperum Chondrillæ folio* C. B. prod. Park.

Caule est sesquicubitali, crasso, rotundo, inæquali, striato & aspero, in summo in ramos semipalmares brachiato, quorum singuli singulos *flores* luteos sustinent. *Folia* habet pauca, alternatim caulem ambientia, Chondrillæ modo in lacinias divisa, uncias tres longa, & hirsutie aspera.

Locus. Monspelii in asperis, quæ loca *Garigues* vocant provenit.

* 6. *Hieracium Alpinum angustissimo oblongóque folio* C. B. prod.

Ad *radicem* duriusculam rufescentem *folia* plura graminea, palmo longiora, glabra, atrovirentia observantur; inter quæ *caulis* cubitalis, lævis, rotundus, striatus, paucis *foliis* cinctus, & circa medium in plures ramulos divisus exurgit. Ramulis singulis *flos* unicus, parvus, luteus insidet, cui *semen* parvum succedit, quod cum suo pappo à vento excutitur.

Locus. In monte Baldo reperitur.

* 7. *Hieracium Alpinum pumilum Chondrillæ folio* C. B. prod. Park. **Dwarf mountain Hawkweed with Gum-Succory leaves.**

Tota planta palmaris est, ex cujus *radice* alba, cortice nigricante tecta *folia* aliquot prodeunt, lævia, pallidè virentia, uncias quatuor longa, pediculis longis donata, vix laciniata: inter quæ *cauliculus* exurgit rotundus, foliis Chondrillæ modo divisis cinctus, qui in summo in duos trésve ramulos unciales dividitur, quorum singuli *florem* unum, luteum satis magnum sustinent.

Locus. Crescit in *Sneeberg* Austriæ.

* 8. *Hieracium intubaceum flore luteo* C. B. prod. Park.

Hoc *foliis* est Intubi, caulem proximè ambientibus, aliquibus integris, aliis in sinus profundos laciniatis, longitudine uncias quatuor, latitudine sesquiunciam superantibus, atrovirentibus & lævibus. *Caulem* habet tenuem, pedalem, ramosum, reclinatum & lævem. Cauliculo pœnè palmari & nudo *flos* unicus, luteus, mediæ magnitudinis insidet, cui *semen* parvum, pappo inclusum succedit.

* 9. *Hieracium intubaceum flore magno albido* C. B. prod. Park.

Hoc foliis est priore longioribus, latioribus magísque laciniatis: flore etiam majore, albido medio luteo, foris subrubente.

* 10. *Dens leonis latifolius caulescens* C. B. prod.

Caule est cubitali, hirsuto, rotundo, striato & cavo, quem *folia* basi alata, in lacinias aliquot divisa, subrotunda, uncias sex longa, sesquiunciam lata, marginibus nonnihil pilosis cingunt, quæque in caulis summo leviter tantùm sinuata proximè eundem vestiunt. *Flos* magnitudine ferè & colore, sed pallidiore, ut in Dente leonis vulgari.

* 11. *Hieracium montanum rapifolium* C. B. prod. Park. **Turnep-leaved Hawkweed.**

Ex *radice* rufescente, oblonga, parum capillata *folia* pauca, ad Rapæ vulgaris modum, in lacinias subrotundas, per margines sinuatas & ad tactum asperas divisa, pediculis oblongis, rubentibus & asperis donata, prodeunt: inter quæ *caulis* cubito altior, cavus, striatus, rufescens, uno alteróve brevi folio cinctus exurgit, qui supernè in ramulos plures dividitur, quorum singulis *flos* communiter unicus, rariùs duo, pediculis tamen distinctis insidet, luteus, mediæ magnitudinis, qui tandem in pappum abit.

Locus. In monte *Wasserfall* provenit.

* 12. *Hieracium montanum foliis dentatis, flore magno* C. B. prod. Park. **Dented Hawkweed with a great Flower.**

Hoc *foliis* est atrovirentibus, lanugine carentibus, ad radicem maximè dispositis, uncias quinque longis, unam latis, per circumferentiam & dentatis & levissima lanugine pubescentibus: inter quæ *caulis* pænè nudus, pedalis, cavus, hirsutus, asper, exurgit qui *florem* nudum eúmque magnum sustinet, saturatè luteum, eleganti quasi calici inclusum.

Locus. Hoc in Helvetiorum montibus Gothardo, & circa Thermas Fabarias crescit.

Hæc planta flore ejúsque calice *Hedypnoidem Monspessulanam* J. Bauhini refert. Ad Dentem leonis retulissem si caulis prorsus nudus, non pænè nudus fuisset.

* 13. *Hieracium ramosum magno flore* C.B. prod. Park. **Branched Hawkweed with a great Flower.**

Hoc *caule* est bicubitali, rotundo, subaspero in ramos diviso, quibus singulis *flos* magnus, aureus, Dentis leonis formâ insidet. *Folia* habet pallidè virentia, nonnihil aspera, sinuata, & per margines exiguis pilis donata, longitudine palmum superantia, tres uncias lata, per quorum longitudinem costa insignis excurrit, à qua per transversum venæ feruntur.

Locus. In montibus Bellunensibus reperitur.

* 14. *Hieracium montanum lanuginosum, laciniatum parvo flore* C. B. prod. Park.

Ex *radice* oblonga atrorubente *folia* plura, pediculis tres uncias longis donata, crassa, profundè laciniata, acuminata, molli languine pubescentia, supernè atrovirentia & quasi maculata, alia sesquiunciam lata, alia angustiora; inter quæ *cauliculus* palmaris, tenuis, mollis exurgit; cujus summo flores aliquot lutei, parvi, & quidem singuli singulis pedicellis insident.

Locus. Apud Monspelienses in horto Dei crescit.

* 15. *Hieracium profundè sinuatum pubescens* C.B. prod. Park.

Radice est nigricante, lignosâ, fibrosâ; *caule* bicubitali, rotundo, fistuloso, levi lanugine, ut & tota planta, pubescente, in ramos brachiato: *foliis* ad radicem oblongis, acutis, profundè sinuatis, etiam laciniatis, oblongis pediculis donatis, per caulem paucis, similiter acutè laciniatis. *Flores* singuli singulis pediculis, aurei in pappum abeuntes insident.

Locus. In pratis Michelfeldensibus siccioribus ad dumeta, etiam in dumetis provenit.

CAP.

CAP. VII.

Hieracium Pulmonaria dictum.

HOc nomine Hieracia etiam fruticosa dicta complectimur: Eorum autem nota characteristica quâ à reliquis Hieraciis distinguuntur est semen parvum, nigrum, breve. A Pilosella sive Auricula muris, quacum semine conveniunt, in eo differunt quod non reptent flagellis quemadmodum illa.

A. 1. *Hieracium fruticosum latifolium glabrum* Park. *fruticos. latifolium foliis dentatis glabrum* C. B. *majus latifolium Pannonicum* 2. *Clusii* J. B. **The smoother broad-leaved bushy Hawkweed.**

Clus.

Cubitales atque etiam bicubitales interdum sunt huic *caules*, firmi, rotundi, quadam lanugine obsiti [levissimis pilis hinc inde aspersis *C. B.*] quos inordinata, sive confuso ordine nascentia multa ambiunt *folia*, tres uncias aut ampliùs longa, unam lata, mollia, in ambitu dentata, lacteo succo plena, [atrovirentia, acuminata *C. B.*] Summus caulis in aliquot ramulos finditur, sustinentes imbricata capitula, è quibus prominent *flores* lutei, denis, duodenis aut pluribus foliolis extima parte incisis constantes, medium occupantibus multis luteis fibris. *Radix* minimi digiti crassitudinem æquat, multisque tenuibus fibris capillata singulis annis augescit & ad latera novos frequentioresque caules profert.

Ejus generis reperitur graciliore caule, angustioribus & vix semunciam latis foliis, in reliquis conveniunt.

Locus. In extremitatibus sicciorum pratorum inter vepres nascitur, atque etiam ad cæduarum sylvarum margines.

Plantam hanc aut ei valdè similem inveni non longè à stagno **Huls-water** dicto in Westmorlandia. Folia ejus & caules nulla omnino vel brevi admodum lanugine obducta fuere; maturiùs etiam floruit quàm Hieracium fruticosum latifolium hirsutum, quod & eodem in loco crevit.

A. 2. *Hieracium fruticosum latifolium hirsutum* Park. C. B. *Hieracii Sabaudi varietas altera* J. B. **Bushy Hawkweed with rough broad leaves.**

Caules huic bicubitales sunt, hirsuti, teretes, rigidi, multis foliis inordinatè nascentibus vestiti, [alternatim quasi sitis] aversâ potissimùm parte hirsutis, tres pollices longis, duos latis, in acumen desinentibus. *Flores* in summis caulibus quales Hieracio Sabaudo aut Pulmonariæ Gallicæ. Semina nigra.

Hæc planta Pulmonariæ Gallicæ persimilis est, iisdémque in locis, nimirum sylvis & frutectis, provenit; Differt caule altiore, robustiore & rigidiore, pluribus foliis vestito.

Variat (inquit *C. Bauhinus*) 1. Foliis uncias quinque longis, sesquiunciam latis, subrotundis, dentatis & asperis, quemadmodum Patavii provenit, & à Guilandino Militaris Galeni & Lactaris Plinii dicebatur. Secunda Foliis est multò longioribus angustioribus, parum dentatis, molli lanugine pubescentibus, quod apud nos reperitur, licet rariús.

Ab hoc nescio an specie differat.

* 3. *Hieracium fruticosum folio subrotundo* C. B.

C. B.

Quod *caule* est cubitali, rotundo striato; *foliis* cincto subviridibus, subrotundis, uncias duas longis sesquiunciam latis, acuminatis & dentatis, leviter hirsutis: cætera præcedenti simile.

An Hieracii Sabaudi varietas prior J. Bauhino? cujus plantam siccam sibi à fratre Casparo missam scribit, cui in *caule* cubitum excedente *folia* priora alternatim disposita, uncias duas longa & pollice angustiora, ovalia ferè, non crenata, superiora quosdam dentes habent, hirsuta sunt.

* 4. *Hieracium fruticosum minus* C. B.

C. B.

Hujus (inquit) triplex varietas occurrit; nam licet ex radice fibrosa & quasi præmorsa caulis pedalis simplex exurgat, attamen foliis brevibus & lævissimis circa Patavium; at circa Norimbergam paucis, brevibus, subrotundis, in circumferentia crenatis & asperiusculis provenit.

Hæc varietas loco natali fortè debetur.

A. 5. *Hieracium fruticosum angustifolium majus* C. B. Park. *Intybaceum* Ger. *rectum, rigidum quibusdam Sabaudum* J. B. **Narrow-leaved bushy Hawkweed.**

J. B.

Ad cubitos duos assurgit, interdum proceriùs, *caulibus* rotundis, rigidis, hirsutis, rubentibus, lacte prægnantibus, qui in summitate in aliquot surculos facessunt, quorum singuli singulos *flores* sustinent, luteos

luteos Hieracii vulgaris. *Folia* præ omnibus Hieraciis rigida, oblonga, rigidis denticulis ſinuata, hirſuta, atrovirentia, alternatim poſita. *Radix* dura, longis fibris donata.

Inter frutices & ad ſepes locis ſabuloſis & petræis, non tamen admodum frequens oritur. *Locus.*

Miror Botanicos odoris non meminiſſe, qui huic ſatis vehemens eſt opii. *D. Dale* vicinus noſter in hac planta à ſe inventa hoc anno 1685. Opii odorem non percepit. Variat fortè hoc reſpectu, & alicubi opium olet, alibi minime.

6. *Hieracium fruticeſcens foliis anguſtiſſimis non deſcriptum* Hort. Lugd. Bat.

* 7. *Hieracium* 1. *latifolium Cluſii*, Ger. *latif. Pannonicum ſive* 1. *Cluſii* Park. *Alpinum latif. hirſutie incanum flo. magno* C. B. *Pannonicum latif.* 1. *Cluſio, Piloſellæ majori vel Pulmonariæ luteæ accedens maculatum & non maculatum* J. B. **Broad-leaved** Hungarian **Hawk-weed.**

Cluſ.

Huic quina aut ſena ſunt *folia*, humi ſtrata, lata, Intybo ſativo latifolio non multùm diſſimilia, in ambitu nonnihil ſinuoſa, interdum etiam laciniata, mollia, hirſuta, nigricantibus maculis ſæpiſſimè infecta, aliquando nullis, lacteo ſucco turgentia: inter quæ *Caulis* exit, cubitalis, cavus, raris foliis ſeptus, in quo plerunque unicus (nonnunquam alter & tertius) *flos* ex craſſiuſculo nigrâque lanugine hirſuto calice emicat, Hedypnoidis flori ſimilis ſed pallidior, plenus, nonnihil odoratus. *Semen* deinde oblongiuſculum, comâ incanâ pappi inſtar præditum, ut Tragopogi ſemen, quod maturum leviſſimo flatu diſpergitur. *Radix* illi minimi digiti craſſitudine, nigro atque craſſo cortice obducta, lactei ſucci plena.

Floret Maio. Invenitur pleriſque Ungariæ, Auſtriæ ſuperioris & inferioris atque Moraviæ montibus, gramineis & ſimul apricis locis, ſiccioribúſque pratis. *Locus.*

In multis accedit ad Pulmonariam Gallorum.

* 8. *Hieracium Alpinum villoſum latifolium magno flore* C. B. Park. *Hier.* 5. *Cluſii* Ger. *Alpinum hirſuto folio* 5. *Cluſ. quodammodo incanum* J. B. **Broad-leaved Mountain Hawkweed with a large flower.**

Cluſ.

Aliquot ſunt huic *folia* è radice prodeuntia, uncialis ferè latitudinis, oblonga, molli criſpâque lanugine admodum hirſuta, & quodammodo incana, lacteo ſucco prædita, è quorum medio *caulis* pedalis plerunque emergit, hirſutus, quem per intervalla ambiunt *folia*, ſuperioribus breviora, at triplo latiora, & in mucronem deſinentia, non minùs quàm illa hirſuta, aut lacteo ſucco prægnantia. Unicum in ſummo fert *capitulum*, è multis hirſutis & incanis foliolis compactum (nonnunquam in lateribus alterum & tertium) quod in florem ſeſe explicat Hieracii floribus ſimilem, multis foliis luteo colore præditis conſtantem; qui deinde in pappos cum ſuo brevi & nigro *ſemine* evaneſcit. *Radix* nigricat, multis tamen candicantibus fibris prædita, ſingulis annis novos caules producit. Tota planta valdè amara eſt.

Invenitur in herboſis Alpium jugis, ubi Julio, interdum etiam Auguſto floret; in hortis autem Maio: ſemen Junio perficit. *Locus.*

Dubitat Cluſius an ſit ea planta quam Dalechampius Sonchum lanatum appellat: Nobis non videtur, cùm Sonchus ille ſit regionum calidiorum incola, non montium frigidorum.

A ſemine ſpecies eſſe videtur *Pulmonariæ Gallicæ dictæ.*

A. 9. *Hieracium murorum folio piloſiſſimo* C. B. *Hier. murorum Bauhini quod eſt Pulmonaria Gallorum Lobelii* Park. *Pulmonaria Gallica ſive aurea latifolia* Ger. emac. *Piloſella major quibuſdam, aliis Pulmonaria flore luteo* J. B. **French or golden Lungwort:** rather, **Hawkweed ſo called.**

J. B.

Huic *radix* geniculata, rubra, fibratáque, lac manans ſapore amarum: à qua *caulis* ſurgit unicus [inter duo tréſve] lacte ſimiliter prægnans, unico plurimùm folio circa mediam altitudinem donatus, cubitalis, tenuis, hirſutus, ſumma parte in aliquot ſurculos diviſus, quorum extremis *flores* inſident lutei Hieracii, qui in pappos marcidi faceſſunt. *Folia* à radice ſtatim exoriuntur, ſinuoſa inæqualiter, præcipuè versùs pediculum, ſupernè virentia & hirſuta, infernè denſiore lanugine caneſcentia, maculis pulchris interdum notata, ſapore amaro & nitroſo, pediculis ſubrubentibus, villoſis, longis quibuſdam, aliis brevioribus. *Semina* parva, nigra.

Naſcitur plerunque in ſylvis, muris antiquis & aggeribus umbroſis. Floret Junio & Julio. *Locus.*

In Suſſexiæ ſylvis propè *Cuckfield* vicum folio pulchris maculis notato obſervavi: ínque tranſmarinis ſæpiús.

10. *Piloſellæ majoris ſive Pulmonariæ luteæ ſpecies magìs laciniata* J. B. *Hieracium murorum laciniatum, minus piloſum* C. B. **Golden Lungwort with more jagged leaves.**

J. B.

Proximè dictæ eſt hæc à *radice* ſimilis: *folia* autem majora, latiora, longiora & profundiùs laciniata, in angulos profundos, acuminatos, ad pediculi finem diſſecta, ſtellam mediam repræſentantia, quorum quædam rotunda, quædam acuminata, piloſa, lanuginoſa. *Caulis* cubitalis, unicus, unico folio in media ſui parte, magis laciniato præditus, in alas aliquot diviſus, ad quarum exortum

tum foliolum admodum exiguum, acuminatum anguſtúmque exoritur. *Flos* in fine Junii apparet, in Julio explicatur ac perficitur, luteus, plenus, in pappum abiens. Tota planta lacte madet.

In ſylvis denſis & opacis fagorum non adeò frequenter occurrit. Neſcio an Varietas ſeu naturæ luſus potiùs quàm ſpecies diſtincta cenſenda ſit.

A. 11. *Pulmonaria Gallica ſive aurea anguſtifolia* Ger. emac. **Narrow-leaved** French **or golden Lungwort.**

Ger.

Radix huic parva, fibroſa: *folia* exigua, magnitudine & aliquatenus etiam figurâ (aliter tamen dentata) Bellidis foliorum, albicantia & incana. *Caulis* palmaris aut ſeſquipalmaris, ſtriatus, incanus, foliis pluribus longiuſculis anguſtis obſitus, in ſummitate quatuor aut quinque flores brevibus pediculis donatos gerit, colore flavo ſplendentes, & pro plantæ parvitate ſatis grandes, qui tandem in pappum abeunt.

Hæc planta à Lobelio in *Adv.* pag. 253. ſub titulo Pulmonariæ Gallorum flore Hieracii deſcripta eſt: cujus etiam figuram in *Obſ.* pag. 317. exhibet, quamvis perperam eam cum Pulmonaria Gallorum vulgari confundat, ut ex titulo figuræ præfixo apparet. V. Ger. emac.

Locus. Hanc invenit (& ad Johnſonum Gerardi emaculatorem tranſmiſit (D. *Gulielmus Coot*, in colle quodam in prædiis D. *Brigittæ Kingſmill, Sidmontoni*, non procul *Novo-burgo* oppido, in antiquo Romano caſtro, propè portam decumanam.

12. *Piloſellæ majoris ſeu Pulmonariæ luteæ laciniatæ ſpecies minor* J. B. **A leſſer ſort of golden Lungwort.**

J. B.

Radix huic craſſa, adeò multis craſſiuſculis fibris donata, ut nonniſi lacerata evelli poſſet. *Folia* ex pluribus ceu capitibus uncias ſeptem longa, quædam breviora: quædam parùm aut vix laciniata, eáque minora, majora autem profundè laciniata, parte ſuperna vix hirſuta, in averſa pili maniſeſti in coſtis vel nervis: foliis inferioribus pediculi longi: ſuperioribus per caulem multò breviores: *caules* ipſi dodrantales, inferna parte rubentes, rotundi, cavi, hirſuti, in paucos ramos diviſi: quorum extremis *flores* inſident ſingulares, ſatis magni, lutei & papposi. Nec in radice, nec in foliis ſaporem ullum inſignem animadvertimus.

Locus. In muro pontis Claræuallæ urbis, nec alibi ſe obſervâſſe meminit J. Bauhinus: nos in monte *Saleve*.

Flores & ſemina decidunt Auguſti principio.

* 13. *Piloſellæ majoris ſeu Pulmonariæ luteæ ſpecies anguſtifolia* J. B. **Narrow-leaved golden Lungwort.**

J. B.

Præcedentibus nititur *radice* magìs curta & longioribus fibris donata. Folio donatur longo ut prior, ſed anguſtiore, piloſo, lanuginoſo, latè diſſecto, nec profundè laciniato, non duntaxat à radice orto, ſed & caulem, uſque ad ſummum amplexo; in ſummitate ad alarum exortum integro, non laciniato. Caulis & flos prioribus reſpondent.

14. *Piloſella ſive Pulmonaria lutea, anguſtiori folio, valdè piloſa* J. B. **Narrow-leaved hairy golden Lungwort,**

J. B.

Piloſellæ majori ſive Pulmonariæ luteæ ſimilis, cujus tamen *folia* acuminata ſunt, longis pilis valde hirſuta, non tantùm à radice ſtatim orta, ſed etiam per caules pedales, hirſutos: flores lutei, ſinguli vel bini, ac etiam terni, majores quàm in vulgari, qui nondum * pallescentes foliis obveſtiuntur, quæ * cavi longíque pili ornant, & tandem in pappos evaneſcunt. *Radices* toroſæ, nigræ, in fibras craſſiuſculas deſinentes.

* Fortè explicati.
* Fortè cani.

Locus. Florebat menſe Junio in monte *Saleve* propè Genevam; ubi & nos eam invenimus. Noſtra planta brevior erat; folia quæ in caulibus latâ baſi abſque pediculo adnata & denſim in acumen tenuata, pilis longis flavicantibus obſita, 3. aut 4. in caule.

* 15. *Hieracium murorum anguſtifolium, non laciniatum* C. B. *murorum anguſtifolium* Park. **Golden Lungwort with narrow unwaved leaves.**

C. B.

Ex *radice* craſſa rufeſcente *caulis* ſeſquicubitalis, penè nudus, rotundus & aſper exurgit; in cujus ſummo, quaſi in umbella, *flores* plures, parvi, lutei reſident. *Folia* ad radicem ſubnigra, mollia, uncias ſex longa, vix ſemunciam lata, in caulis parte inferiore pauciora, breviora, anguſtiora, longè à ſe invicem diſtantia, & inordinatè poſita.

Locus. In muris noſtris reperitur, quod circa Patavium longè minus obſervavimus. Folio modò eſt latiore (inquit) modò anguſtiore, & hæc Pulmonaria Gallica tenuifolia *Tab.*

16. *Piloſella*

16. *Pilosella major erecta* C. B. *major* Ger. *Pilosella altera erecta* Park. *Pilosella minori flore, hirsutior & elatior, non repens* J. B. **Narrow-leaved Golden Lungwort not waved or indented; or upright Mouseear.**

J. B.
Fibrosa est huic *radix*, lacteo succo acri & amaricante, reptatu fibrarum non se propagans, nec humi procumbens, sed Hieraciorum more nonnunquam ad bicubitalem altitudinem excrescit in plures *caules* modicè hirsutos, interdum hirsutissimos, maximè verò parte inferiore, cui *folia* quædam adnata, admodum angusta, uncialia, quadrantalia & palmaria: latiora verò & longiora sunt nonnunquam quæ à radice statim exoriuntur, sapore subdulci, nulla excellente adstrictione, quæ lac manant, sicut & caules, qui propè summum cacumen in aliquot surculos quadrantales & sextantales dividuntur, hique rursum plures breves, hirsutos pedicellos promunt; quorum singulis singuli insident *flosculi*, Hieracii alicujus, lutei, pleni, calice ambiti striato, lanugine nigra obsito.

Provenit in muris circa Montbelgardum: Nos circa Genevam invenimus. *Locus.*

Quærendum an hæc, an ejus varietas fuerit quam proponit *D. Wheeler* in Itinerario suo sub titulo Pilosellæ majoris pilosissimæ, in Lesina insula Ptolomæo Phariæ dictæ inventæ, cujus folia pilis crebris unciam ferè longis obsita fuere; non tamen dicit an repat, an erecta sit. Forte est Pilosellæ vulgaris repentis major species.

17. *Pilosella montana hispida parvo flore* C. B. *major, umbellifera,* μακρόκαυλος *montana & pratensis* Col. *montana parvo flore* Park. **Mountain Mouse-ear with a small flower.** *An Pilos. major pilosissima* D. Wheeler *in* Itiner?

Col.
Huic *radix* non longa, nec recta, sed obliqua & velut decurtata (putrescit quidem facilè) minimi digiti ferè crassitie, innumeris fibris, albis, longis, se circumreptantibus, quibus hæret, obsita. *Folia* supernè virentia sunt, ac hirsutie admodum longâ, rigente, densâ, albente, ferè aspera: infernè albicantia, minúsque hirsuta, & pauca quæ proximiora radici brevia sunt vulgatæ paria, & deinde semper longiora, ut dodrantem ferè adæquent, nec ità tunc deinde hirsutie obsita & minimum digitum lata: *caule* tripedali in medio assurgente, in imo lævi, in superiore parte hirsuto ad flores usque, rotundo, virescente, aspero, cavo, lactescente sicuti folia, nudo, recto, tribus tantùm foliolis semper decrescentibus per caulem rarò dispositis. *Flores* in caulis summitate veluti congesti densique corymbi umbellarum ferè modo, longis petiolis triuncialibus insidentes, parvi admodum, Agerati vel Millefolii magnitudine; quibus *semina* parva, nigra, pappo denique evolantia succrescunt.

Æstate in Æquicolorum montium jugis pratensibus herbosis altioribus invenitur perfecta. *Locus.*

* 18. *Pilosella incana Saxatilis lutea* C. B. *Auricula muris altera, incana saxatilis frigidarum regionum* Col.

Col.
Radix huic nigra, rugosa, crassiuscula, ex qua flaventes longæ Helleboraceæ fibræ, ubi terreni quid adest inter rimas saxorum, (in quibus hærentem observavimus, viâ quâ à Flaminiano villa ad montium cacumina *S. Angelo* dicta itur, in solidis illis propter viam altis excavatis saxis supra medium iter) ut alioqui breviores & crispæ cernuntur: *Folia* in orbem quatuor aut quinque circa radicis caput expansa, obliquè dependent, parva & recentia rotundiora toto Autumno atque hyeme, sed Vere deinde adultiora oblonga, ovalia, parúmque sinuata fiunt, incana, hirsutie densâ, longâ, Verbasci maris modo, & magis hispida auricularum Quadrupedum modo. *Caule* unico vel gemino ex radicis vetustæ cespite bifido prodeunte hirsuto satis, rotundo, pedali altitudine, paucis rarísque foliorum alis intercepto [duabus vel tribus;] in summo caput habente crassum, hirsutum, congeneri vulgatæ non dissimile, sed incanum, in quo *Flos* luteus eodem modo: *semina* pariter copiosa, nigra & papposa sunt. Tota lacte manat, sapore foliorum non amaro sed sicco. Nullis hæc maculis ut in Vulgari infecta observatur, sed tota incana lanosa admodum hirsutie albicante, Julio perficitur.

* 19. *Hieracium alterum pumilum II.* Col. *seu Alpinum alterum minimum lanuginosum. Hier. Alpin. pumilum folio lanuginoso* C. B.

Col.
Radix illius carnosa, ex qua longæ fibræ nigricantes, major quàm superioris latifolii [Pilosellæ aureæ:] *folia* pilosiora, & longiore hirsutie obducta tota planta: foliola longitudine pollicari, latitudine dimidii digiti: *caulis* unicus, quatuor digitos longus: *flos* luteus.

Parùm superat iconem ipsa planta.

Tum ex figura, tum ex descriptione, Pilosellæ species esse videtur, non repens.

* 20. *Pilosella phlomoides exotica* J. B. *Syriaca* C. B. *maxima Syriaca* Lob. Park. Great Syrian Mouse-ear. *An potiùs ad Gnaphalia referenda ?*

Lob.

Foliis est majoribus carnosis, densè ab imo stipatis; candore & lanugine sericeóve vellere, holoserici attrectatu, hilari & specioso aspectu incanis. *Caules* ternos quaternósve, quadrangulos, geniculatos, pedales emittit. *Flores* videre non contigit. *Radix* durior, lignosa, fibris donata.

J. Bauhinus hanc vidit apud D. Fel. Platerum. Folia (inquit) ab imo statim longis & crassis pediculis annexa, denso stipatu oriuntur, quædam ovata, quædam rotundiora, crassa, carnosa: ipso exortu holoserico vellere donata, reliquâ parte tota incanâ lanugine pubescentia, velut Dictamnus falsus aut Stachys, lætissimo aspectu. Caulem etiam, qui unicus est, *folia* stipant alternatim hærentia prædictis minora, longis interim crassisque pediculis donata. Nondum flores ferebat, sed prima tantùm florum rudimenta.

* 21. *Chondrilla altera Dioscoridis Rauwolfio* Clus. *Chond. bulbosa Syriaca angustifolia* Park. *bulbosa, Conyzæ facie, foliis angustioribus* C. B.

Clus.

Radice est lævi, ex fusco flavescente, supernâ parte circiter minimum digitum crassâ, quinque vel etiam octo transversos digitos longâ; infimâ parte tenuiore, cui inhæret rotunda alia radix castaneæ magnitudine, lacteo succo adeò plena ut turgeat. Superna radicis pars quà se in tres cauliculos dividit, multa habet oblonga & graminis instar angusta *folia*, simul nascentia, ad terram valdè inclinata; inter quæ prodeunt *cauliculi* aliquot, foliis onusti, è quorum alis longiusculi exeunt pediculi, singuli *florem* sustinentes Pilosellæ majoris (quæ Auricula muris à vulgo nuncupatur) flori æqualem, flavum.

Locus. In arvis Halepo vicinis satis abundanter invenitur.

Non procul indè, asperioribus tamen, magísque petrosis locis nascebatur (inquit) aliud insuper Chondrillæ alterius genus, radice & floribus cum superiore conveniens, cujus tamen folia latiora, magis tamen villosa & cineracea, Holostei Monspeliani foliis ferè similia.

Hæc posterior species, *Conyzæ marinæ affinis Chondrilla alia Rauwolfii* J. Bauhino dicitur *Chondrilla bulbosa Conyzæ facie major foliis latioribus* C. B.

Priori speciei uterque Bauhinus synonymam faciunt Conyzam marinam Dalechampii *Lugd.* quibus refragatur Parkinsonus, nec præter rationem meâ sententiâ, cum descriptiones non conveniant per omnia; præsertim quòd hoc loco descriptæ radix lactescere dicatur; cujus qualitatis in alterius descriptione nulla mentio; deinde flos huic Auriculæ muris esse feratur, h. e. planifolius naturâ plenus; illi autem Conyzæ majoris, qui ex brevibus quinquepartitis flosculis constat.

CAP. VIII.

De Pilosella sive Auricula muris.

Pilosella à pilis rigidiusculis quibus folia ejus obsita sunt nomen sortita est, Auricula muris à foliorum similitudine dicta.

Flagellis reptatricibus à Pulmonaria, (quâcum semine parvo nigro convenit) reliquísque Hieraciis distinguitur: unde definiri potest, Hieracii genus semine parvo, nigro, flagellis reptatricibus.

A. 1. *Pilosella repens* Ger. *minor vulgaris repens* Park. *major repens hirsuta* C. B. *majori flore, sive vulgaris repens* J. B. Common creeping Mouse-ear.

J. B.

Passim secus vias & in pascuis sterilioribus obvia humi decumbit, & repentibus *surculis* hirsutis amarum lac fundentibus novam sobolem per demissas fibras subinde propagat. *Folia* pilis oblongis supina parte obsita, murinis auribus similia, supra virentia, infra incana, sapore exsiccante. *Flores* in singulis caulibus tenuibus, nudis, hirsutis, sesquipalmaribus singuli, Dentis leonis minores, pallidè lutei, extimis flosculis, seu mavis foliolis, foris purpurascentibus, calice hirsuto, fusco: quibus succedunt semina papposa, parva, nigra, tenuia, oblonga. *Radix* tenuis, fibris aliquot demissis terram firmiter apprehendit.

Junio & Julio mensibus interdum etiam Maio floret.

Notavit Sim. Paulus non solùm ad Polygoni minoris seu Polygoni angustissimo & acuto vel gramineo folio repentis *C. B.* radices circa Solstitium æstivum aut ad festum S. Joannis Baptistæ bacculas aut coccos, coccos baphicas seu grana Kermes æmulantes, sed quoque ad Pilosellæ majoris hirsutæ repentis *C. B.* radices reperiri, quæ ova alicujus mihi ignoti insecti esse ideo hariolor, quod ex iis scapo pennæ anserinæ aut cygneæ inditis mox epistomio chartaceo obturando, ac dehinc apricationi commissis cernamus sponte sua, intra sex vel septem dies prodire insectum non diu superstes, quod unus ex amicis meis alatum avolâsse observavit. Hanc verò observationem olim in Academia

Academia Leydensi communicavi An. Dom. 1623. Bodæo à Stapel, aliisque meorum commilitonum in studiis Botanicis. *Sim. Paulus* Quadrip. Botan. Class. 2. pag. 113, 114.

2. *Auricula muris Hispanica, aliis Hieracium Pannonicum flore saturatè croceo* J.B. *Pilosella major* Park. *Hieracium hortense latifolium sive Pilosella major* Ger. emac. *Hier. hortense floribus atropurpurascentibus* C. B. **Golden Mouse-ear or Grim the Collier.**

J. B.
Radix huic fibrosa, summa parte purpurascens, inferiùs albicans, amara, succo lacteo manans, ex se emittit clemata instar Pilosellæ majoris Fuchsii & Consolidæ mediæ, quæ radiculas albas in terram defigunt, ac ea ratione plurimùm se multiplicat & expandit. *Folia* ad radicem plura, Jaceæ aut morsûs Diaboli ferè figurâ & magnitudine, sex septémve digitos longa, duos lata, atrovirentia, pilis rigidiusculis utrinque hirsuta, ad margines æqualia, quædam tamen in margine quosdam habent velut denticulos longis spatiis dispositos. *Caules* cubitales & sesquicubitales, teretes, inanes, pilis rigidioribus, oblongis, crebris, fuscis, quorum bases nigricant, obsiti, unde & caules punctulis nigris aspersi videntur. Per caulem tria folia, inferiora majora, superiora minora: caulis summa parte in aliquot surculos dividitur & surculi iterum in pediculos breves quibus insident *flores* conferti, è calicibus striatis, pilis nigris hirsutis. Mense Maio aut Junio solus flos qualis Pulmonariæ Gall. se expandit, colore insigni croceo aureóve: in medio apices plurimi lutei, bifidi: folia floris in circuitu qualia Calthæ denticulata aut crenata. Ubi flos unicus evanuit, multi simul florent & velut umbellam exhibent. Odor parvus, ferè Hedypnoidis sive Dentis leonis. Floribus succedunt *semina* pappo alata, parva, breviuscula, nigra. Tota planta lacte amaro & opium redolente turget. Hæc species ab Hieracio Alpino non laciniato flore fusco *C. B.* i. e. Hier. Germanico 1. *Col.* vel ipso fatente, culturâ solùm differre videtur. In montibus Germaniæ collegit F. Gregorius.

Hieracium hirsutum ferè umbellatum C. B. *Hier. IX.* Clus. Hist.

Hujus descriptio quæ habetur apud Clusium in plerisque convenit plantæ præcedenti; ut vix dubitem eandem esse; præcipua differentia est in foliis, quæ Hieracio vulgari formâ non dissimilia esse scribit & infernè pænè glabra. Consule si placet Autorem ipsum in Hist. plant. lib. 5. cap. 37.

3. *Pilosella minor, folio angustiore, minùs piloso, repens* J. B. *major repens, minùs hirsuta* C.B. *media vulgaris erecta* Park. **Creeping Mouse-ear with an upright stalk.**

J. B.
Insigniter repit & hæc, *foliis* per terram sparsis, angustioribus, minoribus, tam infra, quàm supra glabris, si raros quosdam pilos in adverso folio sitos excipias, quorum inferiora subrotunda, superiora longiora. *Caules* proceriores, interdum cubito altiores, non sine foliis, in aliquot pediculos circa fastigium divaricati, ubi *flores* duo, tres, quatuor, lutei ut alterius [Pilosellæ vulgaris repentis] sed minores.

In pascuis & collibus circa Genevam observavimus. *Locus.*

* 4. *Pilosella Indica* Cornuti, *Indica odorata* Park. *Hieracium peregrinum* Eyst. **Sweet Indian Mouse-ear.**

Cornut.
Folium oblongum, pilisque longioribus hirtum habet: *radicem* quoque carnosam, obliquè reptantem, & fibris munitam longioribus. *Caulis* ei exit palmaris & singularis, *floribus* apicem ornantibus nunc septem, nunc octo Pilosellæ similibus, præter colorem qui in eis est Croci, aut malorum aureorum. Odorem moscho fragrantiorem afflat flos, alioquin ut Solstitialis, ità solaris lucis & avidus & sequax.

Vires. Auricula muris astringit vehementer & siccat, unde & ovium gregibus noxia censetur. Sternutatoria est & vulneraria, unde additur utiliter tum in potionibus vulnerariis, tum in emplastris & unguentis: vi etiam præsentissima esse dicitur ad calculum. Ob adstrictoriam facultatem, dysenteriam, reliquósque alvi & uteri fluxus sistit, biliosas vomitiones compescit, hernias (infantum præcipuè) curat. Sunt & qui ad icterum, incipientem hydropem & lienis tumores eam commendant.

Extrinsecùs medetur ulceribus oris (in collutionibus:) hæmorrhagiam narium sedat (pulvis inditus.)

Succus herbæ inditus Herpetem miliarem efficaciter compescit & sanat. *D. Hulse.*

Succus decoctúmve aciem ferri vel chalybis sæpe mersam indurare creditur.

CAP. IX.

De Dente Leonis.

DEns leonis Recentioribus dicta est hæc herba ob foliorum laciniis suis dentes quodammodo imitantium similitudinem.

Sub hoc titulo comprehendimus quotquot hujus generis sunt caule non ramoso, unicum in summo florem majusculum gestante.

1. *Dens leonis montanus glaber, caule cubitali folioso, flore magno. An Dens leonis latifolius caulescens* C. B? *Hieracium magnum Hispanicum* Park? **Mountain smooth Dandelion with a leavy stalk.**

Radix huic minimi ferè digiti crassitudine, lacteo succo turget. *Caulis* singularis, cubitum altus, striatus, medullâ farctus, satis crassus, non ramosus, foliis multis vestitus, hirsutus, præcipuè versùs summitatem, unicum in summo gestans *florem*, magnum, luteum, è calice amplo, ex multis squamis composito, ut in aliis Hieraciis, subnigro, villoso, villis obscurè ex luteo virentibus. *Folia* Pulmonariæ Gallorum dictæ formâ similia, non profundè laciniata, sed potiùs dentata, non prorsus glabra, sed rarioribus & vix conspicuis pilis donata, ad margines tamen crebrioribus & longioribus: quæ ad radicem sunt pediculis longiusculis donantur, quæ in caulibus existunt illis omnino carent. *Semen* non observavi.

Locus. In altissimo montis Juræ cacumine *La Dolaz* dicto copiosam inveni circa finem Juniimensis florentem.

Planta est singularis & ab omnibus quas hactenus viderim Hieracii speciebus diversa, caulibus scilicet non ramosis, crebris foliis vestitis, & flores in summo singulares gerentibus. Ambigere videtur inter Pulmonariam Gallorum & Dentem leonis.

A. 2. *Dens leonis foliis integris, caule raris foliis vestito, monanthes ferè.*

Radix satis crassa, simplex, *folia* emittit in orbem plura, in terram reclinata, duas uncias longa, unciam lata, acuminata, interdum tamen extremo obtusa, per margines obiter dentata, brevibus utrinque villis obsita, tractanti aspera, pediculis brevibus: media folii costa supinâ parte leviter interdum purpurascit. E foliorum centro exit *caulis* singularis, teres, nonnihil striatus, inanis, villis obsitus, unde & tractanti asper sentitur, sæpius simplex & indivisus, interdum tamen ramum emittit unicum in summo florem gestans amplum, Hieracii, pallidiorem, è *calice* squamoso, hirsuto emicantem.

Locus. Invenit & ad nos attulit *D. Dale* in colliculis seu tumulis olim aggestis juxta Bartloviam vicum, in extremis Essexiæ limitibus Cantabrigiam versùs. Nos olim eandem herbam observavimus in aggere fossæ illius celeberrimæ **the Devils Ditch** Anglice dictæ non procul ab oppido *Novo mercato*, dicto, inter viam quæ inde Cantabrigiam ducit & *Reche* vicum istius fossæ ab hac parte terminum, ubi & *D. Dale* hoc anno 1685. copiosam invenit.

Herbam hanc in Catalogo plantarum Angliæ Hieracium montanum, non ramosum, caule aphyllo flore pallidiore denominavimus, sed malè, nam & unum interdum amittit ramum, è sinu folioli exeuntem. Accedit ad Hieracium Pannonicum latifolium primum Clusii.

A. 3. *Dens leonis* Ger. *vulgaris* Park. *latiore folio* C. B. *Hedypnois sive Dens leonis Fuchsii* J. B. *Aphaca ex olerum genere Theoph.* 7. *Hist.* 10. C. B. Bodæi à Stapel. **Dandelion.**

E *radice* digiti ferè minimi crassitudine, lactescente, surgunt nudi & inanes pediculi, palmares & plusquam dodrantales, aliquando hirsuti lanugine facilè cedente, quibus insident singulis singuli *flores*, pulchri, patuli, lutei, majores quàm Hieracii cujus floribus similes sunt: exterioribus foliis prona parte ex fusco rufescentibus, calice glabro, multifido, extra quem quatuor aut quinque folia, viridantia, reflexa: *Flores* in pappos abeunt, calyce dehiscente & circa pediculum reflexo, nudam florum sedem porosâ pelliculâ calvitium senile imitante obductum ostendente: unde nonnullis *Caput monachi* dicitur.

Locus. In hortis & areis, inque pascuis ubique oritur, & per totam æstatem floret.

Variat foliis angustioribus & profundiùs laciniatis, itémque seminibus ruffis & citrinis.

Vires. Epatica est, cum Endivia conveniens quo tamen potentiùs operatur. Usus præcip. in febribus putridis inveteratis *Schrod.* Aquam destillatam magnopere commendat Tragus in Apostematibus & febribus ardentibus, trium aut quatuor cochlearium mensura singulis vicibus sumptam; ex quâ & optima collyria adversùs oculorum maculas fiunt: quin & inflammationi membrorum medetur aqua destillata, linteolis in ea madefactis & impositis.

Herba cocta stomachum dissolutum astringit: cruda etiam alvum sistit. Eadem dysentericis auxiliatur sed magis cum lente decocta. *Matth.* Succus potus iis prodesse dicitur quibus genitura effluit. Universæ plantæ decoctum potum Ictéritiam tollit.

Alvum supprimendo, obstructionésque reserando Mesaraicarum, plus lotii derivat in vesicam quàm pueruli retinendo sunt, præsertim inter dormiendum, eóque tunc imprudentes & inviti stragula permingunt, unde Gallis pueris *Pissenlict* [nostratibus etiam eodem nomine] quasi Lectiminga, & Urinaria herba dicitur. Radices enim plebecula Gallica in acetariis edit, aut jusculis addit.

Parkinsonus

Parkinsonus radices & folia decocta in Vino aut jusculo commendat in phthisi, tabe, cachexia & febrium accessionibus.

4. *Dens leonis bulbosus* Ger. *D. l. Asphodeli bulbulis* C. B. *D. l. Monspeliensium sive Asphodeli bulbulis* Park.

Lob.

Radices hujus plantæ tenues sunt, carnosæ, succo refertæ, rotundæ in mucronem ad verticem, oblongæ fabæ quadantenus similes. Junio & Julio flores luteos papposque gestat, multò majores, pallidiores quàm Dentis leonis: nec tubi caulium absimiles multum: *folia* etiam humi strata, sed minùs altè incisa, aliquantum glauca & hirsuta, propiùs Cichoreum sylvestre referentia, sed multò latiora: gustu amaro, acri & Dentis leonis.

Hujus (inquit Lobelius) facilis proventus in Hetruriæ, Gallo-provinciæ & Norbonæ pratis & satis. Nos propè *Sellam novam* viculum Monspelio vicinum invenimus & eruimus. Cum Hedypnoide Monspessulana confundit J. Bauhinus. *Locus.*

A. 5. *Hieracium caule aphyllo hirsutum* J. B. *asperum flore magno Dentis leonis* C. B. *Hier. D. l. folio hirsutum* Ger. *asperum foliis & floribus D. l. bulbosi* Park. **Dandelion Hawkweed.**

Radice nititur fibras multas demittente, foris fusca, intus alba, quæ aliquando singularis, aliquando juxta terram in plura capita dirimitur, tandem in unam radicem coeuntia. *Folia* per terram sparguntur angusta, oblonga, valdè hirsuta, ad margines sinuata seu dentata, velut Taraxaci, mucrone obtuso. *Caules* pedales & cubitales, tenues, striati, hirsuti, non ramosi, foliis nudi, inanes. *Flores* Dentis leonis, in singulis caulibus singuli, ex hirsuto calice, plurimis flosculis arctè stipatis compositi, quorum singuli singulis innascuntur *seminibus* oblongis, sordidè ruffis aut fuscis.

Floret hæc species omnium quæ apud nos sponte oriuntur Hieraciorum prima, mense Maio, in pratis & pascuis ubique ferè. *Locus.*

Figura Hieracii foliis & floribus Dentis leonis bulbosi *Lob. ico.* quam adhibent Gerardus & Parkinsonus sub titulis superiùs allatis non convenit huic plantæ à nobis hoc in loco descriptæ sed potiùs Hedypnoidi Monspessulanæ *J. B.*

* 6. *Hieracium montanum laciniato folio lanuginoso Clusio* J. B. *montanum Dentis leonis folio incano, vel laciniatum lanuginoso folio* C. B. *montanum Dentis leonis folio incano* Park. **Mountain hairy Dandelion.** *Hier.* 7. *Clusii* Ger.

Clus.

Ex *radice* obliqua & rugosa, minimique digiti crassitudine, multis etiam fibris donata aliquot extuberant capita, unde sena aut plura enascuntur *folia*, unius, duarum & trium unciarum longitudine, semunciam lata, crassiore nervo per mediam longitudinem excurrente, mollia, brevi incanâque lanugine prædita, infima parte valdè laciniata & angustiora, superna vero latiora & dentata duntaxat, candido succo turgentia, è quorum medio bini aut terni emergunt *cauliculi*, palmares, enodes, foris læves, intus concavi, sustinentes *flores* luteos floribus Hieracii Alpini hirsuto folio similes, quibus tamen color paulò saturatior. *Semen* maturum tenue, longiusculum, nigrum pappo involutum, vento abripitur.

Crescit in *Leytenberg*, floretque Junio. *Locus.*

* 7. *Hieracium alterum saxatile montanum* Col. *Dentis leonis folio asperum* Park. *D. l. folio, hirsutie asperum, minùs laciniatum* C. B. **Rough rocky Hawkweed.**

Col.

Radice nigra, pedali, corticosa, parvis fibrillis, non tantùm rimis saxorum, sed ipsis integris ferè saxis, in quibus nulla apparet fissura, se insinuat, ut nonnisi disruptis saxis ejus aliquid evelli possit. *Foliis* per orbem dispositis & obliquè dependentibus atque hærentibus viridem stellam exprimere videtur. *Folia* verò semipedem aut magis longa sunt, per ambitum laciniata minoris Hieracii modo, hirsuta, aspera, dura, amara & lactescentia: è quorum centro exeunt duo vel tres juncei duri *cauliculi* thyrsi specie, hirsuti, tenues, pedales, asperi, lactescentes, secundæ Chondrillæ Dioscoridis à nobis depictæ pares & similes: in quorum cacumine singuli sunt *flores* oblongis calathis inclusi, qui aperti lutei pallentes apparent: illisque papposa, oblonga *semina* & fusca succedunt, hianteque calice evolantia.

Junio floret & Julio mense perficitur.

Immanibus & altissimis saxosis solidisque vallis Campoclarensium lateribus oritur. Invenimus etiam eandem postea in Æquicolorum montibus saxosis, inquit Autor. *Locus.*

* 8. *Hieracium montanum angustifolium nonnihil incanum* C. B. *montanum angustifolium* Park. *Hier. montanum sextum Clusio, angustifolium* J. B. **Narrow-leaved mountain Hawkweed.**

Clus.

Radix digiti crassitudinem interdum æquat, longa, nigricans, tenuibus fibris prædita, summa parte in plura nonnunquam capita extuberans, quæ summa tellure sena aut plura oblonga *folia*, semunciam ferè lata & nonnihil incana proferunt. E singulis radicis capitibus prodeunt inter folia singulares

singulares *cauliculi*, duri, nudi, dodrantales aut palmares tantùm, unicum *florem* sustinentes è multis oblongis, extremo insectis foliis, luteóque colore præditis constantem, quo defluente *semen* oblongiusculum cum pappo levi auræ flatu excutitur.

Aliud ejus genus invenitur, cujus folia nonnihil in lateribus laciniata sunt fermè instar foliorum Leucoii marini minùs incani: *Flos* aureo colore magis rutilat, aliòqui per omnia simile.

Utriusque planta lacteo succo plena, & amariusculo gustu est.

Locus. In omnibus illis montibus à *Calenberg* Danubio imminenti ad Alpes excurrentibus nascitur.

* 9. *Hieracium Dentis leonis folio, hirsutie asperum minus* C. B. Prod. Small rough Dandelion Hawkweed. *Hier. D. l. folio, hirsutie asperum, magis laciniatum* C. B.

C. B.
Radice est parva, oblonga, ad cauliculorum & foliorum exortum rufescente. *Folia* ad radicem pilosa, aspera, angusta, uncias duas longa, in lacinias divisa: inter quæ *cauliculi* nudi, asperi, modò unus, modò bini ternive, palmum non excedentes exurgunt; *florem* unicum, aureum, in pappum abeuntem sustinentes.

Locus. Monspessuli provenit.

Hæc non parvitate tantùm, sed & floris colore aureo, & figurâ seminis prout in icone exhibetur, differt à præcedente.

Huic persimile est, si non idem.

Hieracium parvum hirtum, caule aphyllo, crispum ubi siccatum J. B.

J. B.
Quod simplicem pedali altitudine *caulem* tollit, tactu asperum & singularem, cujus cacumini *flos* impositus unicus Hieracii quod *Cichoreum sylvestre luteum* appellant, in pappos evanescens. *Folia* ex *radice* gracili complura per terram sparsa densâ rigidâque lanugine spinulas quodammodo imitata, hirta & incana, sescunciam aut duas uncias longa, satis lata, divisione Erucæ purpureæ nobis dictæ, siccata crispa videntur.

Locus. Monspelii etiam collegit J. Bauhinus: nos quoque in agro Monspessulano, non longè à *Sella nova*, in arvis.

Ab eodem etiam non multùm abludit.

* 10. *Hieracium alterum minus seu pumilum IV.* Col.

Alterum Alpinum minus *F. Gregorio* dictum, aureo flore, glabrum; triunciali cauliculo, foliis sesquipollicem longis, laciniatis. Denti leonis, dicto *Piscialetto* flore aurato simile est, differt exiguitate totius plantæ, radice carnosa, nigrâ siccâ, ex quâ fibræ longæ humum petunt.

Differt foliis glabris.

Huic planè simile (inquit C. Bauhinus) nostrum Hieracium pumilum, saxatile, asperum, radice præmorsa C. B. prod.

C. B. prod.
Cui ad radicem crassiusculam, nigricantem, in fibras oblongas præmorsas abeuntem *folia* plura, villosa, acuta, longis pediculis donata, uncias tres, quatuórve longa, semunciam lata, in circuitu rarioribus dentibus donata; inter quæ *caulis* palmo minor, hispidus, tenuis & rotundus, uno alteróve folio vestitus exurgit, *florem* subluteum sustinens, cui *semen* parvum, nigricans, pappo immersum succedit. In Alpibus provenit.

* 11. *Dens leonis minor aspero folio* C. B. Park. Small rough Dandelion.

C. B. prod.
Ad *radicem* parvam albicantem *folia* plura, subrotunda, duas trésve uncias longa, unam lata, laciniata, & per ambitum levissimis spinulis, ut in Soncho, exasperata: *Cauliculus* duarum unciarum *florem* satis magnum, pallidè luteum sustinet.

Locus. Monspessuli provenit. At circa Monspelium non invenit P. Magnol. *Botan. Monsp.*

* 12. *Dens leonis minor foliis radiatis* C. B. Park. *cui & Trinciatella Italorum Camerarii.* Sweet Dandelion.

C. B. prod.
Ad *radicem* parvam, nigricantem *folia* plura per terram sparsa, uncias tres longa, semunciam lata, in plures lacinias profundas divisa, quibus hoc peculiare, quod quodlibet folium in summo in tres profundas lacinias dividatur, & harum quælibet apices plures quasi radios obtinet: foliorum pediculi levissimis pilis pubescunt. *Cauliculi* plures, læves & nudi, quorum unus palmo minor erigitur; reliqui breviores reclinati, singuli florem unicum in pappum abeuntem sustinent.

* 13. *Dens*

* 13. *Dens leonis Gadensis* Park. *D. l. minimus* C. B. *Cichorium sylvestre pumilum sive Hedypnois* Clus. cur. post. **Dandelion of** Cadis **in** Spain.

Park.
E *radice* longa, alba, tenella *folia* emittit plurima, spithamam aut eo amplius longa, costâ media à radice ad dimidiam longitudinem nudâ, deinde in lacinias utrinque Dentis leonis vulgaris similes incisa, ut folia Dentis leonis exactè referant, nisi quòd minora & angustiora sint. *Flores* pariter Dentis leonis modo longis pediculis, aut si mavis cauliculis, in[illegible]ent, parvi, lutei, in pappum abeuntes: *Semina* longa, tenuia, subrussa, ut in Hieraciis nonnullis.
Locum titulus indicat; siquidem è Gadibus insula à Gulielmo Boelio in Angliam delatus est.
Radice est vivaci, gelu tamen corrumpitur, si hyems asperior fuerit.
Frequens ejus usus apud incolas in acetariis; ciet enim urinas, & hepar ab obstructionibus liberat haud minùs quàm vulgaris. *Clus.* ex propria experientia. *Vires & Usus.*

14. *Hieracium Dentis leonis folio obtuso minus* C. B. Park. **The lesser Dandelion-Hawkweed with a blunt leaf.**

C. B.
Ad radicem parvam *folia* sena septenáve terræ incumbunt, quæ crassa & aspera, uncias duas longa, unciam semis lata, obtusa, nec profundè laciniata: inter quæ caulis lævis, nudus & cavus exurgit, qui *florem* unum, pallidè luteum & magnum sustinet.
Provenit in pratis extra minorem Basileam. *Locus.*
Descriptio hujus in omnibus ferè convenit *Hieracio nostro montano non ramoso caule aphyllo, flore pallidiore*, præterquam loco: Nostrum enim solo sicco & cretaceo, nimirum in aggere seu vallo famosæ illius fossæ **The Devils ditch** dictæ provenit; & in collibus Bartlovienibus, vide & confer.

* 15. *Hieracium Narbonense rotundifolium caule aphyllo* J. B.

J. B.
Hoc statim à radice alatis pediculis longiusculis *folia* fundit octona aut dena plus minus, rotundis, in ambitu exacutis, sed innoxiis apiculis, veluti aculeis donata, lævia, sapore manifesto destituta. E quorum sinu *cauliculi* juncei bini exeunt, palmo vix longiores, nudi, quales in Dente leonis vulgi dicto; quorum summa *florem* sustinent luteum, minorem quàm dictæ plantæ, sed in elegantem pappum pallidulum fatiscentem, qui multiplex singulos flocculos sed Lactucæ pedicello sustinet. *Semen* exiguum, longum sed Lactucæ minus, subrussum, striatum. Saporem nullum manifestum animadvertimus.
Monspelio ex rupibus illi vicinis evulsum habuimus. *J. B.* In satorum marginibus circa Boutonatum frequens est. *Botan. Monsp.* *Locus.*

* 16. *Hieracium III. fœtidum* Col. *Dens leonis tenuissimo folio* C. B. prod.

Col.
Lævi est *folio* & profundè inciso Dentis leonis modo, magnis lobis Sonchi æmulis, semipedali longitudine; *radice* carnosa, quam tuberosam ferè & fœtidam retulit [Fr. Gregorius] qui recentem observavit: *caule* nudo, tenui, dodrantali, unicum in summo florem pallentem proferente, ut congenerum, sed paucis barbulis coronatum.
Hujus Descriptio plenior habetur apud C. Bauhinum in Prodromo; qui in Austria propè montem *Drawenstein* repertum scribit. In herbidis viis circa Monspelium frequentissimè occurrit, & mira foliorum varietate ludit. *Botan. Monsp.* *Locus.*
Descriptionem Bauhini in gratiam studiosorum non pigebit huc transcribere.
Ex radice crassa, rufa & fibrosa folia aliquot tenuissima, virore splendentia, palmaria, uncias duas lata, primùm profundè laciniata, deinde qualibet lacinia ut plurimum utrinque duplici vel triplici levi lacinia (vel potiùs apice) subdivisa prodeunt, ut & pediculi tenuissimi, nudi, duabus unciis foliis longiores, florem parvum sustinentes.

* 17. *Cichorium bulbosum* J. B. *Chondrilla bulbosa* Park. *marina* Ger. *bulbosa, sive Chondrilla* 2. *Diosc. an* Πεϱδίκιον *Theoph.* 1. *Hist.* 11. C. B. **Bulbous Succory.**

J. B.
Ut rarum ità pulchrum est Cichorii genus, innumeris fibris tenuibus longè latéque perreptans, quibus appensi *bulbi* Avellanæ circiter magnitudine, Alabastritis marmoris candore, solidi. *Folia* sescunciam aut uncias duas longa, semunciâ latiora, leviter sinuata, glabra, in obtusum mucronem desinentia, crassiuscula, rubescentia. Inter hæc surgunt *cauliculi* palmares, hirsuti, quorum fastigiis *flores* insident Hieracii, lutei, in pappos evanescentes. Hæc planta amara est & lacteum succum habet.
Per arenam serpit: floret mense Aprili propè montem Ceti ad mare. *Locus.*
Radicem istam globosam ad strumas curandas multum conferre se experimento didicisse Myconius asserit, unde & *Cichorium strumosum* plantam nuncupavit. Sumuntur autem quinque aut sex *Vires.*

sex integræ cum melle multis diebus continuis: vel earum decoctum, vel aqua destillata, quæ tamen inefficaciora sunt; vel conditum ex iis cum melle paratum.

CAP. X.

De Scorzonera.

SCorzonera nomen est Hispanicum, huic herbæ inditum, quòd animalis *Escoreu* Catalaunico sermone appellati morsus curet. Formam hujus animalis vide apud Monardum, qui integrum libellum de hac herba & lapide *Bezaar* scripsit. Ad serpentinum autem genus pertinet hoc animal, unde Scorzonera idem ferè est ac Serpentaria, quòd contra Serpentum venena efficax sit.

Sunt qui ad Chondrillam Dioscoridis referunt, sed magis ad Tragopogonis genus reducenda est. *C. B.*

Clusius Scorzoneras à Tragopogis in eo solùm differre putat, quòd illarum radix vivax sit, Tragopogi autem minimè.

Nos potiùs ex floris ejúsque calycis formâ Scorzoneram à Tragopogone distinguimus, ut Scorzonera sit cujus flos à calycis radiis non superatur, verùm floris orbis calycis oras excedit potiùs: Tragopogon autem cujus florem ambiunt & continent calycis radii floris ipsius petalis multò longiores. Flos quoque in Scorzoneris plerunque major est & plenior quàm in Tragopogis: calix quoque in illis squamosus; in his simplici radiorum, longitudine ferè æqualium, stellatim flore aperto expansarum, serie constat.

1. *Scorzonera Hispanica major* Park. *latifolia sinuata* C. B. *Viperaria sive Scorzonera Hispanica* Ger. *Tragopogon Hispanicus sive Escorzonera aut Scorzonera* J. B. **Common Vipers grass or Scorzonera.**

J. B.

Pedali longitudine est *radix*, crassitudine pollicari & majore, raris & majusculis fibris albis è lateribus demissis, nigricante exteriùs cortice obducta, lacte dulcissimo non sine aliqua adstrictione prægnans, in multos annos vivax. *Caulis* sesquicubitalis, teres, striatus, inanis, multis alis concavus, & ab imo statim ramosus, *ramis* longissimis, lanugine quadam rasili obsitus; quâ etiam inferiùs pubescunt *folia*, latiore basi caulem amplectentia, longa, Tragopogonis, sescunciam lata, per margines æqualia, interdum tamen sinuata seu crispa, in perquam longum & angustissimum mucronem desinentia, nervis aliquot per longitudinem excurrentibus, glabra, obscurè virentia. *Flores* insident extremis ramulis prælongis singuli, Tragopogonis lutei, è *calicibus* squammatim compactilibus [squamis magnis lævibus,] qui manè se pandunt, post meridiem clauduntur. Flore marcescente calix in ventrem turgescit. *Semen* oblongum, angulosum, album, non tamen ut in Tragopogone in longum mucronem producitur, verùm pappus summo semini insidet.

Radix esculenta est, & apud nos in frequenti usu in cibis, imo Pastinacæ & ipsius etiam Sisari radicibus antefertur.

In hortis nostris Junio mense floret & in Autumnum usque.

2. *Scorzonera major Pannonica latifolia* Park. *latifolia altera* C. B. *Bohemica* Lob. *præcedentis varietas est.*

Huic *folia* à radicis capite plura exire dicuntur quàm præcedenti, angustiora, ad margines æqualia, læviora, colore viridi obscuriore & sordidiore: caules *etiam* persæpe ab eadem radice plures: in reliquis cum ea convenit, & proinde quicquid intercedit discriminis, loco natali imputandum censemus; nec Matthiolus ipse, neque Clusius distinguit: Parkinsonus quoque fatetur hanc cum aliquot annos in hortis duraverit faciem mutare, nec posse ab Hispanica discerni.

Vires. Scorzoneræ radix sapore est non ingrato sed subdulci, unde & cruda & cocta & condita, non secus ac Pastinaca nostra, editur: imò mensis etiam magnatum infertur, & cuivis Pastinacæ aut Sisaro præfertur. Contra morsum non solùm Serpentis *Escurzo*, sed & quorumlibet aliorum valet: contra febres pestilentes, contra quoscunque cordis affectus, melancholiam, palpitationem, syncopen, epilepsiam, vertiginem, contra viscerum obstructiones, uteri mala, quid dico autem; omnia. Ità enim nova remedia celebrari solent. De vi ejus adversus serpentes *Escuerzos* mira & prorsus incredibilia narrat Monardus, qui singularem de hac planta edidit libellum, quem cum aliis vertit Clusius.

Amagriæ insulæ Scorzonera amarulentior est Hispanica & nobis hortensi, & in hydrope incipiente & ictero contumaci plurimum valet. Ratum sit illud Hofmanni apud medicos. Si medicamentum vis hepaticum in bile crassa & adusta idem amarissimum fuerit opportunum. *Sim. Paulus.*

Scorzoneræ montana vis Alexipharmaca deprædicatur in *Ephemer. Germ. An.* 11. *Obs.* 81.

* 3. *Scorzonera humilis latifolia Pannonica* Park. *latifolia humilis nervosa* C. B. *Tragopogonis species, sive Scorsonera humilis latifolia* J. B. *Viperaria Pannonica* Ger. **Dwarf broad-leaved** Hungarian **Vipers grass.**

Clus.
Latiora brevioráque habet folia quàm Scorzonera major Pannonica 1. Clusio, Bupleuro latifolio sive Elaphobosco Mompelliano non valdè dissimilia, crassiora tamen & duriora, quinque nervis seu venis per longitudinem excurrentibus distincta, cœrulei quodammodo viridi permixti coloris, gustu verò aliquantulum amaro & fervido. *Caulis* inter hæc assurgit gracilis, pedalis altitudinis, striatus, raris foliis septus, cui insidet *flos* superiori similis, luteus, magnus: quo marcido nascitur in calicibus *semen* oblongum, asperum, Tragopogo simile sed minus, in villosa materia alba latens. *Radix* pollicaris est crassitudinis, interdum major, longa, nigro rugosóque cortice tecta, intus alba, quæ confracta lacteo succo manat, successu temporis flavescente; superiore parte hirsutâ veluti cæsarie donata est, & in plura capita plerumque extuberat, ex quibus folia prodeunt.
Hanc Clusius in monte Badensibus thermis in Austria imminente vicinisque aliis observavit. *Locus.*

* 4. *Scorzonera Pannonica angustifolia* Ger. *angustifolia prima* C. B. *Tragopogonis species, sive Scorzonera humilis angustifolia* J. B. **Low narrow-leaved Vipers grass or Scorzonera.**

Clus.
Firmatur hæc crassâ radice, longâ, nigro, denso rugoso cortice præditâ, lacteo succo plenâ, quæ nonnunquam superiore parte in plura capita, quemadmodum præcedens, extuberat, crassitudine minimi digiti, (novellarum plantarum instar) villosâ, ex quibus multa nascuntur *folia* Tragopogo similia, firmiora tamen, breviora, & ejusdem cum præcedentis foliis coloris; inter ea excrescit humilis, palmum vix excedens *caulis*, aliquot brevibus foliolis septus, cavus, *florem* in summo fastigio ferens flavum, alteri ferè similem. *Semen* deinde in longioribus caliculis, Scorsoneræ Hispanicæ semini par, minus tamen, quod maturitate levissimo auræ flatu excutitur, & ejus arbitrio fertur.
Hæc & sequens non modò in Hamburgensi monte quâ parte glaber est & tenui gramine duntaxat tectus, & quà Austriam spectat, sed etiam in vicino *Prellenberg*, *Leytenberg*, catenâ illâ montium à *Calenberg* ad Alpes excurrentium & plerisque Ungariæ locis nascuntur. *Locus.*
Florent Aprili & Maio, semen interdum Maio, aut sub Junii initium maturescit. *Tempus.*

* 5. *Scorzonera angustifolia subcœrulea* C. B. *elatior angustifolia Pannonica* Park. *angustifolia elatior* Ger. *Tragopogonis species, sive Scorsonera major angustifolia subcœruleo flore* J. B. **Taller narrow-leaved Vipers grass.**

Clus.
Frequentia huic sunt *folia*, longa, Tragopogi foliis minora & angustiora, inter quæ cubitalis assurgit *caulis*, cavus quidem ille, sed firmus, durus, viridis, aliquot oblongis foliis septus, & suprema parte in binos aut plures ramulos divisus, ferentes in longioribus calicibus *florem* Scorsoneræ angustifoliæ floribus non dissimilem, nisi quòd paulò minor sit, & coloris ex cœruleo purpurascentis, jucundi odoris, pastillorum è Benzoino confectorum nidorem quodammodo referentis, sed fugacis admodum. Sena deinde octona aut plura in singulis calicibus *semina*, Scorsoneræ seminum æmula, quæ matura cum suo pappo à vento excutiuntur. *Radix* singularis, minimi digiti crassitudinem æquat, densóque, foris nigricante & rugoso cortice obducta, suprema parte hirsuta & villosa, quæ vulnerata succum extillat initio lacteum, deinde flavescentem, gustu primùm gummoso, postea aliquantulum acri: vivax est ut reliquarum radices vetustate crassior evadens, & superiore parte in plura capita subinde extuberans.

* 6. *Scorzonera angustifolia altera* C. B. *item Hieracium Tragopogonis folio* ejusdem. *Hieracium* 7. *humile* Clus. Hist. *item Scorzonera* 4. ejusdem Pan. **The other narrow-leaved Vipers grass.**

Clus.
Angustis constat *foliis*, Tragopogo aut Scorsoneræ angustifoliæ proximis, carinatis, colore cinereo, digitalis longitudinis, lacteo succo plenis, amariusculis; ex quorum medio exilit tener *cauliculus*, dodrantalis, per quem sparsa sunt rara *folia*, aliis minora: is in aliquot ramos divisus sustinentes capitula aliorum more squamata, quæ in luteos *flosculos* Tragopogo similes, sed minores explicantur, maturitate in pappos evanescentes. *Radix* nigra est, multis fibris albis capillata, lateribus propagines quotannis agens.
Hanc quam in Pannonicis ad Scorzoneras retulerat Clusius, propter radicis cum illis dissimilitudinem commodiùs inter Hieracii genera reponendam censet in Historia.
Copiosè nascentem observavit duntaxat in saxis ad Gamingam Carthusianorum cœnobium, Julio flores proferentem. *Locus.*

* 7. *Scorzonera bulbosa Attica*, Galacorta *dicta* Wheeleri.

E *radice* rotunda, bulbosa, Juglandis magnitudine, paucis fibris appensis, exeunt *folia* aliquot longa, angusta, argenteâ lanugine pubescentia, inter quæ *flos* Scorzoneræ similis, pediculo palmari oritur.
Græcis

Græcis *Galacorta*, id eſt, *Herba lactea* dicitur, quoniam tota planta lacte ſcatet.

Locus. In Hymetto Atticæ monte invenit *D. Wheeler.*

* 8. *Scorzonera Cretica* Wheeleri, Galacorta *pariter dicta.*

Quod ad *folia* attinet Aſphodelo fiſtuloſo perſimilis eſt hæc planta; ſunt enim ea intus concava ſeu tubuloſa Cepaceorum inſtar. *Radix* craſſa, altè in terram deſcendens, lacte albo dulci turgens.

Hanc etiam *Galacorta* Græci vocitant, eâque mulieres utuntur ad colorem candidum cuti conciliandum: Commendatur etiam in cibo ad lac augendum.

Cum priore in Hymetto monte oritur.

Eſt hæc planta ſingularis & Anomala. Nos nondum vidimus, certè non meminimus vidiſſe, herbam ullam, præter bulboſas iiſque affines, quæ folia habet fiſtuloſa. Si caulem & flores vidiſſet & deſcripſiſſet Autor, certius judicium de ea ferre poſſemus.

Nos in inſula parva promontorio Siciliæ Pachyno olim continuâ, nunc anguſto freto diremptâ, ubi Arx Hiſpanorum præſidio tenetur inter alias multas rariores plantas Scorzoneræ etiam ſpeciem invenimus, cui titulum fecimus

Scorzoneræ foliis anguſtis incanis, floribus dilutè purpureis.

Caules eo loci vix ſemipedalem altitudinem ſuperabant.

9. *Tragopogon Coronopi folio* C. B. *Chondrilla* τραγοπωγωνάνθεμος Thal. *Stœbe Plantaginis folio* Alpin. exot.

Alpin.
Foliis multis Plantagini anguſtifoliæ figura & magnitudine ſimilibus, humi ſtratis, craſſis, colore viridi in luteum languente, ſapore inſipido, in orbem in terra actis, mollibus fragilibúſque donatur: Ex quibus *cauliculi* ſemidodrantales, teneri, graciles aſſurgunt, in quorum ſummitatibus capitula parva, oblongáque cernuntur, è quibus floſculi toti lutei exeunt quibus ſuccedunt ſemina parva, oblonga Scabioſæ. *Radix* digiti minoris craſſitie, alba, mollis, tenera, guſtu inſipido.

* 10. *Scorzonera foliis nervoſis* C. B. *minor anguſtifolia Pannonica* Park. *Germanica anguſtifolia* Tab.

Park.
Folia ei longa, peranguſta, viridia, Tragopogi foliis valdè ſimilia, ſed breviora & pauciora. *Caules* graciliores & humiliores multò quàm majori Pannonicæ latifoliæ: *flores* minores, paucioribus petalorum gyris compoſiti: *Semina* etiam minora, aliàs ſimilia: *Radices* duplo minores, graciliores, nec ſucco lacteo adeò prægnantes.

Locus. Reperitur propè Monſpelium, in depreſſis herbidis & incultis locis ad dexteram viæ quà à ponte Villæ novæ itur ad Miram vallem Julio menſe cum flore. *Botan. Monſp.*

* 11. *Hieracium capillaceo folio* C. B. prod. *An Scorzonera minima tuberoſa radice Hiſpanica* Park?

C. B.
Radice eſt Scorzoneræ ſimili, craſsâ, oblongâ, tunicâ fuſcâ & rugoſâ veſtitâ; ex qua *cauliculi* bini, palmares, læves, ſinguli *florem* unicum, pallidè luteum, mediæ magnitudinis ſuſtinentes exurgunt. *Folia* ad radicem plurima, pili inſtar tenuia, duas, rariùs tres uncias longa, rigidiuſcula, atrovirentia, rariùs cauliculorum partem cingentia.

Monſpelio allatum fuit. An fortè (inquit) Scorzoneræ ſpecies?

Scorzonera minima tuberoſa radice *Park.* in multis cum hac planta convenit, differt foliis aliquantulum latioribus: radice brevi, lacte pauco; Flore parvo, ſimplici: ſemine minore, nigro: eandem tamen eſſe Autor ipſe ſuſpicatur, cui & nos ſubſcribimus, nec enim libenter citra neceſſitatem Entia multiplicamus.

* 12. *Scorzonera ſylveſtris, fol. anguſtis, fl. cæruleo major & minor* Mentzel.

In ſylvis temperatis, maximè ex Fagis & Quercubus conſitis Marchiæ Brandeburg. circa vallem Joachimicam, pagum Schornbeck, Furſtenwaldiam, menſibus Junio ac Julio floret. Flos egregiè cœruleus eſt inſtar Cichorei cœrulei. Radix nigreſcit.

* 13. *Scorzonera Illyrica* Park. Alpin. **Vipers-graſs of** Slavonia.

Foliorum longorum, anguſtorum, trinerviorum ad numerum quinquagenarium aut etiam centenarium; *Caulium* exilium ad vicenarium accedens multitudo: *Floſculi* exigui, flavi: *Semina* quàm præcedentibus minora: *Radix* craſſa, nigricans, hanc ſpeciem à reliquis congeneribus abundè diſtinguunt.

His ſubjungemus duas tréſve plantas Tragopogis *accenſeri ſolitas, ob radices puto cum caulibus unà marceſcentes, nec ut* Scorzoneræ *vivaces & diuturnas. Verùm quoniam florum calicibus & ſeminibus (à*

quibus

quibus præcipuè notæ genericæ desumendæ sunt) ad Scorzoneras *propiùs accedunt, iis potiùs subnectendas putavimus.*

14. *Tragopogon laciniatum luteum* C. B. *laciniatum majus* Park. *folio laciniato, flore pallido* J. B.
The greater jagged Scorzonera.

Tragopogoni *radix* similis, tenera, lactiflua. *Folia* priora longa, angusta, ad margines æqualia, ad exortum angusta, versùs apices latiora: posteriora & quæ caules occupant inferiora, alia utrinque, alia ex altero tantùm latere laciniata, superiora paulatim minora sunt minúsque incisa & tandem integra, subtus pallidius virentia. *Caulis* cubitalis & altior, foliis vestitus, summa parte in tres quatuórve ramulos divisus, quorum singuli capitulum sustinent Tragopogi vulgaris: [calix tamen non componitur è foliis mucronatis ultra florum petala excurrentibus & in longitudinem productis quemadmodum in genuinis Tragopogis] florem claudens minorem quàm Tragopogi lutei vulgaris, manè expansum, circa meridiem se contrahentem: succedit semen minus quàm illius, minimè asperum.

Plantæ J. Bauhino descriptæ folia priora tenuia, quæ tamen per ramos satis frequentia, triplo quadruplóve vulgati Tragopogonis foliis latiora, in crebras profundas lacinias dissecta, quæ aliquid commune habent cum Dente leonis: Semen ad Scorzoneræ semina propiùs accedit.

Hanc J. Bauhinus Tragopogoni à Columna descripto fidenter eandem facit: Descriptiones tamen non satis convenire videntur. Nos in hortulo nostro aliquando aluimus Tragopogonis speciem, Coronopi folio dictam quæ ab utroque (quantum memini) differebat; & certè C. Bauhinus in pinace Tragopogona quem Coronopi folio inscribit ab utroque distinguit: verùm exactiùs eam describere neglesimus.

* 15. *Tragopogon tenuissimè laciniatum* C. B. *laciniatum minus* Park.

C. B.
Radice est oblonga, crassiuscula, fibris carente, rufescente & lacte turgente: ad quam *folia* plura, oblonga, angustissima, acuminata, & in plures angustissimas lacinias divisa. *Caule* est cubito non multùm breviore, rotundo, lævi, striato, nonnihil folioso, in alas brachiato: singulis flos unus magnus & pallidus insidet, cui *semen* oblongum, scabrum, cristâ pilosâ in summo præditum & calici oblongo inclusum, succedit.

Monspessuli observavit C. Bauhinus descriptionis autor. Si semen rectè describatur, à præcedenti omnino specie distinctum est.

* 16. *Tragopogon hirsutum* C. B. *hirsutum humile* Park. *Apulum humile hirsutum luteum* Col.
Small rough yellow Goats-beard.

Col.
Huic *radix* longa satis, nigro cortice obducta, intus alba, lacte pallente turgida, dulci sapore, viscoso dum concrescit, minimi digiti crassitudine. *Folia* Croceis paulò latiora, ad graminea accedentia, per longum venosa, è medio circa radicem plurima, longa sericea hirsutie obsita, pedalia, partim recta, partim verò convexa. *Caulem* edit breviorem aliis, parùm supra folia excedentem [quandoque duos trésve habere conspicitur] hirsutum, cavum, lineis striatum & lactescentem, brevioribus foliolis interceptum; in cujus summo *calix* est magnus sed aliis minor, basin foliosam habens, quod in aliis non observatur; *florem* emittens luteum, plenum, radiatum, quindecim circa se foliolis radiantibus, calicis orbem superantibus, intus habentem coacervata alia foliola, Hieracii modo staminibus intortis, bicornibus, luteis, etiam Aprili emicantem; deinde contractum post non multum temporis pappum emittentem longum, admodum fulvum, colore præ aliis nigrescente, duriorem rigidioremque, Hircinæ barbæ pilorum modo, *semine* longo, sed duplo minore aliis, dentatis etiam striis aspero, contra aliorum normam circa imum tenuiore itémque fulviore.

Variat hæc planta, semine tantùm, quod in Cirinolæ inventâ brevius, latius, incanum, lanuginosum, acanaceis proximum, pappo superiore admodum breviore, eodémque colore, minúsque nigente. Tota planta gustu est dulci & grato. Martio caulem edit, Aprili floret, & Maio perficitur.

Miror quid Parkinsono in mentem venerit ut hanc plantam in duas species dirimeret.

Cap. XII.

De Tragopogone.

Tragopogon nomen accepit à pappo cano grandiori, qui è summo ejus vertice nascitur, & hirci barbam imitatur. *Theophr. Diosc.* Posset autem non ineptè dici Tragopogon hæc herba à figurâ floris nondum aperti, quæ barbam hircinam proximè refert.

Cæterùm Tragopogon à Scorzonera, ad quam aliàs accedit, in eo distinguitur, quòd calycis radii florum petala longitudine excedunt, & floris circumferentia calycis radiis excedentibus stellata efficitur, majoreque ambitu protenditur. Calyx quoque Tragopogi (quantum quidem memini) minimè squamosus est, sed omnes ejus radii seu folia æquali fere longitudine extenduntur, contra quàm in Scorzoneris.

A. 1. *Tragopogon luteum* Ger. Park. parad. *flore luteo* J. B. *pratense luteum majus* C. B. **Yellow Goats-beard.**

Radice est lacte turgente dulci, minimi digiti crassitudine, longa, pastinacæ quadantenus simili foras nigricante, intus alba; *Caule* cubitali, tereti, glabro, solido, *foliis* ab imo ad summum vestito, ferè Porraceis, carinatis, caulem amplectentibus: ex quorum sinu rami pronascuntur, quorum summis insident *flores* magni denso foliorum radiatorum agmine stipati, lutei, qui in pappos abeunt *semine* appenso longo, magno, aspero, cinereo.

Locus. In pratis & pascuis passim provenit.

Ratione loci magnitudine variat, hinc duæ species apud Parkinsonum.

* 2. *Tragopogon minus luteum* Park. *Tragop. folio oblongo, sinuato* C. B. **Goats-beard, with a long waved leaf.**

C. B.

Radice est oblonga, lacteo succo manante: *caule* gracili, pedalis altitudinis, raris *foliis* alternatim septo, quæ oblonga, non multùm palmo breviora, at angusta, sinubus brevioribus & quasi serratis exasperata, pallidéque virentia. Caulis summo *flos* insidet pallidè luteus, magnus, Tragopogo vulgari similis, ex calice magno, apicibus acutis donato prodeunte: quo marcido *semen* oblongum in materia villosa alba latitans succedit. *Fortè præcedentis varietas est.*

Locus. Monspessuli legimus, inquit C. Bauhinus, descriptionis autor.

Tragopogon spicatus *Hist. Lugd.* si non sit figmentum, certè Tragopogi genuini species, non esse, sed alterius cujusdam generis videtur.

3. *Tragopogon purpureum* Ger. Park. *flore purpureo* J. B. *purpuro-cœruleum Porri folio, quod* Artifi *vulgo* C. B. **Purple Goats-beard.**

Quælibet plantæ pars vulnerata *lac* fundit, album emanans, mox in luteum facessens, viscidum, quod *radici* rectæ, digitali vel minori crassitudine, teneræ copiosum & dulce cùm sit, culinis expetitur. *Caules* inanes, ramosi, majores & firmiores quam Scorzoneræ, *foliis* multis stipantur Porraceis, quæ interdum valdè lata, interdum angusta, longa, acuta. *Flores* in summis caulibus & ramulis, foliis octo, novem aut decem, virentibus, longis & acuminatis obvallati, tribus unciis, superantes; qui colore sunt vel atro-purpureo, vel purpuro-cœruleo, vel cœruleo; qui postea in pappos abeunt, quibus adhæret *semen* duas uncias longum, teres, striatum asperum, per maturitatem extremam nigricans.

Hæc planta totâ specie differt à Tragopogone luteo, & non floris tantùm colore variat, ut vult Lobelius. Nam nec luteus ita longa & porracea habet ima folia, sed breviora, triplo angustiora, rigidiora; nec in montosis oritur, sed in pratis & pascuis depressioribus tam calidarum quàm frigidiorum regionum. Præterea florum effigie inter se distant & magnitudine: purpureo namque minor est flos, atque calicis apices radiantes circumcirca altero tanto floris diametrum excedunt, ita ut floris ambitus parvus videatur respectu calicis atque radiorum ipsius expanso flore. Luteæ verò speciei vulgari plenior admodum est atque grandior, calicis apices magis occupans.

Locus. Circa Flaminianum villam, & Cirinolæ, inque Æquicolorum valle *Colloroscio* dicta purpuream, nigro-purpuream & obsoleti coloris plantas invenit & eruit F. Columna.

Vires. Radices in deliciis habentur tum coctæ, tum etiam crudæ in acetariis, lancinationibus æstuantibus ventriculo ac thoraci auxilio sunt.

Valdè nutriunt, unde tabidis & macilentis conducunt. Vitiis pectoris, tussi & respirationi difficili, necnon pleurisi mederi dicuntur; quod quomodo efficere possint, siquidem dulcia sint, non videt Casp. Hofmannus. Urinæ quoque stillicidio subvenire & calculum expellere creduntur; unde *Sassifica* seu *Sassifrica* quasi Saxifragæ Italis dictæ sunt. Sed & vulneribus utiliter imponuntur.

Eadem præstat tum succus radicis expressus, tum aqua ejus destillata.

4. *Tragopogon æstivum* Park. **Summer Goats-beard.**

Tragopogo vulgari luteo aut purpureo minus est *caule* unico pedali assurgens, tribus vel quatuor *foliis* septo, angustis, oblongis, brevioribus tamen quàm supradictorum, & ad basin seu exortum latioribus, paulatim deinde ad mucronem usque angustatis, pallidè viridibus cum costa media albente. *Caulis* in duos trésve ramulos brachiatur, quorum unusquisque caput amplum sustinet, quod cum aperitur *florem* ostendit parvum pallidè ex cinereo purpureum vel carneum, matutino tempore expansum, circa meridiem se claudentem: calicis folia ultrà florem in acutos mucrones producuntur. Flore dilapso capitulum augetur, *semina* continens, quorum exteriora in ambitu majora sunt, & pappo destituta, interiora minora. *Radix* longa est & lignosa, ante hyemem marcescens. Radix etiam juvenis & tenera, Foliáque seu rupta, seu incisa, vix aut nè vix quidem lactescunt.

Hæc planta Parkinsono succrevit ex semine Italiâ misso: seipsam autem non reseminat ut pleræque aliæ hujus generis, sed oportet ut vere de novo quotannis seratur, unde & æstiva denominatur. Verisimile est semen in terram delapsum in regionibus Septentrionalibus hyberno frigore corrumpi.

Plantam hanc Cantabrigiæ in hortulo nostro aliquot annis sevimus.

* 5. *Tragopogon gramineis foliis hirsutus* C. B. *Apulum suave-rubens* Park. *alter gramineo folio, suave rubente flore* Col. **Rose-coloured Goats-beard.**

Col.

Radice est parva, omnium minima, trientem longa, in summo rubescente, reliquum albâ, durâ, lactescente, gustu dulci, multis lateraliter obliquis fibris humum amplexante: *Foliis* angustis, dodrantalibus, gramineis, hirsutis, tactu lævibus extrinsecus, intus verò albidioribus, tactúque deorsum versùs asperis, ut in Hordeaceis: *Caule* longo, bipedali, tenui, albicante, tereti, nervoso, duro, foliis multis densè alternatim illum cingentibus, circa nodos latioribus, raris alis diviso. In summo, ex magno respectu plantæ calice, octo foliolis radiantibus diviso, *flos* intus ex albo rubens seu carneo colore suave-rubens, undecim foliolis intus alia foliola continentibus compositus, ex quibus *stamina* nigrocœrulea lutea acie pulverosa, in medio elevantur, umbonis vice. Flos huic cùm semina perfici incipiunt occultatur, calice inclusus, papposa seminum cacumina exserente. Hujus *calix* angustus est, inani longóque insidens collo, oblongis *seminibus* refertus, quorum exteriora ab aliis omnibus differentia, oblongiora internis, non in pappum desinunt, sed in quinque [duas breves tenuiores, & tres longas admodum] aristas: reliqua verò interna semina pappum ut congenera insidentem habent, ipsaque breviora sunt: omnia lævia, omnium minora, angustiora, etiámque flaventia. *Sapore* ab aliis differt nihil.

Maio floret & perficitur. Cirinolæ Apuliæ in Pyrastrorum sylvula illa exoritur propè D. Rocchi ædem. Floris colore, & seminibus in capitulo exterioribus ad præcedentem accedit. *Locus. & Tempus.*

* 6. *Tragopogon gramineo folio, radice villosa* C. B. *Trag. folio gramineo, flore albo & luteo cum tantilla purpura* J. B. *luteum angustifolium* Park. **Grass-leaved yellow Goats-beard.**

J. B.

Foliis est minoribus, Garyophyllorum florum sylv. alborum foliis similibus, angustis & acutis: *Radix* aliis Tragopogis similis, capite capillato: *Caules* tenues, rotundi, in quorum supremitatibus *capitula* Cyano similia, ex quibus ubi aperiuntur prodeunt *flosculi* albi, aliis similes, nisi longiores & acutiores essent, similes Bellidi majori. Provenit incultis locis humidis. Floret Junio & Julio.

Huic idem nobis videtur Tragopogon parvum ex luteo purpurascens *C. B.* i. e. Trag. parvum flore Chondrillæ purpuro-cœruleæ *Lob. ob.* quam Spithamæam pusillam plantam vocat, nulla sui parte à Tragopogis dissidentem: *Flore* Chondrillæ ex luteo tantillum purpurascente: *Foliis* gramineis, palmum longis; in Hetruria & agro Romano obviam.

Caput capillatum radicem perennem esse arguit. Descriptio hujus adeò brevis est & obscura, ut non satis sciam, quæ planta sit, an fortè Scorzoneræ species?

In Horto Regio Parisiensi colitur.

* 7. *Tragopogon purpuro-cæruleum crocifolium* C. B. *crocifolium purpureum* Park. *crocifolium mont. flore nigro-purp. sive Theophrasti & Dioscoridis* Col. **Saffron-leaved, purple Goats-beard.**

Col.

Hujus *folia* Croci folia itâ æmulantur, ut angustiora potiùs quàm latiora censeantur, pedem & magis longa, trigona ferè, parùm rigentia, canaliculata, albâ lineâ in cavo percurrente crispa, & extuberante obliquè rugosa, ut etiam in Ornithogalo veriore observatur. Circa radicis caput, quod crassum, tuberosum & nigrum est, alba & longa lanugine obsita sunt folia, atque latam, candicantem originem ducunt, reliquò angusta, virentia & in acutum desinentia, & copiosa. *Radix* longa, recta, minimi digiti crassitudine, obliquas undique fibras tenues atque densas emittens, crasso cortice, medullâ lignosâ. *Caulem* edit in imo crassum, rotundum, solidum, lævem, atque tribus alis divisum subrubentibus, magnis, cauli ferè paribus, tenuioribus, lævibus: quibus, ut & cauli, ad nodos quatuor alternatim rarius disposita hærent foliola, in summo admodum tenuia. Omnibus in summo *calix* insidet magnus, crassus, quinquefoliatus; qui dehiscens parvum proportione quinque radiorum calicis ostendit *florem* nigro-purpureum, raris & angustis barbulis compositum, ex quibus singula *stamina* bifida, intorta prodeunt. Foliola verò illa nigro-purpurea & striata sunt, in extremo serrata, ibique lutea, sicut & circa eorum initium, quod convolutum est tubuli instar, ex quo staminula illa nigro-purpurea in summo bicornia, lutescentia atque hirsuta, veluti luteo pulvere inspersa. Brevi quidem tempore, non secus ac congenerum modo flos clauditur, atque *semen* concipiens intrà calicem, longam, canam, hirsutam, angustam, rigidámque hirco similem emittit barbam.

In Æquicolorum montibus & è regione Capuccinorum cœnobii inter Flaminianum villam, ac etiam supra viam quâ inde ad Castrum Podium Poponiscum itur. *Locus.*

SECTIO SECUNDA.

Herbæ flore composito naturâ pleno & planifolio lactescentes seminibus solidis.

CAPUT PRIMUM.

De Intybo sive Endivia Cichoreóque.

INtubus sive Intubum quòd *intus sit tofus* dici nugatur Isidorus *lib.*17. *cap.* 10. Saltem (inquit Vossius) cogitare debuit, quod ibidem ait, esse Græcum nomen. Gloss. ἴντυβον, *intyba*.

Intubum Latini vocârunt à cavo tubæ specie caule *Bod. à Stapel.* quod Etymon ejusdem commatis est cum Isidorano.

Cichorium Ægyptium nomen esse, & indè in Græciam, postea in cæteras nationes commigrâsse, verba Plinii, *lib.* 20. *cap.* 8. docere videntur. *In Ægypto*, inquit, *Cichorium vocant, quod sylvestre sit, sativum autem Serim.* Variè scribitur, Κιχόρειον cum ει diphthongo, quod secutus est Horatius in versu illo Alcmanico,

Me Cichoreæ levésque malvæ.

vel Κιχόριον cum simplici ι, Κιχώρειον verò (quod Atticum est) nomen hoc habere creditur παρὰ τὸ διὰ τῶν χωρίων κίειν, ὅτ' ἐστι πορεύεσθαι *quod per agros prædiáque vadat seu serpat.* Voss. Etymolog. J. Bodæo dictum videtur à κιχῶ invenio, reperio, quòd frequens in campis inveniatur. Cæterum Cichoreum à reliquis planifoliis lactescentibus dignoscitur floribus è lateribus caulium & ramorum exeuntibus velut spicatim.

Intybus autem à Cichoreo differt foliis brevioribus non laciniatis, & quòd annua planta sit, cùm Cichoreum perennet.

1. *Intybus sativa* Ger. *sativa latifolia sive Endivia vulgaris* C. B. *Endivia sativa* Park. *Intybum sativum latifolium* J. B. **Garden or Broad-leaved Endive.**

Æstiva est planta, hyemis apud nos haud facilè patiens, *radicibus* fibrosis, lacte prægnantibus. *Folia* per terram sparsa antequam caulescat, longa, lata, Lactucæ foliis similia, in ambitu subinde crenata, subamara. *Caulis* cubitalis & sesquicubitalis, lævis, striatus, inanis, multis ramis brachiatus, tortuosus, vulnere lac fundit. Flores ex foliorum (quæ in caule hederacea sunt, minora) alis emicant cœrulei, Cichorii sylvestris; semen quoque consimile.

Seritur in hortis.

Ab hâc non videtur aliter differre quàm ut spontanea à cultâ.

2. *Intybus sativa angustifolia* C. B. *Intybum sat. angustif.* J. B. *Intybum sylvestre* Ger. *Intybus sive Endivia minor angustifolia* Park. **Wild or narrow-leaved Endive.**

Quæ foliis est angustioribus, sapore amariore, *Caule* ramosiore; in reliquis cum priore convenit.

3. *Intybus crispa* C. B. Ger. *Intybum sativ. crispum* J. B. *Endivia crispa* Park. **Curled Endive.**

Hæc *foliis* est quàm Endivia vulgaris majoribus, ubique in ambitu crispis ac sinuatis; *caule* cæteris majore, crassiore, teneriore, ut rectè Matthiolus: *semine* nigro, Lactucaceo: cætera similis.

J. Bauhinus Hortulanorum mangonio Intybum crispam effici opinatur. Nos Intybum crispam à vulgari sativa specie differre existimamus, nec accidentia tam diversa & discrepantia arte induci posse.

Seritur Intybum in hortis, & quod vere satum celeriter adolescit, ac ipsa æstate florens semina profert, ac deinde intercidit: Julio verò satum in hyemem restat: Septembri aut Octobri terrâ obrutum, colligatis priùs foliis, nivis instar candidum redditur, ac deinde mensibus hybernis mensis aliorum acetariorum loco infertur. Et revera nostro palato Lactucâ ipsâ sapidius est & gratius.

Sim. Paullus in arena sicca tumulatam integram hyemem ad ver usque servari scribit: quo mangonio mirum dictu quàm fragilis & ori grata reddatur, ità ut magno delectamine anorexiâ alioqui laborantes eâ crudâ vescantur.

A. 4. Ci-

A. 4. *Cichorium sylvestre & sativum* J. B. *Cichorium Sativum & Cich. sylvestre sive officinarum* C. B. Ger. Park. **Garden and wild Succory.**

Radice est pollicari, lacte prægnanti. *Caules* ab eadem radice plures profert, teretes, hirsutos, in sylvestri tortuosos, bicubitales interdum, variéque in ramos summa parte divaricatos. *Folia* Dentis leonis profundè incisa aliàs integra aut quàm levissimè dissecta, pilosa, quæ in caulibus sunt alternatim adnascuntur absque pediculis, longa, in acutum desinentia, utrinque hirsuta: *Flores* successivè emicant, plures simul, è foliorum supremorum alis, sessiles & pediculis omnino destituti, pulchri cœrulei, è pluribus foliorum planorum extremitatibus latis & dentatis, ordinibus compositi. Tota planta amara insigniter deprehenditur. *Semina* pappo destituuntur. Flores interdum albi sunt. Caulis monstrosam acquirit latitudinem. Per culturam majus & mitius evadit.

Tanta est (inquit J. Bauhinus) Cichorii similitudo cum Dente leonis veris principio, ut difficile sit discernere has plantas.

Non solùm in hortis seritur, sed & sponte exit passim in Anglia secus vias & semitas locis incultis, & in agrorum limitibus, ac potissimùm (ut rectè Dodonæus) folia habens profundioribus incisuris laciniata, quod & reliquis amarius est. *Locus.*

Cichorium sativum (inquit J. Bauhinus) ego cum fratre non separo ab erratico, quod culturâ tantùm mutat nonnihil: si non colatur quod fuit sativum iterum fit erraticum.

Æstate demum & post solstitium floret. *Tempus.*

Variat interdum floris colore rubello & albo.

Cichoreum plerisque Botanicis frigidum censetur; verùm sapor amarus caliditatem arguit. *Vires.*

Intybus & Cichoreum (autore Matthiolo) selectissimum præbent medicamen immodicè calenti [aut etiam obstructo] hepati quocunque tandem modo usurpata, sive foliis recentibus crudis aut coctis comestis, sive succo, sive aquâ stillatitiâ aut decocto hausto, sive foliorum siccorum pulvere assumpto: modicè enim refrigerant & astringunt, inquit, quod nobis non probatur, quin potiùs attenuant & abstergunt, ut rectè Schroderus. Commendantur & in febribus. Usum radicis Cichorei in febre hectica insigniter laudat Crato ab experientia.

Aqua è floribus cœruleis destillata, inflammationibus & caligini oculorum imposita potenter remedium adfert. *Trag.*

Folia cocta ex aceto comesta gonorrhœam reprimunt. *Matth.*

Flos hujus plantæ ad Solis ortum & occasum se recludit, sive sudum, sive nubilum fuerit cœlum. *Trag.*

Notat Spigelius podagricis Cichorii sylv. herbam valdè conferre. In causa calida (inquit) nihil puto magis convenire, experientiâ edoctus quàm pulverem foliorum Cichorei sylv. mense Maio collectorum & in umbra exsiccatorum. Ejus datur ℥ i. vel ℈ij. in jure carnis pulli non saliti, manè quatuor horis ante prandium, & vesperi cum vadit dormitum, vel absque cœna, vel cum cœna pauca. *S. Paul.* Vidi in biliosa podagra incipientes jam fluxiones ità cessâsse ut mitior paroxysmus redierit, & breviori tempore durârit duobus vel tribus diebus continuis assumpto. *Spigel. de Arthritide.*

Joan. Rhodius Centur. 1. Observ. med. 44. testatur quòd Professor quidam Patavinus diu plurimis medicamentis quolibet anno sine efficacia tantùm non confectus mutato demum consilio jusculis Cichoraceis in prima mensâ haustis melancholiam hypochondriacam profligaverit.

5. *Cichorium verrucarium sive Zacintha* Ger. Park. *verrucosum sive Zacintha, Hieraciis adnumerandum* J. B. *Chondrilla verrucaria foliis Intybaceis viridibus* C. B. **Wart-Succory.**

J. B.

Paullùm admodum humo tollit *caules* graciles dodrantales, aut etiam cubitales, intùs fungosos, ramosos: ad quorum latera sessiles adnascuntur rari *flosculi*, alii etiam ramulorum extremis lutei: quibus in pappum evanescentibus succedunt pericarpia pulcherrima, verticillatim radiata, Lupini seminis magnitudine, in quibus *semen* copiosum Lactucæ par, non ita compressum. *Folia* oblonga, Dentis leonis, laciniata, multa per terram sparguntur, in ramis pauca. *Radix* longa, multis fibris donata.

Ad ostia Tibridis copiosè oritur: invenimus etiam spontaneam circa Liburnum portum & Florentiam.

Mira hujus plantæ facultas esse dicitur ad tollendas verrucas, vel *foliis* in acetariis devoratis, vel *succo* eorum illito.

6. *Cichorium spinosum* Ger. J. B. C. B. *spinosum Creticum* Park. **Thorny Succory.** *Chondrillæ genus elegans cœruleo flore* Clus.

Folia huic indidem plura ceu ex eodem puncto, alternatim oriuntur Cichorii, angustiora, sinuata, virentia, [crassiora & minora magisque amara quàm Cichorei vulgaris *Bello*] *Caulis* glaber in ramulos dividitur rigidiusculos, inconditos, multifariam divaricatos, in duras abeuntes spinas, Tragacanthæ aut potiùs Aspalathi Monspeliensis imitatione. *Flores* ad ramorum divaricationes, ipsorumque adeò surculorum cacuminibus impositi, cœrulei, denticulatis foliis constantes, duplo triplóve quàm Cichorei vulgaris minores, cui *semen* simile. *Radice* firmatur singulari, magnâ, ut Cichoreum.

In maritimis & siccis collibus & arenosis locis oritur, non in Creta tantùm sed & in Sicilia, ubi nos illud observavimus in insula parva à Promontorio Pachyno vi maris divulsa, ubi Arx Hispanorum præsidio tenetur. Floret Julio & Aug. *Locus.*

Recens semine nata antequam in caulem abeat in acetariis manditur, inquit Bellus, sed durior & amarior est Cichorio.

Vocatur vulgò, eodem referente, σαμραγάπ, i. e. *Hydriæ ſpina*, quia vulgariter in tota Creta fictilibus hydriis utuntur ad hauriendam aquam è fontibus, quas hâc herbâ obturant, nè mures aliúdve animal intus penetrare poſſit. Videtur enim ad hoc munus iſta planta à naturâ formata: nam ſemper rotundâ figurâ cernitur.

CAP. II.

De Lampſana.

Lampſana Dodonæi J. B. *Lampſana* Ger. emac. *L. vulgaris* Park. *Soncho affinis Lampſana domeſtica* C. B. **Nipplewort.** i. e. *Papillaris herba.*

RAdice nititur alba, ſimplici, ſurculoſâ tamen & variè fibroſâ. *Caulis* indè exurgit, bicubitalis & altior, teres, ſtriatus, pilis rarioribus hirſutus, rubeſcens, concavus, ramoſus. *Folia* ad radicem & in ima parte caulis uno vel altero pinnularum pari donata, extremitate latiore, magnitudine & figurâ ferè foliorum Sonchi lævis muralis, aut Barbareæ dictæ, mollicella, hirſuta, alternatim poſita: quæ in caulibus & ramis ſuperiora, oblonga, anguſta, acuta, nullis pediculis fulciuntur, nullis pinnulis lobíſve donata. Supremæ caulis & ramorum partes glabræ, in *flores* terminantur exiguos, luteos, è plurimis compoſitos floſculis, quorum ſingulis ſingula cohærent *ſemina* oblonga, nigricantia, nonnihil incurva, minimè pappoſa, utcunque J. Bauhinus flores in pappos abire ſcribat. Tota planta vulnerata lac fundit amarum. Floret Junio & Julio menſibus. In hortis & cultis frequentiſſima eſt.

Vires. Efficax eſſe cenſetur in ſanandis papillis exulceratis, unde & nomen Papillaris ſortita eſſe videtur.

CAP. III.

Hieracium falcatum alterum Ger. emac. *Hieraciis affinis Ragadiolus edulis* J. B. *Hier. florem inclinans* J. B. *capitulum inclinans ſemine adunco* C. B.

RAdice nititur ſimplici, alba, è lateribus fibras emittente. *Folia* ad radicem plura, in terram reſupina, Lampſanæ ferè figurâ, palmaria & ſemipedalia, principio anguſto ſinuato aut laciniato, lobis quibuſdam ſubrotundis utrinque velut pinnata, extremitatibus latis, obtuſis. *Caules* ex eadem radice plures exeunt, dodrantales aut pedales, teretes, hirſuti, medullâ albâ farcti [interdum etiam concavi] ſatis duri & rigidi, ima parte foliis nudi, ubi in ramos dividi incipiunt veſtiti. *Folia* hæc in lacinias acutiores dividuntur quàm quæ à radice exeunt, extremitatibus quidem latis nec minoribus, verùm in acutos mucrones productis. *Flores* in ſummitatibus caulis & ramorum perexigui, lutei, vix pluribus uno floſculorum circulo compoſiti, pro calice unico foliolorum ceu palorum vallo cincti, columnæ ſtriatæ ferè ſimiles cùm nondum aperiuntur. Flore delapſo ſingula calicis foliola ſingula *ſemina* ſinu ſuo amplectuntur (quod ſingulare eſt in hoc genere) & in ſtellam ſe expandunt, ſuperſunt adhuc in medio duo vel tria ſemina nuda introrſum flexa. Semina autem in hac ſpecie ſolida ſunt & pappo deſtituta. Flores alii ſeſſiles ſunt pediculis brevibus aut nullis, alii, id eſt, in ramulis extremi, pediculis, ſatis longis inſident. Tota planta lacte amaro ſcatet, ut congeneres.

CAP. IV.

Hieracium ſtellatum J. B. *falcatum Lobelii* Ger. *falcatum ſive ſtellatum* Park. *falcatâ ſiliquâ* C.B. **Star-ſeeded Hawkweed-Succory.**

J. B.

AD cubitalem altitudinem aſſurgit tenuibus *coliculis* & ramoſis, tantilla lanugine niſi propter terram vix hirtis, non ſine foliis multis. *Folia* primùm erumpentia Hedypnoidis, & pingui ſolo palmari & pluſquam ſeſquipalmari longitudine, ſextantali & quadrantali latitudine, nonnihil ſinuoſa, hirſuta. *Flores* ſimplices, parvi, Lampſanæ, lutei: quibus ſuccedunt *ſeminum* ſtellæ radiatæ hirſutæ, quæ poſtmodum falcis in modum incurvantur.

Locus. Propè Monſpelium non longè à Caſtro novo dicto hanc plantam invenimus. Habetur & alibi circa Monſpelium, & Bononiam in Italia.

CAP.

Cap. V.

* *Camara Vuba Brasilianis* Marggr.

Marggr.

IN eximiam altitudinem assurgit, *caule* hirsuto, nodoso. *Folia* quoque hursuta & ad tactum aspera, in ambitu serrata, Urticæ foliis similia, inæqualis magnitudinis, bina semper directè sibi opposita. In extremitatibus ramorum enascuntur *flores*, magnitudine florum Buphthalmi, egregiè lutei, novem foliis constantes, & in medio umbilico magno luteo, cui admixta staminula nigra, odoris quasi medii inter Urticam & Mentham. Post flores sequitur *semen* oblongum, nigricans, ut in Cichoreo. Planta ad tactum planè glutinosa sentitur.

Cùm planta hæc mihi incognita sit, neque Marggravius præcipuas ejus partes, flores putà & semina satis accuratè descripserit, an eam rectè hoc in loco posuerim non satis scio: suspicor tamen eam ad aliud potiùs genus pertinere ob folia in caule bina conjugatim posita.

Cap. VI.

Sesamoides parvum Matthioli Ger. *Chondrilla Sesamoides dicta* Park. *Chondrilla cærulea Cyani capitulis* C. B. *Catanance Dalechampii flore Cyani, folio Coronopi* J. B.

J. B.

FOlia habet Coronopi, hirsuta, candidiora, sæpe integra, aliquando uno aut altero denticello inæqualia, sapore nullo excellente. *Caules* cubitales in varios fissi ramos, non sine foliis, teretes, brevibus, sed aliquantum asperis, pilis obsiti, lac manant. Ramorum satis longorum extremis insident singulis singula squarrosa *capitula*, squamis pulcherrimis, membraneis, pellucidis, albicantibus, striâ rufescente per medium decurrente, laxo connexu incumbentibus, & tanquam æstu nimio squallidis, compacta: quæ in *flores* expanduntur cœruleos, Cyani æquales, sed foliorum formâ longè diversâ, quippe latiusculâ, non corniculatâ, extremâ orâ Cichoreorum ritu crenatâ, quorum singulis adnatæ fibræ ex purpureo flavescentes, *apicibus* luteis. Medium occupat cincinnus foliolorum corniculatorum, violaceorum. *Radix* subest crassa, longa, exteriùs rubens.

In aridis & saxosis collibus agri Narbonensis passim obvia: invenimus etiam propè Gratianopolin in collibus quos transivimus eundo ad maximum Carthusianorum cœnobium. *Locus.*

Hæc planta à reliquis hujus generis lactescentibus diversa est floribus non plenis ut in illis, sed discoidibus.

2. *Catanance affinis Sesamoides parvum flore magis completo Camer.* J. B. *Chondrilla cærulea Cyani capitulis altera* C. B.

Ad Intybacea potiùs referrem hanc plantam (inquit Camer.) cùm *radix* lacte non pauco turgeat. *Flores* Cichorii figurâ respondent, & alii simplici foliorum texturâ constant, alii densiùs stipantur, colore elegante cœruleo, *stamina* in medio lutea habentes, è quibus relinquitur *semen* subnigrum, angulosum pusillum, squamatis capitulis inclusum. Sapore est omnino dulci, nihil vel minimum amaritudinis obtinente.

Hanc à præcedente non puto specie differre, non magis quàm Matricariam aut Chamæmelum flore pleno ab eisdem cum flore simplici: nihil tamen affirmo. Hæc etiam frequens est circa Monspelium.

Cap. VII.

De Carduo Chrysanthemo dicto.

OB succum lacteum quibus turgent, & florem planifolium naturâ plenum plantas hasce huc retulimus, quamvis laciniatis & spinosis, caulibus etiam membranulis spinosis auctis Carduos simulent.

1. *Carduus chrysanthemus* Dod. *Scolymus Theophrasti Hispanicus* Clus. *Scolymus Chrysanthemus annuus* horti Regii Paris. *Carduus Chrysanthemus Hispanicus* Ger. emac.

Caule assurgit simplici, sesquicubitali, bicubitali, aut altiore, pollicis crassitudine, ab imo statim ramoso, ramis prælongis, alternatim è foliorum sinubus exeuntibus, spinis crebris acutis horridis, lacteis venis Cardui Mariæ in modum variegatis, quatuor aut pluribus fimbriis foliaceis laciniatis spinosis secundùm longitudinem productis. Summos caules & ramulos occupant *capitula* squamosa squamis lanuginosis, innoxiis sessilia, quatuor aut quinque foliis laciniatis, laciniis in spinas rigidas acutas terminatis binas ex adverso, extremo folio in prælongam cuspidem procurrente, cincta. *Flores* ipsi flavi, è pluribus flosculis aggregati, quorum singuli singulis insident seminibus, nullo pappo seu lanugine vel innascente vel adjacente. Tota planta lacteo succo turget. *Folia* primò erumpentia & quæ ad radicem sunt, sinuata seu laciniata sunt, ad margines spinosa, spinulis mitioribus, lineis lacteis Cardui Mariæ dicti in modum notata, iis tamen angustiora & minora multo. Semina in capitulo arctè stipata, compressa, alba, brevia.

Locus. Propè oppidulum S. Lupiani eundo ad Pedenatium & alibi circa Monspelium hanc speciem invenimus.

Vires & Usus. Salmanticenses (inquit Clusius) tenellam adhuc plantam & primùm germinantem, cum ipsa radice elotam crudam aut etiam coctam cum carnibus edunt: ipsius lacteo succo omne lactis genus coagulant; etiámque ejus flore Crocum adulterant, ut quædam nationes Cnici flore. Hujus autem radice sues non minùs libenter vescuntur quàm Eryngii.

Omnino specie diversa est hæc planta à Carduo Chrysanthemo seu Eryngio luteo Monspeliensi: est enim elatior, nec adeò longis crebris ramis luxuriat, *flores* tamen frequentiores profert; &, ni multùm fallor, hæc planta radice est annua, illa perenni. Quin & in ipso foliorum colore differentia est notabilis, cùm hujus albicent magis, illius flavicent; & in foliolis illis spinis utrinque acutis horridis capitula obvallantibus. *D. Magnol* in Botan. Monsp. conjecturam nostram confirmat, hanc plantam annuam esse, sequentem perennem affirmans: de qua etiam, utpote vivaci, intelligendum esse Clusium ait, dum tenellam adhuc plantam & primùm germinantem cum ipsa radice lotam, crudam aut cum carnibus coctam edi refert, &c. Nos tamen aliter sentimus, nimirum de hac ipsa planta verba Clusii accipienda esse. Vidimus enim in oppidulo quodam Siciliæ ad radices montis Ætnæ, octo supra Cataniam mill. Cardui hujus similis caules spinulis derasis crudos cum aceto & pipere acetarii loco à vulgo comestos: hujus inquam, simillimæ proceriores plantæ magnitudine præcipuè differentis: quin & icon Clusii hujus plantæ est, non sequentis, quam Clusius Scolymi Theophrasti Narbonensis titulo exhibet. Varietas illa hujus plantæ quam *proceriorem caule eduli* denominavimus, Scol. Chrysanth. Africanus procerior *Hort. Reg. Paris.* dicitur.

2. *Carduus Siculus Chrysanthemus procerior caule eduli. An Scolymus Chrysanthemus Africanus procerior*, Hort. Reg. Paris.?

Hic præcedente major est & procerior multo: caulibus & capitulis totâque adeò plantâ tomento seu lanugine obductâ; floribus & capitulis majoribus, foliolis spinosis paucioribus, iis tamen angustioribus, longioribus, robustioribus utrinque spinis armatis, obsitis quàm in illo: membranulæ quoq; spinosæ secundùm caulium longitudinem decurrentes angustiores sunt seu humiliores multò in hoc quàm in illo.

Locus. Ad radices montis Ætnæ observavimus rusticos caules hujus teneros membranulis & lanugine derasis, etiam crudos, in acetariis comedentes.

3. *Carduus Chrysanthemus Narbonensis* Ger. *Scolymos Chrysanthemus* C. B. *Scolymus Theophrasti sive Eryngium luteum Monspeliensium* Park. *Spina alba* J. B.

J. B.

Radice nititur pollicari, fulvescente, lacteum succum fundente, vescâ: ex qua *caulis* surgit bicubitalis & altior, multis alis concavus, hirsutus. *Folia* primùm erumpentia, palmo longiora, per terram sparguntur, dodrantem mox æquantia, viridantia lacteis maculis confusis, leviter sinuata, spinis horrida, lactiflua, at quæ in caule & ramis sunt, ut breviora, ità rigidiora sunt magísque senticosa, à quibus productæ alæ spinosæ, cauli ramísque adnatæ, tum hos, tum illum intractabilem reddunt. *Flores* inter folia resident aureo fulgore comantes, ex capitulo Ponticam nucem æquiparante, squamis innoxiis compacto, lac non secus ac folia fundente. *Semen* compressum.

Locus. In Italia, Sicilia & Gallia Narbonensi ad mare præsertim frequentissima est hæc Spina.

HISTORIÆ

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER SEXTUS.

QUI EST

De Herbis flore Composito discoide papposis, non lactescentibus: *& primò*

De iis quæ florem habent radiatum.

Cap. I.

De Herbis rotundifoliis, floribus folia antevertentibus, in singulis caulibus singulis, seu De Tussilagine.



USSILAGO Latinis, Græcis Βήχιον dicitur eodem sensu, à commodo compertissimo quod præstat anhelosis & tussi afflictis. Nonnullis Chamæleuce dicta putatur quòd folium subtus albescat instar Populi albæ. Ungula caballina à similitudine foliorum.

Notæ ejus characteristicæ sunt Flores folia antevertentes & brevi marcescentes, in singulis cauliculis singuli, radiati: folia subrotunda subtus incana.

A. 1. *Tussilago* Ger. J.B. Park. *vulgaris* C.B. **Common Colts-foot.**

Folia huic circumscriptione subrotunda, multis angulis prædita, Petasitis similia sed minora multò, infernè subalbida, supernè virentia cum tantillo tomenti quod digitis facilè potest detergi. Plures ex eadem radice, seu potius radicis capite, emittit *Caules*, palmum & non rarò dodrantem altos, concavos, tomentosos, rubentes, foliolis vestitos iis quæ è radice exeunt multùm dissimilibus, nimirum longis, acutis, tenuibus, nullis pediculis, cauli appressis, alternatim positis, *Flores* sustinentes singuli singulos, luteos, foliolis numerosissimis in ambitu radiatos, flosculis plurimis quinquepartitis [cum stylo in medio] densè stipatis, luteis, medium discum componentibus. *Radicibus* tenuibus albis sub terra reptat & latè se propagat.

Flores cum caulibus brevi quidem marcescunt (verùm non intra diei unius duorúmve spatium, ut nonnulli scripsere) ex quo factum ut aliqui herbam hanc sine flore ac sine calice esse existimaverunt.

Locus. Natales circa Scaturigines aquarum & loca rigua.

Vires. Folia hujus recentia temperatis proxima sunt; unde extrinsecus imposita [cum melle trita Diosc.] ulceribus calidis & inflammationibus [ut & Erysipelati] prosunt: siccata verò modicè acria & calida evadunt. Eorum fumus [per infundibulum ore exceptus ac deglutitus secundùm veteres, rectiùs tubo inditorum & incensorum haustus, ad modum Nicotianæ] tussi, orthopnœæ, vomicisque pectoris conducit. Ad hos usus paratur Syrupus ex succo foliorum recentium: item conserva, tabellæ & eclegmata. Ad eadem valent & radices siccatæ. Summâ thoracica est insignis.

Ubi sylvestris nascitur Tussilago subesse aquas credunt, & hoc habent signum Aquileges, teste *Plinio* lib. 26. cap. 6.

Hujus radici adnasci dicitur subalbida quædam lanugo, quæ à radicum segmentis priùs expurgata, & deinde linteolis involuta, & in lixivio parùm decocta, addito salis nitri aliquanto, ac demum sole siccata, omnium optimus est fomes ad ignem ex silice excussum excipiendum: quippe adeò ignis capax est, ut primo statim chalybis concussu accendatur. *Jo. Bod. in Theophr. hist. lib. 7.* cap. 12. pag. 877.

Tussilaginis foliorum cum flore Sulphuris & Succino in pulverem comminuto mixtorum & incensorum fumus ore haustus instar Nicotianæ phthisin aliquando sanavit. *D. Boyl. de utilitate Philosoph. nat. ad medicinam.*

D. Hillerus Med. Marchionis Brandeburgici pueros Atrophiâ laborantes plurimos restituit solis foliis ungulæ caballinæ, quæ & concisa oleris ritu, & pulte farinacea imbuta, atque in butyro Salviæ in modum frixa comedenda diutiùs exhibebat *D. Soame* ex * Observat. Hieron. Reusneri à Velschio editis.

* *Obs.* 147.

2. *Tussilago*

2. *Tussilago Alpina* Ger. emac. *Alpina minor folio rotundo* J. B. *Alpina folio canescente* Park. *Alpina rotundifolia canescens* C. B. **Smooth mountain Colts-foot.**

J. B.

Quinque aut sex, interdum duodecim, *folia*, humi fusa, Chamæcisso vulgari non valdè dissimilia, circinatæ ferè rotunditatis, nisi levi sinuum vestigio inæqualia essent, supernè cum saturo virore splendentia, infernè tomento albo obducta, magnitudine semunciali, aut plusquam unciali, longiusculis hirsutis pediculis nixa, exiccante initio gustu, deinde amaro. *Caulis* purpurascens, unicus, palmaris aut cubitalis, concavus, lanuginosus, *florem* in summo gestat singularem, magnum, purpurascentem, alioqui Tussilaginis similem, in pappos fatiscentem, *semine* affixo, longo, gracili. [Brevi postea arescit & perit cauliculus, ut reliquo anni tempore sine caule planta conspiciatur.] *Radix* villo obvoluta, satis crassa, longis fibris capillata. Clusius radicem fibrosam serpere affirmat, & in latum se diffundentem multas propagines agere, tenuibus fibris sese firmantes.

Locus. Oritur (inquit Clusius) in summis Austriæ & Stiriæ jugis, & totos interdum cespites occupat. Nos in Alpibus Stiriacis primò, postea in monte Jura, (ubi & J. Bauhinus) observavimus.

Tempus. Sub finem Junii, utplurimum floret, interdum verò tantùm Augusto mense, pro aeris constitutione.

3. *Tussilago Alpina glabro folio* Clus. Park. *Alpina rotundifolia glabra* C. B. **Smooth-leaved mountain Colts-foot.**

Clus.

A priore non multùm dissidet, figura enim foliorum eadem est, sapor idem, flos similiter purpurascens, radix etiam summa tellure serpens, novásque plantas subinde producens: *folia* duntaxat paulò ampliora nonnunquam conspiciuntur, neque adeò splendent supernâ parte, neque aversâ candicant, sed tantummodo nonnullis villis obsita sunt.

Locus. Invenitur in superiore collis parte post monasterium *Neuberg*, ad radices celsissimi jugi ejusdem nominis. Postea etiam observabam inferioribus jugis aliarum Alpium, gramineis locis. *Clus.*

CAP. II.

De Herbis rotundifoliis floribus folia antevertentibus, in thyrsum congestis, seu

De Petasite.

PEtasites à foliorum amplitudine & forma Petasum seu galerum referente dicitur.

Notæ ejus diagnosticæ sunt flores folia antevertentes, in eodem caule plures in thyrsum dispositi, nudi, brevì unà cum caulibus exarescentes: folia subrotunda Bechii, sed majora.

A. 1. *Petasites* Ger. *vulgaris* Park. *major & vulgaris* C. B. *vulgaris rubens rotundiori folio* C. B. **Butter-burr; Pestilent-wort.**

J. B.

Caules primò omnium erumpunt dodrantales plus minùs, concavi, lanuginosi; *foliis* angustis acuminatis vestiti, qui in thyrsum fastigiantur *florum* purpurascentium, nudorum, in pappos tandem evanescentium, quorum delapsui succedunt marcescente caule, *folia* amplissima, Tussilaginis figurâ, sed duplo triplóve majora, ad pediculum falcata, rotunda ferè & in ambitu duntaxat serrata, non angulosa, ut Petasitidis albæ, infernè lanugine incanâ pubescentia, supernè obscurè virentia, nec penitus tomenti expertia. *Radix* crassa amarescit, & reptando se propagat.

Locus. In humidis propè fluviorum ripas, juxta lacuum ac stagnorum margines ac vicinos aggeres libenter nec rarò provenit, ut rectè Dodonæus.

Tempus. Circa Calendas Aprilis Spica cum floribus viget, sequuntur deinde folia in hyemem usque permansura, novis subinde subnascentibus. *J. B.* In calidoribus regionibus, atque etiam frigidioribus, vere blando, & temperato Martio mense aut Februario exit.

Vires. Insigniter amara est, sed non perinde acris. Germanico vulgo Pestilentialis radix dicitur, quia experientiâ comprobatum est mirificè eam conducere pestilentialibus febribus. Radices cortice exutas aceto indunt quoad viribus imbutum fuerit, éxque illo cum Rutæ succo & Theriacâ propinant. Commendatur etiam in lipothymia uterina, spiritus difficultate, tussi, asthmate. Facit & ad latos ventris lumbricos: urinam etiam & menses ciet. Extrinsecùs ad bubones & ulcera maligna prodesse dicitur.

Est locus (inquit C. Hofmannus) non procul oppido ex adverso Monasterii Gnadenbergici ultra Nigrum flumen, ubi folia excrescunt in humanam altitudinem, ut quasi inter arbores ambules.

2. *Petasites*

2. *Petasites albus anguloso folio* J. B. *Pet. minor* C. B. Park. **White-flower'd Butter-bur.**

J. B.

Radicem habet validam, crassitudine pollicari aut majore, longam, proserpentem, geniculatam, nonnihil ad Calami *Offic.* radices accedentem, cortice rubro tectam, cui alius subest lignosus, & in medio cartilaginea matrix alba, gustu calido, aromatico, acri, subamaróque, cui adnatæ fibræ multæ, mediocriter crassæ & longæ, colore albo. *Caules* profert multos, sesquipalmares, striatos, molli lanugine incanos, crassos, concavos, in quibus *folia* eâdem lanugine pubescentia, striata, oblonga, mucronata, sena septenáve aut plura, alternato situ, sine pediculo, vaginæ instar caulem foventia: in summo caule *flores* ante folia multi simul congesti, albi, quorum singuli componuntur ex *flosculis* plurimis quinquepartitis, in medio fibrillâ pallidâ donatis, multis foliolis viridantibus circundantibus. *Folia* angulosa, infernè densiore lanugine quàm supernè tecta, albioráque, ex pediculis longis, lactuginosis, albis, statim à radice exortis appensa.

Locus. Petasiten leucanthemon observavimus in declivibus montium quos transivimus eundo à *Gavia* oppido ad Genuam, Aprili florentem.

3. *Petasites minor folio Tussilaginis alter* Moris. prælud. Hort. Reg. Paris.

Petasitis folia scabra & aspera sunt; hujus autem * pronâ parte viridia, supinâ incana Tussilaginis instar: & nisi flos Petasiten proderet, vera videretur Tussilaginis species.

Hujus folium in horto Regio Parisiensi collectum & curiosè asservatum nobis ostendit *D. Sloane.*

* *Pronam partem vocat quæ cœlum respicit, supinam quæ terram.*

Cap. III.

De Conyza.

Conyza à κώνωψ dicta putatur, quòd culices lentore suo capiat, & pulices necet. Verùm Etymon hoc non probat Jo. Bodæus, est enim (inquit) inter κώνωψ & κόνυζα magna nimis differentia, Ego, salvo meliori judicio, dictum puto παρὰ τὸ κονίζειν, quòd pulvere fœdetur, pulvisque glutine quasi ac pinguedine obsitis caulibus ac foliis inhæreat, quæ idcirco obsoleti non raro videntur coloris. Vel κόνυζα nomen accepit παρὰ τὸ τὰ κυνὰ ὄζειν, quòd caninum præ se ferat odorem. *Bod. à Stapel.* apud quem plura vide.

Cæterùm Conyzæ nobis dicuntur Herbæ flore composito in pappos abeunte, foliis integris, odoratæ, hirsutæ, & glutinosæ.

Vires. Frutex cum foliis substratu suffitúque venenatas bestias fugat, culices abigit, ac pulices quoque necat, autore Dioscoride: quæ præterea de ejus viribus Veteres habent apud ipsos vide: Conyza enim recentioribus dicta an eadem Veterum Conyza sit incertum est.

Officinis nostris rarioris usus est. Ad profligandam scabiem unguentum ex radice ejus & foliis parant nonnulli.

1. *Conyza major* Ger. *major Monspeliensis odorata* J. B. *major verior Dioscoridis* Park. *mas Theoph. major Dioscoridis* C. B. **Great sweet Fleabane.**

J. B.

Caule fruticat sesquicubitali & bicubitali, multiplici, lignoso, rigido, hirsuto & tactu glutinoso, [Clusio obsoleti coloris] in multos ramos brachiato. *Folia* germinatione prima inordinata, alternatim caulem amplectentia, tres uncias longitudine æquant, non totam unciam lata, [Clusio duplo quàm Oleæ majora] obiter serrata, mollia, pilosa, & glutine quodam lento viscida, ex viridi pallentia. *Flores* secundùm extremos ramos spicatim frequentes exiliunt lutei, Clusio rotundi, Senecioni ferè similes, in pappos evanascentes, *semine* parvo, cineraceo. *Radix* subest crassa, fibrosa, vivax, quotannis novos plurésque caules proferens. Tota planta pinguis, glutinosa & odorata est cum quadam gravitate.

Locus. In Italia, Sicilia & Gallia Narbonensi passim provenit juxta vias & vinearum margines.

2. *Conyza minor vera* Ger. J. B. *minor vera Penæ* Park. *fœmina Theophrasti, minor Dioscoridis* C. B. **Small true Fleabane.**

J. B.

Tam hæc majorem refert, ut qui illam nôrit & hanc quoque oblatam noverit, odore simili sed vegetiore. Ea minor est præcedenti, cubitum ferè alta, utplurimum recta, quod in altera non temere videas, ramosa. *Folia* multò tenuiora, angustiora, breviora, subhirsuta, viscida, uti est & caulis. Extremi ramuli secundùm longitudinem, velut in majore, *flores* sustinent minores, & longè minùs splendidos, numerosiores, in pappum similiter evanescentes. *Radix*, inquit Clusius, omnium quidem quas observavi ejus generis stirpium singularis & annua.

Locus. Provenit circa Monspelium & in Italia ad mare inferum. Floret cum Majore sub Autumnum, & subinde semen profert. Crescit (inquit Clusius) frequentissimè in agris non procul Madritio, viâ quà Toletum itur.

Conyzam

Conyzam minorem illam quæ in Bætica naſcitur longè odoratiorem eſſe intelligo ſuprà deſcriptâ, licet formâ non ſit diſſimilis, ut ex planta ſicca, quæ mihi conſpecta (monſtrante Guil. Boelio) conjecturam facere queo. *Cluſ.* in Cur. poſt.

* 3. *Conyza Syriæ quibuſdam* J. B. *minor Rauwolfii* Park. *major altera* C. B. **Small** Syrian **Fleabane.**

Rauw.

Plures ex eadem radice profert *Cauliculos*, circiter pedem aut paulò amplius altos, quorum nonnulli ſunt ſurrecti, potiſſima verò pars humi procumbit, novâſque fibras agens, ſubinde alios cauliculos producit. Longiuſcula habet Oleæ folia, pinguia, ſubhirſuta, ſatis gravis odoris, cui tamen ſuavitas quædam admixta eſt: alioqui floribus & cæteris notis Majori non valdè diſſimilis.

Locus. Circa Tripolim Syriæ obſervavit Rauwolfius, cujus deſcriptionem Cluſius Latinè vertit.

* 4. *Conyza Pannonica lanuginoſa* C. B. *Auſtriaca* 3. *Cluſii* Ger. *Aſteri montano hirſuto magno flore, ſive Oculo Chriſti ſimilis ſi non idem, ſive Conyza* 3. *Cluſii* J. B. **Hoary** Auſtrian **Fleabane.**

Cluſ.

Pedales habet interdum *caules*, rectos, firmos, duros, incana lanugine tectos; quibus longa inhærent *folia* Conyzæ majoris foliorum amplitudine, mollia, incana, hirſuta, dorſo prominente, longiore quæ circa radicem ſunt pediculo, quæ autem ſuperiorem caulis partem amplectuntur brevi aut prorſus nullo: ea trita non injucundum ſpirant odorem, guſtata amariuſcula & acriuſcula deprehenduntur. *Flores* extremo cauli & ramulis illi inhærentibus inſident magni, Helenii florum formâ, multis foliolis luteis medium diſcum ſeu orbem palleſcentem ambientibus, nullo odore præditi. *Radix* longa, tenuis, nigricans, ſerpens, ſubinde ad ipſa capita unde caules prodeunt, multas candicantes fibras undique ſpargens, reſinaceum quippiam olet, guſtatáque amara & acris deprehenditur, vivax & perennis.

Locus. Exit ſponte ſiccis & aridis locis, herbiferis tamen, declivibus collium ad Zimmerin, quà ad Phaſianorum iter eſt, primo ab Urbe Vienna milliari, ad Badenſes thermas, Radaun, Petronellam, atque ſecundum vias publicas. Floret Junio.

Johnſonus Gerardi emaculator hanc plantam *Conyzæ helenitidi mellitæ incanæ* eandem putat; ſed errat noſtro judicio. Conyza enim illa planta eſt aquatica. J. Bauhinus Aſteri montano hirſuto luteo magno flore, ſive Oculo Chriſti eandem ſuſpicatur: quocirca Aſteris illius deſcriptionem ex ejuſdem Bauhini Hiſtoria mutuatam hìc ſubjiciemus.

Geniculatim veluti incedit obliquè acta *radix*, nigricans, craſſiuſcula & capitata, fibras ſatis longas & numeroſas demittens, ex pluribus diſparatis capitibus, ſubinde in unum coeuntibus conflata. *Caules* complures ex ſupina radice pedales & majores ſurgunt, nonnunquam palmares tantùm, pilis obſiti, *foliis* veſtiti ſuperiùs raris, frequentibus verò terram proximè, tomentoſis, albidis, uncias tres vel quatuor longis, ſemunciam latis, ex principio anguſto valdè viroſo. *Flores* in ramulorum extremis eminent ſingulares, magni, aureis in ambitu comantes foliis, diſco concolori, foliis flori circumjectis, albidis, evaneſcentes in pappos.

Hæc C. Bauhino Aſter Atticus luteus montanus villoſus magno flore dicitur. *Lob. ico.* Aſter montanus hirſutus, *Lugd.* Aſter luteus ſive Oculus Chriſti minor.

Hanc invenit J. Bauhinus propè Pontem *du Gard* inter Nemauſum & Avenionem.

A. 5. *Conyza media* Ger. *media Aſteris flore luteo, vel tertia Dioſcoridis* C. B. *media Matthioli, flore magno luteo, humidis locis proveniens* J. B. *Herba dyſenterica* Cat. Altdorf. **Middle Fleabane.**

Ad cubitum unum & alterum excreſcit, interdum altiùs *caule* tereti, firmo & ſatis craſſo, lanugine incana obducto, lento, ſolido, rubente: *foliis* crebris nullo ordine accreſcentibus, alis utrinque caulem amplectentibus, anguſtis & oblongis, acuminatis, rugoſis, albicantibus villoſis, ad margines interdum velut ſinuatis. Ex alis foliorum ab imo ad ſummum uſque ramuli exeunt, quorum extremis ut & ſummo cauli inſident *flores* Buphthalmi, circinatâ foliolorum luteorum anguſtorum ſerie diſci medii orbitam concolorem ſed ſaturatiorem radiatim ambiente, odore nullo excellente, ſemine ſuccedente.

Radix ſubeſt caulem craſſitie æquans, obliquè ferè acta, paucis ſed majuſculis fibris donata, nova ſubinde germina protrudens. Folia & ſummitates hujus plantæ digitis compreſſa ſaponem olent aut lintea ſapone repurgata.

Locus. Locis humidis & aquoſis ubique ferè tum in Anglia tum in exteris regionibus oritur.

Deſcriptio eſt J. Bauhini à nobis aucta.

Flores poſt nati in hac non minùs quàm in minore ſpecie ſupra primigenios eminent, ramulis quorum faſtigiis inſident medio caule altiùs exſurgentibus, ut in Gnaphalio vulgari.

Tempus. Julio & Auguſto menſibus floret.

A. 6. *Conyza minor* Matth. *minima* Ger. emac. *mediæ minor ſpecies, flore vix radiato* J. B. *minor flore globoſo* C. B. **Small Fleabane.**

Radix plurimis fibris majuſculis albentibus conſtat: J. Bauhinus radicem ei attribuit unicam, ferè palmarem aut ſeſquipalmarem, aliàs pauciſſimis fibris donatam, aliàs plurimis, nunc rectam, nunc capreo-

capreolorum ritu tortilem, lignosam, albam, insipidam. *Caulis* sesquipalmaris aut dodrantalis, teres, purpurascens, brevi & vix conspicua lanugine hirsutus, firmus, solidus, ab imo statim ramosus, ramulis crebris è foliorum alis exeuntibus. *Folia* alternatim posita, unciam aut sescunciam lata, tres uncias longa, per margines undulata & veluti crispa, absque pediculis immediatè adnara, vel glabra, vel brevi admodum lanugine hirsuta. *Flores* in summis caulibus & ramulis ex plurimis flosculis densè stipatis aggregati, calycibus squamosis, lanuginosis, limbo, seu circulo foliorum admodum brevium, luteorum discum pariter luteum ambiente. *Semina* minima non papposa. Flores post nati supra primos eminent, ramulis quorum summitatibus innascuntur medio caule altiùs exurgentibus, ut in Gnaphalio vulgari.

Julio & Augusto floret in locis ubi per hyemem aquæ stagnârant. *Locus & Tempus.*

* 7. *Conyza Alpina* J. B. *Jacobæa latifolia Pannonica altera* Park. *Jacobæa Alpina foliis rotundis serratis* C. B. **Mountain Fleabane.**

J. B.

Ramis frequentibus fruticat, sesquicubitali, rigido *caule*. *Folia* alternata ferè, pediculis uncialibus & sescuncialibus hærentia, ex rotundo nonnihil oblonga, uncias circiter ternas lata, paulò longiora, modicè in acumen desinentia, profundè in ambitu serrata, subtus incana lanugine pubescentia, suprà virentia. *Flores* ramulorum extremis crebri inhærent, lutei, Chrysanthemi similes, in pappos evanescentes.

In monte propè *Wesen*, non longè à lacu Tigurino mense Julio florentem observavit J. Bauhinus. *Locus.*

Gesnerus & J. Bauhinus hanc plantam Conyzis annumerant, reliqui qui de ea scripserunt Jacobæis; & revera foliis integris cum Conyzis convenit, nescio an odoratis, nec enim odoris ullius meminit Clusius aut J. Bauhinus.

* 8. *Conyza Sicula annua lutea foliis atroviridibus, caule rubente* Bocconi.

Boc.

Caulis hujus plantæ subrubens est, rotundus, pedalis, quandoque bipedalis altitudinis, in varias ac multiplices ramos diffusus, ad instar Linariæ *Belvedere* dispositos, circa quos *Folia* inferna longa, atro-viridia, angusta, Oleæ similia cùm primùm exeunt, deinde angustiora, & obtusa deveniunt Kali formâ. *Flos* aureus & minoris Conyzæ flore minùs compactus, qui senescente planta abit in pappos.

Excepto colore & exilitate partium multùm affinitatis habet cum Conyza minore vulgari. Annua est: palustribus locis circa Catanam urbem plurima nascitur.

* 9. *Conyza caulibus rubentibus tenuioribus, flore luteo nudo* Botan. Monsp.

Magnol.

Caulem habet cubitalem, rubentem, in varios ramulos subdivisum. *Folia*, cùm adhuc planta semipedalis est, Conyzæ majoris latitudinem habent, & Cisti ladaniferæ folia repræsentant, dum verò debitam acquisivit magnitudinem & floret, angustissima sunt & contracta. Ramuli omnes *flores* proferunt rariores multò quàm sint in superioribus, luteos, in calice rotundo & oblongo, nullis foliolis radiatim cinctos, & in pappos, evanescentes. Annua est planta, gravem habens odorem Conyzæ majoris.

Septembri mense invenit descriptionis Autor copiosè florentem in fossis humidis secus viam quâ à pago *Perauls* itur ad stagnum Volcarum, ad dextram: ubi & nos cùm Monspelii essemus, eandem observavimus & collegimus.

A. 10. *Conyza helenitis, mellita, incana Lobelii* J. B. *montana 4. seu incana* C. B. *helenitis mellita incana* Park. *incana* Ger. **Hoary sweet Fleabane-Mullet.**

Caulem emittit sesquipedalem, tomentosum, incanum ex *radice* fibrosa, Baccharis vulgaris non absimili. *Folia* oblonga, Digitalis foliis affinia, inferiùs exalbida seu cinericea, superiùs purpurovirentia, foliorum Rhapontici instar. *Flores* lutei, Conyzæ alterius similes, multo majores quàm Senecionis, mellis virginei odore, sapore amariusculo *Lobel.*

Nascitur in sylvis quibusdam Artesiæ. *Lob.* *Locus.*

Hanc plantam Johnsonus Gerardi emaculator pro Conyza Austriaca III. Clusii habet; C. Bauhinus quoque Conyzis montanis eam annumerat: Lobelius sylvarum incolam facit. Ego potiùs cum Parkinsono Conyzæ palustris foliis laciniatis varietatem facio: nam in aquaticis in agro Norfolciensi me ejusmodi Conyzam foliis integris vidisse memini.

* 11. *Conyza helenitis pilosa Lobelii* J. B. *Alpina pilosissima* C. B. Ger. *helenitis pilosa* Park. **Hoary Fleabane-Mullet.**

Proximè ad Conyzam helenitem, mellitam incanam accedit foliis, radice & floribus. In eo verò potissimum differunt, quòd & caules & folia admodum aspera & pilosa sunt.

Hæc nobis incognita est. Adeò pilosa est ut à quibusdam *Alpina pilosa* dicatur.

A. 12. *Conyza*

A. 12. *Conyza foliis laciniatis* Ger. emac. *aquatica laciniata* C. B. *helenitis foliis laciniatis* Park.
Jagged Marsh Fleabane.

Radicibus est tenuibus fibrosis: *caulibus* crassis striatis, concavis, versùs summitates in plures ramulos divisis. *Folia* tam quæ à radice exeunt, quàm quæ caules cingunt profundiùs laciniata, aut saltem ad margines sinuata. *Flores* stellati, flavi, reliquis hujus generis similes, in pappos abeunt. Tota planta *molli* & tenera lanugine obducitur, & mel nonnihil redolet.

Locus. In palustribus & aquosis nascitur. Nos eam in Insulæ Eliensis fossis palustribus circa *Marsh* & *Chatteresse* vicos observavimus, copiosissimè autem in fossis aquosis circa paludem *Pillinmosse* dictam in Lancastria: & palustribus arenosis prope Aberavon in Comitatu Merionethensi Walliæ.

Planta hæc Jacobæis potiùs quàm Conyzis annumeranda videtur ob folia laciniata, quamvis foliorum figurâ longâ & acuminatâ ab eisdem satis differat.

13. *Asteris* [*potiùs Conyzæ*] *altera species Apula an Baccharis* Col. *Aster luteus radice odora* C. B.
Yellow Starwort with an odorate root.

Col.
Radicem habet diuturnam, ex cespite Ellebori modo fibrosam; atque fibræ semipedales, duræ, nigræ, crasso cortice, carnosæ, pullo colore, sapore & odore aromatico, nervum albicantem intus lignosum, tenuem admodum ostendunt dissectæ, aliquibus etiam tenuibus fibris intermediis albentibus immixtis. *Folia** Asteris supradicti modo, crassis nervis multis prædita, in terram strata, lanosa, mollia, per ambitum obscurè dentata, colore ex viridi pallentia, odorata. *Caulem* è foliorum umbilico emittit, semipedalem, hirsutum, angulosum, foliis vestitum absque petiolo hærentibus, Drabæ vel Glasti modo, acutiore serraturâ dentatis; in summo duabus vel tribus alis divisum, in quibus *capitula* Asteris modo, tenuissimis barbulis ac densis radiantia, luteo umbone intus parvis flosculis constructo. Maio mense floret, & Junio vel Julio perficitur, *semine* in pappos abeunte exiguo & odorato. Hujus radicis odor & sapor adeò sensibilis naribus & gustui, ut nulla alia à Recentioribus descripta planta æquiparari ei possit.

* *Cernui.*

Locus. Rarior Cirinolæ in sylvula propè D. Rocchi ædem; frequentior in monte Majella dicta.

Ob radicem odoratam hanc plantam Conyzis annumeravimus, quamvis folia & reliqua plantæ superficies an odorata sit necne non dicit Columna.

Circa Messanam in Sicilia invenimus.

* 14. *Bantanica planta foliis Helenii* J. B. *An Conyza odorata, seu Helenium odoratum Salviæ odorem spirans Doct. Colii* * Clus.

* *Exot. lib. 4. cap. 25.*

Clus.
Hujus folia Helenii formam referunt [palmum longa aut majora, tres ferè uncias lata, per oras crenata, aliquot venis à medio nervo folium per longitudinem medium secante, inæqualiter nascentibus & ad latera excurrentibus prædita, pronâque parte incana: foliorum pediculi parvas appendices adnatas habebant veluti aures: tenelli rami & recenter nata folia albâ lanugine pubescebant, etiam in resiccata; & degustata aliquid amaritudinis habere deprehendebantur. *Clus.*] *Flores* parvi, flavescentes, & in pappos abeuntes; Conyza minores. Bantamæ comedunt.

Hanc ex India Orientali deportatam exiccatam tantùm vidit Clusius in chartis asservatam.

15. *Aster conyzoides Gesneri* Ger. emac. *conyzoides* Park. *luteus angustifolius* C. B. *Conyza marina* J. B. **Fleabane-like Starwort.**

J. B.
Prolixas sub terra agit *radices*, non sine fibris, in tuberosum velut bulbum tandem desinentes. *Caules* statim complusculi, dodrantales circiter emergunt hirsuti, foliis amicti frequentibus, duarum triumve unciarum longitudine, vix culmum latis, rigidis, nervo unico per longum donatis. Caulis superiùs divisus *flores* gestat Conyzæ majoris, luteos, in pappum evanescentes.

Locus. Cherlerus & Nos etiam in Gallia Narbonensi plantam hic descriptam observavimus & collegimus, in campestribus illis juxta montem Lupi.

Huic plantæ nec figura, nec descriptio, (nimis-quam illa brevis & ambigua) Lobelii satis exactè convenire videntur. Hinc C. Bauhinus Asterem conyzoidem Gesneri & Conyzam marinam *Lugd.* pro diversis plantis habet, hanc *Chondrillæ, Conyzæ facie, foliis angustioribus* titulo proponens, illam *Asteris lutei angustifolii*. Ego tamen J. Bauhini sententiæ potiùs accedo, nec libenter citra necessitatem Entia multiplico. Nescio annon rectiùs hæc planta inter Asteris species collocaretur, cùm nullius in ea odoris meminerint autores; & à Gesnero Aster dicatur.

At neque Conyzis annumeranda est, si eadem sit Chondrillæ alteri Dioscoridis Rauwolfio, ut volunt Bauhini fratres, siquidem ejus radix lactescit. Verùm nos Parkinsoni potiùs sententiam amplectimur, qui has distinguit, unde & superiùs de Chondrilla illa egimus inter Hieracia.

* 16. *Conyza Melitensis retusis foliis* Bocconi.

Bocc.
Surculis pullulat pluribus, pedalibus, rectis, ramosis, duriore pilo subasperis: *Foliis* pariter hirsutis, inordinatè caulem ambientibus, oblongis, indivisis, Hyssopi aut Oleæ foliis non dissimilibus,

atque

atque per extremum retusis. *Flores* huic radiati, in cacumine caulium auri luteo colore splendentes; quibus flaccescentibus succedunt *semina*, quæ Conyzarum more in *Pappos* solvuntur.

Gignitur inter difficultates & acclives ascensus saxorum & cautium Melitæ insulæ sub Capucinorum cœnobio. *Locus.*

An odorata sit hæc herba non dicit descriptionis autor *Paulus Boccone*; proinde an rectè eam hic collocavimus nescimus.

* 17. *Conyza montana Myconi, foliis Hyssopi vulgaris villosis* J. B. *Conyza montana pilosa* Park. *montana, foliis glutinosis pilosis* C. B. **Hairy mountain Fleabane of** Myconius.

Radice est lignosâ solidâ, intus candicante, foris nigrescente, minimi digiti crassitudine, gustu aliquantùm adstringente, exsucca non minùs quàm Suberis cortex. Ex hac *Stolones* multi prodeunt, teretes, villosi, solidi, dodrantales, in quibus *folia* tenuia, Hyssopi vulgaris, sed glutinosâ Ledi modo, odore gravi & viroso, & hircinum quid olente. In summo cauliculorum sunt *flosculi* Sonchо similes, luteoli, in pappos abeuntes. Gustu subamara est cum levi acrimonia, caput tentans.

Nascitur in saxosis, præruptis & montosis locis, præsertim inter saxorum rimas, florens Augusto maximé. *Locus & Tempus.*

Si hæc Planta rectè descripta sit, flore Sonchi, ad hoc genus minimè pertinet: mihi incognita est, nec cuiquam, ut puto, Botanico præter Myconium descripta.

* 18. *Conyzæ species foliis Virgæ aureæ* J. B.

J. B.

Folia per caules alternatim disposita, ferè similia Virgæ aureæ vulgaris foliis, quatuor vel quinque uncias longa, ex angusto pediculo longo dilatantur ad unciam unam, dein paulatim tendunt in acumen, eo modo quo Virga aurea, in iis pilos non animadvertit J. Bauhinus. Folia in superioribus partibus breviora & angustiora sunt, ex principio lato. *Caules* rotundi, cubitales & sesquicubitales, in aliquot ramos divisi, in quorum longis partibus supremis capitula magnitudinis circiter Chamæmeli lutei vulgò dicti, quæ cinguntur coronâ parvorum foliorum luteorum, ut cæteræ Conyzæ & Asteres; qualis discus sit non recordatur. Calyx constat ex foliolis sive squamis cinereis & albicantibus.

Collegit J. Bauhinus Spiræ in horto D. Tegnagel; vidit etiam apud Gesnerum; & reperit inter plantas siccas Val. Dourez. *Locus.*

An odorata sit planta nécne, (quâ solâ notâ Conyza ab Astere & Virga aurea differt) non dicit, unde nec nobis constat, ad quod genus propriè pertineat: verùm quoniam Conyzam eam appellat, nobis quoque Conyza esto.

* 19. *Conyza montana lutea foliis oblongis* C. B. *major montana Germanica* Park. **Great mountain Fleabane of** Germany.

Thal.

Caules surrigit plures cubitales & altiores, rotundos, virides, minùs glutinosos quàm Conyzæ majoris Diosc. dictæ, *foliis* cinctos crebris, nullo ordine positis, oblongis, acuminatis, colore viridi obscuro, quatuor aut quinque uncias longis, sescunciam latis. *Flores* lutei, quàm prædictæ Dioscorideæ nonnihil majores, in summis caulibus & ramulis singuli longis pediculis insidentes ut in illa, petalorum luteo-pallidorum circulo discum medium ambiente compositi, qui tandem fatiscentes in pappum abeunt.

Hujus & aliam seu speciem seu varietatem meminit Thalius, foliis longioribus, floribus minoribus.

Hanc plantam Parkinsonus in Anglia, multis locis sponte oriri tradit: verùm falsus est. Nobis certè incognita est, nec ullibi vel in Anglia, vel in regionibus transmarinis observata.

Cap. VI.

De Astere.

Aster dictus est à floribus stellarum instar radiatis.

Nobis Aster censetur Herba flore composito in pappos abeunte, inodora, foliis integris & indivisis, innoxia.

Difficile admodum est notam aliquam assignare quâ differat ab Astere Virga aurea dicta: Sive enim floris colorem accipias, non pauci Asteres sunt flore flavo aureóve; sive florum parvitatem, nonnulli ex Asteribus dictis flosculis sunt perexiguis, ut v. g. Asteriscus latifolius Virginianus *Cornuti*; sive flores in umbellas aut capitula congestos, crebros; in Asterum numerum relatas invenies nonnullas flosculis in summis caulibus creberrimis in capitula aut umbellas conglomeratis. Est ergo Virga aurea Herbæ species Asteri subordinata, floribus parvis, aureis, plurimis in summis caulibus in corymbos seu umbellas congestis.

1. *Aster montanus luteus Salicis glabro folio* C. B. *montanus foliis Salicis* Park. Ger. *Conyza media Monspeliensis, quibusdam Asteris Attici genus folio glabro rigido* J. B. Yellow Starwort with Willow-leaves.

J. B.

Caule est pedali & plusquam cubitali, striato, glabro, duro, foliis alternatim positis, pallidè virentibus, amicto, iisque duris, rigidis, nervosis, pediculis destitutis, semunciam latis aut paulò latioribus, tres uncias plus minus longis, acuminatis, leniter in ambitu crenatis. *Flores* Chrysanthemi, conspicuæ magnitudinis, lutei, è capitulo squarroso, *succedente* cum seminibus papposa lanugine: Atque hi quidem non secundùm caules & ramos nascuntur, sed Asterum modo singuli singulorum surculorum extremis insident. *Radix* subest longa, fibrata.

Locus. In collibus juxta *Castelneuf* & alibi in vicinia Monspelii oritur. Eundem observavimus in Germania juxta Rhenum flumen ex adverso Manhemii, & in sylvis supra Neapolin Italiæ versùs Camaldulensium cœnobium. Florere incipit Junio.

Ab hac non separat *D. Magnol* Conyzæ mediæ Monspeliensi affinem multifloram *J. B.* Nam in nostro inquit Astere flores aliquando singulares, & sæpiùs plures, umbellæ modo oriuntur: folia similiter admodum crebra sunt.

* 2. *Aster angustifolius sive* 6, *Austriacus* 4. Clus. *Ast.* 6. *Clusii* Ger. *Aster luteus Linariæ rigido glabro folio* C. B. *luteus angustifolius* Park. J. B. Narrow-leaved yellow Starwort.

Clus.

Pedalem altitudinem rarò superat, numerosas à radice (non minùs fibrosa quàm quarto *Clus.* nec pauciores illâ propagines agente) proferens *virgas*, graciles, duras, virides, quas frequentia, sed confuso ordine nascentia ambiunt *folia*, superiore angustiora, nigriora, duriora, Ptarmicæ vulgari non dissimilia, minimè tamen per oras serrata, amariusculo sapore, cui nonnihil acrimoniæ adjunctum sit. Summis virgis insident *flores*, quinto Clusii formâ similes, attamen minores, capite etiam foliato, sive crebris foliolis imbricato: ramosæ etiam circa summum sunt virgæ, sed rami matrem rariùs superant: *Semen* superiori simile.

Locus. In umbrosis montium urbi Viennæ vicinorum pratis, in ipsis etiam collibus herbosis, &c. copiosè crescit. Floret paulo seriùs superiore.

Conyza mediæ Monspeliensi aut Britannicæ Lugdunensium congener videtur. Planta J. Bauhino depicta ab hac diversa videtur, siquidem caulibus & foliis est villosis, & floribus in singulis virgis singulis.

Planta *D. Wheeler* in monte Olympo observata, & Itinerarii lib. 3. pag. 219. descripta descriptioni J. Bauhini caulibus villosis & floribus in singulis virgis singulis respondet.

* 3. *Aster auricomus glaber latifolius folio non rigido* J. B.

J. B.

Non penitus omni pilo caret, verùm tam brevem, támque rarum, tam per folia, quàm per caulem habet, ut visus vix capiat: adnascuntur autem alternatim *folia*, caulem pinnis complexa, unciam circiter lata, tres longa, nonnihil in ambitu sinuata: ex quorum uniuscujusque sinu palmaris circiter emicat pediculus, *florem* plerunque unicum, interdum binos sustinens, aureo intenso colore micantem, magnum, Tragopogonis lutei æmulum, disco luteo, denso extrinsecus agmine obvallatum foliorum viridantium, lævium, acuminatorum, tantæ longitudinis ut ipsum florem interdum superent.

Locus. In campestribus & squallidis propè montem Lupi collegit Cherlerus: At *D. Magnol* eum ibi diu frustra quæsivit.

4. *Aster lanuginoso folio sive* 5. Clus. *luteus lanuginosus* Park. *Austriacus* 5. *Clusii* Ger. *luteus hirsuto Salicis folio* C. B. 3. *Pannonicus Clusii, luteus folio hirsuto Salicis* J. B. Sallow-leaved Starwort.

Clus.

Caulibus est villosis, teretibus [gracilibus, firmis, cubitalibus virentibus aut purpurascentibus, ab una radice multis] dodrante altioribus, per quos alternatim nascuntur *folia*, nullis subnixa pediculis, Saligna circumscriptione, venosa, pilis obsita, semunciâ latiora, nonnunquam angustiora, unciam unam aut duas trésve longa, leviter in acumen desinentia [latâ sede caules amplectentia, sapore subamaro & acri] *Flos* summo insidet cauli Calthæ par, luteis per ambitum foliis [longiusculis, Helenii florem ambientibus foliolis similia, angustiora tamen, flavi coloris dilutioris] medio orbe satis magno è plurimis luteis muscosis flosculis compacto. Circa summum caulem à foliorum exortu terni, interdum quaterni aut plures exeunt ramuli, summum ipsum caulem superantes, singuli florem primario similem sustinentes. Resiccatis floribus *semen* exiguum in capitulis remanet, quod maturum cum pappo à vento discutitur. *Radix* admodum fibrosa est, nigricans, deinde novas propagines è lateribus emittens & recentibus fibris sese firmans.

Locus. Provenit plerisque locis ad montium & collium radices, secundùm vias agro Viennensi & cæduis Pannoniæ sylvis. Floret Junio, semen Julio maturat. Plantam huic similem, si non eandem, observavimus in Germania ad Rhenum, ínque Italia ad margines fossarum inter Liburnum & Pisas: semper in aquosis.

* 5. *Aster tomentosus luteus, Verbasci folio* Bocconi. *Ragusinus Verbasci foliis* Zanoni.

Bocc.

Folia promit à radice multa, oblonga, indivisa, tomentosa, Stachydis aut Verbasci cujusdam sylvestris æmula, candidiora: Inter hæc *caulis* dodrantalis rectus emergit, minoribus foliis cinctus, & ipse molli albentéque lanugine incanescens; cujus in cacumine *flores*, Asteris formâ, radiato foliorum ambitu lutei, qui in pappos solvuntur. *Radix* subest vivax, totáque planta si sub tectum hyeme revocetur, pluribus annis perennat.

D. Alexander Balam Autori nostro communicavit, verisimile tamen est D. Balam à D. Zanoni hanc plantam habuisse: pleniorem omnium partium descriptionem videsis apud prædictum Zanoni in Historia sua Botanica.

* 6. *Aster montanus luteo magno flore* C. B. *Ast. mont. prægrandi Helenii flore* Ad.

Lob.

Florem unicum luculentæ magnitudinis ostentat: magnitudine ferè colore & effigie Helenii, in *caule* singulari, cubitali, recto, gracili, *folia* ferenti fusca, magnitudine Asteris Italici, & adeò similia ut planè eadem putes: *Radice* fibrosa Succisæ aut Britannicæ Lugdunensis.

In montibus Allobrogum & Gallo-provinciæ celsis, nonnisi raro invenitur. *Locus.*

* 7. *Aster montanus alter folio & caule hirsutis* Ad. *Ast. Atticus luteus montanus villosus magno flore* C. B.

Proceritate & flore præcedenti non absimilis, sed *caule* & *foliis* hirsutis, longioribus, Cynoglossi nostri parvi paribus & similibus; *radice* verò minùs fibrosâ.

In monte *Capouladon* Junio mense cum flore reperitur, tum etiam in campestribus & squallidis montis Lupi. *D. Magnol.* *Locus & Tempus.*

Si Lobelius hanc & præcedentem plantam rectè descripsit cum unico flore in caule, à sequente seu Pannonico majore Clusii diversus sit oportet: quocirca an idem, an diversus sit in medio relinquo, suspicor tamen eundem esse.

8. *Aster Pannonicus major sive* 3. *Austriacus* 1. Clus. *luteus major foliis Succisæ* C. B. *lut. maj. Austriacus* Park. *lut. foliis Succisæ* Ger. **Great yellow Austrian Starwort.**

Clus.

Ex *radice* nigra, obliqua, multis albicantibus fibris capillata, & lateribus propagines fundente multa initio promit *folia*, Scabiosæ, aut ut veriùs dicam Succisæ foliis similia, dilutiore tamen viriditate & tenui etiam interdum lanugine prædita, gustu aliquantulum acri & amariusculo: inter quæ prodit *caulis* cubitalis & amplior, teres, plerumque rubescens, per quem sparsa sunt *folia*, jam dictis angustiora, mucronata, & nonnihil dentata: is extrema parte in aliquot ramulos divisus est, magnos sustinentes *flores*, ex multis quinque foliorum luteis flosculis, atque in orbiculare caput congestis constantes, quos per circumferentiam ambiunt oblonga, latiuscula, plana folia, elegantissimo colore flavo, nullo autem (aut certè perexiguo) odore prædita. Floribus succedens *semen* inter villosam quandam in capitulis materiam latet, angulosum & quasi triangulare.

Passim ad Alpium Austriacarum & Stiriacarum radices, aprico loco, nonnunquam etiam umbroso nascitur, ubi Julio floret, Augusto ejus semen maturum est. *Locus & Tempus.*

Considerandum proponit J. Bauhinus, an Britannica Gesneri & Lugdunensis tradatur à Clusio nomine Asteris tertii, Austriaci primi? quam ille Britannicæ Conyzoidis titulo describit. Verùm descriptiones non in omnibus conveniunt: Siquidem Britannicæ *caulis* incanus & villosus describitur, *folia* densâ, canâque lanugine subtus pubescentia. Unde Britannicam Gesneri & Asterem Pannonicum majorem sive 3. Clusii diversas plantas esse opinamur.

Ad hanc Gesneri & Lugdunensis Britannicam, h. e. Britannicam suam conyzoidem refert J. Bauhinus Asterem montanum luteum marem *Tab.* & dubitanter etiam Asterem montanum prægrandi flore Helenii *Ad. Lob.* cui & Clusius ipse Pannonicum suum tertium majorem eundem suspicatur: unde sequeretur C. Bauhinum in Pinace ex una specie plantæ tres fecisse; nimirum ex Astere Pannonico majore *Clusii*, Conyzæ affinem; Asterem montanum luteo magno flore; & Asterem luteum majorem foliis Succisæ: Verùm (ut diximus) Britannicam *Gesn.* & Asterem Pann. 3. *Clus.* rectè separat.

Hoc genus Asteris nos quoque in montosis non semel observavimus in Germania & Gallia. *Locus.*

9. *Britannicam conyzoidem, quibusdam Asterem Pannonicum Clusio dictum J. Bauhinus sic describit:*

Radice nititur obliquâ, repente, fibrosâ, acri cum aliqua aromaticitate: *caule* cubitali, incano, villoso, in alas aliquot circa summum diducto: *foliis* maximis quidem sesquipalmum longis, duas uncias latis aut amplioribus, reliquis palmum circiter longis aut brevioribus, semunciam latis, utrisque longâ, densâ, canâque lanugine subtus pubescentibus, sapore amaro præditis, citra ullam adstrictionem flore Helenii, sed minore multo, luteo disco in pappos avolante.

* 10. *Santolina flore amplo* Alpin. exot.

Alpin.
Planta conſpectu tenera, mollis, ac delicata, tota candida in montanis inſulæ Cretæ naſcitur, arboris figurâ, *foliis* parvis, oblongis, multis ſimul ſtipatis, circum ambientibus ramulos, & ſpiſſitudine occultantibus, candidis, Abrotani fœminæ adprimè ſimilibus, non tamen per oras ſerratis. Hæc planta ab una *radice* longa, craſſa, tenera *caulem* rectum, rotundum, digiti craſſitie, album emittit; ex quo virgæ exeunt rectæ, graciles, complures, in cacumine in ſurculos duos vel tres diviſæ, habentes flores Santolinæ, ſed quadruplo majores, ad Calendulæ vulgaris magnitudinem atque aureum colorem maximè accedentes: quibus ſuccedunt *ſemina* minuta, oblonga, Soncho proxima.
Planta eſt inodora, levi amarore linguam inficiens.
De genere hujus plantæ, & an rectè huc referatur nobis non conſtat. Nihil habet Alpinus de odore, nihil de pappo.

A. 11. *Aſter maritimus flavus Crithmum chryſanthem. dictus. Crithmum chryſanthemum* Park. Ger. *maritimum flore Aſteris Attici* C. B. *marinum tertium Matthiolo, flore luteo Buphthalmi* J. B. **Golden-flowered Sampire.**

J. B.
Suffrutex eſt maritimus, ſtatim ab ipſa radice multos emittens ſtolones, cubito altiores, rectos, robuſtos, teretes, rubentes, per quos *folia* denſiſſima, unciâ longiora, anguſta, craſſa, teretia, glabra, extremo inciſa, acri, ſalſuginoſo, aromaticóque ſapore prædita. Stolonum ſcapi in folioſos ramuſculos finduntur, quorum ſingulis inſidet *flos* majuſculus, luteus, in pappos evaneſcens.
Locus. Variis in locis maritimis circa Angliam obſervavi, v. in rupibus ad *Llandwyn* in inſula Angleſeia; in palude quadam propè *Hurſt-Caſtle* ex adverſo inſulæ Vectis copioſiſſimam.
Aſteris ſpecies eſt non Crithmi: unde *Aſter maritimus luteus Crithmum chryſanthemum vulgò dictus*, non ineptè inſcribi poſſit.

* 12. *Jacobæa Crithmi litorei foliis* Moriſ. prælud.

Moriſ.
Planta eſt bipedalis, *foliis* anguſtis, craſſis, oblongis, viridibus Crithmi chryſanthemi inſtar. *Florem* fert luteum Jacobææ, ſtellatum, cujus petala lata, lutea diſcum luteum ex plurimis floſculis arctè ſtipatis conflatum cingunt. Flos abit in pappos.

13. *Aſter Atticus Italorum flore purpureo* Park. *Italorum* Ger. *Atticus cæruleus vulgaris* C. B. *Att. purpureo & albo flore* J. B. **Purple** Italian **Starwort.**

J. B.
Caules habet cubitales & ſeſquicubitales, tenues, teretes, duros, hirſutos, ſubrubentes, *foliis* amictos oblongis, acuminatis, aſperis & piloſis, interdum crenis paucis inciſis, ſapore ſubaromatico & ſubamaro ac ſiccante. Caules circa faſtigium in ſurculos dividuntur, quibus *flores* inſident amœni, radiato Bellidis majoris poſitu, ſed colore violaceo [Dod. cœruleo-purpureo] aut albo, diſco medio fulvo, in pappos faceſſente. *Radix* tenuis, tranſverſa jacet, à qua multæ demittuntur fibræ, ſapore amaro, nonnihil aromatico & calfaciente, quidam aiunt nonnihil Caryophylli reſipiente. *Semen* parvum, ſublongum, Intybo non multum diſſimile.
Locus. Naſcitur incultis & aſperis collibus & convallibus, in Italia, Sicilia, & Gallia Narbonenſi paſſim obvius.
Duplex habetur latifolius & anguſtifolius. Sic qui maturiùs floret minùs altè aſſurgit, quàm qui ſeriùs.

14. *Aſter Alpinus flore purpuraſcente. An Aſteri montano purpureo ſimilis* J. B?

Radix ei ſatis craſſa, obliqua, intus nonnihil lutea, ſapore acriuſculo, fibris aliquot donata. *Folia* ad radicem plura, longa, anguſta, figurâ ferè Polemonii petræi *Geſneri*, ſaturo virore ſplendentia, ad latera nonnihil piloſa, at neque dentata, neque ſerrata. *Caules* ſemipedales aut dodrantales, ſurrecti, foliis veſtiti alternatim poſitis iis quæ ad radicem ſimilibus, ramoſi, ſingulis ramulis florem ſuſtinentibus Bellidis minoris, niſi quòd limbus ſeu corona foliorum radiatorum in margine, minoribus brevioribúſque barbulis conſtet, colore purpuraſcente præditis: interiores autem floſculi, qui fundum floris componunt, inter viridem quaſi & luteum colorem ambigunt.
Locus. In aſcenſu montium maximo Carthuſianorum cœnobio adjacentium Julii decimo ſeptimo florentem inveni.

15. *Aſter purpureus montanus* J. B. *Alpinus cæruleo magno flore* Park. *montanus, cæruleus magno flore, foliis oblongis* C. B. *Aſter* 7. *Cluſii* Ger. **Great blue mountain Starwort.**

J. B.
Radix huic ſatis craſſa, longa, nigricans, fibrata, in plura dividitur capita, ac ſe propagat: Ex quorum ſingulis emergit *cauliculus* unus, palmaris, rariùs dodrantalis, interdum etiam cubitalis, hirſutus, paucis foliis veſtitus, in ſummo *florem* geſtans majorem quàm vulgaris purpurei Aſteris, cætera

tera similem, foliolis cœruleis, purpureisve luteum veluti oculum stellatim ambientibus: quem in pappis appensum *semen* sequitur. *Folia* circa radicem multa, pilosa, unciam unam, duas aut tres longa, semunciam lata, per extremum rotunda. Autore Camerario, interdum globuli tumentes, villosi, propè radicem adnascuntur foliolis, éstque omnino minor vulgari Astere.

In summis jugis montis Juræ, item in montibus maximis Carthusianorum cœnobio imminentibus invenimus. Oritur herbosis Austriacarum Alpium jugis, inquit Clusius. Floret Julio. *Locus. Tempus.*

C. Bauhinus Asterum Atticum minorem *Cam.* ab Astere purpureo montano diversum facit, quàm rectè ipse viderit: ego J. Bauhini sententiam amplector, qui huc eum refert.

* 16. *Aster hirsutus Austriacus cæruleus magno flore* C. B. Prod. Park. **Blue Austrian Starwort with a great flower.**

C. B.

Caule est rotundo, hirsutie aspero, pedali in unum alterúmve ramulum brachiato; *foliis* latis, subrotundis, per marginem nonnihil exasperatis, & in apicem rigidiorem desinentibus, rigidis, crassis, hirsutie levi exasperatis & scabris cincto: cujus summo *flos* magnus insidet, ejúsque orbem pallidum folia multa, tenuia, oblonga, pallidè cœrulea ambiunt, qui maturus similiter in pappum abit.

Hic licèt in Austria circa Cremsam reperiatur cum Astere mont. cœrul. magno flore, confundi non debet *C. B.*

Huic affinem Cantabrigiæ in hortulo nostro aluimus sub titulo *Asteris Hispanici* Londino missam, qui radice erat vivaci, foliis lanuginosis; floribus amplis, pallidè cœruleis: fortè Aster Pyrenæus præcox flore majore cœruleo *Hort. Parisiensis.*

17. *Aster Tripolii flore* C. B. *minor angustifolius* Park. *Atticus Monspeliensis purpureus, angustioribus foliis* J. B. **Narrow-leaved purple Starwort.**

J. B.

Cognatus est Asteri Attico Fuchsii, *caulibus* rectis, cubitalibus, teretibus, hirsutis; per quos *folia* crebra, glabra, nervosa, Linariæ foliis magnitudine & formâ respondentia: *Flores* in frequentibus pediculis, aliis palmaribus, aliis uncialibus, umbellam mentiuntur, Asteris Fuchsiani similes, paulò tamen minores, violaceis in ambitu foliis, disco luteo, qui in pappos resolvuntur.

In prato juxta molendinum *Castri novi*, inque sylva Valena & alibi propè Monspelium invenimus, Augusto etiam & Septembri mense florentem. Aster minor Narbonensium Tripolii flore, Linariæ folio medio-purpureus Lobelio in Adv. dicitur. Flos Septembri mense suavem Croci odorem spirat. *Botan. Monsp.* *Locus.*

18. *Aster cœruleus serotinus fruticescens*, Tradescanti. **Late-flowering blew Starwort.**

Radix ei alba, surculosa, fibris multis donata, ad latera propagines emittens, huc illuc sub terra vagantes, & virgas subinde emittentes, ut planta brevi spatio longè latéque se diffundat. *Caules* exerit bicubitales, teretes, rectos, rigidos, glabros, medullâ farctos, crassitie propemodum minimi digiti, foliis crebris, nullo ordine positis cinctos, superiora versùs valdè ramosos, ut ex uniuscujusque folii sinu ramulus exeat, & planta arbusculæ speciem reddat. Supremos caules & ramulos occupant *flores* multi, Bellidis minoris magnitudine & ferè formâ, sed colore diverso; medium quippe umbonem ex viridi flavum ambiunt numerosa petala angusta, oblonga, pallidè cœrulea, unâ interdum vel alterâ crenâ in extremo incisa. *Folia* Salignorum æmula, inferiora digitum lata, tres quatuórve digitos longa, acuminata, per margines interdum obiter dentata, aliàs æqualia, lata basi absque pediculis cauli adnata: superiora sensim breviora & angustiora. Floribus marcescentibus succedunt *semina* pappo innascente alata, parva & brevia.

Septembri aut Octobri mense floret. E Virginia in Angliam primus intulit Jo. Tradescantus, nunc nihil frequentius est in hortis, est enim admodum vivax nec ullum ferè solum respuit. *Locus & Tempus.*

Duas præterea hujus species exhibet Morisonus in *Prælud. Bot.* Eæ sunt

1. Aster serotinus angustifolius Canadensis flore cœruleo. Foliorum angustiâ à descripto differt, & flore minore.

2. Aster præcox flore cœruleo majore. Hujus caulis humilior, flos major, media autem æstate floret.

19. *Asteriscus latifolius Autumnalis* Cornuti. *Virgineus latifolius præcocior purpurante flore parvo*, Park. **The earlier broad-leaved purplish** Virginian **Starwort.**

Cornut.

Radix huic crebris compacta filamentis: *caules* lignosi, teretes, graciles, subrubri, bicubitales; *folia* in ambitu serrata, longis pediculis innixa (velut Pyri) ad basin lata & subrotunda, in mucronem sensim gracilescunt: coloris quidem suprà luteo-virentis, inferna autem parte velut Cyclamini. Caulium cacumini luxurians adeò *florum* insidet copia, ut complurimis contextum flosculis sertum potiùs quàm genuinum plantæ florem dixeris. Singuli flores duplò minore stellâ fulgent quàm vulgaris Aster Atticus (eámque ob causam Asteriscum potiùs quàm Asterem appellavimus) medium cineracei coloris umbonem habent [pallidè lutei potiùs] circa quem foliola velut radii dilutissimè purpurascunt, succedente *semine* papposo. Caulibus marcescentibus radices perennant.

Sub finem Augusti & interdum seriùs pro anni temperamento floret. Planta est Canadensis.

A. 20. *Aster maritimus purpureus Tripolium dictus: Tripolium majus & minus* J. B. *vulgare majus & vulgare minus* Ger. *majus sive vulgare & minus* Park. *majus cœruleum & minus* C. B. **Sea Starwort.**

J. B.

Cubitalem & ſeſquicubitalem altitudinem aſſequitur, *radice* fibroſa. *Folia* ad Limonii majoris folia accedunt, ſtrictiora, longitudine ferè paria, nervis rectis Plantagineis donata, glabra, craſſa, pinguia, colore cœruleſcente interdum, per caulem & ramulos nullo ordine creſcentia. Caulis faſtigium ramoſum *flores* gerit, ſurculorum extremis hærentes, purpureos cœruleóſve, [umbonem medium luteum cingente foliolorum purpureorum limbo ſeu corona] qui in pappos evaneſcunt.

Tripolium majus & minus, cùm non aliter quàm magnitudine differant, non ſeparo: Tripolium flore nudo circa Briſtolium obſervavi copioſè.

Locus. Scatent hac plantâ (ut verè Lobelius) Narbonica & Anglica litora & fluminum crepidines, quas refluxus & maris æſtus inundant. Minorem ſpeciem in paluſtribus maritimis non longè Monſpelio obſervavimus.

Hæc etiam planta Aſteris ſpecies eſt, nobis *Aster maritimus cœruleus, Tripolium vulgò dictus.*

21. *Aster Virgineus anguſtifolius ſerotinus parvo albente flore* Park. **The narrow-leaved late flowring** Virginian **Starwort.**

Multis fruticat *ſtolonibus*, quàm præcedentis elatioribus, gracilibus, rigidis, *foliis* ad nodos veſtitis ſingularibus, abſque pediculis adnatis. E foliorum alis, à medio caule ſurſum, exeunt *ramuli* prælongi, & ipſi non rarò in ſecundarios ramulos diviſi, ad ſingulos nodos foliis pariter ſingulis obſiti, verùm minoribus & crebrioribus quàm in imo caule. *Floſculi* in ſummis ramulis & ſurculis perexigui, ſtellati, circulo petalorum albentium medium diſcum purpuraſcentem cingente radiati, in pappos evaneſcentes. *Radix* fibris plurimis, longis, albentibus conſtat, in multos annos vivax, & plurimùm ſe propagans, caulibus quotannis marceſcentibus.

Multò ſeriùs floret quàm ſuperior, interdum, non ante finem Octobris aut Novembris initium; tempeſtate calidiore maturiùs. Locus natalis idem qui præcedenti.

22. *Aster ramoſus annuus Canadenſis* Moriſ. *Bellis ramoſa umbellifera* Cornuti: *ramoſa major umbellifera Americana* Park. **Annual white flowered Starwort of** Canada.

Corn.

Seſquipedalis herba eſt, *radice* minutiſſimis contexta fibris: *foliis* longiuſculis, pinguibus, aſperis, obſcurè virentibus, crenaturis ambitûs altiſſimè laciniatis. *Caulem* habet pariter ſcabrum, pullulantibus omni ex parte ramulis, quibus in apice numeroſa *florum* copia creſcit, Bellidis minoris effigie, denſioribus tamen barbulis medium luteo-virens orbiculum concinnè ſtipantibus. Barbulæ nunquam rubeſcunt, ut noſtratis, ſed emaculato ſemper candore ſunt inſignes. Singuli flores ſingulis ſuſtinentur pediculis, qui licèt ab eadem cauliculi parte prodeant, diverſæ ſunt & inæqualis ſemper longitudinis. *Flos* Junio, Julio & Auguſto viget, ambitus poſtea marceſcit, medius orbis in ſemen formatur, [quod pappo adnaſcente alatum eſt] Caulis tandem & plantæ pars omnis areſcit; nec niſi ſemine vegetat, quod à ſatu duodecimo fere die germinat.

Vires. Guſtata linguam acriter pungit, eamque amaritudine inficit non ingrata, neſcio quid enim aromaticum præ ſe fert, cujus odoris halitus cerebrum ferit, è quo pituitam crebra ſputione ſubinde per os exigit.

CAP. V.

De Aſtere Conyza *dicto.*

Plantas haſce Conyzis accenſeri ſolitas ob odoris defectum Aſteribus potiùs ſubjungimus, quamvis ſaporem obtineant acrem & aromaticum. Siquis ob hanc rationem non ſollicitandas aut loco movendas putet, fruatur ille ſuo judicio, nec enim ego hac de re cum quoquam valdè contenderim, præſertim cùm flores in hoc genere vix ſint radiati, ac proinde *Aſteris* ſeu *Stellæ* nomen eis minùs aptè conveniat.

A. 1. *Conyza cœrulea acris* C. B. Ger. emac. *odorata cœrulea* Park. *Senecio ſive Erigeron cœruleus, aliis Conyza cœrulea* J. B. **Blue flower'd ſweet Fleabane.**

J. B.

Conyza hæc ſubinde magnitudine, fœlicius aut infœlicius ſolum nactus, variat, aliàs ſeſquipalmaris, aliàs pluſquam dodrantalis: *radicibus* fibroſis, albicantibus, guſtu nonnihil aromaticis: ex quibus *caules* ſurgunt, multi, tenues, ſtriati, rubentes, hirſuti, ramoſi, medulla alba pleni: *Folia* integra, nec uſquam diſſecta, crenatáve, lanuginoſa, intorta, inferiora quidem uncias ferè duas longa, ſemunciam lata; ſuperiora ut breviora, ita anguſtiora, utraque ſapore acri & aromatico. *Capitula* quàm in Senecione vulgari longe craſſiora, canaliculata, tomentoſa, nonnihil rubentia.

Florum

Florum foliola dilutiore purpura tincta sunt, medium obtinente papposo tomento exalbido in luteum vergente.

In sterilioribus & siccioribus pascuis, præsertim arenosis, frequens oritur. *Locus.*

* 2. *Conyza cærulea Alpina major* Park. C. B. **Great, blue Mountain Fleabane.**

C. B.

Ex *radice* lignosa rufescente *caulem* crassum, pilis asperum, palmarem, mox in ternos ramulos, (& horum aliquos in pediculos) divisum protrudit: circa quem *folia* pauca, hirsuta & aspera, crassa, uncias tres quatuórve longa, unciâ angustiora, nervis aliquot distincta. Singulis pediculis *flos* unicus, cœruleus, Conyzæ cœruleæ vulgari similis, & similiter in pappum evanescens insidet.

In monte S. Bernhardi provenit. *Locus.*

Si planta hæc à Conyza cœrulea acri vulgari specie differat, cur non certiores distinctionis notas attulit C. Bauhinus?

* 3. *Conyza cærulea Alpina minor* C. B. Park. **Small blue Mountain Fleabane.**

C. B.

Plantula est semipalmaris, aliquandò minor, lævis, rariùs nonnihil pilosa; *radice* nigricante, fibrosa; *cauliculo* rotundo, tenui, unicum florem cœruleum, illius quidem flori formâ similem, sed triplò minorem, multis apicibus donatum, & in pappum abeuntem sustinente. *Foliola* habet ad radicem plura, angusta, triuncialia, pediculis donata, pallidè virentia, at quæ caulem basi sua cingunt breviora sunt.

In monte Gothardo reperitur. *Locus.*

4. *Conyza Canadensis annua, acris, alba, Linariæ foliis* Bocconi. *Con. alba, acris, annua,* Moris. *An Eupatorium cannabinum Americanum angustifolium* Park?

Bocc.

Conyza hæc priusquam in caulem assurgat foliorum humi jacentium orbem & quasi stellæ radiantis speciem exhibet: *Folia* huic primò nascenti sinuata & hirta, atque versùs extremum retusa; quæ tandem in *caulibus* adultis Linariæ sunt æmula. *Caulis* pedalis & bipedalis interdum. *Flores* parvi, albo-virides, ferè innumeri, atque in pyramidis modum dispositi, qui senescente planta versus autumnum in unum versum flectuntur, tandémque in pappos (Conyzarum & Senecionum more) solvuntur. Sapore acris est. Arida planta si digitis teratur non insuavi Mali Aurantii odore placet.

Ex Creta vel Canada vel aliunde allatam negant nonnulli, repugnante seniorum Parisiensium fide, quibus in prima ætate ignota fuit. Quòd nuspiam non oriatur, & quasi de industria sata, hoc copiæ seminis pappescentis debetur, quod facilè vento huc illuc impellitur.

Hanc plantam esse existimo quam Parkinsonus sub Eupatorii cannabini angustifolii Americani titulo proponit & describit: qui folia ad margines interdum dentata esse ait, aliàs æqualia.

Cap. VI.

De Astere Jacobæa dicto.

Cum plantæ sequentes, Jacobæa aut Seneciones dici solitæ, folio sint integro, neque nos certam aliquam notam novimus quâ Jacobæa ab Astere differat, præter foliorum divisuram, ad Asterem potiùs quàm ad Jacobæam eas referendas duximus.

1. *Jacobæa Senecioni affinis. Senecio folio non laciniato* J. B. C. B. *folio non laciniato Myconi* Park. **Groundsell with an undivided leaf.**

J. B.

Herba est cubitali altitudine, *radicibus* tenuibus, candidis, lignosis, dulcibus: *caule* aliquantisper piloso, rotundo, cavo, Medullâ lanuginosâ farcto; in quo *folia* sunt exigua, pilosa, in ambitu serrata, crassa, aliquantulum vividia, infernè rubescentia, quæ quandoque colore vinoso manus inficiunt. In caulis summitate *flores* sunt lutei, in pappos protinus abeuntes. Sapor totius plantæ aqueus est, ut vulgaris Senecionis.

Nascitur in quercetis, locisq; non admodum siccis, sed humidis, interdum & in pratis. Nos in sabulosis inter oppidum *Rot* & Norimbergam celebrem Germaniæ urbem observavimus: eundem etiam Messanæ Siciliæ, in ascensu montium propè urbem. Calix floris Senecionis calicem exactè refert, verùm circulum seu coronam foliorum in margine ad modum Chrysanthemi obtinet. Plantula tenera est, radice fibrosa, foliis Bellidis majoris. *Locus.*

* 2. *Jacobæa Pannonica folio non laciniato* J. B. *angustifolia Pann. non laciniata* Park. *mont. lanuginosa angustif. non laciniata* C. B. *angustifolia* Ger. **Mountain Ragwort with an undivided leaf.**

Clus.

Terna quaterna aut plura habet *folia*, latiuscula, in ambitu leviter dentata: *Caulem* cubitalem plerunque angulosum, gracilem, per quem inordinata sparsa sunt *folia*, infimis paulò minora, at in supremo angustiora, lata basi ipsum amplectentia. In summo caule quaterni aut quini tanquam in umbella nascuntur *flores*, Jacobææ vulgaris floribus non multùm absimiles, antequam explicentur ex atro-rubescentes, sed ubi aperti sunt auri fulgore splendentes, quos in ambitu stipant quindena aut plura foliola, per extremum incisa, supernè phœnicea, subtus verò quodammodo rubentia. Ii flores maturi in pappum abeunt, cui involutum est *semen* nigricans, oblongiusculum, vulgaris Jacobææ semini non dispar. *Radix* non valdè magna, nigricans, tenuibus fibris candicantibus donata, sub Autumnum nova denuò folia latiora ad veteris caulis sedem singulis annis producit. Tota planta mollicula, & quadam lanugine obsita conspicitur: amari autem est saporis.

Locus & Tempus. Nascitur apud *Nemethwywar*, aliisque Pannoniæ & Austriæ montosis & cæduis sylvis. Floret Junii initio, & sub ejusdem extremum finem semen maturum est.

* 3. *Jacobæa rotundifolia incana* C. B. prod. Park. **Round-leaved hoary Ragwort.**

C. B.

Radice est crassiuscula, transversa, rufescente, in fibras oblongas abeunte: *caule* pedali, incano: *foliis* subrotundis, crassis, supernè virentibus, infernè incanis, uncias duas absque pediculis longis, sesquiunciam latis, in ambitu dentatis, at in caule paucis & angustissimis. *Flos*, qui Scorzoneræ flori similis summo cauli insidet, satis magnus & luteus. Toti plantæ lanugo quædam aspera est.

Si hæc planta rectè describatur flore Scorzoneræ simili, hoc est, naturâ pleno, vel ad aliud genus pertinet, vel est in hoc genere singularis & anomala.

A. 4 *Jacobæa montana non laciniata nostras.* **Mountain-Ragwort with an undivided leaf.**

Radice est crassiuscula, transversa, fibras albas plurimas, & ipsas satis crassas emittente. *Folia* ad radicem humi sparsa in orbem plura, sescunciam longa, unciam plus minus lata, per ambitum leviter dentata, supernè cùm juniora sunt viridia, brevi tamen in luteum languescunt, & tandem exsiccantur. In horum medio seu centro exurgit *caulis* semipedalis aut humilior, purpureus, striatus, *foliis* parvis, angustis, oblongis, acutis, absque pediculis, basi sua adhærentibus, vestitus; in fastigio tres quatuórve *flores* velut in umbella gestans, Jacobææ æmulos, è calyce striato, tum medio disco, tum barbulis ambientibus flavis; quibus in pappum abeuntibus *semina* parva Jacobææ maturescentia vento difflantur. Tum caulis, tum foliola eum ambientia araneosâ quadam lanugine obducuntur. Folia masticata initio nullo insigni sapore linguam afficiunt, paulo post nonnihil acria sentiuntur.

Locus. In montosis sterilibus cretaceis præsertim, ut collibus *Gogmagog* dictis, & planitie *Novi Mercati* oppidi, & colliculis contumulatis Bartloviæ in Agro Cantabrigiensi aut Essexiensi, oritur.

* 5. *Jacobææ affinis planta tuberosa Capitis bonæ Spei* Breynii.

Breyn.

Radice est tuberosâ, fuscâ, in orbicularem latitudinem effusâ, Cyclaminis facie; *foliis* multis Cyclaminis etiam haud valdè absimilibus, ex saturâ & dilutiore amœnâ viriditate eleganter variegatis; inter quæ *cauliculi* teretes, concavi, paucis foliolis septi, bini, terni pluresve dodrantalis longitudinis exurgunt. *Florem* unicum, aureum, Jacobææ latifoliæ Pannonicæ 3. *Clus.* similem, in pappum abeuntem, sustinentes.

Hæc (inquit Breynius) in ramulo sicco & figurâ summo studio coloribus expressâ, quæ in *Beverningiano* horto floruit, notare potui.

* 6. *Jacobæa Æthiopica Lavendulæ folio* Breynii.

Breyn.

Virgæ ex radice quas fundit, rotundæ sunt, striatæ & incanæ, magnitudine Millefolii sylvestris: per quas *folia* viridi-incana, uncias duas longa, culmum lata, nervo per medium decurrente crasso, similia foliis Lavendulæ. Virgarum fastigia in surculos quosdam, & hi in pediculos, duos, tres, quatuor, pluresve minutissimis donatos foliolis abeunt, quorum singuli *florem* è calyculo torulis viridibus canaliculato Jacobææ gestant minorem, radiatis, aureis, per extremum incisis foliis umbonem concolorem ex multis apicellis sive tubulis constantem coronantibus: qui in papposum tandem *semen*, oblongiusculum, Jacobææ vulgaris non dispar, abit.

Locus. Gaudet locis herbosis Promontorii *bonæ spei*.

* 7. *Jacobæa*

* 7. *Jacobæa Æthiopica Laricis folio* Breynii.

Breyn.

Hæc lignosus & parvus est frutex, Ericæ similis; *ramos* ferens multos, dilutè virides, rotundos ac striatos, inferiùs, ubi nudi, tuberculis densis, sive foliorum vestigiis delapsorum, punctulis veluti, inæqualiter utrinque & in medio positis, instar Euonymi alterius *Clusii* insignes; cæteroquin ab imo ad summum numeroso ac denso agmine *Foliis* uncialibus & dimidio minoribus, angustissimis, lætè viridibus Pinastri tertii Hispanici pumili *Clus.* vel Laricis accedentibus, at mollioribus, ità circundati stipatique, ut ipsos ramos penitus occultent.

Florem in ramulorum & surculorum cymis plerunque solitarium producit aurei coloris, stellatum, Jacobææ haud multùm absimilem, minùs autem foliosum, *calyce* longiore, maturitate in pappum evanescentem, & *semen* nigrum Jacobææ longius relinquentem.

Locus. In ericetis ad Promontorium Bonæ Spei.

* 8. *Jacobæa spicata Monomotapensis* Breynii.

Breyn.

Hæc *caule* longiore quàm prædictæ adolescit, rotundo, striato, in ramos diducto satis longos; quos hinc indè *folia* sepiunt subrotunda, crassa & serrata, Euphrasiæ foliis quodammodo accedentia, in mucronem verò acutiorem desinentia. *Flores* scansiles per ramulorum longitudinem serie quadam succedentes gerit, velut in spicam congestos, flavos, radiatos, disco melino, Jacobææ vulgaris minore, *calyculo* quoque longiore & angustiore, ex numerosioribus squamulis viridibus, fimbriam albam lanuginosam habentibus imbricatim compacto. Horum florum apicelli in pappos resoluti, unà cum *semine*, Jacobææ paulò exiliore avolant. Tota planta hirsutie quasi subaspera, & albâ lanugine obsita conspicitur.

Datur & altera hujus species, cujus *caules* itidem striati sunt, ast minùs lanuginosi, *Foliisque* paucioribus septi, ac *floribus* rarioribus, surculo longiusculo sæpè solitariis insidentibus onusti.

Locus. Iisdem in locis cum prioribus reperiuntur.

Cap. VII.

De Helenio sive Enula campana.

Helenium Ἑλένιον quòd è lachrymis Helenæ natum dicatur, & ideo in Helena insula laudatissimum esse perhibetur.

Cæterum Helenium partium omnium, radicis, foliorum, florum magnitudine à reliquis integri-foliis flore discoide papposis distinguitur.

Helenium Ger. *vulgare* C. B. *Helenium sive Enula campana* Park. J. B. **Elecampane.**

Folia multa à radice exserit longa, lata, in terram reclinata, utráque extremitate acuta, ad tactum mollia, supernè pallidè viridia, subtus incana, per ambitum crenata, brevibus pediculis hærentia: è quorum centro *caules* exurgunt nunc unus, nunc plures, recti, canaliculati, villosi, subrubentes, ad trium & quatuor usque cubitorum proceritatem, aliquot alis concavi, quibus *folia* aliquot nullis intervenientibus pediculis adnascuntur, Verbasci latioris. *Flores* odorati sed obscurè Buphthalmi effigie, sed multis numeris majores, aureo fulgore comantes, quibus squarrosum subest latius capitulum, semen continens gracile & oblongum, pappo coronatum. *Radix* notandæ crassitiei, foris fusca, intus alba, sapore aromatico, acrimoniâ cum nonnullo amarore mixta, odore etiam, præsertim cum exiccata fuerit, suavi & grato, cùm nulla præterea plantæ pars odorata sit.

Locus. In pratis & pascuis, præsertim humidioribus, occurrit, sed rariùs. Flores Junio ac Julio vigent.

Vires. Radix, cujus præcipuè in medicina usus est, insigniter amara est, hinc calida & exsiccans.

Recens Saccharo condita ad modum Zingiberis, vel exsiccata & in pulverem redacta Saccharo vel melle mixta, ut fiat eclegma, vel cum Saccharo in tabellas redacta, si in ore continetur, & continuè salivâ soluta unà cum ipsa in asperam defertur arteriam, plurimum prodest adversùs respirandi difficultatem, orthopnœam, asthma, veterémque tussim.

In Tussi inveterata Decoctum radicis Enulæ cum Uvis Corinthiacis abundè commendat Dolæus L. 1. C. 9. S. 16. *D. Soame.* Ventriculo insuper commoda est à cœna sumpta ad coctionem promovendam. Hinc Platerus, referente C. Hofmano, eam vocare solebat *aroma Germanicum*, & valdè laudabat præ Zingibere & aliis Indicis. Hoc etiam tempore, quod mirum alicui videatur, alvum faciliorem reddere dicitur.

Commendatur præterea, ut peculiare præservativum pestis tempore manè sumpta.

Utile etiam est ad remorantes urinas & menses ciendos seu decoctum ejus secundùm Dioscoridem, seu exsiccatæ farina cum Saccharo mixta.

Vinum Gallicum album in quo radices in frusta concisæ per triduum maceratæ fuerint manè jejuno ventriculo sumptum ad dimidii sextarii mensuram Chlorosin Virginum mirificè expugnat & sanat.

Decoctum

Decoctum radicis à Parkinsono & aliis intro sumptum ad spasmum, contusiones & dolorem ischiadicum commendatur; vel etiam exteriùs applicatum.

Radices vino decoctæ, aut recentium succus vino infusus & potus lumbricos & tineas ventris enecat & expellit.

Vinum quod ex Helenii radicibus passim in Germania paratur, frequenter in potu sumptum mirificè visum acuit. *J. B.*

Enula campana in aqua communi destillata salem volatilem exhibet salis C. C. æmulum tum odore, tum virtute. Vide *le Febure.*

Ad pestem præservativum: ℞ Rad. Enulæ campanæ bene à fibris mundat. q. v. Decoque in aqua quousque mollescat, ut per setaceum transmitti possit, de qua accipe part. 1. mellis despumati p. ij. & coque lento igne ad humiditatis consumptionem. Dosis ℥i.

CAP. VIII.

De Doronico.

DOronicum vocabulum factum est ex Arabico *Doronigi* vel *Durungi,* quorum illud Serapionis est *Simplic. c.* 325. hoc Avicennæ 212. *c.* 210. Horum verba si afferam nihil agam: tam enim non conveniunt cum Doronico quàm non conveniet album cum nigro. *C. Hofman.*

Doronici notæ characteristicæ sunt flores aurei speciosi, sparsi, in summis caulibus & ramulis, in longos pediculos excurrentibus singulares: Semina in plerisque parva nigricantia; folia itidem lata & subrotunda; radices tuberosæ aut crassæ, qualitate venenata & deleteria prædictæ.

Huc etiam ob florum similitudinem in figura & situ refero nonnullas quæ foliis sunt oblongis, radicibus fibrosis, nec quod sciam deleteriis.

Possent fortasse certiores hujus generis notæ à seminum figura aliisque accidentibus sumi. Verùm quoniam nobis paucas admodum Doronici species videre contigit, nec multa quod sciam in hortis à nostratibus coluntur, ea observare & inter se conferre nondum licuit, necdum licet.

1. *Doronicum vulgare* Park. *latifolium* Clus. *majus Officinarum* Ger. emac. *Dor. radice Scorpii* C. B. *latifolium* Clus. **Common or broad-leaved Leopards bane.**

Dod.

Foliis exit pluribus, subrotundis, latis, dilutè virentibus, mollibus, tenuique lanugine pubescentibus, Hederæ cujusdam & unius Cyclamini foliorum formâ, sed amplioribus, ad Cucumeris magis accedentibus, hujus tamen & minoribus & mollioribus. *Caulis* dodrante altior, & ipse lanugine haud carens, striatus, quasi multangulus, alioqui rotundus, qui in pauculos divisus ramulos, ipsis fastigiis *flores* promit, Chrysanthemi æmulos, & medio videlicet disco & orbiculato ambitu luteos, qui in tenues & candidos pappos resolvuntur, quibus subsunt exigua, nigricantia *semina. Radiculæ* haud magnæ, candidæ dum recentes sunt, geniculis veluti articulatæ, non rectè descendunt, sed per obliquum Graminis modo serpunt; & subinde extuberantes novella protrudunt germina (ità sese multiplicante stirpe) demissis etiam ab ipsis tuberosis partibus aliquot deorsum concoloribus fibris. Referunt radiculæ exanimatos Scorpiones: nam anterior & tuberosior cauliculis proxima corpusculum cum pedibus, posterior articulatam videtur exprimere caudam.

Locus. In montibus propè Genevam copiosè provenit.

2. *Doronicum Cyclamini folio, nigra radice Campoclarense* Col. **Black-rooted Leopards bane, with Sowbread leaves.**

Col.

Differt hæc ab aliis vulgatis *radice,* quæ nigrescente & fusco cortice exterius tecta est, intus verò alba, odorata, cupressi ligni derasi modo, sapore dulci & aromatico, cerebrum petente: in saxorum rimas excelsiorum montium in valle Campoclarensium longioribus fibris crassioribus & albicantibus minimè nodosis se insinuat: ipsa verò radix obliquam, geniculata & in globulos intumescens, obliquè reptat in summa tellure, ut etiam nuda reperiatur. *Foliis* differt etiam, quæ non cucumeris modo ut vulgarium mollia, & hirsutie incanâ obsita, sed Cyclamino proximiora, carnosiora vulgaribus & duriora, majoribus dentibus circumserrata, læviora minúsque pilosa, viridiore colore ac nitidiore, venulis quibusdam densis ac reticulatis, ut cutis, depicta, magisque circa petiolum lunato sinu conjuncta. *Caule* pedali & semipedali invenimus, striato, cavo, tribus aut quatuor alis foliorum absque petiolo alternatim hærentium intercepto. *Folia* ab radice plura quatuor è singulis germinibus, quæ plura edit. *Florem* in summo habet unicum ex calice folioso virente, quatuor unciarum diametro, quamplurimis barbulis radiantem luteis, Asteri æmulum, medium continentibus umbonem flosculis exiguis compactum, qui Maio mense emicat. Tota planta major est vulgata Cucumerino rotundifolio Doronico, & pulchriore aspectu reliquis aliis oritur in monte Matesio locis Borealibus.

Dubitat C. Bauhinus, an hæc planta sit Doronicum radice [Scorpii] Brachiata *Lob.* cum tamen neque figura neque descriptio Lobeliana ei aptè conveniant. Fieri tamen potest ut eadem fuerit: nam Lobelius persæpe in plantis describendis labitur, memoriæ nimium fidens; & figuræ etiam ipsæ non rarò minus exactæ sunt nec plantis per omnia respondent.

No

Nos certè plantam hanc *F. Columnæ* descriptam Cantabrigiæ in hortulo nostro aliquot annos aluimus.

Doronici humilis Stiriaci Clusii descriptio ab hoc non multùm abludit, ut eandem plantam suspicer.

De Doronici radice hoc cumprimis controversum est, sitne venenata. Quantum comperi (inquit Casp. Hofmannus in *De Medicam. Officin.* lib.2. cap. 4.) qui primus illum accusavit Maranta fuit, 1. *Meth.* 11. Ejus opinionis fuisse Aldrovandum quoque Gesnerus scribit *l. de Aconit.* Matthiolus ab initio quidem acriter se opposuit, sed demum consensit, partim Cortusi motus autoritate, partim experimento caniculæ quam quatuor drachmis radicis strangulavit. Huic iterùm se opposuerunt Gesnerus l. c. & Lobelius in Adv. qui etiam more suo in Matthiolum acriter invehitur: nec refert, inquit, quod caniculis perniciosum sit, cùm non pauca reperiantur aliis animantibus noxia & lethifera quæ homini non modò innocua sed & salutaria sunt: Nam & experimento certum habemus Aloe saluberrima interfici vulpes, & ex Plutarcho easdem enectas Amygdalis amaris discimus, *&c.* Fruatur ille suo judicio; ego certè mallem suffragari Matthiolo quàm in humano corpore experiri quod canibus aliísve Quadrupedibus perniciosum comperi. Nec refert quod sine periculo utimur Electuario de gemmis, &c. Nam & venenis ut Opio, &c. exigua dosi innoxiè, imò cum commodo uti possumus, & in El. dicto Doronicum aliis salutaribus mixtum corrigitur. Gesnerus autem deplorando experimento vim lethiferam radicis Doronici in semetipso comprobavit, siquidem verum sit, quod Costæus scribit in *Elect. de Aromat. Mesue*, illum esu hujus radicis obiisse. Quod ut credam (inquit Hofmannus) ipsius facit. Ut enim manifestò redargueret Matthiolum (sic loquitur 2 *Epist.* 20 & 22.) se ℥ii rad. hujus sumpsisse, & per octo quidem horas bene habuisse; verùm iis elapsis ventrem ac stomachum inflari sensisse, & circa os ventriculi imbecillitatem quandam, & corpus totum infirmius, ita ferè ut aliàs semel ac iterum ex nimio frigidæ potu perceperat. Quæ Symptomata cùm biduo durarent, & non viderentur sponte cessuræ ingressum fuisse aquæ calidæ solium & curatum fuisse.

In Itinerario D. Georgii Wheeler invenio speciem Doronici, quam Græci circa Athenas *Scorpido corta* vocant, ob radicem scilicet Scorpio similem, squamoso corpore, in medio intumescentem, caudâ acutâ, fibris pedes imitantibus utrinque productis, in terra reptantem, & subinde in tubera Scorpionum æmula intumescentem, ut velut catena Scorpionum se mutuò insequentium videatur. Folia Chelidonii minoris aut Tussilaginis foliorum minorum æmula. Florem non vidit.

Locus. In Hymetti montis fastigio Athenis non longè hanc plantam invenit Autor, quam eandem puto præcedenti à Columna descriptæ; certè à nobis Cantabrigiæ cultæ ipsissima est.

3. *Doronicum radice dulci* C. B. *Dor. folio subrotundo, serrato* J. B. *Dor. brachiata radice* Park. *D. radice repente* Ger. **Creeping Leopards bane.**

Clus.

Caulem habet aliquando cubitalem, rotundum, striatum, viridem, intus concavum; capitulum in summo caule magnum, ex multis flosculis luteis concavis & quinque crenis divisis congestum, quod ab aliis longiusculis & in extremo crenatis foliis fulgore auri splendentibus ambitur, non inodorum. *Semen* exiguum, nigricans, cum suo pappo facilè evanescens. *Folia* circa radicem longo pediculo inhærentia, orbiculata ferè sunt, sensim tamen à pediculo in latitudinem se explicant, in ambitu dentata & servata; quæ verò caulem ambiunt longiora, & ab ipsa statim pediculi sede in latum expansa, omnia saporis acris & amari. *Radix* ex viriditate candicans, minimum digitum crassa, geniculata & quasi squammata, internodiisque distincta, sed nodis sursum tendentibus, non infernè, ex inferiore geniculorum parte longas agens fibras, albas, satis crassas, & propagines in lateribus, gustu ferè succi à Glycyrrhizæ radice expressi & densati.

Locus & Tempus. Invenitur in *Etscher*, *Durrenstein* & quibusdam aliis Austriacarum Stiriacarúmque Alpium jugis inter saxa. Floret Julii initio, aut etiam seriùs, in hortos verò translatum, ubi non diu permanet Maio plerunque.

Vires. Hoc unà cum Doronico maximo venatores pastoréque montani, qui Rupicaprarum radicem appellant, adversùs vertigines non minus commendant quàm Auriculæ ursi flavo flore radicem, viribúsque firmandis apprimè utilem esse ferunt. Huic simile est si non idem

* 4. *Doronicum brachiata radice* Ger. *radice Scorpii brachiata* C. B.

Lob.

Hæc species Dodonæo paulo major est Doronico primo seu vulgari, saturatiùs virens, procerior, *radice* pluribus corticeis squammulis, nitentibus, candidis, marmoreis transversim cincta, cui ala utrinque apta una est, Squillæ marinæ, Cancellíve aut Scorpii forcipulis non absimilis, dulcicula gustanti. *Folia* majora paulò & rotundiora.

Locus. Umbrosis hæc montibus oblectatur.

Hanc Parkinsonus præcedenti eandem facit, nec immeritò meo judicio; ac proinde folia in Lobelii icone minùs rectè picta sunt æqualia absque crenis.

* 5. *Doronicum Stiriacum flore amplo* Ger. emac. *humile Stiriacum Clusii* Park. *latifol. flore magno* C. B. *folio lato, flore magno* J. B. **Stirian Leopards bane with a large flower.**

Clus.

Humilius plerunque est jam dicto, & capite floris majore, *foliis* à pediculo statim pænè orbiculatis, ut Cyclamino, alioqui superiori non dissimilibus. *Radicum* item nodi & propagines, neque in hoc, ut

ut neque in præcedente, deorsum tendunt (nodi autem in hoc minùs apparentes) aut ansarum instar longè à matre sese spargunt, sed quasi matri contiguæ sursum tendunt, & extra terram folia promentes, fibris in tellure sese firmant, nequis sine fibris aut utrinque ansatas existimet.

Locus. Nascitur in Veytzalben supra Neuberg in Stiria, & eodem quo præcedens genus tempore floret.

Idem videtur Doronico Cyclamini folio, nigra radice Campoclarensi *Col.* superiùs descripto.

* 6. *Doronicum Germanicum* Park. *Plantaginis folio alterum* C. B. *Germanicum, foliis semper ex adverso nascentibus, villosis* J. B. *Calendula Alpina* Ger. **German Leopards bane.**

Clus.

Terna aut quaterna summa tellure fundit *folia*, Plantagini latifoliæ ferè æqualia, longiora tamen, & ad Digitalis luteum seu pallidum florem ferentis similitudinem magis accedentia, nervis distincta, mollia, viridia, supernè nonnihil villosa, infernè candidiora & læviora, bina semper ex adverso nascentia, gustu nonnihil amaro & acri. *Caulem* habet ferè cubitalem, nudum, rotundum, hirsutum, ex quo magnus emergit orbis, multis *flosculis* luteis in quatuor foliola divisis constans; eum orbem ambiunt quindecim aut plura folia, Doronico latifolio similia, latiuscula, & per extremum crenata, coloris flavi elegantis. *Semen* floribus succedens, ut in Doronici generibus, in pappum evanescit. *Radix* minimi digiti crassitudinem pænè æquat, nodis quibusdam informibus distincta, multísque fibris donata, lateribus propagines fundens & singulis annis nova germina proferens.

Locus. In omnibus ferè pratis sublimioribus ad Alpium radices, tum in ipsis Alpibus Austriæ sitis provenit: item in cæduis sylvis ad Mœnum amnem.

* 7. *Doronicum* VI. *Pannonicum* Clusii: *Alisma Matthioli, sive Plantago montana* J. B. **Bastard Leopards bane with Plantain leaves.**

Clus.

Superiori (inquit Clusius) non valdè dissimilis, plura tamen secundùm radicem habebat expansa *folia*, minus nervata & angustiora, angustiora etiam quæ caulem ambiebant, perinde tamen ut illa ex adverso nascentia, quæ cum suo caule nonnihil hirsuta erant: ejus suprema pars in plures ramulos dividebatur, sustinentes hirsutos calices, unde emergebant similes ferè *flores*, coloris tamen aurei elegantissimi, duplici interdum foliorum medium orbem ambientium, & quodammodo per extremum fimbriatarum serie constantes. *Radix* gracilior est superiore, non paucioribus tamen adnascentibus fibris donata quàm illa. Maio etiam florebat.

Locus. Copiosè nascentem inveniebat Clusius vicinis Nemethwywar Ill. Balthasaris de Batthyan arci cæduarum sylvarum declivibus.

Hanc plantam C. Bauhinus eúmque secuti Gerardi emaculator & Parkinsonus præcedenti eandem faciunt. Clusius tamen, qui utramque novit, distinguit, & post eum J. Bauhinus, apud quem plenam & accuratam omnium ejus partium descriptionem vide. Notæ autem præcipuæ quibus ab ea differt, præter memoratas à Clusio, sunt, radicis sapor acris, aromaticus & ingratus, cujus tamen in superioris descriptione nulla mentio: *semen* longum, striatum, hirsutum, compressum, acre, odoratum, à Doronici seminibus multum differens. Nos, ut qui non necessariam specierum multiplicationem quantum possumus cavemus, in C. Bauhini sententiam proniores sumus.

Vires. Planta Arnica reperta est à frequenti experientia unica & optima panacea lapsorum. *Ephem. Germ. Ann.* 9. & 10.

* 8. *Doronicum maximum* Ger. *maximum Austriacum* Park. *max. foliis caulem amplexantibus* C. B. *max. foliis Hyoscyami Peruani modo caulem amplectentibus* J. B. **The greatest Austrian Wolfsbane.**

Clus.

Genus hoc Doronici omnium maximum bicubitalem interdum aut ampliorem habet *caulem*, minimi digiti plerunque crassitudine, striatum, hirsutum, summo cacumine in aliquot alas divisum: *Folia* circa radicem orbiculata, longo pediculo inhærentia, rugosa & nonnihil hirsuta, quæ verò nullo ordine digesta caulem ambiunt, ampliora sunt, mucronata, leviter dentata, pediculo nullo, sed instar foliorum Tabaci majoris latifolii, caulem latiore basi amplectentia, viridia, hirsuta. *Flores* extremis alarum ramulis insident, magni, vicenis aut tricenis oblongis foliis & orbem satis latum ambientibus constantes, lutei coloris, odoris expertes. *Semen* ut aliorum Doronici generum striatum, virescentis tamen coloris, quod cum suo pappo auræ leni flatu defluit, initium ab exteriore ambitu faciens, ut in reliquis Doronici generibus. *Radix* ex viridi candicans nodosa, squillulæ similis est, sed ubi propaginibus aucta est, crassior fit, & ex multis velut corporibus in unicum conflatur & caulescit.

Locus & Tempus. Secundùm rivos è montibus labentes, locis umbrosis in descensu jugi *Wechsell* primùm observabam (inquit Clusius) postea longè majori copia declivibus, sylvosis tamen locis Estcheri & Herrenalben Augusto flores proferens: tandem in montanis sylvis ultra Dravum Pannonia interamni Maio florens. Hortis libenter assuescit: in quibus Maio flores dat, semen Junio maturum.

* 9. *Doronicum minus* Park. *minus Officinarum* Ger. *Plantaginis folio* C. B. *folio ferè Plantaginis oblongo* J. B. **Plantain-leaved Leopards bane.**

Lob.

Hujus *caules* erant teneri, pusilli: *folia* mollicella, oblonga, uti Plantaginis, nonnihil ex viridi flaventia, conspicuè hirsuta Pilosellæ modo, vel Cucumeris agrestis, sed attrectanti lævia, ambitu rotundo, sed nonnihil lacinioso & supernè angusto, Cucumeri agresti quàm Cyclaminis similiore, terna vel quaterna; pediculis innatis *radici* exiguæ, tereti, orbiculatæ, sed infernè in angustum sensim adductæ, subtus & transversis quasi squamularum torulis articulatæ, apprimè Scorpionis cadaver & caudicellam exprimenti, plusculis donatæ fibris: color candidus, sapor dulcis, amaricat, & lentorem multum pauxillæ conjunctum astrictioni præfert. Sesquipalmum altus *caulis*, *floribus* in summo donatur luteolis aut pallidis, radiatis Buphthalmi aut mediæ Consolidæ.

Hanc speciem Burdegalæ vicinis locis delatam habuit Clusius.

10. *Doronicum Austriacum angustifolium* Ger. Park. *longifolium, hirsutie asperum* C. B. *Doronici species ex horto Ferrariensi, folio longo hirsuto* J. B. **Long-leaved hairy Leopards bane.**

Clus.

Caule est brevi, pedali duntaxat, molli, hirsuto, striato. *Folia* illi rara, parva, crassa, longiuscula, supinâ parte admodum viridia, & quodammodo splendentia, omninò tamen villosa, pronâ autem lævia, dilutiùs virentia; at quæ caulem ambiunt angustiora sunt, omnia porro peracris saporis. Summo caule unicum plerunque fert *florem*, Tertio Lobeliano [vulgari nostro] similem, sed magis aureum, quo evanescente succedit exiguum semen nigricans, lanugine & pappo coronatum, quod levi aurâ excutitur, & venti arbitrio fertur. *Radix* parva, geniculata, & internodiis distincta, nigricans, crassioribus candicantibus aliquot fibris donata, gustu aromatico.

Locus & Tempus. Hoc genus Doronici Clusius observavit in Sneberg, deinde in Snealben & Neuberg, nusquam verò majori copia quàm in summo Etscheri jugo, inter saxa, tenui, nigrâque terrâ leviter tecta. Floret Julio, nonnunquam etiam Augusto, quo mense semen subinde maturitatem consequitur.

11. *Doronicum Helveticum incanum* C. B. Park. **Hoary Helvetian Leopards bane.**

C. B. prod.

Ex *radice* geniculata & quasi squamata, *caulis* emergit pedalis, rotundus, incanus; cui *flos* magnus luteus, foliis aureis, longiusculis, non crenatis, discum cingentibus, qui tandem in pappum abit cum *semine* aliorum simili. *Foliis* est crassis, ad radicem aliquibus subrotundis, aliis ex rotunditate oblongis, dentatis & serratis, parte inferiore unà cum pediculis ob incanam lanuginem mollibus, supernè verò pallidè virentibus & nervo albicante: quæ verò caulem ambiunt longa sunt, angusta & acuminata, acris & amari saporis.

Locus. In Alpibus Helveticis reperitur.

An Doronicum folio longo serrato *J. B?* cujus folia longa, parum lata (unciam circiter) & in ambitu serrata, aliàs Doronico vulgari simile.

* 12. *Doronicum Helveticum humile, crassis foliis* C. B. Park. **Low thick-leaved Helvetian Leopards bane.**

C. B. prod.

Planta palmaris est, *foliis* crassis & densis, supernè atrovirentibus, infernè pallidis, nonnihil hirsutis, primis quidem ex rotunditate oblongis, per ambitum crenatis, pediculi basi caulem ambientibus, subsequentibus verò uncias sex longis, sesquiunciam latis, quorum superiora pediculis carent. *Caule* est brevi, hirsuto, in ramulos biunciales diviso, quorum singuli *florem* luteum mediæ magnitudinis sustinent.

Locus & Tempus. Julio mense in Valesianorum jugis floret.

13. *Tussilago Alpina folio longo* J. B. *Alpina folio oblongo* C. B. Park. *rectiùs Doronicis affinis longifolia.* **Long-leaved, Bastard Leopards bane.**

J. B.

Hellebori fibras imitatur quodammodo hujus plantæ radix nigricans, transversa, fibrosa, sapore (ut mihi videtur) nonnihil aromatico, *Folia* crassa, quædam palmo longiora, parte inferiore hirsuta, per margines serrata, multò breviora latioràque adolescenti quàm adultæ plantæ. *Caules* interdum cubitales, summum cacumen ornat *flos* magnus, Doronici vel Calthæ aut Plantaginis Alpinæ (à qua tamen differt) aliquando duo, tandem in pappum abeuntes.

Locus. In montis Juræ verticibus altissimis *Thuiri* & *Dole* dictis invenimus: J. Bauhinus in prælalto monte Braulio & Albula in Rhætia florentem Julio.

* 14. *Virga aurea magno flore* C. B. *Consolida aurea nemorum* Park. *Consolida aurea nemorum Limonii folio, non Alisma montanum* J. B.

Lob.

Foliis est nigræ Betæ aut potiùs Limonii, atriùs virentibus, carnosis, aliquantulum hirsutis, crassis, nervosis, Doriæ similibus, amplexis pedales Doronici *cauliculos* binos aut ternos: *floribus* caducis Doronici aut Calendulæ, & concoloribus ferè, scitè pectinatim confertis & commissis foliolis antequam pandantur eleganti spectaculo, radice multis filamentis albidis sparsa in cespitem summum, Bellidis modo; sapore mediæ Consolidæ tantillum acrimoniæ prodentis, aut Herbæ Doriæ, cujus etiam vires & quandam aromaticitatem æmulatur.

In Aureliæ Gallicæ sylvosis densissimis oritur. Hæc descriptio habet multa, [non omnia] quæ conveniunt Tussilagini Alpinæ longifoliæ, superiùs proximè descriptæ.

CAP. IX.

De Virga aurea.

Virga aurea à forma & floris colore dicta, Asteris genus videtur, floribus parvis aureis, plurimis in summis caulibus in thyrsos aut corymbos, umbellásve congestis.

1. *Virga aurea* Ger. *aurea vulgaris* Park. *aurea vulgaris latifolia* J. B. *aurea angustifolia minùs serrata* C. B. **Common Golden-rod.**

J. B.

Geniculatim hujus incedit *radix*, obliquè per terram acta, fusca, frequentes demittens fibras, albicantes, sapore aromatico. *Caules* recti & rigidi, duos aut tres circiter cubitos alti, striati, subhirsuti, medullâ fungosâ farcti. *Folia* tum à radice, tum in caule, & hæc quidem alternatim, longis pediculis appensa, interdum nullis aut perquam brevibus donata, quorum quæ ima sunt, palmum ferè lata existunt, duos circiter longa [in nostris regionibus eam longitudinem & latitudinem non assequuntur] superiora minora, atrovirentia, utraque hirsuta & per ambitum serrata. *Flores* tum in summo caule, tum in pediculis peculiaribus ex foliorum alis exortis frequentes insident Doriæ vocatæ floribus similes, lutei, in pappos evanescentes.

Locus & Tempus. In ericetis ac montosis sylvis & saltubus frequens oritur. Augusto mense floret.

Variat foliis (ut rectè *C.B.*) quæ sæpe sine crenis, aliquando saltem minùs conspicuis serrata sunt.

Vires. Vulneraria est è celeberrimis intrinsecus & extrinsecus adhibita, ipsi etiam Solidagini Saracenicæ præferenda. In vulneribus internis (inquit C. Hofmannus) prodest subductione ichorum per urinas. Quod enim notârunt summi viri pleræque omnes potiones vulnerariæ sunt diureticæ: Et pugiles solent in potu ordinario Valerianam sumere, quæ inter diuretica familiam ducit: in externis juvat exsiccatione & abstersione, quibus qualitatibus valdè excellit.

Lithontriptica diureticáque est non è postremis omnium consensu: in calculo primam experientiam habuit Villanovanus, qui in pulvere usurpavit: & celebrat in hoc affectu Barclaius *Argen.* & *Euphorm.* Dos. ℥ij. in vino albo calido quoque mane sumptæ.

Insigni vi abstersoria dotatam esse ait Hofmannus. Hinc tantæ ipsius laudes in viscerum obstructionibus, ad hydropem jam inclinantibus, ut diu in secretis fuerit habita in decocto. Ad fluxus tamen omnes alvi & uteri sistendos, necnon hæmorrhagias internas commendatur, quæ adstrictoriam potiùs quàm abstersoriam esse arguunt; nisi fortè exsiccatoriâ vi hæc præstet, quam omnes ei attribuunt.

2. *Virga aurea Mexicana* C. B. *aurea Limonii folio, paniculâ uno versu dispositâ, Mexicana* Hort. Paris. Mexican. **Golden rod, with Sea-lavender leaves.**

C. B. app.

Ex una radice *caules* plures, nonnihil tamen reclinati assurgunt; circa quos *folia* palmaria, sesquiunciam lata crassiuscula splendentia, in summitate tamen multo breviora. Ex foliorum alis ramuli prodeunt, quibus *flores* saturate lutei, sursum spectantes, & unam tantùm caulis partem occupantes, insident.

Hanc Londino acceptam Cantabrigiæ in horto aluimus sub titulo *Virgæ aureæ Limonii folio.*

Huic eadem nobis videtur Virga aurea Americana *Park.* cujus tamen descriptionem subjungemus, ut Lector de ea ipse judicium ferat. Caulem nonnihil pilosum, folia leviter dentata ei adscribit, quæ notæ an huic conveniunt nécne dubito. Quòd si diversa sit mihi incognitam fateor.

3. *Virga aurea Americana* Park. **Golden rod of** America.

Park.

Hujus *folia* antequam excaulescat, folia præcedentis [Virgæ aureæ serratis foliis] magnitudine æquant, angusta, oblonga, in medio latiora, utraque extremitate acuta, circum oras obiter dentata, *colore* viridi obscuro. *Caulis* nonnihil pilosus, pedali & interdum sesquipedali ferè altitudine, *floribus*

bus ab uno tantùm latere, seu uno versu dispositis, aliarum hujus generis similibus onusti. *Semen* succedit papposum. *Radix* in terra restat caulibus hyeme marcescentibus.

4. *Virga aurea Canadensis, hirsuta, paniculâ minùs speciosâ* Hort. Paris. **Golden rod of** Canada, **with hairy leaves.** *V. aurea serratis foliis hirsutis* Hort. Blæs. auct.

Hanc Virgæ aureæ Canadensis nomine Londino missam in hortulo nostro Cantabrigiæ aliquot annos aluimus.

5. *Virga aurea foliis angustis, lævibus non serratis* Hort. Joncq. **Narrow-leaved Golden rod with smooth and not indented leaves.**

Hanc quoque Londino accepimus sub titulo Virgæ aureæ Arnoldi Villanovani; est tamen puto planta Canadensis.

* 6. *Virga aurea latifolia serrata* C. B. *aurea serratis foliis* Park. *aurea Arnoldi Villanovani* Ger. *aurea, sive Solidago Saracenica latifolia serrata* J. B. **Broad-leaved, indented Golden rod, or Consound.**

J. B.
Triplò latiora huic sunt quam * jam dictæ *folia*, longiora, cæteròqui similia, perinde ut *caules* ramíque: at verò *flores* lutei papposi, non secundùm ramulos spicati, sed summis extremísque umbellam quodammodo effigiantes hærent.

* *Virgæ aureæ vulg.*

J. Bauhinus hanc reperit in monte Rosberg propè *Masmunster*, florentem Octobri: C. Bauhinus in Basileensi monte *Munchenstein*. *Locus.*

7. *Solidago Saracenica* Dod. Lob. *Saracenica vera, Salicis folio* Park. *Virga aurea angustifolia serrata* C. B. *aurea angustif. serrata, sive Solidago Saracenica* J. B. **Saracens Consound.**

J. B.
Bicubitalis est hæc & tricubitalis, *caulibus* striatis, glabris: ex quibus alternatim *folia* nascuntur palmum & sesquipalmum longa, unciam unam aut duas lata, similia ferè foliis Salicis auriculatæ, Doriæ instar per ambitum crenata, sed tenuiora, glabra, non hirsuta ut in vulgari, sapore quodam aromatico prædita, calidiusculo. *Flores* non secundùm caulem ut in Virga aurea vulgari, sed in extremis surculis, ut in Doria, ut umbellam quodammodo mentiantur, lutei, foliis longiusculis ternis vel quaternis constantes, flosculis confertis in pappos resolvendis medium obtinentibus.

In fossis propè Argentoratum in Germania, ínque summis jugis montis Juræ collegimus; J. Bauhinus in monte Rosberg propè Masmunster. *Locus.*

Floret Septembri atque etiam Octobri. Consolida sive Solidago à conjungendis vulnerum labris Turcis & Saracenis dicta est. *Lugd.* Ad eadem valet ad quæ Virga aurea, cujus etiam species censetur. *Vires.*

* 8. *Solidago maxima Americana* Cornuti.

Corn.
Caule multiplici, rotundo, glabro, levitérque purpurascente in tantam proceritatem attollitur quantam cubita tria aut quatuor implere solent. Circa quemque *folia* subpinguia, & sine ordine hinc inde disponuntur: formam habent singula Saponariæ aut Plantaginis aquaticæ, minùs tamen densa sunt, nam adverso sole intuenti mille velut foraminulis pertusa apparent, quod fibrarum crispitudo facit, nec magis inde scabra sunt ad tactum; attensæ siquidem membranæ planities asperitates illas velut lævore quodam perpolit & exæquat, quò fit ut splendidè admodum vireant. *Flos* adeò serotinus apud nos est, ut sæpiùs hyeme præoccupatus velut fœtus in ipso utero ante partum elidatur: si verò aut æstas plurimum deflagràrit, aut intempestivi calores autumno incesserint, paniculam promit veriùs quàm florem, luteam, nec nisi tubulis & filamentis per floccos prodeuntem, ac non longè pòst maturitate in pappos abeuntem. *Radix* numerosâ fibrarum copiâ contexitur. Inest plantæ sapor jucundus, odoratúsque citra acrimoniam calefaciens, nec parum habens astrictionis.

Peculiaris in hujus plantæ partibus vivacitas observatur, &c. vide.

9. *Herba Doria Lobelii* Ger. *H. D. vulgaris* Park. *Alisma Matthioli sive Doria* J. B. *Virga aurea major vel Doria* C. B. **Doria's Woundwort.**

J. B.
Obliquè fertur *radix*, crassitudine digitali, alba, multas longas ab inferiore parte fibras demittens, concava ubi in caulem excrevit, sapore aromatico & amaro. *Caulis* trium aut quatuor cubitorum est altitudine, cui alternatim sine pediculo *folia* adnascuntur, Lepidii foliis accedentia, non nervosa, ut sunt Plantaginis aquaticæ, quibus etiam sunt longiora, acuta, crenata, pinguia. Folia ima & priora habent aliquid simile cum Plantagine aquatica, non tamen sunt ità lata, nec nervos secundùm longitudinem obtinent, cum pediculis sunt cubitalia; sapore Angelicæ aromatico sed remissiore, amaro. Caulis fastigium in aliquot dividitur surculos, qui *flores* sustinent Jacobææ luteos, sed minùs foliosos, in pappos abeuntes. Radice est vivaci & perpetua.

Monspelii ad Ladi amnis ripas sponte & copiosè oritur. Floret Julio & Augusto; Semen maturum Septembri. *Locus.*

10. *Herba Doria minor Americana* Park. Doria's Woundwort of America. *Herba Doria altera* Ger. emac.

Park.

Doriæ vulgari persimilis est sed minor, *foliis* per hyemem etiam virentibus, crassis, oblongis, angustis, duplo quàm illius minoribus, & brevioribus pallidiùs virentibus, aliàs figurâ similibus. *Caules* complures ad dimidiam illius altitudinem non assurgunt, teretes & plerunque deorsum nutantes, foliorum & florum multitudine prægravati ut recti stare nequeant. *Florum* capitula squammosa quàm præcedentis majora, uti sunt & flores ipsi, magisque expansi, multis angustis foliolis oblongis & medio flosculorum agmine compositi, in pappum abeuntes. *Radix* plurimis fibris nigricantibus constat in terra latè se diffundentibus, unde planta immensum se propagat, & plantas vicinas enecat.

Accuratam hujus descriptionem videsis apud Gerardum emaculatum.

A. 11. *Virgæ aureæ sive Solidagini angustifoliæ affinis, Lingua avis Dalechampii* J. B. *Conyza palustris* Park. *palustris serratifolia* C. B. Marsh Flea-bane, or Birds tongue.

J. B.

Duorum aut trium est cubitorum, *caule* striato, cavo, per quem ex longis intervallis alternata *folia*, Solidaginis Saracenicæ non multùm absimilia, sine pediculis adnata, palmum aut sesquipalmum longa, semunciam aut unciam lata, in ambitu serrata, in acutum mucronem desinentia, & subtus veluti tomento obsita [supernè obscuriùs virentia] Supremus caulis in surculos crebros diducitur, atque hi rursum in pediculos, in quibus *flores* lutei Solidaginis Saracenicæ.

Folia (quantum memini) in plantis nobis visis unciâ latiora erant, unde in Descriptione Bauhiniana mendum subesse Typographicum suspicor, & pro semunciam sescunciam legendum.

Locus. In fossis palustribus & earum aggeribus, in insula Eliensi observavimus, sed rariùs: In transmarinis propè *Nantuam* oppidum ad stagni latus, eundo à Geneva ad Lugdunum.

CAP. X.

De Stœchade citrina seu Helichryso.

STœchas (Arabicam intellige) ab insulis ejusdem nominis, ubi copiosè nascitur, cognomentum accepit, teste Dioscoride l. 3. cap. 32. & Plin. l. 28. c. 18. non tamen in iis duntaxat insulis nascitur, ut scribit Plinius, sed alibi etiam multis in locis.

Herbam quæ Stœchas citrina hodie vulgò dicitur, veterum Helichryson esse Botanici peritiores existimant. Variè autem scribitur hæc vox, nimirum vel Helichrysus vel Heliochrysus, vel Ἑλειόχρυσος vel Heleiochrysus. Heliochrysus Plinio probari videtur, cùm scribat, florem ad Solis repercussum aureæ lucis in modum dependere. Quid autem paludi cum auro, inquit C. Hofmannus.

Aliis Chrysocome Veterum putatur, quæ à comantibus auri fulgore corymbis (ut Plinius loqui amat) nomen accepit.

Notæ ejus characteristicæ sunt flores foliis marginalibus aridioribus & exuccis, quæque coloris gratiam diu retinent siccata, cincti; folia oblonga, angusta, canescentia, aut etiam tomentosa & incana.

Huc autem ob notas communes plantas nonnullas Gnaphalia dici solitas refero, quamvis colore floris discrepent, ut Gnaphalium Americanum, Gnaphalium montanum, &c.

* 1. *Chrysocome Æthiopica Plantaginis folio* Breynii.

Hæc ex *radice* nigra & fibrosâ *caulem* fert lignosum, firmum, plus fermè quàm pedalem, sæpiùs alios cauliculos producentem, vel minimè, vel parumper & quidem superiore tantùm medio lanuginosum, ubi pænè nudus aut pauca saltem foliola habet: inferior verò ejus medietas foliis compluribus condecoratur, virescentibus & glabris, Plantaginis lanceolatæ perbellè æmulantibus; sed brevioribus, latioribus longéque multo rigidioribus, per oras modicè reflexis & crispulis, supina parte eleganter splendentibus; in quibus nervi quinque insigniter conspicui secundùm longitudinem, cum venulis satis validis per latitudinem vario flexu discurrentibus, cernuntur. Horum infima longiusculis & latis pediculis fulciuntur, reliqua verò sine pediculo cauli adnata, marginibus utrinque in caule adeò devergunt, ut planè alatus videatur. *Flosculi* caulium & ramulorum fastigia occupant, in comam cohærentes, Stœchadis citrinæ Italicæ *J. B.* simillimi, at breviores, è squamulis ex stramineo & ferrugineo mixtim colore compactiles, quorum apices medii cum maturitate in papposum *Semen* exiguum Stœchadis citrinæ Germanicæ abeunt & aurâ levissimâ dissipantur.

Locus. In locis Capitis bonæ spei sterilibus luxuriat, ubi vere floret.

2. *Stœchas citrina floris & magnitudine & colore speciosa* J. B. *Helichryson Orientale* C. B. *Heliochrysum Orientale, sive Amarantus luteus* Park. parad. Oriental Goldy-locks or Golden-tufts.

C. B.

Caule est rotundo, lanuginoso, pedali; *foliis* oblongis, angustis, lanuginosis, & ob tomentum crassis & incanis, iisque ad *radicem* oblongam, nigricante cortice tectam pluribus. *Caulis* in summo

in

in plures pediculos unciales, incanos dividitur: quibus singulis *flos* rotundus, rariùs oblongus, quasi ex plurimis squamulis compositus, quintuplo quàm in vulgari, quæ Stœchas citrina dicitur, major, flavus & splendens.

Simile, sed caule cubitali, foliísque latioribus, minúsque lanuginosis, umbellâ multo latiore, floribúsque minoribus & pallidioribus, ex horto Nobiliss. Contareni habemus, inquit C. Bauhinus.

Ex Creta insula ad C. Bauhinum transmissa fuit ab Honorio Belli.

Heliochrysum Cretic. Parkinsonus nostras *Heliochrysum Creticum* & *Helioch. Orientale* diversas species facit. Orientale sci. Cretico elatius est & ramosius magísque incanum & tomentosum, *foliis* tantillo latioribus & in caule & ramulis crebrioribus; Florum umbellæ seu corymbi in Orientali *capitulis* longioribus & majoribus, è squamulis pluribus compositis, densiùs stipatis constant, colore aureo hilariore micantibus. *Radice* est perenni, sed hyemes nostras ægrè tolerat.

Ego Chrysocomen veram Dioscoridis *Jacobi Zanoni* pro hac planta habeo, quamvis neque figura neque descriptio per omnia exactè respondeant. Cum Parkinsono tamen censeo Helichryson Orientale & Creticum diversas species esse.

Elichryson Orientale *C. B.* caule sesquipalmari, foliis angustis, valdè incanis in Olympo Asiæ spontaneum observavit *D. Wheeler.*

3. *Stœchas citrina Germanica latiore folio* J. B. *Elichryson sive Stœchas citrina latifolia* C. B. *Amaranthus luteus latifolius* Ger.

J. B.

Virgas habet dodrantales aut etiam cubitales, cana lanugine vestitas, nunc singulares, nunc plures: per quos *folia* numerosa, incana, latiora multo quàm Stœchadis citrinæ Narbonensis, adeò ut quæ terræ proxima è radice statim pullulant, ad uncialem ferè latitudinem accedant. Extremis ramulorum immortalis auri fulgore resplendent conglomerati squamulis compactiles corymbi. *Semen* pappo involutum. *Radix* longa, lignosa, fibrata. In foliis siccis decem post annos degustatis sapor nonnihil aromaticus. In sterilioribus propè Rhenum suprà Coloniam Agrippinam abundè nascentem observavimus: In regionibus quæ Rheno adjacent, potissimum verò quæ inter Spiram & Wormatiam sunt, provenit, in locis asperis, sabulosis, siccis & convallibus, florens Junio & Julio mensibus. *J. B.*

Vires. Hujus flores vino decocti & poti lumbricos ventris expellunt, quod Tragus experientiâ certum esse didicit. Eodem modo sumpti sudores eliciunt.

Hujus varietatem florum squamulis eleganter in modum prunæ ex aureo rutilantibus, in Cassubiæ sterilibus arenosis & apricis locis præsertim sublimioribus Julio & Augusto florentem, Septembri & Octobri semina perficientem, cætera præcedenti similem Chrysocomes Germanicæ * flore ignescente, sive ex aureo rutilante proponit Jac. Breynius.

* *Hujus flos nomini Heliochrysos respondet, ad solis repercussum aureæ lucis in modum dependens.*

Aliam insuper varietatem, flosculis longioribus & squamulis sanguinei coloris imbricatis, valdè raram ex iisdem montibus allatam addit.

Amaranti (sic enim appellat hanc herbam) flores, autore Trago, calidæ sunt naturæ, id quod & sapor & odor arguunt. Vino quidem decocti & poti lumbricos ventris expellunt, quod Tragus experientia certum esse didicit: Eodem modo sumpti sudores eliciunt, quare hanc herbam obstructionibus hepatis, lienis, renum & vesicæ conferre existimat. In lixivio decocti si cum illo caput abluatur, furfures capitis & porriginem expellit, pediculósque enecat. Vestibus appositi à tineis illas tuentur. Aquâ decocti vaporantibus & fomentis induratam ac tumentem matricem emolliunt. Flores nonnulli felici successu adversus morbum Regium usurpantur. *Breyn.*

4. *Stœchas citrina tenuifolia Narbonensis* J. B. *Elichryson sive Stœchas citrina angustifolia* C. B. *St. citrina sive Amarantus luteus* Ger. *Chrysocome sive Coma aurea & Stœchas citrina vulgaris* Park. **Narrow-leaved Goldylocks or Cassidony.**

J. B.

Fruticosa est planta, *radice* crassa, lignosa, simplice, perenni [Lobelio radix gracilis est gummi Elemium, vel Cyperum rotundum Syriacum redolens, uti flores & tota planta, gustu etiam aromatico, medicato & fervente, non tamen nimio fervore, subastringente] ex qua lignosi *stolones* pronascuntur, qui in virgulas creberrimas pedales & cubitales, albida lanugine obsitas desinunt, quarum summum cacumen *flores* corymbaceos, luteos pallentésve, densè glomeratos sustinet, singulos squammulis imbricatos, siccissimos, colore aureo fulgentes, non marcescentes per multos annos (si bene exsiccati & loco sicco reservati fuerint) odore vehementes cum jucunditate. *Folia* per ramos ordine frequentia conscendunt, incana, villosa, magis tamen subtus quàm supra, admodum angusta, nec planè culmum dimidium lata, versùs superiora minùs frequenter disposita. Lobelio autore in mollicello vellere pusillum *semen* Majoranæ, sed exilius, ruffum, acre, odoratum.

Locus & Tempus. Copiosè provenit circa Monspelium, Aprili & Maio florens. Parkinsonus Lobelium secutus hanc cum Stœchade citrina latifolia Germanica confundit, à qua specie omnino differt.

Vires. Stœchadis hujus flores, ut & Italicæ iisdem viribus pollent quibus Stœchadis Germanicæ. Attendamus Schroderum. Calf. & sic. diuretici sunt & vulnerarii. Usûs præcip. in obstructione urinæ, hepatis, lienis, mensium; coagulatum sanguinem resolvunt, catarrhos exiccant, menses nimios sistunt, lumbricos fugant [vino decocti aut macerati & poti] Commendantur & in primis ad exiccandas defluxiones acres pulmonum, &c. Extrinsecùs faciunt ad emolliendam uteri duritiem [in balneo] Capitis defluxiones siccant & discutiunt [suffitu.] Matthiolus herbam totam omnibus cerebri morbis à frigido provenientibus, nempe pituitosis fluxionibus, diuturnis doloribus, comitialibus, resolutis, & id genus aliis mederi asserit; sive ejus decoctum in potu sumatur, sive in pulverem trita ex rhodomelle bibatur aut oxymelite. *Penes autorem fides esto. Morbi illi nimis contumaces nobis videntur, quàm ut tam imbelli medicamento expugnentur.*

5. *Stœchas citrina tenuifolia altera sive Italica* J. B. *Elichrysum foliis oblongis, Stœchadi citrinæ similis* Dod. C. B.

J. B.
Virgæ ramosæ, quarum superiores partes albicant, lignosæ, in quibus *folia* similia foliis Stœchadis citrinæ Narbonensis, quæ tenuiora sunt, inferiora, breviora ut in illa, alia quædam longiora unciâ. In singularum virgarum summitate umbella parva corymbifera: Corymbi parvi minores quàm in Narbonensi, longiusculis veluti parvis squamis constantes, qui se explicantes discum faciunt, in quo flosculi multis apicibus constantes. Color qualis sit me latet, in sicca ad straminis colorem accedere videtur.

Locus. Bauhinus ex Apennino habuit: Nos eam in montibus Liguriæ, non procul Gavia oppido & alibi passim invenimus. Folia quàm Rorismarini angustiora, multò minùs quàm Stœchadis citrinæ Narbonensis albicant.

6. *Stœchas Citrina tenuifolia tertia sive Neapolitana* J. B. *Elichryson foliis oblongis, paucis, Stœchadi citrinæ angustioribus* C. B.

Matth.
Planta est exilis, *foliis* longis, angustis, hirsutis, striatísque: caulibus angulosis, umbellâ in summitate aureâ divulsâque, radice tenui ac supervacua.

Ne quis autem hanc cum præcedente eandem censeat (ut rectè monet Bauhinus) illa enim numerosis angustissimis foliis, hæc paucioribus, plus duplo longioribus, & illâ latioribus est prædita.

Locus. Inter Neapolin & Puteolos invenitur.

* 7. *Heliochrysum Abrotani fœminæ foliis* P. Bocconi. *Abrotanum fœmina verum Dioscoridis* Zanoni.

Boccon.
Tenues sunt huic *virgulæ*, fragiles, pedales; *foliis* circundatæ oblongis, angustis; denticulis quàm Abrotani fœminæ longioribus, nonnihil candicantibus. *Flores* in fastigio cauliculorum umbellati, luteo auri colore fulgentes, Heliochrysi aut Stœchadis citrinæ floribus colore & odore persimiles.

Locus. Semen à Perside allatum plantam hanc in horto M. Etruriæ Ducis produxit.

8. *Elichrysum Creticum* C. B. *Chrysocoma* V, *quæ Cretica* Clus.

Clus.
Singulares, nonnunquam plures, emittit è radice virgulas, teretes, sesquipedales, incana lanugine & velut tomento obductas; quibus sine ordine multa adnata *folia*, unciam & ampliùs longa, unciæ quadrantem lata, supernè virentia, infernè alba: circa summas virgas è foliorum alis nati sunt tenues ramuli minoribus foliis præditi: summæ autem virgæ desinunt in nudum ramulum, vel singularem, vel geminum, tomento carentem, cui insident singularia capitula, squamulis imbricatim dispositis constantia, instar capitulorum Cyani, è quibus prodeunt *flores*; multis staminulis fla[vis] compositi.

Stœchadem citrinam Creticam flore amplo *Park.* i. e. Santolinam Creticam *Alpini*, & Chrysocomen V. seu Creticam *Clus.* pro una & eadem planta habeo. Nam descriptiones conveniunt, & locus idem est. Nec diversa nobis videtur.

Stœchadi citrinæ alteri inodoræ Lobelii affinis, capitulis brevioribus J. B. *Heliochryso sylvestri flore oblongo similis* C. B. *Stœchas citrina sylvestrior* Park. *quam C. Bauhinus sic describit:*

Caule est sesquipalmari, rotundo, incana lanugine obsito, in ramulos aliquot inæquales, palmo breviores brachiato: *foliis* Stœchadis citrinæ alterius inodoræ similibus, latioribus tamen, aliquibus leviter sinuatis, sesquiuncialibus, infernè incanis & tomentosis supernè virentibus. Ramuli in pediculos tenues, nudos, uncias quatuor longos, abeunt, quorum summitatibus, *capitulum* unicum squamosum cum *flore* insidet, qui in pappos breves ut in Elichryso sylv. angustifolio abit.

Locus. In montibus Italiæ (inquit) propè Terracinum provenit. Icon J. Bauhini meliùs respondet plantæ à nobis observatæ quàm Caspari.

Hanc in muris & rupibus circa Messanam Siciliæ urbem copiosè provenientem observavimus.

Hujus aliam speciem invenimus propè Tolonam Gallo-provinciæ portum, *foliis* longioribus, angustioribus, Rorismarini similibus in caule crebrioribus, supernè pallidiùs virentibus, subtus minùs incanis, uti sunt & caules. *Flores* eodem modo nascuntur in longis pediculis singulares.

Huic plantæ affinis & similis est, si non eadem,

9. *Chrysocome altera, peregrina* 1. Clus. *Cujus descriptionem è Clusio subjiciemus.*

Cubitales plerunque habet *virgas* quando adolevit graciles, incanas, & velut tomento quodam obsitas, quas incondita serie disposita ambiunt *folia*, longa, gracilia, Libanotidis coronariæ foliis similia, vel iis etiam angustiora, supernè nonnihil virentia, infernè incana, ex quorum sinu nascuntur tomentosi ramuli, minoribus foliis prædìti, per summas verò virgas rariora sparsa sunt folia, quarum fastigiis multi insident squammati *flores*, vulgaris Chrysocomes floribus minores, aurei vel flavi coloris, qui marcescentes fuscum colorem contrahunt, & *semen* exile continent pappo involutum. *Radix* lignosa, dura, in aliquot ramos divisa. Cum quadam non insuavi graveolentia odorata est, gustúque calidiusculo.

Salmanti-

Salmanticensi agro frequens est, (memini & Monpelliano videre) ubi tota æstate subinde novos flores producit, totâque hyeme comam retinet. *Locus.*

Hæc planta in eo à nostra differt quòd multos flores in ramulorum fastigiis gestat, cùm nostra singulos tantùm, eósque majores quàm vulgaris Chrysocomes.

10. *Stœchas citrina altera inodora* Lob. *Helichrysum sylvestre flore oblongo* C. B.

Lob.

Rariùs hæc multò occurrit Ilicetis cocciferis *Sommieres* inter & Monspelium, tota pulchella, facie Stœchadem citrinam præferens; *folia* tamen sunt latiora, incana, uti tota planta. *Cauliculis* palmaribus, in quibus *flores* itidem Stœchadis citrinæ alterius, grandiores, longiores, Lactucæ agrestis quadantenus. *Radix* non magna, lignosa, inodora; tota minùs nota, pervia, aut inventu facilis.

Jo. Bauhinus hanc plantam Stœchadi suæ citrinæ affini capitulis longioribus synonymam facit. Verùm planta, quam sub titulo illo describit J. Bauhinus, eadem omnino videtur Stœchadi odoratæ purpureæ Pilleterii *Lob. illust.* Quocirca vel Lobelius errat, qui Stœchadem illam purpuream Pillet. diversam ab hac facit; vel J. Bauhinus qui eandem huic. D. Magnol nihil hic lucis affert, sed nos in dubio relinquit.

Præterea J. Bauhinus Chrysocomen secundam, sive peregrinam tertiam *Clus.* huic synonymam facit. Eam autem Clusius sic describit:

Pedalibus, interdum etiam cubitalibus assurgit ramis, candicantibus & lanuginosis, quos Oleæ similia folia, longa, mollia, cana lanugine tecta per intervalla ambiunt. *Flores* autem extremis ramulis pallentes, squamosi & Agerati ferè insident. *Radices* sunt nigricantes.

Hanc alteram Chrysocomen Murciani *Moneanilla*, nomine Chamæmelo communi, appellabant. Hispalenses *Romero marino*, i. e. Libanotidem coronariam marinam; Mauritani Granatensis urbis incolæ Miscajin.

At neque hîc nobis satisfacit J. Bauhinus siquidem descriptiones Clusii & Lobelii non conveniunt ut conferenti patebit, ideóque unius & ejusdem plantæ esse non possunt.

C. Bauhinus Chrysocomen quartam, peregrinam tertiam *Clus.* hujus Synonymam facit, minùs rectè nostrâ sententiâ, siquidem descriptio Clusii meliùs convenit Stœchadi citrinæ alteri *Lob.*

Mira est apud Botanicos confusio in speciebus & Synonymis hujus generis.

11. *Stœchadi citrinæ affinis capitulis parvis, raris, squamosis, in pappos evanescentibus* J.B. *An Elichryson sylv. angustif. capitulis conglobatis* C. B? *Chrysocome* 4, *peregrina* 3. Clus. *An Stœchas citrina altera* Ad. Lob?

J.B.

Citrinæ Stœchadis Narbonensis instar densè fruticat, *virgæ* tamen breviores, tomento candidæ, quas folia vestiunt citrinæ Stœchadis, sed longiora subinde, non minùs angusta, inoffensa marginum æquabilitate, tomento villoso subtus obsita. Capitula singulorum ramulorum (qui longi ac tenues sunt) extremis imposita, aut singularia, aut bina ac etiam terna, semunciâ breviora, squamata: *flores* coloris sordidi & obsoleti, non aurei, quorum apices medii in pappos degenerant. Hujus plantæ idem ferè odor qui dictæ Stœchadi.

In saxis ac rupium fissuris circa Monspelium variis in locis oritur. Caules huic ramosiores ramis longioribus, tenuioribus, sparsis, & foliis ferè nudis. *Locus.*

Chrysocomes 4. peregrinæ 3. Clusii descriptio huic bene convenit: Quocirca C. Bauhinus eam malè Elichryso suo sylv. flore oblongo synonymam facit.

Stœchadi citrinæ alteri Lobelius flores singulos in singulis caulibus attribuit, quod plantæ huic nostræ non convenit; unde aut malè Stœchadem suam citrinam describit, aut ab hac nostra diversa est.

12. *Gnaphalium montanum album* Ger. *montanum sive Pes cati* Park. *montanum flore rotundiore* C.B. *Pilosella major & minor quibusdam, aliis Gnaphalii genus* J. B. **Mountain Cudweed, or Cats-foot.**

Humi fundit circumcirca appressa ferè terræ *folia* oblonga, per extremum rotunda, incanâ lanugine obsita inferna parte, inter quæ surgunt *caules* palmares aut dodrantales etiam cubitales, tomentosi, candicantes, *foliis* vestiti longis, angustis, è quorum cacumine glomerati pendent *flores* multi, jam majores, foliolis exuccis, squammulis latioribus & brevioribus contextis, speciosiores, jam minores, è minùs pulchris Squamulis angustioribus & longiusculis constantes, nunc candidi, nunc magis minúsve purpurantes in medio *apicibus* multis, quibus succrescunt longi *pappi*. *Radices* fibrosæ reptant Pilosellæ vulgaris in modum.

In montosis variis in locis v. g. in planitie *Novi mercati* dicti oppiduli: in ericeto Bernacensi in comitatu Lincolniæ; in montibus *Ingleborough* in Eboracensi provincia & *Plimlimon* in Wallia. *Locus.*

Hujus duæ habentur species, *altera* flore majore, squamulis latioribus, *altera* flore minore, squamulis angustioribus: utraque floris colore albo & purpureo variat. In Anglia species duntaxat minor invenitur.

13. *Gnaphalio montano affinis Ægyptiaca* C. B. *Baccharis Dioscoridis Rauwolfio* J. B.

J.B.

Planta est cubitalis, *foliis* lanuginosis donata, Verbasci similibus, & caulem ut in Tabaco amplexantibus. Summa occupant flosculi albidi purpurascentes, densè stipati ut in Stœchade citrina aut Pede cati. Radicula odorata, Ellebori nigri similis.

In

Locus. In deſcenſu montis Libani obſervavit Rauwolfius.
Hujus meminit Jac. Breynius, titulo Chyſocomes Syriacæ flore atro-rubente.

14. *Chryſocome Syriaca candidiſſimis floribus* Breynii.

Breyn.
Non ita obvia alibi quàm in ſaxoſis Libani montis, ubi à Rauwolfio reperta, in cujus Herbario plantam exſiccatam vidit Autor noſter dodrantalem. *Folia* ejus incana, latiora Chryſocomes Germanicæ atque breviora. *Flores* ſummis caulibus inſident pauci, ex argenteis retorridis ſquamulis compactiles, Gnaphalii montani floribus rotundioribus candidis haud impares, ſed grandiores.

15. *Gnaphalium Americanum* J. B. Ger. *Americanum latifolium* C. B. *Argyrocome ſive Gnaphalium Americanum* Park. parad. American **Cudweed or Life everlaſting.**

J. B.
Ad cubiti altitudinem aſſurgit, proceriùs etiam ſubinde adoleſcit, *caulibus* craſſiuſculis, multo candido tomento obſitis, medullâ fungoſâ farctis, teretibus: quibus certa ſerie *folia* adnaſcuntur, palmum circiter longa, ſemunciam lata, in acutum mucronem deſinentia, ſupina parte virentia, triplicíque nervo ſecundùm longitudinem decurrente donata, inferiùs verò villoſa & incana. Corymbi ſummis ramis inſident multi conferti, tomento obſiti, quorum ſingulares *flores* ex argenteis retorridis foliis compactiles, pappoſa in medio filamenta coloris ruffi aut melini, Cluſio ſubflavi, qualia ferè in Gnaphalio vulgari, comprehendunt, quæ tandem in pappum aut *ſemen* mutata abeunt. *Radix* ſubeſt lignoſa exſucca, ſerpentes de ſe propagines & fibras promittens, minimi digiti craſſitudinem ferè æquat, nigra, ex lateribus novos ſingulis annis caules proferens, qui primùm emergentes nihil niſi tomentum eſſe videntur; tota æſtate flores producentes.
Ex America delatum, indidémque denominatum.

16. *Gnaphalium Braſilienſe.* Marggr.

Marggr.
Ex *radice* minimum digitum craſſa, multis filamentis prædita, odore aliquantulum cum Helenii radice conveniente, ſapore tamen haud manifeſto, perenni & quæ novos ſubinde caules protrudit, ſex interdum & plures prodeunt *caules*, mediocriter rotundi, inferiùs craſſi ad trium pedum altitudinem, geniculati quaſi ob folia quæ illos ambiunt, ſubfuſci & alba lanugine obſiti. *Folia* autem ambiunt multa, tres vel quatuor dig. longa, anguſta, viridia, ac copioſa lanugine alba ſeu tomento obſita; ſuperiùs minora fiunt ad caulem, & caulis diſpeſcitur in multos ramos, mediocriter hirſutos. Ramos ornant hinc indè foliola anguſtiſſima, lanugine incana, unum aut duos digitos longa. In extremitatibus autem ramorum proveniunt *capitula*, ex ſquamis oblongis argentei coloris, ſplendentibus compoſita, quibus *floſculi* innaſcuntur copioſi, cuilibet nimirum ſquamulæ quinque, conſtantes quinque foliolis albis, diſſectis in medio eminente ſtaminulo albo-purpuraſcente: cæterum ſunt penitus inodori. Poſt floſculos naſcitur *ſemen* in ipſis ſquamis, oblongum, fugax, coloris fuſco-argentei.

17. *Gnaphalium ad Stœchadem citrinam accedens* J. B. *An Elichryſum ſylv. latif. capitulis conglobatis* C. B? *Heliochryſum ſylveſtre* Ger. emac?

Radix hujus ſpectatur parum fibroſa & nonnihil lignoſa: folia Gnaphalii, quædam tres uncias longa, alia breviora, culmum unum vel duos lata, tomentoſa incana, mollia: *Caules* villoſi, albi, recti, interdum ramoſi, dodrantales & cubitales; quorum faſtigiis duntaxat *flores* hærent & capitula ad Stœchadem citrinam accedentia, vel ad Gnaphalium montanum, ex ſquamis lucentibus conſtantia.
Locus. In pratis non longè à *Caſtro novo* vico Monſpelio vicino naſcentem obſervavimus.

CAP. XI.

De Jacobæa.

Jacobæa à S. Jacobo, cui dicata eſt hæc herba, nomen accepit.
Jacobæa à cæteris pappoſis non lacteſcentibus, foliis laciniatis, floribus flavis radiatis differt.

A. 1. *Jacobæa vulgaris* J. B. *vulg. major* Park. *vulg. laciniata* C. B. **Common Ragwort, Seggrum.**

Radix plurimis fibris majuſculis albentibus terræ firmiter adhæreſcit, ut non ſine difficultate poſſit extirpari. *Caules* indè exurgunt non raro plures, interdum unicus, teres, ſtriatus, aliàs glaber, aliàs nonnihil lanuginoſus, in apricis plerunque purpuraſcens, ſolidus, *foliis* crebris, nullo aut alterno ordine poſitis veſtitus, ſeſquicubitalis aut altior, in lætiore ſolo etiam tricubitalis, ſumma parte in ramos aliquot diviſus, medium caulem altitudine æquantes aut etiam ſuperantes; unde fit ut *flores* in ſummis caulibus & ramulis exiſtentes in umbellas quodammodo diſpoſiti ſint, magnitudine

ne singuli mediocri, radiati, flavi, foliis marginalibus cuspidatis, medio disco concoloribus, angustis, oblongis. *Calix* floris squamosus, striatus. *Semen* perexiguum, pappo alatum, per maturitatem rubescens. *Folia* oblonga sunt profundè dissecta, primò in laciniarum quasdam conjugationes ad mediam propè costam, deinde in alias lacinias secundarias subdivisa, glabra & obscuriùs virentia, præsertim supina parte.

In pascuis inque incultis & ad vias passim provenit. *Locus.*

Non solùm eandem formam, sed easdem cum Senecione vires & facultates obtinet, autore Trago, inprimis autem vulneribus, inflammationibus & fistulis medetur. *Vires.*

Observat Hofmannus Jacobæam calidam nonnullis cataplasmatis formâ adversùs ventris tormina, (quæ miserè dysenteriâ affectos excruciant & tantum non interimunt) felici successu fuisse abdomini applicatam.

A. 2. *Jacobæa Senecionis folio incano perennis.* **Hoary perennial Ragwort with Groundsel-leaves.** *Fortè Jacob. vulgaris minor* Park.

Hæc à præcedente differt 1. *Radice*, quæ quamvis fibris paucioribus constet, perennis tamen est, & sub Autumnum nova germina quasi capita emittit. 2. *Caulibus*, qui huic elatiores sunt & lanuginosiores. 3. *Foliis*, quæ pariter lanuginosiora sunt, obscuriùs viridia, in angustiora & acutiora, minùs tamen crebra segmenta divisa. 4. *Floribus*, qui huic pallidiores, petalis ambientibus minoribus & brevioribus.

In pascuis præsertim inter vepres, & in sepium aggeribus non raro se offert. *Locus.*

Jacobæa pumila Gallica Bocconi.

Boc.

Hæc *folia* habet cæteris omnibus suæ classis multò tenuiùs dissecta; atque est planta pumila & cæteris humilior. *Flore* & *semine* cæteris par.

A. 3. *Jacobæa latifolia* J. B. **Broad-leaved Ragwort.**

J. B.

Caulem habet tricubitalem, teretem, rubentem, medullâ albâ farctum, in ramos alterius instar divisum, quorum extremis *flores* insident magni, lutei, stellati ceu vulgatæ, & tandem in papposum tomentum evanescentes: at *folia* plurimùm differunt, dodrantem ferè longa, duabus unciis latiora, serrata, glabra, mollia, profundè circa principium secta, reliquâ & ultimâ laciniâ ad Bugulæ folium accedente: verùm enimverò quæ per ramos conspiciuntur paullo magis sunt laciniata, Artemisiæ ferè divisurâ. *Radix* obliqua, multis fibris capillata; suspicor annuam herbam.

In Sundcovia florentem Augusto observavit ad ripam fluvioli. *Locus.*

A. 4. *Jacobæa latifolia palustris sive aquatica.*

Præcedentis descriptio huic per omnia ferè convenit, ut eandem plantam esse mihi pæne persuadeam. Differt à Jacobæa vulgari *foliis* imis pænè integris, ad principium duntaxat altè incisis & velut pinnatis, in caule minus crebris: *floribus* in caule & ramulis summis paucioribus, magis sparsis, nec ità in umbellæ formam congestis quemadmodum in illa; ipsorum petalis saturatiùs flaventibus, medio disco latiore & majore, è flosculis pluribus sed minoribus composito; stylis etiam minoribus & brevioribus in singulis; hinc capitula sequentia majora latioráque sunt in hac quàm in illâ. Differt etiam loco, cùm hæc in aquosis & palustribus semper proveniat, illa in siccioribus. Perennis planta esse videtur. Folia etiam suprema in caule multo minùs tenuiter dissecta sunt in hac specie quàm in vulgari Jacobæa. Quinetiam rami in hac longiores sunt, & à caule magis recedunt, & inferius in caule oriri incipiunt quàm in illa.

Ubique ferè ad fossas & in aquosis oritur. *Locus.*

A. 5. *Jacobæa Pannonica latifolia* J. B. *latif. Pannonica prima* Park. *latifolia* Ger. *Alpina laciniata, flore Buphthalmi* C. B. **Broad-leaved** Hungarian **Ragwort.**

Clus.

Cubitali interdum excrescit *caule*, firmo, striato; quem ambiunt *folia* lata, rugosa, mucronata, per oras serrata, viridia, latiore basi, & velut appendicibus quibusdam prædita, infimâ parte quâ caulem amplectuntur, ingrati & nonnihil acris saporis: quæ verò à radice germinant rotundiora sunt & majora, sed nullas appendices habent, perinde tamen serrata atque superiora. Summus caulis dividitur in aliquot ramulos, qui *flores* omnino luteos sustinent, Jacobææ vulgaris similes, multò tamen majores, & ad Buphthalmum amplitudine accedentes, maturitate in pappum evanescentes. *Semen* observare non licuit. *Radix* satis crassa & candicans, subinde fibras, vulgaris Jacobææ instar in latera expandit.

Provenit in Austriacis Stiriacísque Alpibus: nusquam tamen abundantiùs quàm supra Herrenalben, quà longus ascensus est in Durrenstein. Floret Junio & Julio, in hortos translata etiam Maio. *Locus & Tempus.*

6. *Jaco-*

6. *Jacobæa marina* Ger. *maritima* C. B. *marina sive Cineraria* J. B. *marina sive Cineraria vulgaris* Park. Sea Ragwort.

Ad bipedalem interdum altitudinem assurgit *caule* duro, striato, tomento candido obducto. Prima *folia* quernis similia sunt, rarioribus fissuris, minúsque altis incisa, quæ postmodum ad costam usque profundiùs dividuntur, digitali ferè intercapedine segmenta laciniata intercedente, crassiuscula, inferiùs cinereo molli tomento una cum pediculo obsita, superiùs atrovirentia, nitida, & nonnulla quoque lanugine fortuita obiter respersa, sapore prædita parùm grato. *Flores* multi, coacervati, Jacobææ, melini, in pappos tandem abeunt.

Locus. Ad littora maris inferi ubique ferè occurrit: in Anglia & Septentrionalibus frustra eam quæres.

Hujus duæ præterea habentur species seu potiùs varietates, nimirum, 1. Jacobæa incana altera *C. B.* altera seu minor *Park.* quæ priore minor & humilior esse dicitur, *foliis* tamen longioribus, valdè laciniatis, laciniarum seu segmentorum extremis rotundioribus, supernè etiam subcinereis; *floribus* minoribus colore obscuriore, qui duos minimum menses durant antequam marcescunt & defluunt. 2. Jacobæa maritima sive Cineraria latifolia *C. B. Park.* cujus folia inferiora subrotunda, cum pediculis pedem longa, uncias quatuor lata, ad modum Brassicæ vulgaris laciniata, & per marginem sinuosa; at superiora minora & acutiora: *flores* majores oblongis pediculis incanis & nudis insident, quorum discum aureum *folia* latiuscula pallidiora orbiculatim cingunt.

Argentea Cretica *Alpin. exot.* huic eadem videtur, solâ foliorum incisurâ Pastinacæ æmulâ ludens.

Vires. Jacobæa ad vulnera & ulcera inveterata ac sordida à recentioribus commendatur, quæ succo ejus cum melle permixto expurgantur. Ad dolorem ischiadicum aliósque inveteratos in unguentis usurpatur. Vide Gerard. Laudatur verò & hujus decoctum gargarizatum ad gutturis tumores & abscessus, quos & discutit & persanat. *Dod.*

Ægyptii, autore Alpino, Jacobæâ marinâ ad multa utuntur: quippe decoctum ex foliis paratum ad renum vesicæque calculos pollere aiunt, necnon ad sanandas viscerum antiquas obstructiones, frigiditatem, strangulationem, sterilitatem, inflationem, atque ad menses interceptos revocandos, in insessionibus.

7. *Ageratum ferulaceum Dalechampii* J. B. *Chrysanthemum Alpinum foliis Abrotani multifidis* C. B. *Achillea montana* Lob.

Clus.

Herba est cubitalis, *caulibus* satis robustis, striatis, quos *folia* ornant tenuiter Chamæmeli modo dissecta, quæ quo magis superiora versùs tendunt, eò sunt minora, minutiúsque incisa: inferiora namque palmo longiora, Ferulaceis sunt proxima. Caulis fastigium in pediculos frequentes abit, quibus incompositi *flores* umbellam mentiuntur, Jacobææ floribus similes, minores, luteis foliolis radiati, staminulis concoloribus medium occupantibus, tandem in pappos facessentibus. *Radix* longiuscula, mediocris crassitudinis, fibrata. Sapor huic nonnihil aromaticus.

Locus. In cacumine montis *Esperon* mense Octobri florentem reperit J. Bauhinus: Lobelius in celsioribus Calcaris & Horti Dei montium Narbonensium jugis. Nobis etiam cùm Monspessuli commoraremur à D. Zuecker Dantiscano è vicinis montibus delata communicata est.

C. Bauhinus à Parkinsono & Johnsono Gerardi emaculatore non immeritò reprehenditur, quòd Ageratum ferulaceum *Lugd.* Chrysanthemo Alpino 2. Clusii idem facit; cùm Chrysanth. 2. Clus. nec flores in cacumine in umbellæ formam dispositos gerat, sed singulos aut geminos tantùm in eodem ramulo; neque eos parvos, quàm Jacobææ minores, sed Chamæmeli vulgaris floribus majores. Verùm Chrysanthemi Alpini 3. Clusii descriptio Agerato nostro ferulaceo egregiè convenit. Quocirca per errorem, puto, apud C. Bauhinum hæc nomina transposita sunt, & Chrysanthemum Alp. fol. longis tenuiter incisis in locum Chrysanth. Alp. foliis Abrotani multifidis transferendum, itémque Chrysanthemum Alp. 3. *Clus.* in locum Chrys. Alp. 2. *ejusdem.*

Morisonus noster plantam hanc Chrysanthemis annumerat, ob semina, ut puto, solida seu pappo destituta. Verùm cùm J. Bauhinus disertis verbis affirmet flores in pappos facessere, nec planta ipsa ad manum sit, ubi eam collocem incertus sum: si minùs rectè hic disposuerim, J. Bauhino imputandum est.

* 8. *Chrysanthemum Hispanicum tenuifolium* Moris. prælud.

Folia habet minùs tenuiter dissecta quàm præcedens florémque duplo majorem.

Quamvis hoc fortè aliò pertineat, ob affinitatem præcedenti subjunxi; Quòd si minus rectè hic collocentur, utraque simul removeantur.

* 9. *Jacobæa Sicula Chrysanthemi facie* Bocconi.

Bocc.

Caules ei cubito sunt altiores, non ità crassi, inanes, seu intus fungosi, in plures ramos divisi. *Folia* longa, angusta, adnatis exiguis alis, Chrysanthemi Cretici veluti divisurâ & formâ, paululum fœtentia. *Flores* in ramulorum fastigiis multiplices floribus Jacobææ multò minores, medio umbone seu orbiculato ambitu luteo auri colore fulgentes.

Locus. Perpetua est planta, hyemémque facilè sustinens, ad Catanam & Tauromenium frequens.

* 10. *Jaco-*

* 10. *Jacobæa multifida umbellata annua* Bocconi.

Bocc.
E *radice* tenui parvâ *folia* plurima per terram strata, uncialia & triuncialia nonnunquam, Jacobææ more lobata, supra virentia, subtus incana, in extremo circinatæ rotunditatis, in margine sinuata emittit: quorum è medio *caulis* assurgit pedalis, alatus, rotundus, leviter hirsutus, *foliis* cinctus primùm Jacobææ divisurâ, demum Absinthii modo tenuiter incisis. Hic caulis in summitate pluribus ramis palmaribus quasi laxè umbellæ in modum dividitur, quorum cacuminibus insident *flores* petalis latis & planis, aureo colore fulgentibus, & cingentibus umbonem pariter aureum, ex multis *staminulis* concoloribus conflatum, qui tandem recedit in *semen* papposum aliarum Jacobæarum more.

Annua est planta. Nascitur ad *Agrigentum* & oppidum *Montapertum* dictum.

Cap. XII.

De papposis non lactescentibus petalis marginalibus cuspidatis, foliis integris levibus seu

De Jacea Oleæ folio. C. B.

1. *Ptarmica Austriaca* Ger. *Austriaca Clusii* Park. *Jacea oleæ folio, capitulis simplicibus* C. B. *Xeranthemum aliud sive Ptarmica quorundam* J. B. Austrian Sneezwort.

Clus.
CUbitali assurgit *caule*, candicante, Cyani æmulo: *Folia* illi infima caulis parte secundùm radicem numerosa, longiuscula, angusta, supernè molli lanugine incana, acidiusculi saporis; in ipso autem caule rariora. *Caulis* in aliquot ramos se spargit, sustinentes *capitula* è squamis velut argenteis imbricatim sibi invicem incumbentibus contexta: è quibus emergit *flos* venustus & elegans, duodecim aut quatuordecim foliis constans, duris, siccis, mucronatis, coloris initio albi, deinde ex cœruleo quodammodo purpurascentis aut illius æmuli qui in Sesamoidis minoris *Matth.* flore elucet, nullo odore commendatus, sed sola venustate gratus, & immarcessibilis: coloris enim gratiam retinet per multos annos è trabe suspensus, aut inter chartas repositus: in ipsa verò planta [si non evellatur] senescens subfuscum contrahit colorem. *Semen* non multùm absimile Sesamoidi minori, tenuius tamen & copiosum inter albam lanuginem latet. *Radix* singularis est, nigricans, dura, capillaribus quibusdam fibris septa, sed annua.

In Austria circa Viennam urbem & alibi invenit Clusius. *Locus.*

Ptarmicæ nomen huic plantæ imposuit Clusius, non quòd sternutamenta moveat, sed quòd reliquis notis satis aptè cum Dioscoridis Ptarmica conveniat.

Pusillam incanam Jaceam alteram folio oleæ *Lob.* haud libenter pro diversa specie admiserim, quam per omnia similem incanæ alteri [i. e. Xeranthemo] scribit capitulis & floribus, sed cauliculo minùs diviso esse, palmari & sesquipalmari, foliis majoribus Oleæ, magisque incanis, minimè serratis, capitulis habitioribus, nitidis argenteis squamis, gustu insipido, minimè amaro.

2. *Xeranthemum* J. B. *Jacea Oleæ folio, flore minore* C. B. *Ptarmica Imperati, sive minor* Park. *Ptarmica Imperati, an Ptarmicæ Austriacæ species* Clus. cur. post. ? Ger. emac. Smaller Sneezwort.

J. B.
Angulosо est *caule*, duro, lento, incano, lanuginoso, tenui, pedali & altiore pro ratione soli, plurimùm singulari, in multos ramos divaricato; per quem *folia* alternatim disposita, denso tomento candicante undiq; obsita, infernè candidiora Absinthii vulg. foliorum colore, uncias duas aut tres longa, culmum lata, unico nervo medium folium percurrente, deorsum plerunq; reflexa. Singulorum ramulorum extremis singula hærent *capitula* oblonga, ex squamis candicantibus & lucidis, nitidis contexta, in acumen desinentibus cum stria rubente. *Flos* stellatus, squalidus & exsuccus foliis constat, sex, septem, octo aut etiam pluribus, acuminatis, aridiusculis, rubentibus, parvis, capitulorum squamas imitantibus sed longioribus, quorum medium occupant stamina numerosa confertaque, rigida, candida hirsuta, inter quæ latent semina lata veluti spinæ albæ, mollia cum barbula in summitate villosa. Radix singularis, lignea, annua: E semine deciduo novæ Autumno statim exurgunt plantulæ quæ per hyemem virorem suum retinent, & vere sequenti excaulescunt. Trita herba odorem aromaticum exspirat.

Primò hanc observavimus in Arni fluminis alveo propè Florentiam in Italia, postea etiam in agris quibusdam non procul Monspelio. *Locus.*

Xeranthemum vocabat Gesnerus ob siccitatem & squaliditatem florum etiam recentium. *J. B.*

Hanc proculdubio intelligit Lobelius nomine *Incanæ alterius Cyani aut Jaceæ capitulis & flore*, quamvis folia (minùs rectè) leniter serrata faciat, & caules ab eadem radice multos: ideóque C. Bauhinus frustra pro diversa specie eam ponit.

CAP.

CAP. XIII.

De papposis non lactescentibus florum petalis marginalibus cuspidatis, foliis dissectis & spinosis seu,

De Carlina.

PLanta hæc à Carolo magno, primo ejus nominis Imperatore sic dicta est, quia exercitus ejus Angeli monitu usu radicis hujus à peste liberari fertur.

Masticatio ejus in peste prodesse dicitur.

1. *Carlina humilis* Park. *Carlina sive Chamæleon albus Dioscoridis* Ger. *Carlina acaulos magno flore* C. B. *caulifera & acaulis* J. B. **The low Carline-Thistle.**

J.B.

Carlinæ *radix*, cujus præcipua est commendatio, longè latéque vagatur, profundéque intra terram agitur, crassitudine pollicari plus minùs, superficie veluti corrosa & foraminulenta, colore foris ruffo, intus candido, sapore aromatico, nonnihil gravi: antequam verò è terra emergat, in capita aliquot utplurimùm facessit, ex quorum singulis separatim *folia* in orbem supina oriuntur, palmum unum aut duos longa, unciam unam aut alteram lata, profundis ad costam usque incisuris divisa & veluti crispa, aculeis minacibus horrida, nonnihil tomentosa, viridantia exceptâ pediculi infima parte atrorubente: in horum medio sessilis hæret *echinus*, orbiculatus, spinosissimis foliis undique obsitus, è cujus umbilico *flores* emicant staminei, purpurascentes, vallo foliorum argenteorum cincti. *Semen* papposo tomento involvitur, oblongum, hirsutum.

Aliàs è singulis capitibus caulis surgit, pedem altus, atrorubens, lanugine quadam donatus, non sine foliis alternatim positis, in cujus summo echinus nascitur floridus, ut jam dictum, foliis qualia in caule & circa radicem conspiciuntur circumcirca stipatus. Carlina, inquit Camerarius hort. plerunque si eo anno floruerit quo in hortum transfertur sine caule permanet, sin minùs, multò lætior altero anno surgit & cauligera fit. Alii quoque plerique Botanici Carlinam acaulon & cauligeram eandem specie plantam censent, & rectè meo judicio. Verùm F. Columna *cauligeram* non eandem acauli sed congenerem existimat. Nam quæ caulem habet (inquit) nunquam humilis est florida, ut vulgaris; & genere diversa *folia* profert, angustiora, virentia, magísque spinosa, *florémque* è minoribus barbulis iisque candicantibus, umbone intus flosculis purpuro-rubentibus composito, quamvis antequam expandantur, lutei conspiciantur. Plura capita profert, nimirum in singulis caulibus singula. Alii diligentiùs rem examinent.

Locus. In Germaniæ pascuis sterilioribus & dumetis frequens oritur, nec minùs in Italia, Gallia Narbonensi & circa Genevam in montosis.

Refert Gesnerus hujus floris calycem tum recentem tum etiam siccum noctu claudi, ad Solem verò aperiri. Germanis **Eberwurtz** dicitur, i. e. Apri herba, quia nimirum Apri ejus radices appetunt, non (ut vult Fuchsius) quòd sues si in polenta exhibeatur perimat; hoc enim experientiæ repugnat.

Hujus capitula carnosa, calyce, floribus ac semine resectis, ex aqua cocta cum butyro, sale & pipere Cinararum more suave edulium præbent. *Gesn.*

Dol. l. 4. c. 1. S. 19. Helmontius magni facit radices Carlinæ, quas sympatheticè, perinde ac earum succus & extractum solet, arcere somnum statuit, multò magis somnos præternaturales. *D. Soame.*

Carlina alexipharmaca est & sudorifera, Pestis contagia arcet curátque si tempestivè propinetur. Diuretica quoque est & emmenagoga; hydropicis confert, tineas ventris necat. *Schrod.*

Philippus Melancthon cùm cum hypochondriacis doloribus conflictaretur, usu herbæ Chamæleontis eos mitigavit: & hujus remedii efficaciam eum deprædicâsse testatur Camerarius.

2. *Carlina sylvestris* J. B. *sylv. major* Ger. Park. *Cnicus sylvestris spinosior* C. B. **The common wild Carline-Thistle.**

Radice nititur simplici, altè in terram descendente [Petroselini radici æquali] paucis fibris donatâ, durâ & lignosâ, sapore nonnihil acri & aromatico. *Caulis* plerunque simplex, interdum geminus, in sterilioribus vix palmum altus, in lætiori solo pedem superans, teres, striatus, purpurascens, *foliis* crebris nullo ordine positis vestitus, propè summitatem ramos aliquot rectos spargens; quibus ut & summo cauli insident *flores* capitati, majusculi, latiores, ex pluribus flosculis, densè stipatis, obscurè purpureis, vix è lanugine conspicuis, limbo foliolorum acutorum tum colore tum consistentiâ stramineorum cinctis compositi. *Calix* floris è pluribus foliolis, squamatim dispositis, & ad margines spinosis componitur. Flosculi autem singuli, singulis insident seminibus, eorúmque styli è floris disco extantes lutei sunt. *Folia* angustiora sunt, pallidè viridia, laciniata, crebris ad margines spinulis non admodum rigidis munita, crispa, aversa præcipuè parte lanuginosa.

Tempus. Seriùs floret & sub finem æstatis.

Locus. In pascuis siccioribus & ericetis per totam Angliam frequens oritur, nec minùs in transmarinis quotquot lustravimus regionibus.

3. *Carlina*

3. *Carlina sylvestris minor* Ger. *Acarna flore luteo patulo* C. B. Park. *Carduus Carlina minor sylv. Clusii flore luteo* J. B.

Clus.
Palmi altitudinem non superat *cauliculo* tenui, unico, canâ lanugine obsito. *Folia* Carlinæ sylvestris vulgaris foliorum æmula, minora, incana, spinis horrida. Summo cauliculi fastigio bina utplurimùm fert *capitula* spinosa (nonnunquam etiam in alis) in quibus *flos* luteus, orbem oculi imitans, mediâ lanugine pallidâ, quam ambiunt rigidiuscula & exsucca foliola, coloris flavi. *Radix* tenuis, rufescens, vivax non est, sed singulis annis perit.

Nusquam hanc inveniebat Clusius quàm in aridis quibusdam, petrosísque ac desertis circa Salmanticensem urbem locis; Augusto mense florentem. *Locus & Tempus.*

4. *Acarna capitulis parvis luteis in umbella* C. B. *Acarna sive Acorna, altera Apula* Col. Park.

Col.
Radice est pollice ampliore, bipedali ferè, ex albo flavente, odorata, Chamæleonis albi modo aromatica, lacte dulci turgida. Invenitur etiam in illa mense Februario lac velut gummi densum ceræ modo sub foliis, non secus ac in Chamæleone albo nobis descripto. *Folia* ei sunt Cnici vel Atractylidis, in terram expansa, sed non hærentia, duriora, lævia, acutis admodum spinis, quæ hyeme regerminant: è quorum umbilico *caules* rufescentes aut rubentes parùm lacte turgidi prodeunt, cubitales, *foliis* alternatim hærentibus cincti: in summo verò non tria aut quatuor tantùm *capitula* ad modum Carlinæ sylv. vulgaris gestat, sed veluti densos corymbos in umbella ferè. *Capitella* sunt parva, echinata, acanacea, Anthemidis florem æquantia, flosculis intus lutescentibus, atque circum radiantibus barbulis luteo saturo admodum colore, quibus perfectis capitula etiam lutea visuntur, & *semina* (ni fallimur, nec enim ad maturitatem perducta vidimus, sed incipientia) pappum habent candidum sericeum, tenuissimum. Augusto floret, Septembri semina perficit.

Ab hujus radice fungi exeunt laudatissimi, Cirinolanis gratissimi & maximè expetiti.

Circa Cirinolam Apuliæ oppidum in agrorum marginibus sponte fruticat. *Locus.*

Hanc ipsam plantam, aut certè ei simillimam, in Gallia Narbonensi, Italia & Sicilia non procul à mari copiosè provenientem observavimus. *Radice* est perenni, plures ei ab eadem radice *caules* exeunt, rubentes, glabri; *floris* discum luteum ambientes barbulæ aureæ: *Florum* tamen capitula (quantùm meminimus) paulò majora erant Chamæmeli floribus, quibus ea magnitudine paria facit Columna.

5. *Acarna flore purpuro-rubente patulo* C. B. Park. *Acanthoides parva Apula* Col.

Col.
Radicem habet tenuem admodum respectu plantæ, paucis fibrillis divisam, parùm flavicantem, lignosam, odoratam, sapore amariusculo, ad sylvestris Valerianæ gustum ferè accedente. *Folia* ei parva multùm respectu Chamæleonis albi, per ambitum aculeata & spinis horrida, Atractylidis vel Acornæ modo, supernè atque magis infernè araneosâ lanugine obsita, ut multa excipi possit, quæ ità ductilis ac tenuissima est, ut Bombycinæ telæ vicem supplere possit simul composita, atque ità facillimè neri potest, & filo tenui ac tenaci, ut tela indè effici possit. *Caulis* rotundus, dodrantalis, albus, eâdémque lanugine obsitus, foliis alternatim Acornæ modo vestitus; quibus perficiente se flore ab imo decidentibus, ima pars caulis ad medium usque Atractylidis ritu denudatur: in summo verò & juxta capitulum (quod unicum gerere solet) folia densiora sunt in rotæ modum, caulescentis Carlinæ æmulatione, cui etiam floris effigies similis admodum, verùm minor multò, Acornæ primo loco à nobis descriptæ par & similis: barbulis enim lævibus nitidísque floris umbo imus capillaribus flosculis constructus, circundatur, ut in Carlina sylv. &c. iisque purpuro-rubentibus, quem colorem in aliis non observavimus. *Semen* cinereum, læve, amarum, parvum, papposum.

Julio floret & Augusto perficitur; Locis incultis,siccis, editioribus sterilibúsque Cirinolæ frequentissima viâ quæ ducit ad Vineam Aquamena dictam. Emittit aliquando unam aut alteram propaginem circa caput, sed Impiæ dictæ herbæ Plinii modo supra patrem elevatam, in qua capitellum & flos, omnia verò minora.

Nos Carduum hunc in Sicilia circa Messanam, Italia circa Florentiam, & Gallia Narbonensi propè Monspelium invenimus spontaneum, in arenosis. *Locus.*

6. *Acarna Theophrasti sive Acorna Plinii* Col. Theophrastus his Acarna.

Col.
Radice nititur longa, pedem superante, crassitie digiti majore, pallente, odorata, Carlinæ vulgaris modo, etiámque lactescente, dulci. *Caulis* ei bipedalis, *foliis* alternatim hærentibus, Atractylidis & Cnici modo, & similibus, durioribus verò, magísque pungentibus, lævibúsque, in summo tria aut quatuor capitula gestans ut Atractylis, quæ *florem* æstatis fine emittunt luteum, foliolis sive barbulis circumambientibus, Asteris, Anthemidis, vel potiùs vulgaris Carlinæ modo, sed colore magis saturo. *Semen* Autumno papposum, ut in congeneribus, sed parvum, cinereum, Chamæleoni albo simile, sed proportione minus.

Atractylidi antequam floret persimilis est (inquit Columna) verùm in Acorna lævorem foliorúmque vigentium asperitatem majorem observavimus, caulísque ruffum & ad rubedinem inclinantem colorem, atque totius plantæ succum candidum, pinguem, viscosum, facilè æstate concrescentem, dulci sapore.

Locus. In Campoclarensium collibus & Æquicolorum secùs vias in incultis sæpiùs observavit autor.
Hujus radix estur elixa, deinde oleo frixa, nervo exempto, Quadragenæ diebus à pauperibus Valuensibus.

CAP. XIV.

De Senecione.

SEnecio, Ἠριγέρων Græcis, quasi vernus senex, quia vere canescit, inquit Plinius, floribus in lanuginem abeuntibus; nec Vere tantùm, sed per totum pænè annum germinat floris productione, semper enim alterum alteri succedit, & tempora omnia occupat. *Theophr.*
Nobis Senecio censetur herba flore composito, papposo, nudo, foliis laciniatis. Foliis laciniatis cum Jacobæa convenit, à reliquis congeneribus differt: floribus nudis seu non radiatis à Jacobæa discernitur.

A. 1. *Senecio vulgaris* Park. *minor vulgaris* C. B. *vulgaris sive Erigeron* J. B. *Erigeron* Ger. **Common Groundsel or Simson.**

Radix obliquè interdum producta plurimis fibris albis in terram demissis alimentum attrahit; ex qua *caulis* persæpe simplex, interdum bini ternive attolluntur, teretes, striati, concavi, in apricis hirsuti, pedem aut dodrantem alti, ab imo statim ramosi, *foliis* vestiti duas tresve uncias longis, alterno situ absque pediculis cauli adnatis, utrinque in lacinias divisis & dentatis, mucrone obtuso, obscurè virentibus. Caulis & ramulorum fastigiis *flores* plures simul juncti insident, pediculis tenuibus, brevibus, lanuginosis appensi. *Flores* autem quos vocant è plurimis flosculis luteis arctè stipatis compositi absque ullo in margine barbularum circulo, calice longo, cylindraceo ferè, ex simplici foliolorum oblongorum ordine constante ceu vallo quodam, coercentur. Floribus delapsis *semina* cum pappo innascenti explicata, globulum seu Sphæricam figuram efformant. Calicis foliola, ut in Dentis leonis flore, deorsùm reflectuntur. Semina parva sunt, tenuia, oblonga, diluta purpura tincta videntur. Odor huic nullus insignis.

Locus. Non est cur locus huic assignetur, adeò ubique in arvis, hortis, areis nimis-quam frequens omni anni tempore occurrit.

Vires. Herbæ succus in Cerevisia sumptus, ejusdémve decoctum cum uvis Corinthiacis aut melle, leniter purgat per vomitum, ut quotidiana docet experientia. Tragus rarò intus sumi scribit: alii intus sumptum ad multa utilem faciunt, Choleram, v. g. icterum, intemperiem hepatis calidam, lumbricos, vomitum & expuitionem sanguinis, ischiadicum dolorem, fluorem muliebrem. Extrinsecùs utilis esse dicitur in mammis inflammatis, scabie (capitis,) strumâ, dolore ventriculi, urinâ remoratâ, arthritide & vulneribus. *Schrod.*
Ad lumbricos utilem esse verisimillimum existimamus; siquidem Veterinarii nostri & Hippiatri succum ejus expressum equis præbent adversùs ventriculi & intestinorum vermes, **Botts** nostratibus dictos, quorum præsentissima pestis est.

2. *Senecio hirsutus viscidus major odoratus* J. B. *incanus pinguis* C. B. *fœtidus* Park. *Erigeron tomentosum* Ger. emac. **Cotton Groundsel, or strong-scented Groundsel.**

Perinde ut Senecio vulgaris *radice* nititur fibrosâ, *foliis* donatus similibus, similitérque incisis, sed lanugine undique obsitis, ideóque nonnihil incanis, insuper tactu viscidis, mollioribus & fœtidis. *Caulis* erectior, procerior, hirsutus, quemadmodum & *florum* luteorum, in pappos abiturorum calyculi striati. Planta nonnihil aromatico est sapore.

Locus. In arenosis frequens occurrit. In aggeribus fossarum palustrium in insula Eliensi plurimum observavimus valdè luxuriantem, & cum gravitate odoratum.
Lobelius, Dodonæus, C. Bauhinus eósque secuti Gerardus & Parkinsonus nostrates duas faciunt Erigeri majoris species, *alteram* vocant Erigeron tomentosum sive Senecionem incanam, C. Bauhinus Senecionem hirsutum; *alteram* Senecionem fœtidum & Erigeron tomentosum alterum, C. Bauhinus Senecionem incanum pinguem: Verùm non assignant sufficientes distinctionis notas, ut putem ipsos sub duobus titulis unam duntaxat plantam proposuisse, duobus fortè in locis, & diverso tempore visam, nec satis curiosè spectatam & descriptam; cujus sententiæ & ipsum J. Bauhinum fuisse video qui non distinxit. Veruntamen fatendum est iconem Erigeri tomentosi alterius apud Lobelium & Gerardum plantam omnino specie, imò etiam genere distinctam ab Erigero tomentoso *Ger.* seu hirsuto, viscido, odorato nobis descripto exhibere, cùm flores radiatos repræsentet, quales in nulla Erigeri specie cernuntur ab Autoribus istis descripta; quod & Parkinsonus vidit, iconem suppositiam & falsam agnoscens. Quid quod C. Bauhinus ipse Synonyma confundit, cùm Erigeron tertium *Dod.* ab Erigero tomentoso altero *Lob.* diversum facit, præter mentem Autorum, ut mihi videtur, in descriptionibus traditam.
Senecio odoratus *Park.* flore odorato *Cam.* an & quantum differat à descripto considerandum.

* 3. *Senecio viscosus Æthiopicus flore purpureo* Breynii.

Breyn.

Sesquipedalis est planta, *caule* solidiore quàm Senecionis vulgo noti, & Jacobææ in modum duro ac striato, ramis aliquot prædito, præsertim superiùs, ubi *Impiæ Plinii* de more caulem excedunt; foliis haud multis, alternatim latâ basi caulem amplectentibus, Senecionis vulgaris, minùs laciniatis, quasi circumrosis ac crispis, quorum extrema pars fastigiata. *Flores* in ramis & caule densè coacervati & aphylli cernuntur, tubulis & staminulis multis purpurascentibus conflati, ex calyculo striato provenientes, ac vulgaris ritu celerrimè fatiscentes in pappum, sub quo *semen* longiusculum, cinereum & striatum, nihil à Senecionis nostri, nisi quòd nonnihil majus, differens.

Senecio hic per universum hirsutus ac tactu viscidus juxta Promontorium bonæ Spei viget. *Locus.*

* 4. *Eupatorium Ericoides C. bonæ Spei* Breynii.

Breyn.

Suffrutex est lignosus, frequentissimis *ramis*, tortuosis & duris divaricatus, ad figuram Ericæ Myricæ folio incanæ (floribus & semine exceptis) tam propè accedens, ut non ovum ovo similius: quoniam non rami tantùm, sed etiam *foliola* eorum, quibus densissimè Ericæ penitus vulgaris modo contecti, tomento adhærente albicantia sunt & incana. *Flosculi* verò in ramorum apicibus in muscarios parvos conglomerati, Eupatorii conspiciuntur persimiles, sed minores multo, & subtilioribus squamulis purpurantibus imbricati; è quorum medio purpureus prominet tubulus, *semini* papposo insidens, quod maturum nigrescit, nec quicquam ab Eupatorii vulgaris seminibus diversum.

Cap. XV.

De Cacalia: Hujus character genericus folia subrotunda.

1. *Cacalia incano folio* Ger. *folio rotundo incano* Park. *foliis crassis hirsutis* C. B. *Cacalia quibusdam* J. B. **Hoary strange Coltsfoot.**

Clus.

HOC genus multis præditum est *foliis*, Tussilaginis vulgaris foliis pænè similibus, majoribus tamen, mediéque inter illius & alterius majoris, Petasitis vulgò creditæ, folia quodammodo magnitudinis, circinatæ ferè rotunditatis, in ambitu serratis, supernè dilutiùs virentibus, infernè incanis, [angulosis] in quibus multæ apparent venæ sive nervi, gustûs ingrati, amariusculi & calidi; innituntur autem purpurascentibus & striatis pediculis. *Caulis* illi bicubitalis interdum, striatus, purpurascens, non secus ac foliorum pediculi, [hirsutus, medullosus;] cui per intervalla innascuntur alia folia, oblongis pediculis prædita, supradictis minora, magis angulosa, etiam in ambitu serrata. Supremus caulis extremíque ramuli purpurascentium capitulorum congeriem instar umbellarum ferunt, in quibus terni plerunque *flosculi*, quaternis foliolis bifidóque stylo constantes, purpurascentis coloris, odorísque valdè tenuis, non tamen ingrati, qui in pappum seu lanuginem abeunt (perinde ferè ut Eupatorii aquatici flores) in qua oblongum semen latet. *Radix* in multa capita extuberat, frequentibus, candidis, longis, fibris donata est, singulis annis novos caules ad latera proferens.

Planta hæc in omnibus Austriacis Stiriacísque jugis obvia est, ad sylvarum margines inter frutices & umbrosis locis. *Clus.* *Locus.*

2. *Cacalia quibusdam* J. B. *foliis cutaneis, acutioribus & glabris* C. B. *folio glabro* Ger. *glabro folio acuminato* Park. **Smooth-leaved strange Coltsfoot.**

Clus.

Hujus *folia* magis cutacea sunt (si sic loqui licet) & duriora, supernè saturatiùs viridia, nec subtus incana, nec anteriore parte, qua pediculo inhærent, simul coeuntia, ut in priore, pediculísve striatis innixa, sed rotundis & lævibus, perinde tamen ut illa frequentibus venis ornata, & in ambitu serrata, ingrato similiter gustu, amariusculo & calido. *Caules* etiam læviores & *flosculi* dilutiores: in cæteris conveniunt. Cum priore. Nos in sylvosis montium Juræ & Salevæ propè Genevam hanc speciem invenimus, non priorem.

Cacaliam tomentosam *C. B.* cùm imperfectè ab eo descripta sit, ut qui folia tantùm viderat, cúmque paucis iisque non magni momenti notis à præcedentibus differat, non est cur speciem ab iis distinctam existimemus.

Cacaliæ congener Clusii.

Hujus cum florem nunquam viderit autor, nihil de ea dicendum habemus. Foliis cum præcedentibus convenit.

3. *Cacalia Americana* Park. *Valeriana Urticæ folia, flore albo* Cornuti.

Cornut.

Huic plantæ *radix* ut Aſaro fibroſa, non altè deſcendit, ſed in ſummo terræ leviter hæret, adeóq; eſt apricationis avida, ut ſæpius nudat ſupra terram fibras, quæ ſaporis & odoris gratiam Nardo non inferiorem obtinent, Valerianâ vulgari longè nobiliorem, ſi enim diutiùs in ore dentibus prematur mira ſuavitate halitum commendat, linguámque poſtremò ut Cinnamomum acriter pungit. [*Quicquid dicat Cornutus, Parkinſonus noſter nullum unquam neque in radice hujus, neque in foliis aut flore odorem percipere potuit.*] Pluribus ſurculis aſſurgit, rotundis, cavis, geniculatis, glabris, longitudinis ultra cubitum; hi in plures alas dividuntur. *Folia* ex adverſo bina ſemper ab radice ad ſummum uſque caulis faſtigium naſcuntur, referúntque Scrophulariæ, aut Urticæ minoris folia, minimè tamen pungunt & dilutiſſimè virent. Cujuſque caulis apex in muſcarium ſpargitur, *Floribus* ornatum parvis inodoris, Valerianæ ſimilibus, ſed ex uno calyce pluribus. Poſt ἐξάνθησιν *ſemina* longiuſcula tenui pappo hærentia in auras abeunt.

Tempus. Floret Septembri. Hyeme ſola radix ſuperſtes vivit, reliqua intereunt.

4. *Yztactex Caltlacotl, ſeu virga nigra ſaxorum* Hernandez.

Hernand.

Præcedenti ſimilis & congener eſſe videtur, *folia* ferens Urticæ, ſerrata: *caules* purpureos, teretes, quatuor cubitos longos: flores in cacumine comantes, piloſos, non ſeneſcentes, & purpuraſcentes ex albo.

Locus. Naſcitur in locis ſaxoſis Xalatlauhcenſium. Sapor citra ullam diſtinctionem Aniſum refert. *Radix* pugilli menſurâ tuſa, devoratáque ex aqua ſeu vino ſudorem elicit dolorem paſſis, atque ita eum lenit, ut mirabilem præſtet ea in re operam.

CAP. XVI.

Linaria aurea Tragi Ger. *Linaria folioſo capitulo luteo major* C. B. *Heliochryſos Tragi, ſive Linaria tertia* J. B. *Chryſocome verior ſive Coma aurea Germanica & Neapolitana* Park. *Virga aurea Linariæ foliis* Moriſ. Golden-rod with Toad-flax leaves.

Cluſ.

Cubitalibus aut amplioribus interdum aſſurgit ex unâ radice *virgis*, teretibus, gracilibus, duris, nigricantibus, lentis & fractu contumacibus, quas non quina aut ſena, (ut Dioſcorides ſuæ attribuit) ſed numeroſa ambiunt *foliola*, longiuſcula, anguſta, Lino ſimilia, dura, mucronata, ſatura viriditate nitentia, amari guſtûs & nonnihil aromatici. Extremæ virgæ in multos tenues ramulos deſinunt, quibus inſident ſingularia folioſa capitula, *florem* luteum, ex multis floſculis quinque radiolis decuſſatis ſtylóque in medio prominente conſtantibus compactum amplectentia, nullo odore commendabilem: deinde *ſemen* nigricans, longiuſculum, quale ferè in Hieraciorum generibus ſupernè villoſum pappi inſtar, quod leviſſimo vento excuſſum, ejus arbitrio fertur. *Radix* dura eſt, lignoſa, nigra, aliquot fibris donata, ſingulis annis germinans, nováſque virgas proferens.

Locus. In montoſis paſcuis ad ſepes propè Ratiſponam & alibi in Germania: necnon circa Monſpelium in Gallia Narbonenſi oritur, nobis obſervantibus. Cluſius, cui Oſyris Auſtriaca inſcribitur, multis Pannoniæ locis inveniebat, inque Auſtriæ prato quodam editiore & ſicciore circiter milliare infra Viennam.

Tempus. Auguſto menſe floret. Semen Septembri matureſcit.

CAP. XVII.

De Conyza flore nudo.

1. *Conyza major vulgaris* C. B. *Con. major Matthioli, Baccharis quibuſdam* J. B. *Baccharis Monſpelienſium* Ger. Park. Great Fleabane, Plowmans Spikenard.

J. B.

Ex *radicibus* multis, ſparſis, non altè depactis, lignoſis, fragilibus, odoratis, amaris & acribus ſurgunt ad cubitos tres aut quatuor alti *caules* ſtriati, atropurpurei, incana lanugine hirſuti, ſolidi, rigidi, foliis ſingularibus non admodum crebris veſtiti, ſupra medium in multos ramos & rectos diviſi. *Folia* verbaſci nigri aut Digitalis purpureæ, minora, molli lanugine pubeſcentia, leviter crenata, odorata, ſapore acri & amaro. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis conferti, graviter olentes, lutei, papposi, è plurimis floſculis perexiguis, densè ſtipatis cum ſtylo in unoquoque extante bicorni compoſiti, nudi, è calyculis ſquarroſis mollibus, viridi luteóque verſicoloribus, ſquamis exteriùs purpurantibus. *Semina* exigua, oblonga, fuſca, pappo adnaſcente alata.

Tempus. Seriùs & ſub Autumnum floret ſeménque maturat.

2. *Conyza*

2. *Conyza caulibus rubentibus tenuioribus, flore luteo nudo* Botan. Monsp. *Magnol.*

Caulem habet cubitalem, rubentem, in varios ramulos subdivisum. *Folia* cùm adhuc planta semipedalis est Conyzæ majoris latitudinem habent, & Cisti ladaniferæ folia repræsentant; dum verò debitam acquisivit magnitudinem & floret, angustissima sunt & contracta. Ramuli omnes flores proferunt rariores multò quàm in reliquis ferè Conyzis, luteos, in calyce rotundo & oblongo, nullis foliolis radiatim cinctos, & in pappos evanescentes.

Annua est planta, gravem halans odorem Conyzæ majoris.

Locus & Tempus. Septembri mense invenit descriptionis Autor *P. Magnol* copiosè florentem in fossis humidis secus viam qua à pago Perauls itur ad stagnum Volcarum ad dextram; ubi & nos cùm Monspelii essemus eandem observavimus & collegimus.

3. *Conyza major capitata seu globosa* Bocconi.

Radice constat satis crassâ; quin & *caule*, foliis, ut & odore Conyzam majorem apprimè refert hæc planta; sed in *flore* id præcipuè notandum quod concrescat illius discus seu umbo in globum seu caput globosum Lachrymæ Jobi figurâ non absimile; & insuper quòd absolutis & ad maturitatem perductis seminibus sese aperiat caput globosum, atque semina affundat in pappos abeuntia; quódque in medio capitis globosi insecta exigua utplurimùm gignantur.

Locum ubi invenit non addit Descriptionis autor Paulus Boccone.

Cap. XVIII.

De Eupatorio Cannabino seu Avicennæ credito.

EUpatorium Avicennæ dictum *floribus nudis purpureis* à congeneribus differt. Sub hoc enim titulo comprehendi possint omnes hujus generis plantæ quibus hæ notæ adsunt, sive *foliis digitatis* sint, ut Eupatorium cannabinum mas seu Avicennæ propriè & strictè dictum, sive *foliis integris*, & Eupatorium Canadense folio Enulæ Cornuti.

Posset etiam aliter, & fortasse commodiùs, pro nota Senecionis characteristica sumi, *folia habere laciniata*; ità ut quæcunque hujus generis herba flore nudo, folio laciniato donata sit, Senecionis species habeatur, sive floris color luteus sit, sive purpureus; adeóque Senecio viscosus Æthiopicus flore purpureo *Breynii* & Eupatorium ericoides Capitis bonæ spei *ejusdem* veræ & genuinæ Senecionis species erunt. Harum prior alias etiam notas Senecionis habet, nimirum calycem striatum, florem celerrimè in pappum fatiscentem, semen Senecionis nostri simile, nec nisi magnitudine differens, tactum viscidum: Posterior semina Eupatorii obtinet, & flosculos etiam persimiles, ob quas rationes rectiùs fortasse ab Autore Eupatoriis accensetur. Verùm nos characteres obvios & expositos quíque primo aspectu visui se ingerunt sectamur, cùm quæ à seminum qualitatibus sumuntur oculos nostros persæpe vel latent vel fallunt.

1. *Eupatorium cannabinum* Park. C. B. *cannabinum mas* Ger. *adulterinum* J. B. *Avicennæ creditum* Gesn. *Herba S. Kunigundis* Trag. **Common Hemp-Agrimony or Dutch Agrimony.**

Radix obliquè acta plurimis fibris majusculis albicantibus terram apprehendit. *Caulis* duos trésve cubitos altus, rectus, teres, tomentosus, & in viridi purpurascens, medullâ albâ plenus, gratum & aromaticum odorem cùm inciditur spirans, multis alis concavus. *Folia* in caule crebra, adversa, in eodem pediculo terna, Cannabis folia nonnihil referunt, oblonga, acuminata, per ambitum serrata, sapore amaro. *Flores* velut in umbellas digesti, singuli flosculis quinque vel sex purpurantibus compositi, quorum unusquisque *stylum* habet oblongum; bifurcum, & suo insidet semine. Semina autem per maturitatem cum pappo innascente avolant.

Locus. Ad fluminum, necnon rivulorum ripas, scrobium, & stagnantium aquarum margines subinde nascitur; Julióque mense apud nos in Anglia floret.

Vires. Epaticum est & vulnerarium, Usus præcip. in cachexia, catarrhis & tussi, ínque urina & mensibus retentis. Extrinsecùs è nobilissimis est vulnerariis. *Schrod.*

Radicibus vim purgativam inesse experimento proprio didicit Gesnerus: cui earum pugillus in vino decoctus, colatus & potus per horam pòst alvum semel movit; postea verò vomitum duodecies ferè cum magno labore, ità ut Hellebori albi instar purget, sed multò faciliùs & tutiùs. Profuit sanè plurimùm (inquit) magnâ pituitæ copiâ evacuatâ. Hinc verisimile est succum herbæ in catapotiis devoratum intestinorum vermes necare. Tragus Argentinæ in pecoribus tantùm curandis usurpatum tradit; & prudenter nobis facere videntur Argentinenses, siquidem experimento Gesneri constat nimis vehementem esse ejus operationem, quàm ut in humano corpore internus ejus usus possit probari, nisi parva quantitate & aliis corrigentibus mixti.

In Belgio rustici feliciter icterum curant hujus plantæ decocto. *D. Regemorter* in M. S.
In Nosocomio cuidam intestina corrosa, ità ut per foramina stercora exirent, jam propè desperato coaluerunt decocto Eupatorii Cannabini, quod Ebnsinæ adscribitur, cum vino parato, & poto & ulceribus infuso. Ex Hieron. Velschii Obs. 44. *D. Soame*.

2. *Eupatorium Canadense folio Enulæ* Cornuti. *Cannabinum Americanum latifolium* Park.

Corn.
Caules huic glabri, rubescentes, (cinereo tamen colore suffusi) rotundi, inanes intus, per intervalla geniculis intercepti. *Folia* palmari longitudine sunt, latitudine trunciali, Salviæ modo scabra, in ambitu serrata, non incisa quinquepartitò ut Cannabinæ, fuscè virentia, è geniculorum tuberculis quaterna semper adversa inter se Cruciatæ modo nascuntur. E cujusque folii sinu ramulus exoritur, brevioribus tamen foliis cinctus, neque unquam in florem prosiliens. *Radix* cohærentibus vastioribus implexa est fibris. Nulli Eupatoriæ Caulis procerior, qui æstate media in quinque cubita elevatur, comantibus in cacumine mille flosculis, non foliaceis sed lanugineis, uno verbo, si odorem excipias, Eupatoriæ Cannabinæ nostræ similibus, licet paulò saturatiùs purpurascentibus. Hos excipiunt semina papposa, quæ cum villosa sua cæsarie à vento decutiuntur. Saporis est aliquantulum amari, subeunte momento postea levi acrimonia.

3. *Eupatorio affinis planta Zeilanica foliis Ulmi* Breynii.

Breyn.
Altiùs Africano, pæne ut vulgare Herba S. Kunigundis à Trago dictum, *caulibus* rotundis, striatis, in viridi aliquantulum purpurascentibus, sapore in resiccatis salso, fruticat; quos *folia* Ulmi vulgaris æmula, sed minora, versùs pediculum fastigiata, ac sensim latiora rotundioráque evadentia, parvis intervenientibus pediculis alternatim ambiunt. Caulium fastigia in surculos aliquot dividuntur, atque hi rursus plures in petiolos, quibus incompositi *flores* umbellam mentiuntur, *Eupatorii ericoidis* floribus similes, sed pallidi seu straminei coloris, atque ex compluribus staminulis conflati. Sequuntur *semina* minuscula, Stœchadis citrinæ Herbariorum paria, inter quæ in meditullio calyculi crebris squamulis compactiles, præterea velut spadiceus, exiguus & durus *fructus* seu vasculum seminale coniforme excrescit, superiùs sæpe reflexum, intus inane & splendidum, quantum observare licuit.
Fructum hunc excrescentiam aliquam non naturalem, vel insecti matricem esse suspicamur.

* 4. *Erigeron Zeilanicum Lampsanæ foliis* Breynii.

Breyn.
Magnitudine, foliis, caule & ramis illi Cichorii generi, *Lampsana* à Dodonæo appellato persimile, magis tamen hirsutum, *floribus* uberrimis pallidi coloris, Conyzæ cœruleæ acris *C. B.* minoribus, quos nulla ambiunt petala onustum. *Semen* exile, pappescens, Conyzæ acris annuæ albæ *Moris.* par, quod vento etiam lenissimo è residuis florum caliculis dispellitur.
Ex *Zeylan* insula, vel propter foliorum vel virium fortè quandam convenientiam nomine Betonicæ accepit Breynius.

CAP. XIX.

De Gnaphalio.

Gnaphalium Γναφάλιον Dioscoridi, quòd foliis ejus ἀντὶ γναφάλου, id est, tomento, utantur, *C. B.* potiùs quia folia ejus tomento obducta sunt. Γνάφειν (inquit Lob. in Adv.) dicunt Græci vellere carperéve lanas aut pannum, unde Gnaphalium, quod Centunculum Romani nuncupârunt & Tomentariam. Herba Impia Plinio dicitur. Ob id autem impiam appellavere, quoniam liberi [posteriora capitella] supra parentem, id est, primum & medium, summo cauli innascens, excellant. Alii potiùs ita appellatam quòd nullum animal eam attingat, existimavere. Anglicè **Cudweed** dicitur, quòd ruminantibus opitulatur, & rumen amissum revocat: & in Northumbria **Chafeweed**, quoniam ad intertrigines valet, autore Turnero. Notæ generis indices sunt folia tomento obducta, ut nomen indicat, flores nudi, flosculis eos componentibus præ parvitate vix conspicuis.

A. 1. *Gnaphalium maritimum* C. B. *maritimum multis* J. B. *marinum* Ger. *marinum, sive Cotonaria* Park. **Sea-Cudweed or Cottenweed.**

J. B.
Radice firmatur crassâ, longâ, lignosâ, paucis admodum fibris donatâ, nigrâ; quæ *caules* emittit complures, dodrantales, crassiusculos, pilosos, candidos, in quibus denso ordine stipata *folia* oblonga, semuncialia, per extremum nonnihil rotunda, candida, quæ concerpta in floccos xylinæ lanæ penitus abeunt, olei in lucernis bibula. Ramorum fastigiis *capitula* in umbellæ ferè formam digesta, crassiuscula, candida, villosa, in medio lutea, in quibus semen longiusculum, album, in arcûs formam incurvum. Nullum ego in hac planta saporem animadverto. Astringit magnopere &

deficcat

deſiccat tota planta, nonnihil ſalſa, nec tamen ingrata aut amara; aliquantùm aromatica, odore quadantenus citrinæ Stœchadis aut gummi Elemi.

In arenoſo maris litore propè trajectum *Abermeney* dictum freti Carnarviam & Angleſeiam interjacentis, ex Angleſeiæ ſeu Monæ latere; item in litore Cornubienſi inter Penſantiam oppidum & rupem *S. Michael's Mount* dictam invenimus. In tranſmarinis in Mediterranei maris litore non infrequens eſt. Univerſo litore & ſabuletis à Marianis aquis ad Ceti montis radices & lacum plurima (inquit J. B.) alibi haud temere occurrit Narbonæ. *Locus.*

2. *Polium Gnaphaloides Alpin. exot.*

Huic Planta vel congener eſt, vel planè idem Gnaphalium maritimum ſuperiùs proximè deſcriptum. Differt foliorum magnitudine & figurâ, quæ in hac acutiora ſunt, & Myrti foliis paria, neque pilis infecta, ſed tota tomentoſa apparent, ſecus quàm in Cluſiana figura Gnaphalium maritimum pingitur.

His tamen non obſtantibus nobis eadem planta videntur Gnaphalium maritimum vulgare & Polium Gnaphaloides *Alpini*. Si cui aliter videatur, ſuo per me licet fruatur judicio: revera enim ſi rectè deſcriptum & depictum eſt Polium Gnaphaloides Alpini, ſaltem varietas erit præcedentis.

Gnaphalium marinum ob odoris fragrantiam Calamus aromaticus Cambro-britannis Carnarviæ incolis dicitur.

A. 3. *Gnaphalium Anglicum* Ger. *Anglicum vulgare majus* Park. *ejuſdémque majus Germanicum. Gnaphalium majus anguſto, oblongo folio, & majus anguſto, oblongo folio alterum* C. B. *Nam & ipſe hoc (inquit) cùm à priore parum differat, qui voluerit idem dicat. Gnaph. rectum* J. B. **Long-leaved upright Cudweed.**

Huic rectus & rigidus, dodrantem altus, teres, canâque lanugine pubeſcens *caulis*, nihilóque ſeciùs *folia*, magis tamen averſa quàm adverſa parte, quæ in caule crebra, ordine nullo naſcuntur, uncias duas aut tres longa, vix culmum lata ut plurimum, carinata, ſapore præter ſiccitatem nullo evidente; ex quorum alis ſecundùm caulem, ab ejus medio ad ſummum uſque *capitula* oblonga, ſquamata, plura ſimul juncta, ex viridi nigricantia & nitida, in puſilla ſtamina ex herbaceo flaveſcentia dehiſcunt. *Radix* ſubeſt parva, nigra.

In paſcuis ſolo arenoſo, & inter Geniſtas haud infrequens eſt.

Gnaphalii Anglici decoctum ſemper ferè Anginam ſanat. *D. Palmer.*

A. 4. *Gnaphalium vulgare majus* C. B. *Gn. minus ſive Herba impia* Park. *Gn. Germanicum* J. B. *Filago ſive Herba impia* Ger. **Common Cudweed.**

Plures ex eadem radice *caules* ſurrigit tenues, ſemipedales aut dodrantales, plurimùm erectos, teretes, incanos & lanugine obſitos, ſumma parte ramoſos, *foliis* veſtitos creberrimis, nullo ordine poſitis, pariter lanuginoſis, anguſtis, oblongis, quàm Lavendulæ multò minoribus, caulibus plerunque appreſſis, quibus abſque pediculis adnaſcuntur. *Florum* globuli (ut rectè eos vocat J. Bauhinus) tum in extremis ramulis, tum in ipſis angulis, quos ramorum divaricationes deformant, ſeſſiles, è pluribus floribus ſtipatis coagmentati. Sunt autem flores qui globulos hoſce componunt & ipſi compoſiti è *Floſculis* ob exiguitatem ſuam ægrè viſibilibus. Pappi è floribus eminentes ex luteo palleſcunt. Propè medium globulum ramulos aliquot emittit caulis, qui ſupra medium caulem aſſurgentes ſuos ſinguli globulos floſculorum altiùs attollunt, velut filios ſupra parentem unde & Herba impia dicitur. Præter *radicem* mediam majuſculam altiùs deſcendentem innumera plerunque capillamenta ſpargit è fundo quibus terram apprehendit.

In ſiccioribus, ſterilioribus, glareoſis & ad vias paſſim provenit. *Locus.*

Aqua ab hac deſtillata ad cancrum, præcipuè mammillarum, magni eſt uſus: continet enim occultos cancros nè exulcerentur cum linteolis ſemel in die impoſita. Sunt verò & qui Aſari foliis hujus aquâ madefactis non infeliciter ad cancros reprimendos utantur. *Dod.*

Ego parùm præſidii aut juvaminis adverſus Cancrum in hac aqua eſſe ſuſpicor. Facultatem autem reſiccantem & nonnihil adſtringentem obtinere hanc plantam Dodonæo concedo: Hinc fortaſſe hæmorrhagia, dyſenteriæ, nimio menſium fluxui, atque etiam Anginæ, conducit. Ad hæmorrhagiam reprimendam noſtrates ſequentem plantam præcipuè adhibent.

Herbâ contuſâ, oleo maceratâ & coctâ Occiduæ Angliæ plebs ad livores, concuſſiones, cæſa & verbera utuntur feliciter: menſes etiam ſupprimit. *Lob. obſ.*

A. 5. *Gnaphalium longifolium, humile, ramoſum, capitulis nigris,* nobis. *An Gnaphalio vulgari ſimilis* J. B? *vulgare ſive* 2. Ger? *medium* C. B? *Filago minor* Park? **Black-headed, long-leaved, branched, low Cudweed.**

E *radice* parva, alba, ſimplici, intorta, fibris aliquot donata, & ad caput longis, *cauliculum* erigit palmarem, rariùs ſemipedalem, tenuem, teretem, tomento denſo ſed brevi, candido obſitum, ab imo ad ſummum uſque ramoſum ramulis crebris è foliorum alis exeuntibus. *Folia* cauliculo & ramulis alternatim brevibus intervallis adnaſcuntur, anguſta, oblonga, ab exortu ſenſim dilatata, Hyſſopi minora, utrinque mollia & lanuginoſa, infernè tamen candidiora. In ſummis caulibus & ramulis capitula ſeu *flores* multi ſimul congeſti, non tamen in globulos coacti ut in Impia vulgari, exteriùs nigricantes, è floſculis luteis adeò exiguis compoſiti ut viſum ferè effugiant [floſculos intellige partiales è quibus totales componuntur] Ramuli floriferi è baſi florum ſeu capitulorum congeſtorum orti longè altiùs aſſurgunt & nova florum agmina ſummitatibus ſuis geſtant.

In ſcrobibus & locis depreſſioribus ubi per hyemem aquæ ſtagnârant ſub autumnum frequentiſſimè reperitur. *Locus.*

A. 6. *Gnapha-*

A. 6. *Gnaphalium minimum* J. B. *minus repens* C. B? *perperam, non enim repit, rariùs procumbit, sed erigitur. Filago minor* Ger. *Gnaphalium vulgare tenuifolium* J. B. *Hæc enim duo pro eadem plantæ specie habeo.* **The least Cudweed.**

Lignescit *radix* multis fibris capillata, haud secus ac Gnaphalio vulgari sive Impiæ: *Caules* multi, dodrantales, ramosi: *folia* unciam longa, fili pænè tenuitate, incondita, mollia, tomentosa, incana: *flosculi* & capitula per caules disposita, ut in prædicto Gnaphalio, sed pauciora minoráque.

Hæc est Gnaphalii vulgaris tenuifoliæ descriptio apud *J. B.* quæ plantæ quam nos hîc intellectam volumus exactè convenit, ut & locus inter segetes, solo præsertim arenoso aut glareoso.

Gnaphalium parvum ramosissimum, foliis angustissimis polyspermon.

Hujus plantam siccam habemus ubi collectam non recordamur. *Radice* est parvâ, simplici: *caulibus* sesquipalmaribus aut majoribus, firmis, in plurimos ramos & surculos divisis & subdivisis, *foliis* obsitos angustissimis, brevibus, acuminatis hirsutis. Flosculorum globuli in ramulorum divaricationibus, inque summis surculis sedent pediculis brevibus aut nullis. Color flosculorum, quatenus in sicco discernere licuit, albus.

7. *Gnaphalium oblongo folio* Ger. emac. *supinum oblongo folio* Park. *majus, lato, oblongo folio* C. B. **Long-leaved Cudweed.**

Clus.
Palmares vel etiam majores habet *cauliculos*, quorum alii surrecti, alii secundùm terram inflexi, teretes, villosi, quos indigesto ordine mollia, incana, latiore infima parte amplectuntur *folia*, extremo mucronata: multa summo cauliculorum fastigio insident capitella candicantia, flavescente lanugine plena. *Radix* crassiuscula est, subfusca, fibris aliquot prædita, quæ an vivax sit, asserere nequeo. Aliquid autem affinitatis habere videtur cum Filagine minore Dodonæi.

Locus. Desertis quibusdam & siccioribus colliculis nascentem aliquando observabam.

* 8. *Gnaphalium minus latioribus foliis* C. B. Park. Ger. emac. *Gnaphalium unico cauliculo* J. B. **Small broad-leaved Cudweed.**

Clus.
Unico assurgit *cauliculo*, aliquot ramulis in diversa se contorquentibus prædito, quos hinc indè sepiunt latiuscula, mollia & incana *folia*. Ad ramulorum internodia nascuntur, inter foliorum congeriem, quina, sena aut plura capitella, simul congesta, ex flavo canescentia, multa lanugine plena. Radix inutilis, sed deciduo semine novæ plantæ singulis annis renascuntur.

Locus. In siccioribus (quantum memoria Clusio succurrit) agris, præsertim demessa segete occurrit.

9. *Gnaphalium Alpinum pulchrum* J. B. *Alpinum magnô flore, folio oblongo* C. B. **Fair Lions foot, or Mountain Cudweed.**

Caulibus est palmaribus, dodrantalibus, altioribus etiam, tomentosis, quos *folia* vestiunt longa, angusta, villosa, trium quatuórve unciarum longitudine, culmo latiora. Summum fastigium flores gerit satis magnos, corymbatos, papposos, ex staminibus luteis atque splendentibus constantes, sessiles, molli lanugine intertextos, in medio foliorum xili carptam lanam imitantium, radiatorum. *Folia* propter terram multa, superioribus non multùm absimilia, statim è radicum satis crassarum, nigrarum, multis fibris pullis capillatarum capitibus oriuntur.

Locus. In montis Juræ præalto vertice la Dolaz dicto invenimus.

Huic affinis si non eadem planta est

10. *Gnaphalium Alpinum, magno flore, folio brevi* C. B. *dicta: Gnaphalii Alp. pulchri aliud genus* J. B. *Leontopodium majus* Park. *Leontopod. sive Pes leoninus* Ger. em.

Hoc à priore differt, 1. Quòd radicem tenuem foliáque brevia obtineat, cùm illud radicem habeat magnam, folia oblonga. 2. Quòd flores nigricantes ex fusco violaceo gestet, cùm hujus capitella pallescentibus flosculis constent, in reliquis conveniunt.

Locus. Suspicor Lobelium minùs curiosè plantam inspexisse, nec pictorem fideliter suas partes egisse, & proinde unam & eandem specie plantam esse hanc & illam. In arduis Italiæ & Germ. Alpinis inque Baldo Veronensi provenire refert Lob.

* 11. *Gnaphalio Alpino affine Leontopodium parvum Lobelii* J. B. *Gnaphalium Alpinum minus* C. B. *Leontopodium parvum* Ger. *Leontop. minus* Park. **Small Lions foot.**

Lob.
Dioscoridi & neotericis præterita hæc huic [iconi sci.] effigie habitúque toto convenit, singulari, dodrantali cauliculo & folio Gnaphalii montani, densâ lanugine incanis: flosculis summo caule luteo-pallentibus Gnaphalii montani, exili ligneâque radice.

Hanc plantam J. Bauhinus apud fratrem Casparum inter plantas ejus siccas se vidisse refert. At locum ejus natalem non indicant.

12. *Gnaphalium*

12. *Gnaphalium umbellatum minimum* J. B. *roseum* Park. *roseum sylvestre & roseum hortense* C.B.
Rose Cudweed.

J. B.

Plantula hæc vix uncialem magnitudinem superat. Ea aliàs unica & simplex, aliàs in plures velut ocellos divisa, ex *foliis* constantes candicantibus, hirsutis, inter quæ *oculus* conspicitur, minimi digiti unguem ferè latus, asperiusculus, ex flavo virescens. *Coliculos* etiam *foliola* vestiunt, prædictis minora. *Radix* ex meris fibris constat, ligneæ duritiei, nigris, contortis, ipsâ plantulâ longioribus.

In montis Ceti arenosis & maritimis sabuletis Maio mense floret: nos in insula parva ad promontorium Siciliæ Pachynum, nunc *Capo Passaro* dictum, collegimus.

Ab hoc non aliter quàm culturâ, & accidentibus indè ortis differre putamus Gnaphalium roseum hortense *C. B.* cujus ramuli triunciales, reclinati, *foliis* subrotundis cincti, quorum summitatibus *flos* rosæ modo expansus, disco luteo, etiam aureo foliolis ut in ramulis undique sustentatus [Parkinsono duplici foliolorum circulo cinctus] insidet, eleganti spectaculo.

HISTO-

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER SEPTIMUS.

QUI EST

De Herbis cum flore ex flosculis fistularibus composito CAPITATIS dictis.



APITATÆ dictæ sunt hæ plantæ quia eorum semina cum pappo calice squamoso inclusa in formam subrotundam conglobata sunt capitis æmulam.

Herbæ flore ex flosculis fistularibus composito, Capitatæ dictæ, sunt vel Capitibus

- *Maximis*, squamosis, Pineæ Conorum æmulis, squamarum unguibus & floris fundo pulposis, esculentis, foliis aliàs lævibus aliàs spinosis: CINARA, *Scolymus*.
- *Minoribus*, foliis
  - *Spinosis*, aculeis
    - *Crebris* & *rigidioribus*: CARDUUS.
    - *Mitioribus & mollioribus*, floribus
      - *Flavis*, seu cujus capitula foliorum circulo obvallantur, semina striata flavicant: CARDUUS BENEDICTUS; seu cujus semina lævia sunt, alba, purgatricia: CNICUS SATIVUS, *Carthamus*.
      - *Purpureis*; CIRSIUM.
  - *Spinis destitutis*,
    - *Per margines serratis*, capitulis levibus,
      - *Major*; CENTAURIUM MAIUS.
      - *Minor*; folio
        - *Laciniato* paucioribus & majoribus laciniis: SERRATULA.
        - *In tenuia segmenta, diviso*: CRUPINA *Belgarum*.
    - *Per margines æqualibus*, Capitulis
      - *Lappaceis*, squamis in mucrones hamatos desinentibus, foliis maximis: LAPPA MAIOR, *Bardana*.
      - *Spinosis*, spinulis
        - *Rectis*: CALCITRAPA, *Jacea echinata*.
        - *Reflexis*: JACEA MURICATA.
      - *Lævibus*, flosculis marginalibus
        - *Minùs profunde dissectis*, ore in lutum expanso: CYANUS.
        - Profundiù in longas & angustas lacinias divisis: JACEA.

DE

De Carduo in Genere.

CARDUUS ſic vocatur à *carere*, quia aptus carendæ lanæ; quod de Carduo fullonum dicto ſeu Dipſaco verum eſt. Alii autem Cardui ob convenientiam quandam cum Dipſaco in ſpinis ita dicti ſunt.

Nullum nomen Græcum invenimus quod Latinorum Carduo reſpondeat. Ἄκανθα enim latius eſt & ſpinam ſignificat; Ἄκανθος anguſtius, quod tamen Caſp. Hofmannus latè & in genere ſumptum ad omnem plantam aculeatam, quæ in caput aſſurgat aſperum, ſignificandam extendi affirmat.

Nos hoc nomine comprehendimus plantas omnes *capitatas* dictas, flore ex floſculis fiſtularibus compoſito, foliis ſpinoſis ſeu aculeatis.

Cùm Carduorum plurimæ ſpecies ſint, multitudo autem confuſionem pariat, clarioris doctrinæ & memoriæ juvandæ causâ eos in genera aliquot diſtinguemus.

Primum erit eorum qui capite ſunt maximo, ſquamarum unguibus & florum fundo eſculentis, foliis perſæpe mollibus, qui *Cinaræ* & *Scolymi* dicuntur.

Secundum eorum qui floribus luteis, quales ſunt *Cnicus* ſeu *Carthamus*, & *Atractylis*.

Tertium eorum qui ſpinulis mollibus & innoxiis. Hi ſunt *Carduus mollis* & *Cirſium*.

Quartum erit de ſpinoſiſſimis quibuſdam noſtratibus nullo charactere aut communi convenientiæ nota inſignibus.

Quintum de iis quorum folia in ſpicula prælonga exeunt, *lanceatis* idcirco dictis.

Sextum de iis quorum folia lacteis maculis & lineis pinguntur, ſeu leucographis.

Septimum de Carduis foliis tomentoſis & incanis, *Acanthiis* dictis.

Octavum de Carduis quibuſdam exoticis ſingularibus & ſui generis, quorum plerique *Acani* Botanicis dicti ſunt.

Cap. I.

De Cinara ſeu Scolymo ſativo.

CInaram nonnulli à puella ejus nominis, quæ in eam verſa eſt, dictam fabulantur; alii à cinere quo lætatur: cui conjecturæ Columella occaſionem dediſſe videtur, cum ſcribat lib. 11. cap. 3. *Multo cinere ſtercorandam, id enim ſtercoris huic oleri videri aptiſſimum.*

Sed Græcam vocem eſſe Cinaram non Latinam oſtendunt *Voſſius* in Etymologico, & *Jo. Bodæus à Stapel* notis in Theophraſt. Hiſt. lib. 6. cap. 3. ad quos Lectorem remitto. Quin ſi à cinere vel colore cinereo dicta eſſet, *Cinera* ſcribenda eſſet, non *Cinara*.

Cinara nobis dicitur Cardui genus capite maximo, conum Pineum æmulante, ſquamis craſſioribus & majoribus, unguibus carnoſis eſculentis, ut & floris fundo, ſeu ima calycis parte cui innaſcuntur floſculi & ſemina.

Cinara vel lævis eſt, nullis neque in foliis neque in capite ſpinis ſeu aculeis, quo à reliquorum Carduorum norma abſcedit: vel aculeatus ſeu ſpinoſus.

1. *Carduus ſive Scolymus ſativus ſpinoſus & non ſpinoſus* J. B. *Cinara hortenſis foliis non aculeatis* C.B. ejuſdémque *Cinara hortenſis aculeata.* **Artichoke.**

J.B.

Ad culinarum cupedias ſatus Scolymus *folia* è radice promit pedem & ſeſquipedem longa, ſemipedem ferè lata, in lacinias latas ſubſectas diviſa, incano & cinereo tomento obſita, potiſſimùm parte pronâ, nullo aculeo minacia, interdum nulla eſt lacinia angulúſve qui non ſpinis rigidis luteiſque minetur. *Caulis* pedem unum aut alterum altus, ſtriatus, tomentoſus, ramis aliquot donatus, in ſingulorum cacumine *caput* gerit turbinatum, ſquamis magnis, glaucis, carnoſis, acumine obtuſo, aliàs ſpinâ robuſtâ præpilato, ungue infimo craſſiuſculo, tenero, veſco, albicante compactum, quod ſenſim divulſis ſquamis ſuperiùs lateſcit, tandémque *floris* ſtamina purpuraſcentia explicat.

Scolymi (pergit J. Bauhinus) duo habentur genera, ſativum & ſponte naſcens. Sativi quidem nulla verè genera ſunt, licet genera dicat eſſe Matthiolus. Ex ejuſdem ſiquidem ſtirpis ſemine uterque tam ſpinoſus quàm non ſpinoſus enaſcitur. Quæ certiſſima eſt nota identitatis ſeu convenientiæ (ut cum Peripateticis loquar) ſpecificæ.

Spinoſus folia gerit non ſpinoſi magis diviſa, magiſque laciniata, tenuibus circundata ſpinis: caulem quoque non ſpinoſo ſimilem, ſtriatum, ſubalbicantémque, in cujus ſummitate echinatum aculeatúmque extuberat caput, flore hyacinthino; ſemine Cnici minore. *Radice* nititur craſſâ, firmâ, non inſuavi. Addit inſuper J. Bauhinus deſcriptionem non ſpinoſi quæ ferè eadem eſt deſcriptioni generali ſuperiùs poſitæ. Caput figurâ Nucis pineæ eſſe ſcribit, ex latis ſquamis coagmentatum, cujus ſquamæ figurâ folii Laurini aut Myrtini in aculeum deſinunt brevem, nunc robuſtum, nunc infirmum, nunc propè nullum. Semina inter candidam lanuginem contenta, oblonga, lævi cortice obtecta candido vel nigro.

Siquis

Siquis Cinaram hortensem aculeatam & non aculeatam inquit *C. B.* eandem fecerit, non repugnabimus: quia foliis est aliquando aculeatis, aliquando mitibus. Sic caput nonnunquam in gracilescentem metam erigitur: nonnunquam in compressiorem & rotundiorem globum extuberat; laminis interdum sponte sese recludentibus, interdum arctiùs compactis: capitum squamæ nunc virides, nunc pallentes, nunc subrubentes, in aculeum desinentes, nunc brevem, nunc robustum, nunc infirmum eúmque in aliis sursum erectum, in aliis deorsum inclinatum, nunc propè nullum. Est quædam capite maximo, quæ dicitur & pingitur sub Cinara maxima Anglica *Lob.* Hactenus C. Bauhinus. Has omnes varietates, si ex eodem semine proveniant, vel aliquando provenerint, specie convenire libenter concesserim, quemadmodum Malos & Piros omnes ejusdem speciei esse contendo ob dictam rationem; quamvis in earum ramis, foliis, & præcipuè fructibus, magna observetur accidentium diversitas & dissimilitudo. Observavi tamen tum in Anglia, tum in exteris regionibus duas Cinararum differentias, quas specificas esse suspicor, *alteram* capitibus longioribus, squamis sese spontè recludentibus & à capite extantibus; *alteram* capitibus rotundis, laminis arctè compactis & sibi invicem incumbentibus, quæ etiam ramosior est præcedente, & plures producit fructus, simillimos iconi Cinaræ maximæ Anglicæ apud Lobelium aliósque Botanicos. Cæterùm si ex eodem semine, ut J. Bauhinus & Lugdunensis Hist. Auctor affirmant, *Cinara hortensis aculeata* & *non aculeata* proveniant, poterant quoque & hæ etiam varietates ab eodem semine aliquando oriri, cultúque fortasse & mangonio aliquantulum immutari.

Usus. Apponuntur capita in aqua cum tantillo sale decocta donec tenerescant, eorúmque pulpa & squamarum ungues eduntur cum butyro cui modicum aceti & piperis admiscetur: nec tantùm capita nondum florescentia sed & caules teneriores elixatos & cum butyro & aceto conditos comedunt Germani & Galli. Itali capita raró decoquunt, sed cruda cum sale, oleo & pipere vorant.

Vires. Venerem in utroque sexu irritare dicuntur, ut quod maximé. Nil mirum igitur (inquit Bauhinus) si in tanto pretio sint, ut sine cibo hoc, nisi tempus anni neget, vix ulla opipara sit aut adjicialis cœna: imò mulieres Carduum hunc adeò ambire; ut diligentiori earum culturâ effectum sit, ut non tantùm echinatæ eorum pineæ, sed radices, caules & folia, per totam hyemem, quâ cætera contabescunt, nobis in cibum suppetant.

Scolymus urinam ciere præcipuè traditur, quem tamen affectum in nobis non sumus experti.

Truncus Cinaræ, autore Jouberto, ex melle potiùs condiendus adversùs pulmonum infarctum. Sumi verò debent Cinaræ caules terrâ obruti, & candidiores facti saporísque mitioris.

Cinaræ sativæ folia in Zythogalo, seu liquore posseti nostratibus dicto è lacte & vino albo parato, decocta ad icterum imprimis commendantur ut medicamentum nulli secundum.

Cinara stercoratam & solutam terram diligit. Columella, multo cinere stercorandam dicit: id enim genus stercoris huic oleri videtur aptissimum.

Hyemes asperiores ægrè tolerat, ideóque hortulani nostri stramine aut fimo eam contegere solent.

2. *Cinara sylvestris* Ger. *sylv. latifolia* C. B. *Scolymus Dioscoridis* Park. *Carduus Scolymus sylvestris* J. B. **Wild Artichoke.**

J. B.

Sativæ persimilis est, *caule* procero, hominis altitudinem assequente: *Folia* amplissima, cæsurâ sativæ, sed tomento copiosiore obducta, quorum nulla est lacinia quantumvis exigua, quam non arment spinarum mordacium flavescentium spicula, quibus & singula capitis squamarum extrema, sed majoribus multò rigidioribúsque horrent; ipsa verò *capita* sativi capitibus magnitudine cedunt. *Flos* stamineus consimilis, purpureus. *Semen* Cnici. [Veriùs *Flos ex flosculis laciniatis arctè stipatis componitur.*]

Locus. In Sicilia & Italia, necnon in Gallia Narbonensi subinde occurrit.

Vires. Floribus ejus coaguli loco ad lac in caseum densandum rustici utuntur: ejusdem florem vulgò credunt contra fœminarum sterilitatem valere, & gravidarum partus ad justum usque tempus continere.

* 3. *Cinara spinosa cujus pediculi esitantur* C. B.

De hac C. Bauhinus in Pinace sequentia habet: Foliorum pediculi terrâ obruti, candidi, à cute emundati, hyeme crudi cum sale & pipere in cibos veniunt: & licèt capitula sint spinosissima, longissimis aculeis armata, & vix vesca, colitur tamen ut stolones teneri gulæ arrideant.

Quam plantam intelligit hoc titulo C. Bauhinus mihi non constat. Synonyma quæ adfert, J. Bauhinus Scolymi sativi aculeati superiùs descripti synonyma facit. Parkinsonus in Parad. hujus meminit sub nomine *Chardon*, proceramque & crebris acutis spinis horridam, colore glauco esse scribit.

* 4. *Cinara sylvestris Cretica* C. B. Park. *Carduus Agriocinara Cretensium ex quo Costus niger Officinarum* J. B.

Bellon.

Supra Chisami arcem in insula Creta (Autore Bellonio in Obs.) ea montis parte quâ Calohierorum monasterium, cui nomen D. Joannis de *Prædermos*, situm est, Artichocæ sylv. genus crescit, pastoribus *Agriocinara* appellatum, cujus *radicem* cubitalis longitudinis, & humani cruris crassitudinis, foris & intùs nigram, pyri in modum turbinatam *Costi Indici* loco in Aromatariorum officinis venalem esse asserimus. *Capita* fert instar Cinaræ sive Artichocæ, quæ pastores cruda mandunt.

mandunt. Ejus *flos* maxima ex parte candidus est (licet & purpureus inveniatur) & suavis odoris. Ipsius radices Chamæleonis albi radicibus similes sunt, & *folia* Chamæleonis nigri foliis. Differt ab aliis Artichocis sylvestribus multis Italiæ locis nascentibus.

* 5. *Cinara sylvestris Pyrenæa. Centaurium foliis Cinaræ* Cornut. *Centaurium majus Pyrenæum* Park.

Cornut.

Brachiali radicis atræ crassitudine in altum descendit; *foliis* ampla magnitudine laciniosis, divisurâ Cinaræ folia referentibus, colore suprà viridibus, infra candidis: tenuis quippe lanugo hac parte nascitur, adeò lævis & polita, ut coloratam potiùs quàm tomento obductam putes. Naturæ lusus detegitur cùm rupti folii portio utraque à se divellitur. Bicubitalis *caulis*, angulosus, lanuginosus, foliis undique luxurians, in plures alas dividitur. Fert in cacumine *capitula* calathi effigie, squammulis aculeatis imbricatim aggestis hispida, quæ exiguæ Cinaræ magnitudinem implent, color fulvus: dum dehiscunt singula florem aphyllanthem, purpureo quodam glomeratum corymbo expandunt (quod vix ante Augustum apud nos evenire solet) Excusso flore capitula clauduntur: inest iis *semen* copiosum, Cnico simile; paucis inde diebus maturitate paulatim dehiscentia inclusa lanugine semina ostendunt. Sapor austerus & subamarus. Bilem subducit intestinis morantem, summóque habetur contra rheumatismos præsidio.

Montium Pyrenæorum incola est. *Locus.*

Planta hæc foliorum divisura & colore, capitulorúmque magnitudine Cinaram se prodit esse genuinam. Et fortè ab hac specie semine satâ, & in hortis cultâ ortæ sunt omnes Cinararum hortensium varietates.

* 6. *Chamæleo albus Apulus purpureo flore gummifer* Col. *albus verus acaulis* Park. *Carlina acaulis gummifera* C. B. rectiùs me judice *Cinara acaulis gummifera* dicenda.

Col.

Huic *radix* crassa est admodum & longa, foris ruffescens, intus alba, lactescens, aromatico gravi parùm odore, non injucundo, cerebrum petente; dulci sapore, edulis: quæ cùm extirpatur, si vel minima fibrilla violetur, statim ea parte lac emittit, in grumos ob viscositatem concrescens; etiámque grumis hærentibus invenitur effossa circa summas radicularum soboles, ex quibus fruticare observavimus & in plantas plures dividi vetustate: in quibus singula capita orbiculata, mali parvi magnitudine, singulis foliorum umbilicis hærentia inveniuntur, echinata, ut in vulgata Carlina, humi jacentia. Huic verò spinosum *caput* sive *Acanus*, in quo *flos* concipitur, minimè ut in vulgari à radiantibus foliolis illis veluti coronâ dispositis inter caput & folia magna circundatur, (quibus caret) nec floris umbo planus atque depressus conspicitur inter pallentes ejusmodi barbulas magnas undique radiantes, illúmque Chrysanthemi ritu coronantes; sed elatior, tumescens, ruffas minutásque barbulas seu potiùs squamas occultans, atque papposus. *Flosculi* quidem in quinque partes singuli dividuntur, tenues admodum ut capillares ferè videantur, non secus ac in floribus Scolymi sive Cinaræ, quibus simillimi effigie, colore verò non ità cœruleum imitantes, sed potiùs purpurascentes. His marcescentibus candidum pappum emittunt interna *semina* singulis flosculis subjacentia, ut in Cinara & Acanaceis, oblonga, cinerea, splendida, non ut Cnici crassa, sed Cnici modo contenta & effigie.

Junio mense acanum profert, Julio dehiscere incipiens suaverubentem canam lanuginem ostendit, quæ deinde Augusto extuberans, purpureo colore florens perficitur; Septembri perfecto canescens pappo cum semine evolante. *Folia* huic pedalia vel majora, magis profundè incisa & spinosiora vulgari, Scolymi sive Cinaræ similiore divisurâ, colore albicantia velut canescentia, infernè hirsuta; [quandoque virentia in eruptis Maio mense observavimus, ut diversa videretur planta:] in vetustioribus & arescentibus rubentia, ut in aliis plantis observatur. *Tempus.*

In Apuliæ Cirinolæ sterilibus devexis locis Occidentalibus editis frequentissimam observavimus hanc plantam. *Locus.*

Rustici armentorum duces gummi quod in Acano & inter spinosa folia calicis emanat colligunt ex hac in Apulia, illúdque appellant *Cera di Cardo*, quia concretum velut cera durescit, atque ubi attrahendi opus fit eo utuntur. Vix enim est planta cui sponte gummi hoc non hæreat. Non secus ac viscum dum recens est adhæret, & in fila protenditur, colore candido, nam ex lacteo succo concrescit, & deinde collectum ceræ modo densatur, contrectatúmque inficitur nigrescítque. Hæc omnia Columna. *Usus.*

Hæc planta ob flosculos fistulares ex quibus flores componuntur ad Cinaras reducenda est, quibuscum & seminibus & foliorum divisurâ convenit.

* 7. *Carduus Pinea Theophrasti* Alpin. exot. *Chamæleon albus gummi ut mastix ferens.* Hon. Bell. *Ep.* 1. *ad Clusium.*

Alpin.

Ab unica *radice* exit, foliáque numerosa producit, longa, multa, simul à radice prodeuntia, digitum lata, in nervum acta, Papyri seu Cyperi foliis proxima, sed albidiora, duriora, latiora & lenia; in quorum medio quasi obrutum caput acanaceum occulitur, spinis exteriùs longis, densis, in crucis modum actis custoditum: intus verò lanuginem albam, densam, induratam; in qua, & exteriùs in eodem capite circa spinas gummi parvum, colore fulvescens, Mastichi simile, odoratum & calidi gustûs inhærescens cernitur. *Radix* verò crassa ut pollex, longa, sensim ac sensim gracilescens,

leſcens, in extremúmque tenuiſſimum deſinens, exteriùs fulveſcens in nigrum inclinans, intus alba, ſuaviter olens, fervidi guſtûs, Carlinæ ſimilis, ab eâque differens remiſſo jucundioréque odore.
Ex inſula Creta accepit Pr. Alpinus pro Chamæleone albo, quam tamen ſententiam improbat & refutat, ut apud ipſum videre eſt in *Exot.* lib. 1. cap. 56.
Affinis eſt Plantæ præcedenti, non tamen eadem, ut deſcriptiones conferenti patebit: quamvis *C. B.* præcedentem plantam pro Chamæleone albo Hon. Belli, (quæ proculdubio huic idem fuit) habuerit; quod tamen mirum non eſt, cùm Bellus Chamæleonem ſuam non deſcripſit; ſed de eo duntaxat retulit, quòd radicem habeat maximam, odoratam; quódque Junio & Julio circa echinum gummi deſtillat, quod pueri legunt & aliquantulum maſticant, poſtea digitis lævigant & complanant, complicatúmque in veſiculæ formam ſuper alteram manum fortiter impellunt, ità ut ex ictu veſicula rumpatur & ſtrepitum edat, quo ludi genere ſummopere pueri delectantur.

CAP. II.

De Carduis flore luteo inſignibus.

HIs ob ſimilitudinem in aliis partibus unam addemus ſpeciem quæ flore eſt cœruleo.

De Cnico ſativo ſeu Carthamo.

Cnicus quæ & Cnecus ſcribitur dicitur ἀπὸ τοῦ κνίζειν, quod mordere & pungere ſignificat, vel ἀπὸ τοῦ κνισμοῦ, quòd pungendo pruriginem excitet; quod de ſylveſtri rectiùs quam de ſativo dici poteſt: an potius à floris colore, cùm κνηκὸς exponatur croceus, rutilus? *C. B.*
Carthamus aut Curtamus à voce Mauritanica *Kartam* dicitur, non à καθαίρειν, ut nonnulli volunt.

Vires & Uſus. Floſculis tuſis condimenti vice utuntur, nec malè, cibos enim croceo colore commendant, & alvum emolliunt. Dicuntur & ictero mederi; quod, cùm tenuium partium ſint & tingendo apti, veriſimile videtur, nam pleraque hujuſmodi ictero conducunt.
Præcipuus florum uſus eſt ad ſericum alióſque pannos tingendos [colore incarnato] Quin & eorum admixtione Crocum adulterant nonnulli.
Semen tuſum ac in jure carnium aut Ciceris arietini bullitum ac potum pituitam viſcoſam ac aquas vomitu ac dejectione purgat; hinc medicamentis phlegmagogis accenſetur. Pectori maximè confert, mirè flatus diſcutit, proinde colicis & anaſarcæ conducit. Ventriculo adverſatur, ideóque corrigitur ſtomachicis, Aniſo, Galanga, Cinnamomo; quatenus tardæ eſt operationis, additis acribus, quæ urgeant ad exitum, Cardamomo, Zingibere, Sale gemmæ, &c. Doſis in infuſo à ʒiij. ad vj. *N. B.* Medullæ tantùm ad purgationes uſus eſt. Decorticandum autem eſt (monente C. Hofmanno) cum ſcalpello, licet magna cum moleſtia. Si enim quis piſtillo auſit, perdiderit oleoſam ſubſtantiam, in qua vis omnis.
Ex ſemine facta compoſitio Diacarthami inſigniter confert hydropicis.
Seminis ſuccus lac cogere dicitur, & magis ipſum reſolvendæ alvi facultate donare.

1. *Carthamus ſive Cnicus* J. B. Ger. emac. *Cnicus ſive Carthamus ſativus* Park. *Cnicus ſativus ſive Carthamum Officinarum* C. B. **Baſtard Saffron or Saf-flower.**

J. B.
Tereti ſurgit *caule* ſingularíque, qui ſuperiùs in ramos dividitur. *Folia* per caulem ramóſque indigeſta, nervoſa, glabra, brevibus ſpinulis per ambitum donata, ſeſcunciam aut uncias duas longa, unciam ferè lata, in acumen deſinentia, anguſtâ cervice ramis adhærent. Ramulorum extremis inſident *capita* inter folia ſquamata, è quibus *flores* explicantur ſtaminei, ſaturo Croci rubore tincti. *Semen* pappo adhæret oblongum, album, medullâ dulci, albâ.

Locus. Seritur in hortis, & agris etiam, circa Argentinam Germaniæ urbem. Locus ejus natalis videtur eſſe Ægyptus: Scribit enim *Plinius* lib. 25. cap. 15. Italiam Veſpaſiani principatu hanc ignoráſſe, & in ſola Ægypto celebrem.

Tempus. Floret Julio & Auguſto; ſemen interea perficitur, & eodem quo ſeritur anno exinde inareſcit.
Carthami ſemen, quod homini catharticum eſt, Pſittaci, referente Matthiolo, non ſolùm innoxiè eſitant ſed & commodè nutriuntur eo & pingueſcunt. Cæterùm accuratam omnium hujus plantæ partium deſcriptionem ſi deſideras, eam tibi exhibebit *Jo. Bodæus à Stapel* Commentar. in Theophraſt. Hiſt. *lib.* 6. *cap.* 3. *pag.* 605.

2. *Cnicus ſive Carthamus flore cœruleo* J. B. *Cnicus alter perennis Cluſii* Park. *cæruleus aſperior* C. B. *alter cæruleus* Ger. **Blue flowered baſtard Saffron.**

Cluſ.
Unicus plerunque huic *caulis* eſt, interdum ſtatim à radice dividitur in binos, ternos aut quaternos ramos, cubitales, firmos & lignoſos, perinde ac ipſe caulis, nullis tamen aut quàm pauciſſimis aliis ramis præditos. *Folia* pæne Cnici vulgaris, candidiora, paulò longiora, & pluribus venis diſtincta. *Capitula* Cnici è ſquamis imbricum inſtar ſibi invicem impoſitis conflata, è quibus *flos* colore

colore diversus, nam luteus non est, sed ex multis staminibus [rectiùs flosculis] cœrulei coloris constat. *Semen* Cnici semine minus & subruffum. *Radix* pollicaris crassitudinis est, carnosa, succulenta, foris fusca, non annua, ut vulgaris radix, sed aliquot annos interdum permanens.

Circa Cordubam in segetibus inventus est à Clusio & in agro Hispalensi, florens Maio & Junio. *Locus & Tempus.*

* *Carthamus sativus flore croceo Tingitanus* Hort. Lugd. Bat.

Hæc species nomine tantum nobis cognita est, ideóque nihil dum habemus quod de ea dicamus.

3. *Carduus benedictus* J. B. Ger. Park. *Cnicus sylvestris hirsutior sive Carduus benedictus* C. B. **Holy Thistle.**

J. B.

Radice nititur albâ, multifidâ, succosâ. *Folia* ei laciniata, Sonchi aut Dentis leonis ferè divisurâ, spinulis brevibus armata, sine pediculis caulibus adnascentia, alternatim posita, hirsuta, colore quem in Boraginis foliis cernere est. *Caulis* ab eadem radice singularis, multis alis concavus, & ab imo statim plures emittens ramos, supinus partim, partim erectus, subpurpureus, striatus, villosus. *Flores* parvi, lutei, multis flosculis quinquepartitis compositi, stylo trifido in uniuscujusque medio extante, quem quinque staminula apicibus longis, fuscis, sibi invicem adnatis, & velut tubulum quendam efformantibus donata amplectuntur. Floribus subsunt *capitula* squamata, squamis majoribus splendentibus, quarum singulæ in spinas longas, erectas, utrinque itidem spinulis dentatas, florem obvallantes exeunt. Singula autem capitula sex septémve folia erecta, è lata basi in acutum mucronem paulatim desinentia calicis in modum circumambiunt. Tum folia hæc, tum spinulas modo dictas lanugo multa intercedit & connectit. Capitulis multo pappo stipatis *semen* inest oblongum, striatum, subluteum, floccis rigidiusculis radiatis appensum.

Tota planta amarore insigni prædita est, radice excepta quæ nobis gustantibus vix leviter amaricare videbatur.

Experientiâ didici (quod ante nos observavit F. Columna) capitula hujus Cardui antequam flores pandantur, & florida mense Maio (apud nos Junio Julióque) recisa succum sanguineum paucum fundere. *J. Bod. à Stapel.*

Carduus hic, ab immensis viribus quas habere creditur *benedictus* & *sanctus* denominatus, ad Fridericum III. Imperatorem ex India missus fertur. Quod ut non nego (inquit C. Hofmannus) ita compertum fuit postea in Europa etiam spontaneum esse. Nam & in Lemno insula nascitur, Autore * Bellonio; *Qui à nostris vulgo Carduus benedictus appellatur, sponte in agris nascitur, nec aliquâ culturâ indiget. Græci nomine corrupto Gaideracantha, hoc est asininam spinam nuncupant:* atque etiam in Gallia, nimirum in arduis Alpibus Galloprovinciæ propè Monsterias, *Marignols* vocatis, ubi effodiuntur crystallinæ, irides, & varii coloris alii lapides: Crescit in summo montis rigidior & aliquanto minor hortensi. ** Lib. 1. Observ. cap. 25.* *Locus.*

Hujus vires ab aliis fusè traditas sic paucis complectitur C. Hofmannus: Plurimum potest in decocto, præsertim in Vino cùm febris abest; minùs in pulvere; iterum minùs in aqua destillata. Laudatur in pituitosis capitis affectibus, hemicrania, surditate, vertigine, epilepsia; destillationibus ad pectus; quin in hydrope, quartana, omnibus febribus longis, quippe ab obstructionibus pendentibus. *Vires.*

Laudatur in colicis, nephriticis, ischiadicis, partim discutiendo, partim ad vias urinarias deducendo.

Præcipua ejus laus est in peste foràs & intus: intus pro præservatione & curatione, sudoribus ciendis; foris pro ruptorio bubonum. Ideo in aliis etiam apostematis usurpatur.

N. Si sub initium Junii collectus fuerit vulnera recentia mirabiliter sanat, sin alio tempore nunquam id præstabit.

Nostrates in zythogalo seu liquore Posseti dicto herbam exsiccatam decoquunt, eóque utuntur minore dosi ad sudorem provocandum, in larga quantitate ad vomitum ciendum, & ventriculum expurgandum.

Vinum tempore Autumnali cum eo factum paulò minùs quàm panacea est apud vulgus Germanicum. *Hofman.*

Pervelim Medicinæ candidatos observâsse (inquit Simon Paulus) vix huic secundam aliquam repertum iri herbam in consolidandis putridis & contumacibus ulceribus & in Cancro ipso. Testantur nonnulli mulierem quandam, cujus mammæ cancro ad costas usque consumptæ fuerant aquâ destillatâ, pulvere foliorum insperso mundatam ac sanatam fuisse. Putrida & cava ulcera cujusdam viri, cui erosa fuerat ad ossa usque caro omnis tibiarum, quique bona omnia in curatione frustra expenderat Arnoldus Villanovanus vidisse se refert hac tandem ratione sanata. Recentia Cardui benedicti folia contusa cum vino generoso decoquebat, additâque postea liquefacta porci axungiâ ebullire sinebat, tandem injectâ farinâ Triticeâ continuè spathulâ agitabat, quoad omnia in Emplastri consistentiam coalescerent, quod calidum bis quotidie ulceribus imponebat. *J. B.*

Memorant alii Paviæ olim quandam puellam incautè toxicatum pomum esitantem, cùm mox urgeretur enormibus symptomatis, quæ neque Theriacâ, neque Alexipharmacis mitigari potuerunt, solius aquæ Cardui benedicti haustu esse servatam. *J. B.* Hæc equidem apud me fidem non inveniunt.

In Scorbuto Carduum Benedictum mirè laudabat nostro tempore Jo. Jacobus Hortigius Med. Venetus. Hieron. Velschius Obs. 51. Habui *à D. Soame.*

4. *Atractylis* Lob. Ger. *lutea* C. B. *flore luteo* Park. *vera flore luteo* J. B. The Distaff-Thistle.

Col.

In planta juvene & tenella *radix* parva est, duro cortice, foris pullo, dulci sapore, gravi odore: *Folia* prima carnosa, humi hærentia, expansa in orbem, lata, oblonga, (triuncialia aut longiora) per ambitum aculeata, quæ postea laciniis paulatim dissecantur, Calcitrapæ vulgaris & aliorum Carduorum modo, virentia, sed alba lanugine obsita, aspera sed non pungentia dum in terra jacent, atque pluviâ marcescunt antequam caulis erumpat. In vetustiore verò planta lignosa est *radix*, atque *folia* dodrantem longa & minora, cùm caulis erumpit (mense Aprili) lævia, profundè laciniata, aculeata magis, duriora atque pungentia, bipedalem *caulem* alternatim ambientia, qui solidus, rotundus, hirsutus, crassus, atque in summo alis divisus paucis, in quibus minora habentur folia, Cnici formâ & modo hærentia, inter quæ lanosior araneosa veluti ac longa lanugine dependente obsitus est (sicuti & alæ) tactu gummosus, odoratus, gravi & aromatico odore, thus quodammodo imitante, sed graviore nec tamen ingrato. Ab ima florum parte ut & summis virgis oblonga dependet lanugo, ut ex colu solet ad nendum aptatâ, ob cujus similitudinem Atractylis hæc dicta fuit. *Capitula* tria aut quatuor sylvestris planta profert Julio mense, *flores* luteos obsoletos minutis foliolis ut Cnici constructos, paucos & inconcinnos edentia; foliaque tunc magis rigent atque pungunt atque etiam capitula, nec succum ampliùs fundunt affrictis venulis, ob humoris diminutionem & siccitatem. Singulis floribus Cnici modo & Acanaceorum singula subsunt *semina*, minora verò, nec pappum hirsutum & plumosum ut in aliis, sed radiatum velut stellæ, radiis latis in acutum desinentibus, fulvescentibus, splendidis, inæqualibus. *Semen* verò quadratum, rhomboides, Cnici æmulum, ex albo purpurascens primùm, deinde flavescens atque perfectum nigrum, splendidum, punctis velut inscriptum. Caulis cùm florere incipit jam denudari incipiens, pauca tandem circa capitula folia relinquit, eâque maximè pungentia, durus, atque cacumine hirsutus, ut Colûs vicem de se præbeat atque æmuletur, dependente veluti stamine candicante illa oblonga lanugine.

Hujus plantæ radix, folia atque capitula virentia, avulsa aut recisa quovis anni tempore ab exortûs initio seu germinatione prima ad florum usque productionem (postea enim arescit) sanguineum succum semper emittunt, in venulis servatum, nam in carne aqueum vel virentem habent. In radice disrupta aut caule reciso venulæ circa corticem dispositæ cruentâ stillâ emicante se produnt.

Locus. In Italia & Gallia Narbonensi, necnon circa Genevam, ad vias & agrorum margines ubique ferè provenit.

Nunquam observavimus Atractylidis florem colore purpureo variare, ut volunt Lobelius & Dodonæus.

Quin si reperiatur hujusmodi Atractylis solo floris & foliorum glabritie à descripta diversa, non libenter pro specie distincta, ut vult C. Bauhinus, eam admiserim.

* 5. *Calochierni Carduus Cretensibus* J. B. *Atractylidi & Cnico sylvestri similis* C. B.

Cùm Hon. Bellus hanc plantam Atractylidi similem, majorem tantùm fuisse ad Clusium scribat: Et Clusius eandem semine à Bello misso natam, (quæ antequam florem proferret gelu corrupta est) Atractylidi pariter valdè similem dicat; neuter autem plantam in statu viderit, nescimus an alia in re quàm magnitudine sola à vulgari Atractylide differat. D. *Covell* semen ejus titulo majoris Atractylidis ad *D. Dent* Cantabrig. misit. Veteres Atractylidi magnam vim contra venenata animalia tribuunt: item contra fungos. Fabulosum est à Scorpione percussos quamdiu teneant eam herbam non sentire cruciatum.

Atractylis dicebatur, quòd eâ antiquæ mulieres pro fuso uterentur. Ἄτρακτος enim fusum significat. Imò nunc dierum in Thracia circa Constantinopolin caulibus ejus pro fusis utuntur mulieres Græcæ, id attestante *D. Covell.* Ibi enim humanam altitudinem assequitur, cúmque adoleverit folia decidunt & caulis rigidus evadit. Est autem hæc ab Atractylide vulgari hirsutiore, quæ ibi etiam passim oritur, specie diversa, eodem asserente in literis ad *D. Dent* Medicum & Pharmacopolam Cantabrigiensem datis.

* 6. *Cnicus singularis* Alpin. exot. *alter Creticus* Park.

Alpin.

In Creta nascitur, unicum *caulem* ab radice producens, rectum, rotundum, semicubitalem, hinc indè *foliis* longis, in acutum desinentibus, undique crenatis & spinosis vestitum: in cujus summitate caput extat inter folia spinosa conseptum, Atractylis magnitudine: è quo exeunt capillamenta densa, crocei coloris, simul stipata *florem* constituentia, in quibus *semina* alba Centaurii majoris similia continentur. *Radix* verò est crassa, longa, ad Rapunculi radicem accedens, nigricans.

Seminibus utuntur montani purgationis causâ.

CAP.

Cap. III.

De Carduis Spinulis mollioribus, sive De Cirsio.

Cirsium Κίρσιον dicitur quòd varicum dolores, quos Græcorum medici omnes Κίρσους vocant sedet leniátve.

Cirsium Recentioribus dictum à cæteris Carduis spinularum mollitie & imbecillitate differt, à Cnico, Carduo benedicto & Atractylide tum capitulorum parvitate, tum florum colore purpureo.

Carduum pratensem Tragi & Carduum bulbosum Monspeliensium ob spinularum mollitiem sub hoc titulo comprehendo.

1. *Carduus pratensis latifolius* C. B. Park. *pratensis Tragi* J. B. Tragus his Meadow-Thistle.

J. B.

Novicellus est Tragi pratensis carduus & mitibus spinis donatus. *Caulis* striatus, glaber, trium, quatuórve cubitorum altitudine; cui *folia* ex longis intervallis adnascuntur pallidè virentia, alia cubitum longa, alia palmum, alia satis profundè laciniata, alia duntaxat serrata, mollia & tenera. Ramis in quos caulis finditur insident capita satis magna, simul multa congesta, mollia, è quibus *flores* exeunt ex flavo pallescentes: *Semen* Cnici minus: *Radix* crassa.

Locus & Tempus. In pratis Rheno vicinis propè Argentoratum, Basileam, &c. abundè provenientem & Julio mense florentem observavimus: J. Bauhinus in pratis montis *Thuiri* non longè à Geneva; & in monte propè oppidum S. Hippolyti.

Quòd folia in cibis quoque ut reliqua olera expetantur ideò à mulierculis *Brassica graminea* appellatur. Est autem inter omnes Carduos hic tenerrimus, si spinas consideres molliusculas *J. B.*

Aprili mense quotannis nova candida folia è capillata exeunt radice. *J. B.*

Loca natali [in pratis] & floris colore pallido ab aliis omnibus Carduis facilè dignoscitur.

2. *Carduus pratensis Asphodeli radice latifolius* C. B. *bulbosus Monspeliensium* Park. *bulbosus Monsp. sive Acanthus Sylvestris quibusdam, foliis laciniatis* J. B. Tuberous-rooted Thistle of Montpellier.

J. B.

Fecit *foliorum* non inepta similitudo ut Acanthi sylvestris nomen meruerit: sunt ea namque Acanthi seu Brancæ ursinæ foliis aliquatenus similia, admodum nigricantia, paulùm hirsuta, vel potiùs tomentosa, crassiuscula, cum spinulis in extremitatibus laciniarum, quorum pediculi ad radicem rubescunt. Caules bicubitales, rubentes, imprimis parte ima, quorum ramis longis capita insident aliquot, Cirsii capitibus similia, miti, squarroso echino, *floribus* stamineis purpurascentibus comato, qui tandem in pappos resolvuntur: *Semen* album oblongum. *Radices* ex uno capite plures dependent, turgidulæ, bulbos imitatæ, sapore nonnihil salsuginoso, in quo & Plantagineus gustus elucet.

Locus. In pratis Monspelio vicinis abundè oritur, ut tituli initio allati indicant.

3. *Carduus Cirsium dictus folio laciniato nigrius, & idem cum Asphodeli radicibus bulbosis* J. B. *An Card. pratensis Asphodeli radicibus* Park?

J. B.

Cirsio affinis est hic Carduus, laciniatis spinosisque membranis *caulem* striatum ornantibus: at verò *folia* palmum & sesquipalmum longa, glabra, nigricantia, profundis Carlinæ vulgaris laciniis incisa, rigidioribus spinis horrentia: scapi foliosam & spinosam fimbriam habent, & in longos ramos dividuntur: in quorum extremitatibus *flores* purpurei, verùm capita squamata singularia unde emicant. *Radix* satis crassa, à quâ pendent prælongæ fibræ nigræ, Hellebori nigri vulgaris æmulæ. Hæc descriptio est ex planta sicca, quæ fortè bulbosa fuit.

Locus & Tempus. In montibus propè Genevam sponte oritur: J. Bauhinus eundem observavit in montibus circa *Wasserfall*, florens Augusto.

Dubitat J. Bauhinus an sit Acanthus sylv. alter Dalechampii *Lugd.* quem C. Bauhinus titulo *Cardui pratensis Asphodeli radice, foliis profundè & tenuiter laciniatis* proponit: éstque Jacea tuberosa *Ger.* & *Tab.*

4. *Cirsium montanum maximum* Park. *Cirsium tomentosum radice bulbosa, quibusdam Leucacantha Anguillaræ* J. B. *maximum Asphodeli radice* Ger. emac. *An Clusio Cirsium 4. sive montanum 2?*

J. B.

Ex eodem capite multæ pendent radices Pæoniæ vulgaris [aut Aspodeli] more, candidæ, gustu ferè insipido; unde *folia* primùm promuntur dodrantalia & cubito longiora, mollia, incanâ lanugine supra, infráque obducta, per ambitum dentata & paulùm velut laciniata, spinisque brevibus & mitioribus obsita, in acutum desinentia: post *caulis* & is quoque foliosus attollitur, bicubitalis & major, crassus, incanus, [cristatus seu fimbriatus] ínque ramos summa parte divisus. *Flores* singulis, nudis & prælongis pediculis insident singuli, è capitulis squarrosis, albicantibus, spinulis

nulis mitioribus obsitis, minoribus quàm pro plantæ magnitudine exeuntes, flosculis purpurascentibus compositi, qui in pappos abeuntes *semen* relinquunt parvum, album.

Plantam hanc grandem sanè & speciosam in hortulo nostro Cantabrigiæ aliquando aluimus. Parkinsonus eam sub titulo superiùs posito exactè describit, & pro Cirsio maximo Asphodeli radice *C. B.* i.e. V. Clusii seu *max. montano, incano fol. bulbosa radice,* habet. J. Bauhinus ad quartum Clusii refert, i.e. Cirsium foliis non hirsutis, floribus compactis *C. B.* minùs rectè.

5. *Cirsium maximum foliis carnosis, bulbosa radice, fortè Lutetianum* J. B. *Cirsium max. Asphodeli radice* C. B. *maximum montanum incano folio, bulbosa radice sive V.* Clus. *an idem præcedenti?*

Clus.

Ad Cirsii genera refert Clusius etiam id Cardui sive spinæ mollis genus, quod in bicubitalem & majorem interdum altitudinem excrescit, pollicaris crassitudinis *caule*, striato, incanâ tomentosâque lanugine obsito: *Folia* illi majora quàm in superioribus generibus, magis carnosa, succi plena, viridia, in ambitu dentata, mollibúsque spinis hirta. *Capita* in summo caule summísque ramis majora jam descriptis, quæ in stamineos, purpureo colore nitentes *flores* expansa, maturitate in pappum resolvuntur, *Radix* multis crassis fibris, Asphodelinos bulbos satis referentibus & oblongis firmatur.

Locus. Nascitur in montanis pratis, etiam ad piscinarum udos margines, inter salices Amerinas quoque & harundines. Floret Julio.

Cirsium hoc à superiùs proximè descripto differt, foliis carnosis, viridibus, Floribus majoribus. J. Bauhinus diversam ab eo speciem facit. Ego cum Johnsono & Parkinsono nostratibus potiùs idem crediderim, quamvis (ut verum fatear) notæ illæ, nimirum *folia habere viridia, flores majores aliis Cirsiis,* præcedenti non conveniant.

6. *Cirsium foliis non hirsutis, floribus compactis* C. B. *montanum capitulis compactis* Park. *Carduus Cirsium Monspelianum folio longo glabro Matthioli* J. B. *Cirsium foliis non hirsutis* Ger. emac.

Radix & ima *folia* (inquit Lobelius) Dipsaci modo & ortu, Buglossi angustifolii acutiora, & levibus hirsutísque spinis asperiora, longiora, viridia. *Caulis* utplurimum singularis, binos ternósve cubitos æquat, angulosus, rectus, incanus, tener Sonchi modo: in cujus summa parte *flores* rotundis oblongis capitulis Cardui, purpureis, densis conflati staminibus, in pappos desinentibus, relicto exiguo, oblongo, Cardui *semine* fulvo.

Locus. Ad Ladum amnem & alibi propè Monspelium copiosè provenit.

A. 7. *Cirsium Anglicum* Ger. emac. Lob. *Anglicum primum* Park. *Anglicum radice Hellebori nigri modo fibrosa, folio longo* J. B. *majus, singulari capitulo magno, vel incanum variè dissectum* C. B. **The English soft or gentle Thistle.**

Radix plurimis fibris majusculis albentibus constat, sapore amariusculo & nauseoso. *Folia* ad radicem tres aut quatuor digitos longa, & interdum longiora, pro ratione soli in quo crescit, sesquidigitum lata, supernè brevibus pilis hirsuta, infernè nonnunquam incana lanugine obducta, circa margines spinulis crebris, brevioribus tamen & mollioribus quàm reliqui ferè Cardui, armata, sinuata & crispa, interdum etiam incisa, non tamen profundè. *Caules* pedales aut cubitales, teretes, striati, lanuginosi, uno vel altero folio, absque pediculo adnascente donati, plerunque singulares & non ramosi, unicum in summitate *florem* gestantes purpureum, calice multis squamulis imbricatim compactis nonnihil purpurascentibus & acutis composito obvallatum. *Flos* autem Jaceæ æmulus, è plurimis flosculis densè stipatis, singulis in quinque segmenta divisis, & singulis seminibus papposis cohærentibus, componitur. *Caulis* ex ala folii superioris interdum alterum emittit florem, seriùs se explicantem, & postquam flos primarius in pappum obierit.

Locus & Tempus. Junio mense floret, éstque in palustribus frequentissimus.

C. Bauhinus cùm capitulum magnum huic plantæ attribuat, & folia variè dissecta, non leviter errat.

Cirsii primi Pannonici pratensis Clusii descriptio in omnibus ferè huic nostro convenit, ut vix dubitem eandem esse plantam: fibras duntaxat radicis nigricantes facit, & foliorum colorem cæsium.

Cæterum Cirsium hoc radicibus sub terra reptantibus & nova germina subinde protrudentibus, latè se diffundit.

A. 8. *Cirsium Britannicum Clusii repens* J. B. *Cirsium aliud Anglicum* Park. *Cirsium singulari capitulo squammato, vel incanum alterum* C. B. **The great English soft or gentle Thistle, or melancholy Thistle.**

Clus.

Planta est *caule* singulari, cubitali aut ampliore. *Folia* per caulem alterna, longa, in ambitu spinulas mites, miniméque pungentes habentia, quorum supinæ partes virent, pronæ albicant, & canâ lanugine obducuntur. In summo caule capitulum unum Carduorum modo, quasi ex squamis mucronatis compactum, *florem* sustinens satis magnum, ex multis apicibus, colore ex rubro purpurascente, ac tandem in pappum abeuntem: *Radix* est nigricans, fibrata, quandoque per magnas fibras se propagans. Floret Julio & Augusto.

Pro-

Provenit in pratis ad radices montis *Ingleborough*, circa *Settle* oppidum, & alibi in montosis agri Eboracensis & Westmorlandici. *Locus.*

Hæc planta Londino ad nos olim transmissa est sub nomine *Cardui mollis Helenii folio*, & sanè re seriò perpensâ suspicamur Cirsium hoc nostrum majus repens, & Carduum mollem Helenii foliis non spinosum Camerarii unam & eandem speciei plantam esse. Camerarius in eo describendo nimis brevis est.

9. *Cirsium montanum capitulis parvis* Ger. emac. *aliud montanum* Park. *singularibus capitulis parvis* C. B. *foliis non laciniatis, virore Brassicæ, & macrocaulon* J. B.

Clus.

Multa profert *folia* oblonga, Centaurii majoris non laciniati foliorum propemodum æmula, Brassicæ foliorum colore & viriditate, satis carnosa, in ambitu crebris aculeis prædita: inter quæ medius exit *caulis*, cubitalis aut amplior, striatus, quem alternè ambiunt folia superioribus minora, latiore pediculo eum amplectentia, & veluti membranaceas quasdam alas ad proxima folia, secundum caulis cui adnatæ sunt longitudinem producentia; eâ de causâ caules quodammodo alati apparent: summus caulis in hispidum multisque squamis imbricatum *caput* desinit, quod tandem in *florem* stamineum purpureo colore rubentem explicatur & propendet: in superioribus alis nascuntur interdum ramuli quidam, lanugine obsiti, similes sustinentes flores, qui deinde ut alii in pappum & lanuginem resolvuntur, *semenque* in eâ reliquis simile occultant. *Radix* minimi interdum digiti crassitudine, aliquot fibris donata & vivax, singulis annis propagines è lateribus fundit.

In montanis quibusdam sylvis Pannoniæ, ut supra Posonium & Nemethwywar, aliis etiam ad Alpes tendentibus, supra Badenses, *viz.* Thermas, & vicinis. Florebat Junio. *Clus.* Nos in Italia circa *Plombinum* portum vel hoc idem Cirsium, vel ei simillimum observavimus. *Tempus. & Locus*

Cirsium majus alterum Ger. *i. e. majus* Lob. *quænam planta sit, & an à præcedentibus omnibus diversa, ignoravimus.*

Dod.

Nos in ampla planitie propè Augustam Vindelicorum, viâ quæ ad Monachium Bavariæ ducit, duas Cirsii species observavimus, nescio an à supra scriptis omnibus diversas, eas enim (quod doleo) non satis accuratè descripsimus.

9. Priori flos Cirsii Anglici minoris seu primi *Park.* flori simillimus, & in uno caule plerunque unicus, quemadmodum in illo: *Folia* verò profundè ad mediam usque costam laciniata & spinulis horrida ad modum ferè Cardui viarum vulgatissimi, pallidè viridia. Augusti 24. nondum defloruerat.

10. Alteri, quod tum planè defloruerat, *folia* viridia erant, breviora & latiora quàm præcedenti, in ambitu spinosa & Hyoseridis masculæ foliis figurâ suâ nonnihil similia.

11. *Cirsium Alpinum, foliis minus profundè laciniatis, creberrimis spinis oblongis.*

Hanc speciem in Alpibus Carinthiacis, & circa Augustam Vindelicorum observavimus. *Foliis* erat ad radicem pluribus, palmum aut sesquipalmum longis, unciam aut sescunciam latis, acuminatis, obscurè virentibus, glabris, ad margines leviter nec profundè incisis, creberrimis & oblongis acutis, sursum modicè inflexis spinis horridis. *Caulis* ejusmodi foliis sed angustioribus & minoribus donatur; & spinosis fimbriis armatur, inque ramos dividitur, in prælongos, tenues, hirsutos pediculos desinentes, quorum singuli singula capitula parva, purpureis floribus conspicua, calyce squamis brevibus non aculeatis compacto, sustinent.

12. *Carduus tricephalos horti Carthusiani.*

Carduum hunc in horto maximi Carthusianorum cœnobii vidimus. Erat autem (quantum memini) satis procerus, *foliis* ad radicem integris Cirsii, pari modo circa margines spinulis brevioribus & mitioribus cinctis. *Caules* & ramuli fimbriis spinosis ad capitula usque excurrentibus aucti, tria insigniora *capitula*, parva, brevia, latiuscula, sessilia, squamulis innoxiis obsita, singuli sustinent. Insigniora dixi, nam & alia præterea pusilla, rudimenta potiùs capitulorum quùm capitula majoribus agglomerata observavi. Flores purpurei.

* 13. *Carduus mollis Lapathi folio* J. B. C. B. Ger.

Clus.

Pedali assurgit *caule*, utcunque crasso, striato, nonnihil lanuginoso. *Folia* illi circa radicem majora, Lapathi foliis ferè similia, aut potiùs illius plantæ, quam vulgò Totam bonam, sive Bonum Henricum cognominant, quà pediculo adhærent latiora & quodammodo angulosa, extrema verò parte mucronata, in ambitu aliquantulum sinuosa, & mollibus veluti aculeis obsita, supinâ parte virentia, pronâ verò omnino incana, foliorum albæ Populi instar, & densâ lanugine obsita, gustu initio exsiccante, deinde amariusculo; quæ verò caulem amplectuntur minora sunt & angustiora, ex quorum sinu circa summum caulem ramuli exeunt terna, quaterna aut plura sustinentes *capitula* squammata, Cyani aut Jaceæ capitulis respondentia, quæ dum expanduntur *florem* promunt ex cœruleo purpurascentem, & *semen* deinde continent lanugine involutum, Cyani semini non valdè dissimile,

dissimile, sed paulò majus, candicans. *Radix* nigra, aliquot tenuibus fibris prædita, dura, vivax è lateribus propagines spargit.

Locus & Tempus. Clusius hunc eruebat circa secundum Sneberg excelsi admodum montis jugum, inter saxa nascentem cum Auricula ursi flavo flore, incano folio, deinde etiam in Etschero. Florebat utroque loco mense Julio.

* 14. *Carduus mollis angustifolius* Park. *mollis, humilis, angustifolius* J. B. *mollis folio oblongo, Cirsii capitulo* C. B. **Narrow-leaved gentle Thistle.**

Clus.

Humilior hic est, neque palmarem altitudinem excedit: *caule* non minùs crasso quàm superioris, multis longis *foliis* exornato, supernè etiam virentibus, infernè canâ [non tamen adeò densâ ut superioris folia] lanugine vestitis, & molles quasdam spinas in ambitu obtinentibus, gustu etiam amaro, initio autem adstringente. Summo cauli insidet singulare *capitulum* squamatum, majus quàm præcedentis capita, ex quo *flos* multâ lanugine ex cœruleo purpurascente pubescens oritur. *Semen* observare non potui. *Radix* nigra, & frequentibus subnigris fibris prædita, subinde nova germina è lateribus producit.

Locus & Tempus. Crescit in summis Snealbe jugis, cum Auricula ursi, quæ glabro & splendente est folio, carnei coloris flore. Floret verò Julio & Augusto.

* 15. *Carduus mollis laciniato folio* J. B. C. B. Park. *foliis dissectis* Ger. **Gentle Thistle, with jagged leaves.**

Clus.

Multa secundùm radicem habet *folia*, cùm humi sparsa & jacentia, tum surrecta, infernè canâ mollíque lanugine obsita, supernè virentia, valdè laciniata, & ad medium usque nervum dissecta, Cardui stellati mollioribus & tenerioribus foliis pæne similia; nullis tamen spinis horrentia, gustu primùm exsiccante, deinde amariusculo: è quorum medio unus aut alter *caulis* assurgit, cubitalis aut amplior, teres, striatus, purpurascens, & molli quadam lanugine obsitus: inferiora folia, per infimum caulem sparsa etiam laciniata sunt, licèt jam dictis minora; quæ verò supremum caulem ambiunt, oblonga, angusta, nullis laciniis divisa, mucrone utplurimùm purpurascente: extremi caules in aliquot ramos interdum dividuntur (magna tamen ex parte singulares sunt, unicúmque sustinent caput) qui *capitula* sustinent ex multis tenuibus squamis imbricatim dispositis composita, molliter echinata, quorum medium occupat stamineus & villosus *flos*, coloris purpurei elegantissimi. Flori flaccido & evanido succedit *semen* angulosum. *Radix* digiti magnitudinem nonnunquam æquat, subfusca, longa, aliquot fibris donata.

Locus & Tempus. Invenitur hic tota illa montium catena quæ à Calenberg & Danubio cui imminet ad Alpes usque extenditur, & deinde per Leytenberg, rursúsque per Prellenberg & Hamburgerberg ad Danubium duobus supra Posonium milliaribus reflectitur. Floret Maio, semen perficit Junio & Julio.

* 16. *Carduus mollis latifolius Lappæ capitulis* C. B. Park.

C. B. prod.

Caule est cubitali, striato, brevibus & mollioribus spinis armato: *foliis* Rumicis formâ, tenuibus, lævibus, venosis, palmum longis, uncias quatuor latis, marginibus exiguis spinulis dentatis. Caulis summitas in pediculos breves unciales abit, quorum singuli *capitulum* Lappæ vulgaris formâ, ejúsque ferè magnitudinis sustinent, quod in stamineum purpureum *florem* expanditur.

Locus. In Austriæ monte Taurerio Rastadiensium.

Carduum mollem Helenii folio *Cam.* Cirsio Britannico repenti *Clus.* eandem esse plantam suspicamur: siquidem Cirsium illud Britannicum sub titulo Cardui mollis Helenii folio ante triginta annos ad nos Londino missum est. Cæterum pro Carduo molli Helenii folio *Cam.* iconem Cardui mollis Lapathi folio exhibet Parkinsonus.

CAP. IV.

De Carduis quibusdam spinosissimis nostratibus.

A. 1. *Carduus nutans* J. B. *Cirsion tertium tota sua stirpe magis spinosum* Dod. *Carduus moschatus* Ger. **Thistle with a bending head, Musk-thistle.**

R*Adix* huic speciei alba, lignosa, simplex, crassitudine digitali, plures è capite fibras emittens. *Caulis* indè exurgit cubitalis, ramosus, ramulis crebris caulem ipsum longitudine superantibus; striatus, hirsutus, membranulis angustis, spinosis, crispis, secundùm longitudinem à folio ad folium ductis alatus. *Folia* non admodum lata, altiùs incisa laciniis omnibus in spinulas acutas purpurascentes exeuntibus, atrovirentia, interdum lanuginosa, præcipuè aversa parte. In summis caulibus & ramulis *capitula* majuscula, lata & depressa, nutantia. Capitula intelligimus flores & eorum calices: sunt autem *flores* ampli, lati seu patuli, plurimis flosculis purpureis compositi: *calices florum* squamosi sunt, squamis in spicula lata, longa, purpurascentia, rigida, pectinum denticulos imitata, deorsum interdum reflexa productis. *Semen* parvum, splendens, citrinum pappo alatum & obvolutum. Capitula antequam flores explicantur moschum redolent.

In

In agris incultis & restibilibus non raro provenit. *Locus.*

Gesnerus de collectione hujus meminit his verbis, Carduus arvensis major purpureo flore (qui flore nondum nato moschum olebat) floret Julio.

A. 2. *Carduus polyacanthos* Park. *primus* Ger. emac. *Aculeosa Gazæ* Ad. *& Polyacantha* Tab. *ex sententia Johnsoni. Carduus caule crispo* J. B. **Thistle upon thistle.**

Radice nititur simplici, alba, pluribus fibris capillata. *Caule* surgit tricubitali, concavo, striato minùs crasso quàm præcedentis, plurimis alis (quinque) membranaceis, laciniatis & spinosis secundùm longitudinem productis horrido, crebris foliis vestito, ramoso ramis prælongis. In summis caulibus & ramulis existunt *flores* è flosculis plurimis in capitula congestis compositi, pediculis nullis aut brevibus donati Jaceæ vulg. florum ferè magnitudine. Florum calices squamosi sunt squamis extantibus, & in prælongas spinulas, molliores tamen & innocuas, exeuntibus. Color florum purpureus. *Folia* Cardui viarum divisurâ, atrovirentia, laciniata. spinulis circa margines minacia, viridiora quàm Cardui palustris; spinulæ minores & breviores, nec ut in illo purpureæ. Folia in caule non ità crebra, rami majores & longiores multò, capitula tantillo majora; Flores odoratiores: Semina fusca.

In aggeribus fossarum ad sepes & inter vepres plerunque provenit. *Locus.*

A. 3. *Carduus polyacanthos secundus* Ger. emac. *Polyacanthos Theophrasti* Ludg. *Carduus spinosissimus capitulis minoribus* P. B. **Welted Thistle with small flowers.** *Carduus Acanthoides* J. B.

Hujus caules pari cum priore altitudine assurgunt, graciliores tamen sunt, paucioribus & rectioribus ramis brachiati, alis membranaceis, plurimùm quatuor, latioribus quàm in illo, rarioribus spinis, (longioribus tamen illis) armatis, pinnati. *Capitula* longiuscula sunt, multò tamen quàm illius minora, extremis ramorum plura simul congesta, nec pediculis distincta, quæ vix unquam aperiuntur, aut flosculos suos stamineos explicant, sed duntaxat eorundem apices ostendunt, dilutè rubentes. *Folia* huic ad radicem primò erumpentia latiuscula sunt, cardui lactei ferè formâ, nisi quod paulò angustiora, & per ambitum magis spinosa. Color totius plantæ, tum caulis tum foliorum, cinereus aut albicans seu canus.

In aggeribus fossarum & locis ruderatis, priore tamen minùs frequens. *Locus.*

Addit J. Bauhinus, (qui plantam hanc accuratè describit) folia cano tomento obsita esse, potissimùm inferius: supernè enim (inquit) prævalet viror, inter candorem tomenti interlucens.

A. 4. *Carduus palustris* C. B. Park. *polyacanthos* 3. Ger. emac. **Marsh Thistle.** *An Onopyxos alter* Lugd.

Humanam altitudinem æquat & non raro superat, *radice* simplici, pluribus fibris albis cincta & velut comosa. *Caulis* teres striatus, rectus rigidus, foliis creberrimus nullo aut alterno ordine positis ab imo ad summum usque convestitus, & membranis pluribus spinosis secundùm longitudinem excurrentibus crispus, pilis longiusculis hirsutus, solidus, ramosus, ramulis ex alis foliorum præcipuè propè summum caulem exeuntibus. *Folia* pro plantæ modo exigua, angusta, profundè laciniata, laciniis in spinas acutas exeuntibus, purpurascentia, ut & caulis, aversa potissimum parte, secundùm costam hirsuta. *Capitula* in summis caulibus & ramulis plurima, parva, squamosa squamis non extantibus sed arctè junctis & appressis, in spinulas breves vix conspicuas desinentibus, purpurascentia, ad tactum glutinosa. *Flores* purpurei è plurimis flosculis arctè stipatis aggregati, stylo in singulis, [flosculis] è theca obscuriùs purpurea extante pallidiore Capitula pediculis admodum brevibus aut nullis innituntur. Odor florum valdè remissus & languidus. *Semen* pappo involutum, album, exiguum. Nullibi apud nos quam in palustribus & pratis aut pascuis humidis oritur adeóque altitudine sua & loco natali ab aliis omnibus Carduis dignosci & distingui potest. Descriptiones quæ occurrunt Carduorum apud plerosque Botanicos breves sunt & obscuræ nimium, ut suspicer ipsos Carduorum species non rectè distinxisse aut probè intellexisse. Floris color in hac specie non raro variat, & ratione soli, ut puto, in album degenerat.

* 5. *Carduus pratensis polycephalos angustifolius* C. B.

C. B. prod.

Radicem habet lignosam, fibrosam: *caulem* cubito altiorem, rotundum, striatum, spinis carentem, cujus summitas in plures semipalmares ramulos, & hi quandoque in breviores dividitur. *Folia* sunt pauca angusta & brevia, spinis oblongis armata: capitula plura, parva, quibus minima subjiciuntur, exiguis spinulis prædita, & *flos* Jaceæ similis, ex staminibus purpurascentibus compositus insidet, qui similiter in lanuginem abit.

* In pratis Michelfeldensibus frequens occurrit. *Locus.*

* *Carlina polycephalos alba* C. B.

C. B.

Ad bicubitalem altitudinem excrescit, cujus folia superiora candida sunt. Apud Helvetios in pascuis provenit. Hæc C. Bauhinus in Pinace. Nobis incognitus est.

A. 6.

A. 6. *Carlina acaulos minore purpureo flore* C. B. *Carl. acaulis minor purp. flore* Ger. emac. *Carl. ac. Septentrionalium* Park. *Chamæleon exiguus Tragi* J. B. **Dwarf Carline Thistle.**

J. B.

Folia in orbem per terram spargit Carlinæ, profundè laciniata, hirsuta, atrovirentia, aculeis horrida: inter quæ aut nullo aut brevi *caule* unciali vel sescunciali, hirsuto insidentia enascuntur *capitula* oblonga in glandis formam, minora quàm Carlinæ, squarrosa, nec ullis spinis armata; è quibus *flores* emicant purpurei. *Radix* minimi digiti crassitudine, longa, fibris aliquot crassiusculis donata obliquè agitur, colore subrubente, præsertim intrinsecus, sapore aliquantùm aromatico.

Locus. In montosis & ficcioribus petrosisque locis non infrequens est.

Suspicatur J. Bauhinus hoc genus Cardui esse quod Monachi in Mesuem *Coronam fratrum* appellant, quia caput magnum stat tanquam Pater seu Abbas, Capitula verò, tanquam filii ejus & fratres, in modum coronæ Patrem circumstant.

* 7. *Hacub sive Silybum quibusdam* J. B.

Rauwolf.

Primo vere asparagos protrudit, quos incolæ secant, nostratiúmque in modum coquunt ac comedunt. Tota planta Carlinæ nostrati apprimè similis est, major tamen eâ, altiorémque erigit scapum, cui in summo *capitula* insident spinosa, ex quibus *flosculi* emicant rubelli.

Locus. Circa Halepum locis præsertim aridis asperis provenit.

Vires. Radix infusa potaque nauseam parit ac vomitum, ventriculóque inappetentiam imprimit.

Cùm plantam hanc Rauwolfius Carlinæ simillimam dicat, florésque rubellos ei attribuat, nescio ubi eam commodiùs disponerem, quàm hoc in loco post Carlinam acaulon dictam. Si Carlinæ sylvestri aut humili similis sit, & florem habet barbulis planis cuspidatis circundatum alterius loci erit.

A. 8. *Carduus vulgatissimus viarum* Ger. *ceanothos, sive viarum & vinearum repens* Park. *vinearum repens folio Sonchi* C. B. *serpens lævicaulis* J. B. **Common way-Thistle; or rather creeping Thistle.**

Radice albente, fibras obiter emittente sub terra reptat, & immensum se propagat; *caules* subinde emittens cubitales & sesquicubitales, teretes, striatos, prope terram hirsutos, & spinulis nonnullis præditos, non tamen, ut in præcedentibus, membranis spinosis per totam longitudinem alatos, medullâ farctos, crebris foliis vestitos. *Folia* autem laciniata sunt, & per margines sinuata seu undulata, & spinosa, supernè obscuriùs viridia & splendentia, infernè pallidiora. Summos caules, & ramulos terminant *capitula squamosa*, squamis appressis & arctè incumbentibus, in spinulas brevissimas desinentibus, purpurascentia, parva, Cardui palustris similia, sed tantillo majora. Flores à flosculis densè stipatis, pallidè purpurascentibus compositi. Semina parva, fusca aut obscurè olivacea. Floris color in hac specie non rarò variat. Caulis pars superior in corpus quoddam crassum ovalis ferè figuræ excrescit nonnunquam, insecti cujusdam matricem.

Locus. Carduus hic in arvis nimis frequens, nec rarus in incultis & secus vias; profundè sub terra repit, unde & difficulter admodum extirpatur.

Hanc speciem C. B. bis térve ponit sub diversis titulis; 1. sub titulo superiùs posito; 2. sub titulo Cardui in avena provenientis, ut ex synonymis patet; 3. sub tit. Cardui spinosissimi capit. parùm aculeatis.

Usus. Cineres omnium optimi & firmissimi pro vitris conflandis sunt quæ è Carduo viarum vulgatissimo fiunt [in Anglia intellige] quamvis & alii Cardui quicunque huic usui satis commodè inserviunt: Carduis bonitate proximi sunt Lupulorum cauliculi tortiles floribus decerptis. Horum duorum utilitas noviter inventa & observata est. Videntur autem plantæ spinosæ & aculeatæ optimum & copiosissimum in suo genere omnium salem præbere. D. Merret observat. in Anton. Neri de Arte Vitraria. Hæc habui à *D. Tancred. Robinson.*

CAP. V.

De Carduis foliorum laciniis extremis in longos mucrones productis, seu lanceatis.

A. 1. *Carduus lanceatus* Ger. *lanceatus latifolius* C. B. *lanceatus latifolius sive major* Park. *lanceolatus sive sylvestris Dodonæi* J. B. **Spear-Thistle.**

Caule surgit bicubitali & altiore, tereti, pollicem crasso, intus concavo, hirsuto, membranis aliquot secundùm longitudinem productis, spinosis, sagittæ ferè in modum alato, foliis crebris alternatim positis vestito. *Folia* autem quàm præcedentium majora sunt, in profundas lacinias divisa, extremis in spicula prælonga hastæ cuspidi similia desinentibus, singulis insuper laciniis mucronatis & in spinas acutas exeuntibus. Ex alis foliorum egrediuntur ramuli, in quibus ut & in summo caule existunt *capitula* plura grandia, Juglandis ferè magnitudine, & oblonga, è lata basi in angustum sensim coacta, squamosa squamis extantibus & interdum reflexis, in spinulas

las acutas, mitiores tamen, desinentibus. *Flores* magni, purpurei, è flosculis densè stipatis compositi, odore nullo aut valdè languido. *Semen* oblongum nitidum, pappo involutum. J. Bauhinus folia palmum unum aut duos longa, infra supráque hirsuta, sed densiore candidioréque lanugine inferiùs donata ei ascribit.

In incultis & ad sepes ubique ferè provenit. *Locus.*

2. *Carduus lanceolatus ferocior* J. B. **White flowered fiercer Spear-thistle.**

Calidarum hic regionum est, Galliæ Narbonensis & similium. *Folia* eâ ipsâ ferè divisurâ quâ lanceolatus nobis dictus, sed multò rigidiora ac penitus adversâ parte atque per ambitum spinulis densè obsita: aversâ verò quà nervus rigidus seu costa in supremam spinam fatiscens, lanugine quadam obsita sunt, sed modicâ. *Caulis* etiam crassior est, firmiórque sicut Cardui capite tomentoso. At quæ in summo sunt capita, terna plus minùs, quæ & ipsâ lanceolati capitibus majora sunt, minora quàm in prædicto tomentoso capite, ità spinarum obseptu horrent, ut tutò eas ac temere contrectare non sit.

Primò hunc invenimus propè *Fontem* quem vocant *ardentem*, à Gratianopoli duabus circiter leucis; deinde itinere ab Aurantia ad Nemausum; tandem propè montem S. Lupi, tribus circiter leucis Monspelio distantem. Est autem ei flos colore albus, & major quàm lanceolato vulgari. *Locus.*

Carduus lanceolatus parvus *J. B.* à superiore non aliter differt, quàm quòd omnibus partibus minor sit, non tamen ità ferox.

A. 3. *Carduus tomentosus, Coronæ fratrum dictus* Park. ejusdémque *Carduus tomentosus Anglicus. Card. capite tomentoso* J. B. *Car. eriocephalus* Ger. emac. ejusdémque *Card. globosus capitulo latiore. Card. capite rotundo tomentoso* C. B. ejusdémque *Carduus tomentosus capitulo majore.* **Woolly headed Thistle.**

Tomentoso, striato *caule*, crebrísque ramis stipato ad duos aut tres quatuórve cubitos assurgit, qui licet non sit spinosus, vix manu potest attingi propter foliorum aculeos. *Folia* cubitum longa, tomento villoso inferiùs incana, superiùs atrovirentia & Echii modo aspera, ex pluribus foliis minoribus, quæ ex certis intervallis quaterna, utrinque sc. bina altero antrorsum, altero retrorsum posito conflata, spinis longis, rigidis, acutis minacia. Caput pugillari lapidi æquale, latum, squamis parvis, longis & spinis parùm mordacibus densissima lanugine intertextis. Flos ex ejus summo emicat, constans multis staminibus, & diversis coloribus, qualibus Hyacinthus Fuchsii maximus, violaceus & cœruleus: apices involvuntur vaginulâ albâ, quæ sua albedine pulchrè hunc florem ornat; hanc vaginulam alia circundat purpurea in quinque apices [rectiùs lacinias] divisa. Sub floribus caro alba grati & aromatici saporis. Semen lubricum, cineraceum striatum, oblongum, modicè compressum, dulce, tomento implicitum. Radix crassa, gustu non ingrato, sed aromatico, quali etiam caulis & foliorum, si excipias medullam albam siccam & insipidam. Ubi capita excinduntur appareat lacteus succus.

In montosis & interdum etiam campestribus sed rariùs occurrit: ut v. g. propè *Madingley* vicum Cantabrigiâ non longè, itémque circa *Childerley, Kingston,* &c. in eodem Cantabrigiæ comitatu. *Locus.*

Lobelius duplici icone & titulo hujus plantæ in *Icon. Plant.* propositis, alterâ malâ *Adv.* titulo *Cardui tomentosi Adversariorum,* alterâ meliore, titulo, *Cardui tomentosi, Coronæ fratrum herbariorum,* Botanicos nostros decipit, ità ut ex una planta duas facerent. Mala icon *Adversariorum* poterat omitti (inquit J. Bauhinus) imò debebat.

Hujus capitula antequam flores erumpunt aquâ decoquunt nonnulli, cúmque butyro & pipere condita Cinararum in modum mensis secundis adjiciunt & in deliciis habent. *Usus.*

Cap. VI.

De Carduis nonnullis ambiguis & incertæ positionis.

1. ONopyxos alter *Lugd.* Hunc C. Bauhinus Cardui spinosissimi IV. speciem facit, titulo *Cardui spinosissimi capitulis parum aculeatis:* J. Bauhinus dubitat annon sit Carduus viarum vulgatissimus. Ego mallem J. Bauhino assentiri quàm studiosis crucem figere, & Entia sine necessitate multiplicare.

2. Carduus Chondrilloides Dalechampii *Lugd.* &

3. Carduus aræophyllos Dalechampii *ejusdem,* cùm nec nobis cogniti sint, nec alii cuiquam post eum Botanico (quod scimus) descripti aut etiam visi, eorum descriptiones omisimus, quas qui desiderat, Historiam Lugdunensem adeat.

CAP. VII.

De Carduis leucographis seu lacteis lineis notatis.

A. 1. *Carduus Mariæ* Ger. *Mariæ vulgaris* Park. *Marianus, sive lacteis maculis notatus* J. B. *Card. albis maculis notatus vulgaris* Park. **Common Milk-Thistle or Ladies Thistle.**

J. B.

UNdulato macularum lactearum virescentiúmque discursu variata *folia*, lata longáque conspiciuntur, sinuata & sævis aculeis horrentia, nitida, glabra. *Caulis* digitalis, striatus, lanugine villosa incanus, duos aut tres cubitos altus, in ramos dividitur plures. *Echini* intractabiles, rigidissimis acutissimísque spinis armati, Scolymi mediocris magnitudine, callosâ squamarum cartilagine, dulci, vescâ, *florum* purpurascentium stamina explicant, quibus *semen* succedit Carthami. *Radix* longa & crassa, esculenta.

Locus. Ad agrorum margines, & in aggeribus fossarum non rarò occurrit.

Vires. Eisdem viribus dotatus esse creditur quibus Carduus benedictus. Nobis culinaris potiùs quàm medicinalis videtur. Decoctum ejus datur utiliter ad jecinoris & viscerum infarctus & remorantes urinas: quare confert Hydropicis, ictericis & nephriticis. *Matth.*

Aqua è foliis destillata laterum morbo medetur. *Trag.* extrinsecus præcipui usûs est in phagedænis, nomis & ulceribus erodentibus, si linteamina probè humectentur aquâ illâ, & ulceribus imponantur.

Semen in emulsionibus crebri est usus. *Schrod.*

Semen moderatè calidum esse & tenuium partium citra omne dubium pronunciamus; cujus insignis est usus in pleuritide & laterum punctionibus: remiscetur autem plerunque aliis seminibus ex quibus emulsiones fiunt.

Folia tenera demptis aculeis non incommodè oleribus adduntur. Apud nos in Anglia frequenter in hortis seritur ad acetaria & usus culinæ.

2. *Carduus leucographus hirsutus capitulo minore* Moris. *Mariæ hirsutus non maculatus n. d.* P. B.

Folia edit longiora & angustiora, obscurè maculata; secundo ab exortu anno *caulem* emittit bipedalem aut tripedalem, in cujus cymis nascuntur capita minora, purpureos ferentia tubulos seu flores; quibus fatiscentibus succedunt *semina* rotunda, crassa & solida. Semine perfecto planta radicitus interit.

A. 3. *Carduus Mariæ non maculatus.*

Non alia in re à vulgari Carduo Mariæ differt quàm quòd folia edat maculis destituta.

Hanc plantam mihi ostendit *D. George Horsnell* circa *Clarkenwell* propè Londinum.

4. *Silybum majus annuum* Park. *Carduus lacteus peregrinus major, semine fusco.* **The greater outlandish Milk-thistle with brown seed.**

Park.

Unico assurgit *caule*, bicubitali aut altiore, tereti, *foliis* vestito quàm Cardui Mariæ vulgaris minoribus, lineis lacteis paucioribus notatis, ad margines laciniatis, spinis rarioribus cinctis. Caulis inferiùs paucos vel nullos emittit è lateribus ramulos, verùm summa parte, in fastigio & surculis è supremis articulis exeuntibus, tria quatuórve *capitula* sustinet spinosa, quæ in *flores* se aperiunt purpureos, stamineos, quibus succedunt *semina* majuscula, fusca, in medio pappo latitantia. *Radix* longa, maturo tamen semine exarescit & interit.

Locus. In Sicilia & Melita insulis sponte & copiosè provenit. Ex semine Londino misso nobis olim Cantabrigiæ succrevit & floruit.

* 5. *Carduus lacteus peregrinus Camerarii* J. B. *albis maculis notatus exoticus* C. B. *Silybum minus Bæticum* Park. **The small Spanish Milk-thistle.**

Park.

Folia inferiora, quæ à radice primò exeunt, latiuscula sunt, nec altè ad margines incisa, pallidè viridia, lituris & lineis albis tenuioribus minoribúsque notata, pediculis oblongis prædita: quæ verò *caulem* vestiunt inferiora, nonnihil longiora sunt, versùs extremum latiora, ad basin angustiora, caulem amplectentia, ad margines paulò altiùs incisa, & spinulis acutis munita; superioribus foliis paulatim adhuc profundiùs sectis, & minoribus summis caulibus insident *capitula* parva, è quorum meditullio erumpunt *flosculi* arctè stipati, purpurascentes; quibus delapsis succedunt *semina* parva, alba, pappo involuta, qui ob gummi quoddam albicans, pellucidum, è capitulo exudans, adeò tenaciter eis adhærescit, ut difficulter admodum divelli & separari possint, præsertim postquam semina maturuerint, & gummi Solis calore concreverit. *Radix* parva, lignosa, annua.

Hoc genus ut & superiùs Parkinsono succrevit ex semine Hispaniâ delato per Gulielmum Boelium.

Dubitat C. Bauhinus apud Matthiolum, an hæc planta sit Agavanus Creticus Hon. Belli, de quo infra.

6. *Carduus*

6. *Carduus galactites* J. B. *Spina alba altera Matthioli, & alibi, Leucacantha Monspeliensium Dalechampii* Lugd. J. Bauhinus his Milk-thistle.

J. B.
Radice nititur satis tenui & simplici; *caulem* tollens interdum simplicem, interdum ramosum, cubitalem, striatum, cano villo pubescentem, membranis spinosis pinnatum, cujus summum in surculos aliquot facessit, *capita* sustinentes Avellanæ magnitudinis, squarrosa, quorum singulæ squamæ in longam acutam, invalidam spinam desinunt: hinc flores emicant purpurei, gratiæ suæ post multos annos tenacissimi. *Semen* pappo appenditur, oblongum, lubricum, candidum, amarum. Cæterùm folia palmo longiora, mitiùs aculeata, profundis crebrísque laciniis divisa, imâ parte albidâ lanugine donata, supernâ virescunt, fortuitis maculis lacteis respersa.

Hoc genus Cardui J. Bauhino descriptum, in Sicilia & Melita insulis, inque Italia propè pharum Genuensem, necnon circa Monspelium in locis ruderatis & incultis observavimus. *Locus.*

Cæterùm Leucacantham Monspeliensium *Lugd.* C. Bauhinus Cardui tomentosi capitulo latiore IV. speciem facit, titulo Cardui tomentosi capitulis echinatis, minùs aptè.

CAP. VIII.

De Carduis foliis tomentosis seu incanis.

A. 1. *Acanthium vulgare* Park. *album* Ger. *Spina alba sylvestris Fuchsio* J. B. *Spina alba latifolia tomentosa sylvestris* C. B. Common Cotton-Thistle.

J. B.
TRes quatuórve cubitos altum profert *caulem*, striatum, concavum, tomentosum, cui membranæ per longum adnatæ, valdè spinosæ, sinuatæ, albicante villo obductæ, altiùs extantes; quibus continuantur *folia* sesquipalmaria & dodrantalia, lata, non admodum profundè incisa, sinuata, circa margines spinulis horrentia, similiter utrinque villosa & candida. *Capita* summos caules & ramulos terminant ferè singularia, grandia, plana & in latum expansa, squamosa, squamis in spicula longa acuta & rigida, à capite extantia productis. Spinæ autem in capitulis & foliis fulvæ. *Flores* purpurei, è plurimis flosculis aggestis compositi; *semine* cum pappis sequente Cnici, minore, versicolore, amaricante & acri. *Radix* tenera, alba, subdulcis in adolescente planta, quæ qualitates per æstatem mutantur.

Perit postquam semen maturuit altero à satione anno.

In aggeribus fossarum, ad sepes & in incultis non raro occurrit. *Locus.*

2. *Acanthium Illyricum* Park. *Illyricum purpureum* Ger. *Spina tomentosa altera spinosior* C. B. *Carduus quibusdam dictus Acanthium Illyricum, aliis verò Onopordon* J. B. The more prickly Cotton-thistle.

J. B.
Magnam habet cum præcedente similitudinem: *folia* tomento candicante similiter obducta, profundiùs secta, tota spinis armata. *Caulis* membranis aculeatis alatus, sex septémve cubitorum altitudine [ego neque spontaneum, neque cultum tantæ altitudinis vidi] in ramorum, quos crebros habet, extremo *flores* gerit purpurantes jam dicti Cardui, ex echino etiam simili.

Miror Botanicos ex Illyrico hanc plantam arcessere, cùm non in Italia tantùm & Sicilia, sed etiam in Gallia Narbonensi satis frequens sit; speciatim circa Auriacum sive Orangiam urbeculam copiosam observasse memini. *Locus.*

3. *Acanthio Illyrico accedens capitulis minoribus flexuosis* Moris.

Illyrico adeò accedit ut nisi propiùs intuenti non animadvertatur differentia. *Caules* emittit paucioribus spinis armatos. *Capita* habet minora, quasique cernua & flexuosa.

4. *Acanthium Lusitanicum* Hort. Blæs. *Lusitanicum altissimum* Hort. Reg. Paris. The tallest Cotton thistle of Portugal.

Acanthio vulgari non admodum dissimile est, verùm procerius multò, ut quod ad hastæ ferè altitudinem interdum attollatur: Folia ei magis incana, albidiora, densioreque lanugine obducta: Capita minora quam tanta plantæ magnitudo & statura promittere videatur.

Carduum hunc Cantabrigiæ olim in hortulo nostro aluimus, è semine Londino accepto ortum.

CAP. IX.

De Carduis quibusdam exoticis singularibus & sui generis.

* 1. *Acanus Theophrasti* Park. *Agavanus Cretensium fortè Acanus Theophrasti* Honor. Belli *Epist. 5. ad Clusium.*

Bellus.

PLanta est spinosa, *folia* habens aliquantulum lata & spinosa; *Caules* bicubitales aut tricubitales, in quibus *capitula* Echini æmula è foliorum quæ caulem ambiunt cavis, ut & extremo caule exeunt: in quibus *flores* obsoletæ purpuræ, deinde *semen* rotundum, aliquantulum compressum, Cannabis semen colore æmulans.

Vulgaris est notitiæ in Creta, & antequam in caulem abeat comeditur.

Hanc stirpem Acanon Veteribus dictam fuisse judicat Bellus, (à qua reliqua spinarum genera *Acanacea* nuncupata) conjecturis non despiciendis fretus, quas apud ipsum vide.

* 2. *Carduus spinosissimus sphærocephalus rigidis aculeis armatus* C. B. *spinosissimus sphæroceph. Cardui Arabici nomine missus* Park.

C. B.

Hujus semen C. Bauhino excrevit *caule* crispo cubitum superante, *foliis* latis, longitudine palmum excedentibus, per caulem rarioribus: *Capite* est rotundo, supernè æquali, spinis longis atrociter pungentibus armato; *flore* albo, odorato: in cujus lanuginoso capitulo *semen* continetur striatum & transversim canaliculatum Caucalidis Hispanicæ ferè modo, sed rudius & crassius. Hortis facilè assuescit.

Radix Chamæleontis nigri cum æquali pondere Piperis & ceræ dentes vacillantes confirmat & dolores aufert. Ex Observationibus Marcelli Cumani à G. Hier. Velschio editis excerpsit & transmisit *D. Soame.*

* 3. *Chamæleon niger Dioscoridis Maranthæ* J. B. *niger verus* Park. *niger umbellatus flore cæruleo hyacinthino* C. B. *Chamæleon niger* Ger. The true black Chameleon Thistle.

Maranta.

Huic *umbella* est spinosa, tam grata aspectu cùm floret, ut nihil pulchrius videri possit. Est enim umbella loculis sive siliquis oblongis, densissimis acutarum spinarum circumseptis plena, in quibus *flores* purpurei, oblongi, intùs candidi, tenues, Hyacinthi æmuli supereminent: sed illa siliqua spinosa semen occludit Cnico simile adhuc virentibus in ea floribus, quod tandem illis decidentibus maturescit. *Folia* vario colore maculis inspersa. *Caulem* habet purpureum dodrantali altitudine, *radicem* fuscam foris, intus radicis Aristolochiæ longæ colore, atque inter mille vix unam atque alteram vidimus, quæ non sit carnosa, quanquam Diosc. interdum exesam esse tradit. Acerrimi gustûs est, sed commanducari oportet.

Hujus umbellata coma in aliis candicans, aliis ad cœruleum inclinans, aliis virescens reperitur, antequam flores dehiscere incipiant, folia quoque rubescentia, sicut & caules in nonnullis plantis.

Locus. In Apuliæ finitimis ac multis aliis locis, in campestribus & siccis Chamæleonem suum nigrum maxima ubertate provenientem sæpiùs collegit Marantha. Columna quoque ibidem provenire eum attestatur. Bellonius in Græcia invenit, déque eo hanc Historiam narrat. Cùm Chamæleonis nigri radices apud pagum quendam in insula Lemno, *Livado chorio* nuncupatum, erui curaremus, plurimi Græci & Turcæ spectatum venerant quid ageremus: eas verò frustulatim sectas filo trajiciebamus, ut faciliùs exsiccari possent. Turcæ in eo negotio occupatos nos videntes, similiter radices tractare & secare voluerunt. At cùm summus esset æstus, & omnes sudore maderent, quicunque eam radicem manibus tractaverant, sudorémque abstersérant, aut faciem digitis scalpserant, tantam pruriginem in locis quos attigerant postea senserunt, ut aduri viderentur, in tantum ut nec squillæ nec Urticæ ullæ centesima parte ità adurerent; prurigo tamen non adeò celeriter se prodit. Post unam vel alteram horam singuli variis faciei locis cutim inflammatam habere cœpimus, ut tota sanguinea videretur: atque quò magis eam confricabamus, tantò major excitabatur prurigo. Fonti assidentes sub Platano pro ludo habuimus initio, & risimus: at illi plurimùm indignati sunt, & nisi asseverâssemus nos nunquam expertos tali virtute eam plantam pollere, haud dubiè malè nos mulctâssent. Attamen nostra excusatio fuit ab illis faciliùs accepta, cùm eodem incommodo nos affectos conspicerent.

Ex his (inquit *J. B.*) apparet, quòd ex instituto muliercula apud Marantham faciant, quæ radicis succo pectines inficiunt ad puerorum pediculos enecandos.

4. *Polyacanthus*

4. *Polyacanthus Casabonæ Acarnæ similis* J. B. *An Acarna Theophrasti* Ger? *Theoph. Anguillaræ* Lob? *Ac. major caule non folioso* C. B. Park? **The supposed true Fish-thistle of** Theophrastus.

J. B.

Pulcher est Carduus, bicubitalis circiter, per cujus *caulem* rotundum, album, lævem, ramósque *folia* dodrantalia ac etiam longiora, unciali latitudine, acuminata, supernè ex atro virore splendentia, infernè tomento candicante obsita, denso, presso, nec nisi scalpello, aut alia ejusmodi re tentes radere conspicuo, æquabili marginum circumscriptione, nisi prohibeant spinulæ flavescentes, mordaces, quæ ex intervallis binæ, ternæ aut quaternæ, rariùs singulares, in quas nervi desinunt, qui obliquè à magno secundùm longitudinem decurrente nervo in oras exporriguntur. *Semen* parvum, oblongum, lucidum, nigricans. *Folia* superiora interdum lata unciam etiam & semis & capita abundant rigidis spinis. Frigoris est impatiens.

D. Casabona Herbarius Ducis Florentiæ semen misit ad J. Bauhinum, cui provenit.

Ferrantes Imperatus florem azureum ei attribuit. Lobelius Acarnam Theoph. Anguillaræ, quam Valerandus Doureus Justinopoli Illyriæ detulit sic describit. Flaventibus aculeis horridus est, virentibus sinuatis foliis, aversa parte tomento incanis uti tota planta. Plures fundit sesquicubitales *caules*, floribus luteolis, semine Cnici sed minore in squamoso & spinis horrido capitulo.

Si Lobelius Acarnam suam rectè describit, *foliis sinuatis, floribus luteolis*, oportet omnino ut ab Acarna Theoph. *Imper.* quæ eadem est descriptæ, specie differat. Ego verò Lobelio non multùm fido, qui solet interdum vel ex memoria, vel ex conjectura plantas describere.

* 5. *Acarna flore luteo* J. B. *Acarna Valerandi altera* Lob. ejusdémque *Pycnocomos Cretæ Salonensis, ut suspicatur uterque Bauhinus. Acarna humilis caule folioso* C. B. Park. *Acarna Valerandi Dourez* Ger. emac. ejusdémque *Pycnocomos: qui tamen cum Bauhino sentit eandem esse plantam.* **The low Fish-thistle with winged stalks.**

J. B.

Radicem demittit sesquipalmarem, crassiusculam, albam, fibras raras è lateribus producentem; quæ circa caput grandescit, *coliculos* emittens plures, patulos, per terram sparsos, duarum triúmve aut etiam quatuor ferè unciarum, variè divaricatos, lanugine alba tectos, membranaceis appendicibus numerosis, spinosisque secundùm longitudinem alatos. *Folia* creberrima extremis potissimùm ramulis, unius aut duarum unciarum, non totam semunciam lata, incana lanugine utrinque pubescentia, nonnihil sinuata, non tantùm infesto mucrone luteo, rigido, longo minacia, sed & pari feritate spinas è marginibus jaculantia. *Capita* oblonga occultant densæ foliorum phalanges, lanuginosis squamis imbricata, ex pappo candicante pendente semine oblongo, Cnico simili, multo minori, minùs candido & striis nigricantibus variegato.

Lobelius flores ei Cardui benedicti æmulos, minores, Senecionis majores, attribuit. J. Bauhinus è planta à *Valerando Dourez* missa, & (ut puto) sicca descripsit nec florum coloris meminit: Lobelius caulem dodrantalem & interdum cubitalem esse scribit.

Reperitur in Illyria, & copiosè in insula *di Leseno, Anguil.* Lobelius Picnocomon suam invenit in *Creta Salonensi* prope diversorium *S. Martini*. Ego facilè inducor ut credam Picnocomon Cretæ Salonensis *Lob.* Acarnam Valerandi alteram *ejusdem*, & Chamæleonem Salmanticensem *Clusii*, unam & eandem specie esse plantam: Obstat quòd Lobelius flores luteos Picnocomo suo attribuat, cùm Chamæleonis illius Clusii flores purpurascant. Verùm potuit Lobelius fortè memoriæ nimium fisus, aut plantam cùm jam defloruerat colligens, in florum colore errare. Fortè etiam floris color pro diversitate loci variat; quod tamen non credo, cùm istiusmodi varietatis in floribus vix detur exemplum, in eadem specie sci. lutei & purpurei. *Locus.*

6. *Acarna major caule folioso* C. B. Park. *Acarnæ similis flore purpureo, Chamæleon Salmanticensis Clusii* J. B. *Cham. nig. Salmanticensis* Ger.

Clus.

Ex Acanaceorum genere est hæc planta. *Caulem* pedalem habet, interdum etiam cubitalem, multis alis sive ramis concavum, striatum & quasi φυλλῶδη, durum tamen & firmum: *folia* numerosa, longa, angusta, candicantia, spinis horrida. Summis ramis umbellæ quædam, ex quinis aut senis calyculis sive capitellis spinosis constantes innascuntur, in quibus *flos* purpureus, dilutior, maturo semine subinde in pappum evanescit, reliquorum Acanaceorum more. *Semen* est Cnici seminis forma sed minùs, foris subnigrum aut cinerei coloris, intus candidum dulce. *Radix* nigra, dura, si gustetur dulcis. Tota planta ἀκανθώδης est, & firmarum spinarum vallo munita.

Agro Salmanticensi frequens est. Nos eam propè montem S. Lupi, non longè ab oppidulo *S. Lupian* dicto, itémque juxta vias non procul oppidulo *Vic* in valle Frontiniana invenimus. *Locus*

Planta hæc ortu, folio, totâque facie Acarnæ præcedenti admodum affinis est, & fortè eadem, inquit Lobelius, cujus sententiæ & nos libenter subscribimus.

* 7. *Leo ferox* Ger. *Acarnæ affinis Leo ferox* J. B. *Acarna minor caule non folioso* C. B. *Ac. min. caule non folioso, sive Leo & Carduus ferox* Park.

Hunc totius Acanacei generis facilè phœnicem, *Leonem ferocem* dixère nuperi à spiculis & infestissimis spinis: nihil enim aliud è *foliis* altiùs divisis & capitulorum exordiis quàm spicula & vepres,

pres, unciam & sescunciam longas videas. *Cauliculus* vix palmum æquat: *flos* Cnici sylvestris, pallidus, spinis & aculeis sævientibus, horridisque cinctus.

Planta rara & vix nota, nullius propterea usûs. Audit tamen Lobelius quibusdam aridis collibus Italiæ, ab Apennino non ità dissitis magno proventu gliscere. Hæc omnia Lobelius, è cujus *Observat.* reliqui Botanici transcripserunt quicquid de eo habent. At Lobelius quam vix notam scribit, descriptione sua non multò notiorem facit.

8. *Carduncellus montis Lupi* J. B. *Eryngium montanum minimum, capitulo magno* C. B. *Carduus Eryngoides sive Carduncellus montis Lupi* Park.

J. B.

Statim è *radice* simplici complura nascuntur *folia*, duas uncias aut palmum longa, rigidula, in lacinias spinosas, semunciales, longiusculè distantes divisa, Cardui stellati foliis similia. *Caulis* plurimùm nullus, aliquando sesquipalmaris, *foliis* paucis minoribus vestitus, brevi lanugine subhirsutus, *caput grande* in cacumine gerit, unicum, oblongum, rigidis, nervosis, spinosisque foliis obsitum, quibus squamæ oblongæ & innocentes subsunt, *pappum* coercentes, quam *flos* purpureus marcescens relinquit.

Locus. In planitie propè montem Lupi, versùs Meridiem copiosum observavit & collegit Cherlerus.

Hujus alia seu species, seu varietas in horto Regio Paris. colitur *Eryngii montani minimi mitioris capitulo magno* nomine.

9. *Carduus parvus* J. B. *Creticus minimus* Park. *Carlinæ sylvestris alia species* Clus. cur. post. *Acarna capitulis globosis* C. B.

J. B.

Pulchellus hic Carduus longiusculâ sed gracili, non fibrosâ *radice* nititur, à qua *caulis* exurgit plerunque singularis, tenuis, palmaris & altior, in ramos divisus, per quos *foliola* uncialia, culmum lata, spinulis per margines donata, hirsuta. *Capitula* extremis ramulorum hærentia, inter reticulatos pinnatorum foliorum cancellos conclusa, Cyani capitulis minora. *Folia* ad radicem [multa,] angusta, oblonga, [per oras incisa & spinosa] *Flores* [cœrulei] non multùm se aperiunt aut expandunt, quibus succedunt *semina* parva, alba, pappo inclusa.

Locus. Circa *Puzzallu* arcem Siciliæ in pascuis sterilioribus eum invenimus; Boelius in Hispania, in arvis.

Capitula ramulis insidentia supra medium quod cauli summo insidet, altiùs attolluntur, ut in Impia Plinii; omnia è multis angustissimis foliolis utrinque longiusculis spinis armatis composita, è cujus umbilico (ut inquit Clusius) exilit *flos* flavus: Et revera nobis etiam flos (qui tamen jam prætererat) flavus videbatur, quem Parkinsonus, è quo J. Bauhini descriptionem supplevimus (quæ de floris colore nihil habet) cœruleum esse affirmat; cui potiùs fidendum quàm Clusio qui siccam duntaxat plantam in sportulis Gulielmi Boelii, inter plantas quas in Hispania legit, conspiciebat. Parkinsonus hunc bis ponit, 1. Sub titulo superiùs allato, 2. Sub titulo Acarnæ globosis capitulis.

10. *Carduus minimus* Alpin. exot. *mihi non videtur à præcedenti differre, quamvis nec icon, nec descriptio (quam idcirco subjiciemus,) conveniant.*

Alpin.

Elegantissima est planta, quæ ab una *radice* longa, tenui, ad palmarem altitudinem assurgit, *foliis* longis, Olivaceis, Atractylidis similibus, sed minoribus & mollioribus, spinulis tamen armatis, *caulibus* verò multis, obliquè exeuntibus, quorum qui libet utrinque duos surculos, sed inæquali intervallo è caule exeuntes habet, in quorum medio *calyx* echinusve brevi pediculo, cæteris major, Atractylis echino non minor, exteriùs spinulis multis numero, plerunque tredecim, tenuissimis, per longum ipsum calycem vestientibus armatus; tantóque artificio iis spinulis tenuissimis reticuli modo à natura elaboratis, ut vix aurifex peritissimus id opus efficere potuisset. Hic echinatus calyx suo brevi pediculo inhæret, cum tribus foliolis oblongis [quinque appinxit in icone] olivaceis, spinulis armatis, ferè stellæ modo actis: singuli verò alii cauliculi in apice ferunt eosdem calyces spinosos, sed illo qui in medio ipsorum sit minores, qui omnes inhærent surculis, ceu suis pediculis è caule exeuntibus, sed calyx in medio eorum qui sit, breviori longè pediculo inhæret quàm utrinque positi. Calyces verò dehiscentes *florem* parvum, qui nunquam latè dehiscit Atractylis modo, proferunt, cœruleum, qui *semina* producit in pappo, parva, alba, suis staminibus inhærentia, uti in Atractylide, quæ calycibus latè dehiscentibus in aere evolant.

Usus. Calyces echinatos, nondum dehiscentes, teneros & dulces Cretenses, apud quos nascitur, avidissimè comedunt, inquiúntque non segniter Venerem excitare.

Cap. X.

De Carduo stellato.

Carduos stellatos voco plantas capitatas, capitulorum squamis in aculeos rectos, oblongos & plerunque rigidos exeuntibus: foliis non spinosis.

A. 1. *Carduus stellatus* Ger. Dod. *stellatus sive Calcitrapa* J. B. *stellatus foliis Papaveris erratici* C. B. *stellatus sive Calcitrapa vulgaris* Park. **Common Star-thistle.**

J. B.

Cubitum & sesquicubitum altus est *caulis* angulosus, subhirsutus, alis multis concavus. *Folia* satis mollia, pedem aliquando longa, aliquantùm incana, profundè in lacinias inconditas dissecta. *Capitula* extremis hærent ramulis, glabra, Cyani capitulis æqualia, singulis squamis in unciales & sescunciales, rigidas mordaces, rectà foràs minantes spinas desinentibus, ut radiatam stellam imitari videantur. *Florum* stamina purpurea, rariùs alba. *Semen* lubricum, parvum, oblongum. *Radix* digitum vel magis crassa, mollis, succosa, nervum habens, ut aliæ radices, duriusculum, colore albescens, longa pedem, Raphano similis Columnæ.

Juxta vias publicas, circa oppida & pagos, inque incultis & sterilioribus non in Anglia tantùm sed & exteris regionibus frequens est.

Apud nos non assurgit in altitudinem, sed frequentibus ramis in latitudinem diffunditur.

In aqua hujus stillatitia albas rosas vel fungum Sambucinum, vel contra flores Calcitrapæ in aqua Rosarum albarum macerare, & applicare palpebris cataplasmatis instar sum solitus, & quidem optimo cum successu. *Sim. Pauli.*

* 2. *Carduus stellatus latifolius caulescens* C. B. *stellatus latifolius* Park.

Folia huic latiora & breviora quàm præcedenti, minùs profundè ad margines secta, paucis aculeis hîc illic ad angulos sitis. *Caulis* ferè simplex nec multùm divisus, paucioribus ramulis, foliis consimilibus obsitis, quos terminant *capitula* parva, rotunda, crassa, alba, aculeis crebris munita, pluribus simul [septem plerunque unà] in stellæ formam dispositis, quorum medius longissimus, reliqui utrinque breviores. E medio capite exeunt purpurea filamenta, ut in reliquis Carduis. *Radix* parva annua.

Planta hæc ad Jaceas capitulo spinoso potiùs referenda videtur quàm ad Carduos stellatos: verùm quoniam mihi incognita est loco movendam non duxi.

3. *Carduus solstitialis mitior Apulus* Col. *An Card. stellatus luteus foliis Cyani* C. B? *solstitialis* Ger? *solstitialis Dodonæi* Park? **S. Barnaby's Thistle.**

Col.

Ex *radice* parva, pulla, dulci, ac gravi sapore & odore Calcitrapæ dictæ, lignosáque *folia* emittit in orbem disposita, parùm è terra elata, semipedali longitudine aut majore, divisuris æqualibus, raris, sinuosis, Hieracii Apuli magno capite modo, in rotundos & pares ferè lobos quinos divisa, alba, atque brevi hirsutie obsita, albicantia, molliáque. Ex quorum centro *caulis* rotundus, angulosus, bipedalis & major producitur, foliis vestitus, ut ocreatus videatur, ut in congenere lævifolio, albus, hirsutus, multis alis in summo, è foliis angustis degeneribus prodeuntibus divisus, in quibus *capitula* parva copiosa insunt, echinata ut niger Chamæleo *Maranthæ* brevibus aculeis, iisque utrinque aculeatis, pungentibus, sed non ut vulgaris stellatus dictus & Solstitialis. *Flores* lutei sunt atque tenues non illis dissimiles, Maii fine prodeuntes & Junio semina perficientes: atque capita etiam tunc lutescunt.

In incultis Cirinolæ, clivosis aridis copiosa est. *Locus.*

C. Bauhinus plantam hanc Spinæ Solstitiali vulgò dictæ eandem facit, mihi tamen vix persuaserit, cùm J. Bauhinus spinas longas, rigidas luteas Cardui stellati è singularum squamarum mucrone exeuntes *Spinæ* suæ *Solstitiali* attribuat: Columna autem aculeos breves, utrinque aculeatos, non ità rigidos aut pungentes ac sunt Calcitrapæ spinæ, *Carduo stellato mitiori Apulo* ascribat. Verùm integram *Spinæ Solstitialis* descriptionem Bauhinianam subjiciemus: cùm nobis diversæ specie plantæ esse videantur.

4. *Spina Solstitialis* J. B. *Carduus Solstitialis* Ger. *Solstitialis Dodonæi* Park. *Stellatus luteus foliis Cyani* C. B.

J. B.

In frequentes ramos divaricata est, *caule* gracili, bicubitali, albido tomento undique obsito, membranis passim secundùm longitudinem aptatis alato; foliis stipato unà cum ramis ad Cyani folia accedentibus, duarum triúmve unciarum longitudine & longioribus, per superiores ramos vix unciam longis, albicantibus, hirsutis, quæ in florem eunte caule ferè decidunt. *Capitula* Cyani capitulis æqualia, longis, rigidis luteis Cardui stellati spinis, è singularum squamarum mucrone natis, infesta. *Florum* stamina lutea, quæ tandem in pappos evanescunt. *Radix* satis longa, lignosa.

Monspelii in satis nihil abundantius, nec minùs frequens in Italia, unde incremento segetum aliquando officit, & messorum manus pedésque vulnerat. *Locus.*

Tempus. Augusto mense & Autumno floret.

Lobelius *Aurioles* vocat, & expertum pro morbo Regio Remedium esse asserit. Florem atque radicem mirificè prædicant valere in Cachexia, Hydrope, Febribus diuturnis, virginum decolore facie & aliis obstructionibus. Ejus decocto vel destillatâ aquâ rustici utuntur ad coxendicis dolores, punctiones laterum, lienis tumores & sudorem ciendum. *Cam.*

5. *Carduus stellatus Leucoii folio.*

Ad dodrantalem altitudinem assurgit, *caule* tenui, striato, rigido, tomento brevi candicante obsito, ab imo statim ramoso, ramulis crebris è foliorum sinubus exeuntibus, quæ alternatim posita, quatuor aut quinque uncias longa, angusta, supernè obscurè viridia, subtus incana ad margines æqualia, Leucoii lutei vel Salicis folio longissimo similia: Ad singulorum exortum hinc inde spina oblonga, quæ ad latus plerunque aliam brevem habet. Summos caules & ramulos finiunt capitula muricata, prælongis acutis rigidis spinis rectâ extantibus minacia. *Flos* compositus è parvo purpureorum flosculorum fasciculo. Semina pappo involuta latitant, quàm pro plantæ modo majora, per maturitatem leucophæa nullo supremæ parti innascente pappo aut pilis.

Hujus plantæ semen cum Parisiis essem, Anno 1665. mihi communicavit Botanicus insignis *D. Marchand*, locum natalem non dixit, nescio an ipsi cognitum.

CAP. XI.

De Jacea capitulis spinosis.

* 1. *Carduus Eryngoides capite spinoso* Alpin. exot.

Alpin.

F*Olia* habet Eryngii, sed tamen mollia; *caulémque* fert ab una radice rectum, cubitalis ac amplioris etiam altitudinis; in quo folia prædicta raris intervallis posita cernuntur. In summitate verò duo vel tria *capita* profert, magna, rotunda, cactis longè minora, squamis pulcherrimis circum extrema crenatis obsita: inter quas spinæ multæ exeunt stellarum modo, acutæ, albicantes & duræ: *Flores* verò quadantenus Cyanis similes purpurascentes exeunt, è quibus semina cactis similia sed minora, flavescentia. Tota planta, sed maximè capita colore flavescunt. *Radix* crassa, carnosa, quâ indigenæ [Cretæ] libentissimè & crudâ & coctâ vescuntur, libidinísque esse excitamentum affirmant.

* 2. *Jacea lutea, spinosa, Centauroides* C. B. *lutea spinosa Apula* Park. *lævis lutea maxima Centaurioides Apula* Col.

Col.

Radix humum profundè nixa petit, lignosa, dura, longa, corticosa veluti Quercûs caudex, caput habens pilosum nervulis vetustorum foliorum, foris nigrescens & albicans intus. *Folia* quæ primò erumpunt Rumicis æmula, carnosa, dura, lævia, retusiora, magna, longa, lata; quæ deinde in lobos paulatim divisa erumpunt Raphani modo, majora, latiora, Centaurio magno æmula, & Limonii soliditate. *Caulem* habet tripedalem, angulosum, foliis divisurâ Quercûs vel Cerri modo hærentibus alternatim, in summo parùm hirsutum, sicuti & folia parte aversa. *Capita* profert duo aut tria, crassa, magno Centaurio paria, Jaceæ aut vulgaris Cyani squamis compacta, aculeata, & per ambitum insecta lutescentibus spinulis, sed majora sunt omnia: internum verò quod à luteis spinulis sive laciniis sepitur, virescens conspicitur, gratum oculis spectaculum exhibens, ex quibus *flosculi* lutei capillares Carduorum modo emicant. Spontaneum in his capitibus gummi hærens flavum, splendidum. Floruit adhuc Junio: *Semina* deinde perficiuntur, candida, depressa, purpurante pappo. Radicis sapor & odor, Calcitrapæ ingratus fuit.

Locus. Parùm obvia est hæc, nec unquam uno nisi in loco Cirinolæ ortam vidimus, in fossa quadam arginis vineæ depressioris cujusdam propè *Acquamena*, dextrorsùm cùm itur.

Hæc & antecedens planta multa habent communia, & in præcipuis notis conveniunt, ut descriptiones conferenti patebit: diversitas est in florum colore, qui huic luteus est, illi albus; & foliorum superficie quæ illi hirsuta est, huic lævior.

3. *Jacea lutea capite spinoso* C. B. *lut. capitulis spinosis* Park. *major lutea* Ger. *Centaurium collinum sive Jacea spinosa flore luteo* J. B.

J. B.

Rigido & recto surgit *caule*, duorum triúmve cubitorum altitudine, multis alis concavo, striato, anguloso, glabro. *Folia* ramulorum exortui subjecta, alibique per caules & à radice ad Centaurii Collini (cujus species videtur) folia accedunt, duarum triúmve unciarum longitudine, unciam plus minùs lata, in profundas lacinias ad costam usque dissecta, rigida, dura, tactu aspera. *Capitula* extremis hærent ramorum, Juglandis ferè magnitudine, squamis loricata ex viridi flavescentibus, per oras nigricantibus, aliquando lævibus & sui undique similibus, aliquando denticulatis marginibus, interdum in spinam longiusculam, mordacem & nigricantem desinentibus, non-

nonnunquam inermibus. *Florum* ſtamina in orbem explicantur, coloris lutei. *Radix* minimum digitum magnitudine æquat, ſuperiore parte ſubinde comoſa.

Circa Monſpelium & Meſſanam ſatis frequentem obſervavimus. *Locus.*

4. *Jacea lutea ſpinoſa minor foliis in tenues lacinias diſſectis.*

Hujus ramulum duntaxat vidimus inter plantas ſiccas D. *Philippi Skippon*, ubi collectum neſcimus. *Caulis*, ut in hoc genere plantæ ſatis craſſus & firmus erat, *foliis* veſtitus crebris in plurimas longas & tenuiſſimas lacinias diviſis, ramoſus. Summos caules & ramulos occupant *capitula* modica è ſquamis compoſita in breves & imbelles, utrinque hirtas, ex ſpadiceo nigricantes ſpinulas deſinentibus. *Floſculi* lutei ſunt. Hæc ex ſicca.

* 5. *Jacea montana purpurea echinato capite* Park. *cyanoides echinato capite* C. B. *montana echinato capite* Cluſ.

Cluſ.

Molliora ſunt huic *folia* quàm vulgatiſſimæ; quæ ſecundùm radicem ſunt laciniata, ad Calcitrapæ folia accedentia: *caules* cubitales, anguloſi, ſtriati, in multas alas diviſi: capitula hinc indè per ramulos confuſo ordine ſparſa, longiuſcula, quamplurimis ſquamis conſtantia, quæ in mitiores tenuioréſque quàm Calcitrapa aculeos eóſque valdè barbatos deſinunt. *Flos* Jaceæ aut Cardui muricati purpureus: *Semen* non obſervavi: *Radix* Calcitrapæ radicem æmulatur.

Ad montium radices, nonnunquam ſecundùm vias naſcitur in Auſtria inferiore & Stiria. *Locus.*

Dubitat J. Bauhinus, annon hæc eadem ſit *Jaceæ ſuæ latifoliæ, capitulis pulchris, flore purpureo*: nos diverſam cenſemus.

C. Bauhinus Jaceam majorem folio multùm lacinioſo *Ad.* huic eandem facit. Verùm Lobelius hoc titulo Jaceam majorem *Ger.* Centaurium collinum *Geſneri* intelligit: cùm in Anglia frequentem eam eſſe ſcribit inter ſegetes, ubi non alia habetur Jaceæ ſpecies.

* 6. *Jacea capite longis aculeis ſpinoſo* C. B. *flore albo, capite longis aculeis ſpinoſo* Park.

C. B. prod.

Tota planta ſubincana, brevibus & rigidulis pilis hirſuta: *radicem* habet fibris craſſioribus implexam, fragilem, candidam, ſed membranâ ſubfuſcâ tectam: *caulem* cubito altiorem, rotundum, incanum, aſperum, in ramulos inæquales diviſum: *folia* prima & tenella pilis denſioribus, albidioribus, mollioribúſque ſtipantur, reliqua verò oblonga, uncias duas lata, craſſa, rigida, per ambitum profundiùs crenata, nonnunquam ad pediculum laciniata, per quæ fibræ craſſiores albæ tranſcurrunt. Caulis ſummitati *capitulum* ſquamoſum, ex pluribus ſquamis, etiam triginta numero compoſitum, & in conum pini æmulum compactum inſidet, quarum apices in ſpinas oblongas, rectas, ſubflavas & rigidas deſinunt, & ſquamarum oræ firmis pilis albentibus tanquam ſetis undique circundatæ ſunt: inter quos *flos* multis foliis oblongis, laciniatis & candicantibus emergit, cui *ſemen* Cnico ſimile, ſed vulgari majus ſuccedit.

Hæc, inquit C. Bauhinus, à Jacea montana echinato capite Cluſii diverſa eſt.

Ob folia circa margines dentata ſeu ſerrata ad Centaurium majus rectiùs refertur quàm ad Jaceam.

7. *Jacea cum ſpinoſis capitulis purpurea tenuifolia* J. B. *Stœbe ſquamis aſperis* C. B. *An Dodonæo Aphyllantes altera? Capitulis ſpinoſis Jacea* Lob.

J. B.

Caules huic cubitales, ſtriati, aſperi: folia aſpera, anguſta, uncias duas longa, quædam rariùs laciniata, aut cum quibuſdam eminentiis: *capitula* parva, quæ ſquamis conſtant flaveſcentibus, glabris, niſi deſinerent in tres [interdum etiam quinque] ſpinulas. *Floſculi* purpurei.

Circa Monſpelium & alibi in Gallia Narbonenſi copiosè provenit. Obſervavimus etiam in Hetruria. *Locus.*

Caules (quantum memini) valdè ramoſi ſunt, nec eriguntur, ſed in terram reſupini ſolum latè occupant.

* 8. *Jacea tomentoſa capitulo ſpinoſo* C. B. prod. Park.

C. B.

Tota planta quaſi farinâ aſperſa foret albeſcit, & à *radice caulis* pede minor, ſtatim in alas plures diviſus exurgit. *Folia* habet brevia, anguſta, in petiola tria, quina, ſeptena, ſubrotunda diviſa. Cauliculis *capitula* parva ex ſquamis multis in aculeos acutos & ruſeſcentes abeuntibus compoſita inſident.

In Murena Hiſpaniæ inventa fuit. *Locus.*

* 9. *Jacea capitulis hirſutis Boelii* Ger. emac.

Ger. emac.

Plures è radice fundit *cauliculos*, anguloſos, ſtriatos, piloſos, imbelles & humi ſtratos, in multos ramulos ſubdiviſos, tres quatuórve pedes longos, undequaque diffuſos, & ſolum latè occupantes: quibus ad intervalla adnaſcuntur *folia* hirſuta, laciniata, Jaceæ majoris *Ger.* aut Erucæ ferè in modum, ſapore

ſapore amaro admodum. Ramulorum ſingulorum extremis ſingula innaſcuntur *capitula*, ſquammoſa, unaquâque ſquamâ in quinque, ſex, ſeptemve ſpinulas imbelles, tenues, in ſemicirculum diſpoſitas deſinentes. *Flores* pallidè purpurei, è pluribus floſculis, ut in reliquis hujus generis compoſiti, floſculis marginalibus majoribus & longioribus iis qui medium florem occupant, ſingulis in quinque lacinias anguſtas ſectis, cyani non multùm diſſimilibus. *Semen* parvum, pappo incluſum; quo ad maturitatem perducto *radix* exareſcit.

Hæc planta ex ſemine à *Guil. Boelio* accepto D. *Goodyero* Deſcriptionis autori ſuccrevit: ubi illud *Boelius* collegit non meminit: veriſimile autem eſt in Hiſpania aut Africa.

* 10. *Jacea montana incana laciniata, capitulis hiſpidis* C.B.

C. B. prod.

Ex radice *caulis* palmo major, rotundus, molli lanugine caneſcens exurgit, circa quem *folia* pediculis oblongis incanis donata, laciniata & ſubrotunda, tactúque mollia: capitulum parvum, Jaceæ montanæ incanæ aſperæ capitulis hiſpidis.

Locus. Monſpeſſuli in monte Calcaris provenit.

* 11. *Jacea latifolia, ſpinoſis capitulis pulchris, flore purpureo* J. B. *An Jacea purpurea Hiſpanica muricata* ejuſdem? *purp. Valentina muricato capite* Cluſ?

J. B.

Multis ramis brachiata, cubitalibus & longioribus, ſtriatis, anguloſis, ſubhirſutis, tactu aſperis, interdum concavis. *Folia* infima pedalia circiter, palmari latitudine, in profundas, latas, ſinuatas lacinias diviſa, & Cichorii ſylv. ſimilia, hirſuta, aſpera, ſuperiora verò per ramos paſſim multò ſunt minora, Cyani aut Hieracii foliorum diviſurâ & magnitudine, uſque ad ipſum capitulum crebra. Cæterum capitula extremis ramis hærentia turbinata ſunt Cyani aut Jaceæ vulgaris capitulis paria, quorum ſingulæ ſquamæ flaveſcentes aut rubentes, alioqui læves & politæ, in quinque, ſex aut ſeptem radiatas ſpinas, deorſum vergentes deſinunt. *Flores* purpurei tandem in pappos faceſſunt. *Semina* oblonga, Cnico aliquatenus ſimilia, multò minora, variegata: *Radix* craſſiuſcula.

Huic fortè eadem eſt *Jacea purp. Valentina muricato cap.* Cluſ. i. e. *Jac. foliis Seridis candicantibus, purpurea* C. B. *ſupina purpurea capitulis ſpinoſis* Park. cui Cluſius attribuit *Folia* Seridis candicantia: ramos cubitales & flexiles, & in eorum ſummo *capita* ſquammata, *florem* depromentia purpureum: radicem valdè craſſam longámque & glutinoſam.

Plantam huic ſimilem ex ſemine Londino accepto ortam Cantabrigiæ in hortulo meo aliquando alebam, quam puto Pariſienſes in *Catalogo Horti Regii* intelligere titulo *Jaceæ cyanoidis alterius alato caule ſeu Cyani Cretici ſpinoſi Belgarum.* Hujus capitula (quantum memini) grandia erant, quàm Cyani aut etiam Jaceæ nigræ vulgaris majora: ſemina ut in planta Bauhino deſcripta variegata.

* 12. *Jacea ſpinoſa Cretica* Zanoni.

Præcedenti fortè eadem eſt, *Radice* nititur longa, brachii humani craſſitudine, tereti, nodoſa, à medio deorſum versùs in multos ramos diviſâ, eóſque in ramulos minores & rariores ſubdiviſos, cortice craſſo, ſucculento, viſcoſo, colore pullo terræ Umbræ dictæ tectos, medullâ intus albâ, tenerâ. Differt à ſuperiùs proximè deſcripta foliis dimidio anguſtioribus, per oras ſpinoſis, quo altiùs in caule ſitis eò minùs inciſis, adeò ut quæ floribus vicina ſunt integra abſque ullis inciſuris obſerventur.

Integram deſcriptionem videſis apud Jacobum Zanoni *Hiſt. Botan. cap.* 55.

* 13. *Jacea laciniato Sonchi folio, ſive latifolia purpurea capitulo ſpinoſo* C. B. Park. *An Jacea marina Bætica* Park?

C. B.

Radice eſt rectâ, fragili, fibroſâ, membranâ ſubfuſcâ tectâ, & ſi plures caules protrudat brachiatâ [glutinoſâ, diu durante] ſapore ſubauſteriuſculo, ex inſipido ad amariuſculum tendente. *Caulis* utplurimum rectus, hirſutus, brevibus denſíſque villis ſeu lanugine, potiſſimùm parte inferiore refertus, qui ob capitulorum gravitatem humum versùs reflectitur, & in ſummo in aliquot ramulos dividitur. *Folia* primùm prodeuntia variant, ſunt enim rotunda, oblongo pediculo donata, dein magis magíſque ſinuata, tandem verò in lacinias, (quæ ad exortum inferiorum minora ſunt) inæquales dividuntur: ſunt etiam rigida & dura, adeò ut complicata cum quodam pænè crepitu frangantur, breviſſima & duriuſcula lanugine, potiſſimùm ſuperiora & ad exortum, tecta. Cauliculorum ſummis *capitula* ſpinoſa, ex ſquamis compacta, initio viridia, mox ad apicem purpuraſcentia inſident: ex ſquamis ſpinæ ſeptem, pulchro ordine, ſtellam dimidiatam referentes exeunt, quarum media cæteris latior & longior, in minuto capitulo rubens, paulò poſt verò pallens. Flos ex capitulo tardè prorumpit, qui elegantis purpuræ & inodorus, cujus foliola fiſtulæ ſunt oblongæ, ſuperiùs amplo & laciniato rictu præditæ, inferiùs anguſtæ, quæ ad exortum coloris albi, ſed paulatim versùs faſtigium in rubrum ſeſe mutante: omnes autem *ſtamina* clavata ſuſtinent, clavâ ex purpureo ſeu violaceo prorſus nigricante, in ſummo alba puncta habente, & ſtaminum pediculis, ubi ex fiſtula prorumpunt albis exiſtentibus. *Semen* Cyani ſemen refert, oblongum, anguſtum & cinereum eſt.

Parkinſonus ſemina nigricantia *Jaceæ ſuæ marinæ Bæticæ* attribuit; ſpinas capitis acutas quidem, at innoxias eſſe ſcribit.

Huic

Huic similis est, non tamen eadem quam in maris litore arenoso propè Neapolin in Italia, trans urbem versùs *Torre di Greco* & Calabriam copiosissimam invenimus, cui titulum fecimus *Jacea purpurea maritima capitulo spinoso Neapolitana*.

* 14. *Jacea Sicula Cichorii folio, flore luteo, capite spinoso* Bocconi.

Bocc.

Caulis huic angulosus & cubitum altus est, quandóque reclinatus, multis alis divisus & concavus. *Folia* longa, aspera, duas aut tres uncias lata, utrinque profundiùs dissecta, candicantia, *foliis* Jaceæ Sonchi folio latiora. *Floribus* constat luteis Spinæ Solstitiali similibus. *Capitulis* longis aculeis armatis donatur. *Radix* alba fibrosa.

Circa Saccam nascitur, nec videtur ea quæ sub Jacea capite spinoso longis aculeis à C. B. in Prodromo descripta est.

* 15. *Jacea arborea, argentea, Ragusina* Zanoni.

Zan.

Caulem surrigit supra terram, simplicem, ad quatuor interdum digitorum altitudinem antequam in ramos dividi incipiat, inæqualem, subrotundum tamen, cortice flavo rubiginoso tectam; deinde in multos ramos crassiusculos divisum, lanuginosos, candidos, arcuatos, à nodo ad nodum huc illuc reflexos, medullâ viridante succosâ, ligno tenui filamentoso circundata plena. Ubi caulis in ramos dividi incipit crebri tuberculi apparent, è quibus *folia* exeunt nullo ordine, prima & infima integra omnino, Scabiosæ arboreæ Creticæ similia, proxima ad basin duobus dentibus incisa; his succedentia quatuor reliqua deinde ordine pluribus, donec tandem, tota in dentes sue lacinias secta sint, circa medium caulem. Summi caules folia iterum primis similia, integra & indivisa gestant, acutiora tamen, & alia pariter secundis similia, acuta & variè incisa. Summos caules & ramulos terminant *capitula* grandiuscula & oblonga, lanugine candidâ seu argenteâ obducta, uti sunt & reliquæ omnes plantæ partes, quæ si deradatur, folia ex viridi obscura restant. *Capitula* hæc squammis imbricatis obteguntur, intus flavis & splendentibus auri instar, ima parte latis, à medio sursum versùs argutis denticellis serratis, spinâ acutâ mucronatis; mense Junio aperta *florem* edunt speciosum, odore non ingrato, multis flosculis fistulosis corniculatis compositum, marginalibus longioribus, oris in quinque lacinias totidem foliola mentientes sectis; è medio uniuscujusque exit filamentum seu stamen [rectiùs stylus] oblongum, corniculatum, & ex ipsius medio aliud, valdè gracile, summa parte incurvum & bifurcatum. Florem excipit *semen* versùs finem Julii, aliarum Jacearum seminibus simile, colore flavicante & lucido. *Radix* brevis, subtilis, flexuosa, in multos surculos spargitur; inflexa cum stridore rumpitur, ac si ex vitro aut glacie composita esset; colore ex flavo rufescente, medullâ intus albâ; odore Brassicæ hortensis; sapore aromatico tuberum in montibus Mutinensibus erutorum, verum pungente aliquantulum & exsiccante. Foliorum sapor valdè amarus, velut Cardui benedicti. Planta est perennis, semine etiam se propagans.

16. *Jacea sphærocephalos spinosa Tingitana* Hort. Edinburg. *Jacea Tingitana capitulis spinosissimis* Hort. Lugd. Bat.

Cùm hæc planta nobis nondum conspecta fuerit, plura non habemus quæ de ea dicamus.

CAP. XII.

De Cyano.

CYanus à floris colore cyaneo seu cœruleo nomen accepit. Battisecula sive Baptisecula Officinis olim dicebatur, quæ vox Hermolao à Latino derivata videtur, nimirum à batuo sive bato verbo antiquo, quod percutere & tundere significat, unde Anglicum Beat, & secula, i. e. falx, à secando dicta, unde Anglicum Sickle: à percutiendo scilicet & remorando messorum falces.

Cyanus flosculis in flore marginalibus speciosioribus minúsque laciniatis infundibuli formam habentibus à Jacea differt: rectiùs genere cum Jacea convenire statuitur: namque si hanc distinctionis genericæ notam ponamus, duæ trésve duntaxat erunt Cyani species, nimirum vulgaris Cyanus, & Turcicus odoratus.

A. 1. *Cyanus* J. B. *minor vulgaris* Lob. Ger. Park. *Cyanus Segetum* C. B. Blew-bottles.

J. B.

Lignosam habet multisque fibris capillatam *radicem* ubi excrevit: undè *caules* plures surgunt, cubitum & sesquicubitum alti, angulosi, cavi, lanugine incani, in ramos divisi. *Folia* infima *Lob.* acutis laciniis sinuata, Scabiosæ aut Dentis leonis more; alia longa, culmum lata, per longitudinem nervosa, cæsia, albicantiáve. *Flores* ex capitulis squammatim compactis se explicant, corniculis * laciniatis constantes, colore communiter cœruleo, & ut nomen loquitur cyaneo, aliàs albo, aliàs puniceo aut purpureo, crebris in medio flosculis cœruleis aut purpureis, simplices. *Semen* capitulis

* *Non tamen adeo profundè, nec in tam longas & angustas lacinias.*

lis florem sustinentibus seu alabastris oblongum, nitidum, pappo cristatum. Sapore est tota planta sicco & aliquatenus nauseoso, odore nullo excellente.

Locus. Inter segetes passim provenit. Flore est communiter cœruleo, rariùs albo aut purpureo. Verùm si in hortis lætiori solo seratur & colatur, non tantùm flores edit cœruleos aut albos, sed & purpureos, & carneos, & varios seu albos medio purpureo aut cœruleo aut carneo. Cultu etiam & mangonio obtinentur Cyani *flore pleno*, diversorum colorum; unde C. Bauhinus temere sine necessitate Entia multiplicat, Cyanum hortensem à Cyano segetum separans: Ostendat quæso (inquit Frater) discrimen.

Vires. Flos hujus ut & aqua stillatitia utilis esse dicitur in oculorum inflammationibus, rubedine, lippitudine. Erysipelati inspergitur pulvis ex floribus unà cum capitibus factus. Ad putrida ulcera valet succus instillatus: Pulvis eorum assumptus Camerario efficax est contra morbum regium: Dos. ℈j. Alias multas & ferè contrarias inter se facultates eidem attribuunt: v. g. æstus febriles restinguere, adversus venenatarum bestiolarum morsus & puncturas prodesse, quæ frigidum eum esse arguunt: in palpitatione cordis, in suffocatione uterina prodesse, iis qui ex alto delapsi sunt aut contusi, & quacunque de causa sanguinem concretum intus habentibus utiliter exhiberi, quæ calidum esse suadent. Et revera sapor totius plantæ amarus & nonnihil acris, vis deobstruendi, & purgandi aquas, quam C. Hofmannus sibi compertissimam longo usu esse tradit, calidum potius quàm frigidum eum esse probant.

Flores in spiritu vini, aut etiam aquâ communi macerati suo eam colore imbuunt, itémque Saccharo elegantem colorem communicant, cujus usus omni periculo vacat. Idem præstant flores Cichorei, Delphinii, &c.

2. *Cyanus major* Lob. Ger. *major vulgaris* Park. *Alpinus radice perpetua* J. B. *montanus latifolius, vel Verbasculum cyanoides* C. B.

J. B.

Numerosis fibris & mediocriter crassis in unam *radicem* coeuntibus vivacem & perennem, in grato sapore, figitur: cubitales & altiores *caules* surrigens, lanugine multâ villosos, angulosos quibus adnascuntur *folia* Lychnidis coronariæ, longiora, latiora, lanuginosa, mollia, alis latiusculis ad proximum usque folium semper cum caule continuatis. *Capitula* squammata *flores* sustinent Cyani vulgaris, sed longè majores, fimbriatos & è cœruleo purpurantes, nonnunquam & albos corniculis circiter uncialibus, purpurascentibus, quo etiam colore prædita sunt *stamina* [flosculi, medii] apicibus tamen cinereis.

Locus. In montosis propè *Spadam* vicum acidulis celebrem primò invenimus, postea etiam in monte Jura non longè à Geneva. J. Bauhinus in monte *Wasserfall*, Basileæ cum esset, observavit. Alibi etiam in montibus non raro occurrit.

Hæc planta si characteristicam Cyani notam à florum petalis marginalibus speciosioribus, minus profundè laciniatis, & infundibuli formam habentibus sumas, Cyanus dicenda non est, sed potius Jacea.

3. *Cyanus repens latifolius* C. B. Ger. *repens latifolius Lobelii* Park. *peramarus repens folio Lavendulæ* J. B.

Ad. Lob.

Minùs observata hæc, non aliò quàm ad Cyanum aut Jaceam referenda [imò rectiùs me judice ad Jaceam quàm Cyanum] foliolis oblongis, angustis, Lavendulæ, rigidis, illius plantæ quam proximè descripsimus [Cyani majoris] similibus, in *cauliculis* gracilibus, viticosis, palmaribus, pedalibus & sesquipedalibus, quorum singulis summis singuli *flores*, staminei Jaceæ, obsoletâ purpurâ, è poculis squamosâ insertione conflatis prodeunt. *Radix* digitum parvum æquat. Tota planta gustu perquàm amaro & ingrato..

Locus. Subter Seseli pratensis ramulos ad *Sellam novam* & alibi agri Monspeliaci reptando latitat. Hæc omnia Lobelius. Nos plantam hanc circa Monspelium multis in locis observavimus, nec latitantem, sed conspicuam.

Neque hæc planta ad Cyani genus propriè pertinet, sed ad Jaceæ.

* 4. *Cyanus repens angustifolius* C. B. *repens linifolius* J. B. *repens angustifolius sive minimus* Park.

J. B.

Cauliculus huic dodrantalis; *folia* ferè Lini, valdè crebra, unciâ paulò longiora, angusta; *capitula* longa, squamosa, similia Stœchadi citrinæ alteri inodoræ, verùm squamæ breviores videntur, è quibus erumpit tomentum candicans. Saporem insignem non animadverto.

J. Bauhinus ex sicca descripsit.

5. *Cyanus floridus odoratus Turcicus sive Orientalis major & minor* Park. **The Sultan flower.**

Park.

Folia huic latiora sunt, & ad margines magis laciniata quàm vulgari Cyano, non usque adeò incana. *Caules* in majori specie minimùm bicubitales, in minori humiliores, foliis consimilibus sed minoribus obsiti, in plures ramos divisi, quorum singuli singula sustinent *capitula*, squamosa, Cyani vulgaris majora, *flores* exserentia majores, è multis flosculis compositos, marginalibus octo aut novem fistulosis, oblongis, versùs oras paulatim dilatatis & expansis, infundibuli specie mediis brevioribus

oribus & angustis. Flosculorum ambientium color dilutè purpureus, amœnus; mediorum pallidior & albescens: odor fragrantissimus, ut præstantissimum etiam Zibethum superet. *Semen* pappo inclusum nigricat. *Radix* quotannis una cum superficie emoritur.

Constantinopoli ad nos transmissa est, apud Turcas in honore esse cœpit quoniam ab Imperatore primùm in agris observata, ob odoris gratiam collecta & gestata est.

Minor species quantùm magnitudine omnium partium tantùm odoris suavitate majori speciei cedit.

* 6. *Cyanus tomentosus* Alpini exot.

Alpin.

Planta est surculosa, ferens ab radice surculos plures, longos, graciles, rotundos, obliquè actos sursum, lanugine candidâ obsitos, cubitales & ampliores, molles, *foliis* hinc indè vestitos longis, tenuibus, per oras serratis, in acutum desinentibus, candidis, tomentosis, Cyani foliis figurâ similibus, sed multò minoribus. Surculi in cacumine habent *flores* purpurascentes, Cyanis similes, suis parvis calycibus, & exteriùs squamis obsitis, contentos. *Radix* tenuis, in multas divisa, lignosa.

Accedere videtur Jaceæ foliis angustissimis subtus incanis, seu Stœchadi purpureæ odoratæ Parkinsoni.

* 7. *Jacea Hispanica* Alpin. exot. *potiùs Cyanus Hispanicus.*

Alpin.

Et foliis, & floribus & caulibus ex toto Jaceæ vulgari similis est. *Flores* verò ad flores Cyani maximè accedunt, & magnitudine, & figura, & colore. Etenim colore albescunt in cœruleum, & veluti radios elegantissimos habent. Planta annua est & sapore amarescit.

Hujus semina ex Anglia habuit Pr. Alpinus à Joanne Moro M. D. missa.

Cap. III.

De Jacea.

* 1. *Jacea maxima* Alpin. exot.

Alpin. exot.

Caules à radice sustollit quinque vel sex cubitos altos, rectos, scabros, ad imum densè foliatos; è quorum medietate superiori hinc indè surculi plures, recti, graciles, rotundi exeunt, in quorum summitatibus producuntur *calyces* parvi, Cyani magnitudine atque figurâ, è quibus exeunt *flores* lutei, Cnici floribus similes: quibus in calycibus succedunt *semina* Centaurii majoris seminibus proxima, saporis leniter amari. Planta propè radicem & in caulium infernis partibus admodum est perfoliata; *folia* verò Helenii foliis similia videntur, sed minora, quædam revoluta in seipsis, quasi luxuriantia, lanuginosa & quadantenus mollia, omnis coloris expertia, non sine levi amaritudine. *Radix* longa est, crassa, in tenuitatem desinens, quibusdam pauculis radiculis fibrosis referta, colore alba, Cinaræ radici omnino similis.

Ex seminibus Hierosolyma delatis enata est.

2. *Stœbe capitata Rosmarini folio Ponæ, sive Chamæpitys fruticosa Cretica Belli* J. B. *Jacea fruticans Pini folio* C. B. *Stœbe fruticosa angustifolia Cretica* Park. *An Chamæpeuce* Alpin. exot.

Pona.

Ex albicante *radice* lignosa & aliquantulùm fibrosa varii efferuntur *caules* teretes, modo Coronariæ Libanotidis, trium circiter cubitorum, quadam canitie aspersi: profert *folia* uti ipsa Libanotis, sed longiora multò & acuminata magis, quæ paulatim flaccida facta, ita se coarctant, ut omnino appareant Pinastri folia, quæque supernè virescunt, infernè albicant, cum quadam lanugine, uti & cauliculi: in ramulorum fastigiis edit *capitula* quemadmodum Stœbe Salmantica prima Clusii, quasi magnitudinis Centaurii majoris, cui etiam *flos* simillimus est, nisi quòd magis purpurascit. *Semen* retinet Cnici sed nigricans. Perennis est planta.

Vide infra Jaceam foliis angustissimis, subtus incanis, cui plantam hîc descriptam eandem esse suspicamur: ut & Chamæpeuce Alpini in Exoticis descriptæ.

* 3. Stœbe

* 3. *Stæbe fruticosa latifolia Cretica* Park. *Frutex rotundo argenteo folio, Cyani flore* C. B. *Cyanus fruticosus Creticus Candiæ* Ponæ Ital. *Pulcherrimus frutex* Bello ep. 2. ad Clus.

Bell.

Ad duorum cubitorum altitudinem assurgit, in orbem diffunditur, perpetuóque viret. *Folia* habet longa, rotundiuscula tamen instar foliorum mali, firmiora, lætissimè virentia supernè, inferiùs verò albâ quadam lanugine obducta, ut argentea videantur: *cauliculos* albos, lanuginosos, quos *folia* utrinque ambiunt, in quorúmque extremitate *flores* cernuntur specie thyrsi, ut in Saponaria vulgari dispositi, squamato positu, sed figurâ Cyani, colore phœniceo, calyce tamen longiore quàm Cyani, squamato, albo & rubro diluto colore prædito. *Flores* in pappos resolvuntur: *semen* longius quàm Cynimi, calycésque sunt perennes.

Locus. In altissimis præcipitiis inter saxa provenit.

4. *Stæbe major calyculis non splendentibus* C. B. *Austriaca elatior* Park. *Centaurii majoris species tenuifolia* J. B.

J. B.

Radicem habet minimi digiti crassitudine, dodrantalem, sapore Cyani nauseoso: *Folia* Scabiosæ squamatæ argenteæ [proximo in loco describendæ] tenuiter dissecta, albidiora, sapore amaro prædita: *Caules* unius, duorum aut trium interdum cubitorum altitudine, pro locorum ubi provenit ratione; in multos ramos fissi, foliis etiam tenuioribus. Absinthii ferè Pontici vestiti. *Flores* Cyani formâ, staminei, minores, purpurantes è capitulis emicant turgidulis turbinatísque, Scabiosæ squamatæ argenteæ, paulò minoribus, squamulis asperis, pilosis, imbricatis, non lucidis, ut in argentea illa. *Semina* parva, oblonga, russa, quaternis costulis striata, quibus pili adhærent.

Tanta est hujus plantæ similitudo cum Scabiosa argenteis squamis, ut eandem existimaremus, inquit J. Bauhinus; quod idem & nobis videtur. Capitulorum argumento Centaurii majoris speciem facio. *Idem.*

Locus. In Germania, Italia & Gallia Narbonensi frequens est, ut non opus sit loca memorare.

J. Bauhinus Jaceam albam *Tab.* huc refert: C. Bauhinus speciem ex ea distinctam ab hac ut & sequente facit, titulo *Stæbes caliculis argenteis minoris.*

5. *Stæbe calyculis argenteis* C. B. *argentea minor* Ger. *Salmantica argentea, sive tertia Clusii* Park. *Scabiosa squamata argentea* J. B.

J. B.

Lignosâ *radice* firmata est. *Caules* cubitales & bicubitales, striati, subhirsuti, multis alis concavi. *Folia* multiplici cæsurâ dissecta ad Centaurii majoris speciem minorem accedunt, nigriora, teneriora. Extremis ramulorum *capitula* nascuntur turbinata, concinnis lucentium squamarum & candicantium squamulis imbricata.

Hæc à præcedente vix alia in re quam squamulis capitulorum tenuibus & lucentibus differt, ut vix crediderim specie ab ea differre.

Locus. In Calabria propè Tropiam urbeculam observavimus; necnon circa Monspelium.

* 6. *Stæbe Austriaca humilis* Clus. *incana Cyano similis tenuifolia* C. B. *Austriaca humilior* Park.

In collibus & montibus Viennensi urbi vicinis provenit hoc genus superiore multo humilius, magìs incanum, tenuioribusque virgis; quod non multùm differre videtur à minore Cyano.

* 7. *Jacea montana incana odora* C. B. *Jacea muschata* J. B.

Radix lignosa, lenta: caulis rotundus, pedalis; *folia* longa, lata, mollia, tomentosa, laciniis longis divisa, alba vel cinerea. *Capitula* formâ & colore Jaceæ secundæ, [quæ Centaurium murale dicitur] Tota planta satis suavi odore prædita est, saporis amaricantis cum adstrictione quadam.

Locus. Ita describit Tabernamontanus (inquit J. Bauhinus) cujus & descriptionem & iconem probamus. Heidelbergæ provenit arenosis & siccis locis. *Nos ibi frustra eam quæsivimus*; *verùm Centaurii majoris speciem tenuifoliam J. B. copiosam ibidem invenimus. Gaudet locis altis & apricis.* Jaceam moschatam in monte Hymetto propè Athenas observavit D. Georg. Wheeler.

8. *Stæbe Salmantica prima Clusii* Park. *Salmanticensis prior Clusii, sive Jacea Intybacea* J. B. *argentea major* Ger. *major, foliis Cichoraceis, mollibus, lanuginosis* C. B.

Clus.

Jaceæ similis *folia* habet humi strata, Scabiosæ Jaceæque foliis latiora, ad Cichorii folia accedentia, mollia, lanuginosa, & interdum candicantia. Aliquot ex eadem radice *caules* exeunt, cubitales aut ampliores, striati, subhirsuti, fungosâ medullâ farcti, multis alis brachiati; quibus inhærent minora, minúsque dissecta, & mucrone quodammodo spinoso folia. *Flores* nascuntur in summis ramulis, *capitulis* [Cyani paribus, turbinatioribus, glabris nitidísque & politis, albicantibus per extremum rubentibus squamis, imbricatis] comprehensi, purpurei: quos subsequitur *semen* subrussum, Centaurii majoris æmulum, sed minus. *Radix* est longa, candida, digiti interdum crassitudine, quæ nonnunquam vivax est & plures annos durat.

Locus. Circa Monspelium passim provenit, nec minùs frequens habetur in Italia & Sicilia.

* 9. *Stœbe Salmantica secunda Clusii* Park. *major foliis Erucæ mollibus lanuginosis* C. B. *Jaceæ genus Stœbe Salmantica, foliis mollibus lanuginosis, caule infirmo* J. B.

Clus.

Folia omnia habet mollia & lanuginosa, Erucæ instar laciniata; *Caulem* infirmum, ramosum, in terram procumbentem, cujus *flores* summis ramis innascentes superiore majores, barbulis exterioribus Cyani æmulis, purpureis, (quibus intermixti villi quidam lutei) medium florem occupantibus. *Semen* superiori simile, vel Cyani semini: *Radix* digitalis, albicans, non vivax, sed quam subsequens hyems corrumpit.

Nascitur Salmanticensi agro in arvorum & vinetorum marginibus. Floret Junio, Julio, & Augusto. *Locus & Tempus.*

* 10. *Stœbe spinosa Cretica* Park. *Spinosa* J. B. *spinosa maritima* C. B. *Cyanus spinosus Creticus* Ponæ & Alpini.

Clus.

Quam descripsit Clusius *Hist. app. alt. auct.* in Ducis Areschotani horto enutritam, trium circiter pedum altitudinem æquabat, & si angustiis non conclusa liberè excrescere posset, ad majorem altitudinem pertingere posse arbitrabatur. Fruticosa autem erat, ramulósque satis duros & quodammodo lignosos habebat, *foliis* valdè laciniatis obsitos: summi verò ramuli flores sustinentes minoribus, iisque singularibus foliolis instar foliorum Lavendulæ septi erant & plerumque in spinas desinebant. Tota planta candicabat ferè instar Cinerariæ dictæ: Squamosi etiam erant florum alabastri & calices; ipsi autem flores candidi, Cyani florum formam quodammodo referentes. *Radix* lignosa, multifida atque perennis.

Floret Julio, Augusto, & toto Septembri. *Tempus.*

P. Alpinus altitudinem palmarem huic plantæ attribuit, & flores colore carneos: reliqua descriptio satis convenit.

Hæc, puto, planta est quam observavit *D. Georgius Wheeler* propè Athenas in Attica, inque Teno insula Cycladum. Itiner. p. 52.

A. 11. *Jacea major* Ger. *itémque Scabiosa flore purpureo* ejusdem, *ut J. Bauhino & nobis etiam videtur. Scabiosa major squamatis capitulis* C. B. *itémque Scabiosa major altera squamatis capitulis, sive Jacea rubra latifolia laciniata* ejusdem. *Centaurium collinum Gesneri flore purpureo* J. B. **Great Knapweed or Matfellon.**

Matth.

Primo statim exortu *folia* profert longa, nullis in ambitu laciniis, at quæ his succedunt plus, minoris modo, dissecta cernuntur, quæ verò in caule & ramis habentur, minora sunt & magis laciniata. *Caules* gerit æstate sesquicubitales, teretes, striatos, incanósque, qui circa cacumen suos fundunt ramos, in quorum fastigio *capitula* oriuntur in acutum desinentia, compactili squamarum ordine contecta, Cyani modo, è quibus *flores* prodeunt ferè etiam similes, sed rufescentes. Hos denique sequitur *semen* parvum, oblongum, ruffum, & superiori parte pilosum. *Radice* nititur pollicari crassitudine, & sæpe majore brachiatâque, sapore subdulci Pastinacæ proximo.

Nascitur inter fruges & in campis non cultis, argilloso præsertim solo: éstque (ut rectè Lobelius) segetum potius quàm pratorum. *Locus.*

12. *Jacea nigra* Ger. *nigra vulgaris* Park. *nigra vulgaris capitata & squamosa* J. B. *nigra pratensis latifolia* C. B. **Knapweed or Matfellon.**

Radie satis crassa, lignosa, vivaci, fibras multas emittente, sapore cum nausea adstringente nititur. *Folia* priora, quæ à radice exeunt, aliquid (inquit J. Bauhinus) commune habent cum Cichorii foliis, sunt enim longa, nonnihil laciniata, præ virore nigricantia, brevi lanugine hirsuta. *Caulis* ex eadem radice interdum unicus, sæpius plures exeunt cubitales aut sesquicubitales hirsuti, teretes, striati, firmi & rigidi, fractu contumaces, medullâ farcti, foliis crebris, nullo ordine positis, iis quæ ad radicem similibus verùm angustioribus, obiter præcipuè ad exortum dentatis, cincti: è quorum alis seu sinubus à medio caule sursum versùs ramuli egrediuntur consimilibus foliis sed minoribus donati, in fastigiis unum, duos, trésve *flores* sustinentes, seu potiùs florum *capitula*, satis grandia, squamis nigricantibus, circa margines cilii instar pilosis, imbricatim positis exteriùs contecta, è quorum medio *flosculi* emicant tubulosi, laciniati, purpurascentes, arctè stipati; quibus marcescentibus & delapsis restant, denso sed brevi pappo intermixta, *semina*, parva, per maturitatem ex cinereo nigricantia. Ramuli interdum in hac planta rectos ferè angulos cum caule efficiunt.

Post mediam plerunque æstatem apud nos floret, estque in pascuis nimis frequens. *Tempus & Locus.*

Habetur in Occidentali Angliæ parte hujus varietas flore Jaceæ majoris, hoc est cum limbo seu circulo flosculorum majorum seu longiorum in margine, Cyani in modum; hæcque non minùs frequens quàm vulgaris ibi oritur.

Hujus varietatis aliam adhuc varietatem observavit nobísque ostendit Tho. Willisellus cum flore pleno, cujus flos totus componitur ex ejusmodi flosculis, qui in margine illius sunt, nimirum oblongis & speciosis.

13. *Jacea nigra angustifolia* Park. *nigra angustifolia, vel Lithospermi arvensis foliis* C. B. prod.

C. B. prod.
Radice est nigricante, in fibras aliquot divisa: caule pedali, rariùs cubitali, rotundo, aspero, in alas inæquales diviso: quem *folia* incana, angusta, brevia, rigidiuscula & aspera, Lithospermi arvensis similia alternatim sua basi cingunt. Cauliculorum summis *capitulum* squamatum & nonnihil asperum, aliarum Jacearum formâ, sed minus, insidet: ex quo *flos* multis exiguis oblongis foliolis pallidè rubentibus vel ex purpurâ candicantibus prodit, cui *semen* exiguum nigrum succedit.

Locus. Hanc passim Monspessuli & Patavii observavimus.

Adeò exigua est & ferè nulla inter hanc & præcedentem differentia, ut non immeritò J. Bauhinus ad idem caput utramque reducit.

Huic & altera similis, sed caule molli tomento vestito, & foliis incanis mollibus & longioribus.

14. *Jacea semper virens Lusitanica* Bocconi & Morisoni.

Bocc.
Hujus plantæ *folia* lanceolata, longiora latioráque quàm vulgaris [Jaceæ nigræ,] margine tamen, ut illius, laciniata, aspera, è virore pallentia: *Caules* multi, cubitales & longiores, pluribus sparsim & confusè foliis cincti, in ramos multiplices per totam summitatem divisi, duri, asperi, proferentes *capitula* è quibus exeunt stamina [veriùs flosculi] plura, conferta, coloris ex purpura rubentis. *Radix* lignosa, dura, non absque fibris. Tota planta hyemem (nisi acris admodum fuerit) sine noxa facilè tolerat.

Locus In hortis Florentinis, Pisanis, Bononiensibus & demum Parisiensibus vidimus. E Lusitania primùm allatam credunt, unde nomen habuit. Hactenus Bocconus, cujus descriptionem probamus, ut plura addere non sit opus. Nos è semine Londino accepto natam in hortulo nostro Cantabrigiæ aliquandiu aluimus.

15. *Jacea foliis angustissimis, subtus incanis. Stœchas purpurea odorata* Park. *Stœchadi citrinæ affinis capitulis longioribus* J. B.

Pilliter.
Ad cubiti ferè altitudinem assurgit, ramulis infirmis & terram versùs reclinatis, unde in latitudinem magis quàm in altitudinem diffunditur; è *radice* longa, durâ, nigricante virgas crebras lignosas incanas emittens, *foliis* plurimis, oblongis angustis, supernè ex viridi nigricantibus, infernè lanuginosis, tomento candicante obsitis, circa margines subinde dentatis vestitas. Summis ramulis interdum singula, plerunque bina innascuntur *capitula*, oblonga squamis confertis imbricata, *flosculos* exserentes pulchellos, purpureos, odoratos; quibus succedit *semen* pappo involutum, Cardui Pineæ dicti seminibus nonnihil simile.

Locus. Plantam hanc variis in locis tum in Gallia Narbonensi tum in Gallo-provinciæ rupibus prope Massiliam observavimus. D. Magnol in monte Cetio, in sterilibus circa *la Colombiere*, versùs Salenoram propè *Foncaude*, & alibi eandem invenit. *Botan. Monsp.*

An & quantum differat hæc planta à Stœbe capitata Rosmarini folio Ponæ considerandum.

* 16. *Jacea integrifolia humilis* C. B. *nigra humilis* Park.

C. B.
Hæc *cauliculis* est pedalibus, rotundis, alba lanugine hispidis, & terram versùs reflexis: *foliis* unciam latis, duas longis, nec laciniatis, nec crenatis sed integris, lanugine, præsertim per marginem, pubescentibus & subasperis, basi sua cauliculum ambientibus: in cujus summo *capitulum* ex multis squamis imbricatim dispositis constans, ex quo *flos* Jaceæ vulgari similis, subpurpurascens, ex foliolis [veriùs flosculis] oblongis in filamenta aliquot divisis compositus, prodit.

Locus. In Austria ad S. Hippolytum provenit.

Hæc etiam à Jacea nigra vulgari adeò in paucis differt, ut vix possim animum inducere ut credam specie distingui.

* 17. *Jacea montana Austriaca major* Park. *Jacea nigra squammoso capite major* C. B. *montana squamosa major, semine nigro* J. B.

Clus.
Numerosa ab eadem radice promit *folia*, oblonga, vulgatissimæ Jaceæ haud absimilia, nec tactu minùs aspera, sapore nonnihil calido, subadstringente tamen: *caules* plerunque cubitales, striatos, ramosos, foliis angustioribus, & interdum paucis laciniis secundùm pediculum præditis obsitos, ut in vulgatissima: Capitula in extremis ramis crassiora, non hirsuta, sed multis squamis tenuibus, & si vel digitis leviter attingas crepitantibus prædita, infernè candicantia, supernè verò, quà se flos explicat, fusca. *Flos* multis exiguis foliolis [rectiùs flosculis] in quinque lacinias divisis ex purpura candicantibus constat. E quorum medio purpurascens tubulus exilit, in summo velut farinâ aspersus; quem ambiunt purpurea majora longioráque foliola [flosculi] quinque inæqualibus laciniis etiam constantia, uti vulgatissima. *Semen* Cnico formâ simile, sed exiguum, nigrum, paulò majus, quàm vulgaris, subadstringentis gustûs. *Radix* etiam vulgatissimæ similis est, fibrosa, nigricans.

Floret

Floret Julio & Augusto & subinde semen profert, quod maturum statim è vasculis reptans siccum florem excutit. *Tempus.*

* 18. *Jacea nigra squamoso capite minor* C. B. *montana Austriaca minor* Park. *montana squamosa minor, semine albicante* J. B.

Clus.

Hæc priori ferè per omnia similis, paulò tamen humilior, ut quæ rarò pedalem superet altitudinem: *foliis* minùs asperis & aliquantulum incanis; paulò dilutiore *flore*, *semine* minore, nec nigro, sed candicante & cineraceo, linguam etiam magis calefaciente. Maturiùs plerunque floret & semen Julio perficit.

Provenit utraque copiosè in montanis Pannoniæ & Austriæ pratis. *Locus.*

19. *Jacea latifolia capite hirsuto* C. B. *Austriaca villosa* Ger. *Austriaca latifolia villoso capite* Park. *Jacea cum squamis pennatis sive capite villoso elatior & humilior* J. B.

Clus. J. B.

Lata longáque habet *folia*, superioribus majora, magis albescentia, molliora [breviora latioráque quàm Jaceæ nigræ vulgaris, sescunciam aut unciam longa, latitudine unciali, acuminata, crenata, infima verò palmum & sesquipalmum æquant. *J. B.*] leviter dentata per ambitum, gummoso gustu, sed amaritudinis non exiguæ. *Caules* plures ex eadem radice promit, cubitales vel etiam ampliores & interdum minores, angulosos & striatos [subhirsutos, ramis multis brachiatos] *Capitula* terna aut plura, contigua ferè, ex multis squamis imbricatim dispositis constantia, quarum cuspides exteriùs reflexæ, in adeò crebra tenuiáque filamenta, nigricantia, sive potiùs multifidam barbulam desinunt, ut ipsa capita tenuissimo & elegantissimo reticulo inclusa videantur, miro naturæ artificio. *Flos* è medio erumpit Jaceæ vulgaris, purpureus. *Semen* maturum cinerei coloris, Cyani semini ferè respondens. *Radix* vivax, & multis nigricantibus fibris donata.

Calidiori circa Monspelium cœlo longè est strigosior foliáque possidet interdum sinuata potiùs quàm crenata.

In montanis Pannoniæ & Austriæ pratis oritur Clusio: Floret Julio & Augusto. *Locus & Tempus.*

* 20. *Jacea Melitensis capitulis conglobatis* Bocconi.

Bocc.

Caules hujus pedales & longiores sunt, alati, ramosi, geniculati. *Folia* angusta, Jaceæ vulgaris foliis molliora, leviter sinuata & incana. *Flores* ad genicula ab imo ad summum caulium plures, sublutei, è capitulis nonnihil spinosis, atque rotundi globuli formâ simul commissis exeuntes.

Melitæ invenit *P. Boccone*, in via quæ *Casalnovum* ducit. Lutetiæ etiam nata est, sed capitulis minùs compactis.

* 21. *Jacea Monspessulana cui in squamis fibræ nigræ, interdum acaulis* J. B. *Jacea humilis Hieracii folio* C. B. Park. *pumila, humilis serpens, acaulis fermè, flore cyaneo & albo* Ad. Lob.

J. B.

Spontanea palmum vix superat, interdum acaulis, culturâ in cubitalem altitudinem proficit; multis ex radice crassiuscula productis *caulibus*, striatis, hirsutis, intus fungosis, multùm ramosis. *Folia* pumila per terram sparguntur, Cyani foliorum æmula, incanâ lanugine obsita, laciniata, alia integra, reliqua per ramos fortuitò posita nascuntur. *Capita* foliis oblongis, minimè dissectis, acuminatis obvallata sunt, mediocris magnitudinis, mollicella, squamis longiusculis compacta, quarum oras fimbria nigra ambit, acumen verò in pinnatas spinulas innoxias fatiscit. *Flos* albus stamineus in pappos abit. Habetur etiam flore purpureo.

Propè Monspelium in marginibus satorum ad pontem viâ quâ Frontignanum itur invenit Lobelius: ibidem etiam *D. Magnol* floribus purpureis & floribus albis frequentem vidit Maio mense florentem. *Locus & Tempus.*

22. *Jacea angustifolia capite hirsuto* C. B. *angustifolia Austriaca villoso capite* Park.

Clus.

Longè humilior est, cubitalem altitudinem vix attingens, alioqui *foliis* villosis, & retis instar formatis *capitibus*, atque adeò *floribus* magnam similitudinem cum præcedente habet. *Semen* variat, quod nigricans est & paulò crassius.

In iisdem locis oritur, eodémque tempore floret. *Locus & Tempus.*

Monspelii hæc nobis ostensa est sicca, ipsi tamen eam in loco natali crescentem nondum vidimus.

Jacea alba hirsuto capite *C. B.* cùm non aliter quàm floris colore à penultima differat, species distincta censenda non est.

* 23. *Jacea montana incana aspera, capitulis hispidis* C. B. Park.

C. B. prod.

Radice est lignosa, in longas fibras divisa & rufescente: *cauliculo* palmari, rotundo, lanuginoso: *foliis* asperis, ad radicem pluribus, incanis, hispidis, parùm laciniatis, angustis, [interdum laciniatis, subrotundis & tactu mollibus] uncias quatuor longis, reliquis verò in profundas & rigidas crenas divisis, basique sua caulem amplexantibus, qui aliquando in ramulos dividitur, quorum singuli *capitulum* parvum ex squamis hispidis compositum sustinent, earum enim cuspides exteriùs reflexæ in tenuissima filamenta desinunt. *Flores* vulgari similes sed multò minores.

Locus. Monspessuli in monte Calcaris provenit.

* 24. *Jacea nigra laciniata* C.B. *nigra vulgaris laciniata* Park. *Jacea cum squamis cilii instar pilosis* J. B. *Jacea Austriaca VI.* Clus.

Clus. J. B.

Folia vulgari sunt similia, secundùm radicem leviter laciniata. *Caulis* cubitalis aut amplior, gracilis, firmus, striatus, [aliquantùm hirsutus] nonnihil interdum purpurascens, in multas alas inæquales divisus, per quem folia sunt jam dictis minora angustioràque [uncialia & sescuncialia, semunciali latitudine & angustiora, dura, subhirsuta] *Flores* tingit purpura saturatior, Jaceæ vulgaris omnino similes è *capitulo* pari, toto nigricante, cujus squamæ singulæ pilos breves agminatim circumcirca cilii instar possident. *Semen* priori æquale; *Radix* aliis similis.

Crescit permixta cum superioribus, atque eodem etiam tempore flores ejus explicantur.

* 25. *Jacea Cretica* Park. *laciniata, squammata* C. B. *squammata Cretica, quibusdam Scabiosa Cretica dicta* J. B.

Clus.

Habet multa longa *folia*, supra tellurem expansa, instar majoris Scabiosæ *Matth.* crasso nervo prædita, & secundùm illius longitudinem, non modò multipliciter laciniata, sed ipsæ etiam laciniæ in minores alias sectæ. *Caulis* deinde emergit cubitalis & amplior, striatus, durus, non dissimilis *Jaceæ montanæ squamato capite majori*, per quem sparsa sunt *folia* jam dictis minora & minùs laciniata: finditur deinde in varios ramos, minoribus adhuc foliis & rariùs sectis præditos. Extremi rami sustinent squammata *capita*, quæ producunt deinde *florem*, multis longioribus flosculis purpurascentibus, interdum omnino albis & valdè sectis constantem, ex quorum medio exilit stylus pallescens: evanido flore succedit *semen* multa lanugine involutum, Cnico formâ simile, sed exiguum, cineraceum. *Radix* satis crassa, & quibusdam fibris prædita, instar radicis Stœbes Hispanicæ, quæ an vivax sit me latet.

Peregrino semine (Cretâ allato) nata est hæc planta Clusio.

26. *Jacea montana lutea minima* Park. *montana minima tenuifolia lutea* Col. *laciniata lutea* C. B.

Col.

Locus & Tempus. Æquicolorum montes herbidi hanc non descriptam Se ptembri mense floribus luteis onustam fundunt propè D. Angeli dirutum ibi templum, supra villam Flaminianum dictam; cujus *caulis* & *folia* pusilla respectu *capituli* & florum: magnum quidem illud profert, congenerum etiam modo squamulis compactum, atque *flores* majoris Jaceæ pares, aureo colore, quorum interni [flosculi] elati atque recti, & exteriores circa caput procumbentes. *Caulis* verò tenuis, angulosus, semipedalis ad summum, duabus alis foliorum interceptus. *Folia* verò triuncialia, propè humum expansa, in tenues admodum lobos divisa, ipsique etiam lobi insuper laciniati, carnosi, aculeati, Vermiculariæ Dioscoridis dimidiatum folium æmulantes, læves, sed tenuiores. *Semen* deinde profert papposum ut congenerum. *Radix* circa caput pilosa, fibris divisa crassiusculis, sapore & odore congenerum.

* 27. *Jacea incana capite squamato* Francisci de Honuphriis.

Honuphr.

A radice lignosa, parum inter petras (Circæi Promontorii) earúmque fissuras asservata, foliorum candicantium (inter quæ nullus nascendi ordo) multitudo germinat atque huic illùcque diffusa, prætereuntium oculis sese patefacit, mòxque assurgens lignoso caudice, non solùm ex saxis verùm ex Castrorum mœniis propendet: quæ quidem primo intuitu Ragusioidem Jaceam adeò referre videbatur, ut non nos tantùm sed & alii antequam flores & caulem ederet eandemmet esse putaverint: attentiùs verò à nobis animadversa dum in horto culta, ab illo differre toto cœlo cognovimus: *folia* equidem colore cinereo albicante, plurimâ lanugine aspera ipsam quodammodo æmulantur; hujus tamen grandiora, magisque incisa, flexibiliora, rimosa atque minùs crassa; illius verò crassiora, albidiora, breviora & rotundiora, absque rimis: *flores* hujus, ut in vulgari Jacea, purpurantes & carnei, illius verò aurei. *Caulem* edit hæc cubitalem, modò breviorem, modò longiorem, alatum, striatum, foliis circumvestitum, & ubi folia insident brachiatum, circa initium aliquantulum fistulosum, ubi *capitula* adnascuntur squamata, non tamen spinosa, *floresque* carnei elegantis coloris, Centaurioidem Jaceam quodammodo referentes. *Semen* Cyanis affine.

Tota candicans, hortísque inclusa aspectu pulchrior est planta Maio mense floribus onusta spectatur. Ex præruptis ingentibus Circæi veteris promontorii saxis Occasui expositis ubique pendet. *Tempus & Locus.*

Hanc nonnulli montanam candidissimam Jaceam *C. B. prod.* putârunt, cui & ipse addit Stœbes foliis: Hujus tamen folia nullam Stœbes formam retinent: in cæteris tum floribus, tum caule satis convenit. Folia illius magis laciniosa, & ad Stœben accedentia, magísque quam hujus candicantia & lanuginosa.

28. *Jacea montana candidissima Stœbes foliis* C. B. Park. *incana, laciniata, capitulis Cirsii, flore uno aut altero* J. B.

C. B. prod.

Hæc ex *radice* crassa, lignosa *caulem* profert palmarem, nonnunquam cubitalem, angulosum, striatum, molli & incanâ lanugine vestitum. *Folia* habet ad radicem multa, per terram sparsa, palmaria, lata, Stœbes instar laciniata, molli lanugine incana, & superiora molli tomento quasi farinâ aspersa, mollia & alba sunt. Cauliculis summis *flores* singuli Jaceæ vulgaris insident, quæ ex *capitulis* squarrosis prodeunt.

In montibus propè Capuam provenit. Nos in rupibus seu clivis maritimis Calabriæ propè Scaleam collegimus. Nostra etiam capitula ipsa eorúmque squamæ Jaceæ nigræ simillima erant. *Locus.*

29. *Jacea montana capite magno Strobili* J. B. *incana Pini capite* C. B. *pumila Narbonensis* Park.

J. B.

Pumila est planta, duarum triúmve unciarum altitudine, interdum dodrantalis aut major. *Folia* cauli longitudine vix cedunt: primùm nascentia accedunt formâ ad priora Centaurii folia, sunt lata & sublonga: sequuntur alia in profundas lacinias æquali situ divisa, subtus densâ mollique lanugine candicante obsita, quâ etiam superiùs non omnino destituuntur, plerunque tamen viridantia; quædam interdum non laciniata, aut parum. *Coliculus* quoque tomentosus est, ínque ramos subinde dividitur, sæpe simplex, cujus cacumini insidet *caput* magnum, Scolymi, squamis argenteis, aut ex argenteo rutilantibus purpurascentibúsve, perquam tenuibus mollibúsque, per oras latescentibus cristatísque compactile. Medium obtinent pappi, quos *flos* reliquit staminibus purpurantibus constans. *Radix* satis crassa, simplex aliquando, interdum plurium capitum, nigricans.

In collibus saxosis circa Monspelium frequens oritur. *Locus.*

* 30. *Jacea montana* Ger. *montana Narbonensis* Park. J. B. Lob. *montana, incana, odora* C. B.

Lob.

Cauliculo riget dodrantali & pedem alto, rotundo: *folia* Jaceæ luteæ & Chamæleonis lævis Theophr. media edente, alterâ parte incana, glauca, tantillum hirtâ: *flores* Jaceæ aut Cirsii sed minores. *Radix* sesquipalmaris, gracilis, minúsque fibrata, gustu cyaneo amaricat.

In cautibus & collibus *Castri novi* conterminis Monspeliensis agri nonnusquam à Lobelio reperta est. Quid sit se ignorare fatetur *D. Magnol.* *Locus.*

31. *Jacea latifolia capitata non descripta* Hort. Lugd. Bat.

Cap. XIV.

De Centaurio majore.

Centaurium nomen accepit à Chirone Centauro, qui eo curatus esse dicitur, cùm Herculis excepti hospitio tractanti arma sagitta excidisset in pedem: quare aliqui Chironium vocant. Plin. lib. 25. cap. 6.

Centaurium duplex est, majus & minus, quæ quamvis nomine conveniat, & facie tamen & viribus distant, súntque toto genere diversa. Majus tantùm hujus loci est.

Notæ hujus characteristicæ sunt Capitula squamata lævia seu aculeis destituta, folia per ambitum serrata, magnitudo insignis.

1. *Centaurium magnum* Ger. *majus vulgare* Park. *majus Juglandis folio* J. B. *majus folio in lacinias plures diviso*, C. B. Great Centory.

J. B.

Centaurii majoris *Caulis* rectus hominis proceritatem assequitur, in ramos circa summitatem divisus. *Folia* amplissima in alæ formam disposita, quarum singularia spithamam ferè longa, trium aut quatuor unciarum latitudine, per ambitum serrata, nervosa, glabra, saturatè virentia: at primùm prodeuntia folia integra sunt, nec dissectionem agnoscunt: *Capitula* surculorum extremis insident squarrosa, è quibus emicant *flores*, staminibus purpureis contexti, in pappos evanescentes. *Semen* nitidum oblongum: *radix* rubens, crassiuscula, longa, recta.

Locus. Radix Centaurii magni, quæ hodie ad nos convehitur (inquit Matthiolus) Gargano præclarissimo Apuliæ monte numerosa nascitur: quin & in aliis Italiæ locis, nempe in Veronensi agro, Baldo monte quem Benaci alluit unda, sed infirma si ad Apulam compares. In Officinis pro Rhapontico vendi solet.

Vires. Cum quadam adstrictione ac dulcedine acris est. Ob acrimoniam & adstrictoriam vim contrariarum qualitatum particeps est. Ob acrimoniam menses ciet & fœtum mortuum expellit: ob astringendi facultatem profluvia sistit; prodest in hernia, expuitione sanguinis, sanguine coagulato. Ad vulnera recentia & plagas conglutinandas tam efficax esse dicitur, ut carnes dum coquuntur inter se committant. Epar aperit ac roborat, unde hydropicis & ictericis auxiliatur tum vino macerata, tum in pulvere pota. Summopere laudatur à nonnullis (inquit Schroderus) in obstructione venarum mesaraicarum, & in morbis inde ortis, in febribus stomachicis, &c.

Præcipuus usus est in fluxibus sistendis & vulneribus consolidandis. Veteres commendant in ruptis, convulsis, dyspnœa & in veterata tussi.

* 2. *Centaurium folio glabro, flore flavescente* J. B. *An Centaurium Alpinum luteum* C. B? *majus luteum* Park.

J. B.

Cubitalis & sesquicubitalis est planta, *caule* glabro carnoso, tereti. *Folia* dodrantalia & longiora, glabra, glauca, in multa segmenta ad costam usque divisa, quæ quidem segmenta aliàs opposito situ respondent, aliàs verò minimè, crassiuscula, nervo bifido per longum exporrecto, in ambitu raris denticulis crenata, aliàs integra, sapore oleraceo. Singulis porro ramulis singula insident *capitula* Olivæ magnitudine, sed formâ conicâ, splendentia, imbricata, tam accuratâ squamarum commissurâ contexta, ut lævia esse videantur, nec ullâ asperitate molesta, è quibus emicant *flores* staminei, diluta flavedine imbuti.

Capitulorum squamæ in hoc viridantibus striis pictæ sunt, obtusæ, nullis vel spinarum rudimentis donatæ; quibus notis præcipuè differt à Jacea lutea capitulis spinosis *C. B.* cui aliàs persimile est.

Locus. Centaurium Alpinum luteum *C. B.* in monte Baldo provenit, inter quod & nostrum exigua intercedit differentia. Ex ejus capitulo ante Meridiem liquor pellucidus & Mannæ instar dulcis in guttis seu stillis sponte exudat; & capitulum compressum & suctum altero tamen die hunc humorem emittit. Addit insuper descriptionem radicis, hujusmodi. *Radicem* habet rectam, profundè descendentem, crassam, parúmque fibrosam, subadstringentem & Centaurii majoris sapore ferè praeditam [nunc simplicem, nunc bifidam in extremo, carne intus albâ, foris cute nigra & dura obtectum.]

Pleniorem hujus plantæ descriptionem videsis apud Jac. Cornutum in sua Canadensium plantarum historia, qui & vires adscribit, ex conjectura (ut puto) potiùs quàm experientia.

3. *Centaurium majus Africanum flore aureo odorato* Breynii.

Prima aliquando, quâ seritur æstate, nisi cœli nostri inclementiâ impediatur, vel altero post anno, *Caulem* emittit dilutè viridem, sesquicubitalem & proceriorem, crassitudine auricularis, solidum, durum, striatum, aliquot ramis concavum: circa quem glabra, venosa & viridantia sunt *folia* Erucæ, vel si mavis Jaceæ pumilæ *Lob.* in horto cultæ in modum laciniata, dodrantalia & palmaria, ac quo summitati propiora exeunt, eò minora profundiúsque dissecta, quæ autem à terra circa caulis pedem proveniunt multo ampliora sunt, pedali nempe longitudine, latitudine verò quatuor aut quinque digitorum, Hippolapathi vel potiùs Armoraciæ formâ, rigida, rugosa, per ambitum serrata & versùs pediculum laciniata. *Capitula* caulis & ramorum summitatibus singula insident, rotunda, in latum turbinem fastigiata, præcedentis majora, atque pari imbricata squamularum commissurâ, tam accuratè loricata ut lævia ac quasi polita videantur: Ex quibus *flores* staminei, aureo colore perbellè fulgentes, atque suaviter olentes exeunt. His flaccidis *semen* album Cnici in summo, cilii instar hirsutum, alba involutum lanugine, succedit. *Radice* nititur longâ, crassâ, aliquot ramis præditâ, fuscâ foris & corticosâ, intus albescente & resinosâ, saporem dulcem ac gummosum habente, quæ perennis, frigoris autem impatiens & Solis caloris avida.

Expetit enim solum calidum, Barbariæ nempe colles & incultos campos, præsertim non procul *Gigeri* sive *Gigel* urbem Mauritaniæ.

Hujus plantæ semina hoc anno [1685.] nobis donata sunt ab eruditissimo Viro & insigni Botanico *D. Hans. Sloane*, quæ loco incommodo sata flores nondum explicârunt.

4. *Centaurium majus alterum* Ger. *majus alterum sive Lusitanicum* Park. *majus alterum folio integro* J. B. *majus folio non dissecto* C. B.

Clus.

Longa habet *folia*, non in lacinias divisa ut vulgare, sed Armoraciæ foliis non dissimilia, & ad Glasti foliorum humi expansorum similitudinem plurimum accedentia, per ambitum tamen serrata, saturæ viriditatis, & amariusculi saporis. *Caules* inter folia prodeunt cubitales, aut ampliores, rotundi, circa summum bifidi aut trifidi, squamata capita sustinentes, Centaurii majoris primi æmula: *florem* villosum, coloris albescentis, instar vulgaris: *Semen* Cnico ferè simile, seu, ut veriùs dicam, vulgaris, summo hirsutum, & molli lanugine involutum: *radicem* valdè crassam, duram, longam, denso cortice tectam, foris quidem nigro, internâ verò parte flavescente, succúmque croceum refudante, qui cum amaritudine quadam aromaticus est.

Locus. Supra Olyssipponem lapidosis juxta Tagum collibus duntaxat inveniebam (inquit Clusius) in Belgica peregrinum omnino.

* 5. *Centaurium majus, Rha capitatum folio Enulæ subtus incano & hirsuto* J. B. *Rha-ponticum folio Helenii incano* C. B. *Rha-pont. Enulæ folio latiore* Park. *Rha capitatum Lobelii* Ger.

J. B.
Folio est amplo, Enulæ sive Verbasci nigri magnitudine & formâ oblongâ, prona parte lanugine cinericeâ obducta, supinâ verò viridante, per ambitum serrato, crasso nervo per longum decurrente, à quo in margines obliquæ porriguntur venæ, antequam ad oras pertingant in venulas alias divisæ, pediculo longiusculo, satis crasso, villoso. *Caulis* (ut scribunt Adversariorum auctores) rectus, *capite* fastigiatus foris squamulis loricato, ac per maturitatem stamine purpureo pleno: *semine* dum circa Junium & Julium maturuit, Centaurii majoris vel Carthami longiore: *radix* etiam fungosior, major, & Rhabarbaro similior quàm Centaurio.
Ex semine Turcico nonnulli habuere, inquit Lobelius in *Adv.*

* 6. *Centaurium sive Rhaponticum alterum angustiore folio* J. B. *Rhaponticum angustifolium incanum* C. B. *Rhaponticum angustifolium* Park. *Rha capitatum angustifolium* Ger.

Lob.
Valdè affine est Capitato Rheo ex Italico semine natum, sed *folia* angustiora multò, acuti Lapathi paria, aversâ item parte incana; & *caulis* rectus, *capite* fastigiatus squamulis loricato, ac staminibus purpureis, Cinaræ aut Cardui concoloribus pleno. *Semen* Cnici sylvestris compressum ægrè maturat in Belgio. *Radix* Centaurii majoris fungosior.

Cap. XV.

Cyanus pulchro semine Centaurii majoris J. B. *Chondrilla rara purpurea, Crupina Belgarum dicta* Park. *Chondr. Hispanica* Ger. *foliis laciniatis serratis, purpurascente flore* C. B. **The bearded Creeper.**

J. B.
Culturâ proficit hæc herba siqua alia plurimùm: Spontaneæ *caulis* vix palmaris, sæpe singularis; in hortis bicubitalis & multis ramis brachiatus, firmus, striatus, medullâ albâ donatus. *Folia* priora duo orbiculata, alia quæ sequuntur longa uncias duas vel tres, laciniata, quæ veluti crispantur, nonnihil hirsuta; circa margines serrata, superiora in lacinias insigniter tenues dividuntur. Extremis ramulis insident *capitula* parva, oblonga, squamis raris sed longis, purpurascentibus, lævibus imbricata; *florem* ferentia stamineum, purpurascentem. *Semina* Centaurii majoris, minora, nitido lævore lubrica infernè nigricantia, Zonâ albâ circa partem superiorem cincta, umbilicum coronante ruffo longóque barbitio, ut pulchrè aspergillum aquæ lustralis intingi solitum imitentur: inest semini medulla alba. *Radix* solet esse longiuscula.
Hetruriâ & agri Narbonensis collibus non procul à Lupo monte exit. *Lob.* Nobis inventa est propè Scaleam in Regno Neapol. & in colle *Castri novi* non procul Monspelio. *Locus.*
Crupina Belgis dicitur à vocabulo **Cruppen** i. e. repere, quia semen manu contrectatum se subducit ac prorepit.
Serratulam dictam apprimè refert hæc planta, foliis serratis & capitulorum formâ.
Columna hanc accuratè describit & depingit sub titulo Senecionis-cardui Apuli. Ineptè à nonnullis Chondrillis annumeratur, cum quibus nihil habet commune.
Prima eruptione è terra vel ex solis seminalibus foliis facilè cognoscitur, quæ magna, subrotunda, in medio lineam rubentem obtinent.

Cap. XVI.

A. *Serratula* J. B. C. B. *purpurea* Ger. *vulgaris flore purpureo* Park. **Saw-wort.**

J. B.
Caule recto, rigido, striato, glabro, rubente ad cubitos duos attollitur, qui cis summitatem in ramos multos finditur. *Folia* aliàs integra, Betonicæ paria, aliàs Scabiosæ instar laciniata, utraque atrovirentia, glabra, arguto spinularum mitium agmine serrata. *Capitula* crebra extremis surculis insident, oblonga, squarrosa, atro-rubentia, è quibus *flores* emicant Jaceæ nigræ, purpurei aut carnei coloris. Cæterùm flores è plurimis flosculis aggregatis componuntur; quorum unusquisque suo insidet semini: suntque omnes, tam marginales quàm medii, ejusdem magnitudinis & figuræ. Radicum fibræ majusculæ, sapore subamaro, tandem & eo quem Cyanus mansu exhibet.
Julio mense floret, éstque in sylvis & pratis frequens. *Tempus & Locus.*
Datur utiliter potanda ex albo meraco ruptis & ab alto devolutis. Idem præstat radix pulverisata, & ℥j. pondere in vino calidè pota: in vino decocta, ac deinde illita ulcera mirificè mundat, carne replet, & cicatrice obducit: hæmorrhoidum quoque dolores mulcet fotu adhibita. Folia & radix simul contusa & imposita vulnera & enterocelas sanare creduntur. *Matth.* *Vires.*

Serratula à foliis minutim circumquaque incisis & serratis nomen obtinuit. Parvitate sua præcipuè à Centaurio majore differt, cum quo foliorum ambitu serrato convenit.
Serratulæ affinis capitulo Baccharidis, flore Trachelii *Hort. Lugd. Bat.*

CAP. XVII.

De Lappa seu Personata.

L*Appa* dici potest vel ἀπὸ τοῦ λαβεῖν prehendere, vel ἀπὸ τοῦ λάπτειν i. e. lambere, quòd prætereuntium vestibus adhæreat. *Personata* autem dicitur, quòd folia ejus prægrandia veluti larvæ aut personæ vice obtendi solita essent. Veteribus Arction aut Arcion dicta creditur, verùm ratio nominis ignoratur.

Notæ ejus genericæ sunt capitula lappacea ob squamarum mucrones hamatos vestibus adhærentia, folia amplissima.

A. 1. *Bardana major* Ger. *vulgaris major* Park. *Personata sive Lappa major aut Bardana* J. B. *Lappa major, Arcium Dioscoridis* C. B. **Great Burdock, Clot-burr.**

Radice nititur simplici, crassâ, profundè in terram descendente, foris nigrâ, intus albâ. *Folia* pediculis longis insident, maxima, hirsuta, supernè viridia, infernè brevi & densa lanugine incana, non exactè rotunda, sed in longitudinem productiora, & in acutum mucronem desinentia, brevibus & vix conspicuis circa margines spinulis. *Caulis* sesquicubitalis & altior, crassus, teres, hirsutus, purpurascens, medullâ farctus, foliis per intervalla breviora alternatim positis vestitus, ab imo statim ramosus. In summis caulibus & ramulis *flores* in capitula squamosa congesti, squamis extantibus cum mucronibus reflexis seu aduncis, unde vestibus tenaciter adhærescunt. *Flosculi* singulares ex quibus totales componuntur singuli singulis insident seminibus alatis, ipsi purpurei, quinquepartiti, è medio exeunte clavâ quâdam tubulosâ, nigropurpureâ, quam penetrat stylus pallidus bicornis. *Semina* majuscula, oblonga, fusca.

Bardana major rosea *Park.* descriptæ varietas est accidentalis, non species distincta.

Arctium quorundam *Lugd.* C. Bauhinus huc refert. Parkinsonus distinctam speciem facit. Lugdunensis historiæ fides apud nos vacillat ideóque C. Bauhino assentimur, quantumvis neque descriptio, neque figura Lugdunensis huic conveniant.

Vires. Radix præcipuè in usu est. Siccat, est pulmonica, diuretica, diaphoretica, extergens, subastringens. Hinc convenit in Asthmate, calculo, expuitione sanguinis, in vulneribus inveteratis, tumore lienis aliarúmque partium; in arthriticis morbis, quibus peculiari proprietate conferre statuitur. *Schrod.*

Extrinsecùs imponuntur folia vulneribus inveteratis, articulis luxatis, ambustis, &c.

Semen insigne lithontripticum censetur. Propinant autem in pulverem comminutum in Cerevisia tenui, aut zythogalo nostratibus **Posset-drink** dicto, lunâ plenâ. Hofmannus præfert radicem saccharo conditam. Apuleius pulverem seminis per quadraginta dies dat, & ischiadicos mirabiliter sanat. Rationem addunt, quòd multum salis nitrosi possideat hæc herba.

Caules antequam lappæ gignantur deraso cortice crudi coctíque ex oleo & aceto mandi primis mensis cœpere. Petrus Laurembergius validam vim frangendi calculum, augendi semen, excitandi venerem eis attribuit.

Febrem quartanam in Henrico tertio Galliarum Rege decocto Bardanæ seu Lappæ majoris à Petro Pena deletam fuisse testantur S.Formius Obs. 41. & G. Hieronymus Velschius Obs. 4. Empiricum Parisiensem plurimos quartanarios decoct. radicis hujus herbæ ex vino albo magno successu curare solitum accepimus inter Observationes celeberrimi Viri Pauli Marquarii Slegelii Poliatri Hamburgensis. Hæc D. *Tancred Robinson*, qui & sequentia communicavit.

De vi & efficacia hujus plantæ in Arthritide & lue Venerea consule S. Paulli Quadripart. Botan. Cl. 3. p. 362, 363. Eandem vim obtinet quam Sarsaparilla.

Lappa major incensa deflagrat in modum Salis petræ, & pari ratione spuit ignem. *Ephem. Germ.* An. 3. Obs. 222.

In nephritide sem. vel rad. in aqu. Chærephylli aut Petroselini plurimum commendatur. *S. Paulli.*

In Lethargo in clystere prodest radix Lappæ majoris. Dolæus l. 4. c. 1. S. 19.

A. 2. *Bardana major altera* Ger. *major lanuginosis capitulis* Park. *altera cum capitulis villosis* J. B. *Lappa major montana capitulis tomentosis sive Arctium* C. B. **Woolly-headed Burdock.**

A præcedente differt capitulis minoribus, squamis brevioribus, lanugine incana ceu aranearum telis intertextis.

Primùm observavimus circa *Skipton* oppidum & in montosa comitatûs Eboracensis parte ea quæ *Craven* dicitur copiosè; nuperrimè etiam alibi passim in Anglia, cum priore, ostendente D. *Sam. Dale* pharmacopœo & Medicinæ practico in Brantria Essexiæ oppido.

HISTORIÆ PLANTARUM
LIBER OCTAVUS:
QUI EST
De Herbis flore composito non papposis seu CORYMBIFERIS.



QUID Corymbi nomine hoc in loco intelligimus superiùs diximus cùm de Herbis flore composito donatis in genere ageremus.

Hujusmodi autem herbæ sunt vel flore radiato, vel flore nudo: proinde librum hunc in duas Sectiones partiemur, quarum prima erit de Corymbiferis flore radiato: Secunda de Corymbiferis flore nudo.

Herbæ flore composito Discoide, seminibus pappo destitutis, CORYMBIFERÆ *dictæ, sunt vel disco*

- *Radiato*, flosculis marginalibus seu barbulis eidem
  - *Concoloribus*, floribus [totales intellige]
    - *Sparsis* aut solitariis, foliis
      - *Integris*; barbulis seu flosculis medium discum cingentibus
        - *Cuspidatis*; seu radice tuberosa perenni, foliis conjugatim positis, flore minore: *Flos solis* PYRAMIDALIS: sive radice fibrosâ annuâ, foliis sigillatim positis, flore & semine maximis: FLOS SOLIS.
        - *Frontatis*; Seminibus
          - *Incurvis*; fronte barbularum crenata; CALENDULA, *Caltha*.
          - *Rectioribus*; *Chrysanthemum Aster dictum.*
      - *Laciniatis*, Fosculis marginalibus seu petalis
        - *Latissimis* & subrotundis, calice è simplici foliorum ordine composito seu integro: FLOS AFRICANUS.
        - *Angustioribus*; barbularum fronte crenata: CHRYSANTHEMUM *segetum*.
      - *Tenuiter dissectis*: BUPHTHALMUM.
    - *In umbellæ formam* in summis caulibus *dispositis*: foliis
      - *Integris*, angustis serratis, barbulis & disco medio albis; PTARMICA.
      - *Laciniatis* Absinthii vulgaris in modum & pariter incanis: ABSINTHIUM UMBELLIFERUM.
      - *Tenuissime dissectis*; MILLEFOLIUM, *Achillea*.
  - *Diversi ab eodem coloris*, Albi sci. cùm umbo seu discus medius flavus sit: súntque itidem floribus vel

Sparsis

Sparsis aut solitariis, foliis

Integris, aut ad margines duntaxat crenatis incisísve; caule

Nudo, non ramoso, flore in fastigio singulari minore; BELLIS MINOR.
Folioso & ramoso, elatior, floribus majoribus: BELLIS MAJOR, *Buphthalmum vulgare*.

Multifariàm in segmenta tenuissima divisis: flore suavi, CHAMÆMELUM: fœtido; COTULA.

In umbellæ formam dispositis, foliis laciniatis pallidis, cum gravitate odoratis: PARTHENIUM, *Matricaria*.

Nudo, vide Tab. sequentem.

SECTIO PRIMA.

De Herbis Corymbiferis floribus radiatis.

HÆ vel sunt barbulis medio disco concoloribus, vel barbulis coloris à medio disco diversi. Utrumque genus est vel floribus sparsis aut solitariis, vel floribus in Umbellæ formam in summis caulibus dispositis. Erunt ergo quatuor hujus Sectionis membra seu genera subalterna.

Primum, de Corymbiferis cum barbulis medio disco concoloribus, floribus sparsis aut solitariis.
Secundum, de iisdem cum floribus in umbellæ formam dispositis.
Tertium, de Corymbiferis cum barbulis diversi à medio disco coloris, floribus sparsis aut solitariis.
Quartum, de iisdem cum floribus itidem in umbellæ formam digestis.

MEMBRUM PRIMUM.

De Herbis Corymbiferis cum barbulis medio disco concoloribus floribus solitariis aut sparsis.

CAP. I.

De Flore Solis.

FLos Solis dicta planta à novo Orbe advecta, Veteribus incognita fuit, Recentioribus à similitudine cum Sole denominata est, barbulis ambientibus Solares radios, disco medio ipsum syderis clypeum referentibus.

A reliquis cujuscunque generis plantis distinguitur flore omnium maximo barbulis umbonem medium coronantibus flavis & cuspidatis.

1. *Flos solis* Ger. *Chrysanthemum Peruvianum, sive Flos solis* Park. parad. *Helenium Indicum maximum* C. B. *Herba maxima* J. B. The Sun-flower.

J. B.

Caule surgit singulari, brachii crassitudine, decem aut duodecim pedum altitudine in nostris hortis, vicenûm etiam & quatuor referunt alii in solo Hispano: incondita per hunc *folia*, Cacaliæ formâ, non item magnitudine, quippe spithamam longa, aut etiam sesquispithamam, haud multò angustiora, acuminata, aspera, hirsuta, in ambitu serrata, pediculis longis hærentia. Summum caulis fastigium *florem* sustinet unicum, nutabundum, orbiculatum, Helenii simile, sed tam amplum ut facile pedem in diametro colligat, foliis auri nitore luteo micantibus ambitum obsidentibus; disco plano, lato, è plurimis flosculis, obscuriùs flavis, arctè stipatis, quorum singuli singulis insident seminibus, composito. *Semina* oblonga, tumidiuscula & nonnihil compressa nigra [interdum alba] singula singulis alveolis pulchro ordine dispositis contenta, qui seminibus exemptis favum referunt. *Radix* fibris innumeris composita, nec altè in terram descendens, nec tantum ausa promittere germen.

Flos aliquando tantæ magnitudinis ut 2362 semina exempta fuerint.

Flos solis meritò appellatur, quia non solùm effigiem Solarem præ se fert, sed versùs eum semper caput inclinat.

Flores

Flores interdum (& ut Parkinſonus, caulis etiam ad foliorum pediculos) reſinam tenuem, pellucidam exſudant pauca quantitate, Terebinthinam Venetam colore, odore & ſapore planè referentem.

Hujus plantæ tres aut quatuor ſeu ſpecies, ſeu varietates obſervantur: nimirum,

1. *Flos ſolis major flore ſingulari, maximo,* Helenium Indicum maximum C. Bauhino dictus, atque hic vel ſemine nigro, vel albicante ſeu cinereo.

2. *Flos ſolis prolifer* ſeu *ramoſus*, C. Bauhino Helenium Indicum ramoſum. Scribit Parkinſonus ſe in una planta ſexaginta interdum ramos obſervâſſe. Flores in hac ſpecie multò minores ſunt quàm in priore, multitudo tamen parvitatem compenſat. Has duas plantas pro diſtinctis ſpeciebus admittimus.

3. *Flos ſolis minor* Ger. C. Bauhino Helenium Indicum medium laciniato folio. Hic non alia in re quàm partium omnium parvitate à prima ſpecie differre dicitur, quamvis folia in icone quam exhibent nonnihil laciniata pingantur.

4. *Flos ſolis minor fœmina* Ger. Helenium Indicum minus *C. B.* His addi poteſt &

5. *Flos ſolis minor mas* Ger. quem omittit C. Bauhinus: & pari ſane ratione omittere potuit tertiam & quartam ſpecies: nam ſi omnino differant, non aliter quàm accidentibus quibuſdam ratione cœli aut ſoli, aut ſeminis aut temporis ſationis differunt. Nam Tabernamontanus, cujus in hoc Simia Gerardus eſt, quatuor quas exhibet figuras pro corona Solis, non aliter ab invicem diſtinguit quàm primam & ſecundam flore majore à tertia & quarta flore minore.

Uſus in cibo & medicina.

Flos hujus plantæ benè repurgatus à foliolis, coctus cum oleo, ſale & aromatibus, melioris eſt ſaporis quàm Fagi, Aſparagi, Cardui & Scolymi, ac ad Venerem inſigniter ſtimulat, ut in ſeipſo expertum ſe eſſe ſcribit Cortuſus: nec minùs eſu ſuaves & grati ſunt pediculi foliorum teneri adhuc in craticula decocti, ſale oleóque priùs præparati.

Semina licèt liberaliùs devorata capitis dolorem excitent, pectus tamen leniunt, ardorem extinguunt & apud aliquas gentes tuſa, coacta in panem, aſſaque frumenti uſum præbent. *Hernandez.*

2. *Flos ſolis pyramidalis, parvo flore, tuberoſa radice, Heliotropium Indicum quorundam* Ger. emac. *Helianthemum Indicum tuberoſum* C. B. *Battata Canadenſis* Park. **Jeruſalem Artichoke.**

Ger. emac.

Ab una *radice caules* unus, duo, tres, pluréſve exſurgunt, teretes, virentes, ſtriati, aſperi, piloſi, duodecim aut interdum ſedecim aut amplius pedes alti, craſſitudine minore multò quam *Floris ſolis*, medullâ alba fungoſâ farcti, *foliis* crebris, nullo ordine poſitis ab imo ad ſummum uſque cincti, pallidè virentibus, aſperis, acuminatis, octo circiter digitos longis, decem aut undecim latis, circa margines profundè dentatis, Floris ſolis vulgaris perſimilibus, non tamen rugoſis nec æquè latis. Caules ab imo ſtatim ramoſi ſunt, ramis longis, foliis paulatim magnitudine decreſcentibus ab imo ad ſummum uſque: unde planta arbuſculæ ſimilitudinem exhibet in coni ſeu pyramidis figuram effigiatæ. *Flores* apud nos in ſummis tantùm caulibus & ramulis naſcuntur. Floris Solis ſimiles, non tamen majores quàm Calendulæ vulgaris, duodecim aut tredecim ſtriatis, cuſpidatis, aureo fulgore micantibus barbulis radiati, medium ſeu umbonem occupantibus floſculis luteis densè ſtipatis: *Calix* floris è ſquamis villoſis componitur. *Semina* apud nos non perficit, quoniam ſeriùs poſt æquinoctium Autumnale floret. Caulis plures emittit *radices*, tenues, repentes, (quibus alimentum attrahit) fibrillis tenuibus capillatas, longè latéque ſe diffundentes, inter quas à radice primaria multæ aliæ ſoboles tuberoſæ excreſcunt, glomeratæ, nunc radici primariæ ſeu matri adhærentes, nunc fibris longis ad pedis ab ea diſtantiam adnaſcentes, terram elevantes, & nonnunquam ſupra ejus ſuperficiem apparentes. Unica Radix triginta, quadraginta, quinquaginta, aut etiam plura non rarò producit hujuſmodi tubera. Radices hæ tuberoſæ foràs colore rufeſcunt, ſubſtantiâ ſeu carne internâ fungoſâ candicante, variis prominentiis gibboſæ, pugni humani interdum magnitudine, ea parte qua germinaturæ ſunt velut in roſtellum elatæ. Caulibus marceſcentibus radices tuberoſæ per hyemem in terra reſtant & ſequenti vere regerminant, rarò tamen ante initium Maii. Hæc omnia è Gerardo emaculato tranſtulimus. Quibus adhuc, quamvis nimis fortè multa nonnullis videantur, caulis floribus onuſti deſcriptionem è F. Columnæ Hiſt. adjiciemus. Caulis ab imo è foliorum ſinubus alternatim hærentium adeò ramis dividitur frequentibus undequaque, ut pyramidem efficiat, decreſcentibus ramulis ſummis paulatim, adeóque floribus oneratur quatuor vel quinque in ſingulis ramulis, ut obeliſcum ſive metam rotundam ſtellatam dicas.

Uſus & Vires.

Radicum tubera ſapore dulci guſtui ſe commendant, & edulia ſunt, & gratiora (inquit Columna) cruda quàm cocta. Noſtrates variis modis ea præparant, alii in aqua decoquunt & cum butyro & Zingiberis tantillo condita eſitant: alii in furno aut clibano cum aromatis, medullâ, uvis paſſis, butyro, vino Hiſpanico, &c. maſſâ farinaceâ in volventes coquunt. Quocunque autem modo præparantur (inquit D. Goodyerus) flatulentæ ſunt, & ventriculo inimicæ; alii autem aliter ſentiunt, nec ullam ejuſmodi flatus excitandi vim in illis percipiunt aut agnoſcunt.

Datur hujus varietas radice oblonga.

In notis MSS. quas amicè nobis communicavit Eruditiſſ. Vir, *D. Joſua Palmer* M. D. Londinenſis invenio D. Hermannum Botanices Profeſſorem & Horti Medici præfectum in Acad. Lugduno-Bat. aſſerere Helianthemi Virginiani tuberoſi flores in pappum abire. Quod ſi ità ſit aliò transferendum eſt, nam non eſt hujus loci: & F. Columnæ rectius *Aſter Peruvianus tuberoſus* dicitur.

3. *Chry-*

3. *Chrysanthemum Canadense Aster Virginianus latifolius luteus repens* Park. *dictum.* **Yellow creeping Starwort of** Virginia.

Park.
Caulibus surgit firmis, teretibus, duos aut tres pedes altis, non ramosis, (aut saltem rariùs & paucis ramis) *foliis* per intervalla ad genicula binis oppositis, latis & amplis, *Floris* Solis similibus, sed minoribus, in acutiores mucrones productis, ad tactum durioribus & asperioribus & obscuriùs virentibus, venosis. In summo caule *flos* unicus, amplus, è calice novem aut decem foliolis viridibus composito exiens, plurimis longis angustis flavis discum medium fuscum ambientibus petalis constans: cui succedit (inquit autor) semen (ut aiunt) Floris Solis semini simile, sed minus. *Radix* fibrosa, sub terra reptans & latè se diffundens. Caules quotannis intereunt.

Hæc planta foliis & floribus ad Florem Solis accedit: Semen nondum observavimus. Si nobis liceret nomen imponere *Florem Solis minorem perennem radice repente* eum appellaremus.

Duplex habetur species, altera *Chrysanthemum Canadense latifolium elatius* P. Boccone, *Chrys. Canad. latif. altissimum* Morisono dicitur, cui *caulem* altitudine sex, septem, aut interdum octo pedum assurgentem, crassitudine pollicari: *Folia* latiora, longiora, dilutiùs virentia, dentata attribuunt. Altera *Chrysanthenum Canadense latifolium humilius* prædictis Autoribus, cui omnia minora.

4. *Aster Virgineus luteus alter minor* Park. **Another yellow Starwort of** Virginia.

Park.
Caule unico, tereti, gracili, recto, rigido assurgit, quatuor aut quinque pedes alto, binis ad singulos articulos *foliis* longis, pulchro virore splendentibus, circum oras dentatis cincto, pediculis tenuibus insidentibus, ad tactum rigidiusculis. E foliorum alis ad singula genicula *ramuli* utrinque exeunt, ab imo statim caule, minimùm cubitales, consimilibus foliis vestiti. Caulis & ramulorum singulorum fastigiis singuli insident *flores*, virentibus calicum foliolis obvallati, petalis seu barbulis circiter decem, angustis, oblongis, flavis discum medium ejusdem sed saturatioris coloris, cingentibus, compositi. *Radix* fibris aliquot crassioribus longis, albis, duriusculis, fibrillis tenuibus capillatis constat, & in multos annos durat, caulibus quotannis exarescentibus, è lateribus emissis propaginibus se multiplicans.

CAP. II.

De Chrysanthemo caule alat.

CHrysanthemum à floribus auri fulgore rutilantibus, dictum esse nemo nescit.

Chrysanthema autem dicimus herbas flore discoide radiato aureo, seminibus pappo destitutis; quâ notâ Chrysanthemum ab Astere differt. Atque ità latè accipiendo nomen Chrysanthemi tum Flos Solis, tum Calendula Chrysanthemi species erunt.

Verùm quoniam hoc genus plantæ insignibus notis inter se differunt: Sunt enim aliæ barbulis floris discum ambientibus cuspidatis, ut *Flores Solis* dictæ, de quibus jam egimus; aliæ caulibus alatis, seu membranulis foliaceis secundùm longitudinem extantibus auctis, de quibus proximo in loco agemus: aliæ seminibus curvis, quas Calthas & Calendulas vocant; aliæ barbulis frontatis fronte crenata, seminibus quadrangulis, nos eas in plura capita seu genera dividemus, quorum primum erit earum quæ caule sunt alato.

Non sum nescius secundam hujus Capitis speciem seminis cornuti seu bidentis respectu cum Eupatorio cannabino aquatico convenire, verùm quoniam aliis notis evidentibus & characteristicis, ut v.g. flore radiato, foliis in caule singulatim positis ab eadem differt; huic potiùs, quâcum insigni caulis alati nota convenit, adjungendam duximus.

1. *Aster luteus alatus* Cornuti, Cornutus **his yellow-welted Starwort.**

Cornut.
Quamvis procera sit & valdè ramosa hujus Asteris species, vix tamen duo cubita excedunt *caules* ejus rotundi, quos *folia* vestiunt obscurè virentia, longiuscula, sine pediculis: pediculi namque loco appendiculæ quædam, alarum instar è marginibus foliorum deorsum flexæ, utrinque cauli proximè adhærent, ibique desinunt, undè folii alterius exordia sumuntur. *Flores* lutei, Bellidi majori similes, in summo cauliculorum nascuntur, medio sci. orbiculo luteo prominente, & foliis è circumferentia exeuntibus, velut Astri radiis aureo colore fulgentibus. Flos vetustate in pappos abit, qui, si digitis infries Chamæmelinum quiddam redolent. *Radice* nititur fibrosa hic Aster, quem sapor astrictionis potiùs quàm alterius qualitatis participem esse testatur.

Minùs verè *Cornutus* Florem hujus plantæ in pappum abire scripsit; cùm semina solida sint & pappo destituta, observante Morisono.

Ab America Septentrionali allata est.

2. *Chry-*

2. *Chrysanthemum Canadense bidens* Moris. prælud. *Aster Virgineus luteus membranaceo caule* Park. Yellow Starwort of Virginia, with a welted stalk.

Park.
Sex septémve pedum altitudinem assequitur, *caulibus* multis firmis, duris, robustis, ima parte ad mediam ferè altitudinem teretibus, æqualibus, superiùs quatuor membranulis extantibus secundùm longitudinem productis à folio ad folium, velut alatis, minimè ramosis; quorum summitates occupant *flores* aliquot, lutei, stellati, quinque vel sex oblongis, angustis foliolis velut radiis umbonem medium è flosculis luteis densè stipatis compositum ambientibus; quos *semina* excipiunt compressa, capite lato & veluti cornuto, à se invicem ita abscedentia, ut capitula Ranunculi echinos aliquatenus referant, nisi quod majora sint. *Folia* singulatim cauli adnascuntur, superioris [Asteris Virginei latifolii lutei repentis] foliis persimilia, ejusdem obscuri & maligni viroris, non tamen usque adeo ampla & lata, & in mucronem aliquanto productiora, & ad tactum asperiora, brevibus pediculis fulta. *Radix* lignosa, dura, tuberosa, fibris plurimis longis terram penetrans, eique valide inhærens, è lateribus propagines emittens, non tamen repens.

Apud nos seriùs floret, nec nisi calida tempestate præcedente: semen raró perficit; Virginiæ indigena cùm sit. *Tempu*

Hæc planta Chrysanthemum Canadense bidens Morisono in Prælud. dicitur.

CAP. III.

De Chrysanthemo semine curvo seu Caltha aut Calendula,

CAltha dicitur non (ut aiunt) à forma, qua calathum seu calicem refert, sed à Græco κάλχα quod apud Nicandrum & Hesychium. Siculi commutant θ in χ ut ὄρνιθας ὄρνιχας. Sic κάλχα κάλθα. *Voss. Etymolog.*

Vulgò *Calendulam* appellant, quod corruptum ex *Calthula*, unde *Caldula*, & *e* inserto *Caledula*, posteàque *n* addito *Calendula*. *Idem.*

A reliquis Chrysanthemis seminibus curvis differt.

1. *Calendula sativa. Caltha* J.B. *Caltha vulgaris* C.B. Garden Marigold.

J. B.
Aureus *florum* splendor, antequam utilitas comperta esset, hanc plantam nobilitavit, qui omni auro saturatiùs rufescunt, Chrysanthemi segetum formâ, non ut illud è squamato capitulo, sed calice multifido hirsuto prodeuntes, odorati, disco medio fusco vel luteo, barbulis eum ambientibus frontatis, fronte crenata; *semine* succedente incurvo, granulis quodammodo asperato, exteriore majore, interiore paulatim minore. *Caules* tenues, teretes aut nonnihil angulosi, hirsuti, & tactu nonnihil viscidi, in crebros ramos divisi. *Folia* linguæ formâ, sine pediculis caulem amplexa, ad basin angustiora, summitate latiora & subrotunda, oblonga, pinguia, hirsuta, incana, gustu herbaceo, mox calidiusculo. *Radix* surculosa, in fibras multas crassiores, oblongas dividitur. Caules interdum cum radicibus perennant hyeme mitiore, sæpius brumali frigore utraque corrumpuntur.

Tres hujus plantæ varietates insignes notavimus, alteram flore simplici, alteram flore pleno seu multiplici, tertiam flore prolifero. Flos enim interdum alios parit in ambitu, matre minores in pediculis triente longioribus hirsutis.

Tabernamontanus, ejúsque Simia Gerardus nostras, novem Calthæ species pingunt & describunt, nimirum ejus quæ flore pleno est quinque varietates: 1. Calendulam multifloram maximam. 2. Cal. majorem polyanthon flo. aureo. 3. Cal. polyanthon flo. aureo. 4. Calendulam sativam polyanth. melinam. 5. Cal. multifloram orbiculatam. [6. Cal. proliferam primam. 7. Cal. proliferam secundam. 8. Cal. sativam seu flore simplici. 9. Sylvestrem seu arvensem.] Verùm hæ omnes varietates (quamvis C. Bauhinus quoque ita ferè distinguat) ad tres antedictas facile reducuntur: quin & ex tribus illis duæ quoque (ut suspicor) cultura & mangonio originem suam debent: nec tamen pertinax sum in hac sententia; nam (ut verum fatear) Calendulæ maximæ multifloræ semen satum speciem suam plerunque propagat; neque tamen, quantum hactenus expertus sum, Calendulæ minoris semen, majorem unquam producit.

Quòd semina in disco marginalia majora sunt, sata tamen plantas cùm flore simplici plerunque dant; media minora, & tamen plantas matri congeneres edunt, Gerardus tradit; penes quem fides esto.

Planta hæc Solsequia & Solis sponsa dicitur, quòd flos ejus ortu Solis aperiatur, & occasu claudatur.

2. *Caltha arvensis* C. B. *minima* J. B. *sylvestris* Ger. **Wild Marigold.**

Cauliculos emittit tenues, palmum & sesquipalmum altos, aliàs simplices, aliàs ramosos, singulis ramulis & summo cauli *flos* insidet exiguus, luteus, è calice folioso viridi. *Folia* angusta, semunciam longa: *radix* simplex, tenuis. Vix alia in re quàm partium omnium parvitate à Calendula flo. simplici sativa differt.

Circa Liburnum, Monspelium, &c. inter segetes & alibi oritur.

Vires & Usus. Calendulæ flores cardiaci censentur, hinc & hepatici & alexipharmaci, sudores movent, variolas expellunt, ictero medentur, menses cient, partum promovent (fumus subditus parturienti) Aqua destillata, oculis instillata, aut linteis in ea madefactis impositis eorum rubori & inflammationi medetur.

Decoctum florum Calendulæ in Zythogalo seu liquore posseti nostratibus dicto, vulgò propinatur ad variolas expellendas; ejusque usus à longo tempore ferè inter omnes increbuit.

Ad pestem præservativum, Accipe flor. Calendulæ vulg. manduca, vel cum oleo aceto fac acetarium. *Curio de Briqueville.* Curativum, Succ. florum Calendulæ potus jejunè fortiter sudando. *Idem.* In metu Carbunculi pestiferi detur succus Calendulæ manè ab ℥j. ad ℥ij. mirabiliter etiam purgat venenum pestiferum, per sudorem illud mira virtute evocans. Ex Observ. Marc. Cumani. *D. Soame.*

CAP. IV.

De Chrysanthemo seminibus angulosis aut striatis.

Chrysanthemum Conyzæ aut Asteris facie.

1. *Aster cernuus* Col. *Aster Atticus foliis circa florem mollibus* C. B. *Aster cernuus Columnæ* Park.

Col.

HUjus plantæ *folia* oblonga, vulgaris Asteris effigie, latiora, majora multò, tres uncias lata, per ambitum parùm crenata, brevi hirsutie pilosa, terræ proxima nervosa. *Caulem* singularem emittit, alis divisum multis, quibus breviora hærent alternatim folia ut in caule, duriora, minúsque crenata vel nihil. Caulis verò alarúmque summum non ut in aliis plantis tenuius fit, sed paulatim crassescit, ut quod floribus hæret sit admodum crassum, & curvum, non imbecillitate, ut in Chrysanthemo Peruviano, sed naturâ. Singulos *flores* in singulis alarum cacuminibus producit, luteis *staminibus* confertis in umbones, ut in congeneribus, sed pluribus admodum foliolis virentibus imparibus cinctos: Radii autem cingentes florem molles, nec ut in vulgari Astere aculeati vel pungentes. *Semen* oblongum, fulvescens, amarum, viscosum, odoratum, angustum, striatum, quod singulis floribus subest. *Radix* fibrosa, pallescens, fibris crassiusculis divisa, Valerianæ sylv. modo, sapore ferè aromatico. *Folia* acerba, adstringentia cum amarore quodam.

Locus & Tempus. Hæc in monte S. Mariæ Virginis dicto oritur. Julio & Augusto floret & Septembri perficitur.

2. *Aster Atticus* Ger. Cæs. *Atticus luteus verus* Park. *luteus foliolis ad florem rigidis* C. B.

Clus.

Unico plerunque assurgit *cauliculo*, pedali, duriore & quodammodo lignoso, lanugine pubescente, qui superiore parte in ramulos dividitur, caulem superantes, quorum extremis squamata insident *capitula*, foliis quinque utplurimum longis, hirsutis, rigidiusculis & radiatim expansis subtus exornata, in medio verò *flos* Chrysanthemi aut Anthemidis aureus. *Folia* per caulem sparsa lanuginosa, mollia, candicantia ut Lychnidis ferè, sed angustiora. *Radix* durabilis non est, ut quæ singulis annis pereat.

Locus & Tempus. Frequentissimus est (inquit Clusius) hic Aster Granatensi regno, & agro Salmanticensi in arvis, ubi Maio & Junio floret. Nobis observantibus in Italia. Sicilia & Gallia Narbonensi ubique ferè obvius.

C. Bauhinus è Lobelio & Dodonæo aliam proponit Asteris Attici lutei speciem, quem *luteum folio glabro & crenato* appellat, Lobelius *Italorum luteum fruticosum, Oleæ folio, Conyzæ facie,* quam in Italiæ saxosis & aridis, inque Gallia Narbonensi valdè frequentem esse scribit. Verùm descriptio adeò brevis est & generalis, ut nesciam planè quam plantam intelligat. *D. Magnol* Asterem Italorum luteum, &c. Lob. Asteris montani lutei Salicis glabro folio *C. B.* synonymum facit: verùm C. Bauhinus diversum statuit, novo ei titulo imposito, *Asteris lutei folio glabro & crenato:* D. Morison Asteri luteo folio glabro & crenato *C. B.* h. e. Attico *Dod.* semina solida seu pappo destituta attribuit, idque ex propria observatione; unde apparet eum non specie tantùm sed & toto genere distingui ab Astere montano luteo Salicis glabro folio *C. B.* cujus flos in pappos abit.

3. *Aster*

3. *Aster supinus* Park. *luteus supinus Clusii* Ger. *luteus* 12. *sive supinus* C. B. *luteus supinus spinosus* J.B. **Low creeping Starwort.**

Clus.

Aster hic supinus est, *cauliculis* multis ab una *radice* prodeuntibus donatus, humi magna ex parte diffusis, striatis & hirsutis; *foliis* numerosis, Asteri Attico luteo penè similibus, sed paulò viridioribus: singuli rami durum & foliosum sustinent caliculum, in quo *flos* luteus circinatæ rotunditatis, Buphthalmi aut Chrysanthemi æmulus: quo evanescente caliculi in adeo dura & lignosa *capitula* evadunt, ut ungue vix frangi possunt, atque semen, quod in iis continetur, & firmiter inhæret, eximi.

Circa Massiliam ad maris litus observavimus; Clusius quibusdam Castellæ novæ locis. *Locus.*

4. *Chrysanthemum Conyzoides Monspeliensium*; *Conyzoides Monspeliensium* Moris. *Conyzoides Lusitanicum* Breyn. *Aster annuus Attico luteo similis, foliis ad florem mollibus* Botan. Monsp. *Aster Atticus odoratus Creticus* Zanoni.

Breyn.

Albam, aliquando ramosam, habet *radicem*, fibris dependentibus: ex qua *Caulis* rotundus enascitur, cubitalis, lenissimis & minutissimis pilis pubescens, præsertim in summitate, qui terræ partim incumbit, partim se surgit & in ramos multos pandit. *Folia* ejus alternatim absque pediculo sunt posita, lanuginosa, extremitatibus nonnihil reflexis, Conyzæ minimæ *Lob.* foliis respondentia, paulò tamen majora, lætioréque viriditate prædita, haud crispa vel undulata: Ex horum sede & ramulorum angulis, non minùs quàm in caulium fastigiis *capitula* proveniunt solitaria ac dura, foliis quinque, septem, vel etiam quandoque novem circiter majoribus, & quinque vel pluribus minoribus, molliusculis, viridibus & radiatim expansis subtus donata: in medio verò *Flos* lutei coloris, cujus foliola per extremum denticulata tribus denticulis orbem ex compluribus staminulis conflatum coronant, quo evanescente parva *semina*, angulosa & solida, impensè incana, argenteísque nitoris & sericeo tactu succedunt. Tota Planta, præsertim trita, odorem aromaticum & resinosum, à Conyza non multùm abludentem spirat. Sapor itidem est aromaticus & ferè fervidus.

Circa Monspelium sponte oritur & copiosè, ut nos etiam observavimus cùm ibi essemus. *D. Magnol* secus fluvium *la Maussou*, versùs *Grabels* & Salenovam Junio mense sæpiùs cum flore legit. Asterem secundum *Clus.* refert, (ut rectè Breynius) staturâ, odore, foliorum hirsutie differt. *Locus.*

Chrysanthema reliqua.

1. * *Chrysanthemum arborescens Æthiopicum foliis Populi albæ.* Breynii.

Breyn.

Frutex est crebris & densis ramis, quorum juniores densum ob tomentum albidi; in quibus *Folia* subrotunda, crasso modo in ambitu serrata, ac lanugine densa rasili in utraque superficie obducta, Populi albæ minoribus simillima. *Flores* in ramulorum extremitatibus aureo colore fulgentes Chrysanthemi Canadensis bidentis alato caule *Moris.* haud malè æmulantes se præbent, umbone croceo, multis petalis nervosis, anteriore parte denticulatis, radiato, constantes. His demum *semina* oblongiuscula, angulosa & solida, aliorum Chrysanthemorum ritu succedunt. *Locus.*

Frequens est circa Promont. Bonæ Spei, & in regionibus adjacentibus.

2. *Chrysanthemum Americanum laciniato folio.* *Aconitum Helianthemum Canadense* Cornuti. *Doronicum Americanum* Park.

Corn.

Fruticosum hoc Aconiti genus *folia* habet quæ ab radice germinant, latissima, atro-virentia, ac ferè trisulca. Quæ verò cauli adnascuntur, septem aut novem, atque etiam quò superiora eò pluribus profundioribúsque divisa laciniis. Multis *caulibus* ultra proceritatem hominis adolescit; hi in plures diducti ramulos extremitates habent luteis *floribus* amplissimis onustas. *Flos* ut plurimum decem aut duodecim petalis oblongis constat, interposita singulis non levi spatio: inest medio umbo quidam, qui totus *seminibus* obducitur, ità figuratus ut ab imo latior in angustum verticem exacuatur. Hujus basin cingunt coronæ instar intermedia majoribus foliola viridia. *Radix* crassa & carnosa Aconiti more in plures quoque fibras exit, latiúsque spatiari solet, nisi diligenter præcidatur ejus incrementum quotannis.

Malignam ac deleteriam vim huic plantæ attribuit Cornutus.

Hujus aliam speciem describit Morisonus noster in *Prælud. Bot.* p. 251. sub titulo Chrysanthemi Americani laciniato folio obscuriùs virenti minoris. *Chrysanthem. American. laciniatum minus.*

Quod priore humilius est; foliis minoribus, magis laciniatis & obscuriùs virentibus: floribus minoribus.

A. 3. *Chrysanthemum segetum* Ger. emac. *segetum nostras* Park. *folio minùs secto glauco* J. B. *Bellis lutea foliis profundè incisis major* C. B. **Corn-Marigold.**

Radix simplex, alba, lignosa altè in terram descendit, plurimis filamentis tenuibus capillata. *Caulis* simplex, pedalis aut altior, teres, medullâ farctus, lævis, ramosus, *foliis* vestitus alternatim

 positis,

positis, absque pediculis caulibus adnatis, colore glauco Cerinthes aut Isatidis, duas aut tres uncias longis, vix digitum latis, circa margines altiùs incisis. *Flores* in summitatibus caulis & ramorum Bellidis majoris, petalis in ambitu latis, flavis, discum aureum ambientibus. Discus autem ille componitur è flosculis in quinque segmenta expansis cum stylo in medio, quorum singuli singulis *seminibus* insident, ut in reliquis corymbosis.

Locus. *Segetes frigidiorum tractuum Galliæ, Germaniæ utriusque, Angliæ, &c. hoc scatent, flavam per messes Cererem ornante; regionibus æstuosis rarius.* J. B.

4. *Chrysanthemum Creticum primum Clusii* Ger. emac. J. B. *majus folio profundè laciniato, magno flore* C B. **Candy Corn-Marigold.**

Cubitales habet aut ampliores *caules*, satis crassos, teretes, striatos, duros, paucâ intus medullâ, ramosos, colore glauco aut pallidè viridi, frequentibus *foliis* brevi petiolo inæqualiter nascentibus ornatos, quæ in varias & profundas lacinias easque iterum circumcirca incisas & valdè dissectas divisa sunt. Extremis cauli & ramis innascuntur ampli *flores*, è squammoso capite prodeuntes, duodecim aut pluribus foliis constantes, satis latis, extremo crenato, aurei initio coloris, postea paulatim in pallidè flavum degenerantis, latiusculum discum ambientibus flavum. Flori utcunque odorato succedunt capita è multis inæqualibus, longiusculis, striatis, utrâque extremitate obtusis, & subfuscis seminibus compacta.

Radix subest alba, digitali crassitudine, brevis, multis fibris adhærentibus, quæ semine perfecto interit, è quo in terram delapso vere sequenti novæ plantæ exoriuntur.

Locus. Hæc Clusio è semine Cretâ misso nata est. Verùm non Cretæ peculiaris est, nobis enim in vineis & hortis oleraceis circa Messanam Siciliæ & alibi observata est copiosè proveniens.

Hæc planta variat interdum floris colore mixto, seu partim candido, partim luteo.

5. *Chrysanthemum Creticum* 2. *Clusii* J. B. *majus folio in minores lacinias diviso* C. B. Clusius **his second Corn-Marigold.**

Clus.
Non minùs fruticosum, minúsve altum est, minùs tamen crassos habet *caules*, fungosos & striatos etiam illos, quos ambiunt *folia* non adeò dissecta, sed in minores lacinias & rariùs incisas divisa, propiùs ad Chrysanthemum segetum accedentia. Sustinent extimus caulis & rami squammata & quasi imbricata *capita*, è quibus nascuntur flavi *flores*, totidem quot in primo foliis constantes, angustioribus tamen & medium orbem aureum cingentibus; quibus etiam succedit semen simile sed aliquantum minus.

Huic vel potiùs præcedenti plantæ eandem putamus

Chrysanthemum foliis Matricariæ C.B. *Chrys. majus folio valdè laciniato flore croceo* J. B.

J. B.
Cui *caules* cubitum aut sesquicubitum alti, teretes, læves. Radix superiori similis: Folia sine pediculis cauli ejúsque alis adnascentia, Matricariæ ferè divisura, pinguia, tenera, sapore oleraceo quanquam non ita accepto. Flores quales superioribus.

Quantum differant Chrysanthema Cretica Clusii ab hîc tradito considerandum, inquit J. Bauhinus. Parum certè aut nihil. Nam & descriptiones in plerisque conveniunt, & utraque annua sunt, & Chrysanthemum Matthioli in Germania & Septentrionalibus regionibus peregrinum.

Chrysanthemum minus Camerarii in Epitome Matthioli J. Bauhinus huc refert.

6. *Chrysanthemum latifolium* J. B. *Hispanicum rotundioribus foliis* Park. *item Chrys. segetum Baticum Boelii* ejusdem *&* Ger. emac. **Daisie-leaved Corn-Marigold.**

J. B. Ger. em.
Fibrosis albis nititur *radicibus* annuis. *Caulis* teres, striatus, glaber, rubescens, cubitum altus, medullâ fungosâ farctus, ramis alternis divisus; *foliis* cinctus nullo ordine positis, duas trésve uncias longis, semunciam aut unciam latis, ad Bellidis majoris folia proximè accedentibus, per extremum latioribus, circumcirca serratis, glabris, obscurè virentibus, sine pediculis adnatis. *Flores* extremis caulis & ramulorum hærent singulares, minores quàm Bellidis majoris, disco foliísque discum coronantibus (viginti numero in extremo crenatis) aureis. Florem suffulciunt squamæ viridantes. *Semen* parvum, oblongum, teres, incurvum, albidum.

Locus. Inter segetes non in Hispania tantùm, sed etiam in Italia circa Liburnum portum nobis observantibus copiosè provenit.

Huic persimilis est & fortasse eadem

Chrysanthemum parvum, sive Bellis lutea parva latifolia J. B.

Persimilis est (inquit) Bellidi majori, cujus *folia* habet, vix unciam longa, serrata, eodem ordine per *caulem* disposita, qui singularis, pedalis, subhirsutus, summo vertice *florem* gerit unicum, paulò jam dictæ Bellidis minorem, radiatis in orbem foliis saturatè croceis umbonem ejusdem coloris coronantibus, quæ aversa parte suffulciunt folia pallidè virentia, subhirsuta. *Radix* brevis, gracilis, multifida.

Præcipua

Præcipua differentia est in *parvitate*, quæ evenire potuit ratione loci *caulis hirſutie*, quæ tamen non tanta erat, ut hirſutum dicere auſus ſit; & *flore* in ſummo caule *ſingulari*, quod tamen perpetuum non erat, & ſterilitati ſoli fortaſſe debeatur.

* 7. *Chryſanthemum Alpinum* 1. *Cluſii* Ger. Park. *Chryſ. Alp. incanum, foliis laciniatis* C. B. *Chr. Alp. Judenbergenſe, Jacobææ affine* J. B. Cluſius **his first Mountain Marigold.**

Cluſ.

Multa habet ſecundum radicem longiuſcula *folia*, Abſinthio umbellifero ſimilia, craſſa, pollicari longitudine, in lacinias aliquot diviſa, viridia, (in novellis tamen quædam canities conſpicitur) amari ſaporis: *Caules* aliquot palmares, rarioribus & tenuiùs diſſectis *foliis* ornatos, ſtriatos; in quibus veluti umbellæ denùm aut duodenùm luteorum *florum*, Jacobææ vulgaris floribus non multùm abſimilium & ejuſdem odoris. *Radix* craſſiuſcula eſt, multíſque candicantibus fibris capillata.

Provenit in *Judenberg, Spital* & aliis quibuſdam Stiriæ jugis, ubi Julio & Auguſto floret. *Locus & Tempus.*

J. Bauhinus hanc plantam Jacobææ affinem facit; verùm quoniam ex ejus deſcriptione non conſtat an Flos in pappos abeat nécne, & titulum & locum quem ei aſſignavit autor tantiſper retinere permiſimus, dum certiores de ejus notis genericis facti fuerimus.

* 8. *Chryſanthemum Alpinum* 2. *Cluſii* Park. *Alpinum foliis Abrotani multifidis* C. B. Cluſius **his second Mountain Marigold.** *Chryſ. Alp. Etſcherianum, Jacobææ affine J. B.*

Cluſ.

Huic numeroſa proximè radicem naſcuntur *folia*, Abrotani maris foliis reſpondentia, dilutiore viriditate nitentia, & odore ſi terantur non ingrato, ſapore verò amaricante & minimè grato: ex his *caules* exeunt pedales, minoribus foliis onuſti, in aliquot interdum ramulos diviſi, qui ſingulos aut geminos ſuſtinent *flores*, Chamæmelo vulgari majores, inodoros, omnino flavos, hoc eſt, medium orbem luteum cingentibus etiam luteis foliis, ſatis latis. *Radix* fibroſa & nigricans eſt, pluréſque à latere ſpargit ramos.

Invenitur in Etſcher, Snealben, Veytzalben & celſis aliis Alpium Stiriæ jugis. Floret Auguſto. *Locus.*

De genere hujus plantæ nihilo certiores ſumus quàm de ſuperioris: hîc maneat donec de eo certiùs conſtiterit.

A. 9. *Buphthalmum vulgare* Ger. *Dioſcoridis* C. B. *Matthioli, ſive vulgare Millefolii foliis* Park. *Chamæmelum Chryſanthemum quorundam* J. B. **Common Ox-eye.**

Caulibus cubitalibus & majoribus, tenuibus, & incana lanugine obductis, pluribus, propter terram rubentibus, ex lignoſa *radice* obliquè exortis, ramoſis *folia* adnaſcuntur itidem lanuginoſa, Millefolii, denticulata, pinnatáque, multò minora, quippe quæ non temere unciam longitudine ſuperent, odore Chamæmeli. In ſingulorum ramorum faſtigio *flos* unicus, Chryſanthemi, totus luteus, ſive quæ in ambitu ſunt folia ſpectes, ſive diſcum, qui rigidulis apicibus aſper eſt: *Calyx* porro cui inſidet incanus, Chryſanthemi inſtar ſquamoſus eſt.

Variis Germaniæ in locis hanc plantam obſervavimus ſpontaneam; circa Florentiam quoque Italiæ in alveis torrentum & alibi. *Locus.*

* 10. *Buphthalmum Cotulæ folio* C. B. ejuſdémque *Buph. caule & flore purpuraſcente, ex ſententia fratris. Buph. alterum Cotulæ folio* Park. ejuſdémque & Ger. emac. *Chryſanthemum tenuifolium Bæticum* Boelii. **Camomile-like Ox-eye.** *Buphth. tenuifolium folio Millefolii ferè* J. B.

J. B. Ger.

Radice eſt brevi, tenui, candida, paucis fibris capillatâ. *Caules* habet tomentoſos, tenues, ſtriatos, ſubrubros, cubitales & longiores, frequentibus ſatis ramis multifidos; per quos *folia* naſcuntur ad Millefolii tomentoſi folia accedentia [tenuiſſimè diſſecta & foliis *cotulæ fœtidæ* perſimilia *Ger. emac.*] pari diſpoſitione & diviſurâ ferè, verùm nonnihil latiora. *Flos* ſingulis ramis in cacumine hæret unicus, magnus, radiatis in ambitu foliolis longiuſculis, extremo crenatis, tredecim aut quatuordecim aureis coronatus, diſco concolore; *calice* folioſo, lanuginoſo, caneſcente. Foliorum ſiccorum ſapor nullus memoratu dignus.

Foliola floris diſcum cingentia (inquit Cluſius) ſubtus plerunque nonnihil purpuraſcunt aut rubeſcunt; hinc, ut puto, Buphthalmum caule & flore purpuraſcente *C. B.* ramuli plerunque humi fuſi ſunt, & folia quàm Chryſanthemi Valentini craſſiora.

Circa oppidum Aquæ mortuæ nuncupatum obſervavit & eruit Cluſius. *Locus.*

In Horto Medico Leydenſi habetur Buphthalmum folio Chamæmeli non deſcriptum: q. quomodo differat à præcedente.

* 11. *Buphthalmum Creticum Cotulæ facie flore luteo & albo* Breynii.

Breyn.

Hæc Chamæmelo persimilis albam possidet *radicem*, densis fibris se in terram figentibus, tenuibus, & aliquantulum tortuosis: initio nullius manifesti saporis, sed diutiùs in ore dentibus pressa satis acrem, fermè ut Pyrethri, linguæ relinquens. Ex illa densa in orbem circa terram *folia* erumpunt, leniter hirsuta, magnitudine, divisurâ & formâ Pyrethri Bellidis flore *C. B.* planè respondentia: inter quæ *Caulis* pænè cubitalis, nonnunquam tamen duntaxat pedalis, rotundus, mollis, cum tempore durior, coloris viridis, vel ex viridi albicantis propter hirsutiem, surgit; *foliis* minoribus, chamæmeli magis convenientibus, sed crassioribus, in lobulos latiores divisis: ex quorum sinu alæ, utplurimum longitudine caulem superantes, in tali abundantia, præsertim circa radicem, prodeunt; ut densa & orbiculata plantæ effigies subinde videatur ob alarum multitudinem obliquè & resupinè se propagantium. *Flores*, quibus subest squamosum capitulum, squamulis viridibus lanuginosis triplici serie contextum, Buphthalmi Alpini floribus non parùm assimilantur, nisi quod illorum petala, tredecim plerunque numero, majorem, in medio paulisper quasi exculptum sive concavum, ex plurimis flavis tubulis condensatum orbem circumambientia, breviora, latiora, lineis seu plicis striata, & dilutiore flavedine sunt imbuta, imprimis cùm ad senium vergunt, & parte inferiore ubi pænè tantùm sulphurea, conspiciuntur. Primus horum florum in medio plantæ supra caulem mense Junio exit, deinde alii in alarum majorum cacuminibus, & tandem reliqui in ramulis lateralibus veluti succedanei itá se excipiunt, ut planta hæc totam non modò calidam æstatem atque autumnum fertilem floribus condecoret, sed triste senium etiam subinde anni genialiter coronet; messémque semper uberrimam latè compressorum seminum, saturè purpureorum, inter squamulas tenues membranaceas & latas, ejusdem planè coloris, nitentes, firmiter & solidè jacentium proferens; quæ tandem sicuti etiam squamulæ ipsæ, Regiæ suæ splendorem purpuræ cum illepido colore spadiceo tristi commutant, & in generis sui conservationem quotannis apud nos sunt serenda. Planta hæc nullius excellentis est odoris, præter flores, subdulcem & medicatum quadantenus, sapori calidiusculo & aromatico pænè similem, spirantes.

Datur alia hujus seu species, seu potiùs varietas, petalis discum illum luteum circumradiantibus albis, seu splendidè argenteis, unde flores Pyrethro perquam sunt similes, planta ipsa Chamæmelo, ut non facilè queat discerni.

Hujus semen habuit ex horto Academico Lugduno-Batavo.

* 12. *Chrysanthemulum Ericoides C. bonæ spei* Breyn.

Breyn.

Ante florum proventum adeò Ericæ Coris folio simile, ut eruditissimus etiam botanophilus congenerem ei existimaturus sit. Parvus enim est *Frutex*, complurimos, graciles, lignosos subrubentes, & veluti quibusdam tuberculis obsitos proferens ramulos: qui in superiore, ubi leniter lanuginosi, parte foliolis Ericæ Coris folio secundæ *Clus.* persimilibus, adeò confertis sunt onusti, ut nullum ferè lignum conspiciatur. Summis ramulis singuli, vel bini aliquando, sæpius tamen numero plures, quasi in umbellam dispositi, insident *Flosculi*, Millefolii non multo majores, petalis multis pallidis discum parvum radiantibus, è Capitulo foliolis crebris sibi invicem incumbentibus compacto prodeuntes.

His marcidis *semen* ex fusco spadiceum, turbinatum, uvæ acinis simile, sed multo minus, superiùs verò, ubi angustius, denticulis quaternis duriusculis veluti coronula, in modum Chrysanthemi Canadensis bidentis ferè, donatum succedit, in materia quadam villosa latens.

In Catalogo Horti Medici Edinburgensis duas adhuc alias Chrysanthemi species invenio, Altera dicitur *Chrysanthemum latifolium Tingitanum*; Altera *Chrysanthem. Africanum pumilum procumbens, flore cernuo, nudo, luteo*; de quibus quoniam mihi nondum conspecta fuerint, quod dicam non habeo.

Nec quicquam nobis dicendum suppetit de Buphthalmo tenuifolio peregrino N. D. *Hort. Ludg. Bat.*

CAP. V.

De Chrysanthemo seminibus longis, compressis seu Flore Africano.

Hujus notæ sunt floris calyx integer oblongus, petala lata, semina longa compressa: folia laciniata, Tanaceti æmula.

1. *Flos Africanus major polyanthos* Ger. *major sive maximus multiplex* Park. *Tanacetum sive Flos Africanus major flore pleno* C. B. *Tagetes maximus rectus flore pleno multiplicato* J. B. **The African Marigold.**

Caulem producit teretem, striatum, bicubitalem aut altiorem, crassitudine pollicari, copiosâ intus medullâ albâ farctum, geniculatum, ramosum. *Folia* in caule ex adverso bina, in summis tamen caulibus & ramulis singularia, Tanaceto nonnihil similia. [F. Columna Valerianæ suæ vulgari similiora esse scribit quam Tanaceto] pinnata, lobis utrinque senis septenisve cum impari

impari in extremo commissa, odore non ita gravi ac minoris generis, læte virentia, marginibus serratis, in acumen desinentia. *Flores* in summis caulibus & ramulis singulares pediculis brevioribus quàm in minori genere, propè imum calicem turgidis & concavis è calicibus oblongis, pluribus velut palis in angulos acutos desinentibus compositis, pleni, pulcherrimi, flavi aureive. *Semina* tenuia, oblonga, nigra. *Radix* tenuibus fibris, mollibus, copiosis summæ telluri hæret, ut rectè *Columna*.

Hujus plantæ sex varietates recenset F. Columna: *Prima*, Caryophyllus Mexicanus maximus polyanthos, latis petalis & croceo saturo colore, dicitur: *Secunda*, minor & luteo colore: *Tertia*, simplici flore umbonem habente flosculis exiguis Chrysanthemi modo, & barbulis sive petalis magnis, octonis utplurimum vel novenis aliquando, & croceis: *Quarta* similis sed pallente colore: *Quinta* flore fistuloso simplex: *Sexta* flore fistuloso polyanthos.

2. *Tagetes Indicus minor simplici flore, sive Caryophyllus Indicus, sive Flos Africanus* J. B. *Tanacetum Africanum, sive Flos Africanus minor* C. B. *Flos Africanus minor simplex & multiplex* Park. *minor simplici flore* Ger.

J. B.

Striatos producit *caules* dodrantales, aut paulò majores, intus fungosos, alis aliquot concavos. *Folia* Tanaceto similia, pinnata, ex quinque, aut pluribus conjugationibus ad octo, imparique extremo commissa, odore viroso, gravi: singularia saturatè virent, tres aut quatuor uncias longa, semunciam circiter lata, circumquaque denticulis serrata, in acumen desinentia. *Flores* extremis ramulis hærent singulares, ex calyce turgidulo oblongo, simplici foliorum ordine radiati, colore infra ex flavo, supra ex flavo ferrugineo holosericeam telam imitante: Medium obtinent stamina numerosa, flaventia, quibus appenduntur *semina* tenuia, longa, nigra. Radix brevis, fibrosa, ac ubi è terra prodit, bina habens longiuscula folia.

A præcedente differt, 1. Partium omnium parvitate. 2. Caulibus infirmioribus, humilioribus, ramulis magis diffusis in latitudinem & terram versus reclinatis. 3. Pediculis florum longioribus & colore ferrugineo florum. 4. Odore graviore & magis viroso, tum foliorum, tum florum.

Hujus etiam duplex habetur varietas, altera flore simplici, altera flore pleno seu multiplici. Sic in universum octo habentur hujus species seu varietates.

Notandum autem secundam majoris varietatem, quam Columna *minorem* & luteo colore vocat, & in pallidum dilutiorem deficere scribit, à J. Bauhino Tagetem Indicum medium flore luteo pallido dici, qui eam citiùs florere affirmat quàm majorem.

Historia plantarum Mexicanarum Fr. Hernandez alterius adhuc Floris Africani speciei meminit quam septimo in loco pingit, & sic breviter describit. Majusculum est septimum *Tepecen-poal Xochitl* nuncupatum, sed exilioribus luteisque floribus, qualia sunt quoque ipsius plantæ folia, quæ sunt omnium minima.

De viribus hujus plantæ Hernandez in Historia prædicta hæc habet.

Vires. Vi pollet discussoria & aperienti. Foliorum succus ebibitus, aut folia ipsa contusa & ex aqua epota, vinóve, ventriculum gelidum contemperant, menses, urinam, & sudores eliciunt, frigora intermittentium arcent illita paulò ante accessionem; flatum discutiunt, Venerem excitant, cachexiam à causa frigida ortam vitio hepatis curant, aperiunt obstructa, convulsa laxant, hydropem levant: vomitum ex aqua tepida procurant, & tandem febrium rigoribus, imò & febribus ipsis expurgatâ per urinam & per sudorem causâ medentur.

Verùm Dodonæus vim ei veneficam inesse prodidit, experimento in Fele facto qui ejus esu extinctus est: quin & mures arrosis seminibus mortuos repertos addit, & puero ex esu floris os ac labia intumuisse & porcis quibusdam fuisse exitio. Quæ tamen (inquit Joan. Terentius*) non concludunt hanc herbam venenum esse & inter species Tanaceti referre non posse; & deinde Dodonæi argumenta refutat.

* Notis in Recchum.

Fruatur ille suo judicio: ego in Dodonæi & J. Bauhini sententiam concedere, quàm anceps medicamentum experiri mallem; nec in humano corpore periclitari quod porcis, felibus aliisque animalibus perniciosum esse constiterit, consultum duco.

Locus. Plantam hanc Africæ indigenam esse vel nomen evincit; at nec solius Africæ, sed Americæ ut ex Fr. Hernandez plantarum Mexicanarum historia patet.

SECTIONIS

SECTIONIS PRIMÆ

MEMBRUM SECUNDUM.

De Herbis Corymbiferis barbulis medio disco concoloribus, floribus in Umbellæ formam dispositis.

CAP. I.

De Ptarmica.

PTarmica ex re nomen habet, quoniam Πταρμὸς, id est, Sternutamenta provocat.

Notæ ejus sunt Flores in umbella, barbulis disco medio concoloribus; folia integra, ad margines duntaxat serrata.

A. 1. *Ptarmica* Ger. *vulgaris* Park. *vulgaris, folio longo serrato, flore albo* J. B. *Dracunculus serrato folio pratensis* C. B. **Sneezwort, Bastard Pellitory:** *nonnullis* **Goose-tongue**, *id est Lingua anserina.*

J. B.

Est ubi tres superet cubitos, sæpiùs minor, cubitalis, radice obliquè acta & velut geniculata, fibris majusculis & longissimis donata, sapore acri & fervido: *caule* singulari, tereti, glabro fistuloso, gracili, satis tamen rigido; cui alterno aut potiùs nullo ordine posita adnascuntur *folia*, ab imo ad summum, Draconis esculenti, argutis asperiusculisque denticulis circumquaq; serrata, atro virore splendentia, sapore fervido, Pyrethri mitiore. Summus scapus nonnihil angulosus & subhirsutus in surculos aliquot dividitur, qui umbellatim *flores* gestant candidos [tam discum medium, quàm petala eum undique radiatim cingentia] Millefolii terrestris, duplo aut triplo majores, odore non dissimili sed remissiore. Discus floris medius è plurimis flosculis arctè stipatis & in quatuor segmenta acuta divisis componitur.

Locus & Tempus. In pratis udis & palustribus Julio mense floret.

Florum calices in hac planta quàm Millefolii breviores è pluribus squamis coagmentantur. Flores ut multò majores quàm Millefolii, ita minùs crebri & conferti in summis caulibus longioribus pediculis insident, nec adeo exactè simul umbellam efformant. Variat interdum flore pleno seu multiplici, hinc Dracunculus pratensis flore pleno *C. B.* & aliorum.

Gustu est acri & fervido. Siccæ pulvis naribus inditus, sternutamenta movet, unde ei nomen. *Radix* commansa caput purgat & dentium dolores mulcet pituitam eliciendo. Herba cruda additur acetariis ad frigiditatem eorum temperandam & corrigendam.

2. *Dracunculus Alpinus Agerati foliis incanis* Hort. Reg. Paris. & Lugd. Bat.

Nos olim Cantabrigiæ coluimus plantam Londino missam nomine Agerati flore albo, quæ revera potiùs Ptarmicæ species erat. Folia ei longiora erant quàm Agerati vulg. acutiora, ad margines profundiùs serrata: *Caules* elatiores: *Flores* radiati, pallidi; odor (quantum meminimus) satis validus Agerati. An hæc sit quæ Parisiis & Leydæ colitur sub titulo allato nescimus. An Ageratum foliis serratis Monspeliensium majus pallidè luteo flore nonnullis.

3. *Dracunculus Alpinus folio Scabiosæ* C. B. *Ptarmica Alpina sive Dracunculus Alpinus Scabiosæ folio* Park.

C. B. prod.

Radicibus est fibrosis; *cauliculis* rotundis, pedalibus, in summo in alas brachiatis: foliis instar Scabiosæ laciniatis, altè incisis & crenatis: flosculis in summis virgulis quoad discum medium subluteis, quem foliola albida ut in Chamæmelo vulgari ambiunt.

In Helvetiorum pratis Alpinis propè Fabarias & in Gothardo provenit, Julióque floret.

4. *Ptarmica Virginiana folio Helenii* Moris. prælud.

Planta est bipedalis, cujus caulibus adnascuntur *folia* lata & oblonga, Helenii foliis haud absimilia. *Flores* fert albidos, *semináque* Ptarmicæ seminibus omnino similia.

Hæc planta à nonnullis ad Costum hortorum refertur, rectiùs tamen hic ponitur.

CAP.

Cap. II.

De Absinthio Umbellifero dicto.

A Foliorum divisura & colore Absinthium æmulante nomen huic plantæ à Clusio impositum est. Verùm ad Millefolium propiùs accedit quàm ad Absinthium, ob flores radiatos & barbulas disco medio concolores.

1. *Absinthium album* Ger. *album sive umbelliferum* Park. *albis floribus, capitulis squarrosis* J. B. *Alpinum umbelliferum latifolium* C. B. Tufted Wormwood.

Clus.

Dodrantalibus assurgit *cauliculis* [sescuncialibus & dodrantalibus & mediæ magnitudinis] gracilibus, incanis, in quibus rara & exigua sunt *folia*, tota incanâ lanugine & velut tomento obsita, circa radicem majora, Bellidis majoris foliis non valdè dissimilia, minora tamen & magis incisa [J. Bauhino Absinthii vulgaris in morem profundè laciniata] satisque crassa, eximiæ amaritudinis. Summis cauliculis octoni aut plures insident *flosculi*, in umbellam distributi, floribus Achilleæ non dispares, sed majores, septenis aut octonis candidis foliolis medium orbem (ex aliis exiguis flosculis luteo stylo præditis efformatum) cingentibus constantes. *Semen* deinde quale Absinthii vulgaris, odoratum. *Radix* nigra est, aliquot fibris donata, & à lateribus propagines spargens.

In Austriæ Stiriæque celsissimis jugis à Clusio observatum, nec alibi usquam. Junio & Julio floret. Variat insigniter magnitudine ratione loci in quo crescit. *Locus & Tempus.*

* 2. *Absinthium umbelliferum, Mutellina quibusdam* J. B. *An Absinthium umbelliferum alterum Italicum* Lob? *Absinth. umbellif. hortense* C. B?

J. B.

Radice nititur crassa, perenni ut videtur, *caules* emittente plures, palmares & paulò majores, per quos ut & in ipsorum fastigiis corymbi conspiciuntur rariores, satis magni & ni fallimur lutei. *Folia* tenuia, Absinthii Seriphii divisurâ, candidissima, hirsuta, sapore amaro, ingrato. Ex sicca.

Absinthii alterius Italici *Lob.* notæ hæ sunt. Ortu, colore incano, & habitu ipso non ità diversum est ab Absinthio albo, sed omnia exiliora multo, Cauliculos plures spithamæos emittit, summis flosculos in glomeratis capitulis incanis gerens.

Pona Italicè Absinthii Alpini umbellif. 3. genus meminit; quod C. Bauhinus *Absinth. Alp. Umbellif. tenuifolium & minus* appellat.

3. *Corymbif. Millefolii umbellâ, folio alato & laciniato.*

Radix ei alba, obliqua, repens, fibris longis, crebris firmata. *Caules* erigit cubitales, teretes, inanes, brevi & vix perceptibili lanugine obsitos. *Folia* alata, quatuor aut quinque pennarum conjugationibus constant singulæ pinnæ & extremum etiam folium circa margines dentatæ, & subinde altiùs incisæ aut laciniatæ sunt: pinnulæ & laciniæ in acutos cuspides exeunt. *Flores* in summis caulibus (qui in plures ramulos dividuntur) velut in umbellas digesti, albi & Absinthii albi umbelliferi floribus omnino similes. Nullus in hac planta, vel odor, vel sapor insignis; initio gustanti subamara videtur.

In sylvis montosis propè maximum Carthusianorum cœnobium in Delphinatu Galliæ nascitur. Junio floret. Hanc plantam indictam puto, ni fortè Morisonus titulo *Millefolii Tanaceti foliis* eam intelligat. Folia tamen hujus à Tanaceto plurimum abludunt. *Locus.*

Cap. III.

De Millefolio.

MIllefolium, Græcis Μυριόφυλλον & Χιλιόφυλλον à multitudine foliorum, Achillea, Ἀχίλλειος, ab Achille primo ejus inventore dicta est. Plin. lib. 25. cap. 5. Invenit & Achilles discipulus Chironis quâ vulneribus mederetur, quæ ob id Achillea vocatur; hâc sanâsse Telephum dicitur.

Hujus characteristicam facimus flores in umbellæ formam dispositos, barbulis medio disco concoloribus, folia tenuissimè dissecta.

A. 1. *Millefolium vulgare* Park. *vulgare album* C. B. *terrestre vulgare* Ger. *M. Stratiotes pennatum* J. B. Common Yarrow or Milfoil.

J. B.

Ubique viarum obvium est Millefolium, *caulibus* dodrantalibus, cubitalibus & altioribus surgens, rigidis licet tenuibus, teretibus, striatis, hirsutis, medullâ farctis, qui circa summitatem in aliquot surculos dividuntur, atque hi rursum in plures petiolos, qui *flores* in umbella ferunt odoratos, parvos,

colore albos aut subpurpureos, quinque, septem, paucioribus aut pluribus foliis constantes ex caliculo squamato. *Cæterum discus floris medius è plurimis flosculis albis in quinque acuta segmenta partitis componitur: folia marginalia, quæ discum in circulum ambiunt frontata sunt, fronte duplici crena in duos denticulos diviso. Folia* pinnata ad costam alligantur, tenuibus Chamæmeli divisuris, sed compositioribus rigidiusculis, suave olentibus, sapore acriusculo. *Radix* lignosa & fibrosa nigricat, & in terra se diffundit.

Folia in toto hoc genere [Corymbosarum] quantum memini, singulatim caulibus adnascuntur.

Millefolium vulgare purpureum minus *C. B.* & aliorum, cùm solo floris colore à præcedente differat, diversa species censenda non est. Variat enim hoc modo Millefolium vulg. floris colore in pascuis ubique.

* 2. *Millefolium odoratum minus Monspeliensium* Hort. Blæs.

Multò minus est quàm vulgare, *foliis* canescentibus, odorémque habet suavem & aromaticum.

Locus. Plurimis in locis herbidis circa Monspelium repit, ut propè pontem *Villæ novæ* & alibi.

Vires. Hujus vires Schroderus sic breviter recenset. Vis ejus ad sanguinem sistendum. Usu itaque interno convenit in hæmorrhagiis & fluxionibus omnis generis, narium, uteri, alvi, vulnerum, screatu sanguinolento, vomitu, urinâ retentâ, calculo, mictione sanguinolenta, gonorrhœa, hæmorrhoidibus, fluore uterino, mariscis, &c. Extrinsecùs adhibetur utiliter Cephalalgiæ, hæmorrhagiæ narium & vulnerum, vulneribus consolidandis, tumoribus hæmorrhoidum, herniæ, ictibus venenatis, tumori penis, &c.

** De Medicam. Officin.* Recentior observatio (inquit * C. Hofmannus) docuit Millefolium nostrum tantum abesse à facultate hæmorrhagias sistendi, ut etiam cieat. [At J. Bauhinus quòd Millefolio sanguis è naribus irritetur ex affrictu contingere arbitratur.] Tam etiam vehemens esse diureticum, ut diuturniore usu cruentas urinas pariat. Hofmannus ergo distinguit & Millefolium quod acerbum est vim illam glutinandi obtinere putat; quod amarum deobstruendi & dissolvendi, urinas educendi, lumbricos necandi, &c. Acrimonia & amaror manifesta sunt in Millefolio minore Cordi, itémque nobili Tragi.

Verùm quâcunque tandem qualitate id efficiat, multa exempla hæmorrhoidum curata decoctionibus Millefolii adducit Riverius in Observ. Centuriis & multi alii Scriptores, ut nos monuit D. *Tancredus Robinsonus.*

3. *Achillea sive Millefolium nobile* Ger. *Achillea Sideritis sive nobilis, odorata* Park. *Achillea millefolia odorata* J. B. *Tanacetum minus album odore Camphoræ* C. B. Achilles his Iron-wort.

J. B.

Millefolio terrestri cognata est Achillea, sic ut non omnibus obvium sit discrimen. *Virgis* fruticat aliquando tricubitalibus, nonnunquam palmaribus, striatis. *Folia* Millefolii vulgaris seu terrestris, sed latiora, breviora, multifida, colore non ità viridi prædita, sapore amaro, odore valido aromatico. *Umbellas* fert corymborum Millefolii jam dicti, foliolis candidis medium orbem aureum cingentibus.

Locus. In Germania ad Rhenum flumen, Gallia Narbonensi circa Monspelium, & in Italia passim provenit.

Parkinsonus Tanacetum minus flore albo ab hoc diversum facit, quàm rectè ipse viderit.

Novi quasdam mulieres qui se ab abortu præservârunt solo usu decenti Millefolii vulgaris. *S. Pauli* Quadripart. Botan. Class. 2. p. 91. *Idem.*

Vires. Ad sanguinis sputum, ℞ pulv. Millefolii ℈ij. propinetur cum succo Plantaginis. Multùm juvat, & multò magis succus, inquit Matthiolus.

Ad sanguinem è naribus eliciendum Millefolium quàm optimè conducit; asperitate namque sua & duritie acuminata venas in naribus capillares aperit: Naribus etenim indatur, mox internè nares premantur & fricentur, unde multis solet elici & facilè sanguis & satis copiosus. *D. Soame.* Hinc nostratibus Nose-bleed dicitur.

Tuber quod in hujus radice nonnunquam excrescit, oritur ex venenato quodam aut fermentativo liquore in vulnus seu puncturam ab insecto aliquo inflictam unà cum ovo immisso [ab eodem intellige insecto] qui cum succo radicis mixtus, tumorem excitat qui fit receptaculum & velut uterus seu matrix ovi & vermiculi excludendi, eique alimentum & tutelam ministret: unde *Millefolia tuberosa* à Jac. Cornuto *pro diversa specie minus rectè ponitur.*

Sennertus in fluxu mensium nimio sequens exhibet. ℞ Succi Millefolii ℥iij. Sacchari ℥j. Detur. D. Soame è Dola. Lib. 5. C. 4. S. 10.

* 4. *Millefolium maximum umbellâ albâ* C. B. prod.

C. B.

A præcedente [Millefolio vulg.] excepta magnitudine in paucis differt. *Caulibus* est sesquicubitalibus, crassis: *foliis* circa radicem palmum longis, uncias quatuor latis, tenuissimè incisis, & velut è multis minutissimis alatis foliolis constantibus, sed minoribus & tenuissimè incisis quæ circa caules sunt, qui in ramos plures brachiantur, quibus singulis umbella, uti in Millef. vulgari sed major, *flosculis* albis referta insidet.

Locus. In horto Patavino crevit; & sanè nisi aluissent in horto botanico, pro vulgari Millefolio habuissem inquit Descriptionis autor C. Bauhinus.

* 5. *Mille-*

* 5. *Millefolium purpureum majus* C. B. *flore rubro* Cluſ. Ger. *rubro flore maximum* Park. **Red-flowered Yarrow or Milfoil.**

C. B.
Ex *radice* craſſa ſatis *caules* plures ad cubitum & ſeſquicubitum excreſcunt: *foliis* ut in vulgatiſſimo Millefolio diſpoſitis; umbella magna *flores* elegantiſſimos rubri coloris & quinquefolios continens, in quorum medio *apices* pallidè flaveſcentes, qui gratiam addunt, emicant. *Flores* contriti medicatum odorem ſpirant. Millefolium rubro flore Cluſii foliis erat vulgari tenuioribus.
De loco hujus natali non conſtat.

* 6. *Millefolium Alpinum incanum carneo flore* C. B. *Alp. Cluſii, parvum, nonnihil incanum, carneum* J. B. *Alp. incanum* Park.

Cluſ.
Elegans hæc plantula dodrantalem ſive palmarem altitudinem non excedit, multis *foliis* circa radicem ſtratis, tenuiſſimè inciſis & veluti è multis minutiſſimis alatis foliolis conſtantibus, nonnihil incanis: Candicantes *cauliculi* ſatis craſſi, hujuſmodi foliis iiſque minoribus & tenuiſſimè inciſis obſiti: Umbella *floſculorum* denſiſſima, qualis in vulgari Millefolio, ſed dilutiore rubro colore ſive carneo nitentium. Radix vix à vulgari differt, fibroſa admodum & ſumma tellure ſerpens.
Sponte provenit in Judenberg & Spital, Stiriæ Alpibus, atque flores profert Auguſto. *Locus.*

* 7. *Millefolium Alpinum incanum flore ſpecioſo* J. B.

J. B.
Palmaris eſt plantula, *radiculâ* ſimplici, ruffa ac pænè nigra: è qua *folia* prodeunt duas aut tres uncias longa, rariùs pinnata, tomentoſa, longiuſculis ac ferè uncialibus pediculis hærentia. Coliculis tomentoſis item prædictis ſimilia quoque hærent *folia*, ſed aliquanto minora, brevioribúſque pediculis donata. Eorum verò ſummitatibus *flores* inſident quinque aut ſex, ſquamati, corymbati, ut ex ſicca colligimus.
Legit hanc Platerus in Valleſiæ montibus. *Locus.*

8. *Millefolium luteum* Ger. Park. *tomentoſum luteum* J. B. C. B. **Yellow Milfoil.**

J. B.
Dodrantalis eſt herba, multos ex *radice* craſſa, dura, repente, fibris Hellebori æqualibus, quibuſdam minoribus, colore nigricante aut cinericeo foris, intus flavo, ſapore dulcibus (in ſicca planta) donatâ, *caules* emittens, rectos, ſatis robuſtos, in quorum cacumine denſæ micant *florum* umbellæ Millefolii vulgaris terreſtris, aureo tum foliorum, tum umbilici colore fulgentes. *Folia* per coliculos tomentoſos Millefolii Stratiotis, ſed multa minora, minutiúſque inciſa, incano villo pubeſcentia.
Variat magnitudine foliorum hirſutie aliíſque accidentibus pro ratione loci in quo oritur. V. Cluſium & J. Bauhinum.
Circa Avenionem & ad viam quæ Auriaco Avenionem ducit copioſam invenimus: Cluſius etiam Murciano regno. *Locus.*

9. *Millefolium Creticum* J. B. *incanum Creticum* C. B. Park. **Candy Milfoil.** *Stratiotes Millefol.* Belli Ep. 2. ad Cluſ. Alpin. exot.

C. B. prod.
Caulibus eſt lignoſis, rotundis, incanis, ſeſquipalmaribus: *foliis* Chamæcypariſſi (cui adeò ſimilis eſt ut exercitatiores etiam Botanicos decipere poſſit) formâ oblongis, denticulatis, incanis, vel, ut Dioſcorides, avicularum pennas imitantibus. *Caules* in ſummitate in ramulos abeunt, qui umbellam ſatis compactam ex *floribus* ex albo flaveſcentibus compoſitam ſuſtinent. *Sapore* eſt amaricante aromatico, ad Santonici ſeu ſeminis contra vermes Officinis dicti ſaporem accedente.
Parkinſonus ex hac planta duas facit, priorem Millefolium incanum Creticum vocat; poſteriorem Stratioten millefolium Creticum.

* 10. *Millefolio Alpino affinis planta, quibuſdam Iva moſchata* J. B. *Tanacetum Alpinum* C. B. Park. *Iva moſchata Rhætis, Tanaceto cognata herbula* Geſn. Hort.

J. B.
Duos aut tres pollices alta eſt, paulò etiam amplior, *coliculo* junceo, ſimplice: *foliis* veſtito Millefolii Alpini, licet non hirſutis, nec ità ad Millefolium vulgare accedentibus. *Flores* plures quàm Millefolio Alpino, umbellati, ſed minores, rotatim agmine foliorum alborum magnorum circumpoſito, apicibus in medio numeroſis ex capitulo ſquamis nigris, Alpini Millefolii in modum compacto.

* 11. *Millefolium*

* 11. *Millefolium Tanaceti foliis* Morif. prælud.

Hujus *folia* fub exortum antequam excaulefcat planta, adeò funt Tanaceti foliorum æmula, ut nonnifi ab oculato Botanico diftingui poffint.

CAP. IV.

De Matricaria tenuifolia, flore unicolore.

CUm Matricariæ odore convenit, aliàs florum barbulis medio difco concoloribus reliquis hujus generis fimilis eft.

* 1. *Matricaria foliis Abrotani* C. B. *Parthenium* μικρόφυλλον J. B. *Matricaria five Parthenium tenuifolium* Park. **Fine-leaved Feverfew.**

J. B.
Sefquipalmari eft altitudine, *radice* parvâ, lignosâ, candidâ, parùm fibratâ, ex qua *cauliculi* aliquot exurgunt rotundi, aliquantùm rufefcentes, in quibus, imâ præfertim & terræ vicina parte, *folia* funt tenuia, foliis Abrotani fimilia, ut ovum ovo magis fimile non fit. In fummis cauliculis *umbellæ*, & in iis *flofculi* multi, albi compacti, quales in vulgari Millefolio cernuntur, ut infpicientes prima fronte facilè deludant, Millefolium effe judicaturos. Plantæ fapor amarus eft, odor gravis, fimilis vulgari Parthenio. Quare congeneres effe plantas Myconus putat.
Ex Hifpania delata eft hæc planta.

* 2. *Matricaria Alpina Chamæmeli foliis* C. B. *Matricaria five Parthenium Alpinum Clufii* Park. *Matricaria Alpina Clufii* Ger. **Mountain Feverfew with Camomile-like leaves.** *Millefolium Alpinum* J. B.

Cluf.
Multis ex fibrofa *radice*, Chamæmeli modo, fruticat ramulis, pedalibus, viridibus, quos ambiunt *folia* Anthemidi prorfus fimilia, multiplici incifione divifa, Cotulæ aut Matricariæ ferè odore, guftu calido, attamen non ingrato: Extremis cauliculis multi *flores* infident, umbellatim congefti, Abfinthii Alpini umbellif. floribus proximè accedentes, hoc eft, exigua capitella ex albo & pallido commixta, ambientibus ea fenis aut octonis latiufculis albis foliis, ejufdem cum ipfa herba odoris. Rami five cauliculi humi procumbunt, & ex una (uti dixi) radice prodeuntes, fubinde fibras agunt & nova germina procreant.

Locus. Invenitur in Sneberg, Snealben & Durrenftein jugis magnâ copiâ; florétque duntaxat Augufto: nam cùm in acclivitatibus & circa fcrobes nafcatur, quas diutiùs infidere folet nix, feriùs illud florere neceffe eft.
Culturam non admittit, nec hortis affuefcit, quamcunque diligentiam adhibueris.
Videfis defcriptionem J. Bauhini, quæ fortè eft diverfæ plantæ, nam flores quadruplo quintuplóve majores facit Millefolii vulgaris floribus.

SECTIO PRIMÆ

MEMBRUM TERTIUM.

De Herbis Corymbiferis cum barbulis, diversi à medio disco coloris, floribus solitariis aut sparsis.

CAP. I.

De Bellide minore.

BELLIS Latinis à bello seu pulchro colore florum dicta creditur; Græcis veteribus indicta: quod mirum, si modo in Græcia adeò frequens sit ac apud nos in Anglia.

Duæ plantæ genere diversæ eo nomine censentur. Nos hoc in loco de minore agimus, cujus notæ sunt, Flos radiatus barbulis seu foliis marginalibus diversi à medio disco coloris: Caulis tam foliis nudus, quàm non ramosus.

De temperamento hujus plantæ quoad qualitates primas non consentiunt Botanici. Alii calidam & siccam, alii frigidam & humidam eam faciunt. Verùm acetosus sapor frigiditatem arguit, & effecta siccare Bellium ostendunt. Vulneraria est insignis: exteriùs in emplastris & fomentis adhibetur, interius succus ejus vulnerariis potionibus admiscetur: unde & Consolida minor Officinis dicitur. *Vires.*

Mulierculis nostratibus usitatum est herbam cum floribus ad alvum laxandam exhibere. *Schrod.*

Hujus radices exteriùs usurpantur ad Scrophulas & strumas optimo cum successu. *D. Needham.*

Radices in lacte decoctæ & catellis exhibitæ impediunt ne crescant; si vulgo fides.

Extractum vel essentia hujus herbæ intro assumptum innatâ quadam proprietate (est enim tenuium partium) omnem sanguinem coagulatum, sive in vasis, sive extra resolvere & transpirare facere affirmat *Simon Pauli* Quadripartit. Botan. Class. 2. p. 27.

1. ***Bellis sylvatica*** J. B. ***media sylvestris*** Ger. ***sylv. media caule carens*** C. B. ***rectiùs nudicaulis, non ramosa.*** **Middle Daisie.**

J. B.
Radice haud secùs fibrosa est quàm minor Bellis, sed crassior, etiam aliquando lignosior: folia verò majora, oblonga, per extremum rotunda, & in ambitu nonnihil serrata, hirsuta, subinde etiam rubentia, longo pediculo donata. *Cauliculi* ex radice nudi aliquot exeunt, dodrantales aut pedales ac majores *florem* singuli unicum sustinentes, Bellidis majoris similem sed paulò minorem, foliis radiatis albis, disco luteo.

In montibus propè Genevam invenimus, in Alpinis pratis frequentissima est, autore Clusio. *Locus.*

2. ***Bellis caule bipedali nudo, foliis magnis latis, floribus rubris & albis*** Mentzel.

Folia instar Erysimi leviter sunt sinuata, nec plura addit, nisi quòd circa *Inspruck* collecta à se fuit hæc species, ut &

Bellis foliis valdè exiguis, caule procero nudo, flore albo.

A. 3. ***Bellis sylv. minor*** C. B. ***minor sylv. simplex*** Park. ***minor*** 4. ***sive sylvestris &*** 5. ***sive sylvestris altera*** Ger. ***minor sylv. spontanea*** J. B. **Common wild Daisie.**

Totum cespitem operit sparsis humi *foliis* numerosis, pinguiusculis, hirsutis, ex longa cervice sensim latescentibus rotundatisque levissimè serratis. *Caulem* nullum promit, sed pediculos frequentes, palmares & altiores, tenues, teretes, hirsutos, quorum singulis *flos* insidet unus, Bellidis hortensis minor, singulari foliorum in orbem ambitu, lacteorum aut ex albo sanguineorum, luteo umbilico. *Radicatur* porro multis fibris tenuibus. Cùm *flos* marcescit & semina maturescere incipiunt medius umbo in metam assurgit, & semina in ambitu exteriora primò defluere incipiunt.

In pratis & pascuis passim provenit; Vere primo & deinceps per totam æstatem floret. *Locus.*

4. *Bellis hortensis, sive flore multiplicato* J. B. *hortensis flore pleno, eòque magno vel parvo* C. B. ejusdémque *Bellis hortensis prolifera. Bellis minor hortensis flore pleno variorum colorum* Park. ejusdémque *Bellis minor hortensis prolifera. Bellis media & Bellis minor multiplex flore albo & rubro, item minor prolifera* Ger. **Double Daisies, of divers colours.**

J. B.

Crebris est in orbem fusis *foliis*, Pilosellæ, pinguiusculis, nonnihil crenatis, aliàs integris, hirsutis sapore astringente: inter quæ *pediculi* oriuntur palmares, tenues, subrubentes, hirsuti, qui *flores* sustinent albos purpurascentésve, medioluteos, Anthemidis modo: aliàs verò numerosa foliorum luxuries umbilicum luteum obumbrat, repetita transplantatione, colore vel albo, vel rubro, vel mixto, seu alternatim positis foliis, albis & rubris, seu in ambitu rubro in medio albo, vel viridi, vel quà denique sors tulit temerè versicolore varietate foliorum commendabilis: nec radicis fibrosæ reptatu contenta se propagâsse, quin & è flore ad margines novam sobolem, haud aliter atque in prolifera Caltha, sufficit, sed matre ut par est minorem.

Præter varietates in Descriptione traditas, habetur & alia florum foliolis fistulosis. Novimus ergo in universum quinque varietates, quæ sunt

1. Bellis minor hort. flore pleno rubro.
2. Bellis min. hort. flo. pleno albo.
3. Bellis min. hort. flo. pleno mixto [ex petalis albis & rubris.]
4. Bellis min. hort. flo. pleno rubro, petalis fistulosis.
5. Bellis min. hort. flo. pleno prolifero [albo, rubro, mixto.]

* 5. *Bellis hortensis pediculo folioso* C. B.

C. B. prod.

Hæc à communi hortensi in eo tantùm differt, quòd pediculus, qui leviter hirsutus, foliolis oblongis, subrotundis, duobus aut tribus longè distantibus cingatur, & flori folia quina subjiciantur.

Locus. In hortis reperitur.

Vel naturæ lusus est, vel à Bellide minore genere diversa.

* 6. *Bellis Brasiliana Caa-apia dicta* Marggr.

Marggr.

Ex *radice* unum aut sesquidigitum longa, vel etiam duos digitos, pennæ olorinæ vel etiam minimi digiti crassitie, nodosa seu verrucosa, & filamentis ad latera & inferiore parte tenuibus donata, tres aut quatuor dig. longis, exteriùs ex gryseo rufescente, interiùs tota alba & lenta tres vel quatuor pullulant pediculi, teretes, tenues, tres, quatuórve dig. longi, qui singuli sustinent unum folium subrotundum vel oblongum, nimirum duas, tres, vel etiam quatuor dig. longum, sesquidigitum latum ubi latissimum, tenerrimum, superna parte viride & splendens, infernâ paululum albicans, nervo & venis transversis infernè conspicuis. Cæterum caret *caule*: fert autem *florem* in proprio pediculo, rotundum, umbilici figurâ, ut Bellidis flos, multis staminibus constantem pallidis inter quæ *semen* provenit rotundum, & seminis Sinapis magnitudine. *Radix* initio haud manifesto sapore est prædita, sed mansa quodammodo acris est, & relinquit in lingua vellicantem saporem.

Vires. Venenis resistit, & fluxum dysentericum sistit herba ℥iß. pondere quatuordecim horarum spatio vino infusa & manè pota, ità ut æger per quatuor horas jejunet: purgat enim ità ut simul profluvium sistat.

Reperitur & alia species foliis in ambitu dentatis & leviter hirsutis, eorúmque pediculis raris pilis vestitis, flore cum umbilico in medio instar floris Chamæmeli.

CAP. II.

De Bellide majore caule ramoso & folioso.

A. 1. *Bellis major* J. B. Ger. *major vulgaris sive sylvestris* Park. *major sylv. caule folioso* C. B. *Buphthalmum majus* Lon. *Consolida media vulnerariorum* Lob. **The great Daisie or Ox-eye.**

J. B.

Radix ei fibrosa, reptans, sapore acri; *caules* emittens plures dodrantales & altiores, pentagonos, solidos, ramosos, foliis multis vestitos, oblongis, pinguibus, serratis, mucronibus obtusis. *Flores* Buphthalmi aut Pyrethri, radiati, petalis in ambitu albis, disco medio luteo, amplo, ex plurimis flosculis luteis in quinque segmenta divisis composito, cum stylo in medio uniuscujusque. Folia calicum habent fimbriam nigricantem. Cum flore pleno in hortis invenitur.

Tempus & Vires. Locus. Floret Maio & Junio apud nos in Anglia, éstque in pascuis ubique frequens.

Hanc Patavii comedunt mense Februario in acetariis *J. B.* Lobelio si credimus, eadem potest quæ Bellides, eodem modo usurpata.

Herba

Herba integra, [caules, folia & flores] in Zythogalo decocta & pota adversùs asthma, phthisim, orthopnœam singulare remedium censetur.
Utilis admodum est in vulneribus & rupturis in potu bibita, vel emplastri modo applicata.
Decoctum herbæ sanat omnes morbos ortos ab intempestivo haustu potûs frigidi cum corpus sit calidum, Cardilucius p. 1091. Idem affirmat Mindererus de Medicam. Militaribus. Hæc D. *Tancr. Robinson.*

2. *Bellis Alpina major rigido folio* C. B. Park. **Great Mountain Daisie with a stiff leaf.**
Alpina major foliis angustis rigidis J. B.

C. B.
Ex *radice* nigra, repente, ab una parte fibras spargente & lignosa *caulis* rotundus, striatus, cubito altior exurgit, circa quem *folia* pediculis carentia, quinque vel sex uncias longa, vix unciam lata, rigida, partim obtusa, partim ex rotunditate acuminata, per circumferentiam profundè crenata, nullóque ordine disposita. Caulis summo *flos* unicus, Bellidis vulgaris majoris flore major, medio luteus, foliis albis discum cingentibus insidet; cui semen oblongum, ut in vulgari, succedit.
In summis jugis montis Juræ propè Genevam copiosè provenit: C. Bauhino in Baldo monte. *Locus.*
Huic forte eadem est

* 3. *Bellis Virginiana densiore folio* Moris. prælud.

Cui folia latiora, serrata, densiora quàm ulli Bellidum sylvestrium majorum, majoréque *flores.*

* 4. *Bellis radice repente, foliis latioribus serratis* Moris. prælud.

Huic *folia* latiora magísque serrata quàm cuivis alii majoris Bellidis speciei. *Flores* itidem maximi, *Radices* longè latéque subter terram repentes.

* 5. *Bellis Alpina minor* C. B. *Alpina minor rigido folio* Park. **The lesser stiff-leaved Mountain Daisie.**

Ex *radice cauliculus* unus vel alter, lævis, semipalmaris, incurvus prodit, quem cingunt *folia* rigidiuscula, angusta, brevia, per ambitum profundis & asperiusculis crenis donata. Cauliculo summo *flos* unicus, magnus, disco luteo, aliquando purpurascente, foliis albis multis cincto, insidet.
In Alpibus Helvetiorum provenit. *Locus.*

* 6. *Bellis montana major folio acuto* C. B. Park. *Bellidis Alp. alia species minor folio non rigido* J. B.

Cauliculo est Bellide secunda breviore; *foliis* brevioribus, duplo triplóve angustioribus, leviùs crenatis, nec rigidis, in acumen exquisitum desinentibus: *flore* secundæ simili, sed minore.
In montibus Euganeis collecta est. *Locus.*

* 7. *Bellis montana folio obtuso crenato* C. B. *An Bellis montana minor* J. B?

C. B. J. B.
Radicem habet lignosam, fibrosam: *caulem* unum, tenuem, lævem & pedalem, [J. B. sesquicubitalem] *folia* angusta, longissimis pediculis donata, per marginem crenata, obtusa, in tres apices desinentia, [terram proximè multa] In caulis summo *flos* unicus, parvus, disco luteo & foliolis albis eum cingentibus; capitulo squamis nigricantibus compacto.
Monspessuli versus *Vigan* & ad pedes montis Lupi & circumjacentibus campestribus squalidis & incultis. *C. B.* In descensu montis *Capouladon à las cambrettes* inter rupes umbrosas invenit *D. Magnol.* *Locus.*

Bellidem autem montanam minorem J. B.

Optimè convenire ait cum Bellide quam invenit in herbidis incultis ultra pontem Salenovæ ad dextram, & in campestribus viæ montis Lupi, quæ pedalis est, foliis inferioribus serratis, multò minoribus quàm in Bellide majore, superioribus vero angustissimis: flore mediocris magnitudinis.
Bellidis ramulum exsiccatum in horto *D. Magnol* Monspelii collectum nobis exhibuit eximius Botanicus D. *Hans. Sloane*, sub titulo *Bellidis Chrysanthemi folio.* Erat ei flos mediocris, folia angusta utrinque laciniata, raris utrinque laciniis, ceu denticulis extantibus, ut in Chrysanthemo segetum vulgari.

* 8. *Bellis minor alba ramosa* Park.

Foliis brevioribus magísque dentatis; cauliculis foliosis & in ramulos floriferos divisis à vulgari minore Bellide distinguitur.
E Lusitania habuit Parkinsonus. *Locus.*

* 9. *Bellis fruticescens Indica ramosa* Hort. Lugd. Bat.

Succus ejus acris est, mordicans & amarus.

* 10. *Bellis maritima foliis Agerati* C. B. Park.

Plantula est palmo minor, ad cujus radicem parvam albam cauliculus pilis levibus hirsutus, in binos ternósve tenuissimos ramulos dividitur, quorum unus sex, alii tres uncias non excedunt, ad quorum partem inferiorem pauca & parva foliola, Agerati foliorum instar per margines crenata, singulis unicum florem, qui parvus disco viridi, foliolis albis ultra viginti cincto, sustinentibus.

Locus. Hæc copiosè in insulis Stœchadibus in arenosis provenit.

* 11. *Bellis Tanaceti folio* quorundam. *Tanacetum inodorum* Park. *non odorum* Ger. *montanum inodorum, minore flore* C. B. *album* J. B.

J. B.
Radix huic crassa, nigra, fibrosa, cui complures fibræ adnatæ. *Caules* cubitum & sesquicubitum alti, hirsuti, striati, alis concavi. *Folia* Tanaceti, pinnata, infernè hirsuta, supernè glabra, atrovirentia, odore nullo, sapore adstringente. *Flores* Bellidis majoris, stellati, candidi, umbone flavo.

Hæc planta J. Bauhino descripta eadem nobis esse videtur Tanaceto inodoro 1. *Clus.* non ut vult C. Bauhinus ejus Tanaceto inod. 2. Descriptio Clusii hæc est.

Gracilibus, firmis, duris, cubitalibus interdum verò sesquicubitalibus assurgit *caulibus*, per quos rara sparsa sunt *folia* pennata, Tanaceto vulgari non admodum dissimilia, odoris tamen expertia, gustu linguam vellicante & fervido, circa radicem majora atque hirsuta. Caulis summo fastigio in aliquot breves ramulos dividitur, nudos, quibus insident magni *flores*, Bellidis majoris flori fermè æquales, octodecim aut viginti foliis albis, nunc longioribus, modò brevioribus, medium orbem flavum ut in Bellide majore cingentibus constantes; quibus marcidis succedit in mediis capitibus longiusculum *semen* nigrum; quod terræ commissum plantas sui generis producit, & aliàs etiam non dissimiles, quarum flos est minor, secundo generi par. *Radix* est minimi digiti crassitudine, obliqua, non in altum demissa, nigra & aliquot fibris hirsuta & vivax, quæ etiam pangi possit.

12. *Tanacetum inodorum* 2. Clus. *inodorum minore flore* C. B.

Cùm floris præcipuè magnitudine, qui Cotulæ fœtidæ aut Matricariæ florem non excedit; *foliisque* minùs elegantibus, pediculo breviore cauli inhærentibus, à præcedenti differat: Cúmque iisdem in locis exeat, & à prioris semine sato, vix videtur specie ab eo diversum. Quocirca J. Bauhinus non immeritò fratrem reprehendit quòd diversas species faciat. Hæc duo Tanacetum (inquit) *C. B.* non duæ sed una planta, aut saltem ejusdem speciei, ut non separandæ videantur.

Locus & Tempus. Hanc plantam in colle *la Bastie* propè Genevam & ad Rhodani ripas observavimus: Clusius in omnibus utriusque Pannoniæ montibus humilioribus & sylvis cæduis, ubi floret Maio & Junio.

* 13. *Menthæ Sarracenicæ species flore Anthemidis* J.B.

Herba est cubitalis, interdum minor: *ramulos* è radicibus multos edit, aliqua ex parte per caulis longitudinem velut striis ornatos, nonnihil lanuginosos, in quibus *folia* parva, brevia, non admodum lata, viridia, in ambitu serrata, odorata, medio inter Ageratum vulgare & Mentastrum odore, & tam simili Menthæ Romanæ vulgò dictæ, ut hæc illi commodè possit succedere. *Flores* in cacumine multi, Anthemidi similes, in medio luteoli, in ambitu candidi, odorati. *Radices* subsunt candicantes.

A Pyrenæorum montium incolis, ubi frequens nascitur, appellatur *Herba del Moro*. i. e. Herba Maurorum seu Sarracenorum.

Dalechampius apud Historiam Lugdunensem, & C. B. Annotationibus in eandem Histor. hanc plantam cum Ptarmica *Fuch.* unam & eandem faciunt. At J. Bauhinus in Ptarmica *Fuch.* lanuginis nihil observat. At nec folia illi odorata sunt, nec parva, nec brevia, nec admodum lata, sed longa & angusta: nulla etiam similitudine foliorum comparantur Ptarmica & Mentha corymbifera. Verùm loco cum Ptarmica convenit, nimirum in pratis juxta fluenta.

* 14. *Herba Molucana* C. B. Park. *Molucana Acostæ* J. B. & Lugd.

Acosta.
Duorum aut trium cubitorum altitudinem acquirit hæc planta, nonnunquam etiam locis uberioribus & humidis quinque cubitos superans, eleganti virore prædita; *caule* tenui, tenero, nonnihil concavo, imbecillo, & nisi uti Jasminum pergulis sustineatur, humi sese diffundente quemadmodum Hedera, & multos ramos spargente, qui subinde radices agunt ut Mentha & Melissophyllon, adeóque serpunt ut planta sola vel ramus transpositus brevi temporis spatio magnum locum occupet. *Folia* habet tenella & mollia, in ambitu serrata magnitudine & formâ Sambuci foliis respondentia: florem croceum, Chamæmeli flori admodum similem, paulò tamen majorem.

Toto anno viret & luxuriat.

Vulgò nuncupatur (teste Acosta) Remedium pauperum & destructio Chirurgorum.

Frequenter

Frequenter utuntur cùm in Maluca (unde primùm originem traxisse creditur, quòd istic abunde crescat & plurima admisceatur Chirurgicis remediis) tum in omnibus Indiæ provinciis, in quibus diligenter colitur & in pretio habetur, nec injuriâ.

Coquuntur hujus plantæ folia in oleo & cum cera inspissantur unguenti modo: mirificè curat id unguentum omnis generis ulcera, recentia & antiqua, etiamsi sanguinolenta, sordida, cuniculosa, maligna & putrida sint: miræ efficaciæ esse deprehendi in tibiarum vulneribus inveteratis, inque recentibus vulneribus.

Alia est præterea hujus stirpis utendæ ratio.

Ejus enim caulem & ramos superiore cortice denudant, & sumunt membranam illam tenuem, quæ media est inter exteriorem corticem & caulem, quæque facilè ut in Cannabe revellitur; eum oleo nucis Indicæ madentem ipsius plantæ foliis involvunt, & sub cineribus calidis recondunt: ubi incaluerit & emollita fuerit, conterunt, & recentibus cruentisque vulneribus imponunt, seu grandia sint, seu levia, & paucis diebus non sine admiratione conglutinant absque ulla inflammatione aut apostemate: lenit enim dolorem, sanguinisque fluxum cohibet: breviter, nullo alio medicamento adhibito omnino ad cicatricem perducit: singulare etiam perhibent esse remedium adversùs nervorum punctiones & vulnera.

Eodem præterea modo adhibetur in apostemate aperto ad emundandum, carnem generandam, & ad cicatricem perducendam, item in inveteratis ulceribus & cuniculosis, in quibus ea solummodo trita interdum apponitur.

Cap. III.

De Pyrethro.

PYrethrum ab igne nomen habet ob radicis ejus fervorem igneum *C. B.*

Ab Anthemide seu Chamæmelo flore majore & radicis acri fervidóque sapore differt.

Pyrethrum flore Bellidis C. B. *vulgare Officinarum* Park. *Officinarum* Ger. *Dod.*

Pyrethro *folia* sunt multipliciter dissecta divisáque similitudine ferè foliorum Fœniculi, sed tamen minora, Dauci sylvestris & Carotæ æmula: *Cauliculi* dodrantales aut paullò altiores; in quorum fastigiis *flos* amplus, latus, Anthemidis similis, sed tamen major, medio orbe subluteus, angustis oblongisque circumambientibus foliolis, supina parte albicantibus, pronâ verò nonnihil purpurascentibus. *Semen* inter disci sive orbis stamina gignitur, tenue & oblongum. *Radix* digitalis ferè est crassitudinis, longa, subrusso colore nigricans, gustu acri & admodum fervido.

Locus. Ex Orientis partibus infertur. Nasci in quibusdam Italiæ montibus, sed minùs acre, scribit Matthiolus.

Vires. Optimum remedium habetur in paralysi linguæ cum vocis amissione. Ad dentium dolorem radix masticata in usu est.

Cap. IV.

De Chamæmelo.

CHamæmelum dicitur hæc planta quasi Malum terrestre aut pumilum, quod Mali [intellige Cydonii *Hofm.*] odorem habeat. Dicitur & Anthemis à florum abundantia.

Notæ ejus characteristicæ sunt, Folia tenuissimè dissecta; flores sparsi, satis grandes, foliis marginalibus albis discum flavum cingentibus.

A. 1. *Chamæmelum odoratissimum repens flore simplici* J. B. *nobile seu odoratius* C. B. *Romanum* Ger. **Common Camomile.**

Item,

Chamæmelum nobile flore multiplici C. B. *repens odoratissimum perenne fl. multip.* J. B.

Radices huic fibrosæ sunt: *caules* tenues, hirsuti, striati, in terram procumbentes, & subinde radices agentes, unde immensum se propagat. *Folia* in caulibus crebra, tenuissimè in segmenta tenuia acuta dissecta. [Folium totale alatum est, ex pluribus pinnularum conjugationibus compositum, singulis pinnulis in plura segmenta angustissima in acutum desinentia divisis] *Flores* in summis caulibus & ramulis singulares, pediculis prælongis insident, pro plantæ modo ampli, radiati, petalorum alborum & oblongorum continua serie discum medium flavum cingente, qui marcescentibus foliis marginalibus in capitulum grandiusculum, Tragi ferè figurâ, extumescit. Planta hæc in opacis viridior est & ferè glabra, in apricis incana & lanuginosa. Odorem spirat suavem unguenti.

Locus. Julio demum mense floret. In pascuis uliginosis, inque sterilioribus & à jumentis demorsis non raro.

In Cornubia adeo copiosè provenit, ut nobis illac iter facientibus odore suo nares nostras feriente inter equitandum sæpius se proderet.

Planta hæc quo magis pedibus conculcatur eò lætiùs excrescere & latiùs se diffundere vulgo affirmatur.

Chamæmelum odoratissimum flore pleno, quod in hortis ob raritatem & elegantiam studiosè colitur, cùm vel sationi, vel transplantationi aliive mangonio, aut interdum casui seu accidenti cuidam ignoto originem suam debeat; non nova Chamæmeli species, sed accidentalis potiùs varietas censenda est.

Chamæmelum nudum Park. *nudum odoratum* Ger. *luteum capitulo aphyllo* C. B. *aureum peregrinum capitulo sine foliis* J. B. **Naked Camomile.**

Nobis non aliud esse videtur quàm lusus quidam naturæ, cujusmodi in aliis plantarum speciebus observatur, ut v. g. in *Matricaria*, & *Tripolio*.

Vires. Digerit, laxat, mollit, mitigat dolorem, menses & urinam ciet. Eapropter usûs insignis est in dolore colico [decoctum [in vino] ex jusculo] & flatulento: in cruciatibus spasmi flatulenti & convulsionibus. Vide Matthiolum.

In pleuritide mirum dictu quantopere aqua illius destillata partium suarum tenuitate valeat discutienda. *Sim. Pauli.*

Extrinsecus ejus usus est in paregoricis, emollientibus, maturantibus cataplasmatis, clysteribus, &c. *Schrod.*

In clysteribus ad dolores intestinorum placandos, quâcunque tandem de causâ procedant, magnopere conducit.

Inter omnes plantas quotquot in balnea contra calculum recipiuntur nihil floribus Chamæmeli efficacius. *Matth.*

Oleum Chamæmelinum tumores duros emollit & dissipat, dolores sedat: lassitudinem spontaneam tollit.

Hæc de Chamæmelo vulgari præcipuè intelligenda sunt. Nobile potentiùs calefacit ac attenuat; digerit etiam & rarefacit: remissiùs verò emollit ac dolores mitigat; ut rectè Dodonæus & J. Bauhinus.

Nonnulli adversùs calculum hujus decoctum propinant: Quidam nephriticus, qui post multa remedia incassum adhibita morbum indies exacerbari sensit, ex sequenti remedio insigne levamen percepit. Recipiebam florum Chamæmeli vulg. m. ii. quibus affundebam Vini Rhenani lib. ii. pond. civilis; Sinebam illa digeri in cineribus calidis per duas horas. Postea fortiter exprimebam infusum colandum, & aliis novis manipulis Chamæmeli affundendum, & unà iterum per duas horas digerendum, itémque tertia vice eandem encheiresin esse iterandam. At infusum non diutiùs tandem esse coquendum percipiebam, antequam ultimò colaretur, quàm Asparagos aut Pisces coquimus. Observandum hoc ipsum decoctum adeò reddi salsum à sale suo volatili, ut jurare quis ausit pugillos aliquot salis culinarii in eo esse liquefactos. Hujus ergo decocti duo vel tria cochlearia remiscebam haustulo vini calidi, & illi propinabam. A cujus medicamenti simplicissimi usu, Deo benedicente, non solùm gravissima recensita symptomata mitigabantur, sed quoque laxatis sensim eo ureteribus, citra insignem molestiam aliquot calculi ex renibus in vesicam detrusi excernebantur. Post in aliquammultis probavi, qui insigne levamen senserunt, præcipuè si in balneo sederent. *Simon Paulus.* Notatu dignum est quod scribit de insigni salsedine quam aqua ex iterata hujus herbæ infusione contraxit.

Succi Chamæmeli expressi cochlearia duo vel tria cum guttulis aliquot spiritûs Vitrioli in jusculo exhibita in febre quacunque intermittente paulò ante accessum, instantem paroxysmum plerunque avertunt, & febrem ipsam curant. Veteres etiam Chamæmelum adversùs febres, præsertim biliosas & hypochondriacas commendant. Inter Ægyptios olim magni usûs erat contra omnes febres, notante Borrichio è Galeno.

In cardialgia specificum est Chamomilla tam vulgaris, quàm præstantiori cum affectu Romana. Hinc decoct. ejus egregium experimentum ad Cardialgiam, aut etiam essentia ejus ex floribus vel cum proprio spiritu, vel sp. carminativo vegetabili parata à ʒß ad ʒj [*D. Hulse* ex Eltmulleri praxi.] ejus etiam oleum destillatum sappyrinum commendatissimum est.

Cotulæ fœtidæ decoctio, auctore Trago, non aliter quàm Castoreum contra præfocationem uteri insessu, fomentationibus ac odoratu saluberrima est Herba tusa, & emplastri instar vulneribus imposita illa conglutinat ac persanat. At verò quomodo hoc præstare potest? cùm, ut rectè Matthiolus, sapore sit acutissimo & exulceranti vi prædita.

Apibus ingratam & odiosam, imò funestam & exitiosam esse prodidit Ruellius: ideóque Apiarii hâc suas fricant manus cum alvearia castranda sunt, atque sævientium impetus cohibendi; illico enim furore hujus sensu edomito mitescunt.

D. *Strachey* M. D. amicus noster, rei Herbariæ & totius Medicinæ peritissimus hujus herbæ decoctum felici successu ad Scrophulas propinare solet.

Forestus decocto florum Chamæmeli cum lacte bubulo se senem dysuria laborantem curâsse testatur.

Ad duritiem mammarum propter lactis coagulationem, lavetur locus bis de die, & superponantur Folia etiam Enulæ, ut & Marrubii, & etiam seminum Lini axungiâ emplastrata; tollunt dolorem, ut sum expertus. Communicavit *D. Soame* cum aliis multis ex observationibus Marcelli Cumani ab Hieron. Velschio editis collectis.

Filiæ meæ tertianâ nothâ conflictatæ post quartum paroxysmum sequentem potiunculam exhibui. ℞. pulver. flor. & Herb. Chamæmeli absque stipitibus Aq. Chamæm. Plantag. ana ℥j. misce, detur

initio

initio horroris. Quater exhibita optimè cessit. Idem ex Observ. Achillis Gasseri ab Hier. Velschio editis. Obs. 13.

Sacerdos quidam spasmo Cynico laborans, præmissis Universalibus, sudatione in Vaporario ex decocto Chamæmeli, & applicatis postea emplastris & unguentis convenientibus convaluit. Chamæmelum nervosis partibus singulari proprietate amicissimum, discutiendi simul atque roborandi facultate commendatur ab *Ebnsina*. *D. Soame* ex Observ. Hier. Reusneri.

A. 2. *Chamæmelum vulgare amarum* J. B. *vulgare* Park. *qui tamen vulgare cum nobili confundit. Vulgare, Leucanthemon Diosc.* C. B. *Chamæmelum* Ger. **Wild, or Dogs Camomile.**

A Cotula fœtida in his præcipuè differt, Quòd *radicis* fibræ crassiores sunt; *caulis* major, elatior, ramosior, magis glaber, & in apricis purpurascens, imâ præcipuè parte: *Folia* saturatiùs viridia, longiora, in segmenta multò angustiora & tenuiora, fœniculaceis ferè similia divisa: In *floribus* folia discum medium in circulum ambientia pro magnitudine longiora sunt, angustiora & acutiora, discus medius cùm primùm flos aperitur planior est, postea eo marcescente in capitulum grandius extumescit, è pluribus seminibus coagmentatum: Flosculi singulares è quibus discus medius componitur minores sunt. Odor plantæ non ingratus.

Locus. In locis cultis & inter segetes passim & copiosè provenit.

A Chamæmelo odoratissimo differt quòd recto caule assurgat, cùm illud procumbat & repat; præterea quòd annuum sit, cum illud perennet, ut de odore nihil dicam.

Hanc speciem olim pro Cotula non fœtida habuimus: vereor ne Morisonus in *Prælud.* eundem errorem erraverit. Hæc est quæ in hortis nostris colitur & pangendo propagatur *Cotulæ inodoræ flore pleno* titulo.

Vires. In nausea sive vomitu gravidarum decoctum majoris Chamomillæ Johannes le Bon in Therapeia puerperarum p. 6. commendat. *D. Soame* è Dolæo L. 5. C. 4. S. 20.

A. 3. *Cotula fœtida* Ger. Park. *Chamæmelum fœtidum* C.B. *Chamæmelum fœtidum sive Cotula fœtida* C. B. **Stinking Mayweed, or Maithes.**

Radix ei alba, simplex, pluribus fibris capillata. *Caulis* nunc unus, nunc plures, pedales, teretes, glabri, aliàs brevi lanugine hirsuti, non admodum crassi, solidi, valdè ramosi, ramis è foliorum alis exeuntibus, & caulem ipsum altitudine superantibus. *Folia* alternatim posita, in angustas & acutas lacinias tenuiter dissecta. [Prima divisio est in alas aliquot mediæ costæ adnexas, deinde alæ singulæ in plura subdividuntur segmenta] pallidè viridia, pinguia, glabra ferè, fœtida. In summis caulibus & ramulis *flores* longis pediculis nixi, majusculi, è serie seu circulo foliorum alborum discum luteum ambientium compositi. Marcescentibus floribus discus medius in tuberculum rotundum paullatim assurgit.

Locus. Inter segetes & in cultis passim.

Chamæmelum inodorum sive Cotula non fœtida *J. B.* & aliorum, cùm solo narium judicio à Cot. fœtida discernenda sit, ut affirmat Bauhinus, non est cur diversam speciem statuamus.

Vires. Vires hujus superiùs sub Chamæmelo traditæ sunt.

* 4. *Chamæmelum fœtidum marinum* J.B. **Stinking Sea-Mayweed.**

J. B.

Haud multùm dissimilis habitus à Chamæmelo hortensi. Verùm non modò *caules* ramíque striati, subrubentes, lanugine alba sunt vestiti, sed etiam *folia*, eáque minutiùs, ut videtur, dissecta & propemodum candicantia: *flores* equales, stellatis candidísque in ambitu radiatis foliolis umbilicum luteum ambientibus.

Locus. In maritimis Narbonensium collegit Cherlerus.

* 5. *Chamæmelum marinum* J. B. *Matricaria maritima* C. B. *Parthenium maritimum* Park. **Sea Camomile.**

J. B.

Complures humi spargit *cauliculos*, palmares aut dodrantales, simplices, per quos ordine ascendunt *folia*, quàm Chamæmeli vulgaris latiora, breviora, crassiora, nec adeò tenuiter incisa, amara & subacria, odore ferè Chamæmeli: *Flores* singulis geniculis insident singuli, Chamæmeli similes, candidi, radiati, sed majores, eundem ferè odorem halantes. *Radices* satis profundæ, nigricantes, multis fibris donatæ.

Tempus. Floret Aprili, Augusto & Septembri.

An & quomodo hoc differat à Chamæmelo seu Cotula vulgari mihi non constat.

* 6. *Chamæmelum leucanthemum incanum Hispanicum minus* C. B. *Hispanicum incanum parvum* Park. **Spanish hoary Camomile.**

C. B. prod.

Plantula est palmo minor, *radice* parva, fibrosa, rufescente, ex qua *cauliculus* tenuis, uncias quatuor altus, nudus exsurgit, *florem* unicum, satis magnum, disco pallidè luteo, foliis pluribus albis cincto sustinens. *Foliola* ad radicem parva, incana, tenuissimè instar Absinthii Galatici, vel Abrotani divisa, quæ insipida & inodora sunt.

Locus. In regno Granadæ ad agrorum margines.

Chamæmelum Hispanicum luteum odoratum C. B. prod.

Ad Chrysanthema potiùs referendum videtur.

* 7. *Chamæmelum Alpinum inodorum* C. B. Park. *Leucanthemum Alpinum Clusii* Ger. **Mountain Camomile without scent.**

Clus.

Hujus *folia* Chrysanthemi Alpini 1. Clusii foliis non multùm dissimilia sunt, nisi paulò magis incisa essent, crassa & succulenta (uti sunt multarum Alpinarum stirpium folia, quemadmodum & marinarum) amariusculi saporis, & nullius grati odoris. *Cauliculi* dodrantales, infirmi, in quibus singulares *flores*, Chamæmelo majores, luteum orbem ambientibus vicenis aut pluribus albis foliis. Latè se spargit hæc planta Anthemidis modo & fibrosas radices habet.

Locus. Crescit in *Judenberg*, *Spital* & aliis quibusdam provinciæ Stiriæ jugis, ubi Julio & Augusto floret.

8. *Chamæmelo affine Buphthalmum Italicum segetum altissimum* J. B. *Cham. leucanthemum Hispanicum magno flore* C. B. prod. *Ch. Hispan. amplo flore* Park.

J. B.

Tam altè assurgit, ut segetes in Italia etiam superet, *caulibus* simplicibus per quos *folia* Buphthalmi vulgaris, asperiuscula, alterno positu, ex unciali distantia, minutissimè ac profundè dissecta, quorum segmentorum summitates velut pilos tenuitate sua repræsentant.

Flos in fastigio unicus, jam dicti Buphthalmi flori æqualis, radiato in orbem simplici foliorum candidorum agmine constans, umbilico luteo. Differt (inquit) à Cotula fœtida ne quis fallatur.

Vulgare est circa Monspelium in satis, quod foliorum divisurâ, altitudine & majori flore à Cotulis facilè distinguitur. *Botan. Monsp.*

* 9. *Chamæmelum Æthiopicum lanuginosum* Breynii.

Breyn.

Chamæmelum hoc prorsus novum pulchrum sanè ac perrarum est, eâ fermè quâ Romanum facie in Promontorio Bonæ Spei crescens, quanquam minus, & ramos teneriores, densâ lanugine pubescentes spargens: *Foliis* minoribus, lanuginosis, Millefolii lutei junioribus & magnitudine quadantenus & figurâ similibus. Ex ramulorum cymis inter folia pediculus *palmaris* ferè, gracilis & lævis exit, qui in summo in capitulum læve, striatum, crenis magnis & obtusis per circumferentiam coronatum, ex viridi albicans & veluti rorulentum, paullatim crassescens abit: cujus medio *flos* Chamæmeli vulgaris, disco ex tabulis mille minutissimis luteis conflato, foliolis candidis sed perquam pusillis, ut Asteris cernui *Col.* cincto, eleganti spectaculo insidet. Excusso flore *semen* copiosum, nigrum, Chamæmeli inodori minus sequitur.

Hæc planta, propter capitula parumper à Chamæmelo recedere, & medium quoddam genus inter hoc & Asterem cernuum *Col.* prætendere videtur.

* 10. *Chamæmelum Lusitanicum latifolium sive Coronopi folio* Breynii.

Breyn.

Cauliculis multis ab una radice prodeuntibus, & summa tellure magna ex parte sparsis, sesquipedalibus, teneris ac leniter hirsutis, superiùs maximè, luxuriat: quos *folia* sine petiolis alterno positu vestiunt, utrinque in lacinias novem aut decem laterales divisa, mediam quandam inter Coronopi minimi maritimi hirsuti, & Tanaceti Alpini *C. B.* adhærentia cauliculis folia figuram obtinentia. Singuli caules & rami singulos *flores* producunt, tam capitulo, quàm aliàs Chamæmeli Romani flore simplici æquales, quorum candidissima, ad unguem citrina, anteriùs dissecta petala, discum totum tabulis amplioribus luteis obductum, & itâ figuratum ut ab imo latior in angustum verticem exacuetur, rotatim ambiunt.

Ex semine Lusitanico in Horto publico Amstelodamensi enatum mense Julio florens observavit Jac. Breynius.

SECTIONIS

SECTIONIS PRIMÆ

MEMBRUM QUARTUM.

De Herbis Corymbiferis cum barbulis diversi à medio disco coloris, floribus in Umbellæ formam digestis, seu

De Parthenio aut Matricaria.

MATRICARIA à matrice seu utero recentioribus dicta, quòd morbis uterinis conferat, Parthenium Dioscoridis censetur, quod diminutivum est à Παρθένος virgo.

Notæ ejus characteristicæ sunt Flores velut in umbella, barbulis albis discum medium luteum ambientibus.

A. 1. *Matricaria* Ger. *vulgaris* Park. *Matricaria vulgò, minus Parthenium* J. B. *Parthenium I. sive Matricaria vulgaris* C. B. **Feverfew.**

E *Radice* alba plurimis fibris emissis terram apprehendente *caules* exurgunt plures, sesquicubitales, rigidi, striati, glabri, satis crassi, medulla fungosa referti, foliis crebris, nullo ordine positis vestiti. Versus summitates caulium ex alis foliorum exeunt ramuli, in quibus ut & in summis caulibus existunt *flores* pediculis oblongis, plures, velut in umbella radiati, non admodum ampli, foliis marginalibus brevibus, albis, discum medium flavum cingentibus. Foliis marginalibus marcescentibus discus medius extumescit. *Folia* velut alata ex duabus tribúsve pinnularum mediæ costæ adnexarum conjugationibus componuntur: pinnulæ hæ natæ sunt, inque alias minores circa margines dentatas subdividuntur, Filicis cujusdam ferè in modum. Color foliorum ex viridi luteolus. Tota planta odorem gravem & vehementem spirat.

Junio & Julio mensibus floret ad sepes & in locis ruderatis. *Locus & Tempus.*

Matricariæ varietates sunt,

1. *Matricaria flore pleno C. B.* & aliorum, sola floris multiplicitate à vulgari, non specie differt.
2. Habetur & *flore nudo*, seu foliolis radiatis medium orbem cingentibus viduo. Flore aphyllo, bullatis floribus aureis *Park.*
3. *Matricaria odorata J. B.* & aliorum, cùm nulla alia in re præterquam odore gratiore à vulgari differat, nec ulteriore descriptione indiget, nec species distincta censenda est.
4. Matricaria florum petalis fistulosis majoribus.
5. Minoribus.

Utraque varietas colitur in *hort. Reg. Paris.* & hort. Leydensi, & semini proculdubio originem suam debuit, uti Bellis minor florum petalis fistulosis.

6. Matricaria cauliculis rubentibus N. D. *Hort. Lugd. B.*

Ad uterinos affectus non parum confert (ut vel nomen ipsum arguit) decoctum & potum, menses & secundas remorantes, uteri suffocationem, &c. Quæcunque amara possunt utiliter præstat: ventris tineas expellit vel herba ipsa, vel succus ejus expressus non secus ac Centaurium aut Absinthium. Convenit in Arthritide. *Vires.*

Nostratibus, & Germanis etiam (**Feverfew**) Febrifuga dicitur ab effectu. Nonnulli, ut apud Tragum, 1. Hist. 50. sapientes mulieres, & Brassavola in *exam. Simpl.* vim purgatricem illi attribuunt, quam Parthenio suo Dioscorides inesse prodidit.

Palam est Apes ferre non posse odorem Matricariæ: quare plethorici, quos præ aliis pungunt apes & culices, in hortis ambulaturi optime sibi consulent, si Serviam ex Matricaria sibi parent & circumferant: sic enim apes hujus graveolentiâ offensæ, quasi manu abactæ, illis non nocent. Eundem effectum expectare possumus à Cotula fœtida, *S. Paulli Quadrip. Botan. Class.* 3. *p.* 390. Habui à D. *Tancr. Robinson.*

Ad Hemicraniam, ℞ folior. Matricariæ m. i. Calefiat in sartagine, & bis aut ter calidi vertici applicetur. *Chesneau ex libro Arcanorum.*

Macricaria cruda imposita capitis vertici mitigare ejus dolores sæpiculè solet. *S. Paullus.*

Parare ex ea & floribus Chamomillæ cum tantillo Artemisiæ decoctam suevi, à cujus usu hysterica symptomata illico cessare, & lochia abunde fluere sæpe comperi. *Idem.*

* 2. *Matrciaria inodora* C. B. Park. *Parthenium inodorum sive Achaovan Ægyptiorum* J. B. **Feverfew without scent.**

Herba est Chamæmelo proxima, quæ tamen non adeò altè extollitur, sed parùm supra latiùs expanditur, foliis Parthenii minoribus ac densioribus, floribúsque Chamæmeli æmulis. Herba saporis odorísque expers percipitur, sed flores odorem gravem obscurúmque spirant.

Ægyptii porro quibus & hæc planta patria est, descriptore Alpino autore, florum foliorúmque decoctum in usu habent ad tollendas viscerum obstructiones, præsertímque ad ictericos. *Locus & Vires.*

Hæc planta ex descriptione rectiùs ad Chamæmelum refertur.

Herbæ

Herbæ flore composito discoide nudo, seu Corymbiferæ flore nudo, sunt vel caule

- *Determinato*, flosculis sci. eum finientibus, iisque vel
  - *Sparsis* aut solitariis,
    - *Fruticescens*, superficie perenni, foliis in ramulis sigillatim positis, odoratis: ABROTANUM FÆMINA, *Chamæcyparissus.*
    - *Herbaceæ*, semine
      - *Cornuto* seu bidente, foliis in caule bijugis, radice annua: EUPATORIUM CANNABINUM *fœmina.*
      - *Indiviso & integro*, foliis vel
        - *Integris* Majoranæ: CHRYSANTHEMUM *C. b. sp. repens flore aphyllo* Breyn.
        - *Dissectis*, seu segmentis Coronopi æmulis: CHRYSANTHEMI *Conyzoides Æthiopicum*, &c. Breyn. seu tenuissimis, Millefolii æmulis: CHRYSANTHEMUM VALENTINUM Clus.
  - *Velut in umbellam dispositis* in summis caulibus & ramulis, foliis
    - *Integris*,
      - *Latis*, elatior & major: COSTUS HORTORUM, *Balsamita mas.*
      - *Angustis*, per margines incisis, humilior & minor: AGERATUM; *Balsamita fœmina.*
    - *Dissectis* & velut alatis: *Tanacetum.*
- *Indeterminato*, floribus eum non finientibus, verùm secundùm ejus longitudinem velut in spicas dispositis; foliis
  - *Integris*, longis, angustis, Hyssopi: DRACO.
  - *Dissectis*,
    - *Fruticosior* & lignosior, foliorum segmentis tenuissimis: ABROTANUM MAS.
    - *Humilior* & *minor*,
      - *Amarore insignis*, odore vehementiore, folio incano: ABSINTHIUM.
      - *Minùs amara*, odore remissiore, folio subtus incano, supernè virente: ARTEMISIA.

LIBRI SEPTIMI
SECTIO SECUNDA.
De Herbis Corymbiferis flore nudo.

HÆC Sectio in tria membra dividi posset.
Primam earum quarum flores caules terminant, floribus sparsis aut solitariis.
Secundam earum q. f. c. t. floribus in Umbellæ formam digestis.
Tertiam earum quarum flores caules non finiunt, sed secundùm eorum longitudinem velut in spicas disponuntur.

CAP. I.

De Abrotano fœmina sive Chamæcyparisso.

ABrotonum unde dictum sit vide infra in Capite de Abrotono mare. Chamæcyparissus dicitur ab aliquali cum Cupresso foliorum similitudine.

Notæ ejus sunt superficies fruticosa, perennis, folia odorata; Flores solitarii ramulos terminantes.

1. *Abrotanum*

1. *Abrotanum fœmina vulgare* Park. *fœmina foliis teretibus* C. B. *Chamæcyparissus* J. B. Ger. **Common Lavender-cotton.**

Ex *radice* crassa, dura, lignosa & subinde in brachia fissa virgulta cubito altiora emittit, lignosa, tenera lanugine incana & in plures ramos divisa, quos ambiunt tenuia *folia*, longitudine circiter unciali, minutim denticulata, ità ut quatuor ferè denticuli in eadem phalange agminatim dispositi conspiciantur, incana omnino, odore medicamentoso & cum quadam suavitate gravi, sapore partim acri, partim amaro. Singulis ramulis singuli insident flores Tanaceti, lutei, calicibus squamosis.

Circa oppidum *S. Cyriaci* in Hetruria copiosè provenit atque indè incipiendo ad Statum Ecclesiasticum seu territorium Papæ, secùs vias. *Locus.*

Convenit qualitatibus cum Abrotano mare, usúsque præcipui est in obstructionibus Epatis, Renum & Ureterum: Icterum curat. *Vires.*

Ventris lumbricos interimit, quotidiano experimento mulierculárum, tum semen, tum herba ipsa in lacte decocta & pota.

Folia sicca ad sistenda alba fœminarum profluvia conferre scribit Matthiolus, si continuis decem diebus aut pluribus, sumantur à jejunis, & deinde interpolatis diebus.

2. *Abrotanum fœmina foliis Ericæ* C. B. Park. *Chamæcyparissus unguentaria* J. B. **Green-leaved Lavender-coton with a scent like Ointment.**

J. B.

Caulibus est tenuioribus, candidioribus, *foliis* vestitis minoribus, sed quæ majoribus denticulis incisa sunt, odore minùs gravi & jucundiore.

Hanc speciem eandem puto Abrotano fœminæ 2. Clusii, cujus etiam descriptio Abrotano nostro unguentario in hortis frequenter culto, & in collibus saxosis circa molendina Nemausi nobis observato meliùs convenit, quàm Bauhiniana, quæ hujusmodi est:

Alterius (2.) *rami* etiam candicant, minùs tamen frequentes sunt, longiora habent *folia*, quatuor similiter dentium ordinibus prædita, initio quidem incana, minùs tamen quàm in superiore, & quæ tandem omnino virescant; *odor* mitior est: sapore, radice cum jam descripto convenit. Hoc genus plerisque etiam hortis commune esse scribit. *Clus.*

Hæ descriptiones (ut verum fatear) in eo contrariæ videntur, quòd J. Bauhinus & etiam Dodonæus folia minora huic attribuunt quàm vulgari Chamæcyparisso, Clusius autem longiora; quæ quomodo conciliari possint non satis perspicio, utcunque eandem utrique plantam descriptam minimè dubito: proinde Abrotanum fœminam 3. & 8. *C. B.* ad idem caput reduco: ut & Parkinsoni Abrotanum fœminam secundam seu magnum & Abrot. fœm. quartam seu Ericæ foliis.

* 3. *Abrotanum fœmina flore majore* C. B. *fœmina Narbonensis magno flore* Park. *fœmina* 3. *Clus.* **Lavender-cotton with a large flower.** *Absinthium marinum Abrotani fœminæ facie* Ger.

Ad primum genus multum accedit, sed longè strigosius est, & *ramos* duriores, brevioribus minúsque frequentibus *foliis* obsessos habet, colorem etiam inter utrumque medium. *Flores* in extremis ramulis majores & pallidiores in squamatis capitellis. *Radix* in duros & lignosos ramos divaricatur.

In acclivitate quorundam colliculorum inter Narbonem & oppidulum D. Nazarii à Clusio observabatur. *Locus.*

Hoc genus an ab unguentario dicto differat subdubito: fortè tota diversitas loco debetur.

* 4. *Abrotanum fœmina foliis Rorismarini majus* C. B. Park. *fœmina* 4. Clus. hist.

Clus.

Multis ab uno cespite prodeuntibus *ramis* constat, tenuibus pedalibus, candicantibus, quas numerosa ambiunt *folia* Rorismarini coronarii, sed minora & angustiora, quæ novella incana sunt, & nulla ferè incisurarum vestigia apparentia habent: adulta autem viridiora, longiora, & quasi minutis incisuris distincta sunt, multùm tamen à Santolinæ creditæ foliis diversa, amari gustûs & jucundi odoris: multas è singulis ramis producit virgulas palmares, raris foliis septas, atque in summo earum fastigio *capitella*, *floremque* luteum, Santolinâ multò ampliorem: maturo autem semine marcescunt hæ virgulæ. *Radix* est lignosa.

* 5. *Abrotanum fœmina foliis Rorismarini minus* C. B. Park. *fœm.* 5. Clus. hist.

Clus.

Flore, foliis, totâ denique facie præcedenti simile est, sed per omnia minus & gracilius: quod natalibus tribuendum non est, quandoquidem uno eodémque in loco (inquit autor) simul nascentes plantas invenerim, neque etiam ætati, quia utraque species ex seminibus natali loco sejunctim collectis & repositis & mecum in Belgicam delatis mihi nata est, magnitudine & exilitate non minùs discreta quàm natali loco fuerat.

6. *Abrotanum fœmina viridis* C. B. Park. *fœmina viridis minor* Park. *fœm. 6. Clus.*

Clus.

Præcedenti magnitudine par est, interdum etiam paullò majus: Ramuli non ut in altero candicantes sed virides: folia etiam viridia, sed longiora tenuioráque, non minùs quidem amara quàm illa, sed minus jucundi odoris: *flos* pallescens, *virgæ* quæ florem sustinent tenues, maturo semine etiam arescebant, ut in superiore, cujus radici hujus *radix* etiam respondet, sed magis fibrosa est.

Locus. Nascuntur [tres proximè descriptæ species] Salmanticensi agro, montibus Segobiæ vicinis, quos *el puerto de Guadarama* vocant, & veterem Castellam à nova separant; aliisque asperis & salebrosis Hispaniæ locis. Florent Maio & Junio; semen maturum Julio. Hæc omnia Clusius.

* 7. *Abrotanum fœmina repens* C. B. *Santolina* 5. Dod.

Nobis incognita & suspecta est.

8. *Abrotanum fœmina villosis & incanis foliis* C. B. *Seriphium Dioscoridis Abrotani fœminæ facie* Ad. Lob.

Ad. Lob.

Exilibus, lenibus *surculis*, pedem altis fruticat. *Radix* albicat, prolixa, surculósque statim ab humo numerosos promit, crebris *foliis*, minutim crenatis, teneriuscula lanugine incanis, uti Gnaphalium summo tenus obsitos, ubi extrema capitula aureis *floribus* bullata fulgent, *semine* parvo copioso referta, similitudine Tanaceti sed minore.

Adeò simillima est Abrotono fœminæ vulgari hortorum, ut haud facile utramvis ab altera discernere sit; nisi quia hæc tota minor, odoratior, candidior, tomentosa, quod alteri deest, cui folia breviora; sapor non adeò ingratus aut vehemens.

Locus. Hoc & nobis non minùs quàm Lobelio in Galloprovincia, montis celsi S. Magdalenæ cryptâ celebris acclivibus, quà S. Maximinum oppidum spectat, observatum. Et reverâ Abrotono fœm. vulg. adeò simile erat, ut pro eodem habuissemus, nisi odor gratior, statura humilior, & locus contrarium suasissent. Lobelius quoque se vix credidisse ea differre scribit, nisi utrumque contulisset. Necdum tamen nobis planè satisfactum est, quibus loca hæc adire contigerit diligentiùs & exactiùs hanc speciem cum vulgari conferant.

* 9. *Abrotonum peregrinum Cupressi foliis* Lob. Park. *fœmina foliis Cupressi* C. B.

Exigua est *radice*: ex una stirpe plusculos viticeos, *caules* rigidiores nigricantes producens: *Folia* cupressina aut Sabinæ, texturâ reticulatâ effigiata, longa, angusta, & per virgulta crenatis extremitatibus denticulata.

Ex brevi hac & imperfecta descriptione qualisnam planta sit quam intelligit Lobelius nescimus: in capite de Sabina caulem ei attribuit pedalem & sesquipedalem, in summitates caudatas comosas exeuntem.

CAP. II.

De Eupatorio cannabino fœmina.

1. *Eupatorium cannabinum fœmina* Ger. *aquat. duorum generum* Park. *Cannabina aquatica folio tripartitò diviso* Park. C. B. *Verbesina sive Cannabina aquatica, flore minùs pulchro, elatior ac magis frequens* J. B. **Water Hemp, Agrimony with a yellow flower.**

R*adix* plurimis fibris majusculis, fibrillis minoribus capillatis constat: *Caules* attollit cubitales & sesquicubitales, teretes, ramosos, solidos, [rubentes, hirsutos] *Folia* ad genicula ex adverso bina tripartita aut etiam quinquepartita, [subinde per ramos quoque nullo modo laciniata] circa margines profundè serrata, glabra [J. Bauhino pilosa] latis pediculis caulem amplexa. *Flores* summis caulibus & ramulis insident, è flosculis exiguis luteis quinquepartitis compositi, nudi, multis squamis purpurantibus calicis loco obvallati. *Semen* longum, latum & planum in summo bicorne [J. Bauhino in duos stylos asperos desinens qui vestibus adhærent.] Uniuscujusque floris basin cingunt folia radiatim disposita, acuminata, brevibus circa margines pilis, qui serraturæ speciem exhibent, hirta.

Locus. In locis humidis & palustribus, fossis, riguis, & intra fluviorum latè patentes alveos non rarò prodit, ut rectè Dodonæus.

A. 2. *Eupatorium aquaticum folio integro* Park. *Eupat. Cannab. fœminæ varietas altera* Ger. emac. *Cannabina aquatica folio non diviso* C. B. *Verbesina pulchriore flore luteo* J. B. **Water-Hemp-Agrimony with an undivided leaf.**

J. B.
Fibris *radicatur* multis albis, tum ab imo caule, tum ab ejus geniculis demissis, sapore aromatico. *Caules* cubitales & majores, alias minores, teretes, subhirsuti & nonnihil subinde rubentes. *Folia* ad nodos bina adversa, quatuor aut quinque uncias longa, acuta, serrata tantummodo, non in lacinias divisa, superficie utrinque lævi, sapore acriusculo. Ex foliorum alis duo ramuli diversi exeunt, quorum alter altero minor esse solet. *Flores* multò pulchriores quàm in Verbesina elatiore; quorum extima folia ex luteo viridantia, striis nigricantibus picta, his proxima aureo fulgore nitent,, magna, in orbem acta; medium occupant alternatim remissi flosculi, luteoli, quinquepartiti, apiculos nigros exserentes, squamulæque striatæ, extimis quidem similes, sed suppares. *Semen* oblongum, compressum, fuscum, brevissimis ceu aristis asperiusculis capiti adnatis, ad vestes adhæret.

In locis aquosis ubi aqua stat aut residet J. Bauhino. Apud nos ubique udorum unà cum præcedente provenit Cannabina aquatica, non tamen quæ hic describitur, flore radiato, sed flore nudo. *Locus.*

* 3. *Conyza capite nutante* J. B. *Cannabina aquatica folio non diviso*, C. B. *qui hanc cum præcedente confundit.* **Water-Agrimony with a bending head.**

J. B.
Caules habet plures, cubitales, hirsutos, qui in varios ramulos finduntur, quorum singulis appositum *folium* unum, longum, satis latum, rariùs serratum, pilosum, Conyzis nonnihil simile, ramuli ad florem usque robusti, rectique, per extrema in cervicem rigidulam contorquentur, *florem* nutabundum, terrámque versùs inclinatum sustinentes, ex multis ceu squamis compositum, quarum medium obsident multi *apices* lutei, eo ferè modo dispositi quo in Verbesina. *Florem* ambiunt quædam longiuscula folia viridantia stellæ in modum radiata. *Radices* fibrosæ, Hellebori nigri similes.

C. Bauhinus in Prodromo hanc describit sub nomine *Cannabinæ aquaticæ similus capitulis nutantibus*, & tamen in Pinace *Eupatorio cannabino Chrysanthemo* eandem facit. Hæ tamen plantæ nobis diversæ videntur, ut descriptiones conferenti patebit: utcunque hujus descriptio meliùs convenit Cannabinæ aquaticæ folio integro nobis in Anglia familiari.

Cap. III.

* *Chrysanthemum Conyzoides Æthiopicum, capitulo aphyllo, foliis Majoranæ* Breynii.

Breyn.
Lignosus hic frutex, pedalis, Conyzæ minimæ *Lob.* facie quodammodo nascens, in plurimos se expandit *ramos*, rotundos, striatos; quos numerosa & conferta ambiunt *folia* Majoranæ hortensis foliorum formam & Sanamundæ primæ *Clus.* non malè æmulantia, villosiora tamen ac parumper minora, odoris & saporis aromatici, Menthæ corymbiferæ seu Costi hortensis instar. Summis ramulis singularia, eorum autem angulis sæpius plura insident *Capitula*, dura, villosa, discum luteum staminulis plurimis constantem sine radiatis in ambitu nascentibus foliolis continentia: donec tandem eadem staminulorum loco *seminibus* solidis & angulosis, ex cinereo colore albicantibus, Fœniculi seminis magnitudine, onerentur.

In bonæ Spei Promontorii locis herbosis oritur, ubi mense Octobri & Novembri vernat. *Locus & Tempus.*

Chrysanthemum Cannabinum Americanum Moris. prælud.

A nostrate cognitu facile est, quippe caules edit quadrupedales, subrubentes, firmiores & rectiores: flosculos ex multis staminulis luteis conflatos habet, & semina bidentia multò vulgaris Chrysanthemi Cannabini seminibus majora, vestibus pariter adhærentia.

CAP. IV.

De Bellide luteo flore aphyllo.

1. *Bellis spinosa Alpin. exot. spinosa foliis Agerati* C. B. *major spinosa flore luteo nudo* Park. *spinosa elatior & fruticosior Herbariorum bullatis aureis floribus* Lob. Ad. part. ult. **Prickly-leaved naked yellow Daisie.**

Alpin.

TOTA planta est fruticosa, habétque à *radicibus* multis gracilibus lignosos *caules* plures, rectos, graciles, ramosos, glabros, subinde rubentes, *foliis* multis oblongis, spinulis crenarum loco in ambitu armatis parvis ad Myrti folia accedentibus cinctus. In cauliculorum summitatibus fiunt *flores*; toti aurei, lati rotundi, ad modum Anthemidis nudo flore; quibus succedunt *semina* minima, oblonga, mollia & nigra.

Parkinsonus semina alba ei attribuit.

Hæc planta nobis hac æstate [1685] succrevit ex semine ab amicissimo Viro & insigni Botanico *Hans Sloane*: verùm non perfecit florem. Descriptio Alpini ut & Parkinsoni ei satis aptè congruit. In dodrantalem altitudinem assurrexit, foliis crebris in caule nullo ordine positis, ab angusto principio paulatim dilatatis & in rotundum desinentibus, glabris, obscurè virentibus, circa margines denticulis spinosis incisis.

* 2. *Bellis lutea sive Chrysanthemum Capitis bonæ spei repens, flore aphyllo* Breynii.

Breyn.

Radicibus nititur teneris, albicantibus, nec ità profundis: ex quibus *Cauliculi* emergunt rotundi, glabri, coloris pallido virescentis, & aliquibus in locis quandoque ex fusco subrubicundi: dividuntur hi rursus in alios minores, utplurimum versùs terram procumbentes, quam ubi attingere valent mox novas radiculas emittunt. *Foliis* donatur ex glauco virescentibus, longiusculis & inordinatè incisis, ac Coronopi folia quodammodo referentibus, caulémque semper ambientibus: in singulis autem caulibus unicus conspicitur *flosculus*, lutei coloris, ex innumeris staminulis sive exiguis tubulis constans, instar orbis sive disci floris Chrysanthemi vulgaris, quem nulla ambiunt folia, quare & aphylli nomen inditum. *Semen* maturum exiguum est & subrufi coloris, proximéque ad Chrysanthemi vulgaris semen accedit: quod cum ipso flore odorem spirat haud ità gratum. Universa autem planta apud nos annua est, & satis copiosè ex deciduo semine repullulat.

Descriptio est *D. Syen.*

Locus. In horto Leidensi colitur sub nomine Bellidis luteæ seu Chrysanthemi exotici minoris flore aphyllo, Chamæmeli facie.

CAP. V.

* *Chrysanthemum Valentinum Clusii* Park. Ger. *Buphthalmum lanuginosum foliis Millefolii* C. B. *Buphthalmo tenuifolio simile Chrysanthemum Valentinum Clusii* J. B.

Clus.

UNico plerunque assurgit *caule*, pedali, rarò ampliore, ramoso: *foliis* secundùm radicem numerosis, deinde temere & sine ordine per caulem sparsis, multifidis, Millefolii Stratiotis foliis pænè similibus, lanuginosis & incanis, quæ degustata salivam cient, & acidula sunt. *Flos* in singulis ramulis unicus, luteus, vel potiùs auri splendore fulgens, quíque reficcatus multis annis nativum colorem etiam retinet, medio Anthemidis disco sive umbilico major, & sine radiatis in ambitu na scentibus foliolis, odoris non injucundi. *Radix* unica, candicans, firma, crassiuscula.

Locus & Tempus. Valentino regno ad arvorum margines eruebat Clusius, juxta semitas repertum, nusquam alibi ipsi observatum. Florebat isthic Martio.

Hæc planta, nequis fallatur, plurimum à Buphthalmo Narbonensis provinciæ differt.

CAP.

Cap. VI.

De Costo hortorum dicto sive Balsamita mare.

HUjus notæ genericæ sunt flores lutei nudi in umbellam aggesti, folia integra, lata, in ambitu crenata, odor validus.

1. *Mentha Corymbifera sive Costus hortensis* J. B. *Men. hortensis Corymbif.* C. B. *Costus hortorum major* Park. *Balsamita mas* Ger.

J. B.

Obliquas agit radices, Menthæ radicibus pares, teretes, à quibus fibræ demittuntur multæ, *Caules* cubitales & sesquicubitales, striati, ramosi & herbaceo colore pallescentes. *Folia* Lepidii, eodem cum caulibus colore, per ambitum serrata, rariùs laciniata, odore intenso Agerati, sapore vehementer amaro. Summis ramis insident Corymbi aurei Tanaceti. *Semina* parva, oblonga, compressa.

In hortis colitur. *Locus.*

Sanat cruditates stomachi, ructus, vomitus, fœtores oris, tormina, cardialgias ex stomacho, dolores capitis ex eodem. Quin ex propria capitis affectione, siquidem frigida sit, *Conserva* non infeliciter usurpatur. Idem dico de morbis uterinis à mensium mora. Idem de calculo. *C. Hofman.* *Vires.*

In viscerum obstructionibus non esse instrenuum remedium persuadeo mihi ob partium tenuitatem: ob amarorem vermes necat & succus & semen foris. Parkinsonus semen & florum in vino alb. infusionem ad ℥ij. una vice pueris verminantibus propinat. Peculiari vi Opii aliorúmve venenorum malignitatem retundere creditur. In vulneribus citissimam operam præstat, unde *Balsamitæ* nomen inditum.

Mulieres Germanicæ pastâ farinaceâ obducta folia frigunt in oleo butyróve, & mensis secundis apponunt.

Balsamum ex eo cum Ophioglosso in Oleo olivarum decocto, additis inde ad dandam consistentiam cera & resina, paratur, ad ulcera inveterata utilissimum.

Muliercula Danicæ Balsamitam siccam sibi magnâ copia quotannis servare solent, ut mensibus parcè vel omnino non fluentibus balneum vaporosum ex ea sibi conficiant, quâ omnibus pediluviis menagogis longè ocyùs moveri sibi menses persentiscunt, si vapor in locos per infundibulum exhalet, quàm si solùm hiante sinu, supparo undique vanno circundato super ea consideant. *Sim. Pauli.* Ex adversar. *D. Hulse.*

Si succo & herba Balsamitæ succosa inguen & alarum hircus probè perfricentur, certo experimento neci dabuntur illud pediculorum genus qui inguinales appellantur. *Idem.*

* 2. *Mentha Corymbifera Brasiliensis, Camara Japo dicta* Marggr.

A præcedente seu vulgari differt hæc *foliis* acuminatis, urticæ æmulis, cùm illius obtusiora sint; necnon florum colore è lactescente & dilutè cœruleo mixto, qui in illius aureus est.

3. *Pseudocostus Virginiana, seu Anonymus Corymbifera Virginiana flo. albo.*

Folia habet integra, lata, circa margines serrata, *Caulem* dodrantalem, in summo gestans *flores* multos, velut in Umbellam aut Corymbum congestos, albos, disco medio (quantum memini) foliolis parvis albis cincto.

Hanc plantam aliquot annos Cantabrigiæ in hortulo meo alui: habui autem à quodam *Walker*, hortulano Londinensi, cujus filius eam cum aliis rarioribus è Virginia attulit.

Nullibi (quod sciam) descripta occurrit hæc planta, pulchra & rara: nisi fortè sit Ptarmica Virginiana folio Helenii *Moris. prælud.* superiùs in capite de Ptarmica proposita. Quò sanè commodiùs refertur quàm ad Costum, ob flores radiatos.

CAP. VII.

De Agerato.

Αγήρατον Dioscoridi l. 4. c. 59. cui nomen inditum διὰ τὸ ἐπὶ πολὺ τὸ ἄνθος ὁμοιοειδὲς φυλάττεσθαι, quoniam flos in sua coloris specie dilutissimè conservetur; quasi dicas senectutis expers, quod Ἀγήρατος dicitur: vel ut Plinius lib. 27. c. 4. quoniam diutissimè non marcescat.

Notæ ejus characteristicæ sunt flores lutei nudi in umbellæ formam dispositi, folia integra profundè serrata.

1. *Ageratum vulgare sive Costus hortorum minor* Park. *Ager. foliis serratis* C. B. *Ageratum plerisque, Herba Julia quibusdam* J. B. *Balsamita fœmina sive Ageratum* Ger. **Maudlin, or Maudlin-Tansy.**

Radice constat lignosa, minimi digiti crassitudine, variè implexa, ex qua complura surgunt *virgulta*, cubitalia & altiora, tenuia, colore aliàs subrubente, aliàs ex viridi pallescente, in ramos divisa; *foliis* numerosissimis ab imo ad summum stipata, Costi hortensis ut odore, ità & formâ similibus, sed duplò aut triplò minoribus, profundè serratis. In summis ramulis *Corymbi* emicant Millefolii, sed colore luteo. *Semen* succedit exiguum, oblongum & paleaceum.

Locus. Nascitur in Hetruria circa Florentiam, Liburnum, &c. itémque in Gallia Narbonensi circa Monspelium & alibi copiosè.

Hæc planta Officinis pro Eupatorio Mesues habetur.

Vires. Temperamento & viribus cum Costo hortorum seu Balsamita mare convenit. Ex hujus & Ophioglossi foliis unà contusis, & in oleo olivarum bullitis, addito ceræ, resinæ siccæ & Terebinthinæ tantillo, unguentum sive emplastrum efficitur præstantissimum, Gerardo nostro sæpius probatum.

Mesue Eupatorio suo purgandi facultatem ascribit; quam alii huic plantæ adimunt & proinde non esse Eupat. Mesue contendunt. Schroderus & Hofmannus alvum laxare quàm mollissimè statuunt.

Felici successu oleo ipsius Agerati Septentrionalium utor in verminantibus puerulis, tam ut iis id propinetur, quàm ut Gossipio exceptum umbilico eorum applicetur. *Sim. Paullus.*

2. *Ageratum floribus albis* Ger. Park. *Ager. foliis serratis, flore albo* C. B. **White flowered Maudlin.**

Caulibus est lignosis, *foliis* crebris vestitis, quàm præcedentis minoribus minúsque circum oras serratis. *Flores* in summis caulibus velut in umbellas dispositi, albi [media tantum parte lutei nonnihil ostendentes.] Odor plantæ priore aliquanto mitior: *Radix* pariter tenuis, fibrosa.

Hæc planta (ut nonnulli volunt) differt à præcedente, floris colore tantùm: Huic similem sed minorem J. Bauhinus exhibet & describit titulo *Herbæ de la rotta.* Fundit (inquit) ex *radice caules* dodrante minores, glabros, per quos *folia* alternatim posita cernuntur. Agerati foliis similia, unciam longa, angusta, in ambitu serrata, glabra, gustu aromatico & subamaro, Tanaceti ferè. Fastigia coliculorum in umbellas quodammodo abeunt *flosculorum*, Millefolii Alpini minorum, foliis albis apices circumstantibus, ex capitulis, quæ squamæ nigris lineis pictæ componunt.

Hæc planta, quicquid sit de præcedente huc propriè non pertinet, sed ob flores radiatos, & folia non dissimilia, ad Ptarmicam potiùs referenda est, non obstante Agerati odore.

Ageratum purpureum Dalechampii *Lugd.* alterius est generis.

* 3. *Ageratum minus* Park. *foliis non serratis* C. B. Ger. emac.

Park.

Pluribus surgit *caulibus*, pedem non multùm superantibus, *foliis* crebris undique obsitis, minoribus, longioribus, angustioribus, albidioribus quàm in vulgari Agerato, circa margines non serratis, Stœchadis citrinæ foliorum æmulis. Summis caulibus innascuntur *flores* multi flavi coacervati, & in umbellæ aut Corymbi formam densè stipati, Agerati vulgaris flores bene referentes, odore satis grato & vehementi.

Quòd si flores in pappum abeant, cujus ope semina venti arbitrio huc illuc feruntur, non erit planta hujus loci.

4. *Ageratum Africanum foliis laciniatis inodorum.*

Folia ima ex angusto sensim dilatata, spissa, glabra, obscurè viridia, in latum & trifidum mucronem desinunt; his proxima in tres lacinias, singulas itidem trifidas, profundiùs secta sunt: Superiora in caulibus tribus quatuórve hinc inde laciniis, angustis, longis, in acutum terminatis incisa videntur. *Caules* ab eadem radice exeunt plures pedales, & altiores, ab imo statim ramosi, ramulis è sinubus foliorum alternatim positorum, & inferiùs satis frequentium ortis. Caules & ramuli in pediculos prælongos exeunt, sustinentes florum umbellas densas: Singuli autem flores è plurimis flosculis aureis quinque-partitis, satis in hoc genere conspicuis componuntur. *Semina* in hortulo nostro ad maturitatem non perduxit. Vere satum Julii initio florere cœpit. Flores autem quàm diutissimè

diutissimè durant antequam marcescunt: nondum enim hoc vicesimo die Octobris, qui primi explicabantur contabuerunt, sed etiamnum in vigore persistunt, ut admirationi sit, unde nulla quam ego unquam viderim aut noverim planta æquo jure Agerati sive immarcescibilis nomen sibi vindicet.

Nullum neque in floribus, neque in herba ipsa odorem percipimus. Sapor nonnihil acris & aromaticus sentitur. Semen hujus inter alia multa rariora ad me misit ingeniosissimus Vir *D. Hansius Sloane*, M. D.

Cap. VIII.

De Tanaceto.

Tanacetum fortè à Tannaco quo nomine Parthenium appellatum fuisse Plinius testatur, Recentioribus dictum est, inquit C. Bauhinus.

Ejus Characteristicæ sunt Flores nudi in umbellæ formam digesti, folia laciniata.

A. 1. *Tanacetum* Ger. *vulgare* Park. *vulgare luteum* C. B. *vulgare flore luteo* J. B. **Common Tansy.**

J. B.

In satis magnam adolescit proceritatem duorum cubitorum & amplius, *caulibus* teretibus, nonnihil striatis & hirsutis, medullâ albâ fungosâ plenis. *Folia* ex viridi in flavum vergunt, pennata, in segmenta per ambitum crenata divisa, costæ media adnexa, odore vehemente, sapore amaro. *Flores* in summis caulibus velut in umbellam digesti: singuli autem Corymbi seu flores totales è flosculis exiguis adeò ut eorum partes visum penè fugiant, creberrimis, densè stipatis componuntur, iisque nudis h. e. nullo in ambitu barbularum circulo donatis, è calicibus squamosis. *Caules* quotannis marcescunt & emoriuntur, *radice* in terra superstite.

Hæc planta ludit interdum foliorum colore, vario ex albo & viridi; hinc *Tanacetum versicolor* Parkinsono.

Locus. In montosis Angliæ Borealibus plurimum oritur, & alibi etiam secus vias & in agrorum marginibus non infrequens.

Vires. Temperamento & viribus cum Matricaria convenit. Vulnerarium, uterinum ac nephriticum est. Usus præcip. in lumbricis, torminibus ventris, cauliculo renum & vesicæ, mensibus obstructis, flatibus, hydrope.

Succus illitus manuum pedúmque rimas sanat, ulcera etiam crustosa & impetigines.

Ex tenellis herbæ erumpentis foliis aut eorum succo cum ovis & farina placentas faciunt tempore Paschatis, gustui non injucundas & ventriculo utiles ad dissipandos flatus ex piscium & leguminum esu Quadragesimæ tempore contractos.

Corymbos & semen Agyrtæ ad expellendos lumbricos sæpe ingenti miraculo verminantibus pueris propinant. *Sim. Paullus.* D. Bowle conservam ex foliis & summitatibus paratam adhibet; quæ etiam resistit putredini, aperit obstructiones, recreat lienem, illustrat sensus.

Succum cum quovis oleo inunctum nervorum contractionibus ac doloribus auxiliarem esse aiunt. Miles Monspeliensis hydrope pertinaci laborans ad sanitatem restitutus erat solo decocto Tanaceti. *Ephem. Germ. An.* 12. *Obs.* 112.

2. *Tanacetum crispum* Park. *crispum Anglicum* Ger. *foliis crispis* C. B. *crispum flore luteo* J. B. **Curled or double Tansy.**

J. B.

Est hoc rarius, reliqua vulgari descripto simile, sed *foliis* elegantissimis, crebriore incisurâ divisis, segmentis frequenti argutiùs crenatorum marginum flexu reflexúque crispis, cristas castrenses imitatis; odore gratiore, sapore amaro.

Locus. In hortis colitur; an & ubi sponte proveniat nescimus.

Tanacetum Alpinum C. B. Park. *Iva moschata Rhætis, Tanaceto cognata herbula* Gesn. hort.

Superiùs à nobis pro Millefolii specie descripta est.

Tanacetum inodorum primum & secundum C. B.

Nobis Bellidis majoris species censentur.

CAP. IX.

De Absinthio.

ABsinthium Græcis Ἀψίνθιον. Latini π mutant in b, quomodo iisdem pro Ὀψώνιον dicitur *obsonium*, pro Ἄψυρτος *Absyrtus* pro Ἀψὶς *Absis*. Dicitur Ἀψίνθιον q. Indelectabile ab ἀ στερητικῷ & ψίνθος quod Hesychius interpretatur τέρψις *delectatio*. Id malo (inquit Vossius) quàm ut sic dicatur q. Ἀπίνθιον, etsi ità, Etymologo teste, quidam veterum Comicorum id, ad Etymon, credo, alludentes, appellârunt. Ἀπίνθιον verò sonat impotabile, quasi ὃ οὐκ ἄν πίῃ τις διὰ τὴν πικρότητα. Alii nomen hoc inditum esse huic plantæ existimant ab ἅπτεσθαι quod est tangere & manibus tractare, per Antiphrasin quòd nullum animal ob amarorem eximium eam attingat. Vossius Antiphrasin in Rhetorica explodit.

Absinthii notæ sunt flores nudi, caulis indeterminatus, folia incana, amaror insignis.

1. *Absinthium arborescens Lobelii* J.B. *Abrotanum fæmina arborescens* Ger. *Abrot. latifolium arborescens* C.B. Park. *Italis & Siculis* Herba bianca. **Tree-Wormwood.**

Lob.

Vulgari non ità dissimilis *folio* & *flore*, sed fruticis arborei habitu, Abrotani modo hominis proceritatem adipiscitur: candidiore & minore paulò folio, semper virente: gustu amaro, aromatico, odore non ingrato. *Florum* Corymbi lutei, majores & speciosiores quàm in Abrotano vulgari, in summis ramulis creberrimi.

Locus. In Siciliæ, Regni Neapolitani & insularum adjacentium clivis maritimis frequens oritur: invenitur etiam in montibus mediterraneis.

Planta est pulcherrima, & in fruticem satis grandem adolescit, quovis Abrotano majus & elatius.

A. 2. *Absinthium vulgare* Park. Lob. *vulgare majus* J. B. *latifolium sive Ponticum* Ger. *Ponticum seu Romanum Officinarum seu Dioscoridis* C. B. **Common Wormwood.**

Caules huic plures, cubitales & bicubitales, teretes, striati, rigidi & lignosi, incani, medullâ farcti, foliis alternatim positis, crebris vestiti, [multis ramis erectioribus fruticosi] *Folia* pediculis oblongis canaliculatis innituntur, variè dissecta, primò in duo aut tria laciniarum paria, singulæ autem laciniæ in plures alias subdividuntur, utrinque incana, magis tamen pronâ parte. Folia eorúmque laciniæ latiora sunt in hac quàm in quavis alia Absinthii specie nobis cognita. *Flores* longâ serie in surculis è foliorum alis versùs summitates caulis & ramorum exeuntibus plures simul velut in racemulis, singuli pediculis perquam brevibus & tenuibus è foliorum quorundam alis egressis hærent nutantes & quasi penduli, è pluribus flosculis ex viridi flavicantibus compositi, nudi.

Odor totius plantæ aromaticus vehementior, gustus amarus [cum adstrictione aliqua. *Radix* crassiuscula, lignosa, abundè calfacit, aromaticâ gratiâ sine omni amarore os perfundens. *J. B.*]

Locus. In incultis & ruderatis locis secundùm vias publicas, &c. passim obvium est.

Vires. Calf. & siccat. Ventriculum ac hepar roborat, appetentiam ad cibum excitat, obstructiones reserat & indè natos affectus tollit, ut Icterum, Hydropem, &c. Febribus putridis etiam diuturnis confert: vitiosos humores per urinam expurgat: pellit præterea interaneorum vermes, [ut nomen Anglicum **Wormwood** indicat,] tandémque vestes à tineis conservat. *Schrod.*

In usu sunt succus ejus expressus, aqua destillata, Syrupus, Sal fixus & Oleum. Verùm his omnibus præstare videtur cerevisia seu vinum Absinthites, quod & ventriculum roborat, & appetitum excitat, & obstructiones reserat, & urinam ciet.

Aqua destillata languidior est & minorum virium; ut sunt pleræque aquæ destillatæ plantis ipsis.

Succus differt ab herba: hæc enim astringit, ille verò magis aquosus detergit. Estque vinum Absinthites quod ex herba sicca infusa paratur longè delicatius & gratius palato, quàm quod ex recenti: Hoc enim herbaceum & terreum quid resipit.

Sal fixus, si à reliquis partibus vi ignis omnino separetur, mihi nec gustu, nec facultatibus differre videtur ab alterius cujuscunque plantæ sale fixo. Siquidem omnes hujusmodi sales naturâ & qualitatibus convenire existimo, ut id semel moneam: quamvis alii diversum sentiant.

Salis Absinthii scrupulus unus, dimidium drachmæ, aut eo amplius pro ægri viribus aut ætate, in succi limonum cochleari uno exhibitum ad vomitum compescendum, in febribus biliosis inque ipsâ iliaca passione aliisque affectibus, vix unquam frustratur medicum. Est autem in frequenti usu celeberrimis hujus urbis [Londini] medicis. Nec dubito quin centurias aliquot hominum, nè dicam myriadas, ex ipsis Orci faucibus eripuerit, cùm alia medicamenta nequicquam profecissent. *D. Hulse.* Vid. *River. Obser.* & *Sydenham.* de *Febribus.*

Pro vino Absinthite aquam Absinthiten exhibere solebat *D. Bowle.* Manipulum scilicet Absinthii in aquæ frigidæ sextariis tribus per octo horas infundere præcipit, ejúsque infusi quantitatem exiguam, quantum scilicet patera vinaria capiat, manè & vesperi, sed præcipuè à prandio aut cœna propinare: in hystericis enim affectibus, obstructionibus lienis, & ventriculi debilitate plurimum prodesse expertus est. Vino autem & cerevisiæ præferendam aquam, quia nulli ei insunt vapores caput tentantes, quemadmodum in illis. *Ego cerevisiam tenuem aquæ prætulerim: Aqua enim in Septentrionalibus regionibus nimis cruda est, & ventriculo eorum qui non assueverunt inimica.*

Oleum

Oleum Absinthii intus sumptum necat vermes, venenis resistit, oppilationibus hepatis & icteritiæ confert.

Absinthii usus creditur inhibere concitationem ad Venerem, quo nomine apud honestas fœminas damnatur, & maximè Vini aut zythi ex eo parati: nec facilè hos potus maritis permittunt. *Cornar. apud J. B.*

Radicis Absinthii degustatæ sapor primò in apice linguæ percipitur, indè ad ejus radicem transit, deinde in fauces & paulatim in gulam descendit, ut ipsum tandem ventriculum calefacere videatur, caloris sensu ad horæ quadrantem durabili, idque quamvis nihil omnino succi deglutiatur, neque tamen ingratus est, aut caput tentat, quemadmodum folia. Unde colligit *D. Grevius* radicem hanc, quæ ab omnibus vulgò ut inutilis rejicitur, præstantissimis stomachicis annumerari debere, prout eam revera esse etiam experientiâ didicit.

In tertianis ac quotidianis (vix in quartanis) fugandis, sola essentia vel extractum Absinthii mixtum cum præcipitantibus seu absorbentibus insipidis, vel cum salibus fixis aut volatilibus sæpissimè valet, nec hic Chinâ Chinæ opus erit. *Dan. Ludovicus de pharmac. Moderno seculo applicanda* p. 278. Habui à D. *Tancredo Robinson.*

Ad hemicraniam, ℞ Cucumeris sylv. radicem viridem minutim incisam & Absinth. ana q. s. Decoque in aq. part. ij. & tribus olei. Hydrelæo mediocriter calente partem fove: radicem verò & Absinthium contusa in modum linimenti suppone. Hoc solo medicamento mulier quædam mirum in modum inclaruit sanando hemicranias sive cum febre, sive sine febre, cujus exemplo curavit etiam Paulus Ægineta. Vid. lib. 3. c. 5. *Chesneau.* E collectaneis *D. Edv. Hulse.*

Ad quotidianam & quartanam præscribit Ernestus oleum sem. Absinthii à ℈ß. ad ʒß. sumendum in liquore convenienti. Si oleum non sit in promptu cape succ. Absinth. cochl. i. cum vino: hoc autem instante paroxysmo ad sudandum ægroto probè cooperto.

Sedavi statim serpentem gangrænam aquâ marinâ cui Absinthium incoxeram; quod experimentum in aliis quoque gangrænis opposui felici cum successu. *Tho. Bartholinus, Ephem. Germ. An. 2. Observat. 2.* D. *Tancr. Robinson.*

Absinthium viride intra calceos calcatum frigidam ventriculi intemperiem emendare experientiâ didici, non sine fructu in nobili viro, qui hujus calcatione non exiguum levamen se percepisse coram exposuit, sanctèque affirmavit. *Greg. Horstius* Obs. 22. lib. 7. *D. Hulse* communicavit.

Jo. Veslingius narrabat plures hydropicos à se extracto Absinthii percuratos, atque inprimis civem quendam Patavinum, cui æstivo tempore abdomen adeò intumuerat, ut cartilagines costarum spuriarum in dextro latere extensionis vehementia ab ossibus avulsæ fuerint. *D. Soame* ex observationibus G. Hieron. Velschii excerpsit & ad me transmisit.

Accedit cuidam oculorum lachrymatio adeò fervida, ut lachrymæ per faciem decurrentes eandem ferè totam adurerent: hic succo Absinthii cum albumine ovorum mixto & applicato sanatus est. *Idem* ex Observ. *Hier.* * *Reusneri.* ** Obs. 31.*

In diarrhœa post purgantia, post fructuum horariorum abusum vinum Absinthites egregiè confert.

Multi ab experientiâ edocti tradunt usum Absinthii oculis noxium esse.

3. *Absinthium inodorum* Park. Ger. *insipidum* J. B. *insipidum, Absinthio vulgari simile* C. B. **Wormwood without scent.**

Dod.

Foliis, caulibus, floréque vulgare latifolium refert, ut non ovum ovo similius sit, sed odore & sapore destituitur.

Quibus locis aut quâ regione hujusmodi nascatur (inquit Dodonæus) nondum cognovi, in studiosorum tantùm hortis à me repertum.

Varietas accidentalis videtur potiùs quam species distincta.

* 4. *Absinthium Ponticum montanum* C. B. *vulgare montanum* J. B. *Ponticum verum* Park. **Common Mountain Wormwood.**

Cam.

Vulgari Absinthio tam radice, quàm caulibus, necnon foliis floribúsque prorsus est simile, sed exilius, ad summum duorum dodrantum altitudinem attingens: amaritudo illi quæ priori sed gratior, & minùs tetro abominabilique odore commendatur.

Nascitur in montibus pluribus in locis. *Locus.*

5. *Absinthium Ponticum sive Romanum vulgare* Park. *tenuifolium Ponticum Galeni* Ger. *Ponticum vulgare, folio inferiùs albo* J. B. *Ponticum tenuifolium incanum* C. B. Roman or Cypress **Wormwood.**

J. B.

Numerosas spargit *radices*, parvas & crebris fibris intertextas, lignosas & sapore aromatico præditas: *caules* verò ex eadem radice plures erigit, cubitales & sesquicubitales, teretes, glabros, virescentes, aut ex virore rubescentes purpurascentésve, frequentibus adnatis ab imo ad summum usque ramosos. *Folia* non minùs tenuiter incisa quàm Abrotani, sed brevioribus concinnioribúsque segmentis, brevi lanugine pubescunt, potissimum inferna parte, quæ & magis canescit quàm superior, odore suavi, sapore subamaro. *Corymbi* quàm in vulgari Absinthio minores, vehementiorem spirant odorem quàm folia.

Hoc

Hoc (ut rectè C. Bauhinus) medium est inter Absinthium & Abrotanum; mihi sane Abrotanum redolere videtur: & est duorum generum: 1. Planè incanum, quo potissimum Viennenses Officinæ utuntur tanquam nobiliore, ut refert Clusius; 2. Cauliculis purpurascentibus, foliis supina parte viridioribus: existimo tamen natales istam varietatem duntaxat parere. Ego potiùs specie diversa fuisse hæc duo Absinthia crediderim: siquidem Absinthium Romanum Officinis nostris dici solitum, erat quidem foliis utrinque incanis & à descripto specie diversum, & (ut mihi videbatur) Absinthio maritimo nostrati planè idem.

Locus. Multis Germaniæ superioris in locis provenire dicitur: Clusio non solùm multis Pannoniæ sed & Austriæ locis, atque Viennensi agro, cùm in saxosis tum in salebrosis gramineisque desertis agris oritur.

Tempus. Autumno flores semenque profert, paulò post adventante hyeme herba marcescit, vegeta interim radice, à qua vere folia caulesque rursus exeunt: in terra latè se diffundit.

* 6. *Absinthium tenuifolium odoratissimum Monomotapense* Breynii.

Breyn.

Absinthium hoc omnium pulcherrimum est, præcedenti persimile, nisi quòd *caules* altiores proferat, quos *Folia* nonnihil majora, candidiora vestiunt, concinnioribus segmentis divisa, atque etiam ad earum rachin lobulis elegantissimis prædita: dividuntur hi præterea superiore parte in plures ramulos, *flosculis* minoribus densioribusque, instar Absinthii tenuifolii Austriaci *Clus.* onustos. Sapor insuper, ac præprimis odor, jucundior & fragrantior est, quo omnia sui generis præcellit.

* 7. *Absinthium Ponticum repens seu supinum* C. B. *Absinthii species quibusdam Chamæmelum chrysanthemum Fuchsii* J. B.

J. B.

Simplice & singulari est *caule*, ferè cubitali, tereti, glabro, per quem ex intervallis *folia* nascuntur Chamæmeli nobilis similia, tenuiter incisa. Paulò supra medium caulem summo tenus alternatim pullulant *flores*, corymbis, Abrotoni similes, inferiores quidem semuncialibus & longioribus pediculis nixi, superiores verò brevissimis hærent, & velut cauli apprimuntur. *Radix* lignosa, tortuosa, multifida, fibrata.

Locus. In quibusdam frigidis Helvetiorum montibus reperitur, autore Dodonæo.

Vires. Ex longo esu comarum Absinthii Pontici, quæ Saccharo adservatæ fuerant hydropicos quosdam quasi deploratos sanitati restitutos se novisse scribit Matthiolus.

8. *Absinthium Austriacum tenuifolium* Clus. J. B. Ger. Park. *Pont. tenuifolium Austriacum* C. B. Austrian **Wormwood.**

Clus.

Hujus *caulis* pedalem altitudinem plerunque æquat, nonnunquam etiam cubitalem attingit, firmus, canescens, multis foliis, marini Belgarum Absinthii foliorum quodammodo æmulis, tenuioribus, prorsus incanis, quæ confuso ordine eum ambiunt, præditus, qui superiore parte in multos ramulos, ex tenuiorum adhuc foliorum alis nascentes dividitur, plenos *flosculorum* propendentium corymbis. *Radix* fibrosa est, & singulis annis novos frequentioresque caules producit. Tota planta impensè amara est, sed elegans & rara.

Locus. Crescit in collibus & apertis quibusdam locis, Viennensi urbi vicinis, atque à Rhizotomis promiscuè cum eo quod vulgò Ponticum appellatur ad Viennensium pharmacopolarum officinas defertur.

Londini pro Absinthio Austriaco tenuifolio Clusii Absinthii quoddam genus colunt foliis lanugine incana molli serici instar nitente obsitis ab aliis omnibus nobis cognitis distinctum, eam tamen speciem circa Viennam Austriæ non invenimus.

9. *Absinthium Santonicum Alexandrinum* C. B. *Santonicum Alexandrinum, sive sementina & Semen Sanctum* Park. *Sementina* Ger. *Lumbricorum semen vulgare & Matthioli* J. B. **Wormseed.**

J. B.

Quod in Officinis prostat *lumbricorum semen* vulgò dictum, ex variis minutissimisque surculis, foliis & semine ipso coacervatum est. Semen parvum est, oblongum, (majora tamen inter ea Milio supparia, ex squarrosis tuniculis compacta) pullum vel flavescens. At quæ minutula inter ea sunt foliola striata sunt. Quædam etiam observantur trifida, angustiora, acuminata. Videntur etiam adesse portiones tenuissimorum cauliculorum. Omnia facile digitis atteruntur; amara sunt cum acrimonia & odore graviusculo.

Matthiolo planta est admodum fruticosa, caulibus & ramis numerosis referta, semine minuto oblongóque, racematim prodeunte, amariusculo gustu, odoréque non insuavi.

Varias Autorum sententias de hoc semine vide apud J. Bauhinum: qui cum Pena concludit Semen contra vermes trium Absinthiorum nullum videri. Nam tametsi nonnulla amaritudinis & figuræ similitudo illis intersit cunctis, tamen non adeò plenè sunt adulta horum semina aut horridè amara, inquit Lobelius.

Quænam planta sit quæ lumbricorum semen producat nobis non certò constat. Autor Scholii ad Observationem primam Ann. 3. Decadis 2. Ephem. German. præ aliis nobis verisimilia scribere videtur. Figura, inquit, Matthioli vitiosè delineata est, non tantùm quod seminulorum figura potius foliola quædam repræsentet, sed & seminula ipsa bina ferè semper è diametro sibi opposita

cauliculis

cauliculis adhæreant, cùm tamen alternatim ubique è lateribus prodire cauliculi seminibus, prout ad nos deferuntur, permixti edoceant. Cæterùm hanc à Cortuso transmissam plantam fuisse genuinam seminis nostri helminthici matrem arbitror: cùm illius à Matthiolo datam descriptionem satis huic quadrare αὐτοψία commonstret. Lobelius etiam in Hist. Plant. fruticulum surculosum esse, undique seminibus gliscentem pluribus fermè quàm foliis testatur.

Unde si non sui generis planta fuerit, ad Abrotana referre mallem; præsertim cùm & hoc vegetabile vim antelminthicam possideat, & aliquæ ejus species etiam apud nos non planè ab illo peregrino diversæ, quoad foliola, seminum copiam, colorem, odorem, &c. compareant.

Semen, quod microscopio subjectum teres flavúmque est candelas cereas conjunctas elegantissimè repræsentat, observante * Elholzio. Id quod in Tanaceti semine non comparet, quod itaque pro sementina vix habendum est.

* Ephem. Germ. An. 6. Obs. 127.

De olei possibili è Sementina destillatione quæ habet, videsis loco citato.

10. *Absinthium Santonicum Judaicum* C. B. *Lumbricorum semen Rauwolfio* J. B.

Absinthium Santonicum (inquit Rauwolfius) provenit circa *Bethlehem* & abundat in Terra sancta, foliis parvis, cinereis, nostrati Absinthio mediocriter accedentibus, ramulis multis tenuibus cum copioso semine, parvo, flavescente, gravis odoris, saporis amarissimi, acri cum salsugine.

11. *Absinthium Santonicum Ægyptiacum* Park. C. B. *Absinth. Ægyptium quibusdam* J. B. *Abrotani fœminæ species secunda* Zanoni.

J. B.

Folia fert palmaria, quæ sicca (ex sicca describimus) aliquid simile habent cum Trichomane vel Scolopendrio & Chamæcyparisso; in quibusdam juxta longum pediculum sunt veluti foliola mutuò se contingentia cum fimbriis nonnihil serratis, reflexis. Alia autem folia ex longiore pediculo in foliola longiora, & à se invicem magis dissita dividuntur. Tota herba villosa & incana Chamæcyparissi modo, sapore amaro & seminis contra vermes Officinarum ferè simili; odore aliquantulum aromatico.

12. *Absinthium Ponticum Creticum grati odoris* C. B. *Ponticum & Romanum quibusdam, aliis Seriphium* J. B.

C. B. prod.

Caule est cubitum superante, rotundo, incano, in ramos plurimos quincunciales diviso: *foliis* tenuibus, multùm divisis, mollibus & incanis: *floribus* vulgari formâ & colore similibus, paulò tamen majoribus. Hoc, quemadmodum Honorius Belli ex Creta, Anno 1596 (additâ plantâ) perscripsit, in Creta frequentissimè provenit, perpetuò viret, odorem gratum spirat, nihilque amarum est, aut siquam amaritudinem habeat, ea valdè obscura est, in viridi enim nulla percipitur; ab asinis & pecoribus omnibúsque brutis valdè expetitur. Vocatur Ἀψιθιὰ & ἀζιθιὰ, quemadmodum Anguillarus in Græcia vocari perperam scribit. Ego legitimum Ponticum esse judico.

Ait Cæsalpinus in collibus argillosis agro Senensi frequens esse hoc genus, quod & nos verum esse comperimus cùm Florentiâ Romam iter faceremus. *Locus.*

13. *Absinthium album Vallesianum* Park. *Vallesianum tenuifolium candidum, sive Heralba* J. B. *Seriphium montanum candidum* C. B.

J. B.

Huic lignosi *rami* tomento denso & albido pubescentes, mollitie delicata, id quod in *foliis* quoque non minùs observatur, ad Seriphii Absinthii folia minutis cæsuris accedentibus, utcunque tamen angustioribus: *flores* nisi quòd magnitudine cedant, similes quoque: odor aromaticus.

Hæc species Dodonæo Seriphio seu marino Absinthio assimilis est, sed candidior, odore & sapore quoq; illud satis refert, sed tamen aliquanto suavior est ad Caphuræ odorem accedens: Camerarius quoque planè eandem esse existimat Seriphio nostro vulgari, nisi quòd gratiorem aliquanto odorem spiret, & sapore sit minùs ingrato. Hinc Gesnerus Absinthium Seriphium fœminam vel mediterraneum hoc appellârit.

Ego sanè Absinthium marinum seu Seriphium unam & eandem huic specie plantam crediderim, & quicquid intercedit discriminis natalibus imputandum: nam & alias herbas maritimas in mediterraneis nascentes observavi, v. g. *Kali spinosum* seu Tragon Matthioli in arenosis non procul Viennâ Austriæ, *Caryophyllum maritimum* in collibus non procul Moguntia, &c.

In Seduno Vallesianorum vicinis collibus frequens oritur: ex semine facilè & pulchrè provenit, inquit Gesnerus de hortis. *Locus.*

Absinthium Alpinum incanum C. B. prod. Park.

Præterquam parvitate sua in paucis differt à Vallesiano albo jam descripto; proinde, cùm locus etiam convenit, ab eo separandum non esse judico.

14. *Absinthium maritimum Lavendulæ folio* C. B. Park. *maritimum latifolium, sive Matthioli* J. B. *Artemisia marina* Ger. **Lavender-leaved Sea-Wormwood.**

Densis *ramis* cubitalibus & altioribus fruticat, iisque lignosis, albicantibus, & magno *foliorum* agmine stipatis. *Folia* verò tota incanâ lanugine pubescunt, modò integra, & Oleæ foliorum æmula, delicata, modò in duas, tres aut quatuor lacinias divisa, odore Artemisiæ, nec ingrato sapore. *Corymbi* lutei minores quàm Absinthii vulgaris, *semine* minuto. *Radix* lignescit.

Locus. Si Matthiolo credimus, in quamplurimis tam Tyrrheni quàm Adriatici pelagi litoribus provenit, præsertímque Aquileiensibus & Tergestinis.

C. Bauhinus hujus varietatem tantùm esse suspicatur.

Absinthium latifolium rarius Artemisiæ folio Col.

Col.
Quod caulibus pluribus ab radice fruticat, lignosum & fibrosum, in orbem se diffundens, illisq; cubitalibus & majoribus, tenuibus, aliquando supinis, qui facilè radices agunt sati; folia angusta incana primùm proferunt, deinde laciniis utrinque dissecta magnis, & latiora, per surculos alternatim hærentia, & Artemisiæ simillima: à medio ad summum ramulorum iterum minùs laciniata & angustiora, ut circa flores sint tenuia, Santonici dicti tenuifolii similes, &c. Planta est aromatica.

15. *Absinthium Seriphium Narbonense* Park. *Seriphium tenuifolium maritimum Narbonense* J. B. *Seriphium Gallicum* C. B. **French Sea-Wormwood.**

J. B.
Multis fruticat *virgultis*, cubitalibus, lignescentibus, incanis: per quos *folia* sunt crebra, tenuissimè dissecta, latiora tamen quàm Alpini Absinthii Gesneriani, cujus foliis alioqui sunt satis similia, minùs tamen candida, sapore salsuginoso cum amaritudine, at primùm pullulantia succulenta sunt & viridia. Semine gravidum evadit minuto.

Locus. Ad litora maris Mediterranei passim obvium est hoc genus Absinthii: Nos propè portum Liburnum & ad mare non longè Monspelio observavimus. Existimamus hoc specie differre à Seriphio nostrate & Belgico: folia ei aliquanto latiora sunt minúsque incana quàm nostrati, in reliquis ferè cum eo convenit, ut dubitaverim aliquando, an distinctum esset nécne.

Absinthium Santonicum vulgare *Lob.* Absinthio Seriphio maritimo Narbonensi eandem esse plantam putamus: quamvis in Catalogo plantarum horti Regii Paris. pro diversa specie ponatur, utinam indicâssent qua in re differat.

A. 16. *Absinthium marinum album* Ger. *Abs. Seriphium sive marinum Anglicum* Park. *Abs. Seriphium Belgicum* J.B. C.B. **English Sea-Wormwood.**

Dod.
Admodum lanuginosum est & incanum: multa *folia* habet alba, similia Absinthio communi, sed multò minora, tenuiora, candidiora, tenuiùs incisa; multos *flores* parvis globulis similes, & *semina* similia vulgari Absinthio. Crescit ad altitudinem pedis & semis, ac etiam altius. *Odore* est gravi, salsi verò saporis, grati & amari, suo natali loco collectum, translatum verò in hortos, & terram ubi aqua dulcis, multùm variat saporem & naturam.

Locus. In maritimis Angliæ copiosè provenit, atque etiam, Dodonæo teste, per totam Zelandiam & in Flandria circa mare, & quibusdam Brabantiæ locis.

Absinthii speciem Londini & alibi in Anglia coli solitam nomine Absinthii Romani, non aliter ab hoc differre putamus quàm culturâ & loco natali, uti neque Absinthium album Vallesianum ut alibi monuimus. Huc quoque refero

Absinthium Seriphium Germanicum succulento folio sive Misnicum J. B. *Abs. Seriphium Germanicum* C. B. Park.

Cui Clusius multifida attribuit *folia*, succulenta, non minùs quàm Absinthium marinum Patavinum incana, proximè ad Seriphii in Belgicæ & Angliæ maritimis nascentis folia accedentia, gravioris tamen paulò & validioris, ut ei videbatur, odoris, Seriphii Narbonensis & Hispanici graveolentiam quodammodo referentia, atque etiam saporem. Ob tantillam odoris differentiam, eâ mque non satis perspectam & cognitam, non est cur diversam speciem statuamus.

Cap. X.

De Abrotono mare.

Abrotonum aliquibus quasi ἄβροτον *inhumanum*, quia ipso est Absinthio amarius, vel quasi ἄβρωτον, quia *cibo inutile*; vel διὰ τὸ πρὸς ὄψιν ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι, ἄλλως τε διὰ τὸ δύσπνουν εἶναι quòd conspectu molle ac delicatum appareat, vel quòd halitum difficilem seu gravem vel acrem spiret, ut scribit Nicandri interpres. C. Hofmannus Abrotonum scribit per *o*, ex autoritate Plinii, Theophrasti & aliorum, ut sit ab ἁβρὸς & τόνος, quia ἁβρῶς τείνεται molliter extenditur.

Abrotani Characteristicæ sunt Caulis fruticosus & lignosus, flores nudi eum non terminantes, sed è lateribus egressi velut in spicis longis: Folia tenuissima, minùs quàm Absinthii incana.

1. *Abrotonum mas* Ger. *vulgare* J. B. *mas vulgare* Park. *mas angustifolium majus* C. B. **Common Sothernwood.**

J. B.

Crebris ex *radice* lignosa fibris aliquot donata frutescit sarmentis, tres quatuórve cubitos altis duris, fragilibus, medullâ albâ plenis, subrubentibus, striatis, ramosis: *Folia* per alas multa, tenuiter dissecta, fœniculaceis paulò majora, canescentia, odore vehementi, sapore amaro & acri, atque inferiora quidem multifida Chamæmeli modo, superiora uno atque altero segmento dividuntur, non rarò nihil quàm unicum tenuea mentum sunt. *Flores* secundùm ramulos conferti corymbos Absinthii æmulantur, colore luteolo præditi. *Semen* Absinthii minus.

Videtur mihi (inquit J. Bauhinus) culturâ & pro anni tempore multùm variare: cujus sententiæ & nos subscribimus. Varietas quoque ratione loci evenire potest. F. Columna hanc speciem in Æquicolorum montibus, ubi copiosè sponte fruticat, humilem tenuísque sarmenti, bipedalem ad summum observavit: Eandem cultam in hortis Campoclarensium hominis ferè proceritatem adæquantem vidit, crasso rectóque caule, fruticosiore. Proinde C. Bauhinus non rectè separare videtur Abrotanum Tragi majus à vulgari & angustifolio, ex sententia fratris, qui & Camerarium notat, quòd Abrotonum suum magnum Camphoratum, quibusdam Incensaria dictum, à suo mare Abrotano separat: Nos J. Bauhinum sequuti Abrotanum mas III. & IV. *C.B.* ad idem caput reducimus; nimirum ad Abrotanum mas vulgare.

Subastringit & validè discutit, resistit putredini ac veneno; morsibus venenatorum animalium [scorpionum & araneorum] medetur; vermes necat, urinam movet, impetus hystericos discutit, regium morbum solvit. Summitates vino vel aquâ decoctæ, adjecto melle aut saccharo orthopnoicis & asthmaticis apprimè conducunt, si Trago credimus, nam vitia pectoris expurgant, cardiacæ medentur & tussi, lentósque humores pulmonum incidunt. *Vires.*

Extrinsecùs usus ejus famosus est in ossibus exsiccandis, roborandísque, & quia pilorum signaturam summitates ejus æmulantur, ad Alopeciam tollendam maximopere commendatur. *Schrod.*

Ut temperamento ità & viribus cum Absinthio convenire videtur, ventriculo tamen minus gratum est.

* 2. *Abrotanum mas angustifolium incanum* C B. *mas incanum* Col.

Col.

Abrotani speciem aliam viribus parem [Absinthio Seriphio *Col.*] fruticosiorem, minorem, magis incanam, tenuioribus admodum foliis odore acribus & sapore, eâdem foliorum divisurâ cultam vidimus in horto Collegii Romani Jesuitarum, cujus natalem locum ignorantes, non possumus mari vel fœminæ Abrotono reddere. Maritimam propter incanum colorem majorem esse putamus, ac propter brevitatem mari accedere censemus. Hæc Fabius Columna.

* 3. *Abrotanum mas angustifolium minus* C. B. *humile odoratum* Park. *humile* Ger. *cum pulchris Corymbis* J. B. **Small sweet Sothernwood.**

Dod.

Prædictis humilius est; *folia* habet majoris Abrotani similitudine dissecta, sed minùs candida, & odoratiora, quo Santolinam referunt. *Corymbi* è ramulis copiosi ad summum usque luteo splendent colore: *Semen* admodum fœcundum est: radix ut aliorum.

A Fuchsio (inquit J. Bauhinus) quum Tubingæ apud illum, essem mihi in horto ejus demonstratum, à vulgari diversum. In hoc enim pulcherrimi Corymbi multò majores quàm in vulgari Absinthio Pontico & rariores, aurei: Foliola circa flores latiora nonnihil, longiora, non ità dissecta.

A. 4. *Abrotanum campestre* C.B. Park. Ger. *Artemisia tenuifolia seu leptophyllos, aliis Abrotanum sylvestre* J. B. **Fine-leaved Mag-wort; by some, Sothernwood.**

Longâ, pollicaris crassitudinis *radice* firmatur, eâque multifidâ, lignosâ, perenni. *Caules* cubitorum aliquot altitudine emittit, qui vetustate in lignum solidum durúmque degenerant, crassitudine digitali, alioqui tenues, Artemisiæ latifoliæ similes, rigidi, rubentes, striati, medullâ albâ farcti, multis alis concavi: *folia* pilosa albicantia, Seriphii Absinthii tenui divisurâ, ad Abrotani folia accedentia, colore viridi ubi adoleverint non multùm dissentanea, odore autem multùm ad Abrota-

num accedentia. Corymbi rubentes spicatim in ramulis crebri, Abrotani formâ & colore. Solet non rarò ad ramulorum divaricationes muscosum, squamatum excrementum ferre.

Duplex est, alteri cauliculi sunt albicantes, alteri rubentes: primo vere folia cinericea, hirsuta producit quibus mense Junio depositis induit longiora & tenuiora, viridia, ut quis diceret aliam esse plantam. *J.B.* quod & nobis observatum.

Locus In Germania, Italia & Gallia Narbonensi ad vias & in sterilioribus ubique ferè occurrit. Invenimus etiam in Anglia copiosè provenientem, itinere à *Novo-mercato* oppido ad *Lennam* Norfolciæ propè vicum *Elden* dictum, &c. vide *Cat. Ang.*

Abrotanum inodorum Ger. Park. *latifolium inodorum* C. B. *Artemisiæ tenuifoliæ simile si non idem, Abrotonum inodorum Lobelii* J. B. **Unsavoury Sothernwood.**

Huic *virgæ* seu ramuli plures, humi plerunque fusi: *folia* magis incana & candicantia. In reliquis non multùm differunt hæc & præcedens, & tamen Clusius specie diversas facit. Nos potiùs J. Bauhini sententiæ accedimus, nec distinguimus.

Quin & Abrotanum campestre incanum Carlinæ odore *C. B. prod.* non alia in re à campestri vulgari differt quàm foliis eo modo quo Abrotani maris inferiora divisis, incanis, Carlinæ odore ut & sapore.

CAP. XI.

De Artemisia.

ARtemisia dicta est ab Artemisia Cariæ regina, quæ eam sibi adoptavit, cùm antea Parthenis, quod virgo Dea nomen illi dederat, vocaretur. Alii ab Artemis, id est, *Diana*, deducunt, quia fœminarum malis medetur.

Notæ ejus Characteristicæ sunt *Caules* indeterminati, folia dissecta subtus incana, odor & sapor remissior quàm Absinthio cui aliàs persimilis est; flosculi purpurascentes, nec ut in Absinthio deorsum nutantes.

A. 1. *Artemisia vulgaris* J.B. Park. *vulg. major* C. B. *Art. mater herbarum* Ger. **Mugwort.**

Radice digitali obliquâ reptat, demissis subinde fibris majusculis albis [sapore subdulci & aromatico] *Caules* surrigit bicubitales aut tricubitales, digitali crassitudine, teretes, striatos, brevi lanugine hirsutos, satis firmos & rigidos, plurimùm purpurascentes, medullâ farctos, foliis crebris alternatim positis vestitos, summa parte ramosos. *Folia* Absinthii ferè divisura, verùm segmenta in imis latiora, in summis longiora & acutiora obtinent, supernè obscuriùs viridia, glabra, infernè incana, quâ notâ ab Absinthio facilè discernitur. *Florum* Corymbi circa summitates caulis & ramorum in racemulos quosdam è foliorum alis egressos dispositi, Absinthinis crebriores, singuli tamen minores, è flosculis purpurascentibus compositi, non ut in Absinthio deorsum nutantes, odore aromatico & satis grato, minùs quàm Absinthii vehementi, ad Lavendulæ odorem quadantenus accedente.

In hac planta caulis & flores interdum albescunt, unde Artemisia alba *Tab.* & *Park.*

Locus. Quascunque regiones peragraverim (inquit Clusius) nulla fuit in qua Artemisiam hanc vulgarem, tum candidiorem, tum subpurpurascentem, universæ (ut puto) Europæ familiarem, crescentem non viderim.

Artemisia vulgaris minor C. B. Park.

Non videtur specie à vulgari majore diversa. Non placet (inquit J. Bauhinus) Fratrem separare plantas solâ quantitate differentes.

Artemisia montana C. B. *tenuifolia montana* Park.

De hac attende J. Bauhinum. Eam etiam quam [Frater] Artemisiam 3. seu montanam facit, nempe leptophyllon montanam *Lugdunensis Hist.* (cujus tamen neque figura placet nec descriptio) nondum sejungimus [à vulgari.]

* 2. *Artemisia polyspermos* C.B. Park.

Cùm non alia in re à vulgari differre dicatur quàm quòd unicum tantum producat caulem, & semina copiosiora, minus rectè pro diversa specie ponitur. Verum si hoc constans sit argumento est diversum esse. De rebus ergo nobis non satis cognitis & exploratis nihil temere pronunciare audemus.

* 3. *Artemisia Virginiana* Park.

Aliquanto major est vulgari Artemisia & fruticosior, foliis pariter incisis, sed majoribus.

Artemisia

Artemisia uterina est: menses, fœtum & secundinas pellit, sordes abstergit, adeóque usûs creberrimi est mulierculis, quæ eam adhibent internè & externè, adeò ut vix balnea & lotiones parent in quibus Artemisia non contineatur. *Schrod.* *Vires.*

Decocto Artemisiæ, si id cum Saccharo & melle temperetur, tussis mitigatur, calculus comminuitur.

Herbæ siccatæ pulvis ʒ. drachm. pondere in vino potus optimum est doloris ischiadici remedium, autore Parkinsono: qui & herbam recentem aut ejus succum haustum in convenienti aliquo liquore præstantissimum esse remedium asserit iis qui nimium Opii sumpserunt.

De præstantia hujus plantæ contra lassitudinem multa dicuntur. Plin. lib. 26. cap. 15. *Artemisiam alligatam qui habeat viator, negatur lassitudinem sentire.* Jo. Bodæus in Theophr. Hist. hujus decoctum hominum ex itinere lassorum pedes, si eo abluantur adeo recreare disertè affirmat, ut nihil in rerum natura reperiatur, quod ei sit anteferendum.

Sim. Paulus se sanctè testari posse scribit, se iis ægris in quibus nervosum genus malè habere sibi visum esset, flatulento spasmo obnoxiis, aut qui de doloribus aut lassitudinibus membrorum, præsertim post chronicos, & quandoque etiam post acutos malignos morbos, conquesti sunt, felicissimo sæpe eventu præscripsisse vannum maximam partem ex Artemisiæ, pòst dein Salviæ, Agrimoniæ, Chamomillæ & Polentæ tritæ decocto repletam, ut in eam sese immergerent, vel in ea considerent.

Sunt qui carbonem sacro Jo. Baptistæ die sub hujus radice effossam ad epilepsiam commendant. Eum autem tum in pulvere exhibent, tum de collo suspendunt pro amuleto. Schroder. Pharmac. l. 4. c. 6. De carbone isthoc vide *Fernelium* in consilio de puero Epileptico; *Jo. Bodæum* in Theophr. Hist. lib. 9. cap. 18. & *Jo. Bauhinum* in hac herba, qui hujusmodi superstitiosas & magicas vanitates meritò reprehendit & damnat.

Novi, inquit Sim. Paulus, vetulam quandam, cujus utraque genua cùm obsedisset tumor insignis œdematosus, quæ linteis duplicatis, super Artemisia suffumigatis, eum ex voto abegit.

Cap. XII.

Draco herba Ger. *Dracunculus hortensis* C. B. *Dracunculus hortensis sive Tarchon* J. B. *Draco herba sive Tarchon & Dracunculus hortensis* Park. **Tarragon.**

J. B.

Fruticosa promit duorum cubitorum & ampliora *virgulta*, dura, gracilia, nonnihil angulosa, inconditis ramis divisa: foliis primò orientibus divisis, ubi verò odolevit foliis onusta Lini folia æquantibus, aut Hyssopi Arabum, atrovirentibus, splendidis, omnis divisionis ignaris, sapore acri, aromatico, cum quadam dulcedine grata, Anisum conditum æmulante. Corymbi eo ordine per summos ramos quo in Abrotano, apiculis florum vix conspicuis, quos semen excipit acerosum. *Radix* perennis novam singulis annis stolonum sobolem emittit.

In hortis colitur, ac sæpiùs ramulis quàm semine seritur. De loco ejus natali altum apud Botanicos silentium est. *Locus.*

Usus ejus apud nostrates in acetariis frequentissimus est, ad temperandam & corrigendam aliarum herbarum quibus admiscetur frigiditatem & cruditatem, adeóque Erucæ vicem supplet. *Vires & Usus.*

Cùm insigni acrimoniâ planta tota sit prædita, haud verendum est, nè valenter excalfaciat atque siccet, incidat, aperiat, digerat. Proderit igitur Tarchon iis, scribente Matthiolo, quibus ventriculus frigidior: appetentiam excitat, flatus dissipat, membris robur addit, urinam & menses ciet, obstructiones expedit; mansum pituitam ducit, & salivam instar Pyrethri, & hinc dentium dolores mulcet & humidum cerebrum purgat. Ad pestis contagia maxime & primæ laudis ejus stillatitia apud Anglos, Autore Lobelio, nobis nihil tale auditum, sudores ciet, & crassam pituitam concoquit. Perpensâ hujus herbæ acrimoniâ, quâ maximè linguam vellicat, eorum esse medicamentorum quæ valentissimè excalfaciunt facilè conjici potest. *J. B.*

Auctarium LIBRI OCTAVI *continens Herbas quasdam Corymbiferis affines.*

CAP. I.

De Scabiosa.

SCABIOSA recens vocabulum est: quidam à scabro herbæ habitu nomen deducunt, est enim herba pilosa; alii, & rectiùs, à Scabie cui medetur, unde Aetii Ψωρα esse creditur.

1. *Scabiosa montana maxima* Park. Ger. *Alpina maxima* Ad. *Alpina foliis Centaurii majoris* C.B. Great Mountain Scabious.

Multa è *radice* crassa, vivaci promit *folia*, pedem aut ampliùs longa, obscurè viridia, alata seu in multas utrinque lacinias, per margines eleganter dentatas, ad mediam ferè costam incisa: inter quæ *caules* aliquot exsurgunt bicubitales & altiores pro ratione soli, angulosi, duri & lignosi, superiori parte in ramulos divisi, quorum extremis singulis singula insident *capitula* magna, rotunda, è viridi nigricantia, *flores* exserentia Scabiosæ vulgaris majores, è flosculis compositos pallidis seu è luteo albicantibus, [non cæsiis, ut vult Lobelius] quibus dilapsis succedunt *semina* oblonga, hirsuta, colore pullo.

Lobelius aliique Botanici hujus plantæ folia Centaurii majoris foliis similia & pænè paria faciunt.

Locus. In ascensu montis Juræ propè altissimam verticem *Thuiri* hanc copiosam invenimus: alibi etiam haud dubiè in Alpium jugis provenit.

A. 2. *Scabiosa major communior hirsuta folio laciniato* J. B. *major vulgaris* Ger. *vulgaris pratensis* Park. *patensis hirsuta, quæ Officinarum* C. B. Common field-Scabious.

J. B.

Radicem habet rectam, longam: *caules* sesquicubitum & duos cubitos altos, teretes, hirsutos, inanes, *foliis* cinctos per intervalla longiora ex adverso binis, canâ lanugine pubescentibus, formâ Valerianæ majoris, profundiùs subinde laciniatis, sapore subacri. *Caules* & ramuli in florum capitula terminantur. *Flores* autem aggregati sunt è plurimis flosculis quadripartitis purpureo-cœruleis, quorum singuli singulis insident seminibus, suósque habent calices, staminula & stylos. Flosculi marginales mediis productiores sunt, laciniis longioribus. Floris totalis *calix* è plurimis foliolis acutis basin ejus in circulum ambientibus componitur. Flores explicati planam ferè aut non admodum gibbosam superficiem efficiunt. Flosculis dilapsis *semina* in globum aut capitulum oblongius attolluntur. Quæ primò è radice exeunt folia integra ferè sunt, & non omninò laciniata.

Locus & Tempus. In pascuis frequens est, nec minùs inter segetes Junio & Julio mensibus floret.

Hæc Scabiosa (inquit J. Bauhinus) aut mirabiliter ludit, aut differentias aliquas habet; quædam valdè laciniata ut descripta, quædam non laciniata, vel minùs profundè & rariùs, versùs superiora tantùm.

Vires. Herba vino decocta ejúsve succus aut aqua in M. B. destillata Apostematibus, Pleuritidi, Tussi, aliísque pectoris vitiis medetur: nec minùs Asthmati, Anginæ, Pesti. Pollere autem hanc (inquit J. Bauhinus) imprimis adversùs Scabiem nomen illi inditum per se manifestat.

Scabiosæ vires S. Urbanus his versibus complexus esse dicitur.

Urbanus pro se nescit pretium Scabiosæ:
Nam purgat pectus quod comprimit ægra Senectus:
Lenit pulmonem, purgat laterum regionem:
Abscessus frangit si locum bibita tangit:
Tribus uncta foris anthracem liberat horis.

In plurimis expertus est D. Willebrochius Archiducis Ferdinandi medicus celeber. ad rhagades seu scissuras & serpigines ex Lue oriundas, etiam in illis in quibus dec. Ligni parùm profuit certiss. remedium pulv. Rad. hujus per hebdom. 3. quotidie assumptum.

A. 3. *Scabiosa minor vulgaris* J. B. *minor sive Columbaria* Ger. *minor campestris* Park. *capitulo globoso minor* C. B. The lesser field-Scabious.

Radice alba multiplici firmatur. [J. Bauhinus radicem repentem ei attribuit, crassiusculam, foris nigram, intus ex albo virescentem] *Folia* ad radicem hirsuta, est ubi multifariàm divisa, est ubi integra, *verbenæ* incisuris ferè, ut rectè Lobelius, minora & ad tactum aridiora quàm vulgaris Scabiosæ. *Caulis* cubitalis, teres, glaber, inanis. Foliorum in caule adversorum tria aut quatuor paria, in tenues

tenues & angustas lacinias dissecta, inferioribus læviora. Caulis in aliquot ramulos dividitur, in quibus flores Scabiosæ majoris longis insidentes pediculis. Succedit capitulum aristis nigris horridum, J. B. Sapor foliorum, eodem autore, lentus & nonnihil acris, radicis subamarus.

In pascuis siccioribus & montosis præsertim cretaceis copiosè provenit. *Locus.*

Thalius in Harcinia Scabiosæ minoris vulgaris plures recenset differentias.

1. Scabiosa ejus 5. sive foliis Bellidis Sylvestris minoris major. Hanc C. Bauhinus Scabiosæ capitulo globoso majoris, sive superiùs descriptæ Synonymam facit.

2. Scabiosa 6. sive foliis Bellidis species minor. Hæc ex una radice, quæ nigra est, plures profert tenuiores, teretes ac dodrantales coliculos, non ità foliosos ut prior, sed ferè prorsus nudos nisi inferiore parte. Folia priora huic sunt in brevioribus & canaliculatis pediculis, Bellidis Sylvestris majoris foliis itidem similia, propè pediculum laciniata utplurimum, reliqua parte serrata: post quæ reliqua quæ deinceps sequuntur folia diversæ ab aliis existunt formæ, frequenter in tenues & strictiores lacinias divulsa; flores cœrulei conglobati.

Hanc C. Bauhinus Scabiosam capitulo globoso minorem vocat. Videtur esse prioris varietas.

3. Scabiosa 7. sive tenuifolia candida, seu major. Hanc C. B. Scabiosæ multifido folio, flore flavescente seu ὀχρολεύκῳ Synonymam & eandem facit; & per me licet faciat.

4. Scabiosa 8. sive tenuifolia media, Radicem obtinet nigram, multifidam, *coliculos* teneriores, teretes, minùs foliosos. Folia priora multo minora quàm præcedenti, divisa in lacinias tenues, latiores tamen paulò quàm sunt reliquorum foliorum subsequentium laciniæ, quæ nimirum existunt admodum tenues & angustæ ac fœniculaceæ quodammodo. Flores sunt ut prioris speciei. Hæc Parkinsono Scabiosa tenuifolia capitulo globoso dicitur, C. B. Scab. capitulo globoso foliis in tenuissimas lacinias divisis.

5. Scabiosa 9. seu tenuifoliæ minimæ priori coliculus est dodrantalis, teres, tenuis, prorsus nudus, propè radicem solummodo plantâ hac folia protrudente in canaliculatis pediculis laciniata, breviora superioribus duabus speciebus ac tenuiora. In summo caulis florem continet cœruleum in orbiculato capitulo Succisæ simili, ex cujus ambitu exteriùs breviora quædam ac tenuiora progrediuntur sursum porrecta adnata in brachiolorum exiguorum modum, semel geniculata, ac bina ex adverso locata folia continentia, in quorum cujuslibet summo aliud ac brevius emergit florum capitulum conglobatum ac cœruleum. Locis autem prodit aridioribus, in collibus apricis ac meridionalem Solem excipientibus.

Quòd flores producat proliferos accidentarium proculdubio est & individuale.

6. Scabiosa 10. seu tenuifoliæ species foliosa: ità denominata, quòd coliculus, qui ipsi dodrantalis est, ac geniculatus, à radice usque in summum cacumen foliis infrequentes, tenues ac fœniculaceas lacinias divisis eleganter exornatur; quorum ad quodlibet geniculum bina ex opposito sibi correspondent. Flos huic est in globum collectus cœruleus.

Præter has omnes Scabiosæ minoris varietates aliam adhuc diversam observavimus in montibus, quæ vulgari minore humilior erat, & in uno caule unicum duntaxat plerunque florem gerebat, eum tamen grandiorem: quam *Scabiosæ montanæ glabræ foliis Scabiosæ vulgaris C. B.* eandem putamus. V. 7. Speciem.

4. *Scabiosa tenuifolia globosa elatior* Park. **Upright fine leaved Globe-Scabious.**

Recta assurgit singulari tenui cauliculo, *foliis* ad nodos inferiores binis ternisve simul parvis, angustis per margines eleganter dentatis vestito: superiora in caulibus folia bina ex adverso sibi invicem respondent. *Flores* parvi in globum coacti, reliquis colore similes.

Semen hujus ex Italia habuit Parkinsonus.

Quod terna interdum ad geniculum folia edat accidentarium esse puto, & luxuriei plantæ adscribendum.

5. *Scabiosa rubra Indica* Ger. Park. *rubra peregrina, quibusdam Indica* J. B. *peregrina rubra, capitulo oblongo* C. B. **Purple Indian Scabious.**

J. B. Clus.

Planta hæc, licèt una sit & singularis, & Scabiosæ minori vulgari similis, plures tamen *foliorum* figurâ differentes species ut illa induit. Quippe ima, quæ propter radicem sunt, reliquis latiora, quædam crenata, quædam laciniis sed minùs profundis divisa, longo pediculo hærent, veluti repanda. Quæ sequuntur superiora versùs altiùs secta, profundioribúsque laciniis divisa, veluti in plura alia subdividuntur, quorum singulæ partes infimis crenatis non magnitudine quidem, sed figurâ & specie quodammodo respondent. Sunt inter hæc quædam adhuc profundiùs & minutiùs secta. Suprema, quæ ad ramorum divaricationes exoriuntur, vel paucis aliquot incisuris, minùs tamen profundis, vel nullis planè constant, & per ambitum tota æqualia, angusta, brevioribus pediculis donata. Ima folia cum caule modicè hirsuta sunt. *Caule* autem cubitali [imo bicubitali] aut ampliore assurgit, satis gracili, qui in multos, tenues ramos dividitur, extima parte veluti umbellam flosculorum in caput congestam gestantes, exterioribus flosculis, qui reliquos ambiunt, majusculis, in quinque lacinias divisis, quemadmodum & interiores flosculi, qui minores, omnes autem coloris elegantis rubri saturi & ad purpureum quodammodo tendentis, oblongis filamentis, *apicibus* albis insignibus donati, pulchram speciem exhibent. His succedunt stellata ut in aliis Scabiosarum generibus *semina*, in *caput* oblongum metæ formâ, oblongis filamentis ruffis exasperatum, congesta. *Radix* Rapæ formâ C. Bauhino quam Clusius vivacem non esse affirmat; verùm nos experientiâ contrarium edocti sumus. Si enim hyems clementior fuerit, non solùm plantæ quæ æstate ad florem non pervenerant, sed ex etiam quæ jam floruerant, in alterum annum durabunt, & flores edent, seminaque matura & perfecta dabunt.

 Floret

Tempus. Floret æstate & autumno: Semen sub Septembris finem aut Octobris initium maturescit. Floris colore pallido seu incarnato ut vocant non rarò variat.

Vires. Hujus semina amara esse & lumbricos enecare observavit D. Hermannus; ut habeo ex Annotatis *D. Palmer.*

* 6. *Scabiosa Javanica* Bontii.

Bont.

Macilentior est ratione foliorum quàm Scabiosa nostras; *flores* minusculos cœruleos habet, qui foliis ut calyce conteguntur.

Vires. Viribus cum Scabiosa Europæa convenit. Unum (inquit) reticere nequeo, esse hanc Scabiosam remedium præstantissimum in extabescentia seu marasmi quadam specie in his locis admodum familiari, quo affecti ægri ad extremam maciem perducti tandem tenuem animam exhalant, ità ut pellis & ossa deveniant, & sceleta potiùs videantur quàm homines. In hoc affectu dico Scabiosa hæc cum Gramine cruciato Alpini & cum radicibus Chinæ simul cocta excellens est medicamentum. Malaii porro hâc Scabiosâ inter olera sua utuntur.

Descriptio adeò brevis, succincta & generalis est, ut nihil certi indè expiscari possim: puto tamen plantam à Scabiosis Europæis diversam esse.

7. *Scabiosa montana glabro folio* Park. *montana glabra foliis Scabiosæ vulgaris* C. B. *glabra carnosis foliis virentibus, flore ex cæruleo purpureo* J. B. **Mountain Scabious with smooth leaves.**

Clus.

Quina aut sena habet *folia* humi sparsa, Scabiosæ vulgatiori & inter segetes nascenti ferè similia, minimè quidem villis obsita, sed carnosa admodum & venosa, præ viriditate quodammodo splendentia, aliquot crenis incisa, sapore si manducentur lento & gummoso, deinde aliquantulum acri. Ex horum medio crescit palmaris *caulis*, aliquando paulò amplior, gracilis, rotundus, cujus inferiorem partem ambiunt quaterna aut sena folia, profundis & tenuibus laciniis divisa, bina semper ex adverso sita. Extremo cauli insidet *capitulum* ut in vulgari Scabiosa ferè, è multis flosculis quinque foliis constantibus congestum, quorum exteriores majores sunt, eleganti colore ex cœruleo purpurascente præditi, villis quibusdam nigris singulorum flosculorum sedem ambientibus. *Radix* longa, nigra, crassiusculis albis fibris capillata.

Locus & Tempus. Invenitur in summis *Sneberg* & *Snealben* Austriæ & Stiriæ Alpium jugis, in tenui gramine nascens, ubi floret Augusto, similiter in depressioribus, nudisque circa Viennam collium superciliis, Junio & Julio florens.

Quærit J. Bauhinus, cur Clusius in post. Hist. pro Scabiosa sua V. iconem posuit Scabiosæ minoris vulgaris seu columbariæ *Lob.* Difficile est rationem assignare; fortè una & eadem specie planta sunt hæc & illa.

Scabiosa prolifera Lob. Clus. J. B. *& aliorum prolifera folio latiore* C. B.

Vel hujus plantæ, vel Scabiosæ minoris varietas est, vel certè alterius cujusdam Scabiosæ speciei; minimè autem species ab aliis omnibus distincta. Certè experientiâ nostrâ *Scabiosa minor* hoc modo interdum ludit, & proculdubio aliæ etiam Scabiosæ in hortis satæ & cultæ.

Idem esto judicium de *Scabiosa prolifera foliis Gingidii C. B.* & de *Scabiosa tenuifolia prolifera minore ejusdem.*

* 8. *Scabiosa parva odorata, floris foliis maculis infestis* J. B. *Scabiosa minor capitulo globoso odoro* C. B.

J. B. Col.

Pulcherrima atque grata oculis atque naribus est Scabiosa hæc, quæ lignosam longámque *radicem* habet, ex qua *folia* exeunt diversa, nam in imo vel sunt sylvestri Erucæ paria, vel Coronopo similia, minora verò atque hirsuta; in caule verò similia laciniis Scabiosæ vulgari minori, sicuti & *flores*, qui purpurei ex albo colore sunt, nec ut in aliis cœruleo-purpurei, in capitulis rotundioribus; atque singuli flosculi Ocymi flores imitantur, nam galericulati sunt & per oras laciniati, admodum similes exotico Ocymo, foliis purpureis maculis infectis fimbriatisque, atque etiam, quod in aliis Scabiosis non observatur, bene odorati sunt.

Locus & Tempus. In montibus oritur Amalfææ oræ: æstate floret.

9. *Scabiosa multifido folio, albo flore vel potiùs ὠχρόλευκο* J. B. *multifido folio, flore flavescente* C. B. *flore pallido* Ger. emac.

Clus.

Cubitales *caules*, rotundi, graciles, firmi, virentes, nodosi, eos ad singula genicula amplectentibus binis foliis, ex adverso semper respondentibus, quæ tenuibus & profundis laciniis adeò divisa sunt, ut alata videantur; color ex cinereo virescens, sapor amariusculus: quæ verò secundùm radicem nascuntur, antequam planta in caulem assurgat, latiora sunt, minoribúsque laciniis divisa. Ex summis alis ramulos fert tenues & nudos, qui sustinent plana capitula, è candidis seu potiùs ὠχρολεύκοις [præsertim antequam explicentur] inodorísque floribus, simul nascentibus congesta; qui quinis foliolis [quorum tria inferiora majuscula sunt] constant, paucis intus staminulis. Floribus succedunt

succedunt hirsuta *semina* vulgaris Scabiosæ seminibus minora, in orbiculare caput congesta. *Radix* minimi digiti crassitudinem interdum æquans, multísque exiguis fibris in lateribus prædita, vivax est, & singulis annis novos caules profert.

Locus. Circa Viennam Austriæ ad sepes & in pascuis observavimus. Nullum est (inquit Clusius) Austriæ inferioris pratum siccius editioréve loco situm, nullus autem ager gramineus, nulli ferè arvorum margines in quibus non nascatur hoc Scabiosæ genus. Junio florere incipit.

Huic persimilis est

10. *Scabiosa montana calidarum regionum major Lobelii* J. B. *montana alba* Ger. *fruticans angustifolia alba* C. B. *An Scabiosa major Pannonica albo flore* Clus. hist ? Park.

Lob.

Colles amat hæc plagæ temperatioris, ut Pedemontis propè Rivoliam & Norbonæ, ubi montanam vocant Herbarii, *folio* angustiore, albidiore, parùm hirsuto, leviúsque laciniato ad imum caulem, Verbenacæ aut vulgaris Scabiosæ: superiora verò in ramulis plusculis, gracilioribus, altiùs divisis, & *flores* per Junium & Julium promentibus albos, Scabiosæ parvæ aut Jaceæ, *capitulis* squamatim compactis, ubi semen Trifolii Asphaltitidis, pullum, copiosum, involucris membraneis arguta concinnitate effictis, angustias plicarum fornicum pusillorum cohibentibus.

Locus. In collibus saxosis agri Narbonensis perquam familiaris est.

Persimilis est hæc planta præcedenti, adeò ut cùm primùm eam viderem pro eadem habuerim: verùm Botanici Monspelienses, qui utramque (puto) contulerant, diversam affirmabant, utcunq; Lobelius ei perperam attribuit capitula squammatim compacta Jaceæ, &c. Siquidem aliarum Scabiosarum capitulis similia sunt.

Lobelii iconem Clusius posuit sub titulo *Scabiosæ albæ Belgicorum hortorum*; quam Scabiosæ flore ochroleuco pæne similem esse ait, floribus tamen candidioribus. Cùm Clusius igitur eandem faciat, non est cur nos separemus.

Ab hac etiam non multùm differt, [eadem plane est D. Magnol]

Scabiosa glabra foliis rigidis viridibus J. B.

Quæ Montbelgardi sata in insignem magnitudinem adolevit, rigidis striatísque caulibus, per quos foliorum est situs adversus veluti ex geniculis: multa tamen ea sunt, sesquipalmaria, quædam dodrantalia, longis hærentia pediculis, duarum triúmve unciarum latitudine, segmentis paucis longéque dissitis inferiore parte divisa, ultimo segmento, quod mucronem constituit, trium unciarum longitudine aut majore: rigida sunt ea, viridantia & utrinque glabra. Surculis autem peculiaribus, palmum aut dodrantem longis hærent *flores* ex majusculis capitulis squarrosis, albicantibus, hirsutis. *Semen* longum hirsutum.

Dubitat J. Bauhinus an hæc sit Scabiosa major Pannonica albo flore sive 8. *Clus. hist.* C. Bauhinus Scabiosam illam 8. *Clus.* Scabiosæ montanæ calidarum regionum Synonymam facit; à quo tamen frater Joannes descriptæ semen accepit nomine Stœbes Theophr. & Scabiosæ albæ Bononiæ collectæ, quam in Phytop. Scabiosam Pannonicam 8. *Clus. hist.* fecit: quamvis in Pinace, ut videtur, sententiam mutavit. Sunto igitur nobis,

Scabiosa glabra foliis rigidis viridibus *J. B.*
Scab. montana calidarum regionum major *Lob.*
Scab. major Pannonica albo flore sive 8. *Clus. hist.*
Scab. alba Belgicorum hortorum *Clus. hist.*

Una eadémque planta tantisper donec certò constiterit eas specie distingui.

Scabiosam albam gemino capite C. B.

Quam Clusius in Belgicis hortis meminit, foliis latioribus priore [Scab. alba Belgicorum hortorum] firmioribus caulibus, & florum niveorum capitulis interdum singularibus, plerumque tamen binis cohærentibus & simul nascentibus, cùm nullus præter eum (quod sciam) Botanicus descripserit, ex brevi hac & jejunâ descriptione à reliquis omnibus Scabiosis distinctam esse non ausim asserere.

11. *Scabiosa major Hispanica* Ger. Park. *major cum pulchro semine* J. B. *stellata folio laciniato major* C. B.

Clus.

Folia vulgaris Scabiosæ majoris foliis similia habet, laciniata, viz. altè incisa, mollia, lanugine pubescentia: *Caules* nodosos, rotundos, interdum cubitales, è quorum geniculis *folia* inter se opposita. Summis ramis *capitula* insident è multis caliculis membranaceis & paleaceis composita, qui singulares *flores* continent candicantes; quibus deciduis in medio quasi singulorum caliculorum umbilico, exigua quædam stella subnigra conspicitur, quinque aut sex interdum radiolis constans, paulatim verò hi caliculi excrescentes expanduntur, donec *semen* hirsutum & crassum [quo caliculi sustinentur] maturescere incipiat. *Radix* candida, crassa, vulgari similis.

Clusius in hac sua descriptione non meminit foliorum longorum floribus subjectorum, stellatim dispositorum, ut in Astere Attico luteo mont. Icon quoque ejus, quæ eadem apud Lobelium, ea non demonstrat: an cultura id faciat considerandum. *J. B.* Ego ea, à Clusio per inadvertentiam omissa suspicor.

Locus. Crescit juxta vinearum margines & semitas, locísque incultis agro Salmanticensi, per reliquam etiam Hispaniam.

12. *Scabiosa cum pulchro semine minor* J. B. *Hispanica minor* Park. *stellata folio laciniato minor sive maritima* C. B.

J. B.

Simplice & lignosa *radice* albicante figitur, paucis & iis quidem exiguis fibris capillatâ. *Caulis* dodrantalis, aliquot divisuris concavus, teres, hirsutus. *Folia* tenuiter dissecta, superiorum foliorum Columbariæ Scabiosæ modo, pilis obsita: *capitulis* radiata folia subjecta, oblonga. *Semen* per omnia simile prioris semini, tomentosum, calatho membraneo coronatum unguis ferè magnitudine, pellucido, striato, in cujus medio stella parva quinque-partita; ex seminis autem sinu capillamenta quædam parva atque rigidiuscula prominent.

Locus. Hæc Clusio cum Hispanica majore iisdem in locis nascitur. J. Bauhinus semen ejus ex Galloprovincia habuit. Nobis in Sicilia observata est.

* 13. *Scabiosa maritima parva* J. B. *an Scabiosa stellata minima* C. B? Park? *an Scabiosa maritima Rutæ caninæ foliis* Bocconi?

J. B.

Longiusculam agit *radicem*, satis crassam, multorum capitum, pro quorum numero *caules* emergunt dodrantales, & si accedat cultus, etiam cubitales, ramosi *Folia* inferiora tenuia, præcedentis Scab. sectionibus divisa, trium unciarum longitudine, at superiora angusta & veluti graminea nullam agnoscunt divisionem. *Capitula* pro plantulæ modo magna, flosculis magnis referta, præsertim circa margines, colore in sicca planta purpurante. Caput obvallant folia oblonga, viridia, ut in Scabiosa Hispanica majore; at enim huic *semen* non ità pulchrum, quamvis interim membranei quid habeat, magnis pilis obsitum.

Plantam hanc C. Bauhinus præcedenti eandem facit: J. Bauhinus (qui à fratre semen ejus accepit) diversam. P. Boccone Scabiosam suam marit. sic describit: *Caule* assurgit, ut vulgaris, tereti, striato, cubitali, atque pluribus alis concavo, imbecillo tamen & humi subinde procumbente. *Folia* quæ primò nascuntur in multas & profundas lacinias incisa, ad Rutæ caninæ sive Fistulariæ accedentia, in caule sensim attenuata, at minora. *Flores* subpallidi, quandoque etiam rubentes proferuntur. *Semina* aliarum modo producit.

Locus. Nascitur in Caietæ maritimis & arenosis litoribus.

* 14 *Scabiosa stellata minima* C. B. Park.

C. B. prod.

A præcedente diversa videtur, *radiculâ* simplici, *cauliculo* ut & *foliis* biuncialibus; *floribus* subcœruleis, parvis: in caliculorum medio stella parva conspicitur, à quâ filamenta capillacea, oblonga, russa, quinque numero, extra caliculum producuntur.

Locus. In Provincia, locis incultis.

15. *Scabiosa fruticosa folio non dissecto peregrina* J. B. *Scabiosa stellata folio non dissecto* C. B. *arborea Cretica Ponæ* Park. *peregrina* Ger. *arborea* Alpin. exot.

J. B.

Adversis pediculis longiusculis, caulem amplexis *folia* ordine per caulem nascuntur, oblonga, acuminata, medio latiora, hirsuta, incana, Plantaginea, nisi alius esset nervorum decursus. *Caulis* teres, arborescens, albicans, pilosus, florem sustinens glomeratum, pallidè purpureum. *Semen* ejus pulchrum, sublongum crassiusculum, album, desinens in latam pelliculam, ut Scabiosa Hispanica major.

Locus. In calidioribus regionibus, Cretâ v. g. oritur, & in multos annos durat, per hyemem folia retinens, hyemes tamen nostras in regionibus Septentrionalibus ægrè tolerat.

Hanc plantam Pr. Alpinus in exoticis pleniùs describit, quem adeat cui hæc non sufficiunt.

16. *Scabiosa latifolia rubro flore* J. B. *latifolia rubra non laciniata secunda* C. B. *rubra Austriaca* Ger. emac.

Clus.

Cubitales huic sunt *caules*, rotundi, nodosi sive geniculati, nonnihil hirsuti, concavi: in singulis geniculis bina *folia* ex adverso nascentia, non multifida instar aliarum Scabiosarum, sed lata, in ambitu tamen crenata, Urticæ foliis interdum majora, ex brevi petiolo pendentia, colore ex viridi dilutiore prædita, amaro & acri sapore. Ex alarum sinu rami etiam prodeunt foliati, qui ex lateribus pediculos protrudunt, *floribus* Scabiosæ vulgaris modo congestis, ornatos, coloris rubescentis, nullius odoris: deinde *semina* simul congesta, angulosa, hirsuta, Cnici ferè interdum magnitudine, stellatâ coronâ insignita. *Radix* minimi digiti crassitudinem nonnunquam æquat, longa, nigricans, statim à capite quasdam fibras satis magnas spargens, & subinde ex lateribus novos caules producens.

Locus. In montibus Genevæ vicinis, inque Germanicis montosis sylvis passim luxuriat.

J. Bauhinus Scabiosam virgæ pastoris folio *C. B.* i. e. latifoliam peregrinam *Tab.* huc refert.

Scabiosa 4. Clus. hist. *montana latifolia non laciniata rubra & prima* C. B. *latifolia purpurante ex nigro flore* J. B.

Clus.

Magnitudine jam dictam superat, majoráque & nigriora habet *folia*, purpurascentem ex nigro *florem*; in reliquis satis conveniens.

Cum priore, floret Maio & Junio, quo tempore semen plerunque etiam maturescit. Præcedentis varietas quædam esse videtur. *Tempus.*

Scabiosa maxima dumetorum folio non laciniato J. B.

J. B.

Radices habet perennes, fibrosas, longas etiam ad cubitum, satis crassas, ac multas capillares, intùs albas, extra nigricantes: sapor ingratus cum dulcedine & amaritudine aliqua, odor indicibilis: *Folia* priora palmum longa, vel breviora, ac etiam longiora, lata duos aut tres digitos, similia foliis Succisæ, majora, molliora: quæ per caules folia per geniculos modò bina, interdum terna, quæ versùs superiora redduntur glabra & minùs mollia, serrata, non dissecta ut in vulgari, pulchrè virent. *Caules* bicubitales vel tricubitales, crassi, plures ab una radice oriuntur, cavi, circa inferiora purpurascentes & hirsuti, in superioribus partibus & ramis glabri; & juxta flores iterum hirsuti. *Flores* in extremitatibus ramorum, similes Scabiosæ vulgari, necnon etiam Scabiosæ minori. Differunt hi flores à floribus Succisæ, cui tota similis herba, quòd majores [uti & folia herbæ majora] flores in circumferentia magni, hiantes, qui non sunt in Succisa; color etiam dilutior quàm in ea, & Scabiosarum æmulus, jucundi odoris: Flore decidente inter semina non sunt foliola, ut in Succisa. *Semina* sunt longa, hirsuta, compressa, cum quatuor angulis.

Inter dumeta, & in pratis humidis montium juxta S. Hippolytum abundat, uti & in montosis locis circa Tigurum, & in monte *Moutets* propè Basileam, &c. Florebat adhuc copiosè Augusto & Septembri. *Locus & Tempus.*

Suspicamur hanc plantam præcedenti [penultimæ] eandem esse, siquidem præcedens in dumetis montosis Germanicis & Helveticis frequens est, quantumvis J. Bauhinus diversam faciat. Figura sub hoc titulo proposita in Historia J. Bauhini est alterius plantæ; nimirum Scabiosæ æstivalis Clusii.

* 17. *Scabiosa æstivalis Clusii* Ger. Park. *fruticans latifolia alba* C. B. Clusius **his Summer Scabious.**

Clus.

Folia habet Scab. 8. *Clus.* foliis primùm nascentibus & inferioribus non dissimilia, circa pediculum aliquantulum laciniata, deinde serrata: *Caulem* tricubitalem aut ampliorem, rotundum, hirsutum, in multos ramos circa summum divisum, quem alternatim bina semper ex adverso amplectuntur *folia*, viridia, infimis similia, præter ea quæ in ramis, minora enim sunt illa, non laciniata, non incisa. Summis ramis innascuntur squammata *capitula*, subcœruleis *flosculis* plena: quibus succedunt longiuscula albicantia *semina*. Ad capitulorum latera nascuntur utrinque alii ramuli, similibus capitulis & flosculis prædìti, deinde etiam ex illis tertii. *Radix* candicat & fibrosa est, sed non rediviva, nam excusso semine perire solet, veluti superior [octava *Clus.*] & illo deciduo (perinde ut illa) singulis annis sponte nascitur.

Ex quibus notis facilè sibi persuadet Clusius hanc ex eo semine in Belgio natam, quod ad amicos ante miserat [Scabiosæ suæ 8.] quod mihi non videtur verisimile.

* 18. *Scabiosa montana Dentis leonis folio* C. B. Park. **Mountain Scabious with Dandelion leaves.**

C. B. prod.

Caule est sesquipedali, viridi, rotundo, striato, lævi & cavo, superiore parte nudo: *foliis* latiore basi caulem amplexantibus, paucis, lævibus, crassis, inferioribus obtusis & parum crenatis, superioribus ad modum foliorum Dentis leonis in binas ternásve lacinias divisis & acuminatis, per oras crenatis, uncias sex longis, & duas circa medium folii latis, per quod nervus excurrit. Caulis summum, quem duo folia ferè ut in Dipsaco complectuntur, *flores* aliquot subcœrulei, pedicellis hirsutis inæqualibus insidentes, exornant.

Hæc Monspessuli in monte Calcaris reperitur. *Locus.*

* 19. *Scabiosa folio Sinapi Sylvestris* C. B. Park.

C. B. prod.

Caule est cubitali, striato, in ramos palmo longiores brachiato, qui ex foliorum alis, ubi pili paucissimi, prodeunt: *foliis* glabris Sinapi sylvestris modo, ad nervum usque laciniatis, & sparsim crenatis, inferioribus subrotundis. *Flores* rubentes, mediæ magnitudinis, & singuli, cauliculorum summis insident. Neapoli ex horto Imperati habuit.

Ex brevi hac imperfecta & jejuna descriptione non facile est definire an hæc sit species Scabiosæ à reliquis omnibus descriptis diversa necne.

* 20. *Scabiosa omnium minima* Ger. *montana omnium minima* Lob. J. B. *montana minor, capitulis squammosis* C. B. The least mountain Scabious.

Lob.

Scabiosarum omnium minimam hanc animus fuisset Lobelio Verbenam parvam facere, nisi in montibus cretaceis & incultis obvia foret: nam sesquipalmares pedalésve paucos edit *cauliculos*, *foliis* in imo sæpiùs donatos angustioribus, inter Sesamoidem & Scabiosam minimam; *floribus* dilutæ purpuræ è squamosis capitulis non diversis.

De hac plura non habeo quæ dicam. Icon Lobeliana Jaceam potiùs quam Scabiosam exprimit.

A. 21. *Succisa sive Morsus Diaboli* J. B. *Morsus Diaboli* Ger. *Diaboli vulgaris flore purpureo* Park. *Succisa glabra* C. B. Devils-bit.

J. B.

Quà *radici*, minimi ferè digiti crassitudine, fibræ longæ albæque circumnascuntur, eà præcisa seu præmorsa apparet, sapore misto acri & amaro. *Folia* oblonga, acuminata Scabiosæ, quanquam non dissecta sed integra, vel paulùm quid, præsertim quæ superiorem obtinent locum, serrata, magis quidem supra quàm infra virentia, brevibus utrinque & vix conspicuis pilis hirsuta, ut omnino glabra videantur, bina ex adverso pediculis ad basin coeuntibus caulem amplexa; magis crebra in caule quàm vulgaris Scabiosæ. *Caulis* cubito altior, teres, solidus, rubescens, ramosus. *Flores* in summis caulibus & ramulis cœrulei, non adeò plani ac Scabiosæ vulgaris, verùm globosi: omnes quoque flosculi florem totalem componentes ejusdem figuræ sunt & magnitudinis, cùm in Scabiosa marginales interioribus majores sint. Flosculi autem ut in Scabiosa quadripartiti sunt cum stylo & staminibus intus.

Tempus. Seriùs quàm Scabiosa & sub Autumnum floret.

Locus. In pratis & pascuis, locis præcipuè dumetosis.

Variat florum colore carneo & albo: interdum etiam foliis hirsutis invenitur.

Vires. Alexipharmaca est & vulneraria, ut facie sic viribus cum Scabiosa convenit. Inprimis celebratur in Epilepsia, peste, uteri dolore, sanguine coagulato, abscessibus occultis, lue Venerea ejúsque ulceribus; in vulneribus recentibus, &c. Extrinsecus in Angina, tumoribus tonsillarum quæ ægrè ad suppurationem perveniunt (gargaris.) in sugillationibus, bubonibus, &c. *Schrod.*

Dodonæus adversùs diuturniores faucium tonsillarúmque tumores, qui ad suppurationem ægrè perveniunt, valdè commendat, & nulli secundam affirmat Succisam; cujus authoritatem ego secutus, plerunque gargarismis, ubi Venereis & aliis ulceribus fauces gingivæque scatent, felici successu miscere soleo. Succum ipsum Camerarius utiliter admodum addi gargarismis in angina ait. *Sim. Paulus.*

22. *Scabiosa argentea angustifolia* Park. C. B. *graminea argentea* J. B.

Ex *radice* lignosa *caules* bini ternive sesquipalmares & altiores, rotundi, incani, parùm reflexi, densè geniculati exurgunt. Circa radicem folia quatuor aut quinque uncias longa, angusta, graminea, albicantia & argenti colorem referentia, unico nervo secundùm longitudinem donata, in caulibus bina ex adverso posita; in superna caulis parte nulla. Caulis unicum *discum*, orbiculatum, planum, molli lanugine incanum sustinet, qui plures *flores*, cœruleos vel pallidos, aliarum formâ continet: quibus caliculi membranacei cum staminibus breviusculis, *semen* continentes succedunt. Capitulum ambiunt numerosa foliola acuminata.

Locus. Provenit in monte Vicentino Sumano dicto. Nos in planis Fori Julii depressis, quæ aquæ ex Alpibus hyberno tempore ubertim delabentes aliquoties latè inundant, eam observavimus.

Reperitur interdum hoc genus foliis glabris.

23. *Origanum fistulosum Canadense* Cornuti, *sed potiùs Mentastrum fistulosum Americanum* Park.

Cornut.

Caulibus exit cubitalibus quadratis, nunc angulosis, subhirsutis & ramosis: *Foliis* longis, Lysimachiæ siliquosæ æmulis dilutè virentibus, quæ ab imo ad Caulis fastigium usque pullulant, ibíque minora decem aut duodecim in orbem congesta *floris* obambiunt globum, qui Scabiosæ capitulum refert (quamvis sit latior, multóque depressior) mille *caliculis* conflatur, à quibus funduntur ordinatè dispositi *tubuli* plures, semuncialis longitudinis, coloris ex purpura colossini, bifidi extremo quo patentem rictum fingunt, unde profluunt duo aut tria cum purpureis *apicibus* filamenta. Prolifera est, florem enim sæpe transilit caulis, qui tribus digitis à primo flore elevatus, subjectis totidem foliolis novo floris alterius globo repullulat. Tota planta caulibus atque adeò foliis subincana lanugine pubescit. Efflat odorem non trita Satureiæ hortensis. Sapor huic acerrimus, ac Hydropiperis more linguam perurens, exceptâ radice, quæ solis contexitur fibris; hæc namque nescio quo naturæ lusu, prorsus insipida gustanti percipitur.

Floret Julio & Augusto. Planta est in multos annos vivax. Origanum fistulosum eam nominavit Cornutus, quòd tubuli floris ità inter se sint compositi ut quandam veluti Cicutis compactam fistulam, repræsentent.

* 24. Bellis

* 24. *Bellis spinosa flore globoso* C. B. *cærulea spinosa* Park.

C. B. prod.

Hæc tota ferè facie Bellidem cœruleam Globulariam dictam refert, cujus ad radicem *folia* plura sunt, parva, rigida, crenata, & cuilibet crenæ aculeus insidet. Cauliculo est palmari, atrovirente, quem *folia* oblonga, angusta, non crenata, sed in aculeum abeuntia, inordinatè basi sua vestiunt, cujus summitas capitulum rotundum cœruleum, Globulariæ capitulo majus, multis flosculis ut in Succisa hirsutum.

In Granadæ montibus copiosè oritur. *Locus.*

25. *Bellis cærulea Monspeliaca* Ger. *cærulea caule folioso* C. B. *Aphyllantes Anguillaræ, Globularia Bellidi similis* J. B. *Globularia Monspeliensium, Bellis cærulea* Park.

J. B.

A *floris* pulcherrimi glomeratâ figurâ Globulariam dixerunt quidam: constat autem is staminulis cœruleis densè farctis, insidens cacumini *caulis* palmaris & sesquipalmaris, rariùs cubitalis, rotundi, striati, rubescentis, *foliis* vestiti multis, interdum unico, interdum ab eadem radice multiplicis: alia per terram sparguntur folia, Bellidis proxima, solidiora, glabra, nervosa, gustu amara. *Radix* lignosa, dura, fibris donata, rubra exteriùs, interiùs alba.

Circa Monspelium plurimis in locis occurrit: quin & ad radices montium Juræ & Salevæ, & alibi tum in Italia, tum etiam in Germania. *Locus.*

26. *Bellis cærulea caule nudo* C. B. **Blue Daisie with a naked stalk.**

Hæc priore elatior est, caule prorsus nudo & aphyllo, flore majore, *foliis* angustioribus & duplo triplóve longioribus, atque omnino specie ab ea distincta, quicquid repugnat J. Bauhinus.

In sylvis & montibus max. Carthusianorum cœnobio proximis invenimus. *Locus.*

Floret utraque species per totam æstatem. *Tempus.*

27. *Scabiosa minima Bellidis folio* Ger. *Scab. Globulariæ Bellidis foliis* Park. *Bellis montana frutescens* C. B. *Aphyllanti affinis, Scabiosa quinta Clusii, Bellidi affinis* J. B.

J. B.

Ramos per terram reptantes spargit, subinde demissis fibris radicem agentes; alioqui *radicem* primariam lignosam crassiusculam habet. *Folia* Globulariæ similia, saturatè virent, glabra, crassa satis, sed non ut Globulariæ *folia* per extremum integra, verùm fissa & cordata ex pediculo longiusculo, sapore amaro. Pedicelli breves, aliquando satis longi, inter folia surgentes *florem* gestant cœruleum, glomeratum Globulariæ, cui nec dissimile *semen.*

Nascitur in omnibus Pannoniæ & Austriæ montibus glabris & asperis, inter saxa & salebras sparsa *Clus.* Nos ad radices montis Salevæ propè Genevam eam invenimus. Floret Aprili & Maio: Semen Julio & Augusto maturescit. *Locus & Tempus.*

* 28. *Scabiosa annua integrifolia sive foliis Bellidis* Botan. Monsp.

Magn.

Ex *radice* annua *caulis* rectus exurgit, sesquipedalis, hirsutus, quem *folia* in singulis geniculis bina opposita ambiunt: inferiora Bellidis sunt, serrata, hirsuta; superiora longiora, similiter serrata. Caulis in quosdam ramulos dividitur, *flores* ut in Scabiosa vulgari sustinentes pallidè cœruleos; quibus succedit *semen* aliarum more.

In segetibus ultra eundo *à la Colombiere* Maio mense florentem invenit *D. Magnol*, & versus Ledum amnem. *Locus.*

Cap. II.

De Dipsaco.

Dipsacus Διψακὸς, id est, sitibundus nomen à contrario invenisse dicitur, quoniam cohærentium foliorum sinu concavo rorem vel imbrem recipiat, quo velut ad sitis injurias abigendas utatur. At * Vossius Etymologias hasce per antiphrasin rejicit & explodit. Labrum verò Veneris à foliorum etiam positu, pelvis vel lavacri speciem constituente, humorem faciei nitorem conciliantem continente.

* *In Rhetoricis.*

Notæ genericæ sunt caules spinosi, flosculi squamis disjuncti, singuli singulis seminibus insidentes in capitula congesti flores compositos imitantia.

1. *Dipsacus*

A. 1. *Dipsacus sativus* J. B. C. B. Ger. Park. *Carduus fullonum* Lob. **Manured Teasel.**

J. B.

Duorum aut trium cubitorum, aut etiam majorem altitudinem assequitur, *caule* pollicari, recto, rigido, multis alis concavo, striato, spinulis quibusdam horrente: *folia* bina opposita, ità continua invicem sunt, ut ea caulis transadigat, & concavum labrum excipiendæ aquæ efficiant, ampla, longa, non minùs caule horrida: *capitula* quæ pugnum impleant oblonga, uncinatis hamulis rigidissimis, deorsum spectantibus minacia: inter quos *flosculi* emicant tubuli instar, colore ex albo tantillum purpurascente: radice verò nititur lævi candidâ.

Locus & Tempus. Seritur apud nos multis in locis, nec vulgari adhibita diligentia colitur ad lanificia. Junio ac Julio floret: echinata capitula Augusto colligenda sunt.

Hujus caulis interdum in latum & concavum utris instar tumidum corpus cochleæ in modum contortum degenerat. Filo autem seu aciei cochleæ creberrimi innascuntur ramuli capitula sustinentes, ut hujusmodi degener planta pulcherrimam speciem exhibeat.

Vires. Radicis hujus usus est in rhagadibus ani consolidandis [decoctæ in vino] commendatur & in verrucis abigendis.

Aqua quæ in foliorum concavo reperitur caliginosis & rubentibus oculis prodesse creditur: eadem maculas faciei emendat & exterit. Mulierculæ formæ studiosæ usum ejus optimè tenent. *Trag.* A nostratibus ad verrucas abigendas commendatur.

Hujus, sed præcipuè sequentis, singulis capitulis singuli vermiculi, quos idcirco non immeritò solitarios dixeris non raro innascuntur, Mouffeto *Insect. theat.* lib. 1. cap. 20. descripti.

Hos impari numero pennâ anserinâ inclusos febre quartanâ laborantium collis amuleti aut remedii loco appendere vulgus nostratium solet. Sunt autem amphisbæna hæc animalcula, & caput tangentis digitum retrorsum incedendo properè devitant. Descriptionem vide in *Cat. Cant.*

Usus. Præcipuus usus capitulorum dipsaci est ad pannos depectendos.

Scrofulas sanat Carduus fullonum: in genere specifica qualitate omni putredini resistit, & est medicina cibalis & sapida. Coctus in vino purgat per urinam non secus ac Asparagus. *D. Soame ex Observ. Marc. Cumani à Velschio editis.*

Phthisicis etiam quodammodo desperatis experimento Guidonis Helidei & Henrici Stromajeri Chirurgi mirè proficuum comperi radicem cardui fullonum tusam & melle exceptam. *Idem ex Observat. Achillis Gasseri.*

A. 2. *Dipsacus Sylvestris sive Labrum Veneris* J. B. *sylvestris aut Virga pastoris major* C. B. *Dipsacus sylvestris* Ger. Park. **Wild Teasel.**

Radice nititur simplici, fibris majusculis donata. *Caulis* ab eadem radice unicus, ad tres quatuórve nonnunquam cubitos assurgit, teres, striatus, inanis; inferiùs spinis rariùs dispositis, propè capitula creberrimis horridus. *Folia* ima, quæ è radice exeunt, molliora sunt & teneriora, mucronibus obtusis, circa margines crenata, rugosa, pilosa, spinulis rarioribus aspera, oblonga, angusta. Quæ in caule sunt bina ex adverso eum amplectuntur basibus junctis, adeò ut sinum quendam seu cavitatem circa caulem efficiant, aquæ pluviæ continendæ. Sunt autem folia hæc superficie læviore quàm quæ è radice exeunt, mucronibus acutis, circa margines dentata, [superiora tamen in caule & ramulis ad margines sunt æqualia.] In omnibus aversa parte spinularum recurvarum series per totam costæ mediæ longitudinem extenditur. In summis caulibus & ramulis, (qui bini oppositi ex alis foliorum exeunt) Spicæ *florum* densæ, oblongæ, innumeris velut squamulis, in longam, rectam & acutam spinulam desinentibus compositæ; quarum singulæ sinu suo *semina* singula, longiuscula, quadrangula, striata complectuntur, cum *flore* eis insidente tubuloso, oblongo, pallidè purpureo, margine in quatuor segmenta obtusa diviso. *Capitula* florum plurimis radiis spinosis velut calice quodam ad basin cinguntur.

3. *Dipsacus sylvestris folio laciniato* J. B. Park. *Dipsacus folio laciniato* C. B. **Wild Teasel with jagged leaves.**

J. B.

Procera planta est, duorum triúmve cubitorum & interdum altior, *radice* crassâ, simplici, albâ; *caule* recto, adversis ramis brachiato, striato, aculeis horrido. *Folia* valdè ampla, longa, latáque, spinis duntaxat secundùm costam & averso folio armata, non bullata, profundè laciniata, in labri formam coeuntia. Atque hoc quidem genus laciniatum *flores* habet albicantes, & vulgaris instar quadripartitos, ex aculeorum carina, quibus *echinus* oblongus horret, minoribus tamen & longioribus spinis quàm in Dipsaco sativo, nec ut in illo aduncis. *Semen* oblongum, striatum.

Locus. Copiosè provenit inter Horburgum & Colmariam [in Alsatia] observavi etiam inter Rousach & Colmariam. *J. B.*

A. 4. *Dipsacus minor sive Virga pastoris* Ger. emac. *sylvestris capitulo minore, vel Virga pastoris minor* C. B. *Virga pastoris* Park. *pastoris vulgaris* J. B. **Small wild Teasel or Shepherds rod.**

J. B.

Tota facie Dipsacum refert, quatuor & quinque cubitos alta, *caule* digitali, glabro, costulis, ex quibus duræ mordacésque spinulæ oriuntur, secundùm longitudinem striato, concavo, & in multos ramos brachiato. *Folia* gemina ad genicula enascuntur, opposita, minimè caulem amplectentia, sed pediculo

Pediculo unciali, nonnunquam breviore appensa, infimâque parte auriculis binis donata, post auriculas ab angusto principio sensim dilatantur, & in mucronem desinunt, ac serrata sunt, spinis quà terram spectant per nervos dispositis armata. At *capitula* Dipsaco multùm cedunt, Scabiosæ capitulis paria, sphæricæ figuræ, flosculis albis, quadripartitis, labello reliquis laciniis paulò productiore, quatuor intus staminulis cum apicibus purpuro-cœruleis, confertim stipata. *Semina* oblonga, angulosa, nigricantia, singula singulis flosculis cohærent, quæ squamæ singulæ in longitudinem, & mucronem directæ, mollicellæ, sinu suo amplectuntur. Capituli uniuscujusque basin sex angusta acuta foliola circumvallant. *Radix* alba, simplex, lignosa, non altè in terram descendens, paucis fibris donata, quæ perfecto semine marcescit.

Si mulieres laborent appetitu depravato laudat Æginèta aquam Virgæ pastoris potatam, & præsertim post cibum. *D. Soame* è Dolæo. *Vires.*

Cap. III.

De Carduo Sphærocephalo.

INsigni capitis in sphæricam figuram conglobati notâ ab aliis quibuscunque plantis primo statim aspectu facilè dignoscitur.

1. *Carduus sphærocephalus latifolius vulgaris* C. B. *sphærocephalus sive globosus major* Park. *globosus* Ger. *Echinopus major* J. B. **The Globe-Thistle.**

J. B.

Altitudine cubiti unius aut alterius excrescit, *caulibus* crassitudine digitali, purpurascente lanugine obductis, striatis, tactu pinguibus, mansu dulciusculis: quos *folia* ambiunt latiore basi, oblonga, tota tactu glutinosa, profundè laciniata, supernè atro-virentia, infernè incana, utrinque pilosa, multis tamen numeris magis infernè quàm supernè. In caulibus extremis eorúmque alis *capitula* exactè globosa nascuntur, *flosculis* ex albo cœruleis. Radix mediocris crassitudinis exteriùs nigricat.

In excelsioribus Ananiæ vallis montibus, lariceis, abiegnis & piceis sylvis refertis, referente Matthiolo visitur: nos in montosis sylvis propè Viterbum quà inde Romam itur eum observavimus. *Locus.*

* 2. *Carduus sphærocephalus capitulo longis spinis armato* C. B. *sphærocephalus acutus minor* Park. *globosus acutus* Ger. *Spina alba quibusdam capite echinato* J. B. **The great prickly Globe-Thistle.**

J. B.

Perennis est planta *caule* ad cubitorum aliquot altitudinem surgente, striato, in ramos varios diviso: *Folia* plus minùs dodrantalia, quædam palmaria, tum alibi, tum ramorum divaricationi subjecta, pronâ parte tomento incano vestita, alterâ viridantia, laciniis divisa ad costam usque profundis, quarum singulæ in uncialem & longiorem rigidam infestámque spinam desinunt; spatia quoque interjecta tota spinis horrent. Singulis ramis *caput* insidet sphæricum Cardui echinopi glomeri simile sed spinosum.

Hujus major & minor species sunt (inquit C. Bauhinus) i. e. 1 & 2 *Dod.* & *Lugd.*

Quis hujus locus natalis sit apud Botanicos non legimus, nec aliunde nobis constat.

* 3. *Carduus sphærocephalus* 4. Dod. *sphæroceph. minimus acutissimis foliis* C. B. Park.

Dod.

Minimus est, foliisque acutissimis ac spinosissimis, capitulo exiguo, cujus flosculi ut primi albidi sunt.

Ex brevi hac & generali obscuràque descriptione an hæc sit species distincta nécne certò colligi vix potest: pro distincta positam invenio in *Hort. Reg. Parisiensis* Catal.

* 4. *Carduus sphærocephalus* 5. Dod. *Carduus tomentosus capitulo minore* C. B.

Hunc C. Bauhinus Spinam albam 1. & Sp. albam alteram Matthioli facit. J. Bauhinus Spinam albam alteram *Matth.* Carduo sphæroceph. capitulo longis spinis armato synonymam ponit. Certè apud Matthiolum magna est confusio; unde J. Bauhinus existimat hanc plantam illi fuisse ex sola figura notam, cujus sententiæ nos quoque subscribimus, & Carduum tomentosum capitulo minore *C. B.* expungendum censemus, saltem tantisper donec certiùs edocti fuerimus.

5. *Carduus sphærocephalus cæruleus minor* C. B. *Echinopus minor* J. B. *Crocodilium Monspeliensium Lugd.*

J. B.

Digito minor est *radix*, rugosa, in plura capita fissa, ex quorum unoquoque unus *caulis* pullulat, dodrantalis & longior, propter lanuginem densam totus albicans, ex quo prodeunt crebra alternata *folia*, quorum quædam parùm cauli longitudine cedunt, alia unciâ paulò majora, tenuissimè & ad costam usque incisa, spinosa, infra lanugine molli candidáque, veluti & costa, pubescentia, supernè viridantia. Summo caulis cacumini sphæricum insidet *capitulum*, minùs quàm Echinopi majoris, *flosculis* cyanei coloris glomeratum. Annua

Tempus. Annua est planta, Julio & Augusto florens & Septembri semina maturans, quibus deciduis perit & sequente anno ex iis renovatur.

Locus. Spontaneum invenimus non in agro tantùm Monspeliensi, sed & alibi in Gallia Narbonensi.

* 6. *Carduus sphærocephalus annuus Bæticus minor* Moris. prælud. *An Carduus sphærocephalus annuus* Cam. hort?

Moris.

Hic cæteris sphærocephalis Carduis minor est, vix bipedalem excedens altitudinem. *Flores* cœruleos minores globulatim fert; *capita* etiam minora, sed *semina* multo cæteris suæ familias seminibus majora fundit.

CAP. IV.

De Eryngio.

GRæci Philosophi Eryngium quasi ἠρύγγιον i. e. ructum dictum putant, quòd capræ quæ morsu surculum Eryngii præciderint, vel deglutiverint cunctum gregem ponè sequentem quasi stupore attonitum sistant, donec Eryngium ructu rejecerint. *C. B.* Gerræ germanæ.

Cæterum notæ Eryngii characteristicæ sunt Folia spinosa saltem summa; flores in summis caulibus & ramulis in capitula congesti quibus radiata subsunt folia.

A. 1. *Eryngium vulgare* J. B. *vulg. & Camerarii* C. B. *Mediterraneum* Ger. *Mediterraneum sive Campestre* Park. **Common Eringo.**

Radice nititur longa, minimi interdum digiti crassitudine, molli & tenera cum medulla seu nervo in medio solidiore, exteriùs nigricante, interiùs alba, sapore dulci. *Caulis* exinde assurgit teres, striatus, pedalis aut cubitalis & interdum longior, [medullâ fungosâ albâ plenus] summa parte in quamplurimos ramulos divisus, *foliis* vestitus alternatim positis, glaucis, rigidis & aridiusculis, profundè utrinque ad mediam ferè costam laciniatis, [quorum singulæ laciniæ consimiliter subdividuntur] ad margines undique acutis & rigidis spinis horridis. In summo caule & ramulis spicæ [J. Bauhino echini] breves conglobati, dipsaci quodammodo similes ni minores essent, *flores* proferunt albicantes, *apicibus* concoloribus donatos, quibus subjecta in orbem folia (veriùs spinæ longæ) striata, longiuscula, & mucrone & marginibus spinosis.

Locus. In Anglia rarius est, nec nisi duobus in locis à nobis inventum, nimirum, ad trajectum è Devonia in Cornubiam non procul Plimostio; & in via antiqua Romana *Watling-street* dicta propè *Brookhall* vicum non longè à Daventria Northamptoniæ oppido: in exteris omnibus quas lustravi regionibus ubique frequentissimum est.

2. *Eryngium cœruleum* J. B. *montanum Amethystinum* C. B.

Solo summitatum & capitulorum colore pulchrè cœruleo seu Amethystino à vulgari differre videtur.

Locus. In montibus Stiriæ invenimus.

Vires. Eryngium epatic. nephritic. & alexipharmac. est, ducit urinas & menses, torminàque ac inflationes dissolvit: icterum sanat. *Schrod.*

Radices hujus, sed præcipuè Eryngii marini, saccharo conditæ principem inter dulciaria locum obtinent, suntque vel invito Matthiolo, Veneris (ut vocant) incentivæ, utiles etiam adversùs pestem & aeris contagionem, manè jejuno ventriculo sumptæ, tabidis & macilentis valdè proficuæ. Valent insuper & ad luem Veneream.

Eryngii radix melle aut Saccharo condita maximè confert gonorrhœæ. Flos autem ejus cœruleus si bibatur cum aqua confert Squinantiæ. *D. Soham* ex Observationibus Marcelli Cumani ab Hieron. Velschio cum aliis editis excerptam communicavit.

Adfirmabat Simon Simonius Med. Prof. Lipsiæ multis in Italia cum successu familiarissimum remedium esse ad prohibendum abortum radicem Eryngii veri Cataplasmatis modo ventri sub umbilico impositum.

In nimio menstruorum fluxu, ℞ Rad. Eryngii M. ij. in vino coque. Lavetur probè manè & vesperi linteis calidis post ablutionem impositis. Initium verò ablutionis fiat ponè aures, tunc in cervice, hinc per totam spinam usque ad os sacrum, postea inungantur ilia. Hoc remedio nonnullas intra triduum sanatas vidit quæ nullis aliis curari poterant. *Medicam. Louyse Burgoise. D. Soame è Dolæo.* *L. 4. C. 5. S. 15.*

A. 3. *Eryngium marinum* Matth. Dod. Ad. Lob. *cui & Acanos Plinii* Ger. Park. J. B. *maritimum & Gesn. Hort.* C. B. **Sea-holly or Eringo.**

J. B.

Radices huic subsunt longissimæ, circumquaque profundè vagantes, sapore aromatico. *Folia* plurimùm pullulantia ex longis pediculis, nihil aut perparùm laciniata, ferè rotunda, latiora tamen utcunque quàm longiora, interdum latitudine palmum excedentia, crassa sive spissa, albicantia vel glauca,

glauca, uti tota planta, quæ in lacinias abeunt non tamen admodum profundas in adolescente planta, sed rigidorum spiculorum mordacitate multò infestiores, nec crassitudinem illam etiam siccata amittunt, licet nervosiora appareant, multò etiam quàm Mediterranei latiora. *Caulis* cubitalis, valdè ramosus. *Capita* extremis ramulorum inter pungentia folia sedent, *flores* proferentia albidos. *Semina* duo juncta, lata, quæ cùm spinis undique sint obsessa, vix impunè eximi possunt.

Non modò in calidiorum regionum, quales sunt Hispania, Italia, Gallia Narbonensis & similes, sed etiam frigidiorum & ad Septentrionem vergentium, ut sunt Anglia, Belgium, Hollandia, atque aliæ adhuc iis frigidiores maritimis arenosis frequens sponte nascitur, & radice sub terrâ vagatur, ut rectè J. Bauhinus. *Locus.*

* 4. *Eryngium Indicum* Bontii.

Bont.

Quod ad folia attinet, Eryngio maritimo vulgari simile est: *flore* tamen omnino differt, qui spicatim prodit, non secus ac flos Lavendulæ, nisi quod longè major sit; coloris est ex cœruleo pallidi; florens per totum annum conspicitur, & libenter circa paludes crescit; & longa spatia occupat, læto sanè ob pulcherrimos flores aspectu. *Radicem* habet aromaticam & blandè calidi saporis.

Ego radices hic saccharo condiri jubeo, & illis cum summo successu exhibeo, qui paralysi Indica, *Beryberii* incolis dicta, laborant, quod in meipso expertus sum, dum molestissimo & pigro hoc malo per quatuor continuos menses miserrimè decumberem. Copiosas quippe urinas hæc radix elicit, & sudare facit, tum Asthmati, quod plerunque hoc malum comitatur utilissima est; neque ego inter vegetativa medicamenta ullum præstantius reperiri posse confido ad expectorationem pituitæ salsæ & crassæ; ut taceam notissimas ejus vires adversùs calculum & renis affectus. Colicum quoque dolorem temperato suo & blando colore confestim sedat, & flatus intestinorum discutit. *Vires.*

* 5. *Eryngium pumilum* J. B. *montanum pumilum* C. B. *pumilum Hispanicum* Clus. Park. *pumilum Clusii* Ger. **Dwarf Sea-Holly or rather Eringo.**

Clus.

Palmi est, nonnunquam pedis, altitudine, *caule* gracili, multis ramis ex adverso utplurimum nascentibus prædito. *Folia* circa radicem in rotæ speciem humi sparguntur, majuscula, latiuscula & molliora: at quæ in ipso caule sub alis nascuntur, multifida sunt, tenuia, in ambitu serrata & aculeata. Ramulorum summitatibus globosa insident *capitula*, octo plerunque spinosorum foliorum ambitu stellæ instar circumvallata, ipsa etiam spinosa. *Flos* & tota capitula cum suis foliolis ea ambientibus cœrulei sunt coloris. Succrescente planta folia secundùm radicem in orbem nascentia marcescunt, deinde alia caulem ambientia exiccantur & decidunt, ut rarò plantam [cùm defloruit] cum foliis, præsertim inferioribus reperire liceat. *Radix* dura quidem & lignosa, sed quæ non vivax sit, & singulis annis semine maturo pereat, semineque deciduo renascatur.

Post messes plerunque invenitur passim agro Salmanticensi, & nusquam alibi. *Locus.*

* 6. *Eryngium pusillum planum* J. B. Ger. *planum minus* C. B. Park. **Small, smooth Eringo.**

Humile erat (inquit Clusius) statim à *radice* in plures *ramos* divaricatum, teretes, rotundos procumbentes: ad quorum singula velut genicula nascebantur inordinata *folia*, extremo latiuscula, circa pediculum angustiora & crenata: quæ verò circa radicem, formâ quidem illis similia, sed ampliora, unciam lata, binas aut ampliùs longa, ex viridi pallescentis coloris: frequentes ex alis ramuli nascebantur, ad quorum singulos nodos foliola, & echinata virentiàque capitula exoriebantur. Florem observare non licuit. *Radix* satis crassa & aliquot fibris donata: quin & procumbentes cauliculi plures secundùm radicis caput crassiusculas fibras agunt, quibus subinde se firmant.

In hortis Jo. Mutoni à Lobelio, nec alibi visum, neque à Clusio in loco natali observatum: unde Mutonus habuit ignorabant, certè non dicunt.

7. *Eryngium Pannonicum sive montanum* Park. *latifolium planum* C. B. *planum latifolium, capitulo rotundo parvo* J. B.

Clus.

Bicubitalem vel ampliorem habet altitudinem: *caulem* firmum, striatum, medullâ albâ plenum, ac veluti nodis distinctum, præsertim qua parte eum amplectuntur latâ & membranacea sede *folia*, tres aut plures uncias longa, duas lata, viridia, venosa, in ambitu serrata & aspera nonnihil, subamaro acriusculóque gustu: quæ verò circa radicem nascuntur longiora latioràque sunt & oblongis pediculis innituntur: summus caulis in aliquot ramos divisus breviora folia habet, eáque in profundas lacinias divisa, & mollibus spinis prædita. Summæ deinde alæ in aliquot ramulos desinunt, echinata capitula ferentes, sphæricæ ferè rotunditatis, in quibus multi cœrulei flosculi albicantibus staminibus prædìti: sub ipsis autem capitibus novem aut plura, oblonga, angusta, aculeata foliola, stellæ instar expansa: ipsa porro capitula cum summis ramulis, supremáque caulis parte, interdum vetustate cœruleum prorsus colorem adquirunt. *Radix* in novellis plantis digiti crassitudinem & longitudinem æquat, aliquot fibris donata, foris subhirsuta, intus alba, carnosa, gustu dulcicula, perinde ac Eryngii marini radix: vetustate subinde grandescit, & in plures alias radices extuberat, singulis annis ex lateribus frequentiores caules proferens: aliquando tamen hoc in ista planta observabam, ut producto semine subsequens hyems illam prorsus corrumperet, præsertim cultioribus locis.

Frequens nascitur in pratis ad Danubium supra infráque Viennam sitis, & in hortos illatum feliciter provenit. Floret Junio & Julio. Nos hanc speciem nonnunquam invenimus sponte ortum. *Locus & Tempus.*

* 8. *Eryngium capitulis Psyllii ex Sicilia* Bocconi.

Bocc.

Ad Eryngii plani genus pertinet: quòd capitulis Psyllii proveniat sic appellavimus. Constat enim *radice* tuberosa, ad Raphani formam accedente. Cùm primùm *folia* oriuntur sunt glabra, rotunda, indivisa, sed per oras laciniosa, longissimis & capillorum instar tenuissimis pediculis pendentia. *Caulis* pedalis, *capitulis* in summitate & caulium alis spinosis, Psyllii quodammodo æmulis, è quibus *flosculi* prodeunt purpurei. Subsunt etiam singulis horum capitum foliola angusta, longa, dura & pungentia, multo longiora iis quæ in vulgari conspiciuntur.

Locus. In neglectis agris & aridis utplurimum locis magnâ copiâ nascitur circa *Saccam, Panormum & Agrigentum, &c.*

9. *Eryngium Alpinum latis foliis, magno capite, oblongo, cæruleo* J. B. *Alpinum cæruleum, capitulis Dipsaci* C. B.

J. B.

Plurium capitum est *radix* pollicaris terram versùs comosa. *Folia* prima plusquam cubitalibus nixa capitulis, Calthæ palustris, eodem modò propter pediculum falcata, sed mucrone acutiore, per ambitum serrata; alia per caules ad ramorum divaricationem laciniata & profundè incisa, cærulea potissimùm suprema, quemadmodum & caulis ipse cum ramis. Echini magni, oblongi, densissimo creberrimorum cristatorúmque foliorum, cœruleorum, echinum superantium vallo latent medii.

Locus. J. Bauhinus hoc genus reperit in monte *Thuiri* florere incipientem Julii principio: Nos quoque vidimus Genevæ delatum ex montibus vicinis, non tamen in loco natali ortum, quamvis sedulò perquireremus.

* 10. *Eryngium trifolium* Park. **Trefoil Eringo.**

Park.

Multa initio à *radice* Rapunculo simili, aromatica emittit *folia* longa, angusta, dura, interdum tripartitò divisa: quæ verò caulem ad intervalla obsident pleraque omnia tribus foliis seu laciniis ad pediculum junctis componuntur, ut in trifoliis. Summos caules occupant duo aut tria capitula Eryngii montani plani similia, quorum bases foliola angusta circundant. *Semen* quoque illius simile parvum, latum & oblongum.

Vires. Radices Urinam cient & Venerem irritant.

Hæc Parkinsonus, qui nec unde, nec à quo hanc plantam habuerat meminit. Fortè Guil. Boelius ex Africa aut Hispania detulit.

Præter species suprascriptas aliam adhuc vidimus in horto D. Berardi pharmacopolæ Gratianopolitani, *foliis* imis subrotundis, profundè tamen incisis, in tres præcipuè partes seu lacinias insigniores, circa margines spinosis, colore (quantum meminimus) glauco Eryngii marini: *caule* brevi foliis paucis in angustas lacinias ad pediculos usque divisis, segmentis in acutas & rigidas spinas exeuntibus, donato. *Capitula* oblonga fuere ex aculeatis squamis composita, & ad basin foliolis angustis, oblongis acuminatis, utrinque spinosis obvallata.

HISTO-

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER NONUS.

QUI EST

De Plantis flore perfecto seminibus nudis solitariis: Deque UMBELLIFERIS.



PRIMI generis Plantas quoniam ob paucitatem suam uni libro complendo non sufficerent, Umbelliferis præmittendas duximus.

Præmittendas, inquam (nam & alii ante nos, iique probatissimi Botanici, partim ob nonnullarum cum Umbelliferis convenientiam in foliis, partim ob similem in aliis florum dispositionem, in muscariis Umbellas mentientibus, eas Umbelliferis subjunxerunt) ob ordinem seminum singulis floribus succedentium, quæ in hoc genere singularia sunt seu solitaria, in Umbelliferis bina.

PARS PRIMA.

De Herbis flore imperfecto, seminibus nudis, solitariis, hoc est, ad singulos flores singulis.

Hujus generis plantæ characteres genericos adeò insignes & velut fronti impressos ac spectantibus obvios gestant, ut nullo negotio tum à se invicem, tum ab aliis omnibus queant distingui. Ii sunt in

Valeriana semina papposa, ut alios omittam.
Valerianella Caulis & ramuli dichotomi.
Plumbagine locus maritimus, caules foliosi, flores speciosi, colorem mutantes.
Limonio pariter locus maritimus, at caules nudi, flosculi parvi.
Mirabili Peruvianâ Ramuli alternatim è foliorum adversorum sinubus egressi; flores monopetali speciosi, in eadem planta diversicolores, caduci.
Linaria adulterina flores in summis ramulis pentapetali, fructui insidentes.
Passerina Tragi Fructus in aliis foliorum sessiles, folia Linariæ.
Agrimonia flores hexaphylli, fructus lappacei cum duobus in singulis nucleis; folia pinnata.
Circea flores dipetali, fructus pariter lappacei, folia integra.
Pimpinella sanguisorba folia pinnata, flores & semina in spicis densis, semina quadrata, quibus flores insident tetrapetali staminosi.
Thalictro folia Umbellatarum modo divisa, flores staminosi, semina ut in Umbelliferis striata.
Fumaria Folia composita, flores spicati, ad papilionaceas accedentes, in calcar retrorsum producti, pediculo è media parte egresso hærentes.

CAP. I.

De Valeriana.

VAleriana à Valerio neſcio quo dicta exiſtimatur: aliis à valore ſeu valentia, quia multis & inſignibus facultatibus valet.

Characterum abunde habet quibus ab aliis herbarum generibus facilè poſſit diſtingui. Ii ſunt Caulis teres concavus, foliis ad intervalla binis adverſis cinctus: Flores monopetali velut in umbella: Semina ad ſingulos flores ſingula, nuda, pappo innaſcente alata.

1. *Valeriana major odorata radice* J. B. *hortenſis* Ger. *hortenſis, Phu Oluſatri folio Dioſcoridis* C. B. *Phu majus ſive Valeriana major* Park. **Great Garden Valerian or Setwall.**

Caules huic bicubitales, teretes, glabri, inanes, foliis veſtiti per intervalla longiora ex adverſo binis, latis pediculis caulem amplexis, aliis [primo ſcil. erumpentibus] integris, aliis Centaurii majoris modo profundè diſſectis & velut alatis. Ex alis foliorum versùs caulium ſummitates erumpunt *ramuli*, in quibus ut & in ſummis caulibus *flores* velut in umbellis, parvi, albi, ex oblongo tubo in quinque ſegmenta rotunda expanſi, totidem ſtamina apicibus albis donata cum ſtylo tricuſpide continentes. Singuli autem flores ſingulis inſident *ſeminibus*, oblongis, compreſſis, in acutum deſinentibus, colore citrino, in divaricatione ramulorum umbellas componentium abſque pediculis ſeſſilibus. Dilapſo flore in apicibus ſeminum ſe explicat lanugo papposa, in orbem radiata, velut in Hieraciorum ſeminibus, cujus ope vento huc illuc deferuntur. Ad ſingulas Umbellarum diviſiones & ſubdiviſiones apponitur hinc inde foliolum anguſtum, oblongum, acutum. *Radix* ſubeſt tranſverſim poſito, digiti craſſitudine, rugoſa, multis fibris donata albicans, ſapore & odore aromatico radicum ferè Aſari.

Locus. In hortis plurimùm colitur: Reperitur etiam in quibuſdam altis montibus in ſylvis. *J. B.*

Vires. Radix ut & herba ipſa Alexipharmacæ, ſudoriferæ, ac diureticæ ſunt. Uſus præcip. in imbecillitate viſûs, peſte, [hinc miſcentur Antidotis, Theriacæ & Mithridatio] aſthmate, vetere tuſſi [cum dulci radice uvis paſſis & Aniſo decoctæ] pleuritide, obſtructione Hepatis [ictero] Lienis, Ureterum, Hernia, &c. Extrinſecus confortant viſum, maculas oculorum abſtergunt [in aqua aut vino decoctæ & guttatim inſtillatæ] cephalalgiam ſedant, menſes cient, ſudorem promovent [in balneis] exſiccant, catarrhos [ſuffitu] bubonum ac Anthracum malignitatem corrigunt, globulos ſagittáſve extrahunt; ulcera inveterata mundificant. Hæc omnia Schroderus, & nimis ſanè multa. Audiamus C. Hofmannum; non opus habes (inquit) honoratis illis titulis, quibus Dodonæus illam onerat. Hoc imprimis certum eſt valdè diureticam eſſe.

Pulvis radicis hujus plantæ ſponte ortæ, antequam caulem edat cochlearis dimidii menſurâ cum vino, aquâ, lacte, aut alio quovis decenti ſucco ſemel aut bis ſumptus Epilepſiâ correptos liberat, ſiquidem ἄνω & κάτω purgat. Hujus vim & in aliis multis, & in ſemetipſo expertus eſt doctiſſimus & veraciſſimus F. Columna, & confirmat Panarola. Sylvius quoque plus ei tribuendum putat quàm Pæoniæ, ut quod ſale volatili abundet.

Noſtrates vulneribus levioribus folia trita imponunt, unde à nonnullis **Cut-finger** appellatur.

A. 2. *Valeriana ſylveſtris major* Ger. C. B. Park. *Sylveſtris magna aquatica* J. B. **Great wild Valerian.** *Q. An Valeriana ſylveſt. major montana* C. B. *ab hac ſpecie differat?*

J. B.

Radix ex pluribus compoſita eſt fibris, albis, guſtu aromaticis, reptatu ſubinde ſeſe propagantibus. *Caules* ad humanam altitudinem exurgunt, recti, fiſtuloſi, longis internodiis intercepti, ſtriati, modicè hirſuti, quorum genicula amplexantur baſi ſua folia Valerianæ ſativæ, magis pinnata, pinnulis ad margines dentatis, ſaturatiùs virentia, nonnihil averſa parte hirſuta. *Flores* in umbella, ſativæ ſimiles, ex albo purpuraſcentes, ſinguli è longo tubo in quinque ſegmenta totidem folia imitantia aperiuntur, pediculis autem carent, & in ipſa ramorum divaricatione ſedent: ſinguli quoque ſeminibus inſident ſingulis, nudis, lata baſi, acuto mucrone, umbellâ lanuginoſâ radiata, cujus beneficio vento aſportantur.

Locus. In humectis locis & propè aquas, inque ſylvis & dumetis non rarò invenitur.

Vires. Hæc, autore Dodonæo, ruptis, convulſis, ex alto præcipitatis utilis eſt. Sed & folia ad oris & gingivarum cum inflammatione exulcerationes & aphthas prodeſſe dicuntur. Aiunt & radices aridas tusáſque drachmæ pondo cum vino ſumptas infra ſupráque purgationes moliri: ſuperius diximus Epilepticis conducere.

A. 3. *Valeriana minor* Ger. *ſylveſtris minor* Park. *paluſtris minor* C. B. *minor pratenſis vel aquatica* J. B. **Small wild or Water-Valerian.**

J. B.

Radice tenui ſerpit, quáque terram attingit è geniculis demiſſis fibris majuſculis albis, fibrillis ſuis capillatis radicatur, ſapore amaricante. *Caulis* dodrantalis, anguloſus, ſtriatus, cavus, geniculis aliquot interceptus umbellam ſuſtinet florum ex candido rubeſcentium, ut in Valeriana ſylveſtri majore,

majore, minorem tamen; quorum singulorum oræ in quinque lacinias minutas reflexas divisæ, apice altiusculo, tricipite: Sed & umbella interdum ex foliorum cauliculi alis prodit. *Folia* alia integra, subrotunda parva, pediculo longo; alia, ut ea plerunque quæ in caule conspiciuntur, bina opposita, pediculorum expertia, ima parte laciniata & quasi pinnata, superiore integra & oblonga, sapore nonnihil amaro & viscido. Singulis flosculis, ut in reliquis hujus generis, singula succedunt *semina* pappo innascente alata.

In palustribus & ad rivulos ubique frequentissima est. *Locus.*

A. 4. *Valeriana aquatica minor flore minore.* **The lesser wild or Water-Valerian, with a small flower.**

Hæc præcedente nonnihil major est & elatior. *Caulem* habet majorem & firmiorem: *Folia* quoque majora & magis conferta. Tres plurimùm in caule foliorum pinnatorum conjugationes obtinet, cùm superior duas tantúm. *Flores* in hac specie densiùs in corymbum stipati, in illa laxiùs diffusi in umbellam, & quo maximè ab ea differt quintuplo quàm illius [præcedentis] minores. Ex superiore foliorum conjugatione in hac specie surculos florum umbellas parvas sustinentes nondum exeuntes vidi, quod in illa frequentissimum est: quinetiam flores pallidiores sunt.

Iisdem cum præcedente locis oritur, eodemque tempore floret. *Locus.*

C. Bauhinus duarum aliarum Valerianæ palustris specierum meminit. Primam vocat *Val. palustrem majorem profundè laciniatam*: alteram *Val. palustrem inodoram parùm laciniatam*, quæ à palustri minore vulgari non alia in re differt quàm quòd folia ad radicem minimè laciniata sunt, verùm integra omnia; quarum descriptiones apud ipsum in Prodromo vide.

5. *Valeriana rubra Dodonæi* Ger. Park. *rubra* C. B. *latifolia rubra* J. B. **Red Valerian.**

J. B.

Digitali circiter *radice* nititur, lignosâ ferè, sapore Valerianæ: è qua *caules* surgunt cubitum & sesquicubitum alti, teretes, leves, colore cæsii, fistulosi: ad quorum singula genicula *folia* bina adversa, ex lata basi caulem amplexantia, in acumen desinentia, laciniis quibusdam subinde donata, pinguia, glauca, quorum quæ minora sunt plurimùm referunt Papaveris spumei vulgò dicti folia; sunt autem sapore subacri. *Flores* in muscariis dependent, perquàm conferti, amœni, colore purpurascente, quorum singuli quinquepartiti, oblongo sed admodum tenui tubulo, virenti pedicello agglutinantur, corniculum insuper calcaris instar protendentes: *Semen* papposâ cristâ Valerianæ modo succedit.

Messanæ in muris antiquis oritur: in Italia quoque locis plurimis è muris & saxorum rimis erumpit. Æstate floret. Variat interdum in hortis satis floris colore albo. *Locus.*

6. *Valeriana rubra angustifolia* C. B. J. B. Park. **Narrow-leaved red Valerian.**

J. B.

Valerianæ rubræ latifoliæ similis est quod ad *flores* suave-rubentes, calcari donatos, in pappum abeuntes: *caulis* quoque bicubitalis, persimilis: At quæ per eum conspiciuntur *folia* plurimùm differunt, sunt quippe palmi fere longitudine, latitudine culmi, in acumen desinentia. Valdè ramosa est & fruticosa.

Ubi J. Bauhinus eam reperit, ibi & nos quoque, nimirum Nantuæ Sabaudorum, in colle extra portam quà itur Genevam ad dextram. Provenit quoque copiosè in rupibus montis Lupi propè Monspelium. *Locus.*

7. *Valeriana Alpina foliis integris, radice repente inodora.* **Mountain-Valerian, with undivided leaves.**

Radices huic longæ, fibris donatæ, repentes, germina subinde protrudentes: *Folia* Valerianæ aquaticæ aut Violæ, ex rotundo oblonga, pediculis longis insidentia, non laciniata, nè illa quidem quæ in caule existunt, obiter nonnunquam dentata: *Caulis* pedalis, teres, striatus, concavus, duplici utplurimum foliorum pari vestitus. *Folia* hæc pediculis vel nullis, vel brevibus donantur; longiora quidem sunt & acutiora iis quæ ad radicem, non tamen laciniata nè ad pediculos, verùm Valerianæ rubræ Dodonæi foliis similia, in omnibus quas mihi observare contigit plantis. Flores in summo caule velut in umbellam exiguam compacti, albentes, Valerianæ sylvestris simillimi, uti sunt & semina. *Radix* nec saporem, nec odorem, quem quidem ego percipere potui, aromaticum habuit.

Hæc planta in monte Saleva propè Genevam satis copiosè provenit: æstate floret. A Nardo Celtica odoris carentiâ distinguitur, ut & à Valeriana minima Nardifolia. *Locus.*

* 8. *Valeriana Alpina minor* Park. *Alpina angustifolia* Ger. *Alpina Nardo Celticæ similis* C. B. *An Valeriana minima Nardifolia* J. B?

Clus.

Huic bina aut terna è radice exeunt *folia*, Bellidis montanæ foliorum pænè æmula; è quorum medio *caulis* assurgit pedalis, rara habens folia, inter se opposita, angustiora & minora. Supremus caulis in ramulos finditur, qui *flosculos* sustinent albos, reliquis Valerianis sylvestribus similes: *Semen* quod subsequitur non etiam diversum: Ejus *radix* aliarum Valerianarum Alpinarum modo, in saxorum ferè commissuris serpit nec minus odorata est proximè sequentis radice.

Provenit inter saxa ad fluvium Myrtz, quod monasterium Neuberg alluit. *Locus.*

9. *Valeriana Alpina* J. B. *Alpina prima* C. B. *Alpina latifolia* Ger. emac. *Alpina major sive latifolia* Park. Mountain Valerian with Throatwort-leaves. *Valeriana Trachelii folio* Hort. Pat.

Radice longa, odorata, subdulci, scopulorum rimis se infigit, altè impacta. *Folia* ad radicem Trachelii majoris foliis persimilia, oblonga, è basi latiore in acutum mucronem desinentia, circa margines quodammodo serrata aut dentata, obscuriùs virentia [C. B. pallidè virentia] glabra, nervis majoribus, pediculis longis appensa. *Caulis* cubitalis, teres, concavus, rubescens, [sapore resinoso, acriusculo *J. B.*] tria quatuórve obtinet foliorum paria, pediculis brevibus aut nullis, angustorum, geminis pinnulis seu auriculis donatorum. [Flosculi in umbellam digesti, plurimi, minuti, purpurascentes ut Valerianæ sylv. minoris *J. B.*] Radix & aliæ etiam plantæ partes odorem expirant Violæ, satis vehementem, qui à longinquo sentitur, saporem etiam habent aromaticum.

Locus & Tempus. In sylvosis ad latera montis Salevæ propè Genevam invenimus. Hujus plantæ descriptiones apud Clusium, J. Bauhinum & Casparum fratrem in nonnullis discrepant. Fortè ratione loci variat nonnihil & faciem mutat.

Planta J. Bauhino descripta in monte Saleva reperta est, Aprilis principio florens: Nostra quoque cùm eam invenimus mense Junio jam defloruerat. At quam C. Bauhinus in monte *Wasserfall* collegit Julio floruit.

* 10. *Valeriana Alpina Scrophulariæ folio* C. B. J. B. *An eadem cum præcedente? atque etiam cum Valeriana altera* C. B?

C. *B.*
Radice est nigricante, aliquantùm torosâ, nodosâve: *caule* cubitali & sesquicubitali, unico [interdum pluribus] cavo, striato, viridi: *foliis* senis, septenis, longis pediculis donatis, quorum quædam subrotunda, quædam oblonga, quædam leviter sinuata: at quæ caulem cingunt pauca sunt, Scrophulariæ foliis æmula, uncias tres longa, sesquiunciam aut unciam lata, acuminata, leviter crenata, bina semper juncta. Caulis in summo in longas, tenues alas brachiatur, quibus *flores* pallidè rubentes, Valerianæ sylvestri similes insident.

Locus. In monte *Wasserfall* collegimus.

Videtur (inquit Clusius) utramque [hanc & præcedentem] una descriptione & figurâ expressisse, Valerianæ sylv. Alpinæ primæ latifoliæ nomine. Et tamen in Pinace hanc Clusii Valerianam ab utraque specie distinctam facit.

* 11. *Valeriana bulbosa* J. B. Imper. *An Nardus Cretica* Belli? *Nardus Cretica Filipendulæ radice* C. B? *Valeriana Cretica tuberosa* Park? *Nardus montana Cretica* Alpin. exot.

Prima emittit folia Hyoscyami albi æmula, sed paulò minora, at sequentia profundè dissecta. *Flores* quales Valerianæ majoris. *Radix* subest singularis, bulbosa, Nardum spirans. Quapropter Nardo montano simillima cùm forma, tum odore.

Locus. Incola est montium Liguriæ.

Nardum suam Creticam H. Bellus ep. 4. ad Clusium sic describit:

Herba est Valerianæ simillima, odore, caule, flore, & forsan etiam semine, quod longiusculum & depressum est, figura ad Lini semen accedens, & in pappum desinens. *Folia* prima herbacei sunt coloris, rotunda at Asari esse videantur, interdum majora, crassa, succi plena; quæ deinde subsequuntur paulò longiora sunt & nonnihil incisa, quibus alia magis secta succedunt, & similiter alia, ut tandem ultima, antequam caulis emergat, Valerianæ majoris folia rectissimè æmulentur. *Caulem* Valerianæ persimilem habet, concavum, ad sesquicubitalem altitudinem assurgentem, quem bina folia Valerianæ divisurâ utrinque per intervalla ambiunt: *flores* albos in Umbellis, Valerianæ similes, majores aliquantulum, odoratos: *radicem* tuberosam; ex primaria enim cui Caulis nititur, minimíque digiti est crassitudine & longitudine, tenues quædam radices per terram sparguntur, quibus aliæ tuberosæ adnexæ, ut in Filipendula, Nardi odorem referentes. Tota hyeme viret, & novo vere caulem emittit, qui Aprili aut Maio marcescit & exiccatur; tota autem hyeme radices sub terra latent, & Autumno primis imbribus germinare incipiunt.

Locus. Oritur humentibus collium locis, invenitúrque etiam inter saxa.

* 12. *Valeriana tuberosa* J. B. Imper.

Folia producit effigie simillima Valerianæ minoris, sed crassiora: *flores* albos instar majoris, aliquantum odoratos. *Radices* tuberosæ odorem referunt Nardi.

Locus. Nascitur in montibus Liguriæ.

Has tres Valerianas tuberosas specie inter se distingui vix possum à meipso impetrare ut credam: mihi pariter ignotæ sunt, proinde plura non habeo quæ de iis dicam.

* 13. *Valeriana annua Clusii* Ger. *annua sive æstiva Clusii* Park. *foliis Calcitrapæ* C. B.

Clus.
Hæc statim à radice multa *folia* promit, humi diffusa, viridia, instar foliorum Calcitrapæ vulgò appellatæ, sive Cardui muricato capite, laciniata, inter quæ prodeunt aliquot *caules*, rotundi, cavi, ramosi, binos cubitos ferè alti, virentes, quem ad singulos nodos utrinque ex adverso amplectuntur *folia* inferioribus minora, laciniata etiam, Valerianæ sylvestris vulgatioris foliorum æmula.

Summis

Summis ramis extremóque caule sustinentur tanquam umbellæ *florum* quinque foliis constantium, non dissimilium floribus Valerianæ Indicæ, coloris rubri dilutioris, ad carneum tendentis: in ramulos excrescunt tandem illæ veluti umbellæ, & *semen* ferunt quale pæne Valerianæ rubræ sed minus. *Radix* alba & satis lignosa, quam tamen subsequens hyems corrumpit.

Floret æstate, & subinde in autumnum usque floribus & semine onusta conspicitur. *Tempus.*

14. *Valeriana annua Sicula quæ à præcedente diversa videtur. An Valeriana minor annua* Park? *Alpina minor* C. B.

Radix ei simplex, mollis: *Caulis* singularis, erectus, quadratus, ab imo statim ramosus: *Folia* bina ex adverso ad singula internodia Valerianæ sylvestris majoris, laciniata. *Flores* parvi, purpurei in extremis ramulis, alii supra alios alternatim scandentes. Color totius plantæ ruber; Sapor amarus.

In promontoriolo *Punto Cerciolo* dicto in Sicilia. *Locus*

Cap. II.

De Valeriana Nardo Celtica dicta.

* 1. *Nardus Celtica* J. B. Ger. *Celtica Dioscoridis* C. B. *Alpina* Clus. *Nardus sive Spica Celtica* Park.

Clus.

Integros interdum cæspites occupat serpendo *radix*, & latè summa tellure sese inter muscum diffundendo: oblongi procumbentésque humi *ramuli*, tenues, plurimis veluti foliolis aut siccis squamis circumsepti, subinde fuscas & nonnihil capillatas fibras agunt, summa parte in unicum aut bina ternáve extuberant *capitula*, aliquot longis, secundum caput angustis, deinde in latitudinem paulatim se laxantibus foliis, satísque crassis & succulentis plena, colore dum primùm emergunt viridi, deinde sub autumni initium aut æstatis finem flavescente, gustu amariusculo: palmaris aut dodrantalis, nonnunquam etiam major, inter ista emergit *cauliculus*, satis firmus, ut in minutioribus Valerianis sylvestribus geniculatus, bina ad singulos nodos habens inter se opposita exigua foliola; cui circa summum ex singulis alis enascuntur pedicelli, binos aut ternos *flosculos* coloris pallidi sustinentes, quibus succedunt semina Valerianæ sylvestri Alpinæ, saxatili præsertim [Valerianæ minimæ Nardifoliæ] proxima, paullo tamen minora. Tota planta aromatica est, & radicum Valerianæ sylvestris odorem æmulatur.

Copiosè provenit (inquit J. Bauhinus) in Alpibus Germaniam ab Italia dispescentibus. Montosis gaudet Genuensibus, Liguriæque Alpibus sterilibus. *Locus.*

Autore Clusio, copiosè nascitur in summo *Judenberg* Stiriacarum Alpium jugo inter muscum, saxosis locis. Ibi mense Augusto floret sub ipsis ferè nivibus, folia deinde promit cùm illa dissolvere & diffluere incipiunt. Legitur autem ab incolis sub Augusti finem & Septembris initium cùm folia flavescere incipiunt, tum enim summam habet odoris gratiam, quâ caret cùm folia primùm promit, & adhuc viridis est.

* 2. *Nardo Celticæ similis inodora* C. B. *An Nardus Celtica altera* ejusdem? Park. *repens* Ger?

C. B. Prod.

Radiculâ est oblongâ, rufescente, capillata; ex qua *folia* aliquot oblonga, in latitudinem paulatim sese laxantia, longis pedicellis donata, viridia primùm, dein flavescentia exurgunt; inter quæ *cauliculus* tenuissimus, palmaris, rariùs altior effertur, circa cujus medium *foliola* duo oblonga angustissima: cauliculus in pedicellos abit, qui *flosculos* oblongos pallidos, ut in Celtica, sustinent, qui in *semina* exigua abeunt. Inodora est.

Hanc in Baldo & Alpibus Sumano conterminis legit C. Bauhinus. *Locus.*

* 3. *Nardus ex Apulia* C. B. *Saliunca Neapolitana, sive Nardus ex Apulia* Park. *Nardus sive Saliunca Neapolitana* J. B.

J. B. Lugd.

In tam exigua planta conspicua est *radicis* crassities rugosæ, utcunque flavescentis, fibris capillatæ, in nodos extuberantis, è quorum lateribus hinc indè folia prodeunt, ut ex ea figura serpere radicem & editis illis nodis se propagare non abs re existimem. *Folia* illa oblonga sunt, angusta, Plantagini utcunque similia, infernè arcta, supernè latiora. Sapore & odore Planta ista Valerianam refert, ut non dubitem ob odoris suavitatem egregiis adversus morbos varios facultatibus præditam esse, ac Folii loco substitui posse.

Ex brevi hac & imperfecta descriptione non certò scimus quò referenda sit hæc planta, suspicamur tamen eandem esse Nardo montanæ Clusii.

* 4. *Nardo Celticæ similis Hirculus* J. B. C. B. *Hirculus* Ger. *Hirculus Clusii* Park.

Clus.
Plantula est Nardo Celticæ similis, candidior tamen, & veluti ex viridi cinerea, sine cauliculo, minoribus brevioribúsque *foliis*, villosa admodum secundùm radicem & nigricans, nulla odoris jucunditate. Folia præmansa nullum aromaticum saporem reddunt, sed lenta & viscida sunt, cùm Nardi Celticæ folia calida sint, cum aliqua tamen adstrictione, odore saporéque jucunda.

Ex brevi hac & imperfecta descriptione non constat ad quodnam genus referenda sit hæc planta: utcunque hic locum habere permisimus, nè quid in Historia nostra desiderari Lector quereretur.

* 5. *Nardus montana radice olivari* C. B. *Nardus montana* Ger. Clus. *montana tuberosa* Park.

Clus.
Tuberosam habet *radicem* quæ quotannis adnatis aliis valdè se propagat, multísque & quasi capillaribus fibris, infima parte & summo capite prædita est, ex qua *stolones* oriuntur *foliis* ex atro-virentibus supernè & splendentibus, nec in ambitu serratis infima parte onusti, deinde aliis in lacinias dissectis, uti pænè Valerianæ majoris folia, sed minora, quóque stolones magis adolescunt, eos magis dissecta vestiunt folia, ex adverso semper sita. Summo caulis fastigio confertim nascuntur *flores*, Valerianæ sylv. floribus non dissimiles, odorati, minùs tamen quàm radix, quæ sylvestris Valerianæ radicum odorem valdè æmulatur.

Locus. Neapoli è monte Virgineo erutam ad Clusium misit Fer. Imperatus.

Nardum montanam radice oblonga *C. B.* cum Parkinsono nostro huc omnino referendam censeo, cùm radix vel ratione loci vel ex aliquo accidente facilè variare possit.

Vires. Nardus Celtica calfacit & siccat, viriúmque earundem est cum spica Indica: majore tamen cum utilitate adhibetur in urina cienda, ventriculo roborando, flatibus discutiendis. Extrinsecùs additur malagmatis unguentísque calefacientibus. *Schrod.* Pannonibus frequens ejus usus est in capitis lotionibus.

Nobis ut genere & facie externa cum Valeriana, ità & viribus convenire videtur.

CAP. III.

De Valerianellis.

OB aliqualem formæ similitudinem Valerianis accensentur hæ plantæ. A Valerianis tamen genere differunt, cùm semina papposa non habeant, prout illæ. Præterea caule dichotomo seu in binos ramos semper divaricato non à Valerianis solùm sed & ab aliis omnibus quas novimus herbarum generibus differunt, & primo statim aspectu dignoscuntur.

A. 1. *Valeriana campestris inodora major* C. B. *Lactuca agnina* Ger. Park. *Locusta herba prior* J. B. **Lambs Lettuce or Corn-Sallet.**

J. B.
Parùm interdum palmum superat, aliàs dodrantalis, *radice* donata tenui, ad imum fibrosa, gustu subdulci & ferè insipido: *folia* tenera & delicata, longitudine semunciali, unciali aut sextantali, latitudine trientem unciæ parùm excedentia, colore herbaceo, subrotunda, nullo pediculo appensa, sapore ferè eodem cum radice; à qua unica *caules* plures, angulosi, tenues brachiati, binâque ramulorum conjugatione semper divisi. Inter foliola summorum ramulorum *flosculi* simul aliquot pulchelli, albidi aut dilutâ purpurâ languentes, oblongi, in quinque lacinias dissecti *apices* amplectuntur tenuissimos, obtutum ferè fugientes. *Semina* rotunda, compressa parumper, in summo acuta, & per obliquum rugis quibusdam exarata, albicantia, satis magna pro plantulæ modo, atque antequam perfectè siccescant defluentia.

Locus. Frequens est in agris, vineis & hortis, teste Tabernam. & experientiâ.

Vires. Refrigerans est hæc herba & nonnihil humectans, facultate ac temperamento Lactucæ haud dissimilis; cujus loco hybernis & primis Veris mensibus infertur, ac cum aceto, sale & oleo jucundè editur, velut alia acetaria, inter quæ haud postremum locum obtinet. *J. B.*

Agni hujus pastu multùm delectantur & juvantur impinguantúrque, ut aiunt, unde nomen Lactucæ agninæ obtinuit.

A. 2. *Lactuca agnina seu Valerianella foliis serratis. Locusta altera foliis serratis* J. B. *An Valeriana sylvestris foliis tenuissimè divisis* C. B? **Small Corn-Sallet or** Valerian **with jagged leaves.** *An Valer. min. annua* Par?

Radix ei simplex, alba, paucis fibris donata, tenuis. *Folia* quàm Lactucæ agninæ vulgaris minora & angustiora; quæ in superiore caulis parte existunt [ad divaricationes scilicet] ex adverso bina, altiùs incisa seu serrata. *Caulis* dodrantalis & interdum pedalis, erectus, rigidus sed tamen tenuis, striatus, subhirsutus, in binos ramos divaricatur, & hi rursus in binos ramulos, & deinceps

ramuli

ramuli in binos surculos, &c. nam Planta hæc divisione sua semper dichotomiam observavit. *Flores* in summis ramulis plures simul, parvi, purpurascentes, in quinque folia seu potiùs lacinias divisi. *Semina* pro plantæ ratione satis grandia, per maturitatem ex ruffo fusca, nonnihil striata, figurâ ferè gigarti seu vinacei, sed multò minora.

Inter segetes non admodum infrequens est. A Lactuca agnina differt, quòd elatior sit, quòd folia angustiora obtineat & ad basin serrata; denique quòd seriùs floreat, circa finem scilicet Junii. **Locus.**

Folia hujus non sunt tenuissimè dissecta, ut vult C. Bauhinus.

An Valerianellæ vulgaris species major serotina *Moris. prælud.*

Locus inter segetes, & tempus florendi serotinum, & altitudo pedalis, & figura erecta conveniunt.

* 3. *Valeriana echinata* C. B. *Valerianella cornucopioides echinata* Col.

Col.

Ex *radice* tenui, admodum Vulgari simili, flavicante, parùm odora, atque gustu Valerianæ, *folia* emittit brevia, vulgatæ non dissimilia, minora parùm, atque lævia, Valerianam sylv. minorem æmulantia, binos aut ternos per ambitum sinus habentia Hieracii lanosi modo, semidigitum lata, longa verò duas uncias quæ imo cauli hærent, magísque profundè serrata.

In alis quidem, quà hærent latiora, & in lobos utrinque magis scissa & majora, ut alata videantur: eodémque modo superiora, sed minora sempérque decrescentia. *Caulis* duas uncias longus, geniculo in medio interceptus, in quo folia bina ex adverso opposita ut in reliquis, (è quorum alis ramuli exeunt quod notandum) compressus, lævis, canaliculatus, in summo bifurcatur lævibus, cavis & expansis ramis, divisione sua dichotomiam semper observantibus, atque circa divaricationum geniculos semper crassescentibus; in quorum summo velut tubuli parùm compressi, etiámque canaliculati, crassiores, latiores brevioresque cæteris internodiis, inversam pyramidem effigiantes, latiores scilicet in summo & crassiores, angustis foliolis exiguis alati insunt; in quibus [veluti fructus in Cornucopia] *capitula* sunt, basin foliaceam quodammodo habentia, floribus confertis exiguis Valerianæ aut Nardi flosculos æmulantibus, ex purpuro-cœruleo albicantibus, supra fructus corniculatos, brachiatos & aduncos insidentibus composita. Quibus Junio mense decidentibus, atque fructibus crassescentibus majora fiunt cornicula, duriora & flavicantia vel pallentia, remanéntque cornicula densa, copiosa atque adunca per orbem, atque tam floribus quam fructibus onusta planta Cornucopiam æmulatur cacuminibus.

Est & inter binos tubulos summos in qualibet ala interceptus fructus etiam, qui veluti compressus ob loci angustiam inter illorum sinus conspicitur oblongior cæteris. Æstate perficitur. Planta tota pedalis est altitudinis, nec minus latitudinis occupat coma summa expansis alis.

In montanis umbrosis udis oritur, ut propè Podium Poponiscum Æquicolorum castellum Comitatûs Marerii dicti, & in Valuensium montibus. **Locus.**

4. *Valeriana semine stellato* C. B. *Valerianella altera tenuifolia, semine Scabiosæ stellato* Col. *Valeriana petræa* Park. Ger.

Col.

Radicis formâ aliisque qualitatibus supra scriptas æmulatur. *Folia* ei angustiora, minúsque incisa sunt in imo; at è medio caule erumpentia quatuor laciniis longis dividuntur, Nardi vel majoris Valerianæ ritu Vulpis umbram sine capite describentia: quæ verò juxta alas hærent quinquepartita aut trifida sunt, angusta & longa, Ajugæ divisurâ & magnitudine, atque in summo tenuiora. *Caulis* semipedalis est, rectus, solidus, purpurascens, supernè brachiatus, bifidum ordinem in alarum divisione servans, juxta folia (ex adverso posita) canaliculatus sicuti & alæ. In summo totius plantæ sexdecim insunt umbellulæ, eæque binæ cohærentes, è floribus confertis, exiguis admodum, ex albo purpurascentibus, tenuissimis staminulis è medio erumpentibus compositæ, fructibus insidentibus utriculorum effigie, qui floribus decidentibus stellati evadunt, sex radiis divisi, in medio parùm cavi, atque Scabiosæ modo cartilaginei, quorum corpus hirsutum est, atque umbilicatum vel fissum tritici modo sed profundiùs.

Æstatis fine perficiuntur atque ruffescunt siccata. Marcescítque planta. Junio florida invenitur. **Tempus &**

Natalis locus idem qui præcedenti: in Apulia quoque Cirinolanis agris Aprili mense observavimus. **Locus.**

Datur hujus varietas seminibus duplo majoribus, quæ Valerianella nostras major Scabiosæ semine. *Moris. prælud.*

* 5. *Valerianella altera nudo umbilicato & lævi semine* Col. *Phu minimum* Ad. *forè minima* Park. *sylv. foliis tenuissimè divisis* C. B?

Col.

Variat hæc à superiore florum basi magis virente, atque angustioribus longioribúsque foliolis constructa. *Floribus* etiam paulò majoribus, sed umbellis minoribus, atque flore & fructu singulis inter summas alas interceptis vulgaris modo & Cornucopioidis: *Fructu* nudo, trigono, lævi, acutiore in summo & quodammodo trifido, sed umbilicato, eodem quo superior modo, etiámque rufescente cùm siccatur. In reliquis cum superiore convenit.

Duplicem varietatem proponit *D. Magnol* in Indice plantarum Monspeliensium, alteram semine rotundo, alteram semine oblongo, utramque inter segetes nascentem; hanc folia albidiora non dissecta, *semen* oblongum, umbilicatum, quàm illius albidius obtinere scribit.

* 6. *Valerianella semine hirsuto extremo umbilicato* Moris. prælud.

Hæc semina gerit uvarum acinis figurâ similia, sed hirta & ad extremum umbilicata, seu magis cava.

* 7. *Valerianella semine hirsuto, minore rotundo* Moris. præl.

Hujus semen est hirsutius prioris seminibus, valdè caucalis minoris semini quoad figuram accedens.

Locus. Sponte provenit in Picardiæ novalibus.

8. *Valeriana Mexicana* Ger. *Indica sive Mexicana* Park. *peregrina seu Indica* J. B. *peregrina purpurea albáve* C. B. *æquo jure Italica possit dici.*

J. B.
Dodrantalis & cubitalis est planta, *radice* nixa tenui, brevi, candidâ, multis fibris capillatâ, sapore amaricante, non sine acrimonia aliqua aromatica. *Caulis* ferè repandus supinúsve magna ex parte, partim erectus, longitudine dodrantali, lævis, concavus, teres, subrubens, striatus, alternis adversísque conjugationibus serie quadam sæpiùs bipartitus. Alarum divaricationibus, (incipienti præsertim) apposita, *folia* bina, priora ex adverso sita, duas trésve uncias longa, unam, rariùs duas, lata, Nardi montanæ similia [Plantaginis latifoliæ, ferè minora,] uberiore nervorum divisurâ, tenera, pinguia, sapore aromatico, quorum quæ superiora minora sunt, & ad exortum denticulis obiter crenata. *Flores* quasi in umbella, inodori, suave-rubentes, interdum albi, ex longo tenuíque corniculo in quina folia dissecti, [quorum duo superiora breviora & latiora, inferiora tanquam labra pendula, & medium reliquis longius] Ocymastri Valerianthi, sed sine calcari: quibus delapsis succedunt *vascula* oblonga, fungosa, articulis distincta, foliolis quibusdam obsepta, crassa, concava, in plures *calices* divisa, in quibus vasculum latitat, velut in foliaceum corniculum bipartitum, in quo *semen* longiusculum.

Locus. Circa Messanam Siciliæ sponte & quidem copiosè oritur; unde non est cur eam ex Indiis accersamus. C. Bauhinus quoque in Latio & in Sabinis provenire audivit; & alibi proculdubio in Europa sponte exit.

Planta hæc revera anomala est, verùm ob caules dichotomos, & quoniam alii eam Valerianellis annumerant, hic relinquendam censui.

CAP. IV.

De Plumbagine seu Dentellaria.

Molybdæna Plinii nobis dicta videtur à plumbeo foliorum colore; aliis quia manûs volam inficit plumbeâ maculâ radix parum detenta Molybdæna Plinii censetur. F. Columna pro Tripolio Dioscoridis habet, cujus rationes apud ipsum vide.

Sui generis planta esse videtur, ideóque non opus est ut assignemus notas generis Characteristicas cùm eæ ex descriptione peti possint.

Plumbago Plinii Ger. *Dentillaria Rondeletii* J. B. *Lepidium Dentellaria dictum* C. B. *Lep. Monspeliacum Dentellaria dictum* Park. *Tripolium Dioscoridis* Col. Leadwort.

Col.
Radix fibris longis, crassis carnosis dividitur, odorata, gustu fervida. *Folia* Glasti, atro-virentia, latiora, pinnis caulem complexa, Glasti vel Drabæ modo, majora atque obtusiora, semper in caule decrescentia, per ambitum denticulis exiguis aspera. *Caules* à medio ad summum in alternos ramos crebrò diductos habet, purpurascentes [*J. B.* nigricantes] striatos, plures ab eadem radice, cubitales & sesquicubitales. *Flores* cacuminibus hærent, acervatim primò congesti, calycibus viridibus, hirsutie crassâ, viscosâ obsitis inclusi, cùm aperiuntur quinquepartiti, colore ex purpuro-cœruleo candicantes, deinde magis colore saturantur purpureo, ut variare videantur, ac postremò clausi & marcescentes puniceo. Puniceus quoque color est in floris tubulo oblongo è calyce tantundem exerti: in quo deinde *semen* oblongum, tritici ferè magnitudine, cortice virescenti, tenui, atque intus libro purpuro-cœruleo chartam inficiente affrictu, quod deinde siccatum in nigrum vertitur, medullâ intus albâ & amarâ. Folia acri sapore sunt, at radix fervida; unde Rondeletius pro Pyrethri radice ad dentium cruciatum mulcendum eâ uti solitus, Dentellariam appellavit plantam.

Tempus & Locus. Æstatis fine & Autumno floret. Circa Neapolin toto maritimo tractu à Neapoli ad Romam, item circa Syracusas in Sicilia, & Monspelium in Gallia Narbonensi copiosè provenit, locis semper meridiei expositis, atque maris afflatui subjectis, quanvis à mari interdum remotioribus, observante Columna; nunquam Septentrionalem plagam respicientibus, quanvis mari propinquis.

Tripolium dictum est quia ter variat seu vertit floris colorem. *Col.*

Molybdæna Plinii nonnullis censetur, quia manûs volam inficit plumbeâ maculâ radix parum detenta.

Equorum

Equorum dorsis sellæ compressione ulceratis contusam & appositam efficacissimè mederi plurimos testatos esse scribit F. Columna, qui in propriis equis experti sunt, nec vermes oriri, & quamprimum exsiccari ulcus atque cicatrizari asseruerunt. *Usus.*

CAP. V.

De Limonio.

Limonium à λειμὼν pratum nomen suum obtinuit, quia irriguis pratis & consimilibus locis gaudet. At Limonium nunc dierum vulgò dictum herba est maritima, in salsis palustribus & clivis maritimis proveniens.

Abundè innotescit & ab aliis plantarum hujus classis generibus distinguitur loco natali & caulibus nudis ramosis.

A. 1. *Limonium* Ger. *majus vulgatius* Park. *maritimum majus* C. B. *majus multis, aliis Behen rubrum* J. B. *tom.* 3. *app.* **Sea Lavender.**

J. B.

Radice crassa, rubente, gustu adstringente, & in capita quædam divisa nititur. *Folia* inde oriuntur Lapathi minora, læviora, politioráque, minùs atra, sed hilari virore tincta: inter hæc *caules* surgunt pedales, tenues, nudi, multis ramis latè diductis patuli, per quos ordine conscendunt *flores* densi, in unam ferè partem vergentes, ex albo cœrulei, parvi, monopetali in quinque lacinias totidem petala imitantes divisi, *calyculis* rubentibus.

Singulis flosculis singula succedunt semina nuda, quibus calyx pro vasculo est, oblonga, rufescentia.

In salsis palustribus inque clivis maritimis frequentissimum est. *Locus.*

Alteram speciem à Lobelio inventam in agris Colcestrensibus prope mare memorant Clusius & Parkinsonus. Gerardus quoque Limonium minus à se observatum scribit in clivis maritimis insulæ *Thanet* propè *Margate*. Nos unam duntaxat Limonii speciem in Anglia sponte provenientem hactenus observavimus, quæ tamen magnitudine insigniter variat ratione loci in quo oritur: major scilicet quæ in palustribus salsis, minor est quæ in clivis & rupium fissuris.

Semen Limonii, ut & herba ipsa, astringit, proinde diarrhœæ, dysenteriæ, hæmorrhagiæ & nimio mensium fluxui medetur, ut Veteres prodiderunt, & Neoterici etiam consentiunt. *Vires.*

2. *Limonium parvum Narbonense Oleæ folium* Lob. *minus maritimum Oleæ folio* C. B. *parvum* Ger. *Narbonense parvum* Park.

J. B.

Facie convenit cum Limonio majore, verùm *caules* humiliores; *flosculi* non ità cœrulei in album magis inclinant, copiosi. *Radix* eadem, dura, rubra, adstringens: folia per terram sparsa, satis crassa, interdum tamen exigua, per extremum rotunda.

Inter salebrosa litora & rupes montis Ceti, & alibi Norbonæ & Gallo-provinciæ saxosis oriri frequentem scribit Lobelius. *Locus.*

Nos in litoribus propè Monspelium duas invenimus Limonii minoris species: alteram minorem & humiliorem cauliculis palmaribus, in plures ramulos divisis, floribus minoribus, copiosioribus, albentibus, è calyculis minoribus canescentibus: alteram majorem, *floribus* majoribus, magis cœruleis, nec ità confertis & copiosis in summis caulibus, è calyculis majoribus, rubentibus. Hujus flores magnitudine, colore, crescendi modo, & calycum colore propiùs accedunt ad Limonium vulgare quàm illius. Hanc speciem esse putamus quam C. Bauhinus in Prodromo describit sub titulo *Limonii maritimi minoris foliolis cordatis* illam, cujus synonyma & descriptionem hoc in loco è *J. Bauhini* Historia dedimus.

3. *Limonium maritimum minus foliolis cordatis* C. B. J. B. *minus foliis cordatis* Park.

C. B. prod.

Ad *radicem* crassam, lignosam, rufescentem, parumque fibrosam *folia* plurima, densa, carnosa, lævia, subrotunda, per terram instar cespitis sparguntur, in quibusdam plantis obtusa nulloque mucrone prædita; in aliis in summo sinum habentia, & cordis formam referentia: inter quæ *cauliculi* plures, inæquales, trium, quatuor etiam sex unciarum, teretes, nudi prodeunt, in plurimos breves & recurvos ramulos divisi, *flosculis* frequentibus, parvis, pallidè rubentibus onusti.

In litore maritimo circa Massiliam & Livornum reperitur. *Locus.*

* 4. *Limonium parvum Bellidis minoris folio* Bauh. pin. *pumilum* Clus.

Clus.

Multis exiguis *foliolis*, Bellidis minoris pænè foliorum instar à summa radice prodeuntibus præditum est, inter quæ *cauliculi* prodeunt frequentes, elegantibúsque flosculis onusti. Ejus *radix* Betæ radici similis erat, minor tamen & subrubra.

Circa

Locus. Circa Valentiam Hispaniæ observavit Clusius: *D. Magnol* in maritimis versùs *Perauls* & Magalonam.

* 5. *Limonium minus annuum bullatis foliis, vel echioides* Botan. Monsp.

Magnol.

Folia multò quàm in Bellide minora producit, plurimis extuberantiis exasperata, subtus rubra. *Cauliculum* habet palmarem, in quo *flores* quinque foliis retusis constantes insunt, pallidè purpurei, cum linea in medio intensiùs purpurea. *Radix* parva, quæ singulis annis perit.

Locus. Oritur in maritimis montis Ceti, & in locis siccis ultra pontem Salenovæ ad dexteram.

* 6. *Limonium lignosum gallas ferens* Bocconi.

Bocc.

Pulcherrimum (inquit) profectò est Limonii hoc genus, etiam bacciferæ Salviæ, in calidis Cretæ locis provenienti, raritate & elegantiâ par. *Radix* ei lignosa, coloris rubri Brasilii, humano crure subindè crassior atque prolixior: ab hac *cauliculi* plures, in multiplices alas distributio, humi sternuntur, Polygoni maris modo, circa quos folia Oleæ vel Halimi vulgaris æmula conspiciuntur, tactu aspera: quandoque unà cum *cauliculis* (supra quàm cuiquam credibile est) numerosâ gallarum seu potiùs nodulorum seu tuberum provenientium copiâ onusta Ramorum pars superior. Ex iisdem gallis nodulisve, atque ex ipsius plantæ foliis sæpenumero procreantur & protruduntur oblonga foliola furcata, versùs extremum ungues avium referentia, ac sursum erecta: quorum è sinu alternatim exeunt *flores* Plumbaginis aut Syringæ cœruleæ florum formâ: Gallæ autem interdum quernæ glandis magnitudinem æquant.

Locus. Agrigenti locis incultis magna fœcunditate luxuriat.

Ad promont. Pachynum in loco *Brazzetto* dicto absque gallis invenitur: *nec mirum, cùm Gallæ hæ nihil aliud sint quàm excrescentiæ è puncturis insectorum ortæ, ut sint ovorum & fœtuum matrices & nutriculæ: Proinde specificæ differentiæ notæ non sunt, sed potius signa quædam accidentalia & externa, cùm unum aliquod insecti genus naturæ instinctu, unam aliquam herbæ speciem compungit, quæ ex viroso contactu aut humore immisso apta est in hujusmodi excrescentiam intumescere & ovo fœtuique commodum hospitium & nutrimentum præbere.*

* 7. *Limonium Siculum folio cordato* Bocconi.

Bocc.

Radice constat pollicaris crassitiei non sine fibris: *Foliis* humi jacentibus longis ab angustiis in latitudinem paullatim sese laxantibus, quæ per extremum cordis figuram efficiunt, modo quo pingitur. *Caulis* brevior est: *flores* cœrulei & *semen* quale in cæteris.

Idem esset cum eo quod à Bauhino describitur in *Prodromo*, nisi obstaret foliorum longitudo, quæ in nostro notatu digna est.

Locus. Propè Panormum & Augustam inveni copiosum.

* 8. *Limonium marinum fruticosum hirsutum* Bocconi.

Bocc.

Densa *ramorum* digitalis crassitiei congerie fruticat, oblongis, cordatis hirsutisque *foliolis*, crassis etiam, ac instar Sedi cujusdam in orbem compositis, ramorum cacumen occupantibus: è quorum centro *Cauliculus* interdum exit cum *flore* & *semine*, uncialis vel biuncialis, aliquando longior.

Locus. In Insula D. Margaritæ & scopulis saxisve ad oram maritimam Gallo-provinciæ sitis plurimum oritur.

An hoc à Limonio maritimo minimo *C. B.* specie omnino differat, merito quis dubitat. Bocconus diversum facit.

Limonium maritimum minimum C. B. *minimum* Park.

C. Bauhinus sic describit.

Tota planta uncias quatuor vix excedit; nam ad *Radiculam* oblongam, rufescentem, in summo divisam *foliola* minima subrotunda, crassa, Sedi instar compacta, inter quæ *Cauliculi* unciales paucules flosculos pallidè rubentes vel subcœruleos sustinentes exsurgunt.

Locus. Hoc in insula quadam non longè Massilia provenit.

* 9. *Limonium reticulatum supinum* Bocconi.

Bocc.

Foliis oblongis parvis Monspeliensi non multùm absimile est; sed effusa cauliculorum veluti jubâ longè elegantius. Pedales illi sunt & longiores *Cauliculi*, in ramulos plurimos divisi, qui geniculatim angulosi deveniunt, atque hinc & indè flectuntur, & sese invicem secant, ut incrementi progressu, multiplici atque numerosa in semetipsos implicatione, visendâ novitate reticuli speciem ritè figurent.

Hujus Limonii satis ferax Melita est. Idem etiam invenit *D. Magnol* propè pagum *Perauls* non longè Monspelio, in paludibus quæ sunt propè locum dictum *lou Boulidou* permixtum cum Narbonensi

nensi Oleæ folio, Septembri mense florentem. Observavit etiam *D. Wheeler* alicubi in Græcia verùm locus excidit. Vide ipsius Itinerarium.

10. *Limonium foliis sinuatis* Ger. *peregrinum Rauwolfii* Park. *peregrinum, folio Asplenii* C. B. *Limonium quibusdam rarum* J. B.

Clus. J. B.

Multa ad eadem *radice* producit hæc planta *folia*, palmum aut amplius longa, binas uncias lata, crebrisque profundioribus incisuris divisa, ut quodammodo Asplenii folia imitarentur, subhirsuta, crassiusculo nervo prædita, subastringentis saporis, humi in orbem fusa; inter quæ excrescebant aliquot cubitalis longitudinis aut ampliores *caules*, firmiores, satisque asperi, tribus membranis crispis secundùm longum sagittarum pennatas alas imitantibus donati, adeò ut angulosi videantur, per intervalla alternatim, tribus, angustis triangulisque *foliis*, tres uncias plus minùs longis acuminatis, Graminis cyperoidis aquatici foliis similibus, & iis quidem rudibus etiam & asperis cincti: desinebant autem illi in multos ramulos similiter alatos, sustinentes frequentia capitella, è quorum singulis simul conjuncti emergebant terni, quaterni, interdum etiam quini aut seni *flosculi*, concavi, unico folio membranaceo constantes, tanquam parvi calyces, per oras striati & fimbriati, coloris cœrulei dilutioris, sed immarcescibilis, è quorum umbilico in nonnullis exilientem conspiciebam alium flosculum altiùs assurgentem quinque foliolis prorsus niveis constantem, & aliquot candida stamina continentem. J. Bauhinus paulò aliter describit flores hoc modo;

Extremis ramulorum hærent numerosi, congesti *flores*, Echii florum modo nonnihil recurvi, coloris cyanei, quorum singuli unico folio constant crispo, parvo, patulo ore cœlum spectantes plurimùm, Scabiosæ Hispanicæ florum singularibus flosculis pares, nec ità dissimili figurâ. Calyculi uniuscujusque floris, pluribus contexti segmentis, lanugine asperiuscula horrent.

Radix in planta Clusio descripta oblonga erat & crassiuscula, à capite ad imum sensim gracilescens, & raris, brevibus, tenuibusque fibris prædita, fusco cortice tecta, intus rubra. Perennem esse conjectabatur Clusius; nobis autem certò constitit, cùm in Sicilia essemus.

Locus. In Sicilia ad mare variis in locis oritur. Nos in insula ad promontorium Pachynum, & ad promontoriolum *Cerciolo* dictum non longè à Castello *Puzallu* observavimus, utrobique copiosè. In Malacensi Bæticæ portu observavit Augerius Clutius; circa Gades Boelius.

Non est hæc planta vera & genuina Limonii species, sed quia ab omnibus qui de ea scripserunt Botanicis huc refertur, iis subjungendam duximus. Descriptio imperfecta, omissis seminum numero, figura, conceptaculis nos incertos relinquit ad quam Classem propriè pertineat.

In planta in Sicilia collecta quam siccam asservat *D. Phil. Skippon*, flores densè stipati erant, ad modum ferè florum compositorum, singuli autem monopetali, campanulas imitati, margine integro & minimè dissecto, crispo tamen nullis calycibus tecti: verùm eorum tubi substantiæ erant solidioris: & durioris coloris bætici aut leucophæi obscurioris in sicco, & in se continebant vel seminis vel vasculi seminalis oblongi rudimentum.

Duo præterea Limonii genera quæ Africana vocat, à Guilielmo Boelio accepta describit & depingit Parkinsonus: Primum humilius erat, vix palmum altum, *caule* adinstar Rauwolfiani alato; *foliis*, non ut in illo oblongis, aut dentatis, sed subrotundis & ad margines nonnihil sinuatis seu undulatis *floribus* pallidè cœruleis.

Secundum elatius, cubitali propemodum altitudine *caulibus* pariter alatis, ramosis, ramulis lentis & lignosis; *foliis* prioris similibus, ut & flosculis: ut præcipua differentia sit in magnitudine. Hæc ex siccis.

* 11. *Limonium flosculis elegantissimis* Francisci de Honuphriis.

Honuphr.

Multa à *radice* pollicaris crassitudinis *folia* producit, oblonga, viridia, lævia, crispa, in acutum apicem desinentia, humi procumbentia alia, alia verò surrecta, ex adverso nascentia; è quorum sinu *caules* exeunt pedales, ramosi, rotundi, firmiores quàm in cæteris Limoniis, aliquando alati, terni aut quaterni circa imum expansi, ubi *florum* elegantissimorum copia insidet, qui seorsim animadversi vulgaris Limonii flores æmulantur, majores tamen & candidiores, quinque foliolis acuminatis constantes, è calycibus brevibus foliolis, viridibus, acutissimis & veluti spinosis compositis prodeuntes, comam argenteam & veluti gemmis onustam constituentes; & ex hinc pulchritudinis speciosæ. Totius plantæ sapor amariusculus & salsus. *Semen* nobis ignotum (quia minimè hactenus protulit) ut & locus natalis.

Cap. VI.

De Mirabili Peruviana.

Planta est exotica, ex America in Europam illata, à mira colorum in ejusdem plantæ floribus varietate dicta. Ejus notæ sunt ramuli non bini ex adverso è foliorum sinubus egressi, sed singuli alternatim ex hac & illa parte, flores speciosi, caduci, variorum non rarò in eadem planta colorum.

1. *Mirabilia Peruviana* Ger. Park. *Hachal Indi sive Admirabilis Peruana* Clus. *Solanum Mexicoanum flore magno* C. B. *Jasminum Mexicanum sive Flos Mexicanus multis* C. B. **The Marvel of the World.**

Clus. J. B.

Radice nititur crassa, Mandragoræ simile, cubitalem longitudinem sæpe excedente, paucis fibris donatâ, circulos Mechoacæ instar, si transversa secetur, ostentante, foris nigrâ, intus albâ, sapore primùm fatuo, deinde nonnihil acri, & fauces vexante, quæ terram versùs in cervicem paulò minorem, rugosam desinit. *Caulem* promit cubitalem aut bicubitalem, vel etiam interdum ampliorem, pollicari crassitudine, succulentum, firmum, ex viridi flavescentem, frequenter, uti Balsaminæ fœminæ caules, geniculatum, & in multos ramos, eosdémque similiter nodosos divisum, qui ex ipsis prodeunt non bini utrinque ex adverso oppositi, (ut in aliis caulibus foliis bijugis cinctis fieri solet) sed singulares, duntaxat, idque alternatim, ità ut qui ordine sunt impares [primus seu infimus, tertius, quintus, septimus &c.] in eandem stipitis partem spectent; & rursus qui ordine pares [secundus, quartus, sextus, &c.] in contrariam. *Folia* in singulorum ramorum nodis bina, adversis pediculis semper nascentia, Siliquastri foliis pænè similia, viridia, satis carnosa, succulenta, circa pediculum ampla, extremo mucronata, quæ trita Siliquastri gravem odorem, gustata verò ingratum saporem, & tandem illius vel foliorum Tabaci etiam acrimoniam propemodum referunt. *Flores* in extremorum ramulorum alis singuli, longi, concavi, in quinque sinus antequam aperiantur complicati, explicati verò Tabaci floribus non valdè dissimiles, non tamen in mucronatos angulos ut illi desidentes, sed in obtusos, Convolvuli florum instar, Tabaci floribus etiam ampliores, elegantissimâ interdum purpurâ sive Kermesino colore nitentes, nonnunquam lateritii, aliquando flavi aut pallentes, interdum prorsus albi, vel exalbidi duntaxat, nonnunquam obsoletè rubentes aut flavescentes, sæpissimè binis coloribus simul elucescentibus multifariàm virgati, aut maculati, aut variegati; odoris satis suavis & Narcissinum quidpiam referentis, sex oblongis staminulis, stilóque paulò longiore è medio flore emergentibus. Valdè autem caduci sunt hi *flores*; nam cùm noctu explicari incipiant, postridie sub horam octavam antemeridianam (per æstus præsertim) sese contrahere incipiunt florum Convolvuli modo, at temperatiore aurâ integro nonnunquam die expansi permanent, & sub noctem duntaxat contrahuntur, singulis tamen diebus alii recentes aperiuntur, qui si integri quotidie decerpantur & inter chartas reponantur (diu enim colorem retinent) atque deinde inter se conferantur, iisdem quidem coloribus constare deprehendentur, at eorundem situ & mixtione inter se variare. Diutissimè viret, & à Julio mense ad Octobrem usque (nisi pruinæ interveniant) numerosâ florum sobole luxuriare solet. Calyculi flores amplectentes in quinque mucronatas lacinias sunt divisi, virides & quasi membranacei, in quibus unicum *semen* nullâ membranâ sive pericarpio conclusum mucrone, cui flos insedit, obtuso, infima verò, qua cauli adhæret, parte tanquam exiguâ coronâ ornatum, pentagonum ferè, baccæ myrti propè magnitudine, initio viride, maturitate fuscum, & quibusdam veluti tuberculis obsitum, vel levissima commotione decidens, nucleúmque continens album, qui tritus in candidissimam, & amyli instar niveam friabilémque pulverem resolvitur.

Radix vivax est, verùm in nostris regionibus, si in terra relinquatur, brumali frigore & humore corrumpitur. Asservari potest vel arenâ obruta, vel chartâ emporeticâ involuta, & in loco sicco non nimis calido reposita. Sed exigui momenti (inquit Clusius) est compendium illud conservandarum hyeme radicum, nam novo vere terræ commissæ forsitan flores proferent quindecim diebus antequam illæ plantæ quæ semine terræ eodem tempore credito sunt natæ.

Plantæ ex semine cui rubri flores insident ortæ, nullos alios flores dant quàm rubros: idem evenit in semine aliorum colorum floribus succedente sato. Plantæ enim inde enatæ nullos producunt flores diversorum colorum. Quocirca si flores variegatos desideras, oportet ut semina, quibus flores variegati insident serenda eligas.

Vires. Nullus dum hujus plantæ in medicina usus est. Ejus quæ vario est flore radicis duas drachmas intùs sumptas egregiè aquas educere ad Clusium scripsit Cortusus.

Usus. Ex farina panis conficitur. Radix tuberosa comeditur. *D. Palmer.*

2. *Admirabilis Peruvianæ rubræ aliud genus* Clus.

Clus.

Quæ hujus generis plantæ Clusio enatæ sunt superiore genere longè ampliores erant & latissimè ramos spargentes. *Folia* in hoc genere magis atra, magisque splendentia, alterâ parte magis prominula, & inferiùs suum exortum in nervo habentia. *Flores* oblongiores, tenuiores, externâ etiam parte minùs ampli: *Semen* brevius & crassius; *Radix* etiam brevior & crassior altera.

Magis serotina est reliquis, & nisi Solem valdè apricum habeat vix ad frugem pervenit in frigidioribus regionibus.

Illud mirum in omnibus his plantis & observatione dignum, quòd cùm tabescere incipiunt, primùm folia, deinde integri ramorum articuli simul decidant, & circa nudos jam remanentes nodos candida quædam efflorescentia interdum adnascatur, quæ temporis successu concreta salis gustum referat. *Clus.*

3. *Sola-*

3. *Solanum Mexiocanum Jasminum Indicum dictum flore minore.* C. B. Prod. *Solanum Mexicanum parvo flore sive Mirabilis Peruviana minor.* Park.

C. B. Prod.

Hæc à vulgari in hortis culta potissimùm magnitudine differt, omnibus plantæ partibus minoribus, & foliis rotundioribus existentibus. Totus flos unam quintam partem majoris non assequitur, ità ut hujus quini flores majoris unum in circumferentia non æquent. Stamina & stylus longiùs extra florem producuntur. *Semen* quadruplo minus est.

4. *Atzoyatl seu Mirabilis Mexicana* Hernandez.

Hernand.

Folia fert hirsuta & mollia, & figuram cordis, quanquam longiora sint, æmulantia: *caules* numerosos, geniculis rubris interstinctos: *flores* extra rubros, intra verò candentes, palmum longos, calicum prolixiorum formâ, ac radices fibris similes. Saporem & odorem Anisi præfert, non sine quadam acrimonia.

Frigidorum montosorúmque locorum alumna est, & flores Septembri mense emittere solet. *Locus & Tempus.*

Hæc planta omnibus suis partibus in tantum differt ab Admirabili Peruviana, ut non tantùm specie, sed etiam genere ab eadem differre videatur.

Cap. VII.

Linaria adulterina Ger. emac. *montana flosculis albicantibus* C. B. *Linariæ similis* J. B. *Pseudo-linaria montana alba* Park. *Anonymos Lini folio* Clus. **Bastard Toad-flax.**

Clus.

Pedales habet *ramulos*, duros, ex viridi pallescentes, & in his multa *folia*, temere sparsa, nulloque ordine disposita, dura, angusta, longiuscula, Lini foliorum æmula, ejusdem cum ramulis coloris, qualis in Ruta montana elucet, h. e. ex viridi pallescentis, gustu nonnihil acido primùm, deinde amaricante. Extremi cauliculi in multos ramulos sive pediculos dividuntur, qui *flosculos* albicantes sustinent, quinque foliolis stellatim decussatis constantes, cum aliquot interioribus *staminulis*, qui tandem in singularia *semina* efformantur, pentagona, duro corio sive putamine medullam albam continentia. *Radix* candicans, multifida, perennis & vivax, annuatim novos ramulos, sive virgulas producens, nonnunquam etiam serpens Linariæ repentis instar.

In montosis cretaceis apud nos invenitur. In editioribus herbosísque locis agri Viennensis copiosè nascitur. *Clus.* *Locus.*

Cap. VIII.

Passerina Tragi J. B. *Passerina altera* Ger. *Lithospermum Linariæ folio* C. B. *Lithospermum Germanicum, Passerina Tragi* Park. *Linaria altera botryodes montana* Col.

J. B. Col.

Linguæ Passerinæ huic plantæ nomen fecere *foliola* acuminata, aviculæ jam dictæ linguam imitantia [Col. angusta & parva, Lini æmula, sed minora] alternatim posita, rarius adversa, *cauli* dodrantali, interdum etiam pedali & altiori, recto, tereti, solido, lævi, virenti, sæpe simplici, interdum ramoso & alis undique diviso sine pediculis adnata, sapore viscido prædita. Caulis à radice ad alas usque plerunque nudus est, foliis facilè defluentibus, atque exortûs sui signa relinquentibus, ut in Tithymalo. Summas alas ab imo ad summum usque *fructibus* singulis, binis, aut plurimùm ternis, pyriformibus, parvis, Lithospermi seminibus multò minoribus refertas habet: in quibus *florum* rudimenta insunt lutea; nam flores non semper observari possunt aperti, qui pusilli sunt, calathisci formâ, ex herbaceo flavescentes, oris in quatuor lacinias divisis. *Radix* bifurcata, fibris raris divisa, alba & lignosa. Fructus cortice virente exuto libro intus nigro tegitur; medulla verò interior alba est.

In arvis demessa segete circa Basileam, Genevam, Monspelium, &c. frequentem observavimus. *Locus.*

Cap. IX.

De Agrimonia seu Eupatorio Græcorum.

Agrimoniam cum Lexicographis dictam putamus hanc plantam quia in agris abundat, potiùs quàm, ut nonnullis placere video, ab Ἀργεμώνη, quia medetur τῷ ἀργέματι sive Ἀργεμώνῃ, i. e. vitio oculorum.

Eupatorium Græcis dicitur ab Eupatore. Plin. l. 25. c. 6. Eupatoria regiam auctoritatem habet. Sunt qui velint nomen ab inventore Mithridate cognomento Eupatore habere. Hepatorium etiam dicitur ab Hepate, cui medetur.

Floribus hexaphyllis summis seminibus innascentibus, seminibus ipsis lappaceis deorsum nutantibus, foliis pinnatis à reliquis hujus sectionis facilè distinguitur: ad quam (ut verum fateamur) propriè non pertinet, quoniam ejus lappæ seu echini vascula seminalia sint, duobus plurimùm intus nucleis seu seminibus latentibus, non semina nuda. Verùm quoniam integri plerunque decidunt seminum more, nec unquam sponte aperiantur, & à Botanicorum vulgo pro seminibus habentur huc eam inpræsentiarum retulimus.

A. 1. *Agrimonia* Ger. *vulgaris* Park. *Agrim. seu Eupatorium* J.B. *Eupatorium Veterum sive Agrimonia* C.B. **Agrimony.**

J.B.

Caulem utplurimùm erigit singularem, cubitum & sesquicubitum [interdum duos tresve cubitos] altum, teretem, hirsutum, medullâ farctum, *foliis* per intervalla cinctum alternatim positis, palmo longioribus, ex quatuor ferè foliolis utrinque pinnatim sitis, circumquaque dentibus majusculis serratis, venosis, brevi & vix conspicua lanugine hirsutis, extremo impari, multis minoribus interjectis, composita, sapore subacri cum quadam adstrictione. *Flores* suaveolentes, longa serie alternatim scapo medio adnascuntur, atque etiam summis ramulis, velut in spicas digesti, crocei, pentapetali, summis lappulis insidentes. Marcescentibus floribus lappulæ deorsum reflectuntur, & singulæ geminum nucleum continent. Ad basin uniuscujusque folii binæ appendices velut auriculæ caulem amplectuntur. *Radix* in nigrum vergit, crassa, sapore astringente donata.

Locus. In satorum & viarum marginibus, & circa sepes inque pascuis passim provenit. Æstate floret.

Vires. Hepatica nobilissima imprimis est (unde & Hepatorium dicitur) vulnerariáque: ideóque usu creberrimo venit in morbis ab Hepatis imbecillitate ortis, uti sunt hydrops, cachexia, icterus. In usu etiam est in catarrhis, tussi, mensibúsque retentis. Extrinsecùs adhibetur sæpissimè in balneis & lotionibus.

Autore Rondeletio Agrimonia cum aceto forti emplastri modo imposita verrucas tollit, *fortè acetum solum hoc præstat.*

Pulvis Agrimoniæ siccatus, & in vehiculo idoneo quocunque exhibitus à Riverio *Prax.* & *Observ.* plurimùm commendatur in mictu involuntario nec sine ratione; adstringit enim satis validè. *D.Hulse.*

Cæsalpinus Agrimoniam vulgarem Eupatorium Græcorum non esse contendit. Eupatorium enim est ex herbis aromaticis; at Agrimoniæ plantam totam neque saporem ullum, neque odorem ostendere præterquam siccitatem in ore. At Maio mense (referente Trago) radix dum adhuc tenera est odoratissima deprehenditur. C. Hofmannus odoratissimam invenit æstate media. Variat ergo (ut verisimile est) pro ratione loci.

Singulare est & certum experimentum Joannis Frengii inflammationes testium abigi, si Agrimonia in aceto vel vino cocta calidè cataplasmatis formâ scroto applicetur; recipi quoque eam in potiones vulnerarias felici successu lippis & tonsoribus notum est. *Sim. Paullus.*

Quin & decoctis quæ lue Venerea laborantibus imperantur utiliter remiscetur: nonnulli etiam fotûs formâ tophis applicant ad mitigandos nocturnos dolores artuum. *Idem.*

Aquam ex ea destillatam commendant ad oris ulcera; eandem Pet. Bembus efficacissimam contra calculum expertus est. *Idem.*

Inter specifica adversùs maniam habetur Agrimoniain aqua fontana decocta. Dolæus Lib. 1. C. 5. S. 18.

2. *Agrimonia odorata* Park. Cam. *Eupatorium odoratum* C.B. *Eupat. alterum odoratum & aromaticum* Col.

Col.

Agrimoniæ vulgari adeò similis est, ut vix una ab altera nisi naribus admota dignoscatur. Cùm autem vulgaris inodora & ingrata est, hæc adeò odorata est & aromatica, ut ab illa diversum quisque, nisi flore & fructu eadem esset, judicaret. Verùm si rectè expendatur effigies plantæ, minor parùm est & rotundiore lobo, sed vix differente, colore verò pallidiore, tactu viscoso & odoris fragrantiâ nobilior, & sapore aromatico jucundissimo adstringente. *Radice* ex nigro rubente fibrosa: reliquis verò eandem dicas. Æstate & Autumno etiam invenitur perfecta.

Planta sequens Agrimoniæ propriè dictæ species non est, cùm fructum lappaceum non producat: nec satis scio an ad hanc Sectionem pertineat necne.

3. *Agrimoniæ similis* C.B. *Agrimonoides* Park. Col. *Pimpinella folio Agrimoniæ nonnullis.*

Col.

Hujus *radix* parva est, fibrosa, lignosa & rubescens. *Folia* habet terræ proxima longis, hirsutis dodrantalibus, rubescentibus petiolis hærentia, Fragariæ, sed nigriora & plura, Agrimoniæ modo disposita septem, inter quæ alia magis parva intersunt, ut in Agrimonia etiam observatur, hirsuta, mollia, per ambitum serrata, dentibus Agrimoniâ minutioribus & acutioribus, verùm folia rotundiora sunt. *Caules* producit plures, veluti supinos, hirsutos, rubentes, alis tribus vel quatuor divisos; in quibus folia minora hærent, pauciora atque rotundiora, auriculas habentia circa caulem, ut in congeneribus: in quorum summo tres aut quatuor simul insunt utriculi hirsuti, cytinorum formâ, parvis, multis incisuris per oras fimbriati, luteum habentes *florem* parvum Agrimoniæ, quem in aliquibus locis vix exerit, sed intus post illum fructum concipit; quo deciso *fructus* producitur, oblongus, rotun-

rotundus, Tritici grano æqualis, Lagenariæ cucurbitæ modo binis ferè tuberibus formatus; & perfectus ex se decidit, hiantem utriculum relinquens. Sapore est abstergente, siccante, & amaro. Odorata etiam est, media inter suaveolentem & vulgarem Agrimoniam.

Tempus & Locus. Aprili mense floret & Maio perficitur, locis incultis inter vepres & frutices ad Matesii radices Septentrionem respicientibus, & etiam Æquicolorum montibus.

CAP. X.

A. *Circæa Lutetiana* Ger. Lob. *Lutetiana major* Park. *Solanifolia Circæa dicta major* C. B. *Ocymastrum verrucarium* J. B. **Enchanters Night-shade.**

Radix alba, crebris intercepta geniculis obliquè sub terra reptat, fibris subinde demissis. *Caules* pedales aut cubitales, erecti, tenues, medullâ farcti, vix culmum crassi, teretes, brevi lanugine hirsuti, non ramosi. *Folia* ex adverso bina, pediculis semuncialibus aut digitalibus insident, latâ basi, mucrone acuto, raris circa margines denticulis. Summi caules in spicas *florum* longas exeunt, floribus rariùs dispositis, albis, parvis, binis petalis bifidis constantibus, cum duobus staminibus & stylo. *Calix* pariter bifolius. Singulis floribus singula succedunt *semina* lappulata, deorsum reflexa. Florum pediculi tenues, breves, nulla ad exortum suum apposita habentes foliola seu ligulas.

Locus. In umbrosis humidis, inque sylvis & ad sepes non rarò provenit.

Plantæ huic natura florem bifolium dedit, & quidem soli ex omnibus quæ in Anglia sponte proveniunt, nobis saltem observatis. *Fab. Columna* duas præterea meminit dipetalas, nimirum Hypecoon legitimum *Clusii*, seu Cuminum siliquosum *Matth.* cui tamen *Clusius* florem hexaphyllum tribuit, petalis duobus reliquis multò majoribus. Ego quamvis plantam ipsam in transmarinis viderim, non tamen florem adeo curiosè inspexi & observavi; & *Alsines facie novam plantam* à se in Phytobasano descriptam. Quicquid sit, *flore bifolio* unà cum *fructu echinato* planta hæc ab aliis omnibus hactenus descriptis abundè distinguitur, ut prolixâ descriptione ei non sit opus.

Circæa Lutetiana minor Park. *Solanifolia Circæa Alpina* C. B.

CAP. XI.

De Pimpinella sanguisorba.

Pimpinella recens vocabulum est (ut & Bipinella) à foliorum binis ordinibus pennatim seu plumatim, digestis sumptum, vel à forma ancipitis securis sive Bipennis. Sanguisorba dicitur quòd sanguineos fluxus sistat & sorbeat.

Hujus notæ genericæ sunt folia pinnata, spicæ crassiores è seminibus densè stipatis; semina tetragona, quibus flosculi insident.

A. 1. *Pimpinella vulgaris sive minor* Park. *hortensis* Ger. 7, *sive sanguisorba minor hirsuta, &* 8, *sive minor lævis* C. B. *Sanguisorba minor* J. B. **Burnet.**

J. B.

Radice longâ fuscâ, cum amarore aliquo adstringente, tenui, ex pluribus in unum coeuntibus composita nititur: ex qua *caules* attolluntur pedales & cubitales, spadicei, angulosi [& ramosi;] in quibus *capitula* glomerata pluribus *flosculis* confertim congestis, quorum singuli ubi quaterna foliola, extra purpurascentia, intus virescentia explicaverint, stamina numerosa ostentant nunc lutea, nunc purpurantia, breviora aliàs, aliàs muscoso barbitio unciali circiter dependentia. Singuli autem flosculi singulis *seminibus* nudis, brevibus, quadrangulis, per maturitatem cinereis insident. *Folia* ab una radice numerosa, Melonis odore saporéque cum adstrictione, è pluribus foliolis pinnatim ad pediculum seu costam tenuem, rubescentem, hirsutam adnexis, exiguis, subrotundis, circumquaque profundè serratis, supinâ parte atro-virentibus, prona glaucis composita.

Locus. In montosis pratis & pascuis præsertim solo cretaceo frequens invenitur.

Hujus radici adnascitur quibusdam in locis granum rubrum, quo utuntur tinctores ad colorem Carmesinum, unde sunt qui pro cocco habent, & Coccum radicum appellant, monentibus Lacuna & Anguillara.

Quæ de hujus viribus traduntur ad duo capita reduci possunt. 1. Quòd sit cardiaca & alexipharmaca. Hinc virens vino injicitur ad cor exhilarandum, eique gratiam conciliat communicato sapore & odore aromatico, Melonis æmulo: præservat etiam à peste & morbis contagiosis. 2. Quòd sit astringens. Hinc usus ejus in profluvio mensium eximius, in fluxu alvi, hæmorrhagia quacuncunque, in vulneribus & ulceribus siccandis, glutinandis & sanandis.

D. Bowle pulverem herbæ aut radicis exiccatæ cum saccharo rosato exhibere solitus erat in hæmorrhagia narium, sputo sanguinis aut tabe pulmonum. Idem inspersus [sine saccharo] ulcera cancrosa compescit nè latiùs serpant.

In mictu sanguinis laudat conservam superbibitâ aquâ Solenander 3. Consil. 27. Idem non repudiârit radicem conditam, Saccharóve obductam.

An herba astringens utilis esse possit in arena & calculo, ut nonnulli volunt, Lectori considerandum proponimus; item an lieni indurato, an Asciti incipienti conducat.

Henrici II. Galliarum Regis venator bona fide asseveravit Pimpinellam ad præcavendam hydrophobiam tantam vim obtinere, ut quicunque eam aliquot diluculis, vel in acetariis, vel alio quovis modo præparatam comederit, nihil indè incommodi sentire possit. *Palmar. de morsu canis rabidi.*

Panchovius refert Regem Chabam, finito quodam prælio 15000 vulneratos usu Pimpinellæ restituisse.

2. *Pimpinella sylvestris* Ger. *major vulgaris* Park. *sanguisorba major* C.B. *Sanguisorba major flore spadiceo* J. B. **Great Burnet.**

Radix huic crassa, obliquè acta, cum amarore aliquo astringens. *Folia* plus quam duplo majora sunt quàm Pimpinellæ minoris, novena aut undena ad unam costam adnexa, Betonicæ foliorum æmula, profundè serrata, glabra, odore & sapore eodem cum minore, alternatim caulibus adnata. *Caules* teretes, tenues, læves, bicubitales & altiores, intus concavi, striati. *Flores* in spicas breves, habitiores seu capitula oblonga glomerati, spadicei, tetrapetali, singuli singulis insidentes *seminibus* oblongis, quadratis. Florum spicæ caules terminant, nec ullum eis supponitur folium.

Locus. In palustribus & pratis humidis & lutosis nascitur.

* 3. *Pimpinella sanguisorba inodora* C. B. prod. *minor inodora* Park.

C. B. prod.

A sanguisorba minore vulgata differt foliis & odore. Nam in hac folia longiora sunt quæ in illa magis rotunda: in hac inodora quæ in illa odora.

Locus. Hispaniæ indigena est.

4. *Pimpinella maxima Canadensis* ..... *Cornuti max. Americana* Park. **Great American Burnet.** *P. Sanguisorba hortensis maxima* Ger. emac.

Corn.

Radix vasta & carnosioribus fibris diducta *caulem* facit vere desinente procerum, rotundum & articulatum geniculis, à quibus egerminant ramuli plures, ex intervallis *foliis* donati, Pimpinellæ nostræ majoris effigie & colore similes. Cauliculorum apices non in globum aut in glandem abeunt, sed mille flosculis in longiorem *spicam* compositis fastigiantur. *Flores* alternis vicibus hiant, aperiuntur inferiores primi, superiores postremi: singuli quatuor foliolis crucis modo adversis inter se constant, & vasculo adnectuntur subrotundo, quatuor sinibus sulcato, veluti plicati aut contracti marsupioli rotundi sinus referentes. Ab hujus cavitate tres aut quatuor apices funduntur. *Flos* ex viridi subalbescit. Sapor, odor, color, nullatenus à vulgari nostrate differunt.

Hujus est & alia species, ad eam omnino accedens nisi quòd spicâ sit brevi, glomerata, pariter tamen rubrâ. Utraque *folia* gerit longiora & magis serrata quàm nostras major.

5. * *Pimpinella Agrimonoides.* Moris. Præl.

Moris.

Hujus folia primâ facie Agrimoniæ foliis quàm proximè accedere videntur, suntque pariter hirsuta & villosa, rachi seu nervo medio aliarum Pimpinellarum modo adnexa, uno extremum claudente: gratissimum contrectata spirant odorem. *Caules* pedales in quorum cymis proveniunt spicæ glomeratæ, seminibus striatis gratissimi odoris onustæ.

* 6. *Cuminum sylvestre* Park. Ger. *sylv. capitulis globosis* C. B. *sylv. primum, valdè odoratum, globulosum* J. B.

J. B.

Variè divaricatos ramos dodrantales, teretes habet, medullâ candidâ plenos: *folia* palmum longa, pinnata, Pimpinellæ Sanguisorbæ foliis similia, foliola singularia profundè serrata. Extremis ramulis hærent glomerata *capitula*, è villosis candidis penicillis, quibus semina adhærent, congesta; quibus subjecta sunt radiata foliola, profundiùs incisa & veluti spinosa. Morisonus noster semina pleniùs describit hoc modo. Semina singularia producit, non binatim juncta, ut in Umbelliferis, oblonga, in superiore & tenuiore parte hirsuta, seu villis pappisve plurimis donata, reticulo quodam è quatuor pinnatis seu plumosis carinis & lobis plurimis angulosis veluti laneis composito mirabili naturæ artificio circumvallata.

Odore ad Pastinacam tenuifoliam accedit: Cuminum nec odore, nec sapore refert.

Locus. Locis glareosis circa Aquas Sextias Gallo-provinciæ ubertim crescere scribit Lobelius in *Adv.*

Foliis & capitulis ad Pimpinellam Sanguisorbam accedit, Seminibus papposis ad Valerianam.

CAP.

Cap. XII.

De Thalictro.

Thalictrum seu Thalietrum, Θαλικτρον ἢ Θαλιητρον. Similitudo figurarum κ & η scripturæ varietatem peperit. Fortè à θάλλω vireo, dictum est, eò quòd dum germina protrudit eleganter vireat.

Ejus characteristicæ sunt folia umbellatarum in modum divisa, flores staminosi, semina ut in umbelliferis striata. Nonnullæ tamen species Thalictri dicti semina folliculis inclusa gestant.

1. *Thalictrum majus, folliculis angulosis, caule lævi* J. B. *majus florum staminibus purpurascentibus* C. B. *montanum flore purpureo* Park. *montanum* 3. Clus.

J. B.

In cubitalem vel sesquicubitalem altitudinem excrescit, ramosis, rigidis, politis lævibúsque & concavis *caulibus* donatum: *folia* Aquilegiæ lævia, ejusdem pænè coloris, & fermè inodora, amaricantia cum acrimonia: flores ceu muscaria conferta, ex radiatis *staminulis*, in orbem actis, dilutam Violæ nigræ purpuram referentibus, *apicibus* tamen obsoleto colore luteóve præditis, compacti. *Radices* fibrosæ, multiplices, tenues, externè nigricantes, internè albæ, sapore non ingratæ, quatuor veluti costis constant. *Semen* in folliculis angulosis, tenue, longum, fuscum.

In sylvosis Juræ montis propè *Thuiri* observavimus: J. Bauhinus in monte Salevæ propè Genevam florentem Junio, & Julio *semine* maturo. *Locus & Tempus.*

Thalictrum montanum album C. B. *montanum album* 1. & 2. Clus. *montanum majus* Park.

Solo floris colore à præcedente differt. Duplex est (inquit C. Bauhinus) unum altiùs excrescit, flore candido admodum gravis odoris. Hoc est Thalictrum montanum 1. *Clus.* montanum majus *Park.* alterum flore albo etiam, paulò humilius, minùs ingrati odoris: quod Thalictrum montanum minus album *Park.*

2. *Thalictrum speciosissimum glaucum semine & caule striato* J. B. *Thal. majus flavum staminibus luteis vel glauco folio* C. B. *Thal. majus album Hispanicum* Park. *Thal. majus Hispanicum* Ger.

Hominis interdum proceri staturam adæquat vel etiam superat, *radice* flava, multas fibras à latere obliquas circumquaque spargente, sapore amaro. *Caulis* autem rectus, fingularis, nullis alis ramísve brachiatus [Parkinsono in duos trésve ramos divisus] purpurascens, inanis, crassitudine digitali, perquam longis internodiis interceptus. *Folia* ex articulis nascuntur, quos vaginâ amplectuntur, Thalictri majoris nigrioris latiora, si singularia spectes, colore utrinque subcœruleo vel glauco, sapore amaro & acri, odore gravi. Summum caulis fastigium in surculos aliquot abit, quibus *flores* insident muscosi ex meris fibrillis luteis compositi. *Semen* tegitur tunicâ tenui, non anguloso folliculo.

3. *Thalietrum Canadense* Cornuti. *Thalictrum Americanum* Park.

Corn.

In Canadensi solo nascitur Thalietro similis bicubitalis planta, foliosior tamen floríque elegantioris, quæ *caulibus* ab radice multis frutescit, atro-purpureis, geniculatis per intervalla, quibus & hinc inde plures adnascuntur cauliculi, foliaceâ quadam valvulâ candicante à primario caule separati. *Folia* habet Aquilegiæ & ordine & figurâ similia, colore tamen glauco diversa. *Flos* in cacumine muscarii specie, globulis multis dilutè purpurascentibus conflatur, qui dum dehiscunt singuli in quinque folia divisi mille alba *filamenta* ostendunt, quibus luteus *apex* præficitur. Julio mense singula filamenta dum deficiunt in totidem *semina* degenerant, longiuscula, triangularis formæ, extante quadam per singulos angulos epiphysi membranacea. Sapor totius plantæ dulcis est, radíxque dentibus præmansa, & linguæ apposita substantiæ pinguioris & viscidioris esse sentitur, cum pauca admodum acrimonia.

Glutinandis vulneribus præsens est remedium si contusa apponatur: ex aqua cocta suppurationem molitur.

Habetur, autore Parkinsono & minor hujus species floribus purpureis, apicibus flavis. *Varietas.*

A. 4. *Thalictrum sive Thalietrum majus* Ger. *majus vulgare* Park. *majus siliquâ angulosâ aut striatâ* C. B. *nigrius, caule & semine striato* J. B. Meadow Rue.

J. B.

Pulchrè virentibus *foliis*, licèt saturatiùs tinctis, splendentibus tamen, longis, angulosis donatur. *Caules* rigidi, striati, inanes virescunt, & ad viri altitudinem, & majorem aliquando, excrescunt. *Flosculi* perquam exigui, herbidi, pentapetali, calicum expertes, cum numerosis intus *staminulis*, prælongis, ex herbaceo flavescentibus. Singulis autem flosculis singula succedunt *semina*, striata, nuda. *Radix* fibrosa, buxei coloris, ingrati, amaricantis saporis.

In

Locus. In pratis, locis humidis & ad rivos non infrequens est.

Dodonæus ulterius speciei meminit folio saturatiùs virente & minore, cauliculo rotundiore, nullásque strias habente. Verùm Dodonæus non videtur Thalictri species probè distinguere.

Vires. Folia in oleribus admixta alvum nonnihil commovent, autore Dodonæo. Radicis decoctum idem potiùs præstat. Optimum Rhabarbari substitutum est. *D. Palmer.*

Thalictris quibusdam in locis in Italia, teste Camerario utuntur contra pestem; in Saxonia contra Icteritiam.

A. 5. *Thalictrum minus* Ger. Park. C.B. *Thal. minus sive Rutæ pratensis genus minus, semine striato* J. B. **The lesser Meadow-Rue.**

Thalictro majori cum folliculis similis, non ea tamen utplurimum huic proceritas: *caules* tenuiores, non minùs tamen rigidi: *folia* consimilia, crassiuscula sed minora, sive sit spontanea, sive culta, situ & dispositione eadem. *Radix* tenuis, fibrosa, lutea, repens. *Flores* ex staminibus componuntur, capitulis minoribus, colore ex fusco ad luteum vergente. *Semina* striata.

Locus. In cretaceo solo circa Novum mercatum, Lintoniam, & alibi ad collium radices in agro Cantabrigiensi copiosè, necnon in montibus circa *Malham* & *Settle* Comitatûs Eboracensis pagos.

* 6. *Thalictrum minimum fœtidissimum* C. B. Park. J. B.

C. B. prod.

Caule est rotundo, pedali, in ramulos diviso: *foliolis* pluribus, in tres lacinias divisis, anterius duabus incisuris, denticulatis, supernè atro-virentibus, infernè pallescentibus. In ramulorum fastigiis *flosculi* parvi, muscosi, ex plurimis staminulis compositi, quibus succedunt exiguæ valvulæ, oblongæ, senæ, septenæ, striatæ, *apice* incurvo donatæ, sibique invicem junctæ, capillaceo oblongo pediculo insidentes, *semen* exiguum includentes. Tota planta odorem fœtidissimum spirat & in Vallesia reperitur.

7. *Thalictrum pratense maximum Monspeliensium asperioribus seu rugosis foliis.* Hort. Blæs. Botan. Monsp. Moris. prælud.

Moris.

Ad ternos aut quaternos pedes altitudine ascendit. *Folia* supina facie rugosiora sunt & dilutiùs viridia quàm pratensi vulgari. Et tamen à D. Magnol quærit, annon sit Thalictrum pratense elatius longioribus & magis atris foliis *Clus*? *Flores* edit muscosos, luteos; semina striata reliquorum more.

Locus & Tempus. In pratis ad lævam parùm ultra Latera sitis abundat, Junio & Julio florens.

An Thalictrum pratense elatius, longioribus & magis atris foliis, & quodammodo splendentibus *Clus*?

* 8. *Thalictrum pratense angustifolium* C. B. *Thalictrum minimum* Park.

A Thalictro minore montano albo parum differt, foliis scil. minoribus magísque incisis, colore magis glauco seu canescente: caulibus pede non multò altioribus, floribus magis flavis, & radicibus reptantibus.

Qu. an à præcedentibus specie differat.

9. *Thalictrum angustissimo folio* Park. *pratense angustissimo folio* C. B.

C. B. prod.

Radice est flavescento, ex aliquot fibris oblongis crassiusculis composita: *caule* bicubitali, lævi, rotundo, profundè canaliculato & geniculato. Ex quolibet geniculo *folia* plura prodeunt, in plures oblongas, plerasque angustissimas, tandem & ternas lacinias secta: at caulis in fastigio in ramulos dividitur, in quibus *flores* plures, muscosi, pallidi, ad luteum vergentes, veluti in oblonga spica dispositi, quos valvulæ tenues, parvæ, minutissimum *semen* continentes, sequuntur.

Locus. Ad fluvium Lycum propè Augustam Vindelicorum in Germania collegimus. C.B. In pratis Michelfeldensibus æstivis mensibus floret.

CAP. XIII.

De Fumaria.

F*Umariæ herbæ notissima res fumus nomen quondam fecit, quoniam vis illi contra hominis oculos lacrymosa sit, qualis in fumo est. Claritatem facit munctis oculis delacrymationémque ceu fumus, unde nomen accepit* καπνός. Plin. lib. xxv. cap. 13.

Fumariæ notæ characteristicæ sunt folia Umbellatarum in modum divisa. Flores spicati ad papilionaceos accedentes, in calcar quoddam retrorsum producti, pediculo è media parte egresso hærentes.

A. 1. *Fumaria*

A. 1. *Fumaria vulgaris* J. B. Park. *non bulbosa I, seu Officinarum & Dioscoridis* C. B. *purpurea* Ger. *Capnos* Lob. *Herba melancholifuga* Cat. Altd. Fumitory.

J. B.

Gustu tota est amaro, *radice* mediocriter crassâ, albâ, fibrosâ modicè. *Caulis* nunc unus, nunc plures, brachiati, angulosi, inanes, glabri, colore partim purpurante, partim in albo virente. *Folia* ima ex longis pediculis, latiusculis & angulosis, tenuiter dissecta ad *Umbellatarum* ferè modum, glauca, alternatim caulibus adnata. *Flores* congesti in spicam, quæ non è folii ala oritur, sed ex adversa caulis parte, tenues, oblongi; quos si curiosè contempleris quatuor *petalis* singulos constare deprehendes. Superius & majus in tres partes dividitur, scil. in supremam, quæ in apicem rotundum terminatur, & inferiori floris petalo opponitur veluti labium alterum, pariterque in medio eminente viridi lineâ insignis est, & laterales duas, quæ stamina aliquot apicibus luteis donata continent. Petalum inferius, cui pars summa superioris (ut dixi) respondet, angustum est, & longum, summa parte in rotundum dilatatur, cochleare figurâ suâ referens. Petala duo lateralia exigua sunt & brevia, in acutum desinentia. Singulis flosculis singula succedunt semina, subrotunda, cranio similia.

In satis & aggeribus terrenis frequens est. *Locus.*

A. 2. *Fumaria major scandens flore pallidiore. Fumaria altera* Cæs.

Hæc omnibus suis partibus major est quàm præcedens. *Flos* ei speciosior, coloris incarnati quem vocant, media parte seu labello saturatiùs rubente: Sapor etiam plantæ quam illius acrior.

Foliorum pediculis vicinas stirpes apprehendit, eodem ferè modo quo Nasturtium Indicum, aliàs humi provolvitur. Hoc autem ei cum præcedente commune est, ut ab aliis observatum. Ego equidem in hac primùm specie qualitatem illam animadverti, Jacobo Boberto monente; cui etiam præcipuè & præ aliis convenit.

In satis, vineis & hortis unà cum præcedente reperitur. *Locus.*

Hanc esse puto Fumariam alteram *Cæs.* longioribus cauliculis; rarioribus foliis, flore candicante, cui purpureum quid inest; oritúrque magis in parietibus & circa maceries, cùm altera in arvis magis proveniat; quam C. Bauhinus Fumariæ nescio cujus viticulis & capreolis plantis vicinis adhærentis synonymam facit.

Aliam adhuc Fumariæ vulgaris varietatem foliis tenuissimis, flore albo circa Monspelium reperiri autor est C. B. & confirmat D. Botan. Magnol, quem consule.

Eadem præcedenti videtur.

Fumaria minor folio oblongo capillaceo C. B. *Capnos Cretica* Clus. *Fumaria major Cretica* Park. *Fum. altera tenuior Syriaca* Cam ?

Clus.

Ex semine Creta allato Clusio natum est hoc genus, Fumariâ vulgari majus, nec minus succulentos habens cauliculos, angulosos, teneros, procumbentes: *folia* minutim incisa, & capillacea ut Hispanica, sed duriora. *Flores* confertim in oblongiuscula spica nascuntur, extremis ramis, vulgaris floribus candidiores, deorsum spectantes extremam virescentem partem occupante fuscâ maculâ. Illis succedit semen ut in vulgari, quod maturum facilè decidit. *Radix* tenuis, flavescens. Annua est ut vulgaris, & Junio Julióque floret.

Fumariam nostram majorem scandentem describere videtur: omnes enim notæ conveniunt; proinde hanc ab illa non separandam arbitramur.

Vires. Fumaria purgat bilem & humores adustos, verùm magnâ dosi exhibita. Sto cum illis (inquit C. Hofmannus) qui aiunt mentem Mesue & Avicennæ esse, succum quidem dari debere ab ℥v. ad xi, decoctum autem ad xv, pulverem à iiij ad v. Hinc clarum & purum efficit sanguinem. Nostrates verno tempore herbam ipsam in sero lactis decoquunt & decoctum propinant ad sanguinem depurandum. Hinc etiam mirè prodest morbis omnibus humores prædictos [biliosos & serosos] sequentibus, ut Lepræ, Scabiei, Pruritui, impetigini, serpigini & similibus cutis vitiis; aiunt & Lui Venereæ.

Diuretica est ut & sudorifica. Ideò datur aqua Fum. in Lue Venerea, & in peste cum Theriaca.

Obstructiones hepatis reserat, pérque urinam icterum ducit. Conserva, inquit C. Hofmannus, apud me in magna æstimatione est ad expediendas viscerum obstructiones, post universi purgationem.

Succus ejus vel aqua destillata oculis indita caliginem eorum discutere creduntur; hinc plantæ nomen, quod claritatem faciat inunctis oculis delachrymationémque ceu fumus. *Plin.*

Essentia Fumariæ, itidem succus ejusdem, cum sero lactis in Melancholia per aliquot dies assumi potest. Ob Sal etenim volatile quod continet diuturnam non sustinet coctionem. *D. Soame* è Dol. Lib. 1. C. 9. S. 15.

3. *Fumaria*

3. *Fumaria minor sive tenuifolia surrecta* J. B. *minor tenuifolia* C. B. *Capnos tenuifolia* Clus. Lob. *F. minor sive tenuifolia* Park. *Fum. tenuifolia* Park.

Radice est tenui, simplici, alba, rectâ descendente, paucis & brevibus ad latera fibrillis donatâ, sapore amaro & linguam excalefaciente. *Cauliculi* indè exeunt plures, medio reliquis firmiore & majore, dodrantali, striato, concavo, ad intervalla *foliis* alternatim nascentibus vestito, è quorum alis ramuli exeunt. In summis caulibus & ramulis *flores* in spicas breves densásque compacti, visu pulcherrimi colorum varietate. *Flosculi* singulares (qui non omnes pariter aperiuntur, seriùs enim summi, citiùs imi) breves, hiantes, supremo foliolo coloris purpurascentis carnei, mucrone cucullato, ex luteo viridantes; foliolo gemello subjecto, cæteroquin albo, mucrone atro-purpureo; imum locum obtinet subtensum foliolum, fili instar tenue, coloris carnei. Singulis flosculis singula innascuntur *semina*, majuscula, compressa, ad Lini semina quadantenus accedentia, lævia & splendida. *Folia* minora & tenuiùs dissecta quàm in reliquis Fumariis, velut Rutæ sylvestris minimæ, aut Chamæmeli: quæ è radice exeunt longis insident pediculis, segmentis autem sunt brevioribus; quæ caules occupant breviores habent pediculos, segmenta longiora. Tum caules tum folia glauca sunt & incana, glauco quodam velut polline aspersa. In foliis nullus aut admodum levis mihi gustanti sentitur amaror.

Locus. In arvis inter segetes propè Olbiam Gallo-provinciæ oppidum spontaneam observavimus. Invenitur autem plerisque Hispaniæ regionibus, in arvorum marginibus & juxta vias ac semitas, referente Clusio, qui nonnullis etiam Galliæ Narbonensis locis observare se meminit. Æstate floret.

Planta quam descripsimus, quámque Clusius & Lobelius intelligunt titulis superiùs allatis D. Magnol atque etiam nobis eadem videtur cum Fumaria tenuifolia compresso semine, Lini instar *Hort. Blæs.* quicquid repugnet D. Morisonus: Nam & Lobelius semen compressum ei tribuit, & Clusius in icone sua hujusmodi semen appinxit, & D. Magnol se cum semine Lini legisse asserit. Certè planta quam nos in Gallo-provincia invenimus huic tam similis erat quàm ovum ovo; quamvis in viretis nostris sata (ut rectè Lobelius) caducis & procumbentibus cauliculis oriatur.

LIBRI NONI

PARS SECUNDA.

De Plantis Umbelliferis.

UMBELLIFERÆ dicuntur hoc genus plantæ, quia earum pleræque flores gestant in Umbellæ seu Corymbi speciem dispositos. Quid autem Umbella in Phytologia significet Libro primo, qui est de Plantis in Genere explicuimus.

Hujus quidem generis species omnes flores in caulis & ramorum fastigiis coacervatos gestant, non tamen semper in Umbellæ formam dispositos. Notæ ergo Umbellatarum certiores & characteristicæ, quæ omnibus in universum & solis conveniunt, sunt Flores pentapetali & ad singulos bina semina nuda simul juncta.

Cùm autem in unaquaque Plantarum tribu genera intermedia seu subalterna rectè constituere, & notis suis characteristicis definire perdifficile sit, tum in Umbelliferarum longè difficillimum, ob tres præcipuè rationes; nimirum, 1. Ob specierum multitudinem: 2. Ob plurimarum etiam similitudinem: 3. Ob nominum confusionem & significationem incertam. Cùm enim veteres hoc genus plantas tanquam satis notas & familiares breviter descripserint, paucis & generalibus notis additis, Recentiores pro cujusque captu alii aliis, & non rarò diversissimis plantis eadem nomina accommodârunt. Hinc in Seselios v. g. Libanotidis, Panacis, Dauci, Ligustici tot ferè sententiæ sunt quot capita.

Præterea in hoc genere manifestè ostenditur, notas à seminis formâ sumptas non semper optimos esse generum indices, neque quæ seminis formâ conveniunt vel differunt genere pariter convenire vel differre: siquidem in genere Cumini datur aliqua species hirsuto & hispido semine, quæ in aliis omnibus partibus & accidentibus, figurâ, colore, odore, sapore, &c. cum vulgari Cumino semine striato lævi convenit. Quis Sisarum à Pastinaca latifolia quacum in omnibus partibus tam exactè convenit, ut vix Ovum ovo similius sit; Quis itidem Sium seu Pastinacam aquaticam eidem foliis odore & sapore simillimum, non potiùs cum Pastinaca dicta conjungendas statueret, quam ob solam seminum in formâ externâ dissimilitudinem distrahendas & procul à se invicem removendas.

N. Plantas umbelliferas utplurimum calidas esse. Annotavit D. Palmer.

Plantæ Umbelliferæ sunt vel folio

- *Composito*, pinnato aut triangulato; hæ autem Seminibus vel
  - *Latis*, planis & compressis seu foliaceis; foliis
    - *Latissimis*; flore
      - *Albo*, petalis cordatis, radice lignosiore: SPHONDYLIUM.
      - *Pallidè luteo*, foliis
        - *Minus ramosis* & propemodum pinnatis, semine minore, radice carnosa, esculenta; PASTINACA LATIFOLIA.
        - *Ramosioribus*, radice minus carnosa, succifera; PANAX HERACLEUM.
    - *Paulò angustioribus*,
      - *Pinnatis*, seminis margine
        - *Plano & æquali*; TORDYLIUM *spurium*,
        - *Granulato* seu crispo: TORDYLIUM *genuinum*.
      - *Ramosis*, Petroselini aut Apii; OREOSELINUM.
    - *In lacinias angustas*, Carotæ, Cicutæ aut Saxifragæ pratensis divisas
      - *Succo lacteo turgidæ*; THYSSELINUM.
      - *Succo limpido* foliis
        - *Cicutæ*; APIUM *Cicutæ foliis*.
        - *Saxifragæ pratensis*; DAUCUS *Alsaticus*.
        - *Cari*; CARVIFOLIA.
    - *In tenues lacinias Fœniculi æmulas dissectis*, semine
      - *Minore*, foliis Fœniculaceis
        - *In segmenta longiora & capillacea divisis*, radice annua; ANETHUM.
        - *In segmenta paulò latiora* tripartito divisis & subdivisis, radice perenni; PEUCEDANUM.
      - *Magno, oblongo*;
        - *In medio tumidiore*, alâ foliaceâ sinuosa in summo bifidâ cincto, colore albente; sapore acri: THAPSIA.
        - *Compressiore*, per maturitatem nigro, caulis medullâ fungosâ, igni concipiendo idoneâ: FERULA.
  - *Tumidioribus*; vide Tabulam sequentem.
- *Integro* aut *laciniato* duntaxat.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

De Umbelliferis semine lato & compresso seu foliaceo, aut etiam ala foliacea cincto.

CAP. I.

De Sphondylio.

SPHONDYLIUM, Σφονδύλιον, dictum fortasse ob odoris gravitatem à Sphondyle insecti genere odoris gravis. *Pena.* Marcellus Sphondylium à spondylorum in spina dorsi, & phalangii ejusdem nominis forma dictum existimat: siquidem rotunditate duo hæc inter se similia sunt, & ambo perviam cavitatem habent, qua muliebrium fusorum verticillis similia sunt. Ego nullam hic similitudinem video.

Notæ hujus characteristicæ sunt folia in hoc genere latissima, flores albi, cordati.

A. 1. *Sphondylium* Ger. *vulgare* Park. *vulgare hirsutum* C. B. *Sphondylium quibusdam sive Branca ursina Germanica* J. B. **Cow-Parsnep.**

Radice nititur alba, simplici, altè in terram descendente, sapore dulci & nonnihil acri, medullâ seu nervo intus grandi, lento & tenaci. J. Bauhinus saporem fervidum & subamarum linguam vellicantem ei attribuit. *Folia* à radice orta longis pediculis hirsutis insident, duabus pinnarum conjugationibus composita, cum impari in extremo in tres lacinias profundè diviso: singulæ etiam alæ latæ sunt, laciniatæ, & per margines crenatæ: Folia autem brevi utrinque lanugine pubescunt; quæque in caule sunt, iis quæ à radice non multùm dissimilia, origine latâ membranosâ turgidâ caulem & ramulum è sinu suo egressum amplectuntur. *Caulis* simplex bicubitalis, teres, striatus, striis minùs eminentibus quàm in Pastinaca, intus concavus, villis rigidiusculis hirsutus, ab imo statim ramosus, foliis per intervalla longiora quàm in Pastinaca cinctus, è quorum pariter sinubus ramuli exeunt. Caulis ad internodia nonnihil reflectitur, secus quàm in Pastinaca latifolia. *Flores* in umbellas summos caules & ramulos terminantes digesti, albi, quàm Pastinacæ majores, pentapetali petalis bifidis & velut cornutis. Nulla in hac exortum umbellæ totalis aut partialium circumstant foliola: Semen foliaceum, pallidiùs quàm Pastinacæ.

Locus. In humidioribus pratis, pascuis & agrorum marginibus, & propè rivulos abundè oritur.

Vires. Quas Dioscorides & Plinius Sphondylio vires asscribunt, non videntur huic plantæ convenire, unde meritò ambigitur, an hæc sit verum & genuinum Antiquorum Sphondylium, quamvis, descriptio Sphondylii apud Dioscoridem ei non ineptè quadret.

Radix, autore Trago, valet ad emolliendos & deprimendos tumores, præsertim verò matricis, epatis & lienis. Succum herbæ expressum unguentis emollientibus Chirurgi admiscent.

Fuchsius hujus radicem eandem habere cum Acanthi veri radice facultatem vult, nimirum exsiccatoriam & leviter incisoriam. Ab Acanthi veri viribus longissimè distare placet Gesnero: suffragatur C. Hofmannus.

Schroderus quinque herbis emollientibus Sphondylium accenset, & usum præcipuum externum esse scribit in clysteribus aliisque paregoricis quarumcunque formularum, & ut plurimum in cataplasmatis.

Poloni & Lituani ex Sphondylii foliis & semine cum aqua, addito fermento, potionem coquere feruntur, *Parst* dictam, quæ pauperibus sit loco cerevisiæ, si Dodonæus vera recenset.

Semen hujus plantæ, ni fallor, quam Pastinacæ sylvestris appellatione insigniunt egregium est in Hysterico paroxysmo. *D. Willis* è Jo. Anglico.

Gratus cibus sunt Sphondylii folia cuniculis.

A. 2. *Sphondylium majus aliud laciniatis foliis* Park. *Sphond. hirsutum foliis angustioribus* C. B. **Jagged Cow-Parsnep.** *An Sphondylium crispum* J. B. Tab?

A vulgari foliis solùm differt: nam cum vulgare foliis sit amplis, plerunque ex quinque partibus, latis, subrotundis compositis, hoc folium habet in lacinias oblongas, angustas, acuminatas, hásque in alias, inordinatè tamen, divisas, & per marginem crenatas.

Locus. Hoc in pratis Alpinis Rhæticis observavit C. Bauhinus: in Salopia Angliæ invenit *D. Bowles*, referente Parkinsono. Londino missum in horto nostro Cantabrigiæ aluimus; unde acceperunt Londinenses nescimus.

Præcedentis varietas potiùs esse videtur quàm species distincta; natura in multis hoc modo ludente.

3. *Sphondylium*

* 3. *Sphondylium Alpinum parvum* C. B. Park. J. B.

C. B. prod.

Caulis huic pedalis, qui in summo in alterum ramulum triuncialem dividitur; quem *folia* cingunt pallidè virentia, longis pediculis donata, quæ in partes tres, vel etiam quinque, alias subrotundas, alias acutas, per marginem crenatas & hirsutas dividuntur. Umbella *flosculis* candidis, latis tamen, summo cauli insidet, quibus *semen* planum, latum ac tenue succedit. Tota planta levissimis pilis pubescit.

Ex Austriæ Alpibus C. Bauhino missum fuit. *Locus.*

* 4. *Sphondylium Alpinum glabrum* C. B. Park. J. B.

C. B. prod.

Radice est crassa, eâque albâ: *Caule* bicubitali geniculato: *foliis* ficulneis, glabris, (quæ absque pediculo palmum longa, duas [uncias] lata sunt) communiter tripartitis, sed non usque ad pediculum divisis, per margines crenatis, quorum inferiora pediculis palmaribus, hispidis & subasperis donantur. Caulis summo umbella *flosculorum* candidorum, sed quàm in reliquis speciebus minorum, insidet. *Semen* succedit subrotundum, planum, cujus summitati apex infigitur.

In monte Wasserfall observavit C. Bauhinus. *Locus.*

* 5. *Sphondylium majus sive Panax Heracleum quibusdam* J. B. *Pan. Heracleum verum, ficulneo folio* Park. *Pan. Sphondylii folio, sive Heracleum* C. B. *Panax Heracleum* Ger. **Hercules his All-heal.**

J. B.

Procera est herba, *caule* bicubitali & altiore, canaliculato, quem laxus utriculi instar complectitur *foliorum* pediculus: sunt ea verò duorum circiter palmorum longitudine, parique latitudine, circumscriptione ferè rotunda, nisi quinque aut sex laciniis rotunditas interrumperetur, serrata, minùs aspera, minúsque hirsuta quàm Sphondylii nostratis. *Flores*, veluti in Angelica, utriculo comprehenduntur, quo disrupto in umbellam explicantur latam *florum* alborum, cordatorum; quos excipiunt *semina* nostratis Sphondylii, nisi essent paulò majora, plana itidem ut illa, duplicia, alba, foris quatuor striis nigricantibus, interna facie duabus donata, gustu acri & aromatico, non tamen jucundo.

Videtur à Sphondylio vulgari in eo potissimùm differre, quòd speciosior & major, quodque folia integra obtineat.

Magna est apud Botanicos confusio de hac herba. Lobelius alibi eam floribus luteis esse scribit: alibi, in Belgii hortis flores albos promere.

CAP. II.

De Pastinaca latifolia.

PAstinaca, Σταφυλῖνος, à pascendo dicta videtur, nam radices ejus cibus sunt vulgaris, quæ corpus abundè alunt saginantque. Turnebus autem in Adversar. lib. 8. cap. 23. ex eo dici putat *quòd referat & quasi habeat pastinum*, quomodo vocatur instrumentum quo vineæ fodiuntur. *Voss. Etymolog.*

Staphylinus (inquit C. Bauhinus) fortè à colore uvæ nigricantis dicitur, cujus coloris unius radix est. Sunt qui à similitudine radicis Bryoniæ.

Pastinacæ latifoliæ notæ genericæ sunt Radices carnosæ esculentæ, flores lutei, folia pinnata potiùs quàm triangulata.

Elaphoboscum dicitur hæc herba, quoniam fama est hoc pabulo cervos resistere serpentibus.

Ex Dioscoridis, Plinii, Galeni & Columellæ de Sisere verbis colligere conatur Columna hanc plantam Antiquorum Siser esse absque dubio ullo. Radicem namque Pastinacæ sativæ similem forma & sapore, verùm amariore atque odoratiore, omnésque Pastinacæ generi adscripsisse, atque Pastinacam vulgarem sive domesticam appellâsse. In hac radice nervum inesse longitudine, qui eximatur postquam elixata fuerit radix, non solùm dulcedinis causâ, sed quia tenerior fit pars reliqua exterior, ciboque aptior atque gratior. Hoc & in Pastinaca sativa vulgari, & in Rhaphano prospici, præsertim cùm radices sint benè adultæ, duriorem enim tunc continere nervum, cibo ineptum. Reliqua apud Autorem vide.

A. 1. *Pastinaca sylvestris latifolia* C. B. *latifolia sylvestris* Park. Ger. *Germanica sylvestris, quibusdam Elaphoboscum* J. B. **Wild Parsnep.**

Radice nititur alba, simplici, fibras aliquot majusculas è lateribus emittente, odore & sapore Pastinacæ sativæ, à qua non aliter quàm cultu nobis differre videtur, inquit J. Bauhinus. *Caule* assurgit simplici bicubitali aut tricubitali, erecto, rigido, striato, crassitie pollicari aut majore, brevi lanugine hirsuto, intus concavo, ramoso, *Foliis* per intervalla alternatim positis vestito, Pastinacæ sativæ similibus, verùm minoribus obscuriùs virentibus, & in apricis interdum lanuginosis præsertim

quæ è radice exeunt. Ab imo caule ad summum usque ex alis foliorum egrediuntur ramuli *umbellas* florum sustinentes, minores quàm quæ medio cauli insidet. *Flores* exigui sunt, flavi, pentapetali, reflexi, quibus succedunt *semina* Pastinacæ sativæ similia. Exortum radiorum umbellam totalem componentium nulla circumstant foliola, ut neque umbellas partiales. *Folia* componuntur ex pluribus alarum conjugationibus, & alæ inferiores ex aliquot pinnulis seu lobis circum oras dentatis, & in acutos apices exeuntibus.

A. 2. *Pastinaca latifolia sativa* Ger. Park. C. B. *sativa latifolia Germanica, luteo flore* J. B. **Common Garden or manured Parsnep.**

J. B.
Culinis notissimæ Pastinacæ hujus *radices* singulares sunt, longæ, turbinatæ, crassæ & carnosæ, minùs tamen quàm Carotæ, albæ, in medio nervo duro donatæ, magis grato quàm Sisarum sapore. Ab his *caulis* surgit bicubitalis & procerior, firmus, striatus, inanis, multis alis concavus. *Folia* Pimpinellæ majori non ineptè compares, sed multis numeris majora, atro-virentia, hirsuta, sapore grato & aromatico quoque. *Flores* in ampla umbella lutei, quorum singuli quinque foliolis reflexis umbilicum medium viridantem circumstantibus constant. *Semen* latum, compressum & foliaceum.

Locus. In hortis colitur. Aiunt ex semine sylvestris iterata satione in solo pingui & opulento sativam fieri, quemadmodum ex Staphylino seu Carota sylvestri Carotam sativam. Quod si ità sit, non differt Staphylinus sylvestris specie à sativo.

Usus. Radices hujus dulces sunt & palato gratissimæ, multum nutriunt, & corpus pinguefaciunt præ Rapis aut Carotis, unde & Venerem excitant: flatulenti quoque aliquid obtinent. Eduntur coctæ cum butyro conditæ, Quadragesimali tempore, tunc enim succo per hyemen concocto maximè dulcescunt & tum saporis tum salubritatis gratia præcipuè expetuntur; nec enim adeo commendabiles sunt antequam frigoris insultum senserint.

Refert Cæsalpinus ex his radicibus cum Saccharo Electuarium confici ad vires recreandas convalescentibus & puerperis, communissimum rusticorum remedium: appetentiam quoque præstare.

Incidendi, attenuandi, detergendi, obstructiones aperiendi facultatem inesse sapor odórque demonstrant. *J. B.*

Dodonæus semen calidius & siccius esse, urinam movere & flatus discutere asserit.

Qui hyeme colligunt radices (inquit J. Bauhinus) caveant à Cicuta vel Cicutaria. Dum sum Montbelgardi vidi duas familias in quibus qui decepti edebant pro Pastinaca pænè extincti erant, sed sublevati vomitu, Theriaca & Saxonico pulvere, itémque purgantibus salvi evaserunt.

At nostrates asserunt Pastinacas ipsas vetustiores & annosas delirium & insaniam inducere, unde & eas **Madneps**, id est, Pastinacas insanas vocant.

Agriopastinaca Cretensium V. Petroselinum Creticum C. B. *in capite de Apio.*

Cap. III.

De Panace Herculeo.

Panax quasi πάν ἄκος, omnibus remedium afferens. Plin. lib. 25. c. 4. Panaces ipso nomine omnium morborum remedia promittit. Theophrast. Hist. lib. 9. cap. 12. quatuor genera proponit, Syriacum, Chironeum, Æsculapeium & Herculanum. Cæterùm Panacis Heraclei dicti, de quo agimus, notæ sunt folia lata Pastinacæ, verùm magis composita seu ramosa, flores lutei, radix gummifera seu succifera. Hæc planta Dodonæo aliísque ipsissimum Panaces Syriacum Veterum habetur.

Panax Herculeum majus Ger. *Panax Pastinacæ folio, an Syriacum Theophrasti?* C. B. *item Panax costinum* ejusdem *ex sententia fratris & nostra. Pan. Heracleum alterum, sive peregrinum Dodonæi* Park. *itémque Panax costinum seu Pseudocostus Matthioli* ejusdem. *Sphondylio vel potiùs Pastinacæ Germanicæ affinis Panax vel Pseudocostus flore luteo* J. B.

J. B.
Foliis viget interdum sesquicubitalis longitudinis, latitudinis cubitalis, asperis, hirsutis, atro-virentibus cum nitore quodam, in alas divisis ex adverso sitas, eásque rursus pinnatim subdivisas in *folia* Pastinacæ Germanicæ foliis similia, serrata, tres, quatuórve uncias longa, binas lata, in obtusum mucronem desinentia, pediculo admodum hirto & aspero. *Caules* aliquot cubitorum, brachiati: *Umbellæ* inæqualis longitudinis muscariis Peucedani in morem constant *florum* luteorum. *Semina* majora quàm Pastinacæ Germanicæ, Sphondylii seminibus paria, compressa, lata, fimbriam albam habentia, cùm in medio nigricent, acria & linguam mordicantia.

Locus. In Sicilia non longè à Castello *Puzallu* sponte natam observavimus hanc plantam.

Ex hujus vulnerato, præsertim circa radicem, caule succus æstivis mensibus manat, Opopanaci similis, sponte concrescens, odoris quidem exigui, sed gustu excalfaciens: idque æstate fervidâ etiam in Belgio. Ex semine in Opopanacis grumis reperto hæc primùm in Belgio enata stirps est. *Dod.* Hinc, & rectè quidem, colligit Dodonæus plantam hanc ipsissimum esse Panaces Syriacum Veterum.

Veterum. Idem confirmat * Paulus Boccone his verbis, E caule hujus plantæ inciso extillat gummi quoddam flavicans, quod Balsami species est, ad omne genus vulnera & plagas sanandas, experientia teste, longè utilissimum, si formâ emplastri parti affectæ applicetur. Gummi autem quod ex hac planta emanat genuinum Antiquorum Opopanax censendum est, quandoquidem ex omnibus Panacis speciebus in Europa hucusque cognitis nulla observatur quæ similem reddit succum. Quin affirmat idem Paulus Boccone, Panax isthoc semine hirsuto Siculum [quamvis non in Sicilia tantùm sed etiam circa Monspelium in Gallia Narbonensi oritur] Panaci Syriaco è quo Opopanax elicitur, idem prorsus esse, cum utrumque primò tria edat folia, postea in quinque divisa. Ex Adversariis D. *Tancredi Robinson.*

* *Journal des Scavans, An. 1676. M. Jan.*

Locus.

Oritur etiam cum Libanotide Cachryophora in elato colle prope molendinum dictum juxta fluvium *la Maussou. Botan. Monsp.*

Vires.

Præstant (ut referunt qui important) Pseudocosti radices ad omnes cerebri & nervorum frigidos affectus, ad pectoris vitia, & ad ventriculi cruciatus, & viscerum omnium obstructiones, & ad renum, vesicæ & uteri morbos. Ideóque auxiliantur diutino capitis dolore affectis, vertiginosis, comitialibus, stupidis, veternosis, convulsis, resolutis, asthmaticis, tussientibus, ictericis & hydropicis. Eædem flatus pellunt, vermes necant, urinam ducunt, calculos ejiciunt, menses & partus cient. Infunduntur earundem decocta ad coli cruciatus, & coxendicum dolores. *J. B. è Matth.*

Cæterùm Opopanax (quem hujus plantæ succum concretum esse non est cur Dodonæo fidem denegemus) emollit, digerit, flatus discutit, purgat pituitam crassam & lentam à partibus remotis, cerebro, nervis, sensoriis, juncturis, thorace: Uvulæ delapsæ opitulatur (suffitu intus immisso) *Schrod.*

Signa bonitatis sunt color extus flavus, intus albus aut subflavus; sapor valdè amarus, odor gravis, consistentia pinguis, facilè in aqua solubilis, levis, tenera, friabilis, &c.

Cap. IV.

De Umbelliferis foliis latis quidem Pastinacæ, verùm quàm illius minoribus, pinnatis, seminis margine non granulato, seu Tordyliis spuriis.

Tordylium (inquit * Jo. Bodæus à Stapel) nomen impositum, quòd semen ferat copiosum, circinatum quasi toreumatis elaboratum, orbiculatum, compressum, geminísque valvulis conflatum, clypeoli speciem referens. Notæ ejus sunt folia Pastinacæ æmula sed minora, radix tenuis non carnosa; Semina plana non granulata ad margines.

* *Comment. in Theophr. Hist. l. 9. c. 15.*

1. *Caucalis major, semine minùs pulchro, hirsuto* J. B. *Seseli creticum majus* C. B. Ger. *Ses. Cret. sive Tordylium majus* Park. *An Caucalis Lusitanica* Alpin. exot?

J. B.

Duorum cubitorum altitudinem ferè *caulis* assequitur, hirsutus, striatus, inanis, in ramos divisus. *Folia* prima subrotunda, similia quodammodo Elaphobosci, sed minora, serrata, hirsuta, alia longiora, breviora alia: Umbellæ parvæ, *flores* parvi quoque, albi, quorum flosculi externi quædam habent foliola majora, bipartita. *Semina* peltata Caucalidis Syriacæ, sed multò minora, hirsuta, umbone rubente, fimbriâ albâ, sapore aromatico.

In hortulo nostro Cantabrigiæ aliquot annos aluimus. Semine maturo perit, eóque deciduo se renovat. J. Bauhinus invenit sponte nascens & florens mense Maio in Sabaudia propè *Commou*, non longè à S. Mauritio, itinere Genevâ Lugdunum.

Locus.

Hæc planta in multis à præcedente differt, ut v. g. seminis fimbriâ planâ seu æquali, non crispâ seu granulatâ ut in illa.

Quam Cantabrigiæ aluimus planta ad nos missa est Londino *Caucalidis Hispanicæ* nomine. Semen autem non erat, (quantum meminimus) hirsutum, prout illud describit J. Bauhinus, proinde fortè hæc diversa est species, & quam depingit Alpinus Caucalidis Lusitanicæ titulo.

2. *Tordylium majus alterum luteum* λειόσπερμον Col. *Seseli Creticum fructu majore* C. B. *Seseli Creticum majus luteum* Park.

Col.

Hujus *radix* parva est respectu plantæ, fibrosa, candicans, dura, sapore inter Pastinacam & Eryngium dulci, aromatico. *Folia* congeneribus affinia, verùm plantæ congeneri purpureo flore similiora, majora & læviora, gustu parùm acria. *Caulem* habet parem, ab imo alis divisum, tenuem, teretem, striatum, parùm hirsutum, circa imum purpurantem, sicut foliorum petioli. Folia binis tantùm lobis dividuntur aut ternis circa summum. *Flores* lutei Anethi in magna umbella, nullas habentes barbulas magnitudine dependentes, ut in aliis. *Fructus* edit cartilagineos, latos, magnos, compressos, aliis majores, virentes: at cùm proficiuntur limbo externo & umbilico candicante, nec hirsutos sed læves, parum vel nihil extuberante limbo, ruffâque lineâ umbilicum dividente; in summo Thlaspeos fructûs modo infractos, ad cordis figuram accedentes, apices inde exerentes, habentes in umbilico singula semina, compressa, ovali effigie.

Maio floret & perficitur.

Hoc genus in horto cultum duntaxat vidit F. Columna. Fructûs virentis sapor acrior, dulcis, parùm naribus & cerebro in mandendo ingratus, gravi aromatico gustu.

3. *Caucalis major Clusio* J. B. Ger. emac. *maxima* Park. *maxima, Sphondylii aculeato semine* C. B.

Clus.

Caucalis hæc omnium maxima Clusii multos à radice producit *stolones*, rectos, bicubitales & tricubitales, interdum etiam 4 cubitorum altitudinem attingentes, striatos, intus cavos, geniculis interceptos, & in plures ramos divisos, sub quibus latâ sede adnascuntur magna alataque *folia*, in ambitu incisa & serrata instar foliorum Angelicæ, ex atro virentia. Summis ramis adnascuntur umbellæ candicantium *florum*, subtus nonnihil purpurascentium & ad carneum colorem accedentium: quibus succedunt lata *semina*, ferè ut in Sphondylio vulgari, subhirsuta, & summo mucrone bifida aculeatáque instar spinarum. *Radicem* habet albam, duram, lignosam, raris fibris præditam.

Locus. Mense Septembri sata illico emergit, viridísque permanet tota hyeme, quam commodè ferre potest: Subsequentis anni Junio flores, maturum semen sub exitum Julii & Augusto producit, quo ad maturitatem perducto perit.

CAP. V.

De Umbelliferis latis Pastinacæ foliis, semine fimbriâ granulatâ aut crispâ cincto, seu de Tordyliis.

1. *Caucalis Syriaca cum maximo semine* J. B. *Gingidium latifolium* Ger. *latifolium Syriacum* Park. *foliis Pastinacæ latifoliæ* C. B.

J. B.

PLantula est bipalmaris & major, *radice* simplice, tenui, alba: *Coliculus* hirsutus, striatus, atrovirens, tortuosus: *Folia* Bauciæ sive Pastinacæ Germanicæ, alata, rotundiora, & foliis singularibus conflata, plerunque ternis vel quinis, crassiuscula, crenata, hirsuta, subaspera: *Flosculi* albicantes, apiculis saturatâ purpurâ tinctis, umbellatim quidem, sed sparsim dispositi, longis foliorum segmentis protensis obvallantur, odore nullo excellente: quibus etiam nondum delapsis præcoci ortu succrescunt *semina* simul juncta, multa, incana, villosa, compressa, per maturitatem pulchrè peltata, duplicia, multò majora, etiam triplo vel quadruplo, quàm sequentium duorum, quibus similia, crispâ albâque fimbriâ umbonem cinericeum circundante: (In iis lineæ duæ, nonnihil nigricantes, quales ferè Sphondylio vulgari:) Saporis aromatici.

Locus. Rauwolfius hujus semen ex Syria allatum J. Bauhino communicavit.

Hujus umbella flore delapso in se convoluta & clausa cernitur Pastinacæ tenuifoliæ aut Gingidii in modum.

2. *Tordylium sive Seseli Creticum minus* Park. *Seseli Creticum minus* C. B. Ger. *Caucalis minor pulchro semine, sive Bellonii* J. B.

J. B.

Tenuem, lignescentem, albam *radicem* demittit & simplicem: *caulem* habet pedalem aut majorem, striatum, hirsutum: *folia* per conjugationes longo pediculo adnexa, subrotunda, serrata, aspera & pilosa, minora quàm *Caucalidis majoris, semine minus pulchro hirsuto*; quibus penitus similia etiam sunt ea quæ ramorum divaricationi adnascuntur, utcunque minora, nihílque cum superioribus Caucalidis majoris foliis habent simile. *Flores* in umbellam digesti, similes, candidi, quorum etiam flosculi exteriores majora habent bipartita folia: peltata *semina*, pulchriora, non ità hirsuta, fimbriâ candidâ crispâ vel granulatâ ambiente. Sapor plantæ ferè qui Staphylini. C. Bauhino flores & semina odorata, ac nonnihil acria Myrrhidis gustu.

Locus. J. Bauhinus Monspelii sponte provenientem vidit, ubi eam copiosè oriri in vinearum marginibus, præcipuè circa pontem Castri novi, testatur etiam D. Magnol in Botan. Monsp. Nos eam in Sicilia circa Messanam observavimus.

Floret Junio, & Julio semina perficit: in calidioribus regionibus maturiùs.

D. Magnol Seseli Creticum majus *Lob. Obs.* non aliter quàm magnitudine à minore hic descripto differre putat. J. Bauhinus Caucalidis suæ majoris semine minus pulchro synonymum facit, quæ certè planta est omnino specie distincta.

3. *Tordylium minimum Apulum* Col. *Seseli Creticum minimum* C. B. *Seseli Apulum Creticum minimum* Park.

Col.

Hujus *radix* tenuis admodum, albicans, dura, dulcis, aromatica & calfaciens est. *Folia* Coriandrina, majora quæ radici proxima, hirsuta, mollia; quorum primum oblongum, rotundis crenis per ambitum incisum, sesquiunciam longum, latitudine verò unciam parum superans; alterum verò duas æquat, nam veluti lacinias & incipientes lobos habet: Tertium caulis imo hærens longiore petiolo, binos lobos habet distinctos, parvos, rotundos, semunciali diametro, & in cacumine folium majus & oblongum, primis angustis. Quartum circa tertiam caulis partem hærens, tertio simile est, sed minus. Quintum verò tantundem ab inferiore distans, minus omnibus est, & acutius folium quod imminet. Ex illius & caulis sinu & geniculo ramulus exit. *Caulis* nudus est supra

supra folium tertia parte, hirsutus, striatus, durus, tenuis, umbellam habens sylvestris Pastinacæ modo cum basi foliacea, longis foliolis hirsutis constructa, ipsámque planam & expansam, brevibus intus petiolis, in quibus *flores* albi, densi, minuti, luteis intus staminibus: in singulis verò florum corymbis tres flores exteriores barbulas habent magnas, binas ut in congeneribus, quorum medio insunt minora, & umbella exteriùs pendulis barbulis armata videtur candidis, minutis intus flosculis remanentibus. Hujus semina adeò similia sunt vulgari, ut non nisi magnitudine differant. Duplo enim sunt minora, & umbilico nigriore. Maio adhuc virentia purpurascunt, deinde albicant, & folia decidunt è caule, ut planta cognosci nequeat, nisi à semine minutiore scutulis simili, per ambitum exiguis extumescentibus granulis vallato, ut in congenere, sed minora omnia: Sapore aromatico, odorato, amariusculo.

In incultis & sylvula illa propè D. Rocchi ædem Cirinolæ observavit Columna. *Locus.*

Cap. IV.

De Umbelliferis semine foliaceo, Petroselini vulg. aut Apii foliis.

1. *Apium montanum nigrum* J. B. VI. *sive montanum folio ampliore* C. B. *item* VIII. *seu montanum nigrum* ejusdem. *item Daucus* VI. *seu montanus Apii folio minor* ejusdem [*&* Park.] *ex sententia fratris, adeóque ex una planta tres facit. Apium montanum vulgatius, & Apium montanum Parisiensium* Park. *Oreoselinum* Ger.

J. B.

Foliis est per terram expansis, Apii hortensis, nigrioribus, durioribus, modicè acribus & amaris, odoris nonnihil aromatici, & quasi vinosi, pediculo membraneo purpurascente *caulem* amplexis procerum, multiplicem, non multùm crassum, solidum, striatum, nonnihil rubentem, ramosum; in quo umbellæ *florum* albent, *semináque* post se relinquunt longè foliis acriora, compressa, lata & ferè orbiculata, colore ante maturitatem plenam, modò rubente, idque intensiùs remissiúsve, modò viridi. *Radix* insigniter crassa, mollis, supremâ parte capillatâ, intus forísque albida, sapore acri, amaricante, ingrato nonnihil, succum è vulnere remittens lactescentem, viscidum, resinosum.

Plenam & accuratam omnium hujus plantæ partium descriptionem è Cordi historia transcriptam vide apud J. Bauhinum.

In Germaniæ montosis & ad latera montis Juræ non procul Geneva copiosè provenit. *Locus.*

In summâ amat montosos arenosósque tractus, ut rectè J. Bauhinus. Cordo Polychreston dicitur à Germanico nomine **Veelgut**.

2. *Libanotis altera quorundam, aliis dicta Cervaria nigra* J. B. *Libanotis Theoph. nigra* Ger. *Daucus selinoides major* Park. *montanus Apii folio major* C. B. *Saxifragia Venetorum* Ad. Lob.

J. B.

Radices plures digitales, capite Mei instar capillato, in unam coeunt, quæ sensim attenuata pedes duos aut tres horsum illorsúmque vagatur, altiùs humo depacta, foris nigricans, intus alba, lentam mucilaginem vulnerata manans, sapore resinaceo, aromatico, grato ad Pastinacæ Germanicæ accedens saporem: substantiâ teneriusculâ: *Folia* cubitalia quæ tum à radice, tum caule oriuntur, longis appensa pediculis, aliquatenus Petroselini Macedonici divisura & effigie, rigidiora, glabra, glauci ferè coloris, crenata, sapore remissiore quàm radix: *Caules* autem ferulacei, striati, duos, tres quatuórve cubitos alti & in alas divisi, *umbellas* sustinent amplissimas *flosculorum* albicantium, priusquam dehiscant purpurascentium. *Semen* latum ad Pastinacæ latifoliæ semen nonnihil accedens.

In pascuis montosis, ínque vineis ad Rhenum in Germania, & in collibus Genevæ vicinis copiosè sponte natam observavimus. *Locus.*

Cap. VII.

De Umbelliferis foliis tenuiùs incisis, Carotæ, succo lacteo turgidis.

1. *Apium sylvestre lacteo succo turgens* C. B. *Apium sylv. sive Thysselinum* Ger. *Thysselinum sive Apium sylvestre* Park. *Apium sylv. Dodonæi, Thysselinum quorundam, planta lacteo succo turgens, locis humidis proveniens* J. B.

J. B.

Duûm triúmve cubitorum *caules*, striati, angulosi, glabri, ramosi, inanes, imâ parte ex fusco rubentes, ex quorum geniculis rubentibus oriuntur pediculi dodrantales & cubitales, caulium ritu striati, angulosi concavíque, *folia* sustinentes Carotæ, glabra, valdè incisa, atroviren-

tia, lacteum liquorem, si rumpantur, reddentia, sapore ingrato, mixtâ cum amarore acrimoniâ. *Umbellam* gerit *flosculorum* Petroselini, albidorum. *Semen* rotundum, planum Anethi simile. *Dod. Radices* spargit complures, digiti minimi ferè crassitudine, longitudine aliàs palmari, aliàs dodrantali, candidas, eodem cum foliis sapore.

Locus. Juxta lacus (inquit Dod.) uliginosis ac humidis locis, in scrobibus aquas resides habentibus, quandóque etiam Alnorum juxta veteres truncos reperitur, Junio ac Julio flores ac semen proferens. Hanc plantam nobis nondum videre contingit. Morisonus in Alnetis humidis passim circa Blæsas provenire asserit.

* 2. *Seseli palustre lactescens acre, foliis Ferulaceis, flore albo, semine lato* J. B. *palustre lactescens* C. B. Park.

Cam.
Foliis est Ferulaceis, *radice* longâ, subfuscâ, ingrato admodum gustu, ceu fervore non exiguo fauces tentante, quem culta deposuit: *caule* ramoso, tricubitali; *floribus* candidis in umbellis; *semine* lato, foliaceo, lactescens.

Hujus unicam plantam reperit Camerarius in quadam palude sylvæ Norimbergæ vicinæ, neque alius quisquam, quod sciam, botanicus præter eum sibi observatam meminit. Certè ex descriptione ad sequentem plantam quàm proximè accedere videtur.

Locus. Morisonus in omnibus pratis humidis circumjacentibus provenire scribit, seménque ferre sub finem æstatis. Folia habet multò tenuius incisa & longiora quàm sunt Thysselini.

CAP. VIII.

De Umbelliferis quibusdam semine foliaceo, foliis tenuiter, Cicutæ aut Seselios pratensis modo, divisis, succo limpido seu aqueo.

* 1. *Apium cicutæ foliis, Selinum alterum Clusii, semine lato* J. B. *Apium peregrinum Cicutæ folio* C. B. *Ap. montanum verius* Park.

Clus.
MUlta habet ab una radice prodeuntia *folia*, Cicutæ foliis non dissimilia: sed quæ caulem ambiunt minora sunt: *Caulem* cubito majorem, sæpe unicum, nonnunquam plures, & in his umbellas candidorum *florum*, quibus succedit *semen* latum, minus tamen quàm Ferulæ: *radicem* digitalis etiam crassitudinis, albam, odoratam & utcunque acrem.

Locus. Provenit apricis & à Sole illustratis locis: Julio floret, Augusto semen profert in Salmanticensi agro.

* 2. *Seseli Massiliense* Ger. *Mass. Ferulæ folio* C. B. *Massiliense alterum* Park. *Massiliense Nuperorum, folio aliquatenus simili Visnagæ* J. B.

Hujus folium dodrantali circiter longitudine & latitudine, tenuiter dissectum, cæsuris Visnagæ, utcunque latioribus, vidit J. Bauhinus: florentem aut semen ferentem non observavit. *Semen* Camerario longius & latius est quàm Fœniculum, odoris vehementis. Lobelius Seseli suum Massiliense Ferulæ folio describit, majoribus, crassioribus, latioribus, latiúsque sparsis Fœniculi *foliis*: *caule* cubitali & proceriore: *semine* in umbellis Mei, compresso, carnosiore; gustu Seseli Æthiopici aut Peloponnensis, valdè aromatico. J. Bauhinus dubitat an Lobelius eandem secum intelligat plantam.

3. *Umbellifera Alsatica magna, umbellâ parvâ subluteâ* J. B. *Daucus Alsaticus* Park. C. B. *item Daucus Hispanicus* ejusdem Parkinsoni.

J. B.
Indicta, quod sciam, Herbariis est hæc planta, proceritate hominem æquans aut major; *caule* rubente, striato, geniculato, inani, firmo satis, & in ramos diviso: ad cujus singulos nodos pediculi, caulem ceu vaginâ amplectentes oriuntur, longi cubitum unum, ex cujus lateribus alii breviores prodeunt, *folia* sustinentes Sileris aut Apii petræi modo divisa, sapore amaricante & aromatico prædita. *Umbellæ* pro plantæ ratione parvæ, Apii umbellis pares, ex *floribus* conflantur luteolis, quorum singulos componunt foliola quinque cum apice longiusculo in medio. *Semen*, Anethino simile, foliaceum, latum, striatum, sapore aromatico, subacri & amaro. *Radix* lignosa, rugis arata, vegetiore sapore prædita est quàm semen.

Locus. Inter Colmariam & Sultz, item inter Colmariam & *Ruffack* reperit J. Bauhinus, Octobris quinto cum flore & semine maturo.

Dauci Alsatici descriptio apud C. Bauhinum exceptâ solum umbellarum magnitudine huic convenit. Hanc etiam plantam in Palatinatu copiosam observavimus.

4. *Carvifolia* J. B. C. B. *Carum pratenſe* Park.

J. B.

Carvifoliam voco herbam *radicibus* ſingularibus, pluribus, valdè longis, ſatis tenuibus, intus foriſque albis, ſapore viroſo Coriandri virentis, nixam: *caules* emittentibus bicubitales & altiores, Petroſelini ſimiles, tenues, ſtriatos nonnihil, glaucos & anguloſos, medullâ albâ fungoſâ plenos, ramoſos: *folia* partim à radice ſtatim, partim ex caulium geniculis, quæ membraneo, ſtriato pediculo obvolvunt, oriuntur, Cari foliis proxima, latiora, majora, glabra, palmo longiora etiam prima, diviſurâ Paſtinacæ ſylveſtris vel Petroſelini vulgaris, longioribus tamen ſegmentis (per quæ nervus diſcurrens ſulcum exarat) quæ ex intervallis cruces ramoſas canaliculatæ rachi annexas æmulantur, ſapore acriuſculo & nonnihil aromatico. Flores pediculis inæquali longitudine, canaliculatis, umbellatim digeſti ſunt, parvi illi quidem, & supernâ parte ex luteolo palleſcentes & ferè albi, aversâ rubentes: quibus decidentibus *ſeminum* rudimenta purpuraſcunt, matura verò lata, ſtriata, ſimilia ferè Paſtinacæ Germanicæ ſeminibus, glabra, aromatica cum amaritudine & acrimonia, minora quàm Peucedani, pallida.

Locus. In Montbelgardenſi Comitatu florentem invenit J. Bauhinus inter *Bluſſans* & S. Mauritium in dumetis, itidem inter *Dampierre* & pontem *Vaujaucourt.*

Cap. IX.

De Umbelliferis ſemine foliacco, foliis in tenuiſſima ſegmenta Fœniculi æmula diviſis; ſeu

De Anetho.

DE Anethi Etymo nugantur Grammatici. Alii Ἄνηθον quaſi ἀνίκητον dictum volunt, i. e. invictum, quòd cibi excitat appetentiam. Veriùs ἄνηθον dicitur παρὰ τὸ ἄνω θεῖν, quòd ſine curſu ſponte ſua feratur, id eſt quòd cito creſcat; vel ut apud Theocriti Scholiaſten habetur παρὰ τὸ ἄνω ἤγουν ἰέναι, quòd ſurſum aſcendat ſive eat, id eſt, quòd rectum ſit, ſive in rectum aſſurgat. *Bod. à Stapel. in Theophr. hiſt.*

1. *Anethum* J. B. Ger. *hortenſe* C. B. *hortenſe ſive vulgare* Park. **Dill or Anet.**

Fœniculo perſimile eſt, à quo tamen in multis differt; 1. *Radice* annua, inutili. 2. Caule minore & humiliore, ut qui ſeſquicubitum rariùs excedat. 3. *Foliis* magis glaucis, & odore minùs grato quàm illius. 4. *Semine* latiore, foliaceo, ſapore acri, minùs grato etiam quàm Fœniculi. 5. *Umbellis* florum luteis pariter, ſed minoribus.

Locus. In hortis ſeritur, ſeque è ſemine deciduo, ſi permittatur, quotannis renovat; nullibi tamen (quod ſciam) apud nos in Anglia ſponte oritur, ut quidam ſcripſerunt.

Vires. Herba, ſed præcipuè ſemen, digerit & diſcutit, maturat tumores, auget lac, conciliat ſomnum: Venereos appetitus minuit, ſingultui vomituique medetur. *Schrod.*

Oculis nocere & viſum habetare dicitur: quod nobis mirum videtur, cùm Fœniculo, (quod omnium conſenſu viſum acuit) ſimillimum ſit, tam qualitatibus quàm facie externa, nec minùs potenter flatus diſcutiat.

Teneræ comæ & radix recens vim habent diureticam, eáque calculoſis non parum prodeſſe certum eſt.

Solent noſtrates hujus ſemina aut etiam folia muriæ, quâ cucumerulos pro acetariis condiunt, in coquere, ad ſaporem & odorem gratum communicandum, & frigiditatem corrigendum.

Decoct. Anethi in oleo & aq. qu. ſ. bibatur. Deinde fruſta panis in aqua fervente madefac. præbeantur. Mirum in modum juvantur ægroti in ileo à fæcibus induratis etiamſi ſtercus vomuerint. *Cheſneau ex Oribaſio.*

Ad ſingultum contumacem à frigida cauſa, ℞ Ol. ex ſemine Anethi gutt. iiij. Ol. Amygd. dulc. ℥ß. m. f. hauſtus. Ad ſingultum nullis remediis cedentem hoc unum habuit Otho Heurnius.

2. *Anethum Sylv. grandius ſativo, foliis Fœniculi* Cæſalp. *Anethum Sylv. majus* C. B. Park. *Anethum ſylveſtre ſemine exiguo Ameos* J. B.

Ammeos potiùs quàm Anethi ſpecies, ideóque ad Ammi referendum, ubi ejus deſcriptionem vide. Eodem etiam pertinet, ſiquidem à præcedente differat,

3. *Anetho*

3. *Anetho similis planta semine lato, laciniato* J. B. *Gingidium folio Fœniculi* C. B. *verum sive Syriacum* Park.

Rauw.

Plantula est Gingidio nostrati perquam similis, radice parva albicante, *foliolis* fœniculaceis, tenuioribus quàm in Pastinaca erratica, gustúque amarioribus: Umbellæ in medio capitulum cœruleum habenti subsunt *folia* tenuia ut Melanthio: *Semina* rotunda, confertim coacta in unum quasi capitulum.

J. Bauhinus semina describit quâ parte cohærent mutuò aspera, rugosa, oblonga, extrinsecùs striata, in ambitu foliacea, fimbriata, ut in Fœniculaceis quibusdam, ab iis in eo differentia, quòd pulchrè in decem partes dividantur: totum *semen* paulò minus parvi digiti ungue vel denariolo.

Locus. In monte Libano Syriæ locis præruptis, provenire scribit Rauwolfius. Hæc omnia è J. Bauhini historia descripsimus.

CAP. X.

De Plantis semine foliaceo Umbelliferis, foliis in segmenta tenuia angusta tripartito divisis & subdivisis: seu

De Peucedano.

Πευκέδανον ἀπὸ τῆς πεύκης, id est, Pino nomen accepit, quòd Pino folium simile habeat: quâ de causâ ab Apuleio *Pinastellum*, id est, *parva Pinus* vocatur. Alii nomen invenisse putant à fœtore: Amarorem enim & fœtorem πευκεδανὸν, vox apud poetas significat. Homerus Il. κ. πτολέμοιο μέγα στόμα πευκεδανοῖο. Πευκεδανοῖο Scholiastes exponit πικροῦ, ὀλεθρίου. Hesych. πευκεδανὸν, ἐχεπευκὲς, πικρόν. Jo. Bod. in Theophr. hist. p. 1086.

Peucedani notæ sunt folia tenuiter dissecta laciniis tamen latioribus quàm Anethi, tripartito divisa & subdivisa.

A coma quæ supra radicem cernitur **Haarstrang** dicta est [Germanis] hæc herba, qua appellatione pilorum restis significatur: A foliis & facultatibus **Sow-fennel**, i. e. Fœniculum porcinum vel suarium. A croceo illo succo, seu à sulphureo radicis odore **Sulphur-wort** vocant. *J. B.*

A. 1. *Peucedanum* Ger. *Germanicum* C. B. *minus Germanicum* J. B. *vulgare* Park. **Hogs-fennel, Sulphur-wort, Harestrong.**

J. B.

Peucedano *radix* ex deciduis foliis comosa, crassa, altè depacta, cortice nigro obducta, substantiâ virescente, succum si vulneretur emittens fulvum, odore piceo, viroso. *Caulis* cubitum unum aut alterum etiam altus, in aliquot ramos brachiatus, striatus: *Umbellæ* insigniter latæ, tanta luxurie, ut interdum minutiores earum partes sobolem pariant Anethi umbellæ parem, in quibus *flosculi* reflexis foliolis flavescentibus constant, *staminibus* longiusculis *apices* flori concolores sustinentibus. *Folia* ampla trifariam dividuntur, singuláque eorum segmenta trifariam deinceps dissecantur, divisionum partibus Linariæ folio latitudine & longitudine ferè paribus. *Semen* foliaceum, longius quàm latius, striis exteriùs quaternis ferè, interiùs binis donatum, sapore acri & subamaro.

Locus. In fossis palustribus propè *Shoreham* in Sussexia observavimus: ad Thamesin etiam flumen copiosè provenire aiunt: inque fossis palustribus maritimis propè Walton non procul Harvico in Essexia. Prope Monspelium in luci Grammuntii aditu.

2. *Peucedanum majus Italicum* C. B. J. B. Park. *majus* Ger. **Great Hogs Fennel.**

A præcedente non aliter differt quàm partium omnium magnitudine, si Botanicis fides.

Vires. Peucedani radicem herbámve vi purgandi donatam fuisse Veteres prodidere, sed propter fœtorem utriusque minùs in usum deducta.

Expectorat mucilaginem Tartaream, bilémque educit. Usus præcip. in affectibus pectoris, tussi, inflationibus, in obstructione hepatis, lienis, renum. Ciet urinam & calculosis prodesse creditur. Extrinsecùs in hemicrania aliisque generibus cephalalgiæ, à catarrhis ortum ducentibus, in tumoribus renitentibus, ulceribus inveteratis mundificandis, &c. *Schrod.* Veteres affectibus omnibus circa nervos consistentibus, ut Lethargo, phrenesi, epilepsiæ, vertigini, paralysi convenire aiunt.

Gelatina sive Conserva radicum pectorale insigne est & hystericum.

2. *Peucedanum Siciliæ foliis hirsutis, floribus luteis* J. B.

Cæs.
Aspectu simile est Panaci Asclepio seu Ferulagini [*Foliis Fœniculi, floribus luteis*] longioribus tamen *foliis*, erectis, hirsutis, pediculis densis ac brevibus eorum capillamentis. *Caulem* lævem ac tenuem fert, cubitalem: *flores* luteos: *semina* oblonga, striata, in foliaceam latitudinem desinentia, sapore resinaceo. *Radix* Pastinacæ figurâ, sed cortice atro: madet succo, qui concrescit in lachrymam thuri similem, non solùm colore, sed & odore: at sapor acris & amarus est. Caulem gignit cùm folia dimiserit propè finem æstatis, perficit adventante hyeme.

Peucedanum minus foliis lobatis angustis Moris. prælud.

Moris.
Hoc genus folia producit quina aut sena, nunc plura, nunc pauciora, Rachi seu nervo medio è regione adnascentia, uno extremum claudente: è quorum medio sese erigit caulis bipedalis, sustinens *flores* luteos umbellæ in modum: *semina* fert membranacea, rotunda, Peucedani vulgaris instar.

Cap. XI.

De Herbis quibusdam semine foliaceo Panacis nomine insignitis.

1. *Panaces Asclepium Guilandino, flore albo, folio aliquatenus Carotæ sed tenuiori* J. B.

J. B.
F*Olia* habet divisurâ ferè Carotæ vulgaris, quorum tamen segmenta tenuiora delicatioráque sunt & rariora, nequaquam ut illa hirsuta. *Caules* canaliculati, tenues: *umbellæ* Ammeos vulgaris pares, in quibus *flosculi* minuti, albi. *Semen* foliaceum, geminum, oblongum, Thapsiæ quorundam semini simile, minus, candidius, aromaticum, amarum, tres quatuórve costas exteriùs, interiùs quoque lineas, sed pauciores nigricantésque habens.

2. *Panaces Asclepium alterum Dalechampii* J. B. *Asclepium umbellâ luteâ* C. B. *Asclepium Dalechampii* Park.

Radice est Apii, candidâ, tenui, acri, odoratâ, *folio* tamen Apii aut Coriandri potiùs quàm Fœniculi, hirsuto: *flore* luteo in umbellis circinatæ rotunditatis.
In asperis locis & tumulis propè Monspelium provenire dicitur. *Locus.*

3. *Panaces moschatum Americanum* Park. *Herbatum Canadensium sive Panaces moschatum* Cornut.

Cornut.
Planta est bicubitalis, *radice* albâ, longâ, carnosâ: *foliis* quæ prima prodeunt longis & latis, Costo hortensi aut Lepidio similibus, (hoc est leviter solùm in ambitu dentatis) sequentibus verò in profundas adeò lacinias dissectis, ut illæ folii costam ferè pertingant. Pedalis folia longitudinis esse solent, & orbiculariter caulem juxta terram cingunt. Nec enim ulla per caulem distribuuntur, nisi fortè ubi caulis in ramulos diducitur; hac enim parte breve foliolum nascitur, sed mutilum nihilque debitæ formæ retinens, ibíque est potiùs vinculi loco quàm folii, sacrâ ità disponente naturâ, nè viz. ea pars, quæ est fragilis & impar capitis oneri, ventorum flatibus disrumperetur. Hac ergo parte caulem nodo velut geniculo roboravit, muniítque tuberculo adnati ramuli extremum, & utrumque foliolo velut membranâ latiùs extensâ obduxit, quò validiùs obfirmaret. Cymæ singulorum caulium in *umbellam* se spargunt, adeò gravem ut antequam flosculi hient deorsum usque nutet. *Flos* albus est ut Panacis vulgaris, odore præcipuus, qui è longinquo quemque invitat halitu moscho gratiore. *Semina* succedunt minùs lata vulgaribus. Tota planta subalbida est, & asperiori tomento obducta. Sapor foliorum acer est & odoratus, sub finem aliquantulum amarus: Radix verò non tantùm amaritudinis habet.
Floret Septembri & Octobri.
An plantam hanc rectè hoc in loco posuerim dubito.

Cap. XII.

De Thapsia.

THapsia ex eo nomen accepit, quòd in Thapso ejusdem nominis insula primum inventa fuerit, autore Dioscoride.
Thapsiæ notæ genericæ sunt Folia tenuiter dissecta: Semen alâ foliaceâ summâ parte bifida cinctum, sapore acri.

1. *Panax Asclepium Apulum Columnæ* Park. *Pan. Asclep. semine folioso* C. B.

Col.

Radicem habet tenuem, longam, pollicis crassitie, cortice crasso, subflavo, ex albo foris, intus candido, fungoso; medullâ intus parvâ, lignosâ, albâ, totam obliquè rugosam, copioso lacte viscoso candido turgidam, ut gummi statim concrescente, amaro, ingrato sed aromatico vel medicato acri gustu [gummi etiam invenitur sapore & odore Thuris, verùm amaro] cujus caput pilosum est villis foliorum marcidorum. *Folia* non alia habet quàm propè humum in orbem sparsa, atque convexa circa caulis imum, quæ capillaria sunt minutis lobulis densis divisa, Millefolii vulg. modo atque hirsutis, in petiolorum alis sive costis hærentibus: Folia autem tota Fœniculi similitudine sunt sed majora; singula in costas septem [hinc inde tres & imparem mediam] quinque majores, & duas verò parvas in imo obliquiores circa crassum petiolum rotundum atque cavum, hirsutum divisa, sesquipedalis longitudinis; lobuli verò minuti sunt, quàm Fœniculi breviores & hirsuti. *Caulem* è foliorum centro profert singularem Fœniculaceum, bipedalem aut tripedalem ad summum, tenuem, geniculis sive nodis absque foliis distinctum, paucis, rectum, foliis nudum, in cujus cacumine unicam aut duas *umbellas*, rarò tres invenimus, Julio mense *floribus* luteis onustas, amplas, dodrantali diametro, planas, verùm semina perficientes extuberantes rotundantur. *Semina* foliacea sunt, alata utrinque binis cartilaginibus, ut in Thapsia dicta, in quibus & in umbellæ centro, atque etiam in caule aliquibus concretum gummi flavescens, odoratum invenimus adhærens. *Semen* verò cartilagine denudatum oblongum, amarum, acre, & eodem cum radice odore.

Locus. Hanc propè vineam Reguli *Acquamena* dictam eruimus & copiosam invenimus, edito devexóque loco Septentrioni adverso: alibi etiam in Apulia frequens est.

Thapsia latifolia Hispanica Park. *latifolia Clusii* Ger. *Thapsia* 1. *Clusii, latifolia, flore luteo, semine lato, similis Seseli Peloponnensi Lobelii* J. B. *latifolia villosa* C. B.

Clus.

Ferulacea habet *folia*, viridia, villo seu lanugine quadam obducta, humi velut in orbem diffusa, ingrati saporis, inter quæ cubitalis, interdum etiam bicubitalis exilit *caulis*, digitalis crassitudinis, nodosus, intus cavus & fungosus, raris foliis præditus, summo fastigio magnam & latam sustinens *umbellam* luteorum seu flavorum florum, quæ dum maturuit *semen*, quod latum & acerosum est, germénque habet longum & angustum, sphæricam & orbicularem figuram quodammodo refert. *Radix* crassa, longa, summa parte capillata, crassiore libro vestita, foris subnigro vel fusco, interiore parte candicante, lacteo succo plena, gustu amarissimo & acri, nauseam tamen movente, adeo ingrata est, medius ejus nervus fungosus.

Locus & Tempus. Gaudet collibus petrosis, quales sunt non procul ab ostio Tagi supra Ulyssipponem & multis aliis Lusitaniæ Hispaniæque locis editioribus & incultis. Floret Augusto, nonnunquam maturiùs.

Hæc planta in quamplurimis ad præcedentem accedit, ut descriptiones conferenti patebit. Hinc C. Bauhino & nobis eadem videtur.

Thapsia quorundam hirsuta & aspera, Cicutæ folio, flore luteo, semine lato, aliis Seseli Peloponnesiacum J. B. *Seseli Peloponnense Cicutæ folio* Ad.

J. B.

Herba cubitali & altiore, ferulaceo, tereti, intúsque fungoso *caule*, ramis multis brachiato: *Folia* Cicutæ foliis quodammodo similia, crassiuscula, hirsuta multùm & aspera, in alas oppositas subjecta, quarum segmenta singularia semunciâ longiora, serrata: *Umbella* lata, lutea: *semen* magnum, per extrema bifidum, ex rotundo oblongum, labiis foliaceis, simile Thapsiæ Gargani montis, sed minus: *radix* sesquipalmaris, crassa, solida, exteriùs nigricans, intus alba, gustu amaro, acri & aromatico, terram versùs capillata.

Hanc plantam Lobelius & C. Bauhinus Thapsiæ latifoliæ Clusii proximè descriptæ eandem faciunt: J. Bauhinus ex autoritate Clusii distinguit, Lobeliúmque & fratrem notat. Ego C. Bauhini sententiam amplectar, donec meliùs edoctus fuero.

Locus. Invenitur in montibus circa Monspelium & Nemausum, & alibi in Gallia Narbonensi. Vide *Botan. Monspel.*

2. *Thapsia sive Turbith Garganicum semine latissimo* J. B. *Thapsia Carotæ folio* C. B. *minùs rectè ex sententia fratris.*

J. B.

Ampla & pulchra sunt hujus *folia*, glabra, pedem longa, in alas per certa intervalla ex adverso sitas divisa, atque eæ rursum in segmenta alternata vel fortuita subsecantur, Peucedani ferè segmentis singularibus similia, nisi & latiora & breviora essent: *Caulis* crassiusculus, desinens in *umbellas* magnas, quæ iterum dividuntur in parvas, luteas, quibus *semen* succedit longè maximum, unciam longum, paulò minùs latum, lobis præditum magnis foliaceis, per extremum bifidum, simile Thapsiæ latifoliæ Clusii, sed duplo ferè majus.

Locus. Plantam hanc in Regni Neapolitani monte Virgineo Campaniæ, & in monte Gargano Apuliæ reperiri refert Imperatus.

Vires. Thapsiæ radix ejúsve succus aut decoctum supernè infernéque cum violentia purgat, ideóque intra corpus exhiberi non debet. Quidam pro Turbith per errorem substituunt. Messanenses ex numero sunt, qui pro Turbith hac planta utuntur, ut rectè Imperatus.

3. *Thapsia Fœniculi folio* C. B. Park. *tenuifolia* Ger. *Thapsia* 2. *Clusii, flore luteo, foliis tenuioribus Fœniculi pænè instar* J. B.

Clus.

Hoc genus Thapsiæ cubitali donatur *caule*, graciliore tamen quàm prima species, *umbellâ* etiam simili florum & seminis, sed minore: *folia* illi multò tenuiora quàm illius, Fœniculi pænè foliorum instar, nullam insignem qualitatem habentia: *radix* longa, digitalis crassitudinis, foris nigra, intus candida & fungosa, acris, summo capite villosa.

Iisdem quibus primum genus locis invenitur.

4. *Thapsia Thalictri folio* Botan. Monsp.

Magnol.

Rara est admodum hæc Thapsia, ex Africæ litoribus allata circa propugnaculum dictum *la Tour de France*. *Radicem* habet crassam, quæ *folia* plurima producit plurifariam divisa, sicut in Thalictro pratensi Monspeliensium, latiora, crassiora, rugosiora & splendentiora, inter quæ *caulis* oritur cubitalis, umbellas habens flosculorum luteorum, quibus succedunt *semina* oblonga alâ foliaceâ cincta.

In horto Regio Monspeliensi colitur. *Locus.*

5. *Thapsia maxima latissimo folio* C. B. *maxima Hispanica* Park. *Th. Salmanticensis sive* 3. *Clusii, magna flore luteo, semine lato* J. B.

Clus.

Est hæc longè major superioribus, utpote *Caulem* habens tres aut quatuor digitorum crassitudinem æquantem, instar caulis Ferulæ, & sæpissimè humanam altitudinem superantem: *florem* & *semen* primo generi non dissimilia: *folia* antequam planta in caulem assurgat multò ampliora, in orbem tamen non secus ac illa humi diffusa, *radicem* etiam crassiorem.

Nascitur hæc non solùm agro Salmanticensi, sed circa Pinciam vulgò *Valladolid* dictam, & tota Vetere Castella ad Pyrenæos usque montes. *Locus.*

Sed nec parùm hallucinantur qui hanc plantam Cicutariam maximam fœtidissimam *Lob.* esse censent. Cùm Lobelius ipse dubius sit an Cicutaria sua maxima Brancionis sit Thapsia Salmanticensis Clusii, an potiùs Cicutaria maxima fœtida, eámque non describit, non est cur nos de ea admodum soliciti simus.

Vetulæ Salmanticenses, medicinam isthic exercentes, hujus radice utuntur ad provocandos menses, aliásque dejectiones moliendas. Tantâ autem vi tum supernè tum infernè purgat, ut sumentes in maximum periculum sæpenumero conjiciat. *Vires.*

6. *Thapsia fœtidissima* Park. *foliis Libanotidis fœtidissima* C. B. 4. *Clusii*, Tuero *vocata, foliis glutinosis, radice nigrâ foris* J. B.

Clus.

Eodem Salmanticensi agro & vicinis locis nascitur hæc Ferulacei generis planta, foliis Libanotidis, per terram similiter expansis, lento quodam & glutinoso rore semper aspersis, saturâ viriditate splendentibus, radice crassâ, longâ, tenerâ & fragili, foris nigrâ, intus albâ, succo lacteo plenâ. *Caulem* nullum observabam, sed eum ferre dicebant rectum, tenuem, & in eo *umbellam* florum pæne in globum coactam.

Tota planta teterrimi odoris est: unde verisimile esse conjicio non minùs esse noxiam quàm sit Thapsia, ad cujus genus referenda videtur.

7. *Thapsia vulgaris* Ger. *Carotæ folio* C. B. Park. *Carotæ facie* J. B. *An Thapsia Gesneri seu Turbith Garganicum?*

J. B.

Et lata & longa sunt Thapsiæ hujus *folia*, pediculo tam primario, quàm aliis minoribus segmentorum hirsuto, aspero, rubente: segmenta in alis foliorum singularia, non ex adverso nascuntur, alioqui tota facie Carotæ vulgaris folia satis referunt, hirsuta, venosa. Addit Parkinsonus *umbellam* florum luteam esse, quàm Ferulæ minorem, uti sunt & *radix* & *semen*.

C. Bauhinus Thapsiam Gesneri sive Turbith Garganicum huc refert, minùs rectè, quia Gesnero dicitur semine latissimo, quod huic non convenit. Idem Thapsiam Cæsalpini huc quoque refert, quam Joannes frater specie distinctam putat, quia Cæsalpinus Ferulæ, non Carotæ similem facit.

8. *Thapsia Cæsalpino semine candido crasso* J. B. *an eadem præcedenti?*

Caulem fert non excedentem bina cubita, candicantem veluti cinere asperso: *Folia* proportione minora, sed latioribus segmentis & subcandida: florem luteum in umbellis: *Semen* autem candidum, striatum, crassum & longius, in foliacea quædam labra desinens. *Radix* subest candida, crasso capite, in ramos diviso, succo lacteo valdè acri, ut tractantium & manus & facies tumescant.

Hæc

Hæc planta Cæsalpino descripta eadem est nostrâ sententiâ illi quam circa Messanam observavimus, fortè etiam Thapsiæ Gesneri seu Turbith Garganico (ut vult C. Bauhinus) & Thapsiæ Carotæ folio. Thapsiæ species citra necessitatem multiplicare videtur J. Bauhinus.

CAP. XIII.

De Ferula.

FErula, Græcis Νάρθηξ, à ferendo dicitur (ut nonnulli volunt) quòd scapi illius pedamenta fruticibus ac senibus baculi & scipiones essent. Plin. l. 13. c. 22. *Nulli fruticum levitas major, ob id gestatio facilior, baculorum usum senectuti præbet.* Alii Ferulæ nomen à feriendo impositum contendunt: Antiquitus enim discipulorum manus ferulâ cædebantur, unde Martialis Ferulam *sceptrum pædagogorum* appellat.

Ferula ab aliis hujus generis distinguitur foliis fœniculaceis, seminibus oblongis per maturitatem nigricantibus, quibus addi potest medulla fungosa, igni concipiendo idonea.

1. *Ferula folio Fœniculi, semine latiore & rotundiore* J. B. *fœmina Plinii* C. B. *tenuiore folio* Park. *Ferula* Lob. Ger. **Fennel-giant.**

J. B.

Ad quinque aut sex cubitos excrescit, *caule* crasso, fungosâ medullâ pleno, ramoso. *Folia* amplissima, divisurâ Fœniculaceâ, sed segmentis latioribus, Ferulæ glaucæ mox describendæ similia, sed magis virentia: Umbellæ latæ *florum* luteorum, quibus delapsis *semen* supervenit magnum, foliaceum, semunciam latum, paulò longius per extremum latescens, exteriore parte triplici lineâ elatiore striatum; quà gemina semina conjunguntur fibrâ unicâ longâ donata sunt. *Radix* crassa, ramosa, lacteo succo manans.

Odor plantæ nonnihil gratior videtur quàm Ferulæ glaucæ, sapor acris.

Locus. In montibus Messanæ imminentibus copiosè provenit, & alibi etiam in Sicilia & Italia: plurima quinetiam & procera in Narbonensi Gallia, præsertim rupibus illis præruptisque saxis propè subterraneas cryptas via quà Monspelio Frontignanam itur, ad dextram; ut rectè Lobelius.

Vires & Usus. Hujus caulis cùm exaruerit levissimus est, quia fungosus, adeò tamen robustus, ut sufficiat pro baculo ad sustentandam senectutem. *Cæs.*

Medullâ caulium fungosâ nonnullos in Sicilia pro fomite ad ignem è silice excussum concipiendum usos observavimus, cùm in insula illa peregrinaremur; unde intelligitur cur poetæ finxerint, Prometheum ignem cœlestem furatum, cavâ ferulâ exceptum deportâsse in terram,

Ἐν κοιλῷ νάρθηκι λαθὼν Διὰ τερπικέραυνον.

Hujus viridis medulla pota sanguinem spuentibus & cœliacis prodest, sanguinis eruptiones sistit: Semen potum torminibus auxiliatur. *Diosc.*

E Ferulis primâ tantum germinatione corculum quoddam pastores eximunt, ovi luteum induratum referens, quod sub cineribus assatum, priùs tamen chartâ aut linteo madefactis involutum, mox pipere & sole conspersum, non modo gustui gratissimus est cibus, sed etiam ad excitandam Venerem valentissimus.

2. *Ferula folio glauco, semine lato oblongo, quibusdam Thapsia ferulacea* J. B. *An Ferulago latiore folio* C. B? *Libanotis Fœniculi folio, semine foliaceo* ejusdem. *Ferula latiore folio* Park? *Panax Asclepium* Ang. & Cam. eidem. *Ferulago* Ger. **Broad-leaved Fennel-giant.**

Mirum quàm grandescat hujus radix: *Caulis* humanam proceritatem multùm excedit: *Folia* magna, ferulacea, minùs ad Fœniculum accedentia quàm præcedens Ferula, coloris glauci, potissimùm subtus, quorum singula segmenta latiora brevioráque sunt quàm Fœniculacea aut Ferulacea, succum lacteum manantia, odore gravi, sapore acri: Florum umbellæ colore subluteo. *Semen* magnum, compressum, striatum, nigrum, angustius quàm Ferulæ.

Descriptio Rosmarini *Ferulacei fertilis Dioscoridis* apud Lobelium in Adv. huic apprimè quadrat. C. Bauhinus Ferulam galbaniferam *Lob.* hujus Synonymam facit. Joannes frater dubius hæret an Lobelius per Ferulam galbaniferam hanc intellexerit. Descriptio *Ferulæ galbaniferæ* apud Lobelium nimis succincta est & sterilis, quàm ut ex ea certi aliquid exsculpere possimus. Nos tantisper C. Bauhini sententiam amplectemur, dum quis nos certius aliquid edocuerit: nec me multùm movet, quòd Lobelius hanc tradat sub titulo *Rosmarini Ferulacei fertilis Dioscoridis*: Fortè eandem plantam bis tradit sub diversis titulis. Ego certè Lobelii memoriæ non multùm fido.

Nec minùs incertum est quò referri debeat

* 3. *Ferulæ facie Thapsia sive Turbit Gallorum* J. B. *Thapsia Turbith Gallicum & Turbith cineritium officinarum* Ad.

Lob.

Hanc à Rondeletio in Aquitaniæ macilentioribus montosisque squalidis inventam propè vadum quà trajicitur in Hispaniam, tum ad radices Pyrenæorum non procul Perpignano sic describit Lobelius.

lius. Craſſior radicis cortex, fuſco foris colore, intus pallet, ſuccóque multo gliſcit lacteo, gummeo : *caulis* Peucedani, gracilior quàm Fœniculi, foliáque Fœniculo latiora, breviora : In umbellis *ſemen* Ferulæ minoris, oblongum, anguſtius, montani Sileris.

Nos (inquit J. Bauhinus) quò debeamus referre Thapſiam hanc Lobelii incerti ſumus. Multa habet communia cum Ferula glauco folio jam dicta: Verùm Roſmarinum ferulaceum *Lob.* meliùs cum ea convenit. *Fortè una & eadem planta ſunt Roſmarinum ferulaceum, Ferula glauco folio, & hæc, tribus diverſis nominibus per errorem pro diverſis plantis propoſitæ.* C. Bauhinus pro Thapſia duas Cluſii habet, & Thapſiam Fœniculi folio denominat. Thapſiam autem illam ſuperiùs tradidimus.

* 4. *Libanotis quibuſdam flore luteo, ſemine Ferulæ* J. B. *Libanotis Ferulæ folio & ſemine,* C. B. *Lib. Ferulæ folio & ſemine, ſive Panax Aſclepium Ferulæ facie Lobelii* Park. *Panax Aſclepias Ferulæ facie* Ger. emac.

J. B.

Folio eſt Ferulæ ferè pari, minutiùs diviſo, rigidiore, odoris non ingrati, pediculis ſolidis minimé-que fungoſis nixo: *Caule* procero, ramoſo, ſtriato. *Flore* umbellato, luteo, parvo: *ſemine* raro per ſparſam umbellam, foliaceo Ferulæ, longo, duplici, albicante, potiſſimùm quod foliaceum in illis eſt, ſtriato, inſigniter amaro & veluti reſinoſo: [*Caule* & *radice* magnitudine atque ſimilitudine Anethi odorato *Lob.*]

Ex Iſtria aſportavit Valerandus Dourez, Inſulanus, Lugduni Pharmacopœus. *Locus.*

Hanc à ſupra-ſcriptis diverſam eſſe vel ſolus ſeminis color albicans evincit.

Ferula galbanifera *Lob.* quam ortam ſcribit è ſemine reperto Antverpiæ in Galbani lachryma, quò referenda ſit, an ad Ferulam folio glauco, &c. dubius hæret J. Bauhinus. Nos (ut diximus) cum C. Bauhino ſentimus, nimirum Ferulaginem latiore folio eſſe ipſiſſimam Ferulam galbaniferam Lobelii.

De Galbano. Galbanum ſuccus eſt pinguis, non tamen Oleo ſolubilis, ſed aquâ; mediâ quodammodo naturâ conſtans inter gummi & reſinam, accendi enim igne ut Reſinam, humore aqueo ſolvi ut Gummi: colore flaveſcente [intenſè flavo vel albido *Schrod.* ex ruffo ſublivido *Cæſ.*] ſubſtantiâ molli & ceræ inſtar ductilis, ſapore amaricante cum acrimonia, odore vehementi, & cum gravitate quadam viroſo [Opopanacem referente *Schrod.*]

Vires. Galbani opera præcipua ſunt emollire & digerere. Uſus intrinſecus eſt in menſibus ciendis, fœtibus vivis & mortuis necnon ſecundinis pellendis. Extrinſecùs etiam prodeſt in partu ac menſibus, in ſuffocatione uteri, vertigine. Locus eſt fumi etiam in Epilepticis, hyſtericis, ſyncopticis, &c.

Qui diluto manus unxerit, impunè tractabit ſerpentes; ſi Veteribus fides.

* 5. *Ferula Tingitana folio latiſſimo lucido* Hort. Edinburg.

Hunc titulum invenimus in Catalogo Horti Medici Edinburgenſis: plantam ipſam nondum videre contigit. Nuperrimè folium ejus ſiccum ad me Londino miſit ingenioſiſs. Vir, & Botanices peritiſſimus D. *Hanſ. Sloane,* titulo Ferulæ foliis lucidis & criſpis, quod mihi potiùs Apium quoddam referre videbatur quàm Ferulam.

Ferulago tenuiore folio C. B. *Ferulago, ſive Ferula minor* Park.

Hæc multò humilior eſt *Ferulagine latiore folio* ſuperiùs deſcripta n. 2. *foliis* minoribus & anguſtioribus, Fœniculaceis tamen majoribus, uti ſunt & umbellæ; *Semina* præcedentium utriuſvis [primæ & ſecundæ ſpec.] minora, iis tamen ſimilia & nigricantia: *Radix* minor & candidior, paucis fibris donata.

SECTIO SECUNDA.

De Plantis Umbelliferis semine tumidiore & minùs compresso donatis, eòque majore.

HAS seminum respectu dividemus in eas quæ semine sunt, 1. Subrotundo, magno, fungoso; *Cachry* dicto: 2. Striarum loco multis alis foliaceis cincto: 3. Longo, nonnullis rostrato: 4. Breviore striato; eòque vel majore vel minore.

Plantæ Umbelliferæ semine tumidiore & teretiusculo seu rotundo sunt vel

- *Piluliferæ*, seu fructu maximo, fungoso, subrotundo *Cachry* dicto: LIBANOTIS *cachryophorus*.
- Semine *multis alis foliaceis cincto*, striarum loco: LASERPITIUM.
- *Longo*, quibusdam rostrato dicto,
  - *Magis propriè rostrato*, utpote Geranii moschati fructûs æmulo: SCANDIX, *Pecten Veneris*.
  - *Lævi*,
    - *Major, perennis*: CICUTARIA *vulgaris, Myrrhis sylvestris*.
    - *Minor annua*, odorata: CEREFOLIUM seu *chærephyllon*.
  - *Striato*, foliis
    - *Latioribus*;
      - *Major*, semina itidem maximo, odorata, radice perenni, foliis Filicis æmulis: MYRRHIS *sativa*.
      - *Minor*, annua semine minore, caule solido, nodoso: CEREFOLIUM *sylvestre*.
    - In tenues lacinias dissectis, seminibus in hoc genere brevioribus; foliorum segmentis
      - *Crebrioribus*, capillaceis, radice perenni: MEUM.
      - *Paucioribus* majoribus, radice annua, semine odorato, incurvo: CUMINUM.
- *Breviore*,
  - *Striato*
    - *Lævi*, hoc est neque hirsuto, neque villoso, neque aculeato.
      - *Majore*,
        - *Per maturitatem nigro*, tumido, & ferè rotundo, foliis latis: SMYRNIUM.
        - *Per maturitatem albente*, aut minùs colorato; foliis
          - *Latissimis*,
            - *Ramosioribus*, odoratis: ANGELICA.
            - *Tripartitò divisis* & subdivisis, radice perpetua, acri: IMPERATORIA.
          - *Minùs latis*
            - *Apii*, magna & elata, radice perpetua, odore valido nec ingrato: LEVISTICUM.
            - *Aquilegiæ*; LIBANOTIS *Aquilegiæ folio*.
            - *Seselios*; summis segmentis tripartis: SILER *montanum*.
            - *Fœniculi*; SESELI *montanum Fœniculi folio*

- *Minore,* radicibus
  - *Tuberosis,* tubere
    - *Simplici,* semine lævi aut obscurè striato, foliis minutis, radice esculenta: BULBOCASTANUM.
    - *Multiplici,*
      - *Foliis, odore & sapore Pastinacæ latifoliæ:* SISARUM.
      - *Foliis tenuiùs dissectis, in aquosis nascentes:* OENANTHE, *Filipendula aquatica.*
  - *Cauliformibus* strigosioribus & lignosioribus, foliis
    - *Pinnatis* aut minùs saltem ramosis,
      - *Forma, odore & sapore Pastinacæ latifoliæ:* SIUM.
      - *Foliis Pimpinellæ sanguisorbæ,* radice fervidâ: PIMPINELLA *Saxifraga.*
      - *Foliis profundè laciniatis,* radice dulci, semine aromatico: CARUM.
    - *Ramosioribus* seu triangulatis
      - *Latioribus,*
        - *In pauciora & obtusiora segmenta* seu folia simplicia divisis: APIUM.
        - *In plura & acutiora;*
          - *Cicutæ æmula,* CICUTA *& Cicutaria.*
          - *Carotæ similia,* umbellâ pariter clausâ: VISNAGA, *Gingidium.*
      - *Angustioribus,* in segmenta seu folia simplicia divisis
        - *Breviora,* acutâ umbellâ subluteâ: SAXIFRAGA *pratensis, Fœniculi æmula maritima:* CRITHMUM.
        - *Longa, angusta,* per margines serrata; seu *breviora minus aspera,* semine aromatico: AMMI; seu longiora, latiora, asperiora, radice reptatrice: CRITHMUM 4. *Matth.*
      - In segmenta tenuissima capillacea divisis
        - *Oblonga;* FOENICULUM.
        - *Breviora:* DAUCUS, sub quo nomine multas complectimur species, variis appellationibus à Botanicis insignitas. Quæ radice fervida est, PYRETHRUM dicitur.
      - *Imis latis, summis tenuibus,* semine dulci, aromatico: ANISUM.
- *Hirsuto;* cujus generis plures species sunt, nullo communi nomine donatæ, ut v. g. *Daucus Creticus, Apium Macedonicum.*
- *Aculeato seu echinato* aut hispido: CAUCALIS.
- Sphæricæ rotunditatis; Cimicum tetro odore: CORIANDRUM.
- *Anomalæ maritimæ:* PASTINACA MARINA.

CAP. I.

De Libanotide Cachryophora.

Libanotis, quòd radix ὄζει λιβάνου thus redoleat, dicta est; ejus semen Cachrys dicitur. Cachrys autem plurima significat, de quibus consule Grammaticos.

Notæ hujus generis characteristicæ sunt folia tenuiter dissecta, semina tumida, nucis Myristicæ parvæ figurâ, fungosâ substantiâ nucleum ambiente.

Vires. Cæterum Cachrys, autore Dioscoride, vim habet calefacientem & valdè resiccantem: unde in smegmate commodè miscetur, & ad fluxione laborantes oculos capiti inspergitur, & post triduum desiccatur.

Secundùm Æginetam vim habet repurgandi, discutiendi & calefaciendi, ideóque comitialibus subvenit, & suffusis felle cum Pipere & vino potum. Illinitur idem ruptis, convulsis & podagris utiliter. Usus ille etiam est ex oleo contra febrium perfrictiones & cum tremore algores.

* 1. *Tataria Hungarica edulis, Panacis Heraclei folio, semine Libanotidis Cachryophoræ* J. B. *Panaci Heracleo similis Ungarica* C. B. *Pan. Heracleo similis Tataria Ungarica dicta* Park.

Clus.

Non vulgaris est planta, quæ radicem habet crassissimam & longissimam: nam brachialis crassitudinis, & cubitalis longitudinis, aut etiam ampliores accipere meminit Clusius ab Ill. Dn. Balthasare de Batthyan, qui in ejus gratiam ex Ungaria Transdanubiana adferri jusserat, ut in hortum suum Viennæ transferret. Illis autem *folia* emerserunt Rapi foliis non valdè dissimilia incisuris & laciniis, breviora tamen, & veriùs ad Panacis foliorum formam accedentia, rudi atque aspera lanugine prædita, ex viridi pallescentia, alia deinde paulò minoribus incisuris divisa, nec minùs aspera, inter quæ assurgebat Caulis cubitalis aut amplioris longitudinis, pollicaris verò crassitudinis, striatus, concavus & nodosus, perinde asper ac folia; quem lato pediculo amplectebantur minora folia & multifida, asperâ etiam lanugine obsita. Summus caulis in umbellam desinebat Panacis Heraclei umbellis similem, in quibus *flores* & formâ pares & colore: quibus evanidis succedebant rara (nam singuli flores non sunt fœcundi) semina, valdè crassa, nec valdè absimilia semini illi magno & striato Libanotidis Cachryophoræ. Biennio quidem eas radices aluit Clusius antequàm una illarum & caulem & semen proferret: deinde corruptæ sunt, tandémque fœtidum odorem exhalârunt, ut horto fuerint ejiciendæ.

Usus. Hujus porro radice Ungari Agriæ vicini atque etiam ulterioris Daciæ contermini in annonæ caritate & inopia vescuntur alterius panis penuriâ, ut Clusio asserebant non modò Heros ille illustris, sed etiam alii nobiles viri qui in eâ provincia vixerant.

2. *Libanotis Cachryophoros quibusdam, floribus luteis* J. B. *Ferulæ folio, sive Cachryfera, sive Cachrys vera* Park. *Ferulæ folio, semine anguloso* C. B. *Libanotis Galeni, Cachrys verior* Ger. *quoad iconem.*

J. B.

Cubitorum aliquot est altitudine caulis [Parkinsono binos cubitos non multum superat, quàm Ferulæ humilior & tenuior] lævis, ramosus: *Folia* Peucedani foliis similia, strigosiora, teneriora, in longa, tenuia segmenta divisa, terna simul ut in Peucedano. *Umbellæ* magnæ florum luteorum: quibus *semina* succedunt magna, ventricosiora unâ parte, oblonga, canaliculata, & per extremum coronata, stylo ex utriusque commissura prominente, alba, aromatica, acria, amaricantia. [Cæsalpino semen crassum est & rotundum ac striatum, osseo cortice candido, quo fracto nucleus intus apparet albicans, &c.] *Radix* unica, profunda & candida, acris; Parkinsono Radix tam exteriùs quàm interiùs alba, altè in terram descendens, & in multos ramos divisa, summâ parte Pastinaca major, fragilis admodum & succo lacteo turgida. Morisonus semina fungosa lævia & æqualia huic attribuit, quo à sequentibus duabus distinguitur, eámque Cachryn sive Libanotin Cachryophoron semine fungoso lævi appellat.

Locus. Elegantissimam hanc plantam copiosè invenit D. *Magnol* secundùm fluvium *la Maussou* eundo à ponte dicto *de Saint Jean de Vedas* ad pontem Villæ novæ ad dextram, in elato colle propè molendinum dictum *la Tour*, Maio mense florentem.

* 3. *Libanotis cachryophoros semine sulcato aspero* Moris. *Hippomarathrum Creticum* Park. C. B. *ex sententia P. Boccone & nostra. Hippomarathrum Siculum* P. Boc. *Fœniculum magnum sive Hippomarathrum* J. B.

Hanc sic breviter describit Morisonus,

Præcedente altior proceriórve est: *folia* gerit Peucedani similia, ast tenuiora: *Semina* itidem oblonga habet, striata ut superioris, in gremio fungosæ substantiæ, torulis canaliculatæ seu sulcatæ, sulcis asperis.

Hujus semina à *Jacobo Barillier* S. T. D. Româ ad D. Morisonum transmissa sunt. Plantam ipsam postea semine prægnantem vidit Parisiis apud D. Marinum, Anglum dictum.

Bellus Ep. 1. ad Clusium sic eam tradit:

Folia tenuia, Fœniculi quodammodo similia profert; caulem lævem, duos aut tres cubitos longum, minimi digiti crassitudine, geniculatum: *flore* luteum in umbellis ut Anethum: *semina* magna, Cachryi similia. *Radice* nititur firmâ, magnâ, odoratâ. Vocatur πλατυκύμινον.

Hujus

Hujus semen vulgariter à mulieribus coquitur in lixivio ad capillos aureo colore tingendos. *Usus.*

Paulus Boccone adhuc pleniùs & accuratiùs hanc plantam describit, cujus idcirco verba adferemus. *Radix* ei longa, crassa, summa parte (ut pleræque Ferulacei generis plantæ) villosa. *Caulis* cubitalis aut bicubitalis, interiùs fungosus, exteriùs striatus seu sulcatus, multis alis hinc indè à caule præcipuo emergentibus. *Folia* Peucedani, quandoque Seselios aut Fœniculi modo divisa, duriora & firmiora tamen: Sic enim planta hæc in Sicilia sponte nata foliis ludit, comantibus semper in umbellis magnis pluribus flosculis luteis: quibus discussis atque evanidis exteriùs succedit pericarpium fungosum, sulcatum, asperum, Pisi maximi magnitudine, quod adhuc viride tam arctè conjungitur ut unum videatur, cùm exiccatur tamen binatim finditur. In singulis pericarpiis latent singula *semina* oblonga, Tritici grano paria.

Passim Panormi, Agrigenti, Messanæ, alibíque per Siciliam conspicitur satis frequens. *Locus.*

* 4. *Libanotis cachryophoros semine sulcato lævi* Morisoni.

Hæc non alia in re differt à præcedente quàm seminum sulcatorum æqualitate: certè non alias differentiæ notas assignat Morisonus.

Hujus semen è Mauritania Tingitana à D. *Alexandro Balam* missum, Westmonasterii in horto *Edwardi Morgani* satum succrevit, floruit & semen perfecit.

Cap. II.

De Herbis semine multis alis foliaceis striarum more secundùm longitudinem decurrentibus donato, seu

De Laserpitio.

Laserpitium (Σίλφιον) Antiquis tantopere celebratum, quæ planta fuerit, hodie ignoratur. Quæ de eo Theophrastus, Dioscorides, Plinius habent, apud ipsos vide. Consule etiam si placet J. Bauhinum & Jo. Bodæum Comment. in Theophr. Hist. Lib. 6. p. 589. & sequent. qui de Laserpitio fusè disputat. Sciendum tamen Cyrenaicam regionem laudatissimum Silphium protulisse.

Quæcunque tamen planta fuerit Veterum Silphium seu Laserpitium, id enim nescimus, nos pro Laserpitio habebimus plantam semine multis alis foliaceis [8 in binis seminibus conjunctis] secundùm longitudinem, striarum more, decurrentibus donato. Ex hoc etiam numero sunt Libanotides Theophrasti seu latifoliæ nonnullis dictæ. Laserpitium Alpini & Bodæi ad aliud genus pertinere videtur: si Bodæi mentem rectè assequor, nam semen foliaceum ei attribuit, i. e. compressum & planum, ut ego interpretor, quamvis tumidum appingat, unde per foliaceum fortè intelligit alis foliaceis extantibus circundatum.

Quidam Silphium Veterum Assam fœtidam esse volunt, quos refutant Marcellus Virgilius & *Jo. Bodæus à Stapel; quos adi.

* *Comment. in Theoph. hist. lib. 6. c. 1.*

* 1. *Laserpitium Daucoides Pratenicum viscoso semine* Breynii.

Breynius.

Hujus *radix* Dauci vulgaris *Clus.* similis, sapore amaro cum quadam dulcedine, in fibras autem crassiores magis brachiata, hócque aliquando ab ipso statim capite: unde *folia* humi sparguntur in orbem dodrantalia, hirsuta, Dauci hortensis aliquatenus paria, in lacinias verò pauciores, majores, latiores & obscuriùs virentes dissecta. Inter quæ altero, subinde & tertio à satione anno *caulis* cubitalis vel altior erigitur, pennæ anserinæ crassitie, rotundus, striatus, hirsutus, medullà albâ plenus, viridi, vel ex albicante subviridi colore, dodrantalibus interstitiis distinctus geniculis, è quibus se *folia* proferunt, inferioribus similia, ast lobulis latioribus divisa: ex illorum alis, præsertim superiorum, singulis singuli exoriuntur *rami*, quorum apices, æquè ac caulis, uncialibus, angustis, acuminatis, limbo albo cinctis, dependentibus circumradiantur foliolis: horum è gremio *umbella* ampla, radiis subalbidis, vel aliquando amethystinis, bi- & triuncialibus constans exsilit, in alias divisa umbellulas *flosculorum* niveorum ex foliolis quinis & totidem staminulis constructorum, compositas; sub quorum pedunculis foliola parva, quaquaversum instar jam dicti caulis & ramorum apicum radiata cernuntur. Flosculis pereuntibus succedunt unicuique *Semina* bina simul juncta, tenuia, oblonga, Panacis Asclepii Apuli *Col.* minora: in quorum singulis alæ membranaceæ ac pellucidæ, ad spadiceum cum maturitate vergentes, semper quatuor, utpote convexâ parte seu dorso duæ, & totidem in marginibus, observantur. Hæc relicto stylo nutritivo facilè dissiliunt, & ad conservationem sui generis tandem decidunt. Cæterùm semen nostri Laserpitii viscosâ quadam materiâ, odoratâ, manus quasi inficiente dum viret obsitum, contritúmque gratissimum ex Citro, Benzoino & semine Dauci mixtum, aromaticum, cerebrum admodum recreantem odorem spirat; à quo sapor oris halitum commendans multùm recedere non videtur, quanquam magis volatilis, languidior, & linguæ amarore suo paulò ingratior.

Ericetis & fruticosis nonnullis Borussiæ & Cassubiæ collibus gaudet. Augusto & Septembri floribus & seminibus onustum observavit Autor. *Locus.*

Variat foliis latioribus & minùs hirsutis.

2. *Laserpitium Gallicum* C. B. Park. *Laserpitium è regione Massiliæ allatum* J. B. *Laserpitium* Ger. **Laserwort.**

J. B.

Caulis huic præaltus, Ferulæ par, striatus, geniculatus, fungosus. *Folia* in alas dividuntur, è regione oppositas, quæ in minores rursum subdividuntur. Folia singularia nullis hærent pediculis, ex adverso sita, triplice ferè per extremum divisurâ, Spinæ albæ foliorum æmula, crassiuscula & firma: aversâ parte rari pili, rigidiusculi. *Umbellas* tradunt Adversaria [Lob. & Penæ] prægrandes esse Ferulæ, aut latiores quàm Anethi: *semen* Angelicæ foliaceum, rotundum, compressum, odoratum & colore buxeo, [rectiùs alis membranaceis striarum loco decurrentibus, quatuor numero in singulis seminibus, octo in binis junctis donatum.] *Radicem* prægrandem, intus albam, foris cinericeam, succo prægnantem, mollem, pinguem, odoratam, majorem quàm Thapsiæ aut Ferulæ.

Laserpitium foliis angustioribus saturatè virentibus Morisoni. *An Laserpitio Lobelii similis angustifolia* J. B?

Moris.

Foliis est lucidis & saturatè virentibus plurifariàm divisis. *Semen* alis crispis undulatis leviter quatuor numero ornatur. *Radicem* habet prægrandem, intus albam, foris cinericeam, succo prægnantem, mollem, pinguem odoratam.

4. *Laserpitium foliis angustioribus, dilutè virentibus, conjugatim dispositis* Morisoni.

Moris.

Foliis multò priorum angustioribus præditum est, per lobos longiusculos, angustos, ex adverso dispositos, & Rachi seu costæ mediæ adhærentes. Radice, caule, semine cum præcedenti convenit.

Omnium pariter horum trium Laserpitiorum seminum alæ foliaceæ numero octo sunt, videlicet binæ erectæ in singulis seminibus, hinc inde, & binæ aliæ ad basin, quà semina cohærent seu coaptantur; adeò ut in singulis seminibus appareant duæ semper in dorso seu convexa parte seminis, totidem versùs basin seu planam partem dum seorsim considerantur; dúmque adhuc sunt viridia & conjuncta numerantur sex, binis alis ad basin arctè sibi conjunctis, & unius hinc indè speciem exhibentibus, cùm in seminibus singulis exsiccatis & deciduis apparent quatuor.

Laserpitium Cyrenaicum, Veteribus, [Theophrasto, Dioscoridi, Plinio, aliis] tantopere celebratum, tam eximii usûs in cibo, medicina & jumentorum pecudúmque pabulo, quæ planta fuerit hodie ignoratur. Cùm ergo nihil habemus quod adjiciamus iis quæ à jam laudatis Autoribus de eo prodita sunt, Lectorem qui plenam ejus historiam desiderat ad ipsos remittimus, vel ad J. Bauhini Hist. Plant. lib. 27. cap. 53. qui quicquid de eo uspiam scriptum extat corrasit, tandémque concludit, se cum Marcello credere Silphii ferulam hanc non fuisse Balsami arbuscula viliorem, nec liquorem liquore etiam inutiliorem. Siquidem peregrina Græciæ & Italiæ, ideóque in majore dignitate cui illa semper fuit, ac certos privatímque sibi traditos natales locos, quod omnibus eam fecit optabiliorem accepit; ad Cyrenem sc. lætiores campos, etsi postea extinctum omne illud Silphium fuerit. Et ne longiores (inquit) simus, ob raritatem, & quas habet ad utramque valetudinem egregias utilitates, gentibus ad spectaculum, & in Deorum templis ad religionem & anathemata proposita diu fuit. Cyrenenses Delphis Apollini quotannis Silphii caulem ex agri sui opibus offerebant: Ferulámque hanc suam tantopere amaverunt, ut conditori Batto perpetuum cum eo honorem habuerint: in gemma quâ publice in signandis epistolis civitas utebatur Battum generis sui auctorem ostendentes, cui mulier quo decebat corporis ornatu & habitu Silphii caulem porrigebat, fortunæ simul naturæque pro suis opibus gratias agens, gloriam felicitatémque suam, gratâ utriusque beneficii memoria sic ostentans. Id certe maximum pretii & honoris in Ferula hac argumentum fuerit, quòd egregium, rarum, amabile, preciosúmque aliquid Græci significantes, non aliter quàm ut in dicto proverbio fit, Batti Silphium jactitabant, neque immerito, cùm tanta fuerit quondam, utroque tempore morborum & sanitatis ex eo humano generi voluptas simul & necessitas, támque quotidianus & amabilis cunctis usus. Subsequens planta quum pro vero Veterum Laserpitio venditant Pr. Alpinus & Jo. Bod. à Stapel, Comment. in Theophr. Hist. lib. 6. cap. 3. non est propriè hujus loci, sed ex semine Ferulæ potiùs species censenda. Et revera Laserpitium Veterum seminis formâ (quod Theophrastus foliaceum & Atriplicis hortensis semini simile facit) cum Ferula convenit, non autem cum plantis hoc capite propositis, quæ idcirco minùs rectè Laserpitii nomine insigniuntur. Verùm quoniam insigni nota ab aliis omnibus Umbelliferis differunt, convenit ut distinctum nomen iis imponatur, cumque alii dudum Laserpitii titulum illis accommodàrunt eoque jam usu recepto apud Botanicos innotescere cœperunt, nos nihil innovabimus, sed quod usurparunt nomen illis relinquemus.

* 4. *Laserpitium* Alpini exot. Park. *Jo. Bodæo à Stapel comment. in Theoph. hist. lib.* 6. *pag.* 588.

Alpin.

Mense Julio, cùm hanc plantam in horto Bembo Patavii conspexit Alpinus, *Caule* erat procero, longitudine trium cubitorum, recto, cavo, brachii crassitie, longitudine magnitudinéque Ferulæ cauli simili, quinetiam & eodem colore infecto, ità ut videretur in omnibus ei quàm simillimus, & foliosus ab radice, foliáque Selini foliis similia fert, etiam folia sylvestris Angelicæ æmulantia,

licet

licet majora essent, atque ipsius radicem brachiali crassitie & longitudine præditam observavérimus. Istiusce plantæ caulis, antequam in ipso umbella eruperat, brachialis crassitiei erat, atque in cacumine veluti conum habere vidimus, & tunc temporis magnitudine & figura caulem Laserpitii, qui in antiquis Jovis Ammonis numismatis impressus cernitur, prorsus æmulari videbatur. Ferreq; hunc caulem in umbella semen latum, foliaceum, & particulatim (ut de Laserpitio expressit Theophrastus) quale est Atriplicis hortensis, postea vidimus: atque etiam quod Laserpitii proprium esse videbatur, per æstatem, quo tempore casu eam plantam offendi, & caulis & radix copiosius lacteum succum odoratum effudit, qui primùm colore veri lactis cernebatur, postea collectus & aliquandiu asservatus colore fulvescebat, & erat odoratus, alicujus calefactionis non expers.

Ex seminibus è Thracia delatis orta est hæc planta. Postquam semen perfecerit marcescit. Addit J.Bodæus, folia admodum viridia esse (splendentia ac si vernice vulgò dicta fricata essent, flosculos in umbella luteolos; semen aureo dilutiore colore præditum.

5. *Libanotis Theophrasti minor* Ger. Park. *latifolia altera sive vulgatior* C. B. *Lib. Theophrasti quorundam sive Seseli Æthiopicum Matthiolo, Cervaria alba* J. B. **Herb Frankincense of** Theophrastus, **the lesser.**

J. B.

Radicem nigræ Cervariæ habet crassam, valdè longam, comatam, verùm albam: *Caulem* nodosum duorum aut trium cubitorum: *Folia* singularia quàm Cervariæ prædictæ multò majora, subrotunda, serrata, quàm illius tamen minùs, inferiùs pænè glauca, superiùs viridantia: totum autem folium longo pediculo hærens, in alas subdividitur oppositas, quæ rursum in folia ex adverso sita subdividuntur. *Umbellæ* latæ: *Flores* albi: *Semen* gemellum, octo angulis seu alis membranaceis extantibus donatum, cùm quadam acrimonia & amaritudine.

In montibus propè Genevam copiosè provenit. Uberrimè etiam nascitur per omnes Ungariæ, Austriæ & Stiriæ sylvas, teste Clusio. Nos quoque in Alpibus Stiriacis eam observavimus. *Locus.*

* 6. *Libanotis latifolia minor semine crispo* C. B. *Libanotidi Theophrasti quorundam valdè similis, Costus amara dicta, semine crispo* J. B.

C. B.

Hæc à præcedente foliorum magnitudine & numero, seminísque formâ præcipuè differt: cùm in vulgata singulæ foliorum alæ magna ex parte quina folia habeant, uno extremam alam occupante: hæc in primis duabus alis tria tantùm, & in media ala quinq; obtinent, [minùs & rariùs serrata, & quædam vix serrata, nobis etiam videntur tactu crassiora] *Cauli* cubitali, glabro, umbella parva [amplâ *J. B.*] flosculorum alborum insidet, quibus succedit *semen* oblongum [breve *C. B.*] eleganter crispatum, nonnihil amaricans cum acrimonia.

Hanc Parkinsonus præcedentis duntaxat varietatem facit.

7. *Libanotis Theophrasti major* Ger. Park. *latifolia major* C. B. *Theophrasti quorundam folio minùs rotundo* J. B. ejusdémque *Seseli Æthiopici Matthioli aliud genus Clusio.*

Clus.

Majores habet foliorum alas, hoc est, in plura folia nempe bina & vicena plerunque divisas, superioribus magnitudine longè cedentia, quæ supernè splendentia minùs virent, & prona parte cineracei prorsus sunt coloris, omnia in ambitu non modo ut superioris [loco penultimo descriptæ] serrata, sed etiam laciniis dissecta: æqualem cum superiore habet *caulem*, nodis similiter interceptum, *florum* umbellas similes; *semen* par: *radicem* non dissimilem.

Floret Junio, interdum etiam seriùs: Semen Augusto maturum est. Per Austriæ & Stiriæ sylvas nascitur, nusquam tamen copiosiùs quàm in *Calenberg*. *Tempus & Locus.*

J. Bauhini planta folio erat amplissimo, cubitali, tripartito, & tripartitis denuo brachiis, in terna quoque plurimùm foliola desinentibus, sublonga, minùs rotunda quàm in præcedente, serrata, postremum etiam interdum trifidum, inferna parte magis candicante.

* 8. *Libanotis Apii folio, semine aspero* C. B. *Lib. Theophrasti Apii folio Cretica* Park. *Rosmarinus foliis Selino similibus* Bel.

Bellus.

Folia hujus Selino similia sunt, serrata: *floré sque* in umbellis albi: quibus succedunt *semina* oblonga, aspera: *Radice* nititur crassâ, foris nigro cortice eóque tenui vestitâ, intus albâ, thus maximè olente: ideò (inquit Bellus) Libanotis legitima mihi videtur, quam Theophr. lib. 9. cap. 12. descripsit: licet radix sit nigra, quia detracto levi cortice spectatur maximè alba.

Appellatur vulgo σκοτωμα, quod vertiginem inducere credatur, &, ni fallor, Siler Creticum à quibusdam perperam vocatur.

Planta hæc ob semina oblonga aspera non videtur huc pertinere: verùm quoniam de loco non constat, & radicis odore cum præcedentibus convenit, non movendam duximus.

C. Bauhinus hanc plantam in pinace suo bis ponit, primùm nomine superius allato, iterum sub titulo Ligustici 2. seu foliis Cicutæ.

CAP.

CAP. III.

De Umbelliferis semine rostrato, seu Scandice aut Pectine Veneris dicto.

SCandicem Veterum Pectinem Veneris non fuisse probat J. Bodæus à Stapel. Pecten autem Veneris à seminum nostris confertis, Pectinis dentium æmulis, dicta est hæc herba.

Seminibus in rostrum productis Geranii moschati rostra proxima similitudine referentibus ab omnibus aliis Umbelliferis distinguitur, ut plures notas conquirere non sit opus.

A. 1. *Pecten Veneris* J. B. *Veneris sive Scandix* Ger. *Scandix vulgaris sive Pecten Veneris* Park. *Scandix semine rostrato vulgaris* C. B. Shepherds needle, or Venus-comb.

Ex *radice* alba, simplici, paucis fibris donata, sapore dulci [ut mihi videtur subacri] prædita *caules* producit tenues, dodrantales, hirsutos, juxta terram rubentes, superiùs virentes, striisque utplurimum rubris distinctos, in ramos divisos: folia longis ferè pediculis appensa, Coriandri divisurâ tenui, sapore subdulci, subacri & nonnihil nauseoso [Dodonæo folia tenuiora quàm luteæ radicis Pastinacæ, latiora verò, crebriúsque dissecta, minúsque odorata quam Chærophylli] *Flores* umbellatim positi colore albo, ad Myrrhidis flores quàm proximè accedentes, nisi quòd incisi minimè sunt ut illi, pediculísque longioribus ceu corniculis, quod siliquæ est rudimentum, insident. Ad parvæ umbellæ basin quina folia caulem latis brevibúsque pediculis amplectuntur, quæ postea minutim reliquorum instar dividuntur. *Semen* longum, in mucronem extenuatum, aut citius (ut inquit Dodonæus) crassis magnísque acubus simile. Umbellæ autem seminum Geranii moschati seminum umbellas proxima similitudine referunt. Rostra maturo semine dissiliunt in duas partes, manente in medio membrana tenui, alba, simili quodammodo acui Tritici aut Hordei.

Locus. Inter segetes tam in Anglia quàm in transmarinis regionibus passim provenit.

Usus. Hujus plantæ vix ullus hodie in medicina usus est: nonnulli tamen radicem cum Malva tusam omnia corpori infixa extrahere aiunt. Eadem cum herba & floribus in patella calefacta, ex vino albo meraco & butyro unà cum hortensis Petroselini foliis, pubíque adhibita remorantem urinam, pueris præsertim provocat, autore Matthiolo.

Quidam teneram adhuc crudam vel coctam cum butyro & oleo esitant.

2. *Scandix Cretica minor* C. B. *Cretica minor, sive Anthriscus* Park. *Pecten Veneris tenuissimè dissectis foliis, Antriscus Casabonæ* J. B. *Anisomarathrum Apulum* Col. *Scandix minor sive Anthriscus* Ger. emac.

J. B.

Ex *radice* tenui, parùm fibrosâ *caulis* unus vel plures tenuis exit. *Folia* ad radicem ex longiusculo pediculo, tenuissima, Mei ferè divisura, [odoratiora multo, quàm Scandicis vulgaris Bello, saporis qualis ferè Chærophylli vulg. Clus.] quæ per caules pediculi sui vaginâ eos complectuntur, indidémque alii seorsim pediculi prodeunt duûm triúmve unciarum, quorum extremis hærent in minima umbella *flosculi*, qui post se relinquunt radiata *cornicula* Pectinis Veneris, unciam circiter longa, at breviora & tenuiora quàm in illa, quina plerunque ubi parvæ plantæ, ubi majores plura.

Locus & Usus. Provenit lætis collibus, locis siccis & inter saxa: Manditur in acetariis vere, & maximè appetitur. Venerem mirum in modum excitat & adjuvat. *Bellus.*

Semen pro Scandicis Creticæ missum à me satum plantam produxit Scandici vulgari simillimam, imo planè eandem. Idem ferè accidit J. Bauhino: unde quicquid intercedit discriminis cœlo aut solo deberi suspicor: nisi detur in plantis transmutatio specierum.

Invenitur circa Monspelium, in sterilibus *à la Colombiere* & in colle *Ferran* odore suavi Anisi, imò & sapore. *Botan. Monsp.*

3. *Scandix Cretica major* C. B. Park. *Pecten Veneris Creticum* J. B. The greater Shepherds-needle of Candy.

C. B.

A præcedenti differt *foliis* inferioribus subrotundis, per oras obliquè dissectis, Saxifragæ minoris Lobelii similibus, sed nigrioribus, leviter hirsutis: *caule* altiore, cubitali, anguloso, striato, subhirsuto: petalis florum latioribus: *seminibus* rostratis pluribus simul junctis. Cuilibet rostro apices duo quasi aculei rigidi præfiguntur, quod & in Chærefolio observare est.

4. *Scandix altera capite glomerato* Park. *Scandix umbellâ ex plurimis apicibus coagmentata quibusdam* J. B. C. B.

An sit Scandicis species degener & monstrosa, an aliud plantæ genus, cùm Auctor semina non describat, cerò definire nequimus. Folia ei quàm Scandicis latiora, ad Apii magis accedentia attribuit & appingit. Videsis integram descriptionem apud *Lugdunensem.*

CAP.

Cap. IV.

De Umbelliferis semine longo, angusto, lævi, & primò de Cicutaria.

Cicutaria dicitur à foliis Cicutæ æmulis. A Cerefolio differt magnitudine quâ illud superat; foliis latioribus, radice perenni.

A. 1. *Cicutaria vulgaris* J. B. *Myrrhis sylvestris* Park. *sylv. seminibus lævibus* C. B. **Wild Cicely, Cow-weed.** *Cicutaria alba Lugdunensis* Ger.

J. B.

Radix huic crassa, longa, multis interdum adnatis donata, alba, potissimum internè, sapore acri & aromatico. *Caules* profert cubitales & non rarò bicubitales & altiores, pollicari crassitudine, inanes, hirsutos, nonnihil rubentes, cannulatos. Folia Cicutæ foliis proxima, latiora, pallidius virentia extremis productioribus, sapore aromatico, splendentia, brevi & vix conspicua lanugine hirsuta, maximè aversa parte. *Flores* in umbella candidi, quorum singuli quinis foliis constant supremo reliquis majore. Singulis pro more bina succedunt *semina*, longa, glabra, per maturitatem nigra. Umbellarum partialium ex quibus totales componuntur bases seu radiorum exortus in orbem circumstant foliola angusta, acuta.

Ad sepes passim, inque pomariis & sub arboribus, Vere primo exit, & Maio mense floret. *Locus & Tempus.*

Verno tempore dum folia adhuc tenera sunt, antequam excaulescat, gratum bobus pabulum est, unde & **Cow-weed** nostratibus dicitur.

Duas familias novimus Montbelgardi (inquit J. Bauhinus) quæ existimantes se colligere Pastinacas Germanicas, hyemali tempore has fortè fortuna offenderunt foliis destitutas, [hæ enim Pastinacis similiores sunt quam Cicutæ radices] ex quarum esu licèt pauco, inciderunt in grandia symptomata suffocationis, torporem ac vesaniam, ità ut ebrios veriùs exprimerent. Curavit hos vomitu pulvere Saxonico, &c. Vid. Tom. 3. lib. 27. pag. 181. At nostrates asserunt Pastinacas ipsas vetustiores torporem hunc & delirium inducere, unde eas **Mad-neps**. i. e. Pastinacas insanas vocant.

2. *Cicutaria latifolia hirsuta* J. B. *palustris alba & rubra* Park. *palustris latifolia alba* C. B. *fortè etiam palustris latifolia rubra* ejusdem.

J. B.

Duûm cubitorum & altior est *caulis*, striatus, concavus, pilis obsitus, ad genicula singula *folio* donatus quoquoversus sesquipalmari, trifariam primò diviso, cujus divisiones deinceps singulares ad Myrrhidem accedunt, sed latiores, rariores, hirsutie supra subtúsque, potissimum per nervos venulásque aspersæ, veluti & per pediculos. *Umbellæ* magnæ in plures alias minores divisæ, *flosculorum* candidiorum, aliquando suavè purpureorum, aut potiùs Amethystinorum: sub quorum pedicellis foliola acuta, quaquaversùm radiata. Flosculos singulos sequuntur *semina* bina juncta, bicornia, longa, quæ relicto stylo medio facilè dissiliunt decidúntque. Odor & sapor aromaticus, subacris, sed ille quàm hic gratior & suavior. *Radices* crassæ, obliquæ, perpetuæ, aromaticæ.

In pascuis montosis Juræ & Salevæ montium propè Genevam, præsertim ad rivulos oritur: unde & Gesnerus Seseli aquaticum eam vocabat, referente Jo. Bauhino. *Locus.*

3. *Cicutaria odorata bulbosa* J. B. *bulbosa* C. B. Park. *An Cicutaria Pannonica* Clusii?

J. B.

Singulari assurgit *caule*, hominis altitudinem excedente, crassiusculo, purpurascente, vario, cavo, propter terram hirsuto, palmaribus internodiis distincto. *Folia* ex articulis prodeunt crassis magna, in alas divisa, eásque in minora folia subdividendas, Cicutæ foliis similia, delicatiora, glabra, sapore non ingrato, nam & totius alioqui plantæ sapor est aromaticus, non fœtidus. *Umbellas* fert parvas, *flosculis* albis compactas: *semina* longa Cicutariæ vulgaris, quibus maturis & decidentibus Autumno, perit & caulis & radix, plantæque novellæ ex semine natæ totâ hyeme durant usque ad Ver, quo tempore folia terna aut quaterna supra terram se expandunt, ad Chærefolium accedentia, ex virore lucida, in tres lacinias præcipuè divisa, tres circiter uncias longa, odore & sapore aromatico, quorum pediculi ad tres uncias longi procedunt à radice singulari, brevi, turbinatâ, crassiuscula, Antithoræ radici simili, vel Napis minimis, tectâ cortice tenui, pullo, internè albâ, fungosâ, grati saporis, ad Staphylinum accedentis, desinente in parvas fibras longiusculas, parvas alias laterales habente.

Propè Entzhemium Alsatiæ in sepibus & alibi provenit itinere Basiliensi versùs Mulhusium, mense Junio florens, & semen proferre incipiens, quo deciduo planta perit. Cicutaria Pannonica Clusii novo vere in hortis & herbidis agri Viennensis locis prodit: nascitur & quibusdam similibus Ungariæ locis, florens Aprili & Maio, Junio semen planè maturans. *Locus & Tempus.*

Novo vere radices firmiores & magis succulentæ cum novellis suis foliis in foro Viennensi venales reperiuntur: coquuntur enim & cum oleo, aceto & sale primis mensis isthic vulgares, quàm salubri cibo se nescire fatetur Clusius: frequentem tamen ejus usum non sine noxa esse, & capitis gravedinem dolorémque inducere se expertum esse memoriæ mandavit. *Usus.*

Hæc omnia J. Bauhinus & Clusius.

CAP. V.

De Cerefolio seu Chærophyllo Sativo.

Chærephyllon dicitur quòd foliis gaudeat seu luxuriet.

Foliis ad Petroselinum accedentibus radice annua omniúmque partium parvitate à Cicutaria differt.

Hæc de Chærephyllo vulgari accipienda sunt; nam Chærephyllon Canadense radice est perenni, & magnitudine Cicutariam æquat vel superat.

1. *Chærophyllum sativum* C. B. *Chærephyllon* J. B. *Cerefolium vulgare sativum* Ger. *Cerefolium vulgare* Park. **Chervil.**

Radice nititur alba, surculosa; fibrillis tenuissimis capillata, minimi digiti crassitudine, sapore subacri. *Caulis* nunc unus exurgit, nunc plures pro ratione soli, sesquicubitales & altiores, teretes, striati, glabri, inanes, geniculis longiùs distantibus nodosi, infra genicula in ventrem turgidulum intumescentes, ramosi, ramulis alternatim ad singula genicula ex alis foliorum exeuntibus. Summos caules & ramulos occupant umbellæ raræ, aliàs pediculis per brevibus & ferè nullis, aliàs longioribus insidentes. *Flosculi* parvi, albi, quinque petalis cordatis, totidémque staminulis albis compositi. Singulis flosculis bina succedunt *semina*, oblonga, glabra, per maturitatem nigricantia, sapore dulci & aromatico. *Folia* teneriora & argutiùs secta quàm Petroselini, sapore & odore aromatico, aliàs iis non multum dissimilia, pallidè viridia, & nonnihil subinde rubentia, pediculis sæpe rubentibus, nonnihil hirsutis. *N. B.* Quamvis folia caulibus alternatim adnasci diximus in summitate tamen ad umbellæ exortum bini hinc inde oriuntur, & ex eorum alis bini egrediuntur ramuli, quod & aliis pluribus umbelliferis commune est.

Tempus. Maio mense floret & cùm semen perfecerit brevi radicitus exarescit, semine deciduo se quotannis renovans. Autumno autem oritur & per totam hyemem viret.

2. *Cerefolium latifolium Canadense* Cornuti.

Corn.

Omnes nostratis Cerefolii particulas ad unguem refert, sed plenioris incrementi *cauliculum* facit & cymam. *Flos* itaque albidus muscarii effigie summum caulem occupat; hunc sequuntur *semina* longiuscula, ex uno pediculo plura. *Caulis* fragilis & tener, glaucéque virens ultra cubitum adolescit. *Folia* sena semper in singulis pediculis prodeuntia, in ambitu incisa Petroselini modo, latitudine & longitudine quadruplo superant nostratis. Tertio à satu anno moritur: *semine* perennat tamen, quod statim atque decidit etiam non obrutum sponte terræ infigitur & germinat: nec enim nostri instar agrum lætum & stercoratum desiderat, sed in qualicunque terra, ac vel crudo, vel effœto solo, si seritur, provenit.

Sapor huic dulcis est, odórque non insuavis, ac proinde esculentum testamur, sed & aliis oleribus permixtum gratiam auget saporis.

Vires & Usus. Cerefolium vulgare partium est tenuium, diureticum, emmenagogum, & lithontripticum, sanguinem coagulatum resolvit, somnum suaviter inducit. Extrinsecùs usus insignis est in dolore colico, in urina retenta (imposit. in cataplasm.) Credite mihi cùm aliquando ex retenta pro verecundia urina vesicæ insigni distentioni Vir quidam primarius laboraret, usu Chærephylli, Parietariæ & Petroselini herbarum in butyro insulso frixarum pectiníque ipsius calidè applicatarum me subduxisse una vice circiter 4 libras urinæ. *S. Pauli.*

Succus Chærophylli cum jusculo assumptus, aut Aq. ejus ter cohobata sæpius adhibita Dolæi experientiâ contra vertiginem specifica sunt. D. Soame è Dolæo. Sanguinem concretum ex contusione dissolvit tusum ac emplastri modo impositum.

Tota planta dulcis est & odorata, acriusculo quodam accedente sapore, quò fit ut aliis oleribus admixta ea gustui gratiora reddat. Estur autem cruda in acetariis cum aliis herbis, aut etiam cocta: flatulentum tamen aliquid obtinet, unde & Venerem promovet.

Si butyro frigatur herba, & abdomini imponatur, certum est contra tormina remedium. *Cam.* ad quod mulierculæ ceu ad sacram anchoram confugiunt.

CAP. VI.

De Umbelliferis seminibus longis striatis seu De Myrrhide.

Verisimile est à Myrrhæ odore dictum esse Myrrhida & Myrrham, inquit Marcellus Virgilius. Nullus tamen, quod invenerit, apertè id testatus est è Græcis aut Latinis. J. Bodæus plantam quam Dioscorides Μυῤῥὶν vocat nomen accepisse ait διὰ τὸ μυρίζον καὶ εὐώδη εἶναι, quòd odorata sit, quasi unguentum redolens. Quòd si verum esset, Μυρὶς scribi deberet cum simplici ρ. V. Jo. Bod. in Theophr. hist. lib. 7. p. 807.

1. *Myrrhis*

1. *Myrrhis magno semine, longo, sulcato,* J. B. *major vel Cicutaria odorata* C. B. *major vulgaris, sive Cerefolium majus* Park. *Cerefolium magnum sive Myrrhis* Ger. **Sweet Ciceły or great sweet Chervil, by some sweet Fern.**

J. B.

Myrrhis *radicem* habet insigniter crassam, adnatis plurimis & crassis donatam, albam, sapore dulci, subacri, grato, aromatico, qualis est seminis Anisi sapor. *Caules* surrigit aliquot proceros, bicubitales & tricubitales, hirsutos, fistulosos: *folia* magna, pinnata, Cicutæ foliorum facie, magis albicantia, & albis maculis subinde resperſa, tactu mollia, nervis aversâ parte pilosis, sapore Anisi pediculis fistulosis. *Flores* in umbella gerit candidos, leviter odoratos, quorum singuli foliis quinis constant, bifidis seu cordatis, extimo intimis duobus oppositis simul utrisque majore, lateralibus binis medio modo se habentibus, bifurcato stylo albo cum staminulis albis medium occupante. Particularium umbellarum basin sustinet senûm radiorum stella. Succedit *semen* notatu dignum, magnum, longum, angulosum, sulcatum, sapore Anisi dulci & jucundo.

Aiunt apud Germanos in pratis alicubi nasci, ut in Hassia circa Casellas referente Gillenio. *J. B.* *Locus.*

Hujus folia Filicina quodammodo referunt unde nostratibus **Sweet Fern,** i. e. Filix dulcis appellatur.

2. *Myrrhis altera minor* Park. *minor* C. B. *altera* Ad. *altera parva* Ger.

Præcedenti similis est, sed per omnia minor. *Semen* per maturitatem non nigricat ut in ea. Lobelius Pennium è Saleva monte propè Genevam semen hujus attulisse refert. Nobis in Saleva non comparuit, utcunque non negamus ibi inveniri.

Myrrhis cum Cerefolio temperamento & viribus convenit. Radix cum vino pota medetur morsui Aranearum. A partu purgat mulieres, & menstrua provocat. Cum melle cocta & sumpta tabidis conducit, & thoracem à viscosis humoribus expurgat. Cum vino cocta & bis aut ter in die pota à peste præservat. Herbam & radicem decoquunt ad urinam promovendam. Fit quoque extractum ex herba & radice contra pestem & puerorum epilepsiam. *Vires. Menses ciet. Tabes. Urina. Epilepsia.*

Myrrhidis majoris, seu Cicutariæ odoratæ *C. B.* radix in decocto aut aliâ formâ usurpata malignis morbis medetur; hinc ubi Carlina destituor illius loco Myrrhidis radices eligo. *S. Pauli Quadrip. Botan. class.* 2. p. 98.

3. *Myrrhis Broccenbergensis, foliis Myrrhidis Italicæ, flore albo, radice crassa nigra* Thalii.

Quæ planta sit Bauhinus uterque ignorat, nósque unà: descriptionem vide apud Thalium.

4. *Myrrhis perennis lutea daucoides* Moris. prælud.

Moris.

Hujus *folia* quam proximè Dauco seu Pastinacæ tenuifoliæ accedunt; quin & *flores* habet luteos; *semina* rostrata, striata Myrrhidis montanæ seminibus longiora, at minùs tumida.

5. *Myrrhis perennis montana alba* Moris. prælud.

Moris.

Ad binos ternósve pedes assurgit: *caules* producit striatos; *flores* aliarum suæ classis more albos: quibus succedunt *semina* rostrata, striata, semuncialia, exteriùs lutea, cavâ parte quâ junguntur subcœrulea.

A. 6. *Cerefolium sylvestre* Ger. Park. *Chærophyllum sylvestre* C. B. *Anthriscus Plinii quibusdam, semine longo Cicutariæ, aut Chærophylli,* J. B. **Wild Chervil.**

J. B.

Lignosa, simplex & alba est *radix*, sapore Pastinacæ aromatico. *Caulis* cubitum unum aut alterum altus, multis alis concavus, striatus ex virore atrorubens, abundè hirsutus, copiosâ medullâ fartus. *Folia* ad Cerefolii accedentia segmentis majoribus, nervo hirsuto annexa, ipsa quoque non minùs pilosa, sapore nullo manifesto. *Flores* in umbellis candidi, petalis cordatis & quodammodo crispis, concoloribus apicibus compositi. *Semen* oblongum, tenue, sulcatum, duas fibras è summo proferens, gustu aromatico, simile Cerefolii semini sed, minus, per maturitatem.

Cùm floret planta caules infra genicula in nodos insignes intumescunt.

Passim juxta sepes provenit, tam apud nos quam in Germania. *Locus.*

CAP. VII.

De Umbelliferis seminibus longis asperis seu

De Myrrhide Sylvestri.

Myrrhis sylvestris Cretica, nodosa, seminibus asperis. M. annua, semine striato aspero oblongo, nodosa Moris.

C*Aulis* ei rotundus, inanis, glaucus, satis seu spinulis rarioribus asper, cubitali altitudine, in ramos aliquot divisus, infra genicula in nodos prægrandes postquam florere incipit extumescens. *Folia* lata, brevibus pilis hirta, Cerefolii sylvestris nonnihil similia. *Umbellæ* parvæ, *flosculis* exiguis albis compositæ. Succedunt *semina* longa, utrinque acuminata, grandia, striata, aspera. Postquam semen perfecerit radicitus exarescit.

Hujus semen ante triginta annos Londino accepimus, & plantam ipsam ex semine redivivam aliquot annos aluimus: putamus etiam in Sicilia spontaneam observâsse.

Hæc planta Parkinsono in Theat. Botan. p. 907. describitur sub titulo *Seselios Cretensis nodosi.* Theatrum autem illud Parkinsoni ante quadraginta annos Londini impressum est.

CAP. VIII.

De Meo.

MEUM, Græcis Μῆον vel Μεῖον, à Μείων, quia foliis constat omnium herbarum tenuissimis; quibus ut & semine magno, oblongo, striato ab aliis congeneribus distinguitur.

A. 1. *Meum* Ger. *vulgatius* Park. *foliis Anethi* C. B. *Meum vulgare seu Radix ursina* J. B. **Common Spignel or Meu.** *Westmorlandicis* **Bald-money, or Bawd-money.** *Cujus appellationis rationem non assequor.*

J. B.

Herba hæc, cujus folia cubito ferè longiora, longos habentia pediculos striatos, eorúmque supremæ partes foliis fœniculi similes sunt, capillaceæ, crebriores tamen & molliores, nec capilli usque adeò longi; *caulem* edit similem Fœniculo, minorem tamen multo, striatum, inanem, ramosum, umbellam *florum* alborum Anethinis similium, pentapetalorum; *semina* magna, longa, striata. *Radix* interdum una, interdum plures, dodrante longiores, modò tenuiores, modò crassiores, è quarum lateribus utplurimùm oriuntur obliquæ radices, satis longæ, quæ sursum interdum tendere deprehenduntur, nec passim in aliis radicibus sic adnatæ provenire solent. Cortice vestitur primo nigricante vel potiùs cinericeo, tenui, deinde altero crasso, albo, gummoso; in ejus medio est matrix. Odore est satis jucundo, Pastinacæ ferè, magis tamen aromatico, sapore non ingrato, nisi quò dacris & nonnihil amara. Quum verò radix hæc ex iis sit quæ hyemem perferunt, & Alpina, magnas habet comas capillatas, ex foliis arescentibus.

Locus. In Westmorlandia Angliæ provincia copiosè provenit in pratis & pascuis duobus à *Sedberg* pago m. p. viâ quâ ad *Orton* pagum itur.

In exteris etiam regionibus Germania, Italia, Hispania in montibus invenitur.

Vires. Flatus discutit. Usus præcip. in inflatione ac ructu ventriculi, in mensibus ac urina ciendis, in uteri suffocatione, in torminibus ventris, in catarrhis tartaróque pulmonum expectorando. *Schrod.*

Multas ingreditur compositiones & ipsam theriacam. *Idem.*

Habet autem radix, non secus ac Mentha, humiditatem quandam excrementitiam, quâ ad caput latâ est καραλαλγής. Unde intelligitur non adeò frequentem debere usum ejus esse, in iis præcipuè qui aut voverunt castitatem, aut aliàs Venere uti non debent. Quâ enim vi agit illud, eâ agit hoc quoque. *C. Hofman.* Hinc fortè innotescit ratio nominis Anglicani **Bawdmoney**, id est lenonum stipes seu nummus.

Gesnero Mei pabulo in Apulia vaccæ plurimum & optimum lac reddunt, & indè caseum caballinum dictum confici se audivisse ait. At nobis caseum illum ex lacte bubalino seu buffelino fieri narratum est.

Lobelium monuit Turnerus in Alpibus Cheviocticis Scotiæ finitimis hanc stirpem magna ubertate scatere. *Nobis in montibus illis plantas indagantibus non comparuit.*

2. *Meum alexiterium* Alpin. exot. Park.

Alpin.

Caule assurgit cubitali & ampliore, rotundo, geniculato, viridi ut Anethum, non minùs crasso. Fert umbellas parvas *floribus* parvis, candidis, quibus succedunt *semina* minutissima, oblonga, odorata, & linguam excalfacientia: ex nodis verò singulis exeunt cauliculi parvi cum Umbellis. *Radice* nititur longa, gracili, digiti minoris crassitie, alba, in extremo divisa, odorata, atque acri.

Ragusâ hanc plantam accepit Alpinus, ubi à vulgo *Herba serpentum* vocatur. *Locus.*

3. *Meum alterum Italicum quibusdam* J. B. *alterum Italicum* Ger. emac. *spurium Italicum* Park. *latifolium adulterinum* C. B.

Mor.

Folia vulgaris Mei habet, duriora, crassiora & habitiora, subvirosi odoris, Rutæ Narbonensis tenuifoliæ quodammodo æmula; ex quorum sinu exeunt *caules* obliqui, pedales, nonnunquam sesquipedales, sustinentes *semina* striata, minora. *Radix* major, Peucedani facie & concretione, pulla foris, tetri & injucundi tum saporis, tum odoris.

In collibus aridis passim in Gallia provenit, referente Morisono. Nobis in collibus & clivis maritimis Regni Neapolitani observatum fuit. Floret sub finem æstatis, Autumno ineunte semen suum perficit. *Locus.*

Cap. IX.

De Cymino seu Cumino.

Cyminum ἀπὸ τὸ κύειν *prægnans esse* dicitur, est enim, teste Theophrasto, fœcundissimum. Ab Ammi differt radice annua, foliis in lacinias minùs crebras, nec adeò tenues dissectis, omnium partium quantitate minore, semine etiam angustiore.

1. *Cyminum sive Cuminum sativum* J. B. *vulgare* Park. *sativum Dioscoridis* Ger. *semine longiore* C. B. **Cummin-seed.**

J. B.

Parva & umbellifera herba est, altitudine rarò pedem excedens [Cæsalp. annua planta, brevior cubito] tenuibus & in plures angustas partes sectis *foliis* [Cæsalp. foliis paucis, raris, capillaribus, & flore candido] *semine* in umbellis [parvis & rotundis Cæs.] oblongo, utrinque acuminato, angulosо, cartilagineo, in cineraceo colore subflavo, longitudine quartam unciæ partem æquante, gustu subamaro, tenui, mediocriter acri & cum gravitate suaviter odorato. *Radice* nititur longa tenui, & cùm maturuit semen, pereunte.

In Melita insula copiosè seritur ad mercimonia; ubi *Cumino agro* i. e. *Cyminum acre* incolis dicitur: Anisum autem, quod non minori copia serunt & divendunt, *Cumino dolce*, i. e. *Cyminum dulce* appellatur; unde C. Bauhinus aliique Botanici decepti duas Cimyni species constituerunt, nimirum, acrem & dulcem. V. C. B. pin. in Cumino.

Semen resolvit & flatus discutit, ideóque utile est in colica, tympanite & vertigine. Ex vino dulci sumptum difficultati & ardori urinæ auxiliatur: cum ficubus in vino coctum tussim sedat, & thoracem expurgat. Utiliter pani incoquitur, & caseis inditur; ità enim concoctionem juvat & flatus dissipat. *Vires.*

Frequens & copiosus Cymini seminis usus faciem decolorat, & pallorem cuti inducit. *Dioscor. Galen.*

Suavem halitum spirant Cuminum, fœtidum emendat, eâque de causâ qui fœdam habent respirationem Cumino magno adjumento crebriùs utuntur. *Stapel.* Oleum arte chymica extractum præsentissimarum est virtutum in affectibus omnibus flatulentis, præsertim uterinis. Novi Empiricum qui miracula creditur facere affusis aliquot guttis pani tosto, & umbilico imposito. *Casp. Hofman.*

2. *Cyminum sive Cuminum seminibus villosis.*

Hoc genus in insula Melita collectum habemus ubi cum superiore sparsim nascens, neque foliis, neque figura, odore aut sapore seminum, sed duntaxat eorundem hirsutie seu villosâ cæsarie discernendum, observavimus.

Hoc fortasse genus est quod Jo. Bodæus à Stapel habet pro *Cumino dulci* Melitensium, quod hirsutum esse scribit, quo qui conditus est panis, sapore gratiori commendatur.

Nè quis tamen putet, hoc esse quod Melitenses ipsi *Cumino dulce*, seu ut C. Bauhinus, *Cuminagero dulce* vocant, illud enim nihil aliud esse quàm Anisum, & nobis cùm ibi essemus ab incolis dictum est, & ab eruditissimo Viro Joan. Francisco Abela Melitensi in descriptione illius insulæ confirmatum.

CAP. X.

De Umbelliferis ſemine ſtriato majore foliis latiſſimis, in pleriſque ſpeciebus valde ramoſis ſeu De Angelica.

ANgelica barbaris & Agyrtis ab Angelis dicta eſt hæc herba ob inſignes qualitates: iiſdem & radix S. Spiritûs dicitur ob eandem rationem. Ejus notæ ſunt folia latiſſima, ſemina ſtriata magna & craſſa per maturitatem alba, ſuccus lacteus per ſiccitatem flavicans.

Nos herbas quaſdam ſemine ſtriato minore, à foliis & odore ſimilibus Angelicas dici ſolitas nec immerito, in hoc capite tradimus.

1. *Angelica ſativa* J. B. C. B. Ger. Park. **Garden Angelica.**

Radicem altè demittit, craſſitudine pluſquam brachiali, cum multis adnatis pollicari craſſitudine, rugoſam, cuticula in cinereo rubeſcente nonnihil obtectam, pulpâ albâ, molli, ſuccoſâque: quæ præciſa flavum liquorem ſeu lachrymam ab interiori corticis parte remittit, cui ſimilis liquor etiam in foliorum venis continetur ſed aquoſior, & cùm primò effluit lacteus, guſtu admodum calido & aromatico, acri & amaro. *Caulis* indè exurgit craſſus, ad terram purpureus, geniculatus, concavus, teres, ſtriatus, bicubitalis, multis alis donatus, in candido livente polline velut aſperſus. *Folia* triangulata ampliſſima, è ſegmentis ſeu foliis partialibus ut in hoc genere maximis, in ambitu crenatis, mollibus, ſupernè virentibus, infernè dilutioribus, oblongis & multo gibbo inæqualibus compoſita, ſapore & odore minùs aromatico quàm radix: quæ in caulibus ſunt minora iis quæ ad radicem, è bulgis ſe proferunt, in pilam quaſi convoluta: ſiquidem folii cujuſque pediculus è membrana latiſſimâ concavâ, tum folia tum umbellam florum ceu bulga obvolvente, oritur. Summus caulis & rami in *florum* umbellas in ſphæricam figuram circumactas, quas idcirco meritò corymbos dixeris, terminantur. Florum petala perexigua, ſubrotunda & minimè cordata aut bifida, colore pallido ſeu herbaceo. Singulis floſculis ut in reliquis hujus generis bina ſuccedunt ſemina invicem conjuncta, longiuſcula, tumida, ſtriata, in candido cinerea.

Secundo tertióve anno, ſi permittas, plerunque cauleſcit. Cum verò caulis maturo ſemine parit, ipſa quoque radix putreſcit & interit.

Vires. Radicem Angelicæ Alexipharmacum, Bezoardicum, & cordiale nobiliſſimum eſſe unanimi conſenſu docent medici & botanici.

Herba ipſa, ſed præcipuè radix & ſemen, calfacit & ſiccat, aperit, attenuat, ſudorifica & vulneraria eſt: menſes movet, fœtum expellit, ſuffocationi uteri maximè conducit: malignis morbis, venenis, ipsíque peſti medetur. *Schrod.*

Pro præſervatione peſtis radices aceto maceratas aut naribus admovent tantùm, aut ſub lingua habent, aut maſticant, aut acetum bibunt jejuni. Pro curatione vel ʒj. ſolius pulveris, vel ʒß cum Theriacæ ʒj. in vino tenui, in aq. card. benedict. tormentillæ, &c. propinant & ſudorem inducunt, ídque repetunt ſingulis ſex horis.

In vulneribus τῶν ἰοβόλων, præcipuè canis rabidi, emplaſtrum fit cum thure, ruta, pice, aliis.

Radix condita cum ſaccharo, ut & foliorum pediculi delibrati manè ſumpti putantur valere plurimum contra peſtem & aeris contagionem, quin & ſanare quoſvis thoracis & pulmonum affectus frigidos. Iidem commanducati fœtentem oris halitum emendant. Plura vide apud Tragum, Fuchſium, alióſque Botanicos.

Angelica non facilè provenit vere; recenti ſiquidem ſemine diſſeminari cupit.

Angelica ſylveſtris Ger. Park. *ſylv. major* C. B. *ſylv. magna vulgatior* J. B. **Wild Angelica.** *rectiùs Angelica aquatica, i. e.* **Water-Angelica.**

Radix huic craſſa, rugoſa, alba, ſimplex, ſurculoſa, ſapore acri, minùs aromatico quàm ſativæ. *Caulis* bicubitalis & altior [vidimus qui hominis proceritatem ſuperârit] craſſus, teres, ſtriatus, inanis, multis alis concavus, foliis per intervalla alternatim poſitis cinctus: *Folia* autem lato, membranoſo, concavo, ſtriato principio caulem & umbellas antequam erumpant ceu involucro amplectuntur. Folia triangulata coſtis ſupina parte canaliculatis, tribus quatuórve alarum conjugationibus conſtant: ſegmenta ſingularia lata, anguſtiora tamen & acutiora quàm Angelicæ ſativæ, per margines argutè dentata, glabra, obſcure viridia. In ſummis caulibus & ramulis *umbellæ* amplæ floſculis exiguis, albis, pentapetalis conſtant, petalis bifidis & velut cordatis, *ſtaminulis* intus albis. Umbellæ totalis exortum radiorum nulla in caule folia circumſtant, umbellarum autem partialium ex quibus totalis quæque componitur plurima, anguſta, acuta. Singulis floſculis ut in reliquis congeneribus bina ſuccedunt ſemina, ſtriata, minùs turgida quàm ſativæ, margine foliaceo.

Locus & Tempus. In aquoſis & ad fluviorum per margines ubique ferè in Anglia provenit. Auguſto menſe floret.

3. *Archangelica,* Lob. *Archangelica ſeu Angelica Tabernæmontani ſeu Scandiaca* Hort. Leyd.

Huic Lobelius flores luteolos, folia ſativæ multò majora attribuit: ſi per folia intelligit lobos particulares in quos folium dividitur; & detur hujuſmodi Angelica, erit proculdubio diſtincta ſpecies: verùm ſuſpicor Lobelium ex conjectura flores luteolos dixiſſe, & per folium intellexiſſe folium totale ſeu totam alam foliaceam, quæ Angelicæ ſylveſtri in montoſis naſcenti reverà major eſt Angelicæ folio.

Dodonæus eidem flores albos attribuit; Semen longius & craſſius quàm Angelicæ ſativæ. Dodonæus ſeparat Angelicam ab Angelica Norvegica, Lobelius eandem facit. Dodonæi deſcriptio in omnibus præterquam ſemine Angelicæ ſylveſtri in montoſis naſcenti convenit.

Archangelica

Archangelica Clusii in omnibus præterquam magnitudine cum Angelica sylvestri convenit: Ea autem, ut puto, loco natali debetur.

C. Bauhinus ex Archangelica duas species facit, nec præter rationem, si uni flores luteoli sint, ut Lobelianæ, alteri albæ, ut Dodonæi Archangelicæ. Verùm Autores omnes eandem habent iconem: & C. Bauhinus Archangelicam Clus. ad duas refert.

Cùm ergo adeò inter se variant & dissentiant Autores de Archangelica, nos existimamus eam non distingui specie ab Angelica sylvestri vulgari seu aquatica, sed accidentibus quibusdam à cœli aut soli diversitate ortis.

Postquam hæc scripseram, & opus nostrum jam prelo aptatum esset, eruditissimus Vir *D. Jos. Palmer* M. D. communicavit mihi Catalogum manuscriptum Horti Medici Leydensis cum Observationibus in plantas ibidem crescentes, è D. Hermanni ore exceptis; in quo invenio

Archangelicam seu Angelicam Tabernamont. Seu Scandiacam, quam dicit flores proferre in umbella flavescentes, & in omnibus convenire cum Angelica, nisi quod semina sint rotunda, illius autem oblonga, & hujus folia sint majora.

Angelica sylvestris iisdem pollere viribus creditur cum sativa, verùm languidior & infirmior est multò. Hospes quidam in Ducatu Wirtembergico celebrabat in morbis equorum, pecorum & suum, exhibitum viridem in potu vel siccam. *J. B.* *Vires.*

A. 4. *Angelica sylvestris minor sive erratica* C. B. *sylv. repens* J. B. *Herba Gerardi* Ger. *Podagraria vulgaris* Park. **Herb Gerard, Gout-wort or Ashweed.**

Cubitali & interdum etiam bicubitali *caule* assurgit, tenui, striato, rubente, fistuloso, alis concavo, ex *radice* tenui, fibrosa, longè latèque reptante, odore & sapore quadantenus Angelicæ, sed multò infirmiore: *Folia* Angelicæ sativæ minora, eodem ferè colore, Sisari sapore: *Umbella* Angelicæ, itidem minor, floribus candidis, odorata. *Semina* oblonga, angusta, acuta, quàm Angelicæ sativæ multò minora, striata, per maturitatem nigricantia.

Ad sepes inque umbrosis ad latera montium frequens. Camerarius Pestem hortorum appellat, quoniam semel plantata reptatu suo odiosa est, nec facilè iterum extirpari & aboleri possit. *Locus.*

5. *Angelica sylvestris hirsuta inodora* C. B. J. B. *Podagraria hirsuta* Park. **Hairy Herb Gerard.**

Radicem habet crassam & fibrosam, foris pullo cortice tectam, intus albam, redivivam & odore medicato: *Caulem* parte inferna paucissimis pilis cinctum: *Folia* atrovirentia, hirsuta, pediculis itidem hirsutie asperis insidentia. In reliquis cum præcedenti convenit.

Lusatiâ ad C. Bauhinum missa est.

6. *Ligusticum quorundam foliis Angelicæ* J. B. *Ligusticum alterum* Matth.

J. B.

Camerarius apud Matthiolum in epitome exprimit figurâ suâ plantam quam habemus siccam Citræ nomine, odorem spirantem Meu, foliis nonnihil accedentem ad Angelicam, comâ valdè capillata ad radicem, ex foliorum antiquorum reliquiis, quæ bene exprimitur effigie ex ipsa planta à Camerario proposita, notatâque litera A.

Hanc J. Bauhinus eandem esse putat quam Cæsalpinus describit lib. 7. cap. 46. Ligustici nomine, quod in Alpibus Liguriæ vulgò Imperatoria vocatur. Folia à radice rotundo pediculo ac ferè lignoso & tripartito gerit, figura herbæ S. Mariæ, sed magis in acutum desinentia, magisque serrata, terna in singulis pediculi ramulis, odorata, prædura: caulem cubitalem altiorémque paucis foliis: semine in umbellis figura & magnitudine Fœniculi, nigra, odorata & acria: radix candida, pollicaris crassitudinis, in duas aut tres prælongas desinens, odore jucundo, sapore acri.

Oritur in Alpibus propè rivulos. *Locus.*

Utuntur semine in obsoniis & radice ad Stomachi dolores & imbecillitatem, ac omnes fermè internorum noxas. *Usus.*

7. *Angelica lucida Canadensis* Cornuti. *Panax Heracleum alterum Americanum splendente folio, Laserpitium creditum quibusdam* Park. **Shining Angelica.**

Cornut.

Hujus *caulis* vix cubitum implet, nullâ intus medullâ repletus, nisi in iis spatiis quibus ille nodis intercipitur ad foliorum exortum. Foliorum pediculi teretes, juxta caulem in latitudinem membranaceam expansi nodos tegunt caulémque amplexantur; mox producti longiùs in quamplurima *folia* saturè virentia, ambitu serrato desinunt: Foliis splendida viriditas inest (qualem inducto gelu per hyemem reliquarum plantarum folia contrahunt) *Flores* albidi non Angelicæ aut Imperatoriæ nostræ modo in orbem conglobantur, sed velut Anisi umbellam formant; quos statim excipiunt *semina* minùs foliacea vulgaribus. *Radice* nititur crassa, quæ in fibras etiam pinguiores exit. Statim atque decidunt semina caulis exarescit, unâque planta commoritur ut nostras.

Angelicæ saporem redolet, acriter linguam exurit, sudores movet, salivam ciet, uno verbo ad eadem est ad quæ vulgaris nostra efficax. *Vires.*

In sylvarum apricis invenitur. *Locus.*

7. *Angelica atropurpurea Canadensis Cornuti.*

Hæc ut & præcedens nonnisi trima caulem facit, instar nostratis. *Radix* ei crassior est, torosa, nigrâ cute obducta, carne intus alba & nervo; carnosioribus etiam fibris adjectis. *Folia* longè majora & plura quàm præcedentis, longiore etiam pediculo emergunt: hujus inferior pars, quæ radice aut caule attinetur, in profundam cavitatem sulcata, resupinis caulem labris amplexatur. *Caulis* ultra hominis proceritatem adolescit, per semipedalia spatia nodosus, ut Calamus, & foliis interceptus. A medio ad summum multis luxuriatur ramulis, qui & foliis minoribus semper ornantur. Flos antequam appareat in cymis sulcata folii cavitate obtegitur, quam productior caulis proscindit, flósque apparet in rotunditatem circumactus, quem sequuntur semina. Caulis hujusce plantæ foliorum pediculi atropurpurascunt: folia quoque & semina obscura viriditate infuscantur. Ut odore & sapore est ignavior superiore, ità & viribus videtur esse inferior.

CAP. XI.

De Imperatoria, quæ non ineptè Angelicæ speciebus annumeratur.

NOnnullis Magistrantia, aliis Astrantia, Ostrutium seu Osteritium dicitur: Veteribus indicta videtur.

Notæ ejus sunt folia lata, colore & odore ad Angelicam accedentia, tripartitò divisa & subdivisa: radices crassa obliquè: semen striatum majus.

Imperatoria J.B. Ger. *major* C.B. *Imperat. sive Astrantia vulgaris* Park. Common Master-wort: by some erroneously Pellitory of Spain.

J. B.

Pollicari crassitudine nonnunquam est *radix*, sensim gracilescens, rugosa, & lateralibus fibris, quibus se propagat, donata, summa tellure obliquè acta, carne albâ, aromaticâ, acrimoniâ vehementer linguam vellicante, totúmque os calefaciente. *Folia* terna plurimùm juncta [potiùs tripartitò divisa] Macerones, acutiora, rigida, quorum singula rursum in tria segmenta serrata, aliàs leviùs, aliàs profundiùs dividuntur. *Caules* cubiti & sesquicubiti altitudinem assequuntur, striati, inanes, in alas divisi: Umbellæ florum alborum Myrrhidis, latæ; *semen* Anethi ferè, sed paulò majus, candidum, plenum & latiusculum. [Florum petala bifida sunt.]

In montibus max. Carthusianorum cœnobio imminentibus invenimus. Gignitur etiam in Ananiensibus montibus supra Tridentinum: inque pratis ad radices montium Alpibus Austriacis & Stiriacis vicinorum magnâ copiâ.

Imperatoria minor C.B. *Alpina* Park.

Hujus speciem minorem proponit Camerarius *Ep.* non alia in re quam partium omnium parvitate à superiore diversam, quam Imperatoriam seu Astrantiam Alpinam appellat.

Vires.

Saporis est acerrimi, radix præsertim, unde per errorem nostratium vulgò *Pyrethrum Hispanicum* denominatur. Alexipharmaca est ac sudorifera. Discutit mirificè intestinorum & uteri flatus, unde in colico cruciatu utilis est. In colicis & flatuosis (inquit C. Hofmannus) est divinum remedium, ultra certè & Angelicam & Zedoariam. Usus præcipuus est in venenatis morbis ac ictibus; in pulmonum tartaro resolvendo & expectorando, in fœtore anhelitûs corrigendo; in capitis affectibus phlegmaticis, Paralysi, Apoplexia, &c. Aiunt nonnulli quartanâ eos sanari, qui pulveris cochlearis dimidium horâ unâ ante accessionem ex mero bibunt. Commendatur & ad hydropem [In hydrope, in quartana, in febribus diuturnis omnibus, non habet sibi parem medicinam. *C. Hofman.*] Extrinsecùs in odontalgia (gargarisf. aut radicis frustulum denti dolenti impositum & in ore detentum, copiosè etenim pituitam & phlegma elicit) in catarrhis exiccandis (suffitu) in tumoribus, ac Arthritide frigida. In scabie capitis exiccanda (lotione) in serpigine inveterata sananda (cum adipe suillo illita) in globulis sagittisve corpori extrahendis, imposita. *Schrod.* & *Matth.*

Hinc non immeritò (inquit J. Bauhinus) Imperatoriæ nomen sibi ascivit, cùm tot tantísque viribus præstet.

Cæterùm ut facie externa & odore Angelicam refert, ità iisdem cum illa facultatibus dotata est.

CAP. XII.

De Umbelliferis semine striato majore, per maturitatem nigro, foliis latissimis, seu De Smyrnio aut Hipposelino.

SMyrnium indè dictum est, quòd radix lachrymam emittat Myrrhæ similem, ut Theophrastus Hist. lib. 7. cap. 6. & lib. 9. cap. 1. docet, qualem Hipposelinum fundere docet experientia, inquit Bodæus à Stapel.

Semine majore tumido, per maturitatem nigro à congeneribus distinguitur. Smyrnium autem Creticum foliis duûm generum, inferioribus Apii in modum incisis, superioribus quæ caulem vestiunt integris & indivisis caulem amplexantibus, ab omnibus cujuscunque generis Umbelliferis differt.

1. Hippo-

A. 1. *Hipposelinum* Ger. emac. *Hipposelinum sive Smyrnium vulgare* Park. *Macerone, quibusdam Smyrnium, semine magno nigro* J.B. **Alexanders.** *Hipposelinum Theophrasti vel Smyrnium Dioscoridis* C.B.

J.B.
Radice nititur crassa, foris & intus albâ, odoratâ, acri cum quadam amaritudine. *Caules* edit plusquam bicubitales, farctos, ramosos, striatos, nonnihil rubentes: *folia* Apii palustris, ampliora, segmentis rotundioribus, atrovirentia, sapore ad Apium hortense accedente, subdulcia. *Flores* in umbella è foliolis ex albo virescentibus & apicibus concoloribus compositi. *Semen* crassum, nigrum striatum, seu angulosum.

In rupibus maritimis oritur, v. g. in insula *Presthölm* dicta propè Bellum-mariscum oppidum Anglesei primarium in Wallia, inque Scotiæ litoreis rupibus propè Bervicum. *Locus.* Plymouth, Portsmouth,

Macerone Italis dicitur vocabulo (ut creditur) corrupto à Macedonia, quoniam Petroselinum Macedonicum per errorem Officinis dictum fuit: Nostratibus **Alexanders** & vulgò etiam in Italia & Germania Herba Alexandrina, vel quia ab Alexandria Ægypti urbe advehi solitum est, vel quia id vulgò creditum.

Alit bene, & præstat eadem quæ Apium, sed efficacius. Venit in cibum cruda & cocta tum radix concisa, tum folia tenella & caulis, frequentiùs apud nos in jusculis verno tempore ad sanguinem depurandum, rariùs in intinctibus ex aceto & oleo. *Usus.*

In Officinis nostris *olus atrum* dicitur, in transmarinis vulgò sed falsò *Petroselinum Macedonicum.*

2. *Smyrnium Creticum* Ger. Park. *Creticum perfoliatum* J.B. *peregrinum rotundo folio* C.B. **Candy Alexanders.**

J.B.
Hilari virore perfusa *folia* producit, nitidáque, pedem longa, longo nixa pediculo, quæ in oppositas ex certis intervallis alas dividuntur, atque hæ rursum in alias, ut subsectiones particulares haud malè Apii palustris foliis possint comparari, altiusculè incisæ, crassæ satis, atque hæc quidem statim è radice pronascuntur: nam quæ ramorum divaricationibus subsunt immane quantum ab hac forma discedunt, circinatæ ferè rotunditatis, Perfoliatæ foliorum modo à caule ramisque transfossa, sescunciam aut duas uncias lata, & interdum gemina, alterum alteri impositum. Umbellis est Anethi, aut Perfoliatæ floribus albicantibus aut pallentibus: *Semen* subrotundum, nigrum, striatum.

Folia in caule non exactè rotunda sunt, sed in longitudinem productiora, nec à caule pertusa Perfoliatæ in modum, sed eum tantùm arctè amplectentia & undique lobis suis cingentia, quatenus nos observavimus.

Altero (inquit Camerarius) à satu anno prodit foliis geminis, ut Locustarum ferè alas repræsentet, quæ paulò post marcescunt. Interea sub terra latitat radix rotunda Ervi magnitudine aut paulò grandior. Sequenti postea anno folia protrudit instar Ammi vulgaris; *Radix* verò tenuis fit & oblonga, quæ rursum per hyemem ita perdurat. Primo denique vere tandem emergunt folia Petroselini, & caulis qualem descripsimus.

Quam C. Bauhinus speciem diversam facit foliis longioribus in caule & profundiùs incisis, ex descriptæ semine sibi in horto enatam scribit Parkinsonus: proinde non est cur ejus ratio habeatur.

Invenit hanc F. Columna in montibus Æquicolorum Valuensium & Asprensium in Sabinis, humentibus locis circa aquarum decursus, &c. Nos in Sicilia propè *Punto Cerciolo* non longè à *Puzzallu.* *Locus.*

Hujus caulis limbos habet seu lineas carthilagineas elatas, cujusmodi in aliis Umbelliferis adhuc observare non contigit. *Col.*

CAP. XIII.

De Umbelliferis semine striato majore foliis Apii, maximis, seu De Levistico.

LEvisticum vox à Ligustico corrupta videtur, vel potiùs à Libystico Galeni, quod est Ligusticum Dioscoridis. Ligusticum autem à Liguria, ubi plurimum nascitur, dictum est. Ejus notæ sunt folia Apii majora, odor validus, magnitudo & statura insignis.

Levisticum vulgare Ger. Park. *Ligusticum vulgare foliis Apii* J. B. *Lig. vulgare, an Libanotis fertilis Theophrasti* C.B. **Lovage.**

J.B.
Caulem habet hominis altitudinem excedentem, crassum, geniculatum, cavum, striatum: *Folia* pedalia & ampliora, in alas divisa, quarum extremæ divisiones ad folia Apii palustris aliquatenus accedunt, sed longè majores, obscuro virore splendentes, odore valido [non tamen ingrato] Rami ut & summus caulis umbellas gerunt amplas, florum luteorum: *Semen* majusculum compressum. *Radix* crassa est & lignosa. *D. Nid* amicus noster singularis & Botanicus egregius solebat dicere, Levisticum Pharmacopolii odorem spirare.

 Levi-

Locus. Levisticum vulg. in hortis colitur: natalis ejus locus nobis hactenus incompertus: Pona tamen in monte Baldo reperiri ait, Alii in Alpibus Liguriæ aut Apennino. Æstate floret: Augusto magna ex parte semen ad maturitatem perducit. *J. B.* gaudet solo umbroso.

Levisticum vulgare Germanicum *Park.* Quare an differat à vulgari Levistico.

Vires. Alexipharmacum est ac diureticum, vulnerariúmque; Ventriculum roborat, Asthmati subvenit; menses & lochia ciet; fœtum mortuum ejicit (semen) tartarum lentum resolvit, doloresque inde natos sedat; Epatis lienisque obstructiones reserat, adeóque præcipuè ictero convenit. Extrinsecus ejus usus est in Balneis, cataplasmatis (utero & ureteribus dicatis) in Emplastris vulnerariis & sim. *Schrod.*

Vulgus per caulem cavum petum haurire suevit, quo tussim sedatum iri sibi persuadet. *Idem.*

In facultatibus porro tam vicinum est Angelicæ & Imperatoriæ supra dictis, ut non putet necessariam esse commemorationem C. Hofmannus. Adjuvat digestionem, ventositatem dissolvit & inflationem.

Veteres Ligures, ut & hodie Hetrusci, semine pro pipere utebantur. Promovendis mensibus & sudoribus sufficit ʒß. seminis.

Cùm odor hujus plantæ adeò validus & pertinax sit præ Angelica & Imperatoria, verisimile est eam viribus etiam eisdem antecellere.

Nomen proculdubio factum est à Libystico Galeni, quod est Ligusticum Dioscoridis, ità dictum quòd in Apennino, quà parte Liguriam attingit, frequens est.

* Forestus pro secreto habuit succum foliorum Levistici in secundinis retentis. Erat magnum Arcanum famosæ cujusdam obstetricis, quæ id obtinuerat à Judæo medico. Communicavit D. *Tancredus Robinson.*

* *Lib.* 28. *Obs.* 32.

CAP. XIV.

De Umbellifera semine striato majore, foliis Aquilegiæ, seu Libanotide aut Ligustico Aquilegiæ foliis.

Libanotis latifolio Aquilegiæ folio C. B. Park. *Ligusticum Rauwolfii foliis Aquilegiæ* J. B.

C. B. prod.

RAdice est crassa, fibrosa, cortice inæquali, quasi rugis transversis asperata, fuscique coloris tectâ; medulla candida, amara, modicum quid Aroma & Aristolochiam sapore redolens: ad cujus caput pili tanquam veterum foliorum defluxorum fibræ solidiores & nigræ: etenim *folia*, quæ numerosa ex radicis capite longis pediculis emergunt, una parte quasi vaginato exortu (nimirum ea quæ crassiora & latiora sunt, ut & ea quæ ex caule prodeunt) eundem tanquam membranaceâ siliquâ circundant articulo crassiore lineâque transversâ: quæ crassa sunt, rigida, glabra, viridia & splendentia, subtus candicantia, fibris majoribus subpurpureis transcurrentibus, quæ licet instar foliorum Aquilegiæ dividantur, non tamen omnia in pares lacinias (Aquilegiæ laciniis latiores) fissa sunt: inferiora namque in vegetiore planta plerunque quinque folia habent ex triplici rami divisura, aliàs tria, tribus pediculis insidentia. *Caulis* unicus est, cubitos tres, quatuórve superans, rotundus, striatus, nodis distinctus, subalbicans, puniceo colore aliquando admixto, in tres, quatuor, vel quinque brachia distributus, quæ umbellam magnam ex longissimis festucis & *floribus* albis parvis compositam sustinet. *Semen* succedit longum, latum, striatum, puniceum, gustu subamarum, Cumini saporem imitans, aromaticum, modicè excalefaciens & salivam ciens.

E Camerarii horto habuit C. Bauhinus. Nos eandem vidimus in horto D. *Caroli Howard* Ducis Norfolciæ fratris.

Libanotidem minorem Apii folio *C. B.* i. e. Libanotidem Theophrasti minorem *Lob.* Nos cum Parkinsono eandem putamus Libanotidi latifoliæ alteri sive vulgatiori *ejusdem C. B.*

J. Bauhinus considerandum proponit an Libanotis Theophrasti minor Lobelio sit eadem cum Cervaria nigra seu Saxifragia Venetorum *Ad.*

CAP. XV.

De Umbelliferis foliis Apii minoribus, semine striato majore, Daucis montanis dictis.

1. *Seseli* 2. *montanum Pannonicum* Clus. *Valdebonæ nomine missa, Libanotidis secundæ quorundam sive Cervariæ nigræ species* J. B. *Daucus montanus Apii folio albicans* C. B. *Daucus Selinoides maximus* Park.

Clus.

BRachiali interdum nititur *radice*, præsertim si planta vetustior sit (recentiores & juniores pollicarem habent) in aliquot ramos inferiore parte divisâ, crasso, rugoso, nigróque cortice septâ, gummoso primum lentóque sapore præditâ, deinde acri & salivam ciente: quæ summo capite in multa extuberat capita villosa, (quemadmodum ferè omnes ferulacei generis stirpes)

pes) unde exeunt magnæ & satis amplæ *foliorum* alæ, aliquot foliis per ambitum serratis & nonnihil incisis, uni costæ inhærentibus, sed ex adverso nascentibus constantes, colore supina parte dilutiùs virente & aliquantulum splendente, pronâ cineraceo præditis: Inter quæ sesquicubitalis nonnunquam emergit *caulis*, striatus, pollicaris interdum crassitudinis, geniculatus, in aliquot ramos divisus, quem ambiunt ad singulos nodos sive genicula minores foliorum alæ. Summum caulem atque extremos ramos exornant umbellæ pallescentium *flosculorum*: quibus succedunt *semina* Sileris montani seminibus similia.

Invenitur ferè in omnibus Pannoniæ & Austriæ inferioris montibus, aspero solo ventísque perflato. Julio & Augusto floret, & subinde semen profert. *Locus & Tempus.*

Differt à Cervaria nigra foliis virentibus magis, paucioribus conjugationibus compositis, verùm multo majoribus, amaris & acribus nonnihil: floribus luteis ex umbellis minoribus, qui masticati odorem reddunt aliquantulum vinosum & aromaticum. *J. B.*

Cap. XVI.

De Silere montano.

Siler nomen à Silo deductum est, quia pro Seseli semine utuntur. At Veteres ipsum Seseli etiam *Sili* ac *Seli* vocabant.

Haud scio (inquit Bodæus à Stapel) an vox Sili rejicienda. Nam apud Festum legere est, Silatum Antiqui dicebant quod nunc jentaculum dicimus, eò quòd tum jejuni vinum Sili herba conditum absorbebant.

Bodæus semen Sileris majoris acredinis esse scribit quàm ullum Seseli, eóque menstruis ciendis perquam commendatum.

1. *Siler montanum Officinarum* Lob. Ger. *Seseli sive Siler montanum vulgare* J. B. *Siler montanum, vulgo Siselios* Park. *Ligusticum quod Seseli Officinarum* C. B. **Sermountain.**

J. B.

Humanum superat altitudinem Sileris montani *caulis*. Caulem ramósque ceu vaginâ laxiore amplectuntur foliorum pediculi palmares aut sesquipalmares: ipsa verò *folia* in alas oppositas dividuntur. Segmenta extrema terna ferè sunt, Cytisi Tragi foliis similia, oblonga, latiuscula, mucrone leviter obtuso. Umbellæ latæ, amplæ: *Semen* magnum cum fimbria foliacea, striatum, oblongum sapore acri & subamaro, veluti corticis aurantii, tandem ad Cymini saporem accedente. *Radix* magnâ comâ infimum caulem ornat, rugosa, digitali crassitudine, albida, odorata, in altum descendens.

In Jura & Saleva montibus propè Genevam, inque Alpibus propè Pontiebam observavimus: Alibi etiam in Alpibus frequens reperitur. *Locus.*

C. Bauhinus Ligusticum Matthioli idem esse statuit cum Silere montano. Joannes frater hoc non audet asserere, tum quia Matthiolus Seseli hoc Officinarum cimicum fœtorem repræsentare ait; Ligustici verò semen incolas Liguriæ passim in ciborum condimentis adhibere, tum quia Lobelius separat, tum denique quòd semen quod apponitur iconi *Camer.* differt.

2. *Siler montanum angustifolium* Park. *Ligusticum sive Siler montanum angustifolium* C. B.

C. B. prod.

Caule est tenui, cubitali, in alas brachiato, quæ umbellam albam, parvam sustinent; *foliis* paucis in segmenta angusta, oblonga (Peucedani instar) sed longè breviora divisis, quæ in alis ferè capillacea.

Propè oppidum *Stain* Austriæ. *Locus.*

Cap. XVII.

Seseli montanum Fœniculi folio C. B. *montanum tertium* Clus. *mont. angustifolium* 3. *Clusii, folio Seseli Massiliensis Matthioli, semine Angelicæ,* J. B.

Clus.

Huic multæ sunt *foliorum* alæ, Fœniculi foliorum instar in multa folia tenuia, illis tamen crassiora & breviora divisæ, virides admodum, mucrone omnium foliorum candicante & duro, calidi gustûs: inter quas enascuntur cubitales *caules* aut ampliores, digitalis crassitudinis, striati, geniculati, in aliquot ramos secti, quos secundùm nodos aliæ minores amplectuntur foliorum alæ. *Flores* in extremo caule & summis ramis in umbellas distributi nascuntur albi: dein *semina* striata, Angelicæ semini non disparia, gustu fervido. *Radix* multis crassis & oblongis fibris, latè & obliquè sparsis constat, quæ singulis annis summo capite novas propagines ad latera facit.

Nascitur in plerisque Austriæ inferioris & Stiriæ montanis pratis, atque Julio floret. *Locus.*

SECTIO TERTIA.

De Plantis Umbelliferis ſemine minore.

PRO Seminibus minoribus habemus quæcunque Cicutæ ſeminum magnitudinem non excedunt.

CAP. I.

De Umbelliferis ſemine minore, radicibus tuberoſis.

HÆ vel ſunt terreſtres ſemine lævi, vel aquaticæ ſemine ſtriato. Priores Bulbocaſtana ſeu Nuculæ terreſtres dicuntur, poſteriores Oenanthæ.

De Bulbocaſtano ſeu Nucula terreſtri.

BUlbocaſtanum ſic dictum Tralliano rentur, quòd figurâ radicis bulbos, ſapore guſtúque Caſtaneas ſcitè exprimat.

Radice autem tuberoſa, foliis tenuiùs inciſis, *ſemine* longiuſculo glabro, Umbellâ minimè clauſâ ab aliis Umbellatarum generibus facilè diſtinguitur.

A. 1. *Bulbocaſtanum* J. B. *majus & minus* Ger. *majus folio Apii* C. B. *Nucula terreſtris major* Park. **Earth-Nut or Kepper-Nut.**

Radix tuberoſa, alba, ſolida, fibras tum ab imo, tum à lateribus promens tenues, guſtu ſubdulci grato, profundè in terra deliteſcit. *Folia* tenuiùs inciſa ſunt quàm Petroſelino, ſegmentis acutioribus. *Caulis* ſimplex, teres, ſtriatus, ſolidus, uno plerunque folio adnato antequam in ramos dividatur. Ad ſingulas autem caulis divaricationes apponitur folium multo tenuiùs inciſum quàm ſunt quæ è radice oriuntur. Ad umbellarum baſes nulla apponuntur folia. *Flores* quales Umbelliferis aliis, verùm exigui admodum, albi. *Semina* parva, longiuſcula, & cùm adhuc viridia ſunt minimè ſtriata, [cùm jam exaruerunt ſtriæ ſubobſcuræ videntur,] colore caſtaneo. Vere primo è terra erumpit; Maio exeunte & Junii initio floret, & in paſcuis ſolo ſabuloſo aut glareoſo frequentiſſima eſt. Cùm ſemen perfecit tota ſuperficies exareſcit illico, radice in terra reſiduâ, tuberoſâ, inæquali, nigrâ membranâ obductâ, carne albâ eſculentâ.

Locus & Tempus.

Ego hactenus unam duntaxat novi Bulbocaſtani ſpeciem, nec plures agnoſcit J. Bauhinus. C. Bauhinus Nuculam terreſtrem Septentrionalium *Lob.* (quam Lobelius in Anglia vel mulierculis notam ſcribit) Bulbocaſtani majoris Synonymam facit: Botanici noſtrates pro Bulbocaſtano minore habent quod ſponte apud nos provenit; quod indicium non dari diverſas ſpecies, ſeu majoris & minoris diſtinctionem.

D. Magnol duas ſpecies diſtinguit, majorem & minorem; & utramque ſe in horto plantâſſe aſſerit, ut certior fieret an hæc varietas à loco ſicciori vel humidiori dependeret.

Vires & Uſus.

Radix noſtratibus effoditur, & cruda eſtur: Verùm excorticata, & cum modico pipere in jure carnium cocta, ſuavis admodum cibus eſt, multùm nutriens & Venerem ſtimulans. Medicamentis addita cruenta mingentibus & etiam ſpuentibus auxiliatur, Tralliano id atteſtante.

Hac etiam ſues (cujus avidæ ſunt) impinguantur, unde & Caſtaneæ ſuillæ, noſtratibus **Pignuts**, nuncupantur.

In paſcuis, non tamen pinguibus ſed glareoſis copioſiſſimè proveniunt.

CAP. II.

De Oenanthe aquatica.

Οἰνάνθη τὸ ἄνθος τοῦ ἀμπέλου, quòd colore & quadantenus odore non ſit Viti diſſimilis, vel potiùs quòd cum vite floreat, & in flore ejus odor qualis in pubeſcente vite ſentitur.

Radicibus tuberoſis, è multis glandulis compoſitis, & loco natali, paluſtri ſcilicet & aquoſo, ab aliis quibuſcunque Umbelliferis plantis facilè diſtinguitur.

A. 1. *Oenanthe*

A. 1. *Oenanthe aquatica* C. B. *palustris seu aquatica* Park. *item aquatica major* ejusdem p. 1232. *Filipendula aquatica* Ger. *Oenanthe sive Filipendula aquatica* J. B. **Common water Dropwort.**

J. B.

Bulbilli olivares ex tenuibus pendent filis plures; quos nonnisi attenta cautione evellas; abrumpuntur quippe facilè sequentibus caulem duntaxat fibris. *Caulis* cubiti & sesquicubiti altitudine, striatus, concavus, ramosus, geniculatus. Folia inferiora parciùs secta, reliqua longioribus & tenuioribus segmentis cæsa. *Umbellæ* parvæ, albæ. *Semen* oblongum, in duas veluti cuspides desinens.

In pratis humidis & ad rivulos ubique ferè oritur. *Locus.*

Sapore est amariusculo cum levi adstrictione, calidæ & siccæ naturæ, aperientis & adstringentis facultatis. Movet urinam & arenulas extrinsecus & intrinsecus usurpata: aperit obstructiones, & expurgat meatus urinarios.

A. 2. *Oenanthe aquatica minor* Park. *item Oenanthe juncoides minima* ejusdem p. 895.

Park.

Folia quæ producit antequam caulis emergit tenuissimè incisa sunt, & in terram supina: Quæ caulem vestiunt costæ potiùs foliorum quàm folia videntur, supernè obscuro virore splendentia; ut & *Caulis*, qui Juncum proximè refert, infra cujus summum apicem seu acumen ut in Juncis, è latere erumpit umbella flosculorum albentium, odoratorum, quibus subsunt *semina* Apii non majora, verùm nigriora. *Radix* inter fibellas capillares aliquot habet glandulas albentes.

Hujus flos præterit plerunque antequam major florere incipit. Parkinsonus utramque in horto coluit.

3. *Oenanthe altera minor Africana* Park. *item tenuifolia altera Africana* ejusdem p. 895.

Park.

Præcedentem minorem Oenanthem proxime refert, summitate seu Umbella differt, quæ major est & semina etiam majora.

Guilielmus Boelius è Barbaria Africæ regione attulit.

A. 4. *Oenanthe Cicutæ facie Lobelii* Park. *Chærephylli foliis* C. B. *succo viroso, Cicutæ facie Lobelii* J. B. *Filipendula Cicutæ facie Lobelii* Ger. **Hemlock Dropwort.**

Lob.

Paludapio foliis non absimilis est, Rutæ pratensi similior [nostrâ sententiâ Apio aut Petroselino similior quàm Thalictro] multo pullulatu, virore tetro, colore & facie Cicutæ. *Caules* bicubitales spargit, è *radice* in pares Asphodeli albi bulbos multipartita, & quasi brachiata, nullius fibræ vinculo aut interventu continuos, teneros, gustu acres & ingratos, succo lacteo primùm, deinde flavescente, viroso, & exulcerante prægnantes. *Umbellæ* Cicutæ, cui affinem autumant qui maleficio parem expertos se asserunt: Usos namque in acetariis nihil factum fuisse propiùs quàm ut interirent, aiunt: alios qui esitâssent, vertigine tenebricosa palantes, nutantes, attonitos inque gyrum versantes se vidisse.

In rivulis, lutulentisve & riguis non in Septentrionalibus duntaxat Angliæ, Westmorlandia scilicet & Eboracensi provincia, sed & in Meridionalibus, Surreia, Sussexia, &c. copiosè provenit. *Locus.*

Inexcusabilis est (inquit Johnsonus apud Gerardum) quorundam nostris temporibus ignorantia qui radices hujus herbæ Pæoniæ radicum loco vendunt. Quin sibi compertum affirmat, mulierculas rhizotomas & botanopolas Londinenses radices hasce sub nomine *Levistici aquatici* vendere. Verùm an adeò venenatæ sint & malignæ hujus plantæ radices nonnullos dubitare video. Matthiolus Oenanthem suam tertiam & Tabernamontanus Oenanthen selinophyllon; quas C. Bauhinus hujus plantæ synonymas facit, salubrem esse plantam statuunt. Ego rem in medio relinquo, ulteriori examini subjiciendam.

5. *Oenanthe Apii folio* C. B. *Filipendula angustifol.* Ger. *Oenanthe sive Filipendula Monspessulana Apii folio* J. B. *Oenanthe Apii folio major* Park. **Water-Dropwort with Smallage leaves.**

J. B.

Perinde ut Oenanthe vulgatiori seu Filipendulæ ità & huic glandulosæ *radices*, longis filis pendulæ latiùs quàm altiùs propagantur, tunicâ nigricante contectæ, intus albæ, Pastinacæ Germanicæ quodammodo sapore, gratiore tamen, dulci. Hujus *folia* plurimùm ludunt, prima germinatione lata, mox Petroselini vulgaris seu Apii hortensis (à cujus etiam sapore parum abludunt nisi quòd plusculum adstrictionis habeant) ex virore pænè lucida, supra terram expansa, demum Peucedani effigiem induunt. *Caules* plures surriguntur, cæsii, angulosi, striati, cubitum & sesquicubitum alti, multis alis concavi. *Flores* in Umbella muscosi, admodum minuti, ex albo purpurascentes. *Semina* differunt à prædicto Petroselino, quo multò longiora, veluti capitulum habentia.

Florentem Junio Monspelii inter *Peroul* & lacum reperit J. Bauhinus. *Locus.*

Parkin-

Parkinsonus aliam hujus seu speciem, seu varietatem habet, quam Oenanthen Apii folio minorem vocat, eámque duarum specierum facit. Ab hac etiam specie diversam facit Oenanthen angustifoliam Lobelii, entia præter necessitatem multiplicans.

6. *Oenanthe Staphylini folio aliquatenus accedens* J. B. *Oen. Pastinacæ sylv. folio, semine Atriplicis,* J. B. *Monspeliaca major & minor* Park.

J. B.
Folia hujus inferiora ad infima folia Oenanthes Monspessulanæ accedunt nisi tenuiùs essent dissecta: pediculus est plusquam spithamæus, cui æquales ex adverso sitæ alligantur alæ, in *folia* Petroselini subdivisa, delicatiora utcunque & incisurâ concinniore, ad Staphylinum quodammodo accedente: reliqua folia ad caulium alas enata Peucedani foliis proxima, id quod etiam in Monspessulana Oenanthe observavimus, cujus etiam cauli similis est & hujus *caulis* pulchrè striatus; alludit quoque *umbella* densissimis muscariis albicantibus composita.
C. Bauhinus hanc plantam ad Joannem fratrem ex horto Patavino attulit.

7. *Oenanthe stellata Cretica* Alpini exot. *Cretica stellata* Park.

Alpin.
Oenanthæ alteri Matthioli quàm simillima, *caulem* unicum promit, rectum, teretem, dodrantalem, non admodum crassum, qui in summitate in quinque ramulos dividitur, graciles, itidem rectos, rectéque actos, qui Umbellam albam Oenanthes modo producunt, quæ Umbellæ post flores mutantur veluti in quinque stellas, habentes octo & quandoque plures radios, longos, latos, in acutum desinentes; in quorum medio *flores* sunt parvuli, in orbem comprehensi, qui postea indurescunt & mutantur in *semina* parva, oblonga, tenuia, Scabiosæ Indicæ similia, simul compacta & durissima; stellæ autem per maturitatem nigræ redduntur. *Folia* Oenanthes secundæ, sed pauciora & majora. Radicibus nititur sex, septémve, longis, crassis, carnosis, in acutum desinentibus, ab eodem principio proficiscentibus, vulgaris Filipendulæ aut Asphodeli radicibus quàm proximis, sed minoribus. Tota plantæ superficies quotannis hyeme emoritur, radice sub terra latente.

* 8. *Oenanthe Cretica prolifera* Park. *Apula prolifera* C. B.

Park.
Oenanthes Creticæ stellatæ *Alpini* persimilis est: Differt 1. *Foliis* amplioribus, nec in tot lacinias dissectis: 2. Florum Corymbis, qui licèt albi sunt & pariter in capitula glomerati, attamen foliorum acuminatorum stellatim capitula cingentium vice hoc genus florum capitella aliquot obtinet primarium caput in orbem cingentia, ad eundem ferè modum quo in Calthæ aut Bellidis proliferæ dictæ floribus fit: 3. *Semine* Oenanthes aquaticæ simili: 4. Denique & præcipuè *radicibus*, quæ in hoc genere glandulosæ non sunt ut in aliis, sed ex fibrarum tantùm seu filamentorum albentium magno numero compositæ.

CAP. III.

De Umbelliferis semine striato minore, foliis & odore Pastinacæ latifoliæ.

HÆ vel sunt terrestres, vel aquaticæ. Terrestres, vel radicibus carnosis esculentis, *Sisarum*; vel durioribus & lignosioribus *Selinum Segetale*, & *Amomum Germanicum*. Aquaticæ *Sii* nomine innotescunt. Verùm Selinum segetale & Amomum Germanicum rectiùs Siis annumerantur.

De Sisaro.

Sisarum à Pastinaca latifolia sativa (cui foliis & sapore radicis satis similis est) differt semine, quod non ut in illa latum & foliaceum sed oblongum, angustum & striatum est, item radice, quæ non ut in ea unica, sed ex uno capite plures.

1. *Sisarum* Ger. *Siser vulgare* Park. *Sisarum multis* J. B. *Sisarum Germanorum* C. B. **Skirret.**

J. B.
Radix propter majorem suavitatem cupediis magis expetita quàm Pastinacæ latifoliæ Germanicæ, quæ non ut in ea unica, sed ex uno capite plures pendulæ, glandulosæ, teneræ & fragiles, rugosæ, cortice tenui pallidóque obductæ, pulpâ candidâ, digitali crassitudine, pedales quædam, aliæ multò breviores, dulci & grato sapore, nonnihil aromatico. *Caulis* surgit sesquicubitum altus, singularis, geniculatus, striatus. *Folia* pinnatim disposita, Bauciæ minora, teneriora, acuminata, nigriora, argutis per ambitum denticellis crenata. Umbella candida suaveolentium *flosculorum*, quorum singuli quinis foliolis totidémque apiculis constant. *Semina* in umbella producit Petroselini, nonnihil majora, colore obscuriore, longiora.
Sisarum in hortis seritur semine, sed radice potissimum, majoribus ac crassioribus sublatis, minores

res, iterum in terram defiguntur, quod Februario & Martio opportunè fit, priusquam caules assurgant, atque hoc tempore exemptæ nervo medio duriore detracto coctæ cum butyro, pipere & sale esitantur. Veteres autem & majores radices si hoc tempore non adimantur, corrumpuntur novæque juxta oculos radiculæ mense Martio quandoque folia protrudere observavit J. B.

Cordus omnium radicum quæ vescendo sunt saluberrimas hasce affirmat: Dodonæus moderatè calidas esse ac humidas, facilè concoqui, nec tardè descendere, nutrire mediocriter, nec parvi esse succi, flatulentum tamen quiddam etiam obtinere, unde Venerem promovent. *Vires.*

2. *Sisarum Syriacum* C. B. *alterum Syriacum* Park. *Secacul Arabum & Mauritanorum sive Pastinaca Syriaca* Rauwolf.

Radicem obtinet teneram, lævem, exteriùs canescentem, intus album, fractu facilem, digitali crassitie, at longitudine digiti dupla, tuberculis seu nodis aliquot inæqualis verrucis similibus, grato sapore Carotæ; unde emergunt *folia* multa in plurimas partes dissecta, Carotæ æmula. *Caules* ad nodos consimilibus foliis vestiuntur, & in summitate umbellas *florum* gestant illius similium, sed colore luteorum.

In Ægypto propè Cayrum urbem sponte oritur. *Locus.*

A. 3. *Sison sive Officinarum Amomum* J. B. *Sison, quod Amomum Officinis nostris* C. B. *Si. vulgare, sive Amomum Germanicum* Park. *Petroselinum Macedonicum Fuchsii* Ger. **Bastard Stone-Parsley.**

E *radice* alba, lignosa, simplici, aliàs bifida, surculosa, in terram non altè descendente, sapore Pastinacæ aromatico, *caulem* producit crassitiei mediocris, teretem, medullâ farctum, satis firmum & rigidum, glabrum, sesquicubitalem & altiorem, crebris geniculis interceptum, & ab imo ferè ramosum ad genicula huc illuc reflexum. *Folia* in caule alternatim sita, pinnata Pastinacæ Germanicæ in modum, singularia tamen folia Sisari foliis similia, tenera, oblonga, circumcirca crenata, aliquando & laciniata. *Flores* in umbellis parvis candidi, exigui, è quinque petalis cordatis compositi, *semine* subsequente perpusillo, fusco, striato, gustu acriusculo aromatico.

Planta hæc valdè ramosa est, medius tamen scapus altiùs assurgit quàm ramuli, qui multipliciter in surculos dividuntur umbellis suis onustos.

Locis humectis & lutosis nascitur, unde & in sepium & fossarum aggeribus recentioribus. *Locus.*

A. 4. *Selinum Sii foliis* Ger. emac. *Selinum segetale* Park. **Honewort, Corn-Parsley.**

Johns.

E semine Petroselini æmulo foliolis seminalibus binis, longis angustis exit: proximè erumpentia folia bina, exigua sunt rotunda, glabra, circum oras crenata: sequentia ad duo vel tria paria ejusmodi foliolis rotundis mediæ costæ adnexis cum impari in extremo componuntur: postea pluribus erumpentibus formam nonnihil mutant; unumquodque enim folium foliolis octo vel novem parvis, glabris, viridibus binis ex adverso mediæ costæ adnexis, impari costam finiente, circa margines eleganter dentatis, quoad formam Sii odorati Tragi folia referentibus, verùm minoribus, brevioribus nec omnino fuscis constant: Inter quæ plurimi oriuntur *cauliculi* ultra viginti interdum ab eadem radice, bipedales, graciles, teretes, striati, interdum erecti, aliàs ad terram reclinati, geniculati, in multiplices ramos divisi. Ad singula genicula apponitur folium minus iis quæ ad radicem. Folia autem omnia tam quæ è terra exeunt quàm quæ caulem vestiunt brevi marcescunt, ut cùm semen maturuit nè unum quidem folium viride in planta cernatur. *Flores* albi summos plerunque caules & ramulos occupant, interdum è plerisque geniculis ad terram usque exeunt, in umbellis parvis & inæqualibus, singuli petalis quinq; minutissimis planis, obtusis, & purpureis in medio apiculis constant. Totus flos aciculæ parvæ capitellum magnitudine non multum superat. Singulis flosculis bina succedunt *semina* parva, cinerea, incurva, striata, Petroselini seminibus similia sed majora, sapore acri & aromatico. *Radix* parva, alba, multis fibrillis donata, quàm Petroselini minor.

Circa initium Julii florere incipit, & diutissimè florens perseverat unde & partem aliquam seminis Augusto maturat, aliquam Octobris initio vix ad maturitatem perducit. E semine deciduo renascitur statim, & foliis virentibus per totam hyemem viget. Inter segetes solo præsertim lutoso oritur. *Tempus. Locus.*

Herbam ad tumores genarum valere, si tusæ & expressæ succus cerevisiæ mistus quotidie manè jejuno bibatur, à mulierculaquadam quæ in seipsa experimentum fecerat, edoctus est D. *Goodyerus.* Intra duas septimanas tumorem absumit. Detur succus manipuli unius herbæ expressus in dimidio sextario seu pinta Cerevisiæ. *Vires.*

5. *Sium majus latifolium* Ger. emac. *maximum latifolium* J. B. *Sium Dioscoridis sive Pastinaca aquatica major* Park. **Great Water-Parsnep.**

Caulibus crassis striatis & velut angulosis concavis, ramosis, ad duorum triúmve cubitorum altitudinem assurgit. *Folia* ad radicem & in caulibus Pastinacæ sativæ latifoliæ similia, nec minora, alata seu pinnata, pinnis plurimis longis, latiusculis, acuminatis, circa margines dentatis, glabris, crassis & succulentis, binatim ad mediam costam annexis composita. Summos caules & ramulos umbellæ occupant magnæ, *flosculis* albis compositæ, quibus succedunt *semina* parva, striata.

Hujus folia quæ initio veris primò erumpunt, sequentibus similia non sunt, sed minutim concisa, & Oenanthes aquaticæ, aut Smyrnii Cretici (cui hoc respectu similis est) foliorum æmula. Odor huic gravis Petrolei aut bituminis.

In

Locus. In fluviis majoribus plerunque oritur.

Hæc planta C. Bauhino Sion sive Apium palustre foliis oblongis dicitur, minùs commodè nostro quidem judicio. J. Bauhinus Tabernamontanum secutus ex una specie duas facit.

A. 4. *Sion erectum umbellatum sive Pastinaca aquatica* Lob. *majus angustifolium* Ger. *minus alterum* Park. *umbelliferum* J. B. **Common upright Water-Parsnep.**

Radix multarum aquaticarum instar geniculatim incedit, demissis subinde fibrarum comis longiusculis, odore & sapore Sisari. *Folia* [quæ è radice exeunt] cubitum longa, longo pediculo, striato, glabro, intus cavo appensa, octo aut novem pinnularum conjugationibus composita, Pastinacæ Germanicæ similibus, minùs rugosis, quæ verò in caulibus sunt minora existunt, profundiúsque & argutiùs secta. *Caules* sesquicubitales, teretes, striati, inanes, recti, ramosi. Florum umbellæ caules & ramulos terminant: *flores* minuti, candidi. Umbellæ basin seu exortum foliola angusta, acuminata ambiunt. *Semen* parvum odoratum, acre.

Locus. In rivulis & ad fluviorum ripas.

A. 5. *Sium umbellatum, repens* Ger. emac. **Creeping Water-Parsnep.**

Caules huic plantæ crassiusculi, concavi, striati, infirmi & procumbentes, è geniculis fibras albas in terram demittentes, quibus se propagat, ramosi, ramulis è foliorum alis exeuntibus. *Folia* origine membranosâ caulem amplexa, longis pediculis concavis, Pastinacæ æmula, tribus vel quatuor pinnarum conjugationibus ad mediam costam annexis per margines dentatis composita. *Florum* umbellæ non ut in præcedentibus summos caules terminant, sed secundùm caules ex adverso foliorum oriuntur brevibus admodum & vix semuncialibus pediculis, octo aut novem radiis constantes: singuli radii in cacumine umbellam secundariam seu partialem sustinent, cujus basin ambiunt folia angusta, oblonga: ad basin umbellæ totalis nulla sunt ejusmodi folia, quo à secunda specie differt. *Flosculi* perexigui, albi, quinque petalis angustis acutis compositi sunt, quibus succedit *semen* parvum, breve, striatum.

Locus. In rivulis & aquarum scaturiginibus plurima ubique ferè in Anglia provenit, unde miramur eam à nemine ante Johnsonum Gerardi emaculatorem descriptam. Figura ejus extat in Hist. Lugd. p. 1092. sub titulo *Sii veri Matthioli*, at Descriptio addita est alterius plantæ.

A. 6. *Sium minimum.* **The least Water-Parsnep.**

Radix, ut in aliis hujus generis, geniculatim incedit, demissâ comâ fibrarum albentium è geniculis. *Caules* concavi, teretes, geniculati, rubentes, infirmi & humi procumbentes, duos nonnunquam palmos longi, ramosi. *Folia* ad singula genicula singula, alternatim posita, è quatuor vel quinque pinnularum mediæ costæ adnexarum conjugationibus composita, inferiora quæ aquis immerguntur tenuiùs incisa superiora, quæ extra aquas sunt, minùs secta & reliquorum hujus generis similia. Ex alis foliorum emergunt ramuli, ex adverso eorundem oriuntur *umbellæ*, ut in præcedenti, pediculis uncialibus aut brevioribus, parvæ, duobus tribúsve radiis constantes. *Flores* & *semina* reliquis hujus generis similia.

Locus & Tempus. In palustribus & aquosis frequens Maio mense floret.

7. *Daucus Siculus Pastinacæ foliis* Zanoni.

Zan.

E *radice* digiti minimi crassitie, dimidium pedem longâ, raris fibris donatâ, ima parte in duas trésve radiculas seu ramulos divisâ, albâ, sapore nonnihil acri & aromatico, non ingrato, *folia* emittit multa, in terram undique diffusa, pediculis teretibus supernè sulcatis & cavis nixa, ramosa seu triangulata, ut in aliis plantis Umbelliferis: siquidem folium integrum in ramos plures, binos oppositos, dividitur & in folium desinit; ramuli iterum in pinnulas subdividuntur latiusculas: folia tamen nonnulla ramosa non sunt sed tantùm pinnata: Pinnæ sive folia ultima supernè viridia sunt, infernè albicantia, glabra, crassiuscula, nonnihil lucida, per ambitum dentata, nervis Labyrinthi in modum perplexis, reliquo folio viridioribus, ea undique percurrentibus: Pimpinellæ Saxifragæ minoris formâ similia, verùm majora & acutiora. Inter folia exilit *caulis*, cubitum altus, glaber, & fere lucidus, teres, solidus, à nodo ad nodum huc illuc undatim flexuosus, non fragilis, medullâ argenteâ repletus, raris nodis exceptâ imâ parte interceptus. E singulis nodis folia exeunt singula, alias bina, imo pediculo in membraneam vaginam caulem amplexam dilatato, ut in aliis multis umbelliferis fit; inferiora in caule ramosiora sunt. Ex iisdem nodis & foliorum sinubus, etiam infimis & terræ proximis, exeunt ramuli, foliis similibus, verùm minoribus magísque dentatis seu in segmenta tenuiora divisis vestiti. Summos caules & ramulos terminant umbellæ *florum* minutorum pentapetalorum, cum duabus in medio lingulis: Color aureus vividus, florum & staminum. Flores delapsi *semina* relinquunt oblonga, octangula, lævia, colore stramineo obscuro.

Planta est perennis sed cœli frigidioris impatiens.

Hujus semen à Panormo Siciliæ metropoli ad Auctorem transmisit insignis Botanicus D. Paulus Boccone.

CAP.

Cap. IV.

De Umbelliferis semine striato minore, foliis Pimpinellæ pinnatis, radice fervida. Seu

De Pimpinella Saxifraga.

A. 1. *Pimpinella Saxifraga* Ger. *P. Sax. hircina major* Park. *Saxif. major umbellâ candidâ* C.B. *Saxifragia hircina major* J.B. **Great Burnet-Saxifrage.**

R*adix* alba, simplex, minimi digiti crassitudine, rectâ in terram descendens, paucis fibris donata, sapore fervido. *Folia* longis insident pediculis, pinnata, tribus aut quatuor pinnarum conjugationibus ad mediam costam annexis, Sii odorati umbelliferi similia, atrovirentia, splendentia, sapore ignaviore multo quàm radix, pinnis circa margines dentatis, & nonnunquam altiùs incisis, aversa parte hirsutis, supinâ lævibus. *Caules* sesquicubitales & altiores teretes, striati, glabri, inanes, ramosi & geniculati. Summis caulibus & ramulis insident *umbellæ flosculorum* albentium minutorum: quibus succedunt *semina* pro plantæ magnitudine parva, brevia, striata. Nulla ad exortum radiorum umbellæ totalis aut partialium apponuntur foliola.

Locus. In sylvis, agro Cantabrigiensi & Bedfordiensi, Cantiano quoque & alibi etiam in Anglia observavimus.

In hoc genere folia interdum in lacinias divisa nos quoque post Clusium observavimus.

Pimpinella Saxifraga major umbella rubente C.B. *Saxifr. maj. flo. rubente* Park.

Quomodo à præcedente differat inquirendum. Clusius tantùm ejus varietatem facit.

A. 2. *Saxifragia hircina media* J.B.

Hujus descriptionem paucis absolvit J. Bauhinus, Duûm, inquit, generum habet folia, inferiora quidem ad minorem Saxifragiam accedentia, superiora verò majoris foliis similiora, oblonga, in acumen desinentia, profundè crenata. Radix prolixa, mediocriter crassa: *caulis* striatus, cubitalis, alis aliquot brachiatus, umbellas gerit albas majusculas.

J. Bauhinus dubitat an sit Daucus Selinoides Cordi, quem frater ad Pimpinellam Saxifragiam minorem refert: item an sit Lugdunensis Dauci secundum genus Dalechampii, quod C. Bauhinus in pin. Daucum decimum seu campestrem Apii folio vocat, de quo alibi.

Tubingæ observavit J. Bauhinus, & in monte *Watwiller.*

Fuchsius Pimpinellam mediam denominabat.

A. 3. *Pimpinella Saxifraga minor, foliis Sanguisorbæ. Saxifragia hircina minor, foliis Sanguisorbæ* J.B. *Pimp. Saxifraga major altera* C.B. *P. Saxifraga major nostras* Park. *præter rationem major dicitur.* **The lesser round-leaved Burnet Saxifrage.**

Radice nititur simplici, altè in terram descendente, rugosa, alba, paucis fibris donata, sapore fervido. *Caulis* ab eadem radice nunc unus, nunc plures assurgunt, cubitales & altiores, brevi admodum, sed satis densa lanugine hirsuti, striati, inanes, ab imo statim ramosi, ramulis è foliorum sinubus (quæ ad genicula sunt) egressis, internodiis longis. Summos caules & ramulos terminant umbellæ satis amplæ, radiis multis compositæ [viginti numeravimus] quorum singuli umbellas partiales sustinent florum minutorum, alborum, pentapetalorum, petalis in extremo subrotundis non bifidis. Singulis flosculis bina succedunt *semina* brevia, parva, tumidiuscula, striata, per maturitatem nulla neque ad umbellæ totalis, neque ad partialium radiorum exortum apponuntur foliola. *Folia* ad radicem multa, Pimpinellæ vulgaris foliorum æmula, & in ambitu serrata, tribus vel quatuor pinnularum medio nervo annexarum conjugationibus composita cum impari in extremo, supernè obscurè viridia, infernè pallidiora & veluti glauca, nervis saturatiore colore tinctis manifestè apparentibus. [In caule pauca, eáque brevia & tenuia sunt folia, pinnulis longis, angustis, altiùs utrinq; incisis.]

Locus & Tempus. Augusto mense floret. In pascuis siccioribus, solo præsertim glareoso, nasci amat.

A. 4. *Pimpinella Saxifraga minor* C.B. *Saxifraga hircina minor* Park. *an Saxifraga minor nostras* ejusdem? *Bipinella sive Saxifraga minor* Ger. emac. *Saxifragia hircina minima, Pimpinella crispa Tragi* J.B. **Small Burnet Saxifrage.**

Hæc species radice, caule, floribus & seminibus cum præcedente adeò convenit, ut vix internoscas. Præcipua differentia est in foliis, quæ ad radicem etiam tenuiter incisa sunt: nam ad mediam costam annexæ pinnulæ non ut in illa integræ sunt & subrotundæ, sed longæ, angustæ, in tria quatuórve pinnularum nervo medio annexarum paria subdivisæ; quinetiam singulæ hæ pinnulæ secundariæ ad margines altiùs incisæ sunt in lacinias dentatas. Folia pluribus pinnarum conjugationibus constant. Odore & sapore cum præcedente convenit.

Eodem cum præcedente tempore floret iisdémque in locis invenitur.

Vires. Calculo comminuendo & expellendo, autore Trago, accommodatissima est, temperamento calidior omnibus Apii generibus. Radix siccata loco Piperis in cibo usurpari posset: nam gustu & viribus

ribus ità Piperi respondet; ut *Piper Germanicum* non ineptè dici possit. Et meo certè judicio utilior est & salubrior omni Pipere, quod ego experientiâ longâ didici. Herba Pimpinellæ, radix & semen Petroselini facultatibus pollent, sed in expellendo ac sedando dolores efficacioribus multo. E radicibus pastilli confici possunt, stomacho frigida intemperie, crassisque ac viscosis humoribus laboranti, passioni etiam colicæ ac matrici quam utilissimi. Radix quacunque ratione sumatur, sive in pulverem redacta, sive in potionibus aut eclegmatis, adversus omne venenum facit unicè, dolorem intestinorum lenit, calculis renum prodest, menses ciet, & si quæ alia per urinam evacuanda sunt; quæ omnia de semine quoque accipienda sunt & de aqua destillata: quæ & maculas faciei detergit, & eam duram facit. *Quòd vulnerariam herbam esse dicit, nobis minùs probatur, cùm adeo acris & calida sit: forte ad sordida ulcera detergenda valet.*

Usus radicis præcipuus est (perhibente Fuchsio) in peste aliisque morbis contagiosis præcavendis & curandis. Pota ex aceto magnæ commendationis est ad pestiferos morbos.

Contra phthisin nonnulli commendant Electuarium è radice Pimpinellæ minutissimè trita & saccharo rosato factam. *Vix mihi persuaserint adeò acrem & fervidam radicem phthisicis convenire: ut neque tussi, asthmati, peripneumoniæ J. B.* Alii ad colicos dolores leniendos propinant, nescio quo successu. Externus usus est in Odontalgia pro masticatorio ad pituitam eliciendam; ad bubones cancrosósque tumores maturandos, lac augendum, &c.

5. *Pimpinella Saxifraga Africana major.*

Hoc titulo cujusdam Pimpinellæ Saxifragæ à D. *Magnol* Monspelii in horto suo cultæ folium siccum nobis exhibuit eruditiss. Vir D. *Sloane*, ex Africa seu Barbariæ ora allatam ad Promontorium Cetium non longè à Monspelio retulit D. *Magnol*, unde ipse habuit.

Erat autem folium pinnatum Pimpinellæ instar, & ad exortum pinnarum singularum hinc inde singuli lobi seu foliola è rachi seu costa folii media enascebantur. Plura non habemus quæ de ea dicamus.

CAP. V.

De Caro.

Plinius lib. 19. cap. 8. Carum à Caria appellatum dicit. *Peregrinum & Careum gentis suæ nomine appellatum, culinis principale.*

Foliis pinnatis, pinnis in multas lacinias dissectis, seminibus oblongis, striatis; radice dulci esculenta, ab aliis Umbelliferis distinguitur.

A. 1. *Carum sive Careum* Ger. *Carum vulgare* Park. *Caros* J. B. *Cuminum pratense, Carui Officinarum* C. B. **Caraways.**

J. B.

Ex *radice* singulari, longa, crassitudine pollicari & majore, rugosa, adnatis quibusdam & fibris aucta, albâ, sapore aromatico & acriusculo ut Pastinacæ, *caules* profert multos, cubitum & sesquicubitum altos, striatos, solidos, glabros, geniculatos, in ramos subinde divisos: *folia* longo carinato pediculo, sed angusto, partim à radice, partim ex ramulorum alis enata, Staphylini foliis similia, sed per longiora intervalla alas proferentia, & tenuiùs incisa, glabra: in ramulorum extremis umbellæ non ingrato odore; *flores* singulares parvi, rotundi, albidi aut rubescentes petalis cordatis nonnihilque ad fissuram crispis, omnibus in ambitu æqualibus compositi, è quorum umbilico virenti stamina tenuissima exeunt albicantia, apicibus virentibus. *Semen* succedit oblongum, striatum, sapore acri & aromatico.

Locus. In pinguibus & lætis campis herbosis & pratis, quæ subinde rigantur apud Germanos Bohemósq; frequens nascitur *J. B.* In palustribus Lincolniensibus, inque pascuis depressis & pinguibus prope Hullam oppidum in Eboracensi provincia copiosè oritur, & alibi etiam apud nos in pratis.

Vires. *Semen* stomachicum est ac diureticum, siquidem flatus discutit, concoctionem promovet, urinam ciet, cerebrum corroborat, lactis abundantiam præbet. Hinc usus ejus insignis est in colica, vertigine, epilepsia præcavenda, &c.

Semen hoc passim in Germania [& Anglia] usitatissimum est: nam & panibus, quos biscoctos vocant, compinsitur, & caseis adjicitur [in Germania] jusculis & placentis, artomelis, aliisque ferculis incoquitur, & in Officinis saccharo obducitur.

Radix dum adhuc tenera est non minùs efficax habetur quàm semen: éstque caro ejus in cibis ipsa etiam Pastinaca jucundior & delicatior, teste Parkinsono.

Multum olei reddit destillatum semen; quod multò acrius est quàm oleum Anisi, experimento J. Bauhini.

Thonerus in Obs. p. 126. dolorem totius abdominis clamosum per quinq; guttas olei destillati Carui curavit: & solo hoc oleo à sævo ventriculi dolore curavit etiam aliam. *D. Hulse.*

* 2. *Carvi Alpinum* C. B. *Carum Alpinum* Park.

C. B. prod.
Planta palmaris est & glabra, ex *radice* oblongiuscula nigricante aromatica *folia* emittens longis pediculis donata, foliorum Carvi modo, in paulò tamen majora segmenta divisa, pallidè virentia. *Caulis* modò unus, modò duo tenuis, ad uncias sex exurgens, supra mediam nudus, in quinas senásve festucas instar umbella abiens, quarum singulæ flosculos aliquot, quasi in capitulum junctos, ex flavo rubescentes sustinent.

In Pyrenæis montibus legit Burserus. *Locus.*

Cap. VI.

De Umbelliferis semine striato minore foliis latioribus Apii seu Petroselini.

Apium, Græcis Σέλινον, ab apibus nomen habere putatur, quia Apes ejus flore delectantur. Petroselinum vulgare Apium Veterum censetur. Apium Officinarum eorundem Eleoselinum est. Petroselinum vulgare ab Apio palustri foliis minoribus, floribus luteo pallidis differt.

A. 1. *Imperatoriæ affinis umbellifera maritima Scotica* Sibbald. Prod. *Apium Scoticum & Apium marinum quibusdam* Newtoni.

Foliis est quàm Imperatoria minoribus & obtusioribus; *semine* striato majore; *floribus* pentapetalis albis in umbellam dispositis; radice non repente. Hanc esse plantam suspicor quam dudum in rupibus maritimis non procul Bervico è petrarum fissuris exeuntem observavi, & pro Hipposelino habui. Eandem esse puto quæ Phytologiæ Britannicæ pro Angelica sativa inseritur.

Pleniorem hujus plantæ descriptionem à D. *Jacobo Newton* transmissam liber hîc subjungere. *Radix* ei alba, crassiuscula, fibrillis aliquot donata. *Folia* infima longis innituntur pediculis, tripartitò divisis ipsa pariter in tres partes secta subrotundas, circa margines dentatas, dilutius viridia. Caulis pedalis aut altior, paucis foliis amictus. *Flosculi* exigui, albi. *Semen* figurâ & magnitudine Fœniculaceo par & simile, striatum, fuscum. Tota planta saporem & odorem acrem, vegetum, aromaticum obtinet; quàm Imperatoria tamen multò remissiorem, & ad Apium propiùs accedentem.

Septembri mense semen maturat. In tumulo quodam arenoso & saxoso ad mare, sex ab Edinburgo milliaribus versùs **Queens Ferry**, i.e. Reginæ trajectum, invenit Auctor. *Locus.*

Mihi (inquit) ibi narratum est, Scotos montanos, apud quos copiosè oritur, quotidie manè eam esitare; quo se tutos esse persuadent toto die à quavis contagione.

A. 2. *Apium palustre seu Officinarum* C. B. *vulgare ingratius* J. B. *palustre seu Eleoselinum Veteribus* ejusdem. *Apium Officinarum seu Paludapium* Park. *Eleoselinum Paludapium* Ger. **Smallage.**

Radice nititur crassa, albâ, rectâ, profundè in terram descendente, in plura interdum capita divisâ. *Folia* indè exeunt multa, pediculis dodrantalibus, rubentibus, striatis, concavis, duobus tribúsve pinnarum paribus & impari in extremo composita: Sunt autem pinnulæ istæ latæ, circa margines dentatæ, & in tres insigniores lacinias divisæ. *Caules* ab eadem radice pariter multi exurgunt, crassi, profundè striati, concavi, bicubitales & altiores, nodosi longis internodiis, *foliis* cincti iis quæ ad radicem similibus, pediculis paulatim brevioribus donec in summis caulibus immediatè adnascantur, alternatim positis, è quorum sinubus ab imo statim ramuli exeunt prælongi medium etiam caulem altitudine ferè æquantes. In ipso angulo ubi caulis in ramos dividitur [forte caulem medium terminans] brevi admodum & interdum nullo pediculo sedet umbella, non continua sed discreta, è pluribus radiis composita, quorum unusquisque in summo gestat umbellulam flosculorum minimorum quinque petalis albentibus constantium, densè stipatorum, quibus succedunt *semina* striata, perexigua, quàm Petroselini minora. Caulis & ramuli in puncto ubi umbellæ sedent in tres ramulos non rarò, interdum in binos abeunt; attamen extremi tandem ramuli in umbellas terminantur.

Odor totius plantæ validus, nobis tamen non ingratus.

In paludosis rivulis & fossis majoribus, præsertim maritimis, non rarò invenitur. *Locus.*

Apium palustre in hortos translatum diligenti culturâ mitius minúsque ingratum evadit: unde in Italia & Gallia folia ejus teneriora una cum superna radicis parte abscissa cum oleo & pipere esitant & in deliciis habent. Itali hoc genus herbæ *Sceleri* sive *Celeri* vocant. Galli usum ejus Italis debent, à quibus & nomen acceperunt: Parkinsonus pro nova specie proponit *Selini* sive *Apii dulcis* titulo: cujus tamen sententiæ non accedo, quoniam Apium dulce seu *Celeri* in hortis nostris satum & cultum post aliquot annos in vulgare Paludapium degenerat, ob aeris sci. frigiditatem. Quòd idem Fœniculo dulci apud nos sato post tres vel quatuor annos plerunque accidit; adeò ut si illud habere velimus novum semen ex Italia petendum sit.

Apii radix inter quinque radices aperientes recensetur: Semen annumeratur seminibus calidis minoribus. Radix urinam & menses movet, calculum pellit, regium morbum solvit. Semen efficacius est quàm radix, & ad eadem ad quæ sativi Apii semen commendatur. Minùs tamen tutus *Vires.*

tus ejus usus est, nam comitiali morbo obnoxii ab hoc offenduntur, ut evidentibus experimentis comprobatum legitur & observatur. *J. B.*

3. *Apium hortense* Ger. *hortense seu Petroselinum vulgò* C. B. *hortense multis, quod vulgò Petroselinum, Palato gratum* J. B. *Petroselinum vulgare* Park. **Common Parsley.**

Radicem albam, simplicem, crassitudine interdum pollicari, paucis fibris donatam, altè in terram demittit. *Caules* plerunque singulares in solo lætiore plures surrigit, pollicem itidem crassos, teretes, glabros, striatos, bicubitales & altiores geniculatos, inanes, ab imo statim ramosos, ramulis inferioribus singulatim è foliorum alis exeuntibus, superioribus binis oppositis aut etiam pluribus simul ex eodem geniculo. *Folia* ima quæ è radice exeunt longis pediculis, binis plerunque alarum paribus & impari in extremo folio composita. Folium autem quod costam terminat in tria dividitur, eáque singula in tres lacinias & ipsas dentatas acutioribus denticulis. In summis caulibus & ramulis florum umbellæ plurimis radiis compositæ, pediculis longis insidentes: *flosculi* ipsi pallidi, quinque petalis ob parvitatem vix conspicuis constantes, quibus succedit *semen* striatum, breve, crassiusculum.

Folia in hac planta interdum in lacinias angustas & longas dividuntur, ut quis meritò diversam speciem putet; certè insignis est varietas. Sapor plantæ acriusculus & non ingratus: Odor pariter.

Nulla in hac specie neque umbellæ totalis basin seu radiorum exortum foliola in circulum ambiunt, neque partialium ex quibus totalis componitur, ad eam tamen apponitur unum vel alterum foliolum.

Petroselinum crispum. Folia hujus plantæ interdum rotundiora, frequentiora, pulchrè crenata & crispa videntur pulcherrimo aspectu. Quæstio est an *Petroselinum crispum* sit species à vulgari diversa, an accidentalis duntaxat varietas.

Locus *Columna* crispum in Sardinia sponte nasci ait, unde semen ejus in alias regiones dispersum.

Vires. Radix & herba potissimum ad culinas spectant, utilésque sunt in omni cibo: nam inflationes stomachi deprimunt, urinam & menses cient; jecur & lienem ab obstructione liberant, hydropicis & ictericis conducunt. Solent nostrates herbam cum omne genus carne in sartagine unà frigere pro condimento; & in cavum corporis inditum cum avibus assare, quin & crudum cum butyro comedere, & Acetariis immiscere, & certè quod ad saporem attinet, nullum olus novi palato gratius & delicatius: Aiunt tamen oculis inimicum esse & visui nocere; quod nos inviti credimus.

Semina medico usui utiliora, extenuant, aperiunt, urinas cient, calculos dissolvunt, flatus discutiunt, conveniunt hydropicis, menses promovent, secundas & fœtus mortuos expellunt. Commendantur & contra veterem tussim eclegmatis permixta aut incocta: venenis etiam adversantur, atque idcirco Theriacis admiscentur. *Dod.*

Extrinsecùs herbæ omnes partes resolvunt tumores calidos, imminuunt lac mammis imposita, adeóque mulierculis nostratibus in usu sunt in ablactatione infantium. *Schrod.*

4. *Petroselinum majus sive Virginianum* Park. *An Apium hortense latifolium seu maximum* C. B? *Apium sive Petroselinum Virginianum* Ger. emac. **Virginian Parsley.**

Parkinsonus Apium Virginianum non alia fere in re quàm partium omnium magnitudine à vulgari Apio hortensi differre scribit. *Folia* scilicet Paludapii æqualia, & pallidiùs virentia quàm vulgaris Petroselini; *semina* duplo nè dicam triplo majora: *radicem* majorem & breviorem. C. Bauhinus Apium hortense maximum sic describit. Ex *radice* oblonga, albida, & pro plantæ magnitudine tenui *folia* prodeunt pediculis palmaribus & sesquipalmaribus, striatis, pallidè virentibus, tripartitò primum divisa, quorum quodlibet tripartitò rursum dividitur, ipsæque particulæ triplo quadruplóve quàm in Petroselino vulgò dicto majores, per ambitum incisæ, pallidè virentes: inter hæc caulis cubitalis & sesquicubitalis, tenuis, striatus exurgit; in cujus summitate *folia* oblonga angusta minimè incisa. Umbellam habet parvam, albam, exiguis *flosculis* refertam, quibus semina Petroselini formâ, sed duplo triplóve minora majora, gustu nonnihil aromatico donata succedunt.

Nomine Apii Anglicani primùm C. Bauhino satum est.

* 5. *Petroselinum Creticum* C. B. Park. *Agriopastinaca vulgo in Creta Bello ep. 5. ad Clusium: cui Buselinon Plinii videtur.*

Bell.

Petroselino vulgari simillima est, nisi quòd minor, *foliáque* eisdem etiam incisuris prædita licet habeat, minora tamen & aliquantulum crassiora profert: *Caulis* Petroselini est, *flores* in umbella albos sustinens, quibus succedunt *semina* Petroselini sed minora, colore ad atrum accedentia. *Radice* firmatur unica, pollicis magnitudine, semper figurâ longa, cortice tenui tecta, qui digiti attritu facillimè á radice separatur, quæ candida edulísque est, Bulbocastani gustu. Tota hyeme viret, seménque Maio profert, postea tota arescit præter radicem, quæ terra latet, & primis Autumni imbribus germina protrudere incipit.

Hujus stirpis duo reperiuntur genera colore corticis radicum tantùm differentia, nam unius niger, alterius ruffus conspicitur. Nigrum genus in montibus totius Cretæ, & etiam in Dalmatia provenit: at rursum abundantissimè tantùm in scopulis Cretæ propinquis inter saxa, &c.

Sequentes duas plantas à C. Bauhino traditas ob folia Apio similia huic capiti subjunximus.

* 6. *Daucus montanus Apii folio, flore luteo* C. B. prod.

C. B. prod.
Caule eſt cubitali, anguloſo, glabro, in breves alas brachiato; *foliis* Apii formâ, ſed brevioribus, per ambitum minimè ſerratis, quorum pediculus ſtriatus eſt: Umbellas parvas habet; *flores* Elaphoboſco ſimiles, luteos.

Locus. In *Calenberg* & propè oppidum Baden Auſtriæ Burſerus collegit.

Huic ſimilem, ſed per omnia majorem, *caule* craſſo, canaliculato, ramoſo, *foliis* latioribus minimèque crenatis, umbellis majoribus, ex floribus pallidis, collegit ipſe in horto Patavino, Pſeudopyrethri nomine.

* 7. *Daucus pratenſis Apii folio* C. B. prod.

C. B. prod.
Radice eſt oblonga, pallidè rufeſcente cortice tecta, ſapore & odore Paſtinacæ ſive Dauci Officinarum, supernè hirſuta & villoſa; ex qua alæ prodeunt *foliis* pluribus uni coſtæ inhærentibus, per ambitum inciſis & ſerratis, formâ montani majoris, ſed longè minoribus, pallidè virentibus: inter quæ *caulis* pedalis rariùs cubitalis, tenuis ſtriatus, paucis geniculis diſtinctus, in ramulos aliquot diviſus exurgit. Ramorum extremis umbellæ candidæ *floſculorum* exiguorum inſident, quibus *ſemen* oblongiuſculum, nigricans, aromaticum ſuccedit.

Locus. In pratis humidis Michelfeldiæ [propè Baſilicam] provenit.

8. *Daucus Petroſelini vel Coriandri folio, ſeu Bunium Dalechampii* Park. C. B.

Locis aſperis & petroſis naſcitur. E *radice* parva, alba, ſurculoſa, odorata, ad caput comoſa, plurima emergunt *folia* ramoſa, Petroſelini adeo ſimilia, ut primo aſpectu minus attentos & cautos fallant. *Caulis* quadratus, procerus, digitali craſſitudine, foliis Coriandri tenuioribus proximis veſtitus, *umbellas* Anethi ſuſtinens. *Semen* Hyoſcyami minus, odoratum.

* 9. *Apium montanum Dalechampii* J. B.

Lugd.
Radice eſt craſſa, longa, extrinſecùs nigra, intus candida, acri, odorata, aromatica; *foliorum* denſâ comâ circa radicem humi jacentium, Apio hortenſi ſimilium, ſed latiorum, jucundè olentium, in pediculis infernè rubentibus: *caule* cubito altiore è medio foliorum ambitu proſiliente, ferulaceo: *flore* in umbellis candido: *ſemine* Apii, acri, odorato & amaro.

Locus & Tempus. Provenit in aſperis, ſaxoſis, lapidoſis, apricis; nonnunquam etiam ex ſaxorum rimis emicat. Floret Junio menſe.

Hanc plantam C. Bauhinus Apio montano nigro eandem facit; cui Joannes frater non aſſentitur. Si Deſcriptio exacta, nonnulla in ea ſunt quæ Oreoſelino dicto non conveniunt, v. g. Semen Apii. Parkinſonus C. Bauhinum ſecutus Apium montanum vulgatius i. e. Oreoſelinum hoc facit.

* 10. *Libanotis minor Apii folio* C. B. *Libanotis Theophraſti minor Lobelio* J. B. *Panacis ſpecies nonnullis.*

Lob. ob.
Foliis eſt [quàm Libanotis Theophr. vulgaris] exilioribus multò, Saxifragæ Venetæ proximis, gemino ſitu, Panacis alterius ritu, ſed oris tantillum crenatis & laciniatis. *Caulis* bicubitalis & procerior. *Semen* Anethi candidum: flores in umbellis albi. Radix aromatica, grati & jucundi odoris.

Conſiderandum (inquit J. Bauhinus) an hæc planta eadem ſit cum Cervaria nigra, i. e. Saxifraga Venetorum *Lob.* At Lobelius diſertis verbis diſtinguit. Ea fuit opinio Ponæ in Baldo, ſed nobis minimè probatur.

Parkinſonus hanc ad Libanotidem alteram ſeu vulgatiorem *C. B.* refert. At Lobelius ut diſtinctam proponit. Nobis nondum ſatisfactum eſt.

Cap. VII.

De Aniſo.

ANiſum Harmaro ab α priv. & ἴσος dicitur, quod folia proferat minimè æqualia. Aniſum quidam, auctore Plinio l. 20. c. 17. quaſi ἀνίκητον vocavere, quia appetentiam cibi præſtaret: Et forſan ſic dictum eſt, ὅτι ἀνίησι τὰς ἐμπνευματώσεις, quòd tenſiones flatulentas internas & externas remittat & laxet.

C. B. Quoniam foliis ad Petroſelinum accedit ideo ei proximè ſubjunxi. Folia ima à ſummis plurimùm differunt; ima enim integra ſunt, ſuperiora tenuiter diſſecta. Semen odore & ſapore eſt gratiſſimo, præ cujuſvis alius mihi notæ umbelliferæ ſemine, quibus notis ab aliis congeneribus facilè diſtinguitur; præſertim ſi addas, parvam eſſe herbam, annuam aut potiùs æſtivam.

Anisum Ger. Park. J. B. *Anisum herbariis* C. B. **Anise.**

Folia ima quæ primò exeunt longis hærent pediculis, ſuntque integra, ſubrotunda, circa margines tamen dentata, glabra, pallidè viridia, unciâ majora, odorata: ſuperiora Petroſelini foliis ſimilia & tenuiter inciſa; [quò altiora in caule eò tenuiùs] *Caulis* teres, concavus, ramoſus, infirmus & vix ſe ſuſtinens, hirſutus & nonnihil ſtriatus. *Umbellæ* in ſummis caulibus & ramulis amplæ pro plantæ modo, nullis ad exortum radiorum appoſitis foliolis. *Floſculi* parvi albi, quinque foliolis bifidis compoſiti, æqualis ferè magnitudinis omnibus, cum totidem ſtaminibus & apicibus albis. *Semen* parvum, minus quàm Cicutæ, ſtriatum, colore ferè cinericeo, odore ac ſapore gratiſſimo, dulci, cum jucunda quadam acrimonia. *Radix* gracilis, inutilis, modo ſimplex, modò multifida.

Locus. Ubi ſponte proveniat neſcimus: aiunt tamen in Creta, Syria, Ægypto aliiſque orientis regionibus feliciter gigni. In Malta copioſè ſeritur, (ubi Cuminum dulce appellatur) quæſtûs cauſa qui ex ejus mercimonio ad incolas redundat.

Vires. Semen Aniſi præcipuè in uſu eſt, herba raro in uſum venit, radix tanquam inutilis nunquam. Calf. & ſiccat. Cephalicum, hepaticum & pneumonicum ac ſtomachicum imprimis audit [Plinius ſtomacho inutile eſſe ait, præterquam inflato] Uſus præcip. in inflatione ventriculi, tuſſi, &c. *Schrod.*

Cæteris flatum diſcutientibus medicamentis gratius eſt ventriculo, minus habet acrimoniæ, & plus ſuavitatis.

Veteres in ventriculo frigido & humido mirificè commendârunt. Hinc in ſiti quæ à ventriculo, in dolore capitis, in vigiliis ab eodem, in diarrhœis à cruditatibus, &c. laudatur, urinam ciet & Venerem ſtimulat. Dioſcorides, ſed præcipuè Plinius, prolixi admodum ſunt in ejus viribus deſcribendis, quos adeat qui plura velit.

Pinſunt hoc in panem ex quo Biſcoctum parant, quin & ſaccharo obducunt ad paranda Confecta quæ vocant, quæ & flatus diſcutiunt, & oris halitum fœtentem emendant.

Spiritibus illis tenuibus, ex quibus generoſiores ſeu aquas ardentes eliciunt, omnibus leviter contuſum ante deſtillationem infunditur, ad gratum ſaporem iis iteratâ deſtillatione exaltandis conciliandum. *Trochiſc. de Aniſo* uſus eſt in febribus diuturnis; *Olei de Aniſo deſtill.* in flatibus: *Dianiſo* Meſue in iiſdem & tuſſi à frigida cauſa: *Spiritus Aniſi* in anguſtiis pectoris. Sp. vini Aniſatus in Cardialgia experimentum eſt Lindani.

Obſervat Heurnius, quòd pulvis ſeu decoctum Aniſi in colicis doloribus, urinæ difficultate, &c. longè præferendum eſt ejus oleo: quod obſervandum eſt contra illos, qui omnia præter chymica ſpernunt. *Sim. Paulli.* Idem ſæpe obſervavit Primroſius error. popular. lib. 4. c. 3. ut nos monuit *D. Hulſe.*

Ad infantum tormina dare ſolebam ſcrupulum Aniſi craſsè pulveriſat. cum primo pultis cochleari. Hoc purgat infantes non aliter ac ſi ſenior Rhabarbarum ſumpſiſſet. *J. Heurnius in lib. trium Aphoriſm. Hippocr. Aphor.* 4.

In ſingultu flatulento æger continuè maſticet Aniſi ſemen. Dol. L. 2. C. 3. S. 19.

Helmontius illud magni facit in Colica. Idem. L. 3. C. 2. S. 19. *D. Soame.*

CAP. VIII.

De Umbelliferis ſemine ſtriato minore, foliis triangulatis Cicutæ modo diviſis.

De Cicuta.

CIcuta, teſte Servio in *Eclog.* 2. eſt internodium in triticeis ſive culmiferis, qualia cùm habeat hæc quoque planta indè dicta videtur. Quin potiùs cicuta eſt canna quævis, intus cava & vacua, unde fiſtulas faciebant paſtores.

Græcis κώνειον dicitur ἀπὸ τοῦ κωνᾶν fortè, quod περιδονεῖν i. e. circumagere exponit Etymologus, μωραίνεσθαι Galenus. Stultitiam enim addit refrigerato cerebro. C. *Hofman.*

A. 1. *Sium alterum Oluſatri facie* Lob. Ger. emac. *majus alterum anguſtifolium* Park. *Erucæ folio* C. B. *Cicuta aquatica Geſneri* J. B. **Long-leaved Water-Hemlock.**

J. B.

Radix pollicari craſſitudine ſenſim tenuatur, fibris compluribus capillata; vulnerata ſuccum remittens ruſeſcentem, guſtu acri. *Caulis* cubitalis & bicubitalis, craſſus, imâ parte rubeſcens, ſuperiùs ex viridi palleſcens, ſtriatus, glaber, geniculatus, inanis. *Folia* longis pediculis appenſa, Sileris montani diviſurâ quodammodo, ſegmentis multò longioribus, acutioribus, per ambitum ſerratis *Flores* candidi Petroſelini, in umbellam latiorem digeſti.

Circa paludes & in ſtagnorum majorum marginibus oritur ſed rariùs. Nos in palude *Brereton mear* dictâ in Ceſtrienſi comitatu; itémque in palude Lovinglandiæ in Suffolcia; in Trenta fluvio circa Bramleiam Abbatis dictam; in ſtagno quodam vadoſo in ericeto *Hounſlow*, propè oppidum; inque ſtagno ad *Thiſtleworth* vicum, propè Thameſin fluvium, ſupra Londinum, & alibi hanc plantam obſervavimus.

Nonnulli plantam hanc ad Sium ſeu Paſtinacam aquaticam referunt cum quo noſtro judicio non convenit; ut neque cum Cicuta, quò nos Geſnerum ſequuti, retulimus: unde de ejus loco nobis ſatisfactum non eſt.

Deſcriptio

Descriptio Bauhini non est satis plena & accurata; eam tamen adhibuimus, cùm nec melior, quod scimus extet, nec nos plantam ipsam nancisci potuimus, ut denuò describeremus.

A. 2. *Cicuta* Lob. Ger. *major* C. B. *vulgaris major* Park. *Cicuta Veteribus & neotericis* J. B. **Hemlock.**

J. B.
Myrrhidi, atque etiam magis Cicutariæ odoratæ tam similis est, ut legentibus plerunque damnosa sit parilitas, non satis accuratè eas distinguentibus: non alia enim radix est; non alius *caulis*, tricubitalis & inanis, lævis tamen, exuvii serpentini, indéque nomen indeptæ Serpentariæ caulis in modum maculosus: simili quoque est *folio*, multifariam partito, glabro, odore ingrato, sapore non ità, sed nonnihil acri: *Umbella* florum illis similiter albicat: *semen* Aniso par, striatum, obscurè viret: tota denique planta viroso odore, quo ab illis maximè differt, perniciem testatur. *Radix* in horto priusquam caulem ferat, longa pedalis, juniori Pastinacæ latifoliæ Germanicæ similis, cortice tenui flavescente, carne albâ fungosâ, odoris gravis, saporis subdulcis.

Circa pagos & oppida Cicuta passim abundat, locis umbrosis & pinguibus, propè fossas aggerésque agrorum. Cum floribus Julio, semine prægnantem Augusto ac seriùs videre est. *Locus.*

Summè frigida & venenata censetur, & Socratis supplicio odiosa: Nihilominus frequens ejus usus Modernis est in tumore ac inflammatione lienis: Succus emplastro splenico incoctus extrinsecùs adhibetur *Schrod.* Peritiores medici nunc dierum Cicutam calidam esse affirmant & minimè frigidam. Extrinsecùs usurpata anodyna est: tumores duros & ganglia potenter discutit in cataplasmatis vel in emplastro de Cicuta cum Ammoniaco. *D. Needham.* Pulvis radicum ad grana viginti in febribus malignis vel Quartana ante paroxysmum exhibitus omnibus quæ ego unquam expertus sum diaphoreticis antecellit. *D. Bowle.* *Vires.*

Ferculum ex radicibus cicutæ carnibus incoctis duobus religiosis patribus [i. e. Monachis] quàm gravia & admiranda symptomata excitavit, vide apud Kircherum *de Peste*, sect. 2.

Cæterùm Cicuta non est omnibus animantibus exitiosa: Sturni enim, autore Galeno, innoxiè Cicutâ vescuntur. Nos quoque ventriculum Otidis seu Turdæ avis dissectum Cicutæ semine refertum invenimus, quatuor tantùm aut quinque frumenti granis intermixtis; quod etiam messis tempore avis illa pro Cicuta neglexerat; adeò delectatur Cicutâ. Lucretius quoque scribit

——Pinguescere sæpe Cicutâ
Barbigeros pecudes, homini quæ est acre venenum.

Ad lienis schirrhum, ℞ succi Cicutæ aut Mandragoræ q. s. cum Ammoniaco distemperetur, & F. emplastrum; quod vocatur Mirabile ab Hartmanno.

A. 3. *Cicutaria tenuifolia* Ger. *Cicuta minor, sive fatua* Park. *minor, Petroselino similis* C. B. *Cicutaria Apii folio* J. B. **The lesser Hemlock or Fools Parsley.**

Radice nititur albâ, longâ, simplici, paucis & tenuibus fibris donatâ, minimi digiti crassitudine. *Caulis* bicubitalis, inanis, striatus, glauco quodam polline qui digitis facilè detergi potest, obductus, non tamen ut Cicutæ maculosus, eadem cum radice crassitie. *Folia* Cicutæ, ad Petroselinum accedunt, nisi quòd segmenta acutiora sint, supernè atrovirentia, infernè pallidiora & splendentia, odore nullo, ut nec sapore ullo excellente. *Flores* albi, pentapetali, petalis bifidis. Florum *umbellas* foliola longa angusta viridia obvallant, nam ad bases radiorum Umbellarum partialium ex quibus totales componuntur foliola tria aut quatuor oblonga oriuntur, quo à Cicuta differt, prætequam quòd minor sit, caule non maculoso, radice annua, odore non ingrato. *Semina* parva, striata, breviuscula.

In hortis oleraceis & arvis pinguioribus aliísque locis cultis frequens reperitur. *Locus.*

• 4. *Cicutaria latifolia tertia* C. B. *Cicutaria maxima Brancionis, an Thapsia tertia Salmanticensium Clusio?* Lob. ob. *latifolia altera* Ger. emac. *Cicuta maxima* Park.

Lob.
Caule humanæ proceritatis, crassitie quatuor digitorum, foliis, semine & radice Seseli Peloponnensis longè majoribus, quæ clinicis celebratur ad menses, vomitus & alias dejectiones ciendas: annon potiùs Cicutaria nostra maxima fœtida?

Videmus Lobelium ipsum de hac, planta incertum & dubium, an jam edita fuerit nécne: & suspicari potiùs eam vel Thapsiam dictam Clusii esse, vel Cicutariam suam latifoliam fœtidissimam; unde ergo rescivit C. Bauhinus ab utraque distinctam esse.

Parkinsonus nomen hoc accommodat plantæ etiam sequenti, & sane, me judice, rectè.

5. *Cicutaria latifolia fœtidissima* C. B. *Cicuta latif. fœtidissima* Lob. Ger. emac. *Seseli Peloponnesiacum Recentiorum* Park. *Seseli Peloponnense Matthioli, sive Cicutaria quorundam* J. B. **Great broad-leaved Bastard Hemlock.**

Caulis est geniculatus & cavus Cicutæ, alis brachiatus, sesquicubitum & duos cubitos æquans *Folia* ad Myrrhidis odoratæ accedunt, latiora, longiora, nigriora, in alas divisa, quæ rursum in segmenta pinnatim veluti Filix digesta, profundè serrata, latiuscula subsecantur, odore gravi & viroso Cicutæ. *Semen* brevius Angelicæ vel Cicutariæ maximæ ferè par, in umbellis latis, excusso candido *flore*.

Hæc è Lobelio & J. Bauh.

In

In Rhætiæ montibus invenitur.

Parkinsonus noster in planta quam hoc titulo in horto suo coluit per multos annos, nullum ejusmodi cujus meminit Lobelius fœtidum & virosum odorem sentire potuit, ut neque in ejus seminibus: fortè alia & specie diversa, ei tamen simillima, planta fuit. Utcunque Matthiolus hoc nomine à Botanicis immeritò reprehenditur, quòd fœtidam plantam pro odorata exhibuerit, cùm habetur qualem ille depingit minimè fœtida; ut Parkinsonus testatur, apud quem descriptionem pleniorem vide.

A. 6. *Cicutaria palustris* Lob. Ger. *palustris tenuifolia* Park. C. B. *Phellandrium vel Cicutaria aquatica quorundam* J. B. **Water-Hemlock.**

J. B.

Aquas amat, extra quas *caule* extat bicubitali & altiore, pollicari, sæpe etiam brachii crassitiem adæquante, striato, inani, geniculis distincto, in ramos varios diviso. *Folia* dodrantalia plus minùs, divisione chærefolii, propemodum glabra, sapore satis grato ad Sium accedente, cum levi quadam acrimonia. Umbellas in ramis gerit pro plantæ proportione parvas, *flosculorum* alborum, cum exiguis in medio apicibus obscurè rubentibus: quibus delapsis succrescunt *semina* parva, oblonga, striata, nulla hirsutie vel asperitate donata. Ex geniculis infimis demittit subinde capillares, longas & numerosas fibras quibus in imo radicatur.

Locus. In aquis, præsertim cœnosis, & rivis pigrioribus Æstate floret.

Wepferus conscripsit integrum librum de hac plantâ; quem consulat Lector.

* 7. *Seseli montanum Cicutæ folio, subhirsutum* C. B. Park. **Hairy mountain Hartwort with Hemlock leaves.**

C. B. prod.

Ex *radice* crassa *folia* lata Cicutariæ vel Myrrhidis Fuchsii instar, in multas alas divisa, nigricantia, levissimis pilis, præsertim ipsis pediculis aspersis, subaspera: *caule* sesquicubitali & altiore, crasso, striato, cavo, nodoso, pilis paucissimis donato, in alas brachiato, *foliis* paucis, prioribus similibus, sed minoribus cincto: in summitate *umbella* magna, alba: floribus succedunt *semina* oblonga-gemella, tenuissimo apice donata, Carui sapore.

Locus. Hoc in altissimo monte *Wasserfall* æstate florens inter saxa reperitur.

* 8. *Seseli montanum Cicutæ folio glabrum* C. B. Park. *Seseli Alpinum sive montanum primum Clusio, folio splendente, flosculis albis* J. B. ejusdémque *Ligusticum alterum Belgicum*, *foliis ferè Absinthii, semine rotundo.* *Seseli montanum majus* Ger.

Clus.

Ampla habet *folia*, humi sparsa, & in multas alas divisa, Seseli Peloponnensi [an Matthioli] ferè similia, supernè viridia & splendentia, inferna parte minimè, Ferulæ odore acri, nec admodum grato sapore: *caulem* deinde sesquicubitalem aut altiorem, crassum, striatum, intus fungosum, nodosum, & multos ramos in ambitu ex singulis geniculis seu nodis ferentem, per quem sparsa sunt *folia* superioribus respondentia, sed minora. Extremi rami in magnas Umbellas *flosculorum* candidorum desinunt, odoris ferè Sambucini; quibus succedit *semen* gemellum, striatum, flavescens, aromatico & fervido gustu. *Radix* crassa est & foris nigra, quæ (ut in plerisque ferulaceis contingere solet) semine prolato perit, nec nisi altero aut tertio à satione anno *flores* producere solet.

Locus. Crescit in celsis *Sneberg* & aliarum Austriæ Alpium jugis, ubi lætiora sunt pascua: floret sub finem Junii aut Julio: Semen verò Augusto vel etiam seriùs maturescit.

Vires. Semen hujus calf. & sicc. Urinas & menses potu ducit: prodest ad intestinorum ex cruditate dolores: concoctionem promovet, flatus discutit. Radix eosdem præstat effectus, sed minùs efficaciter.

Siler Creticum quibusdam semine longo, crispo, incurvo J. B. *Siler 2. foliis Cicutæ & Siler Creticum Camerarii* C. B. *Vide* Umbelliferas semine hirsuto.

CAP.

Cap. IX.

De Seseli pratensi.

SEseli unde dictum sit me quidem latet. Nec enim satisfacit Harmari etymon περὶ τὸ σώζειν τὸν ἔλλον, quòd salutare sit hinnulo, siquidem Veteres Cervas post partum purgari herba quadam quæ Seselis vocatur prodiderunt. Ego potius vocem origine exoticam seu barbaram fuisse existimaverim, quemadmodum & alia in ι terminata; χέμμι, πιπερί, &c.

Seselios pratensis notæ sunt foliorum segmenta angusta, acuta; flores ex luteo pallidi, semina rufescentia.

A. 1. *Saxifraga Anglica facie Seseli pratensis* Ger. *Seseli pratense nostras* Park. *Saxifragia Anglorum, foliis Fœniculi latioribus, radice nigra, flore candido, similis Silao* J. B. **Meadow-Saxifrage.**

E *radice* vivaci, longâ, rugosâ, foris nigrâ, intus albâ, gustu dulci aromatico & nonnihil acri *caules* quotannis surrigit plures, sesquicubitales & bicubitales, digiti minimi ferè crassitudine, teretes, striatos, medullâ farctos, propè terram rubentes, ab imo statim ramosos, ramulis per longa intervalla è foliorum alis exeuntibus. *Folia* tam quæ è radice exeunt, quàm quæ caules vestiunt, glabra, obscurè viridia, in segmenta longiuscula, angusta, acuta, rigida dividuntur. Summi caules & ramuli in *florum* Umbellas terminantur, non admodum grandes nec coactas, sed laxas & raras. *Flosculi* singuli exigui quinque petalis è luteo albidis componuntur; quibus succedunt *semina* striata, brevia, apicibus rubentibus, per maturitatem castanea. Odor plantæ satis validus & gratus, ad Pastinacam quodammodo accedens.

In pratis & pascuis humidioribus vix alia frequentior occurrit planta. *Locus.*

Hujus plantæ succus, decoctum, aqua destillata vel semen in pulvere efficax est, vulgi experimento, in urina cienda, calculo atterendo & expellendo, flatibus discutiendis, colico dolore leniendo. Exhibetur autem tam infantibus quàm adultis. *Vires.*

Ab eximia dote in frangendo calculo Saxifragam scitè dixerunt nostrates.

2. *Seseli pratense Monspeliensium* Park. Ger. *Seseli pratense,* C. B. *Ses. pr. Silaus fortè Plinii l. 26. c. 8. Silaum quibusdam flore luteolo* J. B. **Meadow Saxifrage of** Montpellier.

J. B.

Caule est cubitali & sesquicubitali, glabro, striato, alis concavo: *flores* umbellati, albicantes: quos *semina* excipiunt gibba, striata, sapore aromatico, vinoso. *Folia* ampla sunt, minutim dissecta, incisurâ ferè Sileris montani, sed segmentis longioribus paulò acutioribúsque, quæ nervulus secundùm longitudinem percurrit, sapore acri. *Radix* longa, digitali crassitudine, foris fusca, intus alba, in capita dividitur plerunque, penes terram comosa, sapore aromatico prædita.

In pratis non tantum circa Monspelium, sed & alibi in Gallia & Germania provenit. *Locus.*

Seseli pratense Monspeliensium, à Saxifragia nostra pratensi Anglica, mihi non visa est specie differre: Alii diligentiùs observent & inter se conferant has plantas.

Ex quo hæc scripsi eruditissimus Vir D. *Tancredus Robinsonus*, literis à nobis requisitus, Seseli Monspeliensium, cùm ibi commoraretur, diligenter & curiosè contemplatus, nullum potuit observare discrimen inter illud & Saxifragam pratensem nostratem, unde unam & eandem specie plantam esse hanc & illam absque ulla omninò hæsitatione concludimus.

3. *Seseli pratense tenuifolium* Park. *prat. ten. sive Daucus pratensis tenuifolius* C. B. prod.

Caule est cubitos duos superante, rotundo, striato, nodoso, supernè in ramos brachiato: *foliis* instar Pastinacæ tenuifoliæ sylv. divisis: *Umbellam* habet ex parvis albis floribus compositam, quibus succedit *semen* parvum, aromaticum, & tota planta Pastinacæ odorem refert.

In pratis udis Michelfeldiæ provenit. *Locus.*

Hæc planta non est vera Seselios pratensis species ob flores albos.

Cap. X.

De Dauco montano & Muttellina, &c.

SEquentes duas plantas, si modò distinctæ sint, ob foliorum similitudinem huc retulimus: quanquam prior, si semen à C. Bauhino rectè describatur oblongum & crassum, rectiùs ad Meum refertur.

* 1. *Muttellina* J. B. *Meum Alpinum Umbella purpurascente* C. B. *An Daucus montanus* Clus? *Meum Alpinum Germanicum, illis Muttelina dictum* Park.

J. B.

Staphylini sylvestris *folia* habet, minora tamen minutiúsque incisa, trium circiter digitorum longitudine, tota glabra. *Caulis* brevis, uncias aliquot altus, Umbellam gerit parvam. *Radix* propter

pter terram capillata, satis longa & crassa, exteriùs nigricans, odoris & saporis Mei vulgaris. Huic C. Bauhinus *semina* oblonga, satisque magna attribuit.

Locus. In monte Rhætio propè Burmium à J. Bauhino collecta est.

* 2. *Daucus montanus Clusii, flore carneo, semine Selino hortensi æquali* J. B. *An Meum Alpinum Umbellâ purpurascente* C. B?

Clus.
Huic ex radice prodeunt quinæ aut senæ tenuiorum *foliorum* alæ, Seseli pratensis alatis foliis pænè similes, sed longè minores, neque palmi amplitudinem excedentes, sed proximè ad Acus pastoris vulgaris folia accedentes, admodum virides: inter quas prodit *caulis* pedalis, nudus, striatus, satis gracilis, qui summo fastigio binas aut ternas sustinet parvas & bene confertas Umbellas flosculorum, è rubro dilutè purpurantium, sive carnei (ut vulgò loquuntur) coloris; quos excipiunt Selini hortensis æqualia semina. *Radix* digitalis est longitudinis, cortice foris nigricante, rugoso & multis tenuibus fibris prædita. Tota planta Daucum vulgarem quodammodo redolet, & illius gustum etiam refert.

Locus. In Alpium Austriæ & Stiriæ sublimibus pratis nascitur, ubi Junio floret, in hortis etiam Maio. Hæc in reliquis cum præcedente convenit, seminis parvitate differt; si modò illius semen à C. Bauhino rectè describatur, de quo est cur dubitemus, cùm Joannes ejus frater suspicetur ipsum descriptionem suam ex Aretii & Gesneri verbis concinnâsse, quamvis eos silentio prætereat, nec fortè unquam suâ manu plantam ipsam collegisse.

* 3. *Libanotis minor Umbella candida* C. B. Park. *Herbariorum Septentrionalium notior Libanotis* Ad. Lob.

Ad.
Caule est gracili, recto, Mei aut Anethi, striato, atrovirente, bicubitali, paucis alis & geniculis donato: in quibus, imis præsertim, Peucedani prolixiora folia, Fœniculi tortuosi, angustiora Saxifragiæ Anglicæ, medio & superiore caule pauciora. Umbellis & floribus pusillis, candidis Mei: sed exiguum semen sub hyemem maturans, minus Carvi rotundi, ferè Ammi Officinarum par. Hanc inquit fovent multi herbarii horti in Gallia, Germania & Anglia.

Quàm Lobelii tempore nota fuit, tam hodie ignota est, saltem in Angliâ nec multò notior est ut puto, in Gallia; nam in Catalogis Horti Regii Parisiensis & Horti Blæsensis eam non invenio: mirum est evanuisse plantam adeo notam, & in tot hortis cultam.

* 4. *Libanotis tenuifolia Germanica major & minor* C. B. *ferulacea Germanica* Park. *Lib. ναρθηκώδης major & minor* Thal.

Harum descriptiones videsis apud Thalium.

CAP. XI.

De Crithmo quarto Matth.

Crithmum 4. Matthioli Umbelliferum J. B. *Eryngium montanum* Ger. *Eryngium arvense foliis serræ similibus* C. B.

J. B.
ODiosum reptatu *radicum* est: sunt enim eæ longissimæ, & vel minimâ fibrâ relictâ redivivæ, satis crassæ, albæ, Eryngii & gustu & similitudine: *folia* in tria, quatuor, plura, paucioráve segmenta oblonga dividuntur, semunciali latitudine & ampliore, longa, circumquaque serrata, sapore cum radicibus communi. *Caulis* fœniculaceus, striatus, farctus, nodosus valdè ramosus. *Umbellæ* satis magnæ minimis contextæ sunt *flosculis*, colore albido. *Semen* gracile, sublongum, quod aiunt acre, & odoratum.

Locus. In Germaniæ regionibus Rheno adjacentibus inter segetes frequens admodum est. Hanc plantam Parkinsonus cum Sphondylio ineptè confundit.

CAP. XII.

De Ammi.

AMmi vox ejusdem originis esse videtur cum Seseli: Ruellius tamen ab ἄμμις matula deducit, quia adeò provocat urinam, ut subinde opus sit matulâ.

Ammi vulgare foliis in longas & angustas lacinias dissectis, circum oras crenatis, ab aliis Umbelliferis differt.

1. *Ammi*

1. *Ammi vulgare* Ger. *vulgatius* Lob. Park. *majus* C. B. *vulgare majus latioribus foliis, semine minus odorato.* **Common broad-leaved Bishops weed.**

Ammi Cretico & Ammi semine tenuissimo majus est, *caule* crassiore, striato, foliis latiusculis, oblongis, crenatis, multifidis, ad Podagrariæ folia quadantenus accedentibus, quibus tamen multo minora sunt; superiora in plures lacinias divisa. Umbellæ inæqualibus contextæ sunt muscariis flosculorum alborum, amplissimæ, longis pediculis, ad quorum coitum folia circumjecta sunt longa, in tenues lori instar lacinias dissecta. *Semen* majus, ignavius quàm in Cretico & tenuifolio. *Radix* gracilis, inutilis.

Locus. In Italia & Sicilia in vineis, hortis & arvis pinguioribus spontè & copiosè provenit.

Varietas. Hujus differentiam observavi foliis tenuiùs incisis. Hanc Fuchsius *Ammi medium tenuioribus foliis* vocabat, & speciem alteram faciebat (inquit J. Bauhinus) Sed hæc fortassis à cultura varietas. Hujus etiam varietatis meminit Camerarius in horto. Ammi vulgare, inquit, interdum longè alia folia proferre conspicitur, pluribus nimirum incisuris prædita & nonnihil crispa, ut penitus diversa planta videri queat. Pari modo Petroselinum etiam vulgare variare animadvertimus, ut & Pimpinellam Saxifragam majorem.

2. *Ammi odore Origani* J. B. *alterum semine Apii* C. B. *Creticum* Park. Ger.

J. B.
Ad cubiti altitudinem mihi [J. Bauhino] excrevit, *caulibus* pluribus, ramosis, nitidis, striatis, & geniculis nodosis: *Folia* infima quidem latiuscula, multifida, ad Cari nonnihil accedentia, superiora verò multò tenuiùs dissecta, non minùs ferè quàm Chamæmeli; odore si terantur admodum aromatico Origani, sapore non dissimili: Umbellæ frequentes *flosculorum* minutissimorum albicantium. Nec verò solis Umbellis sunt subjecta tenuia folia, ut in Visnaga, sed & Umbellarum particulis singularibus. *Semen* succedit Anisi facie sed minus, insigniter aromaticum. *Radix* crassiuscula subest.

Locus. Semen ex Alexandria Ægypti adfertur. Annua est planta.

Vires. Ammeos semen unum est è quatuor seminibus calidis minoribus: incidit & aperit, exsiccat. Valet ad tormina, urinæ difficultatem & venenatorum morsus: Menstrua quoque ciet. Miscetur & cutim erodentibus medicamentis è cantharide paratis, quo resistat urinæ difficultatibus, quæ alioqui id genus medicamentis supervenire solent. Sed & potu ac illitu colorem pallidiorem efficit velut Cuminum. Nonnulli etiam Cyminum Æthiopicum appellant. *Diosc.*

Mirificè præstat ad mulierum sterilitatem (Autore Matthiolo) manè ʒj. pondere ex vino meraco aut carnium jure in tenuem pulverem contritum, alternis diebus, tribus horis ante cibum. Quod tamen diutiùs dari non debet quàm quatuor aut quinque diebus. Est enim ad sterilitatem præstantissimum remedium, & pluries expertum. Sed abstineat vir à conjuge ejus iis diebus quibus semen ebiberit. In quem finem, itémque adversùs fluorem album mulierum, præmisso uterino clystere (inquit Sim. Paulli) sequentem pulverem aliquammultis sterilibus novis nuptis commendavi, quibus ingravidatæ, atque à fluore albo liberatæ fuere. Clysteris uterini hæc est descriptio, ℞. rad. Aristoloch. utriusque ana ʒij. Gentianæ, Zedoariæ ana ʒj. herb. hederæ terrestr. centaur. minoris, Aristol. Rorismarini ana *M.* j. Melissæ, Artemis. rubræ ana *M*β. Cardamom. minor ℥β. Conscinde & contunde pro decocto ad Clysterem uterinum.

Pulveris hæc est descriptio, ℞. Herbæ Veron. exactissimè pulveris. seminis Ammeos ana ℥β. Cardamom. minor. Cinnamomi acerrimi ana ʒij. Sacchari candi quartam partem ad pondus omnium. F. pulvis *s. a. S. Paul.* Ex annotatis amicissimi & eruditissimi Viri D. *Edvardi Hulse.*

3. *Ammi semine tenuissimo & odoratissimo* J. B. *Ammi parvum foliis Fœniculi* C. B. Park. *Ammi perpusillum* Ger. emac.

J. B.
Herba est pedalis, interdum bipedalis, *caule* tenui fragili, Fœniculaceo, medullâ albâ pleno. *Folia* prima longa, profundè undique incisa: superiora Fœniculaceis aut Anethinis similia, paulò tamen tenuiora. Extremis ramulorum hærent Umbellæ parvæ, inæquales, *flosculis* albis contextæ. *Semen* minutum, odoratissimum, calido & acri gustu. *Radix* parva, gracilis, lignosa, per ætatem in fibras diducta, sapore ferè Pastinacæ.

Locus & Tempus. Augusto & Septembri mensibus floret, & ex semine deciduo se renovat. In Apulia abundare aiunt.

Solum requirit bene stercoratum, Soli expositum.

4. *Ammiodes* C. B. *Ammi pusillum* Cæs.

Hujus descriptionem videsis apud Cæsalpinum, *p.* 286.

CAP. XIII.

De Visnaga seu Gingidio.

VIsnaga Hispanicæ originis vox est; Cur autem Hispanis ità dicta sit hæc planta nescimus.

Umbella à flore dilapso clausa, ejúsque radiis prælongis, rigidis, duris ab aliis omnibus Umbelliferis distinguitur.

1. *Visnaga* J. B. Matth. Lob. *Visnaga Gingidium appellatum* Park. *Gingidium Hispanicum* Ger. *Gingidium Umbellâ longâ* C. B. Spanish Picktooth.

J. B.

Sesquicubitalis circiter est planta, *radice* raris adnatis fissâ hærens: *caule* Anethi, striato, glabro, geniculato: *folio* Pastinacæ erraticæ, lævi, portionibus divisionis majoribus. *Umbellæ* florum candent, tandémque in se contrahuntur veluti caverna mediam sepimento effingente: pediculi autem Umbellæ, potissimùm externi, palmo longiores, rigidi durique sunt; singulíque tam hi quàm interni novam pedicellorum frequentium Umbellam in summo gerunt. Porro tam Umbellæ singulares, quàm coma tota subjecta habent ad basin foliola. *Semen* parvum Apii Officinarum, acre.

Locus. In pratis quibusdam non longè à *Miravalle* ad viam quæ Monspelio Frontignanam ducit: copiosè etiam in Etruriæ agris & circa Cataniam Siciliæ provenit.

Altera species. Meminit J. Bauhinus Gingidii Ægyptii cujus Umbella & pediculi firmiores erant & majores quàm in hortis nostris provenientis; quale & nos quoque vidisse meminimus.

Dauci campestris descriptio apud Cæsalpinum per omnia Visnagæ convenit, ut omnino eadem videatur planta, quantumvis Visnagam antea in eodem libro tradiderat, quod tamen mirum videri possit.

Pediculi seu radii Umbellarum pro dentiscalpiis multis in usum veniunt, præcipuè Hispanis, ob rigiditatem suam & suaveolentiam; unde Herba ipsa nostratibus Spanish Picktooth, i. e. Dentiscalpium Hispanicum appellatur.

* 2. *Gingidium Matthioli foliis Chærephylli* C. B. Park.

Quale sit (inquit J. Bauhinus) judicent qui viderunt. Figura habet multa communia cum Lappula canaria flore majore. Interea quoque considerandum, an utraque descriptio non sit partim ex Dioscoride, partim ex dicta Lappula canaria & Visnaga composita. Reliqua quæ habet apud ipsum vide: certè non levem nobis suspicionem injicit Gingidium hoc Matthioli & sequacium esse merum figmentum.

* 3. *Daucus montanus, semine Cretico simili, non lanuginoso, valdè odorato, specie Staphylini, Umbellâ clausâ* J. B.

Cæs.

In Alpibus nascitur; *semine* alioqui Cretico simili, sed nequaquam lanuginoso, acri & valdè odorato. Ejus planta *foliis* constat non capillaribus ut Fœniculi, sed specie Staphylini, longo pediculo in adnexu folioso, prædura hæc & odorata. *Caulis* striatus, cubitalis, (reperitur brevior non ultra dodrantem:) *Umbellæ* clauduntur ut Staphylini. *Radix* singularis, in altum descendens ut Pastinacæ.

Hæc nobis incognita est, verùm insigni nota quæ non adeò multis hujus familiæ convenit, nimirum Umbellâ clausâ, ab aliis facilè distinguitur, ideóque ad Visnagam retulimus.

CAP. XIV.

De Crithmo.

CRithmum dicitur herba maritima, foliis quodammodo Fœniculaceis, verùm segmentis brevioribus & latioribus multo.

1. *Crithmum sive Fœniculum marinum grandius, cui succus luteus* J. B. *Cr. mar. majus* Park. *Cr. sive Fœniculum maritimum majus, odore Apii* J. B. *Crithmum Siculum, Baticulæ alterum genus Cæsalp.* Bocconi.

Cæs.

Foliis est tenuiùs incisis, odore Apii, sed sapore Baticulæ: *Caules* fert cubitales in Autumno, ex ignosis amis in terra procumbentibus, crassis; *Umbellis* candidis: seminibus vulgaris Crithmum candidioribus,

didioribus, modicè oblongis, ſtriatis, odoratis & guſtu ferventibus: è caulibus recentibus inciſis lacteo ſucco manans, in lachrymam ſubrufam concreſcente; radicibus ramoſis & candicantibus.

Ex Sicilia habetur hoc genus.

Vires. Efficacius eſt minore in movendo urinam: nam renes & veſicam miro modo purgat.

D. *Boccone caulem* ei rectum & ramoſum attribuit; *folia* laciniata, dura, & quàm Crithmi marini vulg. latiora: *Semina* bina, quæ ſimul conjuncta Coriandri inſtar, diviſa: ſtriata ſunt, ſeminis Fœniculi modo. *Radicem* longam craſſam, ad ligni naturam propiùs accedentem, perennem & ſingulis annis regerminantem.

Locus. Aſperis & ſaxoſis gaudet locis propè Panormum in monte Peregrino, & alibi in Sicilia.

A. 2. *Crithmum marinum* Ger. Dod. *marinum vulgare* Park. *Crithmum multis, ſive Fœniculum marinum* J. B. *Crith. ſive Fœniculum maritimum minus* C. B. **Sampire** *à Gallico* **Sainct Pierre.**

J. B.

Succulenta admodum eſt herba, in latum diffuſa, pedem circiter alta. *Folia* latiora & breviora quàm Fœniculi, craſſa, nec tam crebrò inciſa, atrovirentia, ſapore ſubſalſo. *Caulis* Fœniculi, ſtriatus, porracei viroris. *Umbellæ* luteæ: *Semina* Fœniculi, ſed majora. *Radix* craſſa, longa, perennis, odore & ſapore ſuavi, acri, aromatico.

Locus. In clivis & rupibus maritimis per totum hujus inſulæ ambitum, nec minùs in tranſmarinis regionibus, in ipſis lapidum commiſſuris oritur.

Itali & Galli herbam *S. Petri* nominant, unde deductum Anglicum **Sampire.**

Vires. Crithmum muria conditum Ventriculo benefacit, éſtque palato admodum gratum: urinam moderatè provocat, viſcera ab obſtructionibus expedit, appetentiámque ciborum excitat.

Uſus. Utimur vulgo pro condimento carnis ovillæ aſſæ; & aliàs in intinctibus & acetariis.

Cap. XV.

De Fœniculo.

FOEniculum (Græcis Μάραθρον) diminutivum eſſe videtur à Fœnum, quòd quaſi Fœnum in hyemes areſactum & marcidum reponatur. *C. B.* Alii dictum putant quòd ſatum magno cum fœnore ſemen reddat. Μάραθρον ἀπὸ τοῦ μαραίνεσθαι à marceſcendo, quòd ejus cùm inaruerit ad condienda plurima multus uſus ſit.

Fœniculum autem foliis in capillacea filamenta diviſis, ſeminibus ſtriatis parvis oblongis ab aliis Umbelliferarum generibus diſtinguitur.

A. 1. *Fœniculum vulgare* Ger. Park. *vulgare minus acriore & nigriore ſemine* J. B. *vulg. Germanicum* C. B. *item, vulg. Italicum, ſemine oblongo, guſtu acuto* ejuſdem. *Item Fœnic. ſylveſtre* ejuſdem. *Hæc enim tria non aliter differunt, quàm accidentibus à loco & cultura ortis.* **Common Fennel or Finckle.**

J. B.

Ex *radice* digitali, aut majore, ſi ramoſior fuerit, rectâ, albâ, ſapore cum quadam dulcedine aromatico *caulis* ſurgit tres aut quatuor cubitos altus, rectus, teres, ſtriatus, geniculatus, atrovirens, fungoſâ, albâ medullâ farctus, crebris alis concavus. Pediculi ceu vaginâ caulem & ramos complectuntur, quibus *folia* inſident in longa, acutiſſima filamenta diſſecta, atrovirentia, ſapore dulci, odore ſuavi. Umbellæ *florum* latæ, luteæ, odoratæ. *Semen* oblongum anguſtum, ſtriatum Aniſi, nigricans, ſapore acriori, minus dulci.

Locus. Monſpeli & Lugduni ſponte paſſim provenit.

Naſcitur enim locis calidis & ſaxoſis. *J. B.* In Anglia etiam in aggeribus maritimis & clivis cretaceis in extrema parte Cornubiæ, & in Suſſexia ad occidentalem terminum paludis Pevenſeiæ. Reperitur hoc genus in calidioribus regionibus ſemine dulci: quod J. Bauhinus inſcribit *Fœniculum vulgari ſimile, dulce.*

Vires. Si febribus putridis adjunctam malignitatem advertamus, & quæ aperiendo, & quæ diſcutiendo per ſudores prævalet, planta vix Fœniculo ſecunda reperietur. Hinc in Variolis & morbillis laborantibus decocto Fœniculi vel ſeminis, vel radicum nihil erit ſalubrius. *Sim. Paulin.*

Seminum pulvis cum Saccharo manè quotidie jejuno ventriculo ſumptus mirificè viſum acuit. Si ſemen Fœniculi aceto infundas, exſicces & Cinnamomi tantundem addas addito ſaccharo; .... ſumendo de hoc fit mirabile in præſervando viſum, & debilitatem reformando, & in oculis octuagenariis jam obtenebrato viſu, ut incredibile viſum ſit. *Arnoldus de villa nova.* Pro Saccharo commodius fortaſſe eſſet melle uti. Ad caliginoſos oculos nihil hoc ſemine efficacius, inquit Tragus. Idem præſtat ſuccus foliorum aut radicis, & aqua deſtillata oculis indita.

Præterea ſemen hoc ventriculum roborat, nauſeam ſedat. [At C. Hofmannus tantum abeſſe inquit ut juvet concoctionem aliorum ſemen aut herba viridis, ut ipſum potiùs adjutorio opus habeat.] Hæc ergo de ſemine ſicco accipienda ſunt, quod & flatus diſcutit ſecundùm tritum illum verſiculum *Semen fœniculi reſerat ſpiracula culi*: & Medicamentis thoracicis admixtum aſthmaticos juvat, & venenis adverſatur.

Folia in aqua hordei decocta lac nutricibus augent. Quin & foliorum aut seminis decoctum dolores nephriticos lenit, urinam movet, calculum pellit.

Radices menses provocant, obstructiones hepatis & lienis reserare, atque ictero mederi traduntur.

Herba tota jusculis & sorbitionibus incocta ad corpus obesum extenuandum utilis esse perhibetur.

Usus. Germina Fœniculi teneriora antequam excaulescant, cum superna radicis particula, unde scilicet emergunt, decisa, cum oleo & pipere mensis secundis adjiciunt Itali & Narbonenses Galli, eodem modo quo Apium dulce. Nostrates folia recentia minutim concisa aceto immittunt pro condimento piscium elixorum in muria asservatorum, ut v. g. Salmonum, Luciorum, Sturionum, &c.

Ad quartanam & alias febres, ℞. succ. rad. Fœniculi ℥iiij. cum saccharo dulcoretur, & jejuno propinetur in Aurora decem diebus continuis. *Zacutus* qui plurimis in lecto benè coopertis ait sudores plurimùm moveri, aliis lentæ pituitæ screatum, aliis ructus fœtidos & crepitus. Facile sed utile vocat auxilium.

Vidit Jo. Crato Med. Cæsareus monachum quendam novem dierum spatio à Præceptore suo ex suffusione facillimo remedio curatum, Radicibus nempe Fœniculi in vino coctis, & decocto oculis applicato. *D. Soame* ex Observ. * *Hieron. Reusneri.* (* Obs. 34.)

Mulier quædam sentiens ante justum tempus fœtum descendere ad pectinem cum aliis signis abortûs, apposuit anteriori ventris parti sub umbilico, & posteriori usque ad os sacrum cataplasma ex pane tosto cum aceto & pulv. seminum Fœniculi: unde statim omnia symptomata cessârunt. Fœniculum enim plurimum facit ad prohibendum abortum.

Idem ex ejusdem Observ. 106.

Fœniculum 2. seu vulg. Italicum, semine oblongo, gustu acuto C. B.

Item,

Fœniculum 5. seu sylvestre ejusdem *&* Park.

Lobelio & nobis à vulgari diversum non est, inquiunt Ebrodunensis historiæ auctores: quibus & nos libenter suffragamur.

2. *Fœniculum dulce* Park. Ger. C. B. *dulce majori & albo semine* J. B. **Sweet Fennel.**

J. B.

Eodem quo satum est anno *semen* profert maturum: à vulgato radicibus, foliis, caulibus & flore vix differre videtur, nisi fortè caule minùs procero & graciliore ac foliis minoribus. *Semina* quidem multò sunt majora, striata, albida, dulcia, minùs acria: Cæterùm siquando hyemem apud nos perfert, & aliquot annis durat, videtur amittere dulcedinem & de albedine ac magnitudine minui.

Hoc genus Fœniculi post unum vel alterum annum, iterata satione seminis hîc producti, in hortis nostris paulatim degenerat & in vulgare transit; nec in nostris tantùm, sed & in Germanicis atque etiam Italicis, ut testatur Cæsalpinus. Unde verisimile est, semen ejus ex ulterioribus adhuc Meridiem versùs regionibus adferri: ex Syria fortè, ut Lobelius scribit, aut ex insulis Azoricis, ut alii.

Nonnulli Fœniculum dulce à vulgari specie non distingui contendunt, eo argumento quòd satione degenerat, & tandem in vulgare abit. Verùm in speciebus Plantarum infimis dari interdum transmutationem non contemnendis rationibus suadetur, & experimentis confirmatur.

Variat multis modis hæc planta. Vidit Lobelius apud *Gulielm. Dresch* procerum prægrandéque Fœniculum, communi simile: *caule* ternûm quaternûmve cubitorum; *foliis* brevioribus, aliquanto rigidioribus, albicantibus Corrudæ. *Semen* par aut paulo minus altero [*dulci*] rotundius & Aniso propius erat. Isti Hippomarathri nomen fecerunt.

Fœniculum dulce Azoricum à communi dulci differt radiorum Umbellæ magnitudine & longitudine, Umbellâ concavâ, seminibus majoribus.

Quia (inquit J. Bauhinus) Fœniculum hoc [dulce] à Veteribus descriptum esse credimus, ideò ei quoque vires ab ipsis Fœniculo attributas convenire dicimus. Illas etiam huic asscribimus quæ Recentiores vulgari proprias faciunt.

* 3. *Fœniculum rotundum flore albo* J. B. *semine rotundo minore* C. B. Park.

Tab.

Radice nititur fibrosa exili: *caule* minori & breviori: *foliis* latioribus ac etiam brevioribus quàm vulgaris Fœniculi: *Umbella* alba, rotunda, primo anno flores & *semen* ferens minus quàm vulgare Fœniculum, sublongum & rotundum. Plantæ gustus & odor vulgari similis. Si semen hujus stirpis Autumno terræ mandes, evadet tota planta procerior & efficacior, quandoquidem hyemem facilè perfert.

Mirari Tabernam. subit (inquit J. Bauhinus) cur locum ubi hoc viderit, aut unde habuerit, non indicet: *Nobis certè incognitum est, nec minus aliis qui ante nos scripserunt Botanicis: Dari ejusmodi plantam non ausim negare, an verò Fœniculi species sit necne dubito.*

* 4. Hippomara-

* 4. *Hippomarethrum Sphæracephalum* Alpin. exot. Park.

Alpin.

Caulem fert tricubitalem & ampliorem, rotundum, geniculatum, craſſitie pollicari & etiam majore, herbaceo ſeu Fœniculi colore, obliquè ex geniculis ſurſum actum, in ſingulis geniculis ſingulos alios cauliculos obliquè exeuntes producentem, in quorum cacumine Corymbaceæ Umbellæ cernuntur, in orbem actæ, à quibus floſculi elegantes emicant, violacei coloris, qui mutantur in *ſemina* parva, longa, tenuia, anguloſa, Fœniculi ſeminibus proxima, non parùm ex valido odore fœtentia. Tota planta foliis conſtat Fœniculaceis, compluribus ab una radice proficiſcentibus, eo ordine poſitis ut ſinguli ternis ramulis digerantur. Quo ſanè ordine poſita obſervantur, è ſingulis caulium geniculis exeuntia, licet longè minora exiſtant. *Radix* verò longa eſt, alba, carnoſa, non diſſimilis fœniculi radici. E tota planta emanat odor & validus & ingratus, maximéque ex ſeminibus, ex quo capiti dolor, ſi multùm olfecerimus, inducitur.

Ex ſeminibus ab Ægypto acceptis Alpino orta eſt. Differt ab Hippomarathro cachryophoro, quòd eo longè amplior ſit, cauléſque & longiores & craſſiores ferat, & Umbellas coloris violacei, in perfectum veluti orbem circumactus, quódque ſemina Fœniculacea producat. *Locus.*

* 5. *Millefolium aquaticum* Ger. *aquaticum vulgatius* Park. *aquaticum Umbellatum capillaceo brevique folio* C. B. *aquaticum Fœniculo ſimile, Umbelliferum* J. B.

J. B.

Folia ſparſa, lætè virentia, Fœniculaceis perquam ſimilia, cæſurâ non ità diſſimili: prima & inferiora differunt nonnihil, ſegmenta ſunt paulò latiora, odore grato, ſapore nullo inſigni. *Flores* gerit in ſcapo umbellatos.

Radices ad Hellebori albi radices quodammodo accedunt, fibroſæ, albæ, crebræ ex uno capite dependentes, palmo longiores, cavæ; in quorum tamen medio reperitur interdum radix quædam primaria minimi digiti craſſitudine, fungoſa, & veluti concava.

Apud paludes circa foſſas Paduæ reperit J. Bauhinus. *Locus.*

Millefolium aquat. foliis Coriandri *Matth.* aquat. Umbellatum foliis Coriandri *C. B.*

Suſpicatur J. Bauhinus iconem Matthioli ex diverſis plantis componi, nimirum ex Umbella Millefolii aquat. folio Fœniculi, & Millefolio pennato, ac aliâ aliquâ plantâ; ejuſdem opinionis eſt & Caſparus frater: ideoque faceſſat. V. J. Bauhinum.

* 6. *Daucus pratenſis Dalechampii* Park. *prat. Dalech. folio Millefolii* J. B. *prat. Millefolii paluſtris folio* C. B.

Lugd.

Naſcitur *radicibus* multis, candidis, rotundis, ab ima caulis parte in diverſa ſparſis, brevibus, dulcibus, odoratis; *foliis* proximè radicem ſex aut ſeptem, totidem digitos longis, foliolis per ordinem multis, orbiculatim cauliculos totos ambientibus, Myriophyllo ſimilibus, mollibus, lætè virentibus; *caule* medio Fœniculi, cubitali, in ramos duos vel tres divaricato, foliis paucis veſtito, interdum nudo; *Umbellâ* per initium nonnihil rubeſcente, poſtea albâ, amarâ, ſubacri, odoratâ.

* 7. *Anethum ſylveſtre ſemine exiguo Ammeos* J. B. *ſylv. majus* C. B. Park. *rectiùs Fœniculum Anethi odore.*

Cæſ.

Grandius eſt ſativo, *caule* craſſo; *foliis* amplis ut Fœniculi, ſed odore Anethi, quanquam infirmo: Umbellis amplioribus: *flore* luteo: *ſemine* exiguo, ferè ut Ammeos, ſubacri. *Radix* parva eſt & lignoſa, annua.

Hâc herbâ equos purgant; nam miro modo ejus uſu vegetiores redduntur. *Vires.*

C. Bauhinus in Prodromo alteram deſcribit hujus generis herbam minorem, *radice* albicante, uncias tres longâ, tenui, quemadmodum & *caulis*, qui pedalis, albus, rotundus. *Foliis* eſt uncias quatuor longis, tenuiſſimè ut in vulgari diviſis, Umbellâ parvâ, ex feſtucis octo vel novem uncialibus compoſitâ: *floſculis* luteis; *ſemine* parvo, oblongo.

Utrumque hoc genus (ſi modò diverſa ſunt) Siciliæ inſulæ originem ſuam debent. *Locus.*

Cùm ſemine ſint exiguo, oblongo, rectiùs ad Fœniculum quàm ad Anethum referuntur.

Folia in aqua hordei decocta lac nutricibus augent. Quin & foliorum aut seminis decoctum dolores nephriticos lenit, urinam movet, calculum pellit.

Radices menses provocant, obstructiones hepatis & lienis reserare, atque ictero mederi traduntur.

Herba tota jusculis & sorbitionibus incocta ad corpus obesum extenuandum utilis esse perhibetur.

Usus. Germina Fœniculi teneriora antequam excaulescant, cum superna radicis particula, unde scilicet emergunt, decisa, cum oleo & pipere mensis secundis adjiciunt Itali & Narbonenses Galli, eodem modo quo Apium dulce. Nostrates folia recentia minutim concisa aceto immittunt pro condimento piscium elixorum in muria asservatorum, ut v. g. Salmonum, Luciorum, Sturionum, &c.

Ad quartanam & alias febres, ℞. succ. rad. Fœniculi ℥iiij. cum saccharo dulcoretur, & jejuno propinetur in Aurora decem diebus continuis. *Zacutus* qui plurimis in lecto benè coopertis ait sudores plurimùm moveri, aliis lentæ pituitæ screatum, aliis ructus fœtidos & crepitus. Facile sed utile vocat auxilium.

Vidit Jo. Crato Med. Cæsareus monachum quendam novem dierum spatio à Præceptore suo ex suffusione facillimo remedio curatum, Radicibus nempe Fœniculi in vino coctis, & decocto oculis applicato. *D. Soame* ex Observ. * *Hieron. Reusneri.*

* *Obs.* 34.

Mulier quædam sentiens ante justum tempus fœtum descendere ad pectinem cum aliis signis abortûs, apposuit anteriori ventris parti sub umbilico, & posteriori usque ad os sacrum cataplasma ex pane tosto cum aceto & pulv. seminum Fœniculi: unde statim omnia symptomata cessârunt. Fœniculum enim plurimum facit ad prohibendum abortum.

Idem ex ejusdem Observ. 106.

Fœniculum 2. *seu vulg. Italicum, semine oblongo, gustu acuto* C. B.

Item,

Fœniculum 5. *seu sylvestre* ejusdem *&* Park.

Lobelio & nobis à vulgari diversum non est, inquiunt Ebrodunensis historiæ auctores: quibus & nos libenter suffragamur.

2. *Fœniculum dulce* Park. Ger. C. B. *dulce majori & albo semine* J. B. **Sweet Fennel.**

J. B.

Eodem quo satum est anno *semen* profert maturum: à vulgato radicibus, foliis, caulibus & flore vix differre videtur, nisi fortè caule minùs procero & graciliore ac foliis minoribus. *Semina* quidem multò sunt majora, striata, albida, dulcia, minùs acria: Cæterùm siquando hyemem apud nos perfert, & aliquot annis durat, videtur amittere dulcedinem & de albedine ac magnitudine minui.

Hoc genus Fœniculi post unum vel alterum annum, iterata satione seminis hîc producti, in hortis nostris paulatim degenerat & in vulgare transit; nec in nostris tantùm, sed & in Germanicis atque etiam Italicis, ut testatur Cæsalpinus. Unde verisimile est, semen ejus ex ulterioribus adhuc Meridiem versùs regionibus adferri: ex Syria fortè, ut Lobelius scribit, aut ex insulis Azoricis, ut alii.

Nonnulli Fœniculum dulce à vulgari specie non distingui contendunt, eo argumento quòd satione degenerat, & tandem in vulgare abit. Verùm in speciebus Plantarum infimis dari interdum transmutationem non contemnendis rationibus suadetur, & experimentis confirmatur.

Variat multis modis hæc planta. Vidit Lobelius apud *Gulielm. Dresch* procerum prægrandéque Fœniculum, communi simile: *caule* ternûm quaternûmve cubitorum; *foliis* brevioribus, aliquanto rigidioribus, albicantibus Corrudæ. *Semen* par aut paulo minus altero [*dulci*] rotundius & Aniso propius erat. Isti Hippomarathri nomen fecerunt.

Fœniculum dulce Azoricum à communi dulci differt radiorum Umbellæ magnitudine & longitudine, Umbellâ concavâ, seminibus majoribus.

Quia (inquit J. Bauhinus) Fœniculum hoc [dulce] à Veteribus descriptum esse credimus, ideò ei quoque vires ab ipsis Fœniculo attributas convenire dicimus. Illas etiam huic asscribimus quæ Recentiores vulgari proprias faciunt.

* 3. *Fœniculum rotundum flore albo* J. B. *semine rotundo minore* C. B. Park.

Tab.

Radice nititur fibrosa exili: *caule* minori & breviori: *foliis* latioribus ac etiam brevioribus quàm vulgaris Fœniculi: *Umbella* alba, rotunda, primo anno flores & *semen* ferens minus quàm vulgare Fœniculum, sublongum & rotundum. Plantæ gustus & odor vulgari similis. Si semen hujus stirpis Autumno terræ mandes, evadet tota planta procerior & efficacior, quandoquidem hyemem facilè perfert.

Mirari Tabernam. subit (inquit J. Bauhinus) cur locum ubi hoc viderit, aut unde habuerit, non indicet: *Nobis certè incognitum est, nec minùs aliis qui ante nos scripserunt Botanicis: Dari ejusmodi plantam non ausim negare, an verò Fœniculi species sit necne dubito.*

* 4. *Hippomara-*

* 4. *Hippomarethrum Sphæracephalum* Alpin. exot. Park.

Alpin.

Caulem fert tricubitalem & ampliorem, rotundum, geniculatum, crassitie pollicari & etiam majore, herbaceo seu Fœniculi colore, obliquè ex geniculis sursum actum, in singulis geniculis singulos alios cauliculos obliquè exeuntes producentem, in quorum cacumine Corymbaceæ Umbellæ cernuntur, in orbem actæ, à quibus flosculi elegantes emicant, violacei coloris, qui mutantur in *semina* parva, longa, tenuia, angulosa, Fœniculi seminibus proxima, non parùm ex valido odore fœtentia. Tota planta foliis constat Fœniculaceis, compluribus ab una radice proficiscentibus, eo ordine positis ut singuli ternis ramulis digerantur. Quo sanè ordine posita observantur, è singulis caulium geniculis exeuntia, licet longè minora existant. *Radix* verò longa est, alba, carnosa, non dissimilis fœniculi radici. E tota planta emanat odor & validus & ingratus, maximéque ex seminibus, ex quo capiti dolor, si multùm olfecerimus, inducitur.

Ex seminibus ab Ægypto acceptis Alpino orta est. Differt ab Hippomarathro cachryophoro, quòd eo longè amplior sit, caulésque & longiores & crassiores ferat, & Umbellas coloris violacei, in perfectum veluti orbem circumactus, quódque semina Fœniculacea producat. *Locus.*

* 5. *Millefolium aquaticum* Ger. *aquaticum vulgatius* Park. *aquaticum Umbellatum capillaceo brevique folio* C. B. *aquaticum Fœniculo simile, Umbelliferum* J. B.

J. B.

Folia sparsa, lætè virentia, Fœniculaceis perquam similia, cæsurâ non ità dissimili: prima & inferiora differunt nonnihil, segmenta sunt paulò latiora, odore grato, sapore nullo insigni. *Flores* gerit in scapo umbellatos.

Radices ad Hellebori albi radices quodammodo accedunt, fibrosæ, albæ, crebræ ex uno capite dependentes, palmo longiores, cavæ; in quorum tamen medio reperitur interdum radix quædam primaria minimi digiti crassitudine, fungosa, & veluti concava.

Apud paludes circa fossas Paduæ reperit J. Bauhinus. *Locus.*

Millefolium aquat. foliis Coriandri *Matth.* aquat. Umbellatum foliis Coriandri *C. B.*

Suspicatur J. Bauhinus iconem Matthioli ex diversis plantis componi, nimirum ex Umbella Millefolii aquat. folio Fœniculi, & Millefolio pennato, ac aliâ aliquâ plantâ; ejusdem opinionis est & Casparus frater: ideoque facessat. V. J. Bauhinum.

* 6. *Daucus pratensis Dalechampii* Park. *prat. Dalech. folio Millefolii* J. B. *prat. Millefolii palustris folio* C. B.

Lugd.

Nascitur *radicibus* multis, candidis, rotundis, ab ima caulis parte in diversa sparsis, brevibus, dulcibus, odoratis; *foliis* proximè radicem sex aut septem, totidem digitos longis, foliolis per ordinem multis, orbiculatim cauliculos totos ambientibus, Myriophyllo similibus, mollibus, lætè virentibus; *caule* medio Fœniculi, cubitali, in ramos duos vel tres divaricato, foliis paucis vestito, interdum nudo; *Umbellâ* per initium nonnihil rubescente, postea albâ, amarâ, subacri, odoratâ.

* 7. *Anethum sylvestre semine exiguo Ammeos* J. B. *sylv. majus* C. B. Park. *rectiùs Fœniculum Anethi odore.*

Cæs.

Grandius est sativo, *caule* crasso; *foliis* amplis ut Fœniculi, sed odore Anethi, quanquam infirmo: Umbellis amplioribus: *flore* luteo: *semine* exiguo, ferè ut Ammeos, subacri. *Radix* parva est & lignosa, annua.

Hâc herbâ equos purgant; nam miro modo ejus usu vegetiores redduntur. *Vires.*

C. Bauhinus in Prodromo alteram describit hujus generis herbam minorem, *radice* albicante, uncias tres longâ, tenui, quemadmodum & *caulis*, qui pedalis, albus, rotundus. *Foliis* est uncias quatuor longis, tenuissimè ut in vulgari divisis, Umbellâ parvâ, ex festucis octo vel novem uncialibus compositâ: *flosculis* luteis; *semine* parvo, oblongo.

Utrumque hoc genus (si modò diversa sunt) Siciliæ insulæ originem suam debent. *Locus.*

Cùm semine sint exiguo, oblongo, rectiùs ad Fœniculum quàm ad Anethum referuntur.

CAP. XVI.

De Herbis quibusdam Umbelliferis foliis Fœniculaceis, semine striato minore, variis nominibus Dauci, Seselios, Mei, Fœniculi, Caucalidis, &c. Botanicis insignitis.

• 1. *Meum Dauci Cretici facie* J. B. C. B. *Meum aliud minus* Park.

Lugd.
IN Allobrogum & Sequanorum montibus frigidissimis & altissimis nascitur, *radice* dimidio pede longiore, foris nigrâ, Dauci Cretici modo, intus candidâ, brachiatâ, odoratâ; *cauliculis* multis, nervosis instar Fœniculi, tres aut summum quatuor digitos altis: *foliis* brevibus, capillaceis, Fœniculo similibus, *flore* candido, *umbellis* densis: *semine* minutissimo, amaro, & suaviter olente.

2. *Fœniculum tortuosum* J. B. *Seseli Massiliense Fœniculi folio, quod Dioscoridis censetur* C. B. Park.

Cubitali assurgit *caule*, interdum majore, striato, medullâ albâ pleno [Clusio unico, interdum cubitali, sed sæpissime minore] mox à radice in varios, contortos ramos, firmos divisio, crassiusculo, brevibus internodiis intercepto. *Folia* fœniculacea, non itâ tenuia, breviora, videlicet palmaria, rariora, duriora, colore ferè Anethi [Clusio Anethi ferè, exilia & minutim incisa Rutæ propemodum colore] Umbellæ parvæ exiguis floribus albis, aut etiam Clusio purpurascentibus, constant. *Semina* alba striata, Dauci glaucifolii seminibus omnino similia, uti & tota planta. *Radix* longa, alba, crassiuscula [digitalis etiam crassitudinis Clusio] comata, aromatica. Tota planta odorata est.

Locus. In Sicilia circa Messanam primò se nobis in conspectum dedit: postea in Gallia Narbonensi copiosissima ubique ferè obvia fuit.

3. *Daucus glauco folio, similis Fœniculo tortuoso* J. B. *An Peucedanum Pannonicum* Clusii?

Radix huic lignosa, alba, tuberculis quibusdam scabra, fibris paucis, verùm iis crassioribus altiúsque descendentibus, firmata [J. Bauhino minimi ferè digiti crassitudine, rugosa] sapore Pastinacæ subacri [J. Bauhino acriuscula, cum lævi amarore aromatica] in plura capita divisa; è quibus emergunt *caules* complures cubitales & interdum bicubitales aut altiores (in sterilioribus & siccioribus vix pedales) graciles & vix se sustinentes, læves, teretes, nec (ut vult J. Bauhinus) striati, in apricis subrubentes, geniculis frequentioribus intercepti, duri, fragiles, medullâ albâ farcti, versùs superiora ramosi. Summus caulis & ramuli umbellas gestant exiguas *flosculorum* minutissimorum, purpurantium primò, cùm explicantur magis albentium, apiculis purpurantibus inter petala interjectis: quibus succedunt *semina* parva, striata, breviuscula, apicibus purpureis donata, [ubi maturuerunt alba, Fœniculi tortuosi seminibus similia *J. B.*] sapore amaro, nonnihil etiam acri & aromatico. *Folia* ad radicem pauca, longis pediculis nixa, quinq; vel sex pinnarum seu ramulorum conjugationibus ad mediam costam annexis composita, quæ tandem in lacinias prætenues gramineas dividuntur. [J. Bauhino Foliorum particulæ latiores, crassiores, rigidiores quàm in Fœniculo & velut pungentes, colore glauco] colore viridi ad glaucum tendente, sapore acri, odore aromatico. Præcipuè verò notabile est in hoc genere quod folia in latitudinem non diffunduntur ut in plerisque umbelliferis & triangularia fiunt, sed angustiora sunt & in longitudinem magis extensa.

Locus & Tempus. In collibus juxta *Castelneuf* Monspelio non longè, inter vepres: Floret Julio & Augusto. *J. B.* imò Septembri & in Octobrem usque.

Herbariorum Septentrionalium Libanotis notior *Lobel. Ad.* habet multa quæ cum hac planta conveniunt, ut descriptiones conferenti patebit.

• 4. *Daucus petræus glaucifolius* J. B. *An Daucus tenuifolius* Cordi?

J. B.
Radix capillata ex defluxis recentibus foliis, sapore accedit ad Staphylinum sive Carotam, cum aliqua acrimonia: *Folia* profert tenuiter divisa, sed rariùs glabra, colore glauco, è mediocriter brevibus pediculis pendentia. *Caulis* unicus, utplurimùm, pedalis ac etiam cubitalis, tenuis, per quem plerunque tria parva *folia*, pediculo caulem amplectentia, ramosus interdum, (præsertim si planta sit minus novella) in tres ramulos divisus, in quorum extremitatibus umbellæ parvæ *flosculorum* alborum; quos subsequitur *semen* parvum, per maturitatem rubrum, ad Ammi vulgare accedens, aromaticum cum aliqua acrimonia.

Locus & Tempus. Provenit locis siccis & petrosis, abundans semine maturo Septembri & Octobri.

A. 5. *Peucedanum minus* Park. C. B. Phyt. *pumilum* Ger. *Peucedani facie pusilla planta* Lob. *Selinum montanum pumilum Clusii, foliis Fœniculi aut Peucedani, flore albo, semine Selini* J. B. **Rock-parsley.**

Clus.
Aliquot à radice spargit *folia*, Fœniculi aut Peucedani foliis formâ quidem similia, sed longè minora, & quidem rarò pluribus quam quindecim foliolis constantia, è quorum medio dodrantalem crassúmque fert *caulem*, in multos tamen ramulos divisum, sub quibus aliæ foliorum alæ minores nascuntur, novenísque duntaxat foliis constantes, lata basi caulem amplectuntur, Pastinacæ sive Staphylini

ni gustu & odore: singuli tamen rami exiguorum florum candidorum & odoris expertium umbellulis onusti sunt: quibus succedit *semen Selini* semini non dispar: *Radix* suprema parte in crassum caput extuberat, multisque villis (qui foliorum superioris anni fibræ sunt) hirsuta, brevis, quasique in orbem convoluta est, intus fungosa & alba, exterius fusca & rugosa, inferna parte bifida plerunque, & in raras fibras desinens.

Biennalis est planta, & prolato semine interit.

Apud nos in rupe S. Vincentii propè Bristolium oritur, invenimus & in montibus Germanicis: Clusius in quibusdam siccorum desertorúmque virentium tamen agrorum marginibus, & in nudis gramineisque montibus inferioris Austriæ & Pannoniæ. Floret Maio. *Locus.*

Icon Clusii egregiè exprimit Peucedani facie pusillam plantam *Lob.* unde non est cur dubitaret J. Bauhinus eandem esse plantam; neque cur Casparus frater sententiam mutaret, & pro Selino montano pumilo *Clus.* quod in *Phytop.* Peucedani facie pusillæ plantæ synonymum fecerat, in Pinace Peucedanum Pannonicum Clusii substitueret.

Hæc planta C. Bauhino in Pinace etiam Daucus montanus multifido folio, Selini semine denominatur. Bis ergo in Pinace ponitur. Hunc sequitur Parkinsonus, unam plantam in duas species distrahens; nimirum in Peucedanum minus & Daucum montanum pumilum.

* 6. *Sison* Alpin. exot. *An Saxifragia Matthioli tenuifolia & umbellifera* J. B? *Sison odoratum* Park.

Alp.

Unicum *caulem* Alpino protulit, bicubitalem, rectum, gracilem, rotundum, geniculatum: *folia* capillacea; Fœniculo similia, odorata, quippe odore ad Fœniculum & ad Anethum inclinantia. In caulium summitate umbellæ parvæ, raræ, flosculis albis præditæ, & ferè ex singulis geniculis exeunt ramuli, in summitate etiam minimas umbellas ferentes; in quibus deflorescentibus sunt *semina* nigra, minima, oblonga, odorata, & subamarescentia. *Radice* nititur longa, alba, gracili, odorata, Anetho proxima.

Matthiolus de Saxifragia sua tenuifolia parùm sibi constat, ut videre est apud J. Bauhinum.

In post comm. cum magnis figuris eam sic describit,

Nascitur in magnis & durissimis lapidibus, aut sicco & admodum extenuato solo, *Foliis* capillaceis Fœniculi modo, sed longioribus, tenuioribus & rarioribus. *Caule* pariter prodit Fœniculaceo, sed tenui ac pumilo, umbellâ in summitate emergente: *Semine* vulgaris Petroselini æmulo, sed longiusculo & odorato: *Radice* albicante, pastinacæ sapore. Tota planta subacris est, & subdulcis.

Descriptio Alpini apprimè convenit plantæ illi umbelliferæ quam propè Gratianopolin invenimus, in planitie ad flumen, solo arenoso.

* 7. *Saxifragia multifido folio Pannonica,* J. B. *Daucus montanus multifido brevique folio* C. B. *Daucus montanus Pannonicus* Park. *Saxifraga Pannonica* Clus.

Clus.

Multò minor est Peucedano Pannonico *Clus.* & brevioribus *foliis,* Capni foliorum ferè æmulis, quorum sapor & odor Peucedani Pannonici (quod nobis videtur Daucus glauco folio) foliorum odorem & saporem quodammodo referunt, paulò tamen acriora sunt: inter quæ *cauliculi* exeunt pedales, graciles, geniculati, aliquot exiguis foliis exornati, summo fastigio candidorum *flosculorum* umbellam sustinentes. *Radix* Peucedani radici non multum absimilis, sed brevior, acrior, salivámque ciens, multa hirsuta capita supernâ parte producens, è quibus folia & caules emergunt.

Inventa à Clusio multis Hungariæ & Austriæ inferioris locis, montium acclivitatibus petroso & sabuloso solo. *Locus.*

* 8. *Saxifragiæ tenuifoliæ affinis, quibusdam Caucalis* J. B. *Caucalis Peucedani folio* Ger. C. B. *Fœniculi folio* Park.

J. B.

Hanc Anguillara Epist. 7. Caucalin vocat, & nasci in Peloponneso & multis aliis locis in saxis prodit, *foliis* Fœniculi, *caule* cubitali, *umbellâ* albâ, semine Ammi; comedi; odorem habere Petroselini; vocari ab eis ἄγειον σέλινον. *Radix* Lobelio unica, recta, humi pacta, candida, sapore Pastinacæ. In Apulia provenire plantam intellexit [Anguillara] quæ dicatur *Pietra findula,* quæ multùm respondet descriptioni hujus Caucalidis.

Malè inscribitur Caucalis. Plantam hujus iconi similem observavi in planitie quadam propè Augustam Vindelicorum, viâ quâ Monachium Bavariæ itur. *Locus.*

* 9. *Apium montanum folio tenuiore* C. B. *Apium, quod Petroselinum Dalechampii, folio tenui, Apii hortensis semine, subrubro, amaro, radice nigra* J. B. *Petroselinum Macedonicum fortè Dalechampii* Park.

Lugd.

Radix longiuscula & crassa foris nigricat, intus albet, capite comato, earundem more quæ plures annos perdurant, sapore amaro. *Caules* inde pronascuntur plures, fungosi, striati, pedales, interdum palmares duntaxat, *foliis* amicti Dauci glauco folio similibus. Caulium scapus tripartitus primùm; laterales surculi umbellas gerunt *flosculorum* albicantium, parvas per florendi tempus, magis patulas euntibus in semen floribus: medius surculus rursum trifariàm subdividitur, umbellis similibus onustus. *Semen* Petroselini vulgaris.

Locus. In saxosis tumulis propè Gratianopolin nascitur. *Lugd.* Nos cùm ibi essemus, hanc plantam non observavimus, sed aliam Saxifragiæ Matthioli tenuifoliæ & umbelliferæ iconi similem, foliis tenuissimis, umbellis parvis.

* 10. *Caucalis tenuifolia montana* C. B. Park.

C. B. prod.

Radice est crassa, ex qua *caulis* exurgit pedalis; qui statim ad radicem in cauliculos palmares, rotundos, læves dividitur, hique in minores subdividuntur quorum etiam minutissimis alis ad radicem exiguæ umbellæ flosculorum alborum minutissimorum insident. *Folia* ad radicem in tenuissima segmenta, & quæ in caule in capillacea dividuntur. *Semen* parvum est, oblongum, striatum.

Locus & Tempus. Julio mense florens in Sabaudia inter Tarentesium & Monasterium collecta.

CAP. XVII.

De Pyrethro.

Πύρεθρον Diosc. l. 3. c. 86. ab igne nomen habet, ob radicis ejus fervorem igneum: Salivaris Romanis quòd mansu salivam eliciat apud Plinium l. 28. cap. 9. Pyrethri nomen solùm habetur. *C. B.*

* 1. *Pyrethrum umbelliferum* C. B. *umbelliferum primum* Park. *umbelliferum Matthioli* J. B. **Pellitory of** Spain.

Lob.

Radices huic & *folia* Cotulæ fœtidæ. Umbellæ ab uno quasi centro multis pedicellis innixæ, Venerei pectinis ritu aut Anethi, candidis *flosculis*, fervido & amaricante gustu: [quibus succedunt *semina* nigricantia, rotunda, Anisi majora: radix pollicis, interdum duorum pollicum, crassitudine, pedali longitudine & altiùs in terram descendens, colore exteriùs è fusco flavescente, interiùs nigro, sapore acri admodum & fervido. *Park.*]

Hanc plantam Guilandinus in horto Patavino alebat, & *Pyrethri veri* nomine Lobelio donabat. Pyrethrum Cæsalpini, cùm sit semine compresso, rotundo, figurâ lentis, ad aliud genus pertinet.

Vires. Radix Pyrethri, quæ satis frequenter ac feliciter in ore continetur ad Dentium dolores tollendos cum sua causa, humores plures in os allicit unà cum saliva: Ergò salivationem movet, quam fortassis moveret diutiùs & copiosiùs, si intra corpus sumeretur quantitate parva sed iteratò. *D. Soame* è Sylvii Lib. 1. c. 13. Sect. 59.

Pyrethrum umbelliferum alterum Park. *foliis Anethi* C. B. *Pyr. Gesneri* J. B.

J. B. Lugd.

Radice nititur longâ, simplici, modicè fibratâ, repente, digiti crassitudine, fervidi & urentis gustûs: *Folia* Anetho similia prodeunt; caulis Fœniculaceus; *flos* in umbella circinatæ rotunditatis. Quare nullam prorsus notam deesse ad veram Pyrethri delineationem putat Gesnerus, qui plantam appictam Pyrethri veri nomine ad Dalechampium ex horto suo Tigurensi transmisit.

CAP. XVIII.

De Umbelliferis semine hirsuto seu lanuginoso Apii aut Dauci nominibus notis.

1. *Daucus* 3. *Dioscoridis* Col. *Apium peregrinum foliis subrotundis* C. B. *Visnaga minor quorundam, Selinum peregrinum Clusio, semine hirsuto* J. B. *Selinum sive Apium peregrinum Clusii* Park.

Col.

R*Adice* est alba, lævi, tenui, oblonga Pastinacæ vel Raphani cum nervo in medio, caulescente planta lignosa, aromatica, gustu acri sed parùm hircino & linguam vellicante, qui sapor cùm arescit & lignosa efficitur evanescit. *Folia* emittit lævia, Coriandri æmula, sed rotundiora & longiore pediculo hærentia, primùm singula, deinde unica loborum conjugatione, tertiò bina, tandem ternis aut quaternis hinc inde lobis minùs rotundis & angustioribus divisa. *Caulem* edit bipedalem & ampliorem, striatum, tenuem, lævem, Fœniculi effigie solidum, fungosâ medullâ albâ, in imo ex viridi obscurè purpurascentem, ramosum, foliis interceptum alternis minoribus, angustioribus, magisque incisis, in summo umbellas albas habentem, plures sine basi ut Anethi rotundas, longis petiolis hærentes, atque dum corymbosæ, nec adhuc floridæ, & teneriores, in terram deflexæ procumbunt [nutant] cùm autem florere incipiunt eriguntur & dilatantur, *flores* ostendentes Julio mense densos, minutos, non dissimiles Anetho [petalis bipartitis & apicibus albis. *Semina*

mina deinde perficiuntur parva, albicantia, hirsuta, Anisi similia [Petroselini vulgaris *Clus.*] gustu acri admodum & odorato, Cuminum & hircinum quid resipiente.

Variat hæc iisdem locis orta foliis in caule majoribus, ità profundè incisis ac tenuiter, ut foliorum nervi à carne distincti sint omnes, Pastinacæ [tenuif.] divisuras quodammodo imitantia.

In sepibus circa Messanam Siciliæ urbem nobis observatum: in Salmanticensi agro in vinetorum marginibus sponte nasci autor est Clusius. Campoclari in sylvestribus & limitibus, & per colles nigro terreno refertos & herbidos invenit Columna. *Locus.*

Dauci tertii Dalechampii

Icon apud Parkinsonum ab hoc non multum abludit, *Radicem* habet ex luteo albidam, brevem, in capite comosam. Folia ima latiuscula sunt & Coriandrinis similia; superiora in caulibus ordine minora & tenuiora, suprema ferè Fœniculacea: Flores albi, semina oblonga, sapore acri Anethi aut Cumini.

Verùm si descriptio exacta sit planta est diversa.

2. *Daucus Creticus semine hirsuto* J. B. *Alpinus Cretico similis* Park. *item Creticus verus Dioscoridis* ejusdem. *Daucus Alpinus multifido longóque folio, sive montanus umbellâ candidâ* C. B. *item Dauc. foliis Fœniculi tenuissimis* ejusdem. *Daucus Creticus* Ger.

Dodrantali aut altiore est *caule*, tereti, striato, hirsuto. Umbella mediocris magnitudinis summo cauli extremísque ramis insidet *florum* exiguorum, candidorum, pedicellis canescentibus hirsutísque hærentium. *Semen* longum, incanum, villosum, acre, aromaticum: *folia* lanuginosa, cinerea, minutissimè dissecta, mihi sæpe etiam penitus glabra visa, atrovirentia. *Radix* longa, digitali crassitudine, terram versùs comata, sapore Pastinacæ Germanicæ.

J. Bauhinus Casparum fratrem meritò reprehendit, quod Daucum Creticum *Lob.* separet à Gesneri & Clusii Dauco Cretico; siquidem discrimen non ostendit, atque contra mentem Lobelii id facit: qui in hunc modum de eo scribit. Nec tamen id sola Creta fert; quippe Germanicæ Alpes non modò, sed etiam Genuensium colles & Genevensium circa Juram rupes hoc Cretico abundant. Et paulò post. Huic quo minùs sit Creticum siquid deest cœlum solúmve erit. Sanè effigie nihil, viribus autem perparum abest. Variant quidem aliquantulum: nam qui in Baldo foliis est brevioribus compactioribus; qui verò in Helvetiorum Alpibus & monte *Wasserfall* longioribus & rarioribus.

Nos in summis montis Juræ partibus hunc observavimus. *Locus.*

Daucus Tiburtinus quibusdam *J. B.* adeò parum differt à Cretico ut specie diversum non arbitremur.

* 3. *Daucus tertius Dioscoridis Bello* Park. *tertius, folio Coriandri, flore luteo* J. B. *Creticus nodosus, umbellâ luteâ* C. B.

Folia Coriandri, sed minora & crassa aliquantulum profert: *caulem* sesquicubitalis longitudinis: *flores* luteos in umbellis, ut Anethum; seménque Cumini. Vere manduntur radices & folia, quæ aromatici gustus sunt.

Scribit Parkinsonus hunc apud se flores protulisse albos. Suspicor eum intelligere Myrrhidis quandam speciem caulibus nodosis, seminibus longis asperis, umbellis albis, quam in Sicilia spontaneam observavi: nam hujus semen Londino aliquando ad nos missum fuit sub hoc titulo.

4. *Apium Macedonicum* C. B. *Apium sive Petroselinum Macedonicum multis* J. B. *Petroselinum Macedonicum verum* Ger. *Macedonicum quibusdam* Park. **Macedonian Parsley.**

Col.

Folia Apio hortensi similia habet, ampliora, copiosioribus lobis, rotundioribus, magísque serratis, nitidis, Coriandrinis æmulis, vel Hircinæ saxifragiæ antequam caulem edat, albicantibus [atrovirentibus *J. B.*] quorum sapor ignavior quàm hortensis nostri videtur. *Radicem* longam, crassam, albam, rugosam, lignosam, pedalem, sapore acri. *Caulem* verò post multos à satione annos promit [nobis] cubitalem, crassum, hirsutum, alis divisum frequentibus, rotundam effigiantem comam, umbellis candicantibus refertam, *semine* verò parvo, hirsutie alba obsito, oblongo, Saxifragiæ hircinæ simili, odorato, aromatico, sapore acri, fervido, & Cuminum ferè resipiente.

Hæc planta F. Columnæ Daucus secundus Dioscoridis videtur.

5. *Apium petræum sive montanum album* J. B. *An Daucus montanus Apii folio minor à C. Bauhino in Prod. depictus?*

J. B.

Folia habet dodrantalia, pulchrè in alas oppositas divisa, atque hæ rursum in opposita segmenta [singulæ alæ Pimpinellæ Saxifragæ minoris folia imitantur divisurâ suâ] Apii nigri montani segmentis similia quodammodo, quæ mirè variant pro locorum diversitate, quædam enim valdè tenuia sunt & quasi crispa. *Caulis* fœniculaceus cubitalis [imò bicubitalis & altior] medullâ plenus. Umbellæ parvæ, *floribus* albis contextæ. *Semina* Apii hortensis, longiuscula, striata, hirsuta, versùs summitatem rubentia, cum amarore aromatica. *Radix* perennis, crassiuscula, alba, comata, sapore ferè ad Apium vulgare accedente prædita.

In

In rupibus non longè à Danubio uno circiter milliari Anglico cis Danubium primò hanc observavimus: post in monte Jura non procul Geneva. J. Bauhinus in petrarum rimis Basileæ in Marchionatûs monte provenire observavit propè pagum Krenzach, & Badæ in Helvetiorum monte, ceu & Basileensium propè *Wasserfall*.

* 6. *Panax Siculum, semine hirsuto, foliis Pastinacæ sativæ* J.B. Bocconi.

Boccon.
Radix pro plantæ ratione parva: *Caulis* maximus, humanam altitudinem non rarò superans, uncialis crassitiei, in plures ramos distributus, ruber, lævis, rectus, intus fungosus: *Folia* quàm Pastinacæ sativæ latifoliæ ampliora, tenuibus nervis obsessa, lobis quasi rotundis, figurâ pænè cruciformi latè expansa, atque lucida. Umbellæ amplæ: *Flos* albus: *Semen* longum, crassiusculum, striatum seu sulcatum, exteriùs candidâ lanugine hirsutum, qua exutâ semen grano Tritici figurâ & colore par est. Caule vulnerato interdum sponte lachryma exit, concrescitque colore flavescente.

Locus. Non solùm Panormi, ubi pro *Dabiso* notum, sed & in tota Mararæ valle, locis incultis & asperis copiosè nascitur & appellatur ibidem à colonis *Ferla* seu *Ferra Saracinisca*. Variat foliis quandoque glabris, quandoque hirsutis.

Daucus secundus Siculus Sophiæ foliis Zanoni.

Zan.
Multa è radicis capite *folia* promit, quorum pediculi latâ nervosâ cartilagine radici adnexi, rotundi sunt, supernè sulcati & cavi, tenues, succosi, & sublucidi, in ramulos eodem modo divisi & subdivisi quo in aliis Umbelliferis; *folia* ipsa minuta, crispa, lanugine obsita, inferiùs magis quàm supernè albicantia, tenera, succulenta, in ambitu dentata, humi expansa, quam latè occupant, Sophiæ latifoliæ aut Pastinacæ sativæ tenuifoliæ foliis similia, nonnihil odorata. E medio foliorum cespite enascitur *caulis*, sesquicubitalis circiter, teres, canaliculatus, à nodo ad nodum undatim flexuosus, lanuginosus, rufescens, digitum minimum crassus, medullâ viridi repletus, crebris nodis, imâ maximè parte, interceptus, foliis supradictis similibus obsitus, verùm albidioribus & minoribus, ad nodos cauli adnexis, pediculis membranea origine eum amplectentibus: è quorum cavis exeunt rami, supra medium caulem assurgentes, quorum unusquisque fastigio suo umbellam sustinet, flosculis minimis cum staminibus & apicibus albis compositam, Rosæ moschatæ odore sed remissiore. Flore delapso restat *semen* oblongum, striatum, lanuginosum.

Radix spongiosa, flavicans, canaliculata, caule crassior, haud longè à capite in quatuor aut quinque ramos divisa, in multos annos vivax, Fœniculi sapore, acutiore multò. Folia Apii dulcis saporem æmulantur. Semen reliquis plantæ partibus acrius est & mordacius. Versus Maii finem floret.

Hujus semen à Panormo Siciliæ metropoli ad auctorem transmisit insignis Botanicus D. Paulus Boccone.

* 7. *Siler Creticum quibusdam foliis Cicutæ, semine longo crispo incurvo* C.B. *Siler* 2. *foliis Cicutæ* C.B.

Semen, describente J.B. pulchrum & magnum pediculo unciali circiter pendet, semunciam longum, recurvum, crassum, fuscum, gemellum: unum è quinque aut sex costis asperis coagmentatum, alterum simplex; odor satis validus nec injucundus. Cum Cymino sativo habet aliquid simile, sapore etiam aliquo modo affini: Satum provenit *foliis* Cicutæ sed latioribus & paucioribus, *semine* incurvo, grandi, hirsuto & fusco.

De hoc Bellus Epist. ad Clus. Rosmarini folia Selino similia sunt, serrata, floresque in umbellis albi: quibus succedunt *semina* oblonga aspera. *Radice* nititur crassâ, foris nigro cortice eoque tenui vestita, intus alba, thus maximè olente.

CAP. XIX.

De Pastinaca tenuifolia.

Pastinaca à pascendo dicta existimatur. Nam radices ejus cibus sunt vulgaris. Isidorus lib. XVII. cap. 10. *Pastinaca vocata quòd radix ejus præcipuus sit pastus homini. Est enim odorata, jucunda, cibo delectabilis.* Turnebus tamen in Adversariis lib. VIII. cap. 23. ex eo dici putat, quòd referat & quasi habeat *pastinum*, quomodo vocatur instrumentum quo vineæ fodiuntur.

Pastinaca sativa semine villoso, umbella flore delapso in niduli formam contractâ, foliis tenuiter incisis, ab omnibus aliis Umbellatarum generibus facilè distinguitur.

A. 1. *Pastinaca sativa tenuifolia* Ger. *tenuifolia sativa lutea* Park. *tenuifolia sativa radice lutea vel alba* C.B. *sativa sive Carota rubra, lutea & alba* J. B. **Carrots.**

Radice est pedem longâ, crassâ, conoide, friabili, luteâ aut rubrâ, interdum atro-rubente aut etiam albâ, paucis ad latera fibris donatâ, succulentâ, sapore dulci aromatico. *Caulem* erigit duorum aut trium cubitorum, hirsutum, striatum, concavum, ab imo statim ramosum, ad cujus divaricationes folia dodrantalia, hirsuta in alas plures divisa, alis singulis in alias subdivisis, & his tandem alis secundariis in multa segmenta angusta oblonga acuta profundè dissectis, odore & sapore satis suavi, saturè viridia, alternatim posita. *Flores* in umbellis latis conferti, pusilli, pentapetali, petalis subrotundis & minimè bifidis, colore albo, interdum rubente. *Umbellæ* basin in circulum ambiunt folia angusta, in plura longa & acuta segmenta divisa. Umbellarum etiam partialium è quibus totalis componitur bases, ejusmodi foliolorum circuli ambiunt. Floribus succedunt *semina* longiuscula villosa. Cùm jam defloruit umbellæ contractæ concavæ fiunt & vasculum velut Daucus Officinarum deformant.

Seminis & herbæ eædem vires sunt quæ Dauci Officinarum. Specificum habetur ad uteri suffocationem. *Schrod.* *Vires.*

Radices culinariæ sunt, in aqua communi decoctæ tessellatim inciduntur, cúmque butyro, pipere & sale esitantur: sæpius tamen apud nostrates in jure carnium, maximè bovinæ, decoquuntur, & unà cum carnibus eduntur condimenti loco Rapi aut Napi modo. Nonnihil flatulentæ sunt, ventrem tamen emollire creduntur, & tussi conferre. *Usus.*

Radix Pastinacæ atro-rubentis tenuissimè concisa, & in aceto acerrimo cum modico Aluminis rupei decocta ad ¾ consumptionem coletur sinatúrq; inspissari & exsiccari, fiet massa coloris purpurei, *pavonazzo* Italis dicti, quæ molendo cum aqua gummata soluta dabit atramentum purpureum optimum. *Canepar. de Atramentis.*

Quercetanus solum semen Pastinacæ domesticæ exsiccatum & pulverisatum ad ʒß. cum pauco Vini vel Aquæ Melissæ datum pro peculiari & specifico medicamine ad uteri suffocationem venditat. *D. Soame* è Dolæo.

A. 2. *Pastinaca sylvestris sive Staphylinus Græcorum* J. B. *sylv. tenuifolia* Ger. Park. *sylv. tenuifolia Dioscoridis vel Daucus Officinarum* C. B. **Wild Carrot, or Birds-nest.**

J. B.
In promptu est sylvestris Pastinacæ ex sativâ faciem novisse: *radix* minor & acrior: *caules* altitudine pares sesquicubitales scil. striati, hirsuti, medullâ farcti, in alas divisi. *Folia* minutim dissecta, atrovirentia, aversa parte hirsuta. *Flores* in umbellis magnis consimiles, candidi. Flosculus umbellæ medius interdum purpurâ rubet. Umbellas autem obvallant folia in angusta, longa, acuta segmenta divisa. Delapsis floribus succedunt *semina* brevia, striata, villosa; tum verò convoluta umbella cavitatem, ceu aviculæ nidulum, in medio deformat. In pascuis, gracili solo, ubiq; occurrit. *Locus.*

Uterina inprimis est & diuretica. Usus præcipuus est in tussi, pleuritide, stranguria, calculo. Ciet menses & molas, sedat uteri suffocationes, stimulat Venerem. *Vires.*

Semen Dauci in Cerevisia leptomera infusum, & bibitum ad stranguriam & calculum renum ac vesicæ miris laudibus efferunt nonnulli. Vid. Charletonum in lib. *de Lithiasi.* Helmontius vidit Consiliarium, qui per quindenas singulas solebat decumbere, usum prædicto decocto liberum à lithiasi vixisse per annos aliquot.

Seminis ʒij. vino albo infusæ & potæ hystericis paroxysmis medentur.

Tragus aliiq; flosculum purpureum in media umbella valde prædicant pro certiss. Epilepsiæ antidoto. V. *J. B.*

A. 3. *Pastinaca tenuifolia sylvestris lucida* Morisoni. *Tenuif. marina, foliis obscurè virentibus & quasi lucidis* Botan. Monsp.

Hujus *folia* non sunt hirta, sed paulò latiora quàm præcedentis, spissiora, magis dissecta & lucida: *Semen* aliarum congenerum seminibus multò majus. *Radix* odorem habet aromaticum.

In humectis & pinguibus pratis ad oram maritimam Aremoricam exit: Monspelii etiam in maritimis. Est cur dubitemus an hæc specie differat à vulgari sylv. an accidentibus tantùm à loco natali ortis. *Locus.*

* 4. *Pastinaca tenuifolia sylvestris radice & umbellâ luteâ* Morisoni.

Umbellæ colore à prædictis distinguitur, quæ dilutè lutea, cùm illarum perpetuò sint albæ.

Ex agro Patavino ad Autorem missum est hujus semen à D. *Alex. Balam.* *Locus.*

* 5. *Pastinaca Tenuifolia Cretica radiis umbellæ Gingidii longioribus* Morisoni.

Moris.
Hâc præcipuè notâ cognoscitur, quòd radios umbellarum producit quinas uncias longos, crassiores & rigidiores quàm sunt Visnagæ radii: atque hi concavam constituunt superficiem nidi avis instar, dum sunt adhuc semine prægnantes; atque *semina* villosa hispida, Carotæ vulgaris more, sed multò majora & crassiora ferunt.

Hujus

Hujus ſemina è Mauritania Tingitana in Angliam delata communicavit *D. Alexander Balam.*

* 6. *Paſtinaca tenuifolia Sicula, hirſuta criſpa* Bocconi. *An Paſtinaca ſylv. hirſuta echinato fructu* C. B?

Bocc.

Pedalis eſt hæc planta, ſubinde majoris altitudinis. *Caulis* illi rotundus, hirſutus: *Folia* craſſa, criſpa, & illa quoque non leviter piloſa: *Umbella* latior, Crithmi ſpinoſi formâ, at *Semina* aſperiora quàm ſylveſtris anguſtifoliæ vulgaris.

Locus. Inter Leocatam & Agrigentum naſcitur in ſcopulo dicto *S. Nicolo.*

An Paſtinaca ſylveſtris hirſuto caule *Park?*

* 7. *Paſtinaca Syriaca ſive Secacul Arabum quibuſdam* J. B. *Siſarum Syriacum* C. B.

J. B.

Edulis eſt planta, & proin hortenſis jure dicenda, licèt in ſylveſtribus proveniat. *Radice* nititur exteriùs cinereâ, intus candidâ, lævi, tenerâ, digitum craſsâ, ſeſquidigitum longâ; ex qua fibrarum loco noduli ſeu verrucæ prominent: ſapore dulci, Carotarum ſimili, quibus caule, foliis ac umbellâ (floſculis exceptis, qui penitus flavi ſunt) haud abſimiles ſunt, autore Rauwolfio,

Locus. Qui eam juxta ſepes & hortos urbis Halepi, locis præſertim apricis, ut & ſub arboribus obſervavit; item inter ſegetes.

Floris colore convenit cum Paſtinaca tenuifolia ſylveſtri umbellâ luteâ *Moriſ.*

* 8. *Paſtinaca ſylveſtris Daucoides Apula* Col. *tenuifolia ſylveſtris, umbellâ majore* C. B. *Sylv. Apula Columnæ* Park.

Col.

A Paſtinaca ſylv. vulgari, cui aliàs ſimillima eſt, differt *Foliis* minoribus parùm, paucioribus lobis diviſis, longioribúſque & aduncis: Umbellis majoribus reſpectu plantæ, floribus ex albo obſcurè purpuraſcentibus: *Semine* oblongo, anguſto, non echinato, ſed hirſutie quadam aſperâ, minutâ, albicante obſito, guſtu amaro, odoróque parùm in mandendo. Umbella non in totum conglobatur areſcens & clauditur ut in vulgari, ſed minùs, ut Avis nidum cavum repræſentet. *Radix* lignoſa, alba, dulcis, aromatica.

Locus. Julio menſe floret Cirinolæ cum congeneribus, Auguſto ſemen perficit, nec frequens admodum, ſed rarior.

CAP. XX.

De Umbelliferis ſemine echinato ſeu aculeato, ſeu

De Caucalide.

CAucalis Lobelio à ſeminum effigie, quæ vaſcula oblonga & ſemiſphærica imitantur, aut à Strepitu quem edunt hæc ſemina, cùm præarida vindemiis exactis ventis concutiuntur. Καυκάλιον autem vaſis genus eſt ita dictum à ſono quem edit dum aqua confertim ingreditur aere exeunte, & è contra.

1. *Caucalis albis floribus* Ger. *vulgaris albis floribus* Park. *arvenſis echinata magno flore* C. B. *Lappula canaria flore pulchro magno, albo* J. B. **White-flower'd baſtard Parſley.** *Echinophora πολυόνομος an Gingidium Dioſcoridis* Col?

Radix tenuis, alba, ſubdulcis [eſui apta, acris parùm, amariuſcula, aromatico odore vel Reſinæ] *cauliculum* pedalem aut majorem interdum emittit, lævem ſtriatum, ſolidum, virentem, in ramos ab imo diviſum, partim rectos, partim procumbentes, ſtriatos, hiſpidos purpuraſcentes, geniculatos, multíſque alis concavos. *Folia* Paſtinacæ tenuifoliæ, hirſuta, [Col. lævia, quæ circa caulem latiora & majora primo erumpentibus] Ex ſingulis alarum geniculis longo & pedali nudo pediculo craſſiore ac rectiore inſunt umbellæ caulem & ramulos terminantes, florum alborum, quorum folia externa aliis duplo majora; quibus ſuccedunt lappulæ oblongæ, ſulcatæ, hiſpidæ. [Umbellæ uniuſcujuſque baſin, unde radii eum conſtituentes exeunt, circumſtant quinque foliola ſtellata, quorum oræ limbo albo circundantur, eorúmque unicum in longius duplo degenerat. Hæc, antequam flores in umbellam expanduntur, illos veluti folliculo incluſos ſervant. Umbellæ ſecundariæ & partiales ex quibus totales componuntur ad radiorum ſuorum baſin ſeu exortum habent pariter quinque foliola minora albo limbo terminata ſtellatim diſpoſita.] Cætera vide apud Fabium Columnam, qui omnes hujus plantæ partes curioſè & exactè deſcribit.

Tempus & Vires. Æſtivis menſibus, Junio, Julio, Auguſto floret & ſemen perficit. Inter ſegetes in Germania paſſim provenit.

2. Cau-

2. *Caucalis magno fructu echinato* Park. *Monspeliaca echinato magno fructu* C. B. *Echinophora altera asperior* πλατύκαρπος Col.

Col.
Asperiora loca hæc amat, macilenta, inculta, saxosa, siccioráque, & à superiore differt *radice*, quæ minor est, alba, lignosa cùm caulescit, sapore & odore aromatico, at dulciore: *Foliis* etiam, quæ breviori petiolo hærent, & è medio illius circa summum densa magis, ut in sylv. Pastinaca, parùm latiora, & in aversa parte parùm in dorso hirsuta. *Caulem* habet parem superiori, lævem, angulosum, solidum, medullâ fungosâ, eodem modo alis divisum; umbellas habentem cauliculis pedalibus incumbentes quarum basis non quinque, sed tres foliola limbo etiam candicante circumscripta habet, quæ folliculi vicem gerunt antequam umbella prodeat, & longiora sunt illis alterius plantæ & angustiora, quorum tertium degenerat semper in longius, & in extremo incisuris aliquot dividitur. Ex basi umbella non rotunda & plena, sed tribus tantùm corymbis trifida, in tribus petiolis, in quorum cacumine alia tria sunt foliola minora: florum basin conficientia. *Flores* densi, albi, stellati, & qui circumferentiam umbellæ terminant barbulas habent omnes minores multo antedictis; & non rotundam umbellam magnam, ut in antedicta, sed tres umbellulas ex singulis tribus illis petiolis efficere videntur. Differt hoc etiam, quòd etsi *flores* densi & plurimi singulis petiolis insint, bini tantùm fructus ad frugem perveniunt, ita ut sex tantùm in tota umbella insint: majores verò antedictis duplo, ovales, compressi, unguis indicis digiti magnitudine, admodum asperi aculeis rigentibus, crassis, pyramidalibus, pungentibus, purpurascentibus, quorum aliqui majores ordine dispositi per latera, lævem canaliculum relinquunt, per quem siccati fructus lateribus se dividentes dehiscunt, & bina semina ostendunt ovalia, compressa, magnitudine Melonis, parùm ab una parte cava, & alterâ convexa, acri, amaro & aromatico sapore. In cacumine verò fructuum bina insunt cornicula sive apices recti, minimi.

Junio floret & Julio men se perficitur. Campoclarensium incultis. *Locus & Tempus.*

J. Bauhinus Lappam boariam Plinii *Lugd.* Caucalidis flore rubente seu Lappulæ canariæ suæ latifoliæ synonymam facit, non hujus cum Casparo fratre, quem Parkinsonus noster sequitur.

A. 3. *Caucalis tenuifolia flosculis subrubentibus Caucalis arvensis echinata parvo flore* C. B. *Lappula Canaria flore minore seu tenuifolia* J. B. *Echinophora tertia* λεπτόφυλλος *purpurea* Col. *Cauc. tenuifolia purpurea* Park.

Col.
Radicem habet albam, longam, simplicem, tenuem admodum: *Caulem* lignosum, solidum, angulosum & veluti striatum, medullâ albâ, fungosâ farctum, aliquando vix pedalem, aliquando etiam cubito altiorem, raris pilis hirtum, alis pluribus ab imo & supernè divisum, unde in latitudinem potiùs diffunditur quàm in altitudinem assurgit; *foliis* per genicula densis, incisuris tenuibus Dauci *Offic.* minoribus, infernè tantum & per costas raris pilis hirsutis: è quorum alis petioli semipedales umbellas trifidas habentes, absque foliis illis basin constituentibus exeunt; sed nudi, tres petioli totidem umbellas gestant purpureas; inter se distantes, *flores* parvos admodum habentes purpuro-rubentes [ex albo purpurascentes:] quibus succedunt in singulis petiolis (tres autem umbellam constituunt) tres *fructus*; ut novem quælibet umbella habeat, iique terna folia parva basin conficientia. *Fructus* hujus majores sunt superioribus, rotundiores, aculeis durioribus, crassioribus, lutescentibus, octo ordinibus per longum dispositis, intra quos breviores & viridiores alii sunt; in cacumine velut stellam habent viridantem. Hi non per latera dividuntur, sed per medium, ut Fœniculi semina [hæc verba non satis intelligo] & intus *semina* singula, alba, oblonga, rotunda, ex una parte canaliculata, velut Triticum aut Far, vel nudum Hordeum, cui paria sunt, vel oblongiora, sapore aromatico, amaro & acri.

Junio floret, Julio semina perficiuntur. Campoclari iisdem in locis cum superiore invenitur. *Tempus & Locus.*

Radix & folia odore & sapore Pastinacæ aromatico.

Hæc planta à Columna descripta à *Caucalide nostra tenuifolia flosculis subrubentibus* in nonnullis differre videtur, ut v. g. florum colore purpuro-rubente; stellato fructûs cacumine: loco etiam, [in asperis & incultis saxosis,] cùm nostra inter segetes semper inveniatur: denique odore & sapore Pastinacæ aromatico, cùm nostra sapore sit leviter adstringente, odore nullo manifesto. Utcunque tamen eandem specie plantam esse existimo, & differentias hasce natalibus imputandas. Observatur in nostra an nulla habet ad exortum trium pediculorum seu radiorum tres umbellas sustinentium foliola nécne: [*nulla habet*, ut modò observavimus.]

Nostram Caucalidem copiosè crescentem observavimus inter segetes in agro Cantabrigiensi circa *Kingston* & alibi: In transmarinis circa Genevam & hanc, & ejus varietatem cum spinulis purpureis, quam describit J. Bauhinus. *Locus.*

4. *Lappula canaria sive Caucalis maritima* J. B. *Caucalis pumila Hispanica Boelii* Park. *Cauc. pumila* Clus. cur. post. *pumila maritima* C. B.

Radix huic simplex, alba, longa, paucioribus fibris donata. *Caulis* initio simplex, in plures statim ramos majores spargitur, teretes, striatos, hirsutos. *Folia* Dauci vulgaris, tenuia, utrinque pilosa. *Florum* umbellæ longis pediculis insident. *Flores* autem singuli minutissimi, pallidè purpurei, *Semina* grandia, echinata, aculeis seminibus concoloribus.

In arenosis litoris Siciliani passim & copiosè provenit. Caucalidi nostræ tenuifoliæ flosculis subrubentibus simillima, verùm minor, & foliis utrinque hirsutis. Cherlerus Folia mollia, villosa, luteola, Pectinis Venerei dissectionibus ei asscribit. *Locus.*

A. 5. Cau-

A. 5. *Caucalis arvensis echinata latifolia* C. B. *item Caucalis lato Apii folio* ejusdem, *ut videtur. Lappula Canaria latifolia sive Caucalis* J. B. *Caucalis Apii foliis flore rubro* Ger. *Echinophora quarta major* πλατύφυλλος, *purpurea* Col. *Caucalis arvensis latifolia purpurea* Park. *item Caucalis Anglica flore rubente* ejusdem. *Item Caucalis major saturè rubente flore* ejusdem & Clus.

Col.
Hujus *radix* eodem colore, sapore aromatico & effigie est, in adultis lignosa, paucis fibris divisa: *Folia* majora aspera, dura, latiora, quinis vel senis lobis oblongis, Sorbi modo divisa: singuli lobi trium digitorum sunt longitudine, unius latitudine, per ambitum profundis incisuris divisi Quinquefolii majoris modo. *Caulis* bipedalis est, alis divisus, rotundus, striatus ut angulosus videatur, asper albâ hirsutie, umbellas edens, ut in penultima trifidas, sed breviori petiolo & crassiori impositas, basin habentes trifoliam, sed juxta flores pentaphyllam. *Flores* quidem purpurei, quàm superioris majores barbulas illas etiam habentes, quibus succedunt *fructus* quini in singulis petiolis, asperi, striati, ut quindecim singulis umbellis insint, superioribus minores, molliores, viridioribus aculeis. *Semen* verò ut in superiore minus & aromaticum. Eodem modo fructus dividuntur atque perficiuntur, eodémque tempore floret. Campoclari depressioribus locis atque humentibus parum:

Locus. In agro Cantabrigiensi & alibi inter segetes, sed minùs frequens invenitur.

Lobelius hanc describere videtur sub titulo Caucalidis alterius purpurascentis, foliis latioribus & crassioribus, semine etiam majore. Clusius nomine Caucalidis saturè rubente flore.

De Caucalide Matthioli quænam planta sit non consentiunt Botanici. Fortè figmentum est ex diversarum plantarum partibus compositum. C. Bauhinus Synonyma Caucalidis confundere videtur.

A. 6. *Caucalis minor flosculis rubentibus* Ger. emac. *minor flore rubente* Park. *semine aspero, flosculis rubentibus* C. B. *Anthriscus quorundam semine aspero hispido*, J. B. **Hedge-Parsley.**

Caule surgit sesquicubitali, hirsuto, aspero, geniculato. Folia multis pinnarum conjugationibus composita, circa margines dentata, impari in extremo productiore, obscurè rubentia, hirsuta. In summis caulibus & ramulis umbellæ parvæ *florum* ex albo rubescentium quibus succedunt semina parva, oblonga, hispida prætereuntium vestibus adhærentia lapparum modo. Planta est annua.

Locus. Ad sepes passim observatur, æstate floret.

A. 7. *Caucalis segetum minor Anthrisco hispido similis. Caucalis pumila segetum* Goodyero.

Hæc & antecedens planta, quamvis inter se admodum similes sunt, in nonnullis tamen manifestè differunt. Primò illa procerior est, quippe quæ ad bicubitalem altitudinem non rarò accedit, hæc humilior quæ pedem aut certè cubitum unum vix unquam superat. 2. Illa erectior est & internodiis longioribus, hæc tortuosa & sparsa geniculis frequentioribus. 3. Illius caulis propè terram hirsutior est quàm hujus. 4. Illius flosculi albi vel etiam dilutè rubentes petalis constant æqualis ferè magnitudinis & stamina continent purpureis apicibus capitata, cùm hujus flosculi ad luteum vergentes petala duo exteriora interioribus manifestò ampliora obtineant, apicibus autem albis staminula donantur. 5. Hujus semina multò ampliora sunt, apiculis in summitate viridibus; illius longè fragrantiora magisque aromatica, coloris obscurioris, apiculis purpureis. Denique illam extra sepes & vepreta haud temere apud nos reperies, hanc in sepibus nunquam, plerunque inter segetes.

Locus.

Caucalis nodosa echinato semine C. B. Ger. emac. Park. *nodoso echinato semine Anthrisco hispido affinis, si non ejus varietas perperam* J. B. **Knotted Parsley.**

Ex *radice* oblonga, tenui, alba bini ternive aut plures *caules*, qui dein in alios dividuntur, rotundi, striati, asperi, in terram plerumq; striati, alii bipalmares aut minores, alii cubitales; quos *folia* vestiunt Pastinacæ similia, breviora tamen & pauciora, multóque tenuiùs divisa, aspera, alata, ex virore nigricantia. Ad singula penè internodia foliis ex adverso *Flosculi* exigui, albi conferti, brevissimo pediculo insidentes, velut cauli arctè adhærerent, quibus succedunt *semina* plurima, parva, echinata, conglobata.

Locus. Ad agrorum margines & in aggeribus terrenis, maritimis præsertim plurima.

* 8. *Caucalis Daucoides Tingitana* Morisoni.

Moris.
Sub primum exitum è terra & antequam excaulescat, ejus folia adeò Dauci seu Carotæ foliorum sunt æmula, ut pro Dauco accipi possit. *Caules* pedales & bipedales producit; in quorum summis proveniunt *flores* albi, qui antequam expandantur purpurascunt. Horum singulis delapsis succedunt bina *semina*, oblonga, compacta, longissimis & tenuissimis aculeis donata.

A. 9. *Myrrhis sylvestris seminibus asperis* C. B. *sylv. Neapolitana atque etiam Anglicana* Park. *Cerefolium sive Myrrhis nova Æquicolorum Columnæ* Ger. emac. *Cicutariæ quodammodo similis, vel Chærephyllo accedens* J. B. **Small Hemlock Chervil with rough seeds.**

Col.

Radicem habet albam, oblongam, teneram, in summo crassam, paucis & tenuibus fibris divisam, in summo per obliquum rugosam, vulsu facilem, sapore dulci, aromatico, parum gravi, ad Carotam quodammodo accedente. *Folia* prima admodum brevia, & divisura rotundiore veluti Fumariæ; at succedentia post quatuor aut quinque, in bipedalibus petiolis cavis, canaliculatis, in imo latis, succosis admodum, majora, Cicutæ æmula sed minora, lævia, splendida, præsertim infernè, sed nervis & petiolis rarâ mollique lanugine albâ hirsutis, supernè antequam caulem edat maculis albis atque etiam purpurascentibus aspersa; atque tunc tenella Cerefolii vice legunt edúntque in acetariis, *Cerefolium sylvestre* appellantes, gustu simili, parùm amariuscula. *Caulem* edit bicubitalem, Cicutæ æmulum, atque ferè parem in locis terrenis, pollicis magnitudine, (in saxis verò brevem admodum & bipedalem atque tenuem) tenerum, lævem, rotundum, inanem, succosum, esculentum, ad dodrantalia interstitia geniculis distinctum, in quibus folia majora vel maximis ante caulem editis, petiolis hirsutis, amplis, bipedalibus atque etiam longioribus, Cicutæ foliis, nisi minora parùm essent, admodum similia. In summo alæ multæ è foliorum sinubus prodeunt; atque hoc à Cicuta differt, quòd umbellæ secus alas palustris Apii ritu hærent, non summis caulibus & ramulis insident, ut in aliis Umbelliferis. *Flores* albi, tenues. *Semina* oblonga, hirsuta, teretia Anisi modo, asperiora, vestibus hærentia, cacumine longo, sapore aromatico acri parùm & dulci, amarore quodam mixto non ingrato.

In aggeribus & muris terrenis, interdum & lapideis, locísque ruderatis non rarò occurrit. Floret & semen fert Maio & Junio, interdum seriùs apud nos in Anglia. *Locus & Tempus.*

Cap. XXI.

De Pastinaca maritima seu Crithmo spinoso.

1. *Crithmum spinosum* Ger. *maritimum spinosum* C. B. *marit. spinosum sive Pastinaca marina* Park. *Pastinaca marina, quibusdam Secacul, & Crithmum spinosum* J. B. **Prickly Sampire or Sea-Parsnep.**

J. B.

Pastinacæ marinæ *radix* crassa, tenera, alba, gustu gratissima, dulcis & rugosa, ut Pastinacæ sativæ latifoliæ. *Folia* crassa, duos ferè palmos longa, spinosa, crebris divisuris incisa, sapore aromatico cum quadam salsugine. *Caulis* cubitalis, in multos divisus ramos, quibus insident umbellæ spinosæ, *floribus* parvis, albis donatæ. *Semen*, describente Morisono, striatum, majus, binatim junctum, oblongâ thecâ, cartilagineâ, sursum spinosâ obductum habet. Cùm nondum capsulam hanc aperuissem (inquit) unico semine constare putavi, sed eadem scissâ, bina semina ibidem latentia, magna, striata inveni. Nos dissectis aliquot hujusmodi thecis unicum duntaxat intus semen invenimus, non tamen negamus naturaliter bina inesse debere.

In arenosis Maris Mediterranei litoribus nusquam non obvium est hoc genus. *Locus.*

2. *Daucus stellatus* Alpin. exot. *stellatus Creticus* Park.

Planta est fruticosa, cubitalis longitudinis, magnæque latitudinis, odorata & aromatica, unicaulis, sed propè radicem foliosa. *Folia* verò cum suis caulibus Petroselino quàm proxima apparent (ramuli etiam pariter divisi) Daucum Creticum ferè redolentia, linguamque excalefacientia. Inter quæ exit *Caulis* rectus, rotundus, hinc indè ramificatus, eadem folia ferens: in ramulorum verò cacumine *flosculi* lutei umbellatim ferè producuntur, à quibus fiunt *fructus* parvi, oblongi, inferiùs lati, & habentes quinque spinas, parvas, stellarum modo flavescentes bases fructuum circundantes, à quibus sursum quædam parvæ fibræ, quippe quinque vel sex, velut in conum desinentes procedunt. Fructus hi mirabili profectò artificio à natura elaborati videntur, suntque odorati atque aromatici. *Radix* longa, crassa, carnosa, Petroselini aut Pastinacæ similis, odorata atque aromatica, quâ indigenæ vescuntur & crudâ & coctâ in acetariis: cruda autem esitata maximè facit ad Venerem excitandam augendámque.

Accedere videtur ad Pastinacam marinam, & fortasse non differt à planta præcedente.

* 3. *Pastinaca echinophora Apula* Col. Park. *sylv. angustifolia fructu echinato* C. B.

Col.

Radicem habet cubitalem, digiti crassitie, longam, æqualem, Eryngio similem, foris flavicantem, intus albescentem, nervo intus tenui, cortice carnoso, sapore ferè aromatico non ingrato, cum acrimonia quadam & amarore dulci mixto, succosam in minùs vetustis. In novellis radicibus adeò

gratus est sapor, ut quilibet eis quàm libentissimè vescatur. *Folia* promit vere, in terra strata Pastinacæ sativæ tenuifoliæ æmula, non ità ampla, minúsque lata, divisurâ tenuiore admodum, carnosiora tamen, media inter marinam & terrestrem [plantam] parùm acuta, leniter hirsuta, & ex viridi albicantia propter hirsutiem: *Caulem* crassum, cubitalem, undique foliosum, alarúmque copia & densitate singulis geniculis reflexum. Alæ in orbem obliquæ & resupinæ plantam conglobant, ut rotunda sit plantæ tota effigies atq; coma, ut Libanotidis cachryferæ, atque rotundior. In alis verò foliola minora, minúsq; divisa atque carnosiora, rotundiora, acutiora, asperiora & duriora, Pastinacæ litoralis similia, ex quorum sinu aliæ alæ breviores prodeunt, ut densa & orbiculatæ plantæ effigies videatur ob alarum multitudinem obliquè se propagantium. In illarum cacumine *flores* in umbellis Pastinacæ prædictæ ritu Julio & Augusto mense exeunt, ex basi sex foliolis crassis, acutis [composita] sicut & ipsa umbella pungentibus; in medio plantæ supra caulem primùm, deinde in reliquis alarum cacuminibus à summo [se explicare] incipientes, quare diutiùs floret. Septembri mense pericarpia remanent aculeata, dura, sex radiis divisa, supra quæ totidem apices elevantur densi, qui flores erant priùs, *seménque* occultant ovali figurâ, rotundum, oblongum, cortice flavescente, medullam intus pullam ex flavo habens, sapore aromatico. Octobri perficitur, caulísque ab radice primis imbribus siccatus marcescit, atque divellitur, ut locum in quo erat non reperias. Vento quidem ita divulsus vagatur per campos, globosâ suâ facie hoc adjuvante.

Locus. Campestribus, siccis, sterilibus tophaceis gaudet semitis, viarum marginibus, margínúmque fossis Cirinolæ in Apulia.

Differt à Pastinaca marina vulg. foliorum magnitudine, densitate atque multiplici & tenui admodum divisura, Pastinacam magis æmulante; radice majore, suaviore, &c. quantumvis semine similis videatur.

CAP. XXII.

De Coriandro.

Quin foliorum viridium contritorum fœtor cimicum æmulus huic plantæ κορίαννον nomen fecerit, minimè dubium est.

Seminum striatorum figurâ perfectè sphæricâ ab aliis omnibus Umbelliferarum generibus distinguitur; sive singuli globuli unicuique flori succedunt, ut in Coriandro sativo; sive gemini ut in sylvestri minore. Foliis primis seu infimis latis, superioribus tenuiter incisis cum Aniso convenit, & ab aliis Umbelliferis differt.

Coriandrum J. B. Ger. *Coriandrum majus* C. B. *vulgare* Park. **Coriander.**

Recta & simplex tenuísque est *radicula*, omnino paucis fibris donata, candida. *Caulis* simplex, cubitalis aut sesquicubitalis, teres, glaber, medullâ farctus, nulla intus cavitate, gracilis, ramosus. *Folia* ima lata, pinnata, & circa margines duntaxat incisa, Anisi aut potiùs Petroselini similia; superiora in caule tenuissimè dissecta, ut ad Chamæmelina accedant. Summo cauli & ramulis insident florum *umbellæ* albæ, tantillo rubore tinctæ. *Flosculi* singulares, ut in reliquis Umbelliferis, quinque foliis constant, quorum extimum amplissimum, & ad unguem ferè bifidum, proximum utrinque bisectum quoque, segmento altero amplo, altero minimo; intima duo minima. Singulis flosculis in unica & rotunda striata crusta arctè juncta bina succedunt *semina*. Odor plantæ fœtidus & ingratus cimicum; seminis verò tum odor tum sapor gratissimus & aromaticus.

Descriptio est J. Bauhini, à nobis interpolata.

Coriandrum minus odorum J. B. Park. *minus testiculatum* C. B. *Coriandrum alterum minùs odorum* Ger. emac.

Ima folia habet minutiùs incisa, & *semen* habitius, copiosius, in pluribus spithamæis procumbentibus cauliculis. Præterea insigni notâ à præcedenti specie differt, nimirum seminibus binis, testiculorum in modum simul junctis unicuique flosculo succedentibus. Virentis etiam herbæ odor multò magis fœtidus & ingratus, autore Morissono, qui hanc speciem à sequenti nimirum Coriandro altero fœtidissimo *C. B.* non separat.

E contra Bauhinus uterque hanc ab illam diversam faciunt, utri rectiùs nos latet, quibus plantas ipsas nondum videre contigit. Suspicamur tamen unam & eandem speciem esse hanc & illam, cùm nihil sit in descriptionibus quod repugnet.

Coriandrum alterum fœtidissimum Park. C. B. *Coriandrum sylvestre* J. B.

Radix huic est singularis, tenuis, non altiùs demissa, cui radiculæ aliquot tenues adnascuntur. Hæc caules multos edit, quinque angulis constantes, solidos, geniculatos. Ramuli incerto ordine similiter solidi è singulis geniculis prodeunt, folia ferentes summis Coriandri sativi foliis similia, sed minora, in quorum cacuminibus umbellæ velut in illo, floribus ex purpureo candicantibus refertæ; quibus discussis *semen* oritur rotundum, id peculiare habens, quòd in singulis pediculis duplex sit, & unum alteri junctum. Odor totius plantæ gravior quàm Coriandri sativi & caput magis tentans.

Vires. Coriandrum frigidum esse scribit Dioscorides, argumento quòd Erysipelas curat; quem prolixè refutat Galenus. Galeno refragatur Avicenna, & pro Dioscoridis sententia pugnat. Jam vulgò calidum censetur.

De Coriandri facultate venenata non convenit inter Botanicos & Medicos. Dioſcorides epotum raucitatem facere, atque inſaniam qualis ex vinolentia proficiſcitur ſcribit. Simeonis Sethi. Hujus ſuccus potus venenum eſt & occidit; toto verò corpore Coriandri odor ſe prodit. Plerique etiam Arabes Coriandro frigidam facultatem, narcoticam, ſtuporem inducentem atque ſensûs turbationem excitantem, ac exitium tribuunt. His aſtipulatur Matthiolus, qui proinde aſſerit ſemen in ciborum aut medicamentorum uſum nunquam admitti debere, niſi priùs triduo aceto fuerit maceratum. Tragus etiam, qui monet ſeplaſiarios, ne ſemen cuiquam niſi priùs dicto modo præparatum, vel cum ſaccharo vendunt, niſi venenum loco remedii exhibere velint.

His adverſantur Lobelius, & Alpinus, qui aſſerit herbæ etiam virentis uſum in cibo eſſe apud omnes Ægyptios familiariſſimum. Utcunque hoc medicamento propter malignam vim, quæ ei à multis dubio procul non abſque experientia tribuitur, præſertim non præparato, non temere utendum cenſet J. Bauhinus. Malignitatem arguit fœtor plantæ digitis comminutæ teterrimus. Et licet Hiſpani, autore Amato, frequentiſſimè illâ utuntur & pro Cordiali habent; tamen experientia docuit Monachos in Meſuem propter hunc uſum Hiſpanorum plurimos eſſe fatuos, ob quorum curam tam frequentia ſint Hoſpitalia: ità (inquit C. Hofm.) in Ægypto eſſe poteſt, licet Alpinus non obſervârit.

Semen Stomachicum imprimis eſt, claudit ſci. ventriculum, exhalationémque ſupprimit, quò minùs caput gravent, ructúſque producant: inſuper & ſtrumas diſcutere creditur.

Porro ſeminum ſaccharo incruſtatorum magnus apud nos [Germanos] uſus eſt in adjuvanda concoctione ventriculi. Habent enim aliquid adſtrictionis, ob quam etiam uſurpantur in hæmoptyſi & ventris fluxibus. Tum autem torrefactum ferè damus, quemadmodum cùm lumbricorum interficiendorum cauſâ. Monendi verò ſunt nimis audaces, nè frequentiùs utantur & ſine præparatione. Utut enim ſemina minimum habent humidi illius excrementitii, habent tamen aliquid. *C. Hofman.*

Semen tritum, & recentibus carnibus aſperſum prohibet nè putreſcant tam citò quàm ſolent æſtivo tempore, ſi Matthiolo fides.

SECTIO QUARTA

De Plantis Umbelliferis foliis ſimplicibus.

Cap. I.

De Perfoliata.

PERFOLIATA J. Bauhini judicio tam Dioſcoridi, quam aliis Veteribus indicta eſt. Perfoliatam recentiores ex eo appellant, quòd caulis ejus ſingula folia pertranſeat, penetret atque diſſecet. Διάφυλλον Græcè dicitur Schwenckfeldio, quod nomen an aliquis ante ipſum legerit nos latet. *J. B.*

A. 1. *Perfoliata vulgaris* Ger. Park. *vulgatiſſima ſive arvenſis* C. B. *Perf. ſimpliciter dicta, vulgaris annua* J. B. Thorow-wax.

Radix ſimplex, alba, lignoſa, adnatis aliquot donata, ſapore Rapunculi ſuavi. *Caulis* ſingularis tenuis, rigidus, glaber, teres, ſtriatus, concavus, geniculatus, pedalis aut cubitalis, odore nonnihil aromatico cùm diſcinditur rumpiturve nares feriens (inquit J. Bauhinus.) *Folia* ex rotundo oblonga & ferè ovalia, glabra, glauca, nervoſa nervulis à centro in circumferentiam folii obliquè excurrentibus, margine æquali: quæ caulis perforat, propè ſummitatem in ramulos aliquot diviſus, in quorum ſummitatibus umbellæ radiis pluribus compoſitæ, quorum ſingulis inſident umbellæ ſecundariæ parvæ, foliis majuſculis obvallatæ. *Floſculi* ſingulares parvi, flavicantes, brevibus pediculis fulti. *Semina* ſingulis ſuccedunt bina, ſtriata, breviuſcula, altera parte acutiora, fuſca ſeu pulla per maturitatem.

Locus. Nullibi in Anglia quàm inter ſegetes invenimus.

Varietas. Perfoliata flore multiplici *C. B. Park.* i. e. criſpa ſeu muſcoſa *Cam.* nihil aliud eſt quàm prioris varietas degener, ex ejuſdem ſemine orta.

Vires. Inter eas numeratur quibus ſolidandi ac ferruminandi vis eſt. Datur decoctum herbæ ex vino paratum, aut folia in pulverem trita internis affectionibus, ruptis & ex alto delapſis. Ad ramices inteſtinorum, præſertim puerorum [imprimis autem umbilici. *Schrod.*] commendatur, ſive intrinſecùs ſumpta, ſive extrinſecùs cum farina & vino recens tuſa & impoſita. Strumas etiam hoc modo adhibita reſolvit. Ad fracturas etiam, hernias, & eryſipelata magni uſûs eſſe perhibet Schwenckfeldius.

Exomphalon ſeu Umbilici prominentiam uſu ſeq. remedii ſolidè conſolidavi (inquit *Simon Paullus.*) ℞ Herbæ Perfoliatæ cum toto M. i. Auriculæ muris, Herniariæ, Plantaginis, Muſci, Acaciæ noſtratis ana Mſ. quæ in ſufficienti quantitate Vini rubri l. a. cocta loco affecto applicabatur. Ex excerptis *D. Hulſe.*

J. Bauhinus Perfoliatæ species recensens secundo in loco meminit cujusdam quam crispam seu muscosam vocat: Verùm in Historia edita non describitur.

* 2. *Perfoliata annua longioribus foliis* J. B. *minor ramis inflexis* C. B. Park.

J. B.

Annua huic vita, ut vulgari. *Caules* non surrigit, sed per humum sparsos edit, ramosos, cubitales, crebris ceu geniculis interceptos: *Folia* transadigentes, quæ vulgari longiora, modicè acuminata, quinis septenisve per longum excurrentibus venis donata, quæ tamen à montana foliorum longitudine vincuntur. *Flores* in summorum foliorum acetabulis sessiles, lutei, Auriculæ leporis similes. *Radix* tenuis, gracilis, multis adnatis divisa.

Locus. Hanc J. Bauhinus in horto Stutgardiano E. C. visam descripsit.

* 3. *Perfoliata Alpina magna longifolia* J. B. *montana latifolia* Park. C. B. *An Perfoliata Alpina angustifolia media* C. B?

J. B.

Major, majoribúsque foliis donata est Alpina Perfoliata, iis verò oblongis, palmaribus & amplioribus, ad Perfoliatæ siliquosæ folia accedentibus, quæ nec aliter caules trajicit, pinnarum duntaxat alis caulem complexa, verùm superiora folia propiùs ad Perfoliatæ vulgaris accedunt, ex oblongo nonnihil rotunda. *Flos* parvus, luteus, foliis rotundis obvallatus. *Semen* oblongum, striatum, majus quàm Perfoliatæ vulgaris. *Radices* crassæ, perennes.

Dubitat C. Bauhinus an hæc eadem sit *Perfoliatæ angustifoliæ Alpinæ mediæ* titulo sibimet in Prodromo descriptæ: quod nos libenter credimus, cùm tot inveniri Perfoliatæ species quot ille proponit minimè verisimile videatur.

4. *Perfoliatum angustifolium montanum* Col. *Perfoliata minor angustifolia Bupleuri folio* C. B. *Perf. angustifolia Alpina minima* Park. *Auriculæ leporis affinis Odontitis lutea Valerandi & Dalechampii* J. B.

Col.

Inter vepres in collibus Campoclarensium plantula hæc invenitur, *radice* tenui, pusilla, singulari, lignosa; ex qua *folia* angusta, oblonga, triuncialia, lævia, duriuscula, per longum nervosa, Bupleuri angustifolii modo, colore atrovirentia in pinguioribus, & pallentia in siccioribus & sterilioribus locis, & molliora, bina ex opposito, uno versu ferè disposita in imo *caule*, qui singularis, ferè dodrantalis, tenuis ut festuca, angulosus, paucis deinde foliolis alternatim hærentibus, in summo habens velut *umbellam* foliaceam, Perfoliatæ vulgaris modo. Hujus umbellæ basis quinque foliolis stellæ modo radiantibus construitur oblongis in acutum desinentibus, Myrti effigie, parvis, pallidis, cartilagineis, inter quæ veluti Corymbi ex parvis petiolis brevibúsque prodeunt quinque aut pauciores, *flores* habentes luteos, pusillos, coacervatos, basin etiam stellatam, quinquepartitam; angustifoliam, minorem prima, Perfoliatæ vulgaris ritu habentes, quæ seminibus se perficientibus pericarpii modo illa concludit, ut etiam in Perfoliata observatur. *Semina* bina Ammeos Apuli magnitudine, ex nigro rubentia, parva, dura, translucida, sapore parùm aromatico, sicuti etiam & *radix* magis, quamvis admodum tenuis sit. Folia verò & caulis amaro sapore sunt atque etiam semen. Junio floret & perficitur.

Locus. In agris quibusdam Siciliæ sterilioribus propè *Punto Cerciolo*, non longè à Castello *Puzzallu* copiosam invenimus. Vere copiosè reperitur in colle *Ferran* ultra pontem Castri novi, & in siccis ac squallidis locis *la Colombiere* propè Monspelium. *Botan. Monsp.*

5. *Perfoliata minor foliis gramineis* J. B. *Alpina angustifolia minima, vel Bupleurum angustifolium Pyrenaicum* C. B. Park.

J. B.

Crassiusculam habet *radicem*, & terram versùs comosam, ex qua *caules* pullulant plures, palmares, pedales & cubitales, teretes, striati; per quos *folia* acuta, basi latiore caulem complexa, unciam unam & alteram longa, semunciam circiter lata, alia verò graminea palmo etiam longiora, culmum lata. *Umbellæ* inæqualibus constant muscariis *flosculorum* luteorum, foliorum rotundorum vallo munitorum.

Locus. *In summis montibus max. Carthusianorum cœnobio imminentibus hanc collegimus.*

Huic plantæ C. Bauhinus radicem tenuem, rufescentem & serpentem attribuit: Ad Bupleurum potiùs referenda videtur quàm ad Perfoliatam.

Præter superiùs descriptas Perfoliatæ species, alias multas proponit & describit C. Bauhinus in Prodromo, quas omnes specie distinctas esse à descriptis, & inter se, ut credamus ægrè à nobis impetramus: utcunque tamen nè incredulitas nostra Lectori Philobotano fraudi sit, eas huc transcribere non gravabimur.

* 6. *Perfoliata Alpina latifolia minor* C. B. Prod. Park.

C. B.

Radice est unicâ, rufescente, paucissimis fibris capillatâ: *Caulis* ejus gracilis, teres, glaber, cavus, cubito altior, in ramulos quasi in umbella dispositos distribuitur, quem *folia* glabra, venosa, sesquiunciam lata, Vaccariæ foliis similia, basi latâ medium amplectuntur: In cauliculorum fastigiis *umbellæ*,

bellæ, unà cum foliolis exiguis, *flosculis* tenuibus, subluteis, quibus *semen* oblongiusculum, nigricans, angulosum succedit.

In Helvetiorum Alpibus reperitur. *Locus.*

* 7. *Perfoliata Alpina angustifolia major* C.B. Prod. Park. *sive folio anguloso.*

C. B.

Radicem habet unicam, oblongam, rotundam, crassam, nigricante cortice tectam, minimè capillatam; ex qua prodeunt *folia* plura, pallidè virentia, glabra, pedem longa, unciam vel sescunciam lata, longis pediculis donata. At folia caulem amplectentia angulosa sunt & acuminata, rariùs bina, hederæ modo angulosa, ex opposito sita. *Caulis* rotundus est, glaber, cavus, sesquicubitalis, quasi foliorum basin penetrans, cujus summo quina folia lata, in orbem disposita insident, eo modo quo in Tithymalo, unde pediculi seni, septeni longitudine impares prodeunt, quibus unà cum foliis parvis, rotundis *flores* parvi, ex luteo rufescentes insident.

In Pyrenæis non longè Narbona oritur. *Locus.*

* 8. *Perfoliata Alpina angustifolia media* C. B.

C. B.

A præcedente sola magnitudine & foliorum angustia differt. E monte Gothardo habuit.

Pro Perfoliata longifolia Dalechampii in Hist. Lugd. picta videtur. *At Perfoliata longif.* Dal. *est Perfoliata Alpina major longifolia* J. B. *eadémque Perfoliatæ montanæ latifoliæ ipsius* C. B. *ex opinione Parkinsoni, ipsius C. Bauhini atque etiam nostra. Vereor nè C. Bauhinus ex una planta duas, trésve fecerit.*

* 9. *Perfoliata Alpina angustifolia minor* C. B. Park.

Radice est rufescente, ad quam *folia* multa, atrovirentia, graminea, semipalmaria. *Caulem* habet unum, aliquando geminum, pedalem, rotundum, glabrum, quem *folia* pauca, acuminata, basi sua latiore ambiunt, in cujus summitate veluti *umbella*, ut in vulgari Perfoliata ex qua ramuli emergunt *flores* rufescentes cum seminibus sustinentes.

Ex Sumano monte & Vallesianorum Alpibus habuit. *Locus.*

* 10. *Perfoliata Alpina gramineo folio, sive Bupleuron angustifolium Alpinum* C. B. *Bupleurum angustifolium Alpinum* Park. *Sedum petreum Bupleurum Bupleuri folio,* [*flore veriùs*] Ponæ in Baldo. Ger. emac.

Ponæ.

Est illi unica *radix* crassa, teres, sine fibris, sed quibusdam quasi tuberculis hinc indè erumpentibus, crasso cortice obvoluta, intus pallida, extra in rubore nigricans, ad summum cubitalis, supernè partita (ut in Geranio nostro Alpino) *Folia* angustifolii Bupleuri omnino similia, ex protuberantibus illis partitionibus copiosè emanantia, & in circuitum sese expandentia: *flores* autem ex septem foliolis aliquantulùm mucronatis, in luteo pallescentibus profert, in summitate *caulis* teretis nudi, & dodrantalis, in quorum medio *semina* Umbellæ modo graviter spirantia existunt, atque hæc ut in eodem Bupleuro: gustu refert Cinaræ saporem.

Floret Idibus Julii; & Idibus Augusti colligitur semen. *Tempus.*

Florum foliola quæ vocat sunt potiùs folia Umbellarum partialium bases cingentia.

Cap. II.

De Bupleuro sive Auricula leporis.

Auricula leporis à foliorum similitudine dicta herba à Botanicis nonnullis Antiquorum Bupleurum existimatur, an rectè non disputabimus: quin sive rectè sive secius, quod usurpavit nomen per me licet retineat.

1. *Bupleurum folio subrotundo sive vulgatissimum* C. B. *Auricula leporis Umbellâ luteâ* J. B. *An Bupleurum angustifolium* Park? **The most common broad or round-leaved Hares-ear.**

J. B.

Radix ei parva, rugosa, subviridis, fibrata, sapore acri: *caulis* tenuis, teres, lævis, striatus, crebris geniculis donatus, intus inanis, altitudine cubiti unius aut duorum, ramis multis concavus, colore subrubente interdum, aliàs viridi: *folia* præsertim quæ in caulibus existunt, longiuscula, stricta, nervis secundùm longitudinem pluribus donata; inferiora autem latiora sunt. *Flores* Fœniculi lutei, in Umbella minùs patulâ: quibus *semen* succedit Petroselini, acre.

In Germaniæ & Italiæ montosis, ad sepes & in dumetis copiosè provenit. *Locus.*

Parkinsonus & Gerardus vel hanc speciem omittunt, vel Bupleuron angustifolium perperàm appellant. Figura tamen Dodonæi quæ habetur apud Gerardum est alterius plantæ, nempe *Bupleuri angustifolii* nobis dicti; cui etiam descriptio Dodonæi non ineptè convenit. Errat ergo C. Bauhinus

nus qui Bupleuron angustifolium *Dod.* & Auriculam leporis Monspeliensium *Gesn. Hist. Anim.* Bupleuri vulgatissimi folio subrotundo, synonyma facit. Hunc sequitur Parkinsonus, adeóque duas plantas confundit, ut ex descriptione patet.

2. *Bupleuron folio rigido* C. B. *latifolium Monspeliense* Ger. *latifolium* Park. *Auricula leporis altera, sive rigidior* J. B. Stiff-leaved Hares-ear.

J. B.
in Differentia in *folio* est, quod non tantùm majus, sed etiam crassius, rigidius, nervosius, modicè acumen desinens, introque flexis oris concavam carinam, seu potiùs Leporinam surrectam auriculam referens.

Locus. In sylvis & dumetis propè Monspelium frequens cernitur. Julio & Augusto mensibus floret.

3. *Bupleuron minus angustifolium Monspeliense. An angustifolium Monspeliense* Ger? *B. annuum angustifolium* Botan. Monsp. *angustifolium* Dod. Narrow-leaved Hares-ear.

Hoc an à quoquam descriptum sit nescio. Auriculâ leporis minimâ *J. B.* majus est & elatius, cubitali altitudine: *caulibus* teretibus, majoribus & firmioribus quàm illius, non statim ab imo ramosus, sed aliquousque foliis duntaxat vestitus, alternatim positis, duas aut tres uncias longis, angustis, acutis. Superiore caulium parte ramuli è foliorum alis exeunt, ipsi in surculos praetenues subdivisi, qui flosculos & semina eis succedentia in summo gestant. Sunt autem *Umbellæ* (si ità appellare licet) minimæ, duobus tribúsve flosculis compositæ, ad quarum basin quatuor [fortè quinque] foliola tenuissima & brevissima. *Semina* singulis flosculis subsunt pro more bina juncta, Apii ferè magnitudine & colore. Ad exortus ramulorum singulos unum duntaxat folium appositum observavi, non bina ut in Auricula leporis minima à qua hæc specie omnino distincta est planta; nam & illa etiam non minùs quàm hæc, imò copiosiùs circa Monspelium provenit.

Hæc ex sicca, nam virentem describere negleximus, quia tum ab aliis ante nos descriptam putavimus. *Bupleuri angustifolii* icon apud Dodonæum plantam nobis descriptam optimè repræsentat; descriptio etiam bene convenit, unde minus rectè *C. B.* Bupleurum angustif. *Dod.* Bupl. folio subrotundo vulgatiss. synonymum facit.

A. 4. *Auricula Leporis minima* J. B. The least Hares-ear. *An Bupleuron minimum* Col. Park? *angustissimo folio* C. B?

Radicem habet simplicem, candidam, duram, lignosam, fibris aliquot exiguis præditam. *Cauliculum* surrigit sæpiùs unicum, interdum plures, gracilem, teretem, rigidum, ramosum ab imo statim ad summum usque. Rami longi, rigidi, in alios iterum ramulos divisi, alternatim positi, prope fundum imâ caulis parte crebri, seu ad breviora intervalla, superiùs rariùs seu ad intervalla longiora siti sunt, *Folia* angusta, oblonga, crassiuscula, colore glauco, duriuscula, & Caryophylli foliorum quodammodo æmula, sed minora pro plantæ modo & breviora, ad singulos ramorum exortus seu genicula bina, alterum longius & majus, alterum brevius & minus.

Flosculi & semina in summitatibus caulis & ramorum consistunt, quatuor aut quinque simul, quandam quasi Umbellam efficientes, quæ ad radiorum suorum exortum quinque semper longis angustis & acutis foliolis cingitur, quæ calicem quendam repræsentant: Inferiorum Umbellarum radii nonnulli altiùs assurgentes, alias subinde secundarias in summo gerunt Umbellas, ad modum ferè *Herbæ Impiæ* dictæ, aut florum proliferorum. Flores lutei Umbellatarum similes seminibus insident binis pariter junctis, striatis, brevibus, Apii.

Locus. Variis in locis hanc observavi, v. g. propè *Huntington* oppidum, viâ quæ *Stilton* ducit, in semine Septembris initio: Camaloduni Essexiæ in palustribus secus fluvium copiosè, florentem Augusti Calendis, propè oppidum S. Neotis non longè ab *Ellesley* pago, juxta viam publicam: circa *Hastings* oppidum in Sussexia ad litus maris: in transmarinis etiam propè Basileam, & circa Monspelium copiosè. Circa medium Augusti plerunque floret & semen brevi perficit. Annua est planta & quotannis ex deciduo semine se renovat. Descriptio Bupleuri tertii minimi F. Columnæ plantæ huic in plerisque respondet. Verùm tum longitudo foliorum triuncialis, tum eorundem mollities diversam speciem arguunt.

Quin folia intus cava facit veluti Cyperi: quæ nota an huic aut præcedenti plantæ conveniat non recordamur.

CAP. III.

De Astrantia nigra.

Astrantia & Asterantia corrupta vox esse videtur ab Asteritio vel Astritio, Asterititium autem ab Osteritio seu Ostrutio, quod à Struthio.

1.. *Astrantia*

1. *Astrantia nigra* Lob. *Helleborus niger Saniculæ folio major* C. B. Park. *Sanicula fœmina quibusdam, aliis Elleborus niger* J. B. *Astrantia nigra, sive Veratrum nigrum* Ger. Black Masterwort.

J. B.

Cubitum altos majorésque promit caules, teretes, striatos, qui mansu saporem exhibent Imperatoriæ: folia Pentaphylli modo quinquepartita, singulis segmentis serratis, Imperatoriæ foliis supparia, rugosa, supernè atrovirentia, infernè ex virore in luteum tendentia. *Flores* simul aliquot Saniculæ longè majores, ex multis glomeratis *flosculis* virescentibus pentapetalis, quos folia obvallant multa, striata, ex albo virescentia, paucâ admixtâ purpurâ. Succedunt flosculis singulis pro more umbellatorum semina bina juncta, oblonga, altera facie plana, alterâ gibba & canaliculata, colore cinereo. *Radix* multùm fibrosa, Hellebori modo, atra.

In sylvis quibusdam non longè à Monachio Bavariæ Metropoli, necnon in Salevæ pratis montosis, urbi Genevæ vicinis, itémque in Jura monte & alibi observavimus.

2. *Helleborus niger Saniculæ folio minor* C. B. prod. Park. *Astrantia nigra minor.*

Radices nigræ subsunt, & ab uno exiguo capitulo fibræ quamplures tenues descendunt. *Folia* quæ oblongis pediculis donata, subrotunda sunt, unguem pollicis lata, in septem lacinias breves & angustas ad umbilicum usque divisa, per margines crenata, in caule verò brevissimis pedicellis tenuissimè fissa; inter quæ cauliculi bini, ternive tenuissimi palmares & glabri exurgunt, uno alteróve folio vestiti: aliquando in summo pedicelli ad latera prodeunt, qui flosculos complures simul farctos, candidos, quasi in muscario junctos sustinent. In summâ Astrantiam nigram *Lob.* per omnia refert, solâque magnitudine differt.

Hic in Alpibus solùm reperitur. *Locus.*

Plantam hanc, culturâ tamen multo majorem factam, in horto Nob. Viri D. *Caroli Hatton* Londini, vidi; quæ quidem magnitudine sola à vulgari Astrantia differre videbatur. Verùm quam ego in summis Alpium Max. Carthusianorum Cœnobio imminentium jugis observavi aliis præter magnitudinem accidentibus ab ea differebat. *Folia* enim longis pediculis insidentia, non in quinque aut septem tantùm lacinias sed in novem non rarò, easq; non breves, sed longas, angustas, acutas, ad margines profundè dentatas, ad pediculum usque divisa sunt; nec propè pediculum sibi invicem approximantes aut arctè junctas, sed aliquantulum remotas, ut in Pentaphyllis. *Caules* tenues, glabri, bipalmares unico folio tenuissimè secto absque pediculo adhærente, ubi in duos trésve pediculos flosculorum Umbellulas glomeratas sustinentes dividuntur. Ad basin Umbellularum folia striata eam obvallantia, qualia in superiore cernuntur, minora tamen & angustiora. Hanc Paulus Boccone titulo *Hellebori minimi Alpini, Astrantiæ flore* describit & depingit, aut saltem huic congenerem: nam folia suæ plantæ (in exortum etiam) in quinque tantùm partes divisa asscribit: & icon folia Umbellarum bases cingentia nihilò breviora aut angustiora pro plantæ magnitudine repræsentat, quàm sunt in Astrantia nigra vulgari majore: utcunque tamen foliorum laciniæ longitudine sua, angustia, serraturis, situ, adeò exactè referunt nostræ lacinias, ut non dubitem eandem esse. Esto ergo hæc nostra.

3. *Astrantia nigra Alpina minima. Helleborus minimus Alpinus Astrantiæ flore* P. Boccone.

Fuchsius Saniculam suam fœminam tam viribus quàm formâ ad veram Saniculam proximè accedere scribit: Dodonæus Veratro nigro Dioscoridis forma & viribus respondere. De viribus cum illo sentimus. Nam humores melancholicos purgare testes habet medicos quosdam Germanos eâ feliciter usos. Gesnerus etiam hanc herbam vim per alvum purgandi, Helleboro albo ferè similem, sed tamen mitiorem obtinere primùm se expertum refert. Quo confirmatur sententia Dodonæi. *Vires.*

Fabricius Hildanus ad curationem scirrhi lienis in Apozemate præscribit Saniculam fœminam Fuchsii.

Cap. IV.

A. *Sanicula sive Diapensia* Ger. *vulgaris, sive Diapensia* Park. *San. Officinarum* C. B. *San. mas Fuchsii sive Diapensia* J. B. Sanicle.

J. B.

Concinna sunt Saniculæ *folia*, quæ à *radice* adstringente, amarâ & fervidâ, foris nigrâ, intus albâ, fibrosâ exeunt, cum splendore virentia, rigidula, ferè rotunda, quinquepartita, singulis segmentis subdivisis, quorum omnium pulchræ crenæ. *Caulis* cubitalis, enodis, lævis, uno tamen interdum, vel altero folio cinctus, in fastigio *flores* velut in Umbellam dispositos sustinet: è summo namque caule quatuor vel quinque vel etiam plures radii exeunt, quorum qui medius est non amplius dividitur, reliqui qui eum circumstant tripartiti sunt, gestantque plures *flosculos* in globulum congestos. Flosculi autem singuli quinquefolii sunt, albi aut dilutè admodum rubentes. Singulos flores bina excipiunt *semina*, lappulata, simul juncta ut in Umbellatis.

In sylvis & sepibus passim, floret sub finem Maii. *Locus.*

Vires. Sanicula à mira sanandi vi nomen traxit: Vulneraria enim est è præcipuis; unde Gallis in adagium venit vulgò jactatum, eos non indigere Chirurgo qui Saniculam & Bugulum habuerint.

Qui ha du Bugle & du Sanicle
Fait aux Chirurgiens la nicle.

Gustu id indicante astringit simul & amara est. Vulnerariis potionibus incoquitur. Internis & externis vulneribus, sanguinis eruptionibus, ulceribus, dysenteriis, ruptis & vulsis auxiliatur decocta, pota & imposita, ut breviter Lobelius, summatim vires ejus & usus recensens.

Umbilici eminentia & crassities in pueris innumeris ferè curata est Cataplasm. ex Sanicula in vino cocta, Umbilico apposita cum ligatura strictiore: Rad. Consolidæ majoris contusâ dorso è regione Umbilici admotâ.

Cap. V.

De Seseli Æthiopico.

Seseli Æthiopicum frutex Ger. Park. *Æthiopicum Salicis folio* C. B. *Æthiopicum fruticosum, folio Periclymeni* J. B. Shrub-Hartwort of Æthiopia.

J. B.

Ramis aliquot cubitalibus & altioribus fruticat, rigidis, lignosis, nigricante cortice intectis, in multos ramulos diductis. *Folia* per ramos sublonga Periclymeni, angustiora, leviter acuminata, breviora quàm Laureolæ, glabra, sapore & odore Juglandis, sed multò mitiore gratioréque. *Umbellæ* pulchræ, fœniculaceæ; *semen*, delapsis flavescentibus *floribus* gerunt oblongum, canaliculatum, magnitudine seminum Fœniculi.

Locus. In rupibus oppido *S. Chamas* in Gallo-provincia vicinis observavimus. Lobelius ad Ceti montis radices, quà in lacum vergit uberi proventu fruticare scribit, quod & D. Magnol confirmat. Augusto mense floret.

Semen Massiliensi Seseli multò acrius est & odoratius, unde Lobelius eximiarum virium esse credit, ideóque ad Theriacam efficacius.

HISTO-

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER DECIMUS.

QUI EST

De Herbis Stellatis & Asperifoliis dictis.



HÆC duo genera uno & eodem libro complectimur, non ob cognationem aliquam aut similitudinem quàm habent inter se; sed quòd earum neutra ob paucitatem specierum quas sub se continet integro Libro molem & corporaturam idoneam contribuere possit.

PARS PRIMA.

De Herbis stellatis.

STELLATÆ dicuntur hoc genus herbæ, quia folia caules stellæ radiantis in modum ambiunt. Floribus sunt monopetalis, verùm in quatuor segmenta, totidem folia imitantia partitis; singulis autem flosculis in plerisque speciebus bina naturaliter succedunt semina.

Herbarum stellatarum TABULA.

HErbæ Stellatæ dictæ, quia folia caules per intervalla ad nodos stellæ radiantis in modum ambiunt, floribus sunt monopetalis quidem sed quadripartitis, eorúmque singulis bina in plerisque speciebus succedunt semina. Hæ vel sunt floribus

- *Per caules magis sparsis*, foliis ad singula genicula
  - *Quaternis*, floribus & seminibus
    - *In summis caulibus & ramulis* : RUBIA *erecta quadrifolia.*
    - *Caules ad genicula verticillatim ambientibus*, flore
      - *Albo*, folio lato glabro; RUBIA *lævis Taurinensium.*
      - *Luteo*, foliis hirsutis in aliis speciebus, in aliis etiam glabris: CRUCIATA.
  - *Pluribus quatuor*, radice
    - *Rubra*, cujus in vulgari & majori specie usus est ad tingendum, flores ex luteo herbidi: RUBIA *tinctorum.*
    - *Alba*, vel fusca, foliis
      - *Mollibus*, & *glabris*, floribus
        - *Albis*; MOLLUGO.
        - *Luteis*; succo acido, ad lac coagulandum utilis; GALLIUM luteum.
      - *Asperis* & vestibus adhærentibus, floribus pallidis: APARINE.

In

In summis caulibus Umbellatim dispositis ;

Major, foliis latioribus; ASPERULA, cujus duæ species habentur altera flore candido, altera flore cœruleo.
Minor, flosculis rubentibus ; RUBIA *cynanchica*.

Spicatis,

Quadrifolia, maritima ; RUBIA *maritima*.
Pluribus ad singula genicula foliis, longioribus, angustioribus, mediterranea ; RUBIA *Cretica spicata*.

CAP. I.

De Rubiis quadrifoliis floribus in summis caulibus.

A. 1. *Rubia erecta quadrifolia* J. B.

C*Aules* hujus non planè cubitales sunt, firmi, quadranguli, in ramos divaricati: *Folia* quaterna Rubiæ minoris, solida & dura, geniculis circumposita. In ramorum cacumine *flores* copiosi, albi, jucundi odoris.

Locus. Circa *Orton* pagum in Westmorlandia, lacum *Winander-mere* dictum, & alibi in Septentrionalibus montosis Angliæ nascitur.

In transmarinis etiam circa Genevam, in Rhætia, & alibi observavimus.

2. *Rubia quadrifolia rotunda lævis* Park. J. B. C. B. prod. *quadrifolia vel rotundifolia lævis* C. B.

C. B. prod.

Ex *radice* capillacea rufescente *cauliculi* tenues, quadrati, geniculati, palmo altiores, quorum aliqui in ramos brachiati, exurgunt. Ad singula genicula *folia* quatuor rotunda, nervosa, tantillum aspera in orbem disponuntur. Extremis cauliculorum *flosculi* albidi, quadrifolii pedicellis capillaceis insident, quibus *capitulum* parvum geminum, asperiusculum succedit.

In montibus Helvetiorum, ut Gothardo & ad Eremitanos provenit.

* 3. *Rubia pratensis lævis acuto folio* Park. J.B. C. B.

C. B.

Caulis cubitalis, lævis, quadratus, rufescens, geniculatus, cavus & communiter unus exurgit, ex cujus nodis ramuli semipalmares prodeunt, quorum summis *flosculi* plures quadrifolii, pallidi insident. *Folia* lævia, quaterna, uncialia, in acumen abeuntia ad quemlibet nodum disposita sunt.

Locus. Hæc apud Vallesianos in pratis ad thermas Lucenses nata.

* 4. *Rubia quadrifolia semine duplici hispido* J. B.

J. B.

Coliculos habet dodrante minores, multos ex tenuibus, reptantibus, inutilibus *radiculis* surgentes, quadratos, *foliis* quaternis circum nodos decussatim positis, ad Alsinem vulgarem accedentibus, quàm præcedentis minoribus, subrotundis, unciâ minoribus, venosis, nonnihil pilosis, cum dulcedine quadam amaricantibus ornatos. Cauliculi scapus in ramos binos, hi rursum in ternos foliis viduos subdividuntur : in quorum summitatibus *semina* bina, hispida, multò minora quàm Asperulæ, nigricantia.

Locus. Nusquam quàm in monte *Rosberg* propè Masoconium (*Maszmunster* Germani vocant) observavit J. Bauhinus mense Octobri inter saxa, locis umbrosis & frigidis.

* 5. *Rubia semine duplici hispido, latis & hirsutis foliis*, Bocconi.

Sola foliorum hirsutie & magnitudine à præcedente Rubia differt.

Locus. In Ilua sylva vidit & collegit Paulus Boccone.

CAP.

Cap. II.

De Rubia quadrifolia floribus verticillatis albis.

Rubia quadrifolia Italica hirsuta J. B. *quadrifolia vel latifolia lævis* C. B. *lævis Taurinensium* Park. *Cruciata lævis* Ger. emac.

J. B.

PUlchra est hæc Rubiæ species, *caulibus* cubitalibus & majoribus, quorum geniculis quaterna decussatim *folia* circumposita, formâ Plantagineâ, nervosa, acuminata, mollia, subhirsuta, duas ferè uncias longa, unciam circiter lata. *Flores* nodis verticillatim circumnascuntur, circa basin decussatis foliis suffulti, candidi.

In collibus Pedemontanis circa Taurinum & alibi in Italia. *Locus.*

Cap. III.

De Rubiis quadrifoliis floribus verticillatis luteis; seu de Cruciata.

A. 1. *Cruciata* Ger. *vulgaris* Park. *hirsuta* C. B. *Gallium latifolium, Cruciata quibusdam flore luteo* J. B. **Cross-wort or Mugweed.**

R*Adice* compluribus fibris subluteis, è geniculis emissis capillatâ reptat. *Caules* profert plures pedales interdum & longiores, quadratos, hirsutos, tenues, infirmos, crebris geniculis interceptos; ad quorum singulos *folia* quaterna, stellatim disposita, hirsuta, ut in hoc genere lata, mucrone obtuso, absque pediculis cauli adnata. *Flores* ex alis foliorum egrediuntur verticillatim, non tamen, si curiosè observes, è foliorum omnium sinubus, egredi advertes, sed ex oppositorum duorum tantum: tres ferè ex uniuscujusque folii sinu surculos pluribus flosculis minutis, tetrapetalis, flavis onustos. Singulis flosculis *semina* succedunt bina.

Ad sepes & in Dumetis. *Locus.*

Siccat & astringit. Vulneraria est è præcipuis, tum internè sumpta, tum externè adhibita. Valet & ad ramices in vino pota. Expectorat quoque viscidos humores, autore Camerario. *Vires.*

2. *Cruciata nova Romana, minima muralis* Col. *Rubia quadrifolia verticillato semine* J. B. *R. echinata saxatilis* Park. *Rubeola echinata saxatilis* C. B. *Cruciata minima muralis* Park.

Col.

Viticulos plures habet ab *radice* tenui, cannabini fili crassitie, pallente [nigricante *J. B.*] multis capillamentis tenuissimis divisa, quadratos, circa radicem tenuiores, postea crassiores, aliquando rubentes, rigidulos, repandos humíque sparsos, in extremo hirsutos, crebris geniculis distinctos, ad quæ *foliola* quaterna, exigua, rotunda in crucis formam disposita nullis pediculis adhærescunt: ex quorum sinu *flosculi* apiculorum modo ex viridi pallentes, etiam quaterni, tribus botribus singuli constructi emicant, quorum imus in *florem* se pandit, quaternis pusillis foliolis ut vix distingui possit, etiam cum staminibus internis. Quibus fructus succrescunt, primùm hirsuti, curvi, florem in imo demittentes, & perfecti deinde velut flores galericulati videntur, & duriores cùm siccare incipiunt velut echinati conspiciuntur, sed non pungunt, quanquam asperi tactu videantur. Caput quatuor aculeis divisum, barbulas sive brachia utrinque etiam in aculeos desinentia, in medio pectus etiam aculeatum, subtus ventrem habentes extuberantem, in quo *semen* luteum rotundum parvum, Panici modo. Ab imo florere incipit, & fructus habere in singulis geniculis & foliorum interstitiis.

Maii initio floret & fructus Junio perficiuntur. Sapor amarus atque acerbus ingratus. *Tempus*

In arenosis juxta mare propè Liburnum portum & alibi in Italia provenit. In asperis & saxosis propè Nemausum collegit Cherlerus. *Locus.*

* 3. *Rubia quadrifolia glabra angustifolia* J. B.

J. B.

Hæc quàm vulgaris Cruciata gracilior & delicatior esse videtur, foliorum cæteroqui ordine & situ haud absimilis; verùm angustiora sunt acutioráque, glabra omnino dicerentur, nisi per ambitum tantùm exigua quadam hirsutie fimbriata essent. Cauliculi toti glabri sunt.

Propè Patavium in Italia collectum ad J. Bauhinum delatum est. *Locus.*

* 4. *Gallium latifolium glabrum* C. B, J. B. *rectiùs Cruciata glabra. Cruciata minor lutea* Park.

C. B. prod.

Radice est tenui, repente, geniculata: *cauliculis* tenellis, quadrangulis, geniculatis, palmo minoribus: *foliis* è singulis internodiis quaternis, decussatis, glabris, instar Plantaginis nervosis, pallidè virentibus & sescuncialibus. *Flores* habet parvos, cauliculos verticillatim coronæ modo ambientes, luteos, brevibus pediculis donatos.

Circa Bononiam inter sentes tota æstate reperitur. *Locus.*

* 5. *Ru-*

* 5. *Rubia argentea Cretica* Alpin. exot. Park. *Cruciata argentea.*

Alpin.
E *radice* parva, longa, tenui, exili multos ſurculos rectos, graciles, ſemidodrantalis altitudinis producit, foliis Rubiæ ſylveſtris, mollibus, parvis, oblongis, argenteis, lenibus, ſimul ab eodem exortu quatuor ex oppoſito, æqualibus intervallis denſè ſtellarum modo ſurculos conveſtientibus. Inter quæ Clinopodii Cretici modo pauci, exileſque *floſculi* flaveſcentes cernuntur. Tota planta eſt inodora, guſtu adſtringens.

CAP. IV.

De Rubia tinctorum ſeu Erythrodano.

RUbia Latinis, Græcis Ἐρυθρόδανον à rubro radicis colore dicta eſt.
Quæcunque ergo in hoc genere rubro radicis colore ſunt Rubias appellandas duximus.

1. *Rubia tinctorum* Ger. *ſativa* J. B. *major ſativa ſive hortenſis* Park. *tinctorum ſativa* C. B. **Madder.**

J. B.
Sarmenta longa producit, quadrata, uncinulis crebris hamata, geniculata; ad quorum ſingulos nodos *folia* rotatim radiata circumponuntur, Aparines modo, ſed multis numeris majora, conſimiliter aſpera, hiſpidis crenulis per ambitum inciſa, veſtibus tenaciter hærentia: ex quorum alis pediculi exeunt *flores* ſuſtinentes ex luteo herbidos, ſtellatos, tetrapetalos [pentapetalos *J. B.* q.] apiculis luteis: quibus *ſemina* ſuccedunt rotunda, per maturitatem nigra. *Radices* ſubſunt numeroſæ, reptantes, ſucculentæ, ruffæ miniatæve, durâ lignoſâ matrice farctæ, ſapore mixto dulci, acerbo & ſubamaro.
In hortis colitur magnâ copiâ ad lanas tingendas.

Vires & Uſus.
Rubia tinctorum vulnerariis potionibus admiſcetur. An verò abſtergat & aperiat, an potiùs adſtringat controvertitur. Qui adſtrictionem ei attribuunt adversùs fluxum menſium, hæmorrhoidas & dyſenterias propinant: qui aperiendi facultatem, in Ictero, Hydrope, Urina obſtructa & ſanguine coagulato exhibent. Et fortaſſe utriuſque qualitatis particeps eſt, primò aperientis, poſtea adſtringentis, quemadmodum Rhabarbarum. Quæcunque enim tingendo idonea ſunt, tenuium partium meritò cenſentur, adeóque facilè penetrant & obſtructiones reſerant: & pleraque ejuſmodi menſes & urinam cient, & ictero conducunt. Ex altera verò parte ſapor acerbus facultatem adſtrictoriam indicat.
A tinctoribus adhibetur hujus radix ad coloris rubri præparationem.
Expetuntur folia Senenſibus mulieribus ad ſtannea vaſa detergenda: ſiquidem mirum dictu quàm pulcherrimè niteſcant quæ Rubiam fuerint experta.

A. 2. *Rubia ſylveſtris aſpera, quæ ſylveſtris Dioſcoridis* C. B. *ſylveſtris Monſpeſſulana major* J. B. *ſylveſtris* Park. **Wild Madder.**

Huic folia quàm Rubiæ ſativæ minora ſunt; & atrovirentia, cùm ſativæ pallidiora ſint. Vere *flores* profert parvos, luteos: Fructum fert æſtate & autumno, qui per hyemem durat: ſed nec ipſa herba inareſcit. Inter ſepes minor eſt & aſperior ſativa. Folia circa nodos quatuor, modò ſex notavit *D. Magnol.*
Nos olim Rubiam ſylveſtrem à ſativa culturâ tantùm & accidentibus inde ortis differre exiſtimavimus; nunc tamen à *D. Newton* meliùs edocti, mutatâ ſententiâ, ſpecie diverſam agnoſcimus. Rubiæ enim ſativæ tota ſuperficies ad radicem uſque quotannis emoritur, cùm hujus (ut diximus) per hyemem durat; nè alias diſtinctionis notas ſuperiùs adductas repetam.

Locus.
Rubia ſylveſtris non tantùm in rupe S. Vincentii propè Briſtolium oritur, ſed etiam in rupibus propè Beddifordiam & per totam ferè Devoniam in ſepibus copioſè.

* 3. *Rubia montana anguſtifolia* C. B. *Rubia ſylveſtris longioribus foliis* Park.

C. B.
Radicem habet ruſeſcentem, fibroſam: *caules* cubito altiores, læves, rotundos, ſtriatos, geniculatos: *folia* ad quodlibet internodium longa, anguſta, Gallii formâ, ſena, ſeptena, in orbem diſpoſita & rigidiuſcula, caulem ambiunt: ad internodia breviſſimi ramuli exurgunt; ipſe verò caulis in ramulos plures brachiatur, quorum ſummis *floſculi* frequentes, albi, quadrifolii inſident, quibus *ſemina* minuta rotunda, quodlibet ſuo pediculo donatum, ſuccedunt. [Suſpicor ſemina bina ſingulis floſculis ſuccedere, & pediculis inſidere.]

Locus.
Hanc apud nos in aſperis collibus legimus.

* 4. *Ru-*

* 4. *Rubeola saxatilis* C. B. *C. Bauhini* J. B. *Rubia minima saxatilis* Park.

C. B.

Plantula est tota incana, semipalmaris; *cauliculo* tenui, quadrato, geniculato, in unciales ramulos brachiato. *Folia* parva, aspera, angusta; acuminata, communiter octo rotæ modo disposita habet. Ramulorum summis *flosculi* plures, exigui quadrifolii, apicibus & minimis pedicellis donati, luteoli insident, si rectè recordor.

In saxosis Gallo-provinciæ provenit. *Locus.*

* 5. *Rubeola maritima aspera* C. B. *C. Bauhini* J. B.

C. B. prod.

Radice est oblonga, tenui, reptante & rufescente: *Cauliculis* pluribus, geniculatis, biuncialibus, per terram sparsis, & capillaceis fibellis terræ affixis: *foliolis* pluribus, brevibus, acuminatis, virentibus & asperis, cauliculos inordinatè cingentibus: *flosculis* minutis, pallidulis.

Copiosè in litore maris Mediterranei, non longè Monspelio & etiam Massiliæ occurrit. Nobis iis in locis herbas indagantibus conspecta non est. *Locus.*

Ex generali hac & obscura descriptione ad quod genus plantarum herba descripta pertineat, certò colligi non potest: ad hoc autem non pertinere constat quòd folia cauliculos inordinatè cingere scribat.

Cap. V.

De Mollugine.

Mollugo Plinio proculdubio à foliorum mollitie dicta est. Quæcunque igitur hujus generis plantæ foliis & caulibus mollioribus & minùs asperis sunt hoc nomine donamus.

A. 1. *Mollugo vulgatior* Park. *Rubia angulosa aspera* J. B. *sylvestris lævis* C. B. *An Rubia sylvestris* Ger? *Mollugo montana angustifolia vel Gallium album latifolium* C. B. **Wild Madder, or great Bastard-Madder.**

Radicibus lignosis, exteriùs fulvo cortice tectis, intus albis, plurimas fibrillas fulvas subinde demittentibus firmatur. Plures indè exeunt *caules*, tricubitales interdum, aut longiores, infirmi & humi procumbentes nisi vicinis sepibus aut fruticibus, (inter quos plurimùm oriuntur) se sustentent, ad radicem tenuiores, paulatim deinde crassescentes, ut in hujus generis reliquis, quadrati, inanes, læves, virides & in apricis interdum purpurascentes, fragiles, nodosi longis internodiis, ramosi, quatuor ramulis è singulis nodis exeuntibus, duobus insignioribus, duobus parvis inferiùs ad eorundem latera. Caules ad nodos stellatim ambiunt octo plus minùs *folia*, vix digitum longa, latiuscula, acuminata, intensiùs viridia, glabra. *Flosculi* numerosissimi, albi, in quatuor segmenta acuta, totidem folia imitantia, divisi, à medio ad summum, è singulis caulium & ramorum geniculis, velut racematim exeunt: quorum singulis bina ut in congeneribus succedunt *semina*.

Ad sepes & in dumetis frequens oritur. *Locus.*

2. *Rubia sylvatica lævis* J. B. *Mollugo montana latifolia ramosa* C. B. *Gallium flore albo majus sive Mollugo montana* Park. *Gallium sive Mollugo montana* Ger. quoad descr.

J. B.

Ramosa præ reliquis est hæc, *caulibus* rectis, lævibus, teretibus, tuberosis geniculis nodosis, per longa intervalla interceptis. *Folia* circum articulos radiatim posita, Asperulæ odoratæ, mollia, ac quàm in Rubia angulosa molliora. *Flores* summis ramulis & per surculos tam copiosi ut muscarium imitentur, candidi.

In sylvis montosis, agro Lucembergensi & Aquisgranensi collegimus. Montium incola hæc est (inquit J. Bauhinus) & in dumetis non rarò abscondita: mensis Aprilis principio prodit. *Locus & Tempus.*

Hæc planta magnitudine sua, glabritie caulium & foliorum, rectitudine caulium, eorundem rotunditate, & loco natali ab aliis sui generis omnibus facilè distinguitur.

Quærendum annon Rubia arborescens Cretica *Alpin. exot.* huic eadem sit, quæ caudice constat brevi, digitum crasso, à quo multi exeunt rami, &c. E quorum cacumine exeunt duo vel tres surculi, graciles, in alios quoque divisi, in quibus utrinque *flosculi* parvi, albicantes cernuntur, &c. *Radix* rubei coloris. In reliquis, quas omisimus, notis cum superiùs descripta convenit.

A. 3. *Gallium album* Ger. J. B. *palustre album* C. B. *Mollugnis vulgatioris varietas minor* Park. **White Ladies Bed-straw.**

Radice tenui, reptante, geniculata, innumeris ferè capillamentis, tenuissimis, prælongis è geniculis in limum demissis, se propagat. *Coliculi* similiter tenues pedales & cubitales, sarmentosi, ramosi, quadrati, asperiusculi geniculati internodiis longioribus. *Folia* stellata, quaterna, quina aut sena, breviora, pallidè virentia, (ut & caulis totus) coliculorum genicula ambiunt. In summis caulibus & ramulis *flosculi* plures simul conferti quasdam quasi umbellulas efficiunt, ut in Rubia cynanchica,

lactei, quadrifolii, quàm Aparines majores. *Semina* gemina, rotunda, pusilla.

Locus & Tempus. Junio mense floret, éstque in rivulis & fluviorum stagnorúmque marginibus frequentissima.

A. 4. *Mollugo montana minor, Gallio albo similis. An Gallium album minus* C. B? *Rubia quædam minor* J. B?

Parvitate sua, glabritie caulium & foliorum, & loco natali à Gallio albo distinguitur.

Locus. Provenit autem non in palustribus tantùm, sed & in montosis magnâ copiâ.

A. 5. *Gallium rubrum* C. B. Ger. *flore rubro* Park. *flore rubro Sprengerianum* J. B. *Gallium nigropurpureum montanum tenuifolium* Col.

Clus. J. B.

Magna segete ramulorum terram operit, magis patulum quàm procerum [pedalis aut majoris altitudinis, Gallio vulgari tenerius *Clus.*] *caulibus* angulosis, tenuibus, ex saturato virore rubentibus, admodum ramosis, ramulis alternatim utrinque nascentibus, & rigidiusculis. Geniculis *folia* accrescunt radiata quaterna, quina aut sena, in stellæ morem, tenuia, satis rigida, & velut pungentia. *Flores* inter folia [Clusio in summis ramulis quini, seni aut plures, tenelli admodum & pusilli.] Gallii albi floribus pares, sed colore coccineo saturatiore tincti, quadripartiti, [micante in meditullio aureo vel flavo puncto. *Radix* vulgaris Gallii radicis instar rubescit, quæ etiam contusa rubrum succum reddit, multis autem tenuibus villis prædita est & vivax.] *Semina* singulis flosculis, ut in congeneribus, bina succedunt, per maturitatem nigra. Caules etiam ex nigro purpurascunt Julio florida & semine turgida invenitur, in Æquicolorum via ad Flaminianum vel Capuceinorum ædem. *Col.*

Cur C. Bauhinus Gallium nigropurpureum montanum tenuifolium *Col.* à Gallio rubro Sprengeriano separaret nullam video rationem.

CAP. VI.

De Gallio.

GAllium Γάλλιον ἀπὸ τῦ γάλα πηγνύειν ἀντὶ πυτίας, quòd coaguli vice lacti injectum illud cogat & inspisset, dicitur, testibus Dioscor. Galeno & ipsâ experientiâ.

A. 1. *Gallium luteum* C. B. Ger. Park. *Gallion verum* J. B. **Yellow Ladies Bedstraw, Cheese rening.**

J. B.

Tractu contumaci *radiculâ* donatum est, longo tractu repente, tenui, lignosâ, fuscâ; ex qua *virgulæ* surgunt dodrantales & cubitales, tenues, subhirsutæ [in apricis rubentes, & ut nobis videbatur quadratæ.] *Folia* ad genicula ex intervallis radiatim caulem ambiunt longiora & angustiora quàm Rubiæ sylv. lævis, obscuro virore nitentia, novena plerunque. Ad singula etiam genicula bini plurimùm ramuli, in quibus ut & in summis caulibus *flosculi* copiosi, in racemulos digesti, lutei, quorum singuli quatuor foliolis stellarum radios imitatis constant, succedentibus unicuique binis *seminibus*.

Locus. In pascuis siccioribus, apricis locis, ínque collibus juxta margines agrorum passim provenit.

Vires. Gallium lac coagulandi vi pollere Veteribus traditum, & experientiâ comprobatum est.

Gerardus nostras Cestrienses suos circa *Nantvicum* oppidum, ubi laudatissimus conficitur caseus, coagulo suo Gallii lutei summitates immittere solere tradit, & multò pluris facere caseos eo coactos quam alios quoscunque. Sequentia D. Matt. Lister suggessit.

Acetum ex hac planta destillando elicuit D. Olaus Borrichius: modum ipse describit his verbis.

Recentissimas Gallii lutei comas, defluente matutino rore sicciores, ad manipulos aliquot legi, lectásque cucurbitæ vitreæ recenti commisi, & nè quam ab aere aut mora subirent mutationem, subitò evulsas subitò igne subjecto invitavi ad destillandum. Nec mora, surrexit stillatitius liquor primus, & is pænè insipidus, odore tamen fragrantes Gallii flores non parum referens. Post unam circiter liquoris hujus unciam successit acetum non ingrati saporis ad uncias propemodum tres; tandem validiori igne admoto subsecutum est cum liquore acido oleum flavum ad drachmas penè duas, nec illud admodum ingrati odoris. Cùm verò operatio tota ab evulso flore ad acetum usque prolectatum paucis duntaxat horis duraverit, & miti destillatione peracta fit in arena, constiterit hinc abundè, opinor, spiritum hunc acidum tam promptè volatilem, lactísque coagulatorem flori Gallii adhuc crescenti verè inesse, nec aliorum more acetorum fermentationem præviam expectare, sed in flore statim ipso (quod raræ avis instar est) vim suam separatricem profiteri. Hoc acetum ferventi infusum lacti statim secretionem illam partium, quam ab infuso vulgari aceto experimur, procuravit.

Libuit experiri an ex floribus Acetosæ summísque ejusdem foliis, ut Gallio ad linguæ fidem longe acidioribus, tale subitò acetum destillando evocari posset: sed facto eodem modo experimento nil nisi insipidus liquor prolectum est, argumento evidenti longè subtilius & πραγματικώτερον acidum in Gallio quàm in Acetosa habitare. *Tho. Bartholin. Acta Medic. Obs.* 69.

Herba

Herba aut pulvis ipsius hæmorrhagiam & sanguinis profluvia sistit; quod facit sanguinem incrassando & coagulando; commendatúrque contra cancrum & cancrosa ulcera. Decoctum herbæ acopon censetur, lassitudinibus utile.

* 2. *Gallium montanum Creticum* Alpin. exot. Park.

Alpin.
A *radice* crassa tres vel quatuor *ramos* producit, digiti minoris crassitie, & tenuiores etiam, teretes, duros, lignosos, albicantes; ex quibus singulis complures *surculi* tenuissimi, in terram provoluti, *foliis* veluti Thymi vestiti exeunt, in *flosculos* parvos desinentes, racematim cohærentes, à quibus fiunt minutissima *semina* nigra. Nititur verò hæc planta *radice* longâ, crassâ, lignosâ, in tres alias divisâ: vulgari Gallio longè minus est & gracilius, & quasi circulis supra terram serpentibus; ramis verò ac radicibus majoribus durioribúsque quàm illud.

In montanis Cretæ abundat. *Locus.*

Lac coagulare dicitur efficaciùs quàm vulgare Gallium. Adstrictoriæ facultatis particeps est, unde & sanguinem undecunque profluentem sistit.

Cap. VIII.

De Asperula.

A. 1. *Asperula* Ger. *Asp. II. sive Rubeola montana odora* C. B. *Asperula aut Aspergula odorata* Park. *Rubiis accedens Asperula quibusdam, sive Hepatica stellaris* J. B. **Woodroof.**

J. B.
Compluribus geniculis intercepta *radicula* tenella summâ tellure serpit, capillaribus fibris demissis: unde *cauliculi* surgunt tenues, quadrati, palmares & dodrantales: ad quorum singula genicula *folia* radiata Rubiæ positu nascuntur, quàm Aparines latiora, pallidiùs virentia non sine splendore, subhirsuta. Circa fastigium dividitur caulis in binos ternósve ramulos, ex quibus pediculi *flosculos* sustinent suaviter olentes, Valerianæ ferè formâ, candidos, è quatuor foliolis compositos. *Semina* parvâ sunt valdè hirsuta, non exactè rotunda, sed ad renis potiùs figuram accedentia, vestibus adhærescentia Aparines in modum.

In sylvis & dumetis, præsertim montosis, Maio mense floret. *Locus & Tempus.*

Usus hujus est in obstructo hepate ac meatu biliario; & hinc in ictero, ac in hepate calidiore refrigerando. Extrinsecùs in intemperie hepatis calida, &c. *Vires.*

Fertur in vinum conjecta hilaritatem efficere & saporem ei gratissimum conciliare, unde Germanis in frequenti usu est.

2. *Asperula flore cæruleo* Ger. Park. *cærulea arvensis* C. B. *Rubia cærulea erectior elatiórve* J. B. **Blue Woodruff.**

Caules surrigit cubito majores, angulosos, *foliis* vestitis ad genicula radiatis, multis, Molluginis paribus. Ramulorum extremis hærent ex longo pediculo *flores* multi, simul juncti, oblongi, cœrulei, circa imum hirsuti; quibus circumposita radiata folia aliquammulta, pilosa, flores superantia, eósque velut occultantia. Singulis floribus bina succedunt *semina* magna.

In monte Saleva itémque propè Neapolin Austriæ & Monspelium in arvis & inter segetes. *Locus.*

Asperula hexaphyllos purpurea C. B. J. B. *purpurea* Park. *An Rubeola arvensis repens cærulea* ejusdem C. B?

Radiculis multis, candidis, tenuibus esse perhibetur, *foliis* Erythrodani, minoribus, pallentibus; *cauliculis* multis, pede altioribus; *flore* in summo cauliculorum vertice copioso, purpurascente; *semine* minutulo, pingui & oleoso.

A. 3. *Rubeola arvensis repens cærulea* C. B. *Rubia minor pratensis cærulea* Park. *Rubia parvo flore, cærulea se spargens* J. B. **Little Field-Madder.**

J. B.
Radice est oblonga, tenui, capillacea, [dura & lignosa] rubra; *cauliculos* per terram spargens plures, quadratos, geniculatos, rubentes, hirsutos & interdum ramosos, palmares, rarissimè pedales. Ad quodlibet geniculum *folia* habet parva, subrotunda, [pro plantulæ portione satis lata] radiata, hirsuta & asperiuscula, in acutissimum apicem desinentia. In cauliculorum & ramulorum summis *flores* in medio aliquot foliorum, tetrapetali, non quinquefolii (ut vult C. Bauhinus) parvi cœrulei, vel ex cœruleo purpurascentes. *Vascula* exigua singulis floribus succedunt gemina cohærentia, nonnihil oblonga, & in summo digitata, in quibus *semen* fulvum, altera parte gibbum, alterâ planum.

Dum in satis pinguioribus oritur, major fit & erectior, & descriptioni Myagri alterius Dalechampii *Lugd.* quod Asperulam hexaphyllon purpuream vocat C. B. in *Pin.* satis convenit. Stellariam quam *Lugd.* in salsis sabuletis provenire notat ad hanc Rubiam refert *J. B.* Botan. Monsp.

CAP. VIII.

De Aparine.

A. 1. *Aparine* Ger. J. B. *vulgaris* Park. C. B. *Philanthropon Dioscoridis & Plinii. Lappago Plinii lib.* 26. *cap.* 10. J. B. **Cleavers, or Goose-grass.**

J. B.

AB infima radicula oriuntur *viticulæ* quadratæ, asperæ, geniculatæ, infirmæ, proxima quæque scandentes, adhærescentésque, tres aut quatuor cubitos interdum longæ, ramosæ. *Folia* septena, Rubiæ modo, stellæ instar radiata, singulis geniculis circumnascuntur, aspera, in spinulam desinentia. *Flosculi* propè summos ramulos è geniculis exeunt in pediculis oblongis tenuibus, pusilli, albidi, tetrapetaloides, quorum singulis didymæ succedunt lappulæ, bina semina continentes, cortice nigro, (quem tamen sponte ne per maturitatem exuunt) tectæ, cui subest substantia quædam dura & cartilaginea.

Locus. Ad sepes, interdum etiam inter segetes. Binis foliis amplis è terris exit.

Vires & Usus. Aparine (inquit Dioscorides) pastores coli vice utuntur, ad eximendos è lacte pilos [nimirum circumactis per lac foliis, quorum asperitas adeò tenax est, ut facile quicquid tetigerit apprehendat. *J. B.*] Seminis, caulium ac foliorum succus potus contra viperarum phalangiorúmque morsus auxiliatur, infusus aurium dolori medetur. Herba cum axungia trita strumas discutit. Sanguinis etiam abundantiam ex vulneribus reprimere folia imposita Plinius tradit.

Aquam destillatam bis in die sumptam mensurâ trium ligularum, aiunt alvum cohibere, efficacissimúmque esse adversùs morbum regium. *Trag.*

Aqua destillata, vel herba ipsa minutim concisa, ínque vini albi q. s. decocta & pota, in calculo & arenulis insigne est, remedium. *D. Needham.* Pulvis qui ex hac herba & vitulino liene in furno exsiccatis fit arcanum est ad tumores lienis & flatus hypochondriacos.

Herba concisa pullorum Anserinorum esca est, unde etiam Anglice **Goose-grass** dicta est.

Plebeii cives in mea patria aquam illius distillatam quotidie ex officinis poscunt contra tum pectoris, tum hypochondriorum molestos dolores. Agerius in Tragum adversùs similia mala commendat. *Sim. Paulus.*

Aparine in liquore Posseti cocta & hausta mirè gonorrhϾ prodest simplici. *D. Palmer.*

A. 2. *Aparine semine læviore. An Aparine, semine lævi* Park.? **Goose-grass with smoother seed.**

Hæc præcedente humilior est, sarmentis brevioribus: *foliis* minoribus, minùs hirsutis, pallidioribus: *Seminibus* quidem non penitus glabris, sed multo minùs hirsutis.

Locus. In agro Cantabrigiensi inter segetes solo cretaceo invenitur.

A. 3. *Aparine fructu verrucoso* hort. Joncq. *semine Coriandri saccharati* Park.

Hæc *foliis* est lævibus, vulgari Aparine minor, seminibus verrucosis, non tamen lappaceis seu tenacibus.

4. *Aparine floribus purpureis* C.B. Park.

Hujus verbo meminit C. Bauhinus in Pinace, sed non describit, nec ab alio quoquam descriptum dicit.

• 5. *Asperula muralis minima* Park. *verticillata muralis minima* Col. *verticillata luteola* C. B.

Col.

Radice nititur exiguâ, capillari, plures viticulos proferens, ab imo fruticans, angulosos, quadratos & asperos, *foliis* per genicula senis, aliquando verò quaternis & quinis hærentibus, Gallii ritu, supra quæ ex caulis geniculis, in rotæ speciem ut in Verticillatis plantis, *fructus* prodeunt duplices Anisi effigie, parvi, hirsuti, quibus *flores* insident, admodum exigui, lutescentes, quatuor foliis constructi. Caulis asper est, denticulis perquam exiguis, & nisi lumini appositis haud propter tenuitatem & diaphanitatem conspicuis. *Folia* etiam hirsutie tenuissima asperiuscula sentiuntur. Sapore amaro est parùm. Ab imo siccari incipiunt folia, sicuti florere & fructus perficere animadvertimus.

Locus. Vetustis muris innascitur frequens in castro *Villa* dicto in Valvensium montibus dodrantalis herbula: oritur in saxosis etiam locis ibi, ac etiam aliis ubi Parietaria & Sempervivum vermiculatum. Maio mense floribus & fructu onusta reperitur. Æstate finitur & siccatur tota.

CAP.

CAP. IX.

A. *Rubia cynanchica* J. B. C. B. *Synanchica Lugd.* p. 1125. Ger. *Asperula repens Gesneri, sive Saxifraga altera Cæsalpini* Park. Squinancy-wort.

RAdix ei crassa, lignosa, nigra, altè in terram descendens, fibrillis numerosissimis & prætenuibus capillata, in plurima capita divisa, *caules* fundens multos, tenues, sesquipalmares, spithamæos & longiores angulosos [quadratos Col.] læves, [qui cùm excreverint bipedales sunt & supini] *foliis* vestitos per genicula crebra admodum quaternis circa radicis caput, quàm brevissimis, latioribus, ut longitudo ad latitudinem vix tripla sit: circa medium caulem genicula rariora sunt, folia angustiora, longiora, acutiora, quaterna; in summo verò bina tantùm, & longioribus intervallis distantia. *Flores* in summitatibus, caulium & ramulorum in quos caules dividuntur quasdam quasi umbellas efficiunt ut in Valeriana, è tubo oblongo in quaterna segmenta expansi, suave rubentes & suave olentes, interdum albi, Jasmini modo, quibus etiam effigie & colore similes videntur verùm magnitudine Phu Dioscoridis, *semina* deinde relinquentes coacervata, bina simul, rugosa vel aspera, oblonga, curva Phaseoli modo, Gallii vulgaris duplo majora, atque cùm siccantur flavicantia.

In sterilibus, soli expositis cretaceis collibus abundat: v. g. Gogmagog-hills, Newmarket-heath, Sussex Downs, &c. *Locus.*

Parkinsonus hanc plantam bis exhibet; nimirum, 1. sub titulo superiùs allato. 2. Cruciatæ minoris montanæ nomine, p. 566. & fortè etiam tertiùm sub titulo Rubiæ minimæ Saxatilis, p. 276.

2. *Rubia cynanchica Saxatilis* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex *Radice* alba, oblonga, tenui & fibrosa, *cauliculi* plurimi tres, quatuorve uncias longi, *foliolis* plurimis oblongis, angustissimis & viridibus vestiti, exsurgunt; & inter hos pediculi bini, terni, palmares, graciles, in ramulos divisi, & paucissimis foliolis vestiti, quibus *flores* ut in Cynanchica vulgari, pallidè rubescentes, singuli singulis pediculis donati insident.

In saxosis udis circa Valentiam Delphinatus collecta fuit. *Locus.*

CAP. X.

De Rubia Spicata.

1. *Rubia maritima* C. B. *marina* Clus. Park. Ger. *marina Narbonensium* J. B. Sea-Madder.

Clus.

QUadrangulares sunt huic plantæ *caules*, palmares magna ex parte, interdum pedales, geniculati, duri & lignosi, candicantes, è *radice* crassa, lignosa, foris intensiùs rubente, intus rufescente, singulari, longiuscula, prodeuntes, jam simplices, jam ramosi, internodiis modò brevioribus, modò longioribus distincti: ad quorum singula genicula quaterna *folia*, infernè quò cauli adhærent latiuscula, extrema parte mucronata, rigidiuscula, candicantia, stellæ instar in orbem adnascuntur, & subinde in alis ramuli, numerosis foliis brevioribus & confertim nascentibus ornati: in quibus, ut & in summis caulibus velut in spicas terminatis oblongi *flosculi*, in quatuor segmenta expansi & velut radiati, pallidi. *Semen* in utriculis tenue, oblongum, fuscum.

Ad mare Mediterraneum in litoribus arenosis propè Syracusas, Cataniam, Terracinam, Monspelium collegimus. *Locus.*

2. *Rubia latifolia spicata* C. B. *Spicata Cretica* Ger. emac. *Spicata Cretica latiore folio* Park. *spicata* J. B. Spiked Madder.

Clus.

A *radice* crassiuscula, subruffa, & frequentibus tenuibúsque fibris capillata multi exeunt *cauliculi*, nodosi, quadranguli, asperiusculi, statim ab infima parte frequentibus ramulis ad singulos nodos ex adverso nascentibus prædíti: quos etiam in orbem & ipsis geniculis ambiunt quaterna, quina, interdum sena *folia* brevia & nonnihil aspera, coloris cinerei. Summi caules & ramuli desinunt in *spicam* longam [semipalmarem atque etiam palmo longiorem] virentem, specie quadrangulam, quia *flosculi* exiles & vix conspicui, coloréque subvirescentes, alternatim contrario inter se situ nascentur è sinubus glumarum longâ serie caulibus appressarum. *Semen* tenue, oblongiusculum, pullum.

3. *Rubia angustifolia spicata* C. B. Park.

A præcedente differt foliorum & spicarum angustia, humilitate & parvitate sua.

Circa Monspelium plurimis in locis sponte oritur, v. g. in collibus juxta *Castelneuf*, Agris Grammontiæ *Locus.*

montiæ ſylvæ vicinis, &c. Quin & præcedentem non longè à Monſpelio in deſcenſu montis *Capouladou*, in locis quæ vulgò vocant *las rompudes* Maio & Junio menſibus cum ſpica copioſam collegit *D. Magnol*.

Varietas. Aliam præterea ſeu ſpeciem, ſeu varietatem hujus plantæ proponit idem *P. Magnol*, quam Rubiam ſpicatam repentem vocat, à præcedentibus in eo diverſam quod reperet, cùm illæ rectæ ſint, quódque ſpicæ in iſta multò majores, longiores & frequentiores eſſent. *Si revera repat & non procumbat tantum, argumentum eſt ſatis validum ad probandum illam à prioribus ſpecie diverſam eſſe.*

* 4. *Gallium alterum montanum* Alpin. exot. Park.

Alpin.
Surculos plures longos tenues, quadrangulos, ex intervallis geniculatos ab una radice, tenui, longa, dura, lignoſa profert. Surculi verò ex multis intervallis in geniculis habent duo aut tria *foliola* parva, oblonga, tenuia, in extremis latiuſcula, colore viridi nigreſcente. In ſummitatibus ſurculorum *floſculi* cernuntur albicantes, cymam circuli ſpicæ modo conveſtientes, non odorati, ſapore ſubadſtringente & ſiccante.

CAP. XI.

De Stellatis quibuſdam anomalis.

* 1. *Rubeola repens lutea foliis ſpinoſis* C. B. *Rubia minima* Lob. Ger. emac.

Lob.
FOliis eſt Herniariæ paribus, mucronatis, poſitu Rubiæ; *radicibus* reptricibus, ſeſquiunciam altis, in quibus *floſculi* luteoli. *Radix* exilis Rubiæ, Corallio concolor.

Locus. In rupibus Vincentii propè Briſtolium Angliæ enatam ſe legiſſe ſcribit Lobelius. Nobis ſedulo indagantibus nihil ſimile ibi viſum aut auditum. Certè Lobelius, ut aliàs ſæpe, memoriâ nimium fiſus & hic labitur. Dari hujuſmodi plantam non negaverim, cùum eam invenerim in Catalogo Horti Regii Pariſienſis.

* 2. *Rubia ſylveſtris aſpera Ravennenſis* Zanoni.

Zan.
E *radice* tereti, huc illuc undatim reflexa, non admodum craſſa, duos circiter palmos longa, cortice craſſo & ſolido, qui difficulter à parte interna tenui & lenta ſeparatur, *caules* exſerit plures, rectos, firmos, propè terram rotundos & coloris obſcuri, paulò ſuperiùs, ubi folia protrudere incipiunt, ſulcatos & cavos, quadratos, virides, raris nodis articulatos, parte infernâ maximè, ſuperiùs multò crebrioribus, circa quos folia in orbem ſtellatim diſpoſita incerto numero 4, 5, & interdum ſex ſimul, unicam plus longa, octavam circiter unciæ partem lata, ſolida, ſicca, lævia, quæ tamen poſtea ob ſpinulas quaſdam breves nervulis aureſcentes aſpera redduntur. Sunt autem nervi utrinque ſupra folii ſuperficiem elevati, quod paucis admodum plantis accidit: pediculi foliorum craſſi, albi, infernè paullum rubentes, fragiles. Circa principium Julii, caules à medio ſurſum pedunculos emittunt, qui in longitudinem excreſcentes foliis nonnunquam ornantur minutiſſimis & aliter quam ſupradicta diſpoſitis, gemmas ſuſtinentes virides, quæ in quinque folia ſeſe aperientes florem exponunt quinque petalis majuſculis, acutis, colore viridi claro compoſitum, cujus medium occupant *ſtamina* quinque, cum apicibus flavis. Flori ſuccedit bacca, quam quoniam non maturuerat non potuit obſervare Autor; quam ſiccam accepit à loco nativo, nigra erat materiam craſſam continens, inque ejus medio *ſemen* rotundum, ex altera parte cavum, coloris obſcuri.

Radix in multas minores radiculas dividitur fibris tenuibus capillatas, colore rubro obſcuro; è quibus enaſcuntur germina nodoſa, tranlucida, colore flavo claro, infra terram ſerpentia, alias plantulas novellas in lucem emittunt. Sapor radicis amariuſculus, floris mordax & calidus, foliorum ſiccus. Planta eſt perennis tum radice, tum foliis. In ſylva pinuum propè Ravennam invenitur.

Locus.

Hæc planta ſi rectè deſcribatur cum quinque petalis in flore, calice quinquefolio incluſis, non eſt hujus loci, quin potiùs inter Bacciferas diſponenda.

De

De Herbis quibus terna singulis floribus succedunt semina.

Pisum cordatum vesicarium Park. *Pisum vesicarium fructu nigro, albâ maculâ notato* C. B. *Halicacabum peregrinum* Dod. Ger.

Dod.

Tenuibus, striatis, ac viticulosis *cauliculis* latè sese diffundens, vicina quæque apprehendit adminicula. *Folia* oblonga, divisa [in tres vel etiam quinque partes] laciniata, & per ambitum profundiùs incisa. *Flosculi* pediculis longis [è foliorum alis versùs summos caules egressis, inque ipsis caulium summitatibus] plures simul insident, candidi, è quinque foliolis exiguis compositi. *Folliculi* distenti, magnitudine Halicacabi, interseptientibus membranulis in tres distincti loculos, *fructu* in singulis unico, duro, rotundo, Ochri figurâ & magnitudine, colore nigro, candido tamen umbilico, qui mediocris magnitudinis, & cordis conoidis latiorem speciem imitari videtur. *Radix* satis crassa, multis fibris capillatur.

Seriùs floret, & raro apud nos in Anglia semen perficit.

Nasturtium Indicum Park. Ger. *Indicum majus* C. B. *Indicum folio peltato scandens* J. B. **Indian Cress, Yellow Larks-spur.**

J. B.

Peregrinæ elegantiæ est ex Indiis delatum Nasturtium, cui cum nostri orbis Nasturtio præter odorem & saporem nihil est commune: *folia* peltata, circinatæ ferè rotunditatis, sæpe latiora quàm longiora, nonnunquam & Hederæ modo angulosa, supernè glabra, infernè brevi lanugine hirsuta; medio fere ut in Cotyledone, unde radii in ambitum porriguntur, pediculum excipiunt palmarem & sesquipalmarem, subrubentem, tortilem, & capreolorum ritu, bacillo depacto sese circumvolventem: quo etiam complexu nituntur cum ramis *caules*. Cæterùm ex foliorum alis undatim tortiles pediculi rubentésque exorti florem sustinent, delicias artificii arguti plenas, postica parte productum corniculum, sextantem circiter longum, ex flavo puniceum, in quinque lacinias digitatas concolores, striatas quà reliquo folio committuntur facessens, quarum ternæ duo suprema florum foliola sursum explicata à tergo suffulciunt, colore luteo prædita, miniatis lineolis ad basin striata, per supremam oram subrotundam mucrone breviusculo donata; id quod in reliquis tribus est videre, minoribus licet & rotundioribus ac veluti cordatis radiatim digestis, quorum tamen basis non virgatâ, sed rhomboide maculâ miniatâ insignis, utrinque barbitio comans. Semen tricoccum, accedens ad Heliotropion tricoccum, rugosum, mediocris magnitudinis.

Locus & Tempus. Peruviæ indigena est hæc herba, unde non modò in Europam sed & in alias Indiæ Occidentalis regiones translata est. Per totam ferè Æstatem & in multum Autumnum floret, donec tandem frigore, cujus minùs patiens est, corrumpitur. In calidioribus regionibus toto anno viret, floréfque producit, nisi hyems asperior ejus luxuriam coerceat. Ex surculis depactis & semine deciduo in hortis facilè provenit. Semina quamprimum maturuere statim decidunt.

Vires & Usus. Adhibentur flores acetariis quæ ex oleribus parantur, gratiámque ità & saporis & aspectûs addunt. Ventriculo ex frigida causa imbecilli aut ex flatu dolenti subvenit.

Alia species. Aliam hujus speciem habet C. Bauhinus *Nasturtii Indici minoris* titulo, foliis rotundis, Lenticulæ paulò majoribus. Videtur etiam floris colore variare, vel aureo, vel * luteo dilutiore, vel sulphureo.

** Hort. Reg. Paris.*

Singularis & sui generis planta est, nec quicquam cum Nasturtio præter saporem habet commune.

Recordor à quopiam fide digno ex America reduce, instar horribilis secreti mihi fuisse communicatum adversùs contumacem & malignam scabiem, itémque vulnera recentia præstans oleum è Nasturtio Indico per simplicem infusionem paratum. *S. Pauli* Quadr. Bot. Clas. 3. p. 411.

LIBRI DECIMI
PARS SECUNDA.

De Herbis γυμνοσπέρμοις, *in quibus quatuor singulis floribus succedunt semina, Asperifoliis dictis.*

HUIC generi folia in caulibus alterno aut nullo ordine posita; flores monopetali marginibus quinquepartitis, incisuris aliàs profundioribus, alias levioribus; summæ spicæ caudæ Scorpii in modum reflexæ.

Asperifolias dicimus hujus generis plantas, non quòd omnes earum species folia aspera obtineant, sed quòd pleræque; nec quòd nullæ præterea herbæ asperifoliæ sunt, sed quòd in nullo

lo alio genere tot ſpecies. Malumus autem receptis & uſitatis Generum nominibus adhærere, quàm præter neceſſitatem nova imponere; præſertim ſi uſitatorum probabilis ratio reddi poſſit.

Herbarum Aſperifoliarum TABULA.

Herbæ aſperifoliæ, quibus folia in caulibus alterna, flores monopetali marginibus quinquepartitis, inciſuris alias profundioribus alias levioribus, ſingulis autem floribus quatuor plerumque ſuccedunt ſemina, ſunt vel ſeminibus ad ſingulos flores

- *Quaternis*, perianthio
  - *Oblongo integro*, foliis maculis albis variis; PULMONARIA MACULOSA.
  - *Breviore* & ad modum floris expanſo; ſeminibus
    - *Aſperis* & lappaceis, foliis in pleriſque ſpeciebus mollibus & graviter odoratis; CYNOGLOSSA.
    - *Rugoſis*,
      - *Caput viperinum aut galeam referentibus*, flore
        - *In quinque lacinias* totidem folia imitantes *diviſo*, radicibus
          - *Albis*, florum laciniis
            - *Obtuſis* & ſubrotundis, foliis longis acutis; BUGLOSSA.
            - *Acutis*, foliis brevibus & latioribus; BORAGO.
          - *Rubris*; ANCHUSA.
        - *Corniculato*; parte ſuperiore longiùs excurrente, inferiore breviore; ECHIUM.
      - *Scyphum referentibus*, foliis lævibus Lini, flore lacteo; LINUM UMBILICATUM.
    - *Lævibus*,
      - *Non ſplendentibus*, floribus
        - *In ſpicis longis recurvis*, foliis lanuginoſis; HELIOTROPIUM *majus*.
        - *Ad foliorum alas*, caulibus aſperis & veſtibus adhærentibus, ſeminibus compreſſis; APARINE *major*.
      - *Splendentibus* & velut politis floribus
        - *Cylindraceis tubuloſis*, foliis amplis longis; CONSOLIDA *major*.
        - *In quinque lacinias expanſis*;
          - *Major*, ſeminibus duris ſplendentibus; LITHOSPERMUM.
          - *Minor*, echioides, ſpicis florum prælongis recurvis, *Echium* SCORPIOIDES.
- *Binis*, flore cylindraceo tubuloſo, folio glauco; CERINTHE.

CAP. I.

De Pulmonaria maculoſa.

1. *Pulmonaria maculoſa* Ger. *latifolia maculoſa* Park. *Pulm. Italorum ad Bugloſſum accedens* J. B. *Symphytum maculoſum ſive Pulmonaria latifolia* C. B. Sage of Jeruſalem or Bethlehem, Jeruſalem Cowſlips.

RAdice nititur albâ, fibroſa, Hellebori, ſed fibris rarioribus & quibuſdam craſſioribus, guſtu admodum lento & viſcido. *Caulis* anguloſus, purpuraſcens, hirſutus, unus interdum ſurrectus, reliquis primùm germinantibus, aliàs plures ut in Bugloſſo. *Folia* alia ſtatim à radice exorta, conferta, per terram ſparſa, alia caulem inæquali ſitu ſine pediculo amplectentia, oblonga, unciam lata, nervo medio per longum donata, in acuminatum mucronem deſinentia, lanugine

gine supra, infráque & in ambitu molli pubescentia; at adulto vere folia insignem acquirunt magnitudinem, præsertim infima, quippe quæ latitudine palmum superent, longitudine sesquipalmum, teneráque illâ lanugine rigescente hispida redduntur. Summitati caulis (qui brevis est, dodrantali altitudine) insident flosculi ex pediculis semuncialibus & brevioribus multi simul juncti, interdum reflexi caudam Scorpionis æmulantes, ut Echii, è *calicibus* oblongis, striatis, hirsutis, colore modò purpurante, modò violaceo, aliàs mixto purpuro-violaceo, idque in uno eodémque ramo, in quinque lacinias divisi. In calicis fundo succedunt semina quaterna Buglossi seminibus similia.

Foliis variat (inquit C. Bauhinus) quæ aliquando albis punctis & lituris notantur, aliquando iis carent, & hæc Pulmonaria folio non maculoso *Clus.* Hanc Clusius pro diversa specie describit, à præcedente tamen præcipuè differt foliis minùs amplis, nullis albicantibus maculis supernè infectis: reliquæ enim notæ conveniunt. *Varietas. Symphytum non maculosum.*

Floribus est communiter cœruleo-rubentibus, rariùs albis. Pulmonariæ speciem flore albo aliquot annos in horto alui, quæ omnibus sui partibus, sed præcipuè foliis, majoribus erat quàm descripta, & maculis pluribus majoribúsque notatis. *Pulmonaria macul. flo. albo.*

In sylvis propè Coloniam Agrippinam hanc primò observavimus, postea in omnibus ferè montosis dumetis propè Rhenum & circa Genevam. *Locus.*

Nostratibus pro olere in frequenti usu est, Salviam Hierosolymitanam ac Bethlehemiticam appellant. Pneumonica & cardiaca censetur. Consolidat & glutinat, Symphyti instar. *Vires & Usus.*

Usus ejus præcipuus est in ulceribus pulmonum, aliisque eorundem affectibus, Phthisi, expuitione sanguinis, &c. Extrinsecùs in vulneribus.

2. *Pulmonaria angustifolia* 2. *Clusii* Ger. [*potiùs* 3.] *angustifolia cæruleo flore* J. B. *Symphytum maculosum sive Pulmonaria angustifolia cærulea* C. B.

Clus.

Huic *folia* sunt angusta & villis obsita, Buglossi sylvestris, Echiive, aut Anchusæ foliis non absimilia, molliora tamen, neque tam aspero villo hirsuta, nullo pediculo prædita, sed medium *caulem* amplectentia, qui paulatim succrescens angulosus & hispidus, interdum nonnihil purpurascens, in pedalem tandem altitudinem excrescit, in cujus fastigio multi pentagoni *caliculi*, in quinque purpurascentes lacinias divisi & subhirsuti nascuntur, continentes oblongos, concavos *flores*, Buglossi hortensis aut Pulmonariæ vulgaris floribus formâ similes, qui per oras in quinque orbiculares ferè lacinias divisi, colore antequam aperiantur ex purpura rubente, deinde quando explicati sunt, cœruleo adeò eleganti nitent, ut Gentianellæ vernæ floris venustatem si non superare, attamen proximè æmulari videantur, odore autem nullo grati: ii maturi decidunt integri, quemadmodum Buglossi hortensis & similium flores, atq; caliculum inanem cum stylo & quatuor *seminum* rudimento relinquunt, quod maturitate nigrum evadit, Echii aut Buglossi vulgaris semini respondens. Adnascuntur deinde secundùm caulis pedem alia hirsuta folia, angusta, palmaris aut amplioris longitudinis Echii aut Anchusæ foliis latiora mollioráque: inter quæ (licet sicca sint) subsequente vere prodit caulis, suis venustis floribus onustus. *Radix* crassis carnosisque fibris prædita est, ut Pulmonaria maculoso folio, initio candicantibus, deinde vetustate foris nigricantibus, dulci sapore.

Nascitur passim per Pannoniam & Austriam inferiorem in montanis & cæduis sylvis, & diutissimè floret. Exilit primo vere, florúmque congestorum thyrsum ferè ante folia promit. *Locus.*

A. * 3. *Pulmonaria foliis Echii* Ger. emac. *rubro flore, foliis Echii* J. B. *angustifolia rubente cæruleo flore* C. B. *angustifolia* Park. parad.

Clus.

Hoc genus jam descripto ferè simile est, nisi crassiorem majorémque caulem, ac latiora folia haberet, & *flores* similiter, non ut illa cœruleos, sed pulcherrimè rubentes: alioqui & radice & temperamento conveniunt.

Huic omnino respondens, tum forma, tum amplitudine alia invenitur, cujus flores initio rubent, deinde cœruleum colorem saturatiorem contrahunt.

Crescunt hæc duo genera ad cæduarum sylvarum margines, umbrosis locis in Pannonia, & eodem cum superiore tempore florent. *Locus.*

Pulmonariam foliis Echii invenit D. Goodyerus in sylva quadam propè ædes Holburienses, in saltu *Nova Foresta* dicto in agro Southamptoniæ.

Cap. II.

De Cynoglosso.

Cynoglossum Κυνόγλωσσον, à foliorum forma caninas imitante linguas dictum est.

Notæ ejus sunt semina aspera & lappacea, compressa.

A. 1. *Cynoglossum vulgare* J. B. *majus vulgare* C. B. Ger. Park. **Great Hounds Tongue.**

J. B.

Nigra foris *radix*, intus alba, tota crassa, Rapam exiguam repræsentans [Columnæ non magna] odore magis gravi quàm sapore, qui dulcedinem nonnullam fatuam linguæ offert. *Caules* circiter

citer bicubitales, in ramos multos divisi, vetustate concavi, multa lanugine obsiti: *Folia* longa & latiuscula primo anno, secundo, ubi caulem fert, stricta, acuminata, incana, mollia, lanuginosa, odore gravi. *Flores* Buglossi officinarum, colore sordidè rubente, monopetali quidem, in quinque tamen segmenta aliquousque divisi. [Columnæ *Flores* plani ferè non cavi, venis purpurocœruleis depicti stellulas effigiantes rotundis radiis, brevi admodum tubulo insidentes] è calice hirsuto quinquepartito. Succedunt lappulæ quatuor, conis suis ad stylum in medio prominulum concurrentes, nonnihil compressæ, spinulis hispidæ, quæ pertinaciter vestibus adhærescunt, cavitate unica donatæ, in qua itidem *semen* unicum. [*Flores* & semina plerunque versus unam partem nutant, & singuli pediculis uncialibus insident, quibus nullum apponitur folium. Folia alternatim cauli adnascuntur nullis intervenientibus pediculis.]

Locus. Ad vias locis incultis & ruderatis præsertim pinguioribus passim cernitur. Junio mense floret.

2. *Cynoglossæ vulgaris minor species & candidior* J. B. *minus sive pusillum* Park.

Parvitate omnium partium & tomento candicante foliorum à vulgari distinguitur.

* 3. *Cynoglossum maximum* Lob. Park. *maximum Belgicum* C. B.

Occurrit in hortis Belgicis, foliis, floribus, semine, omníque sua parte duplo majus vulgari. *Nobis videtur superiori specie eadem, ob ubertatem soli luxurians; nihil tamen temere affirmamus.*

Vires. Cynoglossum refrigerat & siccat. Usus ejus in sistendo fluxu alvi, gonorrhœa & catarrhis exiccandis. Sanguini etiam sistendo, & ad omnis generis vulnera & ulcera conducit. *Matth.*

Ulcus mammarum in lotrice Tubingensi sanatum vidi facili hoc remedio: Cynoglossâ in Vin. & Aq. ana partibus æqualibus coctâ lavetur ulcus, & imponantur folia. *D. Soame* ex observ. Jeremiæ Martis Obs. 33. Unguentum ex illius succo cum melle & Terebinthina paratum ad ulcera antiqua maligna & fistulosa valdè extollit Hieron. Tragus: Idem & mariscis sanandis efficacissimum esse perhibet.

Verùm quia soporiferum est & narcosis virulentæ suspectum, rarissimè à practicis adhibetur, inquit Schroderus.

Immeritò suspectum esse convincunt experimenta medicorum quorundam summæ fidei & peritiæ, qui nobis retulerunt se ad ulcera & tumores eo sæpius usos esse in cataplasmatis & emplastris magno cum successu, atque etiamnum uti: intus etiam tutò sumi posse arguunt Pilulæ de Cynoglosso.

In strumis & scrophulis Cynoglossæ radicem tum intus in decocto, tum extra in cataplasmatis formâ, summo cum successu adhiberi solitam à quodam celeberrimo hujus Urbis [Londini] medico, jam fatis functo accepi. D. *Ed. Hulse.*

Ad Scrophulas, Radices in taleolas dissecentur, & suspendantur circa collum, novas adhibendo tertiâ quavis septimana. Retulit mihi amicus quidam, se novisse radices hasce suspensas circa collum pueruli cujusdam pauperculæ, cujus caput & linteamina pediculis scatebant. Observatum pediculos quidem radicum fœtorem exosos procul aufugisse & sedes mutâsse, scrophulas obstinatè restitisse, nec quod ille audiverit iis sanandis medicamentum successisse. *Idem.*

* 4. *Cynoglossa montana maxima frigidarum regionum* Col. *Cynoglossum mont. maximum* Park. *An Sylvaticum rubente caule* C. B.

Col.

Radice nititur pedali & ampliore, sesquipollicem crassâ, foris nigricante, intus verò parùm candicante: *Folia* emittit longa, pedem superantia, palmum lata, Plantaginis latifoliæ formâ, verùm angustiora, & venis obliquis distincta, petiolo crasso atque rubente hærentia, hirsuta, ex albo virentia, atque in terram convexa quæ vetustiora, media verò erecta, tactu mollia. Maio mense *caulem* è medio profert bipedalem, crassum, striatum, cavum, lanuginosum, rubentem, foliis undique densis, rectis, angustioribus, semper decrescentibus ad flores usque circundatum, ita ut nihil caulis appareat: nervus verò medius à petiolo per folium rectus discurrens rubescit in omnibus. In summo verò & inter foliorum cacumina *flores* apparent, oblongum & crassum veluti colum aut capitulum conformantes rotundum, undique circumdispositi, densi, deorsum tendentes, radiis foliorum intermediis, quæ alarum cùm expansi sunt flores initia erunt. *Flores* verò singuli calycem habent quinquepartitum, hirsutum, ipsi verò oblongi, cavi, in purpura rubentes, parum odori, in quinque rotundas oras, rectásque divisi sunt, nec ampliùs dehiscentes, quorum pars interior calyce occultata, angustior est, oblonga satis atque albicans, intra quam *seminum* rudimenta insunt, quadripartita, longum apicem in medio habentia, quinque staminibus luteis concomitantibus, & ex flore se exerentibus: quare plantæ hujus globosum caput versicolor & venustum efficiunt: viridi namque colore florum calyces, flores ipsi purpuro-rubente, stamina verò luteo, atque foliola intermedia nervo rubente depicta sunt. Æstate paulatim dehiscit, caule se producente, florum globosum caput, alarúmque divisiones recipiens diversam acquirit figuram, denique perficiente se planta in brachia alásque dividitur quatuor aut quinque, parùm à se invicem distante ortu, ut ab eodem ferè principio productæ censeantur, in diversa tendentes, pedales, hirsutas, in quibus juxta imum fructum foliolum unicum conspicitur (quo à cæteris Cynoglossis differt.) *Fructus* verò etsi alternatim oriantur, per alas dispositi uno versu sæpiùs inveniuntur, floribus ab imo marcescentibus succedentes, petiolis tenuibus, digitali longitudine, insidentes, quadripartiti, depressi, ovali figura, echinati, simul cohærentes cruciatim, quorum pars interior cruciatim hærens in acutum desinit. Pars fructuum superior plana, aculeis crassioribus, minúsque densis & limbo circumsepta parum excrescente, ut aquam continere possit; inferior rotunda, tota hispida, densioribus aculeis lappaceis, vestibus hærentibus siccatis, præter eam quæ petiolo hæret quæ lævius est. Fructus per maturitatem rufescunt, medullâ intus libro ex viridi nigricante obductâ,* sapore amarescente, sicut & folia. Omnium maxima sunt hujus *semina*, latioréque umbilico ac planiore.

In

In frigidis tantùm regionibus, Apenninis montibus excelsis atque summitatibus, Campoclarensium Matesio & Æquicolorum Rascino sponte ortam observavimus. *Locus.*

5. *Cynoglossum minus* J. B. C. B. *minus flore cœruleo* Park. *Cynoglosso minor montana serotina altera Plinii* Col. *Cynog. pumilum Austriacum alterum* Clus.

Col.

Radix huic parva, lignosa, dura, cortice crasso, fibris obliquis, longis, tenuibus, lignosis donata, pullo colore, dulci sapore. *Caulis* tenuis, angulosus, hirsutus, summum bipedalis, *foliis* vestitus crebris, oblongis, Oleæ aut Lithospermi ferè, virentib. mollib. hirsutie aspera, alba & longa obsitis, alternatim densè semidigitali spatio hærentibus; sapore amaro, è foliorum sinubus alia germina exeunt, parva. In summo caulis in tres, quatuor vel quinque dividitur ramulos, semper obliquos, interdum pedales, bifidos aut trifidos, Scorpioidis modo incurvos, *foliis* tenuibus & hirsutis vestitos, alternatim utrinque positis quemadmodum etiam florum & fructuum petioli in summis virgulis utrinque disponuntur. *Flores* pusilli sunt admodum, quàm Echii Scorpioidis minores, cœruleo colore amœno, brevi tubulo, ore quinquepartito, stellulam intus luteam continentes: quibus decidentibus *fructus* succedunt ex basi minima, quinquefoliata, lappacei, longis atque tenuibus aculeis armati, oblongi, pyramidales, apice illo medio carentes: *semina* oblonga, ovalia, angusta, figurâ trigonâ, in dorso cava, umbilicata parumper per longum eadem formâ, per maturitatem rufescentia. A summo caulis florere incipit, deinde è foliorum superiorum sinubus alæ producuntur, paulatim excrescentes.

Circa Moguntiam & Genevam spontaneam invenimus. In Æquicolorum montibus frequens. *Locus.* *Col.*

C. Bauhinus hanc plantam bis ponit, primò sub titulo Cynoglossi medii: secundò sub titulo Cynoglossi minoris. Parkinsonus quoque bis. 1. Sub titulo Cynoglossi minoris sive pusilli. 2. Sub tit. Cynoglossi minoris flore cœruleo.

* 6. *Cynoglossum Creticum secundum Clusii* J. B. *Cret. alterum* Ger. *Cret. latifolium* Park. *Creticum latifolium fœtidum* C. B.

Clus.

Primo anno, ex radice longa, infra digiti minimi crassitudinem consistente, rarisque fibris per longitudinem sparsis præditâ, crassiusculóque cortice foris fusco amictâ multa promit *folia*, palmum aut ampliùs longa, unciam lata, humi fusa, mollia & tenui brevíque lanugine tecta, nervo satis crasso illa per longitudinem æqualiter secante, inter quæ altero anno prodit *caulis* cubitalis aut amplior, striatus, firmus, rectus, molli lanugine obsitus, quem confuso ordine vestiunt folia jam dictis similia, sed quæ breviora fiunt quò propiùs ad summum caulem accedunt, ex viridi pallescentia. Summus caulis in multos graciles ramos dividitur, summo fastigio Scorpiuri aut Heliotropii majoris instar inflexos, in quibus plurimi caliculi, quinque laciniis constantes, unde *flores* emergunt primi [*Clus.*] floribus breviores, illis tamen ampliores, in quinque lacinias orbiculares divisi, candicantis initio coloris sed multis tenuibus purpurascentibus venis, [quæ vetustate in cœruleum colorem transeunt] ornati. Defluentibus floribus conspiciuntur in calyculis *semina* rugosa, aspera, è quorum medio prodit stylus.

Tota stirps ingrati odoris est, Junio floret: vivacem non esse arbitror.

Hanc plantam omnino specie eandem esse puto Cynoglossæ alteri mediæ fructu cotylode seu Lychnioide *Col.* Lector Botanicus descriptiones invicem conferat, & ipse judicet.

* 7. *Cynoglossum fructu umbilicato* C. B. *subrubente versicolore flore* Park. *Cynoglossa altera media fructu κοτυλώδη sive λυχνιώδη* Col. *An Cynog. Creticum* 2. Clus?

Col.

Radicem habet tenuem, fibris divisam, lignosam, pullo colore, in plura capita interdum divisam. *Folia* vulgaris Cynoglossæ multò minora, hirsutie molli, incanâ obducta, & magis in superna parte. *Caulem* pedalem & sesquipedalem ad summum, teretem, solidum, lignosum, hirsutum, foliis vestitum alternatim positis, lata basi absque petiolo hærentibus, in cacumine in tres ramulos divisum contrario nutu cernuos ob florum & fructuum positum & naturam: alios etiam interdum è foliorum superiorum alis ramos profert. *Flores* edit parvos, supradictis minores admodum, colore suaverubente, sanguineis lineis variegatos, centrum sive umbilicum hilari rubente colore infectum habentes. *Fructus* majoris Cynogl. similes, umbilicati, cavi latiore umbilico, elatiore limbo circumsepiente, nec obtuso ut in aliis, sed tenuiore, lucernarum effigiem imitante; *Semen* non depressum aut planum, sed pyriforme & parùm compressum continet, sapore amaricante.

In Valuensium Anversæ oppidi montibus eorúmque radicibus nec alibi à Columna reperta est. *Locus.* Maio florida cacumine & fructu prægnans invenitur, æstate perficitur & deperditur.

A. 8. *Cynoglossa folio virenti* J. B. *Cynoglossum minus folio virente* Ger. *Cynogl. semper virens* C. B. Park. *An Cynoglossa media altera virente folio, rubro flore montana frigidarum regionum* Col?

Caules aliquot ex *radice* pollicari, nigra foris, intus alba, lignosa [crasso cortice Buglossi *Col.*] sapore viscido & ingrato [parum amaro *Col.*] erigit bicubitales, rectos, hirsutos, in alas divisos, adultos inanes. *Folia* formâ quidem sunt Cynogl. vulgaris, supernè læto virore splendentia, glabra & tactu mollia, alicubi etiam molli lanugine obsita, infernè albidiora, hirsuta & aspera, odore nullo,

lo, sapore fatuo. *Flores* ut in Vulgari ferruginei, rubentésve, parvi in quinque lacinias divisi, *apicibus* totidem parvis & rubentibus è *calice* hirsuto quinquefolio, in atrovirente purpurantéve. *Lappulæ* quales vulgari.

Locus. In viis publicis in Essexia circa *Braxted* vicum, intérque Withamiam & *Kelvedon* copiosè oritur.

Varietas. Cynoglossa media virente folio *Col.* ab hac magnitudine florum differt, qui duplo ferè majores latioresque sunt quàm Cynoglossi vulgaris.

Tempus. Floret Aprili & Maio, semen Julio maturat, deinde perit planta.

* 9. *Cynoglossa media, argentea, Apula, campestris calidarum regionum* Col. *Cynoglossum Creticum angustifolium* Park? *Creticum argenteo angusto folio* C. B? *Creticum* 1. Ger?

Col.
E *radice* Buglossi modo fusca, minore [longâ, singulari, candicante, crasso & succulento cortice obductâ, summa tamen cute subfusca, minimi digiti crassitudine, fractu contumaci, raris tenuibus fibris per totam longitudinem præditâ *Clus.*] *caules* edit plures, pedales rotundos, subrubentes, hirsutos, alis in summo divisos, in quarum sinubus *flores* singulares oblongis petiolis donati insunt, primùm emicantes, sed in summo per ramulos coacervati è foliorum sinubus exeuntes deorsum spectantes calycibus adhuc conclusi, quorum imi particulatim florere incipiunt, atque ex basi quinquefoliata prodeunt Martio, oblongi, cavi, Cerinthes modo, longum habentes tubulum candicantem, in quinque partes divisum os habentes, ex albo purpurascentes, carnei ferè coloris suaverubentis, intus nigra stamina occludentes [Clusio flores Cynogl. vulgaris floribus formâ similes, sed minores & dilutioris coloris] *Semina* singulis floribus succedunt quaterna lappacea, crassioribus aculeis armata, sed parùm in superiore parte cava, non autem limbo distincto umbilicata ut in præcedente, quæ sicca pertinaciter vestibus adhærent [Clusio semina vulgaris seminibus minora, cùm Columna expressè affirmet majora esse] *Foliis* est multis semipedalibus, digitali latitudine, lanugine densâ, minuta, molli argenteo colore splendente obsitis, carnosis, mollibus, gravi odore, gustu sicco amarum os relinquente in fine.

Locus. Aprili mense semina perficit. In sabulosis oritur locis, Cirinolæ Apuliæ, calidæ regionis.

Differre videtur specie à Cynoglosso Cretico 1. *Clus.* siquidem flores hujus longum habent tubulum candicantem cùm *illius* Cynog. Vulgaris floribus formâ similes sunt, deinde illius semina vulgaris seminibus minora sunt, hujus autem crassiora crassioribus aculeis. Tandem hanc hyeme germinare, semperque virere scribit Columna, Clusiana autem planta semine sponte deciduo conservata est.

D. Magnol non separat Cynoglossi vulgaris speciem minorem & candidiorem *J. B.* à Cynoglosso Cretico argenteo angusto folio *C. B.* i. e. Cretico 1. *Clus.* cujus sententiæ & nos libenter subscribimus.

* 10. *Cynoglossa media montana incana, angustifol. altera, flore globoso, frigidarum regionum* Col. *Cynoglossum globoso flore* C. B. *medium montanum angustifolium* Park.

Col.
Ex *radice* perenni, pedali, pollicari crassitie, nuda, solida, crasso cortice nigrescente, nervo intus lignoso, sapore ingrato, *Folia* exeunt, cùm primò germinat exigua, Oleæ angustiora & acutiora, postea Veris fine & Æstate semipedalia & majora, digitali latitudine in medio, nam utrinque acuminata sunt, recta, carnosa, molli lanugine incana admodum, petiolo & nervo rubente per longum discurrente. *Caulis* Maio producitur, foliis undequaque vestitus densis, hirsutioribus, in imo latis, in acutum desinentibus lanceæ modo, ut nihil stipitis conspici possit, semipedalis, in summo *globulum* seu sphæram habens, mali magnitudine, incanam, foliolis pusillis lanosis admodum & *floribus* rubentibus cavis, densis, favorum cellulas exprimentibus, rubente Cinnabaris colore, undique elaboratam, oculis admodum gratam. *Flores* singuli *calicem* habent lanosiorem, ipsi verò latiores sunt aliis atque majores, magis aperti, nec admodum cavi, longo tubulo etiam, sed Maximæ minori, insidentes, ac intus stellulam nigriore colore, ut Vulgaris, habentes: qui caule se producente Junio in diversa juxta ramulorum productiones tendunt. Ramuli verò tres non rarò quinque inveniuntur in pedalis caulis summo ex eodem principio initium ducentes, in quibus, ut in Maxima, è sinu folioli exit petiolus oblongus fructum sustinens. Fructus autem alternatim non unico versu dispositi sunt, in *calicibus* angustifoliis, minores quàm Maximæ rotundioresque, umbilicum admodum parvum habentes, minùsque hirsutam planiciem internam, quàm in reliquis læviorem: atque limbus non in laterum extremo, sed supra convexam partem positus est, Junio perficitur. Folia parum amara & adstringentia. Medulla fructus amarescit. *Radix* in summo pilosa è foliorum deperditorum villis.

Locus. Æquicolorum montibus *Cornino* dictis & similibus excelsis & frigidis, locis nudis, saxosis sine arboribus provenit.

CAP. III.

De Boragine.

BOrago dicta videtur à *Corago*, unâ literâ variatâ. Corago autem Lucanis apud Apuleium hæc herba dicitur, quòd cordis affectibus quàm maxime opituletur. Hinc tritus ille versiculus:

Dicit Borrago, gaudia semper ago.

Etymon

Etymon hoc improbat C. Hofmannus, nec tamen melius ejus loco substituit.

Hujus notæ sunt semina rugosa, flores stellati laciniis acutis, apicibus in umbonem acutum coeuntibus.

Borago floribus cæruleis & albis J. B. *Buglossum latifolium, Borrago* C. B. *Borago hortensis* Ger. *Borago* Park. Borage.

J. B.

Infirma est planta, & quæ ægrè se humo tollat: *Radix* alba, digitali crassitudine, mansu viscida. *Folia* lata, subrotunda, aspera, rugosa ac plicata, per terram sparsa, eminentibus pullis tenuissimísque aculeis. *Caulis* hispidus, teres, inanis, cubitalis, ramis brachiatis. *Flores* amœni, stellati, radiata quinque foliorum acuminatorum serie explicati, umbone medio è quinque apicibus nigricantibus coagmentato, [segmento oblongo purpurante cuique apici ceu cincinnulo extrorsum apposito] facile à quinque foliorum hirsutorum calice cui insident, cadentes, colore cœruleo, purpurascentéve, vel albo. *N. B.* Flores quamvis pentapetali videantur, revera monopetali sunt, segmentis foliorum æmulis ad ungues coalescentibus, ut flores integri decidant: pediculis uncialibus, & sescuncialibus insident, purpurantibus & deorsum incurvatis. Florum surculi, antequam aperiantur flores, reflectuntur seu contorquentur caudæ Scorpii in modum, bino ordine siti, ut in reliquis hujus generis. Singulis floribus quaterna succedunt semina, magna, striata, basi lata, mucrone acuto, per maturitatem nigricantia.

Boraginem sylvestrem tenuifoliam Tabernæ-montani C. Bauhinus à vulgari Boragine non separat, nec nos separandam putamus.

Cordialis est è præcipuis. Flores inter quatuor cordiales famosos recensentur. Aquæ destillatæ necnon conservæ ex floribus tribuunt vim roborandi cor, lipopsychiam removendi, lætitiam melancholicis excitandi, ac sanguinem depurandi. Hinc non desunt qui Boraginem Homericam Nepenthen esse statuant, cujus scilicet succo Homerus vino immisso tristitiam discuti, & malorum omnium oblivionem induci scriptum reliquerit. *J. B.* *Vires.*

Tragus laudat aquam in inflammationibus oculorum, repellentis scilicet loco.

Mihi aqua destillata probatur in omnibus febribus, ut & flores Saccharo conditi. J. B.

C. Hofmannus receptæ sententiæ adversatur, & flores Boraginis, syrupos, conservas, radices conditas in affectibus cordis biliosis, ad cor muniendum in febribus pestilentibus, inque ictu serpentum aliisque venenis frustra adhiberi se novisse affirmat.

In suppressione mensium nonnullis Arcanum est Conserva Boraginis in vino albo tenui soluta. *D. Soame* ex Observ. Jerem. Martii. Obs. 50.

Cap. IV.

De Buglosso.

Buglossum à similitudine foliorum dictum est, quæ tum figurâ suâ, tum scabritie linguam bubulam repræsentant.

Ejus notæ sunt semina rugosa, flores in quinque segmenta obtusa seu orbiculata expansi.

1. *Buglossum vulgare* J.B. Park. *angustifolium majus* C.B. *Buglossa vulgaris* Ger. Bugloss.

Caules ex eadem radice plures exserit sesquicubitales & bicubitales, teretes, pilis rigidulis asperos, summa parte ramosos, quibus absque pediculis adnascuntur *Folia* crebra, angusta, oblonga, ex viridi glauca, non ut Boraginis rugosa, in acutum mucronem desinentia, consimilibus pilis utrinque hirsuta, ad margines æqualia. Ex alis foliorum & interdum ad eorum latus, aut inferius superiúsve paulò oriuntur ramuli. *Flores* in fastigiis caulis & ramorum, è *calice* quinque oblongis, angustis acutis, pilosis, segmentis composito exeunt, Boraginis minores, monopetali, è tubulo oblongo in quinque segmenta obtusa seu orbiculata, è cæruleo purpurascentia, & totidem foliis imitantia, divisi; umbone medio obtuso, villoso, quinque staminibus composito. *Stylus* oblongus ex imo calicis fundo enascitur, quem circumstant quatuor *semina*, per maturitatem pulla, rugosa, in acutum mucronem ad latus spectantem fastigiata. Summitates caulium & calices florum purpurascunt. Surculi floriferi antequam flores expanduntur reflectuntur seu contorquentur caudæ Scorpii in modum. *Radix* in multos annos vivax, foris nigra, intùs alba, gustu lento.

In hortis nostris Junio & Julio mensibus floret, & deinceps per totam æstatem. Folia hyeme pereunt, vere primo nova erumpunt. Multis Germaniæ in locis sponte exit, ut tradit J. Bauhinus, v. g. in Alsatia inter Brissacum & Etsesheimiam. Nos circa Messanam Siciliæ observavimus spontaneum, J. Bauhinus propè Monspelium & Frontignanam. *Locus.*

Easdem obtinet vires quas Borrago. Flores scilicet insignem habent usum in Melancholicis & hypochondriacis affectibus. S. Pauli Quadripartit. Botan. Clas. 2. p. 27, 28. Sunt è numero quatuor Florum cordialium. *Vires.*

Epilepsiam desperatam curabat quidam (lingua & ore illito) potu continuo Vini & florum Buglossæ per semestre integrum mandato. *D. Soame* ex observationibus Jerem. Martis à Velschio editis, Obs. 42.

2. *Buglossum angustifolium* Lob. *angustifolium minus* C. B. *vulgare angustifolium minus* J. B. *minus sativum* Park.

J. B
Magnitudine à præcedenti differt, *foliis* similiter longis, hispidis, sed contractioribus, *floribus* minoribus albis vel purpurascentibus, interim *caulis* altitudine parum aut nihil cedit interdum: Trago brevior, angustior, acuminatior, ac quoad omnia magis exigua est, *semine* præsertim, quod & magis nigricat: *Flores* similes, iique nonnulli purpurei, perpetuo, alii cœrulei. Hanc speciem J. Bauhinus Buglossum angustiore folio, flore minore appellat, cujus duplex genus à Fuchsio habuit, unum purpureum colore Violæ aut Anchusæ; alterum flore albo.

Locus. Ad vias & in agrorum marginibus in Italia, Gallia, Germania subinde occurrit; foliis angustioribus, floribus minoribus,, nigro-purpureis.

Buglossum sylvestre majus nigrum C. B. *sylv. majus flore nigro* Park.

Cùm sola partium omnium magnitudine, & floris colore nigro-purpureo à præcedente differre dicatur, non est cur specie distinctum faciamus.

A. 3. *Buglossa sylvestris minor* Ger. emac. *Buglossum sylvestre minus* C. B. Park. *Echium Fuchsii sive Borago sylvestris* J. B. **Small wild Bugloss.**

Radice donata est albâ, simplici, longâ, raris filamentis fibratâ: ex cujus capite plures prodeunt *caules* dodrantales & cubitales aut etiam altiores, hirsuti, asperi, ramosi, fragiles. *Folia* Echii, magis hispida, sinuosa, alternatim posita, sapore fatuo; illa verò è quorum alis egrediuntur flores breviuscula, triangula, latâ basi cauli adnata in acutum mucronem desinunt. *Flores* in summitatibus caulis & ramorum ex alis foliorum egrediuntur singulis singuli, pediculis brevissimis insidentes, è *calice* hirsuto quinquepartito. Flores autem ipsi exigui, monopetali è longo tubo incurvo in quinque subrotunda segmenta partiti pallidè cœrulei. *Stylus* in flore penitus occultatur: *Stamina* brevia & velut lanuginosa umbilicum floris constituunt. Summitates caulium & ramorum floriferæ floribus nondum explicatis contorquent sese caudæ Scorpii in modum, ut in hujus generis reliquis. Singulis flosculis quatuor in calice succedunt *semina* nuda, Echii, rugosa & per maturitatem nigra, latâ basi, acuto apice.

Locus. Inter segetes & in arvis requietis passim oritur.

4. *Buglossum folio Boraginis Hispanicum* J. B. *Borago semper virens* Park. Ger. *Buglossum latifolium semper virens* C. B. **Ever-green Borage.**

J. B.
Bicubitales & altiores attollit *caules*, fistulosos, angulosos, hispidos, asperósque, nec in ramos divisos. *Folia* Boraginis rugosa & aspera, spinis mollioribus quàm in Boragine & Buglosso, ad radicem longo, in caulibus nullo pediculo donata, acuta, præsertim in caulibus, quæ verò propter terram infima sunt magis rotunda existunt, albísque punctis maculosa, multò latiora, & non ita brevia ut in Buglosso vulgari majori; ex quorum alis pediculi hirsuti sextantales aut quadrantales surriguntur, duobus foliis circa fastigium donati; inter quæ *flores* emicant cœrulei, Buglossi æmuli, sed *calice* breviore & velut sessili, non unà se explicantes, quinquepartiti. Flosculis singulis succedunt *semina* quaterna ut in hujus generis reliquis, Boraginis seminibus paria & similia. *Radix* crassa, adnatis donata, cortice nigro densiusculo obtecta, intus alba, sapore lento & viscido.

Est hæc (ut puto) Borago Echioides *Alpin. exot.* quamvis icon non bene respondet.

* 5. *Buglossum sylvestre minus alterum & asperius* C. B. *sylv. minus alterum* Park.

C. B.
Folia huic quàm Buglosso sylv. minori asperiora, acutiora; *flores* in summis ramulis Galeopseos similiores, quàm præcedentium cujuslibet; colore in plerisque plantis purpureo, in nonnullis albo.

Buglossum Sylv. 3. C. B. Aliam adhuc Buglossi sylvestris speciem constituit C. Bauhinus, quam Buglossum syl. tertium vocat, & prædicto similem esse ait, sed non eandem.

6. *Borrago minor herbariorum* Park. *Symphytum minus Boraginis facie* C. B. *parvum Boraginis facie* Ger. emac. *pumilum repens, sive Borrago minima herbariorum* J. B.

Park. J. B.
Multa à radice emittit *folia*, Pulmonariæ maculosæ persimilia, verùm non maculosa, minora, acuminata, intensiùs viridia, longis pediculis fulta. *Caules* tenues, dimidium pedem altitudine vix excedentes, paucis foliis vestiti, *flosculos* sustinentes cœruleos, quinquepartitos, segmentis subrotundis, Buglossi quàm Boraginis similiores, nullis in umbilico filamentis, suo quisque pediculo oblongo nixi, quorum qui nondum explicati sunt Heliotropii in modum deorsum inflectuntur. *Radix* pulla, Ulmariæ aut Pulmonariæ fibris implexa. Sapor plantæ cum acrimonia quadam mucilaginosus. Locus natalis nobis nondum innotuit.

7. *Buglossum procumbens annuum pullo minimo flore* Moris. Prælud. *Borago sylvestris annua Cretica* Zanoni. *Buglossum annuum pullo flore minimo vesicarium.*

E radice simplici, alba, nunc unum nunc plures emittit *caules*, angulosos, hirsutos, solidos, infirmos, & vix se sustinentes, dodrantales aut altiores in solo læto, *foliis* vestitos crebris, alternatim positis, sescunciam aut duas uncias longis, semunciam latis, sine pediculis caulibus adnatis, à lata basi in acutum mucronem sensim angustatis, lanugine molli incana brevi pubescentibus; subasperos & ramosos. In summis caulibus & ramulis ex alis foliorum exeunt *flosculi* in *calicibus* turgidulis, hirsutis, striatis, margine in quinque acuta segmenta profundè scisso, pediculis brevibus insidentes, monopetali, perexigui, è calicibus vix apparentes, colore pullo, è simplici tubo in quinque subrotunda segmenta expansi. Flore dilapso aut marcescente calices in *vesiculas* turgidulas extumescunt, Solani halicacabi ferè modo, inque earum fundis quatuor *semina* stylum circumstant, lata basi calici adnata, ut in hujus generis reliquis, rugosa, per maturitatem russa, galeam figurâ suâ imitata. Summitates plantæ in apricis rubescunt, & flosculis nondum explicatis reflectuntur ut in reliquis congeneribus.

Apud nos hyeme corrumpitur & semine deciduo se quotannis renovat. Echii pullo flore Clusiani radix oblonga minimi digiti crassitudinem interdum æquat foris, fusca, paucisque tenuibus fibris prædita, capite unde caulis prodit extuberante, & præcedentis anni caulis vestigia servante. Certè nec figura, nec descriptio Clusii plantæ nostræ convenit, ut constet Clusianam à nostra diversam esse: cujus ergo Historiam è Clusio dabimus.

* 8. *Echium pullo flore* Ger. Clus. Park. *sylvestre lanuginosum* C. B.

Clus.

Pedalem habet *caulem*, striatum, villosum, foliis Echii aut Buglossi sylvestris, molli lanugine præditis, & inæquali situ ipsum ambientibus ornatum, superiore parte in multas alas divisum, quæ deinde in breves ramulos sese findentes, multis *flosculis* concavis, extremâ parte in quinque crenulas divisis, coloréque ex atro-purpurascente præditis, onustæ sunt, qui è vasculis molli lanugine hirsutis, & inter folia latentibus prodeunt. *Semen* ut in hujusmodi generis plantis Viperino capiti simile. *Radix* oblonga, minimi digiti crassitudinem interdum æquat, foris fusca, paucisque tenuibus fibris prædita, capite unde caulis prodit extuberante, & præcedentis anni caulis vestigia servante. Præmansa folia nullum initio manifestum saporem peculiarem præbent, sed postea nonnihil acrimoniæ habere deprehenduntur.

Locus. Crescit multis locis Viennæ vicinis, totâ etiam inferiore Austriâ, & Pannoniæ parte, siccioribus pratis & gramineis locis ad collium radices atque in ipsis collibus nudis, & tenui duntaxat gramine obsitis. Floret Maio.

9. *Buglossum Lusitanicum bullatis foliis* Moris. prælud. *Borago muralis variegata flore odorato Cretica* Zanoni.

Moris.

Folia, si seratur Autumno, exeunte hyeme profert viridia, bullis albis eleganter conspersa: è quorum medio exit *caulis* dodrantalis, aliquando pedalis, per terram stratus, in summitate sustinens *flores* eleganter cœruleos, parvos, quadripartitos, quibus deciduis succedunt *semina* viperini capitis æmula, aliorum Buglossorum more.

Hujus est & alia varietas, priori in omnibus similis, nisi quòd flores edat rubros, striis albis eleganter pictos. In muris urbis Candiæ in ipsis petrarum fissuris oriri dicitur.

Pleniorem omnium hujus plantæ partium descriptionem vide apud Jac. Zanoni in Historia Botanica Italicè conscripta.

Hujus varietatem in monte Hymetto propè Athenas invenit D. *Georg. Wheeler.* Vide Itinerar. lib. 6. pag. 415.

* 10. *Borago sylvestris Cretica perennis flore rubro cremesino* Zanoni. *An Buglossa tertia* Matth? *Echium Creticum* Alpin. exot.

Zanoni.

Perennis est planta, à *radice* satis longa, coloris Castaneæ, fibris tenuibus albicantibus cincta *foliorum* cespitem emittit partim humi stratorum, partim erectorum: sunt autem ea palmum circiter longa, duos digitos transversos lata, supernè in viridi albicantia, subtus pallida, pilis tenuibus obsita, uti est & caulis, tenera, succulenta, tactu aspera, nervo inferiùs elevato, supernè in sulcum depresso, medium percurrente. Horum in medio exurgit *caulis*, sesquicubitalis, teres, asper, tenax ut non rumpatur inflexus, medullâ viridi, succosâ farctus, foliis nullo ordine positis, sine pediculis adnatis vestitus, ramosus: in summis caulibus & ramulis *flores* in longis spicis caudæ Scorpii in modum reflexis, ut in reliquis congeneribus, vulgaris Buglossæ figurâ sed multò minores, colore rubro sanguineo, hilari aspectu, in quinque foliola [potiùs segmenta] divisi, medium uniuscujusque occupante umbilico quinquepartito, coloris cœrulei. *Semen* flori succedit quale penultimo in loco descriptæ, sed paullo minus, & nigricans.

Hæc planta Matthiolo in Comm. cum magnis figuris depicta videtur sub titulo Buglossæ tertiæ; Alpino etiam descripta & depicta in Exoticis sub nomine Echii Cretici. Consule si placet Autores dictos, & Jacobum Zanoni, & vide an rationes à Zanono allatæ demonstrent hanc esse diversam ab illis speciem.

11. *Buglossæ affinis semine cotylode seu umbilicato. Linum umbilicatum* Park. App. Venus Navel.

Park.
Annua est planta *cauliculos* exserens graciles, canescentes superiùs ramosos, *foliis* aliquot oblongis, glaucis seu albentibus, mollibus, alternatim positis vestitis, quàm Lini sylvestris latioribus & crassioribus vestitos. Ex alis foliorum singulorum singuli plerunque exeunt *flores* candidi, monopetali quidem, sed in quinque segmenta subrotunda eousque divisi ut pentapetali videantur, quibus succedunt in fundo calycis *semina* quaterna, eodem situ quo in Cynoglossa, verum non aspera sed rugosa tantum, & cotylode seu umbilicata.

Locus. Lusitanicæ originis esse dicitur.

CAP. V.

De Anchusa.

Ἄγχουσα παρὰ τὸ ἄγχειν, quòd vim suffocatoriam habeat dicta videtur: Aliis verò à florido radicis colore, siquidem Ἀγχίζειν est fuco illinere, quod nobis non probatur, cùm Ἀγχουσίζειν sit potiùs ab Ἄγχουσα.

Anchusa ab Echio, Lycopside, Buglossa, aliisque congeneribus radicis sanguineo succo quo manus inficiuntur, Dioscoride monente, differt.

1. *Anchusa angustifolia* C. B. *lignosior angustifolia* Lob. Park. *minor lignosior* J. B. *Item, Libanotidis species Rondeletio* ejusdem. *Anchusa* 4. Ger.

J. B.
Lignosus est frutex, pedalis aut cubitalis, *radice* subrussa, robusta; *stolonibus* rigidis, Roris-marini texturâ, alioqui glabris, sed minoribus ramis hirsutis, per quos *folia* Hyssopi Arabum foliis paria: alia Thymi Cretici capituli foliorum modo latiora, hirsuta, aspera, dura, ex eodem puncto sæpenumero plura, quorum unum reliquis longius multò, nervo unico per singula secundùm longitudinem decurrente, nullo seu odore, seu sapore. *Flores* extremis hærent ramulis, ex oblongo tubulo in calathiscum quinquepartitum, ad Primulæ veris imitationem explicati, colore purpureo, (Clusio intensè cœruleo.) *Semina* Echii aut Buglossi, satis magna, colore cinereo. Summæ virgæ Scorpiuri instar incurvantur.

Locus. In collibus sterilioribus agri Monspeliens. v. g. *aux Garigues*, propè *Castelneuf*, &c.

C. Bauhino Anchusam minorem lignosiorem Lobelii eandem cum Tragorigano notho Dalechampii plantam statuenti assentior, quicquid reclamet J. Bauhinus. Magnitudine plurimùm variat: A Lobelio enim describitur, cauliculis sesquipalmaribus, &c.

Radix, detractâ summa cute nigricante, rubescit Clusio.

Hæc proculdubio planta est quam Pr. Alpinus lib. de *Exot.* titulo Anchusæ arboreæ describit & depingit.

2. *Anchusa Monspeliana* J. B. *minor seu Alcibiadion vel onochiles* ejusdem. *Puniceis floribus* C. B. *Anchusa Alcibiadion* Ger. *minor purpurea* Park.

J. B.
Crassam longámque habet *radicem* lignosam, rubram, roseo colore tingentem. *Caules* dodrantales, hirti, per quos [ut & à radicis capite] *folia* Echii, rigidis pilis obsita, unciam unam aut alteram longa. *Flores* extremis hærent ramulis conferti, purpurascentes, longiusculi: *Semen* sequitur sublongum, cinereum. Sapor Buglossi non ingratus, acrior tamen & siccior.

Locus. In colle arenoso inter Gramontiam sylvam & Castrum novum non procul Monspelio spontaneam observavimus.

C. Bauhinus Anchusam 3. *Cam. epit* ab hac specie diversam facit, quàm rectè ipse viderit.

Vires. De Anchusæ viribus quæ Veteres habent apud ipsos videri possunt. Radix oleo soluta rubro colore tingit. Antiquæ mulieres pro fuco seu pigmento eâ uti solebant. Petroleo infusam & illitam ad vulnera recentia & puncturas commendant.

3. *Anchusa Echii foliis & floribus* C. B. *max. Galliæ & Angliæ, floribus Echii non dissimilibus, cœruleis, ad puniceum vergentibus* J. B.

Lob.
Quæ Calys & onocleia vocatur, maxima, frequentissima Galliæ & Angliæ arvis lætis, sed glareosis vel argillosis. *Radix* intus ligneo corculo, libro, corticéque crassiore amicta, sanguineo succo, santalinóve digito, inficiente, digitum æquat, sesquipalmum longa, gustu Buglossæ. *Folia* copiosa Echii aut Buglossæ angustifoliæ, lanugine spinosa, incana, cespiti incumbentia. *Caulis* plurimùm singularis, rotundus, squaber, cubitalis, thyrsulis *florum* cœruleis ad puniceum vergentibus, Echii non dissimilibus. *Semen* exiguum, oblongum, pullum.

Nihil

Nihil video in hac descriptione quod non conveniat Anchusæ Monspeliacæ: cúmque Lobelius hanc Angliæ arvis lætis frequentissimam scribat: nobis autem nihil unquam simile inventum in Anglia aut ab aliis ostensum est, judicet Lector quæ fides Lobelio habenda sit, & annon potiùs statuendum, hanc quoque Anchusæ speciem Monspeliacæ eandem esse, seu Anchusam Monspeliacam sub hoc etiam titulo descriptam esse Lobelio.

* 3. *Anchusa flore albo aut pallido Clusii,* J. B. *Anchusæ luteæ majoris varietas* C. B.

Clus.

Numerosa huic sunt *folia,* palmaris longitudinis valdè angusta, & pungente lanugine hirsuta; è quorum medio *caulis* assurgit secundo anno (primo enim ἄκαυλος est) pedalis, interdum etiam cubitalis, crassiusculus, firmus, hirtus, in multos ramos divisus, in quibus breviora multò hispidaque folia. Extremis ramis prodeunt è vaginulis hirsutis & asperis *flores,* Symphyti majoris floribus quodammodo similes, albi aut ex albo nonnihil pallescentes sive ὠχρόλευκοι, in angulos quinque divisi: quibus discussis *semen* vaginulis conspicitur viperino capiti aut Echii semini simile. *Radix* minimi digiti crassitudinem æquat, nigrâque cute tecta est, quâ sublatâ omnino rubet, & elegantissimo colore inficit: adeò autem carnosa est ut radicum vulgaris Buglossi instar condiri possit, dulcis tamen & insipida.

In plerisque Pannoniæ Austriæque siccis ac aridis locis nascitur. *Locus.*

4. *Anchusa lutea* J. B. Ger. *lutea major* Park. C. B. *major floribus luteis* J. B. **Yellow Alkanet.**

Sanguineo succo plenam habet *radicem,* perinde ut Onochiles: *caulem* hispidum, pedalem vel etiam majorem, tenuiorem, *folia* per ramos breviora, pari tamen latitudine: *flores* in cacumine congestos, & spicam ferè imitatos, concavos, Symphyti majoris, exiliores, luteos: *semen* Echio simile, nitidum, cinereum, punctulis nigris notatum, sed triangulum & mucronatum, rostelli aviculæ formâ.

In agris sterilioribus Lugduno non longè, qua Genevam itur observavimus; J. Bauhinus inter Viennam & Lugdunum invenit, & in montibus Euganeis Junio florentem. *Locus.*

* 5. *Anchusa lutea minor* C. B. J. B. Park. *Anchusa echioides lutea Cerinthes flore montana* Col. *Symphytum angustifolium Apulum* Park.

Col.

Radicem Maio mense rubentem observavimus in tenellis: in vetustioribus verò lignosa est, longa, magna respectu plantæ, foris nigra, corticosa & pilosa; ex qua multi veluti supini, elati fruticant in orbem, rubentes, sesquipedales ad summum ramuli, hirsutie obsiti alba, aspera, quemadmodum & folia, quæ angusta, Anchusæ Alcibiadis, minora, Linariæ, ferè tres uncias longa, multa circa radicis caput, in terram convexa, (multa enim germina è vetusta radice oriuntur,) quæ in caulibus sunt majora & circa summum latiora, sempérque breviora. *Flores* verò in caulium summo (qui bifurcati sunt & incurvi Scorpiuri modo) emicant, ab imo incipientes: Primò verò in ipso ramulorum divaricationis angulo, oblongi, melleo succo intus Cerinthes modo, cavi, lutei, parum circum ora ventricosi atque angulosi, in quinque lacinias parvas ora divisa habentes, ex quorum centro longus apex prodit, qui medius est inter *semina* quatuor in imo concepta, angulosa, rostrata, sed nitida, lævia, colore corticis Castaneæ, quæ demum intra oblongos, hirsutos, quinquepartitos *calices* alternatim dispositos per caulium summitates tunc erectas perficiuntur Æstate. Planta est perennis.

Maio floret. Saxosis Æquicolorum montibus Meridiei expositis oritur. *Locus & Tempus.*

* 6. *Anchusa humilis* Alpin. exot. *humilis Cretica* Park.

Alpin.

Ab una *radice* longa, pollicari crassitie, in extremum sensim ac sensim gracilescente, rubescente colore, magnitudine & figurâ radici Cardui pineæ maximè simili, in terram obliquè acta, plures surculos, * semidigito longos producit, utrinque *foliis* longis, albis, Anchusæ proximis, sed minoribus densissimè undique vestitos; atque in summitate ipsorum *flores* rubri, ad purpureum inclinantes, in suis parvis calycibus spectantur, Anchusæ majores figurâ coluteæ vesicariæ, à quibus *semina* producuntur *thecis* parvis, oblongis, asperis, albicantibus. *Radix* tempore æstatis succo rubro turget, quæ manus rubro colore inficit.

** Videtur esse error Typographi pro Semipede.*

In locis montosis & sylvis Cretæ insulæ nascitur. *Locus.*

Anchusæ arboreæ Alpin. Park.

Descriptionem vide apud Alpinum. Eadem videtur Anchusæ angustifoliæ *C. B.*

11. *Buglossæ affinis semine cotylode seu umbilicato. Linum umbilicatum* Park. App. Venus Navel.

Park.

Annua est planta *cauliculos* exserens graciles, canescentes superiùs ramosos, *foliis* aliquot oblongis, glaucis seu albentibus, mollibus, alternatim positis vestitis, quàm Lini sylvestris latioribus & crassioribus vestitos. Ex alis foliorum singulorum singuli plerunque exeunt *flores* candidi, monopetali quidem, sed in quinque segmenta subrotunda eousque divisi ut pentapetali videantur, quibus succedunt in fundo calycis *semina* quaterna, eodem situ quo in Cynoglossa, verum non aspera sed rugosa tantum, & cotylode seu umbilicata.

Locus. Lusitanicæ originis esse dicitur.

CAP. V.

De Anchusa.

Ἄγχουσα παρὰ τὸ ἄγχειν, quòd vim suffocatoriam habeat dicta videtur: Aliis verò à florido radicis colore, siquidem Ἀγχουσίζειν est fuco illinere, quod nobis non probatur, cùm Ἀγχουσίζεσθαι sit potiùs ab Ἄγχουσα.

Anchusa ab Echio, Lycopside, Buglossa, aliisque congeneribus radicis sanguineo succo quo manus inficiuntur, Dioscoride monente, differt.

1. *Anchusa angustifolia* C. B. *lignosior angustifolia* Lob. Park. *minor lignosior* J. B. *Item, Libanotidis species Rondeletio* ejusdem. *Anchusa* 4. Ger.

J. B.

Lignosus est frutex, pedalis aut cubitalis, *radice* subrussa, robusta; *stolonibus* rigidis, Roris-marini texturâ, alioqui glabris, sed minoribus ramis hirsutis, per quos *folia* Hyssopi Arabum foliis paria: alia Thymi Cretici capituli foliorum modo latiora, hirsuta, aspera, dura, ex eodem puncto sæpenumero plura, quorum unum reliquis longius multò, nervo unico per singula secundùm longitudinem decurrente, nullo seu odore, seu sapore. *Flores* extremis hærent ramulis, ex oblongo tubulo in calathiscum quinquepartitum, ad Primulæ veris imitationem explicati, colore purpureo, (Clusio intensè cœruleo.) *Semina* Echii aut Buglossi, satis magna, colore cinereo. Summæ virgæ Scorpiuri instar incurvantur.

Locus. In collibus sterilioribus agri Monspeliens. v. g. *aux Garigues*, propè *Castelneuf, &c.*

C. Bauhino Anchusam minorem lignosiorem Lobelii eandem cum Tragorigano notho Dalechampii plantam statuenti assentior, quicquid reclamet J. Bauhinus. Magnitudine plurimùm variat: A Lobelio enim describitur, cauliculis sesquipalmaribus, &c.

Radix, detractâ summa cute nigricante, rubescit Clusio.

Hæc proculdubio planta est quam Pr. Alpinus lib. de *Exot.* titulo Anchusæ arboreæ describit & depingit.

2. *Anchusa Monspeliana* J. B. *minor seu Alcibiadion vel onochiles* ejusdem. *Puniceis floribus* C. B. *Anchusa Alcibiadion* Ger. *minor purpurea* Park.

J. B.

Crassam longámque habet *radicem* lignosam, rubram, roseo colore tingentem. *Caules* dodrantales, hirti, per quos [ut & à radicis capite] *folia* Echii, rigidis pilis obsita, unciam unam aut alteram longa. *Flores* extremis hærent ramulis conferti, purpurascentes, longiusculi: *Semen* sequitur sublongum, cinereum. Sapor Buglossi non ingratus, acrior tamen & siccior.

Locus. In colle arenoso inter Gramontiam sylvam & Castrum novum non procul Monspelio spontaneam observavimus.

C. Bauhinus Anchusam 3. *Cam. epit* ab hac specie diversam facit, quàm rectè ipse viderit.

Vires. De Anchusæ viribus quæ Veteres habent apud ipsos videri possunt. Radix oleo soluta rubro colore tingit. Antiquæ mulieres pro fuco seu pigmento eâ uti solebant. Petroleo infusam & illitam ad vulnera recentia & puncturas commendant.

3. *Anchusa Echii foliis & floribus* C. B. *max. Galliæ & Angliæ, floribus Echii non dissimilibus, cœruleis, ad puniceum vergentibus* J. B.

Lob.

Quæ Calys & onocleia vocatur, maxima, frequentissima Galliæ & Angliæ arvis lætis, sed glareosis vel argillosis. *Radix* intus ligneo corculo, libro, corticéque crassiore amicta, sanguineo succo, santalinóve digito, inficiente, digitum æquat, sesquipalmum longa, gustu Buglossæ. *Folia* copiosa Echii aut Buglossæ angustifoliæ, lanugine spinosa, incana, cespiti incumbentia. *Caulis* plurimùm singularis, rotundus, squaber, cubitalis, thyrsulis *florum* cœruleis ad puniceum vergentibus, Echii non dissimilibus. *Semen* exiguum, oblongum, pullum.

Nihil

Nihil video in hac descriptione quod non conveniat Anchusæ Monspeliacæ: cúmque Lobelius hanc Angliæ arvis lætis frequentissimam scribat: nobis autem nihil unquam simile inventum in Anglia aut ab aliis ostensum est, judicet Lector quæ fides Lobelio habenda sit, & annon potiùs statuendum, hanc quoque Anchusæ speciem Monspeliacæ eandem esse, seu Anchusam Monspeliacam sub hoc etiam titulo descriptam esse Lobelio.

* 3. *Anchusa flore albo aut pallido Clusii,* J. B. *Anchusæ luteæ majoris varietas* C. B.

Clus.

Numerosa huic sunt *folia,* palmaris longitudinis valdè angusta, & pungente lanugine hirsuta; è quorum medio *caulis* assurgit secundo anno (primo enim ἄκαυλος est) pedalis, interdum etiam cubitalis, crassiusculus, firmus, hirtus, in multos ramos divisus, in quibus breviora multò hispidaque folia. Extremis ramis prodeunt è vaginulis hirsutis & asperis *flores,* Symphyti majoris floribus quodammodo similes, albi aut ex albo nonnihil pallescentes sive ὀχρόλευκοι, in angulos quinque divisi: quibus discussis *semen* vaginulis conspicitur viperino capiti aut Echii semini simile. *Radix* minimi digiti crassitudinem æquat, nigrâque cute tecta est, quâ sublatâ omnino rubet, & elegantissimo colore inficit: adeò autem carnosa est ut radicum vulgaris Buglossi instar condiri possit, dulcis tamen & insipida.

Locus. In plerisque Pannoniæ Austriæque siccis ac aridis locis nascitur.

4. *Anchusa lutea* J. B. Ger. *lutea major* Park. C. B. *major floribus luteis* J. B. **Yellow Alkanet.**

Sanguineo succo plenam habet *radicem,* perinde ut Onochiles: *caulem* hispidum, pedalem vel etiam majorem, tenuiorem, *folia* per ramos breviora, pari tamen latitudine: *flores* in cacumine congestos, & spicam ferè imitatos, concavos, Symphyti majoris, exiliores, luteos: *semen* Echio simile, nitidum, cinereum, punctulis nigris notatum, sed triangulum & mucronatum, rostelli aviculæ formâ.

Locus. In agris sterilioribus Lugduno non longè, qua Genevam itur observavimus; J. Bauhinus inter Viennam & Lugdunum invenit, & in montibus Euganeis Junio florentem.

* 5. *Anchusa lutea minor* C. B. J. B. Park. *Anchusa echioides lutea Cerinthes flore montana* Col. *Symphytum angustifolium Apulum* Park.

Col.

Radicem Maio mense rubentem observavimus in tenellis: in vetustioribus verò lignosa est, longa, magna respectu plantæ, foris nigra, corticosa & pilosa; ex qua multi veluti supini, elati fruticant in orbem, rubentes, sesquipedales ad summum ramuli, hirsutie obsiti alba, aspera, quemadmodum & folia, quæ angusta, Anchusæ Alcibiadis, minora, Linariæ, ferè tres uncias longa, multa circa radicis caput, in terram convexa, (multa enim germina è vetusta radice oriuntur,) quæ in caulibus sunt majora & circa summum latiora, sempérque breviora. *Flores* verò in caulium summo (qui bifurcati sunt & incurvi Scorpiuri modo) emicant, ab imo incipientes: Primò verò in ipso ramulorum divaricationis angulo, oblongi, melleo succo intus Cerinthes modo, cavi, lutei, parum circum ora ventricosi atque angulosi, in quinque lacinias parvas ora divisa habentes, ex quorum centro longus apex prodit, qui medius est inter *semina* quatuor in imo concepta, angulosa, rostrata, sed nitida, lævia, colore corticis Castaneæ, quæ demum intra oblongos, hirsutos, quinquepartitos *calices* alternatim dispositos per caulium summitates tunc erectas perficiuntur Æstate. Planta est perennis.

Locus & Tempus. Maio floret. Saxosis Æquicolorum montibus Meridiei expositis oritur.

* 6. *Anchusa humilis* Alpin. exot. *humilis Cretica* Park.

Alpin.

Ab una *radice* longa, pollicari crassitie, in extremum sensim ac sensim gracilescente, rubescente colore, magnitudine & figurâ radici Cardui pineæ maximè simili, in terram obliquè acta, plures surculos, * semidigito longos producit, utrinque *foliis* longis, albis, Anchusæ proximis, sed minoribus densissimè undique vestitos; atque in summitate ipsorum *flores* rubri, ad purpureum inclinantes, in suis parvis calycibus spectantur, Anchusæ majores figurâ coluteæ vesicariæ, à quibus *semina* producuntur *thecis* parvis, oblongis, asperis, albicantibus. *Radix* tempore æstatis succo rubro turget, quæ manus rubro colore inficit.

* *Videtur esse error Typograph pro Semipede.*

Locus. In locis montosis & sylvis Cretæ insulæ nascitur.

Anchusæ arborea Alpin. Park.

Descriptionem vide apud Alpinum. Eadem videtur Anchusæ angustifoliæ *C. B.*

CAP. VI.

De Echio.

Echium, Ἔχιον, à figura seminis capiti viperino similis proculdubio dictum est; Hinc conjecturam capiunt ad viperarum aliorúmque serpentum ictus valere.

Flore corniculato, seu incurvo, & ex angusto principio in latum expanso, superiore parte longiùs excurrente; inferiore breviore à reliquis Asperifoliis distinguitur.

Buglossum Echioides Indicum, Convolvuli cœrulei minoris folio Breynii.

Breyn.

E radice *caules* prodeunt pedales & majores, rotundi, angulosi, virides, leniter hirsuti; quos *folia* bina, petiolis ferè carentia, semper sibi mutuò opposita cingunt, Convolvuli cœrulei peregrini *C. B.* foliis formâ, magnitudine & hirsutie respondentia; ex quorum alis utrinque ramulus sescuncialis, pertenuis emergit, *floribus* ternis, senis, vel pluribus, Buglossi & Echii faciem mediam obtinentibus, cœrulo-purpureis, ex calycibus hirsutis, quinquepartitis emicantibus, secundùm longitudinem serie quadam digestis onustus.

Locus. Ex insula *Zeilan* habuit descriptionis Autor Jac. Breynius. *Ephemer. German.* Ann. 4 & 5. Observ. 139.

A. 1. *Echium vulgare* J. B. C. B. Park. Ger. emac. **Vipers Buglosse.**

J. B.

Caulibus est sesquicubito altioribus, hispidis, punctis nigris notatis, solidis, teretibus, *foliis* crebris, nullo ordine positis vestitis, ab imo ad summum ferè fastigium *floribus* onustis, atque iis vel cœruleis, vel ex cœruleo purpurascentibus, monopetalis, margine in quinque subrotundas lacinias diviso, amplis & speciosis, cornu venatorum figuram imitantibus, quatuor intus staminulis purpurascentibus cum stylo albo. *Calix* floris quinque segmentis longis, angustis, acutis, striatis constat, inque ejus fundo quatuor semina juncta rugosa caput viperinum figurâ suâ imitata, unde herbæ nomen. Florum nondum explicatorum spicæ caudæ Scorpii ferè in modum reflectuntur. *Folia* aspera, hirsutáque, oblonga, angusta, non crenata, maculis interdum albicantibus notata, sapore fatuo, crebra à radice, quæ longa, pollicari crassitudine, lignosa, gustu nullo eximio.

Locus. Secus vias & semitas inque muris non raró & arvis sterilioribus, Æstate tota floret.

Variat interdum floris colore albo.

Vires. De hujus viribus nihil certi traditum invenio. Wirtemb. ad Epilepsiam & fervorem Echii radicem sumendam præcipit, siccandam & in pulverem redigendam, pulverémque drachmæ semis pondere cum vino aut cerevisia propinandum. *J. B.*

2. *Echium majus & asperius flore albo* C. B. *albo flore majus* J. B.

J. B.

Præcedenti simile est, sed multo majus & asperius; robustum, rectum, in alas valdè divaricatum.

Locus. In agro Salernitano & Romano, inque Etruria & Gallia Narbonensi hoc genus observavimus, quod revera tota specie ab Echio vulgari differt, non floris colore tantùm, qui & in vulgari non raró albus invenitur: proinde non rectè à Parkinsono Echium vulgare flore albo denominatur.

* 3. *Echium majus & asperius flore dilutè purpureo* Botan. Monsp. *Lycopsis altera Monspeliaca floribus dilutè purpureis* C. B.

Locus. Circa Lateram in herbidis pratorum marginibus & circa *la Valette* sæpius collegit D. Magnol.

4. *Echium Creticum latifolium rubrum* C. B. Park. *An Echium Candiæ flore pulchrè rubente* J. B?

Clus.

Ampla initio habet *folia*, mediæ inter Plantaginem & Buglossum substantiæ, humi strata, inter quæ nascebantur *caules* rotundi, scabri & asperi, frequentibus alis donati, quos ambiebant inordinata *folia* minora, hirta: extremi rami circumvolvebantur & inflectebantur, Echii & aliarum Anchusarum instar, gestabántque caliculos quinque foliolis angustis & hirtis constantes, ex quibus cavi *flores* Echii floribus non dissimiles prodibant, coloris rubri, diluti, elegantis, in quinque lacinias summis oris divisi, (quos successu temporis purpurascentem colorem contrahere observabat) è quorum umbilico exibant *staminula* ex rubro purpurascentia, *apicibus* pallidis, & medius gracilis *stilus* exalbidus & bifurcus. Flori successit *semen* Echii semini non *dissimile*. Flores dedit Julio & sequentibus mensibus. Echii Candiæ *J. B.* tota planta candidior erat Echio vulgari magis ramosa: *Flores* formâ similes, nempe hiantes, sed colore diverso, pulchro sci. rubente.

Locus. In Galliæ Narbonensis locis plurimis copiosè; circa Monspelium tamen rariùs occurrit. Flore erat dilutè rubente, uti planta Clusio descripta.

5. Echium

5. *Echium Creticum angustifolium rubrum* C. B. Park. *Cret.* 2. Clus.

Clus.

Caules huic magis scabri erant quàm priori, rotundi, parvis maculis rubris distincti, Serpentariæ ferè ritu: *folia* promebat quatuor aut quinque pænè uncias longa, unam lata, pallidioribus maculis aspersa: *Flores* extremis ramulis nascebantur egregiè rubentes, nativam rubedinem etiam adulti retinentes, è quorum umbilico majora duo staminula prodibant & tria minora, quorum tertium reliquis minus, omnia autem apicibus albis prædita. Florere incipiebat sub extremum Julium.

Hanc speciem caulibus maculatis, asperioribus, & ferè spinosis, magis procumbentibus observavi in Sicilia propè Messanam. *Locus.*

* 6. *Echium rubro flore* Ger. emac. Clus. J. B. Park. *sylvestre hirsutum maculatum* C. B.

Clus.

Hæc planta adeò in paucis à præcedente differt, ut vix possim mihi persuadere specie distingui: Clusius tamen pro distincta eam ponit, & sic describit; Oblonga & angusta habet *folia*, villosa, vulgaris Echii foliis ferè similia, paulò tamen latiora, humi strata: *Caulem* modò pedalem, modò cubitalem, firmum, striatum, lanuginosum, maculisque purpureis conspersum; quem incondito ordine multa ambiunt *folia*, infernis breviora & angustiora, non minùs tamen hirsuta. Summum caulem exornant multi breves ramuli, in se veluti convoluti, atque Scorpiuri instar inflexi, pleni *florum* vulgaris Echii floribus similium, sed colore rubro eleganti præditorum, qui proximè caulem primùm aperiri incipiunt. Excusso flore *semen* ut in aliis Echii generibus apparet in caliculis nigrum, viperino capiti simile sed minus. *Radix* satis longa, dura & lignosa, nigro cortice tecta, summo capite multos interdum caules promens, sed maxima ex parte duntaxat unicum.

Abundè admodum siccis pratis supra & infra Sopronium Ungariæ urbem, nusquam verò alibi hanc plantam observabat Clusius, Maio florentem, nunc saturatè rubentem, modò dilutiore colore præditam. *Locus.*

Lycopsis Ægyptiaca C. B. Park.

* 7. *Echium pumilum album* C. B. *Echioides parva alba* Park. *parva alba amphibia* Col.

Col.

Dodrantalis est planta aut summum pedalis, *radice* parva, pennæ Anserinæ calami crassitie, fusca foris, intus alba, at Maii fine Æquicolis & Valvensibus rubescere observavimus, dulci sapore; ex qua *caulis* crassior duplo supradicta fructicat, ab imo duabus vel tribus alis divisus, subrubens, rotundus, asper, *foliis* alternatim vestitis per intervalla oblongis, parvis, Oleæ minoribus, semiunciam latis, longitudine quadrantali, virentibus, alba hirsutie aspera parùm obsitis, in summo ut in superiore in tres ramulos divisus, in quibus alternatim eodem modo minora foliola disposita hærent: inter quæ *flores* ex calicibus hirsutis quinquepartitis superiori similes atque majores parùm, albicantes emicant; *Semina* in imo habentes quaterna, majora parùm superiore atque rugosa, aspera & etiam intorto rostro.

Eodem tempore cum superiore floret atque perficitur. In agris incultis ubique Cirinolæ frequens atque etiam Æquicolorum montibus circa sepes. *Locus.*

* 8. *Echium tenuifolium* J. B.

J. B.

Densis *ramis* præditum est, tenuissimis illis quidem & Satureiæ ramulos crassitudine vix superantibus, multò tamen hispidioribus Echii vulgaris, hoc est, & longioribus & rigidioribus & crebrioribus veluti spinulis horrentibus. *Folia* Satureiæ foliis paria, multa etiam tenuiora, asperitate majore quàm Echii nostratis. *Flores* recurvis ramulorum scapis hærentes satis magni, patuli, cœrulei.

Hæc planta ad Anchusam sylvestrem lignosiorem accedit, florum figurâ differt.

9. *Echium Hispanicum flore calcari donato* C. B. Park.

C. B.

Radicem habet lignosam, fibrosam, cortice ad ruffum vergente tectam; à qua *cauliculi* plures, alii palmares, alii breviores, rotundi, nonnihil villosi, humum versùs reclinati prodeunt, qui *foliis* rarioribus, brevioribus, Veronicæ Alpinæ similibus, crassiusculis & asperiusculis cinguntur. *Flores* in cauliculorum summis cœrulei, oblongi, cavi, calcari ut Linaria donati, ex hirsuto brevique calice prodeuntes, ex uno folio compositi, at in summitate in lacinias quaternas divisi; quibus delapsis in conceptaculis *semen* oblongiusculum, durum, rugosum, ut in Echio vulgari succedit.

In Granadæ montibus inventum est. *Locus.*

Flos calcari donatus, & semen in conceptaculis hanc plantam ad diversum genus pertinere arguunt: verùm ob descriptionis imperfectionem ad quodnam propriè pertineat definire nequimus; hic ergo tantisper locum habeat, donec certiùs nobis constiterit quò referenda sit.

Ab Echio luteo minimo non multùm differre videtur, si non idem prorsus sit.

10. *Echium Creticum album* Park. [*potiùs luteum.*] *Echium Creticum* Alpin. exot. *An Echium flavo flore* Clus. cur. post?

Alpin.

Hæc planta fert ab radice complura *folia* oblonga, tenuia, in acutum desinentia, albicantia, quadantenus ad Anchusam accedentia, sed longè minora, crassa, pilis velut spinis tenuibus aspera atque horrentia. *Cauliculos* è medio foliorum producit, palmum vix altos, rotundos, asperos, pilis tenuibus durisque obsitos: in his parva *foliola*, longa, aspera paucissima sine petiolis cernuntur, itidem albicantia; non utrinque, sed ex uno latere inordinatim longo intervallo posita. In summis verò cauliculis *flores* multi sparsim in suis asperrimis calycibus parvis, oblongis, quasi corymbos seu umbellam facientibus exeunt, lutei, Anchusæ similes. Quibus succedunt *semina* parva, albicantia, tritici magnitudine, figurâ capita viperina apprimè referentia. *Radix* parva, lignosa subest & nigra, in parvas radiculas divisa.

Pro Echio è Creta hujus semina accepit Pr. Alpinus.

Echium pumilum flore luteo C. B. *Park.* hoc est Ech. flavo flore *Clus. cur. post.* huic eadem videtur.

11. *Echium nigrum flore eleganti* Alpin. exot. *Creticum nigrum* Park.

Alpin.

Planta est procera, ferens quinque *caules* & plures etiam, crassos, rotundos non in rectum sed obliquè actos, & quasi in terra stratos, *foliis* multis, densis, oblongis, in acutum desinentibus vestitos, asperos, spinulis acutis undique armatos. Et folia & fructus eodem modo spinulis prædita sunt. In ramulorum summitatibus *flores* visuntur, haud ita parvi ut in aliis Echiis, longi, versicolores, ita ut quidam ex floribus purpurascant, alii cyaneo colore dilutiore cernantur. *Flores* figurâ ad parvas Campanulas accedunt, sed ora hiantia habent, ac ex iis singulis quatuor aut quinque filamenta tenuissima promunt: parum odoris respirant. A floribus in ramulis numerosis, ac simul densatis fiunt *semina*, in quibusdam vasculis oblonga, nigro colore, & figurâ viperini capitis similia. *Radice* nititur oblonga, pollicari crassitie, in tenuitatem desinente. Sapor foliorum dulcis, subacris.

Locus. Hanc (ut puto) speciem circa Messanam Siciliæ urbem observavimus.

* 12. *Echium luteum minimum* C. B. *Echioides lutea minima* Park. *lutea minima Apula campestris* Col. *An Echium flavo flore* Clus. cur. post.

Col.

Hujus *radix* tenuis est admodum, lignosa, cortice fusco Echii, intus alba; ex qua *folia* in terram sparsa, duas uncias ad summum longa, satis angusta, ut latitudine paria sint cauliculi diametro, Lino similia, sed in summo latiora, carnosa, hirsuta, duriuscula, propè caulem molliora. *Cauliculis* tribus aut quatuor fruticat, parùm supinis, dodrantalibus aut pedalibus albescentibus, rotundis, hirsutis, foliosis admodum, atque circa summum maculosis guttis ex flavo purpurascentibus, in quinq; *ramulos* aut tres vel plures aliquando, quadrantales divisam comam habentibus, foliolis densis atque utrinque alatis sive pinnatis amictos. E foliorum sinubus *flores* exeunt lutei, oblongi, tenues, pusilli, tenui tubulo, minores & angustiores aliis, sed sui proportione latiusculis oris, quinquepartitis ac stellæ modo hiantibus; in quorum calicibus succedunt *semina* quaterna, aliis minora, intorto rostro capitella exprimentia Aviculæ potiùs quàm Serpentis.

Tempus & Locus. Aprili floret, Maio perficitur, Cirinolæ frequens. Florem unicum, ut in aliis, ante alios in alarum sinu sed absque petiolo hærentem profert.

C. Bauhinus eumque secutus Parkinsonus Echium flavo flore *Clus. cur. post.* ab hoc specie distinctum faciunt, quàm rectè ipsi viderint.

A. 13. *Echium marinum* P.B. Cat.Ang. *An Buglossum dulce ex insulis Lancastriæ* Park?

Folia ei parva, glauca velut Cerinthes, figurâ ferè foliorum Betæ marinæ, sed minora multò. *Flores* exigui, cœrulei, tubulosi ceu Cerinthes, sed breviores. Singulis floribus quatuor succedunt *semina*, ut in hoc genere fieri solet. *Caules* infirmi, humi procumbentes.

Parkinsonus caules tenues cubitales aut minores ei attribuit: folia quæ ad radicem sunt Boraginis multo minora, magis glauca, asperiuscula; quæ in caulibus adhuc minora. Flores ad genicula è foliorum alis exeunt, antequam explicantur rubentes, aperti, purpuro-cœrulei, Echii nonnihil similes, seu inter Boraginis & Echii flores medii, odore dulci mellis. *Radix* crassa, exterius nigra, surculos aliquot emittit.

Locus. In Septentrionalibus Angliæ maritimis invenit, v. g. ad molendinum *Scrammerston* dictum non longè à Bervico: item in insula quadam ad oram Lancastriæ. D. Newton invenit in litore Cumberlandico non procul à *Whithaven* oppido, ni malè memini.

Nescio an rectè ad Echium retulimus: D. *Wattes* Cynoglossæ speciem facit.

CAP.

Cap. VII.

De Heliotropio.

RAtionem nominis ſuperiùs dedimus in capite de Heliotropio tricocco, inter herbas flore imperfecto donatas.

Quòd Heliotropium folia cum Sole circumagat Veteribus traditum eſt; Nos nihil tale nunc dierum in ejus foliis experimur, at neque in alterius cujuſvis plantæ. Ingenuè fateor (inquit P. * Laurembergius) quæ tot Botanici prodidère de foliis Malvæ cum Sole converſis, de Tithymalo helioſcopio, de Lupinis, de Cichorio, de Calendula, de Flore Solis, pluribúſque aliis quotidie cum Sole circumactis, cœlóque nubilo horas oſtendentibus, me nullâ uſpiam in regione, nullo tempore, etiam ſtudioſiſſimè obſervare geſtientem deprehendere potuiſſe. Flos Solis caput equidem versùs Meridiem plerunque inclinat: at quorſum ſemel inclinavit capitis pondus ibidem ſemper retinet, ubi ubi Sol verſetur.

* *Horticult. lib. 1. cap. 11. §. 7.*

At Dodonæus Heliotropium dictam hanc herbam aſſerit, non quòd ad Solis diurnum motum convertatur, ſed quòd æſtivo Solſtitio floreat, cùm Sol longiſſimè ab Æquinoctiali circulo digreſſus ad ipſum rurſus τροπὴν ſive converſionem faciat.

1. *Heliotropium majus* Lob. Ger. Park. *majus flore albo* J. B. *majus Dioſcoridis* C. B. **The greater Heliotrope, or Turnsole.**

J. B.

Planta eſt dorantalis & major, interdum minor ratione loci, *radice* ſimplici lignoſâ: *Caulis* fungoſâ medullâ plenus, foris ex viridi incanus, tomentoſus, multis alis concavus. *Folia* ad ramulorum exortum & per ipſos ramos diſpoſita, Ocymi foliis paria, ex rotundo oblonga, nervoſa, cauli concoloria, hirſuta. *Flores* ramoſi, albi, parvi, foliolis lanuginoſis obſiti: cæterum racemus ille ſpicatus cacumen in ſe Scorpionis caudæ inſtar contorquet. *Semina* ſuccedunt triangula, brevia, cinerea, quaterna juncta, acuminibus coeuntibus globoſum capitulum efficientia.

In Gallia Narbonenſi, ínque Italia & Sicilia in agris ubique ferè luxuriat. Vidimus etiam circa Moguntiam & alibi in Germania. *Locus.*

Quæ de viribus Heliotropii habent Veteres apud ipſos vide.

Verrucas & myrmecias & thymos affricata herba valenter adimere dicitur. Efficaciſſima eſt adversùs carcinomata & ulcera gangrænoſa & tumores ſtrumoſos [tota planta Matthiolo, ſemen Lobelio.] Folia ex roſaceo illita capitis dolorem mulcent. Epotum foliorum decoctum unà cum Cumino renum calculos pellit & frangit, & inteſtinorum animalia necat. *Vires.*

* 2. *Heliotropium Siculum majus flore amplo, odorato* Bocconi.

Boc.

Cauliculo conſtat ramoſo, versùs terram reclinato: *foliis* in rotunditate oblongis, candicantibus, leviter hirſutis & quaſi villoſis ſeu lanugine obductis. Heliotropio vulgari non abſimile eſt quoad caulium & foliorum compoſitionem: *floribus* autem variat, qui multò majores ſunt & ſuaveolentes, Smilacis aſperæ aut Meliloti ritu. Caulis faſtigio flores ſæpe velut in umbellam congeſti verſus extremum cohærentes, alioqui ſecundùm ramulorum flexum, ut in vulgari, ordine peramœno digeruntur.

Non longè *Catana* in aſperis & ſegetibus copioſè creſcit vulgari permixtum. *Locus.*

3. *Heliotropium Indicum Hormini folio* Hort. Reg. Pariſ.

Hujus quod ad me tranſmiſit ſpecimen inſignis Botanicus *D. Sloane*, non multum differre viſum eſt à vulgari Heliotropio majore præterquam magnitudine, & quòd non uſque adeò incanum ſit.

* 4. *Heliotropium ſupinum Cluſii & Lobelii* Ger. *minus ſupinum* C. B. *minus quorundam ſive ſupinum* J. B. *majus ſupinum* Park.

Cluſ.

Majori perquam ſimile eſt, minus tamen, graciliores enim fert *ramulos*, in multas alas diviſos, aliquantulum lanuginoſos, humi ſtratos. *Folia* majori ſapore, colore, formâ ſimilia, minora tamen & Ocymi foliis proxima: extremi ramuli Scorpionis caudæ inſtar etiam incurvantur, eiſque ordine inſident (ut in majore) candidi *floſculi*; quibus ſuccedit *ſemen* non quadrifariam ut in illo diviſum aut quaterna ſimul juncta, ſed unicum ferè ſemper, interdum geminum, illo majus & oblongius, fuſcum, quodam cortice ſive membranâ tanquam pericarpio incluſum: Sub foliis aliquando etiam latent pedicelli, terna aut quaterna duntaxat ſemina ſuſtinentes. *Radix* parva, foris nigricans, hyeme perit, & deciduo ſemine ſingulis annis novæ plantæ renaſcuntur.

Non poſſum aſſentiri Cluſio, ſemina ſingula ſingulis floſculis naturaliter ſuccedere, licet ex accidenti id ſæpiùs contingat, ut in Lithoſpermo vulgari.

C. Bauhinus, Gerardus & Parkinſonus duas conſtituunt Heliotropii minoris ſpecies, verùm præter rationem, & per errorem ut nobis videtur. Vide J. B. tom. 3. pag. 605.

Heliotropium tricoccon quære inter Herbas flore imperfecto.

5. *Jacu*

10. *Echium Creticum album* Park. [*potiùs luteum.*] *Echium Creticum* Alpin. exot. *An Echium flavo flore* Cluſ. cur. poſt?

Alpin.

Hæc planta fert ab radice complura *folia* oblonga, tenuia, in acutum deſinentia, albicantia, quadantenus ad Anchuſam accedentia, ſed longè minora, craſſa, pilis velut ſpinis tenuibus aſpera atque horrentia. *Cauliculos* è medio foliorum producit, palmum vix altos, rotundos, aſperos, pilis tenuibus duriſque obſitos: in his parva *foliola*, longa, aſpera pauciſſima ſine petiolis cernuntur, itidem albicantia; non utrinque, ſed ex uno latere inordinatim longo intervallo poſita. In ſummis verò cauliculis *flores* multi ſparſim in ſuis aſperrimis calycibus parvis, oblongis, quaſi corymbos ſeu umbellam facientibus exeunt, lutei, Anchuſæ ſimiles. Quibus ſuccedunt *ſemina* parva, albicantia, tritici magnitudine, figurâ capita viperina apprimè referentia. *Radix* parva, lignoſa ſubeſt & nigra, in parvas radiculas diviſa.

Pro Echio è Creta hujus ſemina accepit Pr. Alpinus.

Echium pumilum flore luteo *C. B. Park.* hoc eſt Ech. flavo flore *Cluſ. cur. poſt.* huic eadem videtur.

11. *Echium nigrum flore eleganti* Alpin. exot. *Creticum nigrum* Park.

Alpin.

Planta eſt procera, ferens quinque *caules* & plures etiam, craſſos, rotundos non in rectum ſed obliquè actos, & quaſi in terra ſtratos, *foliis* multis, denſis, oblongis, in acutum deſinentibus veſtitos, aſperos, ſpinulis acutis undique armatos. Et folia & fructus eodem modo ſpinulis prædita ſunt. In ramulorum ſummitatibus *flores* viſuntur, haud ita parvi ut in aliis Echiis, longi, verſicolores, ita ut quidam ex floribus purpuraſcant, alii cyaneo colore dilutiore cernantur. *Flores* figurâ ad parvas Campanulas accedunt, ſed ora hiantia habent, ac ex iis ſingulis quatuor aut quinque filamenta tenuiſſima promunt: parum odoris reſpirant. A floribus in ramulis numeroſis, ac ſimul denſatis fiunt *ſemina*, in quibuſdam vaſculis oblonga, nigro colore, & figurâ viperini capitis ſimilia. *Radice* nititur oblonga, pollicari craſſitie, in tenuitatem deſinente. Sapor foliorum dulcis, ſubacris.

Locus. Hanc (ut puto) ſpeciem circa Meſſanam Siciliæ urbem obſervavimus.

* 12. *Echium luteum minimum* C. B. *Echioides lutea minima* Park. *lutea minima Apula campeſtris* Col. *An Echium flavo flore* Cluſ. cur. poſt.

Col.

Hujus *radix* tenuis eſt admodum, lignoſa, cortice fuſco Echii, intus alba; ex qua *folia* in terram ſparſa, duas uncias ad ſummum longa, ſatis anguſta, ut latitudine paria ſint cauliculi diametro, Lino ſimilia, ſed in ſummo latiora, carnoſa, hirſuta, duriuſcula, propè caulem molliora. *Cauliculis* tribus aut quatuor fruticat, parùm ſupinis, dodrantalibus aut pedalibus albeſcentibus, rotundis, hirſutis, folioſis admodum, atque circa ſummum maculoſis guttis ex flavo purpuraſcentibus, in quinq, *ramulos* aut tres vel plures aliquando, quadrantales diviſam comam habentibus, foliolis denſis atque utrinque alatis ſive pinnatis amictos. E foliorum ſinubus *flores* exeunt lutei, oblongi, tenues, puſilli, tenui tubulo, minores & anguſtiores aliis, ſed ſui proportione latiuſculis oris, quinquepartitis ac ſtellæ modo hiantibus; in quorum calicibus ſuccedunt *ſemina* quaterna, aliis minora, intorto roſtro capitella exprimentia Aviculæ potiùs quàm Serpentis.

Tempus & Locus. Aprili floret, Maio perficitur, Cirinolæ frequens. Florem unicum, ut in aliis, ante alios in alarum ſinu ſed abſque petiolo hærentem profert.

C. Bauhinus eúmque ſecutus Parkinſonus Echium flavo flore *Cluſ. cur. poſt.* ab hoc ſpecie diſtinctum faciunt, quàm rectè ipſi viderint.

A. 13. *Echium marinum* P.B. Cat.Ang. *An Bugloſſum dulce ex inſulis Lancaſtriæ* Park?

Folia ei parva, glauca velut Cerinthes, figurâ ferè foliorum Betæ marinæ, ſed minora multò. *Flores* exigui, cœrulei, tubuloſi ceu Cerinthes, ſed breviores. Singulis floribus quatuor ſuccedunt *ſemina*, ut in hoc genere fieri ſolet. *Caules* infirmi, humi procumbentes.

Parkinſonus caules tenues cubitales aut minores ei attribuit: folia quæ ad radicem ſunt Boraginis multo minora, magis glauca, aſperiuſcula; quæ in caulibus adhuc minora. Flores ad genicula è foliorum alis exeunt, antequam explicantur rubentes, aperti, purpuro-cœrulei, Echii nonnihil ſimiles, ſeu inter Boraginis & Echii flores medii, odore dulci mellis. *Radix* craſſa, exterius nigra, ſurculos aliquot emittit.

Locus. In Septentrionalibus Angliæ maritimis invenit, v. g. ad molendinum *Scrammerſton* dictum non longè à Bervico: item in inſula quadam ad oram Lancaſtriæ. D. Newton invenit in litore Cumberlandico non procul à *Whithaven* oppido, ni malè memini.

Neſcio an rectè ad Echium retulimus: D. *Wattes* Cynogloſſæ ſpeciem facit.

CAP.

Cap. VII.

De Heliotropio.

RAtionem nominis ſuperiùs dedimus in capite de Heliotropio tricocco, inter herbas flore imperfecto donatas.

Quòd Heliotropium folia cum Sole circumagat Veteribus traditum eſt; Nos nihil tale nunc dierum in ejus foliis experimur, at neque in alterius cujuſvis plantæ. Ingenuè fateor (inquit P. *Laurembergius) quæ tot Botanici prodidêre de foliis Malvæ cum Sole converſis, de Tithymalo helioſcopio, de Lupinis, de Cichorio, de Calendula, de Flore Solis, pluribúſque aliis quotidie cum Sole circumactis, cœlóque nubilo horas oſtendentibus, me nullâ uſpiam in regione, nullo tempore, etiam ſtudioſiſſimè obſervare geſtientem deprehendere potuiſſe. Flos Solis caput equidem versùs Meridiem plerunque inclinat: at quorſum ſemel inclinavit capitis pondus ibidem ſemper retinet, ubi ubi Sol verſetur.

* *Horticult. lib. 1. cap. 11. §. 7.*

At Dodonæus Heliotropium dictam hanc herbam aſſerit, non quòd ad Solis diurnum motum convertatur, ſed quòd æſtivo Solſtitio floreat, cùm Sol longiſſimè ab Æquinoctiali circulo digreſſus ad ipſum rurſus τροπὴν ſive converſionem faciat.

1. *Heliotropium majus* Lob. Ger. Park. *majus flore albo* J. B. *majus Dioſcoridis* C.B. **The greater Heliotrope, or Turnſole.**

J. B.

Planta eſt dorantalis & major, interdum minor ratione loci, *radice* ſimplici lignoſa: *Caulis* fungoſâ medullâ plenus, foris ex viridi incanus, tomentoſus, multis alis concavus. *Folia* ad ramulorum exortum & per ipſos ramos diſpoſita, Ocymi foliis paria, ex rotundo oblonga, nervoſa, cauli concoloria, hirſuta. *Flores* ramoſi, albi, parvi, foliolis lanuginoſis obſiti: cæterum racemus ille ſpicatus cacumen in ſe Scorpionis caudæ inſtar contorquet. *Semina* ſuccedunt triangula, brevia, cinerea, quaterna juncta, acuminibus coeuntibus globoſum capitulum efficientia.

Locus. In Gallia Narbonenſi, ínque Italia & Sicilia in agris ubique ferè luxuriat. Vidimus etiam circa Moguntiam & alibi in Germania.

Quæ de viribus Heliotropii habent Veteres apud ipſos vide.

Vires. Verrucas & myrmecias & thymos affricata herba valenter adimere dicitur. Efficaciſſima eſt adversùs carcinomata & ulcera gangrænoſa & tumores ſtrumoſos [tota planta Matthiolo, ſemen Lobelio.] Folia ex roſaceo illita capitis dolorem mulcent. Epotum foliorum decoctum unà cum Cumino renum calculos pellit & frangit, & inteſtinorum animalia necat.

* 2. *Heliotropium Siculum majus flore amplo, odorato* Bocconi.

Boc.

Cauliculo conſtat ramoſo, versùs terram reclinato: *foliis* in rotunditate oblongis, candicantibus, leviter hirſutis & quaſi villoſis ſeu lanugine obductis. Heliotropio vulgari non abſimile eſt quoad caulium & foliorum compoſitionem: *floribus* autem variat, qui multò majores ſunt & ſuaveolentes, Smilacis aſperæ aut Meliloti ritu. Caulis faſtigio flores ſæpe velut in umbellam congeſti verſus extremum cohærentes, alioqui ſecundùm ramulorum flexum, ut in vulgari, ordine peramœno digeruntur.

Locus. Non longè *Catana* in aſperis & ſegetibus copioſè creſcit vulgari permixtum.

3. *Heliotropium Indicum Hormini folio* Hort. Reg. Pariſ.

Hujus quod ad me tranſmiſit ſpecimen inſignis Botanicus *D. Sloane*, non multum differre viſum eſt à vulgari Heliotropio majore præterquam magnitudine, & quòd non uſque adeò incanum ſit.

* 4. *Heliotropium ſupinum Cluſii & Lobelii* Ger. *minus ſupinum* C. B. *minus quorundam ſive ſupinum* J. B. *majus ſupinum* Park.

Cluſ.

Majori perquam ſimile eſt, minus tamen, graciliores enim fert *ramulos*, in multas alas diviſos, aliquantulum lanuginoſos, humi ſtratos. *Folia* majori ſapore, colore, formâ ſimilia, minora tamen & Ocymi foliis proxima: extremi ramuli Scorpionis caudæ inſtar etiam incurvantur, eíſque ordine inſident (ut in majore) candidi *floſculi*; quibus ſuccedit *ſemen* non quadrifariam ut in illo diviſum aut quaterna ſimul juncta, ſed unicum ferè ſemper, interdum geminum, illo majus & oblongius, fuſcum, quodam cortice ſive membranâ tanquam pericarpio incluſum: Sub foliis aliquando etiam latent pedicelli, terna aut quaterna duntaxat ſemina ſuſtinentes. *Radix* parva, foris nigricans, hyeme perit, & deciduo ſemine ſingulis annis novæ plantæ renaſcuntur.

Non poſſum aſſentiri Cluſio, ſemina ſingula ſingulis floſculis naturaliter ſuccedere, licet ex accidenti id ſæpiùs contingat, ut in Lithoſpermo vulgari.

C. Bauhinus, Gerardus & Parkinſonus duas conſtituunt Heliotropii minoris ſpecies, verùm præter rationem, & per errorem ut nobis videtur. Vide J. B. tom. 3. pag. 605.

Heliotropium tricoccon quære inter Herbas flore imperfecto.

5. *Jacua acanga Brasilianis, Scorpioidis species* Marggravio.

Marggr.

Assurgit in duorum aut trium pedum altitudinem; *caule* hirsuto, piloso, multis ramis prædito. *Folia* bina sibi opposita cum aliis parvulis habet, vel etiam quandoque solitariè posita, suntque corrugata, similia foliis Scarleiæ, raris pilis vestita, oblonga. In extremitatibus superiorum ramorum enascitur spica, decem aut duodecim digitos longa, in qua unicus ordo flosculorum, coloris è luteo & cœruleo mixti: Quilibet flosculus autem figuram habet parvi calicis; extremitas spicæ curvata esse solet instar floris vulgaris Scorpioidis. Post flores sequitur *semen* Milii nostratis similitudine, flavum, triangulare, & circa extremitatem acuminatum, figurâ penè Fegopyri, sed fusci coloris. *Radix* pedem aut sesquipedem longa est, ferè recta, pauca aut nulla filamenta habens, cortice fusco, intus alba, lignosa ac lenta, sapore subdulci, sed parùm manifesto.

Alia Species. Reperitur & alia species planè priori similis, nisi quòd paullo major sit quoad caules. *Radix* eadem est; *folia* paullò molliora, spica quoque ut in priore incurvata: *flosculi* albi seu lactei, quinque foliis constantes: *semen* denique rotundum, non triangulare, ut in priore.

CAP. VIII.

De Buglosso Echioide, seu Echio lappulato.

A. *Buglossum sylvestre caulibus procumbentibus* C.B. *Borago minor sylvestris* Park. *Cynoglossa fortè topiaria Plinio, Echium lappulatum quibusdam* J. B. *Aparine major Plinii* Ger. **Small wild Bugloss, Great Goose-grass, German Madwort.**

J. B.

E Radice admodum tenui, alba, simplici exeunt cauliculi bicubitales & etiam longiores, angulosi, brachiati, concavi, uncinulis [secundùm angulos] rigidis, asperis ad vestes adhærentes, per terram se spargentes, nisi in propinquo sit quod scandant. Folia in caulibus imis singularia, in summis nunc bina aut terna, interdum etiam quaterna simul, duas uncias longa, utrinque reducta & angusta, quorum infima superioribus obtusiora, brevi lanugine hirsuta. Flosculi perexigui, ex viola purpurascentes, ex alis foliorum singulis singuli plerunque exeunt, [interdum in ipsa ramulorum divaricatione consistunt singulares] brevibus pediculis donati, quinquepartiti. Flore dilapso pediculi reflectuntur ad aversam aut pronam caulis partem ex adverso foliorum è quorum sinubus exeunt, quæ sursum tendunt. Calix autem floris in vasculum seminale amplum & velut bivalve, triquetrum quidem, marginibus tamen in plures angulos seu acutas lacinias divisis dilatatur, semina quatuor simul juncta claudens, compressa, fusca, sesamoideis paulò majora. Odor & sapor totius plantæ qui Boragini. Summitates caulium & ramorum floribus onusti, antequam aperiantur caudæ Scorpii in modum reflectuntur, ut in hujus generis reliquis.

Planta hæc, ob formam fructûs seu vasculi seminalis Atriplicis latifoliæ foliis aut Anseris avis pedibus similis, χηνοπόδιον F. Columnæ denominatur.

Tempus. Maio mense apud nos florere incipit, & cùm semen perfecit radicitus exarescit.

Locus. In Anglia rariùs occurrit. Propè oppidum *Novum-Mercatum* dictum, in sepe quadam non longe à templo domui Regiæ proximo, secus semitam quæ ad oppidum ducit, observavimus; item propè *Boxley* vicum in agro Sussexiensi; demum in insula *Sancta* dicta, Anglicè *Holy-Island*, Northumbriæ adjacente. In Æquicolorum montibus observavit Columna.

Usus. Elixam, inquit, mandunt montani Valuenses pulmenti modo, apud quos etiam oritur.

In Italia folia majora evadunt quàm apud nos, admodum (inquit F. Columna) majora & latiora quàm Rubiæ, quibus ea comparat [& verè] Lobelius, semipedali nimirum longitudine, duas uncias lata.

Varietas. Hujus aliam seu speciem seu varietatem observavit Chr. Mentzelius, quam Buglossum caulibus procumbentibus tenerius, floribus albis vocat: Furstenwaldiæ aliisque in locis Marchiæ Brandeburg. ad sepimenta provenientem.

CAP. IX.

De Lithospermo.

LIthospermum à lapidea seminis duritie nomen accepit. *Milium Solis* Officinis dicitur, licèt fortasse rectiùs Mauritanorum imitatione *Milium Soler* vocaretur: quandoquidem (ut scribit Serapio) frequens nascitur in montibus *Soler*: Milium autem dicitur à seminis similitudine, quòd & splendore & duritia cum semine Milii convenit. Nostratibus corruptè **Gromill** dicitur pro **Graymill**, id est, Milio griseo.

Notæ ejus sunt *semen* lapideum, splendens, *flos* in quinque segmenta expansus.

A. 1. *Li-*

A. 1. *Lithospermum sive Milium Solis* J.B. *Lith. majus erectum* C. B. *minus* Ger. *vulgare minus* Park. **Gromill, or Gromwell.**

Pollicari circiter crassitudine est radix, lignosa, perennis, fibras aliquot à latere fundens. Caules indè exurgunt complures, cubitales aut sesquicubitales, recti, rigidi, teretes, tactu asperi, solidi, ramosi, foliis crebris, nullo ordine positis hirsutis, longis, angustis, in acutum mucronem desinentibus, sine pediculis adnatis, vestiti. Quæ in summis caulibus & ramulis sunt folia latiora sunt & breviora pro magnitudinis ratione, & saturatiùs viridia. Flosculi in summitatibus caulis & ramorum, ex singulis foliorum alis singuli, ex herbaceo albidi, monopetali, parvi, in quinque obtusa segmenta partiti, pediculis brevibus insident. Calix hirsutus quinque angustis acutis laciniis constat. Singulis flosculis naturaliter quaterna succedunt semina, quamvis rariùs ultra bina aut terna perficiantur, sunt autem colore cinereo, politi lævoris & invictæ duritiei.

In agrorum marginibus siccioribus, in viis publicis & dumetis non ità infrequens est. Floret Maio & Junio mensibus, surculi autem floribus onusti, antequam flores explicantur, eodem modo reflectuntur seu contorquentur quo in aliis hujus generis herbis. *Locus.*

Semen Lithospermi renes absterget, urinam ciet, calculum insigniter comminuit & expellit, Autore Dioscoride. At qua id qualitate præstat? Diuretica, docente Galeno, eousque calida & sicca esse convenit, ut liquare & fundere sanguinem possint: Lithospermi semen nec acre est nec amarum, nec ullius alterius qualitatis particeps quæ calorem indicet. Oportet ergo ut specifica ut vocant proprietate calculum comminuat. Nullus autem hic à nimia dosi metus, cùm nulla hìc insignis qualitas sit. *Vires.*

An autem frangere possit lapidem jam concretum, quod quidam promittunt, equidem valdè nescio, inquit C. Hofmannus: & J. Bauhinus, Ego quidem non existimo, neque hoc semen, nec ullum aliud remedium calculos frangere. Pituitam & crassos humores, arenulas aut calculos glutinantes dissolvi & pelli posse medicamentis idoneis, fortè etiam hoc semine, concedo.

Matthiolus ʒij magno (ut ait) successu dat in lacte muliebri parturientibus.

A. 2. *Lithospermum majus Dodonæi, flore purpureo, semine Anchusæ* J. B. *majus* Ger. *vulgare majus* Park. *minus repens latifolium* C. B.

J. B.

Surculis prociduis pluribus donatum est, pedalibus & cubitalibus, tenuibus, nigricantibus, hispidis, subinde fibras agentibus; quos *folia* vestiunt uncias duas circiter longa, semunciam lata, in acumen desinentia, ex saturo virore nigricantia, hirsuta, aspera. *Flores* extremis hærent ramulis conferti, majores quàm Anchusæ alterius, violacei. *Semina* Anchusarum vel Echiorum, albicantia, rugosa. *Radix* longa crassa, lignescens, tortuosa, nigra.

Caulis ille qui flores sustinet erigitur, & foliis longioribus, pallidiùs virentibus amicitur. Icon hujus plantæ apud Clusium aliósque eam meliùs repræsentat quàm descriptiones eorundem.

Miror cum J. Bauhino hanc referri ad Lithospermum, quum potiùs semina habeat Anchusarum vel Echiorum seminibus similia.

In colle quodam prope *Denbigh* oppidum in Wallia: invenimus & in agro Somersetensi non longè à *Taunton* oppido. *Locus.*

Lithospermum Anchusæ facie *Lob.* i. e. minus erectum *C. B.* ab hoc non diversum putamus, *C. B.* quidem in eo differre ait quòd non repat: at Lobelius illud non dicit, quamvis figura repentem non repræsentet.

* 3. *Lithospermum angustifolium umbellatum* C. B. Park. Bocc.

C. B.

Cauliculo est palmo minore, rotundo, quem *folia* strictissima, oblonga, nonnunquam utrinque bina ambiunt: In cujus summitate flores quasi in umbellam dispositi, cœrulei, parvi, oblongi, cavi, per oras in quinque crenas divisi.

A sequente non alia in re quàm foliorum angustiâ distinguitur. *Locus.*

* 4. *Lithospermum umbellatum latifolium* Bocconi.

Bocc.

E *radice* lignosa *caulis* illi cubitalis exoritur, sarmentosus, in multas alas seu ramusculos divisus. *Folia* oblonga, Oleæ æmula, angusta, aspera & saturatè viridia. *Flosculi* caulium fastigia occupant, in Umbellam veluti cohærentes, coloris purpurei, quinque petalis constantes: quorum singulis succedunt *semina* duritie lapideâ donata.

Ad *Panormum* Siciliæ in cautibus montis *Peregrini* gignitur. *Locus.*

A. 5. *Anchusa degener facie Milii solis* Ger. emac. *Lithospermum nigrum flore albo, semine Echii* J. B. *Lith. arvense radice rubra* C. B. *arv. radice rubente* Park. **Bastard Alkanet or Gromill, Salfern.**

J. B.

Radice nititur simplici, lignosa, rubente, annua: ex qua nunc unus, nunc plures exurgunt *caules* pedales & longiores, hispidi, summa parte ramosi, solidi, striati, virentes, *foliis* vestiti ad *Milii solis* vulgaris folia accedentibus, in caule minùs crebris, nec adeò nervosis, mollioribus, minoribus, asperis,

asperis, nigricantibus, de quorum magnitudine quò superiorem locum occupant eò plus decedit. *Flores* in summis ramulis ex alis foliorum egrediuntur singulis singuli, pediculis brevibus insidentes, quinque oblongis, angustis, hirsutis calicis foliis obvallati, Milii solis flosculis similes, verùm non herbacei sed albi: Singulis flosculis quaterna (ut in hujus generis reliquis) succedunt *semina*, Echii aut Buglossi seminibus similia, lævia tamen & splendentia.

Locus & Tempus. Maio & Junio mensibus floret; éstque inter segetes apud nos ubique frequentissima. Florum surculi, floribus nondum explicatis pariter reflectuntur ut in Lithospermo vulgari & reliquis congeneribus.

CAP. X.

De Myosotide seu Echio Scorpioide.

Echium Scorpioides dicitur à spicis florum longis, recurvis, & antequam flores aperiantur caudæ Scorpii in modum contortis

Spicis florum prælongis cum Heliotropio convenit, seminibus splendentibus, foliis oblongis ab eodem differt.

A. 1. *Myosotis Scorpioides hirsuta* Park. *Scorpioides arvensis hirsuta* Ger. emac. *Echium Scorpioides arvense* C. B. *Scorpioides solisequum flore minore* J. B. **Mouse-ear Scorpion-grass.**

Radix ei nigra, fibrosa. *Cauliculi* culmi crassitudine, angulosi, hirsuti, nunc erecti nunc versus terram reclinati, pedalis interdum longitudinis. *Folia* sescunciam aut duas uncias longa, dimidium pollicem lata, Auriculæ muris similia, hirsuta, mucrone non admodum acuto, alternatim caulibus sine pediculis adnata. *Flores* in caulis & ramulorum summitatibus, in spicas digesti, quæ antequam flores aperiuntur, caudæ Scorpii aut Serpentis in modum se contorquent, unde nomen. Flosculi autem semuncialibus pediculis insident, parvi, monopetali in quinque tamen subrotunda segmenta partiti, qui cùm primùm explicantur purpurascunt, mox in cœruleum colorem mutantur, umbilico luteo. Succedunt in vasculo (quod idem calix floris est) hirsuto connivente *semina* quatuor.

Locus. In arvis & hortis passim, præsertim sterilioribus & requietis. Per totam ferè æstatem floret.

A. 2. *Echium Scorpioides minus flosculis luteis* C. B. *Myosotis Scorpioides minor flosculis luteis* Park. **Small yellow-flower'd Scorpion-grass.**

Hoc genus superiore omnibus suis partibus plus duplo minus est, Flores quàm illius triplo minores, cùm primò aperiuntur lutei, postea in cœruleum colorem abeunt. Spicæ florum pro plantulæ magnitudine longiores sunt; vascula seminalia majora.

Locus. In siccioribus & arenosis pascuis, inque cuniculorum vivariis copiosissimum observavi.

A. 3. *Myosotis Scorpioides palustris* Ger. emac. *Scorpioides repens* Park. *Echium Scorpioides palustre* C. B. *Scorpioides solisequum aliud flore majore cæruleo & albo* J. B. **Water-Scorpion-grass.**

Fibris multis tenuibus, primùm albentibus, deinde nigricantibus, è geniculis subinde in limum demissis *radicatur*. *Caules* teretes, striati, solidi, cubitales & longiores, tractantibus asperi, in apricis rubentes, *foliis* vestiti satis crebris, alterno vel nullo ordine positis, longis, angustis, absque pediculis adhærentibus, brevibus admodum pilis hirsutis, ut glabra videantur; è quorum alis versus summos caules ramuli crebri exeunt. *Flores* in summis caulibus & ramulis, cœrulei, monopetali, in quinque segmenta subrotunda partiti, pediculis semuncialibus aut uncialibus nixi, umbilico flavo, spicatim digesti, spicis antequam flores aperiuntur caudæ Scorpii in modum reflexis aut intortis. Singulis flosculis quaterna plurimùm succedunt semina.

Planta hæc natalibus, foliorum glabritie sed præcipuè suarum omnium partium magnitudine ab arvensi Scorpioide differt.

Locus & Tempus. Ad rivulos & in fossis palustribus. Circa finem Maii mensis florere incipit.

CAP. XI.

De Symphyto sive Consolida majore.

Symphytum ἀπὸ τοῦ συμφύειν connasci dictum esse manifestum est; ὅτι τὰ χρέα συμπήγνυσι quòd carnes conglutinet dum coquuntur additum. Floribus cylindraceis, pendulis cum Cerinthe convenit, seminibus ad singulos flores quaternis iisque lucidis & politis Lithospermi instar, ab eadem differt.

A. 1. *Consolida*

A. 1. *Consolida major* Ger. *Symphytum magnum* J. B. *majus vulgare* Park. *Symphytum, Consolida major* C. B. **Comfrey.**

J. B.

Læto [& humido] solo satis obvium, *radices* surculosas & crassas demittit, foris nigras, intus albas, sapore fatuo, sed magnopere viscido & lento. *Caules* sesquicubitales & altiores, [crassitudine digitali] inanes, hirsuti, asperi, & membraneis foliorum alatis appendicibus inæquales. *Folia* Helenii foliorum formam penè imitantur, acuta, rugosa, hispida [marginibus æqualibus] nullo ordine posita. *Flores* in summitatibus caulis & ramorum simul multi [antequam aperiuntur caudæ Scorpii in modum revoluti, veluti flores Echii Scorpioidis dicti aut Heliotropii,] penduli nolarum instar, non rarò ex pallido & luteo candicantes, interdum purpurascentes, ex calice hirsuto in quinque segmenta acuta diviso, ipsi pariter summo margine in totidem acutas lacinias partiti, quibus totidem in penito flore adnatæ ligulæ herbidæ, totidémque *stamina* brevia cum suis apicibus albidis in interstitiis ligularum. *Stylus* longus flori concolor è centro calicis oritur, dilapso flore residuus, circa quem *semina* quatuor simul juncta calicis fundo adnascuntur. Semina Echii similia, colore pullo Anchusæ degeneris dictæ, splendentia velut Lithospermi, iisdémque magnitudine paria.

Locus & Tempus. In aquosis ad rivos & fossas: Maio mense floret.

Vires. Vulnerarium est è præcipuis celeberrimum, mucilaginosum, incrassans, humorum acrimoniam obtundens. Usus præcip. in fluxionibus quibuscunque, imprimis alvi, in erosione pulmonum ac phthisi. *Schrod.* Ego (inquit J. Bauhinus, cum quo etiam sentit C. Hofmannus) nolim uti radice Symphyti in omnibus vitiis è thorace expurgandis, sed tantùm in iis quæ eveniunt à tenui, subtili & calida materia.

Flores in vino rubro coctos, bísque in die sumptos in cruenta urina optimos scribit Camerarius.

Extrinsecùs vulnerum sanguinem sistit, & fracturas ossium consolidat, quotidianâ experientiâ attestante; unde & Anglicè à nonnullis **Bone-set** dicitur. Hujus virtutis in vulneribus agglutinandis & fracturis ossium consolidandis evidens argumentum est, si modò verum experimentum illud à Veteribus proditum, Quod sci. radices Symphyti [majoris] carnium frusta quibuscum coquuntur cogant ita ut coalescant.

Radices recentes minutim concisas, tusas & impositas ad dolores podagricos leniendas, & ulcera serpentia aut etiam gangrænas compescendas commendat Parkinsonus. Explicatiùs *D. Hulse.*

Recipe hujus radicum quantum vis; tunde in mortario donec in massam redigantur, quæ super alutam extendatur & applicetur parti dolenti.

Medicamentum hoc ad dolores podagricos & nonnunquam etiam ischiadicum leniendum valere iteratis experimentis attestantibus ab amico quodam certior factus sum. Quin & multos eo usos ad brachiorum dolores cum motûs privatione conjunctos: aliquem etiam ad Venereum quendam post multas embrochationes frustra tentatas, non sine successu.

Radix Symphyti siccata & pulverisata in aqua tepida fontana dissolvatur, agitando usquedum à ferrumine aut visco Symphyti lentescere ex parte aqua advertitur: quod simplicissimum medicamentum tum adversùs hæmorrhagias, tum fracturas & luxationes artuum solertiores Chirurgorum multis aliis compositis anteponunt.

Laborat quidam ulcere cacoethe, quod Chirurgi cancrum pronunciabant, sed curare non poterant: Accedens Agyrta accipiebat Rad. Symphyti majoris, & deraso superiore cortice nigricante, reliquam ut poterat contusam & linteo inductam quotidie bis imponebat. Æger convaluit; cancer tamen recens erat, nec octo aut decem circiter septimanas excesserat. *D. Soame* ex * Observat. Hieron. Reusneri à Velschio editis.

* *Obs.* 130.

* 2. *Symphytum tuberosum* J. B. Ger. Park. *majus tuberosa radice* C. B. *item minus tuberosa radice* ejusdem. *Nam Clusius non distinguit.*

Clus.

Angulosum & quodammodo pentagonum habet *caulem*, rarissimè pedalem altitudinem superantem, succi plenum, per quem rariora quàm in Symphyto majore sparsa sunt *folia*, illísque minora, teneriora & minùs aspera, insipido ferè gustu: *flores* in summis ramis pallidos, oblongos, Symphyti majoris floribus formâ similes, concavos, inodoros, extima parte in quinque crenas divisos, quinque *staminibus* in medio flore velut in umbonem tendentibus, protuberante in medio *stylo*: caliculos deinde majoris Symphyti instar, in quibus *semen* Echii semini non dispar: *radicem* longam, ramosam, teneram & fragilem, minimi digiti crassitudine, subinde in tubera excrescentem, exiguis fibris capillatam: pediculi, calices, caules angulosi, & folia hirsuta sunt.

Locus. Invenitur in omnibus Pannoniæ & Austriæ sylvis, umbroso loco, præsertim sub fruticibus.

CAP. XII.

De Cerinthe.

CErinthe Plinio est herba folio candido, incurvo, cubitalis, capite concavo, mellis succum habente : floris avidissimæ sunt apes. Nomen est ei quòd conferat ad conficiendam ceram, quæ Græcis κηρός.

Semina in hoc genere unicuique flori bina succedunt, lævia, per maturitatem nigra; quò à reliquis omnibus hujus generis differt; aliàs enim formâ suâ, & matricibus adnascendi modo cum reliquis conveniunt. Flores cylindracei sunt, penduli, Symphyti florum instar, folia plerunque maculosa.

1. *Cerinthe major* Ger. *Cerinthe seu Cynoglossum montanum majus* C. B. *Cer. major flore luteo & rubro* Park. *quorundam major versicolore flore* J. B. **Great Mountain Honey-wort.**

Clus.

Quatuor aut quinque ramos sive *caules* habet à summo radicis capite prodeuntes, rotundos, succulentos, interdum cubitales, quos amplectuntur numerosa *folia* oblonga, circa pediculum latiora, mucrone obtuso, colore ex viridi ad cœruleum quasi tendente, candidis maculis aspersa, nonnihil villosa: è foliorum sinu nascuntur alii ramuli, Heliotropii majoris ramulorum instar sese intorquentes, pleni *florum* longiusculorum, concavorum à medio ad extimam partem flavorum, alterâ quâ caliculis inhærent, ex rubro purpureorum, quibus apes valdè delectantur: his decidentibus bina plerunque in eodem caliculo semina conspiciuntur, nigra, Ervi magnitudine, seminis Echii aut Ciceris arietini formâ: *Radix* alba, oblonga & satis crassa est, an verò perennis ubi sponte nascentem observabam ignoro.

Locus. Crescit nonnullis Lusitaniæ locis, sed copiosè per totam Bæticam. Floret loco natali novo Vere & Martio.

In montium Maximo Carthusianorum cœnobio imminentium rupibus & ruderatis locis Cerinthes majoris speciem observavi *foliis* glabris maculatis, *floribus* purpurascentibus pentagonis, *seminibus* reliquis sui generis minoribus & (quantùm memini) angulosis, *radice* (ut mihi videbatur) perenni & vivaci. Nescio an descriptæ eadem sit.

2. *Cerinthe flavo flore asperior* C. B. Ger. *major flavo flore* Park. *quorundam major spinoso folio, flavo flore* J. B. **Yellow flowered Honey-wort.**

J. B.

Feliciter (inquit J. Bauhinus) nobis adolescit cubitum unum aut duos alta, *radice* rectâ simplice: *caulibus* digitali crassitudine, rotundis, lævibus, exalbidis, in ramos plures divisis: *folia* Glasti sativi, linguam æmulantia, falcatis appendicibus ramos & caules amplectuntur, ex viridi glauca, plagellis candicantibus hic illic sparsis maculosa, spinulisque tam supina quàm prona parte asperata, in ambitu argutè crenata, sapore ferè herbaceo: *flores* ex ramulorum fastigiis dependent, plures juncti, lutei, oblongi, in calathi formam oris leviusculè diductis: quorum singulis insunt occultata quina *stamina* lutea, mucronibus atris præpilata; extrinsecus verò obvallant quinque folia angusta, oblonga, concinnè per ambitum crenata. *Semina* unicuique flori succedunt bina, Orobi ferè magnitudine, nigra foris, pulpam intus albam continentia.

Locus. In Italia & Sicilia in agrorum limitibus, inque vineis frequentissima est & ubique ferè obvia.

3. *Cerinthe quorundam major flore ex rubro purpurascente* Clus. J. B. *Cer. flore ex rubro purpurascente* C. B. *Cer. major flore purpurante* Park. **Great purple flowered Honey-wort.**

Clus.

In bipedalem utplurimum assurgunt altitudinem *caules* sive rami, statim ab radice divisi, quos ambiunt etiam alternis *folia*, jam descriptis paulò minora, ex viridi & cœruleo quasi commixti coloris, supernè maculis etiam albis conspersa: supremi rami nutant, *floresque* singulos inter folia proferunt in caliculis purpurascentibus saturis ex rubro purpureos, quibus aspersa videatur quædam albedo, longos, cavos instar præcedentium, quibus deciduis *semen* in caliculis nigrum, Boraginis semini formâ simile, *Radix* similiter alba, brevior tamen & minùs fibrosa quàm præcedentium. Annua est.

Hanc plantam Clusius non vidit, sed ex icone ad eum transmissa & notis additis descriptionem suam concinnavit, quocirca imperfectior sit oportet.

Hujus folia lævia sunt & glauca: semina omnium hujus generis maxima, lævia seu æqualia. Autumno apud nos floret & semina perficit.

4. *Cerinthe minor* C. B. Ger. *minor flavo flore* Park. *quorundam minor flavo flore* Clus. J. B.

Clus.

Gracilliorem modò descriptis habet *caulem*, cubitalem aut ampliorem, rotundum, in plures ramos divisum: *folia* etiam alternis per caulem sparsa, minora quàm præcedentis & angustiora, albis similiter maculis conspersa. Summi rami inflectuntur & nutant, frequentibus foliis magis mucronatis

cronatis tecti, è quorum alis singulares propendent *flores*, suis caliculis inhærentes, superioribus longè minores, extremis oris denticulati, prorsus flavi: quibus deciduis *semen* in caliculis continetur nigrum, altero minus, formâ tamen non dispari: *radix* etiam alba, & aliquot fibris prædita, non tamen vivax.

In Austriæ & Stiriæ agris copiosè crescit, interdum etiam hyeme in sua viriditate permanens. *Locus.*

* 5. *Cerinthe minor flore albo* Park.

Park.

Multos spargit ramos tenues, imbelles in terram resupinos, consimilibus, pallidè virentibus *foliis*, quàm tertii generis minoribus, vestitos; in quibus maculæ albæ obscuriores sunt minúsque conspicuæ quàm in plerisque hujus generis aliis. *Flores* oblongi, concavi reliquorum similes, sed minores, albi, circulo rubente circa medium cincti, è caliculis virentibus exeunt, quibus delapsis succedunt *semina* tertii generis seminibus plus duplo minora, formâ tamen persimilia, *Radix* longa, angusta, alba, semine ad maturitatem perducto quotannis marcescens.

Gulielmus Boelius ex Hispania attulit. *Locus.*

* 6. *Cerinthe folio non maculato* Clus. *folio non maculato viridi* C. B. *minor flore luteo & rubro* Park.

Clus.

Hujus *rami*, quos statim è radice plures profert, non valdè attolluntur, sed humi quodammodo procumbunt. *Folia* nullis albis maculis conspersa sunt, sed prorsus viridia & mollia, nulla tamen lanugine pubescentia, nè recens nata quidem, Isatidis foliis non valdè dissimilia. E foliorum quæ caules amplectuntur alis tenelli infirmíque nascuntur rami, sustinentes, ut in aliis generibus, frequentium foliorum comam, inter quæ oriuntur tenues, saturè purpurascentes petioli sustinentes caliculum in quinque angusta foliola divisum, amplectentia oblongiusculum *flosculum*, concavum, inferna parte flavum, mediâ purpureum, extimâ etiam flavum, in quinque lacinias divisum, continentem aliquot rigida staminula, & inter illa oblongum tenuem stylum. Floret Maio.

De loco natali nihil addit Clusius. Magna est inter hanc & præcedentem plantam convenientia & similitudo; ut suspicer unam & eandem specie esse.

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER UNDECIMUS.

QUI EST

De Plantis Verticillatis.



ERTICILLATÆ dicuntur hæ plantæ quia flosculi caulem articulatim velut verticilli amplectuntur, foliolis interspersis.

Notæ autem quibus Verticillatæ à reliquis Plantarum generibus distinguuntur, sunt folia in caule ex adverso bina, flores monopetali, labiati plurimùm aut galeati, semina ad singulos flores quaterna, quibus floris calyx pro vasculo inservit.

Ad genera Verticillatarum subalterna rectè constituenda & singulas species ritè ordinandas suisque sedibus disponendas idoneis adminiculis destituimur, cùm nec ipsi plantas vidimus, nec Botanicorum descriptiones, omissis notis generum indicibus nos expediant. Si licuisset plantas ipsas inspicere, & inter se conferre, longè certiores generum characteres dedissemus. Alii supplere & emendare possunt quæ à nobis vel minus accuratè traduntur vel omittuntur.

Pleræque omnes plantæ galeatæ & verticillatæ, annotante D. Hermans, ut ex relatione D. Palmer habeo, aromaticæ aut saltem odoratæ sunt. *Plures certè in hoc genere ejusmodi sunt quàm in alio quocunque.*

Plantæ verticillatæ fruticosæ, *hoc est quarum superficies perennat, sunt vel flore*

- *Galeato & labiato,* seu utrinque labiato,
  - *Grandi,* in spicis laxis è verticillis aliquantulum distantibus compositis, foliis latis obtusis; SALVIA.
  - *Minore,* foliis
    - *Oblongis & angustis,* florum verticillis
      - *In spicas digestis*
        - *Breviores,* floribus densiùs stipatis
          - *Habitiores,* cum foliis in summa spica; STOECHAS.
          - *Minores* & *tenuiores* seu graciliores, longis insidentes pediculis, spicæ triticeæ æmulas; LAVENDULA.
        - *Longiores,* verticillis rarioribus compositas, foliis virentibus; HYSSOPUS.
      - *Ad caulium nodos* foliis intermistis,
        - *Major,* in magnum fruticem adolescens; ROSMARINUS.
        - *Minor,* & humilior; SATUREIA *durior.*
    - *Brevibus & latiusculis,* florum & verticillis in spicas breves & habitiores digestis,
      - *Villosas* odore suavi seu vehementi; MARUM *vulgare.*
      - *Non villosas,* foliis

Latioribus

{*Latioribus* brevioribus & viridioribus; THYMUM *vulg*.
{*Oblongis* incanis & ad margines crenatis; POLIUM *mont*.

Galeâ carente, radice

{*Reptatrice humilior*, foliis quernis; CHAMÆDRYS *vulgaris*.
{*Non reptante*, foliis supernè viridibus, subtus incanis

{*Elatior & lignosior*; TEUCRIUM.
{*Humilior & odoratior*; *Marum* SYRIACUM.

SECTIO PRIMA.

De Herbis Verticillatis fruticosis, quarum superficies perennant, & lignescunt.

OB affinitatem tamen & convenientiam in notis genericis nonnullas herbaceas & annuas his admiscuimus.

CAP. I.

De Salvia.

SAlvia à *salvere* i. e. salvum esse dicitur, quòd ad multa, præsertim ad fœcunditatem salutaris sit: cùm steriles hujus usu frequenti gravidæ reddantur, quare Agrippa *sacram herbam* vocavit, Aetio auctore. Ἐλελίσφακον Dioscoridi l. 3. c. 40. quasi in tabem redacta, cum herba ipsa semper retorrida & exsucca videatur, id enim σφάκος & σφάκελος significat, folia enim attritis vestibus comparantur. *C. B.*

Notæ Salviæ genericæ sunt flores magni, hiantes, in spicis laxis, è verticillis aliquantulum distantibus compositis, folia lata, obtusa, rugosa, odor validus & vehementior.

1. *Salvia latifolia* J. B. *major* Ger. *major vulgaris* Park. *major an Sphacelus Theophrasti* C. B. **The greater or common Sage.**

E *radice* vivaci, perenni, lignosa plures exurgunt surculi lignosi, variè reflexi & intorti, valdè ramosi. *Ramuli* juniores & surculi quadrati sunt, brevi lanugine hirsuti, foliis ad intervalla ex adverso binis vestiti. *Folia* oblongis innituntur pediculis, rugosa, brevi & vix conspicua lanugine hirsuta, tres aut quatuor uncias longa, sescunciam lata, circa margines crenata, acuminata, aliàs viridia, aliàs ex purpurâ rubentia odore & sapore aromatico vehementiore. *Flores* in summis caulibus & ramulis velut in spicas digesti, verticillati, singuli singulis pediculis è sinubus foliorum concavorum triangulorum ad genicula conjugatim adnatorum ortis insidentes. *Calices* florum ampli, striati, in quinque segmenta divisi, tribus & minoribus inferiùs, duobus majoribus superiùs sitis. Flores autem cœrulei aut cœrulo-purpurei, monopetali, galeati galeæ lateribus conniventibus, labello oblongo, lato, bifido, propendente, cum duabus velut auriculis superiùs. *Stylus* tenuis incurvatus, in summo bifidus. *Stamina* duo in summo bifurca cum apicibus oblongis albidis, è floris lateribus enata. Singulis flosculis pro Verticillatarum more quatuor succedunt semina.

Summitates plantæ glutinoso quodam humore aromatico madent.

2. *Salvia nigra* C. B. *nigra vel rubra* J. B. **Red Sage.**

Ex genere Salviæ majoris est (ut rectè J. Bauhinus) non species ab ea distincta: *foliis* ex atro rubentibus, potissimum antequam excaulescat, alioqui florida folio parùm differt à majore vulgari, (inquit idem.)

At nos habemus speciem cujus folia & summitates rubent etiam postquam caulem produxit & floruit, quamvis minùs intensè. Nam varii reperiuntur in hac Salvia colorum gradus inter viridem & atro-rubentem.

3. *Salvia variegata elegans* Ger. *variegata prima* Park. parad.

Triplici colorum in eodem folio varietate viridi albo rubente pulcherrimum de se præbet spectaculum: Colores sci. ductibus non rectis solùm, sed huc illuc reflexis aut variè sparsis & velut undatis folia distinguunt. Hoc genus plerunque minus est vulgari latifolia Salvia, alioquin ei persimile. Hæc est proculdubio Salvia altera perelegans, tricolor, argentea Belgarum, *Hort. Paris.*

4. *Salvia variegata vulgaris* Ger. *variegata secunda* Park. parad. *Salvia albis foliis* C. B.

J. B.

Ex genere Salviæ majoris & hæc est, quæ folia quædam tota, quædam media ex parte candore niveo prædita habet. Hæc est Salvia foliis ex purpureo & albo variis *Hort. Paris.*

Utramque hanc speciem Cantabrigiæ in hortulo nostro aliquot annos aluimus.

Catalogus Horti Regii Paris. tertiam insuper his addit Salviæ variegatæ speciem, quam inscribit *Salviam majorem foliis ex luteo & viridi variegatis.*

Vires. Salvia nostratibus saluberrima herba existimatur, ideóque verno tempore, Maio præcipuè mense, folia ejus & turiones cum butyro comedere solent ad sanguinem depurandum, & salutem tuendam. Quoniam busones sub ea libenter stabulantur nonnisi diligenter lota & mundata in cibis usurpanda est. Ad arcendos busones & alia animalia venenata Rutam Salviæ proximam aut eidem intermixtam plantare solent Itali: secundùm vulgatum illum versiculum,

Salvia cum Ruta faciunt tibi pocula tuta.

Salvia diuretica est; menses ob crassitiem remoratos ciet, & tamen nimios emendat. Parod. est in capitis affectibus, paralysi, vertigine, tremore, catarrhis. Extrinsecùs aphthas oris abstergit (in gargarismis.)

Puncturæ vesparum & araneorum curantur repetita applicatione foliorum recentium Salviæ. *Ephemer. Germ.* An. 8, 9, 10. Aciditas enim fermenti venenosi obtunditur ab Alcali vegetabili. Hæc planta nigrescit cum Vitriolo ut Gallæ. Communicavit *D. Tancr. Robinson.*

Ad menses albos, ℞ Salviæ, Sars. paril. & Balaust. ana. Cape ℥j. manè in jusculo per aliquot dies. Est remedium Aulicarum. *Chesneau.*

Tremulæ manus auspicatissimè lavantur in vino decoctionis vel macerationis Salviæ. *S. Pauli.*

Quòd siquis ex manipulo Salviæ & Tabaci Virginiani concisi ℥ij. & p. i. atque altero tritæ Polentæ decoctum ex aceto cerevisiæ sibi paret, ut os eo proluat, aut dentes foveat dum dolent, is ab hujus usu ingens levamen persentiscet, ut aliquoties in iis comperi quibus ex vulgo id commendavi. *Simon Paulus.* Ex excerptis *D. Edv. Hulsii.*

Vim adstringendi & sanguinem sistendi Salviæ inesse cùm aliis experimentis demonstrabat illustris Veslingius, in horto Patavino plantarum vires spectantibus exponens, tum maximè hoc suo, quo sputum sanguinis eâdem herbâ cum melle exhibitâ sanatum testabatur, remedio ex Aëtio desumpto, apud quem Tetrabib. 1. serm. 1. Orpheus, Dato inquit sanguinem expuentibus succi Salviæ cyathos duos jejunis cum melle bibendos, & sanguis illico cohibetur. Communicavit *D. Soame* ex observ. Georgii Hieron. Velschii 4. collectam.

Paralysis partium deglutitioni inservientium curatur per decoctum Salviæ in vino, & continendo in ore sp. Vini infusionis thymi. *D. Hulse* ex Ettmulleri praxi.

Vinum in quo decoquitur Salvia commendatur admodum à Deckero in praxi ad dolorem acrem ventriculi, [cardialgiam]

5. *Salvia serrata crispa* J. B. *latifolia serrata* C. B. *maxima sive latifolia* Park. Curled Sage.

Hujus *folia* breviora, latiora & rotundiora sunt Salviæ vulgaris foliis [nonnulla quatuor uncias longa tres lata sunt] serrata & crispa ad margines: *Flores* in plerisque plantis purpurascunt vulgaris in modum, in nonnullis sed rariùs albent.

Hæc omnino specie distincta est à vulgari Salvia. De loco ejus natali nobis non constat: in hortis cultam sæpiùs vidimus, imò ipsi coluimus.

* 6. *Salvia folio subrotundo* C. B. Park.

C. B.

Caule est quadrato, villoso: *foliis* rotundis ad Violariæ vel Aristolochiæ rotundæ folia accedentibus, at in acumen finientibus, scabris, vulgari magis candicantibus & tenuibus.

7. *Salvia minor* Ger. *minor auriculata* J. B. *minor sive pinnata* Park. *minor aurita, & non aurita* C. B. Sage of Vertue.

J. B.

Minorem Salviam quæ minora capiat in foliis incrementa dixerunt: frutescit ea tamen, contractior interim majore, quadratis stolonibus & hirsuta canicie lanuginosis. *Folia* majori magnitudine cedunt, odore vehementiore, saporéque vegetiore vincunt, magis candicantia, quibus ad imum pinnulæ duæ oppositæ, aliquando una, est ubi nulla. Spicatos cœruleos flores ex majore promptum est discere.

* 8. *Salvia folio tenuiore* C. B. *Indica* Ger. *minor aurita odoratissima Hispanica* Park.

Præcedenti adeò similis est, ut nisi diligenter observetur, facilè pro eadem possit accipi. Differt magnitudine & staturâ plerunque minore; *foliis* minoribus & viridioribus seu minùs incanis; quòd tenerior sit & frigoris minùs patiens: *odore* gratiore & suaviore, paulò tamen vegetiore; *floribus* denique aliàs purpurascentibus, aliàs albis.

Hanc plantam Parkinsonus à Salvia Absinthite speciem diversam esse contendit, & Johnsonum Gerardi emaculatorem reprehendit quod eam pro Salvia Absinthite habuerit: an rectè examinent alii.

9. *Salvia absinthites* Ger. *minor altera* C. B. *Absinthium redolens* J. B. *minor altera flore rubente* Park. **Wormwood Sage.**

J. B.
Flore est satis magno, verticillato purpurascente [at quæ in hortis nostris colitur flore est albo:] *Folio* Salviæ minoris pari, nunc pinnato, nunc mutilo, Absinthium obolente, quem tamen odorem siccata vix reservant folia.

Habetur flore purpurascente & albo. Observandum proponit J. Bauhinus, an quæ flore est purpurascente ab alba differat, vel solo floris colore ludat.

In omnibus præterquam odore & sapore cum Salvia minore convenit, unde nec specie diversam arbitramur.

10. *Salvia Cretica pomifera* Clus. Ger. emac. *major Cretica latifolia & angustifolia, aurita & non aurita, pomifera & non pomifera* Park. *Salvia baccifera* C. B. *gallifera Cretica* J. B.

Fruticat hæc alterius Salviæ modo, in multos *ramos* sparsa, quadrangulos initio, & densa lanugine obsitos, qui deinde in ligneam substantiam transeuntes istam quadraturam amittunt, tenuiores autem rami retinent, densioréque lanugine sunt obsiti. *Folia* infernâ parte valdè lanuginosa, altera virente & veluti attrita, Salviæ latifoliæ foliorum instar, appendices utrinque secundùm pediculum habentia & velut aurita, nonnunquam etiam appendicibus carentia, nec tam ampla ut in latifolia vulgari, nec etiam adeò angusta ut in vulgari minore, quæ aurita habet folia. Extremos ramos ambiunt verticillatim seni & plures caliculi, in quibus *flores* vulgaris floribus formâ quidem similes, sed coloris ex albo purpurascentis: quibus cadentibus *semina* nascuntur in caliculis, crassiora quàm in reliquis Salviæ generibus & illos ita replentia, ut quasi baccæ appareant. Totius plantæ *odor* paulò vehementior quàm alterius Salviæ.

In Creta baccas seu poma (quæ duntaxat quædam excrescentiæ sunt) fert, uncialis interdum magnitudinis, multa lanugine obsita, orbicularia: In frigidioribus regionibus nullas fert. Gallæ hæ ad juncturas pediculo sescunciali insident.

* 11. *Salvia tenuifolia* J. B. *angustifolia serrata* C. B. *Cretica angustifolia non aurita* Park.

Clus.
Multos statim à radice profert *ramulos*, lignosos ex fusco subrubentes. *Folia* longè angustiora sunt quàm in ullo Salviæ genere, in ambitu nonnihil interdum crenata seu crispa, è quorum sinu alii pusilli ramuli prodeunt. Medius caulis in spicam purpureorum florum desinit, nullis intermixtis foliolis. *Radix* dura, lignosa, in ramos divaricata.

Nata est semine è Creta insula accepto. J. Bauhinus eam describit foliis minùs spissis, angustioribus, itémque parvis auriculis donatam.

* 12. *Salvia lanuginosa angustifolia* C. B. Park.

Caule est rotundo, crasso, lignoso, ob candidam lanuginem molli, cubitali, ramoso: *foliis* candidis angustis, brevibus, semunciam latis, duas longis, densis & scabris, odore Tanaceti: *floribus* in caulis summo quasi in spica Lamii floribus similibus, purpurascentibus, è quorum medio stamina oblonga efferuntur.

13. *Salvia fruticosa lutea, latifolia, sive Verbascum sylvestre quartum Matthioli* Park. *Verbascum Matthioli* Ger. *Verb. latis Salviæ foliis* C. B. **Yellow flowered Sage.**

Caulibus multis, quadratis, incanis, lignosis fruticat: quibus ad intervalla adnascuntur *folia* rugosa, incana, lata apicibus subrotundis, Salviæ vulgaris foliis simillima, sed majora. *Flores* verticillati, in summis præcipuè caulibus aggesti, Salviæ floribus figurâ suâ satis similes, verùm coloris diversi, nempe flavi. *Semina* quàm Salviæ majora. *Radix* lignosa, fibras multas in terram demittit. Odor satis validus, Parkinsono gravis & caput tentans, nobis non injucundus.

Locus. Circa Tauromenium Siciliæ copiosè provenit. Planta hæc à Botanicis plerisque perperam Verbascis dictis annumeratur, à quibus toto genere differt: rectiùs à Parkinsono Salviæ speciebus accensetur.

14. *Verbascum angustis Salviæ foliis* C. B. Ger. *Monspeliense flore luteo hiante* J. B. *Salvia fruticosa lutea angustifolia, sive Phlomos Lychnitis Dioscoridis Clusio* Park. *Verbasculum Salvifolium* Alpin. exot.

Clus.
Folia supra tellurem fundit crassiuscula, Salviæ tenuifoliæ pænè similia, longiora tamen & angustiora, candicantia, inferiore parte densâ & ferè albâ lanugine prorsus obsita. Inter hæc exeunt *cauliculi* dodrantales plerunque, interdum paulò majores, quadranguli, villosi & candicantes, è quorum geniculis folia longiuscula, superioribus similia nascuntur: caliculorum fastigia breviora habent & sede latiuscula prædita. *Flores* Lamii, lutei coloris, circa extremos cauliculos verticillatim ex densa lanugine & quasi villis quibusdam pallidis prodeunt, comâ plerunque inflexa & nutante. *Radix* nigricans & lignosa.

In

Locus. In collibus saxosis circa Monspelium nobis observatum est. Clusio autore, in collibus, sicciori-búsque & petrosis locis per universam Hispaniam & Lusitaniam exit.

Tempus. Floret Maio & Junio; Semen autem subruffum, præcedentis semini ferè simile in caliculis profert.

Verbascum sylv. Salvifolium Lob.

Ob descriptionis imperfectionem ad quod genus plantarum pertineat nobis non constat.

* 15. *Salvia minor Æthiopica foliis Chamælæagni asperis* Breynii.

Breyn.

Frutex est parvus, *caule* quadrato, lignoso, aspero, quandoque spadiceo, seu purpurei obsoleti coloris: ex quorum geniculis alæ utrinque cruciatim alterno versu oppositæ, binæ panduntur, itidem quadratæ & ramis aliis decussatæ: *Foliis* Chamælæagni *Dod.* minoribus, asperioribus & rugosioribus magísque venosis, per genicula binis cauli & ramis hærentibus. *Flores* in caulis & ramorum summitatibus, in spicam ramosam sunt dispositi, eadem figurâ ac colore quâ Salviæ nostratis, ex paribus etiam calyculis, at hispidioribus, aliquando pulchrè violaceis, prodeuntes. Odor totius hujus plantæ gravis, ad Hormini vergens: Sapor aromaticus.

* 16. *Salvia Syriaca Cisti fœminæ foliis, acetabulis Moluccæ* Breynii.

Breyn.

Salviæ minoris auriculatæ instar densè fruticat, multis ramis brachiata: ex quorum geniculis adversa oriuntur *folia* bina, Salviæ vulgaris multò minora, circinata. Cisti fœminæ foliis paria. *Flores* verticillatim circa summos ramulos nascuntur, è calyculis sive acetabulis Moluccæ prægrandibus, purpurascentibus prodeuntes, galericulati, ac violacei coloris. *Semen* nigrum.

Hujus Rawolfius meminit in suo Hodœporico.

* 17. *Salvia Indica arborescens* Bontii.

Frutex est surgens ultrà duorum hominum altitudinem, & tantâ copiâ crescit [in India Orientali] ut sylveta integra conficiat: nam longè latéque luxurians radices agit, non secus ac Glycyrrhiza in Europa; ità ut qui eam in hortis plantant, post aliquod tempus cum summa molestia radicitus effodiant; cùm subinde repullulascat. *Flores* fert ex albo cyaneos, ut reliquæ Salviæ. *Foliis* admodum longis est, quæ præter gratum odorem, etiam umbram commodam præstant. Si autem bene colatur in hortis, plurimum de feritate sua remittit, quod fiet si radices & luxuriantes stolones statis temporibus commodè resecentur, & tum non minùs utilis est in cibis quàm mansueta pumila apud nos. *Vires.* Nam vino maceratæ si sumas aliquot quotidie liquoris uncias, nullum præstantius invenies remedium in familiari hâc tremoris seu paralysis specie, quæ Beriberii incolis dicitur, quod ut in pluribus aliis sic in meipso cum summo utilitate expertus sum.

CAP. II.

De Lavendula seu Lavandula.

LAvendula Recentioribus dicta creditur quod balneis seu lavacris expetatur. Semen & folia (inquit Lobelius in Adv.) ad affectus matricis commendantur in fomentis & lotionibus.

Nonnulli Iphyium Plinii suspicantur, quod Hesychius λαλανίδα vulgo dictum scribit, quæ vox ad lavandulam accedit.

Martinius à leben Germanico, i. e. vivere; deducit transitivè sumpto, quia vivificat & valet ad lipothymiam seu animi deliquium, autore Matthiolo.

Ejus notæ sunt flores in spicas tenuiores triticearum æmulas, longis pediculis insidentes congesti.

1. *Lavendula major sive vulgaris* Park. *Lavendula flore cœruleo & flo. albo* Ger. *Lavandula latifolia* C. B. *Pseudo-nardus, quæ vulgò Spica* J. B. The most common or broad-leaved Lavender.

J. B.

In fruticem satis grandem & lignosum, plurimis ramulis densum adolescit, altitudine sesquicubitali aut bicubitali. *Folia* infima quidem crebra & incondita ferè, superiora, ut in toto hoc genere, ex adverso bina, alternatim sita, per intervalla longiuscula, incana, culmum aut etiam semunciam lata, duarum triúmve unciarum longitudine, nervo medium percurrente, odore vehementi, grato, sapore amaricante. Summis ramulis spicam gestat longam, verticillatis calyculis cœruleis angustis, oblongis, constantem, è quibus *flosculi* emicant cœrulei seu violacei.

Folia huic longiora latioráque multò quàm Lavendulæ minori, magis incana, non tamen adeò crebra in caulibus & ramulis: ramuli seu veriùs pediculi spicas sustinentes huic duplo majores longiorésque

gioréſque quàm illi. Spicæ quoque multò longiores & inflexæ: flores tamen ſingulares (quod mirum) quàm illius minores: Odor quoque totius plantæ vehementior.

2. *Lavendula minor ſive Spica* Ger. Park. *Lavendula anguſtifolia* C. B. *Pſeudonardus quæ Lavendula vulgo* J. B. **Narrow leaved or ſmall Lavender, by ſome Lavender-Spike.**

J. B.
Totâ quidem facie præcedenti proxima eſt, minor utcunque & humilior, pariter tamen densè fruticans: *foliis* minoribus ſeu anguſtioribus & brevioribus, nec adeò albidis, odore minùs vehementi. *Spicæ* florum, uti dictum, breviores ſunt & erectiores, *floſculi* tamen ſingulares majores.
Variat interdum floris colore albo, uti præcedens.
In Hiſpania & Gallia Narbonenſi ſponte provenit. Gaudet apricis & petroſis locis, ubi perpetuâ comâ viret, ſeu potiùs caneſcit. Junio & Julio menſibus ſpicas floribus prægnantes emittit. *Locus & Tempus.*

3. *Lavendula folio multifido* J. B. Park. *folio diſſecto* C. B. *Stœchas multifida* Ger. **Jagged Lavender.**

Cluſ.
Cubitali interdum altitudine aſſurgit, quadrangulis & hirſutis ramulis, quos multifida, tenuitérque inciſa ambiunt *folia*, lanuginoſa cinereíque coloris acris guſtûs & jucundi odoris. *Flores* in ſummis virgulis quadrangulis, nudis & lanuginoſis, ſpicæ inſtar, ut in Lavendula congeſti, cœruleo colore præditi, odorati: ſpica autem aliquantulum contorta eſt, & in quatuor veluti verſus aut ordines digeſta, alia interdum ex alia naſcens. *Radicem* habet duram, lignoſam & multis ramulis donatam, quam vivacem eſſe facilè ſibi perſuaſerit deſcriptionis autor Cluſius.
Naſcitur circa Malacam Bæticæ urbem, ubi illam primùm inveniebat Cluſius, colle quodam illi urbi vicino, Februarii menſe florentem; dende circa Murciam menſe Martio, nec uſquam alibi. *Locus & Tempus.*

4. *Lavendula latifolia. An Lav. latifolia Indica ſubcinerea, ſpica breviore* Hort. Reg. Pariſ. ? **Broad-leaved Lavender.**

Hæc ſpecies foliis brevioribus & latioribus, minúſque incanis à Lavendula vulgari differt; Odore cum ea convenit: Florum ſpicam nondum vidimus: quamvis enim hyemes noſtras haud difficulter toleret, ſpicam tamen in hortulo noſtro nunquam produxit: Si eadem planta ſit Pariſienſis & noſtra, ſpicam facit breviorem.
Lavendula ut facie ſic viribus cum Stœchade convenire videtur.
Partium eſt tenuium, cephalica ac nervina. Uſus præcip. in catarrhis, paralyſi, ſpaſmo, vertigine, lethargo, tremore artuum. In urina, menſibus ac fœtu pellendo (unde & parturientibus exhiberi ſolet) in torminibus ventris flatulentis. Extrinſecùs in lixiviis capitis ac artuum, in Maſticatoriis (pro catarrho exſiccando ac revellendo ad palatum, nè ad pulmones defluat.) *Schrod.* *Vires.*
In uſu eſt aqua deſtillata, conſerva ex floribus & oleum ſpicæ.
Florum ſpicæ cum linteaminibus & veſtimentis in arculas recondi ſolent ad odoris ſuavitatem communicandam. Schroderus eos odore ſuo pediculos fugare ſcribit.
In difficili partu ſem. Lavendulæ eſt oppidò conducibile. Duo ſequentia remedia arcana præſtantiſſima perhibentur.
Primum eſt Rondeletii, ℞ ſem. Lavendulæ ʒß. ſem. Plantaginis, Endiviæ ana ℈ij. Piperis ℈i. F. pulvis. Cape cum aquis ſequentibus, ℞ aquar. Caprifolii, Endiviæ ana ℥iij.
Secundum eſt Backmeiſteri, ℞ ſem. Lavendulæ ʒß. Succini albi præparati, borac. ℈ij. Ol. Cinnamomi gut. ix. F. l. a. pulvis, dividendus in tres æquales partes, propinandus in vino Rhenano. Hæc ſunt minimè fallacia. *Sim. Paulus* ex Annotatis D. Edv. Hulſe.
In pueris pediculoſis hoc expertus ſum (inquit A. Hieron. * Reuſnerus) Juſſi caput inungi oleo ſpicæ, & ſtatim moriebantur pediculi. *D. Soame.* * *Obſerv.* 28.
At oleum quodcunque illitum inſecta exanimat, quoniam obſtructis meatibus reſpiratoriis aerem intercipit & excludit, cujus defectu inſecta moriuntur.

Cap. III.

De Stœchade Arabica.

Stœchas ab inſulis ejuſdem nominis è regione Maſſiliæ ubi naſcitur cognomentum accepit, teſte Dioſcoride l. 3. c. 32. Plin. l. 28. c. 12. Verùm Lobelius in Adv. nobiles illas & rariſſimarum ſtirpium alumnas Stœchades inſulas huic cognomines, non ex adverſo Maſſileæ, ut perperam ex Dioſcoride perſuaſum eſt (bidui namque itinere & litore indidem abſunt) ſed è regione Olbiæ, vulgo *Hyeres*, urbeculâ olim tam lauta quàm nobili, à qua etiamnum hodie inſulæ Stœchades nomen retinent, non Maſſileæ; dicuntur namque *Hyeres* inſulæ.
Spicis habitioribus piloſis ſquamulis imbricatis, cum foliolis in earundem cacumine à Lavendula differt.

1. *Stœchas Arabica vulgò dicta* J. B. *Stœchas vulgaris* Park. *St. purpurea* C. B. *Stœchas sive Spica hortulana* Ger. **Cassidony or French-Lavender, by some Sticadore.**

J. B.

Utilis juxta ac pulcher est frutex, *radice* lignosa crassiuscula, *virgulas* emittente lignosas, cubitales, & bicubitales in ramos aliquot divisas. *Folia* per geniculos Lavendula bina, & ex alis alia minora, plura, incana, odore & sapore aromatico. Singuli *ramuli* quadranguli, plerunque foliati, uti observavimus, in *spicas* fastigiantur crassiusculas, unciales aut longiores, pilosis squamulis imbricatas, in quibus *flosculi* purpurei: præterea ex cacumine emicant foliola aliquot purpuro-violacea, visui grata, qualia ferè in Hormino Matthioli.

Locus. In Sylva Grammontia & alibi circa Monspelium, quin & medio circiter itinere inter Monspelium & Arelaten invenimus. Crescit, autore Clusio, plurimis Hispaniæ, Lusitaniæ & Galliæ Narbonensis locis, ubi floret Aprili & Maio.

Variat floris colore albo, quæ Stœchas vulgaris flore albo *Park.* quam per errorem habet pro Stœchade latifolia flore albo *C. B.*

* 2. *Stœchas longioribus ligulis* Clus. Park. *cauliculis non foliatis* C. B. *summis cauliculis nudis* Ger. **French Lavender with longer top-leaves.**

Hæc in paucis à præcedente differt, (unde unicâ descriptione utrasque complectitur Clusius) nimirum virgulis spicas sustinentibus aliquousve nudis; spicis ipsis longioribus & angustioribus, ligulis denique è summis spicis eminentibus admodum longis.

* 3. *Stœchas latifolia flore albo* C. B.

Foliis est Lavendulæ, *flore* magno albo. In Murena Castiliæ D. Albinus legit: nec plura de ea habet C. Bauhinus, qui solus, quod sciam, ejus meminit.

4. *Stœchas folio serrato* C. B. Ger. Park. *serrato & crispo folio* J. B. **Cassidony or Sticadore, with indented leaves.**

Clus.

Stœchadis genus hoc valdè rarum, Clusio observatum, ejusdem cum superiore altitudinis, lignosis, fragilibus, tenuibus, quadrangulis *ramis*: *foliis* etiam oblongis, angustis, omnino serratis & crispis, parte superna virentibus, infernâ candidis, calidi & amari gustûs. Ejus extremi quoque ramuli desinunt in dodrantales virgulas, nudas, quadrangulas, incanas, quæ *spicam* sustinent Stœchade longiorem & rariorem, ad Lavendulæ minoris spicam propè accedentem, è multis similiter veluti membranaceis squamis congestam, cum eminentibus in summo quibusdam latiusculis foliolis è purpura cœruleis, uti in reliquis hujus generis. *Flores* ex singularum squamarum sinu copiosi, purpurei ut in vulgari: *Semen* etiam simile, quemadmodum & *radix*.

Locus. Nonnisi in summa Calpe sponte nascentem & suis floribus onustam Februario mense invenit Clusius

* 5. *Stœchas viridis* J. B. *viridis Dalechampii* Park. *viridis capitulo oblongo* C. B.

Lugd.

Tota jucunda viriditate nitet: *foliis* per intervalla in caulibus multis, duobus longis, aliquot aliis multò brevioribus, *capitulo* in caulis summitate longo, rotundo, cum duobus in summo foliolis, ex quo flores lutei exeunt.

Vires. Stœchas abstergit, attenuat & aperit. Usus præcip. in affectibus capitis & nervorum, scil. in Vertigine, Apoplexia, Paralysi, Lethargo. In morbis pectoris idem præstat quod Hyssopus. Insuper urinam & menses ciet, venenis resistit, affectibus hypochondriacis succurrit. Extrinsecùs in lotionibus capitis, suffitu, &c. *Schrod.*

In ejus virtutibus describendis prolixus est Mesue. Vide J. Bauhinum aliósque Botanicos. Syrupus ejus triplex in usu est, Simplex, Compositus, & Fernelii: omnes cephalici habentur, & in nervosarum partium frigidis affectibus felici cum successu usurpantur.

Mesue pituitam & atram bilem hanc herbam purgare scribit, sed quia tardiùs & imbecillius operatur, ipsi addere jubet partem sextam Salis communis aut Salis gemmæ, aut Myrobalanum nigrum aut Cepulam. Jubet insuper biliosos ab ea abstinere: ob quam fortè causam, inquit Casp. Hofmannus, desiit esse in usu.

* 6. *Stœchadi serratæ affinis* C. B. *Tragium alterum Dioscoridis quibusdam, folio Trichomanis* J. B.

Rauwolf.

Radice est albicante, longiuscula, gracili. Ex qua *surculi* emergunt lignosi, vix minimum digitum longi; quibus *foliola* adhærent longiuscula, pulchra serie disposita, adversa, haud secus ac in Trichomane digesta, iis tamen longiora, ut in Asplenio, quibus & colore similia; nam supernè pulchrè virent, infernè verò cinereo tomento oblita sunt, minora præsertim & ab imo primùm pullulantia. Inter hos circulos alii prodeunt coliculi nudi, purpureos *flores* spicatos sustinentes.

Ex imperfecta hac descriptione quò referenda sit hæc planta nobis non constat.

CAP.

Cap. IV.

De Rore marino.

ROS dici putatur quia roscidæ sit naturæ, vel quia roris instar aspergatur, vel quia ejus usus in aspergillis, *quod nobis verisimilius videtur: marinus* autem vel quia in marinis locis feliciter proveniat, vel quia saporis marini, hoc est, amari. *Voss. Etymolog.* Græcis Libanotus στεφανωματικὴ, i. e. coronaria, ab odore thuris, & quòd ad corollas texendas adhiberi solebat.

Magnitudine sua & statura insigni, floribus ad caulium nodos foliis intermistis, foliis oblongis angustis prona parte candidis, supinâ obscuriùs virentibus à congeneribus differt.

1. *Rosmarinus coronarius fruticosus* J. B. *hortensis angustiore folio* C. B. *coronarius* Ger. *Libanotis coronaria sive Rosmarinum vulgare* Park. **Common Rosemary.**

J. B.

Rosmarinus, suffrutex jucundissimi odoris Thus redolentis (unde & nomen ipsi Libanotidis inditum) vel imprimis utilitatis commendatione notissimus, & quia corollis petitus coronarii nomen adeptus, bicubitalis est & altior, virgultis tenuibus, cinereo colore præditis, in quibus *folia* aliquot simul ex intervallis oriuntur [imo bina ex adverso & alia ex eorum sinubus conferta] rigidula, Lavendulæ angustiora, breviora, prona parte candida, supina saturatiùs viridia. Flores ex alis foliorum exeunt; è cœruleo albicantes Salviæ florum effigie, minores, labello cotylæ instar concavo guttato: fibræ incurvæ, longæ ex rictu sub supremo folio promicant.

Locus. Vere primo & per totam ferè æstatem floret. In hortis seritur, verùm non semine sed surculo. An differat specie à spontaneo latiore folio dubito: quòd si differat ubi spontè proveniat proditum non invenio. Qui seritur & latiora & rugosiora habet folia, nec facilè fert hyemem.

Varietas. Hujus varietas in hortis alitur foliis aureo colore variis, quæ Parkinsono *Rosmarinum striatum sive aureum* dicitur. Habetur etiam flore duplici Park.

Vires. In usu sunt folia, flores (Anthos Officinis dicti) & semen. Cephalica sunt è præcipuis, nervina, ac etiam uterina. Usus præcip. in affectibus capitis ac nervorum, in Apoplexia, Epilepsia, Paralysi, Vertigine, Caro, &c. visum acuunt, sensus ac memoriam juvant, fœtorem halitûs emendant, Epatis, Lienis ac Uteri obstructiones resolvunt, ictero ac fluori albo mulierum medentur, córque confortant.

Herba ipsa suffitu & vapore suo pestis tempore aerem emendat & salubrem reddit.

Dioscorides morbum Regium sanare tradit hanc herbam, si quis ipsam in aqua coctam ante exercitationem exhibeat bibendam, deinde exercitatum lavet, & vinum ipsi bibendum det. Semen cum vino haustum ad icterum commendat Mizaldus.

Ad paralysin aliósque nervorum affectus conducit Vino aut Cerevisiâ in qua Rosmarini summitates infusa fuerint assiduè in potu uti.

Ad visum acuendum conducit flores recentes quotidie jejuno ventriculo cum pane & sale comedere.

Exsiccati & incisi fumus ore haustus Peti in modum utilis censetur adversus Tussim, Phtisin & Tabem pulmonum.

Solo usu olei Rosmarini chymici propinati in decoctis idoneis ante paroxysmum multas febres tertianas exquisitè curatas esse in Nosocomio Parisiensi dicto *la charité* vidit & observavit M. *Jacques.* Dos. iv vel vi gutt. Sim. Paulus Quadrip. Botan. Class. 2. p. 133. Habui ex excerptis *D. Hulse.*

Ex Rosmarini fruticantis truncis caudicibúsve crassioribus pectines in Galliis sibi parant, quibus quotidie caput pectunt qui à vertigine aliísque hujus generis morbis præservari gestiunt: sed fraus simul inventa apparet, dum è Salice, Pyro, Tilia, &c. affabrè pectines isthic loci exsculpunt, & perpolitos conspergunt leviter cum gut. olei Rosmarini vel Spicæ, & sic impostores arguti imponunt minùs sagacibus. Ex adversar. *D. Tancr. Robinson.*

Diarrhœam trimestrem desperatam vino Rorismarini curatam refert *Velschius Hecatost. D. Hulse* ex Etmull. prax.

Aqua Reginæ Hungaricæ destillatur & præparatur è floribus Rorismarni in infusis sp. vini. In Cephalicis & Nervinis affectibus celebratur.

2. *Rosmarinus spontaneus latiore folio* C. B. *Rosmarinum latifolium* Park. *Rosmarinus coronarius fruticosus ignobilior* J. B. **Broad-leaved or wild Rosemary.**

Præcedente minor est & humilior, ramis minùs lignosis: *foliis* latioribus, rugosioribus, saturatiùs virentibus, prona parte parum vel nihil incanis seu candidis, magis sparsis seu rariùs sitis in surculis & ramulis: Tenerius est hoc genus, nec hyemes nostras facilè tolerat.

Locus. In Hispania abunde oritur, unde in alto mari navigantes procul à littore ad multarum leucarum distantiam odorem ejus percipiunt, etiam antequam terram videant. In Gallia Narbonensi tantus ejus proventus est, ut haud temere aliud incolæ lignum urant.

An hæc planta à præcedente seu hortensi Rosmarino specie differat nécne mihi non constat. Nam & hortense satum plantas producit latifolias, & in aliis etiam suffruticibus tenerioribus surculo satas hyemes faciliùs tolerare, & firmiores esse adversùs cœli injurias quàm à semine ortas notum est.

Varietas. In Catalogo Horti Regii Parisiensis aliam adhuc Rosmarini speciem invenio, hortensem angustiore folio argenteum dictum.

CAP.

CAP. V.

De Hyssopo.

Ὕσσωπον dictum volunt quasi ὑόμενον (pro χεόμενον) ἐπὶ τὰ ὦπα, quia super vultus effundatur; quia ejus olim in aspergillis ad expiandum peccata usus erat: verùm rectiùs ab Hebræo אזוב derivatur, quam vocem septuaginta *Hyssopum* vertunt non semel.

Spicis florum longis, è verticillis rarioribus compositis, floribus versùs unam partem spectantibus, segmento supremo, quod pro galea est bifido & sursum reflexo, foliis virentibus à reliquis Suffruticibus verticillatis distinguitur.

1. *Hyssopus vulgaris spicatus angustifolius* J. B. *Hyss. vulgaris* Park. *Hyss. Officinarum cærulea sive spicata* C. B. *Hyss. Arabum* Ger. **Common garden Hyssop.**

E *radice* lignosa, dura, crassitudine digitali *caules* exeunt pedales aut cubitales, fruticosi, cùm lignescere incipiunt rotundi, dum enim adhuc tenelli sunt, quadrati videntur. *Folia* angusta, oblonga, glabra, ad margines æqualia, foliis Lavendulæ similia, sed multò breviora. *Flores* densis verticillis spicas longas mentientibus, in caulium summitatibus, in unam partem ferè spectantes, è calicibus longis striatis in quinque acuta segmenta partitis exeunt, ampli, cœrulei, quorum supremum foliolum bifidum sursum reflectitur, bifidum labellum binis alis superiore parte donatum demittitur. Singulis flosculis *stamina* insunt quatuor, oblonga, cœrulea cum suis *apicibus* parvis, obscurè purpureis.

Locus. Collibus asperis Romaniæ & Veronensi tractu, præsertim secus Athesim, ad angustias saxorum & arcem munitissimam, quæ Imperatoriam à Venetorum ditione discriminat è regione montis Baldi sponte fruticare hanc refert Lobelius, cùm nuspiam alioquin nisi in hortis se invenisse dicat. Felicior sanè nobis fuit Lobelius, cùm enim eadem loca peragraremus, Hyssopus nullibi in conspectum se dedit.

Varietaste. Hæc planta multipliciter variat, nimirum 1. *Foliis*, quæ *coloris* respectu, vel ex albo & viridi, vel ex aureo & viridi varia sunt: Hinc Hyssopus foliis niveis *Park.* candidus Anglorum *Lob.* & Hyss. foliis aureis *Park. circumscriptionis* respectu, vel ad margines æqualia sunt, vel crispa, vel dissecta; Hinc Hyssopus crispa *Gesn.* foliis crispis *Park.* & Hyss. foliis crenatis *Park.* 2. *Odore* moschum redolente; Hinc Hissopus moschata, vel de Cilissa *Park.* 3. *Floribus*, qui *sitûs* respectu vel uno ordine tantùm, vel duobus dispositi sunt: *coloris* respectu vel cœrulei sunt, ut plerunque evenit, vel rubri; hinc Hyssopus rubro flore *C. B. Ger.* & aliorum: vel albi; Hinc Hyssopus vulgaris alba *ejusdem C. B. Ger. Park, &c.* Adeóque ex una specie quatuor facit C. Bauhinus, plures Parkinsonus. Nam omnes hæ varietates vel ex semine in hortis sato oriuntur; vel cultui & mangonio debentur.

Hyssopus hirsuta. Hyssopus hirsuta *C. B.* foliis cinereis *Park.* non aliter à vulgari differt quàm foliorum & caulium lanugine, aut colore cinereo.

Hinc novem habemus Hyssopi vulgaris varietates raritate sua & elegantia spectabiles, quæ hortos curiosorum ornant, nimirum

1. Hyssopum foliis niveis *Park.* candidam Anglorum *Lob.*
2. Hyssopum foliis aureis *Park.*
3. Hyssopum crispam *Gesn.* foliis crispis *Park.*
4. Hyssop. foliis crenatis *Park.*
5. Hyssop. moschatam vel de Cilissa *Park.*
6. Hyssop. utrinque floriferam *Dod.*
7. Hyssop. rubro flore *C. B. Ger.* & aliorum.
8. Hyssop. vulgarem albam *C. B. Ger. Park.*
9. Hyssop. hirsutam *C. B.* foliis cinereis *Park.*

Vires. Hyssopus calida est & acris [sapore fervido, inquit C. Hofmannus, suâque acrimonia palatum totum pervadente] unde attenuat, aperit & abstergit. Usus præcip. in affectibus pulmonum tartareis, tussi, asthmate, &c. Syrupus in affectibus pectoris paululum progressis, ubi scil. de Glycyrrhiza, Capilli Veneris, alii non satis sunt operi quod moliuntur, eximii usûs est.

Extrinsecùs adhibetur crebrò ad sugillationes oculorum, ad uterum mundificandum, auriúmque tinnitus tollendos (per tritorium suffitus susceptus) ad oris abstersionem (in gargarismis) *Schrod.*

Sunt qui Absinthio in corroboratione ventriculi præferunt. *Idem.*

Cum carnibus bubulis decocta cum aliis oleribus minutim concisis, non insuaviter ex jure editur, ori ac ventriculo grata.

Urinas verò etiam movet & ad urinæ stillicidium utilis est.

Quantopere Hyssopus sugillationi oculorum confert, testis sit Riolanus senior. Expertus sum verum, inquit, quod affirmat Archigenes apud Galenum, quòd si Hyssopi coma nodulo inclusa bulliat in aqua, & tepidè nodulus oculo cruento applicetur, tam manifestè sugit sanguinem, ut linteum ipsum sanguinolentum videri possit. Hujus autoritatem sequutus ubi occasio tulit, decoctum Hyssopi aliquammultis adversùs suggillationes, imò etiam oculorum commendavi; sed loco aquæ succulum in vino bulliendum quandoque curavi, & ex voto eas evanuisse recordor, dum lectum petentibus sacculus subtepidus clausis palpebris fuit applicatus. *Simon Paullus.*

Vir quidam celebris mihi notus, cui femur ictu equi calcibus incusso graviter contusum fuit sola applicatione

applicatione cataplasmatis cujusdam ex Hyssopi foliis minutim concisis & cum butyro recenti non salito commixtis parati intra paucas horas à dolore liberatus est, deletâ etiam lividâ & decolori nota in cute. *D. Boyl.*

* 2. *Hyssopus parva angustifolia* J. B. *parva angustis foliis* Ger. *minor angustifolia* C. B. *minor, sive Hispanica* Park.

Clus. Dod.

Humilius est & tenerius hoc genus, alioqui formâ non multùm differens à vulgari, *foliis* angustioribus, obscuriùs virentibus, densioribus, odoris grati: *flosculis* verò in cacumine in brevis spicæ modum digestis.

* 3. *Hyssopus umbellata* C. B. *coronata, sive comosa Clusii* Park. *An Hyssopus spicâ brevi, lata* J. B.

Clus.

Hoc genus vulgari non admodum dissimile est (inquit Clusius) sed ad præcedens Hispanico semine natum magis accedit, exceptis ramulis, qui in virgarum fastigio numerosi in latam comam sparguntur.

Præter hanc aliam *Hyssopi comosi* speciem constituit C. Bauhinus, quam *latifoliam comâ rotundâ confertâ* vocat, idque autoritate præcipuè codicis Cæsarei; cujus picturis quanta fides habenda sit, nôrunt rei herbariæ periti.

Hyssopus surculis densis Park.

Park.

Humilior est Hyssopo vulgari, ramulis seu surculis crebrioribus, tenuioribus, minùs lignosis, deorsum magis reclinatis; *foliis* obscurè viridibus densiùs dispositis: in aliis cum eo convenit. Parum differt ab Hyss. parva angustifolia *J. B.*

* 4. *Hyssopus angustifolia spicata* C. B. Park. *tenuifolia* Ger.

Clus.

Valdè fruticat hoc genus, nec minùs quàm vulgare suis virgis se propagat, quæ sesquipedales interdum sunt, duræ, lignosæ, in multos virides tenuésque ramos divisæ, quos obsident angustiora quàm in vulgari *folia*, viridia, calidi gustûs. Summi rami desinunt in spicam *florum* illos verticillatim ambientium, vulgari formâ similium, minorum tamen, coloris cœrulei. *Radix* dura, lignosa, multifida, plurimísque capillamentis firmata, ex qua plures etiam nascentes virgæ, humi interdum procumbentes, fibras agunt. Tota planta, si digitis atteratur, odorata est.

Hujus picturam & ramos tenellos Londino accepit Clusius.

* 5. *Hyssopus latifolia* C. B. Park.

C. B. prod.

Caulibus est lignosis, rufescentibus, striatis: *foliis* triplo quàm in vulgari latioribus, obtusis, in reliquis cum vulgari conveniens: quam Londino accepit C. B.

* 6. *Hyssopum montanum Cilicium quibusdam* J. B. *Hyssopus angustifolia montana aspera* C. B. *Hys. montana* Park.

Hæc à vulgari Hyssopo hortensi in paucis differt, foliorum nimirum angustiâ, duritie, asperitate & hirsutie, sapore amariore, minùs acri. Suspicor hoc genus non differre ab Hyssopo montana vel de Cilissa *Park.*

* 7. *Hyssopum Goritiense floribus verticillatim ambientibus* J. B.

Hujus ramum duntaxat pedalem ab Agerio sibi datum describit J. Bauhinus: erat is rectus, firmiusculus, foliis vestitus glabris, unciam circiter longis, culmum latis, Satureiæ duriori similibus, inter quæ alia multa, sed minora, odoris grati & suavis, sapore nonnihil acri cum levissima amaritudine. Spica unciis duabus longior erat, angusta sive tenuis, tenuior multò quàm in vulgari, multis parvis constans verticillis, & secundum unumquodque verticillum foliola duo floribus longiora. *Flores* non vergunt in unam partem ut in vulgari sed ramulos ambiunt, parvi, multis apicibus donati.

* 8. *Hyssopus folio Origani Dalech.* J. B. *Hyssopus rotundifolia spicata, fortè Dioscoridis* C. B. *Hys. foliis Origani* Park. *An Hyss. Nummulariæ folio* Ger?

Odore, sapore, floris spicâ cœruleâ nihil à vulgari diversum est hoc genus, sed eâ re tantùm, quòd folium Majoranæ, Pulegióve simile ac rotundum in longum non porrigitur vulgaris modo.

CAP. VI.

De Satureia.

SAtureia aliis à ſaturando dicta eſt, quòd cibis loco condimenti addatur: Alii à Satyris nomen traxiſſe putant, quia coitus marceſcentes ſtimulat. Græcis Thymbra dicta eſt, fortè ἀπὸ τοῦ θύειν ob fragrantiam *C. B.* Et tamen Columella diſtinguit Thymbram à Satureia,

Et Satureia Thymi referens Thymbræque ſaporem.

1. *Satureia durior* J. B. *montana* C. B. *hortenſis* Ger. *vulgaris* Park. **Winter Savoury**, *id eſt Satureia hyberna.*

Folia huic anguſtiora quàm æſtivæ hortenſi, præcipuè quæ primò exeunt, multò duriora, inque acutos & pungentes apices deſinentia, dilutiùs viridia. *Caules* teretes, hirſuti, geniculis multò crebrioribus quàm in ſativa intercepti, unde & folia & ramuli frequentiores & numeroſiores ſunt. Atque hac notâ ſola primo ſtatim aſpectu à priore poſſit diſtingui. Ramuli in hac ſpecie non in parem longitudinem excurrunt ac in illa. *Flores* ex alis foliorum hinc inde exeunt, in pediculo communi longiuſculo, duo tréſve ſimul, interdum etiam ſinguli, galeati, galeâ interdum reflexâ, labello trifido, colore ex albo languidè purpuraſcente. *Calix* floris in quinque longa, anguſta ſegmenta dividitur. Planta fruticoſa eſt & in multos annos vivax. Sapore & odore cum æſtiva convenit.

Locus. In Gallia Narbonenſi circa Monſpelium, Nemauſum, &c. in collibus: invenimus etiam in Hetruria in alveo cujuſdam torrentis non longè à Radicofano copioſé.

2. *Satureia hortenſis* Park. *æſtiva hortenſis* Ger. *ſativa* J. B. *hortenſis, ſive Cunila ſativa Plinii* C. B. **Summer Savoury.**

J. B.

Lignoſa nititur *radice* & ſimplici, fibras majuſculas emittente, ex qua *virgulta* ſurgunt pedem aut cubitum alta, teretia, rubeſcentia, ſubhirſuta, geniculis certis diſtincta, ad quorum ſingula *folia* naſcuntur Hyſſopi vulgaris, nonnihil hirſuta, crebris foraminulis non tamen perviis eroſa, odore ſuavi vehementi [J. B. Thymi vulgaris mitiore] ſapore acri. *Caules* ramoſi ſunt ramulis ex adverſo binis, è foliorum alis exeuntibus, & ipſos etiam caules longitudine excedentibus. E foliorum alis exeunt *floſculi* plures ſimul, pediculis brevibus, è calicibus in quinque acuta & anguſta ſegmenta diviſis, ipſi in quatuor lacinias partiti, ex albo purpuraſcentes. *Semina* parva, fuſca, quàm Thymi tamen majora.

Planta eſt æſtiva nec per hyemem durare poteſt; unde quotannis ſeri debet.

Locus. In agris circa *Caſtelneuf* non longè à Monſpelio copioſè & ſponte ortam obſervavimus.

Vires. Eſt inter herbas calidas & acres, quæ urinam & menſes movent: facultatibus cum Thymo & Serpyllo convenire aiunt. Nobis potiùs ut facie ſic viribus ad Hyſſopum accedere videtur.

Uſus eſt, inquit Schroderus, in affectibus *ventriculi*, cruditate, anorexia, &c. [proindeque condimentum pauperum eſſe ſcribit Tragus: nam omnibus eduliis tam carnium quàm piſcium concoqui, &c.] *Pectoris*, Aſthmate; *uteri*, menſibus obſtructis: viſum acuit. Extrinſecùs diſcutit tumores, doloréſque aurium ſedat.

Uſus ejus frequens eſt in culina inter alia olera. Cum phaſeolis & aliis flatuoſis utiliter incoquitur & editur. Fabis cum Selino inciſa & infrixa edulium gratum, Belgis frequens habetur. *Lob.*

Pauperes in Germania Braſſicas capitatas hac herbâ condiunt, qui fit ut illæ jucundiſſimum odorem ac ſaporem gratiſſimum inde accipiant. *J. B.*

Plantam hanc quamvis annua ſit & herbaceam ob convenientiam in foliis, odore reliquiſque notis cum Satureia duriore ſeu hyemali ab ea non ſeparandam putavimus.

3. *Satureia S. Juliani* Ger. *ſpicata S. Juliani* Park. *Sat. ſpicata* C. B. *Sat. foliis tenuibus, ſive tenuifolia S. Juliani quorundam* J. B.

Ad. Lob.

In Tyrrheni maris aſperis & ſalebroſis S. Juliani Hetruſci magno proventu oritur, *virgultis* exilibus, palmum altis, ſarmentoſis, lignoſis: *foliis* ab imo crebris, Thymi Cretici, ſed anguſtioribus, longiuſculis, ſpicam brevem ſummo gerentibus, *floſculis* copioſis intextam: guſtu acri & odoro, univerſa ex obſoleta purpura albicat, Thymo majore minor, minori ferè par.

Locus. In collibus Meſſanenſis agri in Sicilia non minùs frequentem obſervavimus quàm in monte S. Juliani. Creſcit & in ipſis Florentiæ urbis muris.

Saxifragam primam *Matth.* C. Bauhinus pro hac planta habet: Parkinſonus noſter pro diverſa ſub titulo *Saxifragæ veræ Dioſcoridis Matthioli.* Tum à Serpyllo cui aliàs naſcendi modo ſimilis eſt, tum à Satureia differt, quòd tum odore ſuavi, tum ſapore acri, qui illis inſunt, careat. Conſule ſi placet Parkinſonum.

4. *Satu-*

4. *Satureia Cretica* C. B. Ger. emac. *Thymbra sive Satureia Cretica legitima* Park. *Thymbra Græca* J.B.

Clus.

Multis ea *ramis* statim à radice fruticat, Thymi instar, quadrangulis, subaspera lanugine obductis, purpurascentibus, quibus innascuntur alternatim semper ex adverso ramuli, foliis eâdem serie digestis onusti, Thymi genuini foliis pænè similibus, subhirsutis, odoratis, medii quodammodo inter Cunilam & Thymum odoris, acriusculique saporis. Summos ramos verticillatim ambiunt aliquot *capitula* multis foliolis constantia, inter quæ caliculi, è quibus emergunt suaviter purpurascentes *flosculi*, Thymi flosculis similes, in quatuor lacinias divisi, quarum infima latior est & repanda, suprema etiam lata sed brevior, reliquæ duæ minores, prodeuntibus è medio quinque *staminulis* candicantibus, quorum *apices* fusci coloris, & medio *stylo* bifido. E *semine* hæc planta nata pusillo, nigro Thymi semini non absimili. *Radix* dura, lignosa.

Clusius legitimam Thymbram statuit, quam etiamnum hodie Cretenses Thymbri & Thrybi appellent. Ex semine ab Hon. Bello è Creta ad Clusium misso enata est.

Pr. Alpinus hanc plantam Tragoriganum esse contendit, non Thymbram, pro qua sequentem proponit.

5. *Thymbra* Alpin. exot.

Alpin.

Crescit in asperis locis Thymo similis, sed ramulis Thymi gracilioribus, minoribus, atque tenerioribus; qui utrinque habent alios surculos, graciles, non ex opposito positos, obliquè actos, foliis Thymi sed tenuioribus & mollioribus, herbosi coloris virescentis, multis ex opposito invicem *caules* teneros ambientibus. Cauliculi verò in summitate ferunt *flosculos* purpurascentes inter foliola spicæ modo. Exili *radice*, tenui, longâ, lignosâque nititur. Thymo hæc stirps similis est, sed altitudine minor, & eo longè ramulis ferè in orbem expansis latior, ac ad terram depressior. Tota est odorata, odore ad Thymum quadantenus inclinante, nec minùs & acri sapore thymum itidem simulat.

Vires. In ciborum condimentis usum habet, & in medicina, non minùs ad movendos menses in mulieribus, & urinam. Ejus decoctum plurimùm valet in tussientibus ex melle ad excrementa in pulmonibus infarcta extenuanda, detergenda, atque ad sputum facilitanda.

Pona in Baldo Italico Satureiæ cujusdam meminit sine descriptione quam vocat Satureiam Creticam spinosam.

Cap. VII.

De Thymo legitimo.

Θύμος vel ἀπὸ τοῦ θυμοῦ dicitur, quòd adhibeatur iis qui animi deliquium patiuntur ob crassos humores; vel ἀπὸ τοῦ θυμιᾶσθαι καὶ τοῦ θύειν quòd hoc Veteres in sacris quæ igne accenso fiebant primùm usi sunt. Alias Grammaticorum conjecturas de ratione & origine nominis vide apud J. Bodæum à Stapel. Comment. in Theophr. hist. lib. 6. c. 2. pag. 566.

Differt à Satureia, cui aliàs similis est, odoris fragrantiâ, & floribus in oblonga capitella congestis.

Thymus capitatus, qui Dioscoridis C.B. *Thymum legitimum capitatum* Park. *Thymum Creticum, sive Antiquorum* J. B. *Thymum Creticum* Ger. **The true Thyme of the Ancients.**

Clus.

Suffrutex est Thymum, pedem interdum altus, multis ramis lignosis, tenuibus & candidis præditus, quos per intervalla ambiunt *folia*, sibi invicem opposita, angusta, tenuia, candicantia, acris gustûs, quæ quibusdam locis hyeme decidunt: nam ubicunque sponte nascentem hanc plantam inveniebam, seu hyeme, seu veris initio, foliis viduam conspiciebam: sed utrinque ab exortu & vestigiis foliorum prominebant veluti oblonga *capitella*, instar eorum quæ in Origano onite sunt, ex tenellis foliolis viridibus congesta, adeò confertis & numerosis, ut unicum longiusculum folium appareret. Ipsa capitella cum floribus in planta virente observare non potui; Hispali autem, ubi maximus est ejus proventus (nam aliud Thymum non norunt) magni ejus jam reficcati fasciculi demonstrati sunt, cum suis foliis & longiusculis capitellis suos purpurascentes *flores* adhuc retinentibus gratissimi odoris: illo enim in aqua decocto utuntur ad dolia, quibus vinum reservatur eluenda & repurganda: non minoris etiam usûs est ad conciliandam odoris gratiam iis vasis quibus conditæ uvæ asservari solent.

Locus. Non modò circa Hispalin copiosè nascitur, sed Gadibus etiam, qua parte insula ponte jungitur Continenti, totâ insuper Bætica in maritimis collibus, Meridiei obversis. *Nos in saxosis propè Syracusas Siciliæ urbem invenimus.* D. Wheeler *in insula Corcyra,*

Et in insula Cithæra nunc *Cerigo* aliam seu speciem, seu varietatem foliis minoribus agminatim nascentibus.

Lib. Ob. cap. 2. Bellonio autore ità frequens in tota Græcia reperitur, ut nulla herba in montibus faciliùs proveniat; ubi pro loci diversitate florem profert omnino album, vel cœruleum aut purpureum, vel mixtum.

Vires. Thymum cum aceto & sale pituitam per alvum detrahit: ejus decoctum prodest anhelosis & orthopnoicis, tineas ventris exigit, menses, partus & secundas pellit, atque urinas ciet: cum melle in eclegmate faciliores efficit exscreationes: retentes tumores discutit; cum aceto illitum; concretum sanguinem dissolvit, verrucas pensiles tollit: ischiadicis cum vino & polenta impositum subvenit, hebetibus oculis in cibo: est enim & sanitatis tempore ad usum idoneus loco condimenti. *Dioscor.*

Pares illi facultates tribuit Plinius, & insuper addit, Dari Comitialibus, quos correptos olfactus excitat Thymi: & Viris contra inflationes, & si venter urgeat, testésve aut vesicæ dolor exigat: Articularibus morbis ac luxatis tritum ac lanæ inspersum ex oleo imponi: dari & portionem articularibus morbis trium obolorum pondere in tribus cyathis aceti & mellis.

Thymo, quia gratissimi odoris in aqua decocto utuntur Hispalenses (Clusio referente) ad dolia, quibus vinum asservatur, eluenda & repurganda: non minoris etiam usûs est ad conciliandam odoris gratiam iis vasis quibus conditæ uvæ asservari solent.

CAP. VIII.

De Maro.

MArum nonnulli dictum volunt à rege quodam Thraciæ cui Maro nomen fuit: Sed verisimilius (inquit Jo. Bodæus) ab Amaraco per Apocopen nomen impositum.

Marum (de vulgari Masticheno loquor) foliis Thymi majoribus, odoris fragrantia, sed præcipuè lanuginosis ab omni nobis cognita Verticillatæ specie, facilè distinguitur.

1. *Marum* Ger. *vulgare* Park. *Sampsuchus sive Marum masticher redolens* C.B. *Clinopodium quibusdam, Mastichina Gallorum* J.B. **Herb-Mastick or Mastick-thyme, by some also called Marum.**

In fruticem lignosum, bicubitalis interdum altitudinis, multis *ramis* brachiatum adolescit, & in plures annos durat, nisi hyems asperior eum corrumpat. *Folia* viridia, Thymi durioris similia sed majora, sapore acri prædita. In extremis surculis capitula lanuginosa, & paulo etiam inferius ambientes similes verticillos obtinet è quibus emicant flosculi albi. Odor totius plantæ gratus, sed paulo vehementior.

Verùm non est cur in hac planta describenda multum laboremus, cùm (ut diximus) ab omnibus, nobis saltem cognitis verticillatis capitulis lanuginosis differat.

Locus. Floret, autore Clusio, cum Thymo & Stœchade multis Hispaniæ in locis: Provenit autem solo arido & petroso. Ob odoris fragrantiam studiosè in hortis colitur, in Gallia, Anglia, Germania, &c.

Vires. Deodatus in desperato mensium fluxu ultimum & præsentissimum remedium ducit pulverem corticis Mari ad ʒj. cùm vino austero, singulis matutinis horis propinatum. *D. Soame* è Dolæi pr.

* 2. *Marum supinum* Park. J.B. *supinum Lobelii* Ger. emac. *repens verticillatum* C.B.

Non absimile est Maro mastichino sed cauliculis repentibus. Sampsuchum Dioscoridis sive Amaracum serpentem *Adv.* quam hujus synonymam facit C. Bauhinus, Lobelius sic describit. Non erigitur aut fruticat ramulis ut Majorana vulgata; sed in cespitem caducis Serpylli modo, cui alioqui persimilis folio, effigie & magnitudine est.

CAP. IX.

De Thymo vulgari & Serpyllo.

THymi etymon superiùs tradidimus in capite de Thymo legitimo. Serpyllum autem ἀπὸ τοῦ ἕρπειν à serpendo dictum est quia aliqua ejus particula terram tangente radices ab ea demittuntur. Ut autem serpo à Græco ἕρπω, ità serpyllum ab ἕρπυλλον spiritu aspero in S mutato, ut in aliis multis, v. g. ἕξ sex, ἑπτὰ septem, ἕδος sedes, ἱδρὼς sudor, ὑπὸ sub, ὑπὲρ super, ὕλη sylva, ὗς sus, ἥμι semi, ὁλκὸς sulcus, ἓ se, ἅλς sal, ἅλλομαι salio, &c.

Thymi notæ sunt folia brevia & latiuscula, flores in capitula in summis ramulis habitiora & laxa congesti. Serpyllum à Thymo differt quòd humilius sit & minùs fruticosum, & ut nomen indicat ramulis procumbentibus serpat.

1. Thymum

1. *Thymum durius* Ger. *durius vulgare* Park. *vulgare rigidius, folio cinereo* J. B. *Thymus vulgaris folio tenuiore* C. B. **Musk Thyme, or fine-leaved Thyme.**

J. B.
Odoris jucundi commendatione culturam multis locis meritum est quod hodie plerique omnes Thymum vocamus, lignosâ *radice*, satis numerosis filamentis donata. *Ramuli* teretes, itidem lignosi, subhirsuti, *foliis* Serpylli, angustioribus, incanis, cinereisve, sapore acri præditis verticillatim per intervalla vestiuntur: *Florum* verticilli breviore intervallo est ubi spicæ figuram mentiuntur: sunt autem ii colore purpurascente vel albo, labellum veluti promittentes trifidum, unicâ laciniâ surrectâ, è medio stylum purpurascentem exserentes, calyculis Serpylli striatis, hirsutisque.

In Gallia Narbonensi vix alia frequentior occurrit planta. *Locus.*

2. *Thymus vulgaris folio latiore* C. B.

An specie à præcedente differat dubito, alii non distinguunt.

Alterius speciei meminit *D. Magnol* in sterilibus versus *Clapies* & *Jacou* à se inventæ, cui titulum facit *Thymum supinum candicans odoratum*, quod priore humilius, foliis candicantibus & odoratissimum esse ait. Hæc fortè species est quam Parkinsonus Thymi durioris candidioris titulo describit è semine Thymi durioris vulgaris seminibus permixto sibi in horto enatam, ramulis tenuioribus, foliis candidioribus seu magis incanis, rariùs dispositis; odore etiam vehementiore. *Thymum supinum candidum.*

* 3. *Thymum inodorum* C. B. Park.

C. B. prod.
Suffrutex est, ob lævem lanuginem quâ pubescit incanus; *caule* lignoso, cortice incano, rugoso vestito, qui in plures ramos palmo minores, recurvos, hîque in alios & velut in orbem dispositos dividitur: quos per intervalla *folia* brevissima, angustissima, plura simul juncta, inodora & pene insipida cingunt. Cauliculorum summis *flores* plures, purpurei, formâ & dispositione Thymi vulgaris floribus similes insident.

In regno Valentino locis arenosis ad litora copiosè provenit. *Locus.*

Saporis est subacris, unde attenuat & incidit. Usus præcip. in affectibus Tartareis; 1. Pulmonum, ut Asthmate, Tussi, &c. 2. Artuum, ut Podagra. Omnia viscera reserat, appetitum excitat. Extrinsecùs in tumoribus frigidis, sugillationibus, inflationibus ventris, doloribus arthriticis. *Schrod.* *Vires.*

Nostratibus usurpatur pro olere, & jusculis incoqui solet: calore suo ventriculum refocillat, & concoctionem promovet.

A. 4. *Serpyllum vulgare* Ger. J. B. *vulgare minus* Park. C. B. **Common Mother of Thyme.**

J. B.
Tam Græco, quàm Latino hujus nomini originem dederunt serpentes *ramuli*, duri, lignosi, quadrati, subrubentes, modicè hirsuti, qui ubi terram attingunt novas subinde *radices* agunt: primæ autem lignosæ sunt, satis crassæ & frequentes, fuscæ, plurimis fibris capillatæ. Ad ramulorum nodos folia Thymi vulgaris latiora, subrotunda, nervosa, sapore acri & aromatico. *Flores* in capitulis Thymi, interdum candidi, plerunque tamen purpurascentes.

Ejus duplex habetur genus. *Primo* flos est media parte minor, apice in medio interdum bifido, colore ut plurimum purpurascente: folia ut sequentis, odore nonnihil ad Melissam accedente. *Secundo* flos major duplo, in medio quinque apices, color remissior & minus purpurascens: in foliis non differt à præcedente, nisi odore, qui nobis suavior videtur. Utraque hæc varietas apud nos passim habetur. *Varietas.*

Est nobis præterea genus aliquod foliis & caulibus præcedentibus simile, sed hirsutum valdè.

Serpylli summitates non rarò degenerant in capitula tomentacea, candicantia, quæ (inquit J. Bauhinus) florum loco sunt; imò insectorum matrices sunt. Summitates enim hujus herbæ ab insectis quibusdam compunctæ hoc modo degenerant, & vermiculis domicilia & esca fiunt. De his plantarum excrescentiis seu fructibus ut vocant spuriis & excrementitiis consule Excellentiss. Marcelli Malpighii Anatomes plantarum partem alteram.

In montosis & pascuis siccioribus, inque formicarum tumulis ubique ferè terrarum abundat hæc planta. *Locus.*

Serpyllum aureum sive versicolor Parkinsoni non alia in re à vulgari Serpyllo differt quàm foliorum colore ex aureo & viridi mixto seu variegato; qui arte inducitur, ut in Hyssopo, Rosmarino, aliis. *Serpyl. aureum.*

Serpyllum ut facie sic viribus cum Thymo convenire videtur: éstque inter calidas siccásque herbas quæ urinam & menses movent. Cephalica est (inquit Schroderus) uterina & stomachica. Usus præcip. in mensibus ac urina ciendis, in expuitione sanguinis, spasmo, &c. Extrinsecus arcet vigilias, cephalalgias, vertigines. Ciet menses (balneo). *Vires.*

Vulgus decoctum Serpylli dum Erysipelate infestatur calidum bibit, unde sudor proritetur, quo epoto sæpe valetudo meliorescere solet. *S. Paulus.*

Balsamo Serpylli auspicato vertiginosos à vertigine præservamus. *Idem.*

Paracelso in catarrhis palmarium remedium est Aqua Serpylli cum Sp. Vini hymice elicito. *D. Soame è Dol. Lib.* 1. *C.* 10. *S.* 8.

Loquelam Apoplectico postliminio restitutam spiritu Serpylli vidimus. *Idem* ex eodem.

A. 5. *Serpyllum citratum* Ger. Park. *Citrii odore* J. B. *foliis Citri odore* C. B. **Lemon Thyme.**

Clus.
Admodum simile est vulgari, in omnibus Europæ provinciis occurrenti, crassiora tamen & magis atra habet *folia*, quæ trita Citrii mali vel Melissophylli odorem referunt, & *capitella* paulò majora magísque purpurascentia, similibus tamen flosculis prædita; crassiores ramulos, quadrangulos, palmares, per terram fusos, ad singula internodia fibras agentes: *radicem* verò lignosam, multifidam, fibrosámque, numerosos proferentem cauliculos, summam tellure in orbem se spargentes.

Locus. In montosis sed rariùs invenitur: in Pannonia mixtim cum vulgari prodit, cum eo etiam florens Junio. *Clus.*

Serpyllum moschatum. Serpyllum moschatum *Park.* odore præcipuè à citrato differt, nec à quoquam præterea (quod sciam) Botanico memoratur.

* 6. *Thymum latifolium* Park. Ger. *Serpyllum majus latifolium* C. B. *item Serp. sativum* ejusdem. *fortè etiam Serpyllum vulgare majus* ejusdem, & Park.

Minùs erectis quàm Thymum durius, tenuioribus nec adeò lignosis, humi diffusis & procumbentibus, multóque pluribus luxuriat ramulis: *Folia* molliora, latiora: *Flosculi* ex albo purpurascunt. Hyemes nostras minùs reformidat, adeóque diutius in hortis satum durat, quàm Thymum vulgare durius; odore & sapore est remissiore.

* 7. *Serpyllum majus* Park. *vulgare majus* C. B. *Serp. majus flore purpureo* Ger. *& aliud candido* Cam.

Majus est & erectius Serpyllo vulgari, *foliis* majoribus, pallidiùs virentibus, Majoranæ æmulis: floribus etiam majoribus purpureis.

* 8. *Serpyllum latifolium hirsutum* C. B. Park.

C. B. prod.
Tota planta ob mollem lanuginem quâ pubescit, præsertim caulibus, incana est. *Cauliculis* donatur frequentibus, tenuibus, longis, recurvis, qui *foliis* subrotundis pediculis oblongis donatis cinguntur. Cauliculorum summis capitula flosculorum purpurascentium insident.

* 9. *Serpyllum angustifolium glabrum* C. B. *Pannonicum Clusii* Park. *angusto folio, odore nucis Juglandis, vel nullo* J. B.

Clus.
Angustiora huic *folia* sunt, paulóque longiora [quàm vulgari Serpyllo] viridia, glabra, rariùs per cauliculos sparsa. *Cauliculi* frequentes, tenues, longi, humi fusi, & subinde ad internodia fibris sese firmantes, oblonga, mollia & veluti spicata in summo ferentes *capitella flosculis* vulgari æqualibus referta. *Radix* lignosa est, dura, & multifida. Tota planta aut nucis Juglandis foliorum odorem quodammodo refert, aut interdum nullo manifesto odore prædita deprehenditur; solíne mutatione an auræ variantis afflatu id accidat me latet.

* 10. *Serpyllum angusto lanuginosóque folio* J. B. *angustifolium hirsutum, vel montanum repens hirsutum* C. B. *Serpylli Pannonici Clusii varietas altera* Park. *Serpyllum hirsutum* Ger. emac.

Clus.
Latè serpit & magnos cæspites nonnunquam occupat. Nam licet duram & lignosam habeat *radicem* (ut præcedentia genera,) tenues tamen quos in circuitu spargit *cauliculi* subinde fibras agunt, quæ temporis successu in radices non minùs duras & lignosas evadunt quàm sit primaria, atque alios deinde fundunt in ambitu cauliculos, *foliis* non minùs quàm proximè præcedentis oblongis, & iis quidem angustioribus, præditos, incana mollique lanugine pubescentibus: longa in summis cauliculis capitella à secundi generis longo glabróque folio non differunt, & similibus flosculis plena sunt. *Semina* in villosis rufescentibus utriculis parva, rotunda, fusci coloris. Tota stirps pineum quodammodo sive resinaceum odorem trita refert & calido gustu est. Hanc speciem pro Serpyllo hirsuto nostrate in Cat. Ang. habuimus, verùm nunc diversum arbitramur.

Locus. Hæc duo genera proximè descripta in Ungaria, Austria & Moravia mixtim cum vulgari Serpyllo nascuntur; & eodem tempore, mense videlicet Junio, florent.

Serpyllum longifolium hispidum *Clus.* in ejus Observ. Pannonicis q. Hoc genus foliis hispidis seu pilosis se in squalidis & incultis viæ montis Lupi Junio mense copiose florens observâsse scribit *D. Magnol.*

* 11. *Serpyllum folio Thymi* C. B. *Narbonense* Park. *Creticum* Ger. *sylvestre, Zygis Clusio, Thymo vulgatiori, rigidiori simile* J. B.

Clus.

Serpyllum sylvestre, Zygis appellatum, quale Dioscorides describit, observabam, ni fallor, in Castella veteri, iisdem locis cum Thymo duriore sive nigro, cui perquam simile est figurâ, ramis, altitudine & radice: *folia* verò paulò latiora habet quàm Thymum, minùs odorata, sed gravius nonnihil olentia, utpote quorum odor sit ferè inter Abrotanum & Stœchadem medius: in virgis item ramulos, qui floribus verticillatim nascentibus vestiuntur, coloris ex albo purpurascentis: quâ florum dispositione & odore à Thymo discerni penè duntaxat potest. Minor est præterea ejus acrimonia quàm Thymi, quippe quæ aliquid adstrictionis admixtum habeat.

Floret cum Thymo duriore, & perpetuò etiam viret.

CAP. X.

De Tragorigano dicto.

TRagoriganum Latinè hircinum Origanum sonat; sic dictum non quòd hircum oleat, sed quòd gratum sit hircis pabulum, ut Onitis asinis. Nicandri Scholiastes ad hunc versum, τραγορίγανόν τε ὄρειον, ὅτι ἐσθίοντες οἱ τράγοι γίνονται καταφερεῖς i. e. in Venerem proclives seu præcipites.

Non videtur differre genere à Thymo vulgari.

* 1. *Tragoriganum angustifolium* C. B. *Hispanicum* Park. *Tragoriganum Clusii* Ger. *Trag. tenuioribus foliis, flore candido* J. B.

Clus.

Minores sunt huic *surculi* & candidiores, tenuiora longioráque *folia*, aliquantulum incana, acris gustûs: odor minùs jucundus quàm in Tragorigano primo *Clus.* sive Clinopodio quorundam, Masfichina cognominato: *flores* etiam verticillatim circa summos ramulos nascuntur ex utriculis prodeuntes, majores aliis & galeati, candidi. *Semen* observare non potui. *Radix* priori similis, lignosa, dura, multifida.

Solo Valentino agro sponte nascentem & Martio florentem observavit Clusius. *Locus.*

* 2. *Tragoriganum Matthioli* J. B. Park. *Serpyllifolium* C. B. *Trag. Dodonæi* Ger. *quoad iconem.*

Matth.

Hoc genus frequens nasci in Forojuliensi agro affirmat Matthiolus, in collibus saxosis & veteribus muris: ei verò tenues tribuit ramulos, *foliis* parvis longiusculis, Serpylli æmulis, stellæ modo dispositis sapore ferè Pulegii; *floribus* parvis carnei coloris onustos à media parte caulis. *Radicem* parvam, multis fibris donatam, ejusdem odoris cum foliis.

Difficile est (inquit J. Bauhinus) certò affirmare de qua planta intelligat Matthiolus, nisi nos aliquis Forojuliensis doceat, quæ planta apud eos iconi Matthioli respondeat. Matthioli glossatores & patroni nihil certi de hoc Tragorigano scribunt. Lobelii sententia mihi [*J. R.*] arridet, hoc non Tragoriganum sed Calaminthæ speciem alteram esse Serpylli & Clinopodii figurâ.

3. *Tragoriganum Creticum* C. B. Park. *Trag. Cretense* Ger. *Trag. quibusdam nigrius, folio duro, flore purpureo* J. B.

J. B.

Virgultis fruticat dodrantalibus & longioribus, adverso plerunque ramorum frequentium positu brachiatis, lignosis, rubicundis, quadrangulis, hirsutis: *Folia* ex adverso nascuntur per modica intervalla, oblonga, Satureiæ foliis quodammodo similia, latiora, magísque rotunda, interdum in hortis nostris & Majoranæ foliis non minora, stigmatis punctata, nigricantia, tactu dura, gustu acri & aromatico, odore suavi; ex quorum sinu alia minora folia quoque emicant. *Flores* verticillati, Satureiæ flores æmulantur, ex purpura pallescentes, rictu hianti apiculos exserentes, *calyculis* hirsutis in quinque aculeos desinentibus. *Radix* lignosa exteriùs rubet, intus albet, ac in surculos aliquot abit, capillaribus fibris donatos.

In Valentino agro sponte nascitur & Martio mense floret, autore Clusio, cui Tragorigani secundi altera species dicitur. *Locus.*

Tragoriganum herba est calida & acris, & ad eadem utilis ad quæ Thymus, Satureia, Hyssopus, nimirum, ad pulmonis affectus, Tussim, &c. ad menses & urinas remorantes; ad cruditatem ventriculi & ructus acidos, &c. *Vires.*

CAP.

CAP. XI.

De Polio.

ΠΌΛΙΟΝ sic dicitur propter caniciem, quæ in capitulis secundùm Dioscoridem, at secundùm Plinium in foliis apparet: πολιὸς namque caniciem & canum significat.

Polii ergo nota Characteristica esto foliorum & comæ canicies, & tomentosa lanugo quâ obducuntur: quinetiam Polium ex humilioribus suffruticibus est, foliis oblongis, & in legitimis seu genuinis speciebus circa margines crenatis.

1. *Polium maritimum erectum Monspeliacum* C.B. Ger. *Monspessulanum* J.B. *montanum minus* Park. *epitheta hujus & sequentis speciei apud Parkins. permutata videntur.* **Poley Mountain.**

J. B.

Folia angusta, oblonga, denticulata, candida, tomentosa, saporis acris & amari, per *ramos* dodrantales vel palmares, rotundos, incanos, ex *radice* lignosa paucis fibris donata: *capitula* glomerata, alba, tomentosa, calyculis constant oblongis, è quibus *flores* emicant hiantes, candidi. Odor totius plantæ gratus [Matthiolo acutus & subgravis].

Locus. In Italia & Gallia Narbonensi in maritimis præcipuè copiosè provenit; florens æstate. Cultum (inquit J. Bauhinus) multùm degenerat, minùs candidum evadit, foliáque redduntur latiora.

Vires. Polium cum acre sit & amarum, urinam & menses ciet; Hydropicos & ictericos juvat; venenatis morsibus auxiliatur. Theriacam & Mithridatium ingreditur.

Omnis generis Polii ramuli in terram depacti, loco præcipuè umbroso, sine difficultate radices agunt, ut in aliquot ejus generibus periculum fecit Clusius.

Nos hujus generis ramulum in horto Oxoniensi collectum & in libellum conjectum per triduum in loculis circumgestavimus, tandem Cantabrigiam reversi in hortulo nostro plantavimus, qui tamen brevi comprehendit & radices egit.

Lib. 2. C. 21. S. 127. * Sylvius inter medicamenta Antepileptica secundum locum Polio montano tribuit, ut quod volatili sale abundet. *D. Soame.*

* 2. *Polium montanum album* C. B. Ger. *montanum* 1. Clus. *montanum Monspeliacum* Park.

Hoc genus à præcedente differt præcipuè cauliculis humi sparsis; foliis leviter denticulatis, ut vix nisi diligenter observantibus denticuli appareant; in reliquis cum eo convenit, ut suspicer eandem esse plantam; quamvis icon non conveniat.

3. *Polium* 2. *albo flore* Clus.

Hoc *caliculis* erectis; *foliis* angustioribus, extrema parte duntaxat dentatis; *capitulis* majoribus longioribúsque, laxioribus tamen neque adeò compactis à præcedente differt. Quibus non obstantibus C.Bauhinus priori idem specie facit: Nos autem æquo jure utrumque genus maritimo Monspeliaco idem statueremus. Verùm autoritas Clusii tanti apud me est, ut nihil temere pronunciare aut definire ausim. Certè icon quam adhibet Clusius, aliique post eum, Polio Monspeliaco nequaquam convenit.

* 4. *Polium maritimum supinum* Park. *maritimum supinum Venetum* C.B. *montanum purpureum* Ger. *V. purpureo flore* Clus? *candidum tenellum tomentosum flore purpureo & albo* J.B.

Clus.

Hoc prorsus tenellum est exilibus & dodrantalibus ramulis, humi fusis, multâ lanugine candida tectis, qui subinde ad nodos radices agunt: folia illi sunt mediæ inter tertium & quartum genus magnitudinis, breviora tamen, denticulata, valdéque tomentosa, quæ adeò causa est ut in tenellis foliis nulla dentium vestigia conspiciantur nisi à diligenter observantibus: capitella superioribus multò minora, totáque tomentosa in quibus flos purpureus.

Varietas. Polium VI. albo flore *Clus.* hujus tantùm varietas accidentalis esse videtur; siquidem sola teneritas stirpis, & floris varietas inter hæc duo discrimen facit, autore Clusio. Utrumque enim genus nihil ferè nisi tomentum sunt & odoris suavitate reliqua genera superant.

Utrumque suis floribus onustum Martio reperiebat Clusius, nec differentiam animadvertisset, nisi floris color diligentiùs conferendi singulas plantas occasionem præbuisset.

Polium Venetum. J. Bauhinus Polium Venetum à Casparo fratre è Lio Venetorum allatum ab hoc distinguit, nec immerito, cùm tota planta minùs candida esset Polio Monspeliaco, foliis paulò latioribus & plus crenatis; comâ etiam magis divulsâ. C. Bauhinus etiam ipse in Phytopinace distinguit hæc duo: at in Pinace, nescio ob quam rationem mutatâ sententiâ, conjungit.

* 5. *Polium rubrum majus flore dilutiore* Moris. præl.

Hujus *folia* Polii lutei vulgaris foliis quàm proximè accedunt quoad magnitudinem, serraturam & canitiem. *Florem* fert majorem dilutiùs rubrum quàm præcedens.

6. *Polium montanum Lavendulæ folio* C. B. Park. *Polium Lavendulæ folio, flore albo* Ger. **Lavender-leaved Poley-mountain.**

Multas ex eadem radice promit virgulas primi generis virgis similes, sed breviores & magis fruticosas, supra terram sparsas; *folia* in his Libanotidis coronariæ foliis ferè paria, minora tamen supernè viridia, infernè canescentia, nullis crenis per oras notata, amari gustûs & jucundi quidem odoris, attamen minùs grati quam qui in legitimi Polii montani foliis percipitur. *Florem* extremis ramulis gerit copiosum, album, alterius Polii floribus formâ non absimilem, non tamen spicæ instar crescentem, sed velut in caput congestum: *Semen* deinde in vasculis exiguum, nigricans. *Radix* illi dura, lignosa, multifida, multis capillaribus fibris prædita.

In montosis circa Basileam, Genevam & alibi copiosè provenit, nobis observantibus. *Locus.*

Planta hæc minùs rectè me judice, ad Polium refertur, cùm nec folia ei tomentosa sint, neque circa margines crenata: Idem esto judicium & de sequente.

* 7. *Polium montanum repens* C. B. *montanum minimum* Ger. *mont. supinum minimum* Park.

Clus.

Duarum unciarum longitudinem vix superat, exilibus *ramusculis*, in quibus non minùs quàm in superioribus ordine & ex adverso opposita nascuntur *foliola* duriora, breviora & angustiora, non denticulata. Ramulis insident terni aut quaterni *flores* albi, superioris [Polii Lavendulæ foliis] formâ similes sed minores. Hujus *semen* non observavi. *Radix* fibrosa est & vivax natali solo. Nullâ vero odoris gratia commendabilis est hæc planta. Floret autem seriùs, Junio videlicet.

Nascitur publicâ viâ agro Viennensi. *Locus.*

Neutram harum postremarum stirpium [hujus & Polii Lavendulæ foliis] licet sæpiùs cum suis cespitibus in hortos translatam, unquam cicurare potui, sed consueto pabulo destitutæ semper corruptæ sunt. *Clus.*

8. *Polium montanum luteum* C. B. Ger. *montan. vulgare* Park. **Yellow Poley Mountain.**

Clus.

Mediæ est inter tertium & quartum genus magnitudinis, minùs fruticosum minúsque firmis *ramulis* quarto, firmioribus autem secundo: nam partim procumbentes eos habet, partim etiam erectiores, omnino incanos, magis etiam quàm tertium: *folia* autem utroque ampliora, & tota candida: tenelli tamen ramuli *capitella* sua jam protrudere incipientes cum ipsis foliis flavescente lanugine obducuntur, perinde ac ipsa integra oblonga capitella, quæ tandem luteum *florem* proferunt. *Semen* aliis simile.

Florebat natali loco Martio mense, apud Belgas seriùs. Regno Granatensi & Valentino oritur. In squalidis propè Valenam sylvam D. Magnol invenit. *Locus.*

Ex hujus semine natum est flore modò candido, modò interiùs pallescente, foris exalbido, comâque non minùs quàm folia canescente, quod Polium quartum Clusio.

* 9. *Polium latifolium incanum Creticum* C. B. Park.

C. B.

Totum tomento albo molli tectum est, *caules* habens pedales, rotundos, in ramos palmares, hósque in breviores subdivisos, quos *folia* vestiunt subrotunda, crenata, instar Alsines hederulæ folio aut Chamædryos, crassa, rugosa, infernè candida, supernè ex viridi flavescentia, quæ masticata pænè insipida [in sicca planta]& non secus ac si tomentum dentibus contereretur sensum præbent. Flores non vidimus.

Ab Honorio Belli è Creta missum est. *Locus*

Hæc species ad præcedentem proximè accedere mihi videtur.

* 10. *Polium angustifolium Creticum* C. B. Park. *erectum Creticum, & fortè frutescens Dioscoridis* Ponæ.

In bipedalem ferè altitudinem assurgit, *caulibus* rectis, duris, teretibus, lignosis, *foliis* obsitis parvis, angustis, oblongis apicibus subrotundis, Polii vulgaris similibus, sed minoribus multo, ad margines minime dentatis. *Flores* & semina vulgaris Polii [lutei intelligo] Tota planta valdè odorata est.

In Creta ad maris litora frequens. *Locus.*

* 11. *Polium*

* 11. *Polium mont. pumilum tenuifolium Africum* Park.

Folia huic angusta, incana, ad singulos geniculos multa : *flores* in summis ramulis parvi, sublutei. *Radix* nonnihil lignosa est, ut & tota planta, & aliquantulum odorata.

Locus. A Boelio circa Tunisium urbem collectum est.

Cap. XII.

De Teucrio.

Teucrium à Teucro inventore dictum planta est fruticescens, foliis Chamædryos, æmulis floribus galea carentibus.

Teucrium staturâ suâ & magnitudine, foliis latioribus à Chamædrye differt, quacum foliis galeâ carentibus convenit.

1. *Teucrium* C. B. *Teucrium multis* J. B. *majus vulgare* Park. *latifolium* Ger. **Tree Germander.**

J. B.

Cognatum Chamædryi Teucrium altiùs fruticat, rectis, lignosis, quadratis, hirsutis *virgultis*, in quibus ex brevibus intervallis *folia* utrinque hirsuta, superiùs atro virore splendentia, inferiùs nonnihil canescentia : & inferiora quidem formâ & magnitudine Chamædryos spectantur, serrata, ex oblongo rotunda, [jucundi si terantur odoris. *Clus.*] quæ verò virgularum fastigia ornant ad Hormini folia quodammodo accedunt, nequaquam per ambitum incisa, & circa basin latiora in acumen desinunt. *Flores* porrò è foliorum superiorum alis emicant, plures juncti, pediculis satis longis hærentes, calice hirsuto canescente, Chamædryos florum formâ, labello quidem longiore demisso, sed cucullo vidui; cujus loco *stamina* luteola exeunt, quo colore flos quoque ipse est præditus [Clusio ex albo pallescente] *Sapor* herbæ est acriusculus cum amarore non ingrato.

Locus. In Sicilia & Italia perquam familiare est, & Teucrium, ut facie Chamædryn vulgarem refert, ità eisdem cum ea pollet viribus.

2. *Teucrium Creticum* Clus. Park. J. B. *Creticum incanum* C. B.

Clus.

Perinde ut præcedens in fruticem assurgit, *ramis* tamen tenuoribus & incanis: *foliis* formâ similibus sed infernè magis incanis, supernè minùs virentibus & splendentibus, atque etiam minoribus. *Flores* ex singulis foliorum sinubus prodeunt, utriculis inclusi, quaterni aut seni, floribus Teucrii vulgaris formâ non dispares, nisi paulò minores essent, & colore purpureo. *Semen* rotundum, nigrum. Tota planta odorata est.

Ex semine Cretâ misso Clusio enatum est.

3. *Teucrium Bæticum* Ger. Park. *Bæticum Clusii* J. B. *peregrinum folio sinuoso* C. B.

Clus.

Humanâ interdum altitudine assurgit, plerunque tamen humilior est, unico stolone minimi digiti crassitudine, candicante cortice obducto, & in aliquot ramos diviso, binos perpetuò oppositos, incanos. *Folia* præcedentis fermè, majora paulò, in ambitu nonnihil sinuata, externâ parte omnino incana, internâ verò ex atro virentia, non tamen splendentia ut in primo genere; gustu perquam amaro. *Flos* candidus est, labris infernè prominentibus, nullâ galeâ superiùs imminente, aliquot oblongis staminibus sive villis è medio flore exeuntibus. Perpetuò viret non secus ac vulgare Teucrium.

Locus. Multis Siciliæ insulæ in locis invenimus, v.g. propè Syracusas, ubi in insignem altitudinem assurgit, plurimísque virgultis & ramulis densè fruticat; in insula parva ad promontorium Pachynum, nunc *capo Passaro* dictum; circa *Puzallu* arcem, & alibi. *D. Willughby* nobis ostendit à se inventam itinere à Neapoli ad Romam. Clusius montibus circa Calpen ad Herculeum fretum, & Bæticæ maritimis in sepibus & inter alios frutices inveniebat.

* 4. *Teucrium Alpinum inodorum magno flore* C. B. *Alpin. inodorum* Park. *item Teucrium foliis Scorodoniæ* C. B. *ex sententia* ejusdem.

C. B. prod.

Radice alba, oblonga & capillacea per terræ superficiem repit. *Cauliculos* aliquot habet lignosos, rufescentes, hirsutos, nonnunquam in alas divisos, semipalmares & in terram reclinatos ; *foliis* subrotundis, parvis, quorum maximum nè minimi digiti unguem adæquat, hirsutis, rugosis & crenatis, *foliis* Salviæ sylvestris superioribus formâ respondentibus, cinctos. In cauliculorum summitatibus *flores* quasi in spicam congesti, qui magni purpuro cœrulei galericulati.

In

In monte majore S. Bernhardi & Auguſtavalle Helvetiorum oritur. *Locus.*
Parkinſonus Teucrium foliis Scorodoniæ *C. B.* pro una & eadem cum deſcripta planta habet.

5. *Marum Cortuſi* J. B. *Tragoriganum latifolium* C. B. *Trag. latifolium ſive Marum Cortuſi Matthiolo* Park. *Tragoriganum Lobelii* Ger.

J. B.
Thymi durioriſve Maſtichinæ inſtar denſè fruticat, lignoſis virgulis & incanis, quas veſtiunt *folia* crebris geniculis Serpylli foliis paria, thymi foliolis majora, ſubtus incana, ſuperiùs virentia, ſapore amaro & acri, odore grato. *Flos* Chamædryos veræ floribus par, nec figurâ quoque abludens, multifido demiſſo labello, galeæ locum ſupplentibus tortilibus ſtaminulis, *calyce* quoque Chamædryos pari, villoſo, incano.

Cap. XIII.

De Chamædry.

Χαμαίδρυς, quaſi *humilis Quercus*, quia folia habet σχίσιν τῇ δρυῒ ὅμοια diviſurâ Quercui ſimilia, addè & figurâ: unde non alia quærenda eſt hujus generis nota characteriſtica. Parvitate ſua præcipuè à Teucrio differt; cujus & nomen etiam participat, nonnullis Teucrion dicta.

1. *Chamædrys vulgaris* Park. *vulgò vera exiſtimata* J. B. *minor* Ger. *minor repens* C. B. **Common Germander.**

Reptatricium claſſi accenſenda, *radiculas* lignoſas obliquè agit, fibriſque tenuiſſimis ſubinde rurſum radicatur, *virgultis* donata dodrantalibus, rubentibus, lanuginoſis: quibus *folia* ex intervallis adnaſcuntur bina, Quernorum diviſurâ, longitudine unciali & majore, latitudine ſemunciali, rigida, nervo, ſahirſuta, ſapore ſubamaro, ſubdulci & aromatico. *Flores* in ſpicatim quodammodo exeunt, purpuraſcentes labello ſcutellato, alis duabus acutiuſculis ad anguſtam cervicem appoſitis, ſupra quas ſurrecta ceu ſpicula; pro galea verò, quâ deſtituuntur, purpurantia *ſtamina* ſurriguntur.
In Germania, Gallia & Italia frequens reperitur. *Locus.*
In Anglia etiam invenimus non ſemel, an ſpontaneam ambigimus.

2. *Chamædrys major* Park. *major latifolia* Ger. emac. *major repens* C. B.

Præcipua, nè dicam ſola, inter hanc & præcedentem differentia eſt in ſtatura & partium omnium magnitudine, ideóque J. Bauhinus hanc ab illa non ſeparat: Nobis tamen videtur ſpecie diverſa, non accidentibus ſolis quæ cœli aut ſoli diverſitati, aut etiam culturæ debentur.
Tenuium eſt partium hæc herba: potenter urinam ac ſudores movet. Hinc confert in febribus, ſcorbuto, ſanguine coagulato, & inprimis in Arthritide, Ictero & Urina ſuppreſſa. *Schrod.* Addit Matthiolus in Peſtilentia, lumbricis, capitis morbis frigidis. *Vires.*
Extrinſecùs adhibetur in ulceribus ſerpentibus, in dolore hæmorrhoidum, in auribus vermiculoſis, in ſcabie & pruritu, in catarrhis exſiccandis.
Scribit Veſalius in *Epiſt. de China,* decoctum Chamædryos fuiſſe commendatum à Medicis Genuenſibus Carolo V. Imp. pro perpetuo Podagræ auxilio, facto decocto ſive ex vino, ſive ex aqua ſtillatitia. Experiatur qui volet, inquit Caſp. Hofmannus, qui ſe Tragi ſententiam amplecti ait, Chamædryn idem poſſe quod Betonicam; & rectè indi decoctis deobſtruentibus.
Apud noſtrates mulierculas in menſium ſuppreſſione decoctum ejus uſus eſt creberrimi.
Planta ipſa in agro Cantabrigienſi à vulgo **English Treacle** i. e. Theriaca Anglica dicitur, proculdubio quia Alexipharmaca cenſetur.
Quidam celebris ob Scrophularum curationem exhibebat decoctionem Chamædryos in Vini albi Lib. 2. ad Lib. 1. conſumptionem. Doſ. coch. 6. manè & veſperi, per menſis ſpatium: quo non proficiente exhibebat infuſionem Roris marini & Linguæ cervinæ ana *M.* 1. in vini alb. lib. 4. per horas viginti quatuor, & ſumebat æger Cochlearia octo bis indies; quo decocto fovebat etiam partes tumentes, quo ſucceſſu non traditur. D. *Hulſe* è *MS.* nondum edito.
Pulvis Chamædryos celebratur inter Ægyptios contra febres intermittentes. Alpin. de Medic. Ægyptiorum, p. 146, 147. Laudatur etiam hæc planta in febribus intermittentibus à Montano & Baricello. Multi Ruſtici curant febres Quartanas pulvere Chamædryos ſumpto in juſculis per aliquot dies. River. Centur. Obſerv. IV. Obſerv. 84. *D. T. R.*
Com. Mediolanenſis uxor dolore uteri ingenti excarnificata, decocto Chamædryos cum juſculo pulli parato, ſolutâ alvo, magnâque bilis ac pituitæ copiâ excretâ integrè convaluit. *D. Soame* ex * Obſervat. *Hieron. Reuſneri.* * *Obſ.* 101.

3. *Chamædrys spinosa* C. B. J. B. *spinosa Cretica* Park. *An Scordium spinosum odoratum* Cornuti?

C. B.

Planta est palmaris & sesquipalmaris, rarissimè cubitalis, molli lanugine incana & hirsuta, *Cauliculis* quadratis, geniculatis, virgultis hinc indè sparsis: *foliis* oblongis subrotundis, aliquibus laciniatis, at plerisque leviter serratis, summis tamen integris: *flores* ex caliculis lanuginosis Chamædryos formâ, ex flavo rufescentes, è foliorum alis prodeunt, unde & aculei bini, aliquando plures, modò breviores, modò longiores exurgunt: aliquando ex geniculis unum virgultum prodit, cujus summitati spina subtilissima insidet. *Semen* rotundum, subnigrum, caliculis inclusum floribus succedit.

Locus. Patavio ex horto Bembiano accepit descriptionis Autor C. Bauhinus.

Huic idem nobis videtur *Scordium spinosum odoratum Cornuti.* Quod in siccis & arenosis Hispaniæ montibus sponte nasci se accepisse scribit; verùm *ramulos* lenta pinguedine obsitos ei attribuit; *folia* suprema in summis cymis adeò parva, vix ut adæquent Serpylli nostratis folia: *Flosculos* albidos, tribus tenuibus filamentis ab intimo calyce ortis donatos; Saporem vietum, odore insigni fragrantiâ commendabilem ut ferè Ocymo parem gratiam obtineat: radicem oblongam, tenuibus fibratam capillamentis.

* 4. *Chamædrys arborea Ægyptiaca* C. B. *Chamædrys arborea in insula Corcyra* Alp.

Locus. Ad cubitos duos exurgit, foliis duplo aut triplo quàm in Italica majoribus.

Chamædrys Austriaca foliis tenuissimè laciniatis C. B.

Item,

Chamædrys Hispanica foliis tenuissimè divisis ejusdem.

In Prodromo descriptæ non pertinent ad hoc genus, sed potius ad Chamædryas spurias.

5. *Chamædrys laciniatis foliis* Park. Lob. *Chamæpitys fœmina* Ger. *Botrys Chamædryoides* C. B. *Bot. verticillata* J. B. **Jagged-leaved Germander.**

Radix ei parva alba, fibras emittens majusculas tenuissimis filamentis capillatas. *Caulis* indè exsurgit plerunque unicus, interdum plures, quadrati, hirsuti, rubentes, infirmi & vix se sustinentes, pedali interdum longitudine, *foliis* vestiti per intervalla ex adverso binis, pediculis longis hirsutis innitentibus. *Folia* ipsa supina parte obscuriùs viridia sunt, rugosa, obtusa, profundè divisa in aliquot segmentorum paria, hinc indè sibi mutuò respondentia. *Flores* ex alis foliorum orti, verticillatim caulem ambiunt, pediculis longiusculis hirsutis insidentes, è calice oblongo, purpurascentes, non galeati, galeæ autem locum obtinent stamina & stylus: labium integrum dependet, media sui parte album, saturatioribus punctis & lineis striatum, duo sæpius obtinens laciniarum paria.

Locus & Tempus. Junio floret. In Germaniæ agris sterilioribus & circa Genevam passim reperitur.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De Plantis verticillatis Herbaceis, quarum superficies non perennant aut saltem non lignescunt.

Plantæ verticillatæ Herbaceæ, hoc est, quarum caules non perennant, sunt vel floribus

- *Quadripartitis* aut quinquepartitis, vix labiatis, tubo brevi; foliis
  - *Integris*, odore
    - *Suavi*, radice reptatrice; MENTHA.
    - *Nullo manifesto*, aquatica; MARRUBIUM *aquaticum.*
  - *Laciniatis*, venosis; VERBENA.
- *Galeatis & labiatis*, seu utrinque labiatis, tubo productiore
  - *In capitula squamosa congestis*, in summis caulibus & ramulis, squamis
    - *Majoribus glabris*, cum reliqua planta valdè tomentosa sit & incana, DICTAMNUS *Creticus.*
    - *Minoribus*,
      - *Elatior*, minùs odorata, radice perenni; ORIGANUM.
      - *Humilior* & minor odoratissima, MAJORANA, *Amaracus.*
  - *In spicas dispositis*
    - *Rariores*, è verticillis paulò à se invicem remotioribus compositas, odore
      - *Suavi Citri* aut Caryophylli, foliis Amaraci; OCYMUM.
      - *Minùs grato*, foliis
        - *Rugosis*, floribus hiantibus, HORMINUM.
        - *Urticæ æmulis*, odore fœtido; GALEOPSIS.
    - *Densiores* & habitiores, verticillis proxime adnotis, foliis
      - *Incanis*, Urticæ foliorum æmulis, odore Menthæ; NEPETA.
      - *Virentibus*,
        - *Elatior*, folio crenato; BETONICA.
        - *Humilior*, folio circum oras æquali; PRUNELLA.
  - Ad caulium nodos è foliorum alis exeuntibus,
    - *Sessilibus*, pediculis brevibus aut nullis, verticillis
      - *Densè stipatis*, multis floribus congestis
        - *Elatior*, odore gravi, foliis incanis acutis; STACHYS *Fuch.*
        - *Humiliores*, foliis
          - *Incanis serratis*, odore vehementiore; MARRUBIUM.
          - *Viridioribus* Origani aut Ocimi, odore remissiore; CLINOPODIUM *vulgare.*
      - *Minoribus* & minùs densis,

Foliis urticæ, odore fœtido; LAMIUM.
Calice perampla, patulo, calathoide; MOLUCA.
Flagellis reptatricibus, foliis subrotundis crenatis, florum galeis reflexis; *Hedera* TERRESTRIS.
Floribus in singulis foliorum alis singulis, calice crepidæ aut calceamenti calcaneum imitante, *Lysimachia* GALERICULATA, *Cassida*, &c.

Pediculis innitentibus,

Oblongis, flosculos plures sparsos sustinentibus, foliis & odore Menthæ: CALAMINTHA.
Brevibus flores multos confertos gestantibus,

Foliis atrovirentibus, Calaminthæ majoribus, odore Citri: MELISSA.
Foliis & odore Lamii: MARRUBIUM *nigrum*.

Galeâ carentibus, labiatis, foliis,

Facie & odore pinûs, foliis trifidis: CHAMÆPITYS.

Foliis Allii odorem spirantibus,

Elatior, Salvifolia, floribus spicatis, sylvatica: SCORODONIA.
Humilior, reptatrix, palustris, foliis & facie Chamædryos vulgaris: SCORDIUM.

Inodoris, duorum generum caulibus, aliis erectis, qui flores sustinent, aliis supinis & repentibus, floribus spicatis: BUGULA.

CAP. I.

De Mentha.

MENTHAM à Græca voce Μίνθη dictam esse haud dubium est. Μίνθην autem παρὰ τὸ μινύθειν deducunt Grammatici, quòd purgationes fœminarum inhibeat, vel quòd semen copiosiore ejus esu minuatur & tabescat.

Minthem Plutonis pellicem à Proserpina (ut solent pellices semper odisse uxores) in hortensem Mentham transformatam fuisse narrant poetarum fabulæ, æterno in æternâ planta hominis monumento. Quam vocem Romani magis amantes, quia in ea malè habitæ ob amorem puellæ memoria servaretur, unâ tantùm aut alterâ mutatâ literâ Græcorum Minthen Mentham suam fecerunt. Marcellus Virg.

Dalechampio Μίνθη Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ μίνθου à stercoris fœtore per Antiphrasin, quòd minimè fœtida sit. Verùm Etymologias illas per Antiphrasin meritò rejicit & explodit Vossius. Nonnulli μίνθον interpretantur lanuginem muscosámque pubem humentibus & putrescentibus pæne cunctis subdio apertis obduci solitam, qualem cernere est in oletis & sterquiliniis: cui non absimilis tenera illa hirsuties quæ in Mentha agresti, sed præcipuè Calamintha visitur.

Notæ Menthæ Characteristicæ sunt, Flos quadripartitus, galea & labello à segmentis lateralibus vix discernendis; odor suavis, unde & Græcis ἡδύοσμος dicitur; radicibus vel flagellis repere.

A 1. *Calamintha aquatica* Ger. emac. *arvensis verticillata* C. B. *Mentha arven. verticillata hirsuta* J. B. *arv. vert. sive aquatica Belgarum Lobelio* Park. **Water-Calamint with whorled coronets.**

Radicibus reptantibus se longè latéque propagat; *caulibus* quadratis, alba lanugine villosis, pedalibus aut altioribus, ramosis. *Folia* adversa Clinopodii vulgaris aut Calaminthæ magnitudine & figura, & pari modo per ambitum leniter serrata sunt, odore gravi Calaminthæ, sapore acriusculo non insuavi, utrinque hirsuta, & ferè incana. *Flores* verticillati, Menthæ Sisymbriæ minores, dilutè rubentes, & in album propemodum pallentes, [purpuro-cœrulei pallidi] monopetali, in quatuor segmenta ad margines divisi, superiore quæ pro galea est in summo bifido.

Varietates. Menthæ hujus duas species seu varietates observavimus, alteram floribus majoribus, præter stylum quatuor intus staminulis cum apicibus suis instructis, alteram floribus minoribus absque staminulis extantibus.

Locus. In locis humidis & ubi per hyemem aquæ stagnârant. Post mediam æstatem floret.

A. 2. *Mentha verticillata minor, acuta, non crispa, odore Ocimi* J. B. *Mentha fusca sive vulgaris* Park. *ut puto M. cardiaca* Ger. **Red Mint.** *M. hortensis verticillata, Ocymi odore* C. B.

Minùs hirsuta est quàm præcedens, imò adeò brevi lanugine obsita, ut minùs curiosè eam contemplanti omnino glabra videatur. *Radicis* multiplex reptatus illi cum aliis communis est. *Caules* cubitali altitudine surgunt, quadrati, rigidi, rubentes. *Folia* (inquit J. Bauhinus) primùm Ocimo medio similia, quæ

quæ in caulibus ſuperiora longiora ſunt, acutiora & obſcuriùs viridia quàm Calaminthæ aquaticæ dictæ, longioribus & acutioribus denticulis inciſa, ut ad Menthæ Romanæ folia accedant. Verticilli *florum* dicti duobus floſculorum faſciculis unico hinc inde communi pediculo eóque oblongo ex aliis foliorum enato inſidentibus conſtant, quo à Calamintha prædicta, cui floſculi in ipſis foliorum alis ſedent differt. Floſculorum color quàm in illa pallidior, tubi longiores, magnitudo quatenus aperiuntur media inter majores & minores illius. Staminula in ſingulis floſculis quatuor extant & ſtylus quàm in illius longior.

A reliquis Menthæ ſpeciebus (J. Bauhini verba ſunt) conſpicuum ſuaviſſimi odoris Ocimi, ſaporiſque Meliſſæ diſcrimen hanc facilè diſpeſcit.

Vidimus aliquoties extra hortos, neſcio an ſponte enatam, an ex hortorum rejectamentis. *Locus.*

• 3. *Mentha criſpa verticillata* C. B. *criſpa verticillata, folio rotundiore* J. B. *criſpa* Park. *Sativa rubra* Ger. *quoad iconem.*

J. B.

Reptatrix *radix* huic cum reliquis ſpeciebus communis eſt; necnon *caules* quadrati, qui huic cubitos binos altitudine ſuperant, rigidi, recti, propter terram purpuraſcentes, hirſuti, multis alis concavi. *Folia* odorata ex ramorum & caulium geniculis enaſcuntur, atrovirentia, ſubrotunda, rugoſa, criſpa, per ambitum ſerrata, glabra aut minimùm hirſuta. *Flores* è foliorum alis verticillati, Pulegii, in cœruleum languentes.

Quam ſpeciem Menthæ hoc nomine intelligant nobis non certò conſtat.

• 4. *Mentha ſpicata rotundifolia criſpa* J. B. *rotundifolia criſpa ſpicata* C. B. *cruciata ſive criſpa* Ger. *cruciata* Park. **Spiked curled Mint or Cross-Mint.**

J. B.

Facies rotundifoliæ criſpæ ſpicatæ qualis verticillatæ: *radices* reptantes ſe propagantes: *Caules* quadrati, hirſuti, infima parte ſubrubentes: *folia* è geniculis adverſa, criſpa, rugoſa, vix hirſutæ, ſerrata, ad Verticillatam odore & ſapore accedentes: at *florum* poſitus multum diverſus, licet ſingulorum *floſculorum* non alius ſit vultus aut color: ſiquidem in ſpicas unciales & ſextantales digeſti ſunt.

Non minùs ignota eſt nobis hæc quàm præcedens.

5. *Mentha criſpa Danica aut Germanica ſpecioſa* Park. **Great curled German Mint.**

Park.

Radicibus reptatricibus cum aliis ſui generis convenit. *Caules* erigit proceros, ab imo ſtatim ramoſos, *foliis* cinctos amplis, latis & ſubrotundis, ad margines altiùs inciſis, ſinuatis, & veluti criſpis, inferioribus præcipuè, nam quæ ſuperiorem caulis partem occupant minùs altè ſecta & laciniata ſunt, paulo profundioribus tantùm denticulis quàm præcedens ſerrata. *Flores* in ſpicas aliquanto grandiore, habitiores & rotundiores quàm illiùs compacti, pallidè purpurei. Odor plantæ non ingratus, minùs tamen acer & vehemens quàm ſuprà ſcriptarum.

Hanc Londino acceptam in hortulo noſtro Cantabrigiæ coluimus.

Ipſe obſervavi ſimplex decoctum Menthæ criſpæ (neſcio an de hac ſpecie an de præcedentium duarum utralibet intelligat) ità ſanguinis motum circularem ſuffocâſſe, ut ne illius quidem gutta è pede ſtillaret, quamvis ſcalpellum myrtiformem ter vel quater ſatis profundè in vaſis pedis maximè conſpicuis adegiſſet chirurgus ſolertiſſimus. *S. Pauli* Quadr. Botan. Claſſ. 3. p. 390. Parârat pediluvium famula prius ex aqua in quam injecerat faſciculos aliquot Menthæ. Hoc pediluvio Domina uſa eſt. *Fortè non cauſam pro cauſa habuit.* S. Paullus: *nobis enim non veriſimile videtur Mentham talem effectum habere.* Ex excerptis *D. Edvardi Hulſe.* *Vires.*

6. *Mentaſtrum ſpicatum cultum, folio rotundiore rugoſo* J. B. *Mentha rotundifolia ſpicata altera* C. B. *Mentaſtrum hortenſe, ſive Mentha ſylv.* Park. *Mentha cardiaca* Ger. *ex ſententia Johnſoni, verùm icon non reſpondet.* **Manured Horſemint.**

J. B.

In hortis colitur, odioſo reptatu tandem hortulanis parùm gratum. *Caulibus* pluribus quàm Menthæ criſpæ ſpicatæ, nigrioribus, hirſutis & mollioribus quàm Menthæ criſpæ verticillatæ. *Flores* ſpicatim digeſti, minimi. *Odor* gratus.

Hæc planta culturâ ſolùm differre videtur à Mentaſtro vulgari ſpontaneo, ut rectè opinatur Parkinſonus: quod & ipſe J. Bauhinus titulo ſuo indicare & concedere videtur.

Hujus varietas eſt,

Mentaſtrum ſpicatum folio criſpo rotundiore, colore partim albo partim cinereo & virente J. B. *Mentaſtrum niveum Anglicum* Ger. *Mentha ſpicata folio variegato* C. B.

Quæ foliis in eadem planta mirè ludit, modò totis candidis, modo ex albo in herbidum languentibus, aliàs dimidiâ parte albis, alterâ viridibus, aliàs utroque hoc colore variè maculoſis.

In hortis frequentiſſimum eſt. Nos Cantabrigiæ coluimus. *Locus.*

A. 7. *Mentastrum folio rugoso rotundiore spontaneum, flore spicato, odore gravi* J. B. *Mentastrum* Ger. descr. *Mentha sylvestris rotundiore folio* C. B. Horse-mint or round-leaved wild Mint.

Cord.

Caules erigit cubitales, quadrangulares & hirsutos: *Folia* ex intervallis longitudine bessis [imò breviora] latitudine autem unciam tertia aut quarta parte excedentia, rugosa, atque lanuginosâ pube obducta: Ramulos supra medium caulis è foliorum sinu producit, vere & æstate numerosis undiq. *floribus*, in candido rubentibus & hiantibus, denticulatis calicibus insidentibus, & positu quandam spicæ imaginem referentibus, circundati: quibus exiguum nigrúmque *semen* succedit. *Radice* nititur multis capillamentis fibrata, laterales viticulas propagationis causâ in terra spargente & perenni. Saporem habet amarum, acrem & adstringentem; odorem verò gravem & acrem, sativâ Menthâ multo injucundiorem.

Locus. Spontaneum observavi in prato quodam, aquoso loco, propè *Faulkbourn-hall* in Essexia copiosè: item juxta fluvium propè *Lydbrook* vicum, non longè à *Rosse* oppido in Herefordiæ Com. & alibi. Provenit etiam sponte in Gallia & Germania, plurimis in locis. Aquas plerunque sectatur.

8. *Mentha angustifolia spicata* C. B. *Ment. spicata folio longiore, acuto, glabro nigriori* J. B. *Mentha Romana* Ger. *Romana angustifolia, sive Cardiaca* Park. Spear-mint or Hart-mint.

J. B.

Non secus ac aliæ Menthæ radicum longo reptatu subinde fibris dimissis se promovet; caulibus bicubitalibus subrubentibus, quadratis: ex quorum nodis per certa intervalla gemini adversi rami exeunt, ità ut inferioris semper cum superiore cruciformis sit positus; qualis & foliorum est alternatio, tam in caulibus quàm in ramis [Hic foliorum situs omnibus verticillatis plantis communis, quamvis non ita conspicuus & visui statim obvius in plerisque] Sunt ea verò oblonga, acuta, atrovirentia, minimùm hirsuta, per ambitum serrata. *Florum* autem pusillorum exalbidorum, punctulis rubentibus guttatorum verticilli longiuscula serie spicam effigiant.

Vires. Menthæ usus præcipuus est in Ventriculi imbecillitate, cruditate, singultu, vomitu, flatibus, ardore, hepatis obstructione, intestinorum dolore, capitis vertigine. Menses & album mulierum profluvium efficaciter compescit. Extrinsecùs duritiem mammarum lactísque coagulationem tollit, achores sanat. *Schrod.* Menthæ folia lacti immersa coagulari & illud in caseum coire non permittunt. *Trag.* Quin & in ventriculo lac coagulari non patitur. Quare (inquit Casp. Hofmannus) sectari illam debent qui vel coguntur crebriùs uti lacte, vel aliud alimentum non habent. *Verùm lac in ventriculum receptum, si is bene se habeat, ritè & ex ordine naturæ coagulari debet, ideóque iis quibus ventriculus sanus & rectè dispositus est, non opus est ut quærantur quæ coagulationem impediant; sed iis duntaxat quibus infirmus, aut nimio acido scatet, ad coagulationem moderandam. Quamvis enim lac in ventriculum receptum initio coagulatur; coagulum tamen hoc antequam in intestina descendit, iterum in liquamen dissolvitur:* quod si densius & durius sit, non ità facilè fiet.

Herbæ succus ejúsve aqua distillata ad vomitum reprimendum usûs sunt creberrimi. ℞ aq. ℥ij. semel atque iterum; enormes sistit vomitus. *Hartman.*

Eadem aqua destill. mulierculis usitatissima est ad tormina ventris in infantibus compescenda.

Turnero autore, odor Menthæ cerebrum roborat, memoriam conservat & auget.

Contraria videntur tradere autores de vi Venerem stimulante, Venereáque insomnia & exonirogmos impediente.

Nostrates Mentham Pisis & Fabis incoquere solent ad eorundem flatulentiam corrigendam.

Ex Menthæ herba sicca, additis æqualibus Rutæ partibus & tantillo sem. Carvi, omnibus convenienter in aceto Cerevisiæ coctis paratur Cataplasma, quod mirificè lac coagulatum mammarum resolvit primùm, dein omnino generationem lactis prohibet: quo promiscuè puerperæ felici successu utuntur. *Simon Paulus.* Ex excerptis *D. Edv. Hulse.*

Ad anorexiam, Elixir Menthæ cum spiritu proprio per infusionem paratum, addito pauco Saccharo est egregium. *D. Hulse* ex Ettmulleri praxi.

A. 9. *Mentastrum spicatum folio longiore candicante* J. B. *Mentha sylv. folio longiore* C. B.

J. B.

Duos cubitos alta est, aliquando procerior: *radicibus* geniculatis, reptantibus, fibratis. *Caules* item quadrati sunt, toti hirsuti: quorum geniculis apposita *folia* oblonga, acuminata, per ambitum serrata, molli lanugine canescentia, magis tamen inferna quàm superna parte, odore satis grato, minùs multò vehementi quam Menthæ sativæ spicatæ aut verticillatæ, sapore item simili sed remissiore. *Flores* ex rubore in album pallescunt.

Locus. Invenimus hanc in prato quodam propè Florentiam Italiæ urbem. Ad *Burwelli* rivulum in Lincolnia Angliæ nascentem observavit D. Martinus *Lister* amicus noster summus. Nullam provinciam (inquit Clusius) adire memini, in qua non conspexerim Mentham sylv. sive Mentastrum sponte secundùm aquas & riguis locis nascentem. Parkinsonus aut hujus non meminit, aut cum Mentastro vulgari folio rotundiore miscet.

* 10. *Mentha sylvestris longioribus, nigrioribus & minùs incanis foliis* C. B. *Mentastrum folio longiore* Park.

Lob.

Persimile est Mentastro vulgari rotundifolio, sed folia nigriora, longiora, minúsque incana & hispida: flos item spicatus.

In agro Frisio secus Campen & Zwollam oritur. *Locus.*

* 11. *Mentastri aquatici genus hirsutum spicâ latiore* J. B. *Mentha palustris folio oblongo* C. B. *Mentastrum minus* Ger. emac. *Mentastrum hirsutum* Park.

J. B.

Quadratos promit *caules*, duûm vel trium cubitorum altitudine, hirsutos: *Folia* Menthæ spicatæ folio acuto, vel Mentastri albi, oblonga, serrata, lanugine multâ subtus canescentia, minùs tamen quàm Mentastri vulgaris rotundiore folio, vel candido, sapore insigniter acri fervidóque odore ferè Sisymbrii sive Menthæ aquaticæ rubræ. Caulium scapus trifariam partitur, totidémque gerit veluti spicas latiusculas [non angustas ut in Menthis & Mentastris spicatis] non multò unciâ longiores, in quibus *flores* subpurpurei, quinquepartiti, ex calicibus hirsutis, striatis, rubentibus, in apices quinque fissis. *Radice* est reptatrice.

A. 12. *Mentha aquatica sive Sisymbrium* J. B. Ger. emac. *Men. aquatica rubra* Park. *rotundifolia palustris sive aquatica major* C. B. Water-Mint.

Humidioris soli amasia, ex radice reptatrice, crebris fibris donata *caules* aliquot emittit, quadratos, hirsutos, tenues, aut intus concavos, aut fungosâ medullâ farctos. *Folia* ex articulis (qui non admodum crebri sunt) Menthæ crispæ verticillatæ paria, minimè tamen crispa, quanquam perinde ut illa per ambitum serrata, pediculis brevibus hærentia, odore vehementi Pulegii, colore ex nigro-rubente, non rarò tamen viridia. *Flores* in summis caulibus in capitula crassiora, subrotunda congesti, infra quæ unus plerunque florum verticillus, è duobus glomerulis flosculorum, singulis pediculo communi è foliorum alis egressis, compositus. Flores autem dilutâ purpurâ rubescunt, in quatuor lacinias secti, quarum superior qui galeæ locum occupat bifida, staminulis quatuor emicantibus flori concoloribus, apicibus saturatioribus capitatis, J. Bauhino rubellis.

Passim secundùm rivos, & in humidioribus provenit.

Hujus aliam proponit speciem J. Bauhinus titulo

* 13. *Menthæ aquaticæ sive Sisymbrii hirsuti.*

Cui non solùm *caules* quadrati & folia sed etiam ipsi florum calyces densâ lanugine pubescunt, adeò ut canescant: *folia* uncialia & sescuncialia, subrotunda, per ambitum obiter serrata: è quorum sinu prodeuntes pediculi *Flores* sustinent conglomeratos verius quàm spicatos.

Hanc nondum vidimus, nec scimus an specie differat à præcedente, an accidentibus tantùm variat.

Mentha rotundifolia palustris minor, sive flore globoso C. B. *Mentastrum rotundifolium minus* Park. *item, Mentha aquatica sive palustris minor* ejusdem, p. 1243.

Cap. II.

De Pulegio quod pro Menthæ specie habemus.

Pulegium ita dictum creditur, quod ejus flos recens incensus pulices necet odore: Βλήχων Græcis quasi balans herba, quia gustatum à pecore cùm floret, acri sapore balatum iis extorquet.

Parvitate sua, florum densis verticillis, sapore & odore acriore à Mentha differt.

A. 1. *Pulegium* J. B. *vulgare* Park. *regium* Ger. *latifolium* C. B. Penny-royal or Pudding-grass.

J. B.

Importuno reptatu quacunque terram attigit è *caulium* quadratorum, hirsutorum, dodrantalium geniculis demissis fibris radicatum luxuriat, longè latéque subjectum solum opacans. *Foliorum* ex articulis est exortus ad Origani folia accedentium, odore cum suavitate gravi, sapore fervido. Quadripartitorum *florum* verticilli purpurascentes, brevibus intervallis, longâ spicataque serie caules & ramos coronant, subjecta utique foliorum conjugatione una.

Gaudet locis palustribus & aquosis ubi per hyemem aquæ stagnarant. *Locus.*

Majorem hujus speciem proponit Parkinsonus, quæ non alia in re quàm magnitudine sua & caulibus erectioribus à præcedente differt. Hanc in Essexiæ Angliæ viarum marginibus copiosiùs quàm alibi inveniri tradit. Nobis quamvis Essexiæ incolis nondum visa est, neque spontanea, neque culta. *Varietas Major.*

2. *Pulegium densis surculis* Park.

Surculis crebrioribus, *foliis* minoribus & densiùs dispositis à præcedente differt, cætera ei similis.

Alicubi in Anglia spontaneam inventam fuisse & in hortos translatam scribit Parkinsonus, penes quem fides esto.

3. *Pulegium mas* Ger. *mas Plinii* J. B. *mas flore albo* Park. *latifolium alterum* C. B. **Male or upright Penny-royal.**

J. B.

Foliis, ut vulgare, Sisymbrii est, aut Origani, toto *caule* ex intervallis cum floribus verticillos alterius planè modo conflantibus: vires, odor prorsus eadem. *Caulibus* est erectioribus, pedalem interdum altitudinem excedentibus: *floribus* albis.

Locus. In via qua Rivolo Taurinum itur ad agrorum margines observavit Matthiolus.

In insula Corcyra observavit D. *Georg. Wheeler* Pulegii speciem erecto caule, folio lato incano vel hirsuto: quæ tamen diversa videtur à Matthiolina; utraque autem pariter nobis incognita est.

4. *Pulegium Virginianum nonnullis, aliis Serpentaria aut Colubrina Virginiana.* **Virginian Snakeweed.**

Hujus flores aut semina non vidimus. Caules autem & folia Pulegium Cervinum dictum imitabantur.

5. *Pulegium angustifolium* Ger. C. B. *angustifolium sive cervinum* Lob. Park. *cervinum angustifolium* J. B. **Hart Penny-royal.**

J. B.

Frequentes profert *virgas*, teretes, tenues, subrubentes, geniculatas, pedem longas & majores, modicè erectas: *Folia* Satureiæ, nonnunquam tantillum dentata, odore efficaci vulgaris Pulegii, sapore fervido & mordaci. *Florum* verticillati globuli cis virgultorum fastigia ad nodos oriuntur, colore dilutè cœruleo, quorum singuli quatuor foliis constant, è quibus *staminula* exeunt floribus concoloria. *Radix* adultior lignosa, multis tenerioribus albicantibus Gratiolæ radicum asparagis aucta, fibras summo cæspite vagantes promittit.

Locus. Primò ad Rhodanum fluvium juxta antiquum pontem Romanum S. Spiritûs dictum observavimus; postea circa Monspelium in humidioribus.

Vires. Hoc etiamsi magna vulgaris Pulegii copia suppeteret, Pharmacopœis Regii & Monspelienses Professores accipiendum imperabant, (inquit Lobelius) quòd viribus, sapore & odore multo quàm alterius gratioribus, vehementioribus & probatioribus esse dixerint.

6. *Pulegium foliis Nummulariæ* C. B. Park.

C. B. prod.

Hujus ramulum tenuem, palmarem, ex horto Patavino allatum, quasi geniculatum *folia* tenuia, instar Nummulariæ rotunda, sed sextuplo minora pedicellis donata, cingebant, & floribus ex albo cœruleis caulem verticillatim ambientibus subjiciebantur.

Hoc odore vulgari multò est gratiore.

7. *Pulegium tomentosum minimum* Bocconi.

A vulgare Pulegio nihil discrepat nisi parvitate, & *foliis* longioribus atque lanuginosis. Plantula enim hæc ad dimidium palmum non accedit.

In pratis non longè à *Corleone* in Sicilia invenit *P. Boccone.*

Vires. Pulegium, cùm revera Menthæ species sit, iisdem etiam viribus quibus & Mentha pollere verisimile est. Acrius tamen Menthâ est, & proinde efficacius, partium tenuium. Usus præcip. in mensibus ciendis, fluore albo, fœtu ejiciendo. Confert hepaticis ac pulmoniacis nauseam & tormina ventris discutit, calculum & urinam pellit, ictero ac hydropi medetur. Extrinsecus prodest capiti, somnum arcet, vertiginem discutit, doloribus arthriticis convenit, dentes abstergit, pruritum cutis curat. *Schrod.*

Succus hujus herbæ cochlearis unius mensura pueris exhibitus efficacissimum est remedium ad tussim illam clamosam seu convulsivam nostratibus **The Chin-cough** dictam, aliis catarrhum ferinum quæ teneram ætatem plurimum infestare solet.

Hujus notitiam *D. Boyle* acceptam refero, qui ad profligandum hoc Symptoma inter alia medicamenta primas ei tribuit, nec immeritò, ut experientiâ nobis compertum est. *D. Hulse.*

Nostrates botulis cruore distentis Pulegium concisum immiscere & incoquere solent; unde & **Pudding-grass** vocant.

Ad raucedinem, ℞ Decoct. Pulegii dulcorat. ℥vi. iturus cubitum, & sanaberis. *Chesneau ex libro Arcanorum.* Ex annotatis *D. Hulse.*

Recens sacculis inclusum, & in lecto positum pulices efficaciter abigit: sed intra spatium septimanæ sacculi sunt renovandi. *D. Palmer* nobis communicavit.

CAP.

Cap. III.

De Marrubio aquatico.

MArrubium J. Bodæo à Stapel dictum putatur, quòd marcescentibus & tabescentibus prosit, vel quod folia marcida & squalentia sint, quasi rubigine exesa forent. Utrumque Etymon ineptum. Cæterum Marrubium Latinam vocem esse, non Græcæ originis indè demonstratur, quòd *r* secundum sine aspiratione scriptum ubique legatur.

Foliis rugosis, ad basin laciniatis, & odoris carentibus à Menthâ distinguitur.

A 1. *Marrubium aquaticum* Ger. emac. *aq. vulgare* Park. *aquaticum quorundam* J. B. *palustre glabrum* C. B. **Water-Horehound.**

Radice est reptatrice *caules* unà exurgunt numerosi, sesquicubitales, quadrati, hirsuti, concavi, ramosi. *Folia* in caulibus per intervalla ex adverso bina, glabra, valdè rugosa, pallidè virentia, longa & modicè lata, in acumen desinentia pediculis priva, inferiora laciniata, præcipuè versus basin quàm cauli adhærent, superiora potiùs dentata. *Flores* ad genicula in verticillos dispositi, galeati quodammodo, parvi, albi, breves, in quatuor segmenta obtusiora divisi, intus purpureis notulis picti è *calice* brevi in quatuor aut quinque segmenta partito exeunt. Singuli calices vel immediatè adnascuntur cauli, vel suis quique pediculis. *Semina* exigua, quatuor in unoquoque calice.

In aquosis & ad rivulos passim & copiosè oritur. *Locus.*

2. *Marrubium palustre hirsutum tenuiùs laciniatum* C. B. *aquaticum alterum* Park.

C. B. prod.

Foliis hirsutis, incanis & asperis. Scabiosæ montanæ calidarum regionum modo, ad costam mediam in plures oblongas, angustas, acuminatas & crenatas lacinias divisis à præcedente differt.

In pratis & humidis fossis juxta sylvulam antri Frontignanensis viâ Miræ vallis plurimum oritur. *Botan. Monsp.* *Locus.*

Cap. IV.

De Verbena.

VErbena, Ἱεροβοτάνη, Grammaticis quasi herbena, quia quamlibet herbam in sacris usitatam significat. Verbena, autore Plinio, quòd ad Jovis mensam verrendam præparandámve ad sacrificium adhiberetur. Vide Plin. lib. 22. cap. 2. & lib. 25. cap. 9.

Hierobotane sive herba sacra dicitur, quia, autore Dioscoride, in lustrationibus suspensa alligatàve felicem habeat usum. Adeò autem usitata erat hæc herba in sacris apud Ethnicos, ut ejus nomine (ut diximus) uti solebant ad quamlibet herbam in sacris utilem significandam; ut unanimiter cum Servio testantur omnes Critici & Grammatici.

Plantam hanc ob notas genericas communes, nimirum folia in caulibus ex adverso bina & semina ad singulos flores quaterna, necnon flores monopetalos, Menthæ æmulos, ad verticillatas retulimus.

A congeneribus differt foliis rugosis, laciniatis & floribus in spicis longissimis angustis, nullis intermistis foliis.

A. 1. *Verbena vulgaris* J. B. *mas seu recta & vulgaris* Park. *communis cæruleo flore* C. B. *communis* Ger. **Vervain.**

J. B.

E *radice* minimo digito tenuiore, fibrosâ & subamara plures emergunt *caules*, cubitales & altiores, quadrati, solidi, brevi lanugine subhirsuti, & subinde purpurascentes, ramosi. *Folia* in caulibus per intervalla ex adverso bina, brevi itidem & vix conspicua lanugine utrinque hirsuta, rugosa, profundè laciniata, divisurâ quodammodo foliorum Quercûs, infimis duabus incisuris profundioribus, colore saturatiore superiùs quàm inferiùs virescentia. Ex alis foliorum & in summitate caulis *flores* in longas spicas digesti, dilutè cœrule [ex pallido purpurascentes *J. B.*] exigui, quinquepartiti ut in Verticillatis, è calice in ala folioli perexigui sessili exeunt. Singulis autem flosculis succedunt in calice quatuor *semina* longiuscula, simul juncta, ut in Verticillatis, quibus omnino accensenda est hæc planta. Duo superiora flosculi cujusque segmenta galeæ vicem obtinent.

In areis & compitis. Æstate floret. *Locus.*

Περιστερεὼν & Ἱερὰ βοτάνη Græcis dicitur.

* 2. *Ver-*

* 2. *Verbena supina* Clus. J. B. *supina sive fœmina* Park. *tenuifolia* C. B. *sacra* Ger.

Clus.

Quaterni aut quini sunt illi *cauliculi*, angulosi sive quadranguli, quales vulgaris Verbena habet, tenuiores tamen, supini & in terram procumbentes nodosi seu geniculati: ad singulos nodos nascuntur sub ramulis *folia*, colore quidem à vulgaris foliis non differentia, sed multò magis incisa & multifida: *Flores* in summis ramulis spicæ in modum congesti nascuntur, ut in vulgari, etiam ex cœruleo purpurascentes, minores tamen: *Semen* illi æquale est, nec *Radix* dispar.

Locus. Salmanticensi agro frequens est & quibusdam aliis Castellæ locis. Florebat isthic Julio & Augusto. Annua est planta, quæ semine producto perire solet, natalibus etiam locis.

Vires. Verbenæ plurimas virtutes attribuunt Veteres; quas summatim recenset Schroderus. Cephalica ac vulneraria est. Usus præcip. in dolore aliisque affectibus capitis à frigidis humoribus, in affectibus oculorum & pectoris, tussi inveterata: in obstructionibus hepatis ac lienis, ictero, torminibus ventris, dysenteria; imprimis atterit & expellit calculum, libidinem coercet, febrem tertianam fugat, arthritidem mitigat, vulnera sanat, partum facilitat. Extrinsecus in cephalalgia, odontalgia, alopecia, melancholia; in oculorum lippitudine, imbecillitate, rubore; in angina, raucedine (collo circumplasmatizata;) in tumore glandularum in faucibus [gargaris.] in dolore lienis (cum axungia porci) ac podagrico mitigando; in vulneribus adstringendis, ac putridis abstergendis; in procidentia ani, mariscis, &c.

Cùm tot viribus polleat, quid mirum tanto eam olim in honore fuisse, ut Herba sacra dici meruerit. Ad lienis tumorem, ℞ Verbenæ contusæ cum album. ovorum & farina hord. aut frumenti. F. Cataplasma, linteo raro involutum & applicatum supra tumorem attrahit quasi sanguinis tenuioris portionem: quidam addunt Betonicam. Est populare remedium. *Chesneau.*

Verbena capiti vel sub pulvinari imposita, vel fermento acerrimo & oleo Rosaceo in Emplastro subacta capitis dolorem à vino ortum levat. E Dol. L. 1. C. 9. S. 16. *D. Soame.*

3. *Verbena nodiflora* J. B. C. B. *repens nodiflora* Park.

C. B. prod.

Ex *radice* tenui, fibris capillata *caulis* tenuis, quadratus, geniculatus, glaber, in terram reflexus & sesquipalmaris prodit; quem *folia* ad geniculum bina, adverso situ, ungue non multùm longiora, per extremum crenata & acuminata, cingunt. Ex quolibet pænè geniculo & ramulus foliis aliquot cinctus, & pedicellus nudus, duas tresve uncias longus, exurgit; hicque *capitulum* rotundum squamatum sustinet, unde *flosculi* Verbenæ vulgari similes exeunt, *semenque* parvum, ut in vulgari, succedit.

Locus. Hanc Neapoli cum semine ab Imperato accepit C. Bauhinus.

* 4. *Verbena Indica* Bontii.

Bont.

Similis est Verbenæ nostræ mari, spicæ tamen hìc duriores & longiores sunt.

Vires. Foliis hujus plantæ utuntur Indi, & nos quoque ab illis edocti ad ulcera tibiarum: nam egregiè exsiccant, quod requiritur in omnibus ulceribus, quæ hìc propter aeris calidam & humidam constitutionem difficulter admodum curantur. Succo expresso recenter, & cochlearis unius mensuram ægri ad colicos dolores, dysenteriam, choleram, & reliquos indiscriminatim intestinorum affectus, cum summo successu hauriunt: in Syncope quoque & animi deliquiis cum aceto contusam pectori applicant.

* 5. *Verbena Urticæ folio Canadensis.* Hort. Paris. & Hort. Lugd. Bat. Moris. prælud.

Moris.

Planta est bipedalis, aliquando altior: è regione ad caulium nodos quadratorum bina nascuntur *folia* mucronata, Urticæ majoris foliis haud absimilia, sed saturatiùs virentia: quoad *flores* & *semina* Verbenæ vulgari in omnibus accedit.

6. *Verbena Peruana* C. B. Park.

Verbenæ supinæ seu fœminæ similis est, sed major, & per hyemem virens. Fortè eadem est Verbenæ Indicæ Bontii.

CAP.

Cap. V.

De Herbis verticillatis floribus in capitula squamosa congestis & primum de Dictamno Cretico.

DIctamnus nomen accepisse dicitur ἀπὸ τῦ τίκ]ειν à pariendo, eò quòd ut Dioscor. & Theophr. ὀξυτόκιον ὄν partus acceleret, cùm non modo potum, sed appositum quoque partus defunctos ejiciat.

Foliis valdè tomentosis & incanis, atque capitulorum squamis majoribus à Majorana & Origano differt.

Dictamnus Creticus C. B. Park. *Dictam. Cretica seu vera* J. B. *Dictamnum Creticum* Ger.

J. B.
Caulibus est hirsutis, nonnihil purpurascentibus ex quorum geniculis adversi oriuntur rami, & ex his eodem ordine alii: *Foliorum* circumscriptio ferè circinata, interdum oblongior, uncialis, substantiâ canescente tomento undique obductâ, odoris validi, saporis acris. *Capitula* ramulorum extremis incidentia, spicam mentiuntur longiusculam, è foliis Majoranæ majoribus, exterius purpurascentibus, squammatim incumbentibus compacta, quorum è sinu promuntur *flores* purpurascentes, tubuli patuli formâ, prominentibus ex hiatu staminulis, calici insidentes striato.

Tenella est planta, frigoris impatiens & hyemes nostras ægrè tolerans.

Observante J. Bauhino, nisi pangantur plantæ, rarò etiam diligenter asservatæ per hyemem durant. Satius igitur est ut surculis propagetur, qui in alterum annum florem producunt.

Vires. Præstat omnia quæ sativum Pulegium, sed efficaciùs multò. Nam non potum modò sed & appositum ac suffitum partus mortuos ejicit. Aiunt & in Creta capras tela quibus ictæ sunt, hujus herbæ pastu excutere. Porro purgandi vim habet illitus, aut cum polenta affrictus. Imposita verò herba plantæ pedum reliquóque corpori impactos aculeos refigit extrahítque. Est & efficax ad lienis dolorem, siquidem ipsum imminuit. Radix gustu excalfacit, necnon & partum accelerat. Sed & succus cum vino potus contra venenatorum morsus auxilio est. * Herbæ verò tanta vis est, ut ictu venenato sævientes bestias & olfactu abigat, & contactu perimat. Cæterùm expressus ex ea succus vulneribus ferro illatis, aut venenatis morsibus instillatus præsentaneo est remedio, si præterea in potu assumatur. *Hæc Dioscorides.*

* *Cave credas.*

Hippocrates, referente Galeno, ad secundas remorantes inter præstantes quas novit medicinas ponit Dictamnum: & si propinetur ex vino ad molam expellendam. Autore Plinio menses ciet; partus mortuos vel tranversos ejicit. Nec potu tantùm, sed & illitu, & suffitu valet. Adeò ad hæc efficax est, ut ne in cubiculum quidem prægnantium inferatur. Quis hæc credat?

Thadæus Dunus, ut è J. Bauhino habeo, mulieri quam morituram omnes arbitrabantur ex fœtu mortuo post alia medicamenta in balneo sedenti dedit pulveris foliorum Dictamni Cretici obolum ex aqua fontana: quibus peractis speravit ille, ut ait, rem ex voto successuram: Omnia enim ad imum ventrem vergere videbantur. Eâ nocte satis commodè habuit, sed non dormivit. Ante diluculum mortuum fœtum feliciter expulit. Et facilè quidem Dictamnum sumitur, cùm alia quæ fœtus mortuos expellunt vel nimis amara, vel fœtentia, vel nimis acria, vel stomacho inimica sunt, & nocere possunt.

Cap. VI.

De Amaraco seu Majorana & Origano.

MAjoranam nonnulli dictam volunt, quòd majori curâ, diligentiâque quàm cæteræ herbæ seratur colatúrque.

Amaracum ab Amaraco puero Regio. Fabellam narrat Servius: Amaracus Cynaræ Cypri regis puer unguentarius fuit, qui casu lapsus dum ferret unguenta, fracto alabastro majorem ex confusione odorem creavit: unde optima unguenta Amaracina dicuntur. Hic postea cum nimio odore contabuisset, in herbam Sampsuchum mutatus est, quæ deinde ab ejus nomine cœpta est Amaracum appellari.

Non invenio notam ullam genericam & essentialem quâ Origanum dictum à Majorana differat, atque idcirco utrumque eodem capite complectar.

Origanum ἀπὸ τῦ ἐν τοῖς ὄρεσι γάνυσθαι, quòd montanis delectetur locis, autoribus Dioscoride & Theophrasto, dicitur. Herodianus dictum Origanum contendit ἐκ τῦ ὁρᾷν videre & γανοῦν clarificare, quòd visum clarificet & illustret, quod Jo. Bodæo non arridet, cùm Origanum ex sententia * Hippocratis, oculis & dentibus potu exhibitum noceat.

* *Epidem. lib. 5.*

Aliud Etymon excogitavit Theodosius Grammaticus, teste Phavorino, qui per ἰῶτα seu simplex ι scribendum ait, atque à ῥίγω i. e. algeo, factum ῥίγανον, additoque ο parvo ὀρίγανον, quasi frigus aliquod, per Antiphrasin; calfacit enim. Verùm nec hoc probatur: primum magis placet.

Notæ

Notæ Majoranæ ſeu Origani ſunt flores in capitula ſquamoſa congeſti in ſummis caulibus & ramulis, capitulis & ſquamis minoribus quàm in Dictamno; & folia minùs tomentoſa & incana quàm in illo.

1. *Majorana vulgaris* C. B. *vulgaris æſtiva* Park. *major* Ger. *majori folio, ex ſemine nata* J. B. **Sweet Marjoram.**

J. B.

Fruticulus eſt palmaris aut etiam dodrantem altus, alis creberrimis concavus, iiſque lignoſis, plerunque quadratis, ſubhirſutis & tantillum rubentibus. *Folia* ex adverſo poſita ſunt, Origani vulgaris formâ, ſed longè minora, incanâ lanugine obducta, odore fragranti, ſapore acriuſculo & ſubamaro, aromatico & grato. Circa caulis ramorúmque faſtigium ex foliorum alis, adeóque in ramulorum extremis imbricatæ *ſpicæ* oriuntur, quarum hirſuta, ſquammatim compacta folia è ſinu promunt *floſculos* puſillos, albicantes, hiulcos, labello quadrifido demiſſo, cui folium ſurrectum imminet, bifidum è rictu ſtylum albidum proferentes. *Semen* quale Origani vulgaris, minutum, rotundum, ruffum.

Locus. Semine provenit à Gallia Narbonenſi vel Provinciâ allato.

2. *Majorana tenuifolia* C. B. Park. Ger. *tenuior & lignoſior* J. B.

Hæc Majorana Nobilis & Gentilis nonnullis dicitur, quæ à vulgari ſeu majore non videtur ſpecie differre: ſiquidem C. Bauhinus hanc apud nos in Majoranam vulgarem degenerare affirmat: & Jo. Bauhinus inter hanc & præcedentem non aliam differentiam ponit, quam quòd illa ſemine provenit, hæc ſurculis plantatur, inde enim ſurculoſior robuſtiórque fit, foliáque ejus (ni ille fallatur) minora & candidiora redduntur. Parkinſonus inter hanc & Majoranam odoratam perennem diſtinguit; quam nonnullos pro Majorana vulgari æſtiva habere, tranſplantatione robuſtiore & hyemis tolerantiore facta affirmat. J. Bauhinus aliam habet *Majoranæ* ſpeciem, quam *Creticam odoratiſſimam* vocat, *quibuſdam Marum dictam*, ſimilem Majoranæ vulgari, niſi quòd *folia* minora, candidiora, odoris & ſaporis vegetioris, pertinacis, nec niſi longo tempore exoleſcentis obtineat, per ramos tenuiores quadratos nullo digeſta ordine; *capitula* hirſutiora, & candidiora quàm vulgaris. Hæc fortè Lobelii *Majorana* eſt ſeu *Amaracus alia tenuior, gentilis & minuta plebeculæ*: & in ico. Plant. *Majorana tenuifolia delicatior*. Quamvis, ut verum fatear, neque hæc à Majorana vulgari mihi ſpecie differre videtur.

Vires. Partium eſt tenuium, digerit & attenuat. Auxiliatur cerebri & capitis frigidis morbis quovis modo aſſumpta. Pulvis herbæ ſiccæ naribus inflatus ſternutamenta ciet, & pituitam evocat, cerebrúmque corroborat; ſed & idem præſtat foliorum ſuccus naribus infuſus. Valet & ad pectoris vitia, ſtomacho præterea utilis eſt, ac jecinoroſos & lienoſos juvat quovis modo aſſumpta: ſed & ad uteri flatus, ac cæteros ejuſdem frigidos morbos confert. Urinas & aquoſos humores in potu ſumpta ducit: dentium dolores lenit commanſa aut appoſita. Admiſcetur Antidotis. *J. B. Dodonæo & aliis.*

Oleum ejus calfacit & corroborat nervos.

Nicolaus Cheſneau Maſſilienſis M.D. ſequens Errhinum à ſe ſæpiùs expertum in Cephalalgia commendat.

℞ Radic. Hellebori albi ʒß, fol. Sampſ. p. ii. decoq. in aq. ℥vj. ad conſumptionem tertiæ partis, ore aquâ pleno utere, naribus attrahendo, ex decocto parum calido, in vola manus poſita in dolore atroci; levem enim exaſperat.

Aqua Majoranæ catarrho confert, ſi loco errhini, ore priùs ſimplici aqua vel vino repleto, volæ ſeu cavæ manui infuſa, compreſſa alterutra nare alterâ exhauriatur, radice naris aut oſſe ethmoide tenus. Secus ſi faxis non ad dictum locum ſed fauces aut narium foramina hoc errhinon retrahitur. Hoc errhino pater meus ſumma ſua laude uſus eſt in Principe Walenſtenio ad coryzam. *Simon Paulus.*

Balſamo Majoranæ ſi pinnæ narium & *μεσόφρυον* inungantur, mirum dictu quantum in catarrho aut potius coryza is valeat; quo etiam nucha temporáque cùm in modo dicto affectu, tum in aliis frigidis capitis affectibus inungi ſolent. Idem. Has tres obſervationes amiciſſimo Viro *D. Edvardo Hulſe* Medico Londinenſi debeo.

• 3. *Majorana Syriaca vel Cretica* C. B. *Marum Creticum* Alpini exot. *Marum Syriacum* Ad. Lob. Ger. *Syriacum vel Creticum* Park.

Alp.

Surculoſa eſt, creſcítque palmi altitudine, foliolis parvis, minutis, candicantibus, ſapore acutis, maximè odoratis, fértque à *radice* lignoſa, gracili, parva, *ſurculos* plures, rectos, rotundos, tenues, lignoſos, qui ab radice uſque in ſummitates ferunt de oppoſito ex intervallis binos ramulos, foliis binis utrinque ex oppoſita densè veſtitos: in cacumine verò *floſculi* purpurei Origani Heracleotici modo, admodum odorati.

Adverſariorum autores ſic deſcribunt:

Gratiſſimo & vegeto eſt odore; facie tota Majoranam præfert aut Origanum, ſed gracilioribus, non brevioribus, pedalibus & ſeſquipedalibus viticulis, corymbaceóque aſpectu elegantioribus, delicatioribus capitulis, etiam decimum ferè annum, ex quo Venetiis Alepo Syriæ habuimus odoris fragrantiam retinentibus.

Varietas. Majoranæ ſpeciem habemus, paſſim in hortis cultam cujus capitula ſquamata quadrangula oblonga hujus plantæ iconi bene reſpondent, verùm floſculi ejus albi ſunt non purpurei. *Radix* plures annos durat, ſuperficies quotannis emoritur. Pluribus virgulis exoritur ſemipedalibus circiter.

Folia

Folia figurâ suâ & magnitudine ad Majoranæ æstivæ accedunt, verùm minùs lanuginosa & mollia sunt, nec odore perinde fragranti, grato tamen.

A. 4. *Origanum vulgare spontaneum* J. B. *Anglicum* Ger. *sylvestre, Cunila bubula Plinii* C. B. *Majorana sylvestris* Park. **Wild Marjoram.**

J. B.

Origani vulgaris *radices*, tenues illæ quidem & lignosæ, obliquè aguntur, frequentibus capillamentis fibratæ, sic ut ramulorum pars infima horum ope denuò radicetur. Surgunt autem complures *caules* cubitum unum aut duos alti, duri, quadrati, hirsuti, ad quorum nodos adversa oriuntur *folia* Calaminthæ arvensis [aut Clinopodii vulg.] hirsuta, & ex horum alis minora alia, Majoranæ foliorum æmula: sapor autem tum his, tum illis acer, aromaticus; odor suavis. *Flosculi* tanquam in umbella, foliolis rubescentibus obvallati emicant, colore carneo aut candido, pusilli, unum foliolum bifidum sursum reflectentes, infimum majus trifidum, ceu labellum, demittentes, staminibus in medio flori concoloribus. *Semen* minutissimum, Majoranæ semini simile.

Hujus capitula singularia squamosa ex pluribus foliolorum conjugationibus squamatim ob proximitatem incumbentibus componuntur: è singulorum autem sinubus singuli flores exeunt. Foliola hæc figurâ suâ & lævitate à reliquis quæ in caulibus sunt differunt, situ, nisi quòd proxime admota sunt, conveniunt.

Locus. In dumetis & ad sepes non infrequens est.

Pro hujus varietate accidentali habeo Origanum album *Tab.* & *Ger.*

Vires. Aperit, adstergit, abstringit. *At quomodo hæc conveniunt?* Usus præcip. in obstructione pulmonum, hepatis ac uteri, & hinc in tussi, asthmate, ictero. Auget lac, ichorosa excrementa per sudorem expellit (ante balneum assumptum) extrinsecus usu venit crebriore, eóque in balneis uterinis, cephalicis, totius corporis (contra scabiem.) Nos plantam hanc, ut & omnes Origana dictas pro Majoranæ speciebus habemus; proinde & easdem illis vires convenire versimile est.

* 5. *Origanum sylvestre humile* C. B.

C. B. prod.

Ex *radice* lignosa rufescente, fibrosa *cauliculus* communiter unus rotundus, rufus & asper, unciarum sex vel septem, exurgit; qui in summo in ramulos plures dividitur, híque flores umbellæ formâ ex cœruleo purpureóque mixtos sustinent. *Folia* habet parva, oblonga, hirsuta, compacta & inordinatè disposita, potissimùm cauliculi partem summam ambientia, vulgaris Origani odore.

Locus. Hoc circa Aureliam Gallorum copiosè reperitur.

6. *Majorana major Anglica* Ger. *latifolia, sive major Anglica* Park. *Origanum Heracleoticum Ruellii, sive Majorana major* J. B. *Origanum Onites* C. B. *item Majorana sylv. perennis ejusdem, ex sententia fratris, cui & nos libenter suffragamur.* **Pot-Marjoram.**

J. B.

Majoranæ alii, alii Origanis accensent plantam quadratis, hirsutis, subrubentibus, cubitalibus, ramosis *caulibus* fruticantem, cujus *folia* Majoranæ foliis majora, Origani vulgaris ferè paria, cinerea, hirsuta, venosa. Extremi ramuli in spicas duorum versuum squamatas, semunciam aut unciam longas abeunt, è quarum imbricatis foliolis flosculi emicant.

Hujus varietas est

Majorana latifolia aurea Park.

Quæ verno præcipuè tempore cùm adhuc nova est, foliis vel in totum flavis aureísve, vel partim flavis, partim viridibus idque magis minúsve, prout naturæ ludere videtur, apparet, nec alia in re à præcedente differt.

Pro olere usurpatur, unde à nostratibus **Pot-Marjoram**, i. e. Majorana oleracea dicitur.

7. *Origanum Heracleoticum* Ger. *Heracleoticum verius* Park. *Heracleoticum, Cunila gallinacea Plinii* C. B. *Heracleoticum Matthioli, aliis fortè Creticum* J. B.

J. B.

Hoc nomine mihi visum & collectum Origanum, cubitali *caule*, quadrato, hirsuto, vulgaris instar Origani: *Folia* ex geniculis minora, modicè hirsuta, odore & sapore acriore: *Flores* albi aut subpurpurei in squammatis capitulis, minimè spicatis, & in umbellæ ferè modum sparsis.

His ultimis verbis penè contraria tradit Lobelius in hujus plantæ descirptione, inquiens, in summis hujus virgultis non in umbellam circinatam collecti sunt flores, sed in parvis thyrsis spicatis, ternis hinc inde dissipatis.

Planta quam describit J. Bauhinus ea esse videtur quam in hortis nostris alimus *Majoranæ hortensis odoratæ perennis capitulis non spicatis*, nomine, nisi quòd major sit & hirsutior.

* 8. *Origanum Creticum* J. B. *Origanum Onites* C. B. & Matth. *Orig. Onites Matthioli* Park. *Orig. Sylvestre Syriacum* Lob. *An Origanum sylv. sive vulgare* Park? *Orig. Creticum* Ger?

J. B.

Pertinacissimè odoris gratiam habet: adferuntur autem potissimùm cymæ, Majoranæ similes spicis, aliæ breves, longæ aliæ, quadruplici serie squammarum striatarum densè compactarum imbricatæ, sapore acerrimo, odore aromatico, jucundo. *Folia* rariùs adferuntur, quæ mihi aliquando videre contigit, minora quàm vulgaris Majorana, miniméque rotunda.

Magna est apud Botanicos confusio de speciebus Origani. C. Bauhinus Origanum Syriacum sylvestre *Lob.* ab Origano Onite *Matth.* distinguit: J. Bauhinus hoc illi idem facit.

Huic fortè eadem est quam Hyssopum Græcorum *Pr. Alpinus in Exot. vocat & describit.*

Alp.

Cubitali magnitudine, Origano Oniti quàm similem & foliis & umbellis Corymborum modo junctis; quæ ab Origano odore suaviori & validiori distinguitur. Multis surculis ab una radice, vel ab unico caule exeuntibus fruticat, non ex toto rectis, sed obliquè actis, *foliis* Origani Heracleotici, sed candidioribus & odoratioribus; & in caulium cacuminibus umbellæ corymborum modo in rotæ speciem cernuntur, *flosculis* albis, quales in Origano onite apparent, à quibus *semen* minutum, nigrescens fit. Tota planta est eximiè odorata, & gustui cum valida acrimonia acceptissima, totàque albicat cum levi lanugine. Ineunte hyeme ferè ex toto faciem mutare videtur. Nam ab una radice plures cauliculi assurgunt, sursum obliquè luxuriantes, foliis Pulegii, caulem ab imo ad summum usque densiùs convestientibus, caulibus rotundis, leviter lanuginosis albicantibus, invalidioris odoris.

* 9. *Origanum Monspeliense pulchrum Camerarii* J. B. *Origanum folio subrotundo* C. B. *Orig. onites Gallo-provinciæ minus* Ad.

J. B.

Simillimum est Oniti à Matthiolo depicto, sed non idem. Ab Origano vulgari non multùm differt, nisi quòd multas habeat pulchras & oblongas quasi *spicas* purpureas: *caulis* etiam totus purpurascit. *Semen* gignit ruffum, pusillum ut reliqua Origani genera.

Locus. Crescit in Gallia propè Monspelium. Circa pontem Castri novi, & alibi in satorum & vinearum marginibus oritur. *Botan. Monsp.*

* 10. *Origanum spicatum montis Sipyli, foliis glabris,* Wheeleri.

Radices nigræ, fibrosæ, & (ut Autori nostro videtur) reptantes, plures emittunt *cauliculos*, teretes, hirsutos, *foliis* binis conjugatim nascentibus, ut in omnibus hujus generis, obsitos, initio nonnihil lanuginosis, nervosis nervis obscuris & tactu vix percipiendis, ad exortum subrotundis, extremo acuminatis, myrti minoris foliorum figura. *Caules* sesquipedalem aut bipedalem altitudinem assequuntur, superiore parte glabri, ut & folia. E foliorum superiorum sinubus exeunt ramuli adversi, prætenues in *capitulum* squamosum Lupuli fructui simile, interdum ad uncialem propè longitudinem accedens, dilutè purpurascens desinentes, è cujus squamis *flores* parvi, purpurei exeunt: compressi odorem Stœchados Arab. imbecillem spirantes.

* 11. *Origanum Smyrnæum* Wheeleri.

Planta est perennis, plures virgas, lignosas, longas, ad intervalla ramulos emittentes surrigens. *Folia* quàm Majoranæ Creticæ minora, minùs incana, nec adeò rotunda, sed potiùs oblonga, acuminata, nervosa, & aliquantulum lanuginosa: Summos caules & ramulos terminant capitula squamosa. Odorem suavem & fragrantem expirat.

Locus. Smyrnæ in monte cui Arx inædificatur copiosè provenit.

CAP. VII.

De Plantis Verticillatis Verticillis in spicas dispositis.

De Ocimo.

Ocimum à Græco ὠκὺς seu ὠκίως nomen accepisse scribit Varro, quod citò proveniat. Theophrastus testatur tertio à satione die provenire, *lib.* 7. *cap.* 1. Doctiores tamen Botanici (inquit Jo. Bodæus à Stapel) hoc etymon Ocymo pabulo convenire scribunt: Hortense verò ἀπὸ τοῦ ὄζειν *redolere, odoratum esse* derivant. Est enim herbula eximiè odorata, quæ & cerebrum odore suo ferit, & sternutamenta excitat. Significantiùs quoque ὄζιμον per ζ scribendum existimant.

Differt (inquit idem) Ocymum ab Ocimo. Ocymum pabuli genus est. Plin. l. 17. c. 24. *Ocymum quod in vinea seri jubent, Antiqui appellabant pabulum, umbræ patiens, quòd celeriter proveniat.*

Ocimum autem planta odorata. Ocymum pabulum Veteres per υ scribunt ὤκυμον, herbam per ι, ὤκιμον. Verùm hoc non perpetuum & constans est apud ipsos.

Basilicum Recentioribus dicta est hæc herba ob dignitatem suam, quod ob insignem & fragrantem odorem Regia domo, & Regiis manibus gestari dignum sit.

Basilici notæ sunt Folia Amaraci, odor suavis Citri vel Caryophylli, flores in spicas laxas è verticillis rarioribus compositas digesti.

1. *Ocimum magnum* J. B. Ger. *caryophyllatum majus* C. B. *caryophyllatum maximum* Park.

J. B.

Duplo triplóve majus huic *folium* quàm vulgari, oblongum, raris crenis serratum, pallido virore præditum, aut rubrum (duplex enim habetur hujus generis Ocimum album & rubrum) odore suavi Citri vel Caryophylli. *Flores* spicati, albi vel rubri.

Locus. Plantam hanc speciosam caulibus cubitalibus, foliis Amaranti aut Mercurialis, majoribus frequentem observavimus in Italia in cœnaculis & ædium fenestris, inque Adonidis hortis, in vasis figulinis satam & cultam; ut rectè scribit Matthiolus.

Ocimum in viridariis Ægypti *Alp.* quod excrescere scribit ad altitudinem trium & plus cubitorum, foliis nostratis longioribus, tenuioribus, colore rubro suffusis, odorémque eximium spirantibus C. Bauhinus à præcedente separat, & *Ocimum caryophyllatum maximum* appellat; an rectè considerandum.

2. *Ocimum vulgatius* C. B. *medium vulgatius & nigrum* J. B. *vulgare majus* Park. *medium citratum* Ger. **Common Basil.**

J. B.

Dodrantalis est planta, pluribus *ramis* stipata, quadratis, nonnihil rubentibus, subhirsutis. *Folia* Parietariæ, minora, glabra, aliàs per ambitum incisa, aliàs minimè, odore fragranti, sapore nullo excellenti. *Flores* verticillati, in spicam longiusculam digesti, suaveolentes, colore albo purpurascentéve, labello longiusculo, angusto, cui ex adverso respondet sursum vergens in quatuor lacinias divisum folium, prominentibus è rictu *staminulis* albidis cum *stylo* purpureo: *Semen* pusillum, nigricans. *Radix* lignosa, nigra, fibrata.

Ab hoc *Ocimo medio vulgatiori* specie distinctum facit C. Bauhinus *Ocimum Citri odore*, i. e. Ocimum medium citratum *Ad. Lob.* quod cùm nullatenus distet (ut scribit Lobelius) præterquam odore gratiore & cordi amabiliore, corticem Citrii mali redolente, præter rationem id facere videtur.

Nec major ratio est, cur *Ocimum Anisi odore* seu Anisatum *Eyst.* ab Ocimo medio vulgari separaret: quod & Parkinsonus eum secutus facit.

Vires. Vires hujus plantæ sic breviter perstringit Schroderus. Calf. & humect. digerit & resolvit; expurgat pulmones, menses movet, ideóque usurpari poterit usu interno & externo.

Hollerius lib. 1. de morb. intern. cap. 1. observat scorpionem natum fuisse in cerebro cujusdam Itali ex frequenti odoratu Basilici seu Ocimi. Camerarius etiam sæpissimè Venetiis observavit scorpiones sub fictilibus in quibus Basilicum colitur libenter stabulari. Et *D. Raymondus* Anglus in *Mercurio suo Italico* asserit sibi experientiâ compertum herbam hanc humido in loco sub lapide repositam intra biduum Scorpionem producere: quod interim dum Senis commorabatur rarum & memorabile imprimis accidens confirmabat. Generosus quidam Senensis odore Basilici vehementer captus & delectatus, herbæ exiccatæ pulverem naribus frequenter attrahere solebat: verùm brevi phreneticus moriebatur cranióque ejus à chirurgis aperto, scorpionum nidus in cerebro repertus est.

Nos cum præstantissimis hujus ævi Philosophis generationem æquivocam aut spontaneam in animalibus dari neutiquam concedimus, adeóque neque Basilicum ex se scorpionem producere; interim tamen non negamus bestiolas illas herbæ odore delectatas ad eum libenter arrepere, aut sub illa stabulari, forte etiam eâ vesci, inque foliis aut gemmis ejus ova ponere, unde accidere potuit Generosum prædictum unà cum pulvere foliorum Scorpionum ova naribus attraxisse, quæ capitis calore fota ibidem scorpiones excluderent.

3. *Ocimum minimum* J. B. C. B. *vulgare minus* Park. *minus Garyophyllatum* Ger. **Bush-Basil.**

J. B.

Palmaris aut paulò major est planta, ramulis creberrimis lignescentibus densè fruticans: per quos *folia* Serpylli aut Majoranæ foliis paria, ex oblongo rotunda, viridantia aut rubra, sapore vegetissimo & suavissimo Garyophyllorum: *flosculi* exigui verticillatim per ramorum scapos disponuntur. *Radix* fibrosa.

Hoc genus tenerius est multò quàm vulgare; nec semen apud nos facilè ad maturitatem perducit.

* 4. *Ocimum Indicum* Ger. Park. *latifolium maculatum vel crispum* C. B. *Sanctomauritanum, latum, crispum, maximum* J. B.

J. B.

Ad cubitalem altitudinem crescit, quadratis *caulibus*, raris pilis vestitis, quos adversi rami dividunt: *Folia* ex longis pediculis ad articulos circinata circumscriptione, ampla, crispa, fimbriata, atro-virentia aut rubro admisto maculosa, fragrantis odoris: *Flores* Ocimo vulgari similes, verticillati, in spicam digesti, qui ex candido rubescunt: *Semen* paulò majus, nigrum, ex rotunditate oblongum, foliaceis capitulis inclusum.

Locus. Ex India in Hispaniam primò, inde in Italiam, Germaniam, &c. hujus semen transmissum est.

Varietates duæ. Ocimum crispum *Park.* i. e. foliis fimbriatis viridibus *C. B.* crispum viride *Eyst.* Item Ocimum viride foliis bullatis *C. B.* Indicum viride majus foliis protuberantibus *Eyst.* nihil aliud esse videntur quàm species quædam degeneres seu varietates accidentales Ocimi Indici jam descripti è semine ortæ, ut & Parkinsonus opinatur.

* 5. *Ocimum minus angustifolium foliis serratis* C. B. *minus angustifolium* Park.

Præcedentibus Ocimis minus ramosus est, quin potiùs cauliculis paucioribus & ramulis rarioribus Acinon seu Clinopodium imitatur. *Folia* habet parva, angusta, circa margines parùm dentata, bina semper ad nodos opposita, rariora & in ramulis magìs sparsa, seu ab invicem remotiora. *Flores* summos ramulos occupant, ad Ocimi accedentes, verùm tantillo magis reflexi, colore albo. Odor remissior est & languidior quàm in reliquis Ocimis.

CAP. VIII.

De Hormino.

HOrminum dictum videtur ἀπὸ τοῦ ὁρμᾷν, quòd πρὸς τὴν συνουσίαν παρορμᾷ, ad Venerem stimulet, ut Dioscorides loquitur.

Notæ ejus characteristicæ sunt flores in spicis longis & laxis seu ex verticillis longiùs à se invicem remotis compositis; folia rugosa, odor satis vehemens, minùs tamen gratus quàm Ocimi.

Spicatas in hoc genere vocamus plantas in quibus folia è quorum sinubus florum verticilli exeunt diversæ figuræ sunt ab inferioribus in caule & ad radicem quantumvis verticilli in iis aliquanto remotiores sint à se invicem & spicam laxam & velut interruptam efficiant, ut in hoc genere. Reliquas in quibus folia verticillis subjecta ejusdem formæ & constitutionis sunt cum reliquis in caule & ad radicem pro non spicatis habemus, quamvis in illis non raro verticilli in summis caulibus & ramulis proximè admoti & densè stipati spicas simulent. Has tamen non rarò cum vulgo Spicatas appellamus.

1. *Horminum sativum* C. B. *sativum genuinum Dioscoridis* Park. *sylv. foliis purpureis* Ger. *comâ purpuro-violaceâ* J. B. Dioscorides his Clary.

J. B.

Multam habet cum Salvia similitudinem. *Caules* subrubentes, multis alis concavi, quadrati, multâ lanugine hirsuti, pedales & majores: ad quorum genicula *folia* Salviæ, non ita retorrida & squalida, sed affatim hirsuta, odore nullo excellente, sapore amaricante. At verò foliorum quæ in extremis sunt ramulis densior est phalanx, quorum summa purpuro-violacea facilem ad hujus plantæ cognitionem viam monstrant. *Flores* ex foliorum alis exeunt, sex unà, Salviæ minores, partim purpurei & albicantes, ex caliculis verticillatis Marrubio similibus, foliaceis, hirsutis & striatis, sursum vergentibus dum flores gestant, deorsum nutantibus semine onustis. *Radix* lignosa & fibrosa. *Herba* est annua.

Locus. Copiosè crescere dicit Camerarius in agro Senensi, sed copiosiùs in Apulia, Illyrico & in Lesena insula atque universa Græcia. Nos in exteris regionibus in illud nunquam incidimus.

2. *Horminum comâ rubrâ* J. B.

J. B.

Similis est præcedenti, *caulibus* suis quadrangulis, hirsutis: foliis prioribus ex longis pediculis Salviæ accedentibus, itémque per caules verticillis. Ast *floribus* differt minoribus, summitatibúsque caulium rubris, ac odore nullo insigni.

Locus. Planta hæc ex semine Londino accepto mihi succrevit Cantabrigiæ; eandémque multis post annis è semine ortam, comâ tamen minimè rubrâ, pro diversa specie descripsi his verbis.

Folia ima quæ è radice exeunt figurâ & magnitudine sua ad Salviæ folia accedunt, nisi quòd obtusiora sint, pediculis itidem longis nituntur, per margines crenata, hirsuta, rugosa. *Caules* ab eadem radice plures exeunt, pedales aut cubitales, quadrati, hirsuti, imâ parte ramosi, *foliis* cincti parvis, triangulis, absque pediculis caulibus adnatis, iis quæ in Hormino sativo florum verticillis subsunt

ſubſunt ſimilibus. Hæc enim pariter florum verticillos ceu vaſcula quædam excipiunt & ſuſtentant. *Verticilli* autem florum longis intervallis diſtant, ſinguli ſex floſculis compoſiti parvis, galeatis, rubentibus, è calicibus oblongis, ſtriatis, quinquepartitis, qui floribus delapſis deorſum reflectuntur, & in ventrem per maturitatem turgeſcunt, minimè hiantes. Ad latus uniuſcujuſque folii triangularis ligula anguſta, longa flori ſubeſt, ut folia triangularia cum ligulis appoſitis tot ſint quot flores. *Semina* colore & figurâ Sclaræ ſeminibus ſimilia, verùm multò minora.

Deſcriptio Hormini minoris ſupini Cretici *Cluſ.* in omnibus fere cum noſtra convenit, ut eandem ſuſpicer eſſe plantam: color duntaxat floris differt.

3. *Horminum Sclaræa dictum* C. B. *Sativum vulgare, ſive Sclaræa* Park. *Gallitrichum ſativum* J. B. *Gallitrichum ſive Horminum.* Ger. **Common garden Clary.**

Caule ſurgit cubitali & altiore, minimi ferè digiti craſſitudine, quadrato, rigido, hirſuto, medullâ albâ farcto, in oppoſitos conjugatim ramos ex intervallis fiſſo: quâ etiam ſerie & rami in alios minores deinceps abeunt. *Folia* ampla, hirſuta, caneſcentia, admodum rugoſa aut ſcabra, pinguia, è lata baſi in mucronem obtuſiorem ſenſim deſinentia, ad margines quodammodo dentata aut crenata, longis pediculis nixa, præſertim inferiora & quæ è terra exeunt, in caulibus ſita ex adverſo bina. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis in ſpicas longas & laxas, è multis verticillis compoſitas digeſti, cucullati, hiantes, cucullâ prælongâ arcuatâ, quæ ſtylum tenuem incurvum nonnihil extantem in ſummo bifidum & bina ſtamina cum ſuis apicibus oblongis occultat, dilutè cærulei, è ſtriatis calicibus, tactu glutinoſis, hiantibus, in quinque ſpinulas diviſis, quarum tres ſurſum ſpectant ſupra floſculum, duæ infra eum ſitæ. Ad ſingulos verticillos cauli apponitur hinc inde folium, figuræ & texturæ multùm diverſæ, ab inferioribus in caule & à radice exeuntibus: ſunt enim hæc parva, concava, lata baſi abſque pediculo cauli immediatè adnexa, in acutum apicem exeuntia, minùs rugoſa & tenuiora iis quæ in caule ſunt, colore purpuraſcente. *Radix* ſubeſt ſimplex, lignoſa, plurimis fibris capillata, coloris obſcurioris, non ingrati ſaporis, poſtmodum palatum & fauces calefacientis. *Semen* majuſculum, lubrico lævore perpolitum, alterâ facie gibboſa, alterâ anguloſa, coloris ruffeſcentis. *Odor* totius plantæ vehemens & gravis, *Sapor* amarus.

Locus & Tempus. Seritur in hortis & viridariis: tranſlatum recens aut ſatum primo anno caulem non fert, & ſecundo à ſatione maturato ſemine interit, Juno & Julio florens.

Vires & Uſus. Vinum Gallitricho impoſito ſi efferbuerit apprimè ſtomachi frigiditati convenit, nam phlegmata incidit & conſumit: idem potum frigidis & infœcundis & albis menſibus laborantibus mulieribus ſubvenit. Sunt qui Gallitrichon capiti, ob odorem quem habet graviſſimum noxium eſſe dictitant. *Trag.* qui hac occaſione in vina ſulphurata declamitat.

Semen (inquit Lobelius) καρηβαρίαν capitiſque gravitatem inducit odore, quem etiam univerſa ſpirat planta, non tamen ingrato: eóque magni uſûs quibuſdam Septentrionalium ad Zythi Bieræque confectionem. Lupuli namque vel penuriâ, vel vegetioris potionis faciendæ cauſâ cortinis ferventibus addunt, fitque temetum, quo non multis poculis depletis temulenti fiunt, hilaritate propemodum inſana.

Scribit C. Hofmannus non cereviſiam tantùm ſed & vinum ab impoſitu hujus herbæ planè Muſchatellinum mentiri & facillimè decipere incautos.

Herba in pulverem redacta & naribus indita ſternutamenta provocat, catarrhum tollit, & cerebrum purgat. In aqua decocta in deſeſſionibus mulierum utilis eſt ad trahendos menſes & alia id genus, non aliter atque Dictamnum. Ad menſes movendos & ſecundas ejiciendas quovis modo ſumptam valere ſcribit Dodonæus.

Noſtrates folia ovis conquaſſatis cum flore lactis & pauca farina perfuſa, & in ſartagine frixa pro placentis menſis ſecundis inferre ſolent, & ad lumborum imbecillitatem commendant. Sunt certè ferculum palato ſatis gratum, quod ad renes corroborandos & Venerem ſtimulandam valere creditur.

Folia aceto impoſita panos per ſe, vel cum melle diſcutere dixit Matthiolus: item furunculos antequam acuminentur. Eadem præſtat & mucilago ſeminis: quæ & in affectibus oculorum creditur appropriata eſſe.

Schwenckfeldius Sclaræam mederi Epilepſiæ & ſuffocationi matricis: & Crato inter alia ſua [illegible] commendat in ſuffocationibus uteri & ſimilibus affectibus unguentum ex Sclaræa cum butyro coctum, cui adjicitur aliquid Tacamahacæ, umbilico imponendum.

Semen oculis inditum utile eſſe traditur, ad excutiendam eorum caliginem, & educenda corpuſcula quæ in illos inciderunt. Quippe multa revolutione circa bulbum oculi circumductum, tandem humore prægnans & ſordibus onuſtum elabitur.

4. *Æthiopis* Ger. *multis* J. B. *Æth. foliis ſinuoſis* C. B. *item Æth. foliis in profundas lacinias diviſis* ejuſdem. *Sclarea Æthiopica, ſive Æthiopis laciniatis & non laciniatis foliis* Park. **Ethiopian Clary.**

J. B.

Folia per terram primò ſpargit palmo latiora, haud multò longiora, tenerâ lanugine, ceu carptâ, ſupra infráque ubertim obducta, alioqui Sclaræ ſativæ non multùm diſſimilia, ſinuoſa, quædam etiam laciniata, [aliàs integra & ad margines æqualia.] Inter hæc *caulem* profert foliis conſimilibus, ſæpe minoribus ſtipatum, quadratum, pariter villoſum, multis alis concavum: in quibus ad nodos *flores* verticillati, duorum foliorum acuminatorum complexu Hormini modo obvallati, candore niveo, uno folio cuculli inſtar ſurrecto, compreſſo, *apices* luteos, *ſtylúmque* argenteum è ſinu proferente, labro Cotulæ inſtar concavo, è *calice* oblongo, quinquepartito, quem circumquaque tam denſa obtegit lanugo ut vix conſpici poſſit: odore eſt fœtido Lamii vel Galeopſis: *Radix* fibroſa; *Semina*

mina in singulis vasculis [quatuor, non duo tantùm, ut C. Bauhinus eúmque secutus Parkinsonus prodiderunt] Hormini seminibus similia, fusca, triangula.

Locus. Copiosè provenit in Græcia & Illyria, unde ad nos primùm delata.

Hujus duæ habentur seu species, seu varietates, altera foliis integris & ad margines æqualibus, altera foliis laciniatis.

Quærendum an Marum Ægyptiacum Alpini sit diversum ab Æthiopide foliis non laciniatis: obstat odor Mari suavis, statura brevior, nimirum cubitalis, ne idem credatur.

5. *Horminum majus amplo flore violaceo, lobis florum punctis aureis notatis* Morison.

Moris.

Folia profert hirsutiora cæteris suæ sortis, excepto solo Æthiopico, ad basin angulosa, inter quæ exeunt *caules* bipedales, aliquando tripedales, quadrati, quos ad genicula amplectuntur bina folia dodrantalia, auriculata. In summis caulibus verticillatim proveniunt *flores* ampli, violacei, lobis lateralibus punctis aureis aut purpureis notatis: quibus succedunt in capsulis magnis *semina* crassa nigra, majora cæterorum omnium Horminorum seminibus. Punctis florum aureis purpureisve & semine majore à sequenti distinguitur cum quo majorem habet affinitatem.

6. *Horminum Lapathi unctuosi folio, seu majus hastato folio* Morisoni.

Moris.

Hoc *folia* habet hirsuta, angulosa aut auriculata ad basin ut superius: In mucronem autem desinunt hastæ instar cuspidis; quin & formâ Lapathi unctuosi folia repræsentant. *Flores* fert magnos, omninò violaceos: *semina* in omnibus prioris seminibus minora.

Locus. In horto Edvardi Morgani Westmonasterii vidimus, item Chelseia apud *D. Wattes.*

7. *Gallitrichum exoticum flore magno albo* J.B. *Horminum Syriacum* C.B. Park. *Bisermas* Cam. *Aman quibusdam.*

Sclaream sativam tota facie egregiè refert, *caulibus* quadratis, pilosis, nonnihil tactu asperis, in frequentes alas adverso situ conjugatim positas divisis. *Folia* Sclareæ nostratis, infima priora parva, oblonga; sequuntur deinde ampla, rugosa, & hirsuta, odore suavi Ocymi, positu Sclareæ, qualis etiam est situs florum in spicis longiusculis per intervalla verticillatorum, quibus bina semper subjecta similiter folia acuminata & concava, coitu labrum efficientia. Cæterùm *flores* ex longis, striatis, lanuginosis calicibus emicant suaveolentes Sclareæ, sed colore lacteo, labello punctulis paucis introrsum guttato, prominentibus sub galea *staminibus* incurvis, uno coccineo, reliquis duobus argenteis, ochreos apices sustinentibus. *Semen* simile Gallitricho sativo, sed paulò majus, una parte gibbosum, altera ferè triangulare, coloris varii ex nigricantibus & rubentibus maculis oblongis.

8. *Horminum pratense foliis serratis* C. B. *sylvestre vulgare* Park. *Gallitrichum sylvestre vulgò sive sylvestris Sclaræa flore purpureo cæruleòve magno* J. B. *Horminum sylv. Fuchsii* Ger.

J. B.

Hanc plantam videre est interdum duos cubitos adæquantem, *caule* quadrato & hirsuto, inani, in alas diviso: *Folia* quàm Hormino sativo veriori majora, squalida & veluti siderata, quædam nonnihil sinuata & serrata, potissimùm prima, quæ breviora, ex longioribus pediculis: alia ad Salviæ magis accedentia, odore gravi, sapore aliquantulum aromatico. *Flores* in longa spica gestat cæruleos & purpureos magnos, Salviæ florum formâ. *Semen* nigrum: *Radix* lignosa, odorata vivax. Flores Sclaream redolere ait Lobelius.

Locus. Secus itinera in agrorum limitibus, in collibus juxta cultos agros sitis & in campestribus provenit. *Trag.* in pratis passim *Fuch.*

Botanici nostrates per errorem hanc plantam habuerunt pro Hormino sylv. vulgò in Anglia proveniente, cùm sint omnino plantæ diversæ: Horminum hoc sylv. Herbariorum ego hactenus non inveni spontaneum in Anglia: Horminum autem quod apud nos frequens sponte oritur, Hormini sylv. IV. Clusii V. species est, i. e. Horminum sylv. Lavendulæ flore *C. B.*

Hormini sylv. quarti species 1. *Clus.* ab hoc nonnihil differre videtur, nimirum foliis non laciniatis sed per oras duntaxat serratis, supernè viridibus & nullis villis obsitis, infernè villosis. Extremus caulis plerunque purpurascit.

Horminum pratense niveum foliis incanis C. B. *sylv. flore albo* Ger. *sylv. incanum flore albo* Park. *sylv. flore majore albo* J. B.

Hujus varietas est floris duntaxat colore albo & foliis incanis à descripto diversa, non species distincta.

Semen integrum hujus, non minùs quàm Sclaræ, oculis immissum eos purgat & mundificat, ruborémque & inflammationes mitigat & sanat, ut Gerardus noster aliique referunt, nec vulgus ignorat, qui non sine successu in hunc finem illud adhibet. Verùm non aliud, puto, efficit quam lapis Chelidonius aliæque gemmæ politæ & hemisphæricæ oculis impositæ.

9. *Horminum*

9. *Horminum spicatum Lavendulæ flore & odore* Bocconi.

Bocc.

Caulis, folia, semina Hormino Sclaræa dicto non sunt dissimilia. *Flosculi* purpuro-cœrulei, Lavendulæ florum formâ & magnitudine *caulem* quadratum verticillatim per intervalla ambiunt, in longissimæ spicæ modum digesti: quos subsequuntur *vascula* quinquefariam denticulata in margine superiore, quæ sursum versus erecta, caulique appressa & subrubentia, quasi biflora plantæ peramœna specie prolixam & non marcescentis coloris cœrulei spicam iterum efficiunt. Tota planta arida suavem Lavendulæ odorem spirat. Ad bicubitalem altitudinem ascendit.

Propè Agrigentum & Cainatatam exit plurimum. *Locus.*

* 10. *Horminum sylvestre majus, foliis profundiùs incisis* C. B. *Gallitrichum sylv. comâ virescente* J. B. *Horminum sylvestre Italicum* Park. *sylv. flo. rubro* Ger.

Quàm Gallitricum sylvestre flore magno majori altitudine excrescit, *caule* quadrangulo ut reliquæ species, sed ejus extima pars non purpurascit, verùm virescens est. *Flores* tametsi formâ similes, dilutioris sunt coloris. Folia inferiora majores habent incisuras, ut nonnihil laciniata videantur.

Passim in sylvis cæduis, montanis pratis, viarúmque marginibus sponte nascitur per totam Germaniam inque aliis Provinciis. Floret Maio, interdum etiam Junio. *Locus.*

Adeò parum differt à sylv. vulgari Hormino, ut pro illius varietate accidentali potiùs quàm specie distincta habendum sit.

Hoc etiam flore est minore & rubro, inquit C. Bauhinus, quod Hormini sylv. quarti species IV. *Clus.* Horminum sylvestre flore rubro *Ger.* Horminum sylvestre Italicum *Park.*

* 11. *Horminum minus folio sinuato, flore minore, dilutè cæruleo* Moris. prælud.

Moris.

Caules quadratos, pedales, hirsutos producit, procumbentes, rariùs ramosos, *foliis* nonnihil hirsutis, pollicarem latitudinem vix excedentibus onustos, uncias tres longis, in margine sinuatis. *Cauliculi floribus* rariùs dispositis ornantur, dilutè violaceis, Lavendulæ florum æmulis. *Semina* minora, nigra aut fusca.

Morisonus hanc speciem à sequente distinguit: nobis incognita est.

A. 12. *Horminum sylvestre Lavendulæ flore* C. B. Park. *Horm. sylvestre* Ger. *Gallitrichis affine Maru, si non genus aliquod, Sclarea Hispanica* Tab. J. B. *Hormini sylv. quarti, quinta species* Clus. **Common English wild Clary.**

Clus.

Gallitrico præcedenti, *i. e.* flore minore rubro, non valdè dissimile est; etenim *caules* habet non minùs altos, quadrangulos, nodis cinctos, villis quibusdam obsitos; & *folia* in singulis nodis ferè similia, paulò tamen duriora, læviora, angustiora, angulosa quodammodo, mucrone magis obtuso, & laxioribus dentibus prædita, præsertim quæ secundùm radicem nascuntur: è cauliculis in extremo caule summísque ramis, verticillatim nascentibus, & velut in spicam desinentibus, emergunt *flores* reliquis speciebus longè minores, Lavendulæ florum ferè æmuli, nec colore ab illis valdè differentes: quibus decidentibus succedit *semen* nigrum. *Radicem* habet superioribus similem, & tota planta simili cum reliquis odore prædita est.

Hæc est species illa Hormini, quæ in omnibus ferè Angliæ nostræ provinciis sponte provenit; quantumvis Botanographi nostrates Horminum sylvestre vulgare seu pratense foliis serratis *C. B.* apud nos passim provenire scribant; hanc sci. speciem per errorem pro Hormino pratensi foliis serratis *C. B.* habuerunt. Hanc utique Clusius se Greenvici propè Londinum ad arcis Regiæ hippodromum invenisse scribit, ubi certum est non aliam nasci speciem quam Horminum sylv. vulgare *Ger.* & *Park.* *Locus &*

* 13. *Horminum sylvestre Salvifolium minus* C. B. *sylv. Salvifolium* Park. *Gallitrichum glabrum, folio Salviæ, flore purpureo* J. B.

J. B.

Sylvestri Gallitricho vulgari est persimile. *Folia* ex opposito ad caulium nodos nascuntur, minora multò & angustiora quàm illius, rugosa, aliquatenus ad Salviæ accedentia, nisi quòd in ambitu serrata & veluti circumrosa, sine pilis, quamvis parte inferiore sint albidiora paulò, gustûs exsiccantis & amari, odoris verò quam superiùs descripta jucundioris. *Florum* crebri verticilli spicam efformant, sunt autem ii purpuro-violacei, minores quam jam dicti sylv. Gallitrichi; subjectis unicuiq; verticillo binis brevibus latiusculis foliis, nonnihil etiam cœruleis. *Semen* in caliculis nigrum, reliquis generibus minus. *Radix* digiti minimi crassitudinem aliquando æquat, nigróq; cortice tecta est, interiore parte flavescente, multos singulis annis producit *caules*, inferiore & terræ viciniore parte humi procumbentes, atque è nodis radici proximis subinde radices agentes.

Ubique circa Viennam Austriæ nascitur totâque Pannoniâ secundùm vias, in agrorum vinetorumque marginibus. Integrâ æstate floret, & subinde semen profert. *Locus & Tempus.*

* 14. *Horminum sylvestre salvifolium majus vel maculatum* C. B. *Salvifolium alterum* Park. *Gallitrichum alterum* Ger.

Clus.
Duorum cubitorum altitudinem plerunq; attingit, interdum etiam superat. Ipsius *caules* triplo crassiores, quadranguli tamen: *folia* multò majora & crassiora, albis maculis magna ex parte distincta. *Spica* florum longior & crassior: florum verò formâ coloréque atque etiam semine satis conveniunt.

Locus. Rarior est hæc species priore, nec nisi in pratis herbosisque locis, ubi gleba uberior, invenitur, & paulò seriùs alterâ florere incipit.

* 15. *Horminum sylvestre maculatum tuberosum* Francisci de Honuphriis.

Folia ei ante caulis exortum ad radicem multa, humi strata, lata, nonnihil crispa, & per ambitum crenata, rugosa, lævia tamen & non hirsuta, sanguineis maculis donata. *Caulem* gerit tricubitalem, aliquando verò & quatuor cubitos altum, quadrangulum, striatum, levitérque hirsutum, undequaque per intervalla foliis ex adverso nascentibus vestitum: in cujus fastigio *flores* veluti in spicam digesti, coloris elegantissimi, saturè cœrulei, quatuor & quinque ad singula genicula, ex quibus alii ramuli ortum ducentes comam constituunt sylvestris Hormini quartæ speciei *Dod.* prorsus æmulam, flores solummodo majores habentem. *Semen* nigrum, rotundum.
Sub finem Maii florentem vidimus. Semen eodem quo & alia tempore profert. Tuberosam plantam hanc appellare placuit, pro radice enim Pæoniæ similes bulbos gerit.

Locus. Vidimus circa montem *Circeisbain*, in via quâ à S. Felicis castro ad mare itur.

16. *Horminum sylvestre latifolium* Ger. *sylv. latifolium verticillatum* C. B. *Germanicum humile* Park. *Gallitricho affinis planta, Horminum sylvestre latifolium Clusio* J. B.

J. B.
Ex *radice* pollicari, plurimis fibris longiusculis donata, ex qua plura capita, *caules* edit prociduos quadratos, copiosâ medullâ albâ farctos, insigniter hirsutos, cujusmodi etiam sunt *folia*, Marrubii, subrotunda, in mucronem exiguum mox desinentia, rugosa, & ad pediculi uncialis aut sescuncialis commissuram falcata: inferiorum cæterùm foliorum pediculi multò etiam longiores. Ad foliorum verò exortum auriculæ quædam, velut fœturæ adnascuntur, modò unica, modo duæ. *Flores* in caulis fastigio sæpe rubente, & in paucis brevibúsque alis similiter rubentibus verticillatim sine ullo foliorum interjectu, brevibus intervallis dispositi spicam deformant, perquam numerosi, Lamii, parvi, cœrulo-purpurei, galericulo exiguo apicem album occulente, labello in binas lacinias diviso, è calyculis oblongis subrubentibus, hirsutis, striatis prominuli, pediculis atro-purpureis, hirtis. Decidentibus flosculis restant in calycibus semina oblonga, subrotunda. Sapor plantæ nullus notabilis.

Locus. In agris & vervactis non longè ab Augusta Vindelicorum viâ quæ Monachium Bavariæ metropolin ducit invenimus. Passim Viennensi agro juxta vias. *Clus.*

* 17. *Horminum sylvestre latifolium Tingitanum* Hort. Edinburg.

Cùm nobis nondum visum fuerit, quid differat à præcedente nescimus.

18. *Gallitrichum folio rotundiore, flore magno violaceo* J. B.

J. B.
Folia huic quædam brevissimo pediculo appensa, ungue inferiore minora, alia longioribus pediculis dependentia, majora, maxima verò uncias ferè duas lata, & tres pænè longa, ovalem formam non malè repræsentantia, quædam etiam rotundiora, in circuitu serrata, Betonicæ modo, glabra: *caules* quadranguli: *flores* magni, violacei, hiantes: *calyces* deorsum nutantes verticillati.

Locus. In montium Tyrolensium pratis altis expandere folia indicabat D. Agerius.
Rarissimæ hujus plantæ ramulum siccum habuimus ex horto Patavino, quæ primo aspectu ob flores amplissimos, quodammodo campaniformes, deorsum dependentes, Digitalis species visa est.

* 19. *Gallitrichum flore minore purpurascente & rubro* J. B.

J. B.
Vivaci *radice* multos perdurat annos Gallitricho affinis planta, odorata, facie non ità dissimili, caule, foliis, crescendique modo: at *flores* ita parvi, ut vix extra calicem promineant, pupurascentes, nonnihil hiantes, cùm in vulgari flores magni sint, galeâque magnâ prominentes apices multos condant: *calices* deorsum nonnihil reflectuntur, breviores quàm Hormini verioris. Idem foliis profundè satis laciniatis divisisve & nonnihil hirsutis observatur.

Locus. In Italia vix aliud observavit Agerius.

* 20. *Gallitrichum flore minimo albo* J.B. *An Horminum minus supinum Creticum* Clusii? Park. C.B? *An Sideritis glabra Betonicæ folio nostra?*

J. B.
Plura humi spargit *folia*, longo pediculo donata, crassa satis & rigidiuscula, Betonicæ æmula, sed

ſed ad pediculum nullo ſinu prædita, obtuſa, crenata, pilis albis per venas obſita, inodora. *Caules* modò ſingulares, aliàs plures, quadrangulares, hirſuti, ex longo intervallo in ramulos oppoſitos diviſi, ad quorum exortum *folia* quoque bina oppoſita longo pediculo enaſcuntur, infernis planè ſimilia. *Flores* verticillatim digeſti per intervalla ſummitates occupant odorati, exigui, & vix è calycibus prominentes, albi. Quorum verticilla ſingula ſuſtinent foliola parva in acutiſſimum apicem terminantia. *Radix* oblonga, exiguis fibris donata, nullo guſtu notabili prædita.

Semine ex Italia allato J. Bauhino enatum eſt. *Locus.*

Deſcriptio Hormini minoris ſupini Cretici *Cluſ.* in omnibus ferè præterquam florum magnitudine huic plantæ convenit: ejus autem flores Cattariæ vulgaris floribus magnitudine pares erant.

Vide deſcriptionem Sideritidis noſtræ glabræ Betonicæ folio.

* 21. *Horminum anguſtifolium laciniatum* C. B. prod. Park.

C. B.

Caule eſt quadrato, pedali, hirſuto, rariùs ramoſo; *foliis* paucis, nonnihil hirſutis, pollicem latis, uncias tres longis, aliquando ſinuoſis, aliquando, potiſſimùm inferioribus, in profundas lacinias diviſis; *floribus* albis, parvis, verticillatim caulem ambientibus, ſpicam oblongam & inflexam efformantibus, quibus decidentibus *ſemen* nigrum ſuccedit.

Monſpeſſuli foliis Scolopendrii modo diviſis legit deſcriptionis Autor C. Bauhinus. *Locus.*

* 22. *Horminum minus album Betonicæ facie* C. B. prod.

Ex *radice* lignoſa, fibroſa, nigricante *cauliculus* unus, aliquando geminus, palmo minor, rotundus, villoſus oritur. *Foliis* eſt paucis, ad radicem rotundis, craſſis, lanuginoſis, crenatis, & longis pediculis donatis: in caulis medio bina, Betonicæ foliis æmula, ſed craſſiora & breviora, baſi caulem ambientia, & capitulo duo minima ſubjiciuntur. *Flores* ſunt albi Betonicæ formâ in ſpicam congeſti.

In montibus Pyrenæis oritur. *Locus.*

23. *Horminum Alpinum luteum, Betonicæ ſpicâ: An Betonicæ ſpecies?*

Radicem habet obliquam, multis fibris donatam. *Folia* longis pediculis hirſutis inſident, Urticæ ferè ſimilia, aut Hormini ſylv. latifolii *Cluſ.* ſinu ad baſin circa pediculum, hirſuta, rugoſa, circa margines ſerrata denticulis majoribus. *Caules* pedales, hirſuti, medullâ farcti, duobus plerunque interdum unico duntaxat foliorum pari cincti, iis quæ ad radicem ſimilium, ſed minorum & brevioribus pediculis inſidentium, minimè (quantum memini) ramoſi, in ſummitate geſtant *ſpicam* brevem, compactam Betonicæ æmulam, ſed breviorem, *floſculorum* luteorum, galeatorum, è calicibus in quinque molliores ſpinulas terminatis exeuntium. Ad capituli baſin duo folia minuſcula.

Julii 17. die jam pænè defloruerat. In montibus max. Carthuſianorum cœnobio imminentibus raram hanc Hormini an Betonicæ ſpeciem collegimus. *Locus.*

Rectiùs forte ad Betonicam ob ſpicam compactam hanc plantam retulerim quàm ad Horminum.

24. *Horminum luteum glutinoſum* C. B. *luteum, ſive Colus Jovis* Park. *Colus Jovis* Ger. *Galiopſis ſpecies, lutea, viſcida, odorata, nemorenſis* J. B. *Item Galeopſis lutea Dalechampii* Park. **Yellow Clary or Jupiters Distaff.**

J. B.

Inſigniter fibroſa *radice* nititur, multos indè *caules* ſurrigens bicubitales & altiores, quadratos, hirſutos, fungoſâ medullâ farctos, in alas brachiatos: *Folia* è geniculis exeunt oppoſita, longis pediculis hirſutis appenſa, Ari modo alata, ſed Lamiorum inſtar rugoſa & hirſuta, etſi multò majora, in ambitu ſerrata, nonnullâ interdum per margines aſperſâ ſaturâ rubedine. *Flores* in longis ſpicis verticillatim ramos ambiunt, foris hirſuti, intus glabri, labello tripartito, mediâ laciniâ fimbriatâ & criſpâ, colore foris ex albo luteo, intus obſoletis notis maculoſo: ſuperius verò folium ſeu galea foris guttatum, intus luteum: è rictu medio prodeunt *ſtamina* alba. Inſident autem flores *calycibus* oblongis ſtriatis, viſcidis, in quibus, pro more Verticillatarum, ſuccreſcit poſtea ſemen. Tota planta tactu viſcida eſt, odorata, ſapore nullo inſigni.

In montibus circa Genevam oritur. Invenimus etiam ſæpiùs in Italia & Germania, locis lutoſis ubi fontes & aquæ ſcaturiunt, ad latera & radices montium. *Locus.*

25. *Horminum Scatellariæ facie* Hort. Lugd. Bat.

Cap. IX.

De Galeopſi.

GAleopſis, γαλίοψις vel γαλήοψις. Qui Galiopſin ſcribunt per ι à florum effigie galeata deducunt, quòd ejus flores velut galeæ aſpectum referant. At quoniam hoc inuſitatum Græcis, præſertim Veteribus, nomina Latina cum Græcis componere, γαλήοψις potiùs per η ſcribendum eſt, à florum figura felis vel muſtelæ faciem & rictum quodammodo repræſentantes.

Foliis

Foliis urticæ, odore fœtido, seminibus minoribus, nigris ab Hormino distinguitur.

A. *Galeopsis legitima Dioscoridis* Park. *vera* Ger. emac. *Gal. sive Urtica iners magna fœtidissima* J. B. *Lamium maximum sylvaticum fœtidum* C. B. **Hedge-Nettle.**

Radix sub terra reptat, fibras tenues è geniculis subinde demittens. *Caules* indè exurgunt cubitales aut sesquicubitales, quadrati, hirsuti, inanes, ramosi. *Folia* ex adverso bina, Urticæ majoris, nonnihil latiora, acuminata, innocua lanugine obsita, in ambitu serrata, pediculis longis insident, ea etiam quæ in caule sunt. In summis caulibus & ramulis *flores* in *spicas* longas, angustas, verticillis non admodum crebris compositas digesti, oblongi, cucullati, colore purpureo, concoloribus staminibus, labello tamen albis lineis picturato, è calice quinquepartito, brevi, patulo. Singulis flosculis succedunt in imo calice quatuor *semina* mediocris magnitudinis, per maturitatem nigra. Folia ad verticillorum bases exigua sunt & angusta. Odor totius plantæ fœtidus & ingratus admodum.

Locus. Æstate floret: in sepibus frequens.

Varietas. Huic simile aliud foliis non ità amplis, sed inferiùs incanis & lanuginosis, (Lamium incanum dici poterit.) *Thal.* Parkinsono Galeopsis altera incana dicitur.

Vires. Hujus succus cum aceto exhibitus valere dicitur adversùs hæmorrhoidas; itémque ad discutiendas verrucas, tumores duros, quoscunque panos, &c.

D. Bowle herbæ decoctum ejúsve exsiccatæ pulverem commendat in affectibus lienis.

CAP. X.

De Nepeta seu Mentha cattaria.

NEpetam à Nepa Scorpius deducit Martinius, quia contra eas & alias venenatas bestias facit.

Mentha cattaria dicta est Recentioribus hæc planta, Antiquis fortè incognita, peramœni spectaculi argumento (inquit J. Bauhinus) Vixdum enim conspectam ubi olfactarit catus, amplexatus & dissuaviatus fuerit, lasciviendóque jam illi accedendo, jam recedendo sese utrisque pedibus diu & multùm affricuerit, colludendo tandem miris gesticulationibus, universam avidè ligurit.

Foliis Urticæ incanis, odore Menthæ graviore, floribus in spicas habitiores digestis à congeneribus differt.

A. 1. *Mentha cattaria* J. B. *felina sive cattaria* Ger. *cattaria vulgaris & major* C. B. *Nepeta major vulgaris*, Park. **The greater or most common Nep or Catmint.**

J. B.

E *radice* lignosâ *caulem* surrigit cubitalem aut bicubitalem & altiorem, quadratum, hirsutum, propter terram subrubentem, alioqui incanum multis alis concavum iisq; binis semper adversis: quo etiam ordine [licet non pari semper numero] *folia* ferè ad genicula emicant, hirsuta, incana, longis pediculis hærentia, figurâ & divisurâ foliorum Urticæ majoris aut Melissæ, sapore fervido, odore Menthæ graviore. *Flores* in summis caulibus & ramulis ex alis foliorum exeunt conferti, in eodem communi pediculo, singuli è calice longiusculo, in quinque acuta segmenta diviso, galeati galeâ bifidâ, labello concavo margine denticulato, lineâ intus punctorum purpurascentium notato. *Flores* autem versùs unam præcipuè partem vergunt.

Locus. Floret Junio & Julio, éstque in agro Cantabrigiensi, & alibi ad sepes non raró obvia.

2. *Nepeta media* Park. **The middle sort of Nep or Catmint.**

Park.

Caules huic rigidi quadrati, quàm præcedentis minores, plures tamen ab eadem radice, altitudine interdum pares: *Folia* duplo ferè minora, duriora, viridiora, odore minus gravi quàm illius: *Flores* pauciores, minores, per intervalla caulium geniculis adnati, ad summum usque; dilutè purpurei, ut prioris hiantes, quibus in calicibus succedunt *semina* similia. *Radices* crassiores, longiores, lignosiores, in multos annos durabiles; *folia* tamen per hyemem non retinent.

Hanc Parkinsonus aliquot annos in horto suo aluit, unde acceptam non recordatur.

3. *Nepeta minor* Park. *Mentha cattaria minor* C. B. *Cattaria tenuifolia Hispanica* Clus.

Clus.

Semine ex Hispaniis misso Clusio enatum est hoc pulcherrimum Cattariæ genus, cubitales habens *caules*, quadrangulos, geniculatos, multis ramis præditos: oblonga & angusta, per oras crenata & incana *folia*, odore quàm in Cattariæ vulgaris foliis vehementiore, fervido gustu: *flores* spicatim in extremis ramis nascentes, candidos, vulgaris Cattariæ floribus respondentes: deinde *semen* in exilibus calicibus nigrum, Calaminthæ semini par: *radicem* duram, fibrosam, perennem, singulis annis novos caules proferentem. Floret Junio & Julio.

Hanc à præcedente specie differre non concesserim.

Nepeta calf. & sicc. partium est tenuium. Usus præcip. in morbis uterinis (scil. obstruct.) sterilitate, fœtu pellendo, tum quoque in tartaro pulmonum incidendo, &c. Extrinsecus in balneis pro utero. *Schrod.* Decoctum ejus in suffocatione uterina non minùs utile est quàm Melissæ. Idem in scabie singulare experimentum est si manus ei imponantur. *C. Hofman.*

Vires.

Nepetæ odor felem murilegam repræsentat & plerisque omnibus ingratus est. * *C. Hofman.* At nobis Nepetæ majoris odor non ita ingratus videtur. Hanc herbam ex agris in hortos translatam à felium ore & toto immisso ad volutandum corpore conteri & penitus confici sæpiùs vidimus, adeò ut etiam locum in quo comminutam plantam triverint ostendat humus eorum corporibus compressa & lævigata: nec in alia quacunque planta ex agris in hortos translata simile quidquam hactenus observare potuimus. Omnes enim quas transtulimus à felibus intactæ sunt, hâc unâ exceptâ, quæ semper nisi spinis contecta dicto modo corrumpebatur, ut multoties experti sumus, idque diversis in locis. Si verò aliquandiu in horto defendatur donec coalescat & floreat, in posterum intacta manebit, sicut & eæ quæ ex semine deciduo ortæ sunt plantæ: Adeò ut videantur feles languidam & marcescentem appetere, vegetam non curare. Hinc Anglicus ille rhythmus. **If you set it, the Cats will eat it: If you sow it, the Cats can't know it.**

* *De Medicam. Officin. l.* 2. *c.* 146.

* 4. *Mentha cataria latifolia* C. B. *cataria altera* Ger. *Nepeta peregrina latifolia* Park. *Mentha Cattaria Hispanica, olim mihi Sideritis altissima, flore subcœruleo & albo* J. B.

Multis rectis assurgit *caulibus*, quadratis, canaliculatis, fungosâ medullâ fartis, subinde inanibus, glabris, cubitos tres altis, & majoribus, multis alis concavis, in ramos sibi oppositos divisis. *Folia* Mentastri aut Nepetæ vulgaris, sed longiora, pollice latiora, glabra, supernè atrovirentia, infernè magis candicantia, rugosa, in ambitu serrata, odore gravi. Ex pediculis duobus *flores* verticillis crebris spicam quodammodo æmulantur, colore carneo, intúsque punctis saturatè rubentibus guttati.

Semina bina aut terna, oblonga, russa. Summitates purpurascunt. Sapor foliorum ingratus.

* 5. *Mentha cataria angustifolia major* C. B. *M. Cattaria Hispanica angustioribus foliis* J. B. *Nepeta peregrina angustifolia* Park. *Mentha cattaria angustifolia* Ger. emac.

Dod.

Huic (describente Dodonæo) flores quàm vulgari copiosiores ac colore è rubro diluto purpureo ad cœruleum inclinantes, exiguis notulis purpureis respersi; *folia* colore minùs albicante, quibus à præcedentibus differt.

Mentha cattaria angustifolia minor C. B. prod.

A tenuifolia Hispanica *Clus.* adeò in paucis differt, ut mihi planè persuadeam eandem esse. Sola differentia est in foliis, quæ huic acuminata sunt, in profundas crenas velut lacinias divisa, cùm Clusianæ angusta sint, leviterque crenata, totáque incana. Hanc Parkinsonus ad Tertiam seu Nepetam suam minorem refert.

* 6. *Mentha cataria minor Alpina* C. B. prod. Park.

Hæc inquit *caule* est pedali, angulo so, rufescente & ramoso: *foliis* priore quadruplo minoribus, Nepetæ vulgari formâ respondentibus, quasi triangulis, subcanis, serratis: floribus pallidis, galericulatis, velut in spica dispositis, & priori similibus.

In montosis circa Neapolin Italiæ provenit.

Locus.

Miror cur C. Bauhinus tot Nepetæ species constituerit. Suspicor equidem ego ad duas tantùm species reduci debere suprascriptas omnes, exceptâ VII. seu Mentastro mont. 1. *Clus.*

Nepetæ mediæ *Park.* plantas in horto nostro è semine deciduo ortas, latitudine & angustiâ, canitie, serraturis foliorum plurimùm variare animadverti, ut diversas non immeritò posses suspicari species, ni ex eodem semine ortas novisses.

* 7. *Mentastrum montanum* 1. *Clusii* Ger. emac. *montanum sive Pannonicum* Park. *montanum folio coloris viridis* J. B. *Mentha montana verticillata* C. B.

Clus.

Cubitali aut ampliori assurgit *caule*, quadrangulo, medullâ pleno, multis nodis constante, ex quibus bini semper ex adverso oriuntur *ramuli* similiter quadranguli, circa quorum extremas partes oblongæ *spicæ* verticillatim compositis calicibus constantes, in quibus *flores* Menthæ sylvestris, aut illius potiùs Calaminthæ, quam vulgò Catariam vocant, floribus similes, exalbidi, grati odoris. *Folia* Mentastro ferè similia, sed magis ad Cattariæ folia accedentia, colore tamen minùs albicante quàm illa aut Mentastri, sed potiùs viridi, Mentastri odorem referentia acri & calefaciente sapore. *Radix* dura & lignosa ex lateribus propagines spargit.

Mentha radice geniculata C. B. *Mentastrum radice geniculata* Park. *Nepeta angustifolia odorata.*

C. B. prod.

Ex *radice* modicè crassa, geniculata, fibris distincta *caulis* exurgit cubitalis, quadratus, tactu aliquantum asper, quem *folia* oblonga, Menthæ spicatæ similia, parique modo disposita, mollia, nigricantia, nonnihil rugosa, in ambitu serrata, ambiunt. *Flores* habet in spica oblonga galericulatos,

tos, ut in Mentha cattaria, dilute purpurascentes: quibus vascula succedunt *semen* rotundum, quod tritum aromatici odoris est, (ut & tota planta odorata est) continentia.

8. *Menthastrum tuberosa radice* J. B. *tuberosa radice Clusii* Ger. *Mentastrum tuberosum Clusii* Park. *Mentha tuberosa radice* C. B.

Clus.

Cubitales habet *caules*, quadrangulos, rectos, frequentibus ut superior nodis cinctos, subhirsutos: *folia* longiuscula, rugosa, in ambitu nonnihil serrata, superioris Mentastri i. e. Nepetæ nostræ 7. foliis non dissimilia, magis tamen incana, non suavis odoris, amari & acris saporis. Summi rami cum extimo caule in molles canescentes exilium foliorum spicas desinunt, & inter ea verticillorum ritu compositi nascuntur *caliculi*, è quibus prodeunt *flosculi* candidi, Cattariæ florum æmuli. His marcidis succedit *semen* illi par, exile, nigrum. *Radix* crassa, succulenta, Raphano ferè æqualis, foris aliquantulum fusca, in multos hinc inde ad latera quasi parvos adnascentes napos extuberat, aliisque longiusculis fibris donata est, perennis, & plures singulis annis caules proferens; imò ipsi etiam napi à matre abrupti & terrâ obruti novas interdum plantas procreant.

Hæc semine accepto ex Hispaniis Clusio nata est.

CAP. XI.

De Betonica.

Betonica, aliis Vetonica. Vettonica ratione originis: Vettones enim sive Vectones populos fuisse Hispaniæ constat. Vettones in Hispania invenerunt eam quæ Vettonica dicitur in Gallia. *Plin.* lib. 25. cap. 8.

Betonicæ notæ Characteristicæ sunt in spicas habitiores digesti; caules non ramosi, folia crenata.

A. 1. *Betonica* Ger. *purpurea* C. B. *vulgaris purpurea* J. B. *vulgarior flore purpureo* Park. **Wood-Betony.**

J. B.

Caulibus surgit numerosis, cubitalibus & altioribus, quadratis, ex longo intervallo nodosis: *Folia* alia ad caulium genicula gemina adversa, alia humi sparsa incondita, pediculis palmaribus circiter donata, per ambitum crenata, rugosa, aspera, hirsuta, sapore aromatico prædita. *Flores* in summis caulibus spicati, verticillatim dispositi: infra spicam ad aliquam distantiam unicus florum verticillus caulem ambit. Sunt autem flores purpurei, galeâ reflexâ subrotundâ, labello trifido demisso: è medio rictu stamina flori concoloria exseruntur. *Calix* quinquepartitus, brevis, hians. Verticilli densi sunt, nec plures in eodem pediculo flores, ut in Calamintha & Nepeta fit. *Radix* pollicem crassa, crebris longisque fibris capillata.

Duorum est generum, Autore Clusio, Una enim breviorem florum spicam habet & maturiùs floret: Altera autem longiore, molliore & magis fuscâ est florum spicâ, illâque etiam seriùs flores suos explicat. Solet præterea hæc postrema in majorem altitudinem excrescere quàm prior, licet eodem loco utraque sponte nascatur, vel eodem pulvino excolatur.

Betonica flore albo *Clus. J. B. C. B. Ger. Park.* cum vix alia in re à præcedente differat quàm florum colore, non est cur pro specie diversa proponatur.

2. *Betonica minima Alpina Helvetica.* Park.

Solâ partium omnium, [foliorum, caulium, florum,] parvitate à præcedente differt.

Ostensa est etiam nobis in Anglia sponte nascens Betonicæ species minor, quæ tamen an revera specie differat à vulgari dubito, an parvitatem suam loco natali debeat.

3. *Betonica major Danica* Park.

Differt à vulgari *foliis* duplo triplóve majoribus, *odore* graviore & propemodum fœtido: *caule* firmiore altioréque; florum etiam purpureorum spicis crassioribus & longioribus.

Hanc Londino acceptam Cantabrigiæ in hortulo nostro aliquot annos aluimus.

Betonicæ folio Alopecuros quorundam J. B. *Betonicæ-folia capitulo Alopecuri* C. B. *i. e. Alopecuros montana* Lugd. *Betonica Alopecuros montana dicta* Park.

Cùm descriptio hujus quæ habetur in historia Lugdunensi imperfecta sit, nullâ florum aut seminum mentione factâ, ad quod genus pertineat ignoramus. Facessat ergo inpræsentiarum donec ab αὐτόπτῃ aliquo de ejus notis Characteristicis certiores facti fuerimus.

De hac planta singularem librum scripsit Antonius Musa Augusti Imperatoris medicus, unde in tanto pretio cœpit esse, ut Italico proverbio diceretur. *Vende la tonica & compra la Betonica.* Iidem laudaturi aliquem plures dicunt habere virtutes quàm Betonica. *Tu hai piu virtu che non hà la Betonica.*

Quam-

Quamplurimæ autem huic herbæ virtutes attribuuntur quoquo modo sumptæ. Sic breviter Schrŏderus; Acris est & amara: Discutit, atten. aperit & abstergit. Inprimis cephalica est, epatica, splenetica, thoracica, uterina necnon & vulneraria, & demum diuretica. Hinc usu externo & interno creberrimè venit, præcipuè in morbis capitis. *Vires.*

Foliorum exsiccatorum & concisorum vel seorsim, vel cum Tabaco mixtorum & tubis inferctorum fumum ore haurire & reddere solent nonnulli in capitis affectibus. Quæ de Betonica Veteres habent apud ipsos vide.

Cæterùm in hac herba id observandum radicum facultates longè dispares à foliorum & florum viribus, utpote quæ multùm stomacho, orique ingratæ, nauseam, rugitus, vomitúmque cieant; folia è contra odora, aromatica, & grato sapore, nonnihil roborante, cibo & medicamento naturæ amica.

Pseudo-thea è Betonicæ, Scorodoniæ & Chamæpityos foliis exsiccatis parata, edulcorata & calida pota in podagra, cephalalgiâ & nervorum affectibus admirandæ efficaciæ medicamentum est *D. Bowle.*

N. Plantarum omnium succi expressi, postquam aliquandiu steterint, & fæcibus subsidentibus clari evaserint, aliqua ruboris tinctura perfusi apparent, alii dilutiore, saturatiore alii.

Ex omnibus quos expertus sum Betonicæ vulgaris dilutissimus est, & minimè coloratus. Habui à *D. Sam. Fisher* Sheffeldensi Medico.

Observavi multos Arthriticos curatos fuisse quotidiano usu Betonicæ [florum foliorúmque] in jusculis, acetariis, potu & balneis, sed exquisitam observabant victûs rationem, corpus per intervalla expurgabant & fonticulos aliquot gestabant. Fabric. Hildan. Cent. III. Obs. 32.

* 4. *Betonica fruticescens* Bontii.

Bont.

Maculas fert in foliis suis quales in Pulmonaria videmus: Flores tamen seu spicæ ejus eam de Betonicæ genere esse arguunt: colore sunt *flosculi*, qui mille ferè in una spica existunt, ex pallido cyanei, quales sunt flores Rorismarini.

Pulmonibus hujus decoctum utile esse fertur, sputo sanguinis, phthisi, asthmati, denique conducit ad id quod *Sakit hatii* Indi vocant, seu morbos cordis; Cordis autem nomine non tantùm Cor ipsum, sed Hepar, Pulmonem, Lienem denique insigniunt. *Vires.*

Indæ porro mulieres succum hujus plantæ expressum ac viridem excellens Antidotum dicunt esse adversùs morsus Serpentum, Scorpionum, Scolopendrarum & cæteros venenatos ictus.

Cap. XII.

De Prunella potiùs Brunella.

BRunellæ vox originis est Germanicæ. Ita autem dicta est hæc herba, quòd usus maximus ipsius sit in Causo Ungarico, [ardore faucium ac gutturis] quem Germani *Die Braune* vocant.

Spicis brevibus habitioribus cum Betonica convenit, parvitate sua & foliis circum oras æqualibus & non crenatis ab eadem differt. Quinetiam Betonica infra spicam ad aliquam distantiam unicum obtinet florum verticillum, quod in Prunella non cernitur.

A. 1. *Prunella* Ger. *vulgaris* Park. *flore minore vulgaris* J. B. *Brunella major folio non dissecto* C. B. **Common Self-heal.**

E *radice* parva, obliquè acta, fibris aliquot majusculis donata emergunt *caules* dodrantales aut etiam pedales & altiores, quadrati, hirsuti, è geniculis inferioribus fibris demissis reptantes, ramosi. *Folia* ad intervalla pediculis longiusculis hærentia Majoranæ sylv. aut Ocymi similia sed majora, hirsuta, denticulis in margine vix conspicuis incisa. *Flores* in summis caulibus & ramulis verticillis densè stipatis in formam spicæ habitioris congesti, galeati, purpurei. Singulos autem filorum verticillos sex floribus compositos bina opposita excipiunt folia, iis quæ in caule longè dissimilia, triangula, lata basi caulem amplexa, in acutum mucronem desinentia, concava, membranacea, & omnino qualia in Sclarea vulgari cernuntur. Singula autem folia tres florum calices sinu suo complectuntur, hirsutos, in duas præcipuè lacinias divisos superiorem & inferiorem quorum inferior in duo segmenta acuta denuo finditur.

In pascuis ubique luxuriat. Aliquanto seriùs floret apud nos in Anglia, raro antè medium Junium. Floris colore variat albo & carneo. *Locus.*

2. *Prunella flore albo parvo, folio laciniato* J. B. *Brunella folio laciniato* C. B. *Prunella Lobelii* Ger? *Symphytum petræum Lobelii*? **Laciniated Self-heal with a small white flower.**

J. B.

Folia huic multa è *radice* fibrosa ex longis pediculis, quædam palmaria, oblonga, unciâ digiti angustiora, pilosa; ultra medium caulis pedalis duo magnis laciniis dissecta, cornu cervinum repræsentantia, itémque alia duo juxta florum caput, unciam & semis longum, latum unam, paucioribus laciniis prædita. *Flores* inter squamas continentur hiantes, albi, & nonnunquam rubelli, mediocriter eminentes.

Gaudere herbosis & gramineis locis, itémque aliis quæ à fluminibus nonnunquam inundantur autor est Clusius. Floret maturiùs Prunella flore magno nempe Maio, tametsi etiam Junio. *Locus.*

3. Prunella

3. *Prunella flore magno, folio non laciniato* J. B. *Brunella cœruleo magno flore* C. B. *Prunella magna flore purpureo & alia albo* Park. *Prunella flore albo* Ger. **Great flower'd Self-heal.**

Differt à prima seu vulgari capitulis crassioribus, floribus formâ quidem similibus sed longè majoribus, nec ingrati odoris, ventre laxiore, galeâque saturatiùs plerunque purpurascente, quamvis color ejus interdum variet. *Radicem* habet nigram, multis crassiusculis & candicantibus fibris præditam, novísque propaginibus sese singulis annis augentem.

Locus. In editioribus & gramineis locis circa Moguntiam, Genevam & alibi hanc observavimus.

* 4. *Prunella flore magno purpureo, folio laciniato* J. B.

J. B.
Caule est palmari hirsuto. *Folia* inferiora quidem unciali pediculo nituntur, superiora pro portione minora, tandem etiam nulla, unciam & sescunciam longa, subhirsuta, in adversas lacinias dissecta. *Flores* inter spicæ uncialis squamata folia subrubentia emicant magni, tres unciæ quadrantes æquantes, hiatu patulo, *stamina* emittentes, purpurascentes.

Locus. Montbelgardi & alibi observavit J. Bauhinus.

Prunella flore magno albo, folio laciniato J. B. *minor alba laciniata* C. B.

Tota planta vix quatuor digitos excedit, *foliis* superioribus admodum dissectis, hirsutis, *flore* magno albo, alioqui vulgari similis.
Pro superioris varietate accidentali hanc habeo.

5. *Prunella angustifolia* J. B. *hyssopifolia* C. B. *An Alpina glabro folio, angusto integro* Moris. prælud?

A vulgatissima Prunella differt *foliis* sextantalibus aut etiam quadrantalibus & longioribus, angustis, Hyssopi ferè similibus, satis asperis & rigidis; in aliis, quantum observavimus, cum eâ convenit.

Locus. Circa Monspelium frequens habetur.
Parum admodum ab hac differre videtur Prunella Alpina glabro folio angusto integro *Hort. Blæs.* nisi fortè foliorum glabritie.

* 6. *Brunella Bætica annua foliis laciniatis* Moris. prælud.

Moris.
Folia inferiora profert sinuata, per terram strata: Caulescente planta folia edit laciniata, è regione disposita. Summis caulibus innascuntur verticillatim ampli *flores*, cœrulei, qui exsiccati relinquunt spicatim seu densissimè dispositas capsulas, verticillatas, quinquefariam in margine partitas.

Vires. Prunella facultatibus cum Bugula convenit. Abstergit & consolidat. Usus præcip. in vulneribus, imprimis pulmonum, in sanguine coagulato. Quòd grumos sanguinis dissolvat non credit C. Hofmannus. Quî enim hoc facere potest cùm adstringat & siccet? at neque viscerum obstructiones aperire, concedit, quòd Dodonæus asserit, ob eandem rationem.
Extrinsecùs in vulneribus & cereberrimè in angina aliísque affectibus oris & faucium usurpatur; ardorem eorum extinguendo, quem Germani *die Breune* vocant, si ex illius decocto aut aqua destillata colluantur & gargarizentur; unde nomen Brunellæ adepta est. Valet & in recentibus vulneribus, & in putridis ulceribus sedis & pudendorum.
Observavi rusticum quendam Prunellam & Veronicam vino incoquere, eóque mictum sanguineum diuturnum persanare, qui anteà curari non poterat. Solenander Consil. Med. 27.
Mirum dictu est quàm egregiè causis & hecticis febribus Prunella vel cruda, vel cocta prosit. *S. Paul.*

CAP. XIII.

De Sideritide spicata.

HErbas sequentes cum Botanicis Sideritides vocamus, verùm quia flores spicatos obtinent à reliquis ejusdem nominis segregamus.

1. *Sideritis Alpina Hyssopifolia* Ger. emac. C. B. *montana Hyssopifolia* Park. *Sid. Valerandi Douras brevi spica* J. B.

J. B.
Minimum digitum crassitudine fermè æquat *radix* lignosa, non sine adnatis fibris [pallescentis fusco infecti coloris *Clus.* aliquot annos durans, frigorísque patiens, pulla, amaricante gustu. *Lob.*] quæ

quæ ex ſe innumeras promit virgas, ligneſcentes, dodrantales, oppoſitis ramis paulò ſupra radicem brachiatis, per quas *folia* ad juncturas bina, oblonga, anguſta, per extremum nonnihil ſerrata. Deſinunt autem ſinguli ramuli in *ſpicas* Betonicæ vel Phalaridis ſpicarum æmulas, unciam aut ſeſcunciam ferè longas, pulchris calicibus in quinos aculeos deſinentibus majoribus quàm vel Fuchſianæ vel Monſpeſſulanæ Sideritidis, minúſque hirſutis, densè ſtipatis, adjacentibus foliis barbatis ac pæne ſpinoſis. *Flores* Cluſio nonnihil palleſcentes.

In monte Jura circa verticem Thuiri invenimus. **Locus.**

2\. *Sideritis Monſpeſſulana* J.B. *Scordioides* Ger. *Monſpelienſis Lobelii* Park. *foliis hirſutis, profundè crenatis* C. B.

J. B.

Radix huic ſubeſt craſſiuſcula, lignoſa, raris fibris donata: *Caules* à radice mox plures, ſubinde ramoſi dodrantales, valdè hirſuti, albicantes: *folia* breviora, rotundiora, magíſque hirſuta quàm Sideritidis vulgaris, ſerrata, amara: *flores* verticillati, formâ quidem ac magnitudine ſimiles, ſed coloris ex luteo albeſcentis; odore eſt gravi. Amaricante exſiccantéque guſtu præditi ſunt floſculi (inquit Lobelius) ac nonnihil aromatici, ſuavíſque halant quod Chamædryn aut Betonicam referat.

Monſpelii propè patibulum copioſè provenit, & alibi *aux Guarigues.* **Locus.**

Flores in ſpicas longas & laxas, è verticillis non arctè ſtipatis compoſitas, digeſti ſunt. Singulis autem verticillis ſubſunt duo lata, circumferentiâ ſubrotundâ ſpinulis armata foliola, ſinubus ſuis flores complexa.

Cap. XIV.

De Verticillatis non ſpicatis floribus ad caulium nodos foliis intermiſtis.

De Acino.

Acinos, Ἄκινος, quia ἀκινεῖ, i. e. ἵστησι κοιλίαν ϗ ἔμμηνα πνομβὴν, alvum menséſque ſiſtit, Dioſcoridis ſententiâ. Lobelius per υ ſcribendum eſſe ἄκυνον contendit, ut ſit ab α privativa & κύω *ſum prægnans,* quod ſterilem infœcundámque plantam ſignat: nam Theophraſtus & Plinius nullum in eo florem aut ſemen agnoſcunt, fortè quia obſcuriùs & ſeriùs flores promit, qui frigore ſuperveniente ſæpiùs corrumpuntur.

Acinos autem foliis eſt Serpylli aut Ocimi minoris, floribus in verticillis ad caulium nodos foliis intermiſtis, calyculis oblongis, ſtriatis, collo anguſto, ventre turgidiore, quo cum Verticillatis fruticoſis conveniunt.

A. 1. *Acinos multis* J. B. *Ocymum Sylveſtre* Ger. *Clinopodium minus ſive vulgare* Park. *arvenſe Ocymi facie* C. B. **Wild Basil.**

Radice nititur ſimplice, tenui, paucis fibris donatâ. *Caules* palmares, hirſuti, rubentes, quadrati, ramoſi quamvis propè terram rotundi videantur, cùm reclinantur fibras in terram demittunt. *Folia* contrariis inter ſe pediculis ad ſingula genicula bina, ſerpylli ſimilia ſed majora, [Alii Ocymi minoris foliis comparant] leviuſculis per ambitum crenis inciſa, ſupernè viridia, infernè albida, nervis conſpicuis prædita, pediculis brevibus inſidentia. *Flores* in ſummitatibus caulis & ramulorum verticillatim diſpoſiti, è calice oblongo ſtriato, collo anguſtiore, ventre turgidiore, purpuraſcentes, galeati, labello trifido, galeâ nonnihil reflexâ: in medio labello macula alba, intraque eam lunula purpuraſcens. *Semina* ut in hujus generis reliquis.

In montoſis cretaceis, aridis & glareoſis locis ſponte oritur. Menſe Junio floret. Variat autem ſæpiſſimè floris colore albo. **Locus.**

Acinos Anglicum *Cluſ.* nobis nihil aliud eſſe videtur quàm hujus varietas foliis ludens non crenatis.

Hæc planta mulierculis botanopolis Londinenſibus Polium montanum ſuperiore ſeculo dici ſolita eſt, quo nomine ad nos olim Londino miſſa fuit.

2\. *Acini pulchra ſpecies* J. B. *Clinopodium montanum* C. B. *Auſtriacum* Cluſ. Park. Ger. emac.

Cluſ.

Dodrantalibus eſt *cauliculis*, tenuibus, quadratis, duris geniculatis: *Foliis* non admodum vulgaris Acini foliis abſimilibus, acuminatis, crenatis, viridibus, non injucundi odoris, ſaporis autem aliquantulum acris. *Flores* ſummis cauliculis ad ſingula genicula profert Clinopodio vulgari non diſſimiles, duplo triplóve majores, binos ternóſve ſimul è foliorum ſinubus, purpureo ſaturo colore præditos (tametſi nonnunquam inveniantur albi) antrorſum maxima ex parte propendentes & converſos: quibus ſuccedunt vaſcula qualia in dicto Clinopodio, ventricoſa: in quibus *ſemina* nigra, Calaminthæ aut vulgaris Clinopodii ſeminibus æqualia. Numeroſas habet *radices*, duras, & multis fibris capillatas.

In aſcenſu montis Juræ copioſè ſpontaneum obſervavimus. Creſcit etiam, Cluſio teſte, in montibus Badenſibus thermis imminentibus, & cæteris vicinis ad Danubium procurrentibus, &c. Floret Maio; Semen Junio maturum. **Locus.**

Clinopodium Alpinum *Ponæ* in paucis à præcedente differt, v. g. hirsutie foliorum, & florum colore intensiore: quocirca nobis non placuit inpræsentiarum specie distinctum facere.

* 3. *Acinos latifolia* C. B. *latifolia Columnæ* Park. *Ocimum garyophyllatum Monachorum sive Acinos Columnæ* J. B. *Acinos odoratissimum* Ger. emac.

Folia huic Melissæ, longiora tamen, nonnihil serrata: *Caulis* sesquicubitails, aliquando altior, quadratus, pilosus, non hispidus tamen, ramosus, colore viridis, ut foliorum, quæ pilosa & plana ex petiolis longis; inter folia & alia folia spatium trium digitorum vel circiter. *Flos* ei & spica seminis ut aliis Ocimis: quælibet Spica habet quosdam alios veluti adnatos spicarum ramulos. *Semen* ejus aliis minutius est & rotundius, subruffum, nigricans. Tota planta præter radicem habet odorem & saporem acutissimum Garyophyllorum: Folia linguam vellicant ut Caryophyllus. Quò senior planta eò odoratiora & acutiora folia.

Descriptio est Monachorum qui in Mesuem commentati sunt, à J. Bauhino allata. Meliorem, puto, & pleniorem descriptionem habet Columna in Phytobasano; verùm liber ille ad manum non est.

Vires. De viribus Acini nihil certi occurrit, nec insigni aliquâ facultate dotatum esse odor sapórve arguunt. Autore Schwenckfeldio calf. & sicc. aperit, provocat, discutit, roborat: Tenuium est partium, menses & partus pellit. Ex vino potum melancholicos restituit.

* 4. *Clinopodium Creticum* Alpin. exot.

Alpin.
Sex septémve, aut pluribus aut paucioribus *cauliculis* dodrantalibus exit, rectis, rotundis, gracilibus: *foliis* Serpylli, & magnitudine, & figura, & ordine similibus, minimísque spatiis binis ex opposito ipsos cauliculos densè vestientibus. Inter foliola verò & caulem exeunt bini aut terni *flosculi*, vinacei coloris, à quibus semina minutissima fiunt. Tota planta odorem spirat Serpylli, sed suaviorem, gustum excalefaciens. *Radix* est longa, gracilis, lignosa, sine odore & sapore.

Hæc planta, si odorem excipias, persimilis est Acino Anglico *Clus.* aut Acini pulchræ speciei *J. B.*

CAP. XV.

De Stachy.

Στάχυς, id est, *spica* Græcis: ità dicta videtur quod flores in spicas dispositos profert: quod tamen plantæ hoc nomine insignitæ non convenit.

Differt à Marrubio, cum quo verticillis densis & canitie sua convenit, magnitudine & statura: est enim elatior & erectior, foliis longioribus & acutioribus: primam speciem intellige, nam reliquæ ob analogiam & similitudinem quandam huc referuntur.

Plantam hanc Verticillatis non spicatis annumeramus, non obstante nominis significatione, quia nec verticilli proximè admoti sunt, nec folia iis supposita diversæ à reliquis figuræ.

A. 1. *Stachys Fuchsii* J. B. Ger. *major Germanica* C. B. Park. Base Horehound.

J. B.
Redivivam Stachydis *radicem* numerosæ fibræ ubertim circumquaque productæ coronant: *caules* autem promit plures, (sæpe unicum) cubitum altos aut paulo proceriores, quadratos, lanugine incana villosos, fungosâ medullâ farctos: è quorum geniculis *folia* ex adverso sita prodeunt, Marrubii foliis longiora, lanuginosa, mollicella, per ambitum serrata, sapore extra omnem morsum siccante. *Flores* è foliorum alis verticillatim ex longa veluti spica caules summos ambiunt, foris hirsuti, intus glabri, purpurascentes, ad Lamii flores proximè accedentes, labello trifido subinde guttato, galeâ item saturatiore dilutioréque purpura versicolore, ex caliculis oblongis villosis. *Semen* rotundum & nigricans. *Odor* totius plantæ gravis.

Loci. Locis asperis, montibus & collibus provenit. In Anglia etiam invenitur circa *Witney* vicum in comitatu Oxoniensi. Junio & Julio mensibus floret, & in montosis etiam seriús.

* 2. *Stachys* Ger. *minor Italica* C. B. *Stachys Dioscoridis* Park.

Park.
E *radice* lignosa, perenni plura exeunt *folia* viridia, lanuginosa, humi strata, tres circiter uncias longa, duas lata, vel non omnino, vel leviter tantùm serrato ambitu, per hyemem virorem retinentia, è quorum medio *caules* exurgunt plures [interdum unus] foliis consimilibus, minoribus tamen vestiti. *Flores* caules à medio sursum ad genicula verticillatim ambiunt, purpurascentes, è calyculis quàm Marrubio mollioribus, quibus succedunt *semina* nigra. Caules ascensim verticillis propiùs admotis attenuati in spicam fastigiantur. Minùs odora est, succóque aqueo turget.

Locus. In Italia frequentem sponte provenire aiunt: Nobis tamen in Italia peregrinantibus, & plantas sedulò indagantibus nunquam occurrit.

Floris

Floris color Dodonæo & Lobelio luteus eſt, folia cum caulibus quàm Marrubio candidiora: icon quoque longè diſtat ab icone Parkinſoni, unde fortè diverſæ plantæ ſunt Stachys Dioſcoridis *Park.* & Stachys minor Italica *C. B.* quamvis ille unam & eandem eſſe vult.

* 3. *Stachys Luſitanica* Lob. Ger. Park. C. B.

Lob.
Reptricem Gnaphalii foliis & cauliculis ſeſquipalmaribus herbulam, candida lanugine ſtipatis & tomentoſis, verticillis concoloribus, perexiguis, ſub foliolis cinctus, viſum effugientibus, ſuave ſpirantibus, uti planta univerſa Stachyn dixere Herbariorum quidam non imperiti, nonnullâ de facie & viribus ſimilitudine ducti.

* 4. *Stachys Cretica* C. B. *Stachys ſive Pſeudo-ſtachys Cretica* Park.

C. B. prod.
E radice lignoſa *caules* quadrati, cubitales, tomento albo veſtiti exeunt. *Folia* cinericea, molliter hirſuta, quæ ad radicem unà cum pediculo oblongo palmum ſuperant, latitudine unciam non æquantia, inodora, vel ſaltem odore aliis ſuaviore, quæ floribus ſubjiciuntur & caulem ambiunt brevia ſunt & anguſta, pediculis carentia, duriuſcula. *Flores* purpurei ex verticillis aculeatis caulem cingentibus prodeunt. *Semen* rotundum eſt & nigricans.

5. *Pſeudo-ſtachys Alpina* C. B. Park.

C. B. prod.
A *Radice* dura, ruſeſcente, in fibras craſſas & longas diviſa *folia* plura hirſuta prodeunt, Hormino ſimilia, ſed tenuiora, uncias tres lata, quatuor longa, longis pediculis molli lanugine albicantibus donata, per ambitum crenata nonnihil, odorem gravem ſpirantia, inter quæ *caules* ſeſquicubitales, quadranguli, cannulati, geniculis diſtincti & hirſuti efferuntur, qui *foliis* rugoſis, aſperis, prioribus longioribus circundantur: ad quorum exortum ſæpe utrinque ramulus unus ſemipalmaris, etiam palmaris egreditur. *Flores* circa ſumma genicula verticillati, galericulati, ex albo rubentes ex utriculis aſperiuſculis in quibus *ſemen* rotundum, nigrum continetur, prodeunt.

Locus. In monte *Waſſerfall* Junio menſe florentem obſervavit C. Bauhinus: qui Salviam Alpinam *Tab. Ger.* huc refert. J. Bauhinus in capite de Hormino luteo ſeu Colu Jovis, An huc ſit referenda Salvia Alpina *Tab.* me inquit latet: Deſcriptioni jejunæ, in qua ei tribuit flores purpureos pauca fides tribuenda.

Nos in ſummis jugis montis Juræ vel ipſiſſimam hanc plantam vel ei ſimillimam invenimus. Noſtra flores habuit ſordidè purpureos, admodum villoſo, in quorum labellis nonnihil albi apparuit: Odor plantæ non ingratus erat; aliter bene reſpondet deſcriptioni *C. B.*

6. *Stachys ſpinoſa* Park. *ſpinoſa Cretica* C. B. Ger. *Sideritis ſpinoſa* J. B. *Gaidarothymo i. e. Aſininum Thymum ruſticis Cretenſibus.*

Bell.
Planta eſt pedalis, in orbem per terram diffuſa, multis ſpinis five aculeis horrida. *Folia* longa, digitali magnitudine, aliquantulum anguſta abſque aculeis proferens, quæ caules undique ſed inordinata ambiunt. *Caules* quadranguli ſunt, incani quemadmodum folia, ita ut tota colore cineris appareat, ramos utrinque proferens figurâ quaſi crucis, qui in ſpinas deſinunt, & in alios ramulos omnes dividuntur, ſpina quæ medium locum obtinet majore aliis ſemper exiſtente. *Flores* Salviæ colore, magnitudine & figura ſimiles profert, in hiſpidis quibuſdam calyculis, ternos aut quaternos ſimul junctos, quibus ſuccedunt *ſemina* inæqualia, colore nigra. Perpetuò viret & Julio floret, totáque odore caret. *Radicem* habet magnam pro proportione plantæ & lignoſam.

Vires. Naſcitur Occidentali Inſulæ parte inter thymum & thymbram locis ſicciſſimis.

Cluſius flores Teucrii Bætici floribus ſimiles facit.

Cap. XVI.

De Marrubio.

Marrubium, Græcis Πράσιον, Latina vox eſt non Græcæ originis: nam *r* ſecundum ſine aſpiratione ſcriptum ubique legitur: ita dictum putatur quod tabidis & marceſcentibus conducat, τὰ φύλλα ξηρὰ σὺν τῷ σπέρματι ἑψόμενα σὺν ὕδατι ἢ χυλιζόμενα χλωρὰ δίδοται μετὰ μέλιτος φθισικοῖς. *Foliorum ſiccorum ſimul & ſeminis decoctum, aut etiam recentium foliorum ſuccus unà cum melle tabidis exhibetur.* Dioſcor.

Vel Marrubium dicitur, quòd folia marcida & ſqualentia ſint quaſi rubigine exeſa. *Jo. Bod. à Stapel.*

Marrubii notæ ſunt flores in verticillis denſis circa caulium nodos, totius plantæ canities; folia ſerrata obtuſa, rugoſa; odor validus & gravis non tamen fœtidus: quodque minor, humilior, magiſq; ramoſa planta ſit quàm Stachys. Quinetiam Marrubium vulgare, neſcio an & aliæ ſpecies inſigni

nota ab aliis Verticillatis differt, nimirum quòd calyculorum ſtriatorum margines non ut in aliis in quinque ſegmenta acuta dividantur, ſed in totidem ſpinulas quot ſunt in ſingulis ſtriæ, ſtellæ radiorum inſtar diſpoſitas.

A. 1. *Marrubium album* J. B. Ger. *album vulgare* C. B. Park. **White Horehound.**

Radice nititur ſimplici, lignoſa, plurimas fibras emittente. *Caules* indè exurgunt plures, pedales & altiores, lanuginoſi, quadrati, ramoſi, foliis veſtiti ad ſingula genicula ex adverſo binis, ſubrotundis incanis circum oras crenatis, rugoſis, pediculis ſatis longis ſuffultis. *Flores* ad genicula in verticillos denſos coacti caules ambiunt, brevibus aut nullis pediculis, è calicibus hirſutis ſtriatis quorum ſingulæ ſtriæ in ſpinulas terminantur, ipſi perexigui, albentes, parte illa quæ pro *galea* eſt in medio aliquouſq; fiſſa in duo veluti cornua: *Labellum* integrum eſt proceſſu hinc indè emiſſo. Singulis floribus ut in reliquis omnibus verticillatis, ſuccedunt *ſemina* quatuor ſimul juncta. Florum verticilli quamvis caules undiq; amplecti videantur, egrediuntur tamen è foliorum alis. *Caules* altitudinem pedalem aut cubitalem rarò excedunt.

Odor totius plantæ vehemens & nonnihil gravis.

Locus. Ad vias publicas & in locis ruderatis.

Vires. Succus expreſſus cum melle (ut præſcribit Dioſcorides) aut potiùs ſyrupus de Praſſio Aſthmaticis, tuſſientibus & tabidis opitulatur: eſt enim pneumonicum inſigne. Pulvis foliorum interaneorum vermes necat. Valere dicitur & in partu difficili, lochiiſq; retentis.

Syrupus de Praſſio Meſues, annotante C. Hofm. valdè calidus eſt, & qui ſenibus potiùs quam juvenibus, frigidis quàm calidis adhibendus ſit.

℞ Syrupi de Praſſio ℥ij, olei Tartari per deliquium ℈i, miſce. Sumat æger per intervalla frequentia ad menſuram unius cochlearis. Medicamentum eſt ad icterum nulli ſecundum.

Marrubium veſicæ & renibus nocere ſcribit Dioſcorides; quos frequenti uſu exulcerat. C. *Hofman*.

Veteres in ictero Marrubio pro errhino uſi ſunt, ad bilem per nares expurgandum, quæ oculos ſæpe contumaciſſimè occupat.

Innumeris comprobavi experimentis Marrubii albi ſummitates, vino albo infuſas, & triduo epotas, mirè ad menſtrua provocanda, [nec menſes tantùm accelerat, ſed remorantes ſecundinas quoq; præcipitat. *S. Paullus*] ſtomachum roborandum, cachexiam & fœdos virginum colores arcendos valere, & fortiùs cum Chamædrye & Centaurio minore mixtas. Borell. Obſerv. Med. p. 289.

Conſerv. florum Marrubii cum melle parata & per 40 dies exhibita in doſ. ℥j nobilem quendam ſcirrho hepatis diu laborantem integræ ſanitati reſtituit, alìis medicamentis ex ebeno & chalybeatis paratis fruſtra illi propinatis. S. Pauli Quadripartit. Botan. p. 389. Habuit Sim. Paulus è *Zacuti* lib. 2. *Prax. admir.* Obſerv. 48. Superbibebat autem nobilis iſte ſingulis matutinis parum aquæ ſtillatitiæ ejuſdem Marrubii cum radice: ut invenio in obſervationibus è *Cheſneau* collectis & ad me tranſmiſſis ab ingenioſiſſimo & amiciſſimo Viro *D. Edv. Hulſio* Medico Londinenſi.

2. *Marrubium album latifolium peregrinum* C. B. *candidum folio ſubrotundo* J. B. *candidum* Ger. *Hiſpanicum candidum* Park.

J. B.

Caules, quos ex radice vulgari Marrubio ſimili complures profert, cubitales & bicubitales ſunt, quadrati, lanugine incana obtecti, multis alis concavi: ad quorum ſingulos articulos *folia* oriuntur mollicello holoſerici tactu, villoſa, intenſiúſque quàm in vulgari caneſcentia, latiuſculo pediculo appenſa, in ambitu ſerrata, longiora quàm latiora, obtuſa, odore nullo excellente, ſapore calidiuſculo, non tamen ingrato. *Flores* ad genicula verticillatim caulem amplexantur, Marrubii vulgaris, ex oblongis, incanis, mollicellis *calycibus*.

Locus. Circa Meſſanam Siciliæ ſpontaneam obſervavimus & collegimus.

* 3. *Marrubium alterum Pannonicum* Cluſii.

A deſcripto diverſum videtur, ſiquidem *caules* duntaxat cubitales ei attribuit: folia legitimo Marrubio anguſtiora, nec adeò orbiculata, ſenſim in mucronem deſinentia, non injucundi odoris. Erat autem Marrubium illud, quod circa Viennam Auſtriæ frequens obſervavimus, ubi ſuum vulgare eſſe ſcribit Cluſius, foliis anguſtioribus & acuminatis, Meliſſæ Moldavicæ foliis non multùm diſſimilibus, quod ad figuram attinet, candidioribus tamen & magis incanis. Non video quid differat à ſequente.

4. *Marrubium album anguſtifolium peregrinum* C. B. *Creticum* Ger. Park. *album anguſtiore folio* J. B. **Narrow-leaved Candy Horehound.**

J. B.

Candidius noſtrate Marrubio; caulibus ramiſque quadratis, tenuibus: *Folia* impensè candida, oblonga, ſerrata, nervoſa, ſed nervis pleriſq; rectà ſecundùm longitudinem decurrentibus. *Flores* in ramis ſubjectis binis parvis foliis, verticillatim poſiti, interdum & in ſpicæ formam digeſti, parvi, candidi, bifido foliolo ſurrecto, labello demiſſo è candidis, ſtriatis *calyculis*. Odore eſt quàm vulgare Marrubium gratiore.

* 5. *Marrubium Brasilianum* Marggr.

Marggr.
Planta hæc in duorum aut trium pedum altitudinem assurgit, *caule* striato, nodoso, leniter hirsuto: ad singulos nodos ramuli tres aut quatuor proveniunt, ut & folia, quorum antiquiora similia sunt Marrubii Pannonici *Clus.* foliis, in ramulis autem junioribus Marrubii vulgaris. Fert flosculos verticillatim positos, cœruleos tribus foliis constantes. Tota planta suavissimum odorem Marrubii spirat, & ad tactum est glutinosa.

* 6. *Marrubium album villosum* C. B. Park. **Hairy white Horehound.**

C. B. prod.
Cauliculos edit pedales, lignosos, rotundos, albos, villosos, in ramulos divisos. *Folia* sunt subrotunda parva, crassa, per ambitum crenata, ob tomentum album inferiùs adpositum Gnaphalii instar mollia, superiùs rugosa & nigricantia. *Flosculi* ut in vulgari caulem verticillatim ambiunt.
In agris Lutetianis collegit C. Bauhinus. *D. Magnol* in insula Magalonæ invenit. *Locus.*

* 7. *Marrubium album crispum* C. B. Park. **Curl'd white Horehound.**

C. B. prod.
Et hoc *cauliculis* est lignosis, rotundis, albis, sed *foliis* minoribus, crispis, crenatis, utrâque parte cinereis, nec ita tomentosis. *Flosculi* subcandidi in pungentibus conceptaculis caulem per intervalla verticillatim ambiunt.
Ad Alysson Galeni Clusio dictum accedit.

* 8. *Marrubium ex Aleppo verticillis longis pediculis insidentibus* Hort. Edinburg.

Cùm mihi nondum conspecta sit hæc planta non habeo quod de ea dicam, sed nudo titulo contentus sim oportet.

Marrubium Alysson dictum.

9. *Alysson verticillatum foliis profundè incisis* C. B. *Alyssum Galeni* Ger. *Alys. Galeni Clusio* Park. Galen's **Madwort.**

Clus.
Pedali est altitudine, quadrangulo *caule*, statim à radice in multos ramos diviso, canescentes omnino & velut tomento obductos, circa quos *folia* Marrubio similia, breviora tamen magísque crispa & incana, inodora, amara. *Calices* per intervalla verticillatim ramos ambiunt, quinq; plerunq; aculeis horridi, candidi, è quibus Marrubii flos exilit, sed colore diversus, nempe purpurascens. *Semen* in calicibus aculeatis subruffum, Marrubiano semini par. *Radix* dura, multifida, annua.
Uno duntaxat Hispaniæ loco hanc plantam nascentem observavit Clusius, ad *Elda* viz. pagum, in cœmeterio quo plurima cenotaphia Arabicis literis sculpta videre licet, Valentino regno, septima sub Orihuela (Orceli Veteribus dicta) mill. sive leucis Hispanicis, eámq; florentem & semine onustam mense Martio medio. *Locus.*

* 10. *Alysson verticillatum foliis crenatis* C. B. Park. *Sideritis Alysson & Sideritis Heraclea Dioscoridis, Alysson Antonii Coi ex Galeno* Col.

E *radice* tenui, lignosa fibris aliquot donata *caules* exeunt plures, pedales aut altiores terram versùs reclinati, *foliis* ad intervalla vestiti, quorum infima amplissima, Marrubii nonnihil similia, sed longiora, Chamædryos proxima, verùm hirsuta hirsutie aspera, circa margines non profundè dentata, ad modum Betonicæ. Ad caulium nodos, quos ornant folia inferioribus sensim minora *flores* emergunt ex albo purpurascentes in verticillos Marrubii æmulos digesti, è calyculis aculeatis *semina* fusca continentibus.
Tota herba gustu est adstringenti, non tamen injucundo, cum tantillo amarore, & odoris suavitate.
In collibus petrosis agri Neapolitani ad semitas. *Locus.*

Marrubium Pseudo-dictamnus dictum.

11. *Pseudo-dictamnus* Ger. Park. *Pseud. verticillatus, inodorus* C. B. *Dictamnum adulterinum quibusdam verticillatum, vel potiùs Gnaphalium veterum* J. B.

Cæs.
Quædam ex Creta ad nos allata est pro Pseudo-dictamno: cæspes amplus, virgis numerosioribus, altioribus & candidioribus Marrubio [sesquipedales in horto suo observavit Parkinsonus, vix tamen credo, Marrubianis altiores] *foliis* rotundioribus, minoribus, similibus Dictamno Cretensi, obsitis candidiori lanugine, gustu subamaro, odore exili non injucundo. Verticillos inter folia fert molles, in quibus *flosculi* sunt purpurascentes. [*Radix* dura, lignosa, altè in terram descendit, &

per plures annos vivit, etiam in hortis nostris nisi hyems asperior aut diuturnior fuerit. Folia huic minus crassa quàm Dictamno vero, & per longiora intervalla in caulibus disposita.]

12. *Pseudo-dictamnus alter Theophrasti Ponæ* Park. *Pseud. acetabulis Moluccæ* C. B.

Caulibus multis incanis, quadratis ad pedalem aut majorem altitudinem assurgit, *foliis* præcedente aliquanto majoribus & longioribus, è quorum alis prope caulium fastigia exeunt calices hirsuti Moluccæ similes sed minores & breviores, è quibus emicant *flores* coloris ex albo & rubro mixti. *Radix* fibras plurimas spargit. Odor hujus non insuavis. Hyemem æquè ac præcedens tolerat.

Hanc ipsam plantam aut certè ei simillimam in hortulo nostro Cantabrigiæ aliquando aluimus, foliis Pseudo-dictamno formâ quidem similibus sed majoribus, mollioribus magísque villosis, minùs tamen incanis. Florum calices ampli & patuli erant, verùm Moluccæ acetabulis multo minores, hirsuti quoque & striati.

Hanc etiam invenit *D. Wheeler* in insula Cithæra olim, nunc *Cerigo* dicta, & satis exactè describit Itinerar. lib. 1. pag. 49.

* 13. *Marrubium Hispanicum* Alpin. exot.

Alpin. Herba est fruticosa, tota candida, cum leni lanugine alba. *Caules* aliquot profert, quadratos, cubitales & ampliores, obliquè actos. *Folia* habet oblonga, alba, lata, in acutum desinentia, duplo majora Cretici Marrubii, & ex opposito in caulibus æqualibus interstitiis posita, candida, subhirsuta. *Flores* æqualibus spatiis itidem in caulibus & ramulis cernuntur, verticillato ambitu, candidi: à quibus *semina* parva producuntur, tenuia, oblonga, sapore subamaro, subacri. Tota planta nititur *radicibus* tenuibus, longis, lignosis, multis: facultate adstrictoria & non instrenuè siccante prædita est.

Differre videtur ab Hispanico candido *Park.* id est, albo latifolio peregrino *C. B.*

14. *Marrubium Creticum angustifolium inodorum* Park. *album peregrinum brevibus & obtusis foliis* C. B.

Huic plantæ similem alui olim Cantabrigiæ ex semine pro Pseudo-dictamno misso ortam; eam intelligo cujus mentionem feci sub duodecima specie, quæ fortè non differt à Mar. Hispanico candido *Park.*

* 15. *Marrubium nigrum Creticum* Alpin. exot.

Alpin. E *radicibus* multis Primulæ similibus *folia* complura profert, oblonga, in extremis acuta, parvis suis pediculis sursum in orbem acta, nigra & nigrâ lanugine obsita, Marrubii albi foliis majora, longiora & latiora, magnitudine & figurâ ad Apiastri ferè folia accedentia. E quibus sanè duos vel plures *caules* producit, longos, rectos, quadrangulos, nigros, per intervalla geniculatos; in quibus è singulis geniculis exeunt circum ipsos ex opposito *folia* complura, numero ferè septena, ac plura etiam, oblonga, prioribus similia sed longe minora, multùm nigricantia, quæ circa ramum velut in orbem aguntur. In caulium summitatibus *flores* utrinque virgas ambiunt, non dissimiles Marrubii floribus, itidem nigricantes. Tota planta colore nigricat, ut de industria ab aliquo videatur eo colore infecta.

Hæc planta, si ab Alpino rectè describatur, non est genuina Marrubii species, sed anomala.

CAP. XVII.

De Clinopodio.

Κλινοπόδιον dicitur quòd ἄνθη ἔχει ὡς κλίνης πόδι ὅμοια, quod orbiculato florum ambitu speciem pedum lecti præbeat, *Floribus ex intervallis Marrubii modo dispositis.* Plin. Foliis est Majoranæ sylvestris, florum tubis quam in Marrubio longioribus, calycibus in quinque spinulas terminatis.

Clinopodium majus Park. *quorundam, Origani facie* J. B. *Origano simile* C. B. *Acinos* Ger. Great wild Basil.

Radicem obliquè sub terra agit, fibris obiter demissis. *Caules* cubito altiores sunt, tenues, quadrati, hirsuti. *Folia* Majoranæ sylvestris, minùs odora, ad nodos opposita, utrinque hirsuta. *Flores* in verticillis magnis densè stipati, oblongi, galeati, purpurei, è *calicibus* gracilibus, oblongis, striatis, in quinque spinulas desinentibus, tribus supernè, duabus infernè oppositis. Florum autem *calices* non insident singulis pediculis singuli, sed plures simul in eodem communi pediculo. *Semina* singulis quatuor succedunt parva, subrussa.

Locus. Ad sepes & in vepretis passim.

CAP.

Cap. XVIII.

De Lamio.

LAmium dictum nonnullis putatur à florum cucullata effigie larvatam lamiam quodammodo repræsentante.

Floribus in verticillis ad caulium nodos, foliis Urticæ, odore fœtido, seminibus majusculis, è vasculis brevibus patulis maturitate illico decidentibus, à reliquis verticillatis distinguitur.

A. 1. *Lamium album* Ger. *vulgare album sive Archangelica flore albo* Park. *album non fœtens folio oblongo* C. B. *Galeopsis sive Urtica iners floribus albis* J. B. **White Archangel or Dead Nettle.**

Radicibus plurimis fibrosis nititur; plurimis etiam surculis, obliquè Menthæ ferè in modum sub terra reptantibus, & è nodis subinde radices agentibus, latè se propagat. *Caules* indè exurgunt pedales aut cubitales, quadrati, grandiusculi, propè terram tamen graciliores & infirmiores, unde etiam vix se sustentant, inanes, modicè hirsuti, ramosi, geniculis rarioribus intercepti, propè terram in apricis purpurascentes. *Folia* ex adverso bina, urticæ simillima, quæ in imis caulibus sunt longis pediculis nituntur, quæ in summis brevioribus, brevi & innocua lanugine hirsuta. *Flores* ad genicula verticillatim caules ambiunt albi, satis ampli, galeati, exteriùs pallidi potiùs quàm nivei, labello pallido, non punctato, bifido, galeâ amplâ exteriùs, præcipuè ad margines pilosâ, quatuor intùs *staminula*, duo longiora breviora totidem occultante. Staminum *apices* marginibus circumcirca nigris formam characteris 8 quodammodo repræsentant. *Stylus* prætenuis bifidus staminibus adjacet, & ex ipso flore enascitur, non, ut in aliis hujus generis fieri solet, è staminum medio. *Calix* floris idemque vasculum seminale amplus, patulus, striatus, sessilis, in quinque oblonga angusta segmenta dividitur, quæ in tenues & acutas sed innoxias spinulas desinunt. In imo calice quatuor *semina* simul juncta singulis flosculis succedunt. Calices florum singulatim è foliorum alis exeunt. Odor huic plantæ minùs gravis.

Tempus & Locus. Aprili mense & ineunte Maio apud nos floret. Ad sepes inque locis ruderatis & dumetis.

Vires. Recentiores flores Lamii candidos fluorem muliebrem albidum sistere posse existimant; unde nonnulli ad eum usum parant ex iis Conservam, singulis diebus sumendam.

2. *Galeopsis sive Urtica iners flore purpurascente majore, folio non maculato* J. B. *Lamium folio oblongo flore rubro* Park.

A præcedente non alia ferè in re differt quàm floris colore purpureo: unde C. Bauhinus non distinguit. J. Bauhinus descriptione suâ notas nonnullas addit à nobis omissas, caules sc. purpureos esse, foliáque atro-virentia atróve purpurea, (quæ tamen huic speciei propriæ sunt) genicula caulium inferiùs crebriora, medio caule internodia longiora; ad radicem folia subrotunda ad Marrubium fœtidum accedentia: galeam bifidam, labellum punctis carneis & sanguineis notatum.

Locus. In transmarinis frequentem observavimus.

Galeopsis lutea Dalechampii Lugd.

Hujus aut superioris varietas esse videtur, non species distincta.

A. 3. *Lamium rubrum* Ger. *vulgare folio subrotundo, flore rubro* Park. *purpureum fœtidum folio subrotundo, sive Galeopsis Dioscoridis* C. B. *Galeopsis sive Urtica iners folio & flore minore* J. B. **Small dead Nettle or red Archangel.**

E *radice* tenui fibrosa non repente plures erigit *caules* quadratos, concavos, propemodum glabros, satis grandes, propè terram ramosos, deinde uno vel altero foliorum pari cinctos, tum ad summitatem ferè nudos, semipedales, infirmos. In summis caulibus *flores* in verticillis densiùs stipatis, galeati, parvi, purpurei, labello saturatioribus maculis guttato, Calices florum breves, patuli, striati, sessiles in quinque longas angustas lacinias ceu spinulas divisi, quatuor in imo *semina* continent, oblonga, angulosa, per maturitatem fusca & splendentia. *Folia* urticarum æmula sed minora & breviora, mollia, circum oras crenata, pediculis semuncialibus insident. Odor totius plantæ fœtidus & ingratus.

Primo vere & deinceps per totam æstatem floret.

Locus. Ad sepes & macerias, inque locis ruderatis & hortorum areis minùs excultis nimis frequens.

Vires. Herba tusa & imposita valere creditur ad tumores quoscunque discutiendos, necnon ad inflammationes, plagas, ulcera putrida & vulnera.

Ad Scrophulas. ℞ Herbæ recentis [Lamii albi] *M. i.* Calefiat inter duos lateres calidos, & tumori applicetur. Eam noctis unius spatio plurimum aperit. Aperto adhibe mixturam sequentem. ℞ Omphacii cochlearia VI. Butyri Maialis instar Juglandis; misce & impone lanæ nigræ oleo è pedibus bubulis madefactæ: Intus interim propinetur aqua florum genistæ manè & hora quarta pomeridiana singulis diebus. D. Hulse è MS. nondum edito. Decoctum Lamii rubri ad dysenteriam commendatur.

4. *Lamium albâ lineâ notatum* C. B. *Lamium Plinii montanum Columnæ* Park. *Galeopsis maculata* J. B. *Milzadella vulgo.*

J. B.

Caules multos fundit, quadratos, procumbentes, rubescentes, in quibus *folia* Urticæ hirsuta, mollia, Lamio vulgari albo flore similia aut Ballotæ, sed minora duplo, serrata rotundis incisuris, lineam albam per medium, atque rectum nervum utrinque ambientem habentia, quæ linea in siccatis plantis etiam post decennium durat conspicua: trita gravem odorem remittunt, minùs quàm in vulgari mortua urtica ingratum. *Flores* circa summa genicula ex albo rubentes. Vere floret & æstate perficitur.

In Italia & Gallia Narbonensi ad sepes & circa vepres frequens oritur.

An specie differat à Lamio minore purpureo necne dubius hæreo.

Varietas. Hujus varietatem in Æquicolorum montibus observavit F. Columna, foliis brevioribus, angustioribus & acutioribus, profundis incisuris per ambitum divisis, ut in Chamædry, lineâ albâ per medium decurrente angustiore.

5. *Lamium maculatum* C. B. *foliis maculatis* Park. *Urtica fatua* λευκόστικτος Thal.

Foliis maculis & lineolis albis respersis & pulchrè variegatis à præcedente distinguitur, nec ulteriore descriptione indiget. Vidimus in Horto Regio Parisiis & alibi.

A. 6. *Lamium rubrum minus, foliis profundè incisis.* **Small cut-leaved red Archangel.**

Hæc species primò nobis ostensa à *Tho. Willisell* in campis *S. Jacobi* dictis propè Londinum, postea variis in locis solo arenoso aut glareoso observata. Lamio rubro minore vulgari plerumque minor est, quamvis in lætiori solo in magnitudinem illius æmulam interdum proficiat. *Radix* ei simplex, tenuis, unde & plantam annuam esse suspicamur. Caulibus & foliorum & florum situ cum Lamio rubro vulgari convenit. Differt ab eo foliorum incisuris. Cùm enim in illo folia leviter tantùm circa margines crenata sint, in hoc altiùs incisa & propemodum laciniata sunt, laciniolis, seu mavis dentibus in acutos apices terminatis. Differt etiam florum parvitate & eorundem tubis brevioribus, adeò ut flores antequam explicentur vix è vasculis appareant.

Locus. In hortis oleraceis inque arvis requietis non rarò invenitur, ut *v. g.* propè Brantriam in Essexia in calceto Bockingam ducente.

* 7. *Lamium moschatum foliorum marginibus argentatis* * Wheeleri.

* *Itiner.* lib. 4. p. 309.

E *radice* tenui fibrosa *caulem* exserit quadrangulum, *foliis* vestitum longis pediculis innitentibus, Lamii flore albo similibus, verum rotundioribus intercreniis, propè pediculum maculâ nigrâ amplâ notatis, marginibus circumcirca argenteo colore insignibus; odore moschum redolentibus. Ad *Pentagi*, fortè Pantheam olim dictum, sinûs Corinthiaci oppidum observavit *D. Wheeler*. Florem, puto, non vidit.

8. *Lamium Novæ Angliæ Parietariæ foliis.*

In reliquis ad Lamium minus accedit; foliis Parietariæ æmulis ab eodem differt.

Locus. Cantabrigiæ olim in hortulo nostro coluimus.

* 9. *Lamium rotundifolium floribus minimis n. d. Hort.* Ludg. Bat.

A. 10. *Lamium folio caulem ambiente majus & minus* C. B. *Galeopsis sive urtica iners minor, folio caulem ambiente* J. B. *Alsine hederula altera* Ger. *hederulæ folio major* Park. **Henbit.**

J. B.

Planta est sesquipalmaris & major, *caulibus* quadratis, infirmis, nonnunquam surrectis, sæpius humi sparsis: *Folia* primùm prorumpentia pediculis donata, similia foliis Galeopsis minoris, rotunda ferè, serrata: alia in superioribus caulium partibus oriuntur, bina, immediatè caulibus adhærentia, perfoliatæ ferè modo caulem ambientia, rotunda, hirsuta, profundè crenata, crispa, odore minùs fœtido quàm præcedentes Galeopseos species, sapore nullo excellente. *Flores* inter folia ad nodos verticillati caules & eorum ramos ambiunt, purpurei, hiantes, è *calyculis* oblongis, hirsutis, multifidis: *radicem* demittit simplicem, rigidulam, fibratam.

Locus. In agris & hortis frequens oritur.

A. 11. *Lamium luteum* Ger. Park. *folio oblongo luteum* C. B. *Galeopsis sive Urtica iners flore luteo* J. B. **Yellow Archangel or dead Nettle.**

Radix inæqualis fibras plurimas majusculas in terram demittit. *Caules* indè exeunt longi, quadrati, infirmi, concavi, *foliis* vestiti binis, per intervalla oppositis, viridioribus, longioribus, & angustioribus quàm in reliquis Lamiis, pediculis longiusculis insidentibus. *Flores* ad genicula verticillatim caules ambiunt, lutei, speciosi, galeâ amplâ, ad margines pilosâ, quatuor *stamina* albentia cum *apicibus* suis luteis, & *stylo* purpureo bicorni è centro calycis, in medio quatuor unà junctorum

seminum

ſeminum egreſſo, continente. Floris labellum in tres partes dividitur, quarum duæ laterales punctis & lineis purpurantibus pinguntur, media punctis & ſtriis croceis.

In Sylvis & umbroſis Maio menſe floret. *Locus.*

12. *Lamium maximum ſylvaticum alterum* C. B. *Galeopſis maxima flore magno rubro* J. B. *maxima Pannonica* Park. *Lamium Pannonicum ſive Galeopſis* Ger. emac.

Cluſ.

Cubitali *caule*, interdum etiam majore, quadrangulo, craſſo aſſurgit, ſecundùm radicem frequentibus geniculis prædito, è quibus *folia* naſcuntur Urticæ foliis haud abſimilia, per oras ſimiliter crenata, ſed longè majora, palmarémque amplitudinem ſæpiſſimè ſuperantia, hirſuta quidem, ſed non mordacia: A medio caule ſurſum verſus ad ſingulos nodos, orbiculatim ſeni, octoni, nonnunquam deni naſcuntur *flores*, non ſimul ſed ſucceſſivè ſe explicantes, Lamii floribus multò majores, ſaturè rubri & tanquam purpurei, galeæ inſtar hiantes, labro inferiore (cujus laciniatæ oræ) bifido, & frequentibus ad latera barbulis prædito, interiore parte purpureis & candidis lineis depicto, quatuor ſtaminibus cum ſtylo ſub galea latentibus; odore gravi & ingrato, uti tota planta, ſi teratur, guſtu etiam inſuavi & amaro. In laciniatis vaſculis *ſemina* continentur Moluccæ ſimilia. *Radix* craſſa, fibroſa, perennis, ſingulis annis augeſcens, novóſque ſtolones proferens.

In ſylvoſis montibus arci *Greben* vicinis in Pannonia ſupra Waraſdinum maximâ copiâ naſcitur, ubi Maio florentem inveniebat Cluſius. *Locus.*

Lamium Cannabis ſpuria dictum.

A. 13. *Cannabis ſpuria* Park. Ger. *ſylveſtris quorundam Urticæ inerti affinis* J. B. *Urtica aculeata foliis ſerratis* C. B. **Baſtard Hemp.**

Radix ſimplex plurimis demiſſis fibris terram apprehendit. *Caulis* plerunque ſimplex, pedalis, quadratus, inanis, ramoſus, pilis rigidioribus hirtus. *Folia* in caule bina per intervalla oppoſita, Urticæ ferè figurâ, circa margines ſerrata, pediculis ſemuncialibus appenſa, venoſa, nervis averſa parte extantibus, qua in re Cannabis folia imitantur. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis in verticillos craſſos compoſiti, galeati, purpuraſcentes, è calicibus ſtriatis, patulis, marginibus in quinque ſpinulas acutas diviſis exeunt. Singulis floribus ſuccedunt quatuor *ſemina* ſimul juncta, majuſcula, pulla, quæ dilapſo flore breviſſimo temporis ſpatio matureſcunt, & continuò decidunt.

Æſtate floret, inter ſegetes plus ſatis frequens. *Locus.*

A. 14. *Cannabis ſpuria flore ſpecioſo luteo, labro purpureo. An Cannabis ſpuria altera* Park? *An Urtica aculeata foliis ſerratis altera.* C. B?

Hujus *folia* pallidiora ſunt quàm præcedentis: verùm præcipua differentia eſt in *floribus*, qui multò ampliores ſunt quàm illius, colore luteo. Labellum maculâ ampla purpurea ferè totum occupat.

Segetes frigidiorum & humidiorum tractuum hâc ſcatent: ut v. g. montoſæ agri Eboracenſis. *Locus.*

Planta Parkinſono deſcripta florum colore cum nobis obſervata, & hoc in loco propoſita convenit, eorum parvitate differt.

A. 15. *Lamium montanum Meliſſæ folio* C. B. *Meliſſa Fuchſii* Ger. *Meliſſophyllon Fuchſii* Park. *Meliſſa adulterina quorundam, amplis foliis & floribus non grati odoris* J. B. **Baulm-leaved Archangel.**

J. B. Cluſ.

Fibroſa *radice*, ſubacri & amara nititur. *Caules* pedales & majores quadrati, hirſuti, geniculati, multâ medullâ farcti. *Folia* Galeopſis, oblonga, rugoſa, hirſuta, Meliſſophylli ferè ſimilia, atra viriditate nitentia, guſtu aliquantulum acri. *Flores* ex ſingulis nodis inter folia terni & quaterni prodeunt, in utriculis oblongis, laxis, hirſutis, omnes antrorſum ſpectantes & propendentes, longiuſculi, inodori, Lamii florum quodammodo æmuli, majores tamen & nullâ galeâ inſigniti, ſolo labro inferiore promiſſo, & reliquis foliis (quæ in quibuſdam floribus ex albo purpuraſcunt, aut dilutiore purpura nitent) majore, purpurei coloris. [J. Bauhinus caſſidem ſurrectam flori attribuit, prominentibus ex rictu ſtaminibus] *Semen* magnum, nigricans, inæquale.

In ſylvis frequens occurit in Occidentalibus Angliæ regionibus, verbi gr. in Devonia circa *Totnes* oppidum, in Penbrochia circa *Haverford-weſt*. In ſylvis etiam montoſis propè Genevam & alibi in transmarinis obſervavimus. *Locus.*

Alteram hujus ſpeciem in Auſtria invenit Cluſius caulibus infirmioribus, frequentioribus ex radice ſingulis annis repullulantibus, foliis etiam paulò anguſtioribus. *Alia ſpecies.*

* 16. *Lamium fruticoſum non maculatum Creticum* Zanoni.

Zan.

Multos è radice *caules* emittit, majores ſeſquicubitales, pennæ ſcriptoriæ craſſitudine, teretes, quamvis ob coſtas exiles quæ in cortice ſunt quadrati videantur, eo enim ſublato rotundi manent. Cortex interior viridis difficulter à ligno delibratur, quod fragile eſt, tenue, medullâ intus viridi. *Caules* & rami majores ligneâ ſubſtantiâ conſtant, ſurculi juniores herbaceâ, ut vel ex colore magis viridi patet. Sunt autem caules, præſertim parte inferiore & lignoſa, raris nodis intercepti, [in minoribus ramulis nodi ſatis crebri ſunt.] *Folia* prima & in caule

caule inferiora superioribus multò majora sunt, omnia supernè secundùm nervos leniter sulcata, nervis aversâ parte extantibus, telâ folii nervos interjacente glabrâ, tenuia, tenera, succulenta, pediculis brevibus, tenuibus, teretiusculis, supernâ tamen parte prope folia pariter sulcatis, nonnihil pilosis sustentata, bina opposita, alternando caulis latera, minimè decidua, sed per hyemem virentia. Supremis geniculis è foliorum alis exeunt calyculi subrotundi margine in quinque lacinias seu radios extremitate incisos dissecto, è quibus mense Maio emergunt *flores* galeati, albi, labio superiore seu galeâ bifido, inferiore trifido, lineis flavis intus variegato. E medio exeunt *stamina* aliquot, apicibus incurvatis, colore flavo. Delapso flore restat in calice *semen* nigrum, Melanthii sylvestris simile. *Radix* longa est, rotunda, tortuosa, variè ramosa & filamentis plurimis fibrosis donata, colore inter album & fulvum medio, medullâ seu nervo medio albo, duro, solido, sed tamen valdè fragili; sapore fabarum recentium. Planta est vivax, & in multos annos durat, quamvis cœlum frigidius & Septentrionales auras non facilè tolerat.

17. *Galeopsis fruticescens Tingitana* Hort. Leydensis.

CAP. XIX.

De Sideritide.

Sideritis ἀπὸ τῦ σιδήρυ, id est, ferro dicitur, ob vim vulnera glutinantem. Sideritis eam vim habet, ut quamvis recenti gladiatoris vulneri alligata sanguinem claudat. *Plin. lib.*12. *cap.*9.

Odore gravi & fœtido cum Lamio convenit, foliorum figurâ differt. Nos sub hoc nomine complectimur omnes verticillatarum species reliquis generibus floribus non spicatis non comprehensas, sed eas præcipue quæ odore cum Lamio conveniunt, sed folia Urticæ non habent.

1. *Herba venti Monspeliensium* J. B. *Marrubium nigrum longifolium* C. B. Ger. Park. *Sideritis Monspeliensium* Lugd.

J. B.

Caules habet cubitales, in multos divisos ramos, robustos, quadratos, rubentes, hirsutos. *Folia* ex adverso sita, Salviæ aut Parietariæ potiùs foliis similia, dura, nervosa, supernè virentia & nitida, infernè subhirsuta & albicantia. [*Folia* nobis visa sunt longiora & acutiora foliis vel Salviæ vel Parietariæ,] ex quorum sinu verticillatim ramos caulémque ambientes nascuntur *calices*, striati, hirsuti, in acutas barbulas desinentes, è quibus *flores* promicant galeati, Verbasci sylv. Matthioli, sed coloris purpurei. Verticilla autem undique plumatis, rigidulis cristis obvallantibus stipantur.

Locus. In aggeribus & ad vias circa Monspelium frequens, nec alibi vidisse memini.

Tempus. Floret Maio, Junio & Julio. Solibus æstivis, imbribus & flatu jam marcescentia folia crebrò pertusa & multifora, quasi vento pervia visuntur, unde nomen inditum.

Sideritis Persica odorata *Zanoni*

Mihi non videtur specie diversa à præcedente. Magnum è radice foliorum cespitem emittit, quorum maxima palmum plus longa, tres circiter digitos lata, solida, cartilaginea, circumcirca argutè denticulata, denticulis duris & veluti pungentibus, superna parte viridia, infernè albicantia nervis duris, ac si ex ære aut stanno in fila ducto constarent, intertexta, tusa odorem aromaticum & resinosum exhalantia, Menthæ Saracenicæ formâ similia, verùm angustiora & longiora, odore multo minùs gravi, substantiâ duriore magísque cartilagineâ, pediculis latis, maxime quà nodis annectuntur, adeò ut eos totos amplectantur, quadrangulis, lanuginosis imò pilosis, subinde rubentibus. Folia gustatu saporem in ore relinquunt nonnihil mordacem & acutum cum multa tamen siccitate mixtum. E cespite folioso dicto multi exoriuntur *caules*, quadrati, sulcati, à medio sursum sanguinei, parte inferiore dilutius virides, bicubitales, quartam unciæ partem crassi, undulati, substantiâ solidâ & durâ, non fragiles, raris geniculis intercepti rubentibus, ad quos bina *folia* opposita, è quorum sinubus exeunt ramuli foliosi foliis minoribus & absque pediculis adnatis. Nodos verticillatim ambiunt uncinuli, hirsuti, arcuati, oblongi, acuti, quorum in medio nascuntur calices quadrati, sulcati, margine in quinque denticulos acutos hirsutos secto, è quorum unoquoq; circa finem Julii exit *flos* galeatus, satis grandis, Salviæ vulgaris similis, colore interiùs rubro ad violaceum tendente, exteriùs albicante, nonnihil lanuginosus, rictu hiante, duabus infernè alis subrotundis, galeâ in punctum terminatâ; cujus in medio multa exeunt *stamina* alba, *apicibus* nigris cum lineâ albâ per medium ductâ capitata. Floribus excussis restat *semen* in calicibus, ovalis figuræ, per longum sulcatum, subrussum, Muris majoris stercori persimile. *Radix* longa flexilis, surculosa & fibrosa, foris ferruginea, intus alba, sapore adstringente & exsiccante.

Hoc modo operosè & prolixè satis hanc plantam describit Jacobus Zanoni, quem adeat Lector qui plura vellet.

E seminibus Persiâ allatis D. Zanoni enata est hæc planta, quæ an diversa sit necne ab *Herba venti* Monspeliensium Lectoris periti judicio submitto. Zanoni diversum contendit, at nobis non satisfacit.

* 2. *Leonurus Capitis bonæ spei* Breynii.

Breyn.
Pulcherrima hæc Lamii species cubitalem obtinet *caulem*, striatum, quadratum sed obtusis angulis, brevi ac incanâ lanugine obductum; binis angustis atque incanis foliis per ambitum serratis, alternatim per longa intervalla hærentibus, ut in Sideritide vulgari, sed longioribus: ex quorum sinubus ramuli similiter quadranguli, minoribus foliis amicti pronascuntur, atque hoc ab imo Caulis ad summos fermè geniculos, quos verticillatim innumeri, teneri, striati, in aculeolos aliquot exeuntes utriculi, pedunculis parvis juxta basin appendiculas more Marrubii falcatas habentibus, insidentes; è quibus *flores* exeunt galericulati, fistulosi, Lamii floribus formâ non absimiles, sed multò longiores, incomparabilisque elegantiæ, ex aureo phœnicei ardentissimi coloris, ac molli lanugine hirsuti, labro demisso parvo & trifido, galeâ longissimâ, pilis holosericeis ex phœniceo pulchrè splendentibus fimbriatâ, quæ priùs quàm è calyce erumpit Lamii instar reflexa, mox verò caudæ Leoninæ instar in sublime erigitur, sub qua *stamina* quædam longissima, apicibus parvis capitulata delitescunt. Elapso florum tempore succedunt pro more *semina* quatuor in quolibet utriculo. Sapor hujus plantæ amarus: odor aromaticus, attamen gravis, infimâ præprimis calyculorum parte, qui etiam duodecimo post collectionem anno contriti eandem pæne quem Marum *Matth.* odorem produnt.

Vere in omnibus ferè pascuis juxta Promontorium bonæ spei floret. *Locus.*

A. 3. *Sideritis Anglica strumosa radice* Park. *Panax coloni & Marrubium aquaticum acutum* Ger. *Stachys palustris fœtida* C. B. *Galeopsis angustifolia fœtida* J. B. **Clowns All-heal.**

J. B.
Radice nititur geniculata, reptante tumoribus inæquali & velut strumosa. *Caules* duorum aut trium cubitorum altitudine, modicè rubentes, hirsuti, asperi, quadrati, inanes, *folia* ex nodis proferunt bina, ex opposito sita, Lysimachiæ purpureæ spicatæ, angusta, acuminata, hirsuta, mollia, exceptâ aversâ folii costa rubescente, nonnihil aspera, per ambitum serrata, odore gravi Galeopseos, sapore subamaro. *Flores* spicati, ex pluribus verticillis conflati, quorum singulares cucullati, purpurascentes, labello variegato. In floris *caliculo* (qui brevis est & in quinque segmenta acuta divisus) quaterna subnascuntur *semina* nigra, nitida, ferè triquetra.

Ad fluvios & in aquosis passim. *Locus.*

Gerardus nostras herbæ hujus efficaciam in vulneribus sanandis, experientiâ cujusdam messoris Cantiani, qui crus sibi falce graviter vulneraverat edoctus, miris illam præconiis celebrat. Folia tusa cum axungia porcina vulneribus recentibus imponit. Hinc nomen Panacis coloni. D. Hermannus Syrupum ex ea paratum optimum esse remedium ad raucedinem perhibet. *D. Palmer.* *Vires.*

4. *Sideritis vulgaris* Ger. *vulgaris Clusii* Park. *vulgaris hirsuta* J. B. *vulgaris hirsuta erecta* C. B. **Common Iron-wort.**

J. B.
Ex lignosa *radice caules* emittit pedales & bipedales, quadratos, hirsutos, ex albido virore flavescentes, [jam surrectos jam depressos, ut rectè Lobelius] ad quorum genicula *folia* exeunt rugosa, hirsuta, unciali aut sextantali longitudine, semunciam circiter lata, in ambitu crenata, sapore exsiccante & adstringente cum calore aliquo. *Flores* verticillati genicula amplectuntur, galericulati, ex albido lutei, labro sanguineis punctis guttato, ex calyculis hirsutis in quinque mucronata segmenta abeuntibus. *Semen* nigrum.

Per Germaniam, Italiam & Galliam in agrorum marginibus vulgatissima est. Æstate floret. *Locus.*

Exsiccat vehementer & astringit, hæmorrhagiam sistit, catarrhos & destillationes à capite compescit. Vulneraria est, intus & extra adhiberi apta, præcipuè in herniis & enterocelis: alba mulierum profluvia compescit. *Vires.*

* 5. *Sideritis hirsuta vulgaris humilior* C. B. *Sid. secunda Clusio capitato flore* J. B.

Clus.
Humilior est priore, neque pedalem excedit altitudinem, in raros divisa ramulos; *foliis* priori similibus, mollioribus tamen: *flores* ampliores, albi, pallescente labro, & paucis rubris punctis asperso, verticillatim in utriculis caulem supremósque ramulos ambientes, breviorem quàm in jam dicta & quasi mutilatam spicam efficiunt, ut in Prunella vulgò dicta, autore Clusio.

Nusquam non occurrit in agris & inter segetes in multis Pannoniæ & Austriæ locis. Floret Julio. *Locus.*

* 6. *Sideritis glutinosa bitumen redolens* Moris. prælud. *viscosa Cretica bitumen redolens* Zanoni.

Dodrantalis est altitudinis, cujus folia ex adverso sita sunt, hirta, glutinosa, caulibus conjugatim adhærentia; contacta manibus aut naribus admota bitumen redolent. *Flores* albos & *semina* reliquorum congenerum modo fert.

Hanc plantam Jacobus Zanoni in Historia suâ Botanica Italico idiomate conscripta pleniùs describit, quem consulat cui satisfactum non est.

* 7. *Side-*

• 7. *Sideritis hirsuta procumbens* C. B. *Sideritis Clusio Hispanica, hirsuta* J. B. • *Sideritis prima, Herba Judaica* Park. *Herba Judaica Lobelii* Ger. emac.

Clus.

Longiore est folio quàm Marrubium, satis ad Salviæ folium accedente, minore tamen, querni ferè folii divisurâ, scabro, villis quibusdam prædito, nec injucundi gustûs, nec odoris. *Caules* fundit quadrangulos, palmum utplurimum excedentes, interdum procumbentes, duros, hirtos, candicantes, quorum summitates per intervalla verticillati orbes coronant ut in vulgari Sideritide: orbes vasculis constant, in quibus *flos* priori par, ex candido nonnunquam purpurascens, quo evanescente *semen* in vasculis nigricans reperitur: *radix* dura lignosa, vivax.

Locus. Frequens occurrit aridis & petrosis Castellæ veteris locis, æstate florens: quibusdam etiam locis in Autumnum usque floribus onusta conspicitur.

Lobelius in Obs. & Icon. atque etiam Dodonæus, assumpta hujus icone eandem eam faciunt cum vulgari primo in loco descripta Sideritide. C. Bauhinus differre hanc à vulgari scribit, quòd illa altior, hæc caules habeat procumbentes, magisque hirsutie candicet. Verùm hæc non sufficiunt ad differentiam specificam (ut vocant) arguendam. Et revera Sideritidis vulgaris caules non rarò procumbunt, suntque infirmi satis. Quid quòd ipse Clusius in Hispanicis, hanc nusquam ferè non occurrere scribat arido & petroso solo per Hispaniam, Galliam, Germaniam; mirum ergo nobis per istas regiones herbas indagantibus nusquam in conspectum se dedisse, si à vulgari diversa sit.

Ego (inquit J. Bauhinus) ferè dicerem Sideritim Hispanicam Clusii eandem esse cum Monspeliensi, nisi Lobelius & C. Bauhinus eam ab illa separarent.

• 8. *Sideritis quarta Clusii, ramulis procumbentibus* J. B. *hirsuta procumbens altera, minimùm crenata* C. B. *parva procumbens* Park. *procumbens ramosa* Ger. emac.

Clus.

Aliquot habet *ramos* procumbentes, quadrangulos, tenues, villis quibusdam obsitos, quos per intervalla contrario semper situ cingunt *folia*, vulgari ferè similia, paulò tamen minora, à medio ad extremum serrata, nonnihil etiam villosa. Summos ramos verticillatim ambiunt vascula, in quibus *flores* prioribus formâ similes, quantum ex delineatione colligere potuit Clusius; nam plantam ipsam non vidit, sed ejus iconem tantum à Jac. Plateau missam: unde neque de colore floris, neque de semine quicquam pronunciare potuit.

9. *Sideritis folio rotundiore* J. B. *altera parva Clusii* Park. *procumbens non ramosa* Ger. emac. *Sideritis* V. *Clus.*

Clus.

Medium *caulem* habet surrectum, quadrangulum: deinde statim à radice multos in latera spargit *ramos*, humi fusos, quadrangulares, quibusdam villis pubescentes, geniculatos, quos bina semper inter se opposita ad singulos nodos amplectuntur *folia*, præcedentis foliis pænè similia, minùs tamen serrata, inter quæ ab imo ad summum usque verticillorum ritu nascuntur in vasculis *flores*, superioribus etiam formâ similes.

Et hujus iconem ad Clusium mittebat Jac. Plateau ipsius manu eleganter expressam.

C. Bauhinus utramque hanc speciem ad idem caput reducit: & ut verum fateor, non possum mihi persuadere, dari tot distinctas Sideritidis species.

• 10. *Sideritis hirsuta pallido flore* C. B. *Sid. flosculis vix è vasculis prominentibus fuscis* J. B. *Sid. angustifolia* Ger. *Sideritis* vi. *Pannonica* Clus. *Germanica parva* Park.

J. B.

Cubitalis est plus minùs planta, *caule* quadrato, hirsuto; *foliis* nequaquam per margines serratis, uncialibus & sescuncialibus, hirsutis: Rami in quos dividitur caulis oppositum habent situm, per quos longâ serie *flores* verticillati, pusilli, intra ipsos calices propemodum occultati, fusco colore inamœni in sicca, calicibus admodum hirsutis, in quinque acutas in spinulam desinentes sectiones divisis. Porro unicuique verticillo bina subjiciuntur adversa folia, multò inferioribus minora, magis tomentosa, nervis secundùm longitudinem donata, æquabili marginum circumscriptione, ad Serpyllum accedentia.

Clusio *caulis* pedalem non superat altitudinem, ab radice statim ramosus: Extremos ramos caulémque foliolorum pallescentis coloris coma occupat. *Radix* albescens, lignosa, aliquot fibris hirta, non vivax.

Locus. Frequentissima est in Pannoniæ Austriæque inferioris arvis inter segetes, macro & sterili solo: floret Junio & Julio.

Huic, diligenter collatis descriptionibus, omnino eandem judico Sideritin montanam parvo flore nigro-purpureo *Col.* cujus tamen descriptionem ne quam speciem temere omisisse arguar, subjiciam.

Sideritis

Sideritis montana parvo varióque flore C. B. *montana Apula versicolor* Park. *Sid. montana parvâ flore nigro-purpureo medio croceo* Col.

Col.
Flos galericulatus est, atque in hoc genere minimus, caput habens hirsutum, nec ab utriculo exertum, ut vix nisi lectâ manu plantâ discerni queat, vario distinctus colore, capite nempe & barbularum oris nigro-purpureis, medio umbilico luteo, collo denique candicante. *Utriculi* verò quinis latis dividuntur nervosis oris, aculeis longis parum hispidis, hirsuto reliquo corpore, seni circa genicula caulis & ramorum. *Caulis* sesquipedalis, ad summum quadratus, rubescens, hirsutus, alis duabus in medio divisus. *Folia* oblonga, ex viridi languentia, albâ, longâ hirsutie obducta, ternis utrinque circa extremum obscuris denticulis serrata, circa imum caulem longis veluti petiolis insidentia, ut circa fastigium & utriculos illis carentia, latiora, ac nervos quinos per longum habentia, nec incisuris divisa, at acuminata. *Semen* angulosum, ex nigro cinereum, quòd angusto pilosóque utriculorum ore occluditur. *Radix* lignosa, parva, fibris divisa atque flavescens. Sapor plantæ dulcis calescens parum, atque palato non ingratus. Aliquando unicaulis, aliquando multicaulis invenitur.

Junio floret, atque æstate perficitur. In sterilibus & saxosis Æquicolorum supra Capuccinorum sylvulam. *Locus.*

11. *Sideritis genus spinosis verticillis* J. B.

J. B.
Caulis huic quadratus, hirsutus, cui ad singulos nodos verticillatim circumnascuntur *flores*, Sideritidis vulgaris floribus similes, candidi, hiantes, non ità exerti, calicibus laxis, duris, in quinque lacinias rigidas, spinosas, supremam omnium longè maximam divisis: unicuique autem verticillo ab imo ramo ad summum usque fastigium duo sunt subjecta ex adverso orta foliola, modicâ hirsutie obsita, serrata ut Teucrii, sed nonnihil oblongiora, angustiora.

In Italia & Gallia Narbonensi prope Monspelium in agris hanc observavimus. *Locus.*

Icon Sideritidis V. Clusii huic plantæ non ità dissimilis est; ut putem hanc illi eandem esse. Nam Clusius ex intuitu duntaxat picturæ descriptionem suam concinnavit, cum icon nuda nullis notis adjectis à Jac. Plateau ad eum mitteretur. Descriptionem vide & confer.

A. 12. *Sideritis humilis lato obtuso folio* Ger. emac. *Sid. hederulæ folio* Park. **Petty All-heal.** *An Sideritis Alsines Trissaginis foliis* C. B?

E *radice* alba, simplici, fibris tenuibus capillata *caules* promit palmares, quadratos, hirsutos, ramosos, *foliis* vestitos ex adverso binis, pediculis longis insidentibus, hirsutis, circa margines crenatis, ungui pollicis paribus aut majoribus, brevibus, obtusis. *Flores* ad geniculos verticillatim caules & ramulos ambiunt, galeati, parvi, dilutè purpurei, tum galea tum labello saturatioribus punctis purpureis notato, è calicibus vix emergentes hirsutis, margine in quinque segmenta acuta partito. *Semina* per maturitatem nigra, ejusdem cum reliquis hujus generis figuræ, quæ quamprimum maturuere statim excidunt è vasculis.

Plantula hæc annua est, Junio & Julio mensibus floret. Inter segetes sæpiùs occurrit, præsertim in Septentrionalibus. *Locus.*

Sideritis Alsines Trissaginis folio *C. B.* in Prodr. cætera huic similis est, figurâ floris differt, qui in nostra planta brevis est: ideóque *Parkinsonus* immeritò à nobis in *Catalogo Plantarum Angliæ* reprehenditur, quòd has duas Sideritides specie diversas fecerit.

13. *Sideritis glabra Betonicæ ferè folio. An Gallitrichum flore minimo albo* J. B? *Horminum minus supinum Creticum Clusii* C. B. Park.

Folia parva Betonicæ ferè figurâ, sed breviora, pariter crenata, glabra, obscurè viridia velut Blattariæ luteæ, pediculis satis longis hærentia: quæ in caulibus sunt paulatim minora, angustiora, acutiora, brevioribus pediculis, & suprema nullis. *Caules* satis firmi, quadrati, hirsuti, ab imo usque valdè ramosi. *Flores* in verticillis ex alis foliorum exeunt; singuli singulis sed brevissimis pediculis donati, albi, labello è luteo pallido, in ipso rictu aliquot rubris punctulis guttato. Galea intus utrinque ad latus lineam habet albam. Folia quæ florum verticillis subsunt reliquis in caule similia sunt. Unum autem verticillum sex flores componunt.

Sideritis hæc nobis succrevit ex semine à D. Covell (ut puto) accepto; qui in Thracia plantam observavit. *Locus.*

14. *Sideritis foliis oblongis glabris* C. B. *glabra oblongo splendente folio* Park.

C. B. prod.
Caules habet quadrangulos cubitales, velut geniculatos, in quorum summitate rarissimi pili conspiciuntur. *Folia* tenuia, pallidè virentia, penitus glabra, quorum inferiora tres uncias longa, unam lata, miniméque serrata sunt: *Flores* formâ quidem Sideritidis vulgatissimæ floribus respondent, sed longiores & majores, galeati & albi, è calicibus asperiusculis prodeuntes ad foliorum exortum, ab imo ferè ad summum caulem verticillatim ambiunt; quibus *semen* parvum, nigrum, inæquale succedit.

A. 15. *Sideritis arvensis latifolia glabra* C. B. Park. Ger. *glabra arvensis* J. B. **Smoother-leaved, yellow-flowered field Iron-wort.**

Radice nititur albâ, lignosâ, fibris aliquot majusculis donatâ, annuâ, sapore subdulci. *Caulis* inde exurgit singularis plerunque pedalis, firmus, quadratus, hirsutus, ramulos fundens ex adverso geminos. *Folia* quàm Ladani segetum dicti latiora, pediculis suffulta, è lata basi in acutum mucronem sensim desinentia, denticulis majoribus serrata, brevi & vix conspicua lanugine hirsuta, ad tactum mollia. *Flores* in summis caulibus & ramulis umbellatim digesti, galeati, tubo longo prominuli, exteriùs pilosi, albidi, cum aliqua flavi aut viridis tinctura. Floris labellum in tria segmenta divisum maculâ intus saturatiore è flavo virenti pingitur. *Calices* florum in quinque spinulas desinunt, *Semina* grandiora fusca continentes.

Locus. Julio mense & circa principium Augusti apud nos in Anglia floret. In occidentali Eboracensis comitatûs parte, viz. circa *Wakefield, Darfield, Sheffield,* &c. inter segetes frequens reperitur. Invenimus & in transmarinis sæpius: miramur autem cur omnibus qui de ea scripserunt Botanicis glabra dicta sit.

A. 16. *Ladanum segetum quorundam flore rubro* J. B. *Sideritis arvensis angustifolia rubra* C. B. *arvensis rubra* Park. *Sid.* 7. Ger. emac. **Narrow-leaved All-heal, or Iron-wort.**

J. B.
Radix huic alba lignosa, plurimas fibras undique spargens. *Caulis* pedalis, simplex, quadratus, nonnihil hirsutus, purpurascens, ramosus. *Folia* ex brevibus & inter se contrariis pediculis bina, angusta, oblonga, atrovirentia, subhirsuta, in acutum desinentia, circa margines dentata, sapore exsiccante. *Flores* propè summitates caulis & ramulorum verticillatim dispositi, galeati, oblongi, purpurei, labello punctis duobus albicantibus notato, interiùs paulò notulis in luteum vergentibus resperso, è calice brevi, patulo, quinque-partito, segmentis in spinulas desinentibus. *Flos* pro plantæ magnitudine amplus est & pulcher.

Locus. Inter segetes passim & copiosè. Floret à mediâ Æstate in Autumnum.

* 17. *Sideritis Heraclea Dioscoridis, sive Sid. marina Salvifolia nostras Donato* Park. *App.*

Park.
Radix huic minimi digiti est, rugosa, sublutea. *Caulis* lignosus, quadratus, ima parte *foliis* Salviæ similibus, sed nonnihil viridioribus cinctus, superiùs adnascentibus Marrubii Cretici similioribus, Summos caules *flores* verticillatim ambiunt Salviæ ferè in modum dispositi, colore albicante aut ex luteo cinereo tincti. Folia commansa Mastichen resipiunt.

Locus. In maritimis sabulosis inter *Perauls* & *Maugio* æstate florentem vidit *P. Magnol. Botan. Monsp.*

* 18. *Sideritis querno folio* C. B. Park.

Caulis huic rectus, paucis ramis, raris *foliis*, latiusculis & in extremo rotundis, incisuris in ambitu inæqualibus sectis, binis oppositis, pediculis brevibus insidentibus, quernis nonnihil similibus. *Flores* parvi in verticillis exiguis circa summos caules, colore pallidè purpureo.

19. *Galeata & verticillata Persicæ foliis* Moris. prælud.

Moris. prælud.
Folia producit Persicæ foliis quoad formam & serraturam adeò similia ut nihil magis. *Flores* autem fert galeatos, subpurpureos, amplos, quorum singulis in calycibus in margine quinquepartitis, Verticillatarum more, succedunt *semina* angulosa quaterna.

Perperàm ergo à nonnullis ad Digitalem refertur.

CAP. XX.

De Hedera terrestri.

HEdera dicta est hæc herba ob foliorum aliqualem similitudinem, & quod hederæ instar in terra repat.

Foliis subrotundis, flagellis reptatricibus, Florum labio superiore, galeam vocant, bifido & reflexo à reliquis Verticillatarum generibus distinguitur.

A. 1. *Hedera terrestris* Ger. *terrestris vulgaris* C. B. Park. *Chamæcissus sive Hedera terrestris* J. B. Ground-Ivy, Gill-go-by-ground, Ale-hoof, or Tun-hoof.

Flagellis tenuibus, quadratis, humi fusis, è geniculis radices agentibus latè se diffundit. *Caules* [qui flores sustinent] tenues, hirsuti, quadrati, rubentes, inanes, infirmi & vix se sustinentes, palmares aut semipedales, *foliis* vestiti per intervalla ex adverso binis, pediculis longis insidentibus, subrotundis aut in acumen modicè productis, per oras crenatis, hirsutis, cùm adhuc tenera sunt & primitùs germinant purpurantibus. *Flosculi* ad caulium nodos in verticillis, è singulis foliorum alis tres quatuórve aut etiam plures exeunt, cœrulei, oblongi, utrinque labiati, labio superiore, seu galeam mavis dicere, bifido, & ad latera reflexo, inferiore in quatuor segmenta diviso, tubo intus saturatioribus purpureis maculis & lineolis variegato, rictu pilis brevibus albis velut lanugine quadam obsito. *Stylus* tenuis, bicornis. *Calix* floris oblongus, angustus, striatus, marginibus in quinque segmenta brevia partitis, flore marcescente in ventrem turgescit, & quatuor semina oblonga continet. Sapor plantæ amarus; odor gravis ad Mentham quodammodo accedit, aut inter Lamium & Mentham ambigit.

Aprili mense apud nos plerunque floret. Ad sepes & macerias.

Tempus & Locus.

Duplex est (inquit C. Bauhinus) major quæ vulgata: & minor elegantior, cauliculis erectioribus, brevioribus, ut & foliis; floribus magis cœruleis, quæ locis humidioribus circa arbores antiquas invenitur.

* 2. *Hedera terrestris montana* C. B. Park. Cam. ep.

C. B.

Priore hirsutior est, foliis majoribus & floribus qui purpurascunt. An hæc specie distincta sit à priore me latet.

* 3. *Hedera Saxatilis* Ger. emac. *terrestr. Saxat. Lobelii* Park. *magno flore* C. B. *Asarina sive Saxatilis Hederula* Ad. Lob.

Ex jejuna & obscura Lobelii descriptione ad quod genus plantarum referri debeat elicere nequeo.

Vires.

Hedera terrestris vulneraria est, tum intrinsecus sumpta, tum extrinsecus adhibita, diuretica, emmenagoga: usûs creberrimi in Tartaro pulmonum & renum resolvendo: quin & ictero conferre dicitur, & ad dolores colicos conducere in clysteribus.

℞ Summitatum Hederæ terrestris nonnihil rubescentium s. q. contusæ formetur in placentam quæ sole fervido statim exsiccata, in pulverem subtilem redigatur, & in vitro servetur. Hæc planta virtutem cum odore & colore optimè ac diutissimè supra omnes conservas aut syrupos retinet: atque in tusse gravi & pertinace inque Phthisi summopere prodest. Sumatur Drachm. ß. ad Drachm. i. bis in die cum aqua destillata aut decocto pectorali. *Willis Pharmaceut. rational.* part. 2. Sect. 1. cap. 6.

Vidi ego utentes quosdam ad torsiones post partum ventri apposita; ac ipse sanè utiliter usus sum. Hujus porrò felicem usum observavi in expellendis vermibus equorum si contusa detur cum Avena. *J. B.*

Hederam terrestrem Angli præsertim Septentrionales in dolia immittere solent ad depurandam seu clarificandam cerevisiam, quod brevi, nempe viginti quatuor horarum spatio præstare solet, unde & nomen Alehoof seu Tunhoof adepta est. Verùm hic mos post receptum Lupulorum usum paullatim desuevit.

Succus hujus plantæ naribus attractus cephalalgiam etiam vehementissimam & inveteratam non lenit tantùm sed & penitus aufert. Medicamentum hoc (inquit autor meus Joannes *Oldacres* ludimagister olim Tamworthensis) quamvis facilè parabile & ubique obvium sit, non satis potest laudari, si res ex usu æstimarentur, auro æquiparandum. Novi quippe qui per decennium & amplius acerrimis doloribus conflictati statim ab ejus usu recreati sunt, nec unquam postea paroxysmum senserunt.

Ad colicum dolorem, ℞ fol. heder. terrest. q. v. infund. in oleo ad Solem æstivum, est singulare remedium injectum & epotum. *Chesneau* ex *Matthiolo*. Communicavit D. Hulse.

Ad calculum, erat qui vino in quo Hedera terrestris infusa esset, addito Saccharo Candi cum successu quidem uteretur, sed & cum dolore cùm arenulas excerneret insigni. *D. Soame*, ex * Observat. Hieron. Reusneri à Velschio editis.

Obs. 167.

4. *Lamium ad Hederam terrestrem accedens* J. B. *Lamium Pannonicum* 3. Clus. *Pannon. tertium Clusii* Ger. emac.

Ex *radice* urticæ vulgari simili plures profert pedales cauliculos, teretes, quadrangulos, frequentibus nodis cinctos: ad quos *folia* oblongis pediculis donata, Lamio vulgari purpureo similia, vel proximè ad Hederæ terrestris accedentia: inter quæ *calyculi* terni, quaterni vel quini, continentes flores Hederæ terrestris floribus formâ proximos, hiantes, nullâ supernè galea eminente, sed latiusculo folio reflexo duntaxat, mixtis coloribus, cœruleo, purpureo & albo insignitos.

Nascentem plantam Clusio nunquam videre contigit, sed ejus duntaxat iconem suis coloribus diligentissimè expressam.

CAP. XXI.

De Moluca.

Peregrina est herba Asiaticæ originis, Constantinopoli primùm delata.

Calycibus florum amplissimis, patulis, acetabulorum æmulis ab aliis omnibus verticillatis primâ facie cùm floret facilè discernitur.

1. *Moluca* J. B. *Melissa Molucca lævis* Ger. *Mel. Molucca lævis, sive Syriaca lævis* Park. *Melissa Molucana odorata* C. B. **Smooth Molucca Baulm.**

J. B.

Caulem habet rectum, sesquicubitalem vel majorem, glabrum, subrubentem, ferè quadratum, satis robustum, paucâ medullâ farctum, in ramos multos satis diffusum, eósque binos oppositos: *Folia* subrotunda, per ambitum serrata [idque profundè] longis pediculis appensa, foliis Marrubii nigri similia, verùm non ità nigra, planè glabra, nervosa. In caule ramisque à medio ad summum usque ex intervallis calices magni, patuli, calathoides, cutanei, nervosi, seni verticillatim digesti, *flosculos* comprehendunt Galeopseos, ex albo purpurascentes, galeâ hirsutâ, apicibus in medio, tandem seminibus succedentibus triangulis. Cæterùm unicuique verticillo folia bina adhærent, longo interveniente pediculo, inferioribus similia: ad pediculorum ipsius exortum spinulæ aliquot longiusculæ prosiliunt. *Radix* lignosa est & fibrosa. Annua est herba cui folia amara, flos ferè insipidus.

Hujus plantæ odor mihi gratus.

2. *Moluca asperior fœtida* J. B. *Molucca spinosa* Ger. emac. *Melissa Molucca asperior sive Syriaca asperior* Park. *Melissa Moluccana fœtida* C. B.

J. B.

Longis nituntur pediculis *folia* circumscriptione ferè rotunda, laciniata, nervosa, fœtida. *Flores* è calicibus verticillatim caulem amplectentibus ex intervallis erumpunt: Sunt autem calices minus patuli quàm in Moluca priore, nervosi, laciniati, quorum laciniæ in longas, rigidas, infestas spinas desinunt.

Tenerior est quàm præcedens, nec ita facilè semen ad maturitatem perducit.

3. *Melissa fruticosa Sicula, calice amplo, patulo.*

In longitudinem insignem excrescit, *caulibus* infirmis, quadratis valdè ramosis. Cortex ramorum antiquiorum cinereus est, juniorum rubens. *Folia* Melissæ vulgaris formâ similia, sed multò minora, circum oras pariter dentata, pediculis satis longis nixa. *Flores* cucullati, albi cum levi tamen ruboris tinctura, labellis punctatis. *Calices* florum eidémque seminum conceptacula qualia ferè Moluccæ, ampla, patula, calathoide, minora tamen, & in quinq; lacinias, tribus superiùs, duabus inferiùs sitis, ad margines secta. *Semina* qualia Moluccæ: odor plantæ gravis.

Locus. In Sicilia circa Messanam, & in insula ad Promontorium Pachynum invenimus hanc plantam, cujus etiam caules nobis perennare videbantur. Pro non descripta hactenus habemus. Calycibus magnis patulis, infundibuli ferè forma cum Molucca convenit.

Ad hanc plantam accedit Lamium fruticosum non maculatum Creticum *Zanoni.*

CAP. XXII.

De Calamintha.

CAlamintha quasi bona & utilis Mentha dicta putatur: nidore enim suo (ut habet Aristot.) serpentes vel accensa, vel substrata fugare solet. C. Hofmanno καλὸς dicitur medium esse vocabulum, quale σιμὸς, &c. ut Calamintha sit mentha horrida, incana, & ingrati odoris. Calamintham enim nihil aliud esse quàm Mentastrum Galeni autoritate inductus sibi persuadet. Dicitur ergo Calamintha κατ' ἐυφημισμὸν. At nobis Calamintha alia res est,& genere à Mentha diversa, cujus notæ sunt flores galeati tubo oblongo, pediculis longiusculis è foliorum sinubus egressis insidentes. Folia & odor Menthæ.

A. 1. Cala-

A. 1. *Calamintha vulgaris* Park. *vulgaris Officinarum* Ger. *vulgaris vel Officinarum Germaniæ* C. B. *flore magno vulgaris* J. B. **Common Calamint.**

J. B.

Per *caules* ramósque quadratos *folia* naſcuntur unciam aut ſeſcunciam longa, ſerrata [leviter tamen] piloſa, odore ſatis grato, à medio ad ſummum uſque ramorum ex alis foliorum *pediculi* duo in plures minores diſſecantur, quibus *flores* inſident è *caliculis* barbatis ſtriatiſque ſemunciales aut paulò longiores [majores enim ſunt quam in ea quæ Pulegium redolet] hiantes, colore purpuraſcente, odore jucundo præditi.

Viget æſtate, à Junio in Autumnum flores ſeménque perficit. *Tempus.*

In Anglia rariùs occurrit ſpontanea, invenitur tamen, in viis publicis, ad aggeres foſſarum & ſepium, &c. *Locus.*

Hujus folia latiora ſunt, majora, & pro magnitudine breviora quàm illius quæ Pulegii eſt odore. Flores autem in ea quæ ſponte apud nos oritur (quantum memini) quàm illius majores non ſunt. Flores enim magnitudine variant, annotante Parkinſono, in Calamintha vulgari: & C. Bauhinus in Prodromo Calamintham vulgarem exiguo flore pro diverſa ſpecie deſcribit.

Calamintha calidior eſt & acrior quàm Mentha, partium tenuium. Stomachica & uterina eſt inprimis: menſes ciet, urinam movet, hepar reſerat, tuſſi medetur. *Schrod.* *Vires.*

Folia Dioſcoridi potu aut illitu demorſis à ſerpente opitulantur: ruptis, convulſis, orthopnœæ, torminibus, choleris, horroribúſque auxiliantur: regium morbum expurgant; præſumpta in vino venenis reſiſtunt: tineas cæteráque interaneorum animalia cum ſale & melle pota enecant: nec ſecus cocta crudáve ſi terantur. Elephantiacos eſitata adjuvant, ſi poſtea ſerum lactis ebibant: apud quem plura vide.

A. 2. *Calamintha odore Pulegii* Ger. *Pulegii odore, ſive Nepeta* C. B. *altera odore Pulegii, foliis maculoſis* Park. *flore minore, odore Pulegii* J. B. **Field-Calamint.**

Caulibus pluribus, cubitalibus, tenuibus, quadratis, rigidis, hirſutis, in apricis rubentibus, ramoſis, in terram reclinatis emergit quotannis. *Folia* ex intervallis oppoſita, parva, hirſuta, raris crenis inciſa, triangularia ferè, odore gravi Pulegii vel ferè Siſymbrii, ſapore acri, vegeto. *Flores* ad genicula verticillati, pallidè purpurei aut cœrulei, tubo longo, labello trifido, pediculis longiuſculis hærentes: Ex ala folii utrinque exit pediculus communis, oblongus, tenuis, plures floſculos peculiaribus pedicellis ſuſtinens. *Calix* floris idémque vaſculum ſeminale oblongus, anguſtus, ſtriatus, quatuor in fundo *ſemina* juncta continet minutiſſima, ruffa.

Seriùs & ſub Autumnum floret. In aggeribus ſepium, ad agrorum margines & vias publicas ſolo præſertim ſteriliore & arenoſo copioſè provenit. *Locus.*

3. *Calamintha montana præſtantior* Lob. Ger. Park. *magno flore* C. B. *flore magno ex calice longo* J. B. **Mountain Calamint with a large flower.**

J. B.

Per *caules* ramóſque quadratos *folia* naſcuntur adverſa, ſemuncialibus pediculis nixa, ſeſcunciali longitudine, paulo minùs lata, ſubhirſuta, profundè in ambitu ſerrata: è quorum uniuſcujuſque ſinu pediculus exit unus, ſemuncialis, quinos, quaternóſve peculiaribus pedicellis geſtans *flores*, patulo hiatu purpuraſcentes, unciali ſupra fimbriatum, ſtriatum, longum calicem longitudine prominentes. *Radix* ſanè multò longior quàm in vulgari.

In montoſis Etruriæ ſylvis, inque montibus propè Max. Carthuſianorum cœnobium. *Locus.*

* 4. *Calamintha folio & flore parvo, incana* J. B. *Cal. incana Ocimi foliis* C. B. *Cal. minor incana* Park. *montana vulgaris* Ger.

J. B.

Caules hirſuti, cubitum excedentes: *ramuli* oppoſiti: in ſummitate *floſculi* hiantes, albidi, gravis odoris, ex binis longiuſculis pediculis bini: *Folia* Majoranæ quædam multò minora, potiſſimùm ſuperiora, vix crenata aut rariùs, valdè hirſuta, inferiori potiſſimùm parte, penè incana.

Cautibus Linguagotticis, calidarúmque regionum innaſcitur. *Lob.* *Locus.*

5. *Calamintha montana Acini aut Serpylli foliis.*

Caules huic teretes, ſemipedales aut dodrantales, ramoſi: *folia* parva, glabra, Acini Anglici *Cluſ.* & illorum in modum rariùs dentata: *Flores* in ſummis caulibus & ramulis verticillati verticillis adeò crebris ut ſpicas longas mentiantur. Verticilli quos diximus conſtant ex floſculis parvis non ſeſſilibus in foliorum alis, ſed multis ſimul congeſtis in pediculo oblongo hinc inde ex alis foliorum egreſſo. Floſculos non vidimus; eorum autem calyces parvi erant margine quinquepartito. Alicubi in Alpibus invenimus.

CAP. XXIII.

De Melissa seu Melissophyllo.

MElissa dicitur hæc herba quia odore ejus apes delectantur in tantum, ut si succo ejus alvearia linantur nunquam diffugiant.

Foliis atrovirentibus Calaminthæ majoribus, odore citri, floribus in uno pediculo è cujusque folii sinu egresso pluribus confertis, non ut in Calamintha sparsis, à reliquis hujus familiæ distinguitur.

1. *Melissa* Ger. *hortensis* C. B. *vulgaris* Park. *vulgaris odore citri* J. B. *unde Citrago Gesnero dicitur.* **Common Baulm.**

J. B.

Apibus gratissima Melissa, ex argumento nomen adepta, *caulibus* adolescit cubitalibus & altioribus, quadratis, lævibus ferè & nitidis, in plures alas, ex adverso sitas, divisis, solidis, duris, rigidis & fragilibus. *Folia* è geniculis bina opposita pediculis circiter uncialibus appenduntur [inferiora in caule longioribus, superiora brevioribus, ut in congeneribus] Calaminthæ æmula [inferiora tamen triplo majora] cum splendore atrovirentia, brevi lanugine hirsuta, per ambitum serrata, odore Citri, sapore acrimoniâ aliquâ linguam feriente: ex quorum alis verticillati *flores* emicant [in duobus fasciculis, hinc indè uno, pluribus simul, perbrevibus pediculis nixis, secus quàm in Calamintha] albidi, pallidéve rubentes, [tubo brevi] supremâ laciniâ bifidâ, labello lateralibúsque duabus laciniis saturatiore, ex calyce hirsuto, striato, [bipartito, superiore parte sursum reflexa & tridente, inferiore deorsum porrecta bifidâ, seu in bina segmenta longa acuta divisa.] *Radix* subest lignosa, multifida, teres, obliquo actu per terram lata, fibris multis albentibus, crebris capillamentis cirratis, profundè in terram demissis.

Locus & Tempus. In Anglia non provenit sponte, quod sciam, sed in hortis duntaxat colitur. Circa Genevam vidit spontaneam in sepibus J. Bauhinus. Floret Junio, Julio & Augusto, Hyeme superficies marcescit radice restibili.

Vires. Melissa inter herbas cordiales recensetur. Hinc Melancholicis tantùm non appropriata est: tristitiam depellit, somnia procreat læta, sensúsque acuit. Hinc in Syncope & palpitatione cordis magnas habet laudes apud Forestum & alios. Commendatur à Rondeletio in Paralysi, Morbo caduco, Vertigine, aliisque cerebri frigidis affectibus cum vino cocta, aut macerata & bibita: à Grataroło in confortanda memoria, & ingenio acuendo quocunque modo comedatur. In remoratis mensibus, & lochiis puerperarum, suffocationéque uteri & flatibus magni usûs est. Emendat insuper fœtorem anhelitûs.

Mulierculæ in Gallia turiones teneros tusos ovis, saccharo & rosaceo excipiunt, placentulásque pinsunt parturientibus, puerperis & enixis quibus vires impendio dejectæ fuerint, & secundæ non probè eductæ.

Extrinsecus usus est in uterinis balneis, cataplasmatis, &c. ictibus venenatis apum, vesparum, &c.

Pro Officinis, monente C. Hofmanno, colligenda est tempore verno, & extra florem, ad quem ubi pervenit jam cimicem olet.

Ad maniam, ℞. fol. Melissæ Mj. minutim incidantur & infundantur in sp. vini ℥iv. add. Margarit. p.p. ʒß. Dosis Cochl. ij. Erat arcanum familiæ cujusdam Monspeliensis. *Riverius.*

Si formulam medicamenti melancholiam refrænantis expetatis (inquit Simon Paullus) hanc accipite, ℞. Conserv. Melissæ ℥j. Boraginis, Buglossæ ana ℥ß. confect. Alkermes ʒj. cum syr. quinque aperientium, cujus jugi usu præmissis Universalibus recordor à pertinaci Melancholia virginem sanitati pristinæ restitutam, quæ insuper chlorosi laborabat.

Nostrates Mulierculæ Melissæ decocto menses sibi concitant & proritant. Novi unam & alteram quæ satis feliciter sibi menses proliciunt Melissâ recenti tibialibus vel sandaliis solùm inditâ. *Simon Paullus.*

Multi cordis tremore laborantes, jam derelicti à Medicis curati sunt sola Aq. Melissæ cum manu Christi *M.* ad consistentiam satis crassam, tempore paroxysmi largiùs adhibitâ.

Quam etiam in epithemate seu potiùs cataplasmate adhibitam, imitatione Helidei de Padoanis Medici Bononiensis & præceptoris sui mira effecisse notavit P. Forest. L. 17. Obs. 1. Ex Observat. Jeremiæ Martii. *D. Soame.*

2. *Melissa Turcica* Ger. *Turcica multis dicta* J. B. *Turcica flore cæruleo & albo* Park. *peregrina folio oblongo* C. B. **Turkey Baulm.**

J. B.

Odor & sapor Melissam arguunt; at *folia* in *caulibus* ramosis, quadratis, subrubentibus, cubitum & sesquicubitum altis, quàm Melissæ vulgaris longiora & angustiora [J. Bauhino sescunciam (*imò duas uncias*) longa, vix semunciam lata, (*imo inferiora in planta vegeta unciâ latiora.*] Lobelius Chamædryis vel Scordii foliis ea comparat, per ambitum serrata, in acutum desinentia. *Flores* verticillatim geniculis circumnascuntur, cœrulei vel albi, labello bifido, bifidóque cucullo breviore, binísque alis exiguis constant, ex spinosis caliculis radiatis exeuntes. *Semen* nigrum, apicello albo, dum adhuc recens est conspicuo, insigne.

Hæc

Hæc planta ex Moldavia ad nos primùm delata est, ubi sponte per se provenit. Observante Parkinsono, semine sata cœrulea albave colorem non mutat, sed quæ flore est cœruleo producit perpetuò plantas flore cœruleo; quæ flore albo, plantas flore albo; quod se per viginti minimùm annos in horto suo expertum affirmat: ideóque has duas varietates specie distinctas esse contendit; nec præter rationem. *Locus.*

3. *Melissa sylvestris hirsutior, minùs odorata; Melissophylli sylvestris genus* Matthiolo.

Hanc in Hetruria prope Liburnum portum copiosè provenientem observavimus. *Locus.*

CAP. XXIV.

De Marrubio nigro.

Foliis & odore Lamii est, à quo differt floribus in singulis pediculis è singulis foliorum alis egressis pluribus confertis.

A. 1. *Marrubium nigrum* Ger. emac. *nigrum sive Ballote* J. B. *nigrum fœtidum, Ballote dictum* Park. *nigrum fœtidum, Ballote Dioscoridis* C. B. **Stinking Horehound.**

Caules cubitales & interdum bicubitales, plures ex eadem radice lignosa perenni exeunt, brevi lanugine hirsuti, quadrati, inanes, ramosi, rubentes, *foliis* vestiti ad singula genicula ex adverso binis, Melissæ aut potiùs Lamii rubri, rotundioribus & nigrioribus, hirsutis & ad tactum mollibus, rugosis. *Flores* verticillatim caulibus adnascuntur, in eodem communi pediculo è folii sinu egresso plures, galeati, pallidè purpurei, saturatioribus lineis intus striati. *Calices* striati, oblongi, in quinque acuta segmenta partiti, quatuor singuli *semina* continent parva, per maturitatem nigricantes. Ex iisdem foliorum sinubus unà cum floribus & ramulis exeunt. Odore fœtido Lamium refert.

Æstate floret in ruderatis & ad sepes. *Locus.*

Hujus folia (inquit Dioscorides) sale trita canis morsibus medentur. Ferventi cinere flaccescunt, ut condylomata reprimant: sordida ulcera cum melle purgant. Plinius eadem iisdem ferè verbis retulit. *Vires.*

Decoctum Ballotes præstantissimum est remedium in hypochondriacis affectibus, itidémque in hystericis *D. Bowle.*

* 2. *Marrubium Hispanicum* Ger. *nigrum Hispanicum, vel Ocimastrum Valentinum Clusii* Park. *Mar. nigrum rotundifolium* C. B.

Clus.

Pedali est altitudine, ramis quadrangulis, villo obsitis: *folia* Ocimi medii formâ & magnitudine, gustu adstringente; circa summos ramos *flores* proveniunt, in orbes dispositi Marrubii instar, Ocimi floribus similes, in vasculis pungentibus. *Semen* quale Marrubio nigrum. *Radix* Urticæ aut Lamii radicum æmula.

Hujus folia (inquit Clusius) tametsi frequentibus venis prædita, Marrubii foliis sunt multò molliora, & minùs crassa, neque ullâ odoris gratiâ.

Provenit copiosè circa rivos ex flumine *Guadaluvia* vulgò appellato, id est album flumen, ductos ad urbem Valentiam in Hispaniis, ubi eam initio Aprilis florentem & semine prægnantem observavit Clusius, nusquam alibi sibi conspectam. *Locus.*

CAP. XXV.

De Cardiaca.

Cardiaca dicitur quoniam peculiari proprietate cardiæ infantium seu cardialgiæ dictæ morbo medetur.

Foliis circumscriptione subrotundis & profundè laciniatis ab omnibus aliis Verticillatarum generibus differt.

1. *Cardiaca* J. B. Park. *Marrubium Cardiaca dictum, fortè primum Theophrasti* C. B. Ger. **Motherwort.**

Caule exurgit bicubitali aut altiore, rigido, firmo, quadrato, inani, non admodum ramoso, foliis cincto ad intervalla longiora binis oppositis. *Folia* autem ima circumscriptione ferè subrotunda sunt, pallidiùs virentia, in tres insigniores lacinias profundè divisa, laciniis circa margines dentatis, venosa admodum & rugosa, brevi adeò lanugine utrinque obsita, ut nihilominus glabra videantur: quæ in caulibus sunt obscuriùs virent, sensim angustiora sunt, & integra ferè, in longam cuspidem desinunt, ad latera utrinque unico dente incisa. *Flores* in verticillis densis ad caulium nodos,

nodos, parvi, purpurascentes, galeati galeâ integrâ, exteriùs lanugine alba densa hirsuti, labello parvo propendente, cum duabus ad latera velut auriculis. Flosculorum singulorum calices sessiles, nullis pediculis, ex alis foliorum orti, patuli, breves, marginibus in quinque spinulas longiusculas divisis. Plurimi autem caliculi densè stipati ex singulis foliorum alis oriuntur, seorsim unusquisque, non plures in eodem communi pediculo.

Folia tam quæ è radice exeunt, quàm quæ caules occupant longis insident pediculis, quod notatu dignum est. Radice est vivaci.

Locus. Incultis, ruderatis & asperis locis gaudet.

2. *Cardiaca crispa.*

Cardiacæ speciem elegantem è semine Londino accepto ortam *foliis* circa margines undatim creberrimè flexis reflexísque seu crispis habuimus.

Vires. Ad cordis affectus à nonnullis commendatur, & tantùm valere existimatur, ut ab effectu nomen invenisse putetur. Verùm Schroderus peculiariter inquit medetur distensioni hypochondriorum & *cardiæ* infantium (quem *affectum cardiacum* seu *cardialgiam* appellant.)

Urinam & menses ciet, pectus à pituita detergit, & lumbricos necat. In pulverem contrita, & cochlearis mensurâ ex vino hausta difficilè parientibus mirum in modum opitulatur. *Matth.* Quoniam uterinis affectibus conducit nostratibus **Motherwort.** i.e. Matricis herba nuncupatur.

Decoctum Cardiacæ, ejúsve siccatæ pulvis cum Saccharo mixtus & exhibitus in palpitatione cordis, lienis morbis & affectibus hystericis admirandæ virtutis & efficaciæ medicamentum est. *D.Bowle.*

A veterinariis & mulo-medicis ad boum & equorum morbos usurpatur cum successu.

CAP. XXVI.

De Herbis verticillatis calyce calceamenti calcaneum imitante.

HArum notæ sunt flosculi oblongi in singulis foliorum alis singuli: calyx clausus seu operculatus crepidæ aut calceamenti calcaneum referens.

A. 1. *Lysimachia cærulea galericulata sive Gratiola cærulea* C. B. *Tertianaria, aliis Lysimachia cærulea* J. B. *Lysimachia galericulata* Ger. *cærulea sive latifolia major* Park. **Hooded Willow-herb, or Loose-strife.**

Radix tenuis, geniculata, alba, sub terra repit, fibris è geniculis demissis. *Caules* quadrati, concavi, rigiduli, glabri, cubitum aut sesquicubitum alti, ramosi, infirmi & in terram reclinati, adeóque fibris è geniculis demissis denuò radicari soliti. *Folia* angusta, longa, acuta, rariùs per ambitum crenata, pediculis brevibus innituntur. Bini flores è foliorum contrario situ in cauliculis quadrangulis nascentium sinubus prodeuntes in anteriorem partem propendent adeò æqualiter & contigui, ut ex eodem sinu orti videantur. *Flores* autem galeati, longi, exteriùs hirsuti, è violaceo in cœruleum languentes, labello punctulis saturatioribus picto. *Calicis* forma peculiaris, calcaneum crepidæ aut calcei imitata, operculo tecta.

Locus. In aquosis ad rivulos & fossas passim & copiosè oritur.

De hujus viribus nihil invenimus à Botanicis traditum.

A. 2. *Lysimachia galericulata minor.* *Gratiola latifolia* Ger. *latifolia, sive nostras minor* Park. **The lesser hooded Loose-strife.**

Radicibus albis, ad intervalla geniculatis, & è geniculis fibras emittentibus longè latéque se propagat sub terra reptans. *Caules* surrigit vix palmares, rectos, rigidos, quadratos, tenues ab imo statim ramosos, foliis crebris ex adverso binis cinctos. Folia autem semunciam aut unciam longa, triangula, è lata basi in acutum mucronem sensim desinentia pediculis brevissimis insident, in opacis glabra, in apricis hirsuta & subinde rubentia. E singulis foliorum alis singuli *flores* exeunt, pediculis brevibus tenuibus, versùs unam partem flexis, galeati, tubo longo, purpurascentes, labello albo purpureis maculis & lineolis variegato, è *calice* calcem Sandalii repræsentante, qui delapso flore fit *vasculum seminale* connivens & operculo tectum, quatuor semina occultans. Sapor plantæ amarus.

Locus. In palustribus Julio & Augusto mensibus floret.

Lysimachia galericulata Urticæ folio.

3. *Lamium peregrinum sive Scutellaria* C. B. *peregrinum, Scutellaria dictum* Park. *Cassida* Col. *à pericarpii formâ Galeam militarem exprimente.* *Lamium Astragaloides* Cornut. *Lam. Hispanicum* Park.

Col.

Hujus *fructus* rotundi sunt & compressi, hirsutie crassâ, asperginosâ viscosâ & odorâ, manus inficiente dum virent obsiti: quorum pars anterior in acutum producitur, fissuram habens oris specie, & desuper velut in fronte limbum elevatum, sui proportione magnum, elatum velut diadema, aut crista obliqua,

obliqua, quâ ornari videtur, ut in militum galeis. Cùm ſiccari incipiunt, os dehiſcentes aperiunt, ſuperiorem criſtatam partem ut in galeis elevando, eo ac ſi miles modo ſuam nudare vellet frontem, ut ſolent æſtu, vel ut meliùs videant, & quatuor oſtendunt *ſemina* intus cohærentia, parva, rotunda, fuſca, verrucoſa; quibus perfectis ac deſiccatis cum ipſis decidit ſuperior pericarpii elata pars, imam tantùm relinquens brevi petiolo hærentem *cauli*; qui ab *radice* parva, urticaceâ, obliquâ, lignoſâ, flavicante, fibroſâ admodum Vere cubitalis producitur vel amplior, ſolidus, in imo rubeſcens, rectus, ſingularis, quadratus, hirſutus, *foliis* circundatus per genicula binis, in imo parvis, ſuperius majoribus, obſcurè virentibus in umbroſis, ſed in apertis locis ex viridi languentibus, hirſutis, mollibus, petiolis à caule recedentibus, circumſerratis, & dentibus retuſis Meliſſophylli modo, cui figurâ & magnitudine ſimiliora ſunt, non ita rugoſa, ſed Lamii modo plana. E foliorum ſinubus *rami* exeuntes ad ſingula genicula bini, *caulem* dividunt: in quorum & caulis ſummo foliola ſunt anguſta, parva, acuminata, lævia florum baſes exiſtentia, ut in Hormino & ſimilibus, binos *flores* purpureos galericulatos, Lamii modo oblongos proferentes, non obliquos ſed erectos cervice, & uno verſu diſpoſitos, collum habentes longum, albeſcentem: particulatim ab imo floret per longam veluti ſpicam Maio & Junio menſe, atque Æſtate perficitur.

Locus. In Italia circa Florentiam, Liburnum & alibi eam obſervavimus. Florum & calicum reſpectu magnam habet cum Lyſimachia galericulata dicta ſimilitudinem, unde eam primo aſpectu Lyſimachiam galericulatam Urticæ folio denominavimus.

Locis incultis intra ſepes collium & montium humentia & ſaxoſa amans loca reperitur. Folia amara ſunt admodum, ingrata, parum vel nihil odora. *Col.*

Variat flore ex albo pallente, foliis latifoliæ Calaminthæ ſimilibus, candidis.

Huic ſimillimum eſt, & (ut puto) idem Lamium Aſtragaloides *Cornuti.*

* 4. *Scutellaria Americana Malvæ folio,* Moriſ. prælud.

Moriſ.
Folia emittit Malvæ foliorum quoad figuram quodammodo æmula, ſed majora, è quibus proſilit *caulis* ſeſquipedalis, rectus, plurimos in faſtigio fundens *flores* verticillatos, galeatos, quibus evanidis ſuccedunt capſulæ tali inſtar qui ſupponitur mulierum calceis ſi poſteriùs inſpiciatur capſula, ſi autem ſuperiùs conſideratur capſula ſeminalis, ſcutellam omnino refert, cavitate ſua in ſuperiore parte.

Cap. XXVII.

Verticillatæ herbaceæ flore galeâ carente.

De Chamæpity.

Chamæpitys, id eſt humilis Pinus, à foliorum ſimilitudine dicitur, vel humilis Picea, quòd folia Piceam oleant. Latinis Ajuga dicitur ſeu Abiga, quòd fœtum abigat & abortus faciat: nonnullis Iva arthritica, quòd arthritidi medetur.

Chamæpitys foliis Pinûs æmulis, & odore reſinoſo à reliquis ſui generis differt. An ad Suffrutices, an ad herbas referenda ſit dubito. Ob parvitatem ſuam & cauliculos teneriores herbis potiùs annumerandam duximus, quamvis caules in nonnullis ſpeciebus interdum perennent.

A. 1. *Chamæpitys vulgaris* Park. *vulgaris odorata flore luteo* J. B. *lutea vulgaris, ſive folio trifido* C. B. *Cham. mas* Ger. **Common Ground-pine.**

J. B.
Plantula eſt palmaris, nonnunquam vix unam aut duas uncias alta, *radiculâ* ſatis longâ, ſimplici & durâ. *Coliculus* teres, hirſutus, propter terram rubeſcens, cætera ex herbido in luteum vergens, quemadmodum & *folia*, quæ ex brevibus intervallis ad nodos gemina oppoſita naſcuntur, hirſuta, aviculæ digitatos pedes ſive tridentem imitata, ſapore & odore picis aut reſinæ: ex quorum alis *flores* emergunt luteoli, labello latiore, bifido, ſuperiore parte punctulis rubris guttato; galeæ verò vice ſtamina promunt dilutè purpuraſcentia, *Semina* in calyculis quaterna, triquetra ſuccedunt, ut in aliis verticillatis. [Floris tubus in ventrem turgeſcit, & vaſculi ſeminalis vicem præſtat.]

Locus. In agris reſtibilibus, ſed rariùs in Anglia provenit.

Vires. Nervoſum genus roborat. Pilulas contra paralyſin vide apud Matthiolum; incidit, aperit, diuretica eſt & emmenagoga: fœtum mortuum & ſecundinas pellit, adeóque potenter operatur, ut uſus ejus in utero geſtantibus omnino interdicatur, quoniam abortum facit. Verùm in iſchiadicis & Arthriticis affectibus præcipuæ æſtimationis eſt decocta in vino, vel in pulverem redacta & cum Hermodactylis & Terebinthina Veneta in pilulas compoſita. Eædem pilulæ ad Hydropem valde utiles eſſe perhibentur, uſu eorum per aliquod tempus continuato. *N.* J. Bauhinus ab Hermodactylis cavendum monet. Exteriùs abſterſione promovet vulnerum & ulcerum ſolidationem, duritierum diſcuſſionem, &c.

* 2. *Chamæpitys folio non laciniato* J. B. *incana exiguo folio* C. B. *odoratior* Park. *Chamæpitys* 3. *Dodonæi* Ger.

Adv.
Radice fibrosa Sonchi aut Dentis leonis minore: *ramulos* profert, palmum altos, humi stratos & *foliolis* septos Sempervivi minoris aut potiùs Vermicularis, minùs carnosis, sed incanis & hirsutis, in quibus *flosculi* ex melino albidi. Suaviorem spirat odorem, interdum uliginosum uti usnea muscúsve quernus aut cedrinus.

Locus. Minùs nota hæc & paucis locis obvia (inquit Lobel.) collibus aridis & arvis editioribus Niceæ Sabaudæ & Genuæ Ligusticæ, circum urbem Penem in Italia fruticat, ut quidam affirmant.

Adeò confusè & obscurè de hac planta scribunt Botanici, ut ipsis minùs cognita fuisse videatur: Consule J. Bauhinum.

3. *Chamæpitys moschata foliis serratis, an prima Dioscoridis?* C. B. *Cham. sive Iva moschata Monspeliensium* J. B. *Iva moschata Monspeliaca* Ger. *Anthyllis altera Herbariorum* Park.

Complures ab *radice* crassiuscula, longa fundit *caules* lignosos, palmares aut dodrantales, hirsutos: per quos *folia* crebra, villosa, albicantia, duas trésve uncias circiter longa, vix semunciam lata, quà cauli hærent angustiora, unâ aut alterâ circa medium apophysi Coronopi instar donata, aliquando circumcirca integra sibíque similia, unico nervo per longum decurrente. *Flores* satis magni, purpurascentes, hirsuti, patulo rictu hiant. *Semen* nigrum, crispum, sublongum, vermiculi instar aliquantulum incurvum in utriculis lanuginosis.

Locus. In saxosis collibus circa Monspelium & alibi in Gallia Narbonensi provenit: invenimus & in insula ad promontorium Siciliæ Pachynum dictum.

* 4. *Chamæpitys Austriaca* Clus. Ger. *Austriaca Clusii* Park. *cærulea Austriaca* C. B.

Clus.
Elegantissimum est hoc genus, numerosos cùm adolevit proferens *caules*, pedales, nonnunquam etiam duntaxat palmares, quadrangulos, firmos, lanugine onustos, frequentibus nodis cinctos, quibus utrinque sibi opposita innascuntur *folia*, Chamæpityos vulgaris foliis similia, latiora tamen, & in quatuor aut plures lacinias divisa, supernè viridia & splendentia, subtus nervosa & nonnihil incana, odoris non injucundi, gustûs calidi, non ingrati tamen: Ex singulis alis nascuntur ramuli similiter quadranguli, frequentibus foliis Ajugæ similibus septi, durioribus tamen, qui deinde alia oblonga in alis foliola, angusta mucronata, Libanotidis coronariæ senescentis foliorum pæne æmula gerunt. Summos ramos verticillatim ambiunt rigidiusculi caliculi è quibus exeunt *flores* Ajugæ tertiæ floribus formâ non dissimiles, sed longè majores & elegantissimi, colore saturæ purpuræ & violaceo, inferiore tamen & propendente labro nonnihil candicante, & sanguineis guttis resperso. *Semina* in singulis caliculis, pro more, quaterna, oblonga, angulosa, colore nigro & splendente prædita. *Radix* nigra, dura, multis fibris capillata, & singulis annis novos caules proferens.

Locus. In jugo summo montis cujusdam $1\frac{1}{2}$ mil. Viennâ Austriæ distante tenui, nigróque solo, invenit Clusius.

Tempus. Flores profert sub finem Maii & Junii initio, quo etiam mense semen plerunque maturitatem acquirit.

* 5. *Chamæpitys adulterina sive Pseudo-Chamæpitys* Park. *Cham. spuria, multifido folio, Lamii flore* C. B. *Cham. spuria altera Dodon.* Ger. emac.

Clus.
Pusilla est planta, Ajugæ valdè similis, cum cauliculis, tum foliorum trifidorum formâ, hirsuta tota, subsalso gustu & inodora, nisi ingratum quidpiam & herbaceum oleret. *Flores* extremis ramis ex alis prodeunt. Ajugæ floribus non dissimiles, majoris tamen paulò & albi. *Semina* subsequuntur quaterna in singulis caliculis seu utriculis, cineracei coloris, majuscula & fermè orbiculata. *Radix* crassiuscula est, subalbida & perennis, quantum conjicere licuit.

Locus. In Hispaniis provenit, locis incultis, æstate flores producens.

CAP.

Cap. XXVIII.

De Bugula sive Consolida media.

Bugula Gallicæ originis vox est; Gallis enim *Bugle* dicitur hæc herba.

Notæ ejus sunt, præter communem huic generi, nimirum florem galeâ carere, sunt caules duûm generum alii repentes & teretes, alii quadrati, erecti, flores sustinentes, in spicam laxam dispositos.

Bugula cærulea Alpina non repit clematibus, verùm à Prunella differt foliis productioribus, extremo rotundioribus & circa margines dentatis; florum spicis longioribus & laxioribus.

A. 1. *Bugula* Dod. Ger. *vulgaris flore cæruleo* Park. *Consolida media pratensis cærulea* C. B. *Consolida media quibusdam Bugula* J. B. **Bugle.**

J. B.

Quadrato, inani, hirsuta & aliquantulùm cyaneo assurgit *caule*, palmari aut semipedali: *foliis* Anagallidis aquaticæ majoris nonnihil serratis, binis oppositis, per intervalla nascentibus, colore vel violaceo, vel purpurascente, vel virente; sapore primo occursu subdulci, mox amarescente & adstringente, inferioribus ex satis longis pediculis ad Bellidem accedentibus; clematibus longè se spargentibus. *Flores* ex foliorum alis calici insident sessili, brevi, hirsuto, cyaneo, quinquepartito cærulei variati, labello Orchidis alicujus similes, in quatuor segmenta, duo lateralia productiora, inferiora totidem minùs alta sed magis lata abeuntes, nullâ galeâ alisve ut Orchides & Lamia, apicibus & stylo cyaneis, sapore melleo si caudicellam qua calici hærent, suxeris. *Radix* tenuis fibrosa majore adstrictione quàm folia gustum movet. Hactenus J. Bauhinus.

His adde caulem hujus plantæ ab omni latere non esse hirsutum, sed duobus oppositis tantùm, idq, alternatim ad singula internodia, ut in foliis fit. Singulis flosculis quatuor in imo calice succedunt semina simul juncta, ut in reliquis hujus generis fit. Florum verticilli proximè admoti spicam quandam mentiuntur. P. Renealmus plantam hanc διϕλκαυλον inscribit, quia duûm generum caules obtinet, alios tenues, teretiusculos, humi repentes, quibus se propagat, alios erectos, quadratos, flores sustinentes.

Variat floris colore cœruleo, carneo, albo.

Locus & Tempus. In sylvis & pratis humidis frequentissima occurrit, & apud nos Maio mense floret.

Bugulam carneo flore *Clus. Park.* mediam pratensem purpuream *C. B.* à descripta specie diversam esse neutiquam concesserim.

Bugula flore luteo. Consolida media flore luteo *C. B.* Bugula flore luteo *Park.* Hæc, inquit *C. B.* cæteris multò minor est, foliis rotundis crenatis, flore luteo, quam ex Anglia habemus.

Nobis incognita est, nec usquam quod scimus in Anglia sponte provenit. Varietas tantùm vulgaris Bugulæ esse videtur.

Vires. Viribus cum Prunella convenit. Vulneraria est tam intrinsecus quàm extrinsecùs adhibita. Confert & ictero, hepatis obstructioni, urinæ retentioni, &c.

Gallis vulgo dicitur illum Chirurgi operâ non indigere qui Bugulam & Saniculam habuerit.

Commendatur Bugula ad disrupta, fracta, convulsa cæsaque; idcirco & potionibus vulnerariis additur, in quibus tanta ejus vis esse dicitur ut sanguinem concretum resolvere ac discutere valeat. Præsens remedium esse dicitur aphthis & ulceribus in ore serpentibus.

Unguentum è foliis Bugulæ, Scabiosæ & Saniculæ tusis & in axungia bullitis ad siccitatem usque, & deinde expressis ad omne genus ulcera, contusiones & vulnera sananda plurimum valere scribit Parkinsonus, qui ejus usum nobilibus matronis commendat.

2. *Bugula cærulea Alpina* Park. *Consolida media cærulea Alpina* C. B. *An Consolida media Genevensis* J. B?

Ex *radice* fibrosa *caulis* quadratus, striatus, leviter hirsutus inanisque consurgit, quem *folia* oblongis pediculis donata, angusta, trium unciarum longa, per ambitum incisa, leviter hirsuta cingunt. *Flores* galericulati, cœrulei, è quorum medio filamenta quædam prodeunt, in cacumine quasi spicâ congesti sunt.

Ab hac non puto differre specie Consolidam mediam Genevensem, quam & nos circa Genevam atque etiam Basileam frequentem observavimus. A vulgari differt *caulibus* ab una radice pluribus erectis; *foliis* minoribus, oblongioribus, & superioribus profundiùs crenatis quódq; clematis careat.

3. *Bugula odorata Lusitanica* Cornuti, Park.

Corn.

Radicem habet nigro capillitio fibrosam, nequaquam humi repentem: ab hac succrescunt quatuor aut quinque *cauliculi*, rotundi, hirsuti, geniculati quâ parte folia exeunt; quæ *folia* longa sunt hirsuta, atrovirentia, duabus aut tribus laciniis, recurvum dentem referentibus utrinq; divisa: quò autem inferiora sunt ac terræ propiora eò ampliora, quò remotiora eò breviora & angustiora, ut ferè tandem capillari tenuitate appareant iis in partibus in quibus flores interpositi sunt. *Flores* enim inter foliola caulem à medio ferè ad apicem usque verticillatim ambiunt, & intermediis foliolis illis obducto veluti sepimento muniuntur. *Flores* sunt violacei coloris, in tubulum efformati, cujus extremum alterum ab exiguis calicibus prodit, alterum, ut in Bugula nostrate, dum hiat, rictum quendam

dam mentitur. Decusso flore (quod circa Augustum mensem accidere solet) calyculus *seminibus* albis turget, quæ novam sequente anno progeniem subministrat. Seritur mense Martio.

Tota planta odoratissima est, jucundissimique aspectûs, & apud nos proceritate vix pedem implet.

CAP. XXIX.

De Scorodonia seu Salvia agresti.

Scorodonia ab odore Allii quem exhalat, Salvia à foliorum similitudine dicitur, sylvestris potiùs quàm agrestis dicenda quoniam raro extra sylvas & dumeta seu frutecta invenitur.

His autem duabus notis, nimirum odore Allii & Salviæ foliis à reliquis hujus generis cum flore galea carente differt, quibus adde flores ex singulis foliorum alis singulos, quá notá convenit cum Lysimachiis galericulatis.

Scorodonia sive Salvia agrestis Ger. *Scordium alterum sive Salvia agrestis* C. B. *Scorodonia sive Scordium alterum quibusdam, & Salvia agrestis* Park. *Scordotis sive Scordium folio Salviæ* J. B. **Wood-Sage.**

J. B.

Radice nititur flexuosa, dura, repente, fibras tenues interdum longas demittente; ex qua *Caules* eriguntur plures, cubitales & bicubitales quadrati, hirsuti, purpurascentes vel nigricantes, medullâ albâ farcti, ad quorum genicula *folia* exeunt ex intervallis gemina opposita Salviæ vel Betonicæ nisi acutiora essent, ad Urticam quodammodo accedentia, rugosa, atrovirentia, scabra squallidáque, pilosa, per ambitum serrata, sapore amaro. Summus caulis in *surculos* aliquot dividitur, in quibus spicatim digeruntur *flores* in unam partem vergentes, ex singulis foliolorum adversorum alis singuli, adeóque bini simul, brevibus pediculis, colore herbaceo, vel candido pallido, ex quorum rictu loco galeæ *stamina* exeunt purpurascentia; è calice cujus segmentum superius integrum est & sursum reflexum, inferius in quatuor denticellos seu spinulas dividitur. *Semina* fusca, Ocymi granis similia.

Locus. In sylvis & dumetis.

Vires. Hujus decoctum urinam & menses ciet; in lue venerea utiliter exhibetur. Vulneraria est è præcipuis, sive interiùs sumpta in potionibus, sive exterius applicata.

Viribus cum Scordio convenit, & Gesneri judicio ad remedia Scordio præferenda fuerit. Hildanus hanc miris laudibus in ulceribus gangrænosis celebravit, & duplicata dosi Scordio substituit.

Sunt qui hujus decoctum lue Venerea infectis non infeliciter propinant. *Dod.*

CAP. XXX.

De Scordio.

Scordium dicitur hæc herba, quòd ejus folia trita odore Allii acri nares feriant.

Odore Allii, foliis & facie Chamædryos, loco palustri & reptatu ab aliis hujus generis abunde distinguitur.

A. 1. *Scordium* J. B. C. B. Ger. *legitimum* Park. **Water-Germander.**

J. B.

Præsentis ad venena remedii commendatione Scordium inter reptantes plantas reponimus: *caules* palmares ac majores interdum, ramosi, geniculatim progredientes, demissis fibris Pulegii modo terram comprehendunt, partim surriguntur, plures ex *radiculis* capillaribus, hirsuti, quadrati, inanes: *Folia* Chamædryos oblonga, rugosa, serrata, tactu mollia, hirsuta, albicantia, odore Allii sed remissiore & gratiore, sapore amaro: ex eorum alis ramuli etiam pronascuntur. *Flores* indidem quoque undique per caulem quaterni, Chamædryos floribus persimiles, colore rubentes, scutellatum labellum demittentes, quatuor ansis superiore parte donatum galeæ loco, quæ huic ut Chamædryi nulla: *Staminula* prosiliunt purpurascentia: emicant autem flores ex folliculo in quinque mucrones partito [quod omnium fere verticillatarum floribus commune est] lanuginoso, pediculo brevi rubescente: *Semen* minutum.

Locus. In palustribus Eliensis insulæ copiosè provenit.

2. *Scordium alterum lanuginosum verticillatum* C. B. *Scordotis Plinii primum* Park. *Scordotis tomentosa Cretica* J. B.

Bell.

Folia tomentosa Menthastro Marrubióque albo similia profert: per terram in orbem diffunditur, multis ramis è *radice*, quæ magna & perennis est, prodeuntibus, quadrangulis, tomento albo obsitis ut Marrubium, in quorum summitatibus *flores* Marrubii albi in quadam magna spica hærent, quibus succedit *semen* nigrum. Tota planta major & crassior est Scordio vulgari.

Nascitur

Naſcitur ubique inter ſaxa, ſecus vias & in marginibus agrorum. Allii odorem ut Scordium refert, & in tota ferè Creta Seplaſiarii pro Scordio promiſcuè hâc herba utuntur. Alpinus in exot. plantam hanc prolixiùs deſcribit, quem conſule.

3. *Scordotis altera Plinii Ponæ Ital.* Park.

Caulibus erectioribus, ramoſioribus aſſurgit; foliis ſimilibus ſed majoribus, rotundioribus denticulis inciſis. Caules & ramuli in ſpicas floſculorum rubentium deſinunt.

Scordium Alexipharmacum ac ſudoriferum eſt; uſus præcip. in peſte peſtilentialibúſque morbis, febribus malignis, (tam præſervando quàm curando) in obſtructionibus epatis ac lienis, in pulmonibus purulentis ac mucilagine refertis, extrinſecus mundificat vulnera & ulcera, lenit dolores podagricos. *Schrod.* *Vires.*

Sunt qui in menſium profluvio cum ſucceſſu exhiberi velint. *Idem.*

Succus ejus ſeu pulvis valet ad lumbricos inteſtinorum. Verùm præcipua vis eſt in veneno expellendo, & adverſùs peſtem alióſque morbos contagioſos.

Ex hac herba paratur Electuarium inde Diaſcordium denominatum; eximii uſûs ad omnes prædictos affectus. Cardiacum eſt inſigne & uſurpatur in iis individuis in quibus Theriaca & alia calida locum non habent. Nutrices noſtræ parva doſi etiam infantibus exhibent ad tormina inteſtinorum.

Gaſp. Guitmannus Med. Auguſtan. plurimos bubones peſtilentes ruptos & ulcera maligna curavit feliciter ſolo pulv. Scordii, & nondum ruptos aperiebat. D. *Soame* ex * Obſervat. Hieron. Reuſneri. * *Obſ.* 1?

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER DUODECIMUS.

De Herbis semine nudo Polyspermis,

HOC EST,

In quibus singulis floribus plura quatuor succedunt semina, nullo certo aut definito numero.

PRO seminibus nudis habeo quæcunque folliculos aut tegmina privata, (siquæ habeant aut habere videantur) sponte non exuunt, verùm iis induta à planta matre abscedunt. Hinc semina Malvæ pro nudis habeo, quia privatos folliculos sponte non exuunt. Seminum tunicæ Animalium secundis respondent, conceptacula utero; quod ergo cum semine excidit pro secundis hoc est, seminis tunicis habendum est. Si cui aliter videtur, suo per me licet fruatur judicio.

Herbæ semine nudo polyspermæ, hoc est, in quibus singulis floribus plura quatuor succedunt semina nullo certo aut definito numero, sunt vel flore.

- *Perianthio tecto*
  - *Triphyllo*, flore
    - Tripetalo aquaticæ, foliis
      - *Plantagineis* : PLANTAGO *aquatica*
      - *Sagittæ cuspidem referentibus* : SAGITTARIA.
    - Polypetalo, calice
      - *Cum flore deciduo*, foliis integris, radicibus tuberosis: semine perfecto, brevi marcescente superficie, radices perennant; CHELIDONIUM MINUS.
      - *A flore superstite*, foliis tripartitò divisis, floribus cœruleis, albis aut carneis; HEPATICA *nobilis*.
      - Utraque hæc planta primo vere floret; prioris autem flos flavus est.
  - *Pentaphyllo*, unà cum flore deciduo, seminibus in globulum echinatum congestis, flore
    - *Pentapetalo*; RANUNCULUS
    - *Polypetalo*; foliis tenuissimè dissectis, radice
      - *Perenni*, flore flavo; HELLEBORUS *niger ferulaceus*.
      - *Annua*, *flore rubro aut flavo*; FLOS ADONIS, *Eranthemum*.
  - *Octaphyllo*, seminibus in rotulæ aut caseoli formam circumactis, foliis [in malvis roseis calyx geminatus est & uterque calyx in quinque lacinias divisus]
    - *Integris*; MALVA: quæ folio est productiore & anguloso *Althæa* dicitur.
    - *Dissectis*, seu laciniatis; ALCEA.
  - *Decaphyllo* seu in decem segmenta diviso, à flore superstite, seminibus

Caudatis,

{*Caudatis*, appendicibus unciniatis aut plumosis adhærentibus, foliis pinnatis, radice aromatica; CARYOPHYLLATA.
{*Nudis*, absque ullis appendicibus, foliis venosis

{*Digitatis*, in eodem pediculo

{*Ternis*, seminibus

{*Pulpæ molli esculentæ innascentibus*, flagellis reptatricibus; FRAGARIA *fertilis*.
{*Siccis* non reptatrix; FRAGARIA *sterilis*.

{*Quinis aut septenis*, flore

{*Pentapetalo* aut polypetalo; PENTAPHYLLUM.
{*Tetrapetalo*; TORMENTILLA, *Heptaphyllum*.

{*Pinnatis*,

{*Incanis* aut *tomentosis*, reptatrix; ARGENTINA.
{*Virentibus*, erectæ aut provolutæ; PENTAPHYLLOIDES.

{*Nudo*, absque perianthio; v. Tab. seq.

His annumeranda est *Sagittaria aquatica* quæ flore est tripetalo: v. in capite de Anomalis.

CAP. I.

De Chelidonio minore.

CHelidonium χελιδόνιον à χελιδὼν *Hirundo*, *Chelidonium visui saluberrimam Hirundines monstravere, vexatis pullorum oculis eâ medentes: quibusdam sic dictum quod in Hirundinum adventu floreat, & discessu marcescat.* Plin. *l.* 8. *c.* 27.

Posterior ratio nobis magis arridet.

Chelidonium calyce triphyllo cum Hepatica trifolia convenit, ut & flore polypetalo; ab eodem differt calyce cum flore deciduo, ut in Ranunculis, & foliis integris subrotundis.

Possent autem hæc duo genera, nec minùs commodè cum Flore Adonidis & Helleboro ferulaceo conjungi, ob florem polypetalum: nec multum interest.

A. 1. *Chelidonium minus* Ger. Park. *Chelidonia rotundifolia minor* C. B. *Scrophularia minor sive Chelidonium minus vulgo dictum* J.B. **Pilewort or the lesser Celandine.**

J. B.

Plantula est palmaris, aliàs paulo major minórve: quæ quotannis nova *radice* foliis & flore, sicut Satyriones & Aron, reviviscit. Ea [radix] nobis insipida est, partim bulbulis aliquot, modò pyriformibus, modò longis, ferè teretibus aut ventricosis utrinque acutis, modò rotundis, foris pallidis, intus albis; partim fibris multis candicantibus constans: unde emergit *cauliculus*, secundùm terram albicans, supernè dilutè purpurascens, imâ parte geniculo donatus, ex quo oriuntur *folia* bina opposita, longis pediculis ex lato principio coloris carnei, sensim in angustum virescens desinentibus, aliquatenus hederacea, sed molliora, minora, rotundioráque, splendentia, nervosa, maculis albis interdum notata, (sicut & bina illa quæ statim è radice oriuntur) indidémque ex alis foliola minora, magisque angulosa, simili colore & nitore splendentia, glabra. Reliqui caulis folia profundiùs incisa Hederæ helicis repentis foliis proxima, alterno plerunque situ, brevioribus pedicellis virentibus appensa. Summo fastigio ramulorum insidet *flos* unus, Ranunculi æmulus, ex octo aut novem foliolis, aureo fulgore radiantibus, unguibus chloris, compositus, è *calice* tribus brevibus & carinatis foliis constante exiens, in medio habens *staminula* multa crocea, ex tenui latescentia, aversâ parte sulcata. Succedit *capitulum* Ranunculi echinatum, è viridi luteum ex seminibus congestum. Floris & foliorum sapor herbaceus.

Vidi in hac planta, cùm jam defloruerat, & marcescere incipiebat, bulbulos tritici granorum æmulos ex ipsis foliorum alis succrescentes.

Apud nos in Anglia sub finem Martii & Aprilis initio floret. Maio flores & folia evanescunt, radicibus in terra ad ver usque proximum latitantibus. *Tempus.*

Nascitur (ut rectè Dod.) in pratis, secus vias, in scrobium fossarúmque marginibus, uliginoso præsertim solo. *Locus.*

Veteres Chelidonio suo minori insignem acrimoniam attribuunt, cujus nostrum particeps non est; proinde haudquaquam confert iis morbis quibus Chelidonium Veterum. Hanc differentiam loco attribuunt C. Hofmannus & alii. De hoc inquit observandum fieri quod in Aro, Asphodelo, aliis, ut radix quibusdam locis valdè acris sit, quibusdam dulcis & edulis: ego specie differre suspicor Chelidonium minus Veterum, & Recentiorum. Schroderus radices hujus refrigerare & humectare scribit. *Vires.*

ſcribit. Utiles eſſe in ictero, ſcorbuto, hæmorrhoidum fluore. Extrinſecùs ſpecificè mariſcos ſive ficos ani curare, dentiúmque putredini maximopere ſubvenire.

Hofmannus hoc inquit ſcio ex fide dignis, radices tam eſſe aptas hæmorrhoidibus ut appropriatæ dicantur. Ideò non tantùm abluunt decocto ex vino, ex urina propria, ſed vel per pulverem aſpergunt, vel emplaſtri modo imponunt; imò amuleti loco geſtant. Audivi, qui diceret, non exteriùs tantùm extinguere dolorem, ſed & interiùs, in reddendo conſueto illarum fluxu.

Duplicem ſignaturam gerit hæc herba, alteram ſcorbuti, purpureas maculas in foliis: alteram ficorum ani tumentium, radicum tubera.

Radix recens impoſita funditus extirpat ſtrumas & ſcrophulas, unde & nonnullis Scrophularia dicitur, Planta calida eſt & acuta, quia ſale acri pollet. Nam aqua deſtillata eſt acris. *D. Hermans.* Habui ex relatione *D. Palmer.*

* 2. *Chelidonia rotundifolia major* C. B. Park. The greater Pile-wort.

C. B.

Hujus *radix* fibroſa eſt, quibus aliquot oblongi teſticuli adhærent. *Foliis* eſt ſubrotundis, craſſis, lævibus, ad foliorum Aſari magnitudinem accedentibus, ſed nonnihil quandoque ſinuatis, pediculis ſemipalmaribus donatis, & humi procumbentibus. *Cauliculo* palmo minori *flos* inſidet calyce triphyllo, membranoſo ſuſtentatus, qui pallidè luteus, magnus, vulgari quadruplo major, ex quinque vel ſex foliis, quorum ſinguli ad medium fiſſi ſunt, componitur, & ad ejus umbilicum ſtamina plura ruſeſcentia conſpiciuntur.

Locus. Monſpeſſuli locis humidis provenit.

D. Magnol ſe ſimilem circa pontem Caſtri novi vidiſſe ſcribit, quam à minori vix ſeparandam arbitratur. Verùm, unde delata, habetur in Horto Regio Pariſienſi, ínque Horto Academico Leydenſi.

Chelidonium minus floribus plenis, & Chel. min. foliis maculatis pro varietatibus accidentalibus habeo, non pro ſpeciebus diſtinctis.

CAP. II.

De Trifolio hepatico.

1. *Trifolium hepaticum flore ſimplici* C. B. *Trif. hepat. ſive Trinitatis herba flore cæruleo* J. B. *Hepatica nobilis ſive trifolia* Park. *Hepaticum trifolium* Ger. Hepatica, or noble Liver-wort.

RAdices craſſiuſculæ in plurima capita diviſæ, fibris innumeris ex rubro nigricantibus variè intertextis capillatæ, adeò ut totæ fibris hiſce occultentur, nec aliud eſſe videantur quàm maſſæ ſeu congeries fibrarum glomeratarum & miris modis implexarum. E ſingulis autem radicis capitulis ſeu nodulis quotannis progerminant primò *flores*; deinde *folia*, cùm primulum emergunt complicata & hirſuta, poſtquam extenduntur glabra, ſupernè obſcuriùs viridia, averſa parte pallidiora, & interdum Cyclamini modo purpuraſcentia, triquetra, in tria ſegmenta non tamen ad pediculum uſque diviſa, per margines æqualia, pediculis ſeſquipalmaribus & longioribus inſidentia. *Caules* ex eadem radice plures, tenues, breviores quàm ſint pediculi foliorum, nudi, ſinguli ſingulos *flores* ſuſtinentes, ſpecioſos, ſex & interdum ſeptem aut octo foliis compoſitos, plerunque cœruleos, rariùs carneos aut albos, *ſtaminibus* cum ſuis *apicibus* intus plurimis, è *calice* trifolio à flore delapſo ſuperſtite, *ſemina* aliquot nuda, acuta, Ranunculorum modo in globulum congeſta protegente.

Variat floris colore cœruleo, carneo, albo.

Tempus & Locus. Februario menſe floret ſi hyems clementior fuerit. In Anglia ſponte, quod ſciam, non provenit; in tranſmarinis invenimus in monte *Waſſerfall* non longè à Scaphuſia Helvetiæ urbe.

Decem hujus plantæ ſpecies ſeu varietates proponit Parkinſonus in Paradiſo ſuo terreſtri. Hæ ſunt.

1. *Hepatica flore cœruleo ſimplici major*, nobis deſcripta.
2. *Hepat. minor flore pallidè cœruleo.* Hujus folio quàm præcedentis dimidio minora crebriora: flores (quos tamen apud nos rariùs fert) pallidè cœrulei & minores quàm illius.
3. *Hepatica flore purpureo.* Solo floris colore ſaturatiore violaceo à prima ſpecie differt.
4. *Hepat. flore albo minore.* Flore eſt albo, præcedentis flori æquali: foliis tantillo minoribus & pallidioribus.
5. *Hepat. alba magno flore.* Flores magnitudine, (qui proximè deſcribendæ æqualis eſt) à præced. differt.
6. *Hepat. albida ſive argentea.* Foliis & floribus præcedentium, exceptâ ultimâ, majoribus eſt: & florum colore è dilutè rubente cinereo, paulatim in album languente.
7. *Hep. alba, apicibus rubris:* non alia in re quàm apicibus ſtaminum rubris ab Hep. alba differt.
8. *Hep. flore rubro.* Hujus folia etiam aliquanto magis ruſeſcunt quàm Hep. vulgaris cœruleæ.
9. *Hep. flore purpureo multiplici, ſive pleno.*
10. *Hep. flore cœruleo pleno.*

Pleræq; hæ varietates vel loco natali, vel ſationi, vel culturæ & mangonio debentur.

Vires. Probatur maximè à recentioribus medicis (inquit J. Bauhinus) ad vulnera glutinanda tam foris illita, quàm intus ſumpta: item ad enterocelas, in quem uſum pulverem dimidii cochlearis menſurâ ex vino auſtero propinant. Tota planta decoquitur in vino eodem ad columellæ fauciúmq; inflammationes:

mationes: Refrigerat enim, siccat & roborat. Quare adversus intemperies calidas, & inflammationes hepatis & febrium calores perutilis. Rariùs præscribitur à Medicis nostratibus, & in illis qui eo usi sunt se nullum potuisse effectum observare scribit Parkinsonus.

* 2. *Hepatica nobilis flore albo parvo Tradescanti, an Virginiana* Park.

Hæc species foliis obscurè viridibus, flore albo parvo apicibus albis à congeneribus differt. Tradescantius spontaneam invenit in Virginia, (quantum meminit Parkinsonus) & in Angliam detulit.

Cap. III.

De Ranunculo.

Ranunculus Βατράχιον à ranis dicitur, vel quòd ranarum more humidis limitibus, opacisque marginibus lætetur: vel quòd ranæ inter ejus frutices frequenter inveniantur.

Floribus plerunque pentapetalis unà cum calice caducis; seminibus succedentibus unicuique flori plurimis in globulum aut spicam & plerunque asperum seu echinatum congestis, ab aliis congeneribus plantis distinguitur.

Ranunculi plerique [non tamen omnes] vim habent exulcerandi & crustam cum dolore inducendi: unde & scabros ungues & scabiem removent, & stigmata & puncta delent; fornicarias item ac pensiles verrucas & alopecias ad breve tempus imposita tollunt. Radix arida trita naribus admota sternutamenta movet. *Vires.*

§. 1. *Ranunculi pratenses & arvenses.*

A. 1. *Ranunculus pratensis repens* Park. *prat. repens hirsutus* C. B. *pratensis etiámque hortensis* Ger. *repens flore luteo simplici* J. B. **Common creeping Crowfoot or Butter-cups.**

Radix plurimis fibris albentibus constat. *Folia* prælongis insident pediculis tripartitò divisa, segmentis Apii ferè similibus, altius incisis & circa margines dentatis, utrinque hirsuta, atrovirentia, maculis albis subinde notata. *Cauliculos* emittit plurimos, tenues, teretes, hirsutos, concavos, supinos & humi sparsos, ad intervalla è geniculis radices agentes. Est enim planta plurium fundorum, ut vocat *Jungius*. *Flores* in pediculis longis seu surculis ex adverso foliorum ortis pentapetali, flavi, splendentes ac si vernice oblinerentur, è *calice* pentapetalo, *staminulis* & *apicibus* intus plurimis flori reliquo concoloribus.

Cum flore calix unà decidit, quibus succedunt *semina* plurima, in capitulum echinatum conglobata, singula enim apices habent acutos, per maturitatem autem nigricant.

In pratis & hortis præsertim humidioribus. *Locus.*

Reperitur interdum flore pleno seu multiplici, qui ob raritatem & elegantiam in hortis colitur; Ranunculus hortensis inclinans C. Bauhino dictus. Hanc speciem minimè acrem esse perhibet Tragus & propterea citra noxam aut periculum ullum corpori adhiberi posse: quin & mulierculas Germanicas Aprili mense illum tenerum unà cum aliis oleribus decoquere solere. *Usus.*

A. 2. *Ranunculus bulbosus.* Ger. Park. *tuberosus major* J. B. *pratensis radice verticilli modo rotunda* C. B. **Round-rooted or bulbous Crowfoot.**

Foliis & floribus præcedenti similis est. Differt ab eo 1. *Radicibus* in bulbos intumescentibus. 2. *Caulibus* erectioribus, & minimè reptantibus. 3. *Foliis* in caulibus superioribus in tenuiores & longiores lacinias dissectis. 4. Quòd calicis folia cùm flos aperitur ad pediculum reflexa sint, cùm in illo petalis subjecta & contigua ea sustinere videantur. 5. Quòd paulò maturiùs floreat. 6. Quòd capitula seminum paulò productiora sint; semina autem singularia spinulam in apice non habeant, qualis in repentis seminibus cernitur. Possent & aliæ adhuc differentiæ observari, sed hæc ad distinctionem sufficiunt.

Solet hic quotannis veterem radicem in terram profundiùs detrudere, supra quam nova gignitur. *Trag.*

In pascuis ubique & nimis frequens reperitur. *Locus.*

Hujus etiam varietas flore pleno in hortis colitur; qui Ranunculus bulbosus flore pleno *C. B.* Ranunculus minimus saxatalis hirsutus C.B. ab hoc non distinguendus videtur J. Bauhino & nobis.

Vires. Tragus hanc speciem Ranunculum sceleratissimum vocat: Et * C. Hofmannus Mendicos hâc plantâ cutem exulcerare ait, ut miserabiles videantur. * *De Medic. Offic.* l. 2. c. 232.

Aquam radicum hujus destillatam, aut infusionem cum spiritu vini factam contra pestem extollunt herbilegæ Noricæ. *Cat. Aldt.*

Radix hujus herbæ omnium consensu adurit & exulcerat efficacissimè, pustulas excitat, unde nonnisi externis corporis partibus adhiberi debet: quare, inquit Tragus, erodendis & exsiccandis duris tumoribus mirificè conducit, verrucas pensiles seu fornicantes & id genus vitia tollit.

Monet Camerarius radicem, si recens sit causticam esse ac admodum urere, exsiccatam autem post unum mensem dulcem effici.

Nicolaus Chesneau Massiliensis M. D. in Cephalalgia succum Ranunculi [bulbosi ut puto] commendat; qui (inquit) cùm dolor parvum locum occupat, ad miraculum eum tollit. Eligitur species quæ foliis Anemone assimilatur, & linguam mordet quàm maximè masticata, cujus folia contunduntur in mortario ligneo aut marmoreo, factóque emplastro perforato, ut in applicatione pyrotici solet fieri, & loco dolenti imposito, applicantur supra foramen folia Ranunculi contusa, & multo succo madentia, non tamen ut diffluat, emplastróque non perforato superimposito, duarum horarum spatio cutem aperit in tenero loco & depilato, præcipuè si colligatur herba in loco soli exposito; in capite verò ubi pili nascuntur non facilè aperit, sed parte in tumorem elevatâ dolorem sedat. Hic unum advertendum, ut circa oculos ponatur in parva quantitate, propter palpebrarum & partium circumjacentium inflationes quas gignit stupendas, nullius tamen periculi. Multa adducit exempla Cephalalgiæ hoc medicamento curatæ. Eodem etiam cum successu utitur in Athritide. Sacerdos, inquit, quidam cùm ex reliquiis podagræ per tres annos integros detineatur in lecto, incedere non valens, loco magis dolenti imposuit Ranunculum eo modo quo in doloribus capitis diximus, & sanatus est: quod est species quædam curæ quam ex Paracelso apertam vocavimus, quâ crassus humor cutem penetrare non valens hoc modo educitur.

Quidam peste correptus & in magno periculo constitutus servatus est duobus fonticulis factis in inguine bubonem habente. Applicavit sci. folia Ranunculi contusa in parte interna carnosa coxæ, vesicásque & ulcera excitavit, quæ tantam materiæ venenatæ quantitatem emiserunt, ut servatus fuerit.

Alius in axilla bubonem habens, applicavit in medio musculi bicipitis brachii ejusdem lateris fol. Ranunculi contusa ad nucis magnitudinem, circum inungendo nutrito, & more vesicatorii ulcera aperta servando. Qui hæc exempla retulit fuit testis ocularis. Eruditiss. Vir D. Edv. Hulse excerpsit, & inter alia multa ad nos transmisit.

3. *Ranunculus maximo tubere, flore magno pleno* J. B. *radice tuberosa flore pleno & prolifero* C. B. *maximus Anglicus* Ger. *Anglicus maximus multiplex* Park. **The great double flowered Crowfoot, or double Gye or Gee.**

J. B.

Jucundi spectaculi oblectamento omnium Ranunculorum primas obtinet, amœno florum incremento; qui colore aureo, non tantùm denso foliorum stipatu luxuriant, sed & è medio flore alius assurgit minor, hirsutis suis foliolis quinis non minus quàm inferior obvallatus, numerosáque foliorum congestione multiplex, pediculo inferiorem transadigente: *Folia* rugosiora quàm Ranunculi pratensis, majora, rotundiora, inque minùs acutos angulos divisa. *Radix* subest tuberosa, verticillata, Cyclamini magnitudine, valdè se multiplicans.

Locus. In hortis nostris frequentissimus esse solet, nescio an aliter à Ranunculo bulboso seu tuberoso minore differat, quàm quòd major sit & flore pleno.

A. 4. *Ranunculus rectus foliis pallidioribus hirsutus* J. B.

J. B.

Radicibus figitur multis, fibrosis, albis, nequaquam reptantibus [neque radicibus neque cauliculis reptat] unde *caules* pullulant complures, pedales vel cubitales, cavi, molles, hirsuti, in varios ramulos divisi, [non rarò terram versus reclinati] quorum extrema *flores* sustinent parvos, luteos, apicibus medium occupantibus crebris luteis ut in aliis: quibus succedunt *capitula* aspera, ut in plerisque Ranunculis, sublonga. *Folia* multò minora sunt quàm in reptante vel Recto, hirsuta, longis pediculis nixa quoque [at quæ in caulibus sunt brevioribus] in tria primaria segmenta divisa, quorum unumquodque deinceps in profundiores lacinias subsecatur, quorum color subpallidus minúsque virens quàm in reliquis Ranunculi speciebus. At verò priora nec profundè, nec in tot lacinias divisa sunt ut suprema, figurâ etiam sunt rotundiora, [maculæ albæ obscuræ & vix perceptibiles sunt] In gustu nullam percepimus acrimoniam manifestam.

Locus. Locis humidioribus & lutosis etiam apud nos abundat, florétque Maio, Junio & Julio.

5. *Ran. magnus valdè hirsutus, flore luteo* J. B.

J. B.

Ex *radice* oblonga, ex qua veluti capillamenta sursum feruntur ad modum Dauci alterius Fuchsii, *caules* prodeunt cubitales, striati, cavi, hirsutie asperi, & ex ruffo flavescentes, qui in ramos brachiantur: *foliis* quinis senisve palmaribus & sesquipalmaribus pediculis [caulis formâ & colore] è radice prodeuntibus, quæ densa sunt, lata, in ternas profundas lacinias divisa, quæ denuò incisa sunt, per ambitum serrata, colore ex viridi nigricante vel potiùs rufescente, quæ propter lanuginem & hirsutiem splendent: in caule folia parva & quidem brevioribus pediculis habentur. In summis caulibus *flores* parvi, aliorum Ranunculorum more, quinque foliis donati, pallidè lutei; *Semen* in capitula congestum succedit.

Locus. Hunc aut ei valdè similem in pascuis in summitate montis Salevæ propè Genevam copiosum observavimus, non tamen locis umbrosis sed apricis & soli expositis.

6. *Ranunculus tenuifolius montanus luteus* J. B.

J. B.

Peculiaris hæc Ranunculi species est. *Radix* ex capitulo denso tenuium fibrarum longarum nigricantium agmine constat. Ex qua ima statim *folia* singularia longis pediculis oriuntur, Geranii

Gruinalis

Gruinalis sive quarti Fuchsii, tripartita, sed minutiùs dissecta parte singula in minores divisuras. *Cauliculi* plures sesquipalmares, graciles, quibus adhærent *folia* sine pediculis, sed in angustiores quàm priora multò partes divisa & verè digitata : in quorum summo *flores* singulares, lutei, splendentes quinquefolii ; quorum media numerosi apices concolores sed obsoletiores occupant : inter quæ crassus quidam globulus futurorum seminum ut in reliquis Ranunculis rudimentum.

In mentis Juræ præalta parte *Thuiri* J. Bauhinus. & nos post eum hanc speciem observavimus. *Locus.*

A. 7. *Ranunculus pratensis erectus acris* C. B. *prat. erectus acris vulgaris* Park. *rectus, non repens flore simplici luteo* J. B. *surrectis cauliculis* Ger. **Upright Meadow-Crowfoot.**

Ad bicubitalem altitudinem surgit *caulibus* rectis, rotundis, concavis, brevi & rara lanugine obsitis, unde & omnino glabri videntur. *Folia* quæ è radice exeunt prælongis insident pediculis, & figurâ & divisurâ suâ Napelli aut Aconiti lutei foliis persimilia. *Caules* in ramos plurimos dividuntur, qui in summitatibus suis *flores* gestant luteos, pentapetalos, Ranunculi repentis similes, è calice hirsuto pentapetalo. Floribus singulis succedunt in capitulo subrotundo, minore quàm Ranunculi repentis, *semina* plura compressa, acutis in summo apicibus. *Folia* interdum purpureas habent maculas, suntque brevi lanugine hirsuta, acria, nec ad pediculum usque in tres partes divisa, quemadmodum Ranunculi repentis folia.

In pratis & pascuis ubique ferè obvius est. *Locus.*

Habetur in hortis flore pleno seu multiplici qui Ranunculus hortensis erectus flore pleno *C. B.* rectus non repens pleno flore *J. B.* cujus & Gerardus & Parkinsonus meminere, verùm non ut distinctæ speciei.

8. *Ranunculus pratensis erectus dulcis* C. B. Park. **Sweet upright Meadow-Crowfoot.**

A præcedente non aliter differt quàm quòd minimè acris sit aut causticus ut præcedens, sed mitis, sapore dulci & non ingrato, unde & à Germanis cùm folia ejus adhuc tenella sunt pro olere inter alias herbas usurpatur.

Et hic etiam flore pleno reperitur, qui Gerardo Ranunculus dulcis multiplex: *C. B.* Ranunculus dulcis flore pleno *Park.* Ran. erectus dulcis flore multiplici.

9. *Ranunculus magnus hirsutus repens flore pleno* J. B.

J. B.

Ex *radice* fibrosa *caules* tollit cubitales, crassos, satis hirsutos, juxta terram rubentes, superiùs virentes, fistulosos, in ramos aliquot brachiatos, & ubi terram attigerint fibris, multorum Ranunculorum more, se radicantes denuo. *Flores* in ramulorum extremis majores quàm in præcedenti, [Ran. repente vulgari] numerosa foliorum serie constant, quorum exteriora croco tincta splendent, modico intervallo diducta, interiora virentia aut chlora, scandulato incubitu confertim stipata, exterioribus altiore situ posita, imbricatam Coni Cedri Libani dicti conglutinationem quodammodo æmulantur, relictâ duntaxat umbilicatâ in summo lacunâ : Toti flori subjecta foliola quinque, hirsuta, viridantia. *Folia* alia à radice oriuntur, alia à ramis, pediculo longo, fistuloso, palmari & dodrantali, hirsuto, valdè lata : primariâ divisurâ triplici, quarum unaquæque rursum tripartita, obtusa, crassa, hirsuta, superna parte atrovirentia, splendentia & rugosa, infernâ ex albido virentia dilutiùs : nonnulla interdum folia, ut circa floris pediculum antequam se expandat, caulem immediatè ambiunt, in tres oblongas divisuras acutas, ampliùs non dissectas abeuntia.

Floret mense Aprili. *Tempus.*

Memini me cùm puer adhuc essem Ranunculi florem vidisse ei quem J. Bauhinus describit persimilem. Erat autem is frequens tunc temporis in hortis apud nostrates.

A. 10. *Ranunculus hirsutus annuus flore minimo.* **Field-Crowfoot with a small flower.**

Radix ei fibrosa fibris majusculis albis, gustanti nihil vel parùm acris. *Folia* longis pediculis insident, hirsuta & ad tactum mollia, circumscriptione rotunda, & Geranii columbini foliis nonnihil similia, pallidiuscula, in tria segmenta insigniora divisa, non tamen ad pediculum usque, per margines dentata majoribus denticulis. *Caules* ab eadem radice plures, interdum erecti, sæpiùs in terram reclinati, in ramulos divisi, foliis alternatim positis vestiti, quibus ex adverso oriuntur flores longis pediculis insidentes, lutei, pentapetali petalis acutiusculis, & omnium quos mihi hactenus videre contigit minimis. Succedit *capitulum* plurimis *seminibus* compressis mucronatis coagmentatum.

In fossarum aggeribus sæpiùs occurrit : invenimus & in arvis requietis. *Locus.*

11. *Ranunculus ceratophyllos seminibus falcatis in spicam adactis* Moris. prælud. *Melampyrum perpusillum luteum* Park. Lob. *luteum* Ger. *luteum minimum* C. B.

Moris.

Foliis est ter tripartitis, cornu cervi quodammodo referentibus : è quorum medio exeunt cauliculi plurimi, triunciales, singuli singulos sustinentes flosculos, aliorum Ranunculorum modo quinis petalis luteis constantes, ambientibus rudimentum viride, quod tandem in spicam degenerat uncialem, seminibus falcatis onustam.

Annua

Annua est plantula, præcox, mense Martio florens in segetibus Gallo-provinciæ & Narbonensis Galliæ frequenter.

Melampyri speciebus perperam accensetur.

§. 2. *Ranunculi nemorosi.*

A. 1. *Ranunculus nemorosus dulcis secundus Tragi* Park. *auricomus* Ger. *nemorosus vel sylv. folio rotundo* C. B. *rotundifolius vernus sylvaticus* J. B. Sweet Wood-Crowfoot or Goldilocks.

J. B.

Fibrosa *radice* nititur, minimè acri; ex qua surriguntur aliquot *caules*, fistulosi, dodrantales aut pedales [Apud nos certè cubitalem & sesquicubitalem altitudinem, quam J. Bauhinus eis attribuit, nunquam quod ego viderim, assequuntur,] in ramos brachiati, quorum singulis insidet *flos* Ranunculi aureus, quinque foliis caducis constans, quæ extrorsum totidem triplo minoribus circumdantur, in medio staminulis donatus plurimis crocatis. Succedit echinus qualis in vulgaribus Ranunculis. *Foliorum* autem mira est varietas, nam ex inferioribus quædam circinatæ rotunditatis integra sunt, & in ambitu serrata, alia manente rotunditate triplice quintuplicéve divisura incisa; Atque ista quidem omnia longis pediculis appensa, è radice statim oriuntur, & in hortis culta insigniter crassescunt, ut alterius esse plantæ quodammodo videantur. At quæ ad alas & ramorum divaricationes in tenuissima & oblonga segmenta divisa, radiatæ stellæ more caulem sine pediculo amplectuntur.

Locus. In sylvis & dumetis Aprili floret, & postquam semen dederit superficies marcescit, radice restibili.

2. *Ranunculus nemorosus Thalictri folio* C. B. *Ran. Thalietri folio* J. B. *Thalictri folio major* Park. Parad. *præcox Thalictri folio* Ger. emac.

Clus.

Caulem habet pedali altitudine assurgentem, gracilem, ex viridi rubescentem, in quo quaterna aut quina *folia*, majoris Thalietri flore albo foliis colore & formâ valdè similia, sed minora & teneriora, amaro sapore. *Flosculi* in singulis alarum sinubus singulares, candidi, pentapetali, suis petiolis innitentes: quibus decidentibus succedunt bina aut terna cornicula, *semen* rotundum, subruffum, Aconiti hyemalis semini ferè par. Ex eadem radice præter caulem prodeunt bina aut terna folia, supra descriptis similia, singularibus dodrantalibúsque pediculis, ejusdem cum caule coloris innixa. *Radix* impensè amara, multis albis fibris donata est, ex quarum capite alia exit nodosa radicula, subinde ad singula internodia novas fibras agens, atque hac ratione se propagans, ideóque perennis.

Locus. In saltu Leytenberg quinto ab urbe Vienna Austriaca milliari, & quibusdam aliis umbrosis sylvis Viennensis agri, &c. florebat Aprili; Semen Junio plerunque ad maturitatem perveniebat.

Habetur in Catalogo Horti Regii Parisiensis.

* 3. *Oenanthe Hederæ foliis* C. B. *Oenanthe Myconi* J. B. *Ranunculus Thalictri folio minor Asphodeli radice* Park.

Lugd.

Hæc in montibus & petrosis nata *folia* propè radicem per terram spargit, minuta, incisa, lævia, quadantenus Hederæ modo, multò tamen minora, inter se conjuncta & congesta, atque ideo Coriandri foliis aut Pastinacæ similia, è longis pediculis pendentia, *caule* enatis cubitali, ab imo rubescente, paucis geniculis cincto, tereti, lævi, ferè striato, & aliquantulum cavo. *Radices* subsunt multæ ut in Asphodelo, septem aut octo, quandoque pauciores, conjunctæ, crassæ, foris luteæ, intus candicantes, ex quarum extremis radiculæ tenues & longæ producuntur. In summo caule *flores* velut in umbella pendent, candidi, ex quinque foliolis constantes, in medio muscosi, quibus pereuntibus in vasculis seu siliquis *semen* maturescit. Foliorum & caulis sapor subdulcis, ut & radicum, cum levi quadam adstrictione, corticis verò earum amarus.

Si hæc planta rectè à Mycono describatur cum seminibus vasculis seu siliquis inclusis, non erit Ranunculi species.

* 4 *Ranunculus montanus* V. Clus. *Pannonicus maximus* Park. *montanus latissimo folio hirsutus* C. B.

Clus.

Omnium, quos unquam conspexerit Clusius, maximus multa à radice producit *folia* valdè ampla & carnosa, sive densa & succulenta, ficulneis haud minora, quinque profundis incisuris divisa, in ambitu nonnihil serrata, colore dilutiùs virente splendentia, nonnihil villosa, acria admodum & linguam vellicantia: cubitales *caules*, digitalis crassitudinis, firmos, hirsutos, suprema parte in aliquot ramulos divisos, qui multos *flores* sustinent, pentapetalos, luteo auri colore fulgentes. *Semen* vulgarium Ranunculorum semini par, in capitula congestum. Pro *radice* multas candicantes fibras habet.

Locus. In nemoribus & umbrosis declivibúsque omnium Austriacarum atque Stiriacarum Alpium locis, juxta rivulos è liquescente nive profluentes, &c. In hortis & pratis Maio, in Alpibus Junio floret.

§. 3. *Ranunculi echinati.*

A. 1. *Ranunculus arvorum* Park. Ger. *arvensis echinatus* J. B. C. B. **Corn-Crowfoot.**

Radicem habet fibrosam albam: *caulem* cubitalem aut altiorem, teretem, erectum, rigidum, subhirsutum, intus concavum, in plures ramos divisum. *Folia* in longa, angusta, acuta segmenta profundè admodum incisa sunt. *Flores* in summis caulibus & ramulis minores & pallidiores quàm Ranunculo repenti vulgari, pentapetali è calice pentaphyllo, longis insidentes pediculis, quibus succedunt *echinata capitula*, ex pluribus subrotundis compressis & aculeatis lappulis composita, quæ in suprema cicumferentiæ parte longo mucrone donantur.

Maio mense floret, éstque inter segetes nimis frequens. *Locus & Tempus.*

* 2. *Ranunculus echinatus Creticus* Park. *stellatus echinatus Creticus* C. B. *Creticus echinatus latifolius* Alpin. exot.

Ponæ.

Plures edit cauliculos è *radice* fibrosa, teretes, glabros, ramosos, vix pedem altos, ad quorum singula genicula apponitur *folium* unicum latum, obscurè viride, rugosum, pediculo prælongo innitens. *Flores* in extremis ramulis parvi, pallidè lutei, quibus succedunt capitula è plurimis seminibus exiguis leucophæis coagmentata, aculeata nonnihil & pungentia.

* 3. *Ranunculus rotundifolius repens echinatus* C. B. *pratensis rotundif. Bononiensis* Park.

C. B. prod.

Ad *radicem* nigricantem capillaceam *folia* sunt rotunda, crenata, uncialia, pediculis longissimis donata; quæ verò in caule majora, pleraque rotunda, etiam in lacinias, sed non ad umbilicum usque divisa. *Caulem* habet pedalem, in terram reclinatum & quasi repentem, ac in alios divisum, circa quem folia pediculis palmaribus donata: *Flores* pallidè lutei, paucis ad umbilicum staminibus. Flore deciduo *capitulum* ex pluribus *seminibus* rufescentibus subasperis echinatis simúlque congestis compositum succedit. Tota planta ob pilos aspersos mollis est, atrovirens, & circa Bononiam in agris provenit.

4. *Ranunculus palustris echinatus* J. B. 4. *echinatus sive palustris* C. B. *Ran. Apuleii quorundam* Clus. Park. *parvus echinatus* Ger. emac.

Radice est fibrosâ, alba: foliis imis parvis, subrotundis, per margines crenatis, pallidè viridibus, longis pediculis insidentibus, [J. Bauhinus folia ei aliquatenus Aceris majoris divisurâ sed minora, crebra tribuit.] *Caules* ex eadem radice exeunt plures, sesquipalmares, glabri, in terram reclinati, ramosi, *foliis* vestiti minoribus, & in acutiora segmenta divisis. *Flores* nunc ex adverso foliorum, nunc ex ipsis foliorum alis exeunt, pediculis longis, exigui, flavi, pentapetali; quibus succedunt *capitula* Ranunculi arvensis capitulis proxima, è decem duodecimve spinosis, oblongis, compressis, congestis *seminibus* composita.

Gaudet locis humidis & aquosis Monspelii, ac etiam in fossis, inquit J. Bauhinus. *Locus.*

§. 4. *Ranunculi palustres & aquatici seminibus non echinatis seu lappaceis.*

A. 1. *Ranunculus palustris rotundifolius* Ger. *palustris Sardonius lævis* Park. *palustris Apii folio lævis* C. B. *pal. flore minimo* J. B. **Round-leaved Water-Crowfoot.**

J. B.

Valdè crassescit huic *radix*, cava & fibris multis donata: à qua *Caules* exurgunt multi, insignis interdum crassitudinis, inanes, striati, ramosi: *Folia* Paludapii sublustri splendore virescunt, albis punctis aliquando guttata. *Flores* inter omnes Ranunculos minimi [excipiendus est Ranunculus hirsutus annuus flore minimo nobis dictus] quinis foliolis constant, exiguis, aureis: Capitula oblonga, tenuiora quàm in reliquis, nec aspero semine echinata, sed lævibus & minutis granulis compacta. Sapor hujus Ranunculi valdè calidus & urens *Tabern.*

In aquosis passim provenit. *Locus.*

Aliam Ranunculi palustris rotundifolii speciem exhibet C. Bauhinus, eúmque secutus Parkinsonus quam *palustrem Apii folio lanuginosum* inscribit, quæque à priore differt, quòd lanuginosus pluribus foliorum incisuris spectetur. *Varietas.*

Hæc herba Apium risus & Herba Sardoa nonnullis dicitur.

A. 2. *Ra-*

A. 2. *Ranunculus aquaticus hederaceus albus* [*non luteus*] C. B. *Ranunculus hederaceus rivulorum se extendens, atrâ maculâ notatus* J. B. *Ranunculi aquatilis varietas altera* Ger. emac. **Ivy-leaved Water-Crowfoot.** *R. hederaceus aquat.* Park. *quoad descr. nam figura & Synonyma sunt Lenticulæ aquat. trisulc.*

Caules huic teretes, solidi, supini, geniculati; è quorum geniculis plurimis fibris albis demissis, planta latè se diffundit. *Folia* ad genicula pediculis longiusculis insident, triangularia, & ad Hederæ folia quodammodo accedentia, lævia, splendentia, maculâ nigrâ interdum notata, alias pallidiùs virentia. *Flores* in caulis parte foliis adversâ nascuntur, parvi, pentapetali petalis acuminatis, è *calice* quinquepartito, albi, non lutei ut vult Bauhinus. Flori succedit globulus *seminum* densè stipatorum, viciæ vulgaris magnitudine fere, seminibus minimè acuminatis.

Locus & Tempus. In rivulis & fossis vadosis ubi aquæ scaturiunt sæpius occurrit, solo præsertim arenoso. Æstate floret.

Vires. ℞ Summitatum seu turionum Alni, Foliorum Ranunc. aquat. hederacei, Salviæ ana manipulum unum: infundantur per noctem in vino albo, & infusum propinetur. Ad Hydropem & Scorbutum mirificè conferre dicitur. Habui à *D. Mapletoft*.

A. 3. *Ranunculus aquatilis* Ger. *aquaticus Hepaticæ facie* Park. *aquat. folio rotundo & capillaceo* C. B. *aquatilis albus tenuifolius* J. B. **Water-Crowfoot with various leaves.**

Fibris numerosis in limum demissis *radicatur*. *Cauliculos* fundit longos, satis crassos, inanes, infirmos & in aquis fluitantes, in ramos subinde divisos, per quos duorum generum *folia* conspiciuntur, alia enim capillaris tenuitatis confertissimis cirris perplexa, alia verò supra aquam Ranunculi foliis similia, lucida, maculis quibusdam nigris notata, satis crassa, subrotunda, in aliquot partes divisa, sed non profundè, alternatim adnata. In caulis parte foliis adversa oriuntur *flores* longis [ut & folia] pediculis insidentes, qui explicante se capitulo quinque foliis viridantibus obvoluto apparent candidi, ampli pentapetali, unguibus petalorum luteis, staminibus numerosis flavis *capitulum* obvallantibus subrotundum, Ranunculorum, seminibus confertis compositum.

Locus & Tempus. In fossis aquas habentibus & lentè decurrentibus rivulis, ut rectè J. B. gignitur. Aprili, Maio, & subinde Junio mensibus abundè & latè floret.

A. 4. *Ranunculus aquaticus omnino tenuifolius* J. B. *Millefolium aquaticum Ranunculi flore & capitulo* C. B. *Millefolium sive Maratriphyllum flore & semine Ranunculi aquatici Hepaticæ facie* Ger. *Millef. aquat. foliis Abrotani, Ranunculi flore & capitulo* C. B. *item Ran. aquat. capillaceus* ejusdem.

In hoc nulla *foliorum* differentia ut in præcedente: siquidem omnia inter se similia, tenuibus illis duntaxat præcedentis, seu ut alii volunt Chamæmeli, foliis proxima. *Flores* candidi, illius similes, sed multò minores: *Capitula* echinata conveniunt, rotundiora paulum & minora.

Locus. Aquis innatat tum fluentibus, tum stagnantibus, ubique frequens. Columnæ Ranunculus trichophyllon aquaticus medioluteus dicitur; siquidem florum petala circa ungues lutea sunt. Eodem cum præcedenti tempore floret.

* 5. *Ranunculus Hederulæ folio aquaticus* Park.

Park.
Repando supra terram fibris è geniculis demissis se propagat. *Folia* habet subrotunda, crenata, Hederæ terrestris similia. *Flores* pallidos quinque petalis acuminatis compositos, quos sequuntur capitula subrotunda è seminibus confertis.

De loco & tempore nihil addit.

A. 6. *Ranunculo sive Polyanthemo aquatili albo affine Millefolium Maratriphyllum fluitans* J. B. *Millefolium Maratriphyllon Ranunculi flore* Park. *Millef. aquat. foliis Fœniculi, Ranunculi flore & capitulo* C. B. **Fennel-leaved Water-Crowfoot.**

J. B.
Longissimis, in aliquot partes divisis, teretibus, lævibus, inanibus *flagellis* prociduis, aquæ impetum, cujus est alumna planta, imitatur: foliis ad genicula Fœniculi, vel potiùs Peucedani, multò longioribus, & quàm præcedentium duorum in pauciores partes divisis. Ex iisdem etiam articulis surgunt pediculi concavi, quibus insident flores Ranunculi lactei, quinque foliolis striatis constantes, apicibus in medio luteis: quibus succedunt capitula consimiliter Ranunculi, viridantia, echinata.

Locus & Tempus. In fluvio *Tame* & rivulis eum influentibus circa Tamworitham, Middletonum, &c. in agro Warwicensi abundat. Observavimus & in fluvio Iside Oxonium præterfluente copiosum. Maio & Junio floret.

A. 7. *Ra-*

A. 7. *Ranunculus flammeus minor* Ger. & *flammeus serratus* ejusdem & Park. *Palustris flammeus minor sive angustifolius* Park. *longifolius palustris minor* C. B. *longifolius, aliis Flammula* J. B. *item palust. serratus* C. B. **The lesser Spear-wort.**

J. B.

Caule est dodrantali, glabro, fistuloso, geniculis nodoso, nunc solitario, nunc in ramos diviso, reptante: *Folia* priora ex longis pediculis, unciam semis lata, oblonga alia, alia subrotunda, superiora per caules ex articulis oriuntur, bina, interdum serrata, quæ minùs angusta, longitudine circiter palmari, sapore acri: *Flores* Ranunculi vulgaris pratensis, contractiores, aureo fulgore nitent. *Radix* ex fibris albicantibus conflata est. *Caules* etiam serpunt, & quidem rursus ut in Ranunculis quibusdam radicantur.

Foliis ludit nunc æqualibus, nunc serratis, etiam in eâdem planta. Magnitudine etiam insigniter variat.

In pratis locis uliginosis ubique abundat, Junio florens. *Locus & Tempus.*

Ab acri & ardente seu caustica vi flammeus denominatur. Oves hac herbâ pastas inflammationibus jecinoris, internorúmque viscerum erosionibus ac exulcerationibus corripi aiunt.

A. 8. *Ranunculus flammeus major* Ger. *palustris flammeus major* Park. *longifolius palustris major* C. B. *folio longo maximus, Lingua Plinii* J. B. **Great Spear-wort.**

J. B.

In uliginoso solo & palustribus [apud nos & in ipsis aquis vadosis] exit Ranunculus Lingua Plinii Dalechampio putatus, *caule* bicubitali & altiore, crasso, lævi, in ramos subinde diducto, per quem veluti & per ramos alternatim *folia* producuntur, pedali circiter longitudine, vix unciam lata, crassiuscula, glabra, mucronata, saporis acris & amari Dalechampio. *Flores* extremis inhærent ramulis, magni, Ranunculorum aliorum formâ, quinque foliis luteis constantes, quorum medium obsident numerosi *apices* concolores: eis superveniunt, autore Tabern. capita erinacea, parvæ nucis Juglandis magnitudine, cum acutis aculeis, saporis calidi & urentis. *Radix* compluribus fibris defixa nititur.

In fossis palustribus Eliensibus plurimus oritur; & alibi etiam propè Cantabrigiam, ut in fossis quibusdam circa mariscum de *Feversham*. *Locus.*

* 9. *Ranunculus flammeus Bayonensis* Park.

Park.

Foliis longis, angustis, acuminatis, *caulibus* ramosis *radicibus* fibrosis flammeum minorem vulgarem imitatur. Differentia est in floribus qui huic multò majores.

In palustribus maritimis propè Bayonam oritur. *Locus.*

* 10. *Ranunculus flammeus flore albo minor* Park.

Park.

Folia huic Ran. flammei minoris similia, pediculis longis nixa, verùm longiora & angustiora multo. *Cauliculus* inferiùs foliis nudus, summa parte ubi flores erumpunt bina oblonga & angusta folia protrudit. *Flores* quàm in flammeo vulgari dicto minores, emaculati candoris. Capitula & radices cum illius conveniunt.

De loco natali nihil addit, neque unde aut à quo habuit dicit.

§. 5. *Ranunculi foliis gramineis.*

1. *Ranunculus montanus folio gramineo* C. B. *gramineus flore luteo simplici* Park. *pumilus gramineis foliis* J. B. *Ranunculus gramineus Lobelii* Ger. emac.

J. B.

Fibræ quibus radicatur uncias duas plus minùs longæ sunt, satis crassæ, & fibrillis capillaribus donatæ, quæ in *radicem* minimi ferè digiti crassitudine coeunt, filamentis supra terram comosam, quod haud absurdè perennitatis fidem faciat. *Folia* è radice statim pullulant [in mea quidem sicca planta septena] duas uncias longa, aut paulum admodum excedentia, angustiæ gramineæ, unúmque unciâ brevius medio cauli adnatum, alioqui nudo & enodi, gracili, palmo altiori: cujus fastigio *flos* insidet unicus, justæ magnitudinis, qualis est Linguæ Dalechampii aut vulgaribus Ranunculis, major multò quàm Ranunculi Flammulæ dicti, è quinque foliolis compositus, quæ totidem minoribus [calicis] ut in Ranunculis fieri solet suffulciuntur. Succedit Lob. teste *semen* racemosum Ranunc. pratensis.

Parkinsonus folia Caryophylleis similia facit, longa, angusta, acuminata, carinata seu concava nonnihil, colore glauco.

Si plantetur humido & pingui loco valdè excrescit, & pulcher visu fit.

Habetur & in hortis flore pleno seu multiplici, qui Ranunculus montanus folio gramineo multiplex, *C. B.* gramineus flore luteo multiplici *Park.* Ran. gramineus pleno flore *J. B.* *Varietas flo. pleno.*

Parùm obvius, duntaxat Narbonensis Galliæ pratensibus, ponè publicum diversorium montis Lupi, & in arduis Mindeni Ruthenorum pratis & pascuis. *Locus.*

* 2. Ra-

• 2. *Ranunculus gramineo folio bulbosus* C. B. *angustifolius bulbosus* J. B. *leptomacro-phyllos bulbosus* Col. *gramineus bulbosus* Park.

Col.

Radice est in longam velut cervicem producta, villoso cortice nigróq; tecta, [pluribus involucris Croco similibus contecta *Dalech.*] ex qua duas uncias longitudine carnosa fibræ in imo crassiores, Filipendulæ palustris radicis modo, capillaribus fibrillis hirsutæ, terram undiq; obliquè amplexantes producuntur [aliæ radiculæ, albæ, crassæ aliquantulum, veluti capillamenta dependent *Dal.*] Interiùs verò intra villosum tegumentum bulbosa radix invenitur, Gladioli modò gemina, altera alteri insidens, vetustiori atque corrosæ parùm præcedentis anni, ex quibus fibræ ortum ducunt. *Folia* huic prima duas uncias longa, quæ majora efficiuntur, & palmum ad summum æquant, circa radicem pilosa, reliquo lævia, colore cinereo albicante, per longum venis distincta, octo numero, *caulem* cingunt dodrantalem [aut cubitalem *Dal.*] junceum, duobus geniculis & foliis absq; ramulis distinctum, in summo virens caput habentem, quod *florem* dehiscens luteum edit, [Dalechampius binos flores summo cauli appingit, & flores in plurali attribuit] splendidum, staminibus densis intus plurimis, calyce tunc etiam quinquepartito. *Fructum* deinde capitatum oblongum admodum, squamosum, *semine* rotundo sed apice rostrato, perficiens.

Folia Dalech. à longo pedunculo dependentia, transversum digitum lata, Palmæ folium in modo substantiæ & contumacia fracturæ imitantia.

Locus. In Æquicolorum montibus supra D. Philippæ antrum Columnæ observatus, Maio florere incipiens. In montibus D. Mariæ à Monteferrato, & circumvicinis partibus ad montium radices juxta arbusta & querceta. *Dal.* Aprili & Maio floret.

• 3. *Ranunculus gramineus perfoliatus* Park.

Park.

E *radice* parvâ fibrosâ *folia* aliquot emittit angusta, graminea, subglauca, duas uncias longa, quàm præcedentis nonnihil latiora: è quorum medio exilit *caulis* vix altior foliis, cui circa mediam partem adnascuntur bina folia oblonga, ad bases latiora & continua, eodem modo caulem cingentia quo Centaurii lutei folia. Summum caulem in ramulos aliquot divisum occupant duo trésve *flosculi* exigui, ex viridi luteoli, petalis conniventibus, rariùs expansis. *Capitula* succedunt echinata Ran. graminei vulg. similia.

Habetur & alia hujus species seu varietas foliis latiusculis, *floribus* expansis, petalis acutioribus.

• 4. *Ranunculus pumilus alter angustifolius* Park.

Park.

Hic major est & elatior nonnihil præcedentibus, qui in summo caule unicum tantùm gestat florem, eúmque ampliorem quam sunt flores reliquorum Ran. gramineo folio.

De loco natali hujus aut præcedentis speciei nihil addit Descriptionis autor Parkinsonus.

§. 6. *Ranunculi montani vel floris colore, vel figura foliorum à reliquis generibus diversi.*

• 1. *Ranunculus montanus foliis Plantaginis* C. B. *Ran. folio Plantaginis* Ger. *Plantaginis folio* Park. *Pyrenæus foliis sublongis non laciniatis, albo flore* J. B.

Clus.

Pedali imò etiam ampliore assurgebant plantæ quas videbam altitudine; *Caule* rotundo, satis firmo, viridi, per quem alternis tria aut quatuor sparsa erant *folia*, satis lata basi caulem amplectentia, tres aut quatuor uncias longa, unciam verò lata, mucronata, multis venis ab infima sede ad extimum mucronem procurrentibus distincta, viridis coloris, qualis est ferè Brafficæ campestris, quorum oræ tenui mollíque alba lanugine obsitæ. Summo caule ex foliorum, quæ minuscula erant, alis exibant tres, quatuor, vel etiam plures oblongiores pediculi caliculum quinque foliolis constantem sustinentes, è quo *flos* prodibat pentapetalos, petalis semuncialibus, tenellis, prorsus niveis, cujus medium occupabant frequentissima parva stamina flava cum orbiculari capitello, nullius aut perexigui odoris. Cùm verò primùm è terra emergebat hæc planta, & antequam in caulem excresceret, bina duntaxat aut ad summum terna proferebat folia, tres uncias longa, unciam lata, crassiuscula & firma, multis etiam venis secundùm longitudinem distincta ut quodammodo ad Plantaginem latifoliam foliorum formâ accederent. Caput radicis hirsutum erat, quod deinde in multas crassiusculas albas fibras dividebatur.

Locus. E montibus Pyrenæis eruta est hæc species. Invenitur hujus varietas cum duplici in flore petalorum serie; quæ Ranunculus Pyrenæus albus duplex *Park.*

2. *Ranunculus albus simplici flore* J. B. *Alpinus albus* Ger. *montanus albus minor simplex* Park. *montanus Aconiti folio, flore albo minore* C. B.

J. B.
Radix cauli quasi apposita, palmaribus aliquot fibris, crassis mediocriter, rigidis & albis disparatis constat, ex qua surgit *caulis* sesquicubitalis & bicubitalis, pallido & virente lævore nitens, supra communem sortem Ranunculorum crassus, solidus, in ramos aliquot divisus, foliisque ad alas donatus. *Flores* gerit uncialibus & sesquiuncialibus hirsutis pediculis, Ranunculorum vulgarium formâ & magnitudine, sed candore nivem provocantes, suaveolentes, pentapetalos, quorum medium occupant apices lutei. *Folia* Aconiti foliis similia, quinquepartita, profundissimè serrata, infernè hilari virore splendentia: supernè viridia, squalida. Tabern. ait sapore calido & acri sed mitiore, & non ita urente ut in cæteris.

Hujus generis invenitur flore pleno niveo, in hortis cultus, qui Ranunculus albus flore denso *J. B.* albus flore pleno *Ger.* albus multiflorus *Park.* Ran. folio Aconiti, flore albo multiplici *C. B.* *Varietas flo. pleno.*

In Jura & Saleva montibus propè Genevam copiosè provenit. Maio mense floret. *Locus.*

* 3. *Ranunculus flore albo Alpinus major* J. B. *Ran. montanus Aconiti folio albus, flore majore* C. B. *montanus maximus albus* Park. *Aconiti folio* Ger.

J. B.
Hic in paucis à præcedente differt, nimirum magnitudine & staturâ elatiore: *foliis* non adeò lævibus, minùs atro-virore præditis: *floribus* frequentioribus majoribusque pediculis rectioribus inhærentibus; quòdque seriùs floreat.

Folia præmansa nullam manifestam acrimoniam, sed amaritudinem potiùs habere deprehenduntur. *Caulem* Clusius tenuem huic attribuit, sed firmum, & certè quantùm memini J. Bauhinus minus rectè crassum præcedenti asscribit. Capitulum ex seminibus simul congestis, quemadmodum in reliquis Ranunculis, constat. *Radix* præmorsa videbatur, multásque longas & candicantes fibras habebat.

Abundanter provenire conspiciebat Clusius in acclivi montis Wechsell, Sneberg & aliorum montium sylvosis locis: Floret Maio & Junio: Semen Augusto maturitatem assequitur. *Locus & Tempus.*

Hujus etiam generis invenitur qui florem habet plenum & multiplici foliorum serie constantem.

4. *Ranunculus montanus albus hirsutus* J. B. *montanus Pennæi* Park. *montanus hirsutus purpureus* Ger. emac. *montanus hirsutus purpurascente flore* C. B.

J. B.
Nigra *radice* nititur, crassioribus fibris donata, quáque caulem emittit perennium plantarum more comosâ: ex hac *folia* nascuntur quatuor, quinque, vel sex, pediculis palmaribus hærentia, ampla, circumscriptione rotunda, sed in plurimas lacinias ad pediculum usque divisa, hirsuta. *Caulis* unicus, cubitalis vel sesquicubitalis, pilosus, cujus summum in quatuor vel quinque ramulos, palmares plus minus facessit, quam divisionem *folium* ambit unicum veluti perforatum, sine pediculo, non minùs profundè quàm inferiora dissectum. *Flos* unicuique ramulo unus insidet, pulcher, quinque foliis orbicularibus constans, quæ inferiùs purpurascunt, superiùs in lateribus ex albo purpurea sunt, reliqua parte albissima. Hinc oriuntur capitula è latiusculis, ex oblongo rotundis, lævibus *seminibus* congesta, pluribus quam duodecim, ad semen Pastinacæ Germanicæ accedentia. [Pennæo semina ut in Ranunculis compacta, ex nigro purpurea & mucronata, parùm compressa, paullò quàm in aliis Ranunculis majora.]

In sylvosis montis Juræ propè verticem Thuiri copiosè provenit. Junio & Julio mensibus floret. *Locus & Tempus.*

5. *Ranunculus montanus hirsutus albus elatior* C. B. *montanus* 2. Clus. *montanus albus major vel elatior* Park. parad.

Clus.
Quina aut sena promit ex radice *folia*, magna, viridia, dura, Ranunculi bulbosi foliis haud absimilia, nonnihil hirsuta, tribus scissuris ad pediculum usque pertingentibus, & aliis præterea minùs profundis divisa, sapore initio dulci, postea aliquantulum amaro, pediculis crassis, firmis & pedem longis innitentia: *caulem* inter illa exeuntem cubitalis longitudinis, nudum, singularem, firmum, aliquantulum hirsutum, intus cavum, qui in summo fastigio trina habet folia contigua, profundè laciniata pænè instar Anemonidum, supra quæ deinceps caulis dividebatur in quatuor aut quinque oblongos & teretes pediculos, quorum singuli sustinent unicum *florem*, quinque foliis satis magnis & albis constantem, mediocriter odoratum multis flavis staminibus *capitulum* occupans umbilicum cingentibus, quod excusso flore apparet magno planóque *semine* onustum. *Radix* veluti præmorsa & multis nigricantibus fibris prædita.

Frequens nascitur in Snøberg, Snealben & aliarum vicinarum pratis sublimioribus; florétque Junio: semen autem maturitatem adipiscitur Autumno. *Locus & Tempus.*

Persimilis est hæc species præcedenti, ut descriptiones conferenti patebit, eandem tamen esse non ausim affirmare.

* 6. *Ran. montanus hirsutus humilior Narcissi flore* C. B. *Ran. montani* 2. *species altera* Clus. *Ran. hirsutus Alpinus flo. albo* Ger. emac. *montanus maximus albus* Park.

Clus.
In celsioribus earundem Alpium jugis (inquit Clusius) multò humilior & magis hirsuta crescebat hæc planta, pedalem altitudinem non excedens, *flore* paulò majore, & qui Narcissi florem album, medium calicem flavum habentem æquare posset, eóque etiam magis odorato quàm prioris: ejus etiam *folia* majore amaritudine & acrimoniâ erant prædita, tametsi primo gustu quandam dulcedinem habere viderentur. Seriùs florebat priore; nam eam duntaxat florentem reperiebam, quum in inferiore jugo alteram jam semen semimaturum habentem observâssem.

* 7. *Ranunculus montanus albus humilior* Park. *Ran. Alpinus humilis rotundifolius flore minore* C.B. *Ran. montanus flore minore* Ger. *Montani* 1. *species* 1. Clus.

Clus.
Multa, parva, rotunda, & quasi circino circumducta habet *folia*, aliquot crenis divisa, & in ambitu serrata, atrâ viriditate splendentéque supernè prædita, satis crassa sive carnosa, & fervidissimo sapore: inter quæ *pediculus* oritur, tenuis, singularis, brevis dodrantéque minor, *florem* album, pentapetalon sustinens, inodorum, cujus umbilicum crocea stamina occupant: deciduo flore apparet *capitulum* immaturo frago simile, quod ex minuto semine simul congesto constat. *Radix* multis albicantibus fibris prædita est.

* 8. *Ranunculus Alpinus humilis rotundifolius flore majore* C. B. *montanus flore majore* Ger. *Ran. montani* 1. *species altera* Clus.

Clus.
Hujus *folia* in tres lacinias erant divisa, & illæ denuò aliquot incisuris donatæ: *Cauliculus* ab altero non differens, sed ampliorem *florem* gerens, eúmque interdum duplici foliorum serie constantem: alioqui & colore superiori parem, eodémque tempore sese explicantem. *Radix* etiam, quemadmodum in illo superna parte nonnihil extuberat & fibris donata est.

Locus & Tempus
Nascitur uterque in summis Sneberg & vicinarum Alpium jugis confragoso solo & pæne in ipsis petrarum fissuris, Junióque mense interdum isthic florebat, aliquando seriùs, ut videlicet nix seriùs aut maturiùs solvitur. In hortos translati maturè admodum & ante alios Ranunculos, Aprili scilicet flores profert.

* 9. *Ranunculus minimus Alpinus albus & luteus* J. B.

J. B.
Radicem obliquè agit pro plantulæ ratione magnam, fibris donatam crebris, longis, perparum cauliculo cedentibus, qui duarum aut trium unciarum altitudine est, uno alteróve *foliolo* donatus; reliqua enim tria secta, vel profundè duntaxat circumquaque Geranii columbini modo serrata, rotunda ferè, crassa. *Flos* summo cauli insidet albus aut luteus à Ranunculorum aliorum flore non differens.

Locus.
In Rhætiæ monte Albula floret Junio.
J. Bauhinus Ranunculos montanos albos Clusii superiùs propositos ab hoc non distinguit.
Huic non valdè dissimilis est

* 10. *Ranunculus minimus Apulus* Col. Park. *arvensis parvus folio trifido* C.B.

Col.
Radice pusilla capillari; *caule* junceo, hirsuto parùm, sicut & foliorum petioli, oblongi respectu plantæ, in quibus *foliola* unguis magnitudine, trifida, hederaceâ ferè divisurâ, sed ima parùm incisa, lævia, *flore* luteo in summo caulis: capite & semine congenerum.

Locus.
Cirinolæ in incultis agris observavit autor.

* 11. *Ranunculus Creticus albo flore, majore quàm Papaveris rhœadis* J. B.

J. B.
Foliis est Ranunculi pratensis repentis, divisis specie trifoliâ, rariùs quinquefolia, per margines crenatis, per terram sparsis: *caule* rotundo, pedali, qui duos vel tres *flores* sustinet magnos ex sex vel septem foliolis compositos, albos, Papaveris erratici florem magnitudine superantes, quibus succedit capitulum seminibus aliorum Ranunculorum more confarctum.

12. *Ranunculus montanus purpureus calyce villoso Fœlicis Plateri* J. B.

J. B.
Dodrantalis est plantula: *Folia* velut in digitos dissecta, partim à coliculorum exortu longis pediculis hærentia, partim ex ipsis pediculis pendentia. In summo *flos* insidet singularis Ranunculi, sed, ut sicca ostendit, purpureus, villosissimo & velut byssino, eique concolori lanugine obtecto calyce præditus.

Locus.
In Alpibus Vallesiæ collegit Platerus.

§. 7. *Ranunculi grumosa aut tuberosa radice.*

* 1. *Ranunculus grumosa radice* 1. Clus. *Lusitanicus Autumnalis simplex* Park. *Lusitanicus Clusii* Ger. *Ran. latifolius bullatus Asphodeli radice* C. B.

Clus.

Hæc species quinque, sex, aut plura habebat *folia*, circinatæ pænè rotunditatis, in ambitu serrata, per terram expansa, splendentia & veluti tumentia, bullatáque supernè, nervosa & lanuginosa infernè, ingrati initio saporis, sed postea ferventissimi. Inter folia exiliebant aliquot *pediculi* veriùs quàm cauliculi, dodrantales ferè, vel breviores etiam, villosi & lanugine quadam obsiti, singuli sustinentes *florem* luteum odoratum, quinque, sex, octo interdum, aut pluribus foliis constantem; quibus vento excussis vel sponte defluentibus *capitula* aliorum Ranunculorum capitellis aut Fragi rudimento similia apparebant, pallida. *Radix* ex multis, crassis, longiusculisque grumis sive tuberculis constabat, Chelidonii minoris longioribus radicibus non dissimilibus, quibus plurimæ tenues fibræ erant intermixtæ: temporis autem successu succrescente planta ex adnatis separari & in plures plantas pangi posse ipsa experientia demonstravit.

Frequens erat circa Olyssipponem inter oliveta & plerisque Bæticæ locis, ubi florentem Novembri & Januario collegit Clusius. *Locus.*

Reperitur interdum flore multiplici, qui Parkinsono *Ranunculus Autumnalis flore multiplici*: Cornuto *Ran. latifolius multiplex serotinus.* Clusius duas habet figuras magno & parvo flore. Secundæ titulum inscribit Ranunculus grumosa radice 1. species 11. nulla illius in descriptione mentione facta.

* 2. *Ranunculus Creticus latifolius* Clus. Park. Ger. emac. *Asphodeli radice Creticus* C. B.

Clus.

Quina aut sena promit à radice *folia*, impensè viridia, lata admodum, ut initio *Thalictrum* Pannonicum esse censerem, formâ enim illius foliis non sunt valdè dissimilia, & Platani foliorum formam plurimùm imitantur, multis venis prædita: inter quæ *caulis* exilit pedalis, satis firmus, aliquot foliis minoribus & valdè incisis præditus, è quorum sinu prodibant ramuli minoribus adhuc foliis obsiti; inter quæ nascebantur *flores*, longo pediculo innixi, quinque foliis luteis, satis amplis constantes, quorum umbilicum occupant multa *stamina*, aurei coloris apicibus prædita, & capitulum medium cingentia. Numerosa firmatur *radice*, è multis oblongis crassiusculisque grumis composita instar radicis Tripolitani Ranunculi, quæ longioribus grumis constat, colore ex albo & fusco mixto extrinsecus præditis. Folia ante hyemem promit, & adnatis se propagat.

Nata est semine è Creta accepto.

3. *Thora Valdensis* Ger. *minor* C. B. Park. *eorundémque major. Thora folio Cyclamina* J. B.

J. B.

Caulem habet singularem, palmarem, aut ferè etiam dodrantalem, junceum; *Folia* duo aut tria ex radice statim principiò oriuntur; cauli quoque circiter medium adnascitur, nullo interveniente pediculo, folium unum aut alterum, unumquodque singulare, ordine caulem conscendens, circinatæ ferè rotunditatis [imo latior plerunque] Cyclamini folio par aut etiam duplo majus, in medio per marginem aliquando sinuatum, interdum minùs, rigidum, nervosum, glabrum, argutis denticulis concinnè in ambitu crenatum, reliqua superiore caulis parte parva, oblonga, acuminata, simplicia, aut in lacinias aliquot fissa Thalictri folia æmulantur. *Flos* summo cauli insidet unicus, [interdum bifidus caulis in singulis ramis singulos gerit flores] Ranunculi & figurâ & colore luteo; nec dissimile Ranunculorum echino capitulum, è seminibus coacervatis conglobatum. *Radix* numerosis constat, habitiusculis, oblongis, Asphodeli imitatione ad caput unum obliquum annexis radiculis, in tenuia longáque filamenta desinentibus.

In altissimis jugis Montis Juræ propè *Thuiri* copiosam invenimus. Provenit & in monte Baldo; Clusius in Etscheri præcipitiis, & copiosiùs in Sneberg, observavit, cujus folia breviora; supernâ etiam parte latiora & magis incisa deprehendit quàm sint Thoræ Valdensium & montis Baldi. *Locus.*

4. *Ranunculus Illyricus minor* Park. *Illyricus* Ger. *Ran. lanug. angustif. grumosa rad. minor* C. B. *Illyricus, radicibus bulbosis, foliis longis* J. B.

J. B.

Radice donatus est ex plurimis bulbulis ceu Pini nucleis, albis, racematim quasi congestis, quibus se mirum in modum propagando multiplicat. *Folia* germinatione prima ex pediculis longis, rubentibus, parvula, glabra, viridia, tam Plantagineis primigeniis similia, ut internosci vix possint, nervis per folii longitudinem decurrentibus. Adolescenti secari incipiunt in longissimas portiones ternas quaternásve, variâ dein divisurâ adhuc ampliùs incisa, simulque molli & incana lanugine unà cum pediculis pubescere. *Caulis* cubitalis & sesquicubitalis, in ramos aliquot brachiatus, totus candidus & pilosus, *flores* gerit majusculos, aureo fulgore micantes, pentapetalos, interdum gemellos, inodoros: quibus succedunt *capitula* aspera, Fragariæ instar, oblongiuscula, *semen* continentia.

Clusius in Hamburgensi monte duobus, supra Posonium Ungariæ milliaribus observavit: Cherlerus propè Romam, florentem Maio. *Locus.*

 Habe-

Alia species. Habetur alius multò majoribus foliis, caule & floribus, magísque incanus, tum etiam magis numerosis radicibus, ut commodè Illyricus major dici possit. *Clus.* quomodo & Parkinsonus noster eum denominat. C. Bauhinus Ran. lanug. angustif. grumosa radice majorem.

Locus & Tempus. Hunc in herbidis ultra pontem Castri novi juxta Ladum amnem Maio mense florentem & sese multùm propagantem invenit D. Magnol, tum & in aliis herbidis satorum marginibus, foliis latis, minùs laciniatis.

* 5. *Ranunculus chærophyllos Asphodeli radice* C.B. *Asphodeli radice flore luteo* Park. *Ran. montanus leptophyllos Asphodeli radice* Col.

Col.

Autumno & hyeme exit è *radice* Asphodeli modo è pluribus bulbulis, Olivæ magnitudine, rotundioribus, in fibram tenuem desinentibus composita; Ex his *folia* ramosa, primis Bulbocastani æmula, in terram procliva, vel recta, petiolis hirsutis rubentibus, trientalibúsque, & cum foliis semipedalibus ferè, innitentia: in quorum umbilico antequam caulis exurgat *floris* botrus extuberat, in medio viridis: Martio verò caule ad dodrantis longitudinem se protendente explicatur, & *florem* aureum splendentem pulchrum edit, quinque foliolis rotundis constructum, luteis staminibus mediis densis. Quo defluxo *caput* remanet, quod perfectum oblongum est, Olivæ instar aut magis productum, *seminibus* aduncis densis cohærentibus, ut in congeneribus, minoribus multò etsi caput æquale. *Caulis* verò hirsutus est, rotundus, repens, singularis, raro pluribus quàm duobus vel tribus alis divisus; in quo circa summum foliorum lobi majores longioresque sunt, brevi petiolo hærentes alternatim.

Tempus & Locus. Martio floret & Veris fine perficitur; in collibus Campoclarensium & Æquicolorum admodum frequens. Loca amat pinguia, herbida. Acris est admodum, nec congeneribus cedit. Habetur etiam circa Monspelium. Vide *Botan. Monsp.*

* 6. *Ranunculus lanuginosus Apii folio, Asphodeli radice* C. B. *alter saxatilis, Asphodeli radice* Col. Park.

Col.

E *radice* multis crassis fibris summo cæspite hærentibus Asphodeli modo, crassioribus juxta radicis caput, sempérque decrescentibus, parvis, pollicis longitudine, multis capillaribus fibris intermixtis composita, *petiolos* edit cavos, & in imo latos circa radicem, Umbelliferarum ritu alter alterum amplectentes, quibus *folia* insident primùm lata, duabus tantùm incisuris divisa, deinde magis profundè tribus lobis, lobis ipsis postea tribus dentibus incisis, tandem ad nervum usque, ut tria folia videantur, illáque profundè incisa ac tandem dentata, utrinque hirsuta infernè albidiora. *Caulem* vere emittit teretem, hirsutum, semipedalem, alis divisum, in quo *folia* magis divisa & tenuiora, sine petiolo, ex quorum sinu ramuli, in quibus *flores* magni, pallidi, quinque foliolis unguis magnitudine constructi, staminibus intus luteis fructûs rudimentum virens circumdantibus Aprili mense: Deinde longum caput squamosum, seminibus rotundis in apicem desinentibus.

Locus. In Æquicolorum montibus observavit Columna saxosis humentibus locis.

* 7. *Ranunculus grumosa radice folio Ranunculi bulbosi* C. B. *Ran. grumosa radice Bononiensis* Park.

C. B.

Ex *radice* alba, grumosa veluti ex parvis bulbis sed firmiter compactis composita, fibris oblongis intermixtis folia Ranunculi vulgaris bulbosi foliis similia, subrotunda, sed profundiùs dissecta, oblongis pediculis donata, levissimè pilosa prodeunt: inter quæ *caulis* pedalis, hirsutus, rariùs in ramos divisus effertur, quem folia in angustos lobos secta bis cingunt, cujus summo flos luteus aliorum formâ insidet, cui capitulum brevissimis aculeis armatum succedit.

Locus. Agris Bononiensibus familiaris est.

8. *Ranunculus Asiaticus grumosa radice* 1. Clus. *Ran. Tripolitanus* Ger. *Tripolitanus flore phœniceo* J.B. *Asiaticus sive Tripolitanus flore rubro* Park. *grumosa radice flo. phœniceo minimo simplici* C.B.

Clus.

Folia aliquot à radice producit, unciam lata, duabus parvis laciniis divisa, per oras serrata, longis pediculis nitentia, crassiuscula & succulenta, glabra vel quàm levissimè hirsuta, venísque ex viridi pallescentibus prædita, subacidi & ingrati initio saporis, qui brevi in acrem & linguam mordicantem convertitur. Folium caulem imum amplectens majus est reliquis, & in tres lacinias divisum, quarum singulæ cætera folia æquant, & tripliciter incisæ, simúlque in ambitu serratæ sunt. Medius inter hæc assurgit *caulis*, teres, viridis, non lævis, sed quadam lanugine obsitus, quem per intervalla ambiunt bina aut terna *folia*, minora magísq; laciniata illo quod imo cauli adhæret, summo fastigio amplum sustinens *florem*, Pannonici sive Illyrici florem magnitudine superantem, licet ejusdem quodammodo formæ, & prorsus inodorum, quinque [aut sex interdum] foliis constantem, quæ forinsecus phœnicei sunt coloris, internè verò miniati elegantis & splendentis, medium florem occupantibus plurimis tenuibus & rubris *staminibus*, quorum apices crassiusculi, initio pulli, deinde cineracei coloris, extuberante inter media stamina capitello, purpuræ nigræ villis obsito, quod in uncialem aut longiorem amplitudinem tandem excrescens, frequentis seminis rudimento quidem obsitum est, sed prorsus plani & inanis; mihi certè nunquam fertile fuit. Multas habet radiculas, ex uno capite dependentes, breves & crassiusculas, perinde atque Illyricus sive Lusitanicus, à quorum

rum grumofis radicibus non multum differunt, (funt enim aliæ aliis longiores) extrema tamen parte non obtufæ, fed fingulæ in tenuem fibram paulatim defınentes, folidæ, fufci exteriùs coloris, interiùs albi, ingrati initio faporis, deinde acris. Cum Illyrico porrò grumofa radice Ranunculo illud ferè commune habet, quòd fub caule inter medios radicis grumos craffiufculus veluti ramulus enafcatur, qui obliquè per radicum interftitia fe porrigens in unumcaput extuberat, è quo multæ radices fuperioribus paulò minores dependent, è quorum medio caulis exilit, fub quo deinde alius ramulus fimiliter prodit, in latus uti fuperior per radicum fpatia fe fpargens, & novam radicum congeriem generans: quin & matri five primariæ radici adnafcuntur contigui & quafi ipfi infidentes terni aut quaterni fimilium & quafi matri æqualium grumorum globi, quâ fane ratione fatis feliciter fe propagat. Habet præterea albas quafdam fibras per craffiorum radicum fpatia fefe explicantes & fpargentes.

Locus. Conftantinopoli allatæ funt hujus radices aliquot, Tripolitani pleni floris nomine infignitæ.

9. *Ranunculus grumofa radice ramofus* Ger. C. B. *Ran. Afiaticus* πολύκλωνος *five grumofa radice II.* Clus. J. B. *Creticus vel Afiaticus flore argenteo* Park. parad.

Cluf.
A præcedente folo caule differt; qui utplurimum paulò craffior & firmior eft, atque etiam πολυκλαδὴς, ex foliorum quæ illi adnafcuntur alis unum aut alterum proferens ramulum, qui florem primario paullò minorem fuftinet.

10. *Ranunculus grumofa radice flore albo* C. B. *Afiaticus grumofa radice, flore albo* Ger. *Afiaticus vel Creticus flore albo* Park.

Cluf.
Caule eft pedali, in binos graciles ramulos divifo, fummo faftigio fingulares *flores* albos fuftinentes, quibus (maximè circa oras) fuave-rubens color permixtus eft; *ftaminibus* multis flavis oblongiufculum capitulum cingentibus. Caulem antequam in alas dividitur amplectuntur alia folia in ternas aut plures profundas lacinias fecta.

Reperitur & flore albo, oris rubris, atque etiam flore niveo. Alia denique fpecies flore radiatim mixto ex rubro & flavo, venis flavis magna venuftate rubrum colorem fecantibus.

11. *Ranunculus grumofa radice flore albo leviter crenato* C. B. *peregrinus grumofâ radice* 2. Cluf.

Cluf.
A fuperiore differt *foliis* planioribus, caule gracili, circa mediam partem foliis fingularibus, nec laciniatis cincto: floris petalis extima parte magis orbiculatis & leviter crenatis; capitulo brevi.

12. *Ranunculus grumofa radice, flore flavo vario* C. B. Ger. *Afiaticus flore luteo vario fimplici* Park.

Cluf.
A Tripolitano differt, *foliis* in caule in tenuiores & frequentiores lacinias divifis, fuperioribus præfertim, florum colore flavo ad viriditatem vergente, rubellis five purpureis venis virgatim diftincto; ftaminibus florum purpurafcentibus.

13. *Ranunculus Afphodeli radice, flore fubphœniceo rubente* C. B. *Afiaticus flore rubro pleno* Park. *flore pleno miniato* Ger. emac. *Afiaticus grumofa radice, pleno flore* 2. Cluf.

Terna vel quaterna habet à radice prodeuntia folia Afiatici five Tripolitani folii, fimilia, & illorum inftar incifa, minora tamen; inter quæ emergit *cauliculus* dodrantem pedis altus gracilior quàm Tripolitana, cui inhærent bina folia, interdum & tertium pufillum, quorum infimum ternis profundis laciniis, per oras ferratis divifum eft; alterum, quod fupernum & anguftius, quinque laciniis ufque ad medium nervum incifis, quarum fingulæ unicam crenam habent, nonnunquam binas aut plures, extima verò binas tantùm. Summo cauli infidet caliculus quinque foliis præditus, gemmam *floris* amplectens, qui explicatus multiplici foliorum ferie conftare confpicitur (centum enim & triginta habuit) foris fubphœnicei initio coloris, deinde miniati, interiùs elegantis rubri miniati ad coccineum tendentis, quorum alia latiufcula, alia anguftiora, umbilicum floris occupante foliaceo quodam capitulo, minùs miniato. *Radix* Afiatico fimplici fimilis, aliquot grumis minoribus conftans, & illius inftar propagines ad latera, fed rariùs, fpargens.

Ranunculus Afiaticus grumofa radice pleno flore 1. *Cluf.* cujus defcriptionem non ex viva planta, fed ex icone vivis coloribus expreffâ nobis non videtur diverfus à fecundo, cujus defcriptionem dedimus.

14. *Ranunculus Afiaticus grumofa radice, pleno flore* 3. Cluf. *Ran. Afphodeli radice, prolifer miniatus* C. B. *Ran. Afiat. flore pleno prolifero* Ger. emac.

Cluf.
Huic radiculæ quinque aut fex, fupremâ parte craffiufculæ ex uno capite dependebant, fuperioribus paulò longiores; è quarum capite prodierunt folia, non valdè diffimilia fuperioris foliis, fed minora

nora, & pluribus tenuioribúſque laciniis diviſa. *Cauli* tereti inhærebant bina *folia*, quorum infimum in tres majores lacinias diviſum, & illæ denuo in ternas, media verò in quinas minores. Summo cauli inhærebat *flos*, frequentibus, & multiplici ſerie diſpoſitis foliis conſtans, quorum alia aliis paulò latiora, coloris, ut pictura oſtendebat, (quem neſcio an pictor fideliter imitatus ſit) miniati. E medio flore proſiliebat pedicellus unciam altus, ſuſtinens alium florem minorem, plenum tamen & ejuſdem coloris, non ſecus ac videre eſt in Ranunculo illo tuberoſa & magna radice, cujus flos flavus, multiplici foliorum ſerie conſtans, qui ſæpe non modò ſecundum florem ex primo, ſed & tertium ex ſecundo nonnunquam producit. Ex ſuperioris autem folii ſinu natus erat ramulus duobus tenuibus foliolis prædirus, cujus faſtigio inſidebat floſculus etiam plenus, ſecundo ferè æqualis.

Ego hunc & ſuperiorem Ranunculum ſpecie convenire puto, & utrumque cum Ranunculo Aſiatico primo in loco deſcripto, ſiquidem flos non naturâ ſeu ſecundùm ſpeciem plenus ſit, ſed ex accidenti tantum, ob ubertatem ſoli, aut plantæ luxuriem.

15. *Ranunculus Creticus grumoſa radice flore niveo* Cluſ. *Ran. grumoſa radice flore niveo* C. B.

Cluſ.

Ex *radice* grumoſa inſtar illius quæ ex Aſia adfertur aliquot *folia* producit ſatis ampla, humi quaſi in orbem ſparſa, ſucculenta, viridia, ſupina tamen parte albicante colore in viridi velut conſperſa, in tres lacinias, per oras aliquot crenis inciſas, diviſa: inter illa quaterni aut quini prodibant *cauliculi*, graciles, firmi tamen, brevi quadam lanugine obſiti, quiſque ex foliorum magis inciſorum, quibus ambiebantur, alis alterum plerunque, nonnunquam etiam tertium ramulum producebant, parvo uno aut altero folio ornatum, qui ſummo faſtigio ſuſtinebant ſubfuſcum calyculum, in quinque foliola, fuſco villo obſita, diviſum: is deinde explicatus florem oſtendebat quinis foliis unciam amplis prorſúſque niveis conſtantem (licet interdum quædam conſpicerentur raris venis ſuaverubentibus per oras ſparſa) è quorum umbilico emergebat capitulum, ſubfuſcis ſtaminulis infima ſede cinctum, quod magnam gratiam candido flori conciliabat.

Tempus. Flores explicabat menſe Maio cum Aſiatico phœniceum florem gerente, quibus ſuccedebat ſimile capitulum, non diſſimili paleaceo & aceroſo ſemine obſitum, quod inutile eſſe arbitror.

Præter deſcriptas plurimæ aliæ hujuſce generis ſeu ſpecies ſeu varietates, magno ſtudio undique conquiſitæ in hortis curioſorum enutriuntur. In Catalogo horti Regii Pariſienſis Anno 1665. editæ invenio ſequentes.

Ranunculus Aſiaticus grumoſa radice, flore ſimplici lute[illegible]alleſcente, ſtriis rubentibus.
Ranunc. Aſiat. ſimplex aureus *Ferrarii*.
Ran. grumoſa radice, aureo panno concolor, fundo & limbo rubentibus.
Ran. Aſiat. flore ſimplici melino.
Ran. Aſiat. grumoſa radice, flore miniato per oras luteo.
Ran. Aſiat. flore luteo, lineis albis picto.
Ran. Aſiat. grumoſa radice, foliis intus & per oras pallidè luteis, lituris purpureis, alas referentibus Papilionum.
Ran. grumoſa radice flore phœniceo, ſimplici odoro.
Ran. Aſphodeli radice, flore flavo, venis rubris diſtincto, *Boſvel* dictus.
Ran. flore pleno flaveſcente, & rubris lineis elegantiſſimè variegato, *Le Seraphique*.
Ran. Aſphodeli radice, flore ſanguineo maximo, *Le monſtre rouge*.
Idem flore luteo variegato, *Le monſtre Panaché*.
Ran. Conſtantinopolitanus gigas flore coccineo, *Le Geant de Conſtantinople ou le grand Orange*.
Idem flore eleganter variegato.
Ran. Romanus gigas miniato flore, *Le Geant de Rome*.
Idem pleniſſimo flore miniato & luteo vario.
Ran. Alepus grumoſa radice, flore purpuro-ſanguineo maximo, *Spherique ou Peone*.
Idem flore lineis rubris & luteis ſtriato, *Spherique Panache*.
Ran. Syriacus grumoſa radice flore miniato patulo, *Salamine*.
Idem ex luteo palleſcente & rubro mixtus, *Le grand Pontife, ou le Salamine Panache*.

§. 8. *Ranunculi quidam C. Bauhino in Prodromo & Parkinſono deſcripti.*

1. *Ranunculus montanus ſubhirſutus latifolius* C. B. prod. *montanus hirſutus latifolius* Park. *mont. ſubhirſutus Geranii folio* C. B.

C. B. prod.

Ex *radice* longa fibroſa *folia* prima Geranio columbino ſimilia, ſubnigricantia, mollia, in tres primùm lacinias ad pediculum diviſa, & hæ in alias tres, hæque in alias ſectæ, pediculis palmaribus ſubhirſutis donata prodeunt, quorum tamen ſuperiora latiora & acutiora: inter quæ *Caulis* ſeſquicubitalis, cavus, ſtriatus, pænè glaber; in ramos brachiatus effertur: quibus *flores* parvi, pallidè lutei quinquefolii inſident: his *ſemina* in *capitulum* congeſta ſuccedunt.

Locus. Hic in humidis montis Mutetæ provenit.

2. *Ranunculus montanus lanuginoſus foliis Ranunculi pratenſis repentis* C. B. Park.

C. B. prod.

Radicem habet fibroſam, rufeſcentem, à qua cum *caule* tenui, cubitali, lanuginoſo, ſupernè in alas diviſo prodeunt *folia* pallidè virentia, tactu mollia, pediculis palmaribus, lanuginoſis donata, inſtar

ſtar Ranunculi pratenſis repentis, in tres primùm lacinias, oblongis pedicellis donatas, & hæ in alias acutas per marginem crenatas, diviſa. *Flos* aureus quinquefolius.

Priore rarior eſt, & in altiſſimis montibus, ut in *Belken* Marchionatûs reperitur.

Locus. J. Bauhinus hunc ſynonymum facit *Ranunculi* ſui *magni, valdè hirſuti, flore luteo*: At deſcriptiones non conveniunt.

* 3. *Ranunculus montanus Betonicæ foliis* Park.

Park.

Multa è *radice* plurimis fibris albis compoſitâ emittit *folia* latiuſcula & oblonga, venis ſeu nervulis crebris ſuperficiem velut rugoſam efficientibus, intertexta, pediculis brevibus donata, circa margines crenata, extremitate rotunda, Betonicæ foliorum inſtar, illis tamen minora, ſupernè atrovirentia, infernè argentea. In horum medio ſeu centro exurgit *cauliculus* nudus, palmi altitudinem vix excedens, in faſtigio florem geſtans ſingularem, parvum, quinque foliolis mucronatis albis compoſitum, *apicibus* in medio luteis; totidem calicis foliolis viridibus ſuſtentatis. *Semina* ut in aliis Ranunculis in capitulum echinatum congeſta. Tota planta, *folia* & radices, amara initio, deinde validè adſtringentia.

Locus. In Alpibus, nimirum in monte *Senis*, quem ſuperant qui è Gallia in Italiam iter faciunt, à Pilleterio inventus, & ad Lobelium tranſmiſſus eſt.

Habetur in Catalogo horti Regii Pariſienſis.

* 4. *Ranunculus Geranii tuberoſi folio* C. B. prod. Park.

C. B.

Radice eſt fibroſa; *caulibus* multis, cubitalibus, viridibus, lævibus, ſtriatis & ramoſis: *foliis* à radice pediculis palmaribus donatis, uncias ſex longis latiſque, ſupernè atrovirentibus, foliorum Geranii tuberoſi inſtar in multas lacinias, ſed longiores & latiores, ad pediculum diviſis, & rurſum in alias ſciſſis: at in caulis ſummitate in ſegmenta graminea partitis. *Flores* in ramulorum ſummis plures, parvi, lutei, multis in medio ſtaminibus; quibus *capitulum* parvum rotundum cum ſeminio ſuccedit.

Locus. Non longè Patavio in Arqua, ubi Petrarchæ ſepulchrum legit *C. B.*

* 5. *Ranunculus ſaxatilis magno flore* C. B. Park.

C. B. prod.

Radix ex oblongis fibris capillaribus compoſita eſt. *Folia* habet ad radicem plura, oblongis pediculis nonnihil lanuginoſis donata, unguem vix lata, in tres parvas lacinias, & hæ in binas vel ternas acutas, diviſa; inter quæ *cauliculus* palmo minor tenuis, lanuginoſus, cujus ſummo flos magnus, aureus, ſplendens, quinquefolius, multis in medio ſtaminibus ruſeſcentibus, inſidet.

Locus. Circa Monſpelium in ſaxoſis crevit.

* 6. *Ranunculus ſaxatilis foliis ſubrotundis* C. B. Park.

C. B. prod.

Radix in fibras oblongas, capillaceas abit: *Folia* per terram ſparſa, ſubhirſuta, craſſa, pedicellis uncialibus donata, vix unguem lata, in petiola parva, ſubrotunda, & hæc in alia dividuntur: *cauliculus* tenuis, lanuginoſus, ſex unciarum, ad exortum ſtatim dividitur: *flos* luteus, quinquefolius, multis ſtaminulis donatus.

Eodem quo prior loco reperitur. An hic à præcedente differat inquirendum.

* 7. *Ranunculus minimus ſaxatilis hirſutus* C. B. Park.

C. B. prod.

Radice eſt puſilla, capillari, circa quam *foliola* plurima, in tres lacinias ſubrotundas & per marginem inciſas diviſa, longis pedicellis hirſutis donata: inter quæ cauliculus duarum triúmve unciarum hirſutus exurgit, *florem* luteum aliorum Ranunculorum ſimilem multis in medio croceis ſtaminibus ſuſtinet: cui capitulum parvum ut in aliis ſuccedit.

Locus. Non longè Monſpelio ad Lattes provenit.

* 8. *Ranunculus villoſiſſimus Monſpeliacus* C. B. prod. Park.

C. B. prod.

Radice eſt fibroſa, ruſeſcente: *foliis* ex eâ prodeuntibus craſſis, villoſis, parvis, in lacinias primùm ternas, alias ſubrotundas, alias acutas, & hæ in alias inciſis, & per marginem crenatis, quæ verò in caule ſunt in oblongas & acutas & quaſi aculeo armatas lacinias, ſed longitudine impares dividuntur: inter quæ *caulis* palmaris, in breves alas brachiatus, quibus ſingulis folium in plures lacinias diviſum ſubjicitur. *Flos* aliorum Ranunculorum formâ, mediæ magnitudinis, lutei coloris eſt. Tota planta ob pilos ruſeſcentes molles villoſa & ruſeſcens eſt, & Monſpeſſuli in ſaxoſis reperitur.

Dubitat *D. Magnol* an hæc ſit Ranunculi diſtincta ſpecies an varietas tantùm Ran. ſaxatilis magno flore.

9. *Ranunculus montanus folio Aconiti, magno flore* C. B. *Ran. mont. major flore luteo* Eyſt.

CAP.

CAP. IV.

De Herbis quibusdam Ranunculi capitulo & calyce, flore polypetalo, & primò De Ranunculo Rutæ folio.

Ranunculus præcox Rutæ sive Coriandri folio Park. parad. *Ran. Rutaceo folio, flore suaverubente* C. B. *præcox Rutaceo folio* Ger.

Clus.

FOlia aliquot à radice producit multifida, Rutæ foliis non valdè dissimilia, molliora tamen & magis viridia: *flores* autem habet amplos, ante ipsa folia emergentes, forinsecus dum initio emergunt ad suaverubentem colorem tendentes, internè candidos, duodenis aut pluribus foliis constantes, umbilicum occupante *capitulo* viridi, ut in reliquis hujus generis, cincto multis albicantibus staminulis, quæ flavos apices habent, sine odore: Hos sustinet *cauliculus* teres & initio purpurascens, deinde ex viridi pallescens, quem ambit unicum plerunque folium, (rarò plura) exiguum, duabus aut tribus laciniis divisum, latâ basi cauliculum amplectens: Floribus deciduis succrescit illud capitulum, & in *semina* crassiuscula evadit. Thoræ Valdensium semini pæne similia.

Locus. Nascitur in inferioribus Sneberg jugis & vicinis montibus, singulari radice crassiuscula præditus, è cujus capite aliquot crassiores fibræ dependent, in hortos autem translatus multis adnatis sese propagat, multóque frequentiores fibras spargit.

Tempus. Floret in hortis plerunque Aprili, nativo loco serius.

In Catalogo horti Regii Parisiensis habetur,

Ranunculus Rutæ folio serotinus, flore aureo pleno.

CAP. V.

De Flore Adonidis.

ADonidis floris meminit Ovidius 10. Metamorph. qui Anemone esse à multis creditur; alii huic id nomen tribuunt. Quibusdam hæc herba φλὸξ Theophrasti à floris flammeo igneóque colore censetur; qui inter flores vernos & odore carentes eam recenset, 6. *hist.* 6.

A. 1. *Flos Adonis* Park. *F. Adonis flore rubro* Ger. *F. Adonis vulgò aliis Eranthemum* J. B. *Adonis hortensis flore minore atrorubente* C. B. **Adonis flower, Red Maithes.**

Radix ei alba, simplex, minimo digito tenuior, sapore herbaceo & nonnihil nauseoso, *J. B. Caules* cubitales aut sesquicubitales, inferius hirsuti, erecti, teretes, striati, tubulo angusto perforati, glabri, ramosi, ad intervalla foliis alternatim positis vestiti, ramulis crebris è foliorum alis exeuntibus, & caulem ipsum altitudine superantibus. *Folia* Chamæmelinorum magnitudine & divisurâ, in angustas & acutas lacinias dissecta, hilarè viridia, glabra. *Flores* in summis caulibus & ramulis singuli, pediculis satis longis, è calice quinquefolio unà cum flore deciduo, pentapetali, sæpius octapetali, intensò cruore saturati, cum multis intus *staminulis apices* obscurè cœruleos gestantibus. Florem medium occupat *capitulum* Ranunculi, in longitudinem productum, multis seminibus majusculis in acutos apices desinentibus, per maturitatem etiam virentibus compositum. Flos hortulanis nostris **Pheasants eye**, i. e. Phasiani oculus, ob colorem dicitur.

Locus. Inter segetes frequens in exteris regionibus; aiunt & in Anglia sponte provenire sed rariùs, mihi certè nondum occurrit.

Adonis flore luteo non alia in re quàm floris colore à præcedente differt.

2. *Flos Adonis* 2. Clus. *Adonis sylv. flore phœniceo, ejúsque foliis longioribus* C. B.

Clus.

Similes habet priori caules & folia, sed dilutiùs virent: caules etiam rarioribus alis prædití. *Folia* paulò molliora, nec adeò multifida: *flores* longioribus foliis constant, & coloris sunt phœnicei, dilutiores etiam quàm sunt Anagallidis flores, villis nigris similiter umbilicum occupantibus, in quo statim, vix etiam aperto flore, caput extuberat, in majorem deinde longitudinem excrescens quàm superioris, illóque gracilius, *semine* tamen constans adeò simili, ut neutrum ab altero discerni queat. *Radix* superiori ferè similis, quodammodo flavescens instar radicis Fumariæ, sed fugacior alterâ, quemadmodum & tota planta.

Locus. Sponte frequentissima nascitur inter segetes, in Gallia Narbonensi, universa Hispania, Italia, ínque Austria & Moravia.

Vires. Flores ejus qui flore est phœniceo in vino infusos & potos ad dolores colicos & nephriticos leniendos utiles esse experientiâ compertum scribit Parkinsonus in *Parad.*

Cap. VI.

1. *Buphthalmum Dodonæi, aliis Consiligo tenuifolia* J. B. *Buphthalmum sive Helleborus niger ferulaceus* Ger. *Helleborus niger ferulaceus* Park. *Hellebor. niger tenuifolius Buphthalmi flore* C. B. **Yellow Ox-eye.**

J. B.

NON absimilis Hellebori radici hujus fibrosa *radix*, quæ sicca, qualis in Officinis prostat, sesquipalmaris, fibris nigricantibus constat, tenuioribus quàm Hellebori nigri radix, à capite magis etiam divulso pendulis, sapore amaro præditis, non parvam tandem acrimoniam relinquentibus: *caules* aliquot proferens spithamæos, striatos, tenues, in quibus *folia*, tenuissima dissecta, Floris Adonidis modo, sapore subamaro, odore ubi atterantur digitis insuavi. *Flores* pulchri, flavi, nullo excellente odore, ex foliis sedecim, oblongis, striatis, acuminatis, circa mucronem nonnihil crenatis compositi: in medio amœna plurimorum staminum partim herbidorum corona *capitulum* circumstat, oblongum, echinatum ut Ranunculis: seminibus acutis compressis: subsunt flori quina folia viridantia hirsuta.

Clusius vulgarem ait omnibus apricis collibus, & siccioribus utriusque Pannoniæ & Austriæ gramineis campis. Maio aut Junio floret. *Locus.*

Radix amara est & acris, & venditur loco radicis Hellebori nigri, sed deleterium est. Verrucas tollit ut Ranunculus. *D. Palmer.* *Vires.*

• 2. *Helleborus niger ferulaceus sive Pseudo-Helleborus, caule geniculato, flore magno instar Tulipæ* Mentzel.

Differt omnino à præcedente: hic enim longè per omnes partes tenerior est & humilior nostro in Marchia Brand. circa Francofurtum copiosissimè crescente.

Huic idem videtur

Buphthalmum peregrinum Alpin. exot.

Alpin.

Fruticat hæc planta multis *caulibus* rectis, rotundis, gracilibus, sed ab una radice obliquè actis, densis, tricubitalibus, colore viridi nigrescente. *Folia* plura habet, quadantenus Fœniculo similia, jucundo virore oculos delectantia: in cauliculis verò *flores* cernuntur, aurei coloris fulgescentis, duplo Anthemidis majores, à quibus fiunt *semina* parva, oblonga, tenuia, nigra. *Radices* subsunt longæ, graciles, subnigrescentes.

Perennis est, hyemisque frigora spernit. Vere & totâ æstate, & usque etiam in hyemem floret.

Plantam hanc præter rationem Hellebori nigri speciebus accensent, cùm neque notis genericis, neque facultatibus cum Helleboro conveniat. Dodonæus enim hujus radices per inferna minime purgare experientiâ didicit.

Cap. VII.

De Malva.

MAlva Latinis quasi Molva quòd alvum molliat, ut inquit Festus, secundùm tritum illud Scholæ Salernitanæ versiculum,

Dixerunt Malvam Veteres quia molliat alvum.

Græcis etiam Μαλάχη dicitur ἀπὸ τοῦ μαλάσσειν ob eandem rationem.

Utrumque Etymon improbat Casp. Hofmannus, nec tamen meliora substituit.

Notæ Malvæ characteristicæ sunt calyx octaphyllos, seu geminus, exterior in tres, interior in quinque lacinias divisus, folia integra, semina in rotulæ aut caseoli formam circumacta.

§ 1. *Malvæ sylvestres annuæ.*

1. *Malva crispa* J. B. Ger. Park. parad. *foliis crispis* C. B. **Curled or French Mallow.**

J. B.

Humanam altitudinem assequitur & in lætiore solo etiam excedit, *caule* crasso, tereti (quamvis J. Bauhinus, nonnihil angulosum faciat) viridanti & non raro in apricis rubenti, glabro, rigido, aliquantulum concavo, aliàs medullâ copiosâ farcto, ramoso. *Folia* palmaribus aut dodrantalibus pediculis, altera parte hirtis, altera glabris, appensa, per intervalla caulem ab imo ad summum usque alternatim posita obvestiunt, Malvæ vulgaris majora, brevibus pilis hirsuta, non tantùm laciniata,

verumetiam

verumetiam crebro flexu reflexúque per oras crispa & argutè denticulata. *Flores* conferti ad pediculorum quæ folia sustinent exortum brevibus plerunque petiolis [nunc singuli singulis, nunc communi pediculo plures] insident, haud majores quàm Malvæ, sylvestris pumilæ aut provolutæ, colore ex dilutissimo rubore albicante, quinque foliis cordatis, lineis intus purpurascentibus, saturatioribus striatis, ad ungues ut in reliquis Malvis junctis, compositi: *calice* hirsuto virescente in quinque segmenta acuta diviso: in quo etiam connivente succedunt in orbem congesta *semina* Malvæ jam dictæ. Calici subsunt tria angusta folia ut in aliis Malvis. *Radix* subest dodrantalis aut longior breviórve pro ratione soli, surculosa, alba, mediocriter crassa, sapore grato, & ut reliqua planta glutinoso. Annua est planta, semine deciduo se quotannis renovans. De loco natali nihil invenio.

2. *Malva trimestris* Clus. *trimestris flore cum unguibus purpureis* J. B. *æstiva Hispanica* Ger. *Malva folio vario* C. B. Pin. *æstiva sive trimestris* Park. *fortè etiam Malva Hispanica flore carneo amplo* ejusdem.

Pedali altitudine crescit hoc Malvæ genus, *caule* rotundiusculo, tereti, viridi, lanugine tamen aliquantulùm obsito, quem rara, & nullâ certâ serie distributa ambiunt *folia*, tenella, viridia supernè, infernè dilutiora; infimo cauli adnata, circinatæ fermè rotunditatis, in ambitu serrata; supremum caulem & ramulos amplectentia angulosa sunt, ad foliorum Althææ formam pænè accedentia. *Flores* summis ramulis inhærent, satis magni, quinque foliis extima parte lunatis constantes, purpurascentis coloris, unguibus saturatiore purpurâ infectis, prodeuntibus ex umbilico *staminibus* pallidis, villis purpureis: *Semen* in foliaceis capitulis planum. *Radix* parva est, candicans, tenuibus fibris prædita, annua tamen, aut potiùs trimestris, quam subsequens hyems corrumpit.

Malva Hispanica flore carneo amplo Park.

Formâ externâ & crescendi modo vulgari Malvæ persimilis est, caulibus rectis, duos trésve pedes altis, multis ramis brachiatis assurgens, ab imo ad summum usque foliis obsitis rotundis, Malvæ vulgaris similibus sed rotundioribus, tantillo minoribus, minúsque divisis, inferioribus majoribus. *Flores* è foliorum alis exeunt, copiosi, pentapetali, carnei, cum pistillo in medio concolore. A vulgari Malva floris præcipuè formâ, qui huic longior est & ad margines magis expansus Campanulæ in modum, ejusdémque colore incarnato seu pulchrè rubello differt. Floribus succedunt orbiculi, seminibus nigricantibus, vulgari similibus sed minoribus, arctè stipatis compacti, *Radix* tenuis, longa, quotannis marcescens.

Ex Hispania ad nos delata est.

Miror cur Morisonus hanc Malvam perennem faceret, cum Parkinsonus annuam esse affirmet.

3. *Malva folio vario* C. B. prod. *Malva stellata* J. B.

J. B.

Caules huic tenues cubitales vel bicubitales, ramosi. *Folia* priora in tenella planta sunt ex longis pediculis parva, rotunda, serrata; ubi autem adolevit, per ramos ex brevioribus foliis in satis magna, [evadunt] in tres partes divisa, quorum quædam sagittam exprimunt. *Sapor* ingratus, nonnihil viscosus. *Flos* magnus, purpureus, striatus, quinque foliis cordatis constans: in medio pistillus albus, ex multis apicibus compositus. Ejus *calix* prior membraneus, uti & secundus, in quo cuspides quinque stellam quodammodo exprimentes. *Semen* quale vulgaribus Malvis. Tota planta hirsuta. [*Radix* subest alba, fibrosa.]

Locus. Argentinæ in horto Friderici Meier vidit *J. B.*

Malva folio vario C. Bauhino in prodromo descripta & depicta diversa videtur à Malva trimestri *Clus.* quam in pinace Malvam folio vario appellat.

4 *Malva hirsuta folio cordato* Morisoni.

Moris.

Caules edit multos, hirsutos, bicubitales & altiores; quibus adhærent *folia* cordata, mucronata in ambitu leviter serrata, pediculis etiam hirtis, brevibus innitentia: ex alis prodeunt pediculi alii breves sustinentes *flores* pentapetalos, floribus primæ majores, secundæ verò minores [quid per vocabula *primæ* & *secundæ* intelligat non capio] dilutè rubentes: quibus succedunt, caseoli aut placentulæ instar, multa *semina* semilunaria rotatim cingentia stylum nutritivum. Annua est planta.

Tempus & Locus. Floret Julio & Augusto: semina perficit Septembri & Octobri. Semina hujus ex Asia habuit Descriptionis autor.

5. *Malva annua rotundifolia, floribus omnium minimis albis pentapetalis, verticillatim genicula ambientibus* Morisoni.

Moris.

Hæc Malvæ species ascendit ad altitudinem quatuor aut quinque pedum, atque in singulis geniculis plurimos edit *flosculos*, albos, pentapetalos, omnium minimos; arctè & verticillatim caules ad singula genicula amplectentes, quasi absque pediculis: floribus fatiscentibus singulis singula succedunt *capitula*, ex plurimis seminibus semicircularibus, cortice rugoso tectis, rotatim seu circulariter ambientibus stylum nutritivum. *Folia* inferiora sunt rotunda, laciniata & crispa, superiora oblonga, sinuata. *Flores* sunt parvi, quinis parvis imò omnium minimis petalis albis constantes: quibus densè circa genicula dispositis succedunt *circuli* seu caseoli minimi, arctè geniculis adhærentes. Planta est annua, quæ postquam multiplicia, imò infinita semina ediderit, totaliter perit.

6.

* 6. *Malva annua hirsuta, foliis hederæ instar angulosis* Morisoni.

Morison.
Caules hujus sunt admodum hirsuti, quin & *folia* eorúmque pediculi quibus innituntur hirsutie pariter scatent: *flores* habet minores, pentapetalos, at singula petala deliquium patiuntur, adeò ut bifida in extremitate appareant: hisce singulis singuli orbiculi caseiformes succedunt, in quibus conspiciuntur plurima semina circulariter ambientia stylum nutritivum. Planta est annua, florens æstate, atque semina versùs ejusdem finem perficiens.

§ 2. *Malvæ sylvestres perennes.*

A. 1. *Malva vulgaris* Park. *sylvestris* Ger. *sylvestris folio sinuato* C. B. *vulgaris flore majore, folio sinuato* J. B. **Common Mallows.**

Radice simplici, alba, paucis fibris capillata altè in terram descendente, sapore dulci & viscido prædita firmatur. *Caules* sesquicubitales & altiores, ex eodem radice plures, teretes, hirsuti, medullâ farcti, ramosi, minimi interdum digiti crassitudine feré. *Folia* singulatim per intervalla caules vestiunt, pediculis prælongis insidentia. *Flores* ex alis foliorum exeunt plures simul, pediculis longis, tenuibus, hirsutis, ampli, purpurei, saturatioribus lineis striati, quinque foliis cordatis ad ungues junctis compositi, [unde & flores integri decidunt] cirris purpurascentibus medium occupantibus. *Calix*, qui florem antequam aperitur obvolvit, quinquepartitus, arctè connivet, & quinque lineas eminentes ostendit, quemadmodum Pentaphylli *calix*. Quinque hæc calicis folia tria alia exteriùs circumstant. *Semina* simul juncta compressi orbiculi umbilicati seu caseoli formam imitantur. Folia Malvæ vulgaris ima rotunda, in caulibus laciniata, atrovirentia, circum oras crenata, brevi & vix conspicua lanugine hirsuta.

Ad sepes & semitas inque locis ruderatis. *Locus.*

Variat interdum floris colore albo, quæ Malva vulgaris flore albo *Park.*

A. 2. *Malva sylvestris minor* Park. *sylv. pumila* Ger. *sylv. folio rotundo* C. B. *vulgaris flore minore, folio rotundo* J. B. **Small wild Mallow, or Dwarf Mallow.**

Hæc omnibus suis partibus præcedente minor est. *Radix* non minùs altè in terram descendit, ut difficulter extirpetur. *Caules* tenuiores, infirmiores & in terram reclinati, hirsutiores etiam verùm lanugine breviori, medius tamen non raro erigitur. *Folia* minora, rotundiora, quæq; in summis caulibus sunt minùs laciniata, præterea nigricant magis, & canitiem quandam ostendunt. Verùm præcipua differentia est in floribus, qui multo minores sunt, & ex pallida purpura albicantes, purpureis lineis striati.

Hæc non minùs frequens est præcedente, in eisdem locis proveniens.

Herba humectat, emollit, lenit dolores, urinæ acrimoniam mitigat: in tumoribus maturandis, *Vires.* doloribúsque sedandis extrinsecùs adhibetur in cataplasmatis; ad alvum leniendam & dolorem nephriticum mitigandum in clysteribus. Præcipua ejus vis est in emolliendo, ut vel ipsum nomen arguit.

Ob lentorem succi syrupus & conserva medentur dolori calculosorum. Ob calorem illum modicum quem habet est remedium colicum in infantibus in butyro frixa. Hoc in propriis liberis expertus sum. *C. Hofman.* in *De Medicam. Officin.* Eadem habet *S. Paulus.* Decocti vel aquæ destillatæ foliorum Malva ℥iij cum syrupi violacei ℥iß. urinæ ardorem & acrimoniam mitigat & restinguit illico prima dosi. *Grulingius* in *praxi*, nec se aliud in hoc morbo præsentius remedium nôsse scribit, cui nostra quoque experientia suffragatur. *D. Hulse.*

Ad Dysuriam, ℞ Decoct. Malvarum cum Syrupo Violarum. Hoc remedio semetipsum curâsse se testatur Forestus. *D. Hulse.*

* 3. *Malva Betonicæ folio* Bocconi & Zanoni.

Boccon.
Humilis est hæc Malvæ species: *Cauliculo* palmari & bipalmari, infirmo & per terram strato, seu versùs terram reclinato. *Foliis* in longioribus pediculis Betonicæ formâ constat, minoribus in ambitu crenatis, circa cauliculos paucis; è quorum sinu pediculus exit longus, *flosculum* sustinens Malvæ vulgaris facie purpurascentem, subeunte *semine* Malvaceo.

Hetruriæ alumna est hæc Malva, quam in pratis illustrissimæ Gaitanæ gentis Terriccio dictis, *Locus.* non sine tædio & molestia multarum circuitionum quasi latentem invenit Paulus Boccone.

* 4. *Malva Americana* C.B.prod.

C. B. prod.
Radicem habet oblongam, albam, fibrosam; *caulem* angulosum, striatum, lanugine levi obsitum: *folia* viridia, tenuia, pleraque semicircularia, uncias duas longa, tres lata, supernè angulosa seu sinuata, per ambitum leviter crenata, pediculis palmaribus hirsutis donata: flores albidi unà cum semine Malvæ sylv. pumilæ similes sunt.

* 5. *Malva montana* Park. *hederaceo folio* C. B.

Ima hujus *folia* Malvæ vulgaris foliis æqualia sunt sed longiora in subrotundas lacinias non tamen profundè incisa, hederaceis foliis nonnihil similia. *Caulis* & minor est & humilior quam vulgaris Malvæ, foliis minoribus amictus, & superiora versus minoribus & rotundioribus. *Flores* & *semina* vulgaris Malvæ similia, nec *radix* dispar.

* 6. *Malva Sicula foliis moschatis crispis* Bocconi.

Boccon.

Caules hujus plantæ non semper humi procumbunt: *Folia* undulata sunt & crassa, Malvæ vulgaris magnitudine, suavi quodam odore Moschi fragrantia ad basin: quin & eorundem pediculi singulis appendicibus sive unguibus cinguntur. *Flos* pallidus, ad Citri colorem accedens. *Semen* Bammiæ par.

Locus. Ad Agrigentum & Saccam viget plurima locis argillosis.

Suspicor hanc plantam ad aliud genus pertinere nimirum ad Bammiam moschatam.

§. 3. *Malvæ hortenses seu Roseæ.*

1. *Malva rosea sive hortensis* J. B. *Malva hortensis rosea simplex & multiplex diversorum colorum* Park. parad. *Malva hortensis* Ger. *Mal. rosea folio subrotundo* C. B. *& Mal. rosea fol. subrotundo, flore pleno* ejusdem. **Hollyhocks single and double of divers colours.**

J. B.

Hæc si, ut Rosæ, nares conciliaret, nulli dubium quin de præstantia & pulchritudine cum ipsis rosis certare possit. Cæterùm Arbusculæ magnitudinem assequitur, stipite crasso, solido, hirsuto, ramis aliquot brachiato. *Folia* alternatim longis mediocriter & lanuginosis pediculis ex caule oriuntur, singula, lata, infima & primò erumpentia rotunda, superiora in caule angulosa, quinque ferè aut septem interdum divisuris insecta, in ambitu crenata, suprà obscuriùs virentia, infrà albidiora, utrinque pilosa [supernè in nonnullis adeò brevi lanugine ut vix possit discerni:] ex quorum alis *flores* emicant [nunc singuli, nunc bini ternive pediculis brevibus] successivè plures, pentapetaloides, Rosæ magnitudine: colore vel rubro, vel puniceo, vel saturo sanguineo, vel carneo, vel albo, interdum luteo, iique modò simplices, medium occupante cono apiculis subluteis & purpurascentibus prædito, in multa foliola flori concoloria se explicante: modò multiplici foliorum fœtu luxuriantes: insident autem hi calyci geminato [utrique in quinque lacinias secto] cana lanugine pubescenti, *seménque* post se relinquunt in pastilli formam compressum. *Radix* longa, alba, lentum mucorem remittit, non alio quàm Malvæ sylvestris sapore.

Hæc planta in hortis solo lætiore sata & diligenter culta insignem altitudinem assequitur præ omnibus quas apud nos observaverim plantis erectis & suis se viribus sustentantibus superficie annua, seu sylvestribus, seu hortensibus.

Secundo à satione anno caulescit & floret. Caules quotannis intereunt, radix perennat.

Malva rosea folia ficûs. Hujus etiam species invenitur folio amplo Ficûs, profundè laciniato, quæ Malva rosea simplex peregrina *Ger.* Mal. rosea folio Ficûs *C. B.* Malvam roseam folio Ficus alteram *C. B.* in Prodromo descriptam ab hac non differre existimo, nec enim plantam integram vidit, nec sufficientes distinctionis notas adjecit.

2. *Malva hortensis seu rosea folio subrotundo caulescens flore simplici minore luteo pallido* Morisoni.

A priore differt parvitate partium, & flore pallidè luteo, duplo minore. Semen hujus communicavit D. *Robertus Huntington*, qui etiam semina sequentis plantæ Halepo transmisit.

3. *Malva rosea folio subrotundo Chalepensis, acaulos, flore pallidè luteo* Morisoni.

Radice perenni, floribus eorúmque magnitudine seminibúsque neutiquam à majore Malva hortensi, lutea, procera distinguitur, sed quòd flores plurimos, pentapetalos, pallidè luteos juxta terram producat, absque ullis ferè pediculis quibus innitantur: juxta terram etiam semina Malvæ hortensis seminibus in omnibus, etiam pænè magnitudine paria profert, quæ aliquando exiguis & visu non perceptibilibus adhærent pediculis, humi procumbentibus, aliquando caulibus pedalibus & sesquipedalibus donantur.

Planta dicitur ἄκαυλος, non quòd destituatur omnino caule, sed quod sit adeò brevis ut rarò aut nunquam appareat, ut in Carlina ἀκαύλῳ, &c.

Semen Halepo transmissum est.

Vires. Malva rosea eisdem viribus pollet quibus vulgaris.

Ejus flores coquunt in vino veteri, quo porrigines absumunt & sanant. *Cam. hort.* Utuntur etiam ad Erysipelatis rubores compescendos; imprimis rubentibus rosis, secuti coloris similitudinem. Ego (inquit J. Bauhinus) in siccitate & ardore linguæ & faucium horum decocto feliciter utor.

℞. Malvæ herbæ Rad. Sem. q. v. (an. p. æq.) cum farina Hordeacea in aqua coquo; cui admisceatur oleum Olivar. vel Rosar. Ex hisce omnibus conficiatur emplastrum, & imponatur locis affectis; id quod non sine magna utilitate fiet in tumoribus hepatis, lienis & matricis: nam resolvendi, discutiendi & emolliendi calidos abscessus vim obtinet hujusmodi medicamentum: idem emplastrum

emplastrum sacris ignibus & aliis id genus inflammationibus auxiliatur, & impactos corpori aculeos refigit. Trag. lib. 1. cap. 119. p. 368.

Invenio in Adversariis meis idem emplastrum in frequenti usu esse in Nosocomiis Italicis ad inflammationes & tumores ardentes mitigandos & compescendos. D. *Tancred. Robinson.*

Novi ego unguentum simplex è Malvæ hortensis foliis in Butyro Maiali non salito decoctis & colatis paratum ad Erysipelata & ignes sacros magno successu adhibitum, ut post alteram vel tertiam inunctionem ea compescere, extinguere & sanare soleat & rarissimè fallat.

§. 4. *Malvæ arboreæ.*

1. *Malva arborea* Park. J. B. *arborea, Veneta dicta, parvo flore* C. B. *maritima arb. Ven. dicta parvo flore* Morisoni.

Stipite adolescit crasso, ligneo, quaternûm aut quinûm cubitorum, [aliquando denûm aut plurium, secundùm solum cui committitur. *Moris.*] eâ interdum crassitudine, ut ambabus manibus vix illum complectaris *Park.* perenni, solido, brachiato, superna parte *foliis* vestito amplissimis, subrotundis, Malvæ vulgaris similibus, circum oras interdum sinuatis & quodammodo crispis, supernè viridibus, ad tactum mollibus Althææ modo veluti pannus holosericeus. His minora alia propè sinus alarum succedunt. Alæ laterales inter folia frequentes ostendunt, pediculos oblongos, firmos, qui obsidentur floribus Malvaceis, lætè rubentibus & circa media staminula capillacea, ungue tenus maculis saturatiore rubro infectis, ac radiatim dispersis notatis. *Radix* valida est, & multis crassis fibrarum processibus firmata. *Semina* tum formâ tum crescendi modo Malvæ vulgaris similia, sed duplò majora & crassiora.

Locus. Camerarius tum alibi in Italia, tum frequentem itinere quo itur Pisis ad Portum Liburnum à se inventam scribit: nobis in itinere illo non comparuit.

Alii in litore Veneto inque Tyrrheno & Africano nasci referunt, ubi per multos annos durat.

Secundo à satione anno apud nos floret, per hyemem recondi debet nè à frigore & pluvia corrumpatur.

Et hæc est (inquit J. Bauhinus) Malva illa arborea, quam Rauwolfius Halepi ab incolis veteri Arabico nomine *Haur* dici scribit, sub cujus gratiosâ umbra deambulare liceat.

A. 2. *Malva arborea maritima nostras* Park. **English Sea-Mallow.**

Priori non valdè dissimilis est, *stipite* secundo anno lignoso, humani brachii crassitudinem æquante, colore griseo aut canescente; *foliis* quàm illius minoribus, supernè magis incanis, & [superioribus] minus rotundis, [seu magis angulosis] *Flores* non ità ampli, pallidi, seu dilutè rubentes.

Locus. Multis in locis observavi, v. g. in insula Portlandia propè *Weymouth* Dorcestriæ oppidum: circa tuguria propè *Hurstam* arcem è regione Vectis insulæ. In Caldeiæ insulæ Walliæ adjacentis rupibus copiosè; in Bassa insula in æstuario Edinburgensi: Addit D. Morisonus *Denny* insulam 3 mil. à portu Regio, quinque à Bristolia distantem.

Vires. Vulgare quidem, sed tamen magnæ efficaciæ medicamentum, quod tonsillis malè habentibus ex floribus Malvæ arboreæ & lacte paratur, quo gargarismatis loco utimur. *Sim. Paullus.*

Doctus quoque sum flores Malvæ arborescentis pulverisatos & cum melle despumato, & Aluminis tantillo, quantum lingua ferre possit mistos, ac gingivis illitos, efficacissimum esse remedium contra omnem putredinem gingivarum, contráque ipsum Scorbutum. *Idem.* Habui ex excerptis D. *Edv. Hulse.*

Cap. VIII.

De Althæa, sive Ibisco.

Althæa Ἀλθαία, vel ut constanter apud Galenum legitur Ἀλθία, ab ἄλθος remedium vel ἀλθαίνειν medendo nomen accepit. Dioscorides lib. 3. c. 163. Ὠνόμασται δ' Ἀλθαία διὰ τὸ πολυαλθὲς καὶ πολύχρηστον αὐτῆς. Althæa verò nomen inditum illi est à multiplici excellentique quam in medendo præstat utilitate. *Bod. à Stapel.*

Althæa folio productiore minúsque rotundo item molliore & magis incano, adde & loco natali in palustribus & maritimis à Malva differt.

A. 1. *Althæa vulgaris* Park. *Althæa Ibiscus* Ger. *Dioscoridis & Plinii* C. B. *Althæa sive Bismalva* J. B. Marsh-Mallows.

J. B.

Ex Malvarum familia prærogativam tulit Althæa, utilitatis multiplicis nomine commendatior; *radicibus* multis nixa, bene habitis, albis, mucagine lentâ, quam mansu maceratione've deponunt, turgidis: *caules* bicubitales & proceriores, teretes, tenues, molli lanugine incani, angusto tubulo pervii: in quibus *folia* alternata Malvæ vulgaris, longiora, sinuosa, serrata, mollicello tomento incana, ex alis *flores* proferunt Malvæ vulgaris, minores, colore albo tantillum ad carneum declinante, quinque foliis constantes, in quorum medio stylus quatuor apicibus purpurantibus & obsoletis floridus erigitur. *Semen* pastilli compressi ritu, ut in vulgari, relinquitur.

Locus. Apud nos in palustribus maritimis tantùm (quod sciam) sponte oritur: in exteris regionibus in palustribus à mari procul remotis non semel observavimus.

Vires. Emollit, laxat, discutit, dolores lenit, tumores maturat, acrimoniam mitigat & corrigit, tum herba, tum etiam radix & semen. Usus præcip. in affectibus vesicæ & calculo renum, in Asthmate & Pleuritide. Extrinsecus ejus usus creberrimus est in clysteribus, cataplasmatis, &c. *Schrod.*

In summa, ad quatuor præcipuè utilis esse perhibetur

1. Ad calculum renum & vesicæ, tum Syrupus Althææ, tum decoctum foliorum sed præcipuè radicum, seu ore tenus assumptum, seu in clysteribus, tum denique semen quovis modo præparatum. Emolliendo & lubricando hoc efficit: Abundat enim succo lento & mucilaginoso.

2. Ad affectus pulmonum, Asthma, tussim, phthisin, pleuritin.

3. Ad intestinorum erosiones, dysenterias, &c. [Decoctum radicum & mucilago seminum præcipuè.]

4. Ad tumores duros emolliendos & maturandos [cataplasma foliorum aut radicum.]

Ex radicis mucilagine cum Saccharo fit confectio Dialthæa, in catarrhis subtilibus, in raucedine, in aliis gutturis vitiis utilis.

Mucilago Althææ aq. rosſ. extracta eos dolores mitigat illita, qui arte à sinapismis & vesicatoriis excitantur, si hi nimis molesti sunt. *Sim. Paulli.*

Radix ad clysmata dysentericorum instar specifici medicamenti maximè commendabilis est. *Idem.*

Mulierculàrum nonnullarum certum experimentum esse novi, consolidari radicibus Althææ papillarum scissuras, iis in linimenti formam redactis, addito tantillo sacchari. *Idem.* Hæc ex collectaneis *D. Edv. Hulse.*

Ad renum affectus, ℞. Rad. Althææ ℥ß. Cicer. rub. Mß. fiat jusculum cum butyro aut melle. *Idem.*

Radices Althææ acrimoniâ præditas esse arguit ab experientia D. Segerus. Ex applicatione enim hujus radicis contusæ & in aqua simplici decoctæ plurimæ pustulæ rubicundæ & dolorificæ membrum adeò exasperavere, ut undiq; planè exulceratum apparuit, quod tamen malum emplastro de spermate ranarum sanatum fuit. *Ephem. German. An.* 9. & 10. *Observ.* 100. *D. T. Robinson.*

Levamen manifestum notavi in septuagenario stranguria laborante assumpto decocto foliorum Bismalvæ: idem expertus sum in alio qui gonnorhœa contaminatus videbatur. *Antonius de Heide* in Centuria Observationum, *Observ.* 29. Transmisit *D. Edv. Hulse* M. D. Londini medicinam exercens.

* 2. *Althæa flore majore* C. B. *Pannonica* Park. *flore grandi Alceæ, Thuringica Camerario* J. B.

Clus.

Floribus amplis, Alceæ floribus etiam majoribus, colore item illi vel respondentibus, vel omninò ferè candicantibus ab Althæa vulgari differt: in reliquis cum ea convenit.

* 3. *Althæa Pannonica tertia* Clus.

Clus.

A præcedente solis floribus differt, qui huic minores sunt, vulgaris tamen floribus aliquantulum majores.

* 4. *Althæa laciniato folio* C. B. *profundè serrato sive dentato folio* J. B.

Clus.

Hujus *folia* licet incana & mollia, in tres tamen majores lacinias divisa sunt. *Flores* etiam paulò minores superiore, Belgicæ seu vulgaris floribus magnitudine respondentes, sed colore dispares, nempe qui toti incarnati coloris sunt, multis intus staminibus nigricantibus: cæteræ notæ conveniunt cum vulgari.

Locus. Per Pannoniam & in Moravia tres hasce seu species seu varietates Althææ, humidis locis & secundùm tumulos sitis, observavit Clusius.

5. *Althæa rosea peregrina, fortè Rosa Moscheutos Plinii* Cornut. *rosea peregrina* Park.

Cornut.

Ex *radice* vivaci, longâ, albâ, lentâ circa Maium mensem quotannis erumpunt *caules* rotundi, virides, medullâ pleni, uno verbo Malvacei. *Folia* sunt subrotunda, & aliquo modo Cyclamini, propius

piùs tamen Mori nostratis folia referunt: prona parte molli & tenui lanugine canescentes, oleæ foliorum instar, supinâ aliquanto magis virentes. Cujusq; caulis fastigium globulos admittit virides, non paucos, qui singuli singulis pediculis teretibus innituntur, & quamplurimis foliolis oblongis & angustis omni ex parte circundantur. Oriuntur hæc foliola à basi globuli, distant inter se aliquo intervallo, egregióque ordine disposita, velut cancellis eundem globum obsepiunt, qui dum maturitate dehiscit, in quinque partes finditur, alveóque suo condita quinque fundit latissima folia, quæ roseum *florem* exprimunt, similem atque etiam ampliorem Malvâ roseâ *Lob.* In hujus floris umbilico stat panicula albida, pistillo tenui fulta qualis in floribus Althææ fruticis conspicitur.

Floret circa finem Augusti, à sylvis Africanis ob floris gratiam in hortos nostros translata. *Locus.*

Cap. IX.

De Malvis & Althæis fruticescentibus & lignosis.

1. *Althæa frutex prima* Clus. *Althæa frutescens folio rotundiore incano* C.B. *Althæa arborea Olbiæ in Galloprovincia* Ad. Lob. *Althæa arborescens* J. B. *arborescens Provincialis Althæa frutex Clusii* Ger. Park.

Clus.

ARbusculæ instar assurgit, crassiusculo stipite, lignoso, in multos magnósque ramos diviso, qui in alios minores, duros etiam, lignosos & minimè obsequentes cortice cinereo, lentóque tectos, findebantur. Ejus folia Althææ foliis similia, minora tamen, magis rotunda, valdè mollia, & prorsus incana. Flos extremis ramulis & inter foliorum exortus nascens, dilutè purpureus, quinque foliis constans, Malvæ vulgaris flori non dissimilis, & major quàm in Althæa vulgari. Folia non abjicit nisi aliis enatis, ut pleræque stirpes perpetua fronde virentes facere solent.

Hanc plantam describit J. Bauhinus Tom. 2. p. 956. cui folia, & rectè, Malvarum minorum magnitudine, attribuit, pediculo satis longo, lanuginoso nixa: *Flores* purpurascentibus unguibus & ad radicem hirsutis.

J. Bauhinus cum Lobelio Althæam fruticem 1. *Clus. Hist.* Althææ suæ arboreæ Olbiæ eandem putat: C. Bauhinus & ipse Clusius diversam: Ego cum Lobelio & J. Bauhino sentio; siquidem Althæa illa quæ Olbiæ in Gallo-provincia copiosè provenit ipsissima est Althæa frutex 1. Clusii: Species autem illa Althææ quæ à Londinensibus nobis ostensa est pro Althæâ Olbiæ Lobelii, Althæa arborea altera vel Bryoniæ folio *J. B.* censenda est. Errat ergo C. Bauhinus, & eum sequuti plerique Botanici, dum Althæam fruticem primam Clusii pro Althæa frutice flore specioso in hortis ob floris pulchritudinem cultâ habent. Consule J. Bauhinum loco laudato.

In rupibus non longè à specu Frontignana, Olbiæ etiam in Gallo-provincia & circa Tolonam observavimus. *Locus.*

2. *Althæa frutescens Bryoniæ folio* C. B. *Alth. frutescens, folio acuto, parvo flore* ejusdem. *Althææ species, quibusdam arborea altera, vel Bryoniæ folio* J. B. *semper virens Bryoniæ folio* Park.

Hanc ita describit C. Bauhinus; *Caule* est cubito altiore, rotundo, lanuginoso, albo: *foliis* Bryoniæ similibus, in quinas lacinias utplurimùm divisis, palmaribus, & aliis multo minoribus, crassis, nervosis, lanugine nonnihil asperis, parte infernâ canescentibus, & longis pediculis insidentibus. *Flores* habet purpuro-cœruleos, quinquefolios, supernè semilunatos, staminibus rufescentibus donatos; quibus singulis capitulum foliaceum, planum, semen Althææ simile continens succedit.

Hæc est (ni fallor) Althæa frutex 3. Clusii, quam sic describit. Ex semine in Creta collecto provenit planta, quæ sequente anno valdè adolevit: nam *ramos* protulit bicubitales, cortice viridi tectos, cui inspersa est plurima incana lanugo, seu potiùs tomentum: *folia* etiam habet incana, angulosa, & per oras dentata, quàm præcedentis majora: *flores* minores, Althææ vulgaris florum magnitudinem vix superantes, quinque foliis constantes instar reliquarum Malvarum, coloris rubri valdè diluti, & ad carneum, (si ità vocare liceat) inclinantis, multis staminibus ex albo pallescentibus, in oblongiusculo & crassiusculo stylo nascentibus, & umbilicum occupantibus. Floribus defluentibus succedunt plana *capita*, ut in vulgari Malva, *semen* in orbem serie quadam distributum continentia. Idem sentit J. Bauhinus, quem sequor.

Hujus semen ad nos transmissum est Althææ Olbiæ *Lob.* nomine: & reverà icon Lobelii in Adversariis non ineptè respondet huic plantæ. Verùm ut superiùs diximus, Althæa Olbiæ Lobelii eadem est Althææ frutici 1. *Clus.* quantumvis mala figura Clusium & C. Bauhinum decepit.

Althæam fruticem 3. *Clus.* C. Bauhinus ad Ketmiam refert, & Ketmiæ alteram speciem minore flore facit, verùm erroneè nostro quidem judicio: siquidem Ketmia semina fert loculamentis inclusa, non in orbiculis rotatim circa stylum disposita.

Parkinsonus Althæam fruticem 3. *Clus.* speciem ab hac diversam facit, eámque Althææ fruticosæ Creticæ titulo proponit; verùm erroneè etiam, ut nos opinamur.

Sequentes tres plantæ an rectè hic collocavimus nescimus.

* 3. *Althææ species* Marggrav. *planta Brasiliana.*

Marggr.

Caulis rectus, teres, uno latere rufeſcens ad duorum aut trium pedum aſſurgit altitudinem, ramis multis hinc indè explicatis. *Folia* ſingulatim poſita in pediculo tres aut quatuor digitos longo, in tres, vel quinque lacinias ſecta, craſſa, in ambitu ſerrata, nervis & venis rufeſcentibus, ſupernè ſaturatè viridia, infernè incana, hirſuta & ad tactum mollia. Ad caulem propè exortum foliorum, & in ſummitate caulis & extremitatibus ramorum provenit *flos*, egregiè incarnatus, conſtans quinque foliis, ſtaminéque in medio incurvato. Florem ſequitur ſemen, nimirum tot triangulares hiſpidæ capſulæ, gryſei coloris, juxta ſe in orbem poſitæ, quot folia flos habuit, in quibus *ſemen* triangulare, ſubrotundum, figurâ Lunæ gibbæ, coloris gryſei, magnitudine farris.

* 4. *Roſa Batavico-Indica inodora ſeu Malva fruteſcens* Bontii.

Hortorum ſepibus contexendis plantatur cum ſarmentoſis & oblongis ramis è quibus corbes conficiuntur. *Folia* habet pyramidalia in circumferentia dentata: *florem* fert rubicundum planè, qualis eſt Roſæ ſimplici flore apud nos. Sunt & frutices ejuſdem ſpeciei, qui carnei coloris flores gerunt.

Totus porro frutex inodorus eſt, & ſuo virore ſolùm & pulchro florum rubro colore aſpectum delectat amœniſſimum. Maſticatus flos nigrum ſuccum à ſe emittit, quapropter nobis aliquando denigrandis calceis inſervit.

Fortè hæc planta pertinet ad Alceæ Indicæ ſeu Bamiæ ſpecies.

* 5. *Althæa arboreſcens Braſiliana* Marg.

Marggr.

In novem & non rarò decem pedum altitudinem excreſcit, elegantis arbuſculæ formâ; caudice recto & pollicem craſſo, inferiori parte ſine ramis, ſuperiore verò in ramos diſtributo: in quibus folia fert Malvæ modo diſpoſita, longis pediculis, magna, in totum hirſuta, inferiore parte albicantia, per ambitum ſerrata & ad tactum glutinoſa, quemadmodum & univerſa eſt planta. In extremitatibus porro ramorum & capitellis hirſutis ad modum Alceæ enaſcuntur *flores*, inſigniter incarnati, quinque petalis conſtantes, itidem glutinoſis, in cujus medio *ſtamen* eminet ſtaminulis multis veluti ramulis repletum, coloris flavi. *Semen* profert ſplendidè nigricans, oblongum, quaſi triangulare, magnitudine grani Fegopyri.

Ob deſcriptionis imperfectionem neſcimus an hæc ſit genuina Althææ ſpecies nécne: excepto ſemine in omnibus cum Malva convenit.

* 6. *Althæa Americana pumila flore luteo ſpicato* Breynii.

Breyn.

Hæc planta lignoſa, ramoſa atque humilis eſt, molli lanugine hirſuta: *Foliis* Althææ vulgaris minoribus, pediculo longo cauliculum alternatim ambientibus; cujus in ſummo *floſculi* quinis foliolis flavis conſtantes, densè in ſpicam congeſti cernuntur; originem è calyculis geminatis ac villoſiſſimis, quorum quiſque in partes mucronatas quinque diviſus petentes. Floſculis delapſis ſuccedunt *ſemina* compreſſa, pericarpiis lanuginoſis incluſa, quæ ſtylum nutritivum circulatim & arctè ambiunt, & dimidio Althææ noſtratis ſunt minora.

Locus. Abundat in locis ſaxoſis inſulæ *Corocuo*.

CAP. X.

De Alcea.

ALcea à Malva foliis laciniatis differt. Fortè ſic dicta eſt ab Ἀλκὴ auxilio vel remedio, cùm ejus radices dyſentericis & ruptis auxilio ſint *C. B.*

A. 1. *Alcea vulgaris* J. B. *vulgaris major* C. B. *vulgaris, ſive Malva verbenacea* Park. *Malva verbenacea.* Ger. Vervain Mallow.

J. B.

E *radice* lignoſa perenni plures emittit *caules* cubitales aut ſequicubitales, teretes, medullâ fungoſâ farctos, raris ſed tamen longiuſculis pilis hirſutos, glauco quodam polline, qui facilè detergi poteſt, obductos. *Folia* quæ à radice exeunt, & in caulibus inferiora ſubrotunda, per margines tamen inciſa, pediculis longis inſident. Quæ in caulibus ſunt, alternatim ſita, quò cacumini propiora eò brevioribus pediculis fulta, altiùs inciſa, in quinque plurimum lacinias inſigniores, ad modum ferè Napelli foliorum, atrovirentia, hirſuta, averſa præcipuè parte. *Flores* è foliorum alis ſinguli ſinguli, in caules & ramulorum ſummitatibus conferti, pediculis quadrantalibus hirſutis inſident, roſei, ſpecioſi, purpuraſcente carneóve colore, quinque foliis ſtriatis, ad ungues junctis, quodammodo cordatis Malvæ vulgaris compoſiti. Calix hirſutus, quinquepartitus, cui terna alia anguſta ſubſunt folia, flore dilapſo connivens, & in vaſculum ſeminale degenerans. *Semina* hirſuta

per

per maturitatem nigra, simul juncta compressi caseoli formam imitantur, ut in hujus generis reliquis, non adeo densè stipata ut in Malva vulgari, umbone majore.
Æstate floret; ad agrorum margines inque vepretis & sepibus frequens. *Locus.*
Variat interdum floris colore albo, quæ Alcea vulgaris flore albo *Park.*

* 2. *Alcea tenuifolia crispa* J. B. *Alcea vulgaris minor* C. B. *minor* Park.

J. B.
A vulgari Alcea in eo potissimùm differt, quòd *folium* habeat tenuissimè in creberrimas lacinias tenues crispas divisum, alioqui folio alterius Alceæ par. *Flos* purpureus magnus convenit cum orbiculata *seminum* subsequentium placenta. *An solus naturæ lusus, & an ex eodem semine proveniat præcedens & hæc considerandum.*

3. *Alcea minor, Sicula, flore minore.*

Ex *radice* alba, simplici plures emittit *cauliculos*, humi procumbentes, hirsutos, superiore parte rubentes. *Folia* ima subrotunda, longis pediculis annexa; quæ in caulibus sunt in tres aut quinque lacinias secta, hirsuta & circa margines crenata. *Flores* parvi, carnei. *Semina* qualia Malva vulg.
In Sicilia ad prom. Pachynum, in insula. *Locus.*

4. *Alcea villosa* J. B. *hirsuta* C. B. *minor villosa* Park.

J. B.
Rami huic teretes, palmares & dodrantales [imo longè altiores] hirti, multi ex *radice* simplice, gracili, palmari statim exoriuntur. *Folia* parva, plerunque profundè in tres lacinias serratas dissecta, lanuginosa. *Flores* tam ex foliorum sinu, quàm in ramorum extremis, medii inter Malvæ sylvestris repentis & erectæ flores, purpurascentes, è quinque foliis compositi, è calice magno, quem componit duplex foliorum acuminatorum, asperorum, pilosórúmque agmen, in quo succedit orbiculata seminum nigricantium placenta.
In vinetis circa Monspelium, & in sepibus non procul Geneva collegimus. *Locus.*

5. *Alcea major & procerior: An Alcea amplissimo folio laciniato* J. B.

A vulgari Alcea differt *caulibus* crassioribus & elatioribus, ut qui humanam altitudinem non raro superent, minùs glaucis, nec adeò teretibus sed magis striatis, non ut in illa pilosis, ab imo ramosis. *Foliis* majoribus, pallidiùs virentibus, neque in tam crebras & tenues lacinias dissectis: nec enim quæ superiorem caulis partem occupant in plures. quàm tres lacinias, ad pediculum usque pertinentes, dividuntur. *Florum pediculis* crassioribus & pro magnitudinis ratione brevioribus; *calicibus* in breviora segmenta divisis, tribus autem foliolis quæ calici florem amplectenti subsunt majoribus & latioribus multò. Seminibus lævibus, non ut in illa hirsutis, pariter tamen nigris.
Semina hujus Londino habuimus ab Edwardo Morgano.

6. *Alcea pentaphyllea* Park. *Pentaphylli folio vel cannabina* J. B. *cannabina* C. B. *fruticosa cannabina.* Ger. emac.

J. B.
Herba hæc hominis altitudinem excedens *coliculis* est asperis, lentis, in plures ramulos divisis: *Folia* Cannabinis satis similia, ex pediculis brevioribus in tres partes secta, longas, mediam longissimam, reliquas utrinque breviores, quæ sæpe iterum in minores subdividuntur, sic non tantùm tripartita, sed modò quinquepartita, diversimodè crenata, hirsuta, nigricantia, minùs aspera cannabinis, sapore viscido. *Flores* interdum singuli, interdum bini ex longis pediculis, vel ramulorum potiùs extremitatibus, Alceæ vulgari similes, minores tamen; quibus excidentibus succedunt *capitula* qualia in Malva vel Alcea, parva foliolis obvoluta, in quibus semina Malvæ crispæ, nigra. *Radix* perpetua, cujus pars una major, aliæ minores, extra & intus alba, gustu admodum viscido.
In aggeribus fossarum circa Monspelium & alibi in Italia & Sicilia hanc observavimus. *Locus.*

* 7. *Alcea folio rotundo laciniato* C. B. *peregrina* Clus. *Malva montana sive Alcea rotundifolia laciniata* Col.

Col.
Hujus *folia* prima, antequam caulem edat, rotunda, infernè parùm hirsuta, atque Malvæ vulgaris modo quinquepartita, eam ità repræsentant; ut nihil ab illa differre videatur, & prætereuntes vel colligentes fallat: sed cùm caulescit ità incipiunt laciniis dissecari, ut longè ab illa diversa videatur; ut qui caulem tantùm foliis vestitum viderit Napellum potiùs se videre censeat, adeò cœruleo Napello simili divisurâ dissecta sunt folia; nec nisi florere incipientem Malvam judicaverit. *Flores* magni sunt, figurâ & colore Malvæ, sed roseo vivaci: quibus decidentibus *fructus* remanent foliacei ut vulgaris, *semina* intus habentes compressa, hirsuta, lunata & nigrescentia, ut congenerum. Sapor & effigies radicis Malvaceus. Hujus foliorum lobi, qui folium dividunt in quinque partes, si considerentur, & si tenuiores sint, Alceæ vulgaris divisuram æmulantur.
Octobri mense perficitur. Supra Matesii montis supercilium Septentrioni oppositum, *Civita vecchia* appellatum, & etiam loco *Stazzo della Serra*, i. Mansio ovium; & in Æquicolorum montium planis *Rascino* appellatis observavit Columna. *Locus.*

Clusius radicem minimi digiti crassitudinem æquare, inque ramos divaricari, & summo capite quasi nodosam esse scribit: virgas indè exire cubitales & ampliores: folia quæ in extremis caulibus & ramis sunt ad Verbenæ folia fermè accedere; quibus etiam ea comparat F. Columna.

Vires. Ex emplasticorum & emollientium medicamentorum numero est Alcea, utque facie externa sic etiam viribus cum Malva convenit. Celebratur ab Empiricis ad caliginem oculorum. Aquâ decocta torminibus intestinorum remedio est. Breviter Alcea, Malva & Ibiscus omnibus totius corporis calidis doloribus apprimè conducunt: ut rectè J. Bauhinus.

8. *Althæa seu Alcea peregrina semine rostrato, flore luteo minimo* Moris. prælud. *Carpini folio, flosculis luteis* Bocc. *annua, fruticosa, Fernambucensis flo. luteo* Zanoni.

Moris.
Hujus *folia* sunt quasi Carpini foliorum æmula, bina è regione, caulem ambientia, rotundum, rectum sesquipedalem; cujus summis fastigiis innascuntur *flosculi* lutei minores; quibus deciduis succedunt artè in circulum disposita *semina* aculeis pungentia, unde *rostrati* ei nomen imposuimus.

Perit singulis annis, in Italia Melochiæ spuriæ nomine nota; ibidem & in Gallia colitur in hortis omnibus Botanicis. *Boccon.*

Hanc Morisonus in Historia Oxon. mutato nomine, Alceam Pharnambucanam Carpini folio, flosculis minimis luteis, semine simplici rostro donato appellat; & addit caulem ei rectum esse, imò rigidum & firmum, flosculos pentapetalos; semina aculeis singularibus pungentibus prædita, rostri instar, radicem fibrosam: totam plantam viscido esse sapore. Aprili satum semen perficere ante Septembrem exactum.

* 9. *Alcea Virginiana, Carpini folio, flosculis minimis luteis, semine duplici rostro seu aculeo prædito* Moris.

In omnibus convenit cum præcedente, nisi quòd semina illius sint triangularia, minora, binis rostris seu apiculis in summo prædita.

Semen hujus plantæ habuit à D. *Johanne Banister.*

CAP. XI.

De Herbis cum floris calice decaphyllo seu in decem lacinias diviso, seu cum duplici calyce.

De Caryophyllata.

CAryophyllata ab odore radicis dicta est, quòd vernali tempore eruta Caryophyllum aromaticum odore referat: vulgò Herba Benedicta & Sanamunda ab insigni quâ pollet facultate & efficacia.

Seminibus caudatis, foliis pinnatis, radice aromatica à congeneribus differt.

A. 1. *Caryophyllata* Ger. *vulgaris* Park. C. B. *vulgaris flore parvo luteo* J. B. **Avens, Herb Bennet.**

Radix obliqua, fibras subinde in terram demittens crassiores, sapore & odore aromatico Caryophyllorum. *Caules* ex eadem radice plures, cubitales & altiores, teretes, hirsuti, medullâ farcti, tenues, foliis alternatim per intervalla positis vestiti, in summo ramosi. *Folia* quæ à radice exeunt hirsuta, alata, seu potiùs pinnata, pinnulis minoribus ad costam mediam hinc indè adnexis, extremo folio in tria segmenta majora, per ambitum altiùs incisa desinente: Quæ in caulibus folia existunt duabus pinnulis majusculis ad pediculi basin cauli adhærentibus velut auriculis quibusdam, & triplici in extremo laciniâ Rubi ferè simili constant. *Flores* è foliorum sinubus non exeunt, sed ex adverso foliorum, longissimis pediculis, pentapetali, lutei, Tormentillæ floribus similes, calice decem foliolis, quinque majoribus, minoribus totidem, composito. Plurima staminula lutea in medio flore capitulum circumstant, quod in *echinum* subrotundum excrescit, numerosis densè stipatis seminibus compositum, quorum singula setâ, ceu caudâ quâdam extremo reflexâ & uncinatâ, donantur, quâ vestibus adhærescunt.

Locus & Tempus. Ad sepes & in dumetis: floret apud nos Maio & Junio mensibus.

A. 2. *Caryophyllata vulgaris majore flore* C. B. **Avens with a large Flower,** *vulgaris major* Park.

Flos huic major & speciosior quàm Caryophyllatæ vulgari: an aliis accidentibus differat non memini, quamvis in hortulo meo Cantabrigiæ è vicinis sylvis delatam aliquot annos colui.

Eandem invenit *D. Martinus Lister* in sylva *Teddington,* in *le Wolds* dictis Lincolniæ comitatûs.

Vires. Radix Caryophyllum aromaticum olet, sed neque in omnibus locis, neque omni tempore, inquit Casp. Hofman. Vino decocta ac calida pota dolorem ventriculi & intestinorum à frigiditate aut flatubus ortum sedat; purgat & mundat omnia vulnera. Schroderus cephalicam & cardiacam esse ait, & venenis adversari. Usum ejus præcip. esse in catarrhis exsiccandis, sanguine coagulato resolvendo

resolvendo, &c. Vinum in quo infunditur radix optimo & jucundissimo odore & sapore commendatur; eóque cor exhilarari, & obstructiones jecoris aperiri, necnon frigiditate & crassis humoribus affectum stomachum juvari multi testantur. *Trag.*

Cùm manifestæ adstrictionis particeps sit, verisimile est epotam prodesse cœliacis, dysentericis, fœminarum profluviis, & cruenta expuentibus.

Radix infusa Cerevisiæ summum tenet in roborandis articulis & visceribus. *D. Hulse.*

Radicis ℥ii. aut herbæ integræ manipulus j. in Aq. fontan. aut Zythogali ℔. ij. decocta ad ¼. consumptionem, ad febres intermittentes, præsertim tertianas, duabus horis ante paroxysmum, vel etiam in ipso paroxysmo optimo cum successu propinari solet. *D. Hulse.*

Menstruorum suppressio certis experimentis Simonis Lazii, Med. Vienn. præceptoris mei sublata est haud semel Dec. rad. Caryophyllatæ in vino. *Achilles Gasserus* in observ. à Velschio editis. Adnotavit *D. Soame* & ad me misit.

A. 3. *Caryophyllata montana purpurea* Ger. emac. *Caryophyllata montana sive palustris purpurea* Park. *aquatica nutante flore* C. B. *aquatica flore rubro striato* J. B. **Purple water or mountain-Avens.**

J. B.

Radice non admodum crassâ, obliquè actâ, plurimis fibris crassiusculis comosâ sub terra reptat, sapore amaricante [J. B. adstringente & tandem subdulci] *Caules* profert nunc plures, nunc pauciores aliquando cubitales, [nobis vix pedales,] farctos, hirsutos, nonnihil rubentes. Ramulorum summis, subinde etiam privatis pediculis, brevibus, hirsutis, rubentibus, nutantibus flores insident, non patuli, prout eos describit J. Bauhinus, striati, non multùm elati, & supra calicem parùm admodum se proferentes, extrà intensius purpurei, intus dilutiùs, odore grato, ex foliis quinis, à tenui principio sensim in latum se diffundentibus, intra quorum septa apices multi crocei, *echinatum capitulum* obvallant. Insidet autem flos quasi calatho patulo, rubenti hirsuto, in quinque lacinias hirsutas, totidemq; lingulas in laciniarum spatia distributas, diviso. *Capitulum echinatum* pediculum suum privatum habet semuncialem; è fundo floris exortum.

Folia pinnata, venosa, hirsuta, circum oras serrata, Caryophyllatæ vulgaris foliis satis similia, alia à radice statim orta, alia in caulibus.

In montosis Septentrionalibus Angliæ, circa *Settle*, *Ingleton*, &c. inque Occidentalibus Cambriæ circa *Snowdon* montem & alibi plurima. Observavi insuper sponte provenientem in loco palustri propè rivulum quendam Astoniæ viculi molendino vicinum in agro Warwicensi: & plurimis locis palustribus alibi in Anglia ab aliis inventam novimus. *Locus.*

J. Bauhinus, quem hac in re libenter sequimur, huc refert Caryophyllatam montanam 3 *Clus. i. e.* aquaticam alteram *C. B.* quam tamen pro distincta specie positam invenio in Catalogo Horti Regii Parisiensis. * Jac. Breynius Caryophyllatam illam perelegantem, à Clusio pro montana tertia expressam ac descriptam, in Borussia nasci refert, tam simplicibus quàm plenis, imò nonnunquam etiam proliferis floribus. Hujus autem (inquit) pulchritudinem & diversitatem à *Caryophyllata aquat. nutante flore* nutrimento tantùm superfluo ac abundantibus pluviis adscribendam, & mutuatam ad breve temporis spatium raritatem minimè durabilem, altero post anno pereunte hoc adscito decore, in vulgarem suam faciem recedere existimo. *Exot. Cent. 1.

D. Hermannus Caryophyllatam aquat. vulg. & Caryoph. montanam foliis solùm differre asserit, quæ uni rotunda, alteri oblonga. *E Notis D. Palmer.*

* 4. *Caryophyllata montana flore pleno prolifero* Breynii. *An præcedentis varietas?*

Breyn.

Radix ejus Caryophyllatæ aquat. nut. flore in omnibus prorsus respondebat: ex cujus propaginibus *folia*, Hederæ terrestris paria, orbiculata ferè, per ambitum modicè serrata, & leniter crispa, pediculis sescuncialibus innixa virebant; quorum unicum duntaxat lobulo exiguo rotundo utrinq; circa basin auriculatum. Hæc inter folia *cauliculus* palmaris, erectus & firmus eminebat, ternis vel quaternis, in lacinias tres latas serratásque, sed non usque ad pediculum divisis foliolis inferiùs septus; proximè à summo fastigio elegantissimum sustinens *florem*, sanguineum, seu hilaris cinnabaris fulgore ardentissimum, & multiplici foliorum textura ac serie constantem, *Caryophyllatæ mont.* 3. *Clus.* propemodum formam referentem, *calyce* excepto, è foliolis multò minoribus constructo. Ex dicti floris centro cauliculus ad sesquidigiti altitudinem transiliebat, flore alio minore ac minùs folioso magnificè ornatus. Tota planta lanugine Caryophyllatæ vulgaris modo pubescit.

Ex Cassubiæ montibus nonnisi unicam plantam mense florentem excepit Autor: unde verisimile est, accidentalem potius varietatem seu naturæ quendam lusum esse quàm speciem Caryophyllatæ distinctam. *Locus.*

* 5. *Caryophyllata montana minor flore nutante purpureo* Moris. prælud.

A Caryophyllata majore vulgari flore purpureo nutante differt quòd *folia* edat glabra, minutiúsque dissecta, totáque planta minor sit.

* 6. *Caryophyllata Brasiliensis* Marggr.

Marggr.

Caulis ad trium pedum aut etiam majorem altitudinem assurgit, ad singula genicula quasi duos ramos oppositos habens, atque itidem duo *folia*, quæ cum pediculo suo quatuor digitos æquant (superiora

riora sunt angustiora) in quinque alia singula secta, nimirum bina priora opposita, & quintum in extremitate. Sunt autem folia in ambitu dentata ac lætè viridia. In extremitatibus ramorum, in singulis provenit *flos* flavus, Tormentillæ æmulus, constans quinque foliis angustis, quibus multa foliola viridia substrata. Post flores sequitur capitulum rotundum hispidum, continens *semina* oblonga. *Radix* multa habet filamenta, & odore refert Garyophyllos, unde nomen meruit.

7. *Caryophyllata montana* Park. Ger. *montana flore magno luteo* J. B. *Alpina lutea* C. B.

Clus.

Simili propemodum [cum superiore] ratione serpit & hujus *radix*, superiore non minor, at rarò in tam multa capita extuberans, è quibus similiter multæ *foliorum* alæ nascuntur, superioribus non breviores, sed frequentioribus minoribus foliis in ambitu serratis utrinque ornatæ, unico duntaxat & quodammodo circinato folio, in tres tamen plerunque lacinias diviso, & in ambitu serrato, extremam alam occupante, quæ splendet & dilutiùs viret quàm in primo genere. Nascuntur etiam inter eas foliorum alas pedales *caules*, graciliores quàm in præcedente, minoribus magísque laciniatis foliis ornati, qui singulares plerunque, nonnunquam etiam plures, *caliculos* sustinent, in quibus *flores* aurei, quinque foliis vulgari majoribus præditi, floris Cisti fœminæ interdum amplitudinem æquantes; medium occupant multa lutea *stamina*, inter quæ latet villosa quædam congeries, quæ excusso flore sese explicans, mollior est superiore & *semen* planum adnatum ostendit, quod maturitate fuscum fit. Tota etiam planta lanugine obsita & astrictionis particeps est.

Hanc invenimus in altissimis montibus max. Carthusianorum cœnobio in Delphinatu vicinis.

Locus. J. Bauhinus in monte Braulio Rhætorum eandem reperit: Clusius in summis duntaxat Alpium jugis, non tamen omnibus, sed inter gramen, vel sub fruticibus. Floret istic Junio, semen Augusto maturum. Radix J. Bauhino satis crassa, nigra, fibrata valdè odorata.

* 8. *Caryophyllata Alpina minor* C. B. Park. *Alpinæ minimæ prima species* Ponæ Ital. *Alpina minima* Ger. emac.

Vix alia in re à præcedente differt quàm partium omnium parvitate; an specie diversa sit viderint quibus utriusque copia facta fuerit: utramque invenio in Catalogo Horti Regii Parisiensis.

* 9. *Caryophyllata Alpina minor altera* Park. *Alpina Apii folio* C. B.

Pen.

Folia huic quàm præcedenti multò longiora, humi in ambitu strata, in plures partes divisa, quarum singulæ Paludapii folia quadantenus referunt: in quorum medio exurgunt duo trésve cauliculi tenues, imbelles & procumbentes, quatuor foliis obsiti minoribus quàm quæ è radice exeunt & tenuiùs incisis, quorum fastigia occupant *flores* singulares hexapetali & interdum octapetali, pallidè lutei caliculo viridi sustentati, cujus extrema summum florem adæquant. Florem excipiunt *capitula* reliquorum similia verùm molliora & lanuginosiora, cincinnis seminibus adhærentibus. *Radix* oblonga, tenuis, ramosa, fibris aliquot donata.

Locus. In monte Baldo provenit, autore Jo. Pona.

* 10. *Caryophyllata Pentaphyllæa* Park. J. B. *Alpina quinquefolia* C. B. *Alpina Pentaphyllea* Ger.

Lob. Ad.

In Rhæticis Alpibus non procul Clavenna hanc primùm nacti, putavimus esse Tormentillæ aut Pentaphylli speciem: verùm radix Geranii fibrosior, forísque rubiginosa, parùm quid suave redolens, Caryophyllatam testatur. Quinetiam erigit *caules* pedales, cui hærent *folia* quinquepartita ambitu serrato Pentaphylli aut Tormentillæ flore luteolo pallentéve, staminulis lanuginosis, croceis, papposis, minoribus Caryophyllatæ.

An Caryophyllatæ, an potiùs Pentaphylli species fuerit hæc planta, nobis non certò constat. Tantisper hic locum quem occupavit retineat donec de ejus notis characteristicis certiùs edocti fuerimus.

11. *Caryophyllata Alpina Chamædryos folio* Moris. *Chamædrys spuria montana Cisti flore* Park. *Alpina, flore Fragariæ albo* J.B. *Alpina, Cisti flore* C. B. *Teucrium Alpinum Cisti flore* Ger. **Mountain Avens with Germander leaves.**

J. B.

Dura, lignosa *virgulta*, palmaria aut dodrantalia per terram spargit, colore rubente [ex fusco rubente prædita *Clus.*] prædita, per quæ *folia* nullo nascuntur ordine, Chamædryos verioris foliis similia, minora, duriora, rugosiora, serrata, infernè incana, supernè atrovirentia, gustu adstringente. Pediculis, tenuibus, palmaribus hirsutis insident singulis singuli *flores* candidi, Fragariæ duplo majores, foliis senis aut pluribus constantes, quorum medium occupant cirri staminum numerosi; quibus delapsis succedit plumatum Pulsatillæ capitulum, semine oblongo, russo. Totius autem floris basin fulciunt folia hirsuta, oblonga, angusta. *Radix* longè latéque serpit, crassa, lignosa, ex russo nigricans.

Locus. In montis Juræ suprema parte *Thuiri*, ínque Alpibus Corinthiacis observavimus. J. Bauhinus in Rhætiæ monte Braulio. Frequens autore Clusio in Austriacarum & Stiriacarum Alpium jugis. In Hibernia etiam invenitur inter *Gort* & *Galloway*, unde & nos delatam vidimus. Floret Junio & Julio.

12. *Caryophyllata montana Virginiensis* Park.

Caryophyllata montana seu septima major est, & elatior, in aliis parum differt: Semina producit plana, tenuia, nigricantia in folliculis inclusa.

CAP. XII.

De Fragaria.

FRagaria à fragro Latinis dicta videtur, quia hic fructus optimi odoris est. Vossius ita dictum existimat potiùs à *fragilis*, unde *mollia fraga* dixit Ovidius Metamorph. 13. Nobis prius Etymon magis placet. Fructus hic Græcè est μιμαίκυλον, quæ tamen vox latiùs patet, & ad Arbuti fructum significandum extenditur.

Fragariæ notæ characteristicæ sunt Folia venosa, in singulis pediculis terna, fructus molli esculenta pulpa constans seminibus exteriùs adnascentibus, odore fragranti, cauliculi reptatrices.

A. 1. *Fragaria* Ger. *vulgaris* Park. C. B. *Fragaria ferens fraga alba & rubra* J. B. **Common Strawberry.**

E Pentaphyllorum genere est, quamvis trifolia sit, ut manifestè ostendunt folia venosa, *flos* pentaphyllos calice è decem partibus seu segmentis composito, semina denique eodem modo congesta. *Folia* ei in longis pediculis terna, venosa, hirsuta, per ambitum serrata, superiùs viridia, inferiùs albicantia. *Cauliculi* palmum alti, teretes, hirsuti, in summitate ramosi, *flores* sustinent complures Ranunculi minores, Pentaphylli vulgaris floribus similes, quinque foliis candidis compositos, *staminulis* numerosis brevibus *apices* luteos sustinentibus, capitulum rotundum circumstantibus. *Fructus* globosus inæqualis, per maturitatem ruber, odoratus, sanguineo dulci, vinoso, gratissimóq; succo prægnans, cui adnascuntur extrinsecus *semina* multa, exigua. *Flagellis* seu loris tenuibus, plurimis hinc indè emissis, ad intervalla nodosis & foliosis, ad nodos radices agentibus, latè se propagat. *Radix* oblonga, subrussa, multis fibris capillata, gustu adstringens.

In sylvis & dumetis Maio mense floret, & brevi semen maturat. *Locus & Tempus.*

2. *Fragaria fructu hispido* Ger. emac. *Fraga aculeata* Park. parad.

Flos hujus petala alba non habet, sed ex duobus aut pluribus circulis foliorum viridium componitur. *Fructus* hispidus est, seminum loco aculeis virentibus oblongis pulpæ rubenti innascentibus scaber.

Pro lusu naturæ habeo: Cantabrigiæ in horto per aliquot annos colui.

3. *Fragaria major fertilis seu Bohemica maxima* Park. parad. **The greater or Bohemian Strawberry.**

Præcedenti similis, nec ulla ferè in re, magnitudine excepta, ab ea differt. Est autem omnibus partibus, radice, foliis, caule, floribus, fructu vulgari Fragariâ propè duplo major. Fructus non perinde gratus est ac illius, dulcior tamen. An Fragaria fructu parvi Pruni magnitudine *C. B*?

4. *Fragaria Virginiana*, **The Virginian Strawberry.** Park.

A vulgari Fragaria differt *foliis* majoribus, magis glaucis, minùs splendentibus, pilis paucioribus obsitis, nec nisi ad solem conspicuis, ut omnino glabra videantur: *caulibus* humilioribus, minùs erectis: Florum pediculis brevioribus, nec adeò hirsutis; *floribus* ipsis majoribus, foliolis eos componentibus acutioribus: *Fructu* majore, colore minùs saturo & ferè coccineo, sapore acido.

Si fructum ab hac planta desideras maturum & copiosum, radices rariùs disponendæ sunt, nè folia interstitia tota occupent & inumbrent; deinde propaginibus seu flagellis continuè avulsis importuna ejus luxuries sedulò coercenda. *Cultura.*

Fragariæ quoddam genus in Alpibus Bargeis visum est bis in anno fructificare, Vere sci. & Autumno, cujus fructus modicè compressus est & striatus, sapore Rubi Idæi. *Cæs.*

Tragus & Gesnerus singulare genus tradunt, quod *Harbeer* appellant. *J.B.* Fragaria minor hispido folio Parkinsono dictum, foliis hispidis *C. B.* *Fragaria bis fructum ferens.* C. B. *Frag. fol. hispidis* C. B.

* 5. *Fragariæ affinis sericea incana* C. B.

C. B. Prod.

Radice est lignosa, nigricante, ad quam *folia* plura, Fragariæ sylvestris similia, sed longè minora, unguem non æquantia, crassa, utrinque incana, molli & sericea lanugine tecta, in tres lacinias ad pediculum usque divisa, & supernè crenata: *ramulos* habet breves, reclinatos; *flores* parvos, luteos, stellatos sustinentes; quibus capitulum calyce quinquefolio sustentatum, minutum semen continens succedit.

C. Bauhinus ab Albino in Granadæ saxosis collectam accepit: D. Morisonus copiosè in sylvis adjacentibus Pictavio reperit. *Locus.*

Non est hæc genuina Fragariæ species, sed ob similitudinem aliquam huc reducitur; ad sequens caput potiùs pertinet.

* 6. Fra-

* 6. *Fragaria Helvetica nana* Park. *An Frag. flore luteo* C. B? *Fortè etiam Fragariæ affinis sericea incana* ejusdem.

Park.

Folia huic quæ ad radicem perexigua, tripartitò divisa, pediculis brevioribus nixa quàm in quovis alio Fragariæ genere; quæ *caulem* vestiunt [humi stratum, quatuor uncias vix excedentem] minora sunt, & pediculis destituta. *Flos* in extremo cauliculo plerunque singularis, quinque petalis subrotundis, Fragariæ instar, compositus, major quàm pro plantulæ modo, colore subluteo. Fructum nondum vidimus, nec qualem ferat novimus.

Locus. In Alpibus Helveticis à D. *Fletschero* Silesiano collecta, & ad nos delata est.

An hæc Fragaria genuina sit necne dubitamus. Ad præcedentem accedere videtur.

Vires & Usus. Fraga refrigerant & humectant, venenis resistunt, picrocholis conveniunt & siticulosis, sed copiosiore cibo caput tentant & inebriant (inquit Cæsalpinus) quod tamen nos qui copiosè satis ea multoties ingessimus, nunquam experti sumus. Habent quidem saporem vinosum etiam non affuso vino, verùm debilem. Ideo tamen à copiosiore eorum esu abstinendum, quia in ventriculo putrescere apta sunt. Nec sola comedenda sunt sed cum saccharo & vino ad frigiditatem & humiditatem illorum corrigendam, ut nostrates facere solent.

In Gallia alicubi, teste Bruyer [& in Anglia etiam passim] comedunt cum lactis cremore; qui præstat, inquit, id quod vinum: Nobis aliter videtur.

Aqua Fragorum destillata cor confortare dicitur, vitia thoracis expurgare, morbum arquatum discutere, sanguinem purgare, ulceribus oris & Anginæ auxiliari gargarisatu, calculum renum comminuere; alia etiam juvamenta præstare, si Trago credimus.

Qui ex calida intemperie habent faciem pustulosam, quin scabiem vel in toto, vel in parte siccam & pruriginosam, singulis diebus manè hauriant ejus ℥j. præterpropter. Idem calculosi jubentur facere. Nam & refrigerat renes & arenulas abstergit. *Casp. Hofm.* Ad *calculum*, Fraga matura in phialam aqua ardente optima plenam conjicito, post horas quadraginta circiter colata, & rursus nova in eandem aquam ardentem injicito, ac sic relinquito optimè tecta ac munita nè aliquid expiret. Prima autem Fraga quæ post colaturam supersunt per linteum validè exprimere poteris, & expressum etiam liquorem seorsum servare. Cùm uti voles, ter aut quater in mense cochlearium plenum sumes manè, & addes pulverem de saccharo cando. Gratum, probatum, efficacissimúmque hoc remedium est, quod ultra viginti annos calculo conflictati, præ cæteris omnibus, quæ innumera eis diversi medici præscripsere, Gesnero commendârunt. *J. B.*

Herba refrigerat & siccat moderatè. Sapore cum sua radice est amaro, cum evidenti adstrictione. Diuretica est, usúsque crebri in ictero; ut & in gargarismis & balneis, in cataplasmatis, &c. ad sistendos sanguinis fluxus, ad dysenteriam, ulcera sordida purganda, ad catarrhos & destillationes cohibendas.

Hujus decoctum cum tota (ut loqui amant Medici) hoc est, plantæ integræ cum foliis, radicibus & flagellis, optimo cum successu Ictericis propinatur, vel seorsim, vel aliis huic malo medicamentis appropriatis admixtum. M. Rulandus post corpus extract. Esulæ purgatum illud præscribere solebat hac formula. ℞ Fragariæ manip. iij. passularum exacinatarum ℥iij. Bulliant in aq. fontan. ad sufficientiam & bibe. *D. Hulse.*

Vidi (inquit C. Hofmanus) in eo qui copiosiùs comederat fraga multas illarum particulas in matula ut renes putarentur colliquari. *Rarum hoc & incredibile.*

Idem asserit Fragariam præstare egregium diureticum in febribus colliquativis, cùm volumus aquam abdomini infusam & hydropem mentientem ad renes derivare.

Incerto autore doctus sum Fragariam in vino rubro coctam, & aliquoties pubi & pectini impositam instar cataplasmatis album mulierum fluxum sistere; quod etiam in pollutione nocturna, & gonorrhœa non virulenta efficacissimum comperi. *Sim. Paulus.*

G. Fabricius Hildanus Cent. V. Obs. 38. cujusdam feminæ mentionem facit, quæ post esum Fragorum, jejuno adhuc ventriculo, horrendis symptomatibus statim vexabatur, ut lipothymiâ, vertigine, hypochondriorum intumefactione, dolore ventriculi, &c. Sed hic notandum est fœminam comedisse hæc fraga cruda & illota, sine vino aut saccharo. Ego planè censeo has fruges venenatas fuisse ab urina, saliva, aut halitu serpentis vel bufonum, quæ fragis summopere delectantur: vel fortè (ut rectè D. *Tancredus Robinson* qui Observ. transmisit) insectum aliquod succum quendam noxium & venenosum iis insperserat.

Sunt qui ex Fragorum solo odore in animi deliquium incidunt, ut Nosocomii præfectus Eslingiæ. Virgo quædam Austriaca ex esu Fragorum epileptica facta est, atque exinde quotannis tempore quo efflorescunt paroxysmo obnoxia est. Ex Observat. Achillis Gasseri apud Hieron. Velschium excerpsit *D. Soame.*

CAP. XIII.

De Fragaria sterili seu spuria.

1. *Trifolium Fragariæ foliis, luteo flore Berardi* Hort. Joncq. *Pentaphylloides majus erectum, flore luteo, ternis foliis Fragariæ instar hirsutis* Moris.

Moris.

A Numero, situ & textura foliorum antequam excaulescat, Fragariam quivis perfectam affirmaret: sed postquam *caules* suos pedales & sesquipedales ediderit, hirsutos & lignosos, *flosculos* luteos pentapetalos in fastigio gestantes, succedentibus *seminibus* plurimis subruffis siccis absque ulla pulpâ humidâ, vescâ, ad Pentaphylli potiùs genus pertinere sese manifestat: *quamvis*

vis revera Fragaria & Pentaphyllon notis genericis conveniant, nimirum calice decaphyllo, flore pentapetalo, seminibus plurimis nudis singulis floribus succedentibus, ut alia omittam.

A. 2. *Fragaria sterilis* C. B. *minimè vesca* Park. *minimè vesca sive sterilis* Ger. emac. *non fragifera vel non vesca* J. B. **Barren Strawberry.**

J. B.

Radice nititur lignosâ, satis crassâ, cortice russo adstringente obductâ, multis hinc indè enatis fibris capillatâ; sarmentis suis per terram serpentibus, tenuissimarum fibrarum productione denuo radices agens. *Folia* humi fusa, tripartita, in ambitu serrata, molli lanugine supra subtúsque canescentia, quàm Fragariæ fertilis minora, & supina parte obscuriùs viridia, ex hirsutis pediculis duas uncias longis, ad exortum geminâ utrinque mucronatâ membranâ eleganter alatis. *Coliculus* teres, hirsutus, tenuis, uno aut altero folio tripartito stipatus, sextantalis, flosculum unum vel alterum sustinet pulchellum, candidum, inodorum, quinque foliolis in medio crenatis & velut cordatis compositum, ex caliculo decem mucronatis hirsutis foliolis ut in Pentaphyllis donato; quorum quinque flore evanescente connivent & semina occultant in capitulis Pentaphylli similibus. Staminula in medio flore plurima.

Aprili mense apud nos florere incipit; estque in pascuis sterilioribus frequentissima. *Tempus & Locus.*

3. *Fragariæ affinis sericea incana, vide descript. in Capite præcedente.*

Cap. XIV.

De Pentaphyllo.

Foliis venosis, in singulis pediculis quinis, aut interdum septenis, flore pentapetalo, ab aliis omnibus hujus generis, primo statim aspectu facilè distinguitur, ut plura addere non sit opus.

A. 1. *Pentaphyllum rubrum palustre* Ger. *Pent. vel potiùs Heptaphyllum flore rubro* J. B. *Quinquefolium palustre rubrum* C. B. **Purple Marsh-Cinquefoil.**

J. B.

Valdè prolixas habet *radices*, & fœcundo reptatu luxuriantes, lignosas, fibras aliquot emittentes, albas, aliàs rubentes, pluribus fibrillis capillatas [Radix in aquosis exteriùs nigricat, non rubet, ut vult Jo. Bauhinus.] *Folia* quina vel septena Pentaphylli vulgaris, sed non eo ordine sita, verùm ceu in alam disposita, subtus incana, supremâ parte viridantia, vel glabra, vel lanugine vix conspicua hirsuta, profundè per ambitum serrata, pediculis non admodum longis nixa, quorum ima in vaginas amplas caulem amplectentes degenerant. *Caules* glabri, rubentes, in terram reclinati, foliis per intervalla alternis vestiti. In summis caulibus *flores* in surculis è foliorum alis egressis consistunt duo trésve simul, pediculis brevibus, satis grandes, è quinque latis mucronatis rubris calicis segmentis & totidem perangustis petalis compositi, pluribus intus apicibus concoloribus, & turbinato *capitulo* Fragi æmulo, tam figurâ, quàm magnitudine.

In palustribus putridis multis in locis occurrit. *Locus.*

A. 2. *Pentaphyllum vulgatissimum* Park. *Pentaphyllum sive Quinquefolium vulgare repens* J. B. *Quinquefolium vulgare* Ger. *majus repens* C. B. **Common Cinquefoil or Five-leaved Grass.**

Flexilibus, longis, tenuibus, hirsutis, rubentibus *loris*, ad intervalla geniculatis, & è geniculis folia & radices agentibus, latè se propagat. *Folia* in pediculis quadrantalibus & majoribus quina ad eundem exortum, nervosa, in ambitu altis incisuris serrata, oblonga extremis subrotundis, hirsuta, obscurè viridia. Inter folia exeunt *flosculi* ex adverso foliorum, [ramuli è foliorum alis] pediculis prælongis, singulares, è quinq; foliis flavis, latiusculis, cordatis, & plurimis intus staminulis compositi. *Calix* floris decem segmentis componitur, è quibus quinq; conniventia tum florem antequam aperitur, tum semina flore dilapso pericarpii loco occultant & protegunt. [*Radix* longa, crassitudine interdum digitali, colore rubro, sapore adstringente & exsiccante; & exsiccata quadrata evadit *J. B.*]

Æstate apud nos floret & in Autumnum usque. Passim ad semitas. *Tempus & Locus*

Vulnerarium est & astringens. Sistit fluxus alvi & hæmorrhoidum, nariúmque hæmorrhagiam. Utile est in expuitione sanguinis, & tussi. Commendatur etiam ad paralysin, phthisin, arthritidem, icterum. Prodesse dicitur & in calculo & erosione renum, in hernia & febribus. Extrinsecùs in oculis inflammatis succus instillatus, in oris putredine, laxitate dentium. Abstergit etiam ulcera maligna. *Schrod.* Præcipuè notanda est vis ejus adstrictoria, quâ mediante agit quicquid agit. *Vires.*

Pulvis radicis drachmæ unius pondere sumptus paulò ante paroxysmum in febribus intermittentibus insigne febrifugum est. *D. Needham* ex relatione *D. Ballard*. Hujus facultatis mentionem invenio etiam apud Tragum. Quin & multis seculis ante Tragum Hippocrates ad febres fugandas hac planta usus est; (ut nos monuit eruditiss. Vir D. Edv. Hulsius M. D.) qui Lib. de Morbis 2. pag. 64. editionis *Vander-Linden*, hæc habet. *Si tertiana febris tenuerit, siquidem non omissis tribus invasionibus quarta corripiat pharmacum deorsum purgans bibendum dato: si verò pharmaco non opus habere tibi videatur, radicum Quinquefolii tritarum acetabuli mensuram ex aqua bibendam dato.* In quæ verba *D. Spon*, lib. de Febribus & Febrifugis hæc habet. Pentaphyllum est planta nonnihil amara, & valdè astringens, unde proprietatem obtinet roborandi fibras ventriculi à febre relaxatas, & acidum ipsius edulcorandi & figendi: nec dubium est quin in Græcia, ubi Hippocrates vixit, efficacior fuerit

erit quàm hic loci, quandoquidem pleræque plantæ meliùs proficiunt viribus in locis calidis quam in frigidis, præcipuè illæ quæ aliquantulum aromaticæ sunt. Nihilominus novimus nonnullos è plebe Gallica literarum omnino rudes, traditione sola à majoribus accepta edoctos, Pentaphylli decoctum ad febres intermittentes sanandas propinare, adeóque minimè ejus conscii, Hippocratis discipuli fiunt. *D. Hulse.*

Ab experientia commendo decoct. rad. Pentaphylli in Aphthis, quo Thomas Thomasius mirabili cum successu & artificio oris ulcera sine ulla alia re sanavit. *Jac. Cæs. Baricellus Hort. Genial.* p. 148.

Pentaphyllum, Tormentilla, Argentina, Fragaria ut genere sic viribus convenire videntur.

* 3. *Pentaphyllum Alpinum splendens aureo flore* J. B. *Quinquefolium minus repens Alpinum aureum* C. B. *Pentaphyllum incanum repens Alpinum* Park. *Quinquefolium minus flore aureo* Ger. emac.

J. B.

Pulchra Pentaphylli species in multa capita divisa, in quibus multæ squamæ: *radices* multæ, ruffæ, è quibus ex uncialibus aut longioribus pedicellis *foliola* quaquaversùm denso agmine panduntur, Tormentillæ ferè facie, mediâ parte serrata, polita & ferè lucentia, aliquot pilis vix ac nè vix quidem conspicuis in quibusdam partibus obsita. *Cauliculi* aliquot palmares, summo tenus divisi *flosculos* sustinent pulchrè luteos (quantum quidem ex sicca judicare licet) foliis latiusculis constantes; in quorum medio *stamina* saturatiora, ac fere crocea.

Pentaphyllum tertium *Clus. ramos* promit humi se spargentes, & subinde oblongas alias fibras agentes: *Folia* quam Quinquefolii vulgaris molliora, aliquantulum incana & splendentia.

Locus. Crescit (inquit Clusius) in summis Alpium jugis, quæ tamen herbosa sunt, & sub Junii initium floret, in hortis autem Maio.

* 4. *Pentaphyllum minus folio subtus albicante* J. B. *An Quinquefolium minus repens luteum* C. B? *Pentaphyllum minimum repens* Park?

J. B.

Radix lignosa minimi ferè digiti crassitudine, in fibras tenuiores abiens, longè latéque vagatur, cortice nigro obtecta, sapore adstringente, *ramulos* emittens complures, etiam palmares, humi fusos, in alios ramulos divisos, hirsutos & nonnihil rubentes: in quibus *folia* quæ pollice texeris, quinquepartita, singulis segmentis circa mucronem leviter incisis, supernè virentia, infernè albicantia: *flosculi* parvi, lutei, quinque foliis constant, apicibus multis luteis medium occupantibus: subsunt autem flori quinque folia hirsuta, foris viridia, intus ad luteum vergentia, quibus interjecta totidem foliola dimidio minora, viridantia.

De loco natali hujus plantæ nihil scribit. At Quinquefolium minus repens luteum *C. B.* in colle patibuli viâ pontis Castri novi & in siccis locis Salenovæ copiose nascitur. *Botan. Monsp.*

* 5. *Pentaphylli minoris major species folio subtus albicante* J. B.

Foliis est multò majoribus quàm in præcedente, ex longis pediculis dodrantalibus, & quinque foliolis, ac multis septenis, oblongis, extremis subrotundis, serratis, subtus albicantibus: *caulibus* palmaribus, in summitate *floribus* luteis multis, ex brevibus pediculis: *radice* nigrâ, longâ, cum fibris crassis.

Ubi collectum hoc Pentaphyllum nescivit Descriptionis autor J. Bauhinus. Utrumque hoc Pentaphylli genus nobis incognitum est.

Pentaphyllum minus repens aureum *Ad.* Tormentillam admodum repræsentat: folia ejus qua terram spectant albicant. Non propagat se ramulis defixis Pentaphylli vulgaris in modum, unde miror cur repentem vocet C. Bauhinus, nisi fortè radicibus reptet, ut innuit Joannes frater de suo, si modò eandem plantam intelligat.

Admodum obscuri sunt Botanici in historia Pentaphyllorum.

* 6. *Pentaphyllum minus molli lanugine pubescens, flore luteo* J. B. *Quinquefolium repens minus lanuginosum luteum* C. B. *Pent. minus repens* Park. *Quinquefolium incanum* Ger.

Clus.

Multa exeunt ab una *radice* capita ramosa, humi fusa, aliquot foliis Pentaphylli vulgaris & elatioris formâ similibus prædita, h. e. quæ quinque foliolis in ambitu serratis, mollique lanugine pubescentibus, constant, sed non ut illa [præcedens] incanis, gustu initio exsiccante deinde linguam nonnihil vellicante: Ex iis capitibus prodeunt dodrantales interdum caliculi, similibus sed minoribus foliis ornati, gestantes in summo multos *flores* luteos, elegantissimos, pentapetalos, medium florem occupantibus multis *staminulis* luteis. *Semen* in caput & veluti Fragi rudimentum congestum, fuscum. *Radix* longa, dura, satis crassa, foris nigricans & tenuibus fibris donata est: sed & rami illi humi fusi plerunque fibras agunt, & vicina loca occupant.

Locus. Nihil illo vulgatius locis siccis & nudis Pannoniæ, Austriæ inferioris, Moraviæ & Bohemiæ.

Tempus. Florere incipit ineunte propemodum vere.

7. *Pentaphyllon parvum hirsutum* J. B. *Pent. minus repens lanuginosum* Park. *Quinquefolium minus repens aureum* C. B. *Quinquefolii quarti secunda species* Clus. *Pentaphyllum incanum minus repens* Ger. emac.

Clus.

Cum præcedenti nascitur atque etiam floret, minùs tamen frequens, humi similiter fusum, cujus *cauliculi* non virent sed purpurascunt, & graciliores sunt: *folia* angustiora, magis villosa, & illorum oræ altiùs serratæ: *flores* etiam magis aurei; in cæteris conveniunt.

Radice

Radice donatur (inquit J. Bauhinus) crassâ, longâ, nigrâ: *foliis* parvis hirsutis, ex pediculis duas uncias longis: *cauliculis* multis, humi fusis, quatuor vel quinque unciarum.

Passim provenit (inquit J. Bauhinus) [at non in Anglia.] Martio & Aprili floret. *Tempus.*

8. *Pentaphyllum rectum majus* J. B. *majus erectum* Park. *Quinquefolium majus rectum* Ger. *rectum luteum* C. B.

J. B.

Non minùs strenuè astringit hujus *radix* quàm vulgaris supini, multis adnatis aucta, rubescens: *Caules* cubitales & majores, plures, duri & rigidi, recti, teretes, subrubentes, villosi, circa summum in aliquot alas, modò longas, modò breves divisi. *Folia* hirsuta, Alceæ ferè æmula, variante divisura, quintuplici, septuplici, singulis segmentis profundè serratis. *Flores* odore Agrimoniæ, Quinquefolii supini majoris instar, colore luteo, intensiore, dilutiore & albo interdum, sed rariùs, unde Lobelio in Adv. *Pentaphyllum album & purpureum* inscribitur.

J. Bauhinus se in Alsatia spontaneum observâsse scribit. *Locus.*

Est &

9. *Quinquefolium Canadense humilius.*

Moris.

Cujus folia saturatiùs virent: *flosculos* magnos luteos, & consequenter capsulas majores aliorum more gerit.

* 10. *Pentaphyllon rectum majus, tenuius, villosius, Pannonicum* J. B.

J. B.

Cubitalibus & majoribus tenuioribúsque est *caulibus*, longis pilis hirsutis, non ita firmis. *Folia* per caules longos habent pediculos, dodrantales, longis etiam pilis hirsutos, ad principium duæ pinnæ foliorum instar, tenues, simplices, unciam circiter longæ, dividuntur autem folia in sex vel septem portiones, profundè serratas, quales in prædicto sed minores, villosiores, candidiores: rami dividuntur in tenuiores ramulos, qui desinunt in *capitula* minora quorum *calices* minores, cum longis pilis, candidiores. Cujus coloris sint *flores* nos latet.

* 11. *Quinquefolium montanum luteum erectum hirsutum* C. B. *Pentaphyllum montanum erectum* Park.

C. B.

Ex *radice* nigricante *cauliculi* exeunt tenuissimi & sesquipalmares, in summo multifidi, & molli lanugine pubescentes: *folia* inferiora longissimis pediculis donata, in septem (at quæ in caule in quinque) lacinias profundas, diversæ longitudinis, per oras serratas, pilisque donatas dividuntur: quæ parte inferna, ut in vulgari, rufescunt, tantillum incana sunt, non tamen splendent. *Flores* habet parvos, aureos, quinquefolios, multis brevibus & croceis staminulis donatos, quibus capitulum aliorum more, *semen* minutum continens succedit.

In montis Crentzacensis ad patibulum ascensu provenit. *Locus.*

12. *Quinquefolium rectum luteum Monspeliense.*

Folia huic longis insident pediculis, & circumcirca dentata sunt denticulis majoribus, non admodum hirsuta. *Caules* ex eadem radice plures exeunt, dodrantales, minùs crassi & firmi minúsque erecti quàm Pentaphylli recti majoris vulgaris, in summitatibus suis in aliquot ramos divisi numerosos *flores* gestantes luteos.

In sylva Valena propè montem Lupi non longè Monspelio invenimus. A præcedentibus duobus specie differre videtur. *Locus.*

* 13. *Pentaphyllum seu Heptaphyllum albo-pallidum, seu flore ochroleuco, petalis singulis cordatis.* Moris. Hist.

Moris.

Humilior est hæc species, foliis dilutiùs virentibus, hirsutioribus; floribus sulphureis seu albo-pallidis cordatis.

A. 14. *Pentaphyllum erectum, foliis profundè sectis, subtus argenteis, flore luteo* J. B. *rectum minus* Park. *Quinquefolium erectum folio argenteo* C. B. *Quinq. Tormentillæ facie* Ger. **Tormentil-Cinquefoil.**

Radix ei simplex, satis crassa, lignosa, exteriùs obscurè rubens, interiùs alba, plurimis fibris capillata, in numerosa capita divisa. *Caules* indè emergunt plures, teretes, rubentes, hirsuti, in terram reclinati. *Folia* in caulibus alternatim sita, ad exortum suum geminâ appendice caulem amplectuntur, pediculis longis incanis, venosa, & profundis incisuris circa margines serrata, supernè obscurè viridia, hirsuta tamen, infernè incanâ lanugine obducta. *Flores* in summis cauliculis parvi, flavi pentapetali, è calice quinque segmentis composito, quem alia quinque segmenta angusta

gusta obvallant, ut in Pentaphyllo vulgari repente. Semina eadem modo nascuntur, parva, colore per maturitatem Olivæ immaturæ conditæ ferè.

Locus & Tempus. In sterilioribus arenosis aut glareosis pascuis sed rariùs; interdum & in muris. Junio mense floret.

15. *Pentaphyllum rectum* J. B. *rectum flore albo* nobis. *An Quinquefolium album majus caulescens* C. B? *Pentaphyllum majus luteo flore vel albo* Park?

Radix ei crassa, cortice nigricante obtecta, [russa & subnigra, lignosa, astringens *J. B.*] in plura capita nonnunquam divisa. *Folia* pediculis longis hirsutis insident, brevibus pilis circa margines & in aversa parte donata, supernè glabra, pallidè viridia, quinquepartita, partibus singulis brevibus, latis, extremo subrotundis, in ambitu minimè serratis sed extremis duntaxat oris duobus tribúsve denticulis, interdum tamen ad medium usque, humorem glutinosum exsudantia, unde ad tactum viscosa sunt. *Caulis* palmaris & sesquipalmaris, erectus, hirsutus, subruber, foliis vestitus tribus quatuórve, (quæ ex bifido folio seu vaginâ quâdam caulem amplectente exeunt) in summitate in plures ramulos spargitur, unde & *flores* umbellam quodammodo mentiuntur, albi, è quinque foliis compositi longiusculis, cùm flos expanditur, in tantum à se invicem distantibus, ut inter duo quælibet folia unum calicis segmentum appareat & florem componere videatur, ut in Fragaria. Medium floris occupant villi tomentosi innumeri, in fasciculum velut congesti, albi, nonnunquam etiam purpurascentes, apicibus pullis insignes. Mensis Julii initio florere incepit.

Locus. E rupium fissuris exit in ascensu montis Salevæ propè Genevam; itémque ad latus portæ Max. Carthusianorum cœnobii Gratianopolin ducentis. Invenimus & in Alpibus Carinthiacis.

Descriptio *Quinquefolii albi majoris caulescentis* C. B. plantæ nostræ in plerisque convenit: excepto quòd folia serrata in ambitu faciat, & floris petala in summo divisa.

* 16. *Quinquefolium album minus* C. B. *Pentaphyllum album minimum* Park.

In paucis, excepta partium omnium parvitate, à præcedente differt, nimirum foliorum pedicellis brevibus, & foliis ipsis extremis tantùm oris serratis.

Quinquefolium 2. minus flore albo Clus. *Quinquef. sylvaticum minus flo. albo* Ger. emac. *Pentaph. album minus* Park. *album minus alterum* C. B. *An Pentaphyllum Alpinum argenteum flore albo nostrum?*

Clus.

Ex eadem *radice* quæ nigra est, multos plerunque *cauliculos* proferre solet, confertim nascentibus secundum radicem incanis foliolis, formâ superiori [sequenti] similibus onustos, graciles, non humi fusos, sed rectos, & summo fastigio multos *flosculos* priori [sequenti] similes. Sequentis genus videtur sed per omnia minus.

Locus. Eruit hoc inter saxa & scopulos summis Austriacarum & Stiriacarum Alpium jugis Clusius. Floret sub finem Junii, interdum Julio & Augusto, prout juga illa maturiùs aut seriùs nivibus sunt libera. Accedit ad nostrum Pentaph. argenteum Alpinum flore albo, in nonnullis tamen ab eo differt.

17. *Quinquefolium album majus alterum* C. B. *sylvaticum majus flore albo* Ger. *Pentaphyllon album* J. B. *majus alterum album* Park.

Clus.

Ex *radice* multis fibris donatâ pediculi plures exoriuntur, palmares & sesquipalmares, tenues, angulosi, hirsuti, *folium* singuli sustinentes quinquefidum, supernè glabrum viridéque, infernè argentea lanugine villosum, cujus segmenta singula carinata ferè; quædam longiora quàm minimùm, alia minimè serrata, in obtusum mucronem desinunt, quàm in Tormentilla argentea longiora, superna parte virore non ita obscuro, nec ita glabra. Ex calicibus hirsutis *flores* peculiaribus quoque pediculis longiusculis insident Fragariæ, colore perinde lacteo, staminulis in medio luteis. Sapor herbæ glutinosus.

Locus. In Alpibus Stiriacis inter oppidum S. Michaelis & *Knittlefield* invenimus. Clusius in montosis sylvis in Austria, Moravia & Pannonia interamni observavit: nam Pentaphyllon album 1. Clusii ab hoc non separo. Clusius autem cauliculos exiles & tenues, dodrantales ei attribuit: radicem crassiusculam, nigricantem, in ambitu sese diffundentem: *folia* extremis duntaxat oris crenata.

18. *Pentaphyllum argenteum Alpinum flore albo.* *An Pentaphyllum foliis supernè & infernè incanis* J. B? *An Quinquefolium minus album alterum* C. B? *Quinquefolium sylvaticum minus flore albo* Ger. emac. *Pent. album minus* Park.

Radix crassa, lignea, nigricans, vel atro rubore perfusa, ex qua plura capita squamata. *Folia* confertissima, quinquepartita & interdum tripartita, exigua, lanugine molli, argenteâ tam supra, quàm subtus canentia, obtusa, & in extremo duntaxat duabus tribúsve crenis incisa, pediculis brevibus nixa. *Cauliculi* ex eadem radice plures exeunt, duarum unciarum pariter villosi, tenues & infirmi, foliolis duobus tribúsve tripartito divisis vestiti, quæ appendicibus duabus caulem amplectuntur; *flores* in summitate sustinentes duos vel tres, pentapetalos, albos, cum numerosis intus *staminulis*,

nulis, apicibus purpureis capitatis. Vice styli congeries & veluti fasciculus filamentorum. *Calix* ex decem foliolis hirsutis in acutum exeuntibus constat, quinque latioribus, quinque angustioribus, alternatim positis.

In summitatibus montium altissim. max. Carthusianorum cœnobio imminentium invenimus. *Locus.*

Planta J. Bauhino descripta ab hac nostra differt quòd in singulis caulibus flores gerat singulos.

19. *Trifolium argenteum Alpinum* Ponæ. *Alpinum argenteum Persici flore* C. B. *aut certè ei simillimum.*

Eodem in loco cum præcedente planta à nobis inventum, non videtur ab ea specie differre. *Folia* duntaxat angustiora longioráque videbantur. Verùm quicquid de eo sit, Pentaphyllon foliis infernè & supernè incanis *J. B.* idem proculdubio est Trifolio argenteo Alpino *Ponæ*, cùm in eodem loco, monte Baldo nimirum, utrumque inventum sit, cúmque in *Pentaphyllo* illo dicto *folia* observentur duntaxat terna, & in singulis caulibus *flores* singulares, quod idem de suo Trifolio argenteo observavit Pona.

Planta autem quam nos hoc titulo intellectam volumus, quámque præcedenti specie eandem suspicamur, à *Trifolio argenteo Alpino* Ponæ, h. e. Pentaphyllo foliis infernè & supernè incanis diversa videtur, cùm in eodem caule duos interdum aut etiam tres flores gestet, alioqui simillima.

Trifolium saxatile hirsutissimum *J. B. C. B.* huic plantæ simillimum nobis esse videtur, & fortè idem. Descriptionem videsis apud utrumlibet autorem.

* 20. *Pentaphyllum minus argenteum* Park.

Park.

Ramulis plurimis albentibus, ad radicem multis & brevibus filamentis seu capillamentis potiùs quàm foliis vestitis, humi se diffundit; superiùs exeunt folia parva, extremis subrotundis & minimè dentatis, supernè obscurè viridia, infernè argentea. Summos ramulos occupant capitula seu folliculi multi incerto numero & ordine, longos surculos circundantes, à reliquis generibus multùm diversi, è quibus exeunt minimi & vix discernendi flosculi albentes, quos sequuntur semina minutissima flavescentia. *Radix* parva, longa, dura, fibrata multos annos durat, in multa capita divisa, ut magnum terræ spatium occupet.

Ex seminibus è regionibus transmarinis acceptis Parkinsono succrevit.

Alchimillæ potiùs quam Pentaphylli species nobis videtur.

* 21. *Quinquefolium Lupini folio* C. B. *Pentaphyllum* στρυμόφυλλον Thal.

Descriptionem hujus vide apud Thalium.

* 22. *Quinquefolium tuberosum Indicum* C. B. *Pentaphyllum Indicum* Clus. exot. l. 4. c. 18.

Clus.

Bina duntaxat habebat *folia* eáque tenella, peracri tamen sapore prædita, ex tuberosa radice prodeuntia, gracili, septem aut octo nihilominus uncias longo pediculo subnixa, in quinque profundas & ad pediculum usque ferè pertingentes lacinias divisa, nervo singulas lacinias à pediculo ad summum mucronem secundùm longitudinem secante, & venis quibusdam ab eo nervo in latera excurrentibus prædita. Caulémne & flores proferret mihi incompertum: sed radix quæ, ut dicebam, tuberosa instar radicis Tormentillæ, & solida, parte externa aliquantulum fusca, internâ verò alba, & cujusdam acrimoniæ particeps duorum aliorum foliorum, quæ abrupta, vestigia adhuc retinebat, plenáque & aliquot fibris donata erat.

In sportulis Nicolai Colii M. D. reperta erat, qui cum iis quos Mercatorum societas Amstelodam. in Indiam Orientalem aromatum comparandorum gratiâ ablegaverat, Anno 1601. profectus in reditu extinctus erat.

Non videtur pertinere ad hoc genus.

CAP. XV.

De Pentaphylloide.

A Pentaphyllo cum quo in aliis plerisque convenit, foliis lobatis, Agrimoniæ ant Caryophyllatæ ferè æmulis differt.

1. *Pentaphylloides erectum* J. B. *Pentaphyllum fragiferum* Ger. Park. Clus. *Quinquefolium fragiferum* C. B.

Radice præditum est plurium capitum, crassiusculâ, lignosâ, cortice saturatiùs rubente, strenuè adstringente, rectâ, è qua *pediculi* plusculi prodeunt, palmares, quorum extremo connectuntur terna *folia* hirsuta, serrata, Fragariæ æmula, longè minora, rursùmque eidem costæ una aut altera consimilium foliorum conjugatio, quo longiùs à supremis illis absunt minorum. Inter hæc caulis nascitur cubito altior, hirsutus, semel atque iterum quinis junctis foliis insignis, superiùs in ramulos aliquot divaricatur, qui multos *flores* gerunt, albos, Pentaphylloidis supini duplo majores, subjectis radiatis foliolis viridantibus, hirsutis, floris umbilicum occupante capitulo Fragum ferente, ut in cæteris Pentaphyllis, quod constat seminibus oblongis, ferè ruffis.

Locus. In monte Saleva propè arcem antiquam jam ferè collapsam oritur. Clusius in Leytenberg locis umbrosis, inque Pannonia multis locis, non modò in cæduis sylvis, sed etiam gramineis campis, &c. observavit.

Tempus. Floret Maio; fructus paulò seriùs maturescit.

2. *Pentaphylloides supinum* J. B. *Pentaphyllum supinum Potentillæ facie* Ger. Park. *Quinquefolio fragifero affinis* C. B.

J. B.
Folia plurima pediculis longis, ex *radice* crassiuscula, longa, multorum capitum, annectuntur conjugatim, singula serrata, ad Geranii supini folia accedentia. *Caules* cubitales, inanes, numerosos gerunt *flores*, parvos, luteos, ex brevibus pediculis. Succedunt *capitula* parva Fragis immaturis similia.

Locus. In Germania prope Rhenum, infra Moguntiam invenimus. Frequens in agro Viennensi, in extremis pratorum marginibus, secundùm sylvas. *Clus.*

* 3. *Pentaphyllum pusillum repens foliis argenteis fragiferum N. D.* Hort. Lugd. Bat.
4. *Quinquefolio similis enneaphyllos* C. B. *Enneaphyllon* Park.

Radicem habet crassam, nigricantem, in longas fibras abeuntem, à qua *cauliculi* plures a dexortum usque conglobati, per terram sparsi, capillacei, multifidi, tres quatuórve uncias longi prodeunt. *Foliis* est oblongis pedicellis donatis, in novem lacinias angustissimas per margines incisas, & hirsutie villosas, divisis. *Flosculi* parvi, aurei, & *capitula* parva Quinquefoliorum modo à pedicellis sustinentur.

Locus. Ex Helvetiorum Alpibus.

A. 5. *Pentaphylloides fruticosum.* **Shrub-Cinquefoil.**

Tota planta castaneo est colore, exceptis foliis & floribus, gustu subdulci, ligno solido. *Radix* ei fibrosa, undique juxta caulem turiones, seu mavis stolones, emittens. *Caulis* bipedalis aut altior, in plurimos ramos & surculos divisus & subdivisus; per quos ad singulos pollices pediculi semunciales alterno ordine siti *folia* sustinent, subtus lanuginosa, supernè glabra, viridia, quodammodo pennata, è pinnulis oblongis septenis (rariùs quinis) composita, ita dispositis ut ex uno quasi centro quaternæ, ex altero (scilicet superiore) ternæ prodire videantur. *Flores* lutei, ampli, pentapetali, unguibus tenuibus adnascentes, adeò ut citò decidant, novis tamen indies succrescentibus per totam æstatem. *Calix* Pentaphyllorum more è quinque (rariùs sex) foliis lanuginosis acuminatis constat, totidem tenuioribus interjectis. Semina aut prorsus nulla, aut saltem inconspicua; nec quicquam post exactos flores præter brevem quandam lanuginem multis staminibus interspersis reperias. Caulis singulis annis (nè dicam sæpiùs) cuticulam seu corticem exteriorem exuit, adeò ut eodem tempore eidem cauli vel senas, vel fortasse etiam denas, cuticularum lacinias adhærentes conspicias.

Locus. Reperitur ad ripam Meridionalem *Tees* fluvii qui Dunelmensem episcopatum ab Eboracensi provincia disterminat, infra vicum *Thorp* dictum variis in locis, nec minus infra cœnobium S. Athelstani, *Eggleston-Abbey* dictum, in agro Eboracensi. Hanc plantam primus observavit, nobisque ostendit, & descriptionem à se concinnatam communicavit D. Johnson Eboracensis.

CAP.

Cap. XVI.

De Pentaphylloide Argentina dicto.

ARgentina ab argenteo foliorum splendore dicta est. Germani *Genserich*, id est Anserinam, appellant, quòd hac Anseres in cibo delectantur. Quo nomine Græci & Latini hanc herbam appellant à nullo proditum est. Recentiores quidam Potentillam ab eximiis viribus quibus pollet vocant, nonnulli Agrimoniam sylvestrem ob formæ affinitatem. *Trag.*

A. *Argentina* Ger. *Potentilla* Park. C. B. *Potentilla seu Argentina* J. B. **Wild Tansy, Silver-weed.**

A foliorum molli & argentea lanugine nomen accepit hæc planta. *Radicem* habet nunc simplicem, cortice nigricante tectam, nunc fibrosam, gustu adstringentem, undè plurima emergunt *folia*, in terram resupina, Agrimoniæ foliis similia, majoribus hinc inde pinnulis, obtusis, circa margines profundè dentatis, cum plurimis minusculis intermediis constantia. *Flagella* undique spargit, quibus insigniter se propagat, Fragariæ instar. Ex alis foliorum, quæ appendicibus suis flagella amplectuntur, exeunt *flores*, singulares, pediculis longis hirsutis fulti, flavi, quinque foliis subrotundis non crenatis compositi, cum plurimis in medio staminulis & apicibus concoloribus, è *calice* hirsuto, quinque segmentis acutis, (quæ conniventia florem antequam aperitur, & semina iterum flore dilapso occultant) composito. Hæc autem folia alia quinque circumstant, nonnunquam segmentata. *Etymon.*

Frequens est circa semitas & loca aquosa: Amat enim loca uliginosa & ubi per hyemem aquæ stagnârant. *Locus.*

Ut genere sic viribus cum Fragaria, Pentaphyllo, Tormentilla convenit: quas summatim recenset Schroderus his verbis.

Refrigerat moderatè, astringit fortiùs, siccat, constipat. *Vires.*

Hinc sanguinis expuitioni medetur, diarrhœam & reliquas tum alvi, tum uteri fluxus compescit: hæmoptoicis & hæmorrhoousis subvenit: renum calculum insigniter atterit: vulneribus insuper & ulceribus admodum conducit. Externè famosa est in doloribus dentium mitigandis, putredine gingivarum arcenda, æstu febrili sopiendo, quem potenter compescit, cum sale & aceto contusa plantis pedum supponatur, vel carpis applicetur.

Aquam hujus stillatitiam ad lentigines, panos & maculas, fuscúmque colorem sole contractum delendum Angliæ mulierculæ adhibent.

Hujus radices, quas **Moors** vocant, in agro Eboracensi circa *Settle* oppidum hyberno tempore effossas pueri esitant. Sunt enim sapore suavi, nec minùs grato quàm Pastinacæ, ut à Pharmacopœo quodam fide digno, ibidem degente certior factus sum. Postea observavi etiam porcos radices hasce rostro effossas libenter vorare.

Experimento egregio didicit Jo. Agricola Potentillæ succum unà cum pulvere Colchici vulgaris mariscis ani mederi. *J. B.*

Castor Durantes jubet ut dysentericorum indatur calceis: Atque hac arte non solùm dysenteriam, sed omne genus p.n. fluxiones infimi ventris, ut nimios menses, imò narium hæmorrhagiam dubio procul sistere valebit. *Sim. Paullus.* Hartmannus eandem hoc modo usurpatam valuisse ad dysenteriam affirmabat, postquam medicorum opera nihil profuisset.

Hanc etiam pro Arcano celebrat Petr. Borellius Cent. 1. Observ. 12.

Diuretica aliquando cum fructu in febribus exhibentur, inter quæ Anserina specificè prodest, sic etiam & Sal Anserinæ, quod mihi pro specifico est. *D. Soame* è Dolæi L. 3. C. 7. S. 14.

Cap. XVII.

De Tormentilla.

TOrmentilla, Ἑπτάφυλλον, quod radicis pulvis cum aluminis & Pyrethri momento cavis dentium inditum eorundem tormentum sive cruciatum sedet. *Lob.* Alii à Dysentericis torminibus sanandis à Recentioribus ità nominatam censent.

A Pentaphyllo distinguitur, foliis septenis in eodem pediculo, quod & Pentaphyllis nonnullis commune est, sed præcipuè flore tetrapetalo, quod huic proprium.

A. 1. *Tormentilla* Ger. J. B. *vulgaris* Park. Offic. *sylvestris* C. B. **Tormentil or Septfoil.** *J. B.*

Ex *radice* crassa, pollicem nonnunquam superante, aliàs recta, aliàs in obliquum acta, rubente, fibrosa, sapore adstringente *viticulas* plures emittit humi fusas, nonnihil subinde erectas & cubitum interdum longas, hirsutas, rubescentes, tenues; in quibus ex intervallis *folia* caulem ambientia, Pentaphylli, hirsuta, sed divisura septemplici. *Flores* parvi, lutei, tetrapetali, aliàs Pentaphylli similes.

les. In hujus coliculo obſervatur aliquando adnatum tuberculum quoddam, excrementitium, concretione Pomorum Quercinorum, in cujus antro ſtabulantur vermiculi ſeu teredines.

Locus. In paſcuis ubique fere, præſertim ſiccioribus & montoſis.

2. *Tormentilla Alpina major* Park. *Alpina vulgaris major* C. B.

Radix huic odoratior, rubicundior ac major vulgari: *Folia* etiam majora: in reliquis conveniunt.

A. 3. *Pentaphyllum reptans alatum foliis profundiùs ſerratis* D. Plot. *minus viride flore aureo tetrapetalo, radiculas in terram è geniculis demittens* Moriſ. *An Pentaph. Tormentillæ facie repens* Hort. Leyd?

D. Plot.

Quinquefolium vulgare repens creſcendi modo æmulatur, & in pleriſque partibus refert: niſi quòd folia nonnulla ad exortum plantæ è radice ſubrotunda & Alchimillæ modo integra & indiviſa obtineat; alia quinquepartita ſuperiore tantùm medietate dentata. *Folia* non ſemper quina in eodem pediculo exiſtunt, ſed prout caules ſeu flagella in longitudinem excreſcunt paullatim pauciora, quaterna v. g. terna, bina & in extremis cauliculis ſingula; Omnia ad pediculi exortum binas appendices ceu auriculas adnaſcentes obtinent, ut in vulgari Tormentilla.

Flores Tormentillæ inſtar tetrapetali; è mille vix unum reperies pentapetalon.

Locus. Ad margines arvorum inter *Hockley* & ſylvas colli *Shotover* ſubjacentes, & alibi in agro Oxonienſi invenitur.

Vires. Tormentilla, cùm Pentaphylli revera ſpecies ſit flore tetrapetalo, eaſdem cum eo vires obtinet.

Siccat & potenter aſtringit; hinc in fluxionibus quibuſcunque alvi, uteri, &c. non aliud remedium uſitatius quàm Tormentillæ radix, quomodocunque exhibita: præterea diaphoretica eſt & alexipharmaca; unde & omnibus medicamentis quæ adverſus venena, peſtem, variolas & morbillos alioſve morbos malignos componuntur adhibenda, præſertim ſi cum fluxu alvi conjuncti ſint. Tandem vulnerariis potionibus, unguentis & emplaſtris adjungi ſolet, nam vetera & putrida ulcera & abſceſſus ſanat.

In inſulis Ferroenſibus Tormentillâ utuntur, defectu corticum in pellibus Animalium præparandis. Tho. Bartholin. Act. Med. An. 1671. Obſ. 49. D. *Tancr. Robinſon.*

Ad Diarrhœam commendat Etmullerus Extractum Tormentillæ, præmiſſo ſi opus eſt Rhabarbaro una alterâve vice: hinc exhibitum ana ℈ß. ad ℈j. quod remedium præcellit omnibus aliis medicamentis in dyſenteria epidemica. *D. Hulſe* ex Etmulleri prax. cap. de Diarrhœa.

CAP. XVIII.

De Plantagine aquatica.

Plantago dicitur ob aliqualem foliorum ſimilitudinem.

Loco natali, & flore tripetalo cum Sagitta convenit, foliis Plantagineis ab eadem differt.

A. 1. *Plantago aquatica* J. B. *aquatica latifolia* C. B. *aquatica major* Ger. Park. **Great water-Plantain.**

J. B.

Foliorum cum caulis imo quod involvunt ad tenues uſque & numeroſas radicum fibras turbinatus coitus bulbi faciem aliquatenus mentitur: *caulis* autem ſtriatus, anguloſus, inanis, ſubruber, plerumque cubitalis, non rarò etiam procerior, alis indidem ortis in orbem coronatur, atque hæ rurſum in radiatos ex intervallis ſurculos faceſſunt: quorum extremis inſident *floſculi*, dilutiori purpura palleſcentes, fimbriatis foliis tribus conſtantes, totidem toti flori ſubjectis foliolis minoribus, viridantibus, herbacei coloris, ſtaminulis ſenis è medio floſculo exeuntibus. *Semina* Milio vix majora, utrinque compreſſa, margine ſulcato, in trigonum junctis lateribus diſpoſita, copioſa. *Folia* Plantaginis, longiora, acuminata, nervoſa, glabra, ſapore ſubacido prædita.

Locus. In & juxta aquas ubique ferè reperitur.

Johnſonus apud Gerardum hanc plantam Limonium Dioſcoridis & Plinii eſſe contendit, quibus argumentis apud ipſum vide. Certè ineptè admodum Plantago appellatur, cum qua parum habet ſimilitudinis.

Vires. Refrigerare & ſiccare dicitur. Schwenckfeldius procidentiam ani curare, rubentem podagram, capitis dolorem à cauſa calida mulcere, cruento ſputo urinæque mederi tradit.

Summum ſecretum & expertiſſimum quo ſubitò lac in mammillis conſumatur eſſe ait Timotheus Roſlin ſuccum hujus Plantaginis illis applicatum.

A. 2. *Plantago aquatica minor* Park. *aquatica humilis* Ger. *aquat. humilis anguſtifolia* J.B. *aquat. anguſtifolia* C.B. **The leſſer Water-Plantain.**

J. B.

Gracili concavo, nudoque *caule* pedali & altiori prædita eſt; verticillatim circa medium pediculis quadrantalibus & trientalibus ex geniculo ortis radiato; conſimiliterque aliis ejuſmodi ſummum caulem

caulem coronantibus; quorum unicuique *flos* insidet satis amplus, albus unguibus flavis, è tribus caducis foliis compositus, glomerato in parvi echini modum capitulo relicto. *Folia* ex radice sena septenáve, junceo pediculo palmari & sesquipalmari nixa, angusta, acuminata, glabra, tribus longis nervis distincta. Odor plantæ mihi non adeò gratus sed potiùs gravis, ad Castorei odorem accedens. *Radix* innumeris fibris albentibus constat. Adde, quòd capitulum in medio flore aliquot staminula brevia circumstant, cacuminulis luteis.

Cap. XIX.

De Sagitta, seu Sagittaria.

SAgitta dicitur hæc herba, quòd ejus folia alatæ sagittæ cuspidem proximè referant.

Sagitta minor J. B. *aquatica minor latifolia* C. B. *minor latifolia* Park. Arrow-head.

J. B.
Sagittæ *radices* sunt multæ, albæ, crassiusculæ, fungosæ, non sine capillaribus fibris, à quibus propagines nascuntur longissimæ, interdum bicubitales, junceæ tenuitatis, subter aquam serpentes, similes radicibus Lysimachiæ luteæ. *Folia* aquis innatant raræ formæ, alatæ Sagittæ mucronem æmulantia, fuscis hinc inde in superna parte maculis notata, quædam ex primis in acumen non desinunt sed rotundantur. In eorum porrò singulas alas longi, terni aut quini nervi per longum porriguntur, obliquis à nervo in nervum venulis intercursantibus, lævore Plantaginis aquaticæ, pediculo minimi digiti crassitudine, fungoso, striato, pænè triangulo, duos aut tres cubitos longo pro aquæ profunditate in qua vivit. Folia sapore nonnihil subdulci & viscido, cum vestigio obscuro acrimoniæ: *Caules* rectos duos aut tres emittit, non multo foliis altiores, rotundos ferè, striatos, crassos, fungosos, in quorum parte superiore plures *flores* exoriuntur, plerunque terni, caulem amplectentes, ex pediculis sive ramulis, modò longiusculis modò brevioribus, pulcherrimi, mediocriter magni, tribus foliolis albis constantes, ungue purpurascente notatis, florum Amygdalarum foliolis paulo minoribus, in medio apices multi rubentes. Sub flore tria foliola viridia. Flores excipiunt echinata *capitula*, subpurpurea, magnitudine pænè fructuum Arbuti vel Fragorum, ex aculeis velut constantia, qui nihil aliud sunt quàm *semina* lata compressa in acumen desinentia, unguibus Avium similia.

Locus. In aquis leniter decurrentibus frequens est.

Sagittæ tres species seu varietates constituunt Botanici.

1. Sagittam majorem *J. B. Ger.* quæ aquatica major *C. B.* major latifolia *Park.* minori angustifoliæ jam descriptæ, excepta magnitudine, per omnia similis, verùm folia non usque adeò acuminata habentur.

2. Sagittam latifoliam minorem, superiùs descriptam.

3. Sagittam minorem angustifoliam *J. B.* quæ aquatica minor angustifolia *C. B.* Sagittaria minor angustifolia *Park.* Hæc minori descriptæ per omnia similis, sed omnia minora sunt ei, foliáque angustiora multo, magísque acuminata.

Hæ tres varietates non videntur nobis inter se specie differre; siquidem promiscuè in eisdem aquis persæpe oriuntur, unde & eidem semine ortum suum debere videntur.

LIBRI DUODECIMI

SECTIO SECUNDA.

De Herbis semine nudo polyspermis flore nudo seu nullo Perianthio tecto.

Herbæ semine nudo polyspermæ, flore nudo, h. e. *nullo perianthio tecto, sunt vel eodem*

Quadrifolio seu cruciato, majores & sarmentosæ, gustu fervido, cincinnis seu plumulis longis villosis seminibus adnatis; CLEMATIS.
Polyphyllo, caule

Indeterminatè foliato, speciosum florum thyrsum proferente, foliis pinnatis, radicibus

Tuberosis, bulbillis ab extremis fibrarum filamentis dependentibus, seminibus in circulum dispositis; FILIPENDULA, *Oenanthe.*
Fibrosis, seminibus incurvis, in globulum congestis; ULMARIA.

Determinatè foliato, ex unica tantùm distinctione, ubi terna hærent folia, floribus in singulis caulibus singulis; seminibus

Ranunculi, in capitulum congestis, nullo pappo aut lanugine vel adhærente vel involvente, folio variè dissecto; ANEMONE *nemorum.*
In pappos abeuntibus, multiplici colorum varietate & pulchritudine; ANEMONE. Hujus flos vento flante potissimùm aperiri dicitur, unde nomen.
Caudatis, cincinnis seu plumulis longis adhærentibus; PULSATILLA.

CAP. I.

De Clematide.

CLematis dicitur à κλῆμα sarmentum, quoniam flagellis vitigineorum æmulis arbores conscendit.

Notæ ejus sunt flos quadrifolius seu cruciatus, cincinni seu plumulæ longæ villosæ in plerisque speciebus seminibus adnatæ, sapor fervidus.

A. 1. *Clematis latifolia sive Atragene quibusdam* J.B. *Clematitis sylv. latifolia* C. B. *Clematis sylv. latifolia, sive Viorna* Park. *Viorna* Ger. **Great wild Climber or Travellers joy.**

J. B.

Sarmentis aliquatenus vitigineis luxuriat, crassis, iisque angulosis, rugosis, junioribus subhirsutis, subinde rubentibus, obsequioso flexu lentis. *Folia* quina, Dulcamaræ æmula, aliàs integra, aliàs dentata & fimbriata, gustu acria, viticulæ mediæ tortili, quâ capreolorum loco vicinis arbustis implicita scandit, adnectuntur. *Flores* racematim petiolis incanis insident, suaveolentes, candidi, quaternis radiatis foliis constantes; quorum meditullium obsidet muscosus staminum pallidulorum cincinnus. *Flores* excipiunt acini complures, cuneatim indidem orti, pinnatæ lanuginis tomento barbati. *Radix* crassiuscula, fusca, fibris donata.

Varietas. Illius sarmenta (inquit Clusius) in Pannonia conspiciebam brachiali crassitudine, nodis carentia, recta, rimoso cortice vitis instar tecta, hastæ interdum longitudine sub vastis arboribus, & latè ramos spargentibus (quibus se implicaverat) crescentia. Tantam magnitudinem & staturam apud nos raró assequitur. Ramuli ejus cinerei sunt lenti & tenaces, unde viminum aut funiculorum loco inserviunt januis aut craticulis colligandis, fasciculis vinciendis, &c.

Vulgaris

Vulgaris est omnibus quas Clusius adiit provinciis, vicinis arboribus & sepibus sese implicans. Julio mense florens; fructus plumis suis incanescentes dependent. **Locus.**

Gustus fervidus & acris calidam vim arguit. Usus ejus est ad circulos pro retinendo labente utero. Ad constringendos fasces veluti Salices & alia vincula adhibetur. *J. B.* **Vires & Usus.**

Flore, semine, cortice & radice vim urendi habet.

Species illa quæ *Flammula* dicitur, digitis trita, acerrimo odore velut Fulgor momento nares ferit admota. E Flammula utraque tam recta, quàm scandente elicitur aqua, quæ Spiritûs vini instar fervida est. Hanc compertum est (inquit Matthiolus) efficacissimam esse in morbis frigidissimis. At certè intra corpus non debet assumi, nisi aliis aquis probè mista & temperata, nè viscera lædat.

Sunt qui hujus oleum commendant ischiadicis, articulorum iliúmque doloribus, urinæ angustiis & renum calculis, in quibus morbis aut calidum illud inungunt, aut clysteribus infundunt. Id autem præparant hoc modo. Flammulæ folia tenuissimè concisa in rosaceum imponunt, quod vitreum vas exceperit, ac indè per æstatem insolant obturato vase. Datur etiam in cibis hisce morbis affectis trium drachmarum pondere. *J. B.*

2. *Clematis Bætica* Ger. *Bætica Clusio* J. B. *sylv. altera Bætica* Park. *peregrina, foliis Pyri incisis* C. B.

Clus.

Longa habet *sarmenta*, lenta & ramosa, binos per intervalla capreolos, contrariis semper inter se pediculis nascentes proferentia, quibus vicinas arbores & frutices scandit: *folia* Pyri ferè, minora tamen, dura, viridia, in ambitu incisa sive serrata, acris & fervidi gustûs, singularia in singulis pediculis, sed plurima simul ex clavicularum alis prodeuntia, inter quæ ex utroque sarmentorum latere pediculi exeunt calyculum Tithymali caveolis seu labellis similem sustinentes: ex cujus medio exilit *capitulum* ex multis seminibus Milio æqualibus conflatum, quibus insident oblongi cincinni, & albæ quodammodo villosæ plumulæ.

Hanc stirpem primùm invenit Clusius inter Asindum (vulgo *Medina Sidonia* appellatum) & Calpen, secundùm fluenta, vicinas arbusculas operientem & suo pondere deprimentem, deinde aliis Bæticæ locis, Januario jam suos cincinnos explicantem. **Locus.**

3. *Clematis sive Flammula repens* C. B. *Clem. sive Flammula scandens, tenuifolia alba* J. B. *Clem. urens* Ger. *urens flore albo* Park.

Clematis hæc per se infirma, nonnisi proximis fulta in altum nititur: neque tamen id ullorum capreolorum ope facit, sed foliorum pediculis sepes amplectitur. *Sarmenta* habet striata, viridantia, geniculata: *folia* recticaulis Flammulæ foliis similia, à Vitalba sive Athragene differunt longitudine, angustia & soliditate; tota etiam planta minor. *Flores* albi, odorati, qui uridâ vi labia si imprudenter attigerint inflammant. *Semen* succrescit plumaceâ cristâ insigne. Habetur flore pleno.

Circa Monspelium in collibus saxosis, & alibi in transmarinis observavimus: in Anglia, quod sciam sponte non provenit. Julio & Augusto floret.

Hujus minor quædam species seu varietas esse videtur *Clematis maritima repens C. B. Park.* Descriptiones enim in plerisque conveniunt. Addit insuper, *Cauliculos* atrovirente cortice vestitos: *Folia* acuminata & nervosa, tria uni-pediculo communiter insidentia, qui velut in capreolum abit (quod non capio) quæ in summo caule floribus subjiciuntur angustissima esse. *Flores* longis pediculis sustentari, haberéque multa intus stamina villosa, alba. *Semina* plana, subrotunda, rufescentia, bina ternáve simul. *Hæc accidentia, quamvis in descriptione omissa, præcedenti plantæ pleraque conveniunt: proinde eum non separamus.* In maris Adriatici litoribus invenitur. *C. B.* **Species minor.**

4. *Clematis sive Flammula surrecta alba* J. B. *Flammula recta* C. B. *Flammula Jovis surrecta* Ger. Park.

J. B.

Fibrosam *radicem* demittit & albicantem: *sarmenta* nullius opis indiga, suâ vi in duorum & plurium cubitorum altitudinem nituntur, lævia, teretia, propter terram nonnihil rubescentia, fistulosa & geniculis intercepta. *Folia* cujusmodi ferè in vulgi Flammula aversâ parte subhirsuta & ferè incana, adversâ verò atrovirentia. *Flores* consimiles, copiosi, quadrifolii, candidi, apicibus viridantibus. Non minùs uridâ vi vesicas hæc excitat quam cognata repens.

Hæc ab iis qui diligentiùs observant (teste Clusio) duorum generum esse deprehenditur. Una enim sarmenta rubescentia habet, quemadmodum & foliorum nervos & pediculos, præcociórque est & odoratum fert florem. Alterius autem sarmenta cum foliorum pediculis virescunt, & florem seriùs proferunt. Humanam verò altitudinem utriusque sarmenta plurimùm superant, & singulis annis nova, eáque frequentiora ineunte vere (marcidis & corruptis prioribus) renascuntur. **Duplex species.**

In sepibus ad montes propè Ratisbonam in Germania observavimus. Clusius in Austriæ & Pannoniæ cæduis sylvis frequentem scribit. **Locus.**

5. *Clematis Pannonica* Ger. *Pannonica flore cœruleo ſurrecta* J. B. *Clematitis cœrulea erecta* C. B. *Clem. cœrulea Pannonica* Park. parad.

J. B.

Complures *radix* ſatis craſſa è lateribus ſpargit fibras, fulves, nervulo ligneo candido farctas: *Sarmenta* indè complura [quaterna aut quina *Cluſ.*] ad cubitum & ſeſquicubitum exſurgunt, recta, dura, ſtria-ta, anguloſa, ſubhirſuta, nonnihil purpuraſcentia, geniculata: ad quorum ſingula genicula *folia* ſine pediculis bina oppoſita, Plantaginis majoris ferè paria, minora tamen, ſimiliter per longitudinem nervoſa, acuminata, in ambitu lanuginoſa, ſupernè ex atro virentia, infernè dilutiora, lanugine quadam per nervos reſperſa, [Cluſio Aſclepiadis pænè foliis reſpondentia] non valdè dura, fervidi guſtûs, quemadmodum Flammulæ *Matth.* folia. Ex ſuperiorum foliorum alis pari incremento ſurgunt gemini adverſi ſurculi, eodem modo ſe habentes quo ſarmenta primaria, niſi quòd minora ſunt multis numeris folia: neque tam in primariorum ſarmentorum, quàm alarum ſurculorúmve extremis *flos* nutabundus, unicus, magnus, quatuor foliis mucronatis, crucis in formam (inquit Cluſius) decuſſatis conſtans, modicè ſurſum reflexis, foris ſaturatè cœruleis, canaliculatis, minùs cœrula lanugine per margines obſitis, intus verò glabris, neque tam intensè atque medium extimi folii cœruleis. Medium florem occupat villoſus glomer fibrarum ex luteo albeſcentium, quarum complexu continentur ſtamina alia glabra, viridantia, apicibus ex albo luteis, atque intra hæc tertia fibrarum vireſcentium intorta phalanx. *Semen* compreſſum, magnum, Cluſio Pulſatillæ ſemini ferè ſimile, plumatum, ut in Viorna: nullius acrimoniæ particeps Cluſio.

Locus & Tempus. Inventa eſt à Cluſio ſponte naſcens in pratis circa *Stampfen* duobus ultra Poſonium Ungariæ milliaribus, & aliis ad Danubii ripas ſupra Poſonium. Floret Maio & Junio, ſemen maturat Auguſto.

Alteram hujus ſpeciem depingit & breviter deſcribit Gerardus quam majorem Pannonicam vocat.

6. *Clematis peregrina cœrulea ſive rubra* Ger. *cœrulea vel purpurea repens* C. B. *peregrina flore rubro vel purpureo ſimplex* Park. *Clematis ſive Flammula flore cœruleo & purpureo ſcandens* J. B.

J. B.

Concinnior eſt quàm vulgaris Flammula, *foliis* ad Athragenes propiùs accedentibus, ut quæ quàm Flammulæ breviora ſunt & latiora, & varia ſpecie Athragenes foliorum modo ludentia, modò integra, aliàs diviſa ſemel aut iterum, minimè tamen ſerrata, lævia, atrovirentia, ſapore acri, ex pediculis tenuibus, rigidis, ſubrubentibus, ſubhirſutis terna. Sarmentis autem ſuis innititur depactis pedamentis non ſecus ac Flammula vulgaris repens: ſed præcipua eſt *florum* gratia, qui non tantùm odore ſuavi placent, ſed & colore purpurante oculos morantur; quatuor foliis, (quorum vel unum Flammulæ vulgaris florem integrum facilè ſuperat) crucis modo diſpoſitis conſtantes, in quorum medio cincinnus ſtaminum ex viridi pallentium. Succedunt *Semina* tria, quatuor, aut plura in eodem pediculo, nullis plumulis lanuginoſis adhærentibus, compreſſa, ſubrotunda, acuminata.

Locus & Tempus. In Hiſpaniæ & quibuſdam Italiæ locis juxta ſepes & agrorum margines ſponte exit: Auguſto menſe & quandoque Julio floret.

Varietas flore pleno. Reperitur interdum flore pleno ſeu multiplici quæ Clematis purpurea flore pleno ſcandens *J. B.* Clem. peregrina flore purpureo pleno *Park.* peregrina flore pleno *Ger.* Clematitis cœrulea flore pleno C. B.

Item flore duplo minore, ſeminibus pariter minoribus, quæ Clematis peregrina flore parvo *Moriſ. prælud.*

Vires. Folia Clematidis contuſa lac è mammis extinctum educere, dictante D. Hermanno, didicit *D. Palmer.* An hujus an præcedentis aliúſve plantæ folia intelligat mihi non conſtat.

* 7. *Clematis cruciata Alpina* Park. Ger. emac. *Alpina Geranifolia* C. B.

C. B.

Ex *radice* ſarmentoſa & perenni *caules* plures lenti, lignoſi, quandoque rufeſcente cortice tecti, duos tréſve cubitos alti exurgunt, qui æqualiter bipartiti in latera dividuntur: quibus ſingulis *folia* crebris & profundis diviſuris inciſa, trigemina cohærentia, ut in Anemone Geranifolia, inſident. *Flores* ſinguli ſingulis pediculis longiſſimis ac tenuiſſimis inſident, qui coloris cœrulei albicantis aut obſcurè purpuraſcentis, ex quatuor foliis oblongis, mucronatis, nervoſis, crucis in modum diſpoſitis & nonnihil lanuginoſis, in cujus medio *folia* plura, breviora, quæ quaſi acervulum capillaceorum filamentorum alborum ambiunt.

Locus. In monte Baldo provenit, inque montibus Auſtriæ frequens eſt.

* 8. *Clematis Hederæ folio* Moriſ. prælud.

Moriſ.

Planta eſt ſcandens & circa perticam ſe involvens ad altitudinem quinorum pedum plus minúſve aſcendit; cujus folia ſunt Hederæ æmula, latiora. *Flore* ſfert minores, herbaceos. Fructum nunquam vidit.

CAP.

Cap. II.

De Filipendula.

Filipendulæ notæ characteristicæ sunt Flores polypetali, *Radices* tuberosæ, glandulis oblongis ab extremis fibrarum filamentis pendentibus. Semina in circulum disposita.

A. 1. *Filipendula* Ger. J. B. *vulgaris* Park. *vulgaris, an Molon Plinii* C. B. Common Drop-wort.

Radice multiplici firmatur, exteriùs nigricante, intus albâ. Fibræ in bulbos turgescunt. *Folia* plurima ad radicem, multifariàm pinnata, Pimpinellæ Saxifragæ ferè modo, angustiora, profundius laciniata. Caulis plerunque unicus, erectus, dodrantalis aut etiam pedalis & altior, striatus, ramosus, paucis foliis vestitus, *flores* in fastigio sustinet, velut in umbellæ [paniculæ *J. B.*] formam dispositos, suaveolentes, albos, exteriùs rubentes, heptapetalos, [in quorum medio magnus apicum luteorum plexus sese explicat. *J. B.*] quibus singulis succedunt *semina* undecim, duodecim, aut plura pauciorave stellatim disposita veluti totidem radii, nuda, vestibus tenaciter adhærescentia.

Nomen huic fecit (inquit J. Bauhinus) radicis glandularum olivarium aut longiorum, minúsque ventricosarum, Asphodeli more, foris ex rubro nigricantium, intus albentium, acrimoniam quandam cum adstrictione, dulcedine & levi amaritudine sapientium per fibrarum fila pensilis connexio. *Ratio nominis.*

In pratis & pascuis montosis plerunque oritur: interdum in humilioribus, sterilioribus & siccioribus invenitur. *Locus.*

Hujus varietas esse videtur

2. *Filipendula minor* C. B. Park.

C. B.

Radicem habet rufescentem, in filamenta extenuatam, sed per extrema glandulosam: *folia* duas tresve uncias longa, semunciam lata, ex segmentis pluribus, tenuissimè divisis, ambitu serratis composita, veluti Potentillæ, duriora tamen & saturatius virentia; inter quæ *Cauliculus* palmo minor, in medio foliolo cinctus exurgit, aliquando simplex, aliquando in summo bifidus, cui coma flosculorum albidorum, staminulis præditorum, aliquando quasi in capitulum compactorum insidet: Succedit *semen* instar racemi parvi coactum.

In asperis circa Monspelium se legisse dicit *C. B.* D. Magnol varietatem præcedentis hanc facit, quæ in asperis & aridis multò humilior nascitur. *Locus.*

Radix attenuat & subastringit. Decoctum ejus urinam & calculos pellit, dysuriæ & urinæ stillicidio subvenit. Pulverem radicis, ejúsve succum adversùs morbum comitialem commendant nonnulli. Alii Filipendulam proximè accedere qualitatibus ad Pæoniam scripsêre: & hinc epilepticos, analepticos ac vertiginosos juvare Filipendulæ radices retulit Wecelius. Medetur & anhelosis & suspiriosis, & ventriculi inflationibus, cum semine fœniculi. *Vires.*

In albo mulierum profluvio, ínque nimio lochiorum fluxu usûs est eximii. *D. Needham.*

Pulvis radicum Filipendulæ celebratur in fluore albo mulierum, omnibus aliis medicamentis incassum propinatis, ab experientia *S. Pauli* Quadrip. Bot. Class. 3. p. 300. Dos. ʒj. in decocto Dauci. Hartman Corbæus pro experimento habet quotidie ʒj. radicis Filipendulæ virentis cum vino nigro exhibere in fluore albo mulierum. *D. Soame* è Dolæo, L. 5. C. 4. S. 20.

Dysenteriam sæpius à se curatam notavit Jo. Prævotius in Adversariis suis exhibito ʒj. pondere ex vino aut ovi vitello pulvere radice. Filipendulæ, quem ante ipsum Secreti loco commendaverat Ludovic. Mercatus Lib. 1. de recto præsidiorum usu, C. 14. Est sanè huic plantæ insignis vis adstringendi, ut hernias quoque ejusdem esu curatas observavit Thom. Carthusius. *D. Soame* ex Observ. 33. Hieron. Velschii transcripsit & ad nos misit.

Cap. III.

De Ulmaria.

Ulmaria à foliorum quadam cum Ulmi foliis similitudine dicta, à Filipendula differt radicibus fibrosis, magnitudine quâ illam excellit, seminibus intortis, in globulum congestis.

Ulmaria J. B. *vulgaris* Park. *Regina prati* Ger. *Barba capri floribus compactis* C. B. Meadow-sweet.

Radicum fibræ rubentes, lignosæ. J. Bauhinus *radicem* digitalem infinitis fibris rubentibus capillatam ei attribuit. *Caule* exurgit sesquicubitali & altiore, recto, anguloso, lævi, rubente, firmo, concavo,

cavo, ramoso. *Folia* per intervalla alternatim cauli adnaſcuntur, tribus aut quatuor pinnularum majorum conjugationibus compoſiti, cum impari in extrema ala folio trifariàm diviſo ad modum ferè foliorum Rubi Idæi: majoribus hiſce pinnulis interpoſitæ ſunt minuſculæ aliquot, ut in Filipendula & Agrimonia, omnes circum oras ſerratæ, infernè caneſcentes, ſupernè virides. Folia autem criſpo plicarum contextu ad Ulmi folia accedunt, unde & plantæ nomen. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis in umbellas quodammodo diſpoſiti, nullis intermixtis foliis, ſuaveolentes, poſitu & forma Filipendulæ vulgaris, albidi, pentapetali, apicibus crebris ſimiliter albis. Singulis floribus plura ſuccedunt *ſemina* nuda, oblonga, contorta & in globuli ferè formam coacta.

Locus. In pratis humidis & ad rivulorum ripas paſſim & copiosè provenit.

Vires. Sudorifera & alexipharmaca eſt, proin convenit in fluxibus omnis generis, diarrhœa, dyſenteriâ, fluxu menſtruo, expuitione ſanguinis; reſiſtit peſti. Folia vino aut cereviſiæ immiſſa gr atum ei ſaporem & odorem conciliant, non ſecus ac Pimpinella.

Flores odoris grati ſunt, cor exhilarant, nec tamen caput gravant, unde & æſtivo tempore conclavibus & tricliniis ornandis ſternendíſque conveniunt. Rupellenſis Renatus, referente J. Bauhino, dicit hydromeliti ex ejus flore conciliari gratum odorem, & ità parari ut æmuletur vinum Creticum, quod Malvaticum vocant.

Ipſe vidi & ſanctè teſtari poſſum, in lethali vulnere veſicæ cujuſdam puellæ, itémque brachii fractura propemodum immedicabili Reginam prati præclaros edidiſſe effectus; unde merito ingreditur emplaſtrum Felicis Wurtz, toto orbe celebratiſſimum & uſitatiſſimum. *Simon Paulli Quadrip. Botan.* p. 452. E Collectaneis *D. Tancredi Robinſon.*

Felix Wurtz hujus radices miris laudibus effert, imò omnibus aliis vulnerariis herbis, aut adverſus fracturas oſſium commendabilibus præponere videtur. *Idem.*

CAP. IV.

De Anemone ſylveſtri, ſeu ſpuria.

ANεμώνη ἀπὸ τῶ ἀνέμω dicitur, quòd flos tantùm vento flante aperiatur, vel potiùs quòd locis apertis & vento obnoxiis florere geſtiat.

Anemones in genere characteriſticam facimus, caulem determinatè foliatum, ex unica tantùm diſtinctione, ubi terna hærent folia, flores in ſingulis caulibus ſingulos.

Anemones ſylveſtris ſeu ſpuriæ ſemina Ranunculi in capitulum congeſta, nullo pappo lanuginéve vel adhærente, vel involvente.

Anemones genuinæ ſeu hortenſis ſemina pappo involuta. Pulſatillæ ſemina cincinnata plumulis longis adhærentibus.

A. 1. *Anemone nemorum alba* Ger. *nemoroſa flore majore* C. B. *Ranunculus nemoroſus albus ſimplex* Park. *Ranunculus Phragmites albus & purpureus vernus* J. B. **Wood Anemony.**

J. B.

Radicem habet craſſiuſculam longam, obliquè proſerpentem, foris purpuream aut fuſcam [cùm junior eſt flavicantem] intus albam, ſapore cum levi adſtrictione acrem [ut commanducata fauces inflammet] à qua fibræ capillares demittuntur. Surrigitur *coliculus* tenuis molliſque purpuraſcens, ſeſquipalmaris & major; circa cujus faſtigium uno & eodem loco enaſcuntur *folia* terna Ranunculi ex ſemuncialibus rubellis pediculis, hirſuta, nunc virentia, nunc purpurantia [in tres lacinias ad pediculum uſque diviſa] Coliculo ſummo *flos* inſidet unicus, nudus ſeu calice carens, aliàs albus, aliàs purpuraſcens, aut unguibus carnei coloris, foliis conſtans ſenis, oblongis, in medio *ſtamina* plurima crocea continens. [Succedunt *ſemina* plurima nuda, oblonga, hirſuta mucrone incurvo, in capitulum conglobata Ranunculorum nodo.]

Tempus & Locus. Floret apud nos circa finem Martii & Aprilis initio, aut aliquantò ſeriùs citiúſve prout hyems aſperior aut mitior fuerit. In ſylvis & dumetis præſertim udis, per totam Angliam frequentiſſima occurrit, nec minùs in exteris regionibus.

Alia quinetiam præter ea quæ in caule exiſtunt è radice folia emittit, longis pediculis inſidentia, majora, ſegmentis latioribus, aliàs ſimilia.

Varietates. Reperitur interdum flore pleno ſeu multiplici, eóque vel 1. albo, quæ Anemone nemoroſa flore pleno albo *C. B.* ſylv. flore pleno albo *Park.* An nemorum flore pleno albo *Ger.*

Vel 2. purpuraſcente, quæ Anem. nemoroſa flore pleno purpureo *C. B.* Anem. ſylveſtris flore pleno purpureo *Park.* Anem. nemorum flore pleno purpuraſcente *Ger.*

Has varietates Cluſius prolixè deſcribit, verum non opus eſt operoſa deſcriptione, non enim alia in re à vulgari Anemone nemorum differunt quàm multiplici foliorum in flore ſerie: quamvis ſecundo generi ſub ipſo flore velut calicis loco folia appingantur, qualia in medio caule eſſe ſolent.

* 2. *Ranunculus flore intensè cæruleo instar Cichorei duplex ? foliis majoribus & minoribus.*

A Christ. Mentzelio observatus est in Apenninis montibus, itinere à Româ versus Siennam.

Ranunculum nemorosum flore carneo *Park. ejusdémque* Ran. nemor. flore purpuro-cœruleo pro hujus plantæ varietatibus accidentalibus habeo, non pro speciebus distinctis: nec libenter concesserim Ranunculum nemorosum Anemones flore minorem *C. B.* Ran. nemor. minimum album *Park.* specie differre à superiùs descripta: quin nec ipse C. Bauhinus distingueret, nisi hic parvus copiosissimè in editissimo monte ad Curiam Rhætorum, & circa Monspelium fuisset observatus. *Varietates.*

De viribus hujus plantæ nihil à Botanicis proditum invenio.

Anemone nemorosa sterilis foliis punctatis C. B.

Anemones sylvestris seu nemorosæ species degener esse videtur.

* 3. *Anemone nemorum lutea* Ger. *Ranunculus nemerosus luteus* C.B. *flore luteo* Park. *Ran. phragmites luteus nemorosus* J. B. **Yellow Wood-Anemony.**

J. B.

Hujus *radix* præcedenti vulgari albo & purpureo formâ, colore, sapore, fibrísque persimilis, *coliculo* item & foliorum numero convenit; sed *folia* virentiora, longiora, brevioribusque pediculis, ità ut iis quasi destituta, concursu suo quasi cotylam purpurantem efficiant, in cujus medio præter duo folia oblonga, minimèque dissecta, crenatáve, coliculi scapus nonnihil pilosus florem sustinet, nonnunquam singularem, alias geminum, Ranunculi, aureum, quinque foliis latiusculis & obtusis constantem; in cujus medio *staminula* crocata plurima.

In sylvis sed rariùs provenit. In Anglia, quod sciam, non invenitur spontanea. J. Bauhinus Genevæ florentem reperit Martio. *Locus & Tempus.*

Flore est communiter unico, aliquando duobus aut tribus, naturâ vel errante, vel ludente.

* 4. *Anemone nemorosæ affinis peregrina* 1. *candido aut purpurascente flore* C. B. *An. sylvest. tenuifolia peregrina alba* Park.

Clus.

Foliis & radice ab Anemone nemorum vulgari non distat: ab extima radicis parte *cauliculus* assurgebat dodrantalis, teres, ex viridi purpurascens, summo fastigio gestans terna *folia* pediculo purpurascenti innitentia, quæ in tres lacinias dividebantur usque ad pediculum illas sustinentem, inter quæ crescebat triuncialis pediculus, ex viridi etiam purpurascens, *florem* sustinens octo aut novem brevibus mucronatísque foliis constantem, prorsus albis, quibus tamen externa parte nonnihil suaverubentis purpuræ erat veluti inspersum, medium florem occupante, *capitulo* viridi fragi rudimentum referente, quod ambiebant; multa *staminula* alba & tenuia, *apicibus* flavis prædita: adnascebantur interdum sub flore bina aut terna folia media ex parte alba, alterâ viridia.

Florebat cum aliis Aprili. In hortis cultam vidit Clusius; nec locum ejus natalem indicat. *Tempus.*

* 5. *Anemone nemorosæ affinis peregrina* 2. *flore herbacei coloris* C. B. *sylv. peregrina viridis* Park.

Clus.

Foliis & *radice* cum priore conveniebat, necnon *cauliculis*, in quorum fastigio non terna sed septena plerunq; nascebantur *folia*, admodum virentia, in alia terna (eáque laciniata) divisa usq; ad pediculum illa sustinentem, qui purpurascebat: inter quæ alius pediculus assurgebat, binas uncias longus, herbacei coloris, sustinens *florem* octo aut novem foliis constantem, quorum quatuor externa tribus laciniis extima parte divisa, foris circa unguem purpurascebant, alia interna minimè, sed omnia herbacei erant coloris, & umbilicum habebant interiore parte ex viridi albescentem, quem occupabat *capitellum* immaturo frago simile, viride, illud cingentibus multis exalbidis *staminibus*, flavis *apicibus* præditis.

Florebat Aprili cum superiore. In horto Christiani Porreti cultam vidit Clusius, de loco natali nihil habet. *Tempus.*

6. *Anemone Geranifolia* J. B. Ger. *tenuifolia sive Geranifolia cœrulea* Park. *Geranii Robertiani folio cœrulea*; *an Dioscoridis* C. B.

Clus.

Multa habet *folia*, novo vere, quum prodire incipiunt purpurascentia, deinde ex viridi pallentia, multifida, Coriandri, vel Limoniæ potiùs Anemonidis foliis similia, trigemina plerunque simul pediculis connexa, hirsuta, & in terram ut Dioscorides rectè ait, inclinantia: inter quæ *caulis* exilit nudus quidem, sed quem terna folia trifariam profundiùs incisa, mediâ parte amplectuntur, quæ aliquandiu *florem* occultant, donec Solis calore ex iis sese explicans & emergens expandatur in quatuordecim aut quindecim foliola mucronata, minora quàm in latifoliarum generibus, coloris vel cœrulei, vel albi, vel utroq; mixti, hoc est, externa parte subcœrulei, interna albi, *staminibus* albis, quorum *apices* pallidi, medium occupantibus. Decusso flore apparet *capitellum* pæne Ranunculi, conflatum ex *seminibus* ejus semini etiam similibus, non tomentosum ut in Anemonide genuina. *Radix* digitalis plerunq; longitudinis & crassitudinis, in aliquot ramos divisa, & tuberculis obsita,

 fibras

fibras quasdam hac illac spargens, foris nigra, intus alba, quæ similiter fragmentis seri & pangi potest.

Locus. Hanc primùm ex Italia habuerunt Belgici horti.

Tempus. Floret novo vere cum Anemonidis latifoliæ generibus. Semen Maio maturescit aut paulò seriùs.

CAP. V.

De Anemone genuina, hortensi & culta, seu Anemone semine papposo, & primò de latifolia.

1. *Anemone Cyclamini seu Malvæ folio lutea* C. B. *Anemone latifolia Clusii* Ger. *Anem. latifolia, flore flavo,* 1. *Clusii* J. B. *Anem. Lusitanica, sive hort. latifolia flore simplici luteo* Park. parad.

Clus.

SAtis ampla habet *folia*, circinatæ ferè rotunditatis, in ambitu serrata, dura, firma, longóque petiolo fulta, supina parte intensiore viriditate prædita, pronâ plerunq; purpurascentia, ut Cyclaminis propemodum folia, fervidissimi saporis: inter quæ palmaris exit *caulis*, teres, subhirsutus, summâ parte ferens terna laciniata folia, deinde ex illis emergentem pediculum, qui *florem* sustinet decem aut pluribus foliis constantem, externa parte flavis, internâ aureis, umbilicum occupante *capitulo* multis aureis *staminulis* septo. *Radix* tuberosa est, oblongiuscula, Tormentillæ vulgaris ferè æmula (talem certè eruebam) aliquot fibris prædita, foris nigricans, intus alba, solida, ingrati admodum saporis, quæq; gustantem, excitatâ nauseâ, quodammodo strangulet, deinde suâ acrimoniâ linguam aliquantulum vellicet.

Locus. Lapidosis quibusdam Lusitaniæ collibus juxta Tagum, atque etiam inter vepres eruebat Clusius.

* 2. *Anemone latifolia flava pleno flore* C. B. *An. latif. flore luteo duplici* Park. *latifolia duplo flore flavo* 2. *Clusii* J. B.

A præcedente differt, *Foliis* aliquot à radice nonnihil laciniatis; iis verò quæ in caule sunt magnis & profundis laciniis divisis: *Flore* duplici foliorum serie constante, quorum externa sex aut septem orbiculato sunt mucrone, nonnulla etiam dentato, foris pallida, & tenuibus quibusdam purpurascentibus venulis quodammodo aspersa, interna autem decem, duodecim, aut plura paulò angustiora, foris etiam pallentia, omnia verò interna parte flava. Reliqua cum præcedente convenit: à qua certè non differt specie.

Tempus. Seriùs aliis Anemones generibus & germinat & floret. Semen Junio maturum.

3. *Anemone Italica latiusculis spinosis foliis* 3. *Clusii* J. B. *latifolia purpurea stellata sive papaveracea* Park. *Geranii rotundo folio purpurascens* C. B. *Bulbocastani radice* Ger. *Belgis Anemone stellata.*

Clus.

Folia hujus ejusdem sunt amplitudinis cum superiorum foliis, sed Saniculæ foliorum pænè divisurâ initio, & pronâ parte nonnihil purpurascentia, mox multifida & tenuiùs incisa: deinde emergit *Caulis* nudus, lanuginosus, dodrantalis, nonnunquam etiam pedalis, tribus laciniatis foliis tanquam involucro florem occludens initio, ut in superiore, tandem excrescens *florem* sustinet in duodecim aut quindecim folia divisum, angusta, acuminata, foris quasi cineracei coloris & hirsuta, interiùs mista rubedine purpura nitentia, gratissimo aspectu: medium *caput* villosum, nigris staminulis circumseptum, quod excusso flore velut primùm emergentis Asparagi thyrsulus intumescit, & ex plano villosóque sive lanuginoso *semine* conflatum per maturitatem levissimo auræ flatu decutitur, & ejus arbitrio fertur. *Radix* novellarum plantarum semine natarum exiguæ olivæ similis est, vetustior autem nodosa & articulata, foris nigra, intus alba, fibris aliquot, per quas alimentum attrahit prædita.

Locus. *Itinere à Lericio ad Massam Liguriæ urbem copiosam observavimus, postea multis aliis Italiæ in locis.* Clusius quibusdam Germaniæ locis secundùm Rhenum inter vepres in aprico Martio florentem conspiciebat.

Varietas. Invenitur interdum floris foliis exalbidi obsoleti coloris exteriùs, intus ex purpura dilutiore albicantibus, quæ Anemone hort. latifol. simplici flore 4. Clusii.

4. *Anemone hortensis latifolia simplici flore* 5. *Clus. An. Geranii rotundo folio dilutè rubens* C. B.

Clus.

Ante hyemem sua profert folia, tertiæ foliis pæne similia: inter quæ *caulis* ut in reliquis exoritur palmaris, nudus, lanugine pubescens, tribus foliis, vel quàm levissimè, vel non incisis, florem (quod in Anemones generibus vulgare est) occultantibus, in summo præditus, qui tamen ad binas uncias, sive binos pollices, vel etiam altiùs excrescens supra illa foliola, in octona plerunq;, raro plura folia, dilutiore rubro & ad carneum quasi tendente colore interiùs nitentia, albicantibus unguibus, foris autem obsoletè rubentia & lanugine pubescentia explicatur, multis in umbilico violaceis staminibus

staminibus hirsutum capitulum ambientibus. *Radix* tuberosa & nodosa est, tenuibus aliquot fibris donata, foris nigricans, internè verò candida.

5. *Anemone sylvestris alba major* C. B. *magna, alba, plurima parte anni florens* J. B. *sylvestris latifolia alba, sive tertia Matthioli* Park. *Anem. Matthioli* Ger.

J. B.
Radix minimi digiti est crassitie, plurimis fibris donata capillaribus, nonnullis præterea crassioribus, quæ serpentes subinde novas ex lateribus plantas procreant, ingrati & acris saporis. *Caulis* dodrantalis, tenuis, rigidus, densâ lanugine canescens, subinde circa summitatem rubescens, concavus. *Flos* in singulorum caulium summitate priusquam dehiscat hirsutus, postea magnus, nonnihil odorus, quinque, sex, septémve foliis constans, cuspide orbiculata, internâ parte penitus albis & glabris, externâ verò hirsutis, unguibus purpurascentibus: in medio *staminum* croceorum corona ambit *capitulum* tuberosum, ferè herbidum, quod maturo semine, parvo, plano, in lanuginem albam resolvitur. *Folia* Ranunculi ferè, triplici divisura ad pediculi usque extremitatem, inferiùs hirsuta & albicantia, supernè glabra, saturo virore tincta, atq; horum quidem alia incerto numero radix emittit pediculis palmaribus; terna verò in caule pediculis uncialibus & sesquiuncialibus caulem amplectuntur. Folia Clusio ingrati initio saporis, postea acris.

In Germania plurimis locis exit, in pratis. V. *Clus.* & *J. B.* — *Locus.*

* 6. *Anemone sylvestris alba minor* C. B. prod.

C. B. prod.
Ex *radice* subnigricante fibrosa *folia* subrotunda unciam vix superantia, longis pediculis villosis donata, terna aut quaterna, Ranunculi pratensis modo, tribus usq; ad umbilicum incisuris, dein singulis, aliis tribus minoribus laciniata, pallidè virentia, mollia & hirsuta exurgunt: inter quæ *cauliculus* candida lanugine pubescens, unciarum septem altus, in medio duobus foliolis parvis laciniatis cinctus; cujus summo *flos* unicus, parvus, triplo quàm in vulgari minor, quinquefolius, candidus; in cujus medio capitulum exiguum, multis brevissimis subluteis staminibus cinctum, insidet.

In summa ab Anemone sylv. alba majore, quam tertiam Matthiolus facit sola magnitudine differre videtur.

Hæc propè Herbipolim sponte nascitur. — *Locus.*

* 7. *Anemone Alpina alba major* C. B. prod.

C. B. prod.
Ex *radice* nigricante *folia* exurgunt acuta, Cicutariæ modo multis divisuris secta, atro-virentia & parte prona secundùm venarum ductum villosa: inter quæ *cauliculus* tenuis, leviter hirsutus, uncias sex altus, cujus summo *flos* albus, major quàm in ulla Anemone sylvestri, vel etiam Pulsatilla vulgari ex septem foliis compositus, ex rotunditate in acumen desinentibus, & pluribus in medio staminulis luteis donatis, insidet. An verò tandem hujus, ut & sequentis flos in plumosi seminis congeriem transeat, non constat.

* 8. *Anemone Alpina alba minor* C. B.

Tota planta uncias quatuor non excedit, *radiculam* habens parvam, nigram; *folia* longè minora quàm prioris, magisque villosa: cauliculo est biunciali, villoso, quem circa medium folia similia amplectuntur, cujus summo *flos* albus, sex foliis donatus, priore quadruplo minor, multis staminulis luteis præditus insidet: hæcq; ad Anemonem sylv. 2. *Clus.* accedit.

Utraque in Austria provenit, illa in Blanckenstein, hæc in Taurero Rastadiensi. — *Locus.*

* 9. *Anemone trifolia* Ger. *trifolia flore albo* J. B. *sylvestris trifolia Dodonæi* Park.

Dod.
Folia huic Trifolii instar terna in pediculo cohærent, non magna, lata, acuminata, indivisa, margine tantummodo crenato: cauliculus palmum altus, cui *flos* insidet candidus, aut ex candido purpurascens formam Ranunculi florum æmulatur, qui marcescens nonnihil purpurei coloris contrahit. *Radix* etiam obliqua in propagines aliquot exuberat, non absq; capillamentis fibrosis subnatis. Morisonus plurima *semina* spicatim annexa pappo involuta huic attribuit.

Sequentes Anemones tam latifoliæ quàm tenuifoliæ species partim è C. Bauhini pinace, partim è Parkinsoni Paradiso terrestri, partim è Catalogo Horti Regii Parisiensis, nonnullæ è Flora Joan. Rea desumptæ sunt. Quæ ex C. B. pinace mutuatæ pleræq; à consummatissimo Botanico Car. Clusio accuratè descriptæ fuere, quarum descriptiones in epitomen contractas C. B. titulis adjecit: reliquarum solos habemus titulos sine descriptionibus, quæ quidem necessariæ non sunt, cùm pleræq; hæ varietates satione fiant; & natura in florum Anemones coloribus non minùs quàm in Tulipis & Iridibus ludat.

Anemonæ latifoliæ ſimplici flore.

1. *Anemone latifolia ſimplici carneo flore* C. B. *incarnata* Park. parad.

C. B. Pin.
Flos decem aut duodecim foliorum purpurei ferè coloris, unguibus albicantibus.

2. *Anemone latifolia flore purpuro-ſaturo* C. B.

C. B. Pin.
Flos 8. foliorum, coloris purpuro-ſaturi, exterius ſplendentis unguibus magnis & ad pediculum purpureis.

3. *Anemone latifolia purpuro-violaceo flore* C. B. *viola purpureo* Park. parad.

C. B. Pin.
Flos octo foliis conſtans, externè dilutè purpuraſcens ſplendet, internè violaceus, unguibus magnis & argentei coloris.

4. *Anemone latifolia flore purpureo violaceo altera* C. B.

C. B. Pin.
Flos qui ex 12. foliis conſtat: foris ex purpureo albeſcit & ſplendet: interius ex violaceo purpureo ſplendet, unguibus albis.

5. *Anemone latifolia violaceo flore* C. B.

C. B. Pin.
Flos octo vel plurium foliorum, externè ſubpurpureus & ſplendens, internè ex purpura violaceus unguibus rubeſcentibus, orbe albicante cinctis.

6. *Anemone latifolia flore violaceo ſaturo colore* C. B.

C. B. Pin.
Flos ſex foliis præditus, violacei ſaturatioris coloris, unguibus majoribus magiſque candidis.

7. *Anemone latifolia flore variegato* C. B.

C. B. Pin.
Flos qui octifolius, foris ex purpureo ſaturatius rubet, interius ad ungues uſque albus ſatura purpura & quaſi Kermeſina nitet: oris coccineis, in quæ radii purpuraſcentes ſparguntur: ungues magnos & albos habet.

8. *Anemone latifolia punctato flore* C. B. *latifolia amœno violaceo, & punctis albis verſicolor.* Hort. Reg. *purpurea ſtriata* Park. parad.

C. B. Pin.
Flos octifolius violaceus, interna parte maculis albis aſperſis.

9. *Anemone latifolia flore carneo* C. B.

C. B. Pin.
Floris modò majoris, modò minoris, octo folia extrinſecus nonnihil purpuraſcunt, intrinſecus ferè carnei, vel ſaturatioris, vel dilutioris, unguibus albis.

10. *Anemone latifolia flore Orangei coloris* C. B. *an Anemone Pavo major & minor ſimplici flore* Park.parad. *an Anem. latif. flore ſimplici croceo palleſcente? vivaci rubore radiato* Hort.Reg?

C. B. Pin.
Floris octo vel novem folia, externè carnei coloris, unguibus ſaturatè purpuraſcentibus, internè carnei diluti: Habetur major & minor.

11. *Anemone latifolia flore coccineo* C. B. Ger. emac. *coccinea* Park. parad.

C. B. Pin.
Floris octo folia, internè elegantiſſimo coccineo nitent, ungues orbis palleſcens ambit, externè quadam lanugine pubeſcunt: Huc pertinet *Anemone latifolia flore coccineo ſimplici Eyſt.* ex ſententia *C. Bauhini.*

12. *Anemone latifolia flore magno coccineo* C. B. Ger. emac.

C. B. Pin.
Floris octo folia, internè elegantiſſimo coccineo colore fulgent, nullis unguibus apparentibus, externè colore dilutior; & lanuginoſa.

13. *Anemone latifolia flore coccineo phœniceo* C. B. *latifolia Byzantina* Ger. emac.

C. B. Pin.
Flos amplus octifolius, coloris ex coccineo phœnicei, ut in Rhœade, unguibus parvis ſubpallidis.

14. *Anemone latifolia Saniculæ folio* C. B.

Hujus C. Bauh. meminit ex *Horto Eyſt.* ſine deſcriptione.

Anemonæ

Anemonæ latifoliæ simplici flore è Parkinsoni Paradiso.

1. Anemone carnea vivacissima simplex.
2. Anem. Persici violacea.
3. Anem. Cochenille.
4. Anem. Cardinalis.
5. Anem. sanguinea.
6. Anem. cramesina.
7. Anem. incarnata Hispanica.
8. Anem. rubescens.
9. Anem. Moschatella.
10. Anem. Ensumata.

Anemone latifolia flore simplici emaculati coloris *Hort. Reg.*

Anemonæ latifoliæ flore pleno.

1. *Anemone latifolia maxima versicolor* C. B. *Chalcedonica max. versicolor* Park. parad. *max. Chalcedonia Polyanthos* Ger. *Hort. latifolia pleno flore* 1. Clus.

C. B. Pin.
Folia florum externa & majora dena aut duodena, viridia sunt, eorum mucronibus coccineo colore leviter & virgatim infectis : interna minora & angustiora, dilutiore purpura ex rubro nitent.

Aliquando, ex prædicto flore uncialis pediculus, minorem florem ex octo latiorum foliorum partim viridium, partim coccineorum compositum, sustinet.

Anemone Hort. latifol. pleno flore 2 *Clus.* non differt à prima, nisi quòd in hac floris umbilicum glomerata & reflexa folia non occupant. Anemonem latifoliam fl. pleno 3. C. B. huc etiam refero.

2. *Anemone latifolia Pavo dicta major* 1. C. B. *tenuifolia (sed non recte) flore pleno coccineo* Ger. emac.

C. B. Pin.
Flos unicus viginti, triginta, aut pluribus foliis constans, eleganti, saturato splendidóque coccineo colore præditis, unguibus sanguineis, orbe pallido cinctis.

Variat flore prolifero.

Anemone latifolia Pavo minus polyphylla C. B.

C. B. Pin.
Hæc *flores* minùs plenos profert, interdum simplici, octo, novem, aut decem foliorum serie constantem.

Non differt specificè ab Anemone hort. latifol. pleno flore 1. *Clusii*, ex sententia *C. Bauhini.*

4. *Anemone Geranii rotundifolia plena* C. B.

Ab Anemone hort. latifolia tertia Clusii sola multiplici foliorum serie differt.

Anemonæ latifoliæ flore pleno ex Horto Regio Parisiensi.

1. Anemone latifolia flore duplo, foliis albo & amœno violaceo virgatis.
2. Anem. latifolia Pavo dicta polyphylla, flore suaverubente.
3. Anem. latifolia flore pleno, arboris Persicæ, quoad floris colorem æmula.
4. Anem. latifolia multiplex flore violaceo.

Anemonæ tenuifoliæ flore simplici.

1. *Anemone tenuifolia flore multifido dilutè purpurascente* C. B. *tenuifolia flore dilutè purpureo* Ger. emac.

C. B. Pin.
Flos ex quatuordecim & pluribus foliolis dilutè purpureis, & quasi carneis, nullis unguium vestigiis constat.

2. *Anemone tuberosa radice* Ger. *tenuifolia purpurea vulgaris* Park. parad. *Oenanthes foliis flore violaceo hexaphyllo* C. B.

C. B. Pin.
Flos qui ex sex interdum septem & octo foliis compositus est, communiter est purpureus seu violaceus, externa parte lanuginosus.

3. *Anemone tenuifolia coccineo flore hexaphyllo* C. B. *tenuifol. coccinea simplex* Park. parad. *Chalcedonica simplici flore* Ger.

C. B. Pin.
Flos floridi coccinei coloris, unguibus magnis, ex pallido, fusco & albo mixtis.

4. *Anemone tenuifolia coccineo flore octophyllo* C. B.

C. B. pin.
Flos internè coccineus, unguibus albis, & externè coccineus, tenui lanugine pubeſcens & ſplendens.

5. *Anemone tenuifolia flore magno coccineo hexaphyllo* C. B.

C. B. pin.
Flos intus elegantiſſimus coccineo colore nitet, foris lanugine pubeſcit; ungues albi ſunt.

6. *Anemone tenuifolia flore coccineo ſanguineo* C. B.

C. B. pin.
Flos quinque, ſex, interdum ſeptem foliorum, coloris coccinei, ad ſanguineum vergentis, unguibus magnis ex albidis, purpureis venis diſtinctis: aliquando flos ad cocti lateris colorem accedit, nec ſplendet.

7. *Anemone tenuifolia flore ſanguineo coccineo* C. B. *tenuifolia flore coccineo* Ger. emac.

C. B. pin.
Floris ſex folia, externè lanugine obducta, coloris ſunt ſanguinei ſaturatioris & ſplendentis, internè ſanguinei coccinei permixti.

8. *Anemone tenuifolia flore ſanguineo coccineo altera* C. B.

C. B. pin.
Flos major hexaphyllus, ſanguineo colore, vel inter coccineum & cochinelleum medio, unguibus minoribus, & albicantibus.

9. *Anemone tenuifolio flore ex ſanguineo & coccineo medio* C. B.

C. B. pin.
Flos hexaphyllus coloris ex ſanguineo, & coccineo medii, diluti, ei prorſus ſimilis quam vulgus cochinelleum appellat: ungues magni, albi & quaſi argentei.

10. *Anemone tenuifolia flore amplo ſanguineo hexaphyllo* C. B. Ger. emac.

C. B. pin.
Flos coloris ſanguinei elegantiſſimi, unguibus magnis albis.

11. *Anemone tenuifolia flore amplo atrorubente* C. B.

C. B. pin.
Flos hexaphyllus, coloris ſanguinei ex atro rubentis & quaſi ſericei panni villoſi Kermeſino colore præditi, cœrulei.

12. *Anemone tenuifolia flore rubro ſaturo* C. B.

C. B. pin.
Flos hexaphyllus, ruber, ſeu potius ſanguineus, unguibus magnis ſaturis, venis albicantibus diſtinctis.

13. *Anemone tenuifolia flore niveo* C. B.

C. B. pin.
Flos hexaphyllus niveus, cujus unguibus carnei quid aſperſum: *Apicibus* ex obſcura purpura nigricantibus.

14. *Anemone tenuifolia flore amplo candido* C. B.

C. B. pin.
Flos hexaphyllus, prorſus candidus, unguibus externè vireſcentibus, apicibus nigris.

15. *Anemone tenuifolia flore albicante* C. B.

C. B. pin.
Flore eſt hexaphyllo candicante, ſtaminibus albis, apicibus ſubcœruleis.

16. *Anemone tenuifolia flore ex albido majore* C. B. *& minore* ejuſdem, *tenuifolia flore ex albido* Ger. emac.

C. B. pin.
Flos hexaphyllus, coloris primum ex albidi vireſcentis, dein ad carneum tendentis, unguibus externè vireſcentibus, internè albis, ſtaminibus carnei coloris.

17. *Anemone tenuifolia flore furvo albicante* C. B.

C. B. pin.
Flos ex cineraceo ſive furvo, albicans & tenui velut rubedine perfuſus, ut ferè eſt Capuccinorum pannus.

18. *Anemone*

18. *Anemone tenuifolia flore carneo striato* C. B. Ger. emac.

C. B. pin.
Flos hexaphyllus externè carneus, oris albicantibus: internè exalbidus, venis carneis ad medium folium sparsis, staminibus purpurascentibus, apicibus nigricantibus.

19. *Anemone tenuifolia Cretica albo magno flore* C. B. prod.

C. B. prod.
Foliis est Ranunculi pratensis, vel hortensis repentis, specie trifolia, rarius quinquefolia divisis, per marginem crenatis: *Caule* pedali rotundo, *flores* duos vel tres albos, ex sex, vel septem foliis compositus, Papaveris erratici florum magnitudine superantes sustinente: quibus capitulum, seminibus aliorum Ranunculorum more confractum, succedit.
Hanc delineatum, Patavii natum, *Laurentius Rosenaer Germanus Pharmacopæus*, unà cum aliis *Anno* 1595. transmisit.

20. *Anemone tenuifolia flore pallidè coccineo* C. B.

C. B. pin.
Flos hexaphyllus, foris tenui lanugine pubescens, coloris dilutè rubescentis, internè coccinei valdè diluti, unguibus amplis albis.

21. *Anemone tenuifolia flore magno suaverubente, unguibus albis* C. B.

Anemonæ tenuifoliæ simplici flore è Parkinsoni Paradiso.

1. Anemone carnea pallida.
2. Anem. carnea vivida unguibus albis.
3. Anem. alba venis purpureis.
4. Anem. coccinea absque unguibus.
5. Anem. flore holosericeo.
6. Anem. sanguinea.
7. Anem. rubra fundo lutea.
8. Anem. coccinea dilutior.
9. Anem. alba staminibus purpureis.
10. Anem. carnea Hispanica.
11. Anem. alba carneis venis.
12. Anem. alba purpureis unguibus.
13. Anem. purpurascens.
14. Anem. facie florum pomi simplex.

Anemonæ tenuifoliæ simplici flore ex Horto Regio Parisiensi.

1. Anemone tenuifolia flore simplici majore albicante.
2. Anem. tenuifol. flore miniato venis albis distincto.
3. Anem. tenuif. flore albo, circa caulem purpurascente.
4. Anem. tenuif. flore simplici rubro pallentibus oris.
5. Anem. tenuif. flore simplici flammeo & albo splendoris participe.
6. Anem. tenuif. luteo pallore decolor.
7. Anem. tenuif. holoserico magis pulla: seu foliis fusco rubore saturatis.
8. Anem. tenuifolia flore simplice albo.

Eadem flore

Amethystino.
Aqueo.
Argenteo.
Atro-purpureo.
Cœruleo.
Cœruleo-saturo.
Dilutè cœruleo.
Dilutè purpureo.
Dilutè violaceo.
Hyacinthino.
Ianthino.
Ianthino dilutiore.
Igneo.
Leucophæo.
Miniato.
Phœniceo.
Puniceo.
Purpureo.
Rubicundo sive sanguineo
Rubro.
Rubro-splendido.
Suaverubente.
Violaceo.

1. *Anemone tenuifolia multiplex rubra* C. B. *hort. tenuifolia pleno flore* Clus. *coccinea multiplex* Ger. *tenuifolia flo. coccineo pleno vulgaris* Park. parad.

2. *Clus.*
Ab Anemone hort. tenuif. simplici flore sola multiplici foliorum serie differt.
Flore est rubro, cœruleo, albo.

2. *Anemone tenuifolia multiplex purpurea* C. B.

Flos 20. 30. aut pluribus foliis constans, eleganti purpureo colore præditis, unguibus albis.
Est etiam quæ purpuro-cœruleum florem, alia quæ suaverubentem & nitidum profert.

3. *Anem.*

3. *Anem. tenuifol. multiplex atro purpurascens* C. B. *tenuifol. fl. pleno atro-purpurascente* Ger. emac.

Folia *florum* externa & majora, rubra sunt, interna minora & angustiora, atro-purpureo nitent.

Anemonæ tenuifoliæ flore pleno ex Horto Regio Parisiensi.

1. Anemone tenuifolia flore duplici albo.
2. Anemone tenuifolia flore pleno sordidè albo, & subcœruleo colore irrorata.
3. Anemone tenuifolia flore pleno albo nitidè sordido, margine suaverubente.
4. Anemone tenuifolia foliis lutosè candidis, foliolis flammæ splendore lucentibus.
5. Anemone tenuifolia flore pallido pleno candore lactescente.
6. Anemone tenuifolia flore obsoletè rubro, foliolis atro-purpureis, medio villo concolori.
7. Anemone tenuifolia foliis, & foliolis vivaci cocco splendentibus, & nivis albedine virgatis.
8. Anemone tenuifolia flore pleno, foliis & foliolis coccineis: coccinea holosericeo pleno flore.
9. Anemone tenuifolia, foliis florum utrimque contractis cocco saturatiore nitentibus.
10. Anemone tenuifolia miniato colore, & albo varia.
11. Anemone tenuifolia pleno flore, ignis fulgore ardens, innocentérque flammea.
12. Anemone tenuifolia pleno flore, foliis & foliolis fulgentissimo cocco splendentibus oris niveis.
13. Anemone tenuifolia flore pleno rutilo, & argenteo candore bicolori.
14. Anemone tenuifolia phœniceo flore foliolis interfuso candore lucentibus.
15. Anemone tenuifolia rubicundissimo flore, lacteis lacrymis asperso, & minus ardenti.
16. Anemone tenuifolia multiplex ranunculi flore.
17. Anemone flore pleno miniato, cacumine albescente, foliolis partim albidis partim miniatis.
18. Anemone tenuifolia flore pleno violaceo major.
19. Anem. flore violaceo dilutiori præcox maxima.
20. Anem. tenuifolia flore pleno ex griseo dilutè violaceo minor.
21. Anem. tenuifolia flore pleno, Mali Persicæ rubello flori concolor.
22. Anem. circumfusis foliis obsoletiùs purpurea, umbilico blandè virenti.
23. Anem. tenuif. flore maximo foliis & foliolis ex viridi pallente & purpuro violaceo colore pictis.
24. Anem. tenuifolia ianthino flore, lactis albedine stolato.
25. Anem. tenuifolia flore albo maximo.
26. Anem. tenuifolia flore amplo floreas foliorum nives grata viriditate diluens.
27. Anem. tenuifolia flore pleno carneo rutilis guttato punctis maxima.
28. Anem. tenuifolia maxima pallido candore lactea, & levi per oras rubedine conspersa.
29. Anem. supina & ferè jacens maxima languido rubore spectabilis.
30. Anem. tenuifolia amplo flore sessili, carnis colorem æmulante.
31. Anem. tenuifolia multiplex mutata florum facie quotannis nova.
32. Anem. tenuifolia flore maximo, flammæ & nivis colore vario, eminulis cirris blandè luteis.
33. Anem. tenuifolia multiplex alto & firmiori cauliculo amplum floris verticem promens, notabilem, mirâ coloris suavitate.
34. Anem. tenuifolia minor flore niveo, & suaverubente semper elegans.
35. Anem. tenuifolia maxima foliis, & foliolis fulgenti cocco splendentibus, oris niveis.
36. Anem. gigantea flore flammeo dilutiore.
37. Anem. vivido Cinnabaris rubore splendens, foliis albâ lineâ notatis.
38. Anem. flore pleno multiplici rubente, comâ fuscâ.
39. Anem. tenuifolia flore maximo sanguineo.
40. Anem. tenuifolia ruberrimo flore maximo.
41. Anem. tenuifolia flore maximo rubicundissimo, foliis albo candore radiatis.
42. Anem. tenuifolia multiplex ruberrimo flore, vittâ, seu staminibus violaceis.
43. Anem. profundi coloris amœnum ruborem, interfuso candore vittâ suâ diluens.
44. Anem. tenuifolia multiplex flammea, staminibus Citrii colore præditis.
45. Anem. tenuifolia multiplex coccinea, vittâ viridi.
46. Anem. tenuifolia hilari Cinnabaris fulgore ardentissima, expanso pleno flore unguibus albis.
47. Anem. tenuifolia flore pleno, fulgentissimo minio, & maculis guttato albis bicolori.
48. Anem. tenuifolia maxima purpureo flore.
49. Anem. tenuifolia propendente flore, ex violaceo & ferrugineo versicolori.
50. Anem. tenuifolia multiplex magno flore, violaceo & rubente colore mixto.
51. Anem. tenuifolia floribus dilutè violaceis, viridi colore, & rubro perfusis.
52. Anem. tenuifolia flore violaceo, foliis & foliolis lactis albedine striatis.
53. Anem. gigantea flore cœruleo.
54. Anem. tenuifolia flore pleno cœruleo, foliis & foliolis per oras interfuso candore pictis.
55. Anem. altera supina, & floris mole ferè jacens amethystina.
56. Anem. foliis & foliolis ex rubro purpureo & albo variegatis, comâ holosericeâ.
57. Anem. prominulis ligulis radicum longioribus, & contortis, instar capillorum Medusæ.
58. Anem. tenuifolia foliis latioribus pleno flore flammeo.
59. Anem. tenuifolia flore cœruleo albis intersecto radiis.
60. Anem. foliosa toto interdum flore subrubente, & lateritia.
61. Anem. tenuifolia, foliis ad basim rutilis, cacumine albescente.
62. Anem. tenuifolia multiplex foliosa, sanguinea major.
63. Anem. foliosa candidis floribus diluto rubore umbilicatis, & latissimum in orbem patens.

64. Anem.

64. Anem. Hermaphrodita foliis circa baſim, & media ſui parte rubris, altera, lactis candore fulgentibus.
65. Anem. folioſa flore ſuaverubente multiplici.

Eadem flore

Albo. Hyacinthino.
Amœno violaceo, & albo mixto. Ianthio.

Anemonæ tenuifoliæ flore pleno è Parkinſoni Paradiſo terreſtri.

1. Anem. tenuifolia flore coccineo pleno variegato.
2. Anem. tenuifolia flore coccineo ſaturo pleno.
3. Anem. tenuifolia flore pleno ſuaverubente.
4. Anem. tenuifolia flore albo pleno.
5. Anem. tenuifolia flore pleno albicante.
6. Anem. tenuiofolia flore pleno roſeo.
7. Anem. tenuifolia flore pleno carneo vivaciſſimo.
8. Anem. tenuifolia flore rubro-fuſco pleno coma Amarantina.
9. Anem. tenuifolia flore pleno tricolor.

Anemone tenuifolia flore pleno è Flora Joan. Rea.

1. Anemone tenuifolia flore pleno verſicolor.
2. Anem. tenuifolia elegantior flore pleno rubro.
3. Anem. tenuifolia flore pleno coccineo.
4. Anem. tenuifolia flore pleno coccineo variegata.
5. Anem. tenuifolia flore pleno coma ſcarlata.
6. Anem. tenuifolia flore pleno dicta Nacara.
7. Anem. tenuifolia flore pleno ſulphureo.
8. Anem. tenuifolia flore pleno viridante.
9. Anem. tenuifolia flore pleno albo major.
10. Anem. tenuifolia flore pleno maxima albo.
11. Anem. tenuifolia flore pleno Columbina.
12. Anem. tenuifolia flore pleno Roſeo.
13. Anem. tenuifolia flore pleno Roſeo variegata.
14. Anem. tenuifolia flore pleno rubicante maculato.
15. Anem. tenuifolia flore pleno purpureo.
16. Anem. tenuifolia flore pleno Lavendulæ colore.
17. Anem. tenuifolia flore pleno cœruleo.
18. Anem. tenuifolia flore pleno coma purpureo.
19. Anem. tenuifolia flore pleno coma Amarantina.
20. Anem. tenuifolia flore pleno coma Amarantina-variegata.
21. Anem. tenuifolia flore pleno quinque coloris.
22. Anem. tenuifolia dicta *Bel-Lizwaice.*

CAP. VI.

De Pulſatilla.

PUlſatilla nominatur, quòd ſeminum tremuli pappi leviſſimo flatu huc atque illuc agitentur, unde & Herba venti.

Nomen Pulſatilla Italicum eſt, ſiquidem inibi ita vulgo dicitur hæc herba.

Eſt autem Pulſatilla nihil aliud quàm Anemone ſeminibus cincinnatis ſeu plumulâ caudatis.

1. *Pulſatilla vulgaris* Ger. *purpurea cæruleáve* J. B. *folio craſſiore & majore flore* C. B. *Pulſat. Danica* Park. parad. The greater or Daniſh Paſque-flower.

J. B.
Tenuia *folia* ſic ſatis Paſtinacæ ſylveſtris foliis ſimilia ſunt, niſi ab iis magnitudine vincerentur, tenui diviſurâ piliſque reſpondentia, ex pediculo longiore, palmari circiter, admodum villoſo, & propter terram ſubrubente appenſa. *Caulis* teres, cavus, denſa lanugine obductus, palmaris aut dodrantalis, delapſo flore pedalis & major nullis vel ramis, vel foliis donatus, unico excepto folio, quod paulò infra florem naſcitur, denſo mollique tomento comatum, circumcirca labri aut acetabuli inſtar caulem cingens, ſibique inferiore parte continuum, quod mox in lacinias numeroſas tenuéſque finditur. Caulis ſummo faſtigio *flos* ſedet unicus, magnus, è ſex foliis acuminatis compoſitus, purpuraſcens, foris hirſutus, intus glaber, levem ſed ſuavem odorem aſpirans. Medium obſidet ex oblongo rotundum *capitulum*, fibris apicibúſque luteis cirratum. poſtquam autem delapſus eſt

eſt flos, caulis ſupra folium ſupra dictum quintuplo aut altiùs excreſcit, próque flore ſuccedit comoſum capitulum *ſtaminum* holoſericeorum mollitie, argentei ſplendoris; appenſo unicuique ſtamini *ſemine* oblongo, tereti: delapſis porrò caducis ſeminibus cum ſtaminibus appenſis caput relinquitur rotundum. *Radix* craſſa, longa, nigra, in plura capita interdum diviſa, ſuperiùs ex reliquiis marcidorum foliorum comata, ſapore nonnihil amareſcente & tandem acrimoniâ linguam vellicante.

Pulſatilla Danica *Park.* major eſt vulgari noſtrate tum radice & folio, tum etiam flore, qui colore eſt purpureo, hilariore minúſque ſaturo, & culturæ magis patiens, ut ſe ſæpius expertum ſcribit: noſtras enim hortis non libenter aſſueſcit.

Locus. In tranſmarinis montoſis frequens oritur in Germania, Italia, Gallia. *Tempus.* Floret Veris initio circa finem Martii ſeu Feſtum Paſchatis, unde & nomen Anglicum: **Pasque-flower.**

A. 2. *Pulſatilla flore clauſo cæruleo* J. B. *flore minore* Ger. *minore nigricante* C. B. *Anglica purpurea* Park. parad.

Lobelius florem cœruleum perpetuò clauſum huic plantæ attribuit: Cluſius iconem Lobelii adhibet titulo *Pulſatillæ vulgaris ſaturatiore flore*, cui *folium* tenuiùs inciſum *florémque* minorem, purpurei coloris adeo ſaturi ut niger videatur, aſſcribit. Cluſius Pulſatillam noſtram Anglicam vulgarem intelligere videtur: Nam alterum illud genus præcocius, craſſiore folio, ampliore flore dilutioréque Pulſatillæ Danicæ Parkinſoni reſpondet, cui & ipſe Danicam ſuam eandem facit.

* 3. *Pulſatilla rubra* Ger. J. B. *flore rubro* Park. *flore rubro obtuſo* C. B.

J. B.
Differt à vulgari, non ſolùm floris colore, ſed etiam formâ foliorum, quæ tenuiùs diviſa, florum item foliis quæ longiora & obtuſa, cùm in vulgari acuta ſint.

Locus. Ex Aleppo Syriæ urbe ſe habuiſſe Lobelius refert.

4. *Pulſatilla alba* J. B. *flore albo* Ger. C. B. Park.

J. B.
Foliis eſt multo amplioribus quàm reliquarum ulla, nec ita etiam minutim conciſis, & ad Myrrhidis ſylveſtris foliorum diviſuram quodammodo accedentibus, & nonnihil hirſutis. *Caulem*, qui cubito longior nonnunquam, medium cingunt conſimilia quoque folia [terna]. Cæterum *flos*, qui ſummo cauli hæret unicus, lacteo eſt candore, quem villoſum capitulum criſtatúmque conſequitur, aliarum more. *Radix* itidem craſſa. Planta eſt ſpecioſa.

Locus. In ſummis Juræ montoſis jugis copioſè oritur. Cluſius in *Etſcher* & *Durrenſtein* Stiriæ celſioribus jugis invenit, ubi Julio menſe floret, &c. Difficulter cicurari poſſe tradit idem.

* 5. *Pulſatilla lutea* J. B. *lutea Alpina hiſpidior* C. B. *lutea prima Dalechampii* Lugd.

J. B.
Palmaris eſt planta, *radice* craſſa, *foliis* cœruleæ modo diviſis, ſed ſegmentis latioribus, valdè hirſutis: *caulis* ſingularis unicum ſummo faſtigio ſuſtinens *florem*, colore luteo præditum, foris hirſutum, intus glabrum, obſidente medium, apicum magno numero.

Commemorat (inquit J. Bauhinus) Lobel. in Adv. & Dodon. Pulſatillam luteam; qui an noſtram intelligant ambigimus: ſiquidem eam à vulgari colore tantum diſtinguunt.

Locus. In Rhætiæ monte Braulio florentem Julio reperit J. Bauhinus: Cherlerus ſub finem Junii in monte Gothardi.

* 6. *Pulſatilla lutea Apii hortenſis folio* C. B. J. B. *ſecunda Dalechampii.*

Lugd.
Radice eſt tenuiore, breviore, minùs atra, *foliis* hortenſi Apio ſimilibus, paullò latioribus, hirſutis, radicem ambientibus, nullis in *caule*, dodrantali, lanuginoſo, media ſui parte villoſo glomo pubeſcente, è quo prodit *flos* aurei coloris.

* 7. *Pulſatilla lutea Paſtinacæ ſylveſtris folio* C. B. *lutea ſeu* 5. Ger. emac. *tertia Dalechampii* J. B. *Anemone ſylveſtris* 3. Cluſ. Hiſt. *Pulſatilla flore luteo* Park. par.

Lugd.
Radice eſt quàm in ſuperioribus graciliore, folio Paſtinacæ ſylveſtris, apicibus in medio flore coacervatis luteis, quos in ſeminis conceptaculum tandem formatos ſpiſſa lanugo veſtit.

Pulſatillæ luteæ ſecundum genus (inquit J. Bauhinus) vidi apud fratrem: Quod ſit tertium nos latet: Icon nobis quidem inepta & falſa videtur.

Hanc Cluſius ita deſcribit: Ab radicis villoſo capite multa germinant folia, Pulſatillæ foliis pænè ſimilia, laciniata, & multis diviſuris ſecta, mollia, parte ſupina viridia, pronâ autem paululum candicantia & valdè hirſuta; inter quæ *caulis* emergit nudus, rotundus, lanugine obſitus, circa ſummum ſuſtinens foliola, è quibus prodibat vulgari Pulſatillæ ſimilis pediculus, cui inſidebat unicus flos major, ut plurimum Pulſatillæ vulgaris flore, ſex foliis conſtans, quæ interiore parte valdè flava erant, exteriore autem ob lanuginem dilutiora & pallentia: in hujus meditullio orbiculatum

culatum caput eminebat, luteis staminibus cinctum, cui villosa cæsaries succedere videbatur: quam Augusto mense maturitatem consequi arbitrabatur Tobias Roelsius, qui in Alpium planis eam observabat, nusquam verò abundantius quàm circa pedem montis S. Bernardi, quà Helvetios spectat.

* 8. *Pulsatilla folio tenuius inciso & flore minore sive palustris* C. B.

C. B. prod.

Foliis est ad radicem in tenuissima & angusta segmenta divisis, eorum pediculis hirsutis; inter quæ *caulis* pedalis, rotundus, rufescens, levi lanugine aspersus, cujus medium folia capillacea acuta cingunt, ipsiúsque summo *flos* unus, villoso capitulo ex capillaceis foliis composito sustentatus insidet, qui vulgari longè minor, ex foliis sex acutis Violæ nigræ colore compositus, staminibus in medio luteis. Capitulum villosa cæsarie comosum & incanescens cum semine succedit.

In pratis udis & paludosis Michelfeldæ propè Basileam provenit; & in hortum translata cum vulgari vegetior quidem fit, sed formam & colorem reservat. *Locus.*

* 9. *Pulsatilla Apii folio vernalis, flore majore* C. B.

C. B. prod.

Ex *radice* nigra longiuscula *folia* plura, pediculis oblongis pilosis donata, crassa, dura, rigida, Apii foliorum instar in quinas lacinias, & hæ in alias divisæ, margine piloso, prodeunt: inter quæ *cauliculus* unciarum quatuor, nudus, at hirsutus, incanus exurgit, qui *florem* magnum, trium unciarum, longum, latúmque, ex sex foliis compositum, multísque apicibus luteis, ut & duæ sequentes, donatum sustinet, qui colore variat, aliquando ex albo & subpurpureo aureus, aliquando intrinsecus albus, extrinsecus subpurpurascens, vernali tempore florens.

In sylvis circa Francofurtum ad Oderam. *Locus.*

* 10. *Pulsatilla Apii folio vernalis, flore minore* C. B.

C. B. prod.

Et hæc ex *radice* consimili *folia* crassa, pauca, oblongis pediculis donata, Apii instar, sed in tres tantùm lacinias, ad umbilicum divisa edit, quarum quælibet in alias binas ternásve lacinias, per marginem incisas secantur, & pilis vix conspicuis donantur; cauliculo villosissimo, uncias duas alto, *flos* priore media parte minor, & dilutè purpurascens insidet. Aprili, foliis plerunque carens, floret.

Locus idem qui priori. *Locus.*

Has esse veras & genuinas Pulsatillæ species ex descriptionibus colligi & concludi nequit: contrarium nobis ob caulem nudum videtur; utcunque hic locum quem usurparunt, retinere permisimus, donec certiùs constiterit, quò referendæ sint.

* 11. *Pulsatilla Apii folio Autumnalis* C. B.

C. B. prod.

Radice est longa, foris nigrâ intus candidâ: *foliis* ad radicem plurimis, Apii modo in tres tantùm lacinias, & has in alias, divisis, glabris; inter quæ *cauliculus* triuncialis, albis pilis villosus, *florem* præcedente minorem, obsoleti coloris instar vulgaris, sustinens, qui ut & priorum flores, in *capitulum* hirsutum quod *semen* continet, abit.

Septembri mense florens in Lusatia reperitur. *Locus.*

Hæc etiam species ejusdem farinæ est cum duabus præcedentibus, quæ si rectè describantur caule nudo ad hunc locum nostro judicio minimè pertinent: siquidem notâ Anemonarum characteristicâ carent, quæ est habere caulem non solùm μονανθῆ, sed & determinatè foliatum, ex unica tantum distinctione: hæc autem folia flori dum adhuc tenerior est calycis vicem supplent.

* 12. *Pulsatilla folio Anemones secundæ seu subrotundo* C. B.

C. B. prod.

Radix crassa, nigra, aliquot propagines quandoq; fundit: ex quibus prodeunt *folia* pediculis oblongis, hirsutis donata, instar Anemones Bulbocastani radice, subrotunda, infernè & per marginem levi lanugine candicantia, semper in lacinias tres latas, & hæ in alias bifidas vel trifidas, minùs profundas secta: inter quæ *caulis* emergit pedalis, subhirsutus, infra medium angustis foliis (qualia & flori subjiciuntur) cinctus: *florem* subcœruleum, septem foliis donatum, & reliquorum more in pappum abeuntem sustinens.

Ex Lusatia accepit C. Bauhinus. Miror Bauhinum folia in hac specie qualia in medio caule flori etiam subjecta scribere, cùm Pulsatillæ genuinæ flos calice careat, nec ulla ei subjiciantur folia. In tribus præcedentibus generibus nullorum meminit in caule foliorum, quæ sunt hujus generis nota characteristica, omnibus in universum Anemones speciebus, quibus Pulsatillam accensemus, conveniens. An fortè iis careant, ac proinde hujus generis non sunt?

Flos proculdubio sex tantùm petalis naturaliter donatus est, quod septem habeat accidentarium est & quodammodo monstrosum. Breynius etiam non nisi sex ei attribuit.

Pulsatilla

Pulsatilla polyanthes violacea Anemones folio Breynii, *eadem præcedenti.*

Breyn.

Radice nititur nigrâ, crassâ, non admodum profundâ, inferiùs in plurés tenues ramos & fibras, superiùs in multa capita diffusâ: quæ novo Vere statim post solutas nives, imò nonnunquam sub illis *caules* multos sesquipalmares & dodrantales, rotundos, inanes, albis tenerísque pilis planè hirsutos emittit: horum quivis paululùm ultra medietatem coronulâ in lacinias plurimas dissectâ, extrinsecùs perquam villosâ, intrinsecùs glabrâ & venulis striatâ cingitur; in extremitate *florem* Pulsatillæ vulgaris quidem formâ & hirsutie æmulam, sed longè ampliorem, è foliis sex latis, cœruleis vel violaceis compositum gerens spectabilem, odoris dulcis; cujus medium globus ex densis *capitula* lutea gestantibus constipatus *staminulis*, occupat: Hujus è centro capillamenta rursus densa & mollia, in cuspide, vel penicilli in morem conjuncta prorumpunt, sensim decedente flore altiùs sese ac latiùs, in globo villosâ cæsarie comoso & incanescente, expandentia; ac in cujusque infima cæsariei parte *semen* exiguum, longiusculum parvo in pericarpio villoso complectentia. *Folia* præterlapso floris tempore primùm se conspicienda offerunt *Anemones hortensis latifoliæ simplici flore* 3. Clus. latioribus foliis proxima, longis pediculis hirsutis suffulta in lacinias tres primarias ad pediculum usque divisa, & hæ in alias bifidas vel trifidas minùs profundas, quarum unaquæque iterum in anteriore parte dissecta: hæc folia justam consecuta perfectionem venosa, dura, rigida & præcipuè subtus sunt hirsuta.

Locus. Asperis sterilibus & incultis Borussiæ ac Cassubiæ gaudet locis, ericetis sylvarúmque marginibus.

Variat floribus candidissimis, & interdum pulchrè rubentibus.

Hanc præcedenti eandem esse suspicatur Breynius, & meritò, nam proculdubio eadem est.

Ostendit nobis D. *Hansius Sloane* Pulsatillæ cujusdam à *D. Magnol* inventæ quinque circiter leucis à Monspelio, & in hortum suum translatæ caulem cum flore exsiccatum; quam Pulsatillam polyanthen *Breynii* esse conjectabatur. Radix Pulsatillæ vulgaris similis: Florendi tempore & foliis postnatis cum ea convenit. Caulis elatior est, valdè hirsutus coronulâ foliorum variè dissectorum, lanugine alba, longa pubescentium in medio cinctus.

* 13. *Pulsatilla flore obsoleto, caule nudo* Breynii.

Breyn.

Radice ac foliis Pulsatillæ vulgari flore obsoleto persimilis; præter *caules*, qui nudi planè, nec ulla redimiti coronulâ, cujus summo contra *flos* multo major, magísque patulus, è colossino obsoletus, foliis octo constructus, ac innumeris crocos flavos gerentibus *staminulis* præditus, gloriose insidebat. Huic plumosa congeries cum semine à præcedente nihil diversa tandem succedebat.

Locus. Ex Cassubiæ montibus initio Maii ad Autorem descriptionis allata est hæc Pulsatillæ species, qualem nec antea nec post vidit.

Suspicor ego plantam fuisse monstrosam, & individualem, à congenerum norma abludentem; maximè quod nullam habuit in medio caule foliorum coronulam, qualem in omnibus quas vidimus hujus generis plantis semper adesse observavimus; nisi fortè ad Caryophyllatas referenda sit.

Vires. Ab Empiricis id compertum habet Brunfelsius, quòd Pulsatilla vulneraria sit herba. Quòd per Alembicum destillata aquam vulneribus mundificandis curandísque præstet utilissimam, quæ & putridam carnem erodat. Cùm autem gustu sit acerrimo magis externis quàm internis partibus corporis adhiberi debet, ut rectè Tragus.

Matthiolus radicem subdulcem esse ait, unde non longè abest à temperato. Sunt qui eam maximè præferant contra pestilentiæ contagia, & pota venena & virulentorum animalium ictus, si cum vino bibatur drachmarum duarum pondere, quare in Antidotis additur. Tragus radicem siccatam sternutamenta ciere, crudam verò mansu pituitam elicere scribit, quæ arguunt eam procul abesse à temperie.

HISTO-

HISTORIÆ PLANTARUM LIBER DECIMUS TERTIUS,

Herbas Pomiferas & Bacciferas complectens.

PARS PRIMA.

De Herbis Pomiferis.

POMIFERAS voco quæ fructus plantarum omnium maximos producunt [non omnes illarum species, sed aliquas] cortice crasso tectos quo à Bacciferis distinguuntur, quarum fructus membranâ duntaxat tenui vestiuntur, flores nudos, monopetalos, margine quinquepartito, summo fructui insidentes.

Herbæ Pomiferæ sunt vel

- *Capreolatæ*, pulpâ seu carne
  - *Dulci* vel *insipida*, semine
    - *Thyreoide*, duobus in summitate eminentibus angulis velut cornuto, flore albo; CUCURBITA.
    - *Ad margines æquali* absque eminentiis,
      - *Magno*, lato, rhomboide,
        - *Albo*, lineâ circa margines elatâ cincto, fructu maximo; PEPO.
        - *Nigro*, nulla in margine elatâ lineâ, in medulla fungosa aut rubente pulpa latitante; CITRULLUS, *Anguria*.
      - *Minore*, semine per maturitatem
        - *Albo*, angusto, oblongo, nucleo pineo nonnihil simili, fructu majore
          - *Æquali*, tuberculis non exasperato, moschum redolente, carne delicata; MELO.
          - *Tuberculis spinosis bullato*, carne magis insipidâ & aqueâ, seminibus pulpâ humidâ copiosâ contentis; CUCUMIS.
        - *Nigro* aut pullo, minore & breviore, fructu itidem minore
          - *Undique hispido*, Olivæ figurâ, qui per maturitatem à pediculo avulsus cum impetu semina ejaculatur, pulpa purgatrice; CUCUMIS *asininus*.
          - *Verrucosis tuberculis asperato*, minimo per maturitatem puniceo; BALSAMINA *mas* seu *cucumerina*.
  - *Amarâ*, pulpâ intus fungosâ levissimâ, semine parvo albo duro; COLOCYNTHIS.
- *Capreolis carens*, fructu clypeiformi; CUCURBITA *clypeata* seu *Melo-pepo clypeiformis*.

CAP. I.

De Cucurbita.

CUcurbitæ nomen huic plantæ inditum existimat Scaliger à curvitate, geminatâ primâ, ut in *Cacula populus.* Mihi (inquit Vossius) non displicet Nunnesii opinio, qui censet corruptum esse ex Colocyntha κατὰ μετάθεσιν.

Notæ ejus characteristicæ sunt semen thyreoides, duobus in summitate eminentibus angulis velut cornutum, flos albus, cortex fructus durus & q. lignosus.

Amant Cucurbitæ mirum in modum aquas, nam si propè in patens vasculum aqua subjiciatur à quinque vel sex digitorum intervallo ante posterum diem adrepentes cognoscentur descendisse. *Matth.*

Sine semine nascentur si per triduum antea spargenda semina oleo Sesamino macerentur.

Mulieres menstruæ vel solo aspectu tenellas enecant cucurbitas. Horum fides sit penes Autorem, nobis neutiquam probantur.

Cucurbitarum semina quæ proxima collo fuerint proceras pariunt, quæ in medio rotundas, quæ in lateribus crassas brevioresque, quæ in fundo latas, si Veteribus credimus.

Siquis in Cucurbitam crudam excavatam infusum vinum per noctem sub dio exponat, & temperatum jejunus bibat, leviter alvum mollit: ut habet Dioscorides, & confirmat Tragus.

Cæterum Zuccha nomen Italicum quo Cucurbitam vocant, à Græco Σικύα deductum videtur.

1. *Cucurbita longa, folio molli, flore albo* J. B. *oblonga, flore albo, folio molli* C. B. *longa* Park. *anguina* Ger. The long Gourd.

J. B.

Viticulas digitali crassitudine, angulosas, orgyias aliquot longas è *radice* tenera candida, in multas tenues partes distractâ emittit, quæ per terram sparguntur, alioqui pergulas & perticas capreolorum ope scandunt. *Folia* rotunda pedem aut sesquipedem lata [in fœcundo, aprico & humido solo] molli lanugine tomentosa, crenis subinde nonnullis per ambitum incisa, ex pediculo tereti, oblongo, concavo. *Flores* nivei candoris, liliacei, quinquepartiti, intus villosi, exteriùs breviore pilo obsiti. *Fructus* delapso flore in insignem adolescit magnitudinem, pedes quinque aut sex longus, cervice crassa, in ventrem modicè turgescens, qui siquid quod resistat offendat, curvatur. *Cortex* recenti tener, herbaceus, adulto durus, flavescens; medullâ albâ insipidâ, modicè fungosâ. *Semina* uncialis longitudinis ferè, longa, plana, compressa, una parte lata, duobus angulis conspicua, infernâ quâ germinare solent, plures angulos habentia, & sub tunica duriuscula, alba, medullam includentia albam, dulcem, esui gratam.

Accuratissimam omnium hujus plantæ partium descriptionem vide apud J. Bauhinum è Cordo descriptam.

2. *Cucurbita latior, folio molli, flore albo* J. B. *major sessilis, flore albo* C. B. *lagenaria* Ger. *major* Park.

Dodonæus hanc describit latiorem, ventricosam & crassam, absque collo, & inferiore sede latiorem, pyri turbinatam figuram quodammodo referentem.

3. *Cucurbita lagenaria* J. B. *lagenaria sylvestris* Ger. *lagenaria, flore albo, folio molli* C. B. *lagenaria minor* Park.

J. B.

Non variat foliis & flore à longa priùs descripta, verùm fructu plurimum differt, collo angusto, ventréque crasso lagenas & phialas repræsentans. *Semina* putamus magis fusca esse quàm longarum.

Lagenariæ has observavimus differentias.

1. Lagenaria mediocris magnitudinis, longiusculam valde virentem, maculis luteis conspersam. Hæc saccharo conditur.
2. Minorem, maculis albidis insignem.
3. Magnam, longo collo constantem, virescentem, maculis luteis notatam.
4. Collo multo longiore, colore pallido, albisque maculis ornatam.
5. Mediam inter longam & lagenariam, corpore crasso, rotundo, magnitudinis circiter capitis, collo tenui, cubitum pænè longo.
6. Vulgatiorem majorem luteam, albedine conspersam.

Alias Cucurbitarum seu species, seu varietates tradit, & describit J. Bauhinus, quarum titulos hic proponemus.

1. Cucurbita longa, flore albo, protuberante ventre.
2. Cucurbita lutea cortice tenero. *Hæc ad aliud genus, Peponum puta, pertinet.*
3. Cucurbita ovalis ferè, variegata parva.
4. Cucurbita pilâ palmariâ non multo major, rotunda.

* 4. *Cucurbita capitata Tabernæmontani, sive clypeiformis* J. B. *sylvestris fungiformis* Ger. *capitata* C. B.

A præcedenti [Cucurbita vulgari] differt *foliis* in lacinias aliquot sectis Vitis instar; fructu subrotundo, superiùs depresso, fungiformi, subtus concavo (ni pictura fallat) cum ea convenit foliis mollibus, lanuginosis, floris colore niveo. Si modo rectè descripta sit, ad hoc genus propriè pertinet.

Cucurbita sitim sedat, urinam ciet & ventrem movet, semen genitale minuit, & Veneris appetentiam extinguit. *Vires.*

In cibis usurpatur hoc modo præparatus. Interiorem & candidam substantiam una cum mollibus & immaturis seminibus bulliunt, posteáque minutim concisa, cum cepa, butyro & sale coquunt. Hic cibus cum Brassica capitata conscissa & cocta ferè convenit, macilentisque hominibus prodest. Itali in frusta concisas, in jure decoquunt. Boni saporis, & succi laudabilis, & febricitantibus etiam convenire hoc modo paratæ nobis visæ sunt, frigefaciunt enim & emolliunt.

Cucurbita convenit viribus cum Cucumere, tam in qualitatibus carnis quàm in seminis facultatibus. Folia recentia puerperarum mammis adhibita, monente Matthiolo lac imminuunt.

Semen recensetur in numero 4 frigidorum majorum.

Aqua stillatitia è fructu immaturo fert opem omnibus inflammationibus externis, oculorum, aurium, podagricis: intrinsecùs quoque mirabiliter æstum corporis mitigat. *Schrod.*

Ad faciei ruborem, ℞ Nucleorum Persicarum ℥iiij. Sem. Cucurbit. ℥ij. Ex his fiat oleum per expressionem, quo facies liniatur. Experimento probatum ait Alexis Pedemontanus. *D. Hulse è Chesneau.*

* 5. *Cucurbita Brasiliensis* Curuba *dicta* Marggrav.

Marggr.

Caulis sarmentosus est, humi repens aut scandens Cucurbitarum modò, ac capreolis suis vicinis arboribus aut pedamentis se annectens. *Folia* hinc indè Cucumerum modo ad semipedalia intervalla apposita habet, singula suis pediculis tres aut quatuor digitos longis, insidentia, in lacinias divisa, inferiùs hirsuta, uti & caulis & pediculus, albicantia, supernè viridia & glabra, splendentia, circinata, septangula aut octangula, sex aut septem digitos longa, & totidem lata aut paulò latiora. Inter folia in propriis pediculis nascuntur flores. Floris autem rudimentum est corpusculum conicum, ex viridi subflavum, in quinque foliola ex viridi flavescentia, deorsúmque incurvata desinens. Ex hoc corpusculo prodit *flos* magnus, crassis foliis, exteriùs glabris, interiùs hirsutis, dilutè flavus, & exteriùs lineis seu striis virescentibus secundùm longitudinem distinctus; plusquam semidigitum altus, unico folio constans, verùm ultra medietatem in quinque lacinias secto, ellipticæ superiùs figuræ; in medio corpus rotundum flavi coloris, magnitudine Avellanæ, quod speciem præbet intestinorum vituli, constátque tribus partibus separabilibus. Fructus longus est circiter quindecim digitos, undecim crassus, cortice glabro ut Pepo, ex rubro purpureus. Caro seu pulpa ad flavedinem accedit, odoris dulcacidi instar Pyrorum agrestium, saporis ingrati, ideo non comeditur. *Semen* continet copiosum, figurâ & magnitudine Cucurbitæ seminis, sed quod exteriùs in superficie suâ fusco est punctulatum in obscurè flavo.

CAP. II.

De Pepone.

PEponem dictum volunt ἀπὸ τοῦ πεπαίνεσθαι maturescere, eò quòd maturitate flavescant *C. B.*

Pepo à reliquis pomiferis distinguitur totius plantæ foliorum, florum, fructuum magnitudine, sed præcipuè semine rhomboide lineâ circa margines elatâ cincto.

1. *Pepo vulgaris. Cucurbita foliis asperis sive Zuccha flore luteo* J. B. *Cucurbita major rotunda, flore luteo, folio aspero* C. B. **The common Pumpion, called by the vulgar, The Melon.**

J. B.

Flagellis sarmentisve longissimis, canaliculatis, modicè concavis, crassitudine pollicari, asperis, latè vagatur, & perticas, siquas nacta est, capreolorum innixu & voluminibus scandit. *Folia* larga, Cucurbitæ flore albo longè majora firmioráque, ficulneis laciniis, aspera, atro virore splendentia, & per ambitum serrata, ex pediculis dodrantalibus, solidis, modicè canaliculatis & spinulis horrentibus. *Flores* nonnihil odorati, fundo acetabuli instar, in quinque folia Liliaceis majora dissecantur, intus crocea & lanuginosa, foris ex croceo in herbaceam tendentia, costisque & venulis eminentioribus herbidis rugosa, brevissimis pilis donata: medium florem occupant quæ aliarum plantarum apicibus respondent, crocea, bisulci animalis pedem exprimentia. *Fructus* & formâ & magnitudine & colore subinde variant. Est enim vel longus, vel compressus, vel globosus, vel pyramidalis, cortice duro & velut lignoso, colore viridi, aut in viridi subnigro, notis albis maculoso, vel striato, carne tenerâ, albâ, subdulci, non usque adeò insipida ut in Cucurbitis flore albo: semine cineraceo [potius

tiùs albo] magno, oblongo, altera parte angulofo, alterâ obtufo, juxta cujus margines circumcirca linea alata coftæ inftar, pulpâ candidâ, dulci & fuavi.

Varia hujus genera funt, magnitudine, facie & colore differentia. Multa recenfet J. Bauhinus, quæ fpecie inter fe differre mihi vix perfuaferit: cujufmodi funt

1. Cucurbita afpero folio, flore luteo, fructu femiarcûs in morem intorto.
2. Cucurbita verrucofa *C. B. Ger. Park.* quæ non alia in re à præcedentibus differt, quàm fructu verrucarum modo nodis plurimis tuberofo.
3. Cucurbita feffilis, flavefcens, folio afpero.
4. Cucurbita feffilis, albicans, folio afpero.
5. Cucurbita medio crocea.
6. Cucurbita afpera mediæ magnitudinis, turbinata, variegati coloris.
7. Cucurbitæ turbinatæ majores.
8. Cucurbita afpera, pyriformis, parva, alba. Hanc foliis laciniatis defcribit: fructu albo, polito, quinque aut fex uncias longo, fuperiùs angufto, infra ventriofo, quem manu complecti poffis.
9. Cucurbita afpera minima turbinata pallida.
10. Cucurbita afpera turbinata, fubcrocea.
11. Cucurbita afpera ovalis, flavo colore.
12. Cucurbita afpera pugillaris, ex rotundo oblonga.
13. Cucurbita afpera minuta fphærica, crocea, variegata. An Pepo rotundus Melonis effigie?
14. Cucurbita alba afpera, fructu longo collo.
15. Cucurbita lagenam exprimens parva afpera.
16. Cucurbita alba verrucofa.
17. Cucurbita verrucofa parva.

Harum defcriptiones fi defideras J. Bauhini hiftoriam adeas: nos eas huc tranfcribere non neceffarium duximus: fiquidem (ut nobis videtur) natura in Peponum, Melonum, Cucurbitarum, aliarúmque hoc genus ftirpium magnitudine, figurâ, colore, aliífque accidentibus, infinitâ ferè varietate ludat, neque certus fit & determinatus accidentalium hujufmodi differentiarum numerus, fed novæ indies ex femine producantur: ut in aliis nonnullis plantarum generibus, v. g. Tulipis, Caryophyllis, Anemonis, Auriculis Urfi dictis, &c. contingit. Nec tamen huic fententiæ pertinaciter adhæremus. Fortè enim in hoc genere, ut in Medicis cochleatis, Natura ingentem fpecierum numerum in regionibus calidioribus producit, quæ in fe invicem, non permutantur, fed femine fatæ fuam fingulæ fpeciem perpetuò fervant.

Vires. Eft, inquit Dodonæus, omnium Peponum natura frigida cum copiofa humiditate: habent autem vim quandam abftergendi, cujus beneficio urinam cient, & deorfum expeditiùs quàm Cucurbitæ aut Melopepones permeant, ut Galenus fcriptum reliquit. Editur autem caro Peponum haudquaquam cruda, fed cocta: Defcendit autem fic omnino faciliter, alvum facilem & quodammodo lubricum reddens. Alimentum autem confert exiguum, tenue, humidum frigidúmque (vitiofum inquit Galenus) idque potiffimùm cùm probè concocta non fuerit: quo cafu Choleræ morbo obnoxios efficere folet.

Noftrates pulpam in frufta concifam vel in jure carnium decoquunt, vel in lacte, atque ita vel cum ipfo lacte, vel exempta & cum butyro condita feorfim efitant. Alii exemptis feminibus & humidâ interiore pulpa, pomis concifis cavum replent, & operculo tectos in furno coquunt, adeóque pulpam cum pomis miftam & probè fubactam, butyróque conditam libenter comedunt: vulgus etiam in deliciis habet.

Semina funt è numero quatuor frigidorum majorum: eorúmque ufus eft in emulfionibus ad contemperandum febrilem calorem. Urinas promovent & renibus calculo infeftatis utilia funt. Videntur autem renibus prodeffe non tam abfterfione quàm lenitione, ex fententia Cafp. Hofman. quam præftat, inquit, unctuofitas eorum. Hæc ipfa faciunt opus fuum in tuffi calida & acri, in exulcerationibus & inflammationibus internis; quamvis in his fufpecta fit oleofitas.

2. *Cucumis, rectius Pepo, Ægyptius reticulatus feu Luffa Arabum* Veflingii.

Vefling.
Foliis induitur hifpidis, fufcam viriditatem pallore hinc indè diluentibus, divifuris inæqualibus profundius laciniatis, Bryoniæ vel potius Balfaminæ maris folia æmulantibus. *Florem* educat amplum, fpecie venuftum, languidam flavedinem ftriatim inducto aureo pigmento largiùs circum oras faturante. Idem *ftamina* capaci finu plurima fubmittit, quibus appendices [forte apices] grandiufculos flaventéfque connectit. Cæterum inftructa numerofis capreolis planta,, quaquaverfum reptabunda, proxima quæque cincinnis fuis implicat. *Fructum* promit femipedalem ab angufto collo paullatim laxiùs tumente ventre gravidatum, fuperficie modo lævior, modò tuberculis paffim verrucofior. *Cortice* velatur tenui, ex obfcuro virore pro maturitatis gradu plus minúfve flavefcente. Eam vel nulli, vel tenues faltem excavant fulci: in longitudinem tamen atris lineis eleganter infcriptus, à colli principio ad umbilicum tanquam centrum fuum commeantibus. Cùm fructus bene maturus, cortice remoto innumera in confpectum veniunt albicantia filamenta, fuccofiore medullâ ftipata, miro adeò ordine contexta omnia, ut planè fateri neceffum fit, non effe hoc rude & tumultuarium opus, fed quod egregius artifex cogitaverit prius quàm fecit. Idque evidentiffimum evadit, cùm tabefacta jam pulpa fimplicem plexum infpicit. Sinum plexus hic triplicem efformat in longitudinem, in quo femina copiofa, candida, cortice nonnihil inæqualia, lactefcente verò medulla Melonum æmula junctim affervantur.

In horto Arabis cujufdam propè Cairum urbem crefcentem vidit Vefling. qui Luffam appellabat: Veflingius ipfe ob plexum mirabilem quo femina inclufa circundat Cucumerem Ægyptium reticulatum nuncupavit. Morifonus nofter rectiùs ob femina elatiore limbo circundata Peponibus vulgò dictis annumerandam cenfet.

Arabs

Arabs prædictus, in balneis publicis, dempto cum semine cortice, plexum filamentorum succo suo madidum tergendis corporibus adhiberi confirmabat, quorum cutem morphæa fœdæque vitiligines insederunt, malum Ægyptio vulgo familiare.

* 3. *Pepo Indicus minor angulosus Tabern.* J. B. *Pepo minor angulosus* C. B. *Indicus angulosus* Ger.

J. B.

Hujus fructus utrinque tuberosus & extumescens, latus est uncias quinque & quatuor ferè longus; petiolum habet inflexum exasperatum & quinquangulum, striis per longitudinem aliquot sulcatum, regio amplior (cujus medio infixus hæret petiolus) multis costis, modò majoribus, quasique geminis, modò minoribus, sinúmque aliquem latum inter majorum interstitia relinquentibus inæqualior quidem, non tamen aspera reddita est; costæ ipsius majores plurimæque à medio petioli centro deflectentes, versúsque ventrem excurrentes undique prominent, altera verò parte, quà floris regionem spectat, iisdem quoque sulcis à costis latioribus inculcatis, & zonæ instar transversim Cucurbitam amplectentibus donata est, sed in eo distat à priori regione pediculum respiciente, quòd hæc tuberosa cùm sit, non tamen in fastigium ità strictum consurgat, sed latius, ut aliquo modo sessilis inibi evadat, circa verò ventris extuberantiam depressionem sortiatur, quæ in altera regione ipsi adjacente minimè conspicienda exhibetur, quia rectà ad pediculi culmen usque fastigiatur.

De hac se nihil habere certi & notatu digni scribit J. Bauhinus, suspicari tamen se ex icone & nomine esse eam genus aliquod Cucurbitæ folio aspero, dubitare etiam an bene hìc posuerit.

* 4. *Pepo Brasiliensis Jurumu dictus, Lusitanis Bobora* Marggr.

Marggr.

Folia fert ferè similia nostratibus Peponibus, & *florem* quoque flavum quinque foliis constantem [potiùs monopetalon margine in quinque lacinias secto.] *Fructus* magnus est, orbicularis, compressus, striatus, coloris exteriùs cinnabrii cum plurimo albo mixti, interiùs autem crocei: Semen album quale nostratibus. Boni saporis est fructus coctus seu etiam assatus sub cineribus.

* 5. *Melones (rectiùs Pepones) aquatici edules Virginiani* Ger. emac.

Ger. emac.

Sarmentis sive flagellis in longum excurrentibus & latè se diffundentibus, *foliis, floribus* & claviculis Peponi vulgari persimilis est & æqualis hæc planta. *Fructus* ex obscuro viridi nigricat, in longum quatuor propemodum uncias extenditur, in latum tres, neque major neque longior Malo vulgari majusculo; secundum caules è foliorum sinubus à radice ad summos usque ramulos exiens, carne, pulpâ interiore & seminibus planis vulgaris Peponis. Radix albicans ramulis longè se diffundit in terra, & primis statim pruinis corrumpitur.

Descriptio est D. Goodyeri apud *Ger. emac.* à nobis Latina facta.

* 6. *Macocks Virginiani sive Pepo Virginianus* Ger. emac. *Pepo Virginianus* C. B. **The Virginian Macock, or Pumpion.**

Ger. emac.

E *radice* alba in ramos latè se spargentes divisâ, ad primum brumæ accessum intereunte, *sarmenta* fundit aspera, angulosa, striata, humi procidua, octo aut novem pedum, & etiam longiora, in ramos divisa, colore ex viridi nigricante, latè solum occupantia. *Folia* lata, angulosa, aspera Peponis vulgaris magnitudine æqualia, & similia, crassis, longis, hirsutis pilosis pediculis insident: claviculis donatur. *Flores* ampli, flavi, rugosi, Peponis vulgaris similes: quibus secundùm caules succedit fructus, non propè radicem, sed versùs summitates plerunque, subrotundi, non in longum extensi sed compressi, longitudine tres uncias latitudine quatuor raro excedentes, colore per maturitatem ex viridi nigricante. Caro interior seu pulpa esculenta ex luteo albicat, copiosam substantiam mollem in medio continens seminibus multis seriatim dispositis intermistis, Peponis seminibus similibus, sed minoribus.

Descriptio est D. Joan. Goodyeri. Vid. *Ger. emac.* à nobis in Latinum versa.

Nos hoc anno [1685.] Peponem habuimus è semine Macoci Virginiani nomine misso ortam, quæ sarmentis foliis & floribus Peponem vulgarem adeò referebat, ut vix ovum ovo similius esset. Verum fructus paulò minor erat, colore undique flavicante seu pallido, figurâ oblongâ, utrinque turbinata.

Fortè plura sunt hujusmodi Peponum genera apud Virginianos, quæ omnia communi Macoci nomine insigniunt.

Peponis species seu differentias sequentes recenset C. Bauhinus.

1. Pepo oblongus *C. B.* maximus oblongus *Ger.*
2. Pepo compressus minor *C. B.* minor sylvest. *Ger.*
3. Pepo rotundus Melonis effigie *C. B.* Indicus minor rotundus *Ger.* Melo Indicus parvus *Park.*
4. Pepo rotundus Aruntii formâ *C. B.*

* 7. *Pepo maximus Indicus compressus* Lob. *Pepo compressus major* C. B. *Cucurbita aspera, folio non fisso, fructu maximo, albo, sessili* J. B. *Pepo* Park. parad.

Fructus magnus, qui interdum pondere ad triginta libras accedit, albus, utrinque sessilis, costis eminentibus & latis distinctus. *Folia* licèt sint aspera admodum, differunt tamen ab aliis, quòd non sunt laciniata & fissa, sed rotunda, ferè ad folia Bardanæ accedentia.

Hic, autore C. Bauhino, corticis colore & substantiâ variat; qui enim albido est colore substantiâ est molliore, qui obscurè virenti duriore.

8. *Pepo lagenarius folio molli, fructu virgato.*

Folia ei ampla, Peponis similia, verùm mollia & minimè aspera. *Flores* magnitudine & colore flavo Peponis flores referunt. Fructus Cucurbitam lagenariam majorem, æmulantur collo oblongo angusto, ventre tumido & subrotundo, areolis pulchrè viridibus & albentibus secundùm longitudinem ductis eleganter depicti.

Ex semine ab ornatissimo Viro D. *Hans. Sloane* transmisso, præteritâ æstate in hortulo nostro succrevit. Locus natalis nobis incognitus.

CAP. III.

De Colocynthide.

PRobabilem hujus vocis Colocynthis rationem apud Grammaticos non invenio: nam conjecturæ Martinii quòd ita dicatur, quòd sit κόλον κυνῶν *esca* seu *cibus canum*, vel quòd κοιλίαν κινεῖ, alvum movet mihi non arrident.

1. *Colocynthis* Ger. J. B. *Colocynthis vulgaris* Park. *fructu rotundo minor* C. B. **Coloquintida.**

C. B.

Notiora Officinis poma hujus quàm herba, quæ per terram sparsa, striatis, asperis flagellis, *folia* per intervalla profert singularia, pediculis duarum triúmve unciarum, vel etiam longioribus hærentia, aspera, incana & hirsuta, præsertim verò parte inferiore, punctis albicantibus notata, laciniata, Citrulli divisurâ, sed minore, ad quorum pediculos exeunt tortiles capreoli, & ipsi quoque hirsuti: *flores* luteoli; *poma* pugno æqualia *Lob.* subflava, virentia, virosáque: deferuntur exempto cortice flavescente: pulpa candida, fungosa, levissima, amarissima, horrendo & ingenter amaro gustu fauces, viscera, intestináque lædens, cui immersa semina [sex ordines seminum] parva, compressa, dura, polita, alba, vel rufescentis, vel, ut Dod. sordentis coloris, [Cucumerinorum magnitudine, verùm rotundiora, tumidiora, duriora *Park.*]

2. *Cucurbita sive Colocynthis amara, pyriformis, variegata* J. B. *Col. pyriformis seu Pepo amarus* C. B. *Col. pyriformis* Ger. Park.

J. B.

Longiùs paulò à Colocynthidis, quàm Officinarum usus recepit, formâ recessit, præsertim foliis: *sarmentis* longissimis, asperis, canaliculatis, clavicularum beneficio ridicas topiarias conscendentibus: *folia* Cucumeris, magis laciniato, atrovirente superiùs & molliore, inferiùs herbido & aspero: *floribus* Peponis, croceis: *Fructus* succedunt pugillares, formâ pyri turbinatâ, viridantes, lirisque albicantibus virgati, consimilibus quoque notis temerè maculosi: carne candida, odoris gravis dum virent, saporis amari intolerabilis, cui *semen* emergitur copiosum, compressum, candidum, Peponis.

Præter descriptas alias aliquot Colocynthidis sive Peponis amari species proponit & describit J. Bauhinus.

1. Cucurbita aspero folio, amara, grandis, oblonga, viridis. Hæc, quod inprimis memorabile est, (si Cordo describenti fides) à geniculis radices in terram demittit tenues, quibus nutriendo fructui succurrit. Colocynthis oblonga *C. B. Park.*

2. Cucurbita aspero folio, amara, grandis, rotunda, viridis. A præcedenti duobus tantùm differt, 1. Foliis in quinque partes divisis. 2. Fructu minore globoso.

3. Cucurbita aspero folio amara, turbinata, flava, candicantibus lineis inscripta, parva. Fructus quatuor seminum ordines continet: ipse autem pyriformis est.

4. Cucurbita oblonga, non angulosa, colore viridi, amara, folio aspero.

5. Cucurbita amara magna, folio aspero, colore vario.

6. Cucurbita aspera amara, fructu parvo, globoso, colore vario.

7. Cucurbita amara parva, mediocris magnitudinis.

8. Cucurbita sessilis & compressa, flava, amara. Accedit ad Melopeponem clypeatum, fructus autem non est fimbriatus.

Vires. Colocynthis est medicamentum virosissimum, & tantùm non mors ipsa, ut Prophetarum filii clamant. 2. Reg. 4. inquit *Casp. Hofman.* Non tantùm enim κακοστόμαχον est, sed abrasis intestinis dysenterias

ſenterias facit. Violentiam ipſius vel hoc indicat, quòd ſolo tactu & odore, abundè & cum magna perturbatione alvum dejicit; quod experiuntur qui eam pinſunt aut alioqui tractant. Non tantum enim validiſſimè concutit totius corporis habitum, ſed exagitat vi ſua malefica omnia viſcera, quantumvis diligenter præparetur & corrigatur. Diligentia inprimis illa eſt, nè detur niſi in malis pertinaciſſimis, & viribus adhuc integris.

Purgat pituitam craſſam & glutinoſam alióſque humores ſimiles è profundis & remotiſſimis corporis partibus: ut cerebro, nervis, articulis, pulmonibus. Unde commendatur & cum fructu exhibetur in cephalalgia, hemicrania inveterata, apoplexia, epilepſia, vertigine, aſthmate, tuſſi, dyſpnœa, morbis articularibus frigidis, dolore colico flatulento, hydrope, &c. ubi, inquit Hofmannus, malo nodo malus cuneus quærendus eſt.

In his tamen malis, pergit idem, non ſubitò oportet provolare ad Colocynthidis ſubſtantiam per os dandam. Quæ enim in imo ventre ſunt, in iis ferè ſufficit inunctio umbilici partiúmque vicinarum. Ubi verò inunctio præſtat quod debet, clyſteres defectum ſupplent. Poſthæc antequam ſubſtantia detur, infuſa vel decocta præſtò ſunt. Tandem ſubſtantia, ſed bene correcta. Ea verò valdè operoſa eſt. Prima & potiſſima conſiſtit in exactiſſima pulveriſatione. Niſi id fiat, partes quædam ſubſtantiæ inteſtinis hærentes, & vaſorum ora arrodentes, inſtar hirudinis ſanguinem trahunt. Altera correctio eſt per pinguia & lubricantia, quæ obtundunt acrimoniam ipſius, ut *tragacantha, maſtiche, Bdellium*; ſed nec lubricantia tantùm verùm & cordialia, & hepatica & ſtomachica, adhibenda ſunt.

Semen Lobelio conſtat non tantâ violentiâ ad purgandum quàm caro ipſa ſive medulla. Dedimus namque (inquit) multo majorem doſin, quàm medulla, majore commodo, nullo aut longè minori tumultu.

Cap. IV.

De Anguria ſive Citrullo.

ANguria Græcorum recentiorum vocabulum eſt, eo primùm Aetium uſum eſſe volunt; rationem nominis non invenio: Aliàs Citrullus à Citri luteo colore dicitur.

Ejus notæ ſunt ſemina Peponum ſimilia, nullâ in margine elatâ lineâ, in carne media ſeu pulpa rubentè latitantia, colore nigricante; Fructus magnus Peponum non diſſimilis.

1. *Anguria Citrullus dicta* C. B. *Citrullus folio Colocynthidis ſecto, ſemine nigro, Quibuſdam Anguria* J. B. *Citrullus Officinarum* Ger. *Anguria ſive Citrullus vulgatior* Park. **Citruls.**

J. B.

Spargit per terram *ſarmenta* fragilia, hirſuta, *foliis* veſtita amplis, in profundas lacinias diſſectis, aſperis & hirtis, è quorum ſinu exeunt capreoli, necnon pediculi, *flores* ſuſtinentes luteos, quos *fructus* excipiunt magni & rotundi, quos ferè ambabus manibus ambias: Cortex duriuſculus ſed lævis, nullis tuberculis inæqualis, atroviridior, dilutiſſimè virentibus maculis perfuſus: caro Cucumeris vulgaris, alba, firma, grati ſaporis: *Semen* fungoſâ meditullium occupante ſubſtantiâ immergitur, oblongum, latum, compreſſum, nigrum, rugoſum, duriuſculo cortice præditum, ſub quo medulla alba, eſui grata ut Cucurbitarum.

Corticis colore variat, qui aliis viret, aliis ſubcandidis maculis aſperſus eſt: Caro aliis rubens & dulcior, aliis candida: Semina colore nigro, rubro, fulvo.

2. *Melo aquaticus*, Jace *Braſilienſibus* Marggr. *Citrullo affinis Melo Indicus ſive Patheca* J.B. *Melo Indicus fructu oblongo* C. B. **The Water-Melon.**

Marggr.

Caulem habet ſarmentoſum, hirſutum, humi ſerpentem, & multis capreolis vicinis adminiculis ſe affigentem. *Folia* profundè laciniata & inciſa, longa, ſtriata, Anguriæ Matthioli ferè ſimilia, quodlibet inſidet pediculo ſeſquidigitum ferè longo, & caule humo affixa erecta ſtant folia. *Flos* parvus, flavus, pentapetalos, umbilico flavo. Fructus rotundus ſeu globoſus, vel etiam ellipticus, cortice viridi, magnitudine capitis humani, aut paulò major vel minor, carnem habens albam & in medio rubram (nimirum ubi ſemina jacent) ſeu ſanguineam, ſucculentiſſimam, boni ſaporis: tantam autem copiam aquæ dulcis frigidæ, ut inter edendum tanquam è poculo hauriri poſſit. *Semina* continet multa cucurbitarum magnitudine & figurâ [imò Peponum non cucurbitarum figurâ, niſi latè Cucurbitæ nomen ſumat pro Pepone] in quibuſdam coracini, in aliis ruffi coloris, quæ inter frigida majora uſurpantur.

Amat ſolum ſterile & arenoſum, ſed ſi arenâ fimo mixta teratur feliciſſimè provenit & fructus fert ingentis molis. *Locus.*

Fructus hi ſunt quos in plateis urbium Italicarum venales circumferunt æſtivo tempore, *Cucumere & Freddo* proclamantes. Pulpâ rubente circa ſemina & ſeminibus eidem immixtis pleni ſunt, nullâ in medio fungoſâ ſubſtantiâ aut cavitate reliquâ.

Quære an Melones aquatici edules Virginiani *Ger. emac.* à D. Goodyero deſcripti, ſuperius traditi caulibus ſarmentoſis latè diffuſis, foliis, floribus, claviculis Peponi vulgari ſimilibus & æqualibus, verùm fructu Pomum grandiuſculum magnitudine non excedente, pulpam & ſemina compreſſa Peponis

Peponis similia continente, huic iidem sint, fructu ob climatis nostri frigiditatem in magnitudinem non proficiente.

Vires. Anguriæ fructus, (inquit Matthiolus) frigidus est & humidus, siti arcendæ aptissimus. Quo fit ut Itali, ardente Sirio, ejus pulpâ internâ se refocillent. Confert ardentibus febribus & linguæ ariditati quàm maximè. [Species illa quâ Itali æstivo tempore utuntur, cujúsq; esum etiam febricitantibus permittunt, est Melo aquaticus dicta: Qu. an hæc, an diversa species sit quam in Ægypto in tantam excrescere magnitudinem aiunt ut unus requirat unum hominem. Ad quas certis Cayri locis sedet venditor, qui prætereuntibus ex cochleari præbet succum.]

Anguriæ usus illis convenit qui tenuis & imbecillis sunt temperamenti, macri & exangues; quibus acidæ potiones non conveniunt quæ maciem magis augent.

Semen Citrulli est è numero quatuor frigidorum majorum, cum quibus temperamento & viribus omnino convenit, ut eadem repetere non sit opus.

Citrulo vel Meloni Indico accedens Camolanga, *J. B.* adeò breviter & obscurè describitur ab iis qui de illo scripserunt, ut nihil certi & distincti quo innotescat indè colligere possimus.

3. *Anguria carne lignosa* C. B. Park.

Cæs.

Carne est intus lignosa, atque adeò dura ut pilæ modo resiliat, nec frangatur projecta.

4. *Anguria Ægyptiaca* C. B. Park. *cujus superiùs meminimus.*

Fructus hi nostratibus Anguriis majores sunt: Inveniuntur tantæ magnitudinis, autore Bellonio, ut tres quatuórve Camelo, unus homini onerando sufficiat, cortice flaviore, quæ intus semina tantùm & aquam dulcissimam continent. *Alpin.*

5. Meminit insuper Parkinsonus noster alterius speciei, quam Anguriam Americanam versicolore pelle vocat, quæ à Citrullo vulgari differt colore viridi maculis & lituris albis variegato; pulpa seu carne interna nonnihil firmiore & durabiliore; semine deniq; longiore majore, rubicundiore, læviore & splendidiore.

CAP. V.

De Melone.

HOc genus (inquit C. Bauhinus) Palladius Melones quasi μήλωνας, i. e. pomeos à Malorum figurâ appellavit, vel fortè ab odore.

Semine albo, angusto, oblongo nuclei pinei æmulo cum Cucumere convenit; fructu majore non spinoso, moschum redolente, carne delicata ab eodem differt.

1. *Melo* Ger. J. B. Park. *vulgaris* C. B. The Musk-melon.

J. B.

Sarmentosis asperisque & longis caulibus per terram se spargit: *foliis* asperis, angulosis sed minùs quàm Cucumerum, quorum respectu rotunda dici possent, quibus magnitudine videntur cedere: è quorum sinu *flores* emicant lutei, Cucumerinis similes, floribus Pomorum Amoris pares [imò majores] indidem plures, unà cum intortis capreolis; quos excipiunt *fructus* nonnihil pilosi, omnes ventriosi, modo sublongam, aliàs contractiorem rotundam figuram obtinent, majores & minores, torosi & canaliculati, in superficie aliquas velut à tineis corrosas semitas reticulatas habentes, colore virente & cinereo, cortice duriore quàm Cucumeris. Caro subest per maturitatem coloris Melini, mucilaginosa, humida, defluens ubi nimiùm matura, sapore suavi, moschum subinde redolens, aut saccharum resipiens. Meditullium occupat mucilaginosa quædam substantia, cui immerguntur semina, Strobilis quodammodo similia, minora, candida, sapida, numerosa.

Multiplex in fructu est differentia, non tantùm colore cutis, carnis, saporéque & odore, verum etiam formâ oblongâ, sessili, &c.

2. *Melo Hispanicus* Ger. J. B. *magnitudine sola à præcedente differt.*

3. *Melo rotundus parvus* C. B. *moschatellinus rotundus parvus & pyriformis* J. B. *Melo saccharinus* Ger. *Colocynthidem aut Arantiam vix superat, odore Moschi, sapore delicatissimo.*

Meminit J. Bauhinus præterea *Melonis reticulati*; *Melonis turbinati*; *Melonis magni cortice virente lævi, semine parvo*; & tandem *Melonis longi*, longitudinis circiter quatuor palmorum, incurvi ut cornu vaccinum, &c. quarum descriptiones qui desiderat, ejus historiam adeat.

4. *Melones Abdelavi Ægyptii* J. B. *Melo Ægyptius* C. B. *item Melo Ægypt.* ejusdem.

Alpin.

Planta à nostratibus non multum differt, sed fructus fert oblongos, acutos extrema & medium valdè crassum habentes, Baobab alibi narratis fructibus proximos.

Horum usus ad cibum haud multùm jucundus percipitur, cæterisque omnibus insipidiores & molliori pulpâ observantur. Habent tamen semina quæ aliis omnibus ad refrigerandum magis præstare putant. Qua de re omnes ea plus aliis in usu frequentiori habent; aliorum Melonum semina parvi facientes.

Veslingius fructum quâ parte ramo suo adhæret anguino flexu priùs incurvari scribit, sensim deinde ventre gravido intumescentem, versus alterum extremorum denuo gracilescere: Sulcis tenuibus interdum in longitudinem exaratum esse, cortice molli tenui, maturóque jam fructu rufescente; non eâ saporis gratiâ ut lautiorum aliquis ipsum mensâ dignetur.

Usus in cibis & Medicina.

Melones quamvis in deliciis habentur apud gulæ proceres, eorum tamen pulpa frigida est & humida, in ventriculo putrescere apta, febribus ac torminibus generandis idonea. Ego facile Dodonæo concesserim Melones difficiliùs concoqui quàm Cucumeres, quantumvis J. Bauhino contrarium videatur, ob carnem odoratam; quódque ipse qui ventriculo laboravit frigido & pituitam coacervante, non semel observaverit, cucumeres sibi facilè nocere, ventriculo difficulter eos concoquente, ructu diu post esum eosdem resipiente; cùm Melones semper sine manifesta comederit noxa. At nos è contra nullum unquam ex esu Cucumerum nocumentum sensimus, at ex Melonum maximum non semel. Quocirca hæc fortasse idiosyncrasiæ tribuenda sunt. Ne Melonum caro in ventriculo vitietur & noxam inferat, cum Sale & Pipere comedenda est (Alii Saccharo solo utuntur) & vinum copiosè superbibendum.

Semen est è numero quatuor frigid. maj. cum quibus viribus in omnibus convenit. Lac Melonum præstantissimum in febribus ardentibus remedium censetur. Seminum autem medullam aquâ fontanâ aut alio aliquo liquore congruo priùs contusam per cribrum setaceum emulgent angustissimum, aut pannum ad institutum accommodatum. Seminis hic cremor febrientibus utiliter, teste Matthiolo, ex hordeacea ptisana propinatur. Datur etiam tussientibus, tabidis & marasmo affectis, atque etiam contra urinæ ardores valdè prodest.

Cap. VI.

De Cucumere.

CUcumis vocem nonnulli à curvatura deducunt, unde Maro

—— tortúsque per herbam
Cresceret in ventrem Cucumis.

Sed veriùs Scaliger à Κικυὸς, quæ vetus Græcorum vox est. Κικυὸς autem inquit Vossius, suspicor esse ab Hebræo קיקא i. e. Cucumis.

Notæ Cucumeris sunt Fructus tuberculis spinosis bullati, semina pulpâ humidâ copiosâ, gelatinæ æmulâ contenta.

Fructum hunc non fuisse Cucumerem Antiquorum, verùm iis incognitum multis argumentis probat Casp. Hofmannus. Vide *Medicam. Offic.* lib. 2. cap. 76.

Ego certè, cùm in Italia peregrinarer, miratus sum Italos hunc fructum Citrullum appellare, Melones autem aquaticos & Pepones, Cucumeres.

Σίκυος nomen apud Græcos, quemadmodum Cucumeris apud Latinos generale nomen est omnium horariorum fructuum, videlicet Peponum, Melonum, Cucumerum, Anguriarum & cæterorum ejusdem generis, ut Guilandinus quoque notavit. C. B.

1. *Cucumis vulgaris* Ger. *sativus* Park. *sat. vulgaris* C. B. *vulgaris, viridis & albus* J. B. **Cowcumber.**

J. B.

Ex *radicibus* rectis multísque candidis capillamentis fibratis; hirtis *sarmentis*, crassisq; humi fusis alternatim adnascuntur *folia*, palmi unius aut alterius quaquaversum amplitudine, tactu aspera, angulis hederaceis cæsa, & serrata, scandentia, Melonum foliis asperiora, & majora latioráq; [& magis angulosa] è quorum alis capreoli exeunt & flores, Lob. liliacei, ex luteo pallentes, conniventésque noctu aut marcescentes Volubilis ritu, quinquepartiti, semunciâ majores. *Fructus* oblongi, utrinq; turbinati, viridanti colore aut albo. (Viridantes autem ubi maturi flavescunt) semipedem longi, parùm ventricosi, angulosi; verrucosis, subnigricantibus tuberculis asperati, cortice teneriore, carne duriuscula, candida, transparente, laxa, sapore non ità grato ac Melonum, sed peculiari quodam & agresti *Trag. semine* copioso, pineolis putamine exutis accedente, Melonum seminibus adeo simili (teste Lobelio) ut neutiquam, nisi quia angustius, [*non omnibus Melonibus*] & pusillo apiculo subtus protenso donatum est, discrepet, medullâ lactescente, admodum suavi, & multi usûs Officinis.

Carnem

Carnem hic vocat pulpam illam interiorem ſeminibus intermixtam, cùm caro potiùs dicenda ſit ſubſtantia illa alba, craſſior & firmior cuti proximè ſubjecta, ut in aliis Pomiferis: hanc autem ſubſtantiam totam (ut videtur) pro cortice habet.

Cucumis minor pyriformis *Ger. C. B. J. B.* à vulgari deſcripta non alia in re quàm fructûs parvitate & figurâ differt.

2. *Cucumis flexuoſus* C. B. *anguinus* Ger. *longiſſimus* J. B. *anguinus flexuoſus* Park.

J. B.

Cucumis flexuoſus, autore Lobelio, ſive anguinus prorſus ſimillimus eſt vulgari, flagellis, foliis & claviculis. Nos autem obſervavimus ei *folia* eſſe minùs aſpera quàm in vulgari, quædam etiam ſubrotunda, parùm laciniata & anguloſa, alia magis. *Fructus* longi, inſtar ſerpentis ſe contorquentes, albi, quaſi canaliculati & ſtriati, pulpâ albâ, ſapore vulgaris *ſemine* albo.

Ego (inquit J Bauhinus) noſtros hos longiſſimos Cucumeres ſpecie à vulgaribus differre aſſerere non vereor, & tales naturâ non arte eſſe, quicquid dicat Matthiolus, cui ut in pleriſque aliis ſuis credimus. Vidi (inquit) Citrulos noſtros adhuc florentes in fiſtulas conjectos mira longitudine creviſſe. E quorum ſemine qui poſtmodum orti ſunt eandem retinuerunt formam, adeò ut in vite pendentes anguium modo contorti viderentur. Hæc ex Plinio habuit: qui tamen hos ſpeciem ſuam ſemine ſato ſervare non aſſerit. Matthiolo tamen ſuffragatur Dodonæus.

Vires. Semen Cucumeris eſt è numero quatuor illorum famoſ. ſeminum frig. maj. Abſtergit, aperit, urinam ducit. Uſus creberrimi eſt in emulſionibus antipleuriticis, antinephriticis & ſimil. *Schrod.* Ejus farina cutim ſplendidam reddere dicitur.

Ipſa Cucumerum ſubſtantia frigida eſt & humida, ſucci excrementitii, adeóq; nonniſi robuſtioribus ventriculis edenda. *Idem.* At nos quamvis ventriculo non admodum robuſto ſumus, ut qui vitam ſedentariam agimus, per multos annos Cucumeres copioſè ingeſſimus, quandiu tempeſtivi fuerunt, & eſui idonei, nec tamen ullam vel leviſſimam noxam aut incommodum inde ſenſimus, quamvis jam ferè ſexagenarii ſumus: quin & cùm Florentiæ in Italia febri laboraremus, præſcribente *D. Kirtono* Medico Anglico ibidem degente, pulpam Cucumerum juſculis noſtris incoctam non ſine inſigni ſolatio & levamine comedimus.

Verùm crudi cùm comeduntur, in orbiculos tenues conciſos & ſale aſperſos duplici paropſide exceptos eouſq; agitare convenit; donec humor aqueus copioſus eliciatur & extillet, quo effuſo, aceto, oleo & pipere condiendi ſunt, quomodo & palato & ventriculo gratiſſimi evadunt, & certè non inſalubres.

Parvi aceto, ſale, pipere & Anetho quotannis condiuntur; inſeruntur etiam quandoq; Caryophylli, & per totum annum conſervantur. Mirè præter cæteras vires, appetentiam excitando, æſtuanti ventriculo conferunt. *J. B.* Hos Germani Gurckens vocant, quod nomen & nos Angli ab iiſdem mutuati ſumus. Vox *Gurckens* diminutivum videtur ab Anguria per aphæreſin rejecta prima ſyllaba *An*, & addita diminutiva *kin* facta.

3. *Cucumis ſativus major* C. B. *Hiſpanicus* Park. parad. *ex Hiſpanico ſemine natus* Ger.

* 4. *Cucumis Ægyptius, Chate* J. B. *Cucumis Ægypt. rotundifolius* C. B.

Alpin.

Folia habet minora, albiora, molliora ac rotundiora quàm noſtrates: fructus admodum differentes, longiores, viridiores, cortice plano, molli, æquali, ſapore dulciori.

Vires. Horum uſum corporibus in cibo, ipſis tum crudis tum coctis veſcentibus ſalubrem eſſe apud omnes Ægyptios creditur: Sunt enim concoctu faciliores. Medici aliqui ibi nonnullis febricitantibus crudos etiam mandendos concedunt, præſertimque peſte affectis, quibus Cucumeres hos crudos eſitatos ſummè conducere omnibus (quâ ratione neſcit Alpinus autor) perſuaſum ſit. Coctos in ardentibus febribus utiles eſſe ratione confirmatur, quando refrigerent atque humectent. In renum & veſicæ calidis morbis cum lacte coctos Cucumeres multis diebus non ſine multa utilitate in cibo ſumuntur. Lac etiam ipſorum ſeminum pro iiſdem malis per os ſumere ſæpe ſolent. Ad oculorum verò aliarúmq; partium calidas inflammationes pulpâ contuſâ Cucumerum, lacti mixtâ utuntur: Et ad ſedandos podagricos dolores à cauſa calida concitatos ſuccum lacte oleóq; roſaceo mixtum partes liniendo adhibent. Stillatitiam aquam ad libram, ad jecoris caliditatem corrigendam, & ad ſanandos renes inflammatos, tum à calculis vexatos multis diebus ægros bibere conſulunt, quibus ipſam ſatis iis conferre experientiâ compertum eſt. Sunt aliqui qui ad eadem hæc mala aquâ ſtillatitiâ lacti eorundem Cucumerum ſeminum miſtâ uti ſolent.

* 5. *Cucumis ſylveſtris Braſiliana* Marggr.

Marggr.

Sarmentoſo caule ſerpit ſuper terram, in longis pediculis *folia* habens ſingulatim poſita, quodlibet in tres lacinias ſectum, ac in ambitu dentatum atque hirſutum. *Flos* flavus: *Fructus* ovi gallinæ magnitudine, ellipticæ figuræ, tuberculis admodum acutis, maturus eſt pallidus: Intus Cucumeris modo *ſemina* alba tranſverſim ſita multa. Edulis eſt.

CAP.

Cap. VII.

De Balsamina.

Balsamina dicitur quod ex pomis ipsius immaturis, oleo injectis insolatione oleum seu Balsamum, ut Chirurgi vocant, ad vulnera consolidanda præstantissimum conficiatur. *C. B.*

Balsamina rotundifolia repens seu mas C. B. *Balsamina cucumeraria* J. B. *Balsamina mas* Ger. Park. *Cucumis puniceus* Cord. hist. **The male Balsam Apple.**

J. B.

Ex *radice* parva, fibrata, semestri pronascuntur viticulæ unius aut duorum cubitorum, tenues, striatæ, angulosæ, quæ clavicularum ope, quas ad singula folia emittit, perticis se circumvolvit. *Folia* Bryoniæ vel potiùs Vitis foliis similia, minora, concinniùs divisa, hilari virore nitent, penitus glabra, pediculo unciam aut sescunciam circiter longo, amarore quodam & acrimonia levi prædita. E foliorum alis *flores* prodeunt, ex quinque foliolis acuminatis compositi, colore ex albido lutei, *staminibus* etiam luteis, quos excipiunt *fructus* sublongi, qui maturi rubent; vel (ut ait Lobelius) superficie, carnéque nitentis purpuræ phœniceæ, turbinati, Cucumeris formâ, eodémq; modo tuberculis horridis bullati: *Semine* Citruli vulgò dicti, copioso, fusco, longiore quàm latiore, modicè acuminato, compressóque & aspero.

Locus natalis non traditur, nec enim nisi sata provenit; meliùs & feliciùs in Italia calidisque regionibus proficit quàm in Germania aut Anglia, ubi Augusto plerumque floret, & nunquam aut raro & tardè fructus maturescit.

Vires. Vulnera recentia conglutinare folia imposita feruntur, cum vino verò assumpta, coli intestinorúmque dolores sopire, & ruptis convulsisque utiliter exhiberi. Oleum in quo fructus exempto semine, vel insolatus, vel in calentis aquæ balneo decoctus, vel in fimo equino maceratus, vulnerum inflammationes arcet: eadem & facile ac citò unit ac persanat. Doloribus ac ulceribus mammillarum auxiliatur; uteri exulcerationes ac inflammationes injectum curare posse existimatur; punctis ac vulneratis nervis utiliter adhibetur: adversùs combustionem ex aqua oleóve fervente ferro ignito vel igne multum confert: cicatrices extenuat, ramices quoque hujus inunctione sanescunt, si foliorum pulvis aliquot diebus interea exhibeatur. Steriles quoque hoc fœcundas reddi affirmatur, si post balnei convenientis usum, partes circa pubem ac uterum isto inungantur, ac demum viro mulier misceatur. Ego verò (inquit J. Bauhinus) de ea peculiarem experientiam nullam habeo. Poterunt itaque alii, si lubet, earundem virium facere periculum. Addit Tragus ex Hermolao; oleum ex ejus seminibus exprimi ad vulnera præcipuum.

Cap. VIII.

Herbæ Pomiferæ capreolis carentes.

De Cucumere sylvestri sive Asinino.

Cucumis sylvestris sive asininus J. B. *syl. asininus dictus* C. B. *agrestis sive asininus* Park. *asininus* Ger. **Wild Cucumber.**

J. B.

Melonis folium quodammodo refert, verùm minus dissectum est non ità angulosum, in acumen productum: mollius quàm Cucumeres vulgares, iis etiam magis incanum, præsertim parte inferna, vel cineritium, crassius & asperius, longis & hirtis pediculis appensum, ex flagellis ramosorum caulium teretibus striatis & hispidis enatum. *Flores* sativi floribus multis numeris minores sunt, pentapetali, calathi formâ, colore ex albido herbaceo, tantillum in dilutiorem flavedinem declinante, saturatiùs tinctis *apicibus* medium occupantibus. *Fructus* majorem glandem Cerri æquat, cui & formâ olivari respondet, superficie spinulis crebris brevibus horrente, qui maturus levissimo attactu virosum succum cum lubrico semine violenter ejaculatur. *Semen* maturum pullo est colore, vel ex cinereo nigricans, Colocynthidis non dissimile sed minus. *Radix* longa, crassa, alba, paucis adnatis donata, in plures annos vivax.

Locus. In locis ruderatis & viarum marginibus aliisque incultis locis in Italia, Sicilia & Gallia Narbonensi frequentissimum observavimus. Circa Autumnum fructus maturantur.

Vires & Usus. Hujus succus expressus & inspissatus Elaterium dicitur, cujus parandi modum ex medulla seminis candida, plurima, (quæ minùs quàm fructus ingrata est, quæque præsertim sole exsiccata flammis admota tota urendo deflagrat) & pauca ei hærente mucagine medullosa à vulgari diversum tradit Lobelius.

Hujusmodi Elaterium è semine se neque vidisse unquam neque audivisse apud nos factum ait Parkinsonus, quamvis ipse pharmacopœus fuerit. Se verò tum viride tum album Elaterium à Dioscoride & Mesue memorata fecisse affirmat. Nam quod è pulpa seu substantia fructus quanvis leviter pressa & per cribrum adacta, viride erit, & per multos annos humida manebit, postquam primitus humore evaporato exsiccatum fuerit, ex aëre sci. humorem contrahens & mollescens; ut ad humiditatem

ditatem ejus absumendam multi etiam anni requirantur: Quod vero ex liquore albicante & seroso, è fructu dissecto sponte sua extillante, absque ulla pressura fit, per siccitatem albescit, quin & alba, dura siccáque manebit, nisi vel aeri humido exponatur, vel in loco humido ut mollescat aperta relinquatur. Viride autem Elaterium minorum virium est, minúsque violenter sursum deorsúmve purgat quàm album. Hujus enim vel granum unum liquore aliquo solutum in corpore teneriore potenter operatur; imò nôsse se ait dimidium granum medicamento cuidam cathartico inditum ad illud acuendum, ventriculum conturbâsse mirum in modum, & vomitus crebros excitâsse, & postea per sedem violentiùs purgâsse, quàm granum integrum seorsim exhibitum credi possit.

Purgat pituitam serosósque humores vomitu & dejectione, atque ideò è juncturis mirificè trahit. *Sylvius.*

Movet menses, foetúmque interimit, unde rarus ejus usus, præcipuè cùm nec malignitate careat. *Schrod.*

Omnium succorum hic maximè durabilis est, adeò ut ultra centum annos efficax manere credatur. *Theophr.* Erat Empiricus qui pil.ij. Ciceris magnitudine ex farina triticea & succo Cucum. Asin. efformatas Hydropicis exhibebat, unde copiosa purgatio aquarum sequebatur. Mox lotione crurum ex dec. Caulium instituta materiam deorsum traxit, iterúmq; pilulas dedit, & plurimos perfectè restituit. D. Soame ex Observationibus Hieron. Reusneri à Velschio editis.

CAP. IX.

De Cucurbita clypeiformi.

1. *Cucurbita clypeiformis sive Siciliana Melapepon latus à nonnullis vocata* J. B. *Cucurbita clypeiformis sive laciniata* Park. *Melopepo clypeiformis* C. B. *Pepo maximus clypeatus* Ger. **The Buckler or Simnel-Gourd.**

J. B.

CUcurbita hæc erecta provenit, absque capreolis. *Folia* profert Cucurbitis folio aspero non multùm dissimilia. *Fructus* fungum repræsentans tenero est exteriore cortice; carne luteolâ, firmâ, saporis aliarum Cucurbitarum, *semine* pænè circinato: palmam manûs ferè implet, [imo longè majorem vidimus] labra reflectuntur & crispantur.

Parkinsonus caulem crassum, angulosum, asperum, intus concavum, altitudine tripedali ei attribuit: folia viridiora, magísque laciniata quàm aliis Cucurbitis.

2. *Cucurbita clypeiformis cortice molli, & ramosa* J. B. *An Pepo latus* Dod.

Hic fructus saturæ flavedinis latam, planámque ferè circa petiolum viridem, asperam, angulosámque superficiem gerit, unciam circiter latam: mollem corticem habet, raris sulcis exaratum, extremam circumferentiam multis quasi lobis mollioribus, rotundioribus, sibi invicem succedentibus exornatam obtinet, supremam partem dimidiæ sphæræ, depressæ tamen undique minúsque convexæ similem exhibet, ínque medio sui foveolam aliquam, decidui floris latiorem asperiorémque sedem spectandam offert. Cortex corrugatur successu temporis.

Hæc species non surrecta est aut sponte sustinens, sed procumbens & latè se spargens, an capreolos habuerit observare neglexit J. Bauhinus.

Alias præter prædictas Cucurbitæ clypeatæ species seu varietates, aut plantas pomiferas ad eam accedentes exhibet & describit J. Bauhinus, quorum tituli sunt,

1. Cucurbitæ clypeatæ affinis, sive Sicilianæ genus parvum, utrinque obtusum, quibusdam Melopepo rotundus *J. B.* Capreolis non caret.
2. Cucurbitæ genus, sive Melopepo compressus alter Lobelio. Melopepo compressus *C. B.*
3. Cucurbita aspera, cortice molli, alba, magnitudine Arantii. Pepo rotundus Aurantii formâ *C. B.*
4. Cucurbita clypeiformis tuberosa & verrucosa.
5. Cucurbita lata, clypeiformi accedens, minùs tuberosa.
6. Cucurbitæ clypeatæ affinis, ovalis, angulosa, ad Citrum nonnihil accedens.
7. Cucurbitæ clypeatæ affinis, à pediculo in conum desinens.
8. Cucurbitæ clypeatæ affines, utrinque aliquo modo turbinatæ.

His admiscet Cucurbitas aliquot Indicas, quas an rectè disponat dubitat. Nonnullæ ex iis aliò pertinent.

Usus. Latorum & clypeiformium Peponum, Autore Dodonæo, caro durior est, qui & idcirco diutius quàm reliqui incorrupti servari queunt. Eduntur autem hi non modò elixi, sed & in pingui aliquo fricti. Descendunt verò & per alvum haud segniter; alimentum verò adferunt quale aliorum.

CAP.

Cap. X.

De Granadilla seu Murucuia & Maracoc & Flore passionis dicta.

GRanadilla Hispanis dicitur hæc planta à similitudine fructûs cum Malo Punico seu Granato. Murucuia & Maracoc sunt voces Americanæ, hæc Virginiana, illa Brasiliensis, quibus hæc planta indigenis innotescit, quarum significationem nescimus. Flos passionis cur dicta sit te docebit Jo. Baptista Ferrarius, nimirum, inquit, quòd Divini Amoris manu vitalibus inscriptus doloribus sit, qui de similitudine partium floris cum corona spinea, clavis, flagello reliquisque quibus cæsus, tortus, vulneratus & cruci affixus est Dominus Christus fusè rhetoricatur.

1. *Granadilla Hispanis, Flos passionis Italis* Col. not. in Rech. *Maracoc sive Clematis Virginiana* Park. *Murucuia* 3. *Maliformis alia* Marggr. *Clematis trifolia flore roseo clavato* C. B.

Col.

Radice nititur vivace, repente, geniculata, fibrosa, fractu facili, colore ex pallido albicante, sapore subdulci, recentem Fabam imitatâ. *Sarmenta* emittit multa, tenuia, prælonga, ex viridi rubentia, quæq; terram tangentia facilè se propagant, è geniculis sive alis foliorum fibris demissis; capreolis è foliorum sinubus egressis arbores aliave fulcra proxima arripiens & scandens. *Folia* trifida, lanceam imitata aut Lupuli folia, mediâ laciniâ productiore, quatuor aut sex uncias longa, latitudine ferè pari, minutum serrata, lævia, nervosa & aliquantulum venosa, diluto colore virentia, & circa petiolum binas quasdam extuberantias habentia magis virentes, & Milii magnitudine, odore gravi, Xyridis, & acri parùm sapore, alternis disposita, ternósque inter se digitos dissita. *Flores* ex singulis foliorum alis quotidie totâ Æstate ad Autumnum usque emicant, odore jucundo Mellis vel Hyacinthi: effigie primùm antequam pandantur Nigellæ fructus folioso virenti calyce imitantes, oblongi, angusti, longo petiolo, ferè trigono, insidentes, in quinque apices desinentes, totidemque folia non rostrata claudentes: quibus deinde dehiscentibus candida intus & cava foliola conspiciuntur. His insident rotæ densarum fimbriarum, fili crassitudine, duplici ordine dissectæ, purpureis maculis suffusæ, quarum superiores rectis filamentis, brevioribus parùm expanduntur; inferiores verò rotæ longioribus, illisque in extremo aduncis uno cursu, quia ob majorem illorum longitudinem cavis calycibus foliorum comprimebantur. Ambas quinquaginta aut sexaginta circiter filamentis dissectas observavimus in novella planta. Ex harum & internarum aliarum brevissimarum umbilico *stylus* sive colus, effigie columnæ cum basi vel imo torulo, longitudine ferè unciali, assurgit, erectus, rotundus, lævis, dilutè virens, globulum parùm oblongum pro capitulo eodem colore sustinens; hic verò parte ima quâ hæret columnæ luteis quinque lamellis pendulis, circumdispositis coronatur; ex obliquis crassiusculis ramosis petiolis, parum incurvis, rigidis, dependentibus, radiatum diadema rotundum æmulantibus: ex globulo verò summo tres capitati clavi, erecti, oblongi assurgunt, ex viridi albicantes, trigono positu inter se distantes in summo, & parum contorti, literam S oblongam imitantes, capitibus crassis, saturiore colore distinctis, & supernâ parte leni incisurâ divisis, ut bifida capita videantur, quanquam eorum ambitus sit rotundus & veluti quinquepartitus. Manè se explicant flores, tota die hiantes manent, noctu clauduntur, nec ampliùs aperiuntur, sed flaccescunt & decidunt. *Fructum* gerunt extuberantem Mali Appii magnitudine, rotundum, colore cinereo, tribus distinctum cellulis, quæ etiam in integro fructu observantur ob levem quandam extuberantiam, & trianguli effigiem in summo circa apicem. Acinos intus continet, obliquè dispositos, centrum petentes, similes quodammodo illis Mali Punici vulgò *Granato* dicti, duplo majores, basi cavâ qua petiolo hærent, in acutum desinentes, minimè anguloso & lato capite, ut in Punico sunt, candicantes, diaphani & molliores, semine intus Mali forma & nigro, quod intra carnem acinorum diaphanam succosam & mollem apparet effigie quadam cordis æmulâ & exceptum ab illa, cavis punctis impressis asperum cernitur, medullam habens candidam & ferè insipidam. Exsiccato fructu *semina* intus, ut in Cucurbita, si agitetur crepitant: Inveniuntur etiam dissecto fructu *semina* adhuc nigra, carne illâ obducta, exucta, viscosa, nigricante dulcique sapore velut Cassiæ fistulæ, & alia detecta & soluta, ex flavo candicantia, asperiora, osseo veluti cortice, Persici mali ossibus data proportione similia. Fructus hujus cortex est veluti coriaceus, ut Colocynthidis, intùs cartilagineus, candicans, odore suavissimo & gratissimo sed remisso. Acinorum recentium sapor in maturo fructu ex dulci ad acidulum vergit, admodum gratus, & jucundo odore palatum feriente inter Fragum & Melopeponem. Aiunt multùm comesum alvum lenire & subducere potiùs quàm gravare. Fructus in hac planta non ex imo flore, at neque ex columna sive stylo floris, qui torulo distinctus apparet & striatus more columnarum Ionicarum; sed ex globulo illo superno, clavos proferente perficitur.

Granadilla dicta fuit hæc planta ab Hispanis à similitudine quadam cum fructu Mali Punici cùm internâ tum externâ, nisi quòd minor sit & careat summâ illâ coronâ.

Marggravius & Parkinsonus hujus plantæ florem & fructus paullo aliter describunt colorum respectu, qui fortasse in aliis & aliis plantis variant ratione cœli, aut soli, aut utriusque.

* 2. *Murucuia guacu* Marggr. *seu fructu pyriformi.*

Marggr.

Caulis contortus, quadratus, varius, coloris cinerascentis seu grysei, pollicem crassus, seu etiam vitis & brachii crassitie, longè serpit, atque etiam arboribus & fruticibus se implicat. *Folia* habet lætè viridia, lævia & splendida, quinque aut sex digitos longa, non serrata, inæqualis figuræ, quæ-

dam enim sunt simplicia, quædam in duas, quædam in tres partes sive lacinias inæquales secta: adhærent autem cauli pediculis suis subruffis, & nervus tendit per longitudinem laciniarum, transversim autem multæ venulæ intertexuntur. *Florem* fert insignem, magnitudine Rosæ majoris plenæ, exteriùs foliis quinque dilutè purpureis supernè & infernè, & quinque viridibus inferiùs, superius rubris alternatim positis. Supra hæc folia in orbem expanduntur filamenta insignia, sesquidigitum longa, crispa, medietate interiore totâ purpurea, exteriore rubro seu purpureo & albo variegata: in centro floris extat columna ex flavo albicans, teres & quasi tornata, lata unum digitum, cui superiùs apex ovalis figuræ, magnitudine seminis pyri impositus, & huic item clavi extremis suis cuspidibus infixi in uno puncto: infra ovalem autem figuram à fastigio columnæ quinque brachia extenduntur, ad latera, quorum quodlibet continet spongiforme corpusculum, flavo pulvere aspersum, ut in Lilio.

Fructus pyriformis est, initio viridis, maturus flavescentis ex viridi coloris, intus tribus lineis in tres partes dividitur secundùm longitudinem, inter quas lineas multi processus, quibus *semen* cum pulpa fructûs per tenues cuticulas annectitur. Pulpa alba succulenta, glabra, instar rudimenti avis in ovo, cui inhærent in quolibet fructu semina 260. vel plura, nigra, splendida, compressa, quorum quodlibet suo folliculo includitur. Odor & sapor fructûs dulcis & suavis. Cortex crassior est quàm Mali Aurantii.

Usus. Quando comeditur scinditur transversim (non secundùm longitudinem) & pulpa paullùm separatur à cortice, adhærens illis processibus, ac dein unà cum seminibus sorbendo instar ovi tremuli exhauritur.

Quando autem animus est semen colligere & servare, pulpa cùm seminibus per linteolum leniter exprimenda, & ità à granis separanda, granáque deinde suis folliculis adhuc inclusa triduo aut quatriduo chartæ imponenda, ut ex parte siccentur, postea summis digitis cuique grano folliculus detrahendus: aliàs ità glabra sunt ut comprehendi nequeant, nec inter edendum ore separari.

* 3. *Murucuia 2. seu maliformis* Marggrav.

Caulis & huic sarmentosus & subruffus: *Folia* pediculis digitalibus nixa, in quinq; lacinias secta, quæ suos nervos & venas habent; Horum quædam interdum etiam laciniata, quædam non. Ad singulos pediculos foliorum provenit etiam pediculus continens *florem* Rosæ circumferentiâ duplum, quiq; inferiùs tria folia viridia obtinet, supra autem hæc, quinq; longiora, infernè viridescentia, supernè cœruleo-purpurea, & inter hæc alia quinq; in totum purpurea, deinde Solis uti pingitur figurâ radiatim multa filamenta crispata & in orbem explicata, exteriori medietate cœruleo-purpurea, interiore dilutè cœrulea, vel etiam è contrario; vel aliis modis, coloribus aut diversis aut transpositis varia, ut apud Marggravium cernere licet. In medio floris *columellam* habet brevissimam, pallidam, superiùs in quinq; partes dissectam quæ ad latera curvatæ extenduntur; cuique parti spongiæ-forme corpus, lutescens, pulverem luteum aspersum habens adhæret. In medio autem columellæ pisiformis orbiculus, ex flavo albicans, & huic tres clavi superiùs infixi, è flavo albi, & punctulis minimis purpureis variegati, & deorsùm inclinati ut brachia columnæ. *Flos* totus suavis odoris. Fructus æquat pomum nostras vulgare, rotundus, cortice crasso, flavi exteriùs coloris, constans pulpâ succulentâ, vinoso-acida; croceâ, & linguam tingente croceo colore, & in illa multa granula seminis nigri, magnitudine seminis pomi vulgaris, sed variis tuberculis insigniti, & folliculo inclusi. Commendabilis est fructus tam odore quàm sapore.

* 4. *Murucuia 4. seu Pyriformis altera* Marggravii.

Marggr.
Folia huic in pediculo sesquidigitum longo cordis bubuli figurâ, circiter quinque dig. longa, quatuor ferè lata ubi latissima, in ambitu non serrata, lætè virentia & splendentia. Folia, capreoli, florum pediculi eodem quo in aliis situ. Hi autem sesquidigitum longi tria folia continent sesquidigitum longa, in orbem instar floris disposita, viridia, & crasso modo serrata. Hisce foliis herbaceis insidet *flos* diametro plus quatuor digitorum, continens decem folia, quorum quinque supernè & infernè rubri coloris, quinque verò supernè rubri, infernè viridis coloris, ità alternatim posita. Supra hæc folia filamenta sesquidigitum longa in orbem stant erecta, (cùm in aliis speciebus incumbant) satis fortia & teretia, quorum inferior medietas è Lacca purpura & albo variegata est, superior seu extrema tota purpurea. In centro floris itidem columna erecta tornata, digitum alta, superius ovale corpus cum tribus clavis infixis, ex albo flavescentibus, infra quod quinque brachia rubra, punctulata, cæterùm flavescentia, extenduntur in orbem, quorum quodvis ellipticum corpus habet, referens spongiam, compressum, albicans, cui pulvis luteus adhæret. Floris odor suavis, fructus pyriformis.

Tempus. Murucuiæ omnes species utplurimum florere incipiunt mense Augusto & florent usque ad Januarium. Fructus maturus copiose mense Januario & Februario, Martio, Aprili invenitur. Maio & Junio folia amittunt, novis subnascentibus.

5. *Murucuiæ species foliis Hederæ scandentis* Marggr. *Clematis seu Flos passionalis flore viridi* Hort. Paris.

Marggr.
Caule tenui, in tria cornua diducta, superiùs serpit, & fruticibus se implicat. *Folia* Hederæ scandentis foliis figurâ similia, splendidè viridia, inferiùs rotundo, viridi, herbosa ex viridi canescentia. Quodlibet folium distat ab altero circiter $2\frac{1}{2}$ dig. suo petiolo insidens digitum longo, ex caule prodeunte, parvo foliolo dentato circundatum: & prope petiolum habet etiam capreolos rufescentes, quibus se annectit.

ctit. *Florem non describit.* Post florem provenit pomum ovale, magnitudine majoris Pruni, initio viride, cujus cortex haud ità crassus ut in cæteris speciebus, continens pulpam albicantem cum seminibus ut *Murucujaguacu*, lenticularis figuræ, magnitudine seminum Pomi, nigra, splendentia.

* 6. *Murucuia ete Brasiliensibus* Marggr.

Marggr.
Folia huic in totum dilutè viridia, in tria alia secta: & in pediculo cui [*flos*] insidet tria folia in ambitu serrata, viridia: *flos* ipse decem foliis constat, nimirum quinque exteriùs viridibus, interiùs albis, & inter hæc alia quinque alternatim posita, in totum alba. Ex medio floris prodeunt filamenta Solis figurâ, quæ ad medietatem interiorem purpuro-cœrulea, ad exteriorem alba sunt. In centro floris stamen in quinque brachia diductum, cœruleo punctatum, cum spongiæ-formi corpore, quod pulvere luteo aspersum. In Piliformis corporis medio tres clavi, infixi.

* 7. *Murucuia vesicaria lanuginosa odoris gravis* Marggr.

Marggr.
Longissimè serpit caule suo, & capreolis se firmat. *Caulis* autem teres, hirsutus, ruffus ac mollis: *folia* acuminata, cordis figurâ, ad tactum ut sericum mollia. *Florem* fert pataci magnitudine, decem foliis constantem, quinque inferiùs viridibus, superiùs albis, & quinque totaliter albis, alternatim positis: super his foliis multa filamenta alba in orbem expanduntur, ut in flore passionis, paulùm contorta & interiùs in orbem purpurata: in medio *columella* albicans, punctulata rubro, cui quinque spongiæ-formia corpuscula cum tribus clavis imposita, coloris ex viridi albicantis. Post flores sequitur folliculus turbinatus magnitudine dactyli, qui intus cavus semina continet. Odor totius plantæ fortior & penetrans ut Hyoscyami, sed cui dulcedinis aliquid admixtum deprehenditur. Planta manibus tractata odorem imprimit.

* 8. *Clematis seu Flos passionis Americana luteo flore* Hort. Par.

Foliis Hepatici Trifolii æmulis, floribus luteis à reliquis hujus generis distinguitur.

* 9. *Flos passionis campanulatus pentaphyllos* Monting.

* 10. *Flori passionis seu Granadillæ affinis Coanenepilli seu Contrayerva* Hernandez. *Ferrum equinum volubile* Montingii.

Hernand.
Herba est *folia* ferens Lunæ crescentis in modum aut solearum quibus calceantur jumenta, signata quoque clavis luteo colore: *caules* volubiles, teretes, exiles, ac ornatos per intervalla prænarratis foliis; item capreolos & *flores* multicolores, Vetonicæ ferè formâ, sed longè minores; *radicem* verò prolixam & convolutam, minimum digitum crassam, fibratámque. Baccarum color è castaneo ad nigrum tendit.

Locus. Nascitur multis in locis agri Mexicani, sed præcipuè Xochitlani.

Vires. *Radicem* tusam atque devoratam ℥iij. pondere aiunt mederi spleni, restaurare motum impeditum; sedare dolores, appetentiam excitare, evocare urinam, calorem temperare, ventris dolorem lenire, semen retentum pellere, ac per somnos insomniáve à suis jam pæne sedibus divulsum, viperarum obsistere ictibus, venenatis potionibus, venenísque aliis vim omnem adimere, expurgatis statim per inferna, præservare etiam à meretricum veneficis insidiis, nocuísque cibariis qua die fuerit devorata, demum venenorum omnium perniciosam vim hebetare.

LIBRI DECIMI TERTII

PARS SECUNDA.

De Herbis Bacciferis.

BACCAS hoc in loco appello fructus herbarum quoscunque membrana tenuiore vestitos, pericarpio seu pulpa intus humida aut molli semina ambiente eisdémve intermixta. Ex his nonnulli satis grandes sunt, ut v. g. *Poma amoris* & *Mala insana* dicta.

Herbarum Bacciferarum TABULA.

Hæ sunt vel

- *Baccis è pluribus acinis compositis*, mora Rubi æmulantibus: CHAMÆMORUS, CHAMÆPERICLYMENUM.
- *Simplicibus acinis*,
  - *In racemos dispositis*,
    - *Scandentes*,
      - *Capreolis*, cauliculis
        - *Spinosis*, foliis Tami lævibus: SMILAX ASPERA.
        - *Non spinosis*, foliis vitigineis: BRYONIA ALBA.
      - *Caulibus* volubilibus, foliis Convolvuli: BRYONIA NIGRA.
    - *Erectæ*, foliis
      - *Compositis* seu ramosis, foliis
        - *Ad Angelicam accedentibus*, fructu per maturitatem rubro & suavi: ANGELICA BACCIFERA.
        - *Ad Imperatoriæ accedentibus*, fructu venenato: ACONITUM RACEMOSUM, *Christophoriana*.
      - *Simplicibus*, Solani similibus, elata & grandis: SOLANUM *racemosum Americanum*.
  - *Magis sparsis*, foliis
    - *Latioribus* & majoribus,
      - *Nervosis*,
        - Ἐπιφυλλόκαρποι
          - *Cum lingula* seu folio secundario *in medio folio*: HYPOGLOSSUM, *Bislingua*.
          - *Fructu solo* seu bacca *è medio folio enata*, foliis
            - *Majoribus* & *latioribus* non spinosis: LAURUS ALEXANDRINA.
            - *Minoribus*, myrti æmulis, in mucronem spinosum & pungentem exeuntibus: Ruscus, *Oxymyrsine*.
        - *In caulibus fructus gerentes* aliarum plantarum more, flore

Cylindroide

{*Cylindroide* oblongo, elatior, radice nodosâ: POLYGONATUM.
{*Campaniformi*, humilior, foliis binis ternísve: LILIUM CONVALLIUM.
{*Stellato*, in spica, foliis singularibus è terra exiens, in caule tamen duobus donata: MONOPHYLLON.

Minùs nervosis, seu paucioribus nervis conspicuis, *& mollioribus*, fructu

{*Nudo*,

{*Acaulis*, nullo scilicet præter floris pediculum caule, pomo magno, radice grandi ἀνθρωπομόρφῳ: MANDRAGORA.
{*Caulifera*

{*Monococcos* & plerumque tetraphyllos: HERBA PARIS.
{*Baccis pluribus*, flore

{*Campaniformi*, concavo & tubuloso, fructu nigro grandiore, venenato & lethifero: SOLANUM LETHALE, *Bella Donna*.
{*Stellato*, in quinque aut sex segmenta acuta partito & expanso, apicibus in umbilico in umbonem quendam coeuntibus, fructu

{*Magno*, seu foliis integris, flore etiam amplo: MALUM INSANUM: sive foliis pinnatis Agrimoniæ æmulis: POMUM AMORIS.
{*Minore*, seu quæ caule est perenni, foliis Capsici, fructu rubro majore: AMOMUM *Plinii*; sive quæ caule annuo, fructu in racemulis minore: SOLANUM *vulgare*.

Occultato, calycibus florum in vesicas excrescentibus:

{*Alsines foliis & flore*, fructu minore: ALSINE BACCIFERA.
{*Solani foliis & flore*, fructu rubro, luteóve

{*Majore*, Cerasi æmulo, vesiculis etiam magnis, per maturitatem rubentibus [in vulgari Europæo] ALKEKENGI, *Solanum halicacabum*
{*Minore*, vesiculis etiam minoribus, in verticillis ad caulium nodos: SOLANUM SOMNIFERUM.

Tenuissimis & capillaceis, turionibus esculentis: ASPARAGUS.

Parvis, Serpylli æmulis, viticulis tenuibus, in palustribus nascens: VITIS IDÆA PALUSTRIS, *Oxycoccos*.

Ad hoc etiam genus [Bacciferarum] retulimus Capsicum seu Piper Indicum ob convenientiam cum Solano in partibus præcipuis, quamvis nonnulli fortasse baccæ descriptionem huic plantæ minimè convenire objicient.

CAP. I.

De Chamæmoro, seu Chamærubo.

CHamæmorus à foliorum cum Mori foliis similitudine dicitur; verum rectiùs meâ sententiâ C. Bauhinus Chamærubum appellat, siquidem folia & fructus ad Rubum propiùs quàm ad Morum accedunt.

A. 1. *Chamæmorus* Ger. Clus. *Anglica* Park. *ejusdémque Chamæmorus Cambrobritannica Rubo Idæo minori affinis Chamæmorus* J. B. *Chamæmorus folio Ribes Anglica* C. B. *Vaccinia nubis* Ger. **Cloud-berries.**

Dodrantalibus prædita est *viticulis*, in quibus alternatim tria, quatuor, rariùs quinque *folia* scabra Malvæ, vel potiùs Mori, [*novella viz. & primùm natæ, mavult tamen Clusius (& nos pariter) cum Ribes vulgaris foliis conferre.*] foliis non valdè dissimilia, in quinque præcipuas partes divisa & per ambitum serrata, longis pediculis innixa, qui ex binis alis sive apophysibus caulem amplectentibus exeunt. Summum caulem exornat *flos* unicus, quinque foliolis ex nigro [forte ex albo] purpurascentibus constans. Fructus Mori fructui [*Rubi Idæi vulgaris veriùs*] simillimus (unde nomen) sed paulo minor, primùm albicans & acerbus, postea ruber, ex acerbo dulcis. *Radix* utcunque nodosa, ex singulis nodis paucas fibras spargens, mirè se propagans, & quàm longissimè serpens, adeò ut brevi tempore maximum spatium occupet.

Locus. Descriptio est Thomæ Pennæi Doct. med. Londinensis. In summitatibus montium altissimorum *Pendle* & *Ingleborough*, solo putrido & palustri oritur. Anno 1668. circa finem Julii in summitate montis *Hinckle-haugh*, tres circiter mill. ab oppido *Settle* Eboracensis agri distantis copiosam cum fructu maturo inveni. Fructus autem figurâ suâ Rubi Idæi mora æmulatur, in eo diversus, quòd singulares acini nonnihil majores sint. Color baccæ ante plenam maturitatem ex parte Soli obversa ruber, cùm jam perfectè maturuit è rubro in flavum mutatur; gustus quoque ex acerbo in dulcem, & meo saltem palato gratissimum, abit.

Parkinsonus Chamæmorum Cambrobritannicam seu Lancastrense Vaccinium nubis pro diversa specie proponit: verum nos sedulò inquirentes nullum præter superiùs descriptam Chamæmori speciem sponte provenientem neque in Cambria neque in Lancastria invenire potuimus, at neque de ea quicquam inaudire. Quid quòd descriptio Parkinsoni plantæ nostræ adamussim quadrat, & ut verum fateamur, meliùs quam ipsius Pennæi à nobis adhibita?

Chamæmorum Norwagicum Clusii Park. J. B. *Chamærubum foliis Ribes* C. B.

Clus.

Superiori non valdè affinem tantùm (ut vult Clusius) sed eandem prorsus esse existimo: verùm ne temere Lectori imposuisse videar, descriptionem Clusianam ex virgulis cum foliis & flore inter chartulas repositis ab Hoiero missis concinnatam subjiciam. Erant inquit hæ *virgæ* tenues, digitatalis longitudinis, fusci coloris, cortice obductæ, quibus inhærebant uncialibus petiolis *folia*, vulgaris Ribes foliis non valdè dissimilia, sed paullò magis orbiculata, in breves aliquot lacinias divisa, tribúsque eminentioribus nervis aversâ parte prædita, à quibus multæ venæ ad circumferentiam sparguntur in ambitu dentata. E summis virgis exeunt oblongiores tenuioresque petioli, sustinentes singularem caliculum, è quo *flos* emergit candidus, nunc quaternis, modò quinis foliolis constans, umbilicum occupantibus multis exilibus *staminulis* albis cum flavis *apicibus*. Flori succedit *fructus*, Fragi magnitudine, rubens aut pallidus, cujus interior pulpa mollis, humida, mucilaginosa, exilium acinulorum plena, gustu non insuavis.

Locus. Paludosis & humidis locis gaudet, & maturitatem adquirit fructus mensibus Junio, Quintili, Sextili.

Vires & Usus. Ex hoc fructu (inquit Hoierus) Electuarium ad Scorbutum rudi Minerva conficiunt quotannis Norwagii & Finmarchii. Baccas in fictili aut aheno per se ad mediocrem consistentiam coquunt, nullo addito liquore; cùm enim succi pleni sint & molles, alieno humore irrigari non expetunt. Quanquam in delicatioribus sunt nonnulli, qui melicrati Fionensis (quo summè delectantur Septentrionales isti) aliquid affundant. Hanc confectionem idoneis vasis exceptam, & ne corrumpatur ab ambiente aere butyro dissoluto obductam, usui studiosissimè reservant; nobile sanè & probatissimum illis adversùs Scorbutum remedium. Etenim non facilè credas quæ miracula gens illa solâ hac medicina faciat quotidie, ut omninò fatendum sit, nihil ad hanc esse vel Cochleariam illam tot encomiis hactenus celebratam, vel Becabungam, vel Sisymbrium, Cardaminem, & id genus alia, quibus Germani se efferunt.

Nonnulli Scorbuticos, quamvis ridiculè, bene tamen atque utiliter hunc in modum curant. In vicinam aliquam insulam moris abundantem exponunt, ibidémque solos relictos domum non transferunt, priusquam sanitati sunt restituti. Tum enim illi, quasi ab omni humanitate exclusi, vitæ tamen (quod credibile est) cupidi, moris istis vesci coguntur, sive ut extremo remedio promissam sanitatem recuperare tentent, sive ut sitim, quâ utplurimum torquentur, extinguant. Dumque hoc ad satietatem agunt, sine dubio intra paucos dies oppidò convalescunt. Hyeme verò, quando id non licet, Electuario suo non minùs feliciter utuntur sine certa dosi aut custodia.

Chamæmorus altera Norvegica Clus.

Huc non pertinet, sed Ribesii species est.

A. 2. *Chamærubus saxatilis* C. B. *Rubus saxatilis* Ger. *Alpinus saxatilis* Park. *Alpinus humilis* J. B. **The Stone-Bramble, or Raspis.**

Clus.

Pedalem non superat altitudinem, teretibus, subrubentibus & hirsutis viticulis, in quibus bina aut terna folia Rubo Idæo à plerisque nuncupato pænè similia, hoc est, terna simul ex eodem pediculo nascentia, rugosa, non hirsuta tamen, nullisque spinis horrentia, valdè exiccantis & adstringentis gustûs, deinde amariusculi: in summis viticulis & supremis earum alis flores quidem fert (sed cujus formæ aut coloris ignoro, verisimile est Rubo Idæo aut humili pares) deinde fructum Rubo vulgari aut Idæo minorem, hoc est minore acinorum numero constantem: etenim binos tantùm, ternos, quaternos aut ad summum quinos acinos habet, longè tamen majores quàm in ullo alio Rubi genere, omninò rubentes, & adeò succi plenos, ut quodammodo transpareant, acidi & palato gratissimi saporis. Continent singuli illi acini singula grana, alba, rugosa & inæqualia, adstringentis gustûs. *Radix* longè latéque serpit, & longas interdum viticulas humi spargit, quæ subinde radices agunt.

Locus. Montium altiorum incola est ubi in saxosis provenit. Nos in monte *Ingleborough*, & alibi in Eboracensis comitatûs montosis occidentalibus & borealibus observavimus.

Parkinsonus flores tetrapetalos aut pentapetalos (proculdubio naturaliter pentapetali sunt & ex accidente solùm tetrapetali) colore roseo pallido aut albente.

CAP.

Cap. II.

De Chamæpericlymeno dicto.

CHamæpericlymenum inſcribitur hæc herba ob aliqualem fructus ejus cum Periclymeni ſimilitudinem. Eſt autem planta ſingularis; ſiquidem uni flori plures ſuccedunt acini, non in unam velut baccam conſtipati, ut in præcedenti, ſed ſuis ſinguli disjunctis petiolis hærentes.

A. 1. *Chamæpericlymenum* Park. Ger. Cluſ. *Periclymenum parvum Prutenicum Cluſii* J. B. *Periclymenum 3. ſive humile* C. B. The Dwarf Honey-ſuckle.

Cluſ.
Radice eſt reptatrice; *caliculis* ſeſquipalmaribus [Pennæo apud Cluſium dodrantalibus] quibus quatuor, ſex, aut etiam octo, ex adverſo per intervalla adhærent *folia*, in imis cauliculis ſeu ſurculis minora, in extimis ampliora, Aſcyri foliis ſatis ſimilia, in mucronem deſinentia, quinque nervis inſignioribus ab ipſo pediculo ad mucronem excurrentibus: E quorum ſinu ad latus pediculi florem ſuſtinentis aliquando unicus, utplurimum bini, utrinque ſci. unus, exſurgunt ramuli, binis aut quaternis foliis ſimili ſerie diſpoſitis prædití. *Florem* porrò ſummis cauliculis nitentem, quatuor petalis candicantibus conſtantem producit, in cujus medio multæ bacculæ petiolis ſuis inhærentes, per maturitatem rubentes, intus albæ, racematim cohærentes [vacciniorum ruborum magnitudine *Hoier.*] ſucculentæ, ſapore admodum dulci, [quæ manducatæ ſcabiem generare vulgò creduntur. *Hoier.*] Prutenis ruſticis circa Gedanum valdè expetitæ.

In Norvegiæ & Sueciæ maritimis copioſè naſcitur. In Northumbriæ Angliæ montibus Cheviotícis dictis ad latus occidentale Septentrionalis partis altiſſimi montis abundè provenit. *Locus.*

Quin Periclymenum humile Pennæi & Hoieri atque etiam noſtrum Northumbricum una & eadem plantæ ſpecies ſit minimè dubito, quamvis Pennæo deſcripta ob cœli fortè temperiem aut ſoli ubertatem, major & elatior fuerit.

* 2. *Chamæpericlymenum Braſilianum. Camara tinga ſeu Camara flore rubro* Marggr.

Marggr.
Caulis hujus hirſutus in multos expanditur ramos: *folia* habet ſerrata, Menthæ criſpæ ſimilia, ſed magis ſplendentia, leni hirſutie prædita, & ad tactum mollia, bina ſibi invicem ubique oppoſita, quodlibet brevi pediculo inſidens. In extremitate ramorum, uti & ad exortum foliorum ad caulem proveniunt oblongi pediculi aliquot, juxta ſe poſiti, multos *floſculos* habentes rubros. Poſt flores ſequitur uvula, baccis plena viridibus, magnitudine baccarum Sambuci, & uvula cum baccis ſimilis eſt fructui Chamæpericlymeni *Cluſ.* Flos inſignis odoris, & ipſa herba ſuperat odore Mentham.

Variat floris colore flavo.

Cap. III.

De Smilace aſpera.

Bacciferæ fructu racemoſo ſcandentes.

SMilax, ſi fabulis credimus, à Smilace puero in herbam ſui nominis verſo dicta eſt. *Ovid. Metamorph.*

Et Crocon in parvos verſum cum Smilace flores.

Capreolis cum Bryonia alba convenit, foliorum formâ cum nigra, Caulibus ſpinoſis ab utroq; differt.

1. *Smilax aſpera fructu rubro* Park. *aſpera fructu rubente* C. B. *Smilax aſpera* Ger. J. B.

J. B.
Longis, rigidis, ſtriatis, contortis, valdè implicatis, lentis, ſarmentoſis *viticulis* excreſcit, nunc in hanc, modò in alteram partem (inquit Cluſius) certâ quâdam ſerie ſervatâ inflexis, ex geniculis capreolos proferens, quorum ope vicinis arboribus aliiſve advolvitur, & ab imis ad ſumma repit. Horret autem ſpinis duris rigidiſq; non tantùm per ſarmenta ſurgentibus, ſed etiam per pediculos unciales plus minùs, quibus *folia* ex intervallis ſingularia appenduntur. Cæterùm folia Sigilli B. Mariæ dicti poſſidet, ſed longè craſſiora, rigida, nervoſa, ſpinis non tantùm per margines horrentia, ſed & in dorſo ſecundùm nervos, nunc ampla & viridia, modò anguſtiora & albis maculis conſperſa; autore Cluſio. *Flores* è ſingulis extremorum ramulorum geniculatis tuberculis racematim cohærentes crebri erumpunt, parvi, albi, odorati, hexapetali, exiguis in medio apiculis. Hoſce excipiunt

unt *fructus* rotundi ſeu Uvæ, per maturitatem rubræ, vel, ut Cluſius, rutilæ, in quorum ſingulis *ſemina* duo vel tria, vel unicum, lubrica, magnitudine, colore & figurâ ſeminum Paliuri vulg. ſed duriora, pulpâ albicante, nauſeoſæ cujuſdam dulcedinis participe. Cluſius nucleos vocat duros oſſeos velut Aſparagi, foris nigros, addens *radicem* longè lateq; ſerpentes ſub terra fibras habere, tenues candidas, & germina ſummâ tellure ſpargere, minimi interdum digiti craſſitudine, nodoſa ſeu articulata, albicantia.

Locus. In Sicilia, Italia & Gallia Narbonenſi in ſepibus paſſim.

Vires. Succedaneum eſt Sarſaparillæ in curanda lue Venerea, inque articulorum & nervorum doloribus: Noxios humores per ſudorem & tranſpirationem evacuat, cutis vitia expurgat. Datur vel in pulverem redacta, vel in aqua aliôve liquore decocta.

Fallopius cùm in monte Juliani Piſis vidiſſet Smilacem aſperam, eâ uſus eſt loco Sarſaparillæ per biennium quo ibi fuit, fœlici cum ſucceſſu plurimos à lue Venerea liberans.

2. *Smilax aſpera, minùs ſpinoſa, fructu nigro* J.B. C.B. *aſpera fructu nigro* Cluſ. Park. *aſpera Luſitanica* Ger.

Cluſ.

Similibus cum priore ſarmentis & viticulis proxima quæq; amplectentibus naſcitur, non eſt tamen adeò ſpinis horrida: *folia* etiam paullò breviora, atriora, molliora, nullis aut certè rariſſimis aculeis obſita habet: *flos* alteri omnino formâ ſimilis, ſed colore differens, nam ex albo quaſi carneus eſt; fructûſque rudimentum, quod ex medio flore tanquam umbo prominet, rubeſcit, plenus autem & maturus *fructus*, non eſt rutilus ut in priore, ſed omnino niger, & ſucculentior, quantum quidem Cluſio videtur: *Oſſicula* conveniunt.

3. *Smilax aſpera Peruviana ſive Salſaparilla* C.B. *aſpera Peruana* Park. *Smilaci affinis Salſaparilla* J.B. *Smilax Peruviana, Salſaparilla* Ger. **Sarſaparilla.** *Braſilienſibus Juapecanga* Marggravii.

J.B.

Qualis reliqua ſit plantæ facies vix certi quicquam afferre poſſum: *Radices* verò notiſſimæ ſunt ad deſudationes eorum quibus vagus concubitus luem affricuit. Sunt autem flagella longiſſima, plurimarum ulnarum, junci majoris craſſitie, obſequioſâ funiculorum flexibilitate, ſtriis per longum decurrentibus, colore exteriùs fuſco, cui ſubſtantia farinacea alba ſubeſt, craſſiuſcula, mollis, & digitorum attritu in pulviſculum ſolubilis, Agaricum ferè referens, ſapore glutinoſo, amaricante, non ingrato tamen; meditullium verò lignoſum, nitidum, lentum, fractúq; contumax. Pendent porrò flagella hæc ex pollicaris craſſitudinis radice tranſverſa, ſquammata, quæ ſarmenta crebra ſurſum mittit, vitigineis non abſimilia, paríque craſſitudine, veluti geniculis quibuſdam intercepta, ſtriata, aduncis ſpinis minacia, coloris buxei, ſubſtantiâ intus Palmæ inſtar fibroſâ, albicante, ſapore nullo evidente.

Quæſtio eſt an Salſaparilla dicta ſit ipſiſſima Smilax ratione cœli & ſoli duntaxat differens, an planta eidem affinis. Nobis affinis potiùs videtur quàm eadem.

Sarſaparillam Marggravius ſic deſcribit,

Caule ſarmentoſo, lignoſo, lento, viridi ſerpit, aculeos ſeu ſpinas hinc indè habente acutas. *Folia* ſolitaria, quinque vel ſex, vel etiam duodecim dig. longa, exteriùs acuminata, & tres, quatuor, aut quinque digitos lata ubi latiſſima; in quibus tres nervi inſigniter conſpicui ſecundùm longitudinem tendunt, tranſverſim autem multas venulas minutas habent, vario flexu diſcurrentes; exteriùs dilutè, interiùs virent ſaturatè. Ad quemlibet cujuſlibet folii pediculum (qui brevior) duæ claviculæ prodeunt, lentæ, longæ, quibus aliis plantis ſe firmiter annectit. *Flores* fert racematim: ſequuntur dein *baccæ*, primò virides, mox cinnabriæ, ubi autem maturuere nigræ, rotundæ, magnitudine mediocrium ceraſorum; quælibet in umbella conſiſtit ſeu proprio breviori pediculo, quorum pediculorum decem aut duodecim uni longiori inſident. Baccæ autem rugoſæ ut ceraſa ſiccata, intus continent unum aut duos lapides albo-flavos, duros, in quibus durus, albicans nucleus.

Fr. Hernandez quatuor ſpecies Zarzaparillæ diſtinguit.

Prima *Mecapatli* Mexicenſibus dicta, eadem eſt (inquit) quæ apud Hiſpanos, ac præcipuè apud Hiſpalenſes in vallibus aggeribúſque paſſim naſcitur refertúrq; ab Herbariis peritis in Smilacem Dioſcoridis aſperam; quam quoniam affabrè deſcripſit Dioſcorides, de forma ejus nihil dicam.

Secunda ſpecies *Quauhmecatl* dicta *radicibus* ſurculoſis innititur, unde profert *caules* volubiles & ſpinis horridos, capreolos multos ac ſemen nullum; folia verò Ocymi acuminata, & nonnullis ſecta crenis, nerveis verò diſcurſibus ſecundum longitudinem excurrentibus.

Tertiam ſpeciem invenit in radicibus Ætnæ, non longè ab oppido *Atattaco*, per omnia *Quauhmecaxochitl* ſimilem, ſed radicibus tenuibus, nec fibris craſſioribus.

Quarta *Quauhmecapatli* dicta illa ſpecies eſt Sarzaparillæ cujus radices in noſtrum orbem deferuntur, foliis magnis, cordis figura, caulibus volubilibus & ſpinoſis, radice ſurculoſa, fructu nullo [in hoc proculdubio erravit Hernandez] & capreolis hinc indè exorientibus.

Ex hac etiam deſcriptione patet Sarzaparillam congenerem quidem Smilaci aſperæ plantam eſſe, non tamen planè eandem.

Vires. Sarſaparilla partium eſt tenuium & ſudorifera. Specificum eſt ad luem Veneream. Omnes ejus ſpecies, inquit Hernandez, placandis doloribus articulorum, aliíſq; à lue Gallica profectis utiles ſunt; ſudoribus item evocandis, curandíſq; mali moris ulceribus, morbíſq; inveteratis & inſanabilibus, & qui è craſſis lentíſque humoribus habent ortum, aut ad nervos pertinent, & tumoribus præter naturam qui rebelles ſunt diſcutiendis, curandis ulceribus, &c. Nam jure decocti per ali-

quot

quot dies propinato, eâ mensurâ quæ à multis jamdiu præscripta est, cum nota quoq; victûs institutione, cæterarúmq; rerum quas non naturales vocant; aut pulvere radicum duarum drachmarum pondere, ex vino aut aqua devorato, aut evocato sudore, aut insensibili quodam perspiratu ægrotantes restituuntur.

Zarzaparilla à similitudine quam cum Smilace aspera habet, nomen accepit, quæ Hispanis Zarsaparilla, qui Rubus viticula dicitur: *Zarsa* siquidem Hispanis, Lacuna teste, rubum: *parra* autem Matthiolo interprete vitem, & *parilla* parvam vitem, sive viticulam significant: hinc aliqui Salsam parillam Smilacis asperæ Hispanicæ radicem censuerunt: cùm tamen Peruviana, cœli temperati occasione & ipsius soli ingenio, longè efficacior sit quàm vel in Hispaniis, aut etiam Africa, nata: cujus usum primi Hispani ex Peru & novi orbis, sive Americæ provinciis ante quinquaginta annos in Europam invexerunt *C. B.* qui ante sexaginta annos hæc scripsit.

Prosper Alpinus Smilacem asperam quam in Zacyntho insula invenit veram Salsaparillam quâ medici utuntur ad luem Veneream curandam esse contendit. Habebat enim illa radices longas, crassas, asportatis Hispania radicibus Salsæ parillæ omnino similes, reliqua apud ipsum, Lib. de plantis Ægypt. cap. 43.

Cap. IV.

De China.

NOmen habuit à China regione unde in Indiam Orientalem primùm illata est, & indè in Europam.

1. *Chinæ radix* J. B. *China radix, & Lugd. Fragoso* C. B. *China vulgaris Officinarum* Ger. *China radix Officinarum* Park. *Jupicanga Brasiliensibus* Pisoni. *Olcacatzan Pahuatlanica* Hernandez. **China.**

Radices hujus plantæ (describente J. Bauhino) magnæ crassæq; sunt [pugni interdum magnitudine Acostæ] apophysibus tuberosis inæquales, lentis fibrarum fragmentis hinc indè apparentibus, satis ponderosæ, modò effœtæ non sint, colore foris ex fusco rubente, intus ex modica rubedine albescente, substantiâ mediocriter compactâ, nullis fibrarum pectinúmve vel vestigiis apparentibus, quomodo ferè videmus Juglandium fungos compactiores, sapore nullo manifesto, unde ἀποιὸν, i. e. qualitatis expertis, nomen apud nuperos meruit.

Figura Lugd. hist. demonstrat eam sub terram serpere, ac variis ex locis teretes ac lignosos processus emittere, quibus nova radicum aliarum soboles adnascitur & incrementum capessit, multis & tenuibus alioqui fibris capillata.

Optima est recens, sapore insipida, quod tamen improbat C. Hofmannus, densa, solida & ponderosa, quæ neq; teredinem neq; cariem senserit, plena humore quodam pingui & unctuoso, qui masticando quidem satis evidens fit, in decocto autem evidentior: Decoctum autem fit aromaticum, cum sapore modò acri, modò amaro, cum adstrictione aliqua, cum odore etiam aliquo, modò non ab adjectis aromatis traxerit, colore inter album & nigrum medio. Radicem candidam prærubente commendat Garcias.

Planta ipsa ab Acosta his verbis describitur,

Planta est multis tenuibus, spinosisq; sarmentis prædita, Smilaci asperæ non dissimilibus, quorum maxima minimum manûs digitum crassitudine non superant, foliis Plantaginis latifoliæ magnitudine. [Garcias Mali Assyriæ, Linschotanus Aurantiæ foliis ea comparat.] Juxta arbores serendam esse perhibent, quoniam suo complexu hederæ modo eas scandit. *Garc.*

Huic eandem specie esse existimo, & qualitatibus tantùm à loco natali ortis differre Chinam Indiæ Occidentalis, quam ita describit * Guil. Piso. Ejus Brachia spinis acutissimis hinc inde obsita sunt clematis instar, vicinas arbores earúmq; summitates sinuosis flexibus amplectuntur. Folia fert Plantagini haud dissimilia, ac baccas croceas ad aureum colorem vergentes, ac racematim provenientes.

* *Lib.* 4. *cap.* 62.

Nec diversam quam describit & depingit * Francisc. Hernandez. Herba est (inquit) folia ferens oblonga, acuminata, & lineis secundùm longitudinem discurrentibus insignia, caules volubiles & tenues, fructum acinosum ac racematim dependentem in summis caulibus, qui cùm maturuerit nigrescit: radicem contortam, geniculatam, fulvam, & Arundinaceæ similem, sed densam ac gravem. Arbores excelsas scandit atq; complectitur.

* *Hist. Mex. l.* 6. *c.* 55.

Differt ab Orientali China, cujus radix levior est, rarior, albidior, tenera ac minùs astringens, & tamen eosdem pænè usus præstare periclitatum est. *Cùm figura & reliqua descriptio conveniant non tanti facio has differentias, ut speciem distinctam putem.*

Locus. Nascitur abundantissimè in Chinæ regno: invenitur tamen etiam in Malabar, Cochin, Cranganor, Coulan, Taner & aliis locis. *Acosta.* Quinetiam in Brasilia Americæ, inque regione Mexicana.

Vires. Quod ad facultates (verba sunt C. Hofmanni) conciliata fuit radici huic autoritas à mercatoribus Chinensibus post Annum 1535. Hi enim affirmabant, scribente Garcia & Acosta, curare illam luem Veneream, sine accurata illa victûs ratione quæ vulgo observatur, non tanto etiam tempore, nec tanto cum fastidio. Quare apud Indos cognita magno pretio fuit coempta. Hoc nomine cùm commendaretur ab Hispanis Carolo V. Imperatori, ut est apud Avilam, lib. 1. *Belli Germanici*

manici, & Vesalium in *Epist. de hac radice* usus est ille propria voluntate, sine ullius Medici cubicularii consilio: ideo sine successu, cùm neq; servaret debitum vitæ modum, neq; continuaret. Quo factum est ut, facili momento relaberetur ad Guaiacum. Nihilominus negotio palam facto, non tantùm Medici Principum volebant scire à Cæsarianis rationem exhibendi, sed Principes ipsi solicitabant Cæsarem, pateretur rem innotescere. Tantùm poterat inanis spes adipiscendi sanitatem absq; methodo Medendi. Quæ cùm apud plerosq; omnes decollaret, cœpta fuit verti licentia temere decantata, in rigorem Guaiacanum, simulq; laboratum, quomodo China ad temperamentum Guaiaci deduceretur. Hactenus Hofmannus.

De viribus & usu radicis Chinæ vide Garciam, Acostam, Monardem, Vesalium, qui integrum de ea librum scripsit. Extractum cum Sp. Vini rari usus est, adhibetur crebriùs in decoctis, sufficitq; una uncia vel duæ unciæ pro ℔. novem aquæ, inquit Schroderus. Quoniam omnis saporis expers est China gratissima est faciendo contra luem Veneream decocto, quod recipit radicis Chinæ in orbiculos concisæ ℥ij, aquæ fontanæ ℔. sex aut septem macerentur simul diem & noctem in fictili novo: postea lento igne coquantur in fictili bene operculato aut in MB, ut fit decoctum Sallæ aut Guaiaci, quoad satis videbitur [Garciæ ad dimidii usq; humoris consumptionem, verùm minorem Chinæ quantitatem præscribit, nimirum unicam tantùm unciam pro septem aquæ libris.] Hujus decocti bibat quotidie bis quantum ægroto & Medico satis videbitur. Prodest hoc decoctum non tantùm in Lue Venerea, sed etiam in omnibus morbis sudores postulantibus. Explicatiùs Garcias utile præterea esse scribit ad paralyses, tremores, articulorum dolores, sciaticam, podagram, tumores scirrhosos & oedematodes, tum etiam strumas extirpat. Succurrit ventriculi imbecillitati, inveterato capitis dolori, calculo & vesicæ ulceribus. Addit Acosta hemicraniæ, herniis humoralibus & ventosis, in colli vesicæ & penis callis eorúmq; ulceribus. Monardes addit, icterum solvere, & omnem hepatis intemperiem emendare, ad quam valdè celebratur; febribus diuturnis, quotidianis & erraticis prodesse. Venerem admodum excitare creditur.

J. Bauhinus certum esse ait Chinam ritè administratam Luem Veneream superare, cutem mundare, dolores profligare, macies reparare, humiditatem habere oleosam, atq; firmiter substantiæ adhærentem, ut hac ratione & diuturnam & multoties repetitam patiatur coctionem, si minimè cariosa fuerit, neq; admodum gracilis & sicca, sed mediocriter gravis, colore inter album & russum medio: præscribit autem unciam tantùm Chinæ pro sex libris aquæ.

Præcipit Vesalius (atque etiam Monardes & Acosta) ut decoctum hoc calidum conservetur, vel singulis diebus recens fiat, alioqui ait acidum fieri & corrumpi. Sed experientiâ docetur oppositum, nec servatum quatuor dies acescit. *J. B.* Potest secundò vel tertiò decoqui.

Fallopius ex decocti usu homines valdè pinguescere ait. Cujus rei oculatus testis fit Alpinus 3 *Med. Ægypt.* 16. & iterum *lib.* 4. *cap.* 1. ubi testatur, vidisse se plurimos emaciatos decocti hujus usu corpus recepisse. Quin Turcas qui delectantur uxoribus bene habitis, eodem decocto crasse facere delicias suas.

Piso tres Chinæ species reperiri scribit licet paucioribus cognitas, quæ omnes sub eodem nomine comprehenduntur ob summam quam inter se habent similitudinem; verùm ille non multò notiores illas facit, sed nos in media nocte relinquit.

2. *China spuria pyriformis* C. B. *spuria pyriformis sive turbinata* J. B.

Hujus descriptionem videsis apud Lobelium & J. Bauhinum.

3. *China spuria nodosa* C. B. *Pseudo-china* Ger. *Pseudo-china radix Clusii* J. B.

Clus.

Valdè nodosa erat hæc radix & in aliquot tubera formata, subrutilo colore, sarmenti aliquam partem summo fastigio adhuc retinens, quale in Smilace aspera conspicitur, duri, lignosi multis venis, ut Smilacis sarmenta prædití: ipsius radicis substantia etiam subrutila, ut in Acori adulterini radice, salsi initio saporis sive gustûs cùm videlicet vetusta, deinde exsiccantis. E Virginia allata est pro radice Chinæ, quamvis (ut scribit Tho. Harriotus Virginiensis historiæ auctor) indigenæ nullum illic usum norint, sed aliâ radice utantur Chinæ Orientali valde simili & fortasse eâdem, è qua concisa contritâque & cum aqua expressa ad succum eliciendum panem conficiunt: è decocta fit jusculum gelatinæ æmulum in cibis laudatum, præsertim si oleo contemperetur. Huic cauliculos spinosos attribuit, & juxta arbores satum eas scandere & in fastigia earum summa evadere scribit; ut vix dubium sit ipsissimam Chinam Orientalem esse.

4. *China Michuacanensis* Fr. Hernandez.

Herba est Arundinaceæ innitens *radici* rubræque, sed densæ ac gravi, è qua *caules* insurgunt arundinei, lævis ac ferulacei, longi, pollicémque crassi, *foliis* ornati per intervalla magnis, cordis figura, ac nervis secundùm longitudinem discurrentibus, quod evenit in cæteris, quibus etiam hæc viribus similis est.

Nascitur *Michuacani*, ubi *Phaco* vocant. An hæc eadem sit præcedentium alterutri nescimus.

CAP.

Cap. V.

De Bryonia.

Bryonia à *βρύω pullulo, germino* dicta putatur, quia pullulat & ſpargit ſe, & luxuriat vehementer. Alii à *βρίθω extollo, exalto* deducunt, eò quòd in propinquos frutices ſcandens ſe extollat; verùm cum *υ* ſcribitur quod huic Etymo repugnat. Vitis alba dicta eſt, non ſolùm quòd foliis & viticulis vitem ſativam referat, verùm etiam quòd fructum in exiguæ uvæ ſimilitudinem, acinis licet raris, conformatum producat. Melothron appellari videtur à colorum concinnatione: nam Græci *μήλωθρα* vocant *βάμματα* & *καλλωπίσματα*, id eſt, colorum infectiones & concinnationes, quòd coriis fortè ex Bryoniæ albæ fructu accedebant, ut conjectatur *J. B.*

Bryoniæ albæ notæ ſunt capreoli, caules non ſpinoſi, folia vitiginea, vis cathartica vehementior.

A. 1. *Bryonia alba* Ger. *alba vulgaris* Park. *aſpera, ſive alba baccis rubris* C. B. *Vitis alba ſive Bryonia* J. B. **White Bryony.**

J. B.

Brachialem interdum craſſitudinem *radix* adipiſcitur, alba (exciccata ſimilis Mechoacæ, circulos enim habet, verùm differt quòd ſit fungoſa, ſapore acri, amaro & viroſo) unde *flagella* exeunt tenera, ſtriata, ſubhirſuta, quæ longè lateque clavicularum beneficio ſe ſpargunt, & proxima quæq; ſcandunt: *folia* hederacea, anguloſa, hirſuta, incana, viridantia, aut areis candidis diſcurrentibus undulata, ut in Cretica quam vocant recentiores: ex foliorum alis *flores* ſimul aliquot juncti, è quinque foliis compoſiti exeunt, colore albido in herbaceum languente, quibus ſuccedunt acini Sambucinis pares, per maturitatem rubri, ſucco croceo, nauſeoſo, granuliſque turgentes.

Hujus duplex habetur ſpecies ſeu potiùs Varietas, altera *mas* ſeu *ſterilis*, in qua Florum racemuli pediculo communi palmum longo inſident, cùm in fœmina ſeu fertili pediculo perbrevi, vix unciali donentur: *flores* quoque duplo majores ſunt, medium occupante pro ſtylo umbilico brevi, in quatuor ſegmenta lata obtuſa diviſo, fimbriâ circum oras flavâ cincta: altera fœmina ſeu fertilis. Flos monopetalos in quinque ſegmenta acuta dividitur, è luteo albicans, lineis nigris ſtriatus: Summæ autem baccæ inſidet pediculo brevi ex ipſo apice baccæ exeunte, & brevi poſtquam aperitur integer dilabitur. *Varietates maris & fœminæ.*

Ad ſepes frequens reperitur. *Locus.*

2. *Bryonia alba baccis nigris* C. B. *alba vulgaris fructu nigro* Park. *Vitis ſive Bryonia nigris baccis* J. B.

Prolixam & particularem hujus deſcriptionem vide apud J. Bauhinum è Cordo deſcriptam. Differt à priore radicibus & baccarum colore: hujus radix interiùs buxeo colore pallet: illius ex albido ſublutei coloris eſt: hujus baccæ maturæ nigricant, illius rubent. C. B. quæ notæ pro deſcriptione aut diſtinctione ſufficiunt, nam reliquæ pleræque à Cordo adhibitæ utrique generi communes ſunt.

Radix Bryoniæ purgat validè ſeroſos & pituitoſos humores: ſplenetica, uterina, & jecoraria eſt, utpote quorum obſtructiones aperit. Hydropicorum aquas per vomitum ac ſeceſſum educit, menſes ciet, fœtum ejicit, ſuffocationes uteri arcet, aſthmata ſanat, podagricis convenit intus & extus. *Schrod.* *Vires.*

Platerus, referente Hofmanno, accipit radicem antequam germinet, & detracto cortice in taleolas ſectam filo trajicit, modico calore ſiccat, ſive is ſolis ſit, ſive ignis. Mox infundit in vino generoſo & iterum exſiccat. Hoc repetit aliquoties. Ita præparata, aiebat, purgat ſine moleſtia.

Idem troch. parat hoc modo, Bryoniam ità correctam in pulverem redigit, & vino Malvatico, in quo Zingiber maduerit, irroratam cogit in paſtillos tenuiſſimos: quos ſiccatos tenuiter pulveriſat, & utitur in infuſionibus. Ita purgat inſtar Agarici trochiſcati. *Hofman. in de medicam. Officin.*

Conſerva radicum magnitudine nucis Myriſticæ bis in die ſumpta, uſu ejus per longum tempus continuato, Epilepſiam vel etiam hyſtericam paſſionem perſæpe profligat & ſanat. Idem præſtat radicis fruſtulum poculo quo ager ad bibendum utitur perpetuò inditum. *D. Bowle.*

Hujus aſparagis, qui prima germinatione exeunt ſolebant Veteres veſci, ut docet *Columella* l. 12. c. 7. Ab omnibus pro more per Ver edi tradit Galenus, eduliúmque eſſe propter adſtrictionem ſtomacho gratum. De iis etiam Paulus hoc modo ſcribit, Bryoniæ aſparagi ſtomacho quidem accommodati ſunt, & urinam cient, parum tamen nutriunt, etſi cùm coquantur olerum aſparagis in nutriendo efficaciores ſunt. Quæ de Vitis ſylveſtris, ſive Tami quidem, ſed nequaquam de hujus germinibus veritatem habent, inquit Dodonæus, nam hujus aſparagi nequaquam aſtringunt, ſed alvum vehementiùs commovent, ſtomachóque gravem moleſtiam inferunt.

Circulatores & Agyrtæ nonnulli ex hujus radice mira quædam monſtra effingunt, quæ cum aliquot dies ſiccæ arenæ mandaverint, pro Mandragoris poſtea diſtrahunt. *Trag. J. B.* Hâc impoſturâ noſtratium etiam vulgo illudere ſolent ejuſmodi nebulones.

Bryoniæ radix commendatur in Hydrope internè, & externè applicata regioni renum. S. Grembs. p. 58. Hydrops enim interdum audit Lethargus renum. *D. Tancr. Robinſon.*

Dolorem iſchiadicum radix recens tuſa, cum Lini oleo mixta, & tepidè applicata mirum in modum pacat. Renovandus eſt labor donec tota materia morbifica tranſudetur. *Tachenius* de morborum principe, p. 183.

Hel-

Helmontius de vi & efficaciâ hujus radicis in contusionibus lividis sanandis sæpius agit; cui memorabile experimentum in quodam erudito amico nostro factum suffragabatur, inquit *D. Boylius* in *experimentis de corporum porositate* p. 18. Habui è Collectaneis *D. Tancr. Robinson.*

Ad lateris dolorem, ℞ taleolam radicis Bryoniæ, tosta calidè lateri applicetur. *Chesneau ex libro Arcanorum.*

Ad scrophulas tam apertas quàm non apertas, ℞ Rad. Bryoniæ quæ sit magna & bene nutrita ℔ß. in taleolas minutiss. sectam frige in sartagine quousque contabescant, cola; adde terebinth. abietis ℔ß. ceræ ℥v. F. unguentum, materiâ ab igne remotâ. De hoc unguento, quòd est valdè viscidum, supra strumas cum panno lineo appones manè & vesperi; vel enim strumas resolvit, vel ad suppurationem deducit, tandémque sanat ulcera. Nunquam fallit, ait *Zacutus* cum juramento. Vide curationis processum lib. 1. *Prax. admirand.* Obs. 101. Communicavit *D. Edv. Hulsius*: qui & alias plurimas Observationes medicas Historiæ nostræ contulit.

Luna crescente, tempore verno Radicem Bryoniæ terræ adhuc immersam excava, semper imponendo operculum ex superiore radicis parte abscissum & omni manè duo vel tria exudantia cochlearia habebis. Succum hunc singulis matutinis horis à cochleari uno ad 2, vel 3, Hydropico exhibe; quo solo vili medicamine plures, Deo adjuvante, curavi. *D. Soame* è Dolæi L. 3. C. 9. S. 21.

* 3. *Bryonia alba maculata* J. B. *Cretica maculata* C. B. *Cretica dicoccos* Park. *Bryonia Cretica* Pon. Ital.

C. B.

Hæc *radice* est longâ, sed ad vulgaris magnitudinem non accedente, & in eo diversâ quòd circulares lineas non habeat: *foliis* quàm vulgaris minoribus, albis striis per medium discurrentibus vel maculis albis notatis: *floribus* majoribus, ex longis pediculis propendentibus. Cuilibet flori *fructus* succedit semicircularis, supernè in duas partes divisus, viridis primùm, at per maturitatem ruber, *semina* duo continens, quare dicoccos appellari potest: in reliquis cum vulgari convenit.

CAP. VI.

De Bryonia nigra.

HUjus characteres generici sunt caules volubiles, folia convolvuli majoris.

* 1. *Bryonia nigra Dioscoridis* Park. *nigra* Ger. *quid?*

Park.

Ex *radice* crassa, exteriùs nigricante, flavescente intus, succo lacteo prægnante, viscido & digitis adhærente, multa emittit *sarmenta*, longa, viridia, *foliis* obsita latis, acuminatis, integris & indivisis, per margines æqualibus, obscurè viridibus; è quorum sinubus capreoli exeunt tortiles quibus obvia quæque apprehendit. Versùs summitates unà cùm capreolis exeunt racemi longiusculi *florum* albicantium muscosorum, quibus succedunt *baccæ* per maturitatem nigricantes.

Hanc plantam nec unde aut à quo habuit, nec ubi viderit, si omnino viderit, nos docet, sed in media nocte relinquit.

A. 2. *Bryonia nigra sylvestris* Ger. *sylvestris nigra* Park. *lævis, sive nigra racemosa* C. B. *Vitis nigra quibusdam sive Tamus Plinii, folio Cyclamini* J. B. *Sigillum B. Mariæ* Offic. **Black Bryony.**

J. B.

Radix magna, crassa, tuberosa, rotunda ferè, foris nigra, intus alba, profundè in terram demersa, ut non nisi altissimè adacto ligone quis facilè consequi possit: viridis à nobis gustata saporem acrem linguæ imprimebat, non tamen ingratum aut amarum: siccata candidissimâ substantiâ accedit ad Dracunculi minoris radicem, nullis circulis donata quales apparent in Bryonia, quæ facilè in pollinem redigi potest, nec rara ut illa sed compacta, in eo accedens ad Mechoacam, ab ea etiam diversa circulis, sapore quoque est non ingrato cum aliqua acrimonia; plures *viticulas* emittit, quæ proximis se circumvolventes in altum nituntur, nullis claviculis donatæ. *Folia* alternatim longissimis pediculis hærent, Cyclamini foliorum ferè formâ, sæpe tamen acutiora, & duplo triplóve minora, infra supráque læto virore splendentia, tenera, multis nervis sinuatis prædita, gustûs viscidi. *Flores* indè oriuntur unde foliorum pediculi, racematim cohærentes, in sex lacinias divisi, ex luteo virentes sive chlori: Summis autem baccis innascuntur pediculis tenuibus brevissimis, & antequam baccæ maturescant defluunt. Succedunt racemi uvarum rubentium, aut ex rubore fuscarum.

Locus. Ad sepes & in dumetis frequens oritur.

* 3. *Bryonia lævis sive nigra baccifera* C. B. J. B. *Bryonia nigra baccifera* Park.

C. B.

Hæc à communi Bryonia sylvestri, quæ Tamus dicitur, potissimùm in his differt, quòd communis florem minorem habeat & racemosa sit; hæc verò flore sit majore & baccifera. In descriptione etiam flores albos huic attribuit, cùm præcedenti ex luteo virides sint: baccas Cerasis comparat, & singulatim in singulis pedicellis è caule prodire scribit.

Provenit in sylvis circa pagum *Humingen* Junio florens; at baccæ Septembris fine maturæ sunt. *Locus.*

De viribus hujus plantæ non convenit inter Botanicos. Compertum est (inquit Lobelius) vel mulierculis, vehementiùs urinam renúmque sabulum, mensiúmque saburram impellere potu. Incidit & attenuat lentam pituitam, præsertim in thoracis affectibus. *Vires.*

De vi purgatrice nihil dum comperi, inquit Casp. Hofmannus. *D. Mart. Lister* nobis affirmavit se quamvis tum radicem ipsam in substantia, ut vocant, tum ejus extractum larga dosi sæpiùs exhibuerit, nunquam tamen observare potuisse eam vel per vomitum, vel per secessum, vel alio quovis modo sensibili operari.

Pulvis radicum cum aceto & stercore vaccino ad formam cataplasmatis redactus podagricos dolores lenit.

De hujus Asparagis accipit Dodonæus, quæ Veteres de Bryoniæ Asparagis tradunt, esui sci. aptos esse: nam hos Matthiolus verno tempore cùm primum erumpunt Asparagorum more decoctos mandi prodit. Sunt etiam, qui asserunt in Hispania Bætica in cibaria recipi.

* 4. *Icipo Brasiliensibus* Marggr. *Bryoniæ species videtur. An Aparaqua* Hernandez?

Marggr.

Circumvolvit se arboribus, lignum ejus lentum, vimineum, cortice cinereo. *Folia* dilutè virentia, hinc indè in ramulis posita, conspicuis venis transversim prædita, quatuor circiter digitos longa, acuminata. In ramulorum extremitatibus multi prodeunt *flosculi*, quinque petalis albis deorsum incurvatis constantes: in medio autem multa habent staminula coloris lutei. Odoris sunt suavis.

Fructus non describit, unde de genere hujus plantæ nobis non certò constat. Cum Bryonia nigra conjunximus tum quòd consimiliter caule scandat, tum quod fructus racemosos producat.

Cap. VII.

Bacciferæ racemosæ erectæ.

De Angelica baccifera.

Angelica à foliorum similitudine dicitur. Statura elatiore, foliis Angelicæ, baccis minoribus, obscure rubentibus, dulci sapore à Christophoriana distinguitur.

Panaces καρπωδες, sive racemosa Canadensis Cornut. *Panaces καρπωδες, sive Racemosa Americana* Park. *Angelica baccifera vulgo,* **Berry-bearing Angelica.**

Cornut.

Radix pollicari crassitudine deorsum fertur: effossam vidi pedem longam, & nè sic quidem solidam sed abruptam. *Caulis* rotundus, geniculis articulosus, ramosus, obscurè purpurascens, medullosâ cartilagine repletur. *Folia* ab eodem pediculo plura, ex rotundo in acumen gracilescunt, ambitu serrato. Ex geniculis prodeunt pediculi, caulem sinu amplexantes, cujus in sinûs cavitate oculus delitescit subsequentis uvæ rudimentum: sicque ramuli & caulis per genicula mediâ æstate non floribus modò sed & gravidis baccis racematim contextis onerantur. *Flos* viti æmulus primùm herbaceus est, postea paulò magis candicat: hunc uva excipit, acinis per initia virentibus, deinde saturè rubentibus, quibus suavitas inest, gustui acceptissima, intus pleniori semine turgent. Sapor foliis & radici Panaci similis, uvæ gratior.

Singulis annis caulem & folia deponit, sequenti anno nova producit.

Ubique provenit solo macro, pingui, limoso, etiam inter difficultates saxeas.

Cap. VIII.

De Aconito racemoso seu Christophoriana.

Foliis Imperatoriæ, fructu majore, facultate venenata & deleteria ab Angelica baccifera discernitur.

A. 1. *Aconitum racemosum, Actæa quibusdam* J. B. *Ac. racem. an Actæa Plinii lib. 27. cap. 7.* C. B. *Christophoriana* Ger. *vulgaris* Park. Herb Christopher, or Bane-berries.

Radice crassiuscula, foris nigra nititur, fibris donata, interiùs Buxi colore lutea. *Caules* sesquicubitales, ramosi, tenues, teretes, geniculati. *Folia* rugosa, infernè splendentia, interdum utrinq; & si tota considerentur valdè ampla; abeunt enim in tria segmenta, pediculis palmaribus & sesquipalmaribus donata, atq; hæc rursum trifariam divisa, sæpiúsq; interdum triplici illâ divisurâ dissecta, ut tandem terna simul folia singularia conspiciantur, Imperatoriæ quodammodo similia, oblonga, acuta, profundè satis incisa, quorum medium folium, incisuris duabus profundioribus dissectum, tripartitum apparet. *Flores* racematim dispositi, candidi, ex foliis quinque caducis compositi, intra quæ *stamina* candida, herbido nonnunquam apice. *Baccæ* succedunt rotundæ, paulò longiores, per maturitatem nigræ, striam lineámve ab una parte ostentantes, uvarum acinis alioqui similes, & in uvæ modum cohærentes.

Locus. Plerisque Germaniæ in locis, speciatim circa Rhenum Mosámq;, in sylvis præsertim montosis occurrit, vivaci & diuturna radice, quotannis cauliculos & folia regenerans. Invenitur etiam in sylvis *Haselwood* in agro Eboracensi, non tamen copiosè.

* 2. *Aconitum baccis niveis & rubris* Cornut. *Christophoriana Americana baccis niveis & rubris* Park.

Cornut.

Verno tempore apud nos utrumq; hoc genus in pedalem *caulem* prosilit. *Radix* nigrior, nec imum petit, nec in latera spargitur; sed coacta in se adnascentibus undiq; fibris capillatur. *Caulis* purpurascit, pullúq; pariter, qui multi ab radicibus germinant. *Folia* ni minora essent Vitium ac Ribes poterant videri, paulò rugosiora tamen, ac in viridi colore sunt obscuriora. Caulium cacumina, Maio mense, in uvam se spargunt, mille apicibus veriùs quàm *flosculis* compositam. (quanquam si seorsim flosculum ungue molliter præcidas nec violes, sex alba foliola apicibus substrata agnosces) Innascitur singulorum umbilico turbinata quædam *pilula*, quæ postquam pleniore incremento convaluit orbicularis est figuræ. Punctum purpureum istius baccæ extremum signat, similísque coloris longior subest pediculus; *bacca* ipsa nivea; variat tamen interdum colore; vidimus enim etiam rubellas.

Locus. In opacis & sylvestribus locis in Americæ parte Septentrionali frequentissimum est.

CAP. IX.

Solanum racemosum Americanum. Solanum magnum rubrum Virginianum Park.

Park.

C*Aule* surgit crasso, firmo, tereti, rubente, quinque aut sex pedes alto, *foliis* nullo ordine positis, amplis, lævibus, venosis, pallidiùs virentibus & interdum rubentibus, Solani ferè figura, per margines æqualibus vestito, in ramos multos diviso, Solani lethalis in modum, E geniculis in superiore caulis parte exeunt pediculi seu surculi *flosculos* racematim dispositos sustinentes, exiguos, pallidè rubentes, tetrapetalos; quibus succedunt *baccæ* per maturitatem atro-rubentes, quatuor singulæ nigra, subrotunda *semina* continentes. *Radix* cruris humani crassitie, alba, pedem longa in pluris annos vivax: verum ni defendatur brumali frigore facilè corrumpitur.

Locus. E Virginia & Nova Anglia delata est hæc planta: nos eam in hortulo nostro Cantabrigiæ aliquot annos aluimus.

CAP. X.

* *Solanum racemosum Cerasorum forma* C. B. prod. *vel Cerasa amoris racemosa rubra.*

C.B. prod.

EX *radice* fibrosa *caules* exurgunt bicubitales, angulosi, aliquantulum hirsuti, in multos ramos latè se spargentes divisi, qui infirmi sunt, & nisi ridicâ sustineantur in terram procumbunt, succi pleni. Ex caulis latere pediculi tres, quatuórve uncias longi, hispidi, *flores* sustinentes prodeunt. *Folia* habet in multas lacinias acutas, impari semper numero, Agrimoniæ foliorum instar divisa, & per margines incisa, aliis foliis minoribus interjectis, pallidè virentia, aspera & gravem odorem spirantia. *Flores* plures, quorum singuli singulis pedicellis insident, luteoli, ex quinque foliis acutis compositi, à calyce viridi, quinquefolio sustentati, in quorum medio *capitulum* parvum rufescens, apicibus donatum, quibus *fructus* succedunt, quasi in racemo dispositi, Cerasorum formâ & magnitudine, virides primùm, deinde per maturitatem rubentes; in quibus non secus quàm in Pomo amoris copiosa, humida medulla, & semen minutum albicans & planum continetur.

Planta annua est, & singulis annis serenda, quamvis in horto meo ex deciduo semine renata sit.

Hæc descriptio in omnibus fere, excepta fructuum in racemos dispositione Pomo Amoris vulgari convenit.

CAP.

Cap. XI.

Plantæ epiphyllocarpæ.

De Lauro Alexandrina.

HÆc planta & Ruscus, qui genere cum ea convenit, ab omnibus aliis cujuscunque generis sint unicâ notâ facilè distinguuntur, quòd in iis fructus è medio folio enascatur, unde & Græcis ἐπιφυλλόκαρπα dictæ sunt. Eas fortasse rectiùs ad frutices retulerim. Verùm, quantum memini, quamvis caules plures annos durent, non tamen germinant aut augentur post primum annum, sed novi quotannis Asparagi seu cauliculi è radice exeunt.

Hippoglossum seu potiùs Hypoglossum & Bislingua dicitur à foliolis secundariis, ceu lingulis, è mediis foliis enatis.

1. *Laurus Alexandrina fructu pediculo insidente* C. B. *Hippoglossum sive Bislingua* Park. *Bonifacia sive Bislingua* J. B. *Hippoglossum mas & fœmina* Ger.

J. B.

Sesquicubitalibus, lentis, hilari virore perfusis, striatis viminibus multis à radice adolescit, per quos alternata ferè *folia*, interdum plura veluti ex geniculis radiata visuntur, nunc latiora nunc angustiora, pulchrè virentia, crassiuscula, nervosa, verum obsequiosa, acuminata, quorum unicuique mirabili naturæ industriâ in medio enascitur aliud foliolum, consimili forma, non item magnitudine, cujus è sinu flosculi ita exigui, ac ita dissecti ut veluti muscosi videantur, emicant hexapetali colore herbido dilutiore, & in flavum seu pallidum inclinante, quibus delapsis *bacca* succedit majuscula, rubra, Ciceris magnitudine ut Rusco. *Radicem* Columna Rusco similem dicit, majorem tamen, à qua plures turiones, Asparagi vel Rusci modo, exeunt. Fructum in Anglia non fert ob cœli inclementiam: imò in Italia rariùs eum perficit.

Locus. Gaudet umbrosis & montanis, frequentissima in Liguriæ Alpibus, Urbinati agro & quibusdam sylvosis montibus. *Matth.* In Ungariæ montibus etiam nascitur, autore Clusio.

Vires. Herbam & radicem in pulverem redactam commendant ad exsiccanda manantia vulnera ac ulcera, præsertim faucium, ad columellam prolapsam levandam.

Tradunt ex vino potam strangulatibus uteri succurrere, herniis ab prolapsu interaneorum extuberantibus mira celeritate mederi. Cùm genere cum Polygonato conveniat, non dissimile veri est easdem cum illo facultates obtinere.

2. *Laurus Alexandrina* Lob. Ad. part. alt. J. B. *Alexandrina genuina* Park. *Alexandrina fructu folio insidente* C. B. *qui perperam hanc Lauro Alexandrinæ* Col. *eandem facit, Parkinsoni sententiâ.*

Hypoglosso seu Bislinguæ persimilis est, quoad crescendi modum; è radice fibrosâ, durâ, ad caput nodosa, multa emittit *vimina*, Asparagi modo, *foliis* vestita alternatim positis, utrinque nervosis, rigidis ut Hypoglossi, inferioribus latis & subrotundis, uncias duas longis, plus unâ latis, in mucronem Rusci modo fastigiatis, quàm Hypoglossi pallidioribus. A medio folii non aversi (ut Lobelius) sed adversi, autore Parkinsono (qui plantam in horto suo enutrivit, & à quo ramulum ejus habuit Lobelius) crassiore nervo flosculus emicat stellatus, ex albo virescens, adeò brevi pediculo intercedente ut immediatè adnatus videatur. Flori succedit *bacca* rotunda, parva, per maturitatem rubra, in qua continetur *semen* durum medullâ albâ.

Locus. Hujus semen in horto Pisano collectum Parkinsono communicavit D. Flud M. D.

3 *Laurus Alexandrina vera* Clus. *Laurus Alexandrina & Chamædaphne* Col. *An Chamædaphne vera Dioscoridis* Park? *An Hippoglossum Matthioli* Ger.

Col.

Rusci effigie est, admodum majore, Hypoglosso latiore, flores & fructus Rusci modo proferens ex medio folio, absque ligulis. Folia quàm Hypoglossi latiora, colore verò magis diluto & molliora, nec nervulis sive venulis in longum tantùm directis per folia, sed divaricatis.

Parkinsonus hanc à præcedenti differre ait foliis angustioribus & longioribus, supernè paulò viridioribus, infernè pallidioribus, cujus fructus aversæ folii parti plerunque accrescit pediculo non minùs curto quàm antecedentis; & C. Bauhinum reprehendit quòd Laurum Alexandrinam Lobelii Lauro Alexandrinæ *Col.* eandem facit. Nobis tamen C. Bauhinus minimè reprehendendus videtur; tum descriptiones enim tum figuræ Lobelii & Columnæ conveniunt, ut mihi planè persuadeam utrumque eandem specie plantam describere & depingere. Utcunque duas dari species concedo, cùm Parkinsonus ipse utramque in horto suo simul coluerit: verùm secundam Parkinsoni, i. e. Chamædaphnen veram Dioscoridis à Lauro Alexandrina *Col.* specie diversam puto.

Joan. Tradescantius hanc Parkinsono communicavit.

4. *Laurus Alexandrina ramosa, fructu è summitate caulium prodeunte* Hort. Paris.

Hanc in horto Regio Parisiensi vidimus, verùm alieno tempore, nimirum sub exitum brumæ, cùm neque fructum neque florem edidisset: Nec tamen eget prolixa descriptione, cùm notæ in titulo allatæ ad eam à reliquis congeneribus distinguendam abundè sufficiant.

CAP. XII.

De Rusco seu Oxymyrsine.

HÆc planta genere cum Hypoglosso & Lauro Alexandrina convenit, ab iisdem differt foliis minoribus, Myrti æmulis mucrone acuto & spinoso, unde & Oxymyrsine dicitur.

A. *Ruscus* J. B. C. B. Park. *Ruscus sive Bruscus* Ger. *Oxymyrsine.* **Knee-Holly or Butchers broom.**

Duorum dodrantum, nonnunquam etiam duûm cubitorum altitudine, densis *viminibus*, lentis, fractúque contumacibus & striatis fruticat, usque in multos ramulos diductis, in quibus confertissima *folia*, Myrtinis paria, rigidula, nervosa, mucrone infesto pungentia, nullo pediculo ramis hærentia, parte prona ad latus inflexâ, ut non sursum & deorsum, sed dextrorsum & sinistrorsum spectare videantur, dura & robusta, sapore amara, & adstrictoria vi efficaciáque pollentia; ad quorum medium *flos* minimus, perbrevi pediculo hærens, enascitur, qui ubi primùm oritur, aciculæ nodulum figurâ suâ exprimit: expansus verò tria latiuscula foliola, inferiore quidem sui aversâque parte folium, cui quasi stragulo incumbunt, respicientia, lintris in modum excavata, sinuataque ostentat omnia, reliquis interim tribus, quæ ternorum instar radiorum sunt efformata, in angustum apicem desinentibus. Florem deinde *fructus* sequitur rotundus, Asparagorum baccis major, rubescens, subdulcis, sub cujus pellicula bina latent *semina* magna, fulva, altera parte gibbosa, alterâ plana, insignis duritiei. Succrescit quotannis nova Asparagorum simillima propago aromatica aliquantulum, amara, ut annotat Lobelius. *Radices* crassæ, obliquæ, implexæ, fibras demittunt crebras, Asparagorum fibris similes, albas, longas.

Vires. Radix recensetur inter quinque communes aperitivas. Ad infarctus & obstructiones tollendas non parum conferre ipsi (inquit J. Bauhinus) multoties experti sumus. Usus ejus præcip. in obstructione hepatis [ictero] urinæ [stranguria] mensium. Alii de his qualitatibus dubitant. Alii, ut Dodonæus, in ipsis hydropicis obstructionibus magna utilitate præscribi posse & solere aiunt.

Jo. Bauhinus textorem quendam sexagenarium, cui pedes & abdomen totum in immensum propemodum tumebant, ipsumque adeo Scrotum capitis pueri amplitudinem æquabat; radicis hujus & Iridis atque Fœniculi decocto ex aqua usu [exhibitis interim etiam eradicativè purgantibus aliquoties, administratisque cæteris ad rem pertinentibus, potissimùm omni præter jam dicto interdicto potu] unius tantùm mensis spatio D. G. tanta fœlicitate se persanâsse refert, ut ipsemet [textor] sub mensis finem pedes ad se, & sæpius postea gratias habiturus & relaturus profectus sit. Reliqua vide apud J. B. lib. 5. cap. 40.

In ossibus fractis consolidandis non minùs efficacem esse aiunt hanc radicem Polygonato aut Symphyto majore.

In Italia ipsum fruticem passim in scopas concinnari vidimus, inquit *Cherlerus.* Rustica plebs in carnario suspendit, tuetúrque eo à murium injuria pernas, & casei sui fiscellas: neque enim acuminata in cuspidem foliorum ejus cacumina penetrare animalia illa audent. *Marcel.*

Barthol. Cabrolius non ignobilis chirurgus Monspeliensis, referente * J. Bauhino, Rusci radice copiosè infusâ in aqua, potâque manè & serò per se, & in pastu vino permixtâ, aliisque cibis, ut jusculis, ipsique adeò pani, unius mensis aut quinque septimanarum spatio duas puellas ascite laborantes curavit, ut altera viginti annos sana & incolumis supervixit. Jo. Bauhinus ex vacuationis modo ac impetu (nam ex vulva magno impetu profluxerunt libræ octoginta aquæ sine ulla intermissione) potiùs hydropem matricis fuisse putat, cum vix credibile videatur tantam aquæ vim ex abdominis capacitate sine immensâ virium, ac forte etiam vitæ, jactura tam impetuoso & continuo fluxu evacuari potuisse.

* *Tom. 1. part. 1. p.* 582.

Exemplum mendici hydropici, in quo decoctum radicum Rusci mira perfecit, Vide apud Riverium Observ. Centur. 3. Obs. 52.

CAP. XIII.

De Polygonato seu Sigillo Solomonis.

ΠΟλύγονατον Dioscoridi lib. 4. c. 6. quòd radix crebro geniculata sit: vulgo Sigillum Solomonis haud dubiè à vestigiis pluribus radici sigilli instar impressis. Foliis nervosis cum Lilio convallium & Monophyllo convenit: magnitudine sua, caule multis foliis vestito flore cylindraceo ab eisdem differt.

A. 1. *Polygonatum* Ger. *vulgare* Park. *latifolium vulgare* C. B. *Polygonatum vulgò Sigillum Solomonis* J. B. **Solomons Seal.**

J. B.

Summo cespite transversa vagatur Polygoni *radix*, digiti crassitudine, pyxidatâ commissurâ inæqualis & tuberosa, candore marmoreo, denso fibrarum agmine capillata, sapore subdulci. *Caules* cubitales, & sesquicubitales, teretes, odore si terantur discecentúrve nauseoso, summitate recurva veluti arcuati; in quibus alternatim disposita sunt *folia*, Lilii convallium, nervosa, supernè in atro virore

rore splendentia, infernè cæsia: ex quorum alis *flores* exeunt pediculo semunciali aut unciali, in pedicellos breves subinde diviso, singulares, bini, ternive, ab inferiore parte caulis unà & continuâ serie dependentes, cylindracei, albidi, oris herbidis, in sena segmenta divisis, quibus totidem adnascuntur apices crocei, stylo albo intus unà cum apicibus latente. Hisce decedentibus baccæ oriuntur virentes, mox glaucæ, corymbis hederaceis pares, aut paulò etiam majores, tribus zonulis à summo ad imum pictæ, in quibus semina sena vel septena, alba, dura, magnitudine Viciæ.

In sylvis, locis umbrosis & juxta margines sepium nascitur, in omnibus ferè provinciis: in Anglia tamen nostra rarius est. *Locus.*

Variat baccis rubentibus, purpureis, nigris.

* 2. *Polygonatum majus vulgari simile* J. B. *latifolium maximum* C. B. *majus* Park.

Clus.

Formâ (inquit Clusius) vulgari pænè simile est, in duplo majorem tamen altitudinem excrescit, crassioresque habet *radices* & caules, ampliora *folia* longè plures *flores*, majorésque *baccas*.

Sponte nascitur vulgari permixtum in quibusdam Austriæ & Pannoniæ umbrosis locis.

A. 3. *Polygonatum floribus ex singularibus pediculis* J. B. *latifolium flore majore odoro* C. B. *majus flore majore* Park. *latifolium* 2. *Clusii* Ger.

J. B.

Pedales huic sunt *caules*, striati, firmi, non valdè inflexi, sed recti fermè: *folia* vulgari similia, eodémque modo, hoc est, alternatim circa caulem disposita, brevioribus tamen quàm in illo spatiis, minora etiam, firmiora, ingrati gustûs: ex singulis alarum sinubus duo aut tres exeunt *flores*, brevibus magnâque ex parte singularibus petiolis inhærentes, vulgari tum formâ tum colore similes, verùm majores, & odore (qui in vulgari nullus est) floris Spinæ appendicis. *Baccæ* deinde, virides initio & sphæricæ, quemadmodum in vulgari, majores tamen, postea nigricantes, *semen* continentes osseum, durum. *Radix* longa, obliqua, geniculata, candida initio dum recens eruta, deinde pallescens, nonnunquam etiam purpurascens, præsertim circa germina, vulgaris radici ferè par, tametsi etiam aliquantulum tenuior inveniatur, interdum verò amplior, ubi pingue & benè subactum solum nacta est.

Floret Maio, baccæ maturæ sunt Augusto, interdum etiàm multa hyeme, atque etiam ipsâ brumâ è caule pendentes conspiciuntur. Nos in rupibus & petrarum fissuris invenimus in Anglia non longè à *Settle* Eboracensis provinciæ oppido: & in monte Saleva propè Genevam. Clusius in nemorosis illis montibus vulgò *Leytenberg* nuncupatis, supra *Manderstorf*, &c. & in plerisque aliis transDanubianis Pannoniæ montibus inter saxa: item in sylva Quercubus consita ad lævam Mœni fluvii paullò infra Francofurtum. *Tempus & Locus.*

Huic persimile est, &, ut mihi videtur, idem

Polygonatum latifolium minus flore majore C. B. Park.

Radicem habet subrotundam, *flores* inodoros, *baccas* per maturitatem cæsias: reliqua conveniunt. In monte Creutzacho propè Basileam provenit.

* 4. *Polygonatum latifolium Ellebori albi foliis* C. B. *Polyg. maximo folio* Park. *amplitudinis foliorum Ellebori albi* J. B.

Clus.

Superiori similem habet *caulem*, ejusdémque vel majoris etiam altitudinis, non adeò tamen rectum, sed magis inflexum: *Folia* duplo ampliora quàm reliquorum, ad Ellebori albi foliorum amplitudinem nonnunquam accedentia, dura, nervosa, lævia, dilutiùs virentia, neque subtus incana, nonnihil acidi gustûs initio, deinde paullatim acris: *flores* alteri similes, inodoros tamen, neque ex singularibus petiolis singulos, sed binos aut plures ex oblongiore pediculo dependentes, ut in vulgari, cui etiam similem fructum habet: *radicem* albam, longam, obliquam, geniculatam, dicto Polygonato magnitudine parem.

Crescit copiosè umbrosis locis inter Brunnam & Weyspach, aliisque vicinis montanis sylvis supra Viennam Austriæ. *Locus.*

* 5. *Polygonatum latifolium ramosum* J. B. C. B. *latif. ramos. sive* 4. *Clusii* Park. *ramosum* Ger.
Broad-leaved branched Solomons seal.

J. B.

Folia huic per *caulem* cubitalem ramósque Polygonati foliis similia æqualiáque, acutiore mucrone, venosa, mollia, alternato positu, quos ima parte Perfoliatæ modo complectuntur: è quorum uniuscujusque sinu longus exit pediculus, unicus, nutabundus, tenuis, cui inhæret *flos* majusculus, Lilii convallium, laciniatis oris extrorsùm reflexis, quem inferiore parte scribit Clusius nigricantibus quibusdam maculis aspersum, odore propemodum Oxyacanthæ. *Fructus* Polygonati minoris sive angustifolii fructui similis, trigonus initio & viridis, per maturitatem verò oblongior & rubescens, parváque Corna interdum æquans, in quo multa grana albicantia congesta sunt. *Radix* à Polygonati vulgaris radice differt: nam neque crassa est, neque adeò candida, sed exilis & nodosa, sive in frequentes nodos extuberans pluribus crassis fibris constat, ut Thalietri quædam genera.

Locus. In umbrosis montis *Wechsell* sylvis, deinde in *Durrenstein*, &c. invenit Clusius, ad quem etiam è Silesia transmissum est.

6. *Polygonatum minus* Lob. Ger. *angustifolium* Park. J.B. *angustifolium non ramosum* C.B. **Narrow-leaved Solomons seal.**

J. B.
Alba *radix* geniculatim incedit, haud secus ac prioris Polygonati. *Caules* cubito altiores, similes, sed in his *folia* multis numeris angustiora, Rubiæ foliis paria, lævia, venosa, viridia cum aliqua cœrulei tinctura, quaterna aut quina radiatim ex caulium geniculis enascuntur, ceu & herbacei *flores* Polygonati vulgaris, succedentibus *baccis* minoribus: Clusio *fructu* initio versicolore, qualis est Graminis Parnassi quorundam sive Unifolii fructus, deinde per maturitatem rubro, granulis albis, duris, reliquorum instar repleto.

Locus. In sylvis montosis propè Spadam urbeculam acidulis celebrem copiosissimum observavimus, inque sylvosis montis Salevæ propè Genevam. In editis montanis sylvosis & umbrosis locis provenit.

* 7. *Polygonatum angustifolium ramosum* J.B. C.B. Ger. Park. **Narrow-leaved ramose Solomons seal.**

Clus.
Caulem habet cubitalem, angulosum, in multas tenues alas divisum, quæ æqualiter ex singulis angulis exoriuntur, quaternæ interdum, nonnunquam & quinæ, pro angulorum qui in caule numero: *ramuli* tenues, longis & angustis *foliis* obsiti sunt, binis, ternis aut quaternis æqualiter in circuitu prodeuntibus, in quibus *flores* Polygonato proximè descripto similes, paulò tamen minores, brevi pediculo dependentes inter foliorum alas sparsi sunt; quibus succedit *fructus* rotundus, ruber, pulpâ plenus, aliquot ossea grana continens. *Radix* vulgari similis est, candida, nodosa, propagines ad latera fundens, & candicantibus fibris obsita.
Ex Silesia habuit Clusius.

8. *Polygonatum Virginianum* Park. Ger. emac. *spicatum sterili, & spicatum fertile* Corn.

Cornut.
Radice constat alba, tenui, quo à vulgari differt, ex longis intervallis geniculata, quæ Lilii, quod convallium vocant, instar repit. Maio mense *Cauliculus* pedalis assurgit, è cujus utroque latere exeunt *folia*, inæquali situ disposita, vulgaris facie, acutiora tamen, pinguiora, & minus nervosa, imò nec subtus incana, sed grata & pellucida viriditate utrinq; micantia. *Flos* neutiquam ex alarum sinu prodit ut in Europæis Polygonatis, sed summum caulis apicem occupat, ibique plurimus spicatim aggeritur, unusquisque proprio petiolo in caulis fastigium desinente sustinetur. *Flos* exiguus est, & quinque albis foliolis compositus, asterisci figurâ cùm expanditur, filamenta quoque tenuia ejusmodi foliolis interseruntur. Excusso flore globuli tenues succedunt, qui sensim eam magnitudinem assequuntur quam in separato folio appingi curavimus. *Baccas* istas [minores quàm in ullâ ex prædictis olygonati specie] subrotundas excurrentes, lineæ sex nigræ, æquis intervallis utrinque in puncto velut in polo sese intersecantes, singulas, albidas initio separant velut sphæram Meridionales circuli, pari naturæ ingenio ac si Geometra composuisset. Hæ baccæ non mediocrem subeunt maturitate mutationem, sensim enim rufescunt donec omnino rubeant, rubore splendido coccineo, ac tum temporis signaturæ linearum penitus obliterantur. Ægrè admodum gustatur, fastidiosum enim saporem obtinet, qui ferè ex dulci in amarum tendit, Solani lignosi more.

Locus. In Virginia & Nova Anglia sponte provenit.

* 9. *Polygonatum racemosum* Cornut. *racemosum Americanum* Park.

Cornut.
Radice firmatur crassâ, subalbidâ, pluribus internodiis extuberatâ, nec paucioribus capillatâ fibris: *Caule* aliquando simplici, nonnunquam etiam, sed rarò duplici, eóque rotundo atque atropurpurante in duo cubita elevatur. *Folia* habet latissimè expansa; Nervi simili atque in Plantagine ordine per eorum latitudinem discurrunt; varii coloris, nunc purpurei, nunc atroviridis. Ut autem folium quàm in aliis speciebus durius ac nigrius est, ità & ejus ambitus rugosior lineâ obscuriore clauditur. In apice caulis uvæ floridæ simulachrum apparet. Mollia filamenta dilutè pallentia *flosculorum* loco petiolis insident: ferè vigent octiduo, quo elapso succedunt *acini* rotundi baccarum Juniperi magnitudine, eximiam uvam componentes: flavescunt hi per initia, & mille notis quasi sanguineis interpunguntur, longè verò postea maturitatem adepti, evanescentibus maculis illi toti in Cerasorum ruborem transeunt. Eorum pulpa dulci sapore linguam afficit, *semináq;* alba continet subrotunda, quibus satis vel levissimâ adhibitâ operâ planta hæc facillimè pullulat.

* 10. *Polygonatum ramosum perfoliatum flore luteo majus & minus Americanum* Cornut. Park.

Cornut.
Huic statim gracilis in exortu *caulis*, teres & glaber, palmarem ferè longitudinem assequitur, mox in duos ramos diducitur, quorum singuli in plures postea divisi, cubitalem sæpe longitudinem superant. *Folia* caulem pervio utrinque ductu ità excipiunt, ut Perfoliatæ instar medium penitus obvallent: lævia hæc sunt, oblonga, venosa, & extremâ parte obtusa, pallidissiméque virent. E supremo caliculorum apice, & ipsorum etiam foliorum sinubus, incurvo deorsúmque nutante pediculo *flos* luteus

teus propendet, ſex anguſtis ſed longioribus foliis compoſitus, quæ, ut in Tuliparum genere fieri ſolet, ſeparatim dividuntur. In interna floris parte ſiliquæ rudimentum cum adnatis corniculis, ſexq; longa, ſubluteáque ſtamina deliteſcunt. Cùm defloruit pediculus ſurſum flectitur. *Semen* albidum ſiliquâ coriaceâ initio viridi, deinde furvâ, triangulariſque formæ concluditur. *Radix* non adeò craſſa eſt, nec adeò candida atque præcedentium, ſed ſolâ fibrarum copiâ denſiùs contextâ capillatur, nec proinde latiùs graditur ut ſuperiorum. Florent ineunte Junio, Julio ſemina perficiuntur, quo tempore ſiliqua reſeratis commiſſuris trifariam hiat, ut concepto ſemini exitum pateſaciat.

Variat foliis anguſtioribus & longioribus & in acutiſſimum mucronem deſinentibus: flore quoque multo pallidiore.

Ex nova Francia delatum eſt hoc & ſuperius genus. *Locus.*

Hæc planta Polygonati ſpeciebus minimè accenſenda videtur, quin potiùs Bulboſis affinium familiæ inſerenda: at neque præcedentes duæ veræ & genuinæ Polygonati ſpecies ſunt.

* 11. *Polygonatum latifolium, perfoliatum Braſilianum* C. B. J. B. Park. *Accedit in multis ad præcedentem.*

C. B. prod.

Caule eſt bicubitali, ſtriato, *folia* Perfoliatæ modo tranſeunte: *foliis* pallidè virentibus, tenuibus, nervoſis, uncias duas latis, quatuor longis: *flore* magno albo, ex foliis quinque anguſtis, binas uncias longis compoſito, qui ex longo, tenuiſſimo pediculo dependet. Fructum non vidit autor.

Hoc in Braſilia apud Toupinambaultios crevit.

Polygonati vires ſummatim recenſet Schroderus his verbis.

Vulnerarium eſt & aſtringens, fluxiones quaſcunque ſiſtit; oſſa fracta conſolidat. Radix in vino decocta & pota mira præſtat in contuſionibus & fracturis oſſium, in herniis, &c. Extrinſecùs faciei maculas abſtergit, cutim dealbat, &c. *Vires.*

Baccæ pituitam mucilaginoſam per vomitum ac ſeceſſum educunt. Doſ. 14. aut 15.

Ad menſes albos, ℞ Rad. Sigilli Solomonis ſaccharo condit. Eſt experimento probatum remedium ſæpiùs utentibus. *Matthiolus.*

In Cereviſia forti coctum optimè convenit in Arthritide. *D. Palmer* dictante D. P. Hermanno adnotavit.

Sylvius L. 2. C. 21. S. 131. inter Medicamenta antepileptica Sigilla ſexto in loco recenſet, cujus acetum & oxymel infantibus epilepticis auxilio fuiſſe ſe noviſſe ait, & acrimoniâ ſuâ ſalem ſuum volatilem manifeſtare nemo negabit in arte peritus, inquit. *D. Soame.*

* 12. *Polygonatum latifolium cauliculis rubentibus non deſcriptum* Hort. Lugd. Bat.

* 13. *Polygonatum flore pleno odorato* Hort. Reg. Par.

Cap. XIV.

De Lilio convallium.

Lilium convallium Recentioribus dicitur hæc herba, quòd in opacis & lucis vulgò naſcatur. Lilium inter Spinas & Lilium convallium Solomonis. Notæ ejus ſunt caulis nudus, flores parvi campanulati; baccæ rubræ.

A. 1. *Lilium convallium* Ger. *convallium vulgo* J. B. *convallium album* C. B. *convallium flore albo* Park. **Lilly-convally or May-Lilly.**

J. B.

Radice tenui & alba, fibrata, ſummo ceſpite reptante donatum, *coliculum* profert palmarem circiter, anguloſum, à cujus medio ad ſummum *flores* pulchri in unam ferè partem vergentes per intervalla, penduli & nutantes, in pediculis tenuibus curviſque naſcuntur, parvæ nolæ effigie, oris in ſex lacinias diſſectis, totidem ſtaminibus ex herbido luteis fundo adnatis, ſtylum triquetrum circumſtantibus, odore ſuaviſſimo, ſapore amaricante: quibus ſuccedunt rubra *ſeminum* conceptacula globoſa, ut in Aſparagis. *Folia* bina aut terna, lata oblonga Orchidis foliis ſimilia; potius nervoſa Polygonati. Maio menſe floret.

In ericeto Hampſtedienſi propè Londinum copioſè provenit; item in umbroſis ad latera montis *Ingleborough* & alibi in Septentrionalibus Angliæ. *Locus.*

Lilium convallium flore rubente J. B. C. B. *& aliorum, floribus ſuave-rubentibus* Ger.

Solo floris colore à præcedente differt. C. Bauhinus florem minorem eſſe ait & minùs odoratum.

* 2. *Lilium convallium cum pluribus florum ordinibus* J. B.

Hujus *coliculus* non contentus eſt uno florum ordine, ſed utrinque producit flores uncialibus & ſemuncialibus pediculis, appoſitâ unicuique ligulâ ad exortum pediculi paris cum eo longitudinis.

3. Lilium

3. *Lilium convallium magnum* J. B. *An Lilium convallium Alpinum* C. B?

Foliorum diſpoſitio, fibroſa ſtriatáque textura cum nitido virore reſpondet foliis Lilii convallium vulgaris, duplo tamen aut triplo majora ſunt.

4. *Lilium convallium latifolium* C. B. J. B.

C. B.

Radicibus eſt tenuibus, longis, repentibus: *caule* pedali, *foliis* ternis, viridibus, nervoſis, ſubrotundis, lævibus, palmaribus, uncias quatuor latis, baſi ſua caulem fiſtulæ modo ambientibus: *floribus* magnis, albis, rotundis, hiantibus, reflexis & odoratis, quibus fructus rotundus, rubens, *ſemen* durum continens ſuccedit.

In hortis quibuſdam colitur.

Vires. Flores, ut & folia, adverſus apoplexiam, epilepſiam, paralyſin, vertiginem, alióſque morbos capitis frigidos auxiliares eſſe feruntur. Sunt etiam qui velint cor roborare, ac cardiacis prodeſſe & lipothymiæ.

In Germania alicubi conficiunt ex floribus per æſtatem ſiccatis vinum vindemiarum tempore, ipſos calcatis uvis admiſcentes, quo poſtea utuntur ad prædicta.

Sunt & qui recentiores flores cum vetere & generoſo vino deſtillant, vel ſolos, vel cum floribus Lavendulæ & Roris marini, vitreis organis in balneo aquæ. Qui fortiorem volunt, repetunt infuſionem, iterúmque deſtillant. Sic parata aqua Matthiolo dicitur aurea, quia in vaſis aureis argenteíſve ſervatur, & in omnibus periculoſis morbis exhibetur.

Non radices tantùm, ſed & flores exſiccati & in pulverem redacti inſigne πταρμικὸν habentur.

CAP. XV.

De Monophyllo.

MOnophyllon dicitur hæc herbula quod radices inter reptandum folia ſingularia emittant; nam in caule duo plerunque folia ſunt, interdum tria.

Monophyllon Ger. *Monophyllon ſive Unifolium* Park. *Monoph. ſive Lilium convallium minus* C. B. *Unifolium, ſive Ophris unifolia* J. B. One-blade.

Reptando fibrillas profert tenuis *radicula*, ſubdulcis, candida: unde *coliculus* palmaris exurgit, tenuis, folio uno aut altero, rariùs tribus donatus, formâ ad folia Sigilli B. Mariæ dicti accedentibus, minoribus, per longitudinem nervoſis, averſâque parte hirſutis. *Floſculi* candidi, odorati, quatuor foliolis, totidémque ſtaminibus concoloribus, cum ſtylo conſtant. *Baccæ* ſuccedunt Lilii convallium per maturitatem rubentes.

Locus & Tempus. In omnibus pænè editioribus Belgii & Germaniæ ſylvis & dumetis invenitur. Primò obſervavimus in Hollandia, in luco quodam prope Hagam Comitis. Floret Maio & Junio. Nos Maii 28. in flore invenimus.

CAP. XVI.

De Mandragora.

MAndragora dicitur, quòd ſolis fervidioris impatiens ad mandras pecorum, antra, aliáſque ſpeluncas umbroſas provenire amet. *Mandre* enim aprica loca quò ſe recipiunt & ſtabulantur armenta etiam hodiè Itali è Græco ſignificant.

Notæ ejus ſunt quòd nullos caules producat præter pediculos flores & fructus ſuſtinentes, radices grandes anthropomorphas quodammodo.

1. *Mandragora fructu rotundo* C. B. *Mandragoras mas* J. B. Ger. *mas vulgatior* Park. The male Mandrake.

J. B.

Anthropomorphon dixere Mandragoræ *radicem*, craſſam, longam, bifidam, incoxantem hominem, ut ſibi perſuadent, referentem: [radix interdum ſimplex eſt & indiviſa, interdum etiam trifida aut quadrifida] è cujus capite *folia* exeunt, mari quidem circiter cubitalia, ſeſquipalmum ferè lata, principio & mucrone anguſtis, atro virore prædita, fœtida: inter hæc à radice quoque [nullum enim profert caulem] pediculi exeunt crebri, duarum unciarum, aut palmares etiam, *florem* ſinguli ſuſtinentes albidum, ac nonnihil purpuraſcentem, modicè hirſutum, Campanulæ ferè formâ, quinis ſegmentis, è calyce foliato, laciniato, itidemque villoſo, odore fœtido. *Pomum* ſequitur rotundum, parvi Meſpili magnitudine, ex luteo viride, *ſemina* continens alba, ſubrotunda compreſſa. [Pomum

plenè

plenè maturum croceum colorem acquirit *Park.*] Radicum in Officinis prostant solummodo cortices.

In calidioribus regionibus Hispaniæ putà Italia, Creta & Cycladibus insulis sponte in sylvis & umbrosis exit, necnon propè ripas fluviorum; in frigidioribus & Septentrionalibus nonnisi in hortis sata oritur. *Locus.*

Mandragoras mas alter *Park.* foliis ex viridi subcinereis & nonnihil complicatis à præcedente differt.

* 2. *Mandragora fœmina* J. B. Ger. *flore subcæruleo purpurascente* C. B. *item Mandragora fructu pyri* ejusdem. *Mandragoras fœmineus* Park. The female Mandrake.

Clus.

Mandragoræ fœminæ *folia* angustiora, minora & nigriora sunt quàm mari, magis etiam rugosa crispáque, virosa & graveolentia & humi expansa: inter quæ longi pediculi exiliunt, per terram strati, quibus insident *flores* Melopeponum floribus formâ pæne similes, coloris ex cœruleo purpurascentis, quibus succedunt *fructus*, non turbinati instar pyri, sed rotundi, Vesicariæ fructu triplo majores, initio virides, maturitate pallescentem ex luteo colorem adquirentes, odorati, succi pleni, semine abundantes plano ut maris fructus, sed minore nigrioréque. *Radix* pedalem aut ampliorem longitudinem æquat, interdum bifida, intus alba, foris verò fusca, cui aliquot fibræ adnascuntur.

Supra Gades itinere Hispalensi, non procul ab urbe *Xeres de la frontera* dicta, ad arvorum margines, quæ secundùm flumina sita sunt, & quibusdam aliis Bæticæ locis uliginosis florentem observabat Clusius Februario, &c. *Locus.*

Mandragoras inter narcotica & hypnotica medicamenta recenseri solet. Quod an de radicum cortice (qui officinis in usu est) verum sit nescio. Fructus certe immeritò, suspectus est. Casp. Hofmannus, An quisquam Pomum ipsum cum vel sine cortice impunè possit esitare se valdè ignorare scribit. Aetius omnem malitiam videtur rejicere in semen, quasi illo dempto caro sit indemnis, nisi nimis copiosè ingeratur. *Vires.*

Verùm, ô bone, pulpam etiam cum semine innoxiè esitari posse te docebit, *Jo. Faber Lynceus* Romæ Simplicium Professor, Vir eruditissimus, & fide dignissimus. Is, teste Joan. Terrentio Notis in *Hernandez de Plantis Mexican.* lib. 8. cap. 28. coram suis Auditoribus magnum Mandragoræ pomum, unà cum seminibus jejunus absumpsit, sine ullo vel somni, vel alterius mali signo minimo, & ut experimentum esset certius, jejunus usque ad prandium, per aliquot nempe horas, permansit, & à vino, nè vis pharmaci debilitaretur, abstinuit. Idem experimentum se quoque persæpe fecisse testatur Jo. Terrentius.

Cùm ergo Mandragoræ poma & esculenta sint & odorata, non est cur aliam interpretationem vocis Hebrææ *Dudaim*, quæ matri suæ *Liæ Reuben* attulit, quæramus. Cumque veterum testimonio semen Mandragoræ potum uteros purget, verisimile est Rachelem hujusce facultatis consciam poma Mandragoræ expetivisse, ut purgato utero aptior ad concipiendum redderetur, liberósque non minùs quàm Lia soror & in ancilla Zilpha procrearet. *J. B.*

Cortex radicis, qui ad nos aliunde, potissimum ex Italia asportatur, narcoticus est ac soporiferus (inquit Schroderus) rari usûs intrinsecus. Extrinsecus ejus usus est in oculorum rubore ac dolore, in Erysipelate, in tumoribus duris, strumis &c.

Agyrtæ & impostores pro Mandragoris circumferre & plebi divendere solent fictitias quasdam imagines ex aliarum stirpium radicibus recentibus efformatas, Altheæ, Arundinis, sed præsertim Bryoniæ.

Cap. XVII.

Ipeca coanna Brasiliensibus Marggravio. *Herba Paris Brasiliana polycoccos.*

Marggr.

Ex *radice* spithamæ longitudine & ampliori, flexuosâ, nodosâ seu geniculatâ, multis filamentis lateralibus præditâ, quæque corticem habet subruffum instar Tormentillæ, interius autem alba est & in medio habens medullam, à qua reliqua substantia viridis radicis detrahi potest, medulláq; removeri, progeneratur unus aut alter *caulis*, semipedalis aut paulò longior, teres, lignosus, lentus, coloris cinerescentis, partim terræ incumbens aliásque radices agens, partim surrectus. In uniuscujusque hujus summitate sex, septem aut octo utplurimum folia insident modo Herbæ Paris, superiùs saturatè viridia, inferiùs dilutiora, nervo uno secundum longitudinem, & multis venis transversis prædita instar foliorum Lupini, ad tactum ut folia Asari sed molliora. E medio horum in proprio pediculo enascuntur decem, duodecim, aut quindecim flosculi, in capitulum congesti, parvuli, albi, pentapetali, cum totidem staminulis albis. Post flores sequuntur totidem baccæ brunnæ seu saturatè Laccæ coloris, magnitudine Cerasi sylvestris: bacca intus continet pulpam albam succulentam, cum duobus granis seminis duris, flavescentibus Lenticularis figuræ.

Amat planta humidas sylvas & in hortos translata nullum sumet incrementum. *Locus.*

Radix contusa, & drachmæ unius pondere in poculo vini aquâ mixti macerata, deinde leviter bullita, si bibatur, per vomitum & secessum purgat, & non solùm in dysenteria sed etiam in affectibus ventriculi datur optimo successu. *Vires.*

CAP.

CAP. XVIII.

De Herba Paris.

HErba Paris dicta caulibus non ramosis, unico in singulis flore & bacca, determinatè sive ex una distinctione foliatis ab aliis omnibus plantis distinguitur.

A. 1. *Herba Paris* Ger. Park. J. B. *Solanum quadrifolium bacciferum* C. B. Herb Paris or True-love, One-berry.

J. B.

Radicem obtinet tenuem, geniculatam, repentem; *caulem* mediocriter crassum, teretem, solidum, duos palmos altum, propè terram rubentem, superiùs viridem: *folia* duobus cis summum caulem digitis quaterna, rariùs quina [teneræ antequam hastam producat terna sunt] ex angusto principio lata, in acumen desinentia, rugosa & nervosa, per margines æqualia, infernè splendentia, supernè non item. *Flos* in hastula singularis, ex quatuor latiusculis, acuminatis, viridantibus foliis; inter quorum duo quælibet foliolum tenuissimum acutissimúmque ejusdem coloris intercedit. *Stamina* pro foliorum numero octona, longa, acuta, viridia, additamentis croceis [aliàs albentibus] obsita. In medio sessilis *baccula* quadrangula, & interdum pentagona, atropurpurea, ex cujus umbilico quaterna *filamenta* ejusdem cum ea coloris emicant. *Semen* acino inclusum album, minutum [magnitudine Papaverini aut Amaranthi] copiosum. Odor virosus & ingratus.

Locus. In montium, sylvarum, convallium & frutetorum opacis, ac perinde aliis umbrosis pingui ac læto reperitur solo, ut rectè J. Bauhinus. Aprili mense è terra exit, & Maio aut Junio baccam perficit. De hujus viribus sic breviter Schroderus; Baccæ & folia refrigerant & siccant. Usus baccarum internus est alexipharmacus in peste, venenatis morbis, veneníque assumptis (ex. gr. Arsenico) Extrinsecùs foliorum usus est in bubonibus pestilentialibus aliísque calidis tumoribus, in paronychia, in ulceribus inveteratis.

Plantam hanc non Aconitum credendum esse, sed potiùs Alexipharmacum probat Lobelius experimento duorum canum, quibus Arsenicum & sublimatum dederat, quorum alter, cui pulverem Saxonicum exhibuit, convaluit; alter, cui nihil dedit, extinctus est. Vid. historiam integram *Adv.* pag. 105.

An tutum sit pestilentialibus morbis applicare narcotica, meritò controvertitur, inquit J. Bauhinus. Casp. Hofmannus ad fidam experientiam provocat Matthiolus adversùs veneficia commendat, aitq; se novisse quosdam veneficiis semistultos factos hujus plantæ semine ad vicessimum usq; diem hausto drachmæ pondere, pristinæ sanitati omnino restitutos esse. Nos contra pronunciamus eos semistultos vel planè stultos esse, qui credunt veneficia à sagis illata (si tamen intulerint) tolli posse per verba, herbas, aut ejusmodi præstigias.

Quod ad verba attinet & nos cum Bauhino sentimus: non videmus tamen cur herbæ non possint corrigere & sanare morbos, quos spiritus mali humores corporis depravando intulerint.

* 2. *Solanum triphyllum Canadense* Cornuti. *Herba Paris Canadensis rotunda radice* Park.

Corn.

In pedem surgit *cauliculus* teres & viridis, qui in medio sui tribus *foliis* adversis inter se, latioribus & in obtusum mucronem desinentibus colorísque obscurè virentis intercipitur. Ultra hæc enim nudus transilit caulis, qui in summo *florem* unicum gestat, sex foliis constantem, quorum tria subjecta tota viridia sunt & brevia: tria verò superiora longiora & latiora atropurpurascunt. Nascitur in eorum medio *pomum* exiguum, quod maturitate pullum & nigrum redditur, *seminibus* parvis Solani hortensis æmulis turget. Sapor huic dulcis. *Radix* non per summam tellurem errat ut nostras, sed in tuberculum conglobatur.

Tempus. Hujus flos colore nonnunquam variat, candidus siquidem reperitur. Ineunte Maio floret; Junio bacca maturescit, Julio præter radicem omnia deficiunt.

* 3. *Solanum triphyllon Brasilianum* C. B. *Herba Paris triphyllos Brasiliana* Park.

C. B.

Ex *radice* tenui, oblonga, obliquè serpente *cauliculus* emergit singularis, glaber, palmum superans, circa quem *folia* terna, ex uno centro prodeuntia, & in latus sparsa, Solano tetraphyllo similia, latiora tamen, uncias quatuor lata, quinque longa, ex rotunditate acuminata, tenuia, lævia, venosa, supra quæ *cauliculus* unciarum quatuor assurgit, cui tria alia *folia*, uncias tres longa, longéque angustiora insident calicis instar sustinentia *florem* magnum, album, venosum, ex tribus foliis, uncias duas longis, & ferè unciam latis, compositum.

Locus. In sylvosis Brasiliæ apud Tououpinambaultios copiosè oritur. Habetur & in Canada, ut refert Parkinsonus.

A vulgari Herba Paris flore magno, tripetalo differt.

Cap. XIX.

Herbæ Paris affinis bifolia, Pomum Maiale Londinensibus.

Aconitum humile bifolium, sive Aconitifolia flore albo unico Leucoii campanulato, fructu Cynosbati Mentzel.

Mentzel.

EX *radice* Anemones albâ, fuscâ, tuberculosa, quæ ad sui propaginem juxta terræ superficiem latè serpit, crassásque in terram altásque fibras demittit, exsurgit *cauliculus* uncias quinque vel sex longus, albus, rotundus, firmúsque tanquam ferreum filum qui in duos iterum dirimitur cauliculos tanquam ramulos priori similes, uncias quatuor longos: quilibet ramulus folium unicum Aconiti pardalianchis Napellique foliis non absimile (licet non adeò minutim sit dissectum) sustinet. Duo hæc folia sex laciniis constant, quæ basi tenui juxta pediculum suffulta in latius foliolum saturatè viride desinunt, in extremo in duos apices, qui cum suis lateribus parùm retrò flectuntur, divisa. Ex ala cauliculorum folia sustinentium sub finem Aprilis & principium Maii erumpit *flos* cum suo pediculo non infirmo, semunciam longo: hic antequam aperitur ob staminum intus latentium & styli crassitiem Cynosbati ferè fructum refert: at ubi flos expanditur Campanulæ pendulæ sive Leucoii bulbosi speciem exhibet. Constat autem flos sex foliolis rotundis, concavis, candidis, ad margines parùm plicatis & tactu facilè decidentibus: Intus latent *stamina* duodecim lutea, stylum crassum, tribus in summitate fissuris muscosis præditum circundantia, odorémque Pyrolæ minimæ spirantia. Circa finem Maii cùm flos decidit stylus incipit crassescere & demum Cynosbati formam & magnitudinem acquirere; cujus apex aliquid fungosum aut muscosum retinet. *Fructus* initio viridis per maturitatem flavescit parúmque rubescit, cutéque satis crassa intra se corpusculum Fragi maturi formâ, semina exigua in superficie sustinens & tenui basi innixum claudit. Planta *radice* per terram serpendo se propagat: primo anno unicum foliolum cum suo caule protrudit: sequenti anno caulis cum suo folio fit crassior; tertio verò caulis bifurcatur, dúoque folia cum suo flore & fructu profert. Hanc plantam Londino missam Pomi Maialis titulo in hortulo nostro Cantabrigiæ aliquot annos aluimus: Est autem (ut puto) Virginiæ incola.

Ad Herbam Paridis nobis videtur accedere.

Cap. XX.

Monophyllo affinis Brasiliana innominata Marggr.

Marggr.

EX *radice* alba, succulenta, oblonga, & multis filamentis prædita producit quatuor, quinque, sex aut plures *caules*, rotundos, cavos, fistulosos, virides, spongiosos, bipedalis aut etiam majoris longitudinis: quilibet autem tantùm unicum sustinet folium & superiùs unicam *spicam*, quæ prodit è latere caulis velut è vagina. *Folium* autem quodlibet quatuor vel quinque dig. est longum & splendidè viride, figurâ cordis: Flosculi verò in spicam congesti, longiusculi & sex petalis constantes, quorum tria superiora coloris sunt cœruleo-purpurei, inferiùs vergentia obscurè purpurei. Inodorus est flos.

Cùm fructum non describat autor, quò pertineat planta nescimus, ubicunque autem disponenda Monophyllum rectè dicitur, cùm unicum tantùm in uno caule folium obtineat.

Cap. XXI.

De Solano.

SOlanum, Στρύχνος Græcis, quasi Sulanum, quod suibus confert adversùs febres ardentes, autore Trago. *Martin.*

Solani notæ genericæ sunt Flores monopetali, quinquepartiti aut stellati, apicibus in umbilico oblongis, erectis & coitu suo umbonem quendam componentibus, semina parva compressa.

Et autem duplex vel fructu minore, v. g. Solanum vulgare, lignosum, &c. vel fructu majore, quod genus pomiferum dicitur; ut Pomum amoris, Mala insana, &c.

A. 1. *Solanum*

A. 1. *Solanum lignosum sive Dulcamara* Park. *Solan. scandens seu Dulcamara* C. B. *Amara dulcis* Ger. *Glycypicros sive Amara dulcis* J. B. **Woody Nightshade or Bittersweet.**

Sarmenta lignosa, fragilia, tenuia, duos aut tres [imò quinque aut sex] pedes longa, vicinis sepibus aut fruticibus se circumvolventia, aliàs humi procumbentia emittit. Cortex novellorum ramulorum viret, sed vetustiorum ipsorúmque caudicum asperior cinericeo subcandicat colore, extrinsecùs quidem, nam intrinsecùs pulchrè etiam viret. Medulla intus fungosa. *Folia* alternatim enascuntur, Solani hortensis, atrovirentia, duabus pinnis nonnunquam imâ parte aurita, pediculo circiter unciali. *Flores* in muscariis exiguis fœtidi sed pulchelli, cœruleo-purpurei, quandoque candidi, in quinque folia angusta, acuminata, extrorsum reflexa partiti, in quorum medio apices lutei in umbonem compositi. Hisce succedunt *baccæ* per maturitatem coccinei coloris, sublongæ formæ, molles, lenti & ingrati saporis parvis, *granulis* compressis albentibus repletæ. Radix fibrosa.

Locus. Aquosa & rigua amat, atque hinc circa scrobes & fossas sæpe reperitur. Junio & Julio floret.

Vires. Sebizius viridem Dulcamaram contusam & cataplasmatis formâ applicatam ait mitigare mammarum dolores, ac emollire earum duritiem, dissolveréque in iis grumescens lac.

Urinam ciere dicitur, & contra hydropem cum fructu exhiberi. Accipe, præceptore Trago, lignum de hac planta libræ pondere, ac minutim in frustula tali ludicri instar concisa cum mensura vini albi, in novam ollam, eámque operculo (per quod tamen foramen in medio exiguum transfigito) probè contectam, ità quidem ut cum farina ex aquâ undique oblinatur, reponas supérque carbones lento igne decoquito supra tertias, demúmque his utare. Hæc potio manè unâ hora antequam surgas, & vesperi cùm lecto te committere velis, cyathi vulgaris mensura sumpta morbum regium, præsertim inveteratum leniter per alvum & urinam exigit. Fertur ruptis & ex alto præcipitatis aut etiam cæsis succum utiliter bibi. Creditur siquidem concretum alicubi in visceribus sanguinem dissolvere, & partium læsarum sanitatem procurare: Efficax etiam censetur ad aperiendas obstructiones hepatis & lienis. At Parkinsonus scribit quoties ex Medicorum præscripto illum exhibuit se comperisse satis violenter purgare. Et Prævotius ligno Dulcamaræ decocto inter bilem benignè evacuantia principem locum tribuit. Lib. *De medicina pauperum.*

℞. Foliorum manip. quatuor concisos cum ℥iiij. semin. Lini subtiliter pulverisat. decoque in vino moschato Cretico, aut larido porcino ad consistentiam cataplasmatis calidum applicetur. Unius noctis spatio tumorem capitis humani magnitudine resolvit, & contusiones deploratas musculorum sanavit. D. Hulse communicavit.

A. 2. *Solanum vulgare* Park. *hortense* Ger. *S. hort. sive vulgare* J. B. *bacciferum I, sive Officinarum* C. B. **Common Night-shade.**

J. B.

Primariæ *radici*, quæ plerunque parùm altè agi solet, numerosæ fibræ majusculæ & oblongæ adnascuntur: unde caulis assurgit unicus pedalis aut cubitalis, teres, quibusdam tamen velut alis membranaceis angulosus, solidus, obscurè viridis, seu ex viridi nigricans, in multas alas divisus. *Folia* in caule ad intervalla singularia, pediculis longis appensa, ad folia Atriplicis accedunt, atrovirentia, modò sinuata aliàs integra, brevi & vix conspicua lanugine utrinque hirsuta, mucrone acuto. Juxta folia è caule exeunt rami majores, & ex ipsis foliorum alis alii minores. Ex adverso foliorum, plerunque tamen in caule aliquanto inferiùs, exeunt surculi seu pediculi majusculi, digitales aut longiores, in summitate dispertiti in plures minores pediculos, quorum singuli *flores* sustinent monopetalos quidem, verùm in quinque lacinias acutas totidem folia imitantes reflexas ad unguem ferè divisos, totidem pariter stamina cum apicibus suis luteis oblongis coeuntibus & stylum viridem è media bacca exeuntem occultantibus ambientes. Flores excipiunt *baccæ*, corymbis hederaceis pares, per maturitatem plerunque nigræ, interdum flavicantes, aut rubræ, succo prægnantes, in quibus *semen* plurimum minutúmque. *Calix* floris parvus quinquepartitus: Flosculi & baccæ deorsum nutant.

Tempus. Augusto & Septembri mensibus floret & semen perficit, superveniente hyeme primis statim pruinis corrumpitur.

* 2. *Solanum Brasiliense* Aguara quiya *dictum.*

Per omnia ferè cum præcedente convenit, ut vix possum mihi persuadere specie diversum esse, quin & Marggravius ipse idem facit. Verum folia Capsici ei attribuit, duo, tria, vel quatuor juxta se posita, quod in nostrate non observavi nisi intelligat germina è foliorum sinubus, (quod videtur) cum inæqualis magnitudinis esse scribat: deinde semina purpurascentia.

3. *Solanum lanuginosum hortensi seu vulgari simile.* **Hoary Night-shade.**

Solano vulgari major est & elatior, *caule* crassiore, lanuginoso, rubente: *Foliis* lanuginosis, mollibus & incanis, mucronibus & segmentis obtusioribus, minúsque profundis quàm in vulgari Solano. *Flores* eundem obtinent situm & figuram, verùm duplo majores sunt & lanuginosi, teneriores quoque & molliores. *Baccæ* per maturitatem croceæ.

Locus ejus natalis mihi non innotescit, semen ejus Londino ad me misit Edvardus Morganus.

Vires. Solanum hortense erat olim edule. Refrigerat cum adstrictione. Usus apud Dioscoridem est in Erysipelatis foris. Hoc Dodonæus vehementer improbat, quòd repellat. Adhibetur etiam in dolore capitis & in parotidibus externè.

Remedium est præstantissimum in penis inflammatione ex lue Venerea orta curanda, cum albumine ovi. Succus carpis applicatus febrem tollit, ut & in gargarismis; internè non suadeo. Communicavit D. Palmer, ex dictatis D. Hermanni Botanices Professoris & horti medici Leydensis præfecti.

Tumoribus mammillarum frigidis linimentum ex succo Sempervivi, Solani & albumine ovi tepidum sæpius inunctum mirificè prodest. Ex observationibus Marcelli Cumani ab Hier. Velschio editis excerpsit & misit D. *Barn. Soame*.

4. *Solanum fruticosum bacciferum* C. B. *fruticosum Americanum dictum Amomum Plinii* Park. *Amomum Plinii* Ger. *Strychnodendros* J. B. **Tree Night-shade.**

J. B.

Arbuscula trium cubitorum aut altiore proceritate, gracili stipite, quam cortex integit cinereus, in ramis viridis. *Folia* Euonymi, atrovirentia, sapore subacri. *Flores* Solani hortensis, candidi, quinque foliis reflexis constantes, apicibus totidem in medio croceis conjunctis. Succedit singulis floribus bacca fructui Halicacabi Solani æqualis, coccinea, seminibus similibus referta, luteis orbiculatis, compressis. *Radix* multas fibras luteas annexas habet.

In nostris regionibus folia hyeme amittit. Tota planta [folia, flores, semina] odore & sapore caret.

Locus & Tempus. Locus ejus natalis non traditur, Americæ tamen indigena putatur. Julio plerunque aut Augusto apud nos floret, rariùs Junio. Vix ante Solstitium hybernum aut Natalitia Christi fructum maturat.

§. *Solana fructu majore Pomifera dicta.*

* 5. *Solanum pomiferum fructu rotundo, striato duro* C. B. J. B. *Mala Æthiopica* Ger. Park.

J. B.

Caule est singulari Solanum pomiferum dictum, crassitudine digitali, recto, cubitum alto aut majori, minùs patulo seu ramoso, glabro lætè virenti, medullâ albicante pleno, spinis subinde donato, in ramos plures diviso. *Folia* Melanzanæ foliis paria, sinuata, atro-virentia, undique glabra, spinis fortuitis, aversa parte costæ mediæ innatis, horrentia. *Flores* Solani vulgaris albi, cono luteo. *Poma* sequuntur rotunda, torulis canaliculata sive striata, dura, quàm Pomi amoris vulgaris minora, per maturitatem rubra, pulpâ intus acidâ, non adeò molli & humida quàm illius: *Semina* parva, compressa, pallidè lutea, Pomi amoris similia.

Ex Æthiopia in Hispaniam primùm invecta existimatur *Dod.* inde ad nos venit.

Parkinsonus Solanum pomiferum herbariorum *Lob.* à Malis Æthiopicis dictis distinctum contendit, quòd scilicet nullas neque in caulibus, neque in foliis spinas habet. Nos cum Bauhino utroque Solanum illud Mali Æthiopici synonymum facimus.

6. *Solanum pomiferum fructu oblongo* C. B. *Sol. pom. fructu rotundo* J. B. *ubi tamen mendum typographicum subesse suspicor, &* fr. oblongo *scribendum. Mala insana Syriaca* Park. *Mala insana* Ger. **Mad Apples.**

J. B.

Fibrosas parùm altè defigit *radices* (inquit J. Bauhinus) *Caulem* plerunque erigit singularem, dodrantalem aut pedalem, teretem, rubentem, lanugine quadam, quæ facilè detergi potest, obsitum, crassitudine digitali, ab imo statim ramosum, ramulis creberrimis nullo ordine positis, è foliorum alis exeuntibus. *Folia* perampla sunt, palmaria scilicet aut sesquipalmaria, palmum ferè lata, quercinorum quodammodo figura & circumscriptione, per ambitum sinuata, non tamen crenata aut dentata, pediculis palmaribus crassissimis insidentia. Tum caulis, tum venæ majores foliorum rubent: Folia ipsa saturatè virent, pulvisculo quodam seu lanugine velut farina albicante aspersa: costæ seu nervo folii medio spinæ nonnunquam innascuntur. Ex adverso foliorum exeunt *flores*, nunc singuli, nunc bini ternive in eodem surculo, è calice spinulis rubentibus horrido, in quinque acuta segmenta diviso, monopetali quidem verùm in quinque aut sex lacinias stellæ in modum expansi, ampli, sinuosi, purpurei aut albicantes: quibus succedunt *poma* ovi vel cucumeris, circiter magnitudine, ex rotundo sublonga, colore purpureo virescentéve, lævi cortice, succosa albicantéque intus pulpâ, in qua copiosa *semina*, albicantia, compressa, Piperis siliquastri æmula.

Belingela Lusitanis, *Tongu* Angolensibus, *Macumba* Congensibus *Marggr.* ab hac planta non diversam specie esse cum Marggravio sentimus; quantumvis Jo. de Laet Marggravium in hoc deceptum putet, falsus ipse.

Affinia cùm essent Mandragoris hæc poma, quidam Recentiorum suspicati sunt marem Theophrasti Mandragoram esse, eóque esu lethalia rati, mala insana vocarunt; cùm tamen nullos excitent furores, verùm in acetariis & bellariis iis utantur Itali & Hispani. Saporem habent Citrii. *Marggr.*

* 7. *Solanum pomiferum fructu incurvo* C. B. J. B.

J. B.
De hoc Rauwolfius, Halepi reperiuntur tria genera Melantzanorum, Arabibus etiam *Melongena* & *Bedengiam* dicta, cinerea, lutea & rubella, longitudine & curvitate eadem, longis Cucurbitis similia.
An à præcedente specie differat necne nos latet.

* 8. *Solanum pomiferum fructu spinoso* J. B.

J. B.
Rauwolfio poma longa sunt & rotunda, majora, colore nigra, lævia, ita lucida ut splendeant. Melanzana nigra Lugdunensi Hist. inscribitur, fructus longus, altus, aliàs rotundus, colore nunc atro, nunc subnigro, cortice lævi & procul intuenti splendido.

* 9. *Pomum de Hiericho, Melongenis congener* J. B. *Solanum spinosum fructu rotundo* C. B. *spinosum fructu rotundo, sive Pomum Hierichonticum Imperato* Park.

Imper.
Folia producit candicantia, simillima foliis Melangianæ Italis dictæ, sed paullò minora. *Caules* & foliorum costæ spinosæ sunt: *flores* cœrulei instar florum Buglossi: *Fructus* rotundi pomi instar, quorum color antequam maturescant viridis, maturorum flavus, sapore insipido & aliquantum odorato.
Huic eandem aliquando existimavi plantam illam, quam olim apud Jo. Tradescantium vidi Lambethæ in horto enutritam, nomine *Plantæ spinosissimæ Virginianæ Boraginis flore*, quámque Morisonus noster in *Prælud. Botan.* breviter describit sub titulo *Solani, foliis & caule spinosis*, cujus tamen fructum se nunquam vidisse fatetur.
Verùm à Paulo Boccone oculato teste edoctus *Solanum isthoc dictum foliis & caule spinosis* capsulas seminales atque etiam fructum Capparis formâ obtinere, sententiam muto, ídque non tantùm à Solano descripto seu Pomo de Hierico diversum arbitror, sed & an omnino ad hoc genus pertineat dubito. Donec tamen mihi certiùs constiterit ubi disponi debeat, locum quem ei assignârunt Botanici recentiores tueatur. Descriptionem autem ejus Bocconianam, quoniam plenior est & accuratior, hic subjiciam.

10. *Solanum spinosum Indicum Borraginis flore Ico. Roberti* Hort. Paris. *Sol. foliis & caule spinosis* Moris. præl. *Solan. spinosum, maximè tomentosum* Bocc. *Jurepeba Brasiliensibus* Marggrav.

Bocc.
Radix ejus longè latéque sub terra reptat. *Cauliculos* promit pedales, subinde sesquipedales, aculeis mordacibus seu pungentibus frequenter armatos. *Folia* per nervorum longitudinem infernè & supernè paribus spinis infesta, in margine leviter sinuata, utrâque parte pingui tomento obsessa. *Flores* Boraginis facie. Capsulæ seminales atque fructus (ut Florentiæ vidimus) Capparis formâ.

Locus. E Virginia in Angliam intulit Jo. Tradescantius: eandémque ibi nuperrimè observavit *D. Banister*.
Marggravius hanc sic describit, Planta est frutescens, quæ in quatuor, quinque aut sex pedum altitudinem assurgit, caule lignoso, eóque ut & ramis albâ lanugine vestitis, necnon raris hinc & inde spinis. Folia suo quodlibet pediculo rotundo, crasso & hirsuto insident, spithamæ longitudine, inferna parte lanuginosa instar foliorum Jacobææ, superna viridia, suntque præterea laciniata & quasi è septem triangulis composita. In summitate ramulorum fert flosculos, umbellatim quasi congestos, lactei coloris cum pauco cœruleo mixti, qui exactè quinquangularem stellam repræsentant, constántque unico folio in tot triangula effigiato & quasi diviso: in medio autem quinque staminula stant erecta.
Piso florem Boragini simillimum ei attribuit sed odoratiorem.

Varietas. Nuperrimè inter plantas in horto Medico Leydensi à Viro eruditiss. D. *Jos. Palmero* M. D. Londinensi, demonstrante *D. Hermanno*, observatas & annotatas invenio triplicem hujus speciem; unam *spinis violaceis, fructu croceo*; alteram *spinis flavescentibus*; *tertiam*, quam vocat Africanam perennem flo. Boraginis, fructu croceo.
Descriptio Marggraviana, & nomina huic plantæ imposita in horto Leydensi Solani speciem arguunt.

* 11. *Solani species ex Apennino quibusdam* J. B. *Solanum peregrinum fructu rotundo* C. B. *Mala insana Europæa* Park.

Lugd.
Herba rara est, & foliorum & fructûs figurâ insignis: *foliis* quidem oblongis, per ambitum sinuosis venosis, ternis ferè simul ex intervallis per caulem prodeuntibus teretem, digiti crassitudine, ferè cubitalem: *fructu* autem in caulium vertice rotundo exiguo Malo simili, Pruni magnitudine, semine pleno.

In

In Apennini sylvis umbrosis & densis reperiri retulit Dalechampius. *Locus.*
Planta hæc nobis hactenus incognita est: invenio eam in Catalogo horti Regii Parisiensis.

* 12. *Solani species* Fockii Fockii *dicta Javanensibus* Bontii.

Bont.

Quantum ex foliis, floribus, fructu denique hujus plantæ conjicere licet, certo certius est hanc speciem Solani esse, nisi quòd fructus longè grandiores sint quàm Solani nostri, utpote qui cubiti longitudinem quandoque excedant, corticéque tam lævi, ut speculi modo humanam effigiem remittere possit. Foliis quoque hirsutioribus est, & quasi lanam superinductam gerentibus. Crassitudine brachium humanum facilè æquant [fructus]. Pleni intus sunt seminibus minutis, quales etiam in baccis Solani vulgaris inveniuntur. Fructus porro in his regionibus non solùm sunt edules, verùm etiam delicatissimi saporis, si coquantur cum vino & pipere eundémque gustum obtinent quem Cinaræ basis. Boni sunt nutrimenti, tum diureticam vim obtinent, ideóque calculo vesicæ & renum affectibus admodum utiles sunt.

Hujus est & alia species sylvestris, fructu planè sphærico & ubi maturuit flavo, cum domesticus purpureo sit, vel grandinis instar albo, sapore amaro, ut nonnisi ab Apris & Rhinocerotibus devoretur. Porro hujus plantæ caulis planè spinosus est, unde imprudenter non secus ac Rubus attingi non debet. *Species sylvest.*

13. *Solanum pomiferum fructu rotundo striato molli* C. B. *Mala aurea odore fœtido, quibusdam Lycopersicon* J. B. *Pomum amoris majus fructu rubro* Park. parad. *Poma amoris* Ger. **Apples of love.**

Caules ei infirmi, longissimi, intus concavi, pilis longiusculis hirsuti, humi procumbentes, ab exortu mox ramosi, ramis multis ipsum etiam caulem longitudine æquantibus, & in plures adhuc ramusculos divisis. *Folia* è tribus ferè pinnarum seu loborum circa margines dentatorum conjugationibus ad mediam costam adnexis, cum impari majore in extremo composita, interpositis etiam aliquot minoribus lobulis Agrimoniæ foliorum quadantenus æmula, nisi quod pinnæ seu lobi acutiores sunt, aut prorsus glabri, aut paucissimis pilis costis aversis innascentibus hirsuti, pallidiùs virides. *Flosculi* in surculis non ex alis foliorum, sed spatio inter duo folia medio ferè oriuntur, ut in vulgari Solano, decem aut duodecim simul, pediculis privatis uncialibus aut majoribus, quorum singuli nodum seu geniculum habent propè florem, ubi genuinus fructûs pediculus incipit. *Flores* flavi sunt, monopetali quidem, verùm in quinque segmenta eatenus divisi ut pentapetali videantur; umbone in medio flavo, è quinque staminum apicibus arctè cohærentibus composito. Figura floris Solani vulgaris, nec eo major, *calix* pariter quinquepartitus, hirsutus, uti sunt & florum pediculi. Floribus succedunt *fructus* Cerasis majores, aliàs figurâ non multùm dissimiles, per maturitatem è croceo rubescentes, carne seu pulpa humidâ esculentâ, *semina* plura flavicantia, vinaceorum ferè figurâ continentes.

In hortis nostris sata, quamvis seriùs germinat, luxuriat admodum, post mediam æstatem florens & Autumno fructum perficiens: superveniente hyeme primis statim pruinis corrumpitur. *Tempus.*

Aliam speciem proponit D. Morisonus in *Præl*ud. *Bot.* titulo Pomi amoris fructu molli, striato, aureo, quæ solis fructûs striis à præcedente distinguitur. *Varietas.*

Succus herbæ valdè opportunus est incipienti epiphoræ fluxionibúsque oculorum fervidis, glaucoma facturis, si per initia admoveatur. Non enim modò irruentis humoris impetum sistit, sed etiam calorem moderatur sæpiùs periculo à recentioribus facto. Quinetiam Erysipelatis ignibúsque sacris vehementer obluctatur. *Vires.*

Italis nonnullis esitantur poma cum pipere, sale & oleo præparata, non secus atque Cucumeres. Sed eduntur & cocta; nescio quo commodo: Nam teter quam halat tota planta spiritus, ea parùm tutò in cibos venire satis prodit. Succo aqueo abundant nobis gustantibus parum grato, & certè alimentum quod corpori præstant perexiguum est & vitiosum.

In oleo cocta ad scabiem sunt efficacia. Eadem arte Chymica oleum subministrant ad ambusta percommodum. *J. B.*

14. *Solanum tuberosum esculentum* C. B. *Battata Virginiana* Ger. Park. parad. *Arachidna Theophrasti fortè, Papas Peruanorum* Clus. *Papas Americanum* J. B. **Virginia Potatoes.**

Caulis bicubitalis ac tricub. ac etiam altior, [quinq; aut sex interdum cubitos longus *Clus.*] pollicari crassitudine, succulentus, subrotundus, striatus, subhirsutus, viridis, crebris punctis rubentibus maculosus, inanis, ramosus [ramis longis infirmis, in terram nisi adminiculis sustinentur procumbentibus,] inæqualis propter eas quas habet inde usque à foliorum pediculis adnatas membranaceas alas, atropurpureas, nonnunquam crispas. *Folia* sesquipalmaria ex tribus foliorum conjugationibus componuntur [interdum quatuor aut pluribus] quibus impar unum, reliquis majus ferè, alam claudit. Sunt autem singularia folia subhirsuta, ortu quidem inæquali, non adeò tamen quin alam quoquo modo deforment, altero tanto longiora quàm latiora, atrovirentia & splendentia supernè, infernè abest & splendor & viroris intentio: conjugationes singulas intercedunt alia foliola rotundata, Lenti aut Lupino ferè paria, ortu & positu perinde inæquali. [Quæ primo nascuntur folia Barbareæ similia sunt ex atro purpurascentia, villosa, cæteris pallidè virentibus, absque pediculis palmum longis. *C. B.*]

Rami in plures pediculos abeunt, crassos, angulosos, pedales, atque hi rursum in alios numerosos hirsutos, geniculo uno donatos, unde cum parte reliqua pediculi cadunt facilè vel sua sponte *flores*, quorum singuli ex calyce viridante quinquepartito, floribus Malvæ sylvestris procerioris magnitudine pares [uncialis amplitudinis aut majoris *Clus.*] Malorum insanorum formâ *C. B.* Nicotianæ *Park.* Nobis Solani halicacabi vulg. singulari folio constantes, cum quinque apicibus obtusis in ambitu, exteriùs ex purpura candicantes, interiùs purpurascentes, vel ex cœruleo purpurascentes [interdum albescunt] Cæterum à stylo viridante quem circumstant quinque fibræ croceæ in umbonem coeuntes ad unumquemque apicem excurrit radius virescens. Florum in eodem pediculo numerus decem aut duodecim, aut etiam major, quorum alii clausi, pauciores aperti: odor florum tiliæ. Succedunt poma floribus numero paria, castaneæ circiter magnitudine, sed formâ orbiculatâ, immatura atrovirentia, matura atro-rubentia, rariùs alba & striata, humida & albicante pulpâ plenâ, quæ seminibus multis parvis, plenis, subrotundis, Solanorum similibus referta est.

Radix tuberosa est, aliquando pugni magnitudine, aliquando oblonga, aliquando minima [palmari longitudine & sesquipalmari ac etiam multo minor *J. B.*] inæqualis, quibusdam vestigiis donata, unde germina anno sequente emersura sunt, cute fusca aut atro-rubente tecta, medullâ sive carne firmâ & albâ, & quandoque tuber ex quo planta nascitur cùm eruitur inane & flaccidum reperitur. Ad caulis exortum radices complures, fibrosæ, oblongæ, albicantes, per terram sparsæ, quandoque in profundum descendentes, quibus aliæ tuberosæ radices adnascuntur, ità ut plantam hyemem versùs erutam ultra quadraginta [quinquaginta *Clus.*] tubera diversæ magnitudinis notaverimus, quas plerique eruunt ne per hyemem putrescant, & sicco loco, calidiore tamen, alii in vase terrâ siccâ pleno reponunt, ut verno tempore rursus terræ committant.

Tempus & Locus. Floret (inquit C. Bauhinus) apud nos mense Junio, & sæpe in Autumnum usque, & primis pruinis offenditur. E Virginia primùm in Angliam, inde in Galliam aliásque regiones delata est. Hujus radices in Virginia *Openanck* dicuntur.

Usus radicum. Indi, Acostâ referente, radicibus panis loco utuntur, quem *Chunno* vocant : quin & aliud edulium, eodem *Chunno* nomine nuncupatum, admodum diu durans, ex ejusmodi radicibus Sole siccatis, inque partes dissectis conficiunt : Sed & viridem vel coctam, vel assatam manducant. Nostrates (inquit C. Bauhinus) aliquando Tuberum modo sub cineribus assant, & cuticulâ ablatâ cum Pipere comedunt, ad Venerem excitandam, semen augendum. Alii & tabidis utiles volunt, cùm bonum alimentum præbeant. Non minùs quàm Pastinacæ & Castaneæ alunt, & flatulentæ sunt. Relatum mihi nunc apud Burgundos harum radicum usum interdictum, persuasis earum esum lepram causare. Hactenus *C. B.* qui & Burgundos ramis reclinatis terrâque tectis hanc plantam propagare scribit.

Nos in Anglia radices hasce eisdem modis præparamus quibus Battatas Hispanicas.

Ebrodunensis historiæ Autores Casparum Bauhinum immeritò carpunt, quòd Plantam hanc Solanis annumeraverit, qui sanè (quicquid illi agganiunt) non contemnendis, imo validissimis rationibus permotus id fecit. Solanum (inquit) appellavimus propter formam aliquam foliorum cum malis aureis, florum cum Malis insanis; fructuum cum baccis Solani vulgaris; seminum cum Solanis pæne omnibus; denique propter totius plantæ odorem, quem cum Solanis communem habet. Nec enim à viribus, sed à similitudine & convenientia in partibus præcipuis notæ generum Characteristicæ desumendæ sunt.

Batata recens contusa, affusâ pauculâ aquâ, atque macerata, fermentando fit potus, quo Indigenæ utuntur, imò subinde abutuntur ad inebriandum. Hic potus nominatur *Mobby* & *Jetici.*

CAP. XXII.

De Capsico seu Pipere Indico, quod Solani species videtur, aut ad Solanum accedere.

KAψικὸν Actuario à κάπτω mordeo, quòd semen comestum mordeat, imò adurat. Siliquastrum Plinii esse vel indè constat (inquit J. Bauhinus) quòd Plinius Castore Siliquastrum demonstret caule rubro & longo, densis geniculis, foliis Lauri : semine albo tenui, gustu Piperis : & alio in loco, Panax Piperis : saporem reddit, & magis etiam Siliquastrum, ob id Piperitidis nomine accepto. Plantam hanc ad Solani genus referendam putamus ob folia & flores similes, quamvis fructus non satis respondeat, nec tamen multum abludit, membranæ enim internæ quibus semina adnascuntur humidæ sunt, & callosæ, adeóque fructus de bacca participat.

Differentia in foliorum latitudine vel angustia : in fructûs colore & forma ; colore qui in initio aliis viridis, aliis niger, in maturitate aut ruber aut croceus, flavus, vel rarius albus : Figurâ aliis longâ, eâque vel crassa, vel gracili, vel incurvatâ ; aliis brevis, eâque latâ cordatâ, vel rotundâ Cerasi formâ, vel angulosâ : & vel erecta, vel dependente : denique & caule piloso. *C. B.*

Piper Indicum vulgatissimum C. B. *Piper Indicum sive Calecuticum sive Piper Siliquastrum* J. B. *Capsicum majus vulgatius oblongis siliquis* Park. *Capsicum longioribus siliquis* Ger. **Guinny Pepper.**

J. B.

Caulem profert singularem, pedalem aut cubitalem, [in calidioribus regionibus sesquicubitalem aut bicubitalem] angulosum [teretem *Park.*] hirsutum, solidum, cætera virentem saturatiùs, eâ duntaxat parte quâ folia oriuntur rubentem : exeunt autem folia è dimidiatis geniculis, Persicariæ latiora, acuminata, atrovirentia, aut ex viridi in flavum vergentia, crassiuscula, glabra, nervo secundùm

cundùm longitudinem decurrente, à quo ad margines obliquæ venæ divaricantur, pediculo unciam unam aut duas longo appensa, circa margines æqualia. Ex horum alis ramuli propagantur, foliis consimilibus ornati. *Flores* verò tum è foliorum alis, tum ad ramorum divaricationes, pediculo longiori, canaliculato, saturata rubedine tincto, deorsum contorto insident exalbidi, Solani vulgaris floribus majores, aliàs iis persimiles, naturaliter pentapetali, aliquando tamen ob culturam aut soli ubertatem luxuriante natura hexapetali, petalis acuminatis, stellæ in modum expansi, medium occupantibus violaceis apicibus [flavis *Park.*] totum autem florem subtus amplectente calyculo viridi in mucrones aliquot acuminato. *Siliquæ* succedunt nunc longæ, corniculorum instar habentes, vel rectæ, vel incurvæ; nunc breves & contractæ, per maturitatem punicantes, vel atro-rubentes, nitidæ: *semen* copiosissimum continentes, compressum, rotundum, fulvum [ex albo flavicans] *Radix* brevis, nec caule crassior, numerosissimas à lateribus fibras circumquaque spargens. Nulla est pars plantæ quæ acrimoniâ non sit prædita, sed præter reliquas indomitus est seminum & siliquarum fervor urentissimus.

Frater Gregorius de Regio Capucinus apud Clusium in *cur. post.* hujus plantæ varietates seu species in tres classes redegit. Primâ continentur quatuor genera, fructum surrectum & sursum spectantem gerentia. Alterâ quatuor etiam genera habet, sed fructu rotundo & ad terram inclinato prædita. Tertiâ quatuor genera describuntur oblongas & deorsum propendentes siliquas habentia.

Prima Classis seu Divisio.

1. *Piper rotundum majus surrectum.*

Fructus huic rotundus mali Apiani instar, surrectus & cœlum spectans, initio viridis, maturescens rubicundus, plenâ maturitate ruber ut coralium expolitum. Hoc genus C. Bauhino Piper Indicum siliquis surrectis rotundis dicitur, cujus quatuor facit differentias, nimirum 1. Rotundum maximum obtusum. 2. Rotundum minus parùm acuminatum. 3. Cordatum majus. 4. Cordatum minus angulosum.

2. *Piper oblongum erectum majus pyramidale.*

Fructus hujus corniculi similis est, tres aut ampliùs digitos transversos longus, mucrone surrecto & cœlum spectante, initio viridis deinde ruber. Hanc C. Bauhinus Piperis Indici siliquis surrectis & oblongis primam differentiam facit.

3. *Piper erectum minus pyramidale.*

Caulis huic humilior & folia minora quàm congeneribus: fructus dimidia parte minor quàm præcedenti nec adeò mucronatus. Hæc Piperis Ind. siliquis surrectis & oblongis C. B. secunda est differentia.

4. *Piper oblongum exiguum erectum pyramidale.*

Hujus siliquæ unciales erant aut paulò majores. Folia illi Lauri odorati vulg. caule constat recto, binos aut tres cubitos alto & in plures ramos diviso. Fructus primò virescunt, dum maturantur nigredinem contrahunt, maturi rubent ut alii. His addit C. Bauhinus aliam adhuc differentiam siliquâ bifurcatâ ex Eystet. horto.

Altera Classis.

1. *Piper cordatum.*

Folia majoris Ocymi hortensis foliis similia; caulis circiter sesquicubitalis: fructus è pediculo annuli modo nunc magis, nunc minùs contorto propendens, cordis formâ & ad terram conversus.

2. *Piper cum siliqua olivari. An* Quauhchilli *seu Chilli montanum* Fr. Hernand?

Folia Solani hortensis: caulis bicubitalis: fructus olivæ formâ propendens & terram spectans.

3. *Piper cum siliqua rotunda Cerasorum modo.*

Folia Circææ: caulis bicubitalis; fructus Cerasi sylvestris prorsus similis.

4. Piper cum siliqua lata ac rugosa.

Fructum gerit instar vesicæ rugosæ, aliquantulum latum ac longum, nec ullam cordis formam refert. Non est ingrati odoris, sed Iridis sylvest. minoris sive Armeniaci mali odorem refert.

TERTIA CLASSIS.

1. Piper oblongum recurvis siliquis.

CAulis sesquicubitalis: siliquæ 5½ digitos transversos longæ, contortæ interdum, eáque non valdè crassæ, cuspide mucronata instar cornu hinnuli.

2. Piper longum minus siliquis recurvis.

Folia quàm præcedentis minora; caulis cubitalis aut altior: siliquæ dimidiam superioris siliquarum longitudinem & crassitiem æquantes, mucrone etiam acuminato instar cornu.

3. Piper bifurcatâ siliquâ.

A præcedentibus hoc solo differt, quòd siliquas gerat non adeò mucronatas, sed æqualis fere crassitudinis, extremâ tamen parte aliquantulum angustiore, & nervo præditâ, quæ illam velut bifurcatam efficit.

4. Piper siliquâ flavâ.

Hujus siliqua quamvis brevior sit & magna ex parte in mucronem desinat, colore aureo prorsus ut Aurantia mala probè matura; aliàs vulgari similis est, ut & ipsa planta.

Alias præter has Capsici species seu varietates præcipuè ex horto Eyst. proponit C. Bauhinus, nimirum,

1. Piper Indicum fructu dependente Pomi amoris formâ.

Cui folia Solani vulg. fructus rotundi, sulcis aliquot distincti pendent, rubore coralli.

2. Piper Indicum fructu aculeato.

Duplex est, inquit, majus & minus, illud rotundum, hoc orbiculatum, utrumque rubet & in innoxium quasi aculeum abit.

3. Piper Ind. siliquis surrectis, cerasi formâ.

Clus.

Piper Brasilianum Clusii in notis ad Monardem cubitalibus ramis, virentibus, quàm in vulgari gracilioribus: foliis hortensis Solani ferè, aliquantulum angustioribus, flore etiam dicti Solani in longis pediculis, surrecto: fructu minimo, initio viridi, deinde nigricante tandem rubro, continente multa semina latiuscula & plana, tam fervidi gustûs ut fauces aliquot dies incendat gustatum.

4. Piper Indicum caule piloso, flore majore.

Marggravius quatuor recenset species in Brasilia observatas.

Prima vocatur Lusitanis *Pimenta Malaguetta* (quam de Angola primùm venisse dicunt) Brasiliensibus *Quiyaqui*, in arbusculæ formam & tres aut quatuor pedum altitudinem assurgens, caule lignoso, foliis in ramulis binis oppositis. *Flores* tres vel quatuor simul ad exortum foliorum exeunt. *Fructus* cylindrico-pyramidalis, majoris chordæ Violæ crassitie, cæteris speciebus acrior multó.

Secunda, *Quiya-cumeri* Brasiliensibus: à præcedente differt *foliis* paulò majoribus & solitariè positis; *fructu* majore & crassiore & magis saturatè rubente.

Tertia, Brasiliensibus *Quiya-apua*, magnitudine est fructûs Cerasi nostratis acidi, coloris rubri. Hujus alia species habetur fructu dimidio minore, dilutiùs rubro, vel etiam flavescente.

Quarta, Brasiliensibus *Quiya-uca* foliis est quàm secunda angustioribus & longioribus, fructu tres dig. longo, cylindraceo, acuminato, cùm maturuit rubro. Alia invenitur ejus species cujus fructus se deorsum incurvare solet instar unci.

Franciscus Hernandez in Historia sua plantarum Mexicanarum multas Piperis Indici species proponit & describit.

1. *Quauh-*

1. *Quauh-chilli* Mexicanis dictum, omnium minimum, fructu Oleastri baccas forma & magnitudine imitante, cæteris omnibus acriore & urentiore.
2. *Chiltecpin* à culicibus, quos fructus ejus colore & parvitate videtur imitari. Hujus tres differentiæ sunt, natali solùm loco & tempore quo leguntur distinctas: vide si placet Autorem, p. 136.
3. *Zenalchilli* dictum à sole: irriguis enim locis cessantibus jam imbribus, i. e. Augusto & Septembri solet seri.
4. Dictum *Chilchoztli*, à colore quo tingit croceo quæ eo parantur condimenta: sex, septémve dig. longum est, mediocriter tenue, interdum ex albo rubescens, interdum verò inclinans in passeum.
5. *Tzinquahuyo* i. e. montanum, gracile est & quinque dig. longum, colore coralli.
6. *Teso-chilli* vocatum à mollitudine, longum est, amplum, particeps dulcedinis, rubri coloris atq, adeò mitis acrimoniæ, ut cum *Tlaolli* seu placentis ex *tritico Indico* paratis mandi consuescat. Fumo exiccatum hoc genus in annuos usus reponitur.
7. *Milchilli* dictum haud minus præcedenti, sed in acutum tenuémque sensim mucronem desinens, tandem quoque rubescens.

Præter memoratas alias quoque reperiri species haud dubium: & fortè earum numerus incertus est, novis quotidie ex semine subnascentibus: ut in aliis Plantarum generibus: Nihil tamen affirmo, quoniam nondum periculum feci. Cùm tamen omnium folia Solano similia & pæne paria sint, aut media inter Solani & Lauri folia; & flores pentapetali, candidi, Solani; è quibus siliquæ oriuntur, primò virides, mox majori ex parte in rubrum, & demum in passeum colorem inclinantes, refertæ parvo semine, exili, candicante compresso atque in orbem efformato, acris gustûs atque urentis naturæ; totáque ferè differentia in fructuum forma aliisque accidentibus consistat, verisimile nobis videtur non differre specie quæ pro diversis à Botanicis proponuntur generibus.

Vires & Usus.

Est (inquit Fr. Gregorius Reg.) Piper hoc Americanum tantâ acrimoniâ præditum ut exulceret & pustulas excitet ubicunque applicatur, neque solùm id præstat, sed etiam siliquas tantummodo aperiendo & semen eximendo adeò acris exhalat vapor, ut per nares penetrans cerebrum subeat, & ex eo eliciat tantam eámque lentam & viscidam materiam, ut admiratione dignum sit, quin & guttur ingrediens tussim excitat, & adeò vehementem vomitum ut omnia viscera rejici debere videantur; siliquas præterea & internas partes confringendo sternutamenta valdè excitat, & manibus confractas tractando tantam in iis inflammationem parit, ut aliquot horarum spatio aduri videantur, remediúmque petendum sit ab aquæ frigidæ aut vini lotione. Hæc omnia sum expertus, inquit, dum semen è siliquis eximebam. Quinimo in ignem injectæ siliquæ gravem & tetrum excitant odorem qui nauseam & fastidium adstantibus provocat. *Imò si siliquæ particula prunis injiciatur intra triclinium aliúdve conclave, fumus naribus exceptus omnibus quotquot in eo adsunt cerebri membranas vellicando immania & continua sternutamenta movet, quæ non cessant donec vel fumus diffletur aere externo admisso, vel paulatim evanuerit, fuligine scilicet præcipitata, ut sæpius experti sumus.*

Brasilienses hæc *pimenta*, ut vocant Lusitani, conterunt cum sale, & mixturam illam vocant *Inquitayu*, eámque usurpant ad cibos inter manducandum, ut nos Salem. Eandem quoque miscent cum farina & piscibus coctis exemptis spinis, ac mixturam illam appellant *Pira-quiya*, quam usurpant iter facientes. Bene sapit & durat ad aliquot dies.

Modum præparandi hujus siliquas ad usum docet frater Gregorius. In umbra primo siccant, deinde cùm eis uti volunt, cum farina in vase ad id apto lento igne exsiccant: Exiccatas & à farina ac pediculis suis liberatas forcipe una cum seminibus suis minutissimè incidunt, & ad singulas sic incisarum uncias pollinis farinæ libram addunt, & cum fermento panis instar pinsunt, massam probè fermentatam clibano coquunt, coctam in taleas scindunt, & denuo coquunt instar biscocti, tandem minutissimè terunt & per cribrum transmittunt.

Admirabilis, inquit, est hic pulvis ad condiendum omne genus cibi: valenter enim ventriculi & intestinorum flatus discutit, orexin excitat, cibis præsertim humidis & flatuosis inspersus, bonum saporem conciliat, atque etiam vino; concoctionem juvat, urinam & menses evocat, pituitosos humores undecunque, potissimùm coxæ adhærescentes articulis discutit & evacuat.

Cap. XXIII.

De Solano lethali sive Bella Donna.

A Præcedentibus Solanis non specie tantùm sed & genere differre nobis videtur, quantumvis nomen commune habeat. Flores habet campaniformes concavos, & tubulosos, reliquæ notæ ex descriptione peti possunt.

A. 1. *Solanum lethale* Park. Ger. *melanocerasos* C. B. *Sol. manicum multis sive Bella Donna.* **Deadly Night-shade.**

J. B.

Totum pulvillum opacat perniciosa Solani *Bellæ Donnæ* dicti luxuries: namque ex *radice* crassa tribus cubitis altiores *caules* erigit, pollice crassiores hirsutos, qui in tuber crassescentes, in multos ramos indidem ferè exortos brachiantur: *folia* Solani hortensis formâ, non sinuata, & plusquam duplo triplóque majora, utrinque pilosa, supernè atrovirentia, infernè verò herbida. *Flores* striati, ex foliorum alis concavi, Campanularum instar, in quinque lacinias divisi, colore intus quidem lurido,

lurido, purpureóque, fundo luteo versicolore, extra verò tantillum ex herbido rubescentes, subhirsuti: occultant autem fibras quinas, ad exortum hirsutas, qualis & fundus est, *apicibus* albidis: *Stylus* verò productior extra floris oras promittitur capitulo viridante. Decedentibus floribus insident hirsuto quinquepartito calyci *baccæ* nitidæ Herbæ Paridis.

Locus. Juxta parietes sepimentaque agrorum, ad vias publicas, locis ruderatis & parùm cultis reperitur; sed rariùs in Anglia. Prope Cantabrigiam circa *Fulborn* vicum copiosè provenit.

* 2. *Solanum somniferum alterum* Park. *somniferum bacciferum* C. B. *Solani lethalis aliud genus* Dod.

Dod.

Foliis est quàm præcedens angustioribus, venosis, deorsùm reclinatis: *caule* anguloso: *floribus* oblongioribus calathi specie, marginibus crenatis è pediculo dependentibus, quibus succedunt singulæ *baccæ* nigræ, aut ex nigro purpurascentes seminibus refertæ, media sui parte calyci denticulato inhærentes. *Radix* grandis, strumosa & albicans.

Locus. Matthiolus Solanum istud agro ait exire Goritiensi, in monte Salvatino inter saxa.

Vires. Solanum lethale dictum sive Bella donna somniferum est & malignum. Notæ sunt Historiæ de pueris ex esu baccarum ejus extinctis tum Wisbici in Anglia nostra, referente Gerardo, tum in partibus transmarinis, narrante Fuchsio. Quin & nupero perquam tristi experimento confirmata est vis ejus lethifera.

In calidis inflammationibus sine periculo adhiberi possunt ejus tum radices, tum etiam baccæ & folia.

Bella donna Venetis aliisque Italis dicitur, quia ex ejus succo vel aqua destillata fucum conficiunt mulieres, quo faciem oblinunt, & ex rubicunda pallidam efficiunt frigoris vehementiâ.

Hujus herbæ folia recentia mammis imposita earum durities & tumores etiam cancrosos emolliunt, & discutiunt: ut sæpius expertus est generosus Vir, D. *Percivallus Willughby.* Quod à nemine hactenus, quod scimus, proditum publicæ utilitatis causâ sine invidia communicamus.

Horum & ipse non ita pridem effectum vidi oppidò mirabilem. Nobilis Domina mihi nota ulcusculo cuidam paulò infra oculum, dextrúmne an sinistrum oblitus sum, nec multùm refert, quod cancrosum esse suspicabatur, folii recentis particulam imposuit; quæ noctis unius spatio uveam oculi tunicam adeò relaxavit, ut omnem explicandi sese & pupillam contrahendi facultatem ei adimeret: siquidem pupilla clarissimo lumini obversa vehementer dilatata perstitit, socio & pari suo plus quadruplo amplior; donec amoto folio uvea musculosam vim suam & tonum paulatim recuperaret. Atque hoc ne quis casui imputet, tribus distinctis vicibus in se ipsa experta est eadem nobilis Domina, me quoque tunc temporis fortè fortuna præsente & spectante.

An Solanum hoc efficiat frigiditate, an potiùs vi quadam narcotica, considerandum. Chirurgus qui Cancrum eradicaverat & ulcus sanaverat folii particulam loco imposuit ad humores repellendos, nè eodem rursus confluerent: verùm ob symptoma prædictum eandem removere coactus fuit.

Pastor quidam in Chersoneso Cimbrica adversùs dysenteriam morbum eò loci contumacissimum & contagiosissimum summo cum fructu & successu decumbentibus propinavit vinum cui infusæ sunt baccæ Solani. Non solùm enormem fluxum sistunt & dolorem demulcent; verùm malignitatem in sudorem resolvunt. *Ephem. Germ.* An. 13. Observ. 64.

Si per baccas Solani sylvestris illius furiosi, quod puto, intelligantur (inquit Luc. Schrock Scholio in hanc observationem) quadrabit huc quod Conr. Gesnerus, Syrupum ex eis paratum pro magno arcano commendans, ad Achill. Gasserum perscripsit: *Succum ex ejus fructibus expressum, & ad Syrupi consistentiam cum pauco Sacchara decoctum, ità efficacem esse, ut vel ligulæ aut Cochlearii parvi mensura somnum inferat, fluxiones sistat, dolores tollat, dysenteriam curet: gratus est palato, sed cavendum nè ampliùs detur*; *ego cum laude usus sum.* Utantur quibus videtur; ego ab ejus usu abstinendum censeo, nisi in tutiorum medicamentorum extremâ inopiâ.

Accidit, ni fallor, tempore Pontificis maximi Urbani ultimi, ut quidam de famulitio Cardinalis magni nominis (ut mihi hîc Augustæ retulit ejus hortulanus) infunderet in vino Malvatico herbam illam quam *Bellam Donnam* vocant, daturam aliàs, per noctem, ut ejus herbæ effectus discerent; infusum hoc propinarunt cuidam fratri mendicanti ex conventu S. Hieronymi qui Patavii Fratrum ignorantiæ dicitur; à primo breve delirium, cachinni, gesticulationes variæ; dein insania vera, post stupor mentis, qualis est ebriorum vigilantium. Cardinalis pro ebrio in carcere includit; deinde à medico qui rem subolfecerat innocens pronuntiatur, qui aceti cyatho propinato à dementia quam Bella Donna causavit eum liberat. *Hæchstetterus Decad.* 7. *Observ.*

Observationem transmisit eruditissimus & amicissimus Vir, D. Edv. Hulse.

Cap. XXIV.

De Solano veſicario ſive halicacabo & affinibus.

HUjus notæ ſunt fructus in calycibus in veſicas intumeſcentibus occultati.

1. *Solanum halicacabum vulgare* J. B. *veſicarium* C. B. *halicacabum* Ger. *halicacabum ſive Alkekengi vulgare* Park. **Winter Cherry.**

Radix geniculata ſub terra reptat, fibras tenues obiter de ſe ſpargens. *Cauliculi* pedales aut altiores, tenues, teretes, ſubrubentes & ſubhirſuti, medullâ farcti, crebris geniculis intercepti; ad quæ *folia* bina ſimul ab eadem caulis parte, pediculis longis appenſa, ocymi ferè figurâ aut Solani hortenſis, ſed majora, obſcuriùs & ſordidiùs virentia, per margines non crenata, brevi & vix conſpicua lanugine hirſuta. E foliorum alis ſingulis ſinguli exeunt *flores*, pediculis ſemuncialibus aut uncialibus tenuibus hirſutis fulti, ampli, albi, monopetali, in quinque lacinias diviſi, apicibus concoloribus. Delapſo flore *calix* ejus in veſiculam laxam intumeſcit & extenditur, pentagonam, per maturitatem miniatam, *fructum* continens Ceraſi parvi magnitudine & forma, colore miniato, pulpâ humidâ repletam; in qua *ſemina* plurima parva, compreſſa, alba; Baccæ ob imbecillitatem pediculorum deorſum dependent.

Naſcitur in parietinis, locis umbroſis aliquantulum humentibus, quandoque propè uliginoſas ſepes & circa agrorum margines: nos in ſylvoſis in inſula Danubii juxta Viennam Auſtriæ obſervavimus; item prope Romam in ſcrobibus. Maio, Junio & Julio flores apparent, ſub Autumnum fructus matureſcunt. *Locus & Tempus.*

* 2. *Solanum veſicarium Indicum* C. B. *Solanum ſive Halicacabum Indicum* J. B. *Halicacabum Indicum rectum* Park. *Camaru Braſilienſibus* Marggr.

J. B. Park.

Caulis huic Solano cubitalis & bicubitalis, craſſiuſculus [firmus & erectus, anguloſus, nodoſus *Park.*] in crebros ramos diductus, per quos *folia* Halicacabi vulgaris majora nonnihil, laciniata, atrovirentia, venulis ex medio nervo obliquis in lacinias exporrectis, pediculo duûm triúmve unciarum. *Flores* è ramorum divaricatione, foliorúmq; ſinu prodeunt ſingulatim, ex albido lutei ut in vulgari, ejuſdémque floribus ſimiles, ex unico folio in quinque angulos exacuto, circa ungues quinque maculis atropurpureis notati, *ſtaminulis* purpuraſcentibus, *apicibus* atropurpureis donatis, medium occupantibus. *Veſicæ* Halicacabo pares ſequuntur, virentes quos acinus replet magnus, [adeò ut veſicam interdum dirumpat, & in quatuor partes dehiſcat; per maturitatem etiam vireſcens, aliquando tamen pars Soli obverſa ex obſcuro virore purpuraſcit. Tota planta inſipida eſt, ſuccum tamen mucilaginoſum ad geniculos exſudat, odore viroſo Lycoperſici *Park.*]

In frigidioribus hiſce regionibus annuatim radicitus perit, ad primum hyemis acceſſum: an in calidioribus, quarum indigena eſt, perennet, me latet.

3. *Halicacabum ſive Alkakengi Virginenſe* Park. **Virginian Winter-Cherry.** *Q. An ſpecie differat à præcedente.*

Park.

Cauliculi huic infirmi & humi fuſi, ſeu minùs erecti quàm vulgaris, majores tamen, quemadmodum & *folia*, circa margines dentata & laciniata, atrovirentia. *Flores* è geniculis exeunt ſingulis ſinguli ut in vulgari, in imis magis quàm in ſummis caulibus, quàm illius tantillo minores, quinque petalis albicantibus, propè ungues lineâ circulari rubente notatis compoſiti. Succedit *bacca* utriculo incluſa [ſeu veſicula tenui] quàm ferè replet, minore quàm in vulgari ſpatio vacuo relicto; minor quàm Halicacabi vulgaris, per maturitatem non ut in illo rubra, ſed viridis, ſemine parvo albente repleta. *Radix* ſub terra ſe diffundit, hyemes tamen noſtras non fert.

Coyotomatl Fr. Hernandez ſeu veſicaria Mexicana à præcedentibus non videtur multùm differre. *Folia* illi Solani, altera parte ſinuoſa hirſuta & pinguia: *caules* prælongi, quadrati, purpuraſcentes, & quaternis ſtriis totidémque inſignes dorſis: *Fructus* in veſicis magnis & quinque angulorum contentus, glutinoſus, orbicularis, & nucibus Ponticis par, refertus *ſemine* exili & longiuſculo, paleis perſimili, initio amarus, cùm adoleverit dulcis atque edulis: *Radix* magna & ſurculoſa.

Coztomatl. Fr. Hernandez præcedenti eadem videtur, judicent Lectores.

Vires. Radicis cortex tuſus & ex aqua devoratus duarum drachmarum pondere purgat interdum per ſuperna bilem & pituitam.

Solani halicacabi baccæ nephriticæ, diureticæ ac lithontripticæ inſignes ſunt. Earum vis non ſolùm præſtantiſſima habetur ad renum vitia, ad ciendam urinam, ſed ad ejus quoque acrimoniam retundendam. Valet etiam fructus epotus ad expugnandum morbum Regium autore Dioſcoride. Sumi autem poſſunt vel vino infuſæ, vel in ſero lactis aut Zythogalo decoctæ, vel in pulverem redactæ in quovis liquore.

Baccarum folliculi veſicam inflatam referunt, unde ex ſignatura ſeu nota impreſſa colligunt eas veſicæ dicatas & ſalutares eſſe.

Civis quidam Auguſtanus morbo articulari graviſſimè laborans, ita ut ſæpe per integrum ſemeſtre decumberet, cœpit cujuſdam ſuaſu, ſingulis Lunæ mutationibus, in ipſo illarum puncto octo fructus Halicacabi comedere, vel contuſos ex vino bibere. Ita expelli ſibi per urinam materiam mirè fœdam totúmque ſe ab hoc morbo liberum affirmabat. Alius ex conſilio Ducis Ulrici Wirtembergici intra

ſingula

ſingula decendia ſemel Majorana vel Origano naribus indito extraxit magnam muci & pituitæ copiam, necunquam amplius ſenſit Podagram. Ex Obſervationibus Jeremiæ Martis (Obſ. 10.) D. *Soame.* In calculo renum maximo profectu uſus ſum non ſemel fructibus Alkekengi duodecim, bene dentibus contritis interioribus granulis, & ſuperbibito bono hauſtu Vini Juniperini. *Idem* ex eodem.

Suffitus ſeu fumus ex fructu Halicacabi contuſo, cum cera mixto facta indè paſta, in luminum ferream ignitam injecta fumum ſuggerit, quo ore excepto catervatim vermes (è dentibus) cum ſputo copioſo rejecti, & crudeliſſimi dolores ſopiti obſervati fuerunt. *D. Hulſe* ex Ettmulleri praxi.

4. *Halicacabum ſeu Alkekengi Indicum* Bontii, *fortè idem cum ſecundo.*

Bont.

Circa fluminum ripas copioſè naſcitur cum floribus ſuis pulchrè flavis, quibus minores paulo quàm Alkekengi vulgaris veſiculæ ſuccedunt, quibus fructus continetur.

Vires & Uſus. Indi & Chinenſes hanc plantam cum Mandragoræ pomis, & Chilli ſeu Ricino Americano comedunt. Succus viridis expreſſus in uſu eſt ad calidos renum & veſicæ affectus, tum in gonorrhœis Venereis quæ hic eveniunt acerbiſſimæ remedium eſt anodynum ſummé.

5. *Solanum verticillatum* J. B. *ſomniferum* Park. Ger. *ſomniferum verticillatum* C. B.

Plures ex eadem radice producit *caules* cubitales aut ampliores, ſatis craſſos, rectos, teretes, hirſutos in aliquot ramos candicantes & lanuginoſos diviſos, quibus inhærent numeroſa *folia*, bina ſemper ex adverſo ſita, Mali Cotonei foliis ſimilia, [J. Bauhino foliis Priapeiæ proxima, ſed minora] denſa, mollia, lanuginoſa, & guſtu aliquantulum calida, pediculis unciâ brevioribus hærentia. E quorum ſinu *flores* caulem proximè verticillatim oriuntur terni aut quaterni, pallidi, longiuſculi, quadrifariam diviſi [J. Bauhino Solani vulgaris pares, ex quinque foliis compoſiti, apicibus aliquot in medio] quibus ſuccedunt *acini*, in molli lanugine pubeſcentibus folliculis incluſi, maturitate vel rubri coloris, vel ex rubro crocei. *Radix* ſubeſt longa, craſſa, dura, fuſci coloris cortice donata.

Locus. Spontaneam vidit Cluſius in inferiore arce urbis *Malaga* vulgò dictæ, loco petroſo & inter rudera, florentem & ſemine maturo præditam Februario: ibi vivacem & plures annos durare certum eſt, nam ſuperiorum annorum, caules adhuc retinentem conſpiciebat Cluſius: in frigidioribus quotannis perit.

Huic perſimile eſt ſi non idem,

Solanum ſomniferum Antiquorum Alpin. exot. *ſomniferum Antiquorum verum* Park.

Alpin.

Altitudine eſt bicubitali & ampliore, ab una *radice* grandi, non multùm craſſa, lignoſa, albo cortice veſtita, fœtida & inſipida tres aut quatuor, aut plures etiam *caules* producens, rotundos, rectos, fractu difficiles, albicantes, è quibus ſurculi alii exeunt, aliquando verò unus ſolummodo ſtipes oritur ex radice, qui in multos caules dividitur, qui longi ſunt, recti, rotundi, albicantes, *foliis* veſtiuntur non utrinque binis ſimul, ſed ſingulis alternatim circum ramulos, à ſuis pediculis longis ſurſum pendentibus, Mali Cydonii folia magnitudine & figurâ æmulantibus, in quibus & in ramulis humiditas quædam reſudat, quæ manui adhæret. In cauliculis verò juxta foliorum ſinus inter folia *flores* multi, parvi, rubri, Leucoii figurâ, racematim circa caulem congeſti cernuntur, à quibus *folliculi* parvi rotundi, in acutum terminantes, quadantenus ſtriati ſuccedunt, primò virides, & mox ad maturitatem perducti, rubri apparentes, figurâ planè imitantes Solani veſicarii veſicas, ſed multò tamen minores, intus habentes granum rotundum, fructui Halicacabi ſimile, minus tamen, & cùm maturuerit rubri coloris evadit.

Locus. In Cretæ inſulæ locis maritimis naſcitur.

Vires. Hujus foliis contuſis emplaſtri modo ad calidas inflammationes utuntur: atque illitis ex ipſorum ſucco fronte, temporibus, ac aliis corporis partibus, in quibus pulſus ſentiuntur, vel iiſdem contuſis emplaſtri modo impoſitis ad ſomnum familiariſſimè utuntur, necnon ad exuſtiones.

6. *Alſine baccifera* Ger. *ſcandens baccifera* C. B. *repens baccifera* Park. *Cacubalum quibuſdam vel Alſine bacciferra* J. B. **Berry-bearing Chickweed.**

Cluſ. J. B.

Sarmentis veriùs quàm caulibus, iiſque numeroſis prædita eſt hæc planta, infirmis, geniculatis, flexibilibus, humanam altitudinem ſuperantibus, [quæ nervum tranſmittunt à quo cortex hirſutus facilè ſtrictu cedit, crebris geniculis tuberoſis donata. *J. B.*] Bina ſingulis geniculis & internodiis adnaſcuntur ex adverſo ſita, Alſines vulgaris foliis figurâ & colore ſimilia, longè tamen majora, & ad Helxines *folia*, foliorum amplitudinem accedentia, mollia. *Flores* ex turgidis Halicacabi utriculis vix tantillum foliorum, quæ numero quinque, [Cluſio ſex] herbido pallore albeſcunt, apices bifidos proferunt, penitius latentibus ſtaminibus ſimul & *baccæ* rudimento, acini Piperis aut granorum Juniperi vulgaris magnitudine, quæ initio viridis, per maturitatem nigra, *grana* continet exigua, nigra, nitentia, rotunda, compreſſa. *Radix* candida, valdè fibroſa, longa & ſarmentitia, quæ ſingulis annis novos caules promit, aliis per hyemem marcidis & corruptis.

Locus. In ſepibus primò non longè à Francofurto ad Mœnum, poſtea in Italia quoque & Gallia Narbonenſi obſervavimus: Copioſam Cluſius Salmanticenſi agro, umbroſis locis & circa ſepes, &c.

CAP.

Cap. XXV.

De Asparago.

ETsi Ἀσπάραγος vel Ἀσφάραγος Galenus 2. *Aliment.* omnes propemodum teneros caules & tenera germina, seu ex oleribus & herbis, seu ex suffruticibus, seu ex fruticibus arboribúsque vocitet; attamen peculiari generi plantæ etiam tribuitur, quæ sic dicta, quod cauliculos hos, qui prima germinatione è terra prodeunt, præcipuos habeat. *C. B.*

Asparagi notæ genericæ sunt folia tenuissima & quasi capillacea, turiones crassi, esculenti.

A. 1. *Asparagus* Park. *Sativus* Ger. *hortensis & pratensis* J. B. *sativa* C. B. **Manured Sparagus or Sperage**, *corrupte* **Sparrow-grass.**

Cord.

Caules emittit primo vere teneros, longos, teretes, virides, glabros sine foliis, ab uno cespite plures, qui paulatim in numerosos, tenues, lentos dividuntur ramos & virgas, & circa has *foliola* frequentia, unciæ longitudine, individua, & capillorum aut setarum modo tenuia. Tota itaque herba cum Fœniculo aliquam in foliis similitudinem habet, & duûm cubitorum altitudinem petit. *Flores* Sole in Geminos transeunte circa ramulos copiosos, parvos & pallidos producit, & post eos baccas Pisi quantitate, rotundas rubentésque, intus carne sua duo aut tria nigra & corneæ soliditatis *semina* claudentes. *Radicibus* nititur perennibus, numerosis, ab uno transverso, & propter caulium vestigia aspero villosóque dorso utrinque in obliquum descendentibus, longis, teretibus, lentis, foris cineraceis, intus autem candidis, quibus dulcis & glutinosus est sapor: *Coliculi* item teneri admodum suavem saporem habent, sic etiam ipsa semina.

Locus. In pratis ad Rhenum & Danubium sponte & copiosè provenit: nos in Anglia ad Promontorium dictum *The Lyzzard point* in Cornubia invenimus.

Asparagus sylvestris tenuissimo folio *C. B.* vel ipso fatente solâ transplantatione & culturâ à sativo differt.

2. *Asparagus palustris* Ger. *marinus crassiore folio* Park. *maritimus crassiore folio* C.B. *marinus* J. B.

J. B. Clus.

Caule est breviore, firmiore, in tortuosos ramos divaricato: *Foliis* brevioribus, crassioribus, latioribus robustioribus quàm in Asparago altili, ex cœruleo virentibus: *Baccis* duplo Juniperinis majoribus, non adeò coralii instar intensè rubentibus ut in illo, sed potiùs nigricantibus, semina quatuor aut quinque majuscula continentibus.

Locus. Monspelii in palustribus propè mare copiosum observavimus.

Asparagum hunc palustrem non possum animum mihi inducere ut credam à sativo seu altili specie diversam esse: Siquidem folia crassiora latioráque habere & salsuginoso amaro sapore prædita, aliis plurimis plantis in maris vicinia nascentibus evenire solet, colorem etiam nonnihil mutare. Sola baccarum magnitudo & color obstare videtur. In hortos transferatur, & fiat exprimentum, annon faciem mutabit.

D.Magnol Asparagum maritimum à sativo seu sylvestri, quod pro eodem habet, non culturâ tantum, sed & specie differre verisimile putat. Licet enim (inquit) ambo circa *Aquas mortuas* vulgò *Aigues mortes* oppidum in iisdem ferè locis oriantur, istius tamen turiones dulces sunt, maritimi amari, folia etiam in isto tenuiora sunt, in maritimo crassiora.

Vires. Asparagi turiones seu germina recentia, leviter decocta & butyro condita sapore delicato palato se commendant, & in cibis magni æstimantur verno tempore. Ventrem emolliunt urinámq; cient, fœtorem tamen mirum ei communicant, ut quivis in seipso facilè potest experiri.

Radix diuretica est, lithontriptica & ex aperitivis quinque. Ejus decoctum epotum ægrè meientibus, Regio morbo laborantibus, nephriticis & ischiadicis opitulatur. *J.B.* è Dioscoride.

Nota frequentiorem usum diureticorum quorumcunque vesicam exulcerare, ideóque *D. Bowle* traumatica diureticis admiscere solebat.

Asparagum alvum solvere non credit Casp. Hofmannus, quia est diureticum medicamentum.

In pituitosis Venerem stimulare posse & semen augere decernit idem, cùm in biliosis subductâ materiâ contrarium faciant.

3. *Asparagus petræus sive Corruda* Ger. *Asparagus foliis acutis* C. B. *Corruda* J. B. *sylvestris foliis acutis* Park.

J. B. Clus.

Duris, contortis, angulosis *virgultis*, candidis & lignosis ad hominis altitudinem fruticat, in frequentes ramulos striatos, alternatim ferè divisos, circa quos quina aut sena *foliola* ex uno puncto exeunt veluti in Larice, duriora & breviora quàm Asparagi altilis, & spinarum quàm foliorum nomine digniora, quippe acriter pungentia. *Flosculi* parvi, pallidi, è senis foliolis constantes, sub alis inter folia enascuntur, odore jucundo uti Violæ Martiæ. *Bacca* prima fronte Asparagi altilis baccis similes, cinereæ, ingrati saporis, & teredini obnoxiæ, in quibus primùm occurrit pellicula alba, pellucida, deinde rubra densa, tertio nigricans, postremò *semen* unicum vel duo alba, latescentia, duriuscula. *Radices* ab uno capite multæ, crassæ instar Asparagi altilis, sed breviores, nascuntur.

Locus. In Italia ad ſepes & in dumetis frequens: Provenit quoque circa Monſpelium in Linguadocia: nec minùs frequens in Caſtella & regno Granatenſi. Floret uvâ matureſcente, hoc eſt Auguſto; ſemen Octobri maturum eſt.

4. *Aſparagus ſylveſtris aculeatus* Ger. *aculeatus, tribus aut quatuor ſpinis ad eundem exortum* C. B. *petræus ſive Corruda aculeata* Park.

Cluſ.
Et hic etiam fruticoſus eſt, in viridibus & mollioribus ramis ſive *virgis* ramoſis tres aut quatuor ſpinas ab eodem ferè exortu prodeuntes, hinc indè ſparſas pro *foliis* ferens, virides itidem uti rami ſunt.

Florem nullum in hoc conſpiciebam, ſed frequentes *baccas* rotundas, ut in ſuperiore, initio virides, deinde per maturitatem nigricantes, ſucco & pulpâ virente plenas, quibus *ſemen* includitur durum, foris nigrum, intus candidum, utplurimùm unicum, interdum bina. *Radices* habet plures, craſſas longas, ſuperioribus non valdè diſſimiles.

Locus. Ad mare propè Tauromenium in Sicilia vidimus. Frequens eſt, autore Cluſio, ad Tagum fl. in Luſitania, atque etiam Bætica ſolo petroſo, in collibus & ſepibus. Novembri ſemine onuſtum invenit.

5. *Aſparagus ſylveſtris ſpinoſus Cluſii* Ger. *aculeatus ſpinis horridus* C. B. *ſpinoſus, ſive Corruda ſpinis horrida* Park.

Cluſ.
Cubitales habet *virgas*, ramoſas, candidas, lignoſas, candicantibus, firmis, deorſum ſpectantibus ſpinis alternatim, & ſecundùm virgarum ramorúmque inæqualium inflexionem horridas: ad quas quina aut ſena *folia* ex eodem capite ſimul prodeunt, ut in Larice, prioris Aſparagi ſylveſtris foliis longiora mollioráque Larignis foliis non diſſimilia, quæ commanducata ſubdulcia & aliquantulum gummoſa deprehenduntur. *Flos* inter folia ex alarum ſinu longo tenuíque petiolo dependet, ex viridi palleſcens, deinde *fructus* pæne rotundus, ſed qui tricoccus videtur (tametſi unicum granum magna ex parte contineat, rariùs bina, foris nigrum, intus candidum, firmum ut in ſuperioribus) initio vireſcens, maturitate rubeſcens & carnoſus, ſive ſuccum & pulpam continens lentam & viſcidam. *Radice* firmatur multiplici, inſtar aliorum ſylveſtrium Aſparagorum, longâ, craſſâ, intus albâ, foris flaveſcente. Fert initio veris aliquot turiones, inſtar altilis Aſparagi, qui illorum modo manduntur crudi & cocti cum aceto, oleo & ſale.

Locus. In inſula promontorio Pachyno adjacente & alibi in maritimis Siciliæ invenimus: Cluſius ſupra Olyſſipponem, ſalebroſis locis, juxta vias, non procul à Tago fl. aliis etiam Luſitaniæ locis & totâ ferè Bæticâ.

CAP. XXVI.

De Vite Idæa paluſtri, ſeu Vaccinio paluſtri.

HAnc plantulam viticulæ tenues, folia Serpylli, floſculi tetrapetali, locus paluſtris, baccæ interdum ſublongæ à reliquis Bacciferis diſtinguunt.

Cæterum Vaccinia ineptè dicuntur hoc genus plantæ, cum Vaccinia Veterum Hyacinthi fuerint, ut in capite de Hyacintho oſtendemus.

CAP. XXVII.

A. *Moſchatellina foliis Fumariæ bulboſæ, de qua Cordus* J. B. *Ranunculus nemoroſus Moſchatella dictus* Park. *nemorum Moſchatellina dictus* C. B. *Radix cava minima viridi flore* Ger. **The Musk-Wood-Crowfoot.**

RAdicem habet ſemuncialem & uncialem, craſſam, candidam, pluribus ſquamulis, caninorum dentium inſtar habentibus, quarum inferioris cavum ſuperioris mucronem ſolidum excipit, ſucculentam, ſapore nullo manifeſto, è ſquamarum ſinubus ſuperioribus fibras emittentem plurimas, alias tenues, albas, prælongas, quibus alimentum haurit; alias majores, albiſſimas, filorum ſimiles, ad intervalla rariora obiter denticulatas, tandémque in capita intumeſcentes, quibus ſub terra repens latè ſe propagat. *Folia* tenera, pallidè virentia, Fumariæ foliorum diviſurâ, duo aut tria, pediculis oblongis teneris & fragilibus inſident. *Cauliculus* ut foliorum pediculis haud diſcolor ità non multo altior, palmaris, ſingularis, media parte foliis binis adverſis cinctus, brevibus pedicellis appenſis, reliquis ſupradictis, exceptâ ſolâ quâ ſuperantur magnitudine, ſimilibus. In caulis faſtigio *capitellum* cubicum, è quinque floſculis coagmentatum herbaceis, monopetalis, verùm in quinque lacinias obtuſas totidem folia imitantes diviſis cum plurimis in medio ſtaminulis luteis. *Calix* floris trifolius. Vaſculum ſeminale craſſum, ſucculentum, quatuor intus ſemina claudit. Flores & folia moſchum olent.

Martio

Martio mense exeunte & initio Aprilis apud nos floret. In umbrosis sepibus & senticetis, aut etiam sub arboribus solo laxo & arenoso multis in locis invenitur. Postquam defloruit, superficies plantæ non diu durat. Floribus succedunt totidem fructus, etiam per maturitatem pulpâ humidâ molli cum quatuor plurimum intus seminibus parvis, alvis oblongis, compressis Lini seminum figurâ, constantes, ut hâc æstate [Anni 1685] observavimus, semina matura nobis subministrante *D. S. Dale* Amico & vicino nostro.

Tempus & Locus.

Cùm plantulæ hujusce fructus etiam maturus pericarpio seu pulpa molli humida & seminibus eidem inclusis constet, Baccifera genuina & propriè dicta censenda est.

A. 1. *Vaccinia palustria* Ger. Park. *Oxycoccus sive Vaccinia palustria* J. B. *Vitis Idæa palustris* C. B. **Marsh Whortle-berries, Moss-berries or Moor-berries.**

Radicibus tenuibus rubentibus fibrillas capillares subinde emittentibus sub terra reptat. *Cauliculis* prælongis, filamentorum instar tenuibus, infirmis, atrorubentibus, in terræ superficie sparsis latè se diffundit: quos *folia* vestiunt non admodum crebra, situ alterno, dura, Serpylli foliis paria aut nonnihil minora, supernè viridia, subtus glauca seu, ut J. Bauhinus, ex cinereo virentia, glabra, marginibus plerunque reflexis, pediculis adeò brevibus insidentia ut immediatè adnata videantur. *Flores* è summis ramulis exeunt, nunc singuli, nunc bini aut fortè etiam plures, ex sinubus foliorum exiguorum ceu squamarum singuli, pediculis prætenuibus, digitum longis; purpurantes, Glycypicridis floribus similes, petalis quatuor acuminatis ad ungues junctis, reflexis, cum octo in medio staminibus seu apicibus croceis & stylo in unum acutum corpus seu umbonem coeuntibus: Quibus decidentibus succedunt *baccæ* quàm Vaccinia nigra majores, rubentes vel flavo-virides punctulis rubris creberrimis respersæ, non exactè rotundæ sed persæpe oblongæ, umbilico purpurascente cruciformi insignes.

Floret Junio, fructus Julio maturescit; in palustribus putridis.

Locus & Tempus.

2. *Vitis Idæa palustris Virginiana fructu majore.*

Hujus baccas à nova Anglia usque missas Londini vidimus & gustavimus. Scriblitis seu tortis; **Tarts** nostrates vocant eas inferciunt.

Nnn LIBER

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER DECIMUS QUARTUS,

QUI EST,

De Plantis multisiliquis seu corniculatis.

LANTAS multisiliquas voco quæ ad singulos flores plures producunt siliquas seu cornicula disjuncta: quibus tamen ob convenientiam in reliquis partibus, nonnullas siliquis conjunctis admiscemus.

Plantæ multisiliquæ seu corniculatæ sunt vel foliis

- *Crassis succulentis*,
  - *Majores latifoliæ*, foliis
    - *Ad radicem multis* in globulos congestis, iis quæ in caule sunt majoribus & spissioribus, floribus in surculis reflexis in summis caulibus; SEDUM seu SEMPERVIVUM *majus*.
    - *Ad radicem nullis*; cum hæ plantæ à prima statim germinatione, excaulescant, radice
      - *Odoratâ*, in summis montibus nascens, foliis glaucis serratis; RADIX RHODIA.
      - *Inodorâ*, folio aliàs serrato, aliàs æquali, radicibus aliàs tuberosis, aliàs fibrosis; TELEPHIUM.
  - *Minores angustifoliæ*; SEDUM STELLATUM.
- *Texturæ rarioris & minùs succulentis*, quarum notæ genericæ sunt
  - *Folia*
    - *Graminea triangula*, caules nudi, flores in umbella; JUNCUS *floridus*.
    - *Lata*, integra & non dissecta, Althææ æmula, flores ex alis foliorum lutei; ABUTILON.
    - *Digitata*, flores non decidui, radices catharticæ, HELLEBORUS NIGER.
    - *Pinnata*, Fraxini similia; Flores in spicas digesti; semina nigra, majuscula, splendentia; FRAXINELLA.
  - *Flores*,
    - *Cucullati*, folia circumscriptione subrotunda, laciniata, semina rugosa, facultas plurimùm deleteria; ACONITUM.
    - *Corniculati*,
      - *Unico cornu seu calcari retrorsum extenso*, semina nigra triquetra, folia in tenues lacinias dissecta; DELPHINIUM, *Consolida regalis*.
      - *Pluribus corniculis recurvis*, penduli, semina nigra lucida, folia umbelliferarum modo divisa; AQUILEGIA.
    - *Expansi*, aut planifolii; [Folia plana hîc voco quæ non sunt fistulosa aut concava]
      - *Majores*, rosei, semina majuscula rotunda, per maturitatem nigra, radices crassæ vel tuberosæ; PÆONIA.
      - *Minores*, Ranunculorum similes; Quæ vero hujusmodi flores producunt plantæ sunt vel foliis
        - *Integris*, floribus nudis absque perianthio, aquosis gaudens; CALTHA PALUSTRIS.
        - *Laciniatis*; Aconiti aut RANUNCULI,
          - *Caulifera*, flore globoso; RANUNCULUS GLOBOSUS.
          - *Acaulis* cum flore in medio folio, radice tuberosa; ACONITUM HYEMALE.

CAP.

Cap. I.

De Sedo seu Sempervivo majore.

HUjus notæ sunt folia in globulos oculi bovini æmulos congesta, lata & succulenta, flores in surculis reflexis in summis caulibus stellati.

1. *Sedum majus arborescens* J. B. Ger. emac. *majus arborescens flosculis candidis* C. B. *majus legitimum* Clus. Park. **Tree-House-leek.**

Clus.

Frutex est potiùs quam herba, duorum cubitorum nonnunquam altitudine, brachiali verò crassitudine, multos ferens ramos pollicaris crassitudinis aut majores, qui in multas alas dividuntur digitalis crassitudinis, summo fastigio velut in orbem desinentes, multis foliis confertim & imbricatim sibi mutuò incumbentibus constantem, perinde ac in Sedo majore vulgari. Carnosa sunt autem ea *folia*, succi plena, & linguæ instar efformata, h. e. ab infima sede paulatim in latum sese dilatantia; in ambitu crebris & minutis veluti denticulis adeò leviter serrata ut vix appareant, gustu paululum adstringente: cortice denso, carnoso, succulento totus frutex cinctus est, cujus membrana exterior subfusca, maculisque seu potiùs sedis foliorum vestigiis respersa, ut in Tithymalo characia. Interdum summis majoribus ramis emergit crassus & veluti foliosus quidam pediculis, tanquam thyrsum gerens multarum gemmarum, quæ successu temporis in *flores* sese explicant, ex flavo pallescentes, stellarum instar in aliquot folia divisos cum suis staminulis. Jam maturescere incipientibus floribus, & ad seminis efformationem properantibus gracilescit hic pediculus. *Semen* exile est & nigrum. Semper viret hæc planta, nam antequam vetera folia abjiciat, nova semper producit, & facilè ramulis pangitur.

Locus. Sponte nascentem observavit hanc plantam Clusius prærupto & scopuloso colle, non procul à *Scyntri* arce regia, quinto ab Ulyssippone milliari. In Italia frequentem in fictilibus enutritam observavimus.

Legitimum id esse Sedum aut Sempervivum majus, Dioscoridi ἀείζωον τὸ μέγα neminem in Stirpium cognitione mediocriter versatum inficias ire posse affirmat Clusius: Nam quod hactenus pro Sempervivo majore habitum est, nihil aliud est quàm Cotyledon altera Dioscoridis.

2. *Sedum majus vulgare* C. B. J. B. Park. *Sempervivum majus* Ger. **Houseleek.**

Folia edit terræ ac radicibus proxima, crassa, pinguia, lenti succi plena, acuminata, densa, per margines æqualia, & in orbem ad effigiem oculi disposita, atque hujusmodi orbiculos complures proferens, latè atque in amplitudine sese diffundit, non rarò & tenues fibras emittit, quibus latiùs serpat, atque novos orbiculos progignat. Assurgit quandoque in medio horum *caulis* pedem plus minùs altus, erectus, crassiusculus, similibus sed angustioribus & acutioribus foliis veluti squamis obtectus; superiùs in ramos diductus reflexos. *Flores* scansiles, serie quadam succedentes gerit, stellatos, rubentes aut obscurè purpurascentes, polypetalos, quos excipiunt *siliculæ* plurimæ seu cornicula semine minutissimo repletæ, in orbem dispositæ.

Locus. Inter petras in montibus sponte oritur,& ad macerias & muros. In Anglia spontaneum non vidi, ubique tamen in domorum tectis, muris & maceriis vetustis & imbricamentis seritur. *Caulis* floriferus est post Solstitium æstivum; cùm semen Autumno perfecerit exarescit.

Vires. Refrigerat validè & astringit. Usus præcip. intrinsecus in febribus biliosis, sedat scil. sitim & compescit ardorem. Vulgare est plebi nostrati (inquit Schroderus) expressum succum cum Saccharo in febribus morbísque calidis propinare. Botanici nostrates præscribunt succum Zythogalo aut liquori posseti infusum; seque eum bono cum successu hoc modo propinatum novisse ait *D. Tancredus Robinsonus*, tum in aliis febribus, tum præcipuè in Erysipelatide & hectica; Abundat enim hæc planta, sale Alcali medicamentoso.

Tragus succum aut aquam destillatam, linteolis in eis madefactis ac impositis in inflammationibus quibusvis corporis, imprimis verò phrenetico morbo, apprimè conducere scribit, in inflammatione ac rubore oculorum, jecoris item & renum. Articulorum insuper morbo medentur, & ambustis auxiliantur.

Succus Solatri succo admixtus, & cum oculis Populeis decoctus in axungia suilla, ac percolatus ut fiat unguentum, mirè efficax est, omnibúsque populeis unguentis Tragi judicio præferendus.

Galenus cum Dioscoride Epithematis loco succum cum aceto Erysipelatis foris imponunt, quod hodie, inquit Casp. Hofmannus nemo ausit.

Succus verrucis & pedum clavis illitus ut eo probè madefiant, deinde foliorum cuticulâ superimpositâ, eos tollit & sanat.

Ad cornua pedum, ℞ Folia Sempervivi majoris q. s. contunde & superpone sex diebus continuis. *Chesneau.*

Ad matricis & urethræ ulcera, ℞ Succi Sempervivi majoris ℥iv. Litharg. ℥j. vitell. ovorum n°. ij. diu agitat. in mortario plumbeo, utere. Remedium erat Chirurgi cujusdam Parisiensis. *Idem.* Habui ex collectaneis *D. Edv. Hulse.* Medici Londinensis.

In febribus linguam molesti aridam vel etiam fissam lenient folia Sempervivi majoris, membranulâ externâ denudata. Aquæ puræ aut Rosaceæ induntur, hinc subinde linguæ imponuntur, atque dentidem renovantur. *D. Soame* è Sylvii L. 1. C. 23. S. 64.

* 3. *Sedum majus montanum dentatis foliis* C. B. *Sedum* 4. *i. e. Cotyledon altera secunda Clusii* Ger. *An Sedum latifolium floribus magnis albicantibus* J. B ? *Sed. majus alterum flore Atlante* Park. *quid velit vox illa Atlante non satis capio.*

Clus.

Pinguia, crassa, numerosáque habet *folia*, circa radicem densa, Acetabulo alteri sive Sempervivo vulgari majori similia, minora tamen & in ambitu leviter dentata, succulenta & gustu acido: inter quæ multa in ambitu capita, è similibus sed minoribus foliis congesta exoriuntur, longis pediculis inhærentia, quæ tandem aucta in novas plantas efformantur. Ex ipsius matris umbilico emergit *caulis*, dodrantalis, foliosus, rectus, ferens in ramulis florem alterius Cotyledonis instar albicantem, magnum, sex foliis constantem, cui succedunt *siliquæ* seu vascula totidem angulis discreta, *semine* exili plena. *Radix* Sempervivo vulgari majori similis, minùs tamen crassa, candicans, subindè novas plantas, præter jam dictas, è lateribus fundens.

Locus. Frequens est in omnibus jugis urbi Viennæ vicinis, atque in Austriacis, Stiriacísque Alpibus. Floret Julio.

Varietas. Illis ipsis locis invenitur aliud genus huic valdè simile, per omnia tamen minus & cujus folia magis sunt dentata: quod Sedum majus montanum dentatis foliis alterum *C. B.* Sedum alterum minus magis dentatis foliis *Park.*

Invenitur & alia hujus varietas præcedenti per omnia simile exceptis floribus qui purpurei sunt & odorati.

* 4. *Sedum majus montanum foliis non dentatis, floribus rubentibus* C. B. *Sedum montanum latifolium flore purpureo* J. B. *majus angustifolium* Park. Ger.

Clus.

Confertis, frequentibus pinguibúsque sive crassis atque in orbem digestis est hoc etiam genus *foliis*, superiore tamen minoribus, nec dentatis in ambitu, tametsi aliquantulum hispida appareant, sub quibus è radicis capite aliæ similes plantæ crassis fibris præditæ in orbem se propagant & radices agunt; è matris umbilico palmaris, nonnunquam etiam dodrantalis exilit *caulis*, succulentus, rubescens, multis crassis succíque plenis & mucronatis foliis cinctus, angustioribus quàm superiora & mucrone purpurascente, qui supremâ parte in ramulos dividitur, multis *floribus* superioris Cotyledonis alterius floribus formâ similibus onustos, minoribus tamen, duodenísque, angustis, mucronatis, stellæque instar decussatis foliis constantibus, coloris ex rubro purpurascentis, totidem *siliquulis* in caput aut veluti coronam compactis, floris umbilicum occupantibus & vicenis quaternis staminibus eam ambientibus. *Semen* illis siliquulis sive loculis adeò exile inest ut oculorum aciem propemodum fugiat. *Radix* mediocriter crassa & fibrosa est, Cotyledonis alterius modo.

Locus. Plantæ quæ florem tulerunt tum in hac tum in superiore intereunt, perinde atque in Sedo majori vulg.

Crescit in Taurinarum Alpium jugis non procul Saltzburgo, ubi floret Julio, in hortos translata maturius, viz. Maio.

5. *Sempervivum rubrum montanum γναφαλῶδες* Col. *Sedum rubrum tomentosum* Park. *montanum tomentosum* C. B.

Col.

Singula hujus folia, dum planta sine caule est, Vere incipiente ad invicem tomentosa lanugine contexuntur: apices enim foliorum, relictis foliis intermediis, tenuissimis densísque staminibus veluti Araneis intercipiuntur, ut semper angulos efforment, ita ut tota foliorum superficies operiatur innumeris figuris trigonis, tetragonis, pentagonis & hexagonis intersectis ad invicem, ut ex quolibet extremi folii apice efformentur. Autumno & hyeme antequam caulem edat incana est aut cinerea, nec folia conjuncta tomento aut aranea sunt, sed aperta & disjuncta, ut in vulgari: cùm caulem edit tota planta colorem mutat & rubra efficitur.

E radice pusilla, tenui veluti filum, inter saxorum rimas ubi parum terræ inhærente, multa *folia*, veluti Cinaræ fructus squamosus, in globulum composita, Nucis Regiæ obliquè dimidiatæ magnitudine orbem complentia, linguarum angustarum effigie, parva, carnosa, vulgaris majoris lutei Sempervivi modo, per ambitum hirsuta parum, in summo araneosa multùm, colore cinereo: Æstate caulescente plantâ ita illi hærent densa ut pyramidem effigiant, atque nihil præter summum caulis appareat, in quo folia minora alternatim separantur. *Caulis* semipedalis, in summo bifurcatus in alas, in quibus *flores* magni, rubentes, roseo saturo colore, stellati, in decem radios secti, cum totidem apicibus medium fructum habentes: staminibus verò circa illum viginti, quorum cacumen luteum, minutum est. Florum folia expansa & radiantia, veluti plicata priùs quàm dehiscerent, canaliculum vel plicam habent in singulis radiis, colore magis saturato; calycem verò dilutiorem, subtus hirsutum, totidémque oris distinctum.

Tempus & Locus. Julio floret & Augusto perficitur, in Æquicolorum montibus, & jugis altissimis, nudis, saxosis, meridiei expositis supra montem Flaminianum, *le Serrone* vulgò dictum, supercilium sci. appellatum.

* 6. *Sedum Alpinum roseum cauliculis rubentibus* Hort. Lugd. Bat.

In horto Regio Parisiensi habetur sub titulo Sedi Alpini medii rosei, aculeo rubente.

Hanc plantam, nemo hactenus, quod sciam, descripsit, nec nos eam vidimus, ideóque nescimus an rectè hìc collocavimus.

CAP.

Cap. II.

De Telephio.

Telephium dictum volunt, quòd ulceribus malignis & deploratis, qualibus Telephus Mysiæ rex ab Achille vulneratus consenuit, (quæ eam ob rem etiam Telephia vocantur) auxiliatur: Fabaria vulgò à foliorum cum Faba similitudine, Officinis Crassula major appellatur. *C. B.*

Folia in Telephio non conglobantur in capitula, ut in Sedo majori; nam à prima statim germinatione excaulescit. Flores velut in umbella pentapetali, quibus succedunt theculæ plurimum quinq;.

A. 1. *Telephium vulgare* C. B. *Telephium sive Crassula major vulgaris* Park. *Crassula sive Faba inversa* Ger. *Anacampseros vulgo Faba crassa* J. B. **Orpine, or Live-long.**

J. B.

Pedalis est & altior Anacampseros, *caulibus* rectis, teretibus, solidis, quibus perquam crebra adnascuntur *folia*, surrecta, succulenta, Portulacæ foliis longiora, colore glauco, rubedine aliquo subinde perfuso, crenata. *Flores* in summis caulibus & ramulis [in quos summi caules dividuntur] in umbellas digesti, rubentes, pentapetali cum pluribus staminulis; medium florem occupant *theculæ* aliquot, plurimum quinque semen claudentes præ parvitate ferè inconspicuum. *Radix* subest tuberculis glandulosis strumosa, unde Fabæ inversæ nomen. Nullo nec sapore nec odore excellit.

Folia interdum integra sunt & minimè crenata, flores non rarò albi, ut eos describit Bauhinus, apud nos tamen sæpius purpurei: atque hoc est Telephium 3. purpurascente flore *Clus. Hist.* qui folia in caule rariora ei attribuit.

In umbrosis maximè & ad sepes oritur, non raro tamen in agris & pascuis. *Locus.*

* 2. *Anacampseros purpurea* J. B. *Telephium purpureum majus* C. B. *floribus purpureis* Park. Ger. *An Rapuntium umbellatum* Col?

Clus.

Ex *radice* crassiuscula, & bulbis instar parvorum naporum, multísque etiam fibris prædita, aliquot singulis annis producit *caules* cubitales, quibus innascuntur *folia* satis frequentia, inordinata, Telephii vulg. crassa, succulenta, in ambitu tamen nonnihil crenata & veluti sinuosa. *Flores* coloris gratissimi ex rubro purpurascentis: in reliquis cum Telephio vulgari convenit.

J. Bauhinus Anacamperoti seu purpuras. *caulem* rectum & rigidum ascribit: *folia* quam vulgari angustiora, longiora, dilutioréque virore tincta: *flores* rubentes, quo etiam colore sunt stamina media & apices.

Telephium purpureum minus C. B. J. B. *minus flore purpureo* Park.

Non alia in re præterquam partium omnium parvitate à præcedente differre videtur. Videsis descriptionem ejus apud Bauhinum in Prodromo.

3. *Telephium latifolium peregrinum* C. B. *Crassula major Hispanica* Ger. *Telephium sive Crassula major Hispanica* Park. *Anacampseros maxima* J. B.

Clus.

Habet hoc duos, tres pluresve *caules* à radice prodeuntes, cubitales, succulentos, in latus se inclinantes; in quibus ordinata sunt *folia*, h. e. ex intervallis bina, semper adversis pediculis nascentia, crassa, succi plena ut in vulgari, sed majora & magis carnosa. *Flos* in extremis ramis quasi umbellatim nascitur, quemadmodum in Crassula majore, pallidus. *Radices* illi plurimæ glandulosæ Crassulæ vulgari similes.

Nascitur in Hispaniæ umbrosis quibusdam locis, unde ad Belgas delata facilè comprehendit & aucta est, valdè enim vivax est, ut etiam rami in terram depacti statim radices agant. *Locus.*

Floribus est albis atque etiam rubris.

* 4. *Telephium Portulacæ folio* Moris. præelud.

Moris.

Sola crassitie seu spissitudine foliorum, Portulacæ æmulorum à cæteris suæ classis facilè distinguitur.

5. *Telephium semper virens* Ger. *repens folio deciduo* C. B. *minus repens sive Cepæa Pansii* Park. *Anacampseros minor rotundiore folio semper virens* J. B.

J. B.

Inter Anacamperota vulgò notum & hanc speciem hoc interest discriminis, quòd non tantùm minor hæc, sed & radices fibrosæ Sedi vermicularis, non tuberosæ: foliorum series non minus stipata, verum ea excepto colore glauco ad Portulacæ folia quàm proximè accedunt magnitudine & circinata ferè rotunditate, suntque admodum caduca, sic ut sæpe major pars caulis ubi exciderint foliis vidua con-

conſpiciatur, relictis interim ubique foliorum ubi exciderint veſtigiis. *Caules* graciles, teretes, nonnihil rubentes per terram repunt, dodrantem longi. *Flores* in umbella, Anacampſerotis vulgaris, quorum ſinguli quinque foliolis ex albedine in purpureum vergentibus conſtant, *apices* verò ſunt lutei: in medio autem flore coeunt quinque velut alabaſtri mucronati.

Tota hyeme viret: facilè ſe propagat.

Vires. Vulneraria eſt & aſtringens: Præcip. uſus in conſolidanda inteſtinorum eroſione per dyſenteriam introducta, in curanda hernia, in ambuſtis medendis. [Aqua deſtillata exhibita, aut radix cum melle in vino decocta ac pota.]

Magna dolores ſedandi facultate pollet hæc herba, idque tam in recentibus vulneribus, quàm in ſordidis & inveteratis ulceribus efficiunt folia tuſa & impoſita.

Herba ſub cineribus toſta & cum adipe ſuillo mixta & impoſita paronychias egregie ſanat.

Radix Telephii recens appenſa, [aut aliquot ſaltem ejus nodi, prout nodi plures vel pauciores in ano protuberant] cum filo in dorſo inter ſcapulas, hæmorrhoidum dolores ilico levat, ſimúlque cum marceſcente radice tabeſcit & evaneſcit omne tuberculum. V. *Ephemer. German.* Ann. 2. Obſerv. 195. ubi D. Wedelius Amuletum hocce miris præconiis celebrat, ejúſque efficaciam duobus exemplis comprobat. Nos ut non negamus Amuletis aliquam vim ineſſe poſſe, ità iis non multum fidimus.

* 6. *Telephium Indicum* Bontii.

Bont.

Caule eſt paulo elatiore quàm Telephium noſtras, foliis etiam aliquantum in figura variantibus. Incolæ Malaii à forma *Moulit Bebec* vocant, quod Anatis roſtrum ſignificat, nam inverſum Anatis roſtrum admodum bene refert, præſertim illorum qui inciſuras ad latus roſtri habent. Semper viret hæc planta.

Vires. Incolæ eâ utuntur contrita ad ipſorum ſcabiem & cætera bilioſa ulcuſcula in cute, quæ hîc nunquam deſunt. Tum ad Eryſipelata quoque utilis eſt cum aceto contuſa. Malaicæ mulieres eâ quoque utuntur pro topico ſuper bregma puerorum ubi ſuturæ nondum coaluerint, referentes id ad robur cerebri facere.

A. 7. *Rhodia radix* J. B. C. B. Ger. Park. **Roſewort, or Roſe-root.**

J. B.

Tuberoſa *radice* nititur, quam ob Roſarum conſimili odore ſaporéque Rhodiam appellant, foris in fuſco ſplendente, intus albâ, fragili, roſeum odorem halante, guſtu Roſis ſimili, non ignaviter adſtringente. *Virgæ* ab una radice plures oriuntur, tenues, numeroſo *foliorum* agmine denſè ſtipati, ſubſtantiâ & poſitu Telephii vulgò dicti, anguſtorum, oblongorum, acuminatorum, & circumquaq; ſerratorum, colore glauco excepto mucrone purpuraſcente, ſapore adſtringente. *Flores* in umbella purpuraſcentes, quibus ſuccedunt *ſiliquæ* oblongæ, extra reflexæ, corniculorum, Aquilegiæ aut Aconiti inſtar, rubentes, in quibus ſemen minimum oblongum & paleaceum.

Locus. In excelſis montibus Cambriæ, Eboracenſis Com. Weſtmorlandiæ, &c. v. g. *Snowdon, Caderidris, Ingleborough, Hardknot, &c.* ex ipſis rupium fiſſuris, præruptíſque in locis exit.

Vires. Modernis practicis vix in uſu eſt, niſi quòd interdum ad renum calculos decoctis incoquatur. Nos cum J. Bauhino judicamus eam non procul abeſſe à Roſæ aut Craſſulæ temperamento, quacum facie externa adeo convenit, ut nulla ratio ſit cur diverſo nomine inſigniatur.

* 8. *Rhodia radix foliis minus inciſis* Hort. Lugd. Bat.

* 9. *Rhodia radix major purpurea* Hort. Lugd. Bat.

CAP. III.

De Cepæa, & Sedis minoribus Stellatis.

HÆ plantæ parvitate ſua & foliorum anguſtia à præcedentibus differunt.

1. *Cepæa* J. B. C. B. Ger. *Cepæa Matthioli* Park.

Cluſ. J. B.

Spargit per terram *folia* ſucculenta, Portulacæ ſimilia, minora, ſubrotunda. *Cauliculum* exſerit dodrantalem, in terram procumbentem, atque in multos ramos fiſſum, cui ad ſingulas alas adnaſcuntur folia præcedentibus ſimilia, anguſtiora, ex oblongo per extremum ſubrotunda. *Flores* in caulibus à medio ſummo tenus ex uncialibus pediculis plures congeſti, ſuis tamen petiolis minoribus nixi, parvi, albicantes, pentapetali; quibus ſuccedunt tenuia ut in Craſſulis *capitula*, exili ſcobis inſtar *ſemine* plena. Annua autem eſt, ſingulis annis deciduo ſemine ſponte reſurgens.

Locus. Circa Monſpelium & Genevam ſponte oriri dicitur.

A. 2. *Sedum*

A. 2. *Sedum minus hæmatodes* Ger. *minus flore luteo* J. B. *minus luteum folio acuto* C. B. *Vermicularis & Crassula minor vulgaris, sive Illecebra major* Park. **The most ordinary yellow Prickmadam, or Stone-crop.**

Radices in terram demittit plures, innumeris filamentis capillatas. *Caules* exserit teretes, crassos, pingues, medullâ solidiore, carne molliore, infirmos & humi procumbentes, ramosos; *foliis* vestitos creberrimis, nullo ordine positis, initio glaucis, per vetustatem rubentibus, crassis & succulentis, quà caulibus adhærent crassioribus, paulatim in acumen desinentibus, molli in ipso apice spinulâ donatis, non exactè tamen teretibus, sed supina parte planioribus. *Caules* qui flores sustinent eriguntur, altitudine dodrantali, foliis jam descriptis similibus vestiti, verùm rariùs dispositis & brevioribus. *Flores* in summis caulibus in quasdam velut umbellas dispositi, flavi, hexapetali, è calice in sex partes diviso, cum plurimis intus staminibus apices concolores sustinentibus. Singulis floribus succedunt vascula plurima *semine* repleta, qualia in Sedo majore & Telephio cernuntur, nimirum Aconiti aut Delphinii.

In muris & tectis ubiq; fere in Anglia occurrit. *Locus.*

A. 3. *Sedum minus luteum ramulis reflexis* C. B. *minus luteum flore se circumflectente* J. B. *Aizoon Scorpioides* Ger. *Vermicularis Scorpioides* Park.

Summo caule in ramulos diviso sese inflectentes instar summitatum Scorpiuri sive Heliotropii majoris à precedente differt.

Varietas potiùs præcedentis videtur quàm species distincta.

Inter acetaria multis locis recipitur (inquit J. Bauhinus) in quibus & sapit & palato gratum est; æstuanti ventriculo confert, teste Dodonæo. *Usus.*

Cum Sedo majore temperamento & facultatibus convenire videtur, ejúsque loco, si res postulat, usurpari potest.

A. 4. *Sedum purpureum pratense* J. B. *minus palustre* Ger. *Sedum arvense sive palustre flore rubente* Park. *palustre subhirsutum purpureum* C. B. **Small Marsh Sengreen.**

J. B. Clus.

Dodrantalem habet *cauliculum*, subrubrum, succulentum, tenerum: *foliola* longiuscula, subhirsuta, succi plena, Vermicularis folia referunt nisi quòd planiora sint. *Flosculi* in summis cauliculis pentapetali, purpurascentes aut carnei coloris, cum aliquot internis *staminibus* pallidis. Totidem succedunt *cornicula* quot sunt in singulis floribus folia, initio viridia, deinde purpurascentia, *semen* exile continentia. *Radix* exigua est & inutilis, secundùm quam ex infimo caule surculorum propagines in orbem humi diffusæ sunt, multis exiguis foliolis Sedi minimi acris ferè similibus, minoribus tamen, angustioribus & obtusiore mucrone præditis cinctæ, saporis insipidi & aquei.

In humidioribus ubi aquæ scaturiunt ad latera montis *Ingleborough*, & alibi in montosis Septentrionalibus Angliæ. Nascitur humentibus pratis circa Norimbergam. J. B. *Locus.*

Sedum arvense flore rubente C. B. prod. huic idem videtur: confer utriusq; descriptiones.

5. *Sedum echinatum vel stellatum flore albo* J. B. **Prickly-headed Sengreen, with a white flower.**

J. B.

Ex *radice* brevi, multis fibris capillata *caulis* unus vel plures prodeunt, spithamæi, pingues, supini, teretes, sæpè simplices, aliàs in duas alas divisi, non tamen facilè fragiles. *Folia* Portulacæ, subacida, carnosa & succulenta, coloris viridis, extremâ orâ (quæ latior etiam est) serrata, saporis Sedi vulgaris majoris: folia inferiora caulibus excrescentibus exsiccantur & corrugantur. Caulibus ad certa intervalla adnascuntur flores stellati, Sedi, quinquepartiti, albi, apicibus purpurascentibus, quinq; foliis acuminatis, teretibus, viridantibus totum florem obvallantibus: *capsulæ* stellatæ succedunt ex radiis plurimùm quinque, rariùs sex, compressis, *semen* continentes minutum Aizoi vulgaris.

In muscosis sepium aggeribus non longè à Geneva, secus viam quæ inde ad oppidum *Jay* ducit. *Locus.*

Messanæ quoq; similibus in locis invenimus.

Ad Cepæam plurimum accedit.

6. *Sedum echinatum flore luteo* J. B.

Toto habitu simile est superiori [sed minus,] *foliis* tamen variat, non sinuatis, magis ad Portulacæ folia accedentibus, minoribus: *Flores* item non albos sed luteos promit, eodémq; tempore perficitur, gustu etiam simili.

Circa Portum Veneris & alibi in Italia plantam hanc invenimus; quin & ex semine Londino accepto ortam Cantabrigiæ in horto aluimus. Nostra tamen planta ab hac F. Columnæ descripta nonnihil diversa videtur: folia enim habet ad Alsinem accedentia, &, ut memini, nonnihil crenata. Annua est planta. *Locus.*

7. *Sedum minimum montanum flore purpurascente parvo, semine stellato.*

Radix ei alba, tenuis, pluribus fibris capillata, vix ultra annum vivax. *Caulis* ex eadem radice emergit, nunc simplex, nunc plures [tres interdum quatuórve] semipalmares, erecti, teretes, rubentes, *foliis* vestiti creberrimis, circumcirca nullo ordine positis, crassis, subrotundis, brevibus, apicibus obtusissimis, rubentibus: *Flores* in summo gerunt velut in umbellam dispositos, exiguos, pentapetalos, vix se pandentes, petalis acutis, saturatiore lineâ purpureâ per mediam longitudinem decurrente, ad margines pallidioribus. Vascula seminalia quinquepartita, stellata, radiis pungentibus.

Circa medium mensis Julii in præruptis & altissimis montis Juræ scopulis florentem inveni.

Huic non longè dissimilem invenit & descripsit in Indice suo plantarum circa Monspelium nascentium *D. Magnol* sub titulo *Sedi annui minimi stellati rubri.* Parvula, inquit, est planta, uncialis aut biuncialis, unico utplurimum cauliculo assurgens. Folia crassa & subrotunda sunt, inter quæ flosculi albidi oriuntur, satis magni pro plantulæ modo, quibus stellulæ rigidæ, crebræ succedunt, in quibus parvum semen continetur. Annua est planta.

Locus. Maio mense cum flore & stellulis sæpiùs invenit descriptionis autor in ingressu luci Gramuntii sub Ilicibus.

CAP. IV.

Plantæ quædam exoticæ Chrysanthemi titulo à Jac. Breynio exhibitæ, Sedis stellatis affines.

1. *Chrysanthemum aizoides Africanum primum seu latifolium* Breynii.

HUjus *caules* cubiti altitudinem attingunt, glabri, teretes, succi pleni, & coloris ex viridi albicantis, *Foliis* diluto nec invenusto virore pictis per longa intervalla frequenter binis donati, Portulacæ crassitie & succulentiâ; sed Calendulæ, quà figuram & magnitudinem, respondentia: E quorum alis ramuli aliquot pullulant, minoribus foliis & gemmis jamjam onusti, sed eorum, florea spes [in horto Amstelodamensi] intempestivis pruinis præusta decoxit. Nam cujuslibet tantùm caulis summitas *Florem* saltem unicum, peramœnum, ex *capitulo* viridi, crasso, in folia seu lacinias quinque decussato, mense Septemb. vel Octobri offerebat, eâdem quâ flos mediocris Calthæ amplitudine, Floris autem Solis figurâ, umbone citrini coloris, quem per circumferentiam concoloria, angustissima ac uncialia petala copiosè cingunt, constante. *Semen* mihi non visum sequentium par judico.

Ex semine à Promontorio bonæ Spei dicto delato in horto *Caroli Chivry* Amstelodami enatum est.

2. *Chrysanthemum aizoides Africanum secundum, seu teretifolium* Breynii.

Breyn.

Raritate & venustate primum antecellit, locis apricis & arenosis C. bonæ spei proveniens.

Hoc ex semine ad fuscum inclinante, subrotundo, & eâdem ferè quâ Hormini magnitudine in horto nostro succrevit. *Radice* verò constabat dodrantali, digitum crassa, tereti & alba, Raphani minoris oblongi, quà figuram & consistentiam, simili, sapore tamen aqueo. Ex hujus capite *folia* complura, succulenta, sesquipalmaria, digiti infantis ferè crassitie, teretia & flavo-viridi lævore nitida edebat, quorum plurima convexa, ac in extremitatibus siccata. Inter hæc duo, tres, vel etiam (ni fallor) plures *Caules*, magnitudine & crassitie foliis pænè æquales porrigebantur. *Florem* in *Beverningiano* horto dedit, Solis radiati instar formatum, eâdem quâ primi generis figurâ, nisi quòd duplo penè major, umbone aureo, petalis majoribus & latioribus sulphureis, ima parte flavis radiato fuerit. Folia insuper aut laciniæ capitis stellatæ, teretes & falcatæ erant. Plantam annuam, flore seminéq; edito evanescentem judico.

3. *Chrysanthemum Aizoides Africanum tertium, sive triangulari folio, flore aureo* Breynii. *Aster Aizoides Cap. bonæ spei* Zanoni.

Species prima.

Breyn.

Hujus [in horto Autoris educati] *radix* secundo similis, sed grandior: quæ aliquot humi jacentia, aliquot indè se efferentia, in orbem, velut Aloe pumila esset, *folio* diffundebat, jucundo virore oculos delectantia, dodrantalia, digitalis verò crassitiei & triangularis figuræ. Ex illorum medio *caules* rotundi, ex viridi albicantes tres aut quatuor plusquam pedales, binis utplurimum, & ut inferiora triquetris, sed minoribus foliis præditi, prorumpebant. Horum unicuique, senescente Autumno, crassum, oblongum, in quinq; lacinias angustas dissectum, calycis callosi Avellanæ Lombardicæ simile alabastrum addebatur; quod occultum suum decus meo etiam, sicut præcedens, horto invidit, quo *Beverningiani* maneret proprium ornamentum, ubi, stellæ in modum, in quinq; angulos resolutum *florem* aureo fulgore comantem protulit, primi generis minorem, umbilico dilutiore, tres visu jucundos, virides circulos exhibente ornatum, quantum ex pictura augurari licuit. *Semen* secundi generis minus.

Species

Species secunda, flore purpureo.

Breyn.

Rarissima est hæc, & quantum mihi constat, Europæ nostræ minùs reliquis nota, Antecedenti persimilis, nisi quòd plerunque major, & *folia* floris umbonem luteum circundantia purpurei coloris sint.

Species tertia, flore carneo.

Breyn.

Secundæ speciei valdè similis est; excepto quòd petala, quibus umbo floris radiatur, carnei sint coloris.

Species quarta, minor flore flavo.

Breyn.

Hæc, quantum ex figura à D. *ten Rhyne* transmissa Autori nostro conjectari licuit, pedalis circiter erat; *caulibus* procumbentibus, articulatis, quos *Folia* triquetra, reliquis breviora & longè angustiora exornant. *Flores* in caulibus & ramis se solitarios ut in cæteris præbentes parvi sunt, *capitulo* trigono, petalis brevioribus ac paucioribus quàm primæ speciei, quorum color luteus seu flavus, cincto.

Tota hæc planta cum congeneribus omnibus antedictis, præprimis folia earum cum capitibus ut Aizoon succulenta sunt. Sapor aqueus, nitrosi quid occultans, quod in siccatis, quæ planè salsæ clariùs patet.

Cùm plantæ hæ nobis nondum fuerint conspectæ, an rectè Chrysanthemis annumerentur nescimus. Paulus * Ammannus, cui cognitæ & examinatæ fuerunt, quò pertineant te certiùs docebit.

* *Charactere Plantar. naturali.*

Chrysanthemum, inquit, aizoides Africanum (1.) latifolium *Breynii.* (2.) teretifolium, (3.) triangulari folio, flore aureo, (4.) flore purpureo, caulibus & ramis purpurascentibus, (5.) flore carneo & (6.) triangulari folio minus, flore flavo in *Cent.* 1. & *Prodr.* p. 21. ad classem Chrysanthemorum non pertinent, quoniam non ferunt semina quadrangula nuda, more Chrysanthemorum; nec ad Asteres, quia non habent semina papposa, sed magis Kali florido repenti Aizoidi Neapolitano *Col.* & dicantur Kalia Africana Kali florido repenti Aizoidi Neapolitano Columnæ affinia.

I. Habent enim vascula pentagona coni inversi instar, in summo plana, per margines quinque carnosis apicibus circumvallata, totidémq; intus cellulis donata, quæ per maturitatem dehiscentes, semina parva, spadicea, rotunda effundunt: apices sive capsulæ dum maturescere incipiunt, dehiscunt & flaccescunt, summo capitulo stellæ radiatæ figuram imprimentes.

II. Quædam ex hoc genere ferunt, vascula quindecim loculamentis donata, totidémq; apicibus oblongis, fungosis, in conum coeuntibus circumvallata, ut Chrysanthemum aizoides triangulari folio, flore aureo.

Quantum ex his capsularum seu vasculorum seminalium descriptionibus colligere licet plantæ hæ Sedi seu Aizoi exotici species sunt, non Chrysanthemi.

Cap. V.

De Pæonia.

Παιωνία ἢ γλυκυσίδη, quibusdam πεντόροβον, cujus radicem aliqui Ἰδαίους δακτύλους vocant, Pæonia dicta est à medico Pæone, qui eâ Plutonem ab Hercule vulneratum, Homero Odyss. 5. fingente, curâsse perhibetur. *Pæonia vetustissima inventa est, noménque autoris retinet, quam quidam Pentorobon appellant, alii Glycysiden.* Plin. lib. 25. c. 4. Fortè (inquit Bodæus à Stapel) à παιὼν vel παιωνίζω hymnos cano, quòd ob insignes virtutes multum laudaretur: nam Pæonias omnes herbas Veteres pro salutaribus habuerunt.

Pæoniæ notæ genericæ sunt flores rosei maximi, semina majuscula rotunda, per maturitatem nigra, radices crassæ vel tuberosæ; folia composita.

1. *Pæonia mas* Park. Ger. *præcocior* J. B. *folio nigricante splendido, quæ mas* C. B. The male Peiony.

J. B.

Pæonia mas præcocior, ut rarior, ita notabili foliorum & radicis differentiâ à fœminâ dispescitur: ea siquidem quam fœmina videtur altiùs assurgere, ad sesquicubitalem aut bicubitalem altitudinem; pluribus *caulibus* nonnihil rubentibus, in aliquot ramos divisis, *foliis* vestitis Nucis Juglandis ferè positu & figurâ, sed latioribus, crassioribus, lanugine quadam aversâ parte pubescentibus, ternis, quaternis, quinis, rariùs septenis, saturè virentibus, glaucóque obductis, caulium extremis ad commissuras parte interna rutilis, ex longis rubescentibus pediculis pendentibus. *Flores* supremis insident fastigiis singulares, patuli, quos carinata quædam folia sustinent, similes ferè floribus Pæoniæ fœminæ, sed dilutiores, non sine purpuræ tinctura, nervis reliquâ floris parte saturatioribus, in quorum medio *stamina* purpurantia *apices* croceos sustinent. Succedunt *cornicula* alba, villosa in principio atque lucente lanugine pubescentia, rariùs terna, sæpius quina aut circiter, cristâ sanguineâ incurvâ supernè

supernè donata: juxta cornicula stamina rutila, apicibus luteis farinaceis donata. Cornicula verò jam grandiora reddita, atq; per maturitatem dehiscentia recurvantur, elegantissimamque *granorum* ostentant seriem, utrinq; ordine positam, primùm acinis granati colore similium, mox atrocœruleorum, tandémque nigrorum, rotundorum, crassiorúmq; quàm in fœmina, colore & substantiâ alioqui similium, quemadmodum & sapore. *Radix* ceu palus altè depangitur, recta, nonnunquam in adnata pauca divaricata.

Locus & Tempus. Hujus flores Maii initio explicantur, móxq; decidunt. Gesnerus in Generoso dicto Helvetiæ monte reperiri audiverat.

Si seminetur Vere, utplurimum per annum latitat, & post singulis annis foliorum divisurâ augetur.

2. *Pæonia mas tardior* J.B.

1. A præcedente differt *foliis* numerosioribus, quippe quinis aut septenis, impari aliquando bifido; dilutiùs quoq; virentibus, & aversâ parte, si cum prædictæ foliis conferantur, pallentibus, quâ & albâ quadam lanugine donata sunt. 2. Non caulium modo extremis sed ipsis quoq; foliorum costis interna seu adversa parte rutilantibus. 3. Floribus tardiùs erumpentibus, nec citiùs quàm prioris decidant.

Tempus. Floret hæc communiter sub finem Maii.

Vires. In usum Medicum veniunt radices & semina.

Usus eorum præcipuus est in affectibus *cephalicis*, Epilepsia, Incubo, &c. *uterinis*, mensibus obstructis, lochiis purgandis, doloréque post partum mitiganda, epatis obstructione. Extrinsecus suspenduntur grana ac radix de collo pro arcenda epilepsia. *Schrod.*

Vidi (inquit * Galenus) puellum quandoq; octo totis mensibus morbo Comitiali liberum, ex eo quo gestabat radicem tempore. Ubi autem fortè fortuna, quod à collo suspensum erat decidisset, protinus morbo correptus est; rursusq; suspenso in illius locum alio inculpatè se habuit. Visum ergo est mihi, satius esse denuo id certioris experientiæ gratiâ, detrahere: id cùm fecissem, & puer iterum esset convulsus, magnam ac recentem radicis partem ex collo ejus suspendimus, ac deinceps prorsum sanus effectus est puer, nec postea convulsus. Experimentum hoc Galeni confirmant Montanus, Fernelius, Apollonius Menubenus lib. de Alce, cap. 7.

* 6. Simplic.

Qua hoc qualitate seu proprietate effecit ambigitur. Quâcunque tandem (inquit Julius Alexandrinus à Neustain suis in Galeni de simplicium Medicam. facult. librum notis) successûs hujus spe frustramur hodie. Vel igitur tam efficax non est nostra hæc Pæonia quàm aliarum regionum aliquarum, vel leviora erant illius temporis mala hæc quàm nostri hujus sunt, ob immutatam in deterius fortè victûs rationem. Alii in effossione sub certo syderum positu totum negotium consistere asserunt. Quæ opinio Magicâ aut superstitiosâ vanitate non vacat. An (inquit Casp. Hofmannus) Galeni radix non fuit naturâ suâ talis, sed quia πεπλασμένη, *adjurata*, ut sic vertam. Diabolus enim in multis aut juvat naturam, aut impedit.

L. 2. C. 21, Sect. 128. Sylvius nihil grandis (inquit) hactenus ab hujus radice & semine sæpissime à me usurpatis vidi præstitum. *D. Soame.*

3. *Pæonia fœmina* Ger. *fœmina vulgaris flore simplici* Park. *communis vel fœmina* C. B. *fœmina vulgatior* J. B. Female Peiony.

J. B.

Radices glandulosas fibris quibusdam interceptas habet, ut Asphodelus, à quibus denuò & aliæ propagantur simili modo glandulosæ. *Caulis* viridis vix nisi ad exortum pediculorum foliorum rubedinem ullam ostentat: *folia* variè & inconditè dissecta, modo trifida, modò bifida (de singularibus foliis intellige) aliàs etiam integra, supernè virentia, infernè albicantia aliquantulum & nonnihil hirsuta. *Flos* qualis in mascula [sed minor magisq; purpureus] cum staminibus & apicibus consimilibus perinde ut in *siliquæ* [quæ tamen minores] at *semen* oblongum, per maturitatem nigrum.

Tempus. Floret mense Maio: semen Julio ad maturitatem pervenit; multúmq; se reptatu multiplicat.

4. *Pæonia fœmina Hispanica pumila* Park. *tenuiùs laciniata, subtus pubescens, flore purpureo* C. B. *fœmina pumila* Ger. *quoad iconem.*

Clus.

Tenuiùs dissecta & laciniata habet *folia*, magis mucronata, aversâ parte brevi lanugine pubescentia & candicantia, adversâ verò virentia nec splendentia, multis venis à medio nervo in latera foliorum excurrentibus, ut in reliquis Pæoniæ generibus: *Caules* graciles & dilutiùs virentes, singulos sustinentes unicum *florem*, aliorum generum floribus paulò minorem, simplici octo foliorum serie constantem, purpureum, hoc est minùs rubentem quàm qui plenus est, sed non minùs odoratum, multis *staminibus* candidis quorum *apices* flavi, bina cornicula media cingentibus præditum, quæ maturitate dehiscentia *semen* continere conspiciuntur vulgaris Pæoniæ, initio subcæruleum, seminis Tini instar. *Radix* superiori similis, minùs tamen crassis sed gracilioribus bulbis constans.

Nata est Clusio semine ex Hispania misso: floret Maio mense cum aliis.

* 5. *Pæonia Pomi Arantii colore* C. B. *tertia* Cluſ. *fœmina flore carneo ſimplici* Park. parad.

Cluſ.

Folia huic Pæoniæ fœminæ, paulò dilutiùs virentia quàm πολυφυλλίνδου, ſplendentia, per oras nonnihil criſpa, infernè cineracei coloris: *flos* ſimplici ſex foliorum ſerie conſtat, coloris carnei dilutioris, in quo flaveſcens tenuiter elucere videtur: *cornicula* viridia medium florem occupant, & multis albis *ſtaminibus* cinguntur, quorum *apices* aurei. *Semen* in corniculis nigrum: *radix* bulbaceis Aſphodeliniſq; tuberibus conſtat.

Floret Maio.

* 6. *Pæonia Aquilinæ foliis* C. B. *quarta Aquilinæ foliis* Cluſ. *fœmina Aquilinæ foliis* Park.

Caulis huic ſatis firmus: *folia* in ternas alas diviſa, quæ totidem folia gerunt breviora & magis orbiculata quàm aliarum, atque in aliquot lacinias ſciſſa, ſupernè dilutiùs virentia, infernè pubeſcentia & caneſcentia, adeóque ſimilia Aquilinæ foliis, ut primo intuitu pro illis accipi poſſint. *Radicem* habet multis bulbis longis præditam ut Pæonia fœmina. *Florem* non viderat Cluſius.

7. *Pæonia flore exalbido pleno major & minor* C. B. Cluſ. *fœmina flore pleno albicante* Park. parad.

Cluſ.

Humilior eſt illa quæ amplum, ex rubro purpuraſcentem, plenúmque habet florem: *Caulis* item quàm illi gracilior. *Folia* quidem multis laciniis ut alteri diviſa, ſed anguſtioribus: *flores* etiam minores, neq; adeò pleni, utpote qui ſexaginta aut ſeptuaginta foliorum numerum raró ſuperent, cùm in vulgaris plenæ flore aliquando quadringenta obſervare meminerim. Hujus color initio dilutè purpuraſcens, & quodammodo carneus, deinde paullatim elangueſcens, exalbidus fit, tandem totus ferè niveus, excepta foliorum baſi & infima parte, quæ carneum quodammodo colorem retinet. Bina aut terna, ut plena vulgaris, habet in medio flore *cornicula*, minora tamen. Peculiarem etiam habet ejus flos notam, ut illi folia non facilè defluant, ſed diutiſſimè hæreant, imò donec temporis diuturnitate nigreſcant, marceſcant & ſiccitate contrahantur. *Radices* etiam habet hæc minores & graciliores quàm vulgaris.

Reperitur hujus generis flore longè ampliore, ut quæ Purpureæ plenæ flori non cedat magnitudine, ejuſdem tamen cum deſcripto naturæ, diutiſſimè nimirum folia retinens, temporis ſucceſſu etiam albeſcentia. *Varietas.*

* 8. *Pæonia folio ſubtus incano flore albo vel pallido* C. B. *femina leucanthemos & ochranthemos* Park. *fœmina pumila* Ger. quoad deſcr.

Hanc, quæ in celſiſſimorum Cretæ montium convallibus abunde provenit, promiſcuæ naturæ eſſe, hoc eſt, quæ neque mas, neque fœmina eſſet, ſcribit Hon. Bellus ad Cluſium.

Huc refert C. Bauhinus Pæoniam flore niveo *Cluſ.* in Navarræ montibus inventam, cujus flos ſimplici foliorum ſerie conſtat, vulgari minor, radices etiam habentem illâ minores.

Pæoniam fœminam flore albo pleno

Depingunt & deſcribunt Tabernamontanus & Gerardus: Figura apud Gerardum eſt eadem quam Cluſius exhibet pro *Pæonia pleno flore albeſcente minore.*

Pæonia flore variegato C. B. *fœmina verſicolor* Park. V. Cluſ.

Hujus flores interdum carnei ſunt coloris, nonnunquam omninò rubri, aliquando etiam foliis vel media ex parte rubris, aliâ carnei coloris, vel utroque colore radiatim diſtinctis. Dubitat Cluſius annon artificio colores illi fuerint inducti.

* 9. *Pæonia promiſcua* Ger. *promiſcua ſtrictiore folio* J. B. *fœmina promiſcua* Park. *fœmina altera* C. B.

J. B.

Multa tam cum maſcula, quàm cum fœmina vulgari Pæonia communia habet. *Radix* glanduloſa ut fœminæ vulgari, ſed craſſioribus glandibus: at *folia* propiùs ad maſculæ folia accedunt, magis tamen incondita, ſingulàque ſtrictiora & longiora, ſupernè ut maſculæ ſaturè virentia, infernè verò magis albicantia, minùs tamen quàm fœminæ vulgaris, quibus etiam averſa parte multò minùs ſunt piloſa. *Flores* ſaturatiùs ſanguineo coccineóve colore rubent, ſeptem aut novem foliis conſtantes: *Apices* ac *ſtamina* & *ſiliquæ* ut in aliis.

* 10. *Pæonia promiſcua Vormarii folio latiore* J. B.

J. B.

Pulchrè hæc variat à reliquis Pæoniæ ſpeciebus: *Folia* ſiquidem quæ imis ramis hærent, latiora ſunt quàm cæterarum, rotundioráque, averſa parte glauca, hirſuta, adversâ ſaturatiùs virentia, itidémque pilis obſita, ſed paucioribus quàm in oppoſita. *Folium* in terna aut quaterna aut etiam quina ſegmenta diviſum eſt, nullâ diviſione certa, ſed temerè variante. *Flos* à reliquarum flore haud abſimilis: *Siliquæ* vero retortæ hirſutie alba totæ contectæ.

11. *Pæonia*

11. *Pæonia flore pleno rubro* J. B. *fœmina, flore pleno rubro majore* C. B. *Pæonia fœmina multiplex* Ger. *fœmina vulgaris, flore pleno rubro* Park. Double-flowered female Peony.

J. B.

Omnium Pæoniæ ſpecierum longè pulcherrima eſt, ſpecioſo *floris* ſanguinei ſaturi incremento, tam denſo foliorum ſtipatu luxuriantis ut fidem numero ſuperet. *Folia* ſane floris ſunt plurima, magnitudine & formâ inter ſe diſcrepantia. Extrema enim caulem proximè amplectentia reliquis omnibus majora ſunt,& adinſtar Roſarum odoratarum circinatæ rotunditatis: reliqua interiùs ſita mirè variant; ſunt enim quædam illorum graminea ferè, oblonga nempe & anguſta, intérque hæc aliquando colore albo tincta conſpiciuntur, cum levi rubore, quædam verò fiſtuloſa inferiùs & quaſi tubuloſa, arcto ſatis pervia meatu; quædam paulo majora, & ad latera utraque mirâ varietate modò magis minúſque profundè inciſa, diſſecta & alicubi ſerrata, quædam adhuc majora latioráque majoribus quoque inciſuris diſſecta, quædam etiam, & quod obſervatu dignum, referunt ſuâ ſectura & formâ ea omnia folia quæ viridia ſunt. In medio flore duo aſſurgunt *calices* albi hirſuti, oblongi, inferiùs latiores, in medio ventrioſi, in ſummo denique acuminati, cum inflexa quaſi Galli criſtam referente ſubſtantia rubra, ſeminum futurorum rudimenta intra ſe continente. *Folia* multùm ſimilia Promiſcuæ Lobelii foliis, breviora tamen & utcunque latiora, nec vel tenui illa Promiſcuæ lanugine infernâ parte donata, ſed inſtar maſculæ glabra & virentia.

Ex hujus ſemine Cluſio natæ ſunt plantæ, caule, foliis, radice matrem planè referentes, quarum una tertio anno florem dedit, matris flori quidem concolorem, ſed ſimplici ſex foliorum ſerie conſtantem. Altera autem Byzantinæ prioris florem imitantem, h. e. ſimplicem octo foliorum ſeriem habentem, colorem tamen magis rubrum & ſaturum, & ad nigredinem quodammodo tendentem: Tertia florem plenum tulit matri concolorem, vel etiam majorem, & ſingulis annis cornicula ſive nuces, quarum aliquæ ſemine prægnantes fuere.

Cæterùm flos hujus plantæ omnium quos novimus multiplici foliorum ſerie conſtantium ſpecioſiſſimus eſt & maximus, foliis numeroſiſſimis compoſitus, non diu tamen durat, verùm intra ſex aut octo dies poſtquam aperitur defluit.

* 12. *Pæonia flore pleno rubro minor* Cluſ. J. B. *flore pleno rubro minore* C. B.

Cluſ.

Folia hujus alterius foliis haud abſimilia: *Flos* tamen ejus flore minor, nec adeò plenus, illi pænè qui carnei coloris plenus eſt par, non minùs tamen ſaturi rubri coloris quàm majoris, ſed cujus *folia* interiora venis quibuſdam nigricantibus aſperſa conſpiciuntur, medium florem occupant cornicula nullis ſtaminulis obſita.

* 13. *Pæonia peregrina flore ſaturè rubente* C. B. *fœmina Byzantina* Park. parad. *Byzantina* Ger. emac. *Byzantina prior* Cluſ.

Folia habet præcedentis foliis non diſſimilia, paulo tamen craſſiora; *caules* illi ſimiles aut ampliores, *florem* ſummo faſtigio ſuſtinentes unicum, ſimplici octo, decem, aut interdum plurium foliorum texturâ conſtantem, non purpureorum ut πολυφυλλάνθων, ſed rubentium & elegantiſſimorum; *radicem* multis nodis oblongis, ſive Aſphodelinis bulbis præditam Pæoniæ fœminæ inſtar, exteriùs pallidioribus.

* 14. *Pæonia peregrina flore dilutè rubente* C. B. *Byzantina altera* Cluſ.

Hujus germina recens prodeuntia non rubent ut in priore, ſed ex albo vireſcunt, ut etiam caules & foliorum pediculi, quæ in illo initio rubent. *Folia* ſuperiore dilutiùs virentia læviáque, ſupernè & infernè non minùs quàm ſuperioris ſplendent. *Flos* etiam paulò major dilutiore magiſque florido colore præditus eſt: ejuſdem ſiliquæ breviores, ſemina rotundiora, minùs nigra & ſplendentia. Hæc non adeò liberalis eſt in proferendis floribus ac ſuperior.

Utraque ſemine Byzantio miſſo nata eſt.

Tempus. Floret Maio cum aliis Pæoniæ generibus, aut cùm illæ florere deſinant.

Cùm Cluſio ex ſemine Pæoniæ fœminæ vulgaris flore pleno rubro enatæ ſunt tres varietates, ſuſpicamur, imo fidenter affirmamus,nonnullas ex ſuperiùs traditis Pæonias non ſpecies diſtinctas eſſe, ſed varietates tantum, quæ ſationi & culturæ originem ſuam debent.

CAP.

Cap. VI.

De Helleboro nigro.

HEllebori etymon ſuperiùs tradidimus in capite de Helleboro albo.

Hellebori nigri notæ ſunt folia digitata, flores non decidui, ſi modò flores ſeu florum petala, & non potius floris calyx dicenda ſunt folia illa lata, ſpecioſa, alba, purpuraſcentibus unguibus, quæ florum petala vulgò habentur, floris autem petala tubuloſa illa foliola virentia quæ ſtamina & capitulum velut corona cingunt, quæ foliis prædictis calycis occultantur: radices catharticæ.

1. *Helleborus niger verus* Ger. Park. *niger flore roſeo* C. B. *niger flore albo, interdum etiam valdè rubente* J. B. **True black Hellebore, or Christmas flower.**

J. B.

Radicem habet numeroſis fibris, vulgari paullo craſſioribus donatam. *Folia* à radice *pediculo* ſpithamæo, craſſo, ſucculento, tereti, punctis purpureis ut Dracunculi majoris notato appenſa, diviſa utplurimùm in *folia* novem, viridantia, lævia, rigidiora, craſſioráque quàm in vulgari flore viridi, lata, obtuſa, ſerrata, in extrema folii ora & paullo inferiùs, crenis autem viduâ reliqua portione tota: pediculi ſingularium foliorum, ut & averſi folii nervus, purpuraſcentes. Inter folia *flores* occultantur, pediculo plurimùm palmari & ſeſquipalmari, ſucculento & maculoſo, ex foliis quinque candidis, ungue purpuraſcente extrinſecùs, ſubrotundis, ſtriato venularum diſcurſu præditis. Ad floris imum foliolum oblongum integrum, paulóque inferius aliud tanquam vagina, interdum diviſum in plura. Floris medium occupant *ſtaminula* multa lutea, breviáque, cum corona decem, duodecímve tubulorum virentium. Succedunt ſiliquæ corniculatæ intortæ, ſeptenæ, in quibus ſemen parvum, rotundum nigrum: fit interdum, ut eunte in ſemina flore ejus folia colorem contrahant ferrugineum tam intra, quàm extra. Aliquando florem habet valdè rubentem, interdum album pro anni conſtitutione.

Locus. In Alpibus non longè à Ponteba copioſum invenimus. J. Bauhinus ſe eum in variis ſylvis obſervâſſe tradit.

Alia Species. In horto Blæſenſi aliam hujus ſpeciem invenio quam Helleborum nigrum flore roſeo, minorem Belgicum vocant; qui omnibus ſuis partibus, foliis, caulibus, flore, præcedente minor eſt; flore ex albo roſeo.

Vires. Purgat potenter humores melancholicos, utile per conſequens medicamentum eſt omnibus affectibus indè originem trahentibus, quales, Mania, Inſania, Hypochondriaca paſſio, Elephantiaſis, Herpes, Cancer, Quartana, Vertigo, Epilepſia, Apoplexia, Scabies. Sed cautè & nonniſi robuſtis, ob violentiam quam exercere aptus natus eſt, exhibere conducit. In decocto tamen minus eſt periculi. Corrigitur maſtiche, cinnamomo, aniſo, fœnic. & ſim. *Schrod.*

Alii Helleborum nigrum rectè præparatum innoxium eſſe medicamentum ſcribunt, ut tutò pueris, gravidis & debilibus corporibus dari poſſit.

Doſis in ſubſtantia à gr. 15. ad ʒß. ℈ij. robuſtiſſimis etiam ʒj. in infuſo vel decocto à ℥j. ad ℥ij.

Exhibetur vel *ſubſtantia* ipſius, vel *infuſum*, vel *decoctum*. Subſtantia exhibetur, 1. Formâ *pulveris* ſumendo Helleb. nigri ℈ij. zingib. maſtich. roſar. rubr. cinnamom. aniſ. ana gr. 4. Miſce in juſculo In pueris ſume ℈j. 2. Formâ *pilularum*, formando ex prædicto pulvere cum ſyrupo idoneo pilulas. 3. Forma *placentularum*: vide Le Brun. 4. Forma *cydoniati*. V. eundem, apud quem & reliqua.

Vis omnis hujus radicis eſt in cortice aut fibrillis rejectâ medullâ. Optimè corrigitur Caryophyllis aromaticis. *D. Palmer* è dictatis D. Hermanni Horti Leydenſis præfecti. Jo. Hartmannus in fluxu menſium nimio Cingulum ex foliis Hellebori nigri compactum ità ut folia recentia aſſuantur faſciæ, circa lumbos corpori applicat.

2. *Helleborus niger hortenſis flore viridi* C. B. *Helleboraſtrum* Ger. *Helleboraſter minor flore viridante* Park. *Elleborus niger vulgaris, flore viridi vel herbaceo, radice diuturna* J. B. **Bears foot.**

J. B.

Hic tum ab *hortenſi flore albo*, tum ab *adulterino* manifeſto diſcrimine ſejungitur: licèt enim *radices* fibroſæ, nigræ, eæque numeroſæ ſimilitudinem magnam cum *hortenſi flore albo* inſinuent, diſſimilitudinem verò cum *adulterino*, reliqua tamen plantæ facies differentiæ fidem faciet. *Folia* enim ampliora, viroris herbacei, teneriora quàm illorum utriuſlibet, in plura ſegmenta conciduntur, ſingulæque laciniæ in acutum mucronem, non obtuſum more *hortenſis flore albo* deſinunt, in ambitu ſerratæ, nec tam ſaturo colore tinctæ, nec tam rigidæ ut adulterini. Jam verò *flores* pediculis palmaribus & dodrantalibus hærentes colore ſunt herbaceo, *adulterini Ellebori* æmuli, quinis majoribus *foliis* conſtantes, umbilicum obſidentibus *apicibus* crebris palleſcentibus. *Semen* corniculis aliquot ſurrectis conjunctiſque aliorum more continetur.

Locus. In montibus Euganeis, ínque monte illo excelſo cui inædificatur S. Marini urbs, decem circiter mill. paſ. Arimino diſtans, obſervavimus.

Vires. Folia cereviſiæ per tres aut quatuor horas infuſa & pota, jejuno ventriculo, tribus matutinis, inſigne prophylacticum cenſentur adverſus variolas alióſque morbos contagioſos. *D. Johnſon.*

Pul-

Pulverem foliorum exsiccatorum, pauca quantitate, verminantibus pueris exhibent nostrates, vel in potu aut jusculo, vel in ficu, &c.

3. *Helleborus maximus* Ger. *maximus sive Consiligo* Park. *Helleborus niger fœtidus, Consiligo Plinii lib.* 27. *cap.* 9. C. B. *Elleborus niger sylvestris adulterinus, etiam hyeme virens* J. B. *App. tom.* 3.

J. B.

Planta est cubitalis, odoris virosi, *radice* fibrosa, obliqua, cortice subnigro, nonnihil cum acrimonia levi amaricante, lignosam & duram medullam obducente: *caule* tereti, quem investit primùm *cortex* mixto cum virore rubellus, alter pallidè virescens, cui subest caulis lignosus, copiosam medullam viridantem complexus: *folia* pediculis palmaribus appensa, densissimo stipatu caulem ambiunt, in tria, quinque, sæpiùs novem folia subdivisa, longa, striata, atrovirentia, in ambitu serrata, nullis interdum crenis incisa, dura, rigida, nervo per mediam longitudinem valdè conspicuo decurrente, à quo utrinque in latera obscuriores venulæ prodeunt: at superiora folia, ut in pauciores portiones sunt divisa, ità & latiores sunt tum portiones ipsius folii, tum pediculus. Ex alis prodeunt ramuli multi dilutè virentes, ob mollitiem floris ponderi imparem deorsum reflexi, paucis foliis pallidulis parvis, integris donati; quibus insident *flores* singuli, bini, terni, quaterni, ovales ferè, nec ita ut in Helleboris expansi, ex pediculis semipalmaribus quadrantalibúsve, ex foliis quinis herbaceis, extremâ orâ cùm se magis explicant rubente, striatâ compositi: in medio stamina plurima, capitello sulcato, exalbido, extra quæ intra floris calathum, quatuor, rariùs tres aut quinque, ceu tubuli concavi, magis virentes, brevioréſque quàm staminula, oris fimbriatis, leviter interdum purpurantibus: penitissimum floris meditullium occupant *cornicula* Aquilegiæ vel Hellebori, bina ternáve, tuberculo innixa, in quibus *semen*.

Locus. In Germania, lateribus montium quos eluctatur Rhenus, inter Coloniam & Moguntiam copiosissimum observavimus & alibi in montibus regionum transmarinarum.

Veratrum nigrum 4. *peregrinum Clusii, Helleboraster maximus alter Clusii* Park.

In paucis à præcedente differt, nimirum foliis paulò atrioribus, & florum oris ex purpura nigricantibus, præsertim trium interiorum petalorum: ideóque nos specie diversum nondum agnoscimus.

Tragus & Dodonæus venenatam qualitatem huic plantæ tribuunt, ideóque ab ea cavendum monent.

Vires. Radicis hujusce particulam in pecoribus medendis auriculæ perforatæ inserere soliti sunt Veterinarii antiqui. Recentiores omnibus ferè corporis jumenti partibus radiculam eam infigere solent, quavis etiam de causa laborantis. Quamprimum etiam jumentum aliquod parùm lætè vivere intellexerint, ad hoc medicamentum tanquam sacram ancoram confugiunt, & plerunque successus votis respondet. *Kyberus* apud Tragum: qui tamen veterinarios *Gengenbacenses* non Consiligine, sed Helleboro nigro Dioscor. ad hanc rem uti ait. Germanos veterinarios nostri etiam imitantur in hujus radicis vel caulis usu.

4. *Helleboraster alter trifolius spinosus* Park. *Helleborus niger trifoliatus* hort. Farnes.

Foliis tripartitò divisis, durioribus & rigidioribus; denticulis circa margines asperioribus & pungentibus incisis; & *floribus* pallidius virentibus à præcedentibus abundè distinguitur: cætera cum eis convenit.

In hortis curiosorum enutritum vidimus, locum ejus natalem ignoramus.

Folia singularia Laurinis comparat & magnitudine & substantiâ & figurâ Petrus Castellus. Caulem ei attribuit cubitalem, teretem, digiti crassitudine, foliis circumcirca vestitum: Flores in summis caulibus & ramulis Hellebori nigri vulgaris, dilutè virides, aut subalbidos.

Tempus. Incipit florere Novembri, & in Martium & Aprilem usque florens perseverat: quilibet autem flos apertus & in suo vigore perdurat ultra quadraginta dies.

CAP. VII.

De Fraxinella.

Fraxinella à foliorum cum Fraxineis similitudine dicta est.

Foliis Fraxini, floribus in spica speciosis, seminibus magnis nigris splendentibus ab aliis plantis discernitur.

Fraxinella. Officinis Dictamnus J. B. *Dictamnus albus vulgò sive Fraxinella* C. B. *Fraxinella* Ger. Park.

J. B.

Radices candidæ sunt, varióque implexu multifidæ: unde emergunt quotannis *scapi* plurimi, sesquicubito proceriores, hirsuti, rubescentes, [in ea tamen specie quæ florem album profert pallidè virides]

virides] medullâ multâ farcti; *foliis* vestiti nullo ordine positis, alatis, tribus vel quatuor pinnarum conjugationibus ad costam annexis cum impari in extremo costam terminante, Fraxini similibus, supernè atro-virentibus, infernè dilutioribus & splendentibus, laurinis æqualibus, crenatis. In summis scapis *florum* thyrsi pulcherrimorum ex intervallis positorum, odore gravi, foliis quinque ex albo purpurascentibus, striis saturatioribus notatis, aversâque parte nonnihil hirtis constantium, fibris ongis recurvis, denis numero, purpurascentibus, súbque apicibus luteolis ex purpureo herbidis, minutis micantibus granulis atro-purpureis, respersis, medium obsidentibus, unà cum stylo pentagono *pericarpio* insidente, quod in plures siliquas seu theculas dividitur. *Semen* nigrum, lucidum, paulo majus quàm Milii Solis.

In præruptis montium Rheno flumini vicinorum hanc non semel observavimus. Floret Junio. *Locus.*

Radix (quæ sola ferè in usu est) cardiaca & alexipharmaca censetur, contra pestilentiæ contagia utilis, quoquo modo sumpta. Autoritate Matthioli valet adversùs venena, & venenosorum animalium ictus. Necat interaneorum vermes drachmæ pondere hausta. Datur contra frigidos uteri morbos: nam & menses & urinam movet, partum adjuvat, secundas & emortuum fœtum educit tum supposita, tum cum Pulegio suffita, tum ex vino meraco ℥ij pondere pota. Valet quoque ad alvi torsiones, & ad ejiciendos renum calculos. *Vires.*

Additur quoque utiliter in potionibus internorum vulnerum. Datur comitialibus & aliis cerebri affectibus.

Aquam destillatam pro Cosmetica habent Romanæ mulieres, & utuntur in inflammationibus oculorum. Ex his apertum est neutiquam posse esse succedaneum veræ Dictamni (inquit Casp. Hofman.) Verùm cùm acris sit & amara, non video cur non eadem possit præstare quæ Dictamnus.

Siliquæ & flores contactu pruritum faciunt, & in calidioribus regionibus cutim exulcerant. Variat floris colore albo.

Cap. VIII.

De Althæa lutea seu Abutilo Avicennæ.

Foliis Althææ mollibus, floribus è foliorum alis exeuntibus luteis, ab aliis hujus generis discernitur. Affinis & similis est Alceæ Venetæ, Sabdariffæ, Bammiæ moschatæ aliisque Alceis accenseri solitis plantis exoticis pentapetalis, cum conceptaculis in quinque cellulas dispertitis: verùm in hac thecæ disjunctæ sunt & tantùm contiguæ, non conjunctæ unicum efficientes vasculum, ut in illis.

1. *Althæa lutea* Ger. *lutea, sive Abutilon Avicennæ putatum* Park. *Al. Theophrasti flore luteo* C. B. *Theophrasti flore luteo, quibusdam Abutilon* J. B. **Yellow Mallow.**

J. B.

Cum Althæa vulgari de mollitiei palma certat quod Abutilon vocant, *radice* parvâ, albâ, fibris aliquot adnatis donatâ, subdulci. *Caulis* foris tomento molli totus est obsitus, pingue quid attrectantis manibus allinens, incanus: cortici, qui facilè delibratur subest lignum Saligni instar candidum & durum, medullam succulentam viridem continens. Ex caule *folia* nullo ordine nascuntur, pediculis palmaribus & minùs, lata, circinatæ rotunditatis, nisi in mucronem acutiorem desinerent, lanugine incana & insigniter molli obducta: ex horum alis rami producuntur: indidem *flores* itidem prodeunt Caryophyllatæ aquaticæ, intensè crocei, striati, pentapetali, medium occupante *apiculorum* luteorum glomere: totum verò florem complectuntur quinque folia incana, lanuginosa. Succedunt tomentosa *capitula*, Juglande paullò minora, suprema parte plana fere ex decem aut duodecim *folliculis* latiusculis, compressis, in mucronem acutum desinentibus, in orbem juxta positis: in quibus *semina* semicircularia ferè, compressa, fusca, medullâ albâ, dulci.

Annua est planta, non diu durans. In hortis seritur. C. Bauhinus inter Ferrariam & Bononiam observavit ad duos cubitos excrescentem.

2. *Althææ Theophrasti similis* C. B. *Abutilon Indicum Camerarii* Park. *Abut. Indicum* J. B.

J. B.

Flore est pallido, subcandido, sive medio luteo, pediculo nixo subhirsuto, sicut & novella folia ac caulis, non tamen ejus ad tactum mollitiei quâ vulgò notum Abutilon Italicum. Pediculi in fibras divulsi foliis venulas sparsas subministrant spiceas, in aversa parte folio existente pallidiore, internâ verò saturatiùs virente. *Caulis* penes internodia subruffescens. *Florem* excipit folliculus subniger, stellatim compactus, *semen* quoque continens nigrum: Exterius involucrum ex viridi flavescens. *Radix* pallida fibrosa.

Cap. IX.

De Caltha palustri.

A. *Caltha palustris* J. B. *palustris vulgaris simplex* Park. *palustris flore simplici* C. B. *palustris major minor* Ger. Marsh-Marigold.

R*Adix* plurimis fibris majusculis albentibus, è foliorum marcescentium alis egressis, fibrillis tenuibus capillatis constat. *Folia* ima, quæ è radice exeunt, pediculis longis [semipedalibus aut dodrantalibus,] insident, fistulosis, Chelidonii minoris similia, verùm multò majora, non maculosa, profundiore circa pediculum sinu, per margines crenata, glabra atrovirentia. *Caules* ab eadem radice plures, dodrantales aut pedales, teretes, glabri, concavi, geniculati, ramosi, foliis paucis singulatim positis, iis quæ è radice exeunt similibus, sed brevioribus pediculis insidentibus vestiti, ad singula genicula in duos ramulos divisi, quos membranacea sua basi amplectitur pediculus folii quod ad singula genicula adnascitur. *Flores* in summitatibus caulis & ramulorum singulorum singuli pentapetali, speciosi, flavi aureive, plurimis in medio staminibus & apicibus concoloribus, calice nullo: Floribus singulis plurimæ succedunt *siliquæ* seu *cornicula* radiatim sita, quæ per maturitatem superiore parte dehiscunt, & binos seminum eidem superiori parte adnascentium ordines ostendunt. Sunt autem semina oblonga, qua siliquæ adnascuntur viridia.

Locus. Ad Rivulos inque palustribus & aquosis ubique ferè nascitur.

Habetur in hortis culta flore pleno.

Cap. X.

De Aconito foliis & flore Ranunculi.

HÆ plantæ à capsulis seminalibus toto genere à Ranunculis differre, & ad hanc familiam pertinere deprehenduntur, nec tamen vera & genuina Aconita sunt, cùm nec caulibus, nec floribus, nec seminibus cum eisdem conveniant, imò totus plantæ habitus ab Aconitis diversus est; sed suum & proprium genus constituunt.

A. 1. *Ranunculus globosus* Ger. Park. parad. *flore globoso, quibusdam Trollius flos* J. B. *montanus, Aconiti folio, flore globoso* C. B. The Globe-flower or Locker-gowlons.

J. B.

Radicem nigram, fibrosámque Hellebori æmulam habet: *folia* ferè Aconiti, in quinque segmenta divisa, idq, ad ipsum usque pediculum dodrante longiorem, nisi quòd folia in caule nullo pediculo cauli adnascantur, consimiliter tamen divisa. *Caulis* sesquicubitalis, lævis, inanis, ramosus, *flores* sustinet vulgari Ranunculorum sorte majores, iis tamen concolores, sed minùs micantes, decem aut duodecim foliis constantes, intrò modicè reflexis, ut sessilem globum imitentur. Floribus succedunt *siliquæ* seu theculæ plurimæ, arctè stipatæ, *seminibus* parvis rotundis splendentibus repletæ, quæ per maturitatem summâ parte dehiscunt & semina effundunt.

Locus. Ad latera montium, & in pratis montosis in Septentrionalibus Angliæ, inque Cambria copiosissimé. Ob floris venustatem in hortis colitur, quibus facilè assuescit.

Vires. Notandum (inquit J. Bauhimus) Matthiolum tribuere suo Aconito flore Ranunculi usus & vires Lycoctoni, quas nostro inesse Ranunculo globoso flore vix credimus. Potest tamen in Animalibus fieri periculum. Schwenckf. quidem cæteris Ranunculis hunc minùs acrem ait, propterea minùs calefacere & siccare.

2. *Aconitum hyemale* Ger. Park. *unifolium luteum bulbosum* C. B. *Ranunculus cum flore in medio folio, radice tuberosâ* J. B. Winter Wolfs-bane.

J. B.

Rara est elegantia hujus plantæ, quippe quæ nullum producit *caulem*, sed ex *radice* tuberibus, si adultior sit, Anemones modo inæqualibus articulata, aliàs Staphylodendri nucem magnitudine duntaxat adæquante, exteriùs nigra, acri admodum gustanti, *Dod.* fervente *Camer.* fibris nonnullis capillatâ, *pediculos* aliquot promit palmares vel etiam dodrantales, teretes, cavos, nudos, præterquam quòd extremum in umbilicum inseritur folii, quod pediculo singulare insidet, circumscriptione rotundum ferè, sed ad pediculi usque commissionem multifidum, in radios stellatos subdivisos sectum, glabrum, splendidum, saturo virore tinctum; è cujus medio sessilis sine pediculo *flos* unicus emicat, Ranunculi, luteo auri fulgore, vel ad virorem declinante, senis longiusculis foliis constans, medium obsidentibus numerosis fibris, apicibúsque luteis: horum delapsum excipiunt corniculatæ *siliquæ* Aconiti vel Hellebori nigri, quatuor aut quinque erectæ. *Semen* siliquis inclusum, rotundum compressum, flavescens.

Locus & Tempus. Non ab re *Anemone Bononiensium* nonnullis dicitur; quippe circa Bononiam & per totam etiam Lombardiam copiosissimè provenit, Februarii mensis initio florens.

Radicem

Radicem cum magna prudentia exhibitam purgare perhibet Camerarius: sin verò non ritè aut nimia quantitate usurpetur, esse valdè nocuam. *Vires.*

Cap. XI.

A. *Plantago aquatica minor stellata* Ger. emac. *aquatica stellata* C.B. *aquat. minor muricata* Park. *Damasonium stellatum Dalechampii* J.B. Star-headed Water-Plantain.

J. B.

Aquaticæ Plantaginis fibrosas radiculas in nodum collectas possidet, unde palmaribus nixa pediculis *folia* exeunt, Plantaginis aquaticæ æmula, multo minora, & ad pediculi insertionem interdum pinnata. Coliculi plures, sesquipalmares aut dodrantales, teretes, inanes, nodis ex longis intervallis geniculati; è quorum articulis inque summo caulium fastigio radiati in orbem exeunt pediculi unciales, quorum unicuique insidet quinûm senûmve radiorum stella pulcherrima Aizoi peregrini *Cam.* stellas æmulans. Harum stellarum radii nihil aliud sunt quàm siliquæ seu vascula membranacea semen exile subluteum continentia.

In aquis stagnantibus sed rariùs invenitur: in stagno seu piscina quadam secus viam publicam, ad ingressum Rumfordiæ oppiduli in Essexia copiosè oritur. *Locus.*

Parkinsonus huic plantæ flores albos tripetalos tribuit.

Cap. XII.

De Junco florido seu Gladiolo palustri.

Hujus notæ sunt folia graminea, triangula, caules nudi, flores in umbellam in summo caule dispositi: Planta est singularis & sui generis bulbosis affinis, esse videtur; caule & florum situ ac forma ad Moly accedit.

A. *Juncus floridus* J.B. Park. *floridus major* C.B. *Gladiolus palustris Cordi* Ger. The flowring Rush or Water Gladiole.

Cord.

Radices habet duas, quarum gracilior & nigrior descendit: crassior verò in superficie ferè terræ transversa fertur utrique: propagines aliquot & multæ fibræ adnascuntur. Habent radices saporem dulcem & glutinosum. [Radix quam crassiorem vocat, est (ut mihi videtur) radicis pars recentior & hujus anni, quæ ut progreditur supernè folia, infernè fibras albas majusculas emittit.] *Folia* erigit multa, mollia, spongiosâ seu porosâ medullâ, triquetra, longa, ad exortum concava, & membraneis appendicibus caulem aliquousque amplexa, supina parte versùs apices planiora. *Caulis* bicubitalis & altior, teres, glaber, spongiosus, non tamen concavus, foliis nudus, in cacumine *flores* plurimos gestans in umbellæ formam dispositos, pediculis semipalmaribus nudis tenuibus fultos. *Flores* autem hexapetali sunt, è carneo purpurantes, tribus exterioribus petalis carinatis & majoribus, quæ calycis esse videntur; tribus interioribus minoribus. *Vasculum seminale* sex thecis seu loculamentis constat, purpureis, in summo corniculatis, semine intus minutissimo repletis. Vasculum isthoc in medio flore circumstant *stamina* circiter novem, aliàs longis purpureis, aliàs brevibus apicibus capitata, pulvisculo flavo attrectantium digitos inficientibus. Umbellæ basin tria insignia acuta foliola circumstant.

Nascitur autem (inquit Cordus) pinguibus limosis & humentibus locis, quò fluviorum inundationes pervenire possunt. Apud nos plerunque in ipsis fluviorum alveis in limo propè ripas. *Locus.*

Juncus floridus minor C.B. Park. huc non pertinet.

Cap. XIII.

De Aconito.

Aconitum dictum Plinio ab Ἀκόνη, quoniam in nudis cautibus crescit; Theophrasto ab Ἀκόναι pago Mariandynorum. Prius etymon Ovidius probat cùm dicit,

> *Quæ quia nascuntur dura vivacia caute*
> *Agrestes Aconita vocant.*

Alii nomen quidem à cautibus deducunt, sed diversam ejus rationem assignant, *quoniam* sci. huic plantæ *eadem vis in morte esset, quæ cotibus ad ferri aciem deterendam, statimque admota velocitas sentiretur*. Plin.

Aconiti notæ sunt folia circumscriptione subrotunda, laciniata, flores cucullati, semina rugosa, vis in plerisque saltem speciebus deleteria.

1. *Aconitum magnum purpureo flore, vulgò Napellus* J. B. *Acon. cæruleum, seu Napellus* 1. C. B. *Napellus verus cæruleus* Ger. *verus flore cæruleo* Park. **Blew Helmet-flower or Monks-hood.**

J. B.

A *radice* (inquit J. Bauhinus) Napi parvi magnitudine, nigra, fibras è lateribus producente, *caules* emittit plures, bicubitales & altiores, teretes, læves [versus summam tamen partem lanugine brevi pubescunt] medullâ farctos, rigidos, fractu contumaces, ab imo ad summum *foliis* cinctos crebris, alterno aut potiùs nullo ordine positis, pediculis longis, supina parte canaliculatis insidentibus. Sunt autem *folia* obscurè viridia, glabra, nervosa, in quinque insigniores lacinias ad pediculum ferè divisa, magis sci. aut profundiùs laciniata quàm in quavis alia Aconiti specie, singulis laciniis primariis in plura segmenta angusta, acuta profundè dissectis. In summo caule *flores* existunt crebri, velut in spicam digesti, singuli pediculis uncialibus insidentes, quinis petalis compositi, quorum supremum galeæ aut cuculli monachalis in modum concavum, stylos duos occultat, duo lateralia latiora, infima duo florem medium occupant. Sunt autem flores cœrulei, saturatioribus venis striati, intus pilis obsiti. Succedunt theculæ, non tres semper, sed quatuor aut plures, oblongæ, glabræ, *semina* multa continentes per maturitatem nigra, rugosa.

Vires. Facultate est hominibus aliisque animalibus exitiali & perniciosa. Evidenti, sed perquam miserabili experimento id Antverpiæ olim compertum in recenti adhuc est memoria (inquit Dodonæus) Cùm enim ab imperitis hujus inter acetaria illatæ essent radices, quicunque eas ederunt, mox sævissimis correpti symptomatis, brevi vitam cum morte commutârunt. Quin & Turnerus perhibet, Gallos quosdam Antverpiæ pro Imperatoria in acetariis, comestis Napelli radicibus intra biduum omnes obiisse, exceptis duobus histrionibus, qui eas revomuerant. Est utique Napellus venenorum præsentaneorum facilè princeps.

Animal quod Napello nutritur, ejúsque Bezoar seu remedium specificum ab Avicenna perhibetur, músne sit an musca inter Botanicos non convenit. Consule Dodonæum & J. Bauhinum.

N. Napellus in jugis montium Alpinorum nutritus vires admodum noxias exercet, delatus autem in hortos parum suis venenis operatur: quod experimento confirmat D. Martinus Bernhardus à Berniz in Ephemer. *Germ. Ann.* 2. *Observ.* 42.

Idem confirmat Pet. Joh. Faber in Panth. l. 1. cap. 43. Cicuta, inquiens, & Napellus, quæ versùs meridiem in montibus Pyrenæis venenata sunt, si transplantentur versùs loca Septentrionalia & humida omnem malignitatem deponunt. Observationes has transmisit D. *Tancred. Robinsonus.* Ego tamen non libenter vellem in memetipso experiri Napelli in hortis culti vires, mihi enim masticatus, linguam nonnihil stupefecit; qui tamen stupor non statim sentiebatur.

* 2. *Aconitum Napello simile sed minus, cæruleum, præcocius* J. B. *Ac. violaceum seu Napellus* II. C. B. *Ac. Lycoctonum præcox* Park. *Ac. lycoctonum* IV. *Tauricum* Clus. *Ac. violaceum* Ger. emac.

J. B.

Unius aut duorum cubitorum proceritatem assequitur, *caule* gracili subhirsuto & subrubente, non ita recto. *Folia* Napelli, minùs tamen crebrò partita, licet in quinque lacinias profundas, primarias divisa, quarum singulæ rursum variè subdividuntur, colore atrovirente [supernè] ex pediculis duas trésve uncias longis. *Flores* cœrulei, cucullati, pilosi, quorum galea lingulas duas occultat purpurascentes, quorum capitulis impositus utriculus liquorem melleum continet: duæ horum alæ supremo suo margine galeam ingrediuntur, infimos margines excipiunt duo subjecta folia, quorum quatuor complexu comprehenduntur atro-purpureorum staminum villi. *Radix* subest nigra, oblonga, fibrata; [exigui Napi instar Clusio.]

Locus. Invenitur in Tauricis montium jugis non procul à Saltzburgo, ubi floret Julio; in hortos translatum maturiùs, citiùs Napello, à quo difficulter discernitur, inquit J. Bauhinus.

* 3. *Aconitum spicâ florum pyramidali* Moris. Prælud. *pyramidale multiflorum* Hort. Paris.

Moris.

Quoad radices & folia aliorum Aconitorum more provenit. Solummodo spicam fert *florum* cœruleorum cucullatorum, ad basin latiorem quæ tandem in mucronem desinit pyramidis instar. Quâ notâ quam facillimè à cæteris suæ sortis distinguitur.

4. *Aconitum cæruleum Autumnale* Park. *Lycoctonum Autumnale Napello simile* J. B. *cæruleum Napelli flore* C. B.

Clus.

Folia hujus media quodammodo sunt inter Aconiti radice bulbosa seu Thoræ Italicæ, & Acon. Neubergici: folia Thoræ quidem Ital. foliorum quasi æmula, nonnihil tamen ad Acon. Neubergici foliorum formam accedentia, nec illius minùs ampla, atrâ viriditate splendentia supernè. *Caulis* illi bicubitalis, crassus, firmus, striatus, virescens & splendens, summo fastigio *florum* spicam Acon. Neu-

Neubergico ferè similem gestants, quibus etiam succedunt pares *siliquæ* seu capita, & simile semen. *Radix* illius etiam radici par, perennis, & multis ad latera adnatis se propagans.

Floret seriùs, nempe Augusto. De loco natali nihil habet Clusius.

In sepibus non longè à *Memminga* Sueviæ urbe invenimus Aconiti speciem medio Augusto florentem, bicubitalem & altiorem, valdè ramosum, foliis minùs dissectis quàm in Napello, cui figura quam habet Parkinsonus satis aptè respondet; tempore florendi cum hoc etiam convenit. *Locus.*

5. *Aconitum Lycoct. Napello simile, Neubergense, foliis latioribus, flore purpureo* J. B. *Aconitum purpureum seu Napellus* III. C. B. *Acon. purpureum aliud* Park. *Ac. purpureum Neubergense* Ger. emac.

Clus.

Latiora vulgari Napello habet *folia*, licèt similiter incisa & laciniata, magis atra similiter & splendentia: *caulem* rectum, firmum, rotundum, trium interdum cubitorum altitudinem æquantem, & in multos ramulos superiore parte sæpenumero divisum, qui *flores* spicæ instar congestos ferunt, colore purpureos, Napelli vulgaris floribus planè respondentes, hoc est quatuor foliis constantes, quinto veluti galeola supereminente, & bina circumvoluta instar litui cornicula occulente: *staminum* tamen media congeris magis fusca est. Florum spica in extremo caule nascens, reliquis oblongior est, & magis expansa. Singulis floribus terna succedunt *cornicula*, interdum quaterna aut quina in caput unum congesta, *semen* atrum & inæquale continentia. *Radix* illi, vulgaris Napelli instar, parvo Napo similis, cui in lateribus adhærent alii Napi, fibris præditi, quibus se propagat.

Crescit in Montis *Neuberg* ducatûs Stiriæ jugo, ad vaccarum stabula. Floret Julio. *Locus.*

• 6. *Aconitum Lycoctonum Lynceanum Napello simile* J.B. *Acon. comâ inflexâ, foliis angustioribus* C.B.

Clus.

Medium quodammodo inter vulgarem Napellum & genus Aconiti præcedens est: *folia* enim illis simillima obtinet; *caulem* inter illos medium, infirmiorem tamen, & superna parte aliquantulum nutantem: *flores* utriusque floribus prorsus respondentes, nisi cassis supra quatuor folia eminens magis sublevaretur & hiaret, rostróque magis mucronato esset: *semina* in ternis corniculis simul junctis similia: *radicem* etiam non multùm variantem.

Ex Lyncæanis montibus erutum Clusio missum est. Floret cum superioribus, aut paullò etiam seriùs. *Locus.*

• 7. *Aconitum cæruleum minus, sive Napellus minor* Park. C. B. *Acon. Lycoct. cæruleum parvum* Ger. *Acon. Lycoct. flore cæruleo, galeâ elatiore, radice bulbosa* J.B. *Aconit. Lycoct. X. Thora Italica* Clus.

Clus.

Præter fibras, quibus subinde radicatum terræ hæret, bulbos gerit turbinatos, è quorum basi fibræ aliæ exeunt. *Folia* ex caule alternatim producuntur, mediocri amplitudine, quæ in quinque profundas lacinias, rursum leviùs subdivisas, conscinduntur, splendenti virore prædita, subhirsuta: *flores* galeati, rari, cassidem longam erigunt, colore dilutè cœruleo.

Ex Italia ad Clusium transmissa est. Ubertim nascitur ad Monasterium Neüberg, secundum torrentem qui Monasterium alluit, &c. V. Clus. Hist. *Locus.*

• 8. *Aconitum Lycoctonum flore maximo* J.B. *Acon. cæruleo purp. flore maximo, sive Napellus* IV. C. B. *Acon. maximum Judenbergense* Ger. emac.

Clus.

Folia habet in quinque lacinias altè divisa, & illas denuò in ambitu concisas, Thoræ Italicæ foliis interdum adeò similia, ut si quis plantas antequam in flores abeant conferat, nullum ferè discrimen deprehendere queat, nisi Italicæ Thoræ splenderent, hujus minimè: *Caulem* bicubitalem nonnunquam, rotundum, non valdè crassum, firmum tamen & rectum, ex viridi purpurascentem, supernè quinos aut senos ferentem *flores*, inter omnia Lycoctoni genera maximos, quatuor foliis ut reliquorum generum constantes, supereminente galeâ longè majore & uncialis aliquando longitudinis, elegantis è cœruleo purpurei coloris, sub qua bina longa cornicula, extima parte latiora, & litui Veterum Romanorum ferè instar inflexa, coloris dilutiùs purpurascentis teguntur, *staminibus* nigris medium *florem* occupantibus. Floribus succedunt *cornicula* ut in reliquis, sed majora, *semen* inæquale & fuscum continentia. *Radix* parvi Napi formam æmulatur, nigricantibus fibris prædita: alias præterea similes radices lateribus adnatas habet, tenuioribus adhuc fibris, quæ singulis annis adhuc recentes caules proferunt: sed etiam infimi caulis nodis adnascuntur tubercula, non secus ac in Italica Thora.

Sponte provenit in *Judenberg* altissimo totius Stiriæ monte. Floret Augusto. Copiosè etiam oritur in quodam Schuceberg jugo quà difficillimus est ascensus. *Locus.*

* 9. *Aconitum maximum comâ nutante* Park. *Lycoct. coma nutante maximum* J. B. *maximum nutante coma* Ger. *inflexâ comâ maximum* C. B.

Clus.

Trium interdum cubitorum alitudine assurgit, *caule* tamen satis gracili, rotundo, superiore parte, in multos ramos diviso & nutante. Summo caule longam *florum* spicam fert, Napelli vulgaris floribus similium, sed paulò dilutiore purpura splendentium, quorum singulis succedunt *cornicula* & *semina* qualia præcedentium. *Folia* ampla & oblonga, in multas tenues profundásque lacinias magis dividuntur quàm in ullo præter id quod Delphinii flore dicitur Acon. genere, quæ supernè quidem atrâ viriditate prædita sunt, non splendent tamen. *Radicem* habet crassam & longam, Napi ferè magnitudine, foris nigricantem, & per intervalla multis fibris donatam, & superiore parte in multa capita extuberantem, è quibus caules emergunt, subinde tamen recentes exiguos Napos ad latera enatos habet, quibus se propagat.

Locus. Primùm ex Italia ad Viennam delatum est & Clusio communicatum.

10. *Aconitum Lycoct. cæruleum calcari magno* J. B. *Acon. cæruleum hirsutum, flore Consolidæ regalis* C. B. *Acon. Lycoct. hirsutum flore Delphinii* Ger. emac. *Acon. flo. Delphinii majus* Park. *Acon. Lycoct. flo. Delphinii* 1. *Silesiacum* Clus.

J. B.

Altitudine vix cedit Napello, caule firmo, inani, purpurascente, qui subhirsutus videtur. *Folia* Aconiti Lycoctoni lutei foliis simillima, in latas dissecta lacinias, hirsuta. Summus caulis in longam abit *spicam florum* pulcherrimorum cœruleorum, longo, rostrato Aquilegiæ vel Consolidæ regalis corniculo, librantis se Columbæ æmulo, cujus extremo hianti folia subsunt quaterna aliorum Aconitorum modo, & in horum medio *stamina* multa. Ad florum verò exortum bina foliola angusta, ceu cornicula quædam eriguntur. Hisce succedunt ternæ junctæ corniculatæ siliquæ, *semen* continentes nigricans, rugosum. *Radix* Clusio crassa, tuberosa, nigra, rugosa, concava, graviter olens, multis tenuibus, fuliginosâque lanugine pubescentibus fibris prædita, ad cujus latera secundùm infimum caulem singulis annis nova germina repullulant.

Locus. Frequens est in montibus territorii Freywaldensis in Silesia, Augusto florens, at in hortos translatum Junio.

* 11. *Aconitum Lycoct. flore Delphinii* Ger. J. B. *Acon. cæruleum glabrum flo. Consolidæ regalis* C.B. *Acon. flore Delphinii minus* Park.

Dod.

Proceris assurgit caulibus instar Napelli: *folia* variè similiter, & creberrimis incisuris divisa: *flores* secundùm caulem superiùs veluti in longam compositi spicam, è puniceo ac obscuriore colore purpuram æmulantur; formâ ferè floris Regii, in posterius videlicet corniculum desinentes: Siliquæ & semen ut majoris Lycoctoni lutei. *Radices* oblongæ, crassæ tres aut quatuor demittuntur, paucis adhærescentibus filamentis.

12. *Aconitum folio Platani, flore luteo pallescente* J. B. *Acon. Lycoctonum luteum* C. B. *luteum Ponticum* Ger. *lut. Pontic. serotinum flore albido* Park. *an Ponticum lut. præcox* ejusdem?

J. B.

Ex *radice* flexuosis, numerosis, nigricantibúsque fibris cirrisve, implexis, satis jucundo odore præditis constante *caulis* surgit leviter hirsutus, duobus cubitis altior, inanis, striatus, rotundus, tenuis, lentus & nonnihil flexuosus, in alas divisus. *Folia* ampla, quinquepartito primariò divisa, singulis segmentis denuò subdivisis, superiùs ex atro virentia, inferiùs albicantia. *Flores* ex pediculis uncialibus & plusquam sextantalibus, quorum singulis appositum foliolum oblongum interdum dissectum, sæpiùs integrum, lutei, aut ex luteo albóve herbacei, oblongi, concavi, inferiùs hiantes, è foliolis quinque compositi, duobus lateralibus brevibus & latis, infimorum altero lato, altero acuminato, quinto in tubi modum concavo, in cujus intimo recessu duo cornicula, in spiram convoluto extremo, dorso brevem, hiulcum canaliculum sustinentia, occultantur: ad quorum conum in floris hiatu *staminum* conspicitur congeries herbidorum, *apicibus* vel albidis, vel herbidis, vel nigro mixto vesicoloribus. *Siliquæ* ternæ vel quaternæ, Aquilegiæ, rectæ, simul junctæ, in quibus *semen*, rugosum, nigrum, naturâ calidissimum veluti Pyrethrum, quod degustatum crebra sputa provocat.

Locus. In colle *la Bastie*, & montibus Genevæ vicinis copiosè provenit. In altissimis montium vallibus nascitur, in variis Germaniæ, Austriæ, Pannoniæ & Helvetiæ locis, in sylva Hercynia præsertim. *J. B.*

Varietas. C. Bauhinus Aconitum Lycoctonum albis pallidisve floribus ab Aconito Lycoctono luteo separat. Idem facit & Parkinsonus; qui tamen non aliam inter ea differentiam notat quàm in tempore tum germinandi tum florendi, quod illi menstruo minimum spatio serius est quàm huic.

Vires. Maligna est & homini adversa vis Aconiti, succus inprimis radicis non solùm assumptus homini brutisque venenum est, sed & telis aut sagittis illitus lethalia vulnera infligit.

Hujus autem semen aut radix in pulverem redacta & cum oleo temperata ut unguentum indè fiat illitu pediculos ac furfures enecat & abstergit: idem radix præstare potest si in aqua vel lixivio decoquatur, ac cum illa postea caput abluatur. *Trag.*

13. *Antithora flore luteo Aconiti* J. B. *Anthora* Park. *Aconitum salutiferum seu Anthora* C. B. *Anthora sive Aconitum salutiferum* Ger. **The counterpoyson to Monks-hood, or salutary Wolfs-bane.**

J. B.

Anthora pernecabili Thoræ veneno adversa, dodrantem alta, interdum & cubito procerior, *caule* est singulari, rigido, anguloso, subhirsuto, cui *folia* alternatim adnascuntur, Napelli æmula, tenuiùs dissecta, & splendoris illius expertia, aversâ parte albicantia, sapore amaro prædita *Lobel.* Nigellæ quadantenus similia: *flores* non ingrato odore præditi, cucullati, & rictu hiante Napelli penitus, excepto colore, qui huic ex flavo pallescens: Corniculata seminis vascula itidem consimilia. *Radix* ex bulbis olivaribus constat, foris fuscis, intus albis, gustu amaris fibratis.

Clusius considerata diligenter partium hujus plantæ omnium cum Napello similitudine, usum ejus suspectum habet, & satius ducit ab eo abstinere, præsertim tantâ copiâ aliorum remediorum, quorum facultates jam sunt exploratæ. Jo. Bauhinus quoque rectè monet eâ cautè utendum.

Vires. Pesti specificè adversari dicitur hæc radix, & peculiariter radici Thoræ, ut nomen indicat. Omnium tamen consensu purgat satis vehementer. Considerent lectores (inquit J. Bauhinus) an radix purgans conveniat commorsis à viperis & cane rabido, itémque peste laborantibus.

Cap. XIV.

De Staphide agria.

Σταφὶς ἀγρία à foliorum cum vitigineis similitudine nomen accepit. Foliis & siliquis atque etiam viribus cum Aconitis convenit, flore cum Delphinio, ad quod etiam semine magis accedit quàm ad Aconitum. Latinis Pedicularis dicitur ab effectu.

Staphis agria J. B. C. B. Ger. Park. **Staves-acre or Louse-wort.**

J. B. Park.

Hirsutum habet *caulem*, cubito altiorem, in multos ramos diductum; in his *folia* longis hærentia pediculis, ampla, vitiginea, unde toti plantæ nomen comparatum, vel Ricini magnitudine & divisurâ digitatâ, pilosa. *Flores* pediculis frequentibus, tum è foliorum sinu, tum ex caulis fastigio, tum ex ramis exeuntibus insident, cœrulei è quinque foliolis hirsutis compositi, apicibus & staminibus foliaceis medium tenentibus. Parkinsonus exactiùs flores Consolidæ regalis similes scribit cum calcari pariter retrorsum extenso, sed multo ampliores, colore obscurè cœruleo, quibus succedunt *siliquæ* tres quatuórve corniculatæ, ut in Aconitis, sed majores, in quibus *semina* magna, rugosa, nigra, triangula, uridæ facultatis vi gustatu os incendentia. *Radix* longa, lignosa, annua.

Locus. Nascitur in opacis: in Istria (inquit Matthiolus) Dalmatia, Apulia & Calabria frequentissimo proventu.

Vires. Vehementer calidam, acrem & causticam habet facultatem: hinc pro masticatorio habetur: purgat etiam sed cum metu strangulationis, ideò desiit ejus usus. Pulvis capiti inspersus pediculos enecat, aut cum oleo tritus & inunctus. Quæ de ejus viribus habent Veteres apud ipsos vide.

Semen Staphidis agriæ exhibitum à gr. XII. ad ℈j. sursum & deorsum purgat, ptyalismum excitat, unde egregiè juvat in lue Venerea. *Franc. de la Boe Sylvius cap. de purgant. & salivant.*

Idem Lib. 1. c. 5. S. 25. Staphidis Agriæ semina quindecim aiunt, si trita cum hydromelite assumantur, potenter humores pituitosos, glutinosos per Vomitum cum suffocationis periculo expellere. [Dod. Herb. Belg. lib. 12. cap. 10. pag. 595.] Ab illis namque inflammantur fauces, ardórque summus in iis accenditur. Eadem semina docent mansa pituitam ex capite allicere in os. Unde facilè patet eadem semina, si ex Aqua multa decoquantur, & illo decocto Os colluatur, posse levem sic excitari salivationem, quæ forsan felicius fit si non simul & semel quindecim semina, sed unum vel duo diebus pluribus exhiberentur, sicque paulatim salivatio levis excitaretur. *D. Soame* excerpsit & misit.

Cap. XV.

De Aquilegia.

Aquilegia recens vocabulum est, quasi Aquilina ob florum mucrones aduncos ut sunt Aquilini ungues. Anglis **Columbine** dicitur, quia florum calcaria recurva columbarum cervicem cum capite & rostro tum figurâ tum colore referunt. An veteribus Græcis vel Latinis cognita fuerit, aut quo nomine dicta nondum constat.

Notæ illius genericæ sunt folia Umbelliferarum modo divisa, flores penduli cum pluribus corniculis recurvis, semina nigra lucida.

Aquilegiam stellatam, quæ caret illis corniculis recurvis in flore, pro specie degenere habeo.

A. 1. *Aquilegia flore simplici* J. B. *vulgaris flore simplici* Park. parad. *Aquilegia sylvestris* C. B. *item Aquil. hortensis simplex* ejusdem. *Aquilegia cœrulea* Ger. **Single Columbines.**

J. B.

Plusquam pollicari crassitudine est *radix*, candida, altè in terram descendens, ima parte ramosa & fibrosa, sapore subdulci, in multos annos vivax. *Folia* ex longis, rigidis, hirsutis pediculis ter terna, [interdum ter novena, pediculo nimirum primò trifariam diviso in ramulos & unoquoque ramulo in tres surculos, & singulis surculis tandem in tria folia] lata, obtusa, per margines rarioribus incisuris velut crenata, duabus tamen profundioribus in tres non raro lacinias divisa, inferiùs glauca, supernè obscuriùs viridia, cum quadam cœrulei tinctura, Chelidoniæ majoris foliorum in modum. *Caules* tenues, sed rigidi, hirsuti, geniculati, ramosi amœnos *flores* sustinent, corniculis rostratis compositos, ut passis alis columbam (si cum lateribus alternatim interjectis foliis unum ex corniculis exemeris) egregio naturæ artificio desorment: atque hi quidem vel sylvestres, [vix alterius coloris quàm punicei] vel hortenses, colore cœruleo, rubro, candido, carneo, herbaceo, versicolore infinitam pariunt varietatem: omnibus tamen semen Consolidæ regalis nigrum lubricum, splendens in corniculis surrectis Aconitorum continetur.

Locus. In multis montanis sylvis cœruleo flore sponte nascens invenitur, in omnibus ferè Europæ regionibus: in Anglia certè non infrequens est.

Hujus varietas nobis censetur

Aquilegia multiplex Ger. *flore pleno sive multiplici* J. B. *vulgaris flore pleno* Park. parad. *hortensis multiplex flore magno* C. B.

J. B.

Ob floris elegantiam in hortis culta hæc stirps pluribus, densioribus & nitidioribus corniculis observatur: floribus etiam uberiore fœturâ multiplicibus, qui vel cœrulei prorsus sunt, vel violacei, vel cineracei, vel blandè rubentes, vel saturè rubri, vel albi, vel ex albo & cœruleo, violaceóve multifariam commixti, vel alterius coloris, quis enim omnes enumeret: cætera similia.

2. *Aquilegia hortensis multiplex flore parvo* C. B.

A priore (inquit C. Bauhinus) floris magnitudine & pullo colore differt. Verùm nos hujus generis flore parvo multiplici, non pullo tantùm floris colore, sed & albido, & ex albo & purpureo variegato insignes habemus. Flores hujus reliquis Aquilegiis magnitudine plurimùm cedunt, eas tamen multiplicitate foliorum superant, ut dubitem annon à reliquis specie reverà diversa sit. Certè semine sata, quantùm quidem hactenus observare potui, speciem suam servat, nec alterius generis plantas producit.

3. *Aquilegia rosea* Park. *flore roseo multiplici* C. B. *flore roseo* Ger. *flore simplici & pleno non corniculato* J. B. **Rose-Columbines.**

Clus.

Hujus *flores* carent corniculis illis litui instar inflexis, & plana duntaxat habent folia, qualia sunt ea quæ in simplici cornicula ab invicem segregant; constant verò flores vel simplici octo aut decem foliorum ordine dispositorum serie, vel eâ multiplicatâ ad senarium aut septenarium numerum, hoc est, ut singulis illis octo aut decem foliorum ordinibus [potiùs foliis] sena vel septena alia incumbant, interdum etiam plura eleganti spectaculo, non alternatim confusa ut in Rosâ plenâ, paucis staminibus cum corniculis, quemadmodum in vulgatiore, floris medium occupantibus, & simili nigro splendentéque semine plenis. In eadem planta conspicere licet nonnunquam flores, quorum prima & secunda foliorum series calcari seu corniculo illo contorto caret, interiora reliqua, instar vulgaris, cornicula contorta habeant. Sed etiam hoc genus mirum in modum colorem variat: nam ex ejus quæ cœruleo flore est semine deciduo sponte natas plantas habui, quæ cœruleum, album, rubellum, suave-rubentem, cineraceum, purpureum remissum vel saturum, pullúmque & quodammodo obsoletum florem tulerint, eúmque vel simplici foliorum serie, vel multiplici constantem.

Hanc habeo pro specie Aquilegiæ degenere: nam in eadem planta nonnullos flores observabis cum corniculis, alios sine eis.

4. *Aquilegia inversis corniculis* Park. *Aquilegia hortensis multiplici flore inverso* C. B. *Aquil. flore pleno inverso* J. B. *Aquilegia flore inverso* Ger. emac.

Non alia in re à præcedentibus differt quàm floris figurâ corniculis inversis constantes, h. e. corniculorum contortis mucronibus omnibus ex floris centro prodeuntibus. Hæc etiam species degener nobis videtur, non tamen quantum fidenter illud affirmamus.

Hujus generis flos non tantùm colore variat quantum reliquorum solent; siquidem non ultra tres aut summùm quatuor colorum differentias in eo observavit Parkinsonus, nimirum album, purpurascentem, rubentem, cinericeum aut obscurè & obsoletè purpureum.

5. *Aquilegia*

* 5. *Aquilegia degener* J. B. Park. Ger. *degener virescens* C. B.

Clus.

Aquilegiam degenerem vocat Clusius exiguæ Rosæ formam æmulantes flores ferentem, coloris vel omnino viridis vel ex viridi purpurascentis.

Hujus florem Parkinsonus Aquilegiæ roseæ flore pleno similem facit, verùm exteriora petala primæ scilicet seriei reliquis interioribus multò majora & latiora sunt.

Hanc quamvis alii speciem degenerem faciant Parkinsonus tamen veram & genuinam ab aliis distinctam Aquilegiæ speciem esse vult, nec infirma ratione nititur, siquidem semen ejus satum speciem suam constanter propagat, nec diversi generis plantas producit.

* 6. *Aquilegia montana magno flore* C.B. prod.

C. B. prod.

In Aquilegiæ vulgaris altitudinem excrescit quidem, sed foliis plurimùm differt, cùm in lacinias tenuiores easque non obtusas ut in aliis, sed acutas dividantur, & folia pænè subrotunda sint: sic & *floribus* est cœruleis, vulgari similibus, sed multò majoribus.

In monte propè Thermas Fabarias copiosè provenit. *Locus.*

* 7. *Aquilegia montana parvo flore, Thalictri folio* C. B. J. B.

C. B. prod.

Ex *radice* parva *folia* Thalictri formâ, sed exigua, pallidè virentia prodeunt, inter quæ *cauliculus* tenuis, palmo minor, duobus tribusve foliolis brevibus, oblongis, minimè divisis exsurgit, *florem* unicum cœruleum sustinens, formâ quidem vulgari similem, sed quintuplo minorem.

In Helvetiorum Alpibus reperitur. *Locus.*

Aquilegia foliis Thalictri, flosculis minutissimis albis, *Mentzel.* quæ Fumariæ speciem primùm conspecta præstare videtur; quæque in Apennini locis petrosis & in Alpibus circà Tridentum provenit, non aliter à præcedente quàm floris colore differre videtur.

* 8. *Aquilegia pumila præcox Canadensis* Cornuti. *Virginiana flore rubescente* Park.

Corn.

Folia habet Thalictri pratensis figurâ & amplitudine paria, colore quadantenus similia, nam aliquanto pallidiùs virent. *Caules* tenuissimi, rubentes, vix palmum æquant. *Flosculi* in singulis apicibus crescunt, quinque corniculis cavis, non ut in nostrate aduncis, sed rigidis constantes: quæ cornicula à medio ad conum usque punicei obscuri coloris sunt, infra autem qua parte hiant croceo colore tinguntur. Hæc inter cornicula quinque foliola punicei etiam coloris medium tenent, quorum mucro deorsum vergit. Floris in medio *stamina* sunt alba quamplurima; quæ luteis *apicibus* fastigiantur, simul cum flore defluunt: Quæ in spinulam acuminantur in quatuor aut quinque recurvas *siliquas* formantur; Delphinii similes, in quibus *semina* nigra & nitida. *Radices* subsunt tenuissimis filamentis fibratæ.

Tragus & Matthiolus scribunt seminum pulv. ʒj. cum croco nummi pondere è vino bibitum certò *Vires.* sanare icterum, si lecto se contineat æger & sudet.

Camerarius in horto semen saccharo incrustatum laudat in viscerum obstructionibus, in vertigine, &c.

Aqua stillatitia Trago eadem efficit, præstátque levamentum adversùs syncopen: Abscessus proinde internos discutit, venenum quodvis expellit, ac tormina mitigat.

Clusius semen tenuissimè tritum & in vino datum mulieribus in partûs difficultate optimo cum successu exhiberi scribit. Si primus haustus non sit efficax repetatur.

Camerar. docet decoctum herbæ totius cum momento Ambræ contra ἀδυναμίαν facere.

Semen in expellendis variolis & morbillis usûs mulierculis est creberrimi. *Schrod.*

Extrinsecùs frequens ejus usus est ad putredinem gingivarum scorbuticam emendandam, ulceráq; oris & faucium emendanda. *Schrod.*

Folia nostratibus in usu sunt in collutionibus & gargarismis contra affectus faucium & asperæ arteriæ calidos.

Cap. XVI.

De Delphinio sive Consolida regali.

Consolidam regalem Veteres inter flores coronarios reposuere, Hyacinthum nominantes, cujus Dioscorides l. 3. c. 85. in Delphinio altero, quod & Hyacinthum vocitetur, meminit. Siquidem Plinius l. 21. c. 11. scribit discurrentes notas inesse, ut Græcarum literarum figura A I inscripta legatur: quod in Consolida regali hortensi observatur, cùm in floribus folium sit implicatum, quod in albo characteres habet occultatos ex virgulis cœruleis duas literas A I aut tres A I A exprimentes.

Delphinium duplex est Dioscoridi, cujus altera species Romanis buccinum dicitur. Quare si apud Dioscoridem vox δελφινοειδὴς ad flores referatur, tum Consolida regalis hortensis Delphinium erit, at Consolida regalis segetum alterum ejusdem Delphinium. Hæc è C Bauhini Pinace.

Ob floris figuram Delphinum imitantem Dioscoridis Delphinium credita est hæc planta. Consolida regalis à consolidandis vulneribus dicitur.

Characteres

Characteres hujus generici sunt folia in tenuissimas lacinias dissecta, flores unico corniculo retrorsum extenso seu calcari donati, semina nigra, triquetra.

1. *Delphinium elatius flore simplici diversorum colorum* Park. parad. *item Delph. elat. flo. pleno divers. colorum* ejusdem. *Consolida regalis erectior purpureo sive violaceo flore majore* J. B. *item Consol. reg. erectior flo. purp. sive violaceo pleno* ejusdem. *Consolida regalis sativa* Ger. **Larks-spur.**

Clus.

In bicubitalem plerunque altitudinem assurgit, interdum etiam majorem, nonnunquam infra illam consistit. *Caulem* verò habet rectum, firmum, striatum, quem indiscriminatim ambiunt multifida *folia*, frequentiora quàm in vulgari, è quorum alis prodeunt rami virides, similibus foliis onusti, desinentes in oblongam florum spicam sex foliis constantium, quorum quaterna in latera expanduntur, quintum supernum caudâ aut calcari insignitum in posteriorem partem prominente, reliquis majus; cui subest sextum medium florem occupans, extima parte longiusculum & bifidum; deinde per latera alarum multa stamina, umbilicum floris occupantia tegens. Flori succedunt, utplurimùm singularia, rariùs plura, longiora & crassiora cornicula, *semen* inæquale, maturitate nigrum continentia. Color floris in hoc genere mirum in modum variat, nam aut niveus est, aut exalbidus, aut carneus, isque vel saturatus, vel dilutus, aut cineraceus, aut purpureus seu violaceus, atque is vel dilutior, vel saturatior, nonnunquam etiam versicolor, h. e. vel media ex parte purpureus, alterâ incarnatus sive suave-rubens, interdum etiam altera parte albus.

Hæc autem varietas satione acquiritur: nam unius generis semine omnes hi colores mihi nati. Aliud præterea in hac planta animadversione dignum est, illam videlicet inveniri floribus multiplici foliorum numero constantibus, omnium supradictorum colorum, nullo aut perexiguo calcari præditis, quibus succedunt minora quàm in superiore cornicula, bina, terna aut quaterna pleraque inania, rara, quæ paucum semen præbeant: è quibus terræ commissis raræ nascuntur plantæ plenum florem ferentes, pleræque simplicem, quarum tamen semine sponte deciduo denuo nascuntur quæ plenum florem proferunt.

Vires. Visum acuit & roborat tum succus florum expressus, tum eorundem aqua destillata, imo vel continuus (ut aiunt) intuitus, unde nonnulli eorundem fasciculos in conclavibus suspendunt.

Herba in potionibus vulnerariis utilis esse perhibetur, consolidat enim & glutinat, unde & Consolidæ nomen adepta est. In pulverem redacta cum ejusdem aqua stillatitia pota confert cardialgiæ, calorem præter naturam extinguit, bilem exæstuantem reprimit, necnon tussim & stillicidium, adversatur venenis. Succus expressus recentia vulnera sanat. *Matth.*

Conserva florum commendatur ad tormina ventris infantium, & ad ardorem stomachi. *Schrod.*

Attendat Lector censuram Casp. Hofmanni. In facultatibus vix aliud reperio quàm superstitiones, & nullo fundamento nixas medelas.

Decocto florum Consolidæ Regiæ & Croci ℥j. in vino ex suppressione menstruorum convaluit mater & filia ejus. *Achill. Gasserus* Obs. 81.

* 2. *Delphinium elatius cæruleo flore* Clus.

Clus.

Hoc genus multò uberius est superiore, atque interdum adeò amplum, ut humanam altitudinem superet, numerosiores ramos proferens, & plura majoráque folia, sive foliorum alas, non minùs tamen quàm supra descriptum in tenues lacinias divisas. Hujus flores superioris floribus formâ similes sed longè ampliores, & coloris aut cærulei elegantissimi, aut ex cæruleo purpurascentis: Cornicula floribus succedentia crassiora, nigrum inæquale *semen* quale alterius continentia; quod satum genus suum conservare semper obse vavi, nullâ prorsus coloris mutatione facta.

3. *Delphinium majus sive vulgare* Park. par. *item Delph. vulg. flore pleno* ejusdem. *Delphinium vulgatius* Clus. *item Delph. humilius sive vulgatius pleno flore* ejusdem. *Consolida regalis hortensis flore majore & simplici* C. B. *item flo. maj. & multiplici* ejusdem.

Clus.

Hoc genus ramis suis in latitudinem magis diffunditur quàm superius, terram versùs potius reclinatis quàm erectis, foliis multis obsitis viridibus, in tenues & oblongas lacinias dissectis Fœniculi ferè instar. Rami in florum rariùs dispositorum spicas oblongas exeunt, magna colorum varietate: nam præter cæruleum qui in arvis, invenitur & albo flore, & candicante, & rubro & dilutiùs rubente. Hujus generis mihi (inquit) natæ sunt qui simplici quidem sex foliorum textura constabant, sed terni, quaterni, quini simul commixti innascebantur, totidem brevissimis calcaribus præditi, majore tamen & grandiore in extimo illo flore qui reliquos veluti complectebatur. Sunt etiam in hoc genere quæ flores proferunt multiplici foliorum serie constantes unico tantùm calcari retrorsum extenso; magna colorum varietate. Parkinsonus purpureum, cæruleum, album, carneum, variegatum recenset.

4. *Consolida regalis arvensis* C. B. *Delphinium arvense* Park. *Consol. regal. flore minore* J. B. *Consol. regal. sylvestris* Ger.

Genere hæc non est diversa à proximè descripta, verùm spontanea cùm sit, nulloque mangonio lætiore exculta, tota strigosior evadit, nec temere dodrantalem magnitudinem quoad spontis suæ est excedit, nec adeò foliorum vel numero vel latitudine [vel segmentorum longitudine] luxuriat: magis etiam squalidus flos & minor, coloris cærulei. *Semen* in corniculis non dissimile sed minus, non ita facilè in hortis satum germinans.

* 5. *Consolida*

* 5. *Consolida regalis maxima villosa* J. B.

Caule est longiusculo, contorto, admodum villoso: *folia* ferè palmum longa, pilosa, multifida, segmentis latis, non multò Peucedani foliorum segmentis angustioribus, villosis, non sine oblongis quibusdam veluti foliorum ligulis. *Flos* unicuique pediculo insidet unicus, magnus, candidus, quorum calcar & folia extima foris tomentosa sunt, & virore quodam variegata; *cornicula* quæ succedunt densissimo villo sunt obsita.

Unde, inquit, hanc nacti sumus non recordamur.

6. *Consolida regalis latifolia parvo flore* C. B. *regalis peregrina parvo flore* J. B. *Delphinium Hispanicum parvum* Park. parad. *Consolida regalis latifolia* ejusdem Theat.

Ex *radice* fibrosa, oblonga, rufescente *caulis* cubitalis, rotundus, striatus, levissima hirsutie albicans, in ramos brachiatus, exurgit. *Folia* prima quidem latiuscula, tripartitò divisa, segmentis latiusculis laciniatis, alia verò in summo caule & per ramos, parciùs secta [tripartitò divisa *C. B.*] quædam integra. *Flores* parvi quàm strigosæ illius arvensis minores, colore cœruleo obsoleto [subcœruleo pallido seu languido *Park.*] qui alternatim surgentes spicam efformant: quibus excussis singulis terna succedunt erecta simúlque juncta cornicula *semen* parvum continentia.

In insula Melitâ circa urbem novam in ruderibus & muris, inque Sicilia & Italia invenimus. *Locus.* *D. Wheeler* in insula Corcyra Consolidæ regalis speciem fœtidam observavit, verùm non descripsit.

* 7. *Consolida regalis hortensis flore minore versicolore* Moris. prælud.

Folia habet hortensis Delphinii vulgaris foliis tenuiùs dissecta: Flores minores rubros, striis nigris maculatos; quo facillimè ab aliis distinguitur.

8. *Consolida regalis serotina flore albo multiplici & simplici.*

Humilior est multò quàm Delphinium surrectum & ramosior, foliis tenuiùs incisis & delicatioribus. Florem non ante finem æstatis producit, [in horto nostro cum Delphinio surrecto unà sata non ante florere cœpit quàm illud pæne defloruerat:] Erat autem floris color in omnibus quæ nobis, & * amico cuidam nostro qui illud communicat, ex semine succreverunt plantis albus, ut putem eam floris colore rarissimè variare. * *D. S. Dale.*

Cap. XVII.

De Ulmaria majore seu Barba capri.

Barba capri J. B. Ger. emac. *B. capræ floribus oblongis, Melandryon Plinii* C. B. *Ulmaria major sive altera* Park.

J. B.

Radicem sortita est mediocriter crassam, fibrosam, cortice intectam crassiusculo ad ruffedinem declinante, cui subest lignosa substantia cum copiosa medulla alba fatua. *Caules* duos trésve cubitos alti & majores, multis alis concavi, læves, teretes, medullosi, arcto tubulo (qui in alis nullus est) perforati. *Folia* Castaneæ oblonga, acuminata, serrata, plura ad costam alligata, nullis intercedentibus minoribus foliolis ut in Ulmaria; à qua & *flores* hujus plurimùm differunt, in ligulis videlicet racematim collocati, perpusilli candidi.

Nobis observantibus plantæ hujus folia bicomposita seu triangulata sunt & Umbellatarum modo divisa, rugosa & circa margines pulchrè dentata: Unicuique flores plures theculæ disjunctæ succedunt.

In colle *la Bastie* prope Genevam hanc plantam observavimus, & in Helvetia non longè à Scaphusia, loco humido. *Locus.*

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER DECIMUS QUINTUS,

QUI EST,

De Herbis flore monopetalo vasculiferis.

SECTIO PRIMA.

De Herbis flore monopetalo uniformi.

HERBAS vasculiferas vocamus quæ præter floris calycem, aliud habent vasculum, in quo semina continentur.

Quid per florem uniformem, quid per difformem intelligimus, Libro primo, cap. 11. explicuimus.

N. Nos in hoc opere flores monopetalos, laminâ eousque divisâ ut polypetali videantur, pro polypetalis habemus.

Herbæ flore monopetalo uniformi sunt vel vasculo diviso in locumenta

- *Bina,* foliis in caulibus
  - *Alternis*; vasculo
    - *Operculo tecto,* quod per maturitatem abscedit; calice oris quinquepartitis acuminatis insigni, ut fructus glandem quodammodo referat; vi narcotica & virosa; HYOSCYAMUS.
    - *Bivalvi,* foliis pinguibus, vi narcotica præditis; flore è tubo longo in latitudinem expanso, margine
      - *Integro, anguloso,* colore rubente; vasculo oblongo, conoide; major & elatior; NICOTIANA, *Tabacum.*
      - *In quinque segmenta diviso,* colore luteo; vasculo breviore & subrotundo; humilior & minor; PRIAPEIA, *Hyoscyamus luteus.*
  - *Ex adverso binis,* nervosis; sapore amaro; GENTIANA.
- *Terna,* seminibus in singulis cellulis
  - *Binis* majusculis; vasculo ipso floris calice contento, aut supra fundum ejus elato; vicinis plantis se circumvolvendo scandens, succo lacteo plerumque turgescens; flore campanam referente, margine integro; CONVOLVULUS.
  - *Pluribus* exiguis, lucidis, lactescentes & erectæ, flore

Campanam

Campanam referente, margine in quinque plurimùm lacinias secto, flore ejúsque calice vasculo seminali insidentibus; conceptaculis seminum
- *Oblongis*, & in siliquas productis; SPECULUM VENERIS.
- *Brevibus & habitioribus*; foliis
  - *Hirsutis*; TRACHELIUM.
  - *Lævioribus*; radice
    - *Carnosâ* esculentâ; RAPUNCULUS.
    - *Lignosiore* aut *tenuiore*; CAMPANULA.

Corniculato, flosculis parvis in florem quendam totalem seu compositum constipatis; RAPUNCULUS *corniculatus*.

Quaterna, fructu spinoso, maximo; flore è tubo oblongo calathoide; facultate virosa; STRAMONIUM.

CAP. I.

De Hyoscyamo.

Υοσκύαμος i. e. Faba suilla vel porcina, quòd Apri ejus pastu resolvantur & convellantur, præsenti mortis periculo, nisi aquâ copiosâ statim se foris & intus proluerent, ut Ælianus prodidit, lib. 1.

Notæ ejus sunt folia in caule alternatim posita: vascula seminalia operculo tecta, quod per maturitatem abscedit, calyx oris quadripartitis acuminatis insignis, vis narcotica & virosa.

A. 1. *Hyoscyamus vulgaris* J. B. *niger* Ger. *niger vel vulgaris* C. B. Park. **Common Henbane.**

J. B.

Odore fœtido facilè se prodit Hyoscyamus niger, nusquam non obvius, Acanthii vulg. *foliis*, mollibus, lanuginosis, pinguibus, incanis, per margines altiùs incisis, copiosis, nullo ordine in *caulibus*, cubitalibus ramosis, crassis, densâ lanugine obsitis. *Flores* confertim enascuntur calathi effigie, lutei, purpurascentium linearum crebro discursu versicolores, fundo obscurè purpureo, in quinque obtusa segmenta partiti. *Stamina* quinque brevia purpureos *apices* crassos & oblongos gestant; *stylus* longior apice rotundo albo, medium florem occupat. *Calix* floris hirsutus, oblongus, margine in denticulos rigidos acuminatos quinquepartito, delapso flore in ventrem extumescit, & *vasculum seminale* continet in bina loculamenta divisum, *semine* pusillo obscurè cinereo refertum. *Radix* subest crassa, rugosa, intus alba, foris fusca, minùs olida quàm folia.

Secus vias ubique ferè gignitur in incultis, ruderatis & pinguibus locis. *Locus.*

Vires. Hyoscyamus refrigerat & emollit mirè, somnum inducit, dolores sedat, acrimoniam mitigat, at rationem perturbat: unde internus ejus usus rarissimus est. Adversùs acres calidásque oculorum defluxiones prodest: sanguinis eruptiones muliebriáque profluvia compescit: Et ad testium aliarúmque partium inflammationes adhibetur; necnon ad Podagram & dolorem ischiadicum in fomentis. ℞. fol. Hyoscyami, decoquantur in lacte bubulo, & fiat cataplasma, quod mirificè proderit, ut ait Duretus in Adversar. supra Hollerium.

Vini Hispanici vel Græci in quo Seminis Hyoscyami modica quantitas per diem unum vel alterum infusum fuerit patera una horâ somni sumpta requiem suaviter conciliat.

Seminum Hyoscyami & Papaveris albi ana ʒij. Conservæ Rosarum Rubrarum ℥ij. in formam Electuarii redacta, & nucis myristicæ magnitudine exhibita hæmorrhagiam quamcunque sistunt. *D. Boyl.* de *Utilitate Philosoph. Nat.*

Apud nos (inquit * C. Hofmannus) ex sem. Hyoscyami fit oleum, cujus ad parandum somnum miræ sunt vires, temporibus illiti. Est etiam in usu in gonorrhœa & nimiis mensibus, regioni lumborum & perinæo adhibitum. In doloribus aurium, ubi leviora anodyna non inveniunt locum cum Croco aut Castoreo etiam infunditur. Itá in dentium doloribus cum lana imponitur.

* *Medicam. Officin.*

Andegavenses & Pictones adversùs pruriginem illam molestam, & tumores manuum pedúmque à frigore contractos Hyoscyami citinos carbonibus inspergunt, fumúmque exhalantem manibus pedibúsque excipiunt.

N. Expressus quoquo modo succus (ut rectè Casp. Hofmannus) tutior est illo qui ex incisa planta profluit. Est enim is Opio similis. Rursus expressus ex semine sicco affusâ aquâ, tutior est illo qui ex tota planta viridi fit. Tandem aqua destillata omnium tutissima est.

Hyoscyami albi usus mitior est & tutior multò quàm nigri.

Ratio cur succus expressus mitior sit è vulnere inflicto effluente hæc nobis videtur. Cùm in omni planta duplex minimum succus sit, alter aquosior magísque insipidus, alter plantæ proprius & specificus; hic autem incisione facta è vasis, utpote majoribus, sponte effluat, ille ob vasorum angustiam non item; qui fit per expressionem totam lympham continet, quæ longè copiosissima est, & succum plantæ essentialem valdè diluit & enervat: cum qui sponte effluat essentialis sit & specificus, syncerus & immixtus, in quo tota vis plantæ quâ talis residet.

Semen Hyoſcyami prunis impoſitum fumum emittit teterrimi odoris, quo naribus vel ore per infundibulum excepto Empirici expellunt vermiculos, qui aliquando in naſo aut dentibus naſcuntur eóſque in ſubjecta pelvi aquâ repleta excipiunt, ut meliùs oculis percipiantur.

2. *Hyoſcyamus albus* J. B. Park. Ger. *albus major vel* 3. *Dioſcoridis, & 4. Plinii* C. B. *Item Hyoſcyamus albus minor* J. B. C. B. Ger.

J. B.

Non tantùm *flore* alterius pari albo eſt, ſed & *alabaſtris* ſtriatis multò candidioribus magiſque hirſutis, vaſculum obvolventibus ſemine albido refertum: adde *folia* hirſutiora, albidiora, quæ tamen Nigri foliis magnitudine cedunt, laciniata: *Caulis* quoq; eâdem alba denſiori lanugine eſt obſitus, quem ut celeri ortu eodem quo ſatus eſt anno protrudit, floremq; & ſemen perficit, ita perennitate vincitur, ut qui nonniſi ſemeſtris ſit vitæ.

Locus. In Norbonæ ad Aurantiam, & inferiùs cis tránſque Rhodani oſtia, variis ſatorum & vervactorum ſecus vias marginibus ſponte adoleſcit.

Pro eadem planta cum Parkinſono habeo Hyoſcyamum album minorem *Lob.* quem Cluſius quoq; Hyoſcyamum album vulgarem vocat.

Hanc ſpeciem in muris & rupibus circa Genuam frequentem obſervavimus, quæ à vulgari nigro Hyoſcyamo differt foliis brevioribus & rotundioribus, viridioribus, [Cluſius tamen & J. Bauhinus candidiora & molliora ei attribuunt] minùs laciniatis, floribus minoribus, in nonnullis totis luteis, in aliis luteis cum fundo obſcurè purpureo.

3. *Hyoſcyamus Creticus luteus major* C. B. *luteus minor* J. B. *Creticus alter* Cluſ. *Creticus* Park.

C. B. prod.

Caulibus eſt cubitalibus, robuſtis, ramoſis, rotundis, molli lanugine obſitis: *Foliis* latis, ſubrotundis, ſinuatis & circumroſis, hirſutis, longiore pediculo donatis: ex quibus alii pediculi lanuginoſi emergunt, *flores* ſuſtinentes ex calyce hirſuto, in quinque apices ſecto prodeuntes, oblongos, Lamii Meliſſophylli formâ, quinquefariam diviſos, quorum tria folia ſuperiora majora & flava, inferiora duo pallidiora; ex quorum medio *ſtamina* quina purpuraſcentia, *apicibus* flaveſcentibus, unà cum ſtylo oblongo ejuſdem coloris, efferuntur. Floribus delapſis calyces indurantur, qui *ſemen* minutum, ſubruffum continent.

** Bot. Monſp.* Præcipua differentia inter hanc ſpeciem & præcedentem, annotante * *P. Magnol*, eſt in floris colore cujus petala in hac ex albo ſublutea ſunt, fundo & ſtaminibus obſcurè purpureis, in illa penitus lutea: proinde nobis non videntur ſpecie differre.

Planta hæc, cujus deſcriptionem è C. Bauhini Prodromo dedimus, quámque in Pinace pro Hyoſcyamo Cretico altero Cluſii habet, ipſiſſima eſt quam frater ejus J. Bauhinus pro Hyoſcyamo 4. ſeu albo Cretico *Cluſii* proponit. Quam enim deſcribit J. Bauhinus ex ſemine Stutgardiam per Caſabonam miſſo Hyoſcyami lutei Cretici nomine in horto Montbelgardenſi floruit: quam C. B. frater, ex horto Montbelgardiaco à fratre J. B. primùm accepit, ſemine à Caſabona miſſo, ut ipſe refert. Nos C. Bauhini ſententiæ accedimus, & Hyoſcyamum 4. ſive album Creticum Cluſii pro diverſa ſpecie habemus, ob flores aureos quos ei attribuit. Nam Pr. Alpinus in *exot.* duas Hyoſcyami ſpecies ſemine flaveſcente in Creta inſula naſcentes agnoſcit, alteram flore luteo diluto, alteram flore aureo, cujus deſcriptionem, prolixam ſatis, ex Alpino proponemus.

* 4. *Hyoſcyamus aureus* Alpin. exot. *Creticus luteus minor* C. B. 4. *ſive albus Creticus* Cluſ. *albus Creticus* Ger. emac.

Ab una *radice* multos producit *caules*, longos, tenues, ſurſum obliquè actos, quadam veluti lanugine obſitos, fragiles, herbaceos, quos *folia* non plura, Hederæ terreſtris magnitudine & figurâ, quadantenus ad Hyoſcyami lutei Cretici folia inclinantia, molli veluti lanugine obducta ambiunt. *Flores* verò & in caulibus, & in ipſorum cacumine producuntur parvi, aurei, ex parvis cytinis non duris, Leucoiis luteis ferè ſimiles, ſed tamen majores, quinq; foliis impari magnitudine, ex interna parte deficientibus compoſiti, unde ex ea parte quaſi dehiſcunt. In medio autem floris umbilico veluti oculus niger conſpicitur, à quo quaſi à centro ad circumferentiam quædam veluti filamenta, parva, carnei ferè coloris diffunduntur. Flos haud gratum odorem exſpirat. His floribus ſuccedunt parvi cytini, herbacei coloris, nigri Hyoſcyami multò minores, non duri, *ſemina* minuta, colore flaveſcentia continentes. *Radix* eſt parva, longa, craſſa, mollis ac tenera. Planta eſt perennis.

* 5. *Hyoſcyamus Ægyptius* Park. *rubello flore* Ger. *peculiaris flore purpuraſcente* J B. *& Hyoſc. Syriacus* ejuſdem *Hyoſc. cauliculis ſpinoſiſſ. Ægyptiacus* C. B. *& Hyoſc. rubello flore* ejuſdem.

Peregrinus eſt & cubitalis altitudinis, minimíque digiti craſſitudinis *caulem* adquirit in hortis, firmum, molli incanâque lanugine præditum; per quem hinc indè ſparſa ſunt folia, vulgaris foliis non valdè abſimilia, ſed minora & frequentioribus laciniis diviſa, tenuíque (dum adhuc tenella ſunt) & longa lanugine pubeſcentia. Summus caulis in aliquot ramos nutantes & inflexos dividitur, qui alternatim inter anguſtiora minoráque, nec laciniata folia caliculos ferunt vulgari ſimiles, in quinq; cuſpides ſatis firmos deſinentes, in quibus *flores* colore quodammodo ſimiles vulgari, h. e. pallentes & purpureis venis diſtincti initiò naſcuntur, ſed deinde in paulò majorem amplitudinem excreſcentes,

tes, in elegantem, ex rubro purpurascentem colorem mutantur, saturatioribus tamen venis, nec umbilico purpureo, ut vulgaris nigri flores, sed candicante, styloq; purpurascente ac quinque staminibus exornato. Floribus succedunt bullata, quemadmodum in vulgari, capitula, *semen* etiam simile continentia.

Ex hac planta iterum, monente Parkinsono, C. Bauhinus duas tresve facit. Utraq; enim planta, (nimirum Hyoscyamus Syriacus *Cam.* & Hyosc. Ægyptius rubello flore *Clus.*) semine à Bern. Paludano accepto nata est; adeóq; verisimile est eandem fuisse. Deinde cur quæso separat C. B. Hyosc. Ægypt. *Clus. hist.* ab ejusdem Hyosc. peregrino in *Pann?* Nunquid utriusq; eadem descriptio? Cur Ægyptium *Clus.* cauliculis spinosiss. esse ait, cùm Clusius spinarum non meminit? *J. B.*

Sic septem Hyoscyami species à C. Bauhino in Pinace recensitæ ad quatuor facilè reducuntur.

Hyoscyamus albus Ægyptius *Alpin. exot.* huic idem videtur: cujus succum ad tussim ex acri vel salsa capitis destillatione phthisis prænuntiam utilissimum esse scribit. Ad eandem (pergit) tussim molestissimam Ægyptii cùm eunt dormitum assumunt cochlearis mensura semina tenuissimè trita cum pari mensura Sacchari pulverizati: plurimum enim juvant humoris acrimoniam & salsuginem hebetando, atq; somnum inducendo. Mulieres etiam eâ detrita sumunt itidem ad mensium abundantiam. *Vires.*

Non in Ægypto tantùm sed (ut videtur) etiam in Creta sponte nascitur: nam ex semine Cretâ allato ortam scribit Clusius. *Locus.*

Cap. II.

De Tabaco sive Nicotiana.

Nicotiana dicta est hæc herba à Joanne Nicotio Ulyssiponæ Lusitaniæ Regis Galliæ legato, quam à Belga quodam è Florida allatam accepit, & in Galliam intulit, Anno 1559.

Tabacum dicitur à Tabaco insula Floridæ adjacente. C. Hofman. quod nomen aliis omnibus quibus insignitur prævaluit.

Brasiliani dicuntur vocare Pætum seu Petum. Botanici nonnulli ob vim narcoticam ei cum Hyoscyamo communem Hyoscyami speciem faciunt, & Hyoscyamum Peruvianum appellant. Verùm cum facie externa distet, & partium præcipuarum, floris putà & seminis ejúsque conceptaculi figurâ, quantumvis viribus conveniat, ab Hyoscyamo distincta & sui potiùs generis planta censenda est.

Notæ ejus sunt Flos è tubo longo in latitudinem expansus, vasculum seminale bivalve, seminibus minutissimis innumeris refertum, folia in caulibus alternatim posita.

1. *Tabacco latifolium* Park. *Nicotiana major latifolia* C. B. *Nicotiana major sive Tabacum majus* J. B. *Hyoscyamus Peruvianus* Ger. Broad-leaved Tobacco.

J. B.

Planta nobis æstiva est, *caule* tres aut etiam quinq;, vel plures cubitos alto, pollice crassiore, tereti, hirsuto, copiosâ medullâ albicante pleno: huic *folia* ampla, Helenio aut Hippolapatho majora, nullo pediculo, latis appendicibus cauli adnata, hirsuta, modicè in acumen desinentia, à medio nervo longitudinem percurrente transversis, nonnihilq; sinuatis productis venis, crassis, alternatim dispositis, sapore acido & fervido sed evanido, masticata & contrita colore luteo inficientia: color tum cauli, tum foliis ex herbido in luteum pallescens, utrisq; ad tactum glutinosis: caulis fastigium in surculos aliquot diducitur, ad quorum divaricationes *folia* longiuscula, quorum singulis *flos* insidet, tres circiter uncias longus, tubulo hirsuto herbæque concolore, paullatim laxiore reddito, tandémq; in calathum explicato purpurascentem, indivisum, cujus margines tamen in angulos quinq; acuuntur. Flore continentur cum pistillo *stamina*, quorum *apices* cinerulâ aspersi sunt griseâ. Floris autem imum obvallat *utriculus* in quinq; lacinias divisus. *Semen* copiosum minutum, [imò pro plantæ magnitudine minimum & copiosissimum] rufescens, minus quàm in Priapeia, vasculis clauditur conicis, Avellanæ vulgaris oblongæ minoribus. *Radix* alba, fibrosa admodum, insigni acrimonia est prædita. Tota planta odorem habet satis gravem.

In hortis nostris, hyemem interdum tolerat, ut ipse Cantabrigiæ expertus sum.

Tres alias seu species, seu varietates Tabaci latifolii proponit & describit Parkinsonus in Paradiso. *Varietates seu species tres.*

1. Primæ *folia* crassiora sunt & sordidiùs seu maligniùs viridia, terram versùs dependentia & non in directum à caule extantia, ut in descripta. *Flores* in hac specie ferè integri sunt & circinati, angulis parum extantibus & vix apparentibus. Cætera cum præcedente convenit.

2. Secundæ *folia* ampla, crassa, pinguia, basi suâ caulem ferè amplectuntur, lateribus ad se invicem appropinquantibus velut complicata. *Flores* saturatiore purpureo seu potiùs rubente colore tincti sunt, & productioribus angulis inæquales magis quàm in quovis alio Tabaci genere.

3. Tertiæ *folia* minora & breviora, basi caulem minimè cingunt, sed pediculis brevibus insident. *Flores* minores sunt, & tantillo pallidiores quàm primo in loco descriptæ.

2. *Tabacco angustifolium* Park. *Nicotiana major angustifolia* C. B. *Nicotiana sive Tabacum folio angustiore* J. B. *Sana sancta Indorum* Ger. Narrow-leaved Tobacco.

Præcedenti latifolia omnibus partibus minorem esse volunt Herbarii, verùm quæ in hortulo nostro ex semine Parisiis accepto orta est altitudine saltem latifoliam æquabat imò superabat: nec flores aut vascula seminalia minora nobis visa sunt: verùm insigne est *foliorum* discrimen, quæ non, ut in illa, cauli apprimuntur, sed pediculis hærent satis longis, angustiora etiam sunt & magis acuminata quàm illius. *Flores* saturatiores esse aiunt, quod nobis non animadversum; in reliquis satis conveniunt, ut plura addere non sit opus.

* 3. *Nicotiana minima* C.B. *Tabacum minimum* Ger. emac. *Nicotiana sive Tabacum minus* J. B. The least Tobacco.

Peti maris & fœminæ semine deciduo sponte nata est Clusio, superioribus paullò humilior, cujus folia, ut in priore, caules amplectuntur, sed multò angustiora, etiam infra secundi generis foliorum amplitudinem: floribus tamen saturatiùs rubentibus magis hoc quàm illud æmulatur.

Icon quæ extat hujus plantæ non respondet descriptioni Clusianæ, cùm folia longis pediculis insidentia pingantur.

Johnsonus apud Gerardum flores ei virentes attribuit, etiam quàm Priapeiæ minores, unde liquet pro Tabacco minimo diversas specie plantas exhiberi. Tabacum autem Clusii minimum, cùm ex majorum semine ortum sit, degener quædam species, seu accidentalis Tabaci varietas fuerit oportet, quæ speciem suam non servat seu propagat semine sato.

Vires & Usus.

De Nicotianæ seu Tabaci viribus & usu multi multa. Peculiarem Tabacologiam conscripsit Joannes Neander, Medicus olim Bremanus, & inde Alstedius in sua Encyclopædia: Chrysostomus etiam Magnenus: Raphael Thorius hymnum composuit de Tabaco: Satis itidem prolixus est in ejus descriptione Nicol. Monardes in simplicium Medicam. hist. cap. 14. Vires ejus summatim tradunt Schroderus & J. Bauhinus.

Herba recens abstergit, incidit, resolvit, aliquantulum astringit, resistit putredini. Sternutatoria est ac apophlegmatizans, anodyna, vulneraria, vomitoria. Usus præcip. externus, ad catarrhos cerebri exsiccandos, somnum inducendum, lassitudinem ex labore discutiendam, uteri strangulatum compescendum. A peste præservat (in suffitu) sedat dentium dolores; dissolvit tumorem uvulæ (in gargar.) medetur lichenibus, phthiriasi, prurigini, achoribus ac favo; mundificat & consolidat vulnera & ulcera inveterata, sanat ambusta quoquo modo adhibita (balneatione scil. vel sola impositione foliorum recentium nostratis Nicotianæ, &c.) Nec tamen prorsus usum quoq; refugit internum, dum pro vomitorio exhibetur sat violento, quâ ratione curat febres aliósq; morbos: sed cautione hic opus est.

Fumi Nicotianæ in tubo accensæ ore attracti & redditi per totam Europam usus est creberrimus: pituitam elicit & catarrhos exsiccat: unde evacuatis oris & faucium glandulis dentium dolori & capitis gravedini auxiliatur.

Verùm quoniam calfacit & exsiccat, usus ejus minùs utilis est, imò nocivus iis qui calidioris sunt temperaturæ, biliosis & macilentis; ut in memetipso expertus sum, nisi cùm dentes dolent & fauces humore turgent.

Sunt qui Fumi hoc modo accepti usum damnant, Audivi (inquit C. Hofmannus) à militibus in Belgio versatis vidisse se dissecta capita eorum quibus patera cerebri ab Anatomicis dicta tota interiùs esset nigra, licet à carnifice interiissent. Audivi à Patricio Norico, qui in superiore bello Bohemico vidit omnes qui in conflictu cum hostibus interierint Anglos habere talia capita. Hinc discant sapere qui aliàs sapere nolunt. Idem nobis affirmavit *D. Boucheret* Pharmacop. Londinen.

Si hæc vera sint (de quo tamen est cur dubitem) non indè tamen sequitur fumum nocivum esse, cùm multos novimus qui quotidie & copiosè per plures annos eo usi sunt, sanos tamen & validos vitam ad extremam senectutem produxisse, nec ullum inde incommodum, sed potiùs maximum juvamen percepisse: aliis enim ventriculum refocillat & concoctionem promovet, aliis alvum leniter solvit: alii nullum inde commodum, at neq; damnum sentiunt, quibus usus ejus adiaphorus est.

Usum hujus fumi primus in Angliam intulisse dicitur *D. Gualterus Ralegbe*, ex America redux, ubi servos & mancipia eo usos observavit ad somnum conciliandum.

Foliorum pulvis inspiratus attractúsq; naribus (qui mos in Italia usitatissimus est) verbera & cujusvis generis supplicia non finit sentiri, vires addit, auget animum, & ad labores tolerandos infractam vim. Verum in eo utendo cauto opus est, ne modum excedas. *Hernandez.*

Folia Nicotianæ viridia contusa & applicata sedant dolorem podagricum & vim obtinent narcoticam. Inde etiam æstum & pustulas ab Urticis excitatas Nicotianæ succus aut folium viride applicatum restinguit & sanat.

Modum quendam purgandi cerebrum singularem refert *Joan. Terrentius notis in Hernandez* quem à Capucino quodam didicit, qui se multos à podagra liberâsse asserebat. Ex Nicotianæ arido folio quantum Juglandi possis includere sumitur, digitisq; compressum linteolo mundo, vel serico includitur, & in nodulum nucis Ponticæ magnitudine figuratur, filóque compingitur. Eum nodulum ori indimus & linguâ ad palatum sublevamus per dimidiæ horæ spatium statim effluit pituita tenacissima, fili instar ex ore dependens, quæ capite inclinato in vas subjectum excipitur. Et licet aliqua cerebri vertigo sequatur, ea tamen nisi Cerebrum admodum calidæ sit naturæ, statim evanescit, éstque omnino innoxia.

Nonnulli Nicotianam ob vim narcoticam frigidam esse volunt. Verùm calidam esse arguunt, odor resinosus non ingratus, & summa acrimonia, quâ & fauces urit, & non minore purgat per vomitum

vomitum violentia quàm ipse Helleborus, ut experientiâ multorum constat. Tandem nullum (inquit Joan. Terrentius) hactenus innotuit narcoticum, quod non sit calidum.

Ad calculum è renibus abigendum usus aquæ stillatitiæ Nicotianæ viridis plures tenaciter adhærentes abegit. *Chesneau ex Zacuti, lib.* 2. prax. mirand. Observ. 66. E Collectaneis *D. Hulse.*

Ad dentium dolorem, ℞ Tabaci probè calcinati in crucibulo, inde in cavum dentis, & statim dolor sedatur, ut pluries expertus sum. *Chesneau.*

Olei Tabaci gutta una vel altera linguæ vel ori Felis aliúsve Animalis instillata ocyssimè illud interimit. Franciscus tamen Redi observat non omnia animalia interficere oleum, neq; quæ perimit, eodem omnia temporis spatio: cùm magna hoc respectu intercedat differentia inter Tabaci plantas, interq; Animalia in quæ agit. *D. Tancred. Robinson.*

Utuntur Chirurgi ad torporem ubi membra abscindunt. *D. Palmer è dictatis D. Hermanni.*

Commendo usum Tabaci in peste; me enim liberabat peste correptum; omnésq; ferè domus, in quibus hæc planta vendebatur & *Noviomagi* & *Londini* liberæ erant à contagio, cùm vicinæ infectæ essent. *Diemerbrockius de peste.* Ex Adversariis *D. Tancr. Robinsoni.*

Ad Paralysin, ℞ Folia Tabaci viridis, infundantur in vino malvatico. Hoc vino fricentur partes resolutæ post sudores. Præstat omnibus externis remediis. *Hartmannus.* Communicavit ingeniosissimus vir *D. Edv. Hulse.*

Testatur Anton. Recchus fumum Tabaci in uterum inspiratum, in suffocatione ejus, in difficili anhelitu, mulierum angustia, syncope, mira præstare, atque dicto citius. Ex excerptis *D. Hulse.*

Folia Tabaci si manui, chartæ aut linteo affricentur colorem pulchrè viridem præbent. Observante *D. Merret.* Notis in Anton. Neri p. 265.

Exemplum violentæ vomitionis semper immediatè sequentis inspersionem pulveris Tabaci super femur contusum & laceratum habetur *Ephem. Germ.* An. 12. Obs. 108. ut me monuit *D. Tancr. Robinson.*

Nobilem virum adeò pinguem vidi, ut equo insistere nequiret quin statim sopiretur, nec loco ferè moveri posset: ille tamen nunc huc, nunc illuc vadit, mole illa deperdita, & pristinum habitum recuperavit, quod sola masticatione foliorum Tabaci peractum fuit, ut ipse mihi asseveravit: pituitosis enim & frigidis corporibus utile est. *Petrus Borellius* Cent. 11. Obs. 11.

At masticatio Tabaci non semper & in omnibus eundem effectum habet, ut ipse experientiâ didici in amico quodam nostro, qui ob id nihilo macilentior effectus est: affirmavit tamen ejus usum dentes antea vacillantes firmâsse.

Novi tres juvenes robustissimos à dysenteriis liberatos propinando decoctum Tabaci, quod maxima suâ violentiâ totam mali causam evacuavit, & reliquit anodynam & narcoticam qualitatem. *Diemerbroeck* Observ. Medic. Obs. 19. Quamvis hoc iis bene cesserit, nimis tamen temerarium foret, me judice, illud in exemplum trahere, & Nicotianæ decoctum dysentericis promiscuè propinare, purgat enim violenter tam per vomitum quam per secessum.

Willisius noster Tabaci usum in castris commendat, posse enim commeatûs inopiam, quæ inibi frequens esse solet, supplere, & milites laborum & periculorum minùs sentientes efficere. Morbis insuper castrensibus, colicæ, diarrhœæ, ulceribus, capitis & artuum doloribus, apprimè conducit, tam præservando, quàm sanando.

Lixivium Tabaci frequenter adhibetur in psora & lepra pecudum ac jumentorum. *D. Tancred. Robinson*, qui & præcedentem observationem misit.

Nocumenta & incommoda quæ usum Tabaci sequi solent videri possunt in Sereniss. Regis Jacobi tractatu de Tabaco, & Simonis Paulli de abusu Tabaci.

4. *Priapeia*, *quibusdam Nicotiana minor* J. B. *Nicotiana minor & Eyst.* C. B. *Hyoscyamus luteus* Ger. *Tabacco Anglicum* Park. **English Tobacco, by some yellow Henbane.**

Radix nunc simplex, digiti minimi crassitie, nunc multiplex plurimas fibras tenellas albentes undique spargit, nec altè in terram descendit. *Caulis* simplex, rotundus, hirsutus, cubitalis & sesquicubitalis, solidus, ramosus, digitum crassus in solo lætiore, & ad tactum glutinosus. *Folia* in caule non admodum crebra, situ alterno, pediculis brevioribus donata, pinguia, atrovirentia, ad margines æqualia, mucronibus obtusis, nec figurâ multùm dissimilia foliis Solani lethalis, verùm minora. *Flores* in summis caulibus & ramulis plures simul brevibus insident pediculis, herbacei seu ex luteo viridantes, oris extrorsum reflexis, & in quinque lacinias obtusas obiter divisis, calathi effigie, quinque intus *stamina* cum apicibus cineraceis & stylo concolore occultant. Insidet autem flos *calici* hirsuto, viscido, quinquepartito. Succedunt floribus *vascula* subrotunda, umbilicata, glandem virgæ virilis detectam repræsentantia, in binas partes per maturitatem dehiscentia, seminibus innumeris pusillis, sordidè flaventibus referta; gustu acri (ut vult J. Bauhinus.) Planta est annua, ex semine deciduo se renovans. Americæ originem debet.

CAP.

CAP. III.

De Gentiana.

GEntium Illyricorum regem omnes hujus herbæ inventorem faciunt, eíque nomen ſuum impoſuiſſe aiunt.

Gentianæ notæ genericæ ſunt folia nervoſa, in caulibus ex adverſo bina, flores calathoides, margine in lacinias aliquot totidem folia imitantes plerunque diviſo, ſapor amarus.

§. *Gentianæ majores.*

1. *Gentiana major* Ger. *major lutea* C. B. Park. *vulgaris major Ellebori albi folio* J. B. **The most common great Gentian, or Felwort.**

J. B.

Folia Hellebori albi foliis paria, circa radicem multa, per caules ex adverſo ſita, eoſdem pediculis connatis amplectentia, nervis tribus aut quinque Plantagineis diſtincta, glabra, polita, lucida, híſque notis ab Hellebori albi foliis diſtincta. *Caules* cubitales, bicubitales, ac etiam interdum hominis altitudinem aſſequentes, ſingulares, læves. E foliorum ſuperiorum minorum ſinu flores verticillorum modo diſpoſiti erumpunt, calycibus incluſi primùm, poſtea intumeſcentes, explicantur, qui ſinguli longiuſculi & lutei: ſequuntur vaſcula oblonga, in duas ſe partes aperientia, in quibus *ſemen* numeroſum, leviter rubens, ad Leucoii ſemen accedens, lævius. *Radix* craſſa, longa, multifida, intus flaveſcens, ſapore inſigniter amaro: quæ cùm ſit fungoſa, ſiccata inſigniter corrugatur, ac externè ruffeſcit.

Locus. In montium pratis & paſcuis variis in locis obſervavi (inquit J. Bauhinus) florentem Junio, & ſemen maturantem Auguſto. Nos in montibus circa Genevam copioſam vidimus, nec minus in Alpium paſcuis montoſis.

Vires. Radix hujus plantæ (quæ præcipuè in uſu eſt) alexipharmaca cenſetur. Uſus præcip. in peſte aliiſque venenatis affectibus; in obſtructione epatis & lienis, &c. & hinc in hydrope, tum in ſuffocatione uteri, in imbecillitate ventriculi, lumbricis, febribus intermittentibus, morſu canis rabidi, &c. Extrinſecus adhibetur creberrimè in vulneribus ac fonticulis mundificandis, in morſu canis rabidi arcendo (cum Theriaco impoſita) *Schrod.* Chirurgi ex ea efficiunt turundas ad ulcera & vulnera dilatanda. *D. Palmer.*

Ad canis rabidi morſum & ad ventriculi imbecillitatem exhibetur radicis pulvis è vino potandus. Ad febres pellendas aqua deſtillata, vel ſuccus inſpiſſatus magnitudine Caſtaneæ aut nucis juglandis, [dimidium ejus uno die, alterum poſtridie] deglutiendus. *Schroderus* ſuccum hunc creberrimi eſſe uſûs ſcribit in febribus intermittentibus, in quibus ante paroxyſmum à ʒß. ad ʒj. aut ℈iv. exhibetur felici cum ſucceſſu.

Gentiana & ſolitaria & (vetus experimentum tentantibus) tantillo nucis vomicæ ſociata nobis quoque olim in gregariis haud parùm certa, æquivalens aut conſtantius quid quàm nunc carior illa China Chinæ ſeu pulvis patrum præſtitit. Dan. Ludovicus de Pharmac. moderno ſeculo applicanda, p. 257. Communicavit *D. Tancred. Robinſon.* Dolæus Lib. 3. Cap. 12. S. 12. Inter febrifuga Chinæ de China à pleriſque æquiparari Gentianam ſcribit, quæ itidem cum vino exhiberi poteſt, vel in forma extracti in pilulis, vel in decocto.

Putredinis Gentiana hoſtis infeſtiſſima & veneni mors (inquit Lobel.) Peſti adeò præſens remedium, ut non modò homini ſed etiam brutis, incolumitatem tueatur, & amiſſam reſtaurat, eóque ſolita Helvetia iſtam cum Flammula porcis propinare ne anima in vivo cadavere puteret.

Simlerus in deſcriptione Alpium refert paſtores uti Gentianis ad ubera vaccarum, ſi à muribus Araneis aut aliis beſtiis venenatis lædantur.

Puer quidam integro anno cæcus Rad. Gentianæ inciſæ & in vino ad dimidiæ partis conſumptionem coctæ decocto oculis ſiphunculo injecto manè, per tres vel quatuor dies, convaluit. Oculos autem vellicabat & dolorem excitabat. Ex * Obſerv. Reuſneri à Velſchio editis excerpſit *D. Soame.*

* Obſerv. 175.

2. *Gentiana magna flore purpureo & albo* J. B. *major purpurea* C. B. *major flore purpureo, & major flore albo* Park. *major purpurea* 1. *Cluſii* Ger. emac. **Great purple Gentian.**

Cluſ.

A vulgari majore luteo flore nihil formâ differt; etenim ampla habet *folia*, Ellebori albi foliis haud multùm abſimilia, ſed teneriora & ſaturatiore viriditate ſplendentia: *caules* digitali aut pollicari interdum craſſitudine præditos, rotundos, cubitales, nonnunquam bicubitales, geniculatos, quos ambiunt ſimilia *folia*, aliquantulum tamen anguſtiora, ex adverſo ſibi oppoſita. Extremos caules ambiunt binæ aut ternæ conſertorum *florum* coronæ, qui non ſunt lutei aut ſtellati, ut in vulgari majore, ſed purpurei, majores, concavi, in ſenas aut plures lacinias obtuſas extremis oris ſecti, & purpureis quibuſdam punctis, inferiore & interiore parte, quà candidiores & dilutiores ſunt, diſtincti, odoris expertes, totidem quot ſunt laciniæ ſtaminibus longum & bifidum vaſculum internè ambientibus, in quo continetur copioſum *ſemen*, planum, paleaceum, minus quàm in illa flava majore ſtellato flore, ſubrufum. *Radix* craſſa longa, foris plerunque flava, intus alba, impensè amara, digitalibus fibris ſubinde prædita eſt, ſingulis annis nova germina (quemadmodum major flava) proferens, &

multo

multos caules ex eodem capite producens, præsertim cum adolevit, sed qui alternis duntaxat annis floriferi esse solent, interquiescente nimirum uno anno à partu matre.

In Stiriæ superioris Alpibus invenitur hoc genus flore albo *Clus.*

Gent. purp. in Pannonicarum Noricarúmque Alpium jugis sponte & quidem copiosè exit. *Locus.*

Verùm neque hoc neque illud genus cicurare unquam potuit *Clusius*, aut ullâ diligentiâ efficere ut in hortis permanere vellent, nedum flores proferre. Quin culturæ beneficio deterior evadit.

Floret Augusto, semen Septembri maturescit, nova nive cadere incipiente. *Tempus.*

* 3. *Gentiana major pallido flore, punctis distincto* Clus. *major flore punctato* C. B. *major flore pallido punctato* Park.

Superiori magnitudine & formâ planè similis est: flores tamen paulò minores visi sunt, obsoletè lutei, plurimis maculis nigris intus & foris aspersi.

In Silesiæ montibus eruit *Achilles Cromerus*, medicus Nissensis, & ad Clusium misit. Huic relatum ab illo qui eum deducebat, in alio quodam præalto monte, aliam formâ non dispari reperiri quæ cœruleo flore esset. Hæc omnia Clusius. Verùm hujusmodi ducum fides plerunque vacillat. *Locus.*

4. *Gentiana Asclepiadis folio* C. B. Park. *folio Asclepiadis vulgo creditæ* J. B. *major 2. cæruleo flore Clusii* Ger. **Gentian, with Swallow-wort leaves.**

Caules plures ab eadem radice ad cubitum altos tollit, graciles, articulatos, duros firmósque, quorum singulis juncturis (quæ crebræ sunt) bina ex adverso posita *folia* adnascuntur, Asclepiadis foliis formâ & magnitudine respondentia, mollia, quinque nervis secundùm longitudinem excurrentibus insignita, mucronata, dilutiùs virentis coloris. A medio caule ad fastigium usque ex alarum sinu singulares ex adverso siti exiliunt *flores* [interdum bini aut plures] oblongi, concavi, calathi formâ, quinque laciniis per extremum divisi, colore nunc purpureo & saturatiore cœruleo, modò dilutiore & velut cineraceo, quinque pallidis staminibus umbilicum occupantibus. *Vasculum* sequitur bicorne, quo per maturitatem hiante *semen* conspicitur planum, paleaceum, cineracei coloris, superiore minus. *Radix* lutea, digitalis crassitudinis, multas oblongas fibras ejusdem coloris in latum spargit, singulis annis augescens & nova germina proferens, valde amari gustûs. Fertilior hæc est superiore, nec ut illa interquiescit, sed singulis annis, vetustior videlicet, multos caules floribus onustos producit.

Copiosè in Stiria, Pannonia & Austria inferiore provenit, ad montium radices, umbrosis collibus, nusquam verò in summis & apertis jugis. Nos eam in montosis humidioribus propè Lindaviam & lacum Acronium, & ad latera montium in Stiria, propè *Shadwin* & alibi copiosissimam observavimus, ad sepes plerunque & in umbrosis. *Locus.*

Pertinax quidem hæc est & ferè mitiora loca respuit (inquit Clusius) interdum tamen curâ & diligentiâ effecimus ut in hortis comprehenderet, & singulis annis repullularet, & flores ferret: attamen quasi nativo aere & pabulo privata, atque tanquam compedibus vincta lugere videbatur, ac pristini vigoris & elegantiæ plurimum amittere.

Slavonici rustici hujus radicis decoctum feliciter calculosis propinari experimento se compertum habere affirmant. Aretius & *Jos. Simlerus* tradunt eâ pastores uti ad ubera vaccarum, si à muribus araneis aut aliis venenatis bestiis lædantur, curanda. *Vires.*

5. *Gentiana cruciata* C. B. Park. *minor cruciata* Ger. *minor seu vulgi Cruciata* J. B. **Cross-wort Gentian.**

J. B.

Reptant cum *radice rami* palmares, sesquipalmares & dodrantales, subrubentes, teretes: quos crebra ambiunt *folia*, bina semper adversa, vel potiùs unum continuum ad genicula, tanquam vaginâ caulem involvens, cujus utrinque exit segmentum Gentianæ, quadruplo minus, Saponariæ folio simile, tribus secundùm longitudinem nervis insigne, læve, pingue, amarum. *Flores* in ramulis extremis è foliorum alis conferti, cœrulei, quinquepartiti, è calicibus vix eminentes. *Semen* copiosum, minutum, oblongum, fulvum, insipidum, vasculis continetur oblongis, bipatentibus, folliculo membranaceo obvolutis.

Duas hujus differentias observâsse videor (inquit Clusius) unam ramis humi procumbentibus & minorem, alteram firmis & erectis caulibus, eámque majorem: flores item alterius magis cœrulei spectantur, atque illarum altera radicem in foramina sectam minimè habet. *Varietas.*

Nascuntur verò eæ per universam Pannoniam, tum in collibus montibúsque apertis & gramineis, tum siccioribus pratis & herbosis secundùm vias publicas locis. Nos cum Dod. & Trag. in pascuis montosis ínque collibus & incultis agris & secus itinera in Germania passim provenientem observavimus. *Locus.*

Hujus radices recentioribus magnis laudibus efferuntur contra pestilentiam, & venenosorum animalium ictus. Matthiolus radicem tusam & ventri emplastri modo impositam ad vermes intestinorum, remedium expertum affirmat, necnon ad strumas ulceratas sanandas eodem modo tusam quæ nuper effossa sit, vel siccam in pulverem contritam valere. *Vires.*

Cùm autem amara sit & foliis & radice verisimile est eadem præstare quæ reliqua amara.

§. 2. *Gentianæ minores seu Gentianellæ.*

1. *Gentianella verna major* Ger. emac. *Alpina verna major* Park. *Alp. magno flore* J. B. *Alp. angustifolia magno flore* C. B.

J. B. Clus.

Graciles habet *radices*, longiusculas, plures cohærentes, flavescentes, propagines è lateribus producentes: *Folia* humi fusa in orbem crebra [sena aut octona *Clus.*] bina semper ex adverso se spectantia, duplo triplóve Hippii majora, unciis duabus interdum longiora, semunciam aut unciam ferè lata, in acumen desinentia, crassiuscula, unico nonnunquam, aliàs tribus per longitudinem nervis donata, lævia, Myrti latissimæ foliis ferè æqualia, impensè amara. Ex horum medio *cauliculus* exilit uncialis, quaternis plerunque foliolis multò minoribus, binis tamen alternatim semper contrario situ nascentibus obsitus, unde calyculus emergit unicum *florem* continens, magnum præ stirpis proportione, calathi aut Campanulæ modo concavum, longum duas trésve uncias, in quinque angulos desinentem [J. Bauhino in quinque lacinias divisum] mucronatos, cum duabus utrinque ubi laciniæ findi incipiunt appendiculis, elegantissimo & maximè vivido cœruleæ purpuræ colore, pallido pistillo intus prominente, qui quinque quodammodo costis ex infima ipsius floris interiore sede prodeuntibus fulcitur. Florem subsequitur longum & mucronatum *vasculum*, quod sese in duas æquales partes aperiens *semen* ostendit exiguum, striatum terrei coloris.

Locus & Tempus. Crescit in Sneberg. & Etscher abundantissimè aliisque Alpibus continua serie productis, perpetuâque quasi nive obsitis, ubi Junio & Julio, hoc est primo istic vere floret: Sub Julii verò finem & Augusto semen maturitatem adipiscitur: at in mitioribus locis in quibus rariùs invenitur, atque in hortos translata, Aprili & Maio. *Clus.* Nos speciem hanc in altissimo vertice montis Juræ *Thuiri* dicto invenimus. Quamvis autem nonnisi in editissimis summorum montium jugis sponte proveniat, culturam tamen patitur, & hortis nostris haud difficulter assuescit; ob floris pulchritudinem ab hortulanis & florum amatoribus summopere expetita & studiosissimè culta. Amarissimus est totius plantæ sapor (inquit J. B.) ideóque jecinoris vitiis nempe regio morbo & obstructionibus auxiliatur.

* 2. *Gentianella Alpina latifolia magno flore* C. B. prod. *major, sive Gentianella Alpina latifolia magno flore* C. B. Park.

C. B. prod.

Ad *radicem* nigricantem fibrosam *folia* humi sparsa quaterna quináve, subrotunda, crassa, Plantaginis vel Calthæ Alpinæ formâ, unciam lata, duas longa: inter quæ *cauliculus* uncias quatuor altus, uno alteróve folio donatus, cui utriculus insidet, unicum *florem* oblongum, cœruleum calatho similem sustinens, cujus calyci utrinque folium oblongum adponitur.

Locus. Ex Helvetiæ Alpinis habuit C. Bauhinus.

3. *Gentianella minor verna* Park. *Alpina verna* Ger. *Alpina verna major* C. B. *Gentianula quæ Hippion* J. B.

J. B.

Singulari assurgit *cauliculo* gracili, aut subpurpurascente aut viridi, in quo sena aut plura paucioráve *folia* trinervia, bina semper inter se ex adverso respondentia. Caliculum summo fastigio fert, è quo *flos* longus inodorus exilit, extrema parte in quina velut foliola divisus, cœrulei coloris adeò elegantis & vividi, ut ipsum cœlum quod imitatur provocare videatur: singulæ floris plicæ aut foliola ad latus lineam candicantem habent, & alia quina tanquam mucronata foliola aut appendices lacinias floris ab invicem sejungentes: pallescentia staminula medium florem occupant. Floribus succedit longiusculum *vasculum* mucronatum exile, durum rotundum *semen* continens. Ex eadem radice, quæ flavescens & fibrosa est, & quodammodo summa tellure spargitur, plures aliæ plantulæ assurgunt, quarum nonnullæ in cauliculum attolluntur & similem flosculum proferunt, alia duntaxat producunt folia humi strata & veluti in orbem disposita, interdum Lenticulæ non majora, interdum semuncialia aut longiora, nervosa.

Locus. In montibus circa Genevam copiosè provenientem observavimus: Clusius in celsissimis *Sneberg, Snealben, Etscher & Durrenstein* jugis herbido solo, ubi sub finem Junii floret, at in mitioribus vicinis collibus & siccioribus pratis Maio, seménque sub extremum Junium profert. Minùs hæc hortum ferre potest quàm superior & omnem culturam respuere videtur. *Clus.*

4. *Gentianella purpurea minima* Col. *Gent. Alpina verna minor* C. B. **The least purple vernal Gentian.** *Gentianella æstiva minima Neapolitana* Park.

Col.

Eodem tempore iisdémque locis quibus proximè sequens invenitur & floret hæc etiam (inquit Fabius Columna, descriptionis autor) quæ minor altitudine, sed fruticosior ab imo ad summum. *Radice* nititur longiore, fibrosa, tantundem ferè intra terram ramosa & se extendente, ac supernè assurgit & se expandit. *Foliis* eodem modo in terram stratis, binis utrinque, densè in imo caulis hærentibus cruciatim, oblongioribus admodum proximè describendâ, angustioribus tamen: *caule* breviore, ab imo singulis geniculis ramoso, purpurante, magisque quadrato. In summo *flores* ex calicibus parvis atque profundè admodum in quatuor apices divisis, oblongo tubulo, inani, calathi effigie multùm exerto, atque in quatuor parvas hiantes parùm lacinias se dividentes conspiciuntur colore ex rubro purpurante, quorum medium sive umbilicus villosus est atque candicans, sicut &

dilutiore

dilutiores laciniarum oræ. Utriculum habent medium oblongum, teretem, bifido capite atque ſemine turgido, flavente, minuto, rotundo nitido, & reliquis omnibus pro proportione plantæ craſſiore, & ab illis diverſo, Irionis lævis ſemini æmulo, Julio menſe diſſecto per medium vaſculo effluente. *Radicis* ſapor acris & amarus.

Flore in quatuor lacinias diviſo cum ſequente planta convenit.

5. *Gentianella cœrulea oris piloſis* C. B. *Autumnalis fimbriato flore* Park. *Gentianula lanugine ad ſingulorum foliorum floris lacinias donata, flore quadripartito* J. B. **Autumnal Gentian with a fringed flower.**

Col.

Radice eſt longa, tenui, repente, perenni, nodoſâ & oculos habente, flavâ [J. Bauhino albida] guſtu amaro. *Folia* anguſta ſunt admodum & lævia, Lini ferè paria, ſed breviora, nec ſupra radicem denſa, imò rara, & ab imo bina ex minimis [J. Bauhino unciâ breviora] ſemper ad ſingula genicula majora ad medium uſque caulem, deinde paullatim decreſcentia, nervo unico ſecundùm longitudinem decurrente. *Caules* ſæpe ſingulares, aliquando plures, dodrantales & minores, quadranguli ſtriis deſcendentibus ex quolibet foliorum geniculo utrinque, in ramos aliquot diviſi. In ſummo *calix* extuberat ex rotundo quadratus, purpuraſcens ex viridi, quatuor apicibus magnis *florem* circumdans oblongum, ſatis exertum colore cœruleo, calathoide, in quatuor duntaxat partes profundas diviſum, non mucronatas, ſed rotundas modicè & crenatas, quarum latera utrinque barbitio donata cœruleo, nec ullam habent ad imum laciniæ intrinſecus lanuginem, fimbriis tamen foliolorum circa centrum ob convolutionem elatis: foliolum enim alterum alteri inſidet atque ex illo ortum ducere videtur. Medium occupant *apices* quatuor, obſoleto minio tincti, ſtaminibus albidis inſidentes. *Vaſculum* ſeminale longum, quadrangulum, in duos apices albicantes deſinens, in quo ſemen continetur minutiſſimum nigrum, quod findente ſe ut in aliis, utriculo decidit.

Locus. Hanc ſpeciem in Germania non procul *Weiſſenburgo* invenimus cùm ab Auguſta ad Norimbergam iter faceremus: J. Bauhinus plures locos meminit in Germania. F. Columna in Æquicolorum montibus, *le Foſſe* dicto loco obſervavit.

Tempus. Menſe Septembri in Germania floret; in Italia etiam Octobri & ad hyemem uſque durat, nec florida tranſlata perit.

C. Bauhinus ex hac unica ſpecie, ni multum fallimur, duas tréſve facit, nimirum Gentianam Alpinam VI. ſeu Gent. cœruleam oris piloſis; item Gentianam pratenſem VII. ſeu anguſtifoliam Autumnalem minorem floribus ad latera piloſis: itémque ex ſententia *Cherleri* pratenſem VI, ſeu anguſtifoliam Autumnalem majorem, quamvis ſub hoc titulo duas ſpecies miſcere videtur, ut Synonyma conferenti patebit.

A. 6. *Gentiana paluſtris anguſtifolia* C. B. *Pneumonanthe* Ger. *Gentianella autumnalis Pneumonanthe dicta* Park. *Gentianæ ſpecies, Calathiana quibuſdam radice perpetua, ſive paluſtris* J. B. **Marſh Gentian or Calathian Violet.**

J. B.

Udos amat pratorum margines & humentia ericeta, ſingulari, aliàs multiplici, ſupra cubitalem altitudinem, recto, tenui, flexibili, geniculato *caule* aſſurgens: per quem æqualibus ſpatiis adverſa conſcendunt *folia*, palmari nonnunquam longitudine, culmum lata, ſuperiùs atrovirentia, infernè dilutiora, trinervia, ut ſunt omnium Gentianarum; è quorum ſinu à medio ferè caule ſummo tenus prodeunt ramuli, *flores* jam ſingulares jam duos aut plures, elegantes, cœruleos, in quinque lacinias extrema parte diviſos, calathi formâ, proferentes. *Radices* plures longæ, luteæ, amaræ. Cluſio radix craſſiuſcula, circa ſummum caput in aliquot longas, lentáſque & flaveſcentes fibras dividitur.

Locus. In agro Lincolnienſi & Eboracenſi in ericetis humidioribus copioſè provenit: Invenimus & in tranſmarinis v. g. in pratis humidis ad radices montium, Lindaviâ non procul, in Germania. Statura & magnitudine pro ratione loci inſigniter variat.

A. 7. *Gentianellæ ſpecies quibuſdam, An Cordo Pneumonanthe aut Gentiana fugax altera Cluſii* J. B. *Gentianella Autumnalis Centaureæ minoris foliis* Park. *Gentiana pratenſis flore lanuginoſo* C. B. *Gent. fugax minor* Ger. **Baſtard or Dwarf Autumnal Gentian or Felwort.**

Radice nititur ſimplici, lignoſâ, ſubluteâ, rectâ deſcendente, pauciſſimis fibris donatâ: *Caulis* exurgit nunc unicus, interdum plures, altitudine palmari aut ſemipedali, quadratus, ex viridi ſaturatè rubens aut purpuraſcens, fractu contumax & valdè ramoſus; *foliis* cinctus ex adverſo binis, nullis pediculis immediatè adnatis, longitudine digitali, è latiore principio paullatim in acutum mucronem faceſſentibus, tribus nervis inſignioribus ſecundùm longitudinem decurrentibus, obſcurè virentibus & in atrum nonnunquam vergentibus. *Flores* ex alis foliorum exeunt, propè ſummitatem caulis crebri, purpuraſcentes, è longo & majuſculo tubo in quinque ſemunciales mucronatas lacinias expanſi. Segmentorum baſi in circulum diſpoſita adhærent foliola erecta, in tenuiſſima filamenta diviſa [J. Bauhinus pilos barbuláſve purpuraſcentes vocat] quorum coitus tubulo occultata quinque ſtamina cum ſtylo viridante continet; ſunt autem ſapore luculentiùs amaro quàm folia, non ſine acrimonia quadam. *Vaſculum ſeminale* oblongum, teretiuſculum, per maturitatem ſumma ſui parte bifariàm diſſilit, & *ſemen* effundit rotundum, obſcuri coloris, pro plantulæ proportione ſatis grande copioſum. Sapor totius plantæ amarus & calidus, radicis autem fatuus.

Tempus. Floret apud nos ſub exitum Auguſti, aut aliquanto citiùs.

Hæc

Hæc est ſpaecies illa in cretaceis collibus per totam Angliam frequentiſſima, quam Herbarii noſtri in duas diſtrdhunt. Conſule *Ger. emac.* Eiſtque Gentiana fugax 2. Cluſii, cujus nota characteriſtica eſt, quo ſingulæ floris laciniæ infimâ internâ parte purpurea lanugine pubeſcant.

Ab hac non differt ſpecie (ut ſuſpicor) Gentiana fugax quarta *Cluſ.* quam ſe in Britannia non procul Dovera, obſervâſſe meminit, ubi aliam à deſcripta diverſam Gentianellæ ſpeciem naſci, mihi perſuaderi vix patior, inquirant alii.

Gentianella fugax quarta Cluſii, flore dilutè purpuraſcente & cæruleo elegantiſſimo J. B. *Gent. brevi folio* J. B. *Gent. fugax minor* Ger. *Gent. autumnalis Centaureæ minoris foliis* Park.

Dodrantem non ſuperat *cauliculis* & ramulis exilibus, minoribus etiam *foliis*, Centuarii minoris foliis penè paribus. *Flores* minores habet, licet formâ ſuperioribus non abſimiles, qui aut dilutè purpuraſcunt, aut cœrulei coloris elegantiſſimi ſunt. *Cornicula* ſubflavo exili *ſemine* plena ſunt. *Radix* licet tenuior à reliquis hujus generis non valdè differt.

Hanc plantam à *Gentiana fugaci* ſecunda Cluſii non differre ſpecie ſuſpicamur, ut ſuperiùs monuimus: nec enim Cluſius ipſe ullas differentiæ notas adducit præter parvitatem omnium partium; quæ plerunque natalibus locis imputanda eſt.

* 8. *Gentianella annua ſeu fugax prima Cluſii flore ex cæruleo purpureo exiguo* J. B. *Gent. autumnalis ramoſa* C. B. *Gent. æſtiva purpuro-cærulea* Park.

Cluſ.

Cubitalem habet *caulem* firmum, geniculatum per quem ad ſingulos nodos ſparſa ſunt bina ſemper *folia*, ſibi ex adverſo oppoſita, trinervia, lata ſede & ſine pediculo cauli inhærentia, ſenſimque in longum mucronem deſinentia. Ab imo ferè caule è foliorum alis naſcuntur dodrantales & pedales *ramuli*, tenues, minoribus foliis ſepti, quinos, ſeptenos, aut plures *flores* foliis cinctos proferentes, in quinque mucronatas lacinias diviſos, exiguos pro plantæ magnitudine, purpuraſcentis ex cœruleo coloris: iis ſuccedunt longa & anguſta vaſcula, tenui ſemine plena. *Radix* ſingularis eſt, exigua, pauciſſimis fibris prædita.

Locus. Naſcitur in pratis herbidiſque locis ad radices montium ſitis, Julio & Auguſto flores proferens. Hæc omnia Cluſius.

* 9. *Gentianella fugax tertia Cluſii, flore vireſcente & ſubcæruleo, breviore & majore* J. B. *Gent. flore breviore & majore* C. B. *æſtiva flore breviore* Park.

Cluſ.

Pari fermè (inquit Cluſius) cum ſecunda [*i. e.* Gentianellâ fugaci noſtrate] excreſcit altitudine, nec minùs frequentibus ramis eſt prædita: *caulis* etiam quadrangulus: terni aut plures in ſingulis ramulis *flores*, ſuperiori ſimiles, *i. e.* ſecundæ, ſed breviores amplioreſque, vireſcentis initio coloris, deinde ſubcœruleo: quibus longa *cornicula* ſeu mucronata membranacea vaſcula, *ſemine* plena, ut in ſuperiore, ſuccedunt: *folia* in ſingulis nodis multò latiora, mucronata, trinervia, ex adverſo inter ſe ſita, viridis ſaturi & quodammodo nigricantis coloris. Radix ſuperiori [ſecundæ] ſimilis.

Locus & Tempus. Obvia eſt hæc in omnibus pratis in ſublimi ſitis & montium jugis, floretque ſeriùs, Auguſto videlicet.

* 10. *Gentianella fugax quinta Cluſii, flore cæruleo colore elegantiſſimo* J. B. *Gent. Alpina æſtiva Centaureæ minoris foliis* C. B.

Cluſ.

Longè exilior [quàm quarta fugax] vix trium unciarum altitudinem æquat, licèt multis alis prædita: *foliola* Centaurii minoris in ſingulis geniculis, aliarum more habet: *flores* minori Gentianellæ vernæ perſimiles, venuſtiſſimo cœruleo colore præditos: cornicula qualia ſuperior, [fugax quarta *Cluſ.*] admodum exili & nigro ſemine plena: *radicem* quàm in ſuperioribus minorem, ſed frequentioribus fibris donatam. Impensè amara eſt.

Locus & Tempus. Floret in Etſcheri jugis Auguſti initio.

Calathianam vernam Dalechampii C. Bauhinus huic eandem facit, Joannes ejus frater aut Cherlerus, diverſam. Differt floris colore è cœruleo purpuraſcente, albis intus ſtaminibus.

Nos in ampla planitie prope Auguſtam Vindelicorum quam pertranſeunt qui Monachium Bavariæ iter faciunt, copioſam invenimus Gentianellæ ſpeciem Auguſti menſis medio florentem, quam Gentianellam Alpinam minimam flore unico cœruleo elegantiſſimo denominavimus, quæ forte huic eadem fuit: aut potiùs

11. *Gentianellæ minimæ Bavaricæ* Cam. *minima elegantiſſima Bavarica Camerarii* Park.

Quæ duûm generum eſt, major & minor. Major ramulos aliquot humi ſpargit foliis crebris Centaurii minoris ſimilibus obſitos, verùm nonnihil acuminatis; in quorum uniuſcujuſque faſtigio flos unicus coloris cœrulei amœniſſimi, in quinque folia expanſus. Aliam hujus ſpeciem exhibet omnium minimam foliolis ſubrotundis.

12. *Gen-*

12. *Gentianella æstiva cordata* Park. *utriculis ventricosis* C. B. *cærulea calice turgido pentagono* nobis; *cærulea cordata* Col.

Col.

Radix huic pusilla, fibrosa, tenuis, ex albo pallens & lignosa: ex qua *foliola* unguis minimi magnitudine prorumpunt, bina ex adverso opposita, inferiora minora atque subrotunda, effigie Gentianæ majoris vel Arnoglossi, lævia, unico per medium discurrente nervo, ex viridi flaventia. *Caulem* habet semipedalem ad summum, quadratum, striatum, purpurascentem, foliolis binis in singulis geniculis ex adverso oppositis hærentibus; à medio ad summum ferè alis divisum brevibus, in quibus *utriculi* ventriosi, magni admodum respectu plantæ insunt, ex albo viridantes, inanes, limbis quinque cartilagineis latis quinque angulos constituentibus, & in totidem ora acuta desinentibus, in quorum summo primùm *flos* emicat parùm se exerens, convolutus, colore ex albo purpurascens; deinde subcrescens atque hians, quinquepartitus stellam foliolis repræsentat, adeò præstante cœruleo colore atque amœno, ut vix fictitius ex lapide Lazuli, *Ultramarinus* dictus æquè pulcher sit: & inter quinas illas floris lacinias majores alias habet intermedias parvas, cordis figuram imitantes, quæ aliis desunt quæ lineam veluti nervum albam habent, atque adeò floris centrum albicare cernitur. *Flos* enim non pluribus foliis sed unico tubuli instar cavo quod in extremo in stellam divisum est, constat, quamvis è pluribus componi videatur. In medio *staminula* quinque & fructûs caput cernuntur. Seminis verò *conceptaculum* oblongum, teres, angustum, collo longo in summo capitato; in hoc ab aliis differens, quòd perfectum à summo finditur copiosúmque emittit minutum arenæ instar sed oblongius duplo semen, nigrum. Sapor amarus, ingratus ut congenerum.

Copiosè provenit in ampla illa planitie propè Augustam Vindelicorum, quam pertransivimus veniendo à Monachio Bavariæ. Floruit sub finem Augusti. Maturiùs floret, nimirum Junio, in pascuis montium Æquicolorum, ubi eam invenit Columna, propè S. Angeli dirutum antiquum templum supra Villam *Flaminianum* dictum. *Locus.*

Hæc species ab aliis nobis observatis Gentianellis in eo differt, quòd floris tubus non eminet omnino supra calicem, sed foliola tantùm, in quæ summa parte dividitur, expanduntur supra eum ut in Caryophyllis.

* 13. *Gentiana Pennæi cœrulea punctata* Park. *punctato flore subcæruleo Pennæi* J. B. *palustris latifolia flore punctato* C. B. *Pennæi minor* Ger.

Clus.

Caulem habet geniculatum, cubitalem, supra radicem aliquantulum rubentem: folia Gentianæ similia, ex intervallis bina, sed multò minora, venosa, quorum inferiora majora sunt, & longiora, pediculos rubentes habentia, superiora verò cauli sine pediculis adhærent, eúmque ferè amplectuntur. A medio pænè caule è foliorum cavis oriuntur *flores* pentaphylli, striati, utrinque tres, rariùs bini nisi circa summum caulem, foliis quinque subcœruleis constantes, nigricantibusque punctis elegantissimè notati, [unde nomen] quinque *staminibus*, quorum *apices* lutei, præditi. Floribus succedunt *vascula* cum *seminibus* Gentianæ similia, minora. *Radix* parva, multis fibris prædita, ex fusco lutea.

Provenit copiosè in Bokemuto Suitensium monte: floret Augusto. *Locus.*

* 14. *Gentianella Indica Bontii.*

Bont.

Quoniam (inquit) herba hæc tum formâ, tum floribus cyaneis Gentianellæ patriæ optimè respondet, meritò mihi Gentianellæ nomen illi indidisse videor; gustu tamen non amaricat, namque Gusaratis & Indis inter olera ac *Seir* suum reponitur: tum alvum modicè ciet, urinas movet, obstructionibus denique viscerum tollendis inservit, ut meritò inter medicamenta alimentosa reponenda sit. Folia in usu sunt adversus tibiarum & pedum ulcera hic admodum familiaria, propter exsiccantem & abstergentem ejus vim. Aquam quoque ex illius foliis elicimus, quæ conducit colicis doloribus, diuturnis diarrhœis, cæterísque ventriculi & intestini affectibus à frigore ortis. *Vires.*

Hanc plantam veram & genuinam Gentianellæ speciem non esse suspicor. Hic maneat donec certius constiterit ubi disponi debeat.

* 15. *Bandura Cingalensium Gentianæ Indicæ species* P. Amman. *Planta mirabilis destillatoria Grimmii.*

Amman.

Capsulis & seminibus Gentianæ est conformibus: Conspicuus est in ea præter capsulas seminales folliculus foliaceus folio appensus, ad medietatem aquâ potabili dulci plenus, penem exprimens, qui aliquando longitudinem pedis & crassitiem brachii longè excedit.

Hujus iconem *Ephem. German.* An. 11. Obs. 146. exhibuit Grimmius, & præterea de ea addit, Radix ex terra humorem attrahit, qui beneficio radiorum Solis in plantam ipsam ascendens, per caules & nervos foliorum defluit, & in hoc naturali vase recipienti tandem reservatur, donec ad necessarium hominis usum adhibeatur. Receptacula hujus humoris quandiu nondum ad extremam provenerunt maturitatem superiùs operculo eleganti clausa sunt, quod interdum digitis pressum dissilit, háncque dulcem limpidam, amabilem, confortantem & frigidam aquam suppeditat, ità ut interdum sex vel octo receptacula plus minus tantum aquæ contineant, quantum unius hominis sitim, cum maxima delectatione, bene restinguere possit. Interdum receptacula ferè plena sunt, interdum

semiplena & nonnunquam vel minus inest, nec etiam omnes eandem habent capacitatem, quod proficiscitur à constitutione aëris, prout ille diu siccus, calidus vel humidus extiterit.

Vires. In medicina suas etiam habet virtutes. *Radix* adstringentis est facultatis. Herba frigefacit & humectat, & potest succus cum proprio destillato liquore expressus internè usurpari ad febres ardentes, & externè ad in flammationes, Erysipelata & similia.

Locus. Crescit non longe à *Columbo* in humidis & umbrosis Sylvis.

CAP. IV.

De Convolvulo.

Convolvuli notæ sunt viticulæ seu cauliculi perticis aut plantis vicinis se circumvolvendo scandentes, quamvis hæc nota non perpetua est in omnibus speciebus, nam Dorycnium Creticum *Alpini* aliis notis essentialibus & genericis cum Convolvulis convenit, & tamen erectum est. Vasculum seminale in terna loculamenta, quorum unumquodque semina bina majuscula, angulosa continet, divisum; Flos campanulatus margine integro; succus in plerisque speciebus lacteus.

1. *Scammonia Syriaca* C. B. *Syriaca legitima* Park. *Syriaca, flore majore Convolvuli* J. B. *Scammonium Syriacum* Ger. Scammony.

J. B.

E *radice* longa, crassa, [brachiali crassitudine, foris obscurè cinereâ, intus albâ, fibrosâ] lacteo succo prægnante, multas aliquot cubitorum viticulas profert, proximis ridicis sese convolventes scandentésque: *folia* triangula, ceu hastilis barbatus mucro, Smilacis lævis æmula, sed minora, glabra, tenuia, pulchrè viridia, pediculis brevibus insidentia. Ex alis foliorum propè summos caules exeunt flores pulchri, calathoides, purpurascentes, Helxines Cissampeli floribus proximi; quibus succedunt capsulæ seminales rotundæ seu globosæ, seminibus intus nigris angulosis.

Radicis fissæ torulus sive cor medium exemptum (inquit * Jo. Bodæus à Stapel) planè idem est radici communis & probatioris Turbith Officinarum: verùm aliquanto faciliùs frangitur hæc, tametsi perinde gummosa succóque lacteo prægnat atque Turbith.

* *Annot. in Theophr. hist. lib. 9. cap. 10.*

Locus. In calidis pingui exit solo, velut in Asiæ Mysia, Syria aliisque similibus. Reperitur & in Creta insula, Bellonio teste.

* 2. *Scammonea macrorrhizos* Alpin. exot. *macrorrhizos Cretica* Park.

Alp.

In omnibus cum Scammonio Syriaco convenit, hoc excepto quòd non habet radicem crassam, sed longam, solummodóque ut pollex crassam: lacteo verò succo purgatrice non minùs quàm Scammonium madet.

Locus. Ex insula Creta accepit Alpinus.

3. *Convolvulus Scammoniæ foliis* [*& flore*] *æmulus* Moris. *An Scammonia rotundifolia Virginiana* Park?

Moris.

Radice est crassa, in terram se demittente, atque longè latéque rependo sese propagante aliis radiculis, ex quibus pullulant novæ plantæ. *Folia* gerit Scammoniæ, triangularia, multò latiora ad basin quàm sunt Scammoniæ folia, minùs tamen acutis angulis. *Flores* habet dilutè pallidos, campanulatos, herbacei omnino coloris, Scammoniæ quodammodo æmulos: *capsulas* seminales tribus loculamentis, triplici membranarum serie separatas itidem, atque in singulis bina continentes semina angulosa, nigra aut potiùs fusca. Primo intuitu si juxta Scammoniam collocetur, ab ipsa primò foliorum structurâ, deinde *radice* longè latéque sub terra repente dignoscitur, cùm Scammonia radicem longam, crassam Napi aut Rhaphani majoris instar obtineat. Lactescit ut aliæ pleræque sui generis.

Vires. Scammonium purgat validè humores biliosos acres, serosos è partibus remotis, adeóque creberrimi usûs est non modò per se, sed cum aliis admixtum.

Verùm cum magnæ sit acrimoniæ (inquit Schroderus) intensæ caliditatis & siccitatis, infensæ malignitatis, mordacis flatulentiæ, excessivæ attractionis, ideóque aptum natum quod intestina erodat, viscera, cor, hepar, &c. conturbet, ventriculum flatibus mordacibus lacessat, vi suâ calefactoria ac exsiccatoria inflammet, & consequenter febres inducat; vi attractoria hypercartharses causet, correctione opus habet.

Quinque vitia habere aiunt, quibus nisi occurras luet æger tuus.

1. Est, quòd flatus quosdam mordaces gignat, usque adeò ventriculum lacessentes, ut sumentibus nauseam commoveant. Noxa hæc tollitur, si in excavato cydonio malo clibano aut prunis inassetur, pastâ undique circumlitâ, præsertim additis aut Dauci, aut Fœniculi, aut Apii semine, aut Galangæ.

2. Quòd inflammet acredinis exsuperantiâ corporis spiritus, quo fit ut facilè febres excitet, iis præcipuè qui obstructionibus viscerum & humoribus putrescentibus obnoxii sunt. Sed id nocumenti

ti aufertur admistis inter coquendum quæ refrigerant & fervorem extinguunt, cujusmodi sunt mucilago Psyllii, decoctum & pulpa Prunorum, succus aut aquæ rosar. violar. &c.

3. Quod eadem acredine sua recludat ora venarum, ut sequantur evacuationes nimiæ hypercatharses dictæ. Hæc noxa tollitur adstringentibus, Mastiche, Myrob. Pomo Cyd. præcipuè Aloe, quæ inter purgantia ventriculo valde grata est.

4. Est, quòd acrimoniâ abradat intestina, & exulceret reliqua viscera, quod ex crebris punctionibus innotescit. Hic damus partim ea quæ lubricant & lentore suo obstant, ut secundo loco dictum est, partim adstringentia, tum viz. cùm jam incipit agere.

5. Est, quòd malignitate quadam indicibili principibus partibus bellum indicit. Hinc addimus cordialia, hepatica, stomach. &c.

Scammonium sive succus Scammoneæ densatus per coctionem aut etiam per macerationem paratus Diagridium appellatur. Confectio autem ejus per coctionem hæc est,

Accipitur Cotoneum, extrahiturque durior ejus illa pars media quæ semina continet (recisâ tamen superiori priùs laminâ) cujus loco in excavatam partem Scammonium inditur; mox laminâ quæ priùs fuerat recisa, pro cooperculo additâ cooperitur, triticeâque pasta circumquaque malo cotoneo obducitur ac ita coquitur in clibano. Pomo refrigerato Scammonium eximitur & usui reservatur.

Per macerationem paratur accipiendo Scammonii partes duas, succi Cydoniorum partem unam, & miscendo probè, deinde ponendo in locum calidum & quotidie movendo, donec mediocriter induretur ejus massa; è quâ fiunt pastilli qui quantum satis est exsiccentur.

Vera autem (inquit le Brun) Scammoneæ præparatio fit cum succo Limonum depurato, in quo dissolvitur in B. M. & fervens adhuc per linteum transmittitur, quo pacto crassa & impura ejus substantia, quæ nonnisi noxam parit, secernitur.

Quod ad electionem Scammonii attinet, optimum est quod ex Antiochia advehitur, nitidum, splendidum, (instar glutinis Taurini) citò liquescens, friabile, colore cùm frangitur fulvo, non valde ponderosum, tactu linguæ lactescens, nec vehementer calefaciens (nempe hoc Tithymali admixti argumentum est.)

At vulgare nostrum squalidum est & cinericeo colore & aspectu tristiore, quia non est liquor manans aut lachryma Scammoneæ, sed succus vi expressus, non ex radice tantùm sed ex tota planta.

Dosis Scammonii præparati à gr. vj. ad gr. xij. aut ℈j. Dioscorides & Ruffus usque ad ʒj. exhibent. Paulus & Aetius usque ad ℈ij. Quicquid sit Græcorum Scammonium fortè mitius erat, nec ut hoc tempore succo Tithymali adulteratum: standum itaque potiùs in dosi Mesue.

Scribit J. Bodæus à Stapel se sæpissime gr. xx. etiam xxv. cum violaceo syrupo, non sine felicissimo successu exhibuisse; pueris viij. x, xij. annorum grana x. xij, xv. non minori cum successu: quinquennibus gr. vj, septémve.

Consulo (inquit Fallopius) ut semper exhibeatis paucam quantitatem, quæ quantitas sit potiùs pro calcari: vocatur autem calcar pauca Scammonii quantitas addita medicamentis purgantibus pro rusticis, vel pro aliis robustioribus & cervicosis hominibus, aut etiam Monachis.

Denique cùm nulla providentia sit satis, moneo denuo (verba sunt Casp. Hofmanni in fine capitis de Scammonio) 1. Ne Scammoneata dentur illis, quibus ventriculus (comprehendo intestina) est debilis, quales ferè sunt hypochondriaci. 2. Ne calidioribus & qui ad febres proni sunt. Valdè enim turbant corpora. 3. Ne in specie iis qui faciles sunt ad lipothymias. 4. Ne substantia detur in jusculis.

Verùm quicquid hi contra Scammonium & Scammoneata declamitant, si modò Scammonium rectè præparetur, & debita dosi exhibeatur, non est aliud præstantius remedium quod certiùs & etiam tutiùs operetur, præsertim aliis medicamentis admixtum. Neque qui hujus usum reprehendunt, ullum aliud medicamentum invenire possunt, quod ejus loco substituant in tantilla quantitate adeò utile & proficuum, tantæ efficaciæ & tantarum virium. Audivi practicos nonnullos asserentes, se plus huic medicamento fidere quàm alii cuicunque cathartico; nec securos esse posse de operatione aliorum purgantium, nisi Scammoniæ tantillum iis admisceatur. Hæc autem ferè nunquam frustratur medicum, unde non immeritò aliorum medicamentorum calcar appellatur: Quæ diximus confirmat Clarissimus Vir Franciscus de la Boe * Sylvius (ut nos monuit D. *Soame*) Scammonium, inquit, blandè purgat, quicquid ganniant imperiti; testatur ubique Medicorum peritiorum experientia quotidiana. Ego certè post alios multos, aliquot millenis vicibus eo sum usus, sed semper cum successu optimo & operatione blanda.

* *Lib.* 1. *c.* 3. § 4.

Cæterùm Scammonium quadam latente totius substantiæ proprietate operari creditur: Nam gustu quidem nulla in eo caloris vehementia deprehenditur. Cuicunque siquidem liquori aut rei permisceatur, nullam ei vel amaritudinem, vel acrimoniam, aut alium ingratum saporem communicat.

Novi civem Ulmensem, qui toties recidivam hæmorrhoidum passus est, quoties medicamentum ore assumpsit quod ingrederetur vel Scammonium, vel folia Senæ. Horum usu interdicto ab acerbo hæmorrhoidum dolore per multos annos immunis saluberrimè vixit. E. Sculteti Armamentar. Chirurg. Obs. 76. D. *Tanc. Robinson.*

4 *Convolvulus Americanus Mechoacan dictus. Jeticucu Brasiliensibus seu Radix Mechoacan* Marggr. *Bryonia Mechoacana alba* C. B. *Bryonia alba Peruana sive Mechoacan* Park. *Mechoacan* J. B.

Marggr.

Caulis sarmentosus est, longissimè serpens & scandens, multangularis, lentus, ruffus, etiam viridis. *Folia* solitariè posita, quodlibet in suo pediculo digitum longo, figuram habens cordis uti pingitur, duabus ad latera auriculis, tenera ad tactum, unum, duos, tres & quatuor dig. longa, saturatè viridia, inferiùs nervo & venis transversis conspicua; nullum autem præter herbaceum habent odorem folia trita: Caulis verò incisus lacteum succum præbet. *Florem* fert Convolvuli magnitudine

dine & figurâ, unico folio constantem, album cum pauco incarnato dilutum, intus autem purpureum. *Semen* continet Pisi magnitudine, fusci coloris, verùm haud rotundum, sed quasi duæ particulæ exsectæ essent ita ut ferè triangularis sit figuræ. *Radix* medium aut integrum pedem longitudine æquat, crassities plerunq; eadem, & utplurimùm dupla & bifida est, una parte breviore altera, exteriùs obscurè cinerea seu fusca, recens resinam quandam fundit & est interius alba.

Hæc est descriptio Marggravii : cui ut oculato testi & veraci fidem potiùs adhibemus quàm aliis sibi minùs comperta ex aliorum relatu scribentibus: unde Mechoacanam veram & genuinam esse Convolvuli speciem minimè dubitamus: non autem Bryoniæ, ut vult C. Bauhinus : Nam quæ Monardes habet de fructu, Coriandri magnitudine, racematim cohærente, ex aliorum relatu scribit, non αὐτοψίᾳ edoctus.

Mechoacana sylvestris Monardis à descripta non aliter videtur differre quàm ut planta sylvestris à culta ejusdem speciei.

Missa sunt Clusio ex Hispaniis duo seminis Mechoacan genera; unum brevi calyculo sive siliquâ, semineque nigro, quale est Scammoniæ aut Convolvuli majoris : Alterum oblongiore aliquantum calyculo & semine ruffo, quàm superius longiore teneriore que; utriusque siliqua parte interiore lanuginosa erat. Posterior species fortè est quam Monardes describit, *flore* Mali aureæ, quinque petalis constante majoribus, subfusci coloris, è cujus umbilico protuberat calyx sive vesicula quædam Avellanæ magnitudine, membranâ constans tenui, albicante, quæ in duas cellulas tenuissimâ pelliculâ secretas dividitur, & in singulis bina grana, Ciceris exigui magnitudine, colore per maturitatem nigro, gustu insipido, continentur. Hæc etiam Convolvuli species videtur, quamvis (ut suspicor) flos minus rectè descriptus sit: semen etiam nigrum; quo differt à Clusiana secunda. Prior Clusii species eadem videtur Marggravianæ.

Mechoacana à provincia ubi primò reperta est nomen obtinuit: postea tamen in multis aliis Americæ Meridionalis regionibus, ut v. g. *Nicaragua*, *Quito*, *Brasilia*, inventa est.

Plantæ quas describit Fr. Hernandez pro radice Michuacanica *Tachuache* nomine, floribus oblongis, coccineis, fructu Peponis formâ & magnitudine, lanugine obducto candenti, ac semine albo referto, tenui, latóque non sine bombycinis quibusdam filis, argenteis & lentis, ab omnibus à Monardo & Marggravio propositis diversæ videntur, & Apocyno potiùs affines quàm Convolvulo.

Ex insula Novæ Hispaniæ Mechoacan dicta, unde delata est, nomen obtinuit hæc radix. De ejus facultat. libellum singularem edidit Æg. Everartus Antverpiæ, 1587. ut & Jac. Gorræus Gallicè Parisiis. De eadem satis prolixè agit Monardes in Simp. Ind.

Pituitosos, aquosos serosósque humores ex toto corpore, ac imprimis ex capite nervosóq; genere, ac pectore blandè ac sine molestia educit. Addunt alii purgando etiam partes roborare. Quin & bilem flavásque hydropicorum aquas purgat, ex quo ipso cognoscitur (inquit Casp. Hofman.) quàm non sit mite medicamentum.

Tussi veteri, colico dolori, arthritidi, Lui Venereæ plurimum confert. Quia tamen calida & sicca, monet Schroderus, ne in calidis constitutionibus ejus usus sit continuus.

Sumitur in substantia ferè tantùm, sumendo pulverem ipsius cum liquore idoneo, præsertim cum vino, quamvis etiam cum jusculo sumatur. In decocto non datur; nam experientiâ compertum est, coctione vim ipsius perire & exsolvi. Liquor non solus exhibendus est sed pulvis infusus. C. Hofm. liquorem etiam solum purgare scribit.

In pulvere servanda non est : ita enim ut in aliis vis ipsius facile exhalat. Pulvis sit crassiusculus.

Dosis à ʒß ad ʒj aut ʒij. Corrigitur cum Cinnamom. Anisi aut Mastich. tertia parte.

Eligatur recens, intus albicans non tamen candida, cortice cinereo tecta non curiosa.

5. *Convolvulus Americanus Jalapium dictus. Mechoacanna nigricans sive Jalapium* Park. *Bryonia Mechoacanna nigricans* C. B. J. B. *Jalapium* Ger. Jalap.

C. B. prod.

Radice est Mechoacannæ simili, sed cortice nigricante vestita, interiùs rufescens, quæ tessellatim incisa rotunda, magnitudine & figurâ calculo aleatorio respondens ex India Gelapæ sive Celapæ nomine allata fuit. Ab Alexandrinis & Massiliensibus Jalapium vel Gelapo vocitatur, & à Massiliensibus Mechoacanna nigra vel mas existimatur.

Gustu est non ingrato & gummoso, & ob copiosam gummositatem si carbonibus vel igni admoveatur flammam concipit [hoc se nunquam observare potuisse scribit Parkinsonus.]

Vires. Facultate vulgarem seu albam Mechoacam superat: nam ob gummi copiosum fortius humores serosos purgat, cum imi ventris levi dolore, & præcipuè viscera, hepar & ventriculum roborat. Quare drachmæ unius pondere exhibetur tutò, & sine fastidio opus suum exsequitur. [Cautiores in granis subsistunt; Schroderus non ascendit supra ʒß.]

Vis purgatrix potissimum in resina Jalapii consistit, ideóque monet Schroderus, si Jalappam adhibere volueris, vel in substantia, vel in extracto aut magisterio utaris. Vino enim si infundatur vires suas pro voto non communicat.

Jalapii plantæ descriptionem apud Botanicos non invenio.

A. 6. *Convolvulus major* J. B. *major albus* C. B. Park. *Smilax lævis sive lenis major* Ger. **Great Bindweed.**

J. B.

Radicibus albis, tenuibus, sub terra reptantibus, & subinde fibras agentibus, sapore acriusculo, latè se propagat. Longissimis & velut contortis tenuibus, striatis *viticulis* subsidio proximi cujusq; sustentaculi in altum nititur; ex quibus longis intervallis, pediculis unciâ longioribus hærentia prodeant *folia*, hederaceis longè majora, acuminata, duas alas hinc & hinc juxta pediculum promittentia, lævia, nitida, viridantia; ex quorum sinu profertur pediculus longus, singularis, cui insidet *flos* unicus, magnus, nivei candoris, calathi forma, cujus imum tubulum calix quinque foliolis oblongis compositus amplectitur. Duo insuper foliola oblonga, triangula, carinata, circa margines purpurascentia, florem antequam aperitur ceu folliculus excipiunt & occultant, ut & calicem flore dilapso. Tum *stamina*, tum *stylus*, tum eorundem *apices* albi. *Semina* in capitulo cerasi parvi magnitudine rotundo continentur fuliginosi coloris.

Ad sepes locis humectis frequens est. Superficies plantæ quotannis emoritur, radice vivaci. *Locus.*
Æstate floret. Radix ut & planta ipsa lacteo succo turgent, & gratum suibus alimentum præstant *J. B.* quod miror cum cathartica sit.

Convolvulus major albus maritimus, crassiori & auriculato folio, Helxine cissampelos Ad.

An à præcedenti specie differat, an accidentibus quibusdam duntaxat variat, inquirendum.
Vires huic plantæ ascriptas vide apud Botanicos. Catalogus plantarum Altdorffinus Mauritii Hofmanni *Scammonium Germanicum* ob vim catharticam appellat. Prævotius in lib. de Medic. Pauperum, inter benignè bilem evacuantia enumerat decoctum à M. j. ad M. ij. *Vires.*

A. 7. *Convolvulus minor vulgaris* Park. *minor arvensis* C. B. *Helxine cissampelos multis sive Convolvulus minor* J. B. *Smilax lenis minor* Ger. **Small Bindweed.**

Radicibus albis, lentis, tenuibus, raras fibras emittentibus longè latéque sub terra reptat. *Cauliculi* plures, tenues infirmi, vicinis plantis se circumvolvendo à sinistra dextram versùs in altum enituntur, interdum ramosi, aliàs cùm nihil in propinquo est quòd apprehendant in terram provoluti. *Folia* singulatim posita, pediculis longis, triquetra quodammodo, inferiora & majora unciam lata, sescunciam longa, angulis ad basin utrinque productis velut auriculata, glabra, per margines æqualia. *Flores* ex alis foliorum exeunt, in pediculis longis tenuibus bini plerunq; campaniformes, albi aut purpurascentes & interdum varii; *stylo* intus albo, bifurcato & *apicibus* purpureis: *calix* floris brevis, integer. Flori succedit *vasculum seminale* subrotundum exiguum, quatuor *semina* majuscula, angulosa continens. Tota planta lacteo succo turget.
In arvis & hortis vel cultis, vel neglectis, & ad vias frequens oritur. *Locus.*

A. 8. *Convolvulus arvensis minimus* D. Dent. **The least Bindweed.**

App. ad Cat. Cant.
Folia habet hæc planta angusta, cuspidata Sagittariæ ferè in modum, foliis Convolvuli minoris vulgaris multò minora: Flores etiam obtinet minores. Videtur itaque ab illo specie differre, quippe quòd cùm in eodem solo juxta crescant, supradictas tamen differentias sortiantur.
In arvis inter Harleston & Eversden parvam vicos, in Comitatu Cantabrigiensi Angliæ observavit *D. Dent.* *Locus.*

* 9. *Convolvulus minor Africanus* Park.

Foliis ad basin minimè divisis verùm integris & floribus purpureis à præcedente differt, cætera ei similis.

10. *Convolvulus Althææ folio* Park. *argenteus Althææ folio* C. B. Ger. emac. *peregrinus pulcher folio Betonicæ* J. B.

J. B.
Ex viticulis proxima fulcra arripientibus, tenuibus, pilosis, pedalibus aut cubitalibus, longis pediculis hærent *folia*, argentei coloris, splendido tomento villosa, infima quidem & radici (quæ tenuis summo cespite vagatur) proxima Betonicæ purpureæ foliis similia, sed multò minora, crispis serratisque marginibus, reliqua etiam laciniata & profundè incisa, gummosa Clusio, si gustentur, subacria & subamara. *Flores* inter Helxines Cissampeli & Smilacis lævis flores medii, his minores, illis majores, purpurascentes, calathi formâ, ex continuo unico folio conflati, longis pediculis hærentes, quorum basin ambit folliculus ex pluribus foliis compositus. *Radix* Clusio tenuis, exilis, fusca, per summos cespites repit, & subinde alias plantas producit.
In hac plantâ præcipuè notabile est, quòd non lactescat aliorum Convolvulorum modo.

* *Helxine cissampelos Dioscoridis* Zanoni.

Adeò in paucis à descripto differt, ut vix possum mihi persuadere specie distinctam esse. Viticulis tricubitalibus: foliis supernè viridibus, subtus albis, pilis brevibus, rigidulis oblitis, unde & ad tactum aspera sunt: reliquæ notæ conveniunt.

11. *Convolvulus spicæfolius* Park. *minimus spicæfolius* Ger. *Linariæ folio* C. B. *Volvulus terrestris* J. B. *Cantabrica Plinii quorundam* Clus.

J. B.

Ex *radice* crassa, lignosa & sicca, nigricante [Clusio candicante, singulari, infima parte ramosa] vivaci, multorum capitum, crebros, junceos, tenues *cauliculos* profert, duos vel tres palmos utplurimum longos, aliquando etiam cubitales, hirsutos, valentulos; per quos cernuntur nullo ordine *folia*, angusta, oblonga, pilosa, [Salicis foliis haud absimilia *Clus.*] gummosa siquis mordeat & nonnihil amara. Extremis ramulorum insident ex calyculis hirsutis *flores* ex albo purpurascentes, Helxines Cissampeli, Calathi figurâ, [unico folio constantes, sed ita implicato ut quinq; videantur, florum oris in totidem angulos desinentibus, & dum clauduntur complicatis. *Clus.*]

Locus. In Italia, Sicilia & Gallia Narbonensi vulgatissima est.

A. 12. *Soldanella marina* Ger. *maritima minor* C. B. *vulgaris sive Volubilis marina* Park. *Brassica marina sive Soldanella* J. B. Sea-Bindweed, Sea-Colewort, Scottish Scurvy-grass.

J. B.

Per terram suas spargit *viticulas*, à quibus *folia* prodeunt subrotunda, retusis alis prædita, latiora quàm longiora, Chelidonii minoris similia, crassiuscula, liquore lacteo manantia, pediculis longis innixa. *Flos* magnus, purpureus, quadrantalis ferè, campanulatus, non absimilis multùm floribus herbæ quæ pro Nil Avicennæ exhibetur, aut Smilacis lævis, indivisus. *Semen* in loculis rotundis non tantùm nigrum, sed & album, angulosum; [albo semine quæ sit nos nondum vidimus.] Gusta est salso, subamaro.

Locus. In litoribus maris arenosis frequens oritur, tum in Anglia, tum in exteris regionibus.

Vires. Herba in totum ventriculo inimica, acris, vehementissimè alvum ciet. Coquitur propter acrimoniam cum pingui carne. Validè aquas ducit, præcipuæ prærogativæ in ascite; utilis etiam in Scorbuto; utendi modus varius, siquidem folia ejus ex sale, aceto & saccharo acetarii modo ad quinque aut sex buccellas comesta, mirabiliter aquas per alvum educunt. Eadem in jure carnium cocta adjecto dein saccharo aut melle propinantur; Possunt & sicca in pulverem redacta ad ℥ij aut iij ex jure pulli bibi.

Fallopius asparagos hujus in hydrope commendat. Altomarius autem de Ascitis curatione agens, Quidam ait ex rumoribus succum marinæ Brassicæ cum Sapa seu aqua lactis approbant cujus usum non valdè admitto. Namque ventriculo mirificè adversatur, & ipse pluries experientiâ vidi noxam potiùs inferre quàm auxilium aliquod hydropicis præstare, imò quosdam citiùs periisse observavi.

Corrigitur stomachicis. Zingib. Mac. Cinnam. sem. Anisi, &c. Dos. in substan. à ʒß ad ʒi. *Schrod.*

* 13. *Soldanella maritima major* Park. *Soldanella vel Brassica maritima major* C. B. *Convolvulus marinus Soldanellæ affinis* J. B. The greater Sea-Bindweed.

J. B.

Hujus *folia* inferiora, quæ uncialibus pediculis committuntur, falcata Phyllitidis in morem sunt, adverso fine rotunda, vel lacunâ in medio exsculptâ corculum imitantia, sescunciam circiter longa, unciam lata, nervis obliquis à medio rectà in latus exporrectis: superiora verò folia Hemionitidis alterius peregrinæ Clusii modo, auriculis pulchris geminatis, (in quas nervi excurrunt) pinnata. *Flores* ex foliorum alis prodeunt magni, ut in Convolvulo majore. Pericarpium & semen ut in Soldanella.

Locus. In Regno Neapolitano ad mare provenit. *Imper.*

* 14. *Convolvulus marinus seu Soldanella Brasiliensis* Marggr. Brasilian Sea-Bindweed.

Marggr.

Ex *radice* lenta, longa, non crassa sed gracili, paucis fibris prædita, nigricantis exteriùs coloris, intus alba & Lactis glutinosi plena nascuntur aliquot *caules*, longissimè serpentes supra terram, qui hinc inde radices iterum agunt, teretes, lenti & virides. Adnascuntur illis *folia* alternatim posita, vel opposita, quodlibet suo pediculo quatuor aut quinque dig. longo insidens, obrotundæ figuræ, instar clypei stomachalis, lætè viride & aliquantùm crassum, elegantibus venis obliquis transcurrentibus, & nervo in medio. Hinc indè quoq; propè pediculum foliorum petioli florum prodeunt, tres, quatuor, quinque, interdum & unicum florem sustinentes, Campanulæ seu Convolvuli majoris figurâ, coloris dilutè purpurei, & in basi nonnihil albicantis: in medio visitur breve stamen ut in Convolvulis solet. In hoc flore interiùs quinquangularis repræsentatur stella, nam totus flos

flos superiùs quasi in quinque angulos desinit. Claudit se flos post meridiem. Tota planta copiosè lactescit, lacte glutinoso.

Parùm admodum si quid omnino differt à Soldanella vulgari.

15. *Convolvulus Siculus minor flore parvo auriculato* Bocconi. **Small blew-flowered Sicilian Bindweed.**

Cauliculos ab eadem *radice* plurimos promit prælongos, tenues, humi stratos, [præter medium firmiorem qui initio erigitur,] nisi in propinquo sint plantæ aut perticæ quas arripiant, tunc enim iis, à dextra sinistram versùs se circumvolvendo in sublime scandunt. *Folia* modicis intervallis singularia, longiusculis pediculis insident, figurâ ferè foliorum Violæ, nisi quòd acutiora sint & minora, circum oras æqualia, supernè lanugine quadam vix conspicuâ pubescentia, infernè canescentia. *Flores* ex alis foliorum exeunt, pediculis uncialibus tenuibus, singulares, campaniformes, pallidè cœrulei, omnium convolvulorum minimi. Ad basin calicis uniuscujusque floris apponuntur duo foliola oblonga, angusta, ceu auriculæ quædam. Flosculis succedunt vascula subrotunda, quadruplici loculamento quatuor singula *semina* continentia, majuscula angulosa, pulla seu ex russo nigricantia.

Annua est planta, per totam æstatem in Autumnum usque floret.

Circa Cataniam Siciliæ urbem frequentem observavit & collegit Paulus Boccone, circa Panormum etiam sed rariùs. *Locus.*

16. *Convolvulus trifolius sive hæderaceus purpur.* Park. *Convol. cæruleus* Ger. *cæruleus hederaceo angulosо folio* C. B. *Nil Arabum quibusdam sive Convolvulus cæruleus* J. B. *An Cocoztamatli seu lutea Tamatli Urinaria mirabilis* Hernandez?

J. B.

Tortilibus viticulis, tomentosis, proxima quæque arripiens in altum nititur, texturis topiariis peridoneus, nisi longiorem vitam teneritudo frigorum malè patiens negâsset. *Folia* palmum circiter lata, paulò longiora, formâ hederaceâ, in tres acutas lacinias sinuantur, lanuginosa, colore ex herbido in flavum vergente, priora ad folia Sigilli B. Mariæ accedunt: [folia Lob. ternis angulis singula in teneriusculis pediculis.] *Flores* Smilacis lævis cyaneo colore adblandiuntur. Extra tamen in singulas quinque laciniarum zona excurrit albida, quo etiam colore totum floris infundibulum tam extra, quàm intra cingitur, quinis foliis herbæ concoloribus obvallatum, in quo stamina & apices lactei altè reconduntur. *Semen* nigrum, angulosum, Viciæ magnitudine. *Radix* subest parva, fibrosa, lignosis nervulis, fractu contumacibus farcta, Cyclamen Hederámve annosam imitata, nonnihil hirsuta. *Quid sibi velint verba hæc postrema non satis capio, nisi fortè transposita sint.*

Flores noctu se aperiunt (unde Florem noctis vulgò quidam in Italia nominant) postridie vi Solis pereunt. *Gesn.*

Convolvulus hic (observante Parkinsono) circumvolutionibus suis motui Solis adversatur, seu contra motum Solis progreditur, quo cum aliis Convolvulis vulgaribus convenit. De loco natali nihil certi traditur.

17. *Convolvulus trifolius Virgineus* Park.

Foliis est præcedenti persimilibus, sed minoribus, segmentis seu angulis lateralibus rotundioribus, eorúmque etiam altero paulò longiore & deorsum reflexo. *Floribus* multò minoribus, & pallidè cœruleis cum marcescere incipiunt in purpureum saturatiorem mutantibus: *Seminibus* etiam minoribus.

18. *Convolvulus purpureus folio subrotundo* C. B. *cæruleus major rotundifolius* Park. par. *cæruleus folio rotundo* Ger. emac. *Campanula Indica* J. B.

J. B.

Congener videtur præcedenti, tortilibus flagellis, hirsutis, rubescentibus, circum perticas convolutis in altum nitens. *Folia* hæderacea sive Cyclamini, acuminata, qualia nempe primùm pullulantia esse solent præcedentis, ad pediculum unciâ longiorem, rubentem, hirsutum, falcata, subtus supráq; pilosa. *Flores* campanulati seu calathi formâ, calyci insident in quinque acutas lacinias diviso, villoso, nigricanti, tres ferè simul juncti in privatis pediculis unciam longis, è fastigio alterius communis pediculi palmum longi, è foliorum sinu exeuntis, enatis, speciosissimi, purpurei.

Semen ex Syria & Orientalibus delatum aiunt. Æstate floret, & Autumno semen perficit, deinde radicitus interit. *Locus & Tempus.*

Hæc planta Parkinsono in Theat. Convolvulus azureus sive cœruleus major dicitur, & Conv. cœruleus major fol. rotundo, sive Nil Avicennæ. Nonnullis *flos noctis* appellatur, quia flores ejus vesperi plerunque se explicant, totáque nocte aperti manent, donec tandem Solis calore contrahantur & marcescant.

19. *Convolvulus minor cæruleus Hispanicus* Park. parad. *cæruleus minor folio oblongo* Ger. emac. *peregrinus cæruleus folio oblongo* J. B. C. B.

C. B. prod.

Radice est singulari, oblonga rufescente, ex qua *caules* multi, tenues, pedales, interdum cubitales, flexiles, ramosi, levissimis pilis pubescentes prodeunt; quos *folia* oblonga, inferiora quidem uncias tres quatuórve, vix unciam lata, inordinatè vestiunt, quæ sensim minora redduntur, & per marginem leviter

leviter hirsuta sunt. Ex omnium ferè foliorum sinu pediculi tenuissimi, oblongi, exurgunt, quibus singulis *flos* cœruleus ad exortum pallidus, Campanulæ formâ, unico folio constans, & ex caliculo prodiens insidet. Floribus succedunt *capitula* membranacea parva, quibus semina parva nigricantia includuntur.

Flores hujus plantæ pulcherrimi sunt, & triplici colorum varietate spectabiles, circa margines cœruleo amœnissimo, media parte subluteo, fundo albo. [Moris. media parte albido seu ochroleuco, deinde ad fundum usque luteo.]

Locus. Multis Hispaniæ & Lusitaniæ locis sponte oritur. Nos in Sicilia ad Promontorium Pachynum invenimus. In Mauritania circa Tingidem urbem copiosissimum observavit *Robertus Spotswood* istius urbis pharmacopœus.

* 20. *Convolvulus minor argenteus repens Rupellensis* Moris.

Mor.

Humilis est hæc Convolvuli species, in terram procumbens, *foliis* longis, angustis, argenteis & omnino incanis: *floribus* campanulatis, rubris aut colossinis. Ex hac nota florum coloris, juncta canitie argentea foliorum angustorum & longorum nullo quasi negotio distinguitur à cæteris Convolvuli minoribus speciebus. Lacte turget ut congeneres pleræque. *Radice* est reptatrice.

Locus. Ad oram maritimam circa Rupellam provenit: semine raro ad maturitatem perducit.

* 21. *Convolvulus peregrinus cæruleus Elatine similis n. d.* Hort. Lugd. Bat.

Flores monopet. Semina in capsulis angulosis ut in aliis Convolvulis.
Ex Italia semina huc transferuntur.

22. *Convolvulus Indicus Batatas dictus. Batatas, Camotes Hispanorum* Clus. C. B. *Battatas Occidentalis Indiæ, & Inhame Orientalis Lusitanorum* Park. *Sisarum Peruvianum, seu Battata Hispanorum* Ger. **Spanish Potatoes.**

Tria hujus plantæ genera observavit Clusius, colore externo inter se differentia, etiam gustûs suavitate: nam aut cortex externus rubescebat quodammodo, sive purpurascens erat (& hoc genus præstantissimum judicabatur) aut pallescebat, aut albus erat: singula tamen genera albam interiùs carnem habebant.

Producunt autem illa, (Cucumeris sylvestris modo) sarmenta humi diffusa, satis crassa [tenuia *Margr.*] succulenta, lævia, viridia, [in terram subinde radices agentia *Margr.*] quibus ad unius aut duorum digitorum intervalla, pediculis duos, tres, quatuórve digitos longis adhærent *folia* utcunq; carnosa, Ari foliis seu potiùs Spinachiæ haud dissimilia, ex viridi utrinque canescentia. Florem an fructum ferat à nemine intelligere potuit Clusius: Margravius temere nimis ferre utrumlibet negat: *Radice* autem fit satio: ea plerunque dodrantalis est, grandis, librali pondere, inæqualis, cui raræ & breves adnatæ sunt veluti fibræ: binæ autem, ternæ vel plures ex eodem capite aliquando dependent radices, sisari radicum instar, [Oenanthes odore viroso æmulas *Moris.*] variæ figuræ, quædam enim quatuor, quinque, sex, digitos longæ sunt, Rapi instar crassæ, quædam rotundæ. Seritur vel integra si minor sit, vel in taleolas dissecta. Præbent de se succum lacteum incisæ.

Hanc plantam Convolvuli speciem esse verisimillimum puto, non tantùm ob sarmentorum & foliorum similitudinem & radicem lactescentem, sed & quia Fr. Hernandez cuidam hujus speciei, quam *Cacamotic Tlanoquiloni* seu Batatam purgativam vocat, flores malvaceos, i. e. ut se explicat, Caliculorum formâ vel cymbalorum, ascribit & appingit.

Usus. Coquuntur, aut sub cineribus assantur, súntque optimi saporis & præferuntur nostris Rapis. Modum condiendi vide apud Clusium.

Batata recens contusa & affusâ pauculâ aquâ macerata, seipsum fermentando fit potus quo Brasilienses utuntur.

Sponte nascitur in novo orbe & vicinis insulis, unde in Hispaniam primò, deinde in alias Europæ regiones delata est.

Alterius speciei meminit Marggr. *Omenapo Yeima* Brasiliensibus dictæ, quæ humi serpit, *caule* sarmentoso, viridi: *folia* habens cordis figura vel etiam aurita, solitariè posita, viridia, nervo & venis viridibus. *Radix* cruda est alba, sed cocta fit rubra, éstque utplurimum rotunda.

Tertiæ adhuc speciei *Pararo* dicta præcedenti similis, nisi quòd caule sit purpureo, & nervis atq; venis foliorum purpureis; itidem & radice.

* 23. *Cacamotic Tlanoquiloni seu Batata purgativa* Hernandez.

Hernand.

Folia fert Hederæ formâ, sed angulis quibusdam insignia; *caules* exiles, teretes & volubiles; *flores* malvaceos & purpureos, caliculorum formâ cymbalorúmve; *radicem* verò obrotundam, candentem & teneram.

Nascitur regionibus calidis temperatísque sponte sua, ac etiam culta pertinaci quadam vivacitate, quales sunt Pahuatlanenses & Mexicenses. Radices duarum unciarum mensurâ devoratæ cubitum tendenti alvum mira lenitate & securitate expurgant. Dulci sapore & grato constat nec Pyris nostratibus cedenti.

24. *Cara Brasiliensibus*, Inhame de S. Thome, *Congensibus Quiquoaqui congo* Marggr. *Igname sive Inhame Lusitanorum* Clus. *Rapum Brasilianum sive Americanum alterum* C. B.

Marggr.

Caule quadrato, ad angulos pennato, viridi, hinc indè rufescente, paululúmque contorto longissimè serpit super terram, aut etiam sepes ascendit, támque latè se propagat, ut integri hortuli duodecim decempedas in unoquoque latere habentis aream unica planta facilè occupet. Caulis enim & ramuli ejus hic illic terram contingentes radices agunt, quinimo quamvis terram attingere nequeant, nihilominus fibras hasce protrudunt, sed ob defectum nutrimenti ad justam magnitudinem nequeunt pervenire. In caule septem, octo aut novem digitorum interstitio duo pediculi enascuntur oppositi, quinque aut sex dig. longi, itidem quadrati & pennati, quibus insident *folia* Sagittalis nostratis aut Vomeris, posteriori parte circinati figurâ, novem aut decem dig. longa, circiter sex lata ubi latissima: læta viriditate splendentia, satis solida, septem aut novem nervis ex pediculi insertione prodeuntibus, & per longitudinem excurrentibus, inferiùs prominentibus, superiùs profundè jacentibus; in extremitate sunt acuminata, acumine molli, digitum longo, ut in vomere, prominente. Copiosum liquorem aqueum fundit caulis incisus instar lachrymarum vitis. *Radix* crassa est plus uno pede, octo, novem, & duodecim digit. longa & plus quoque, cuticulâ ex cinereo fuscâ vestita, sub qua flavescit, intus carnem albam, succulentam & quasi lactescentem habens, non ingrati saporis. [*Radices* Clusio scabro & inæquali cortice tectæ, ut Aristolochiæ longæ legitimæ radices, & multis exiguis fibris sparsim nascentibus præditæ.] Cocta cum butyro, vel oleo & pipere condita bene sapit, sicca tamen est, & farinam refert, unde & pro pane à Guineensibus usurpatur. *Flores* velut in spicis gerit è superiore parte caulium egressis: verùm Marggravio nec semen perfecit, nec flores explicuit, unde ad quod genus plantarum referri debeat nobis nondum certò constat.

Clusius alterum genus agnoscit à priore differens cortice inæquali & tuberculis obsito, cum viticulis spinosis, quam *Team Peru* nominant. Marggravius quoque aliud, *Cara-inambi* Brasiliensibus dictum, *caule* longè serpente qui *folia* habet hinc inde solitariè posita, quorum quædam sunt cordis figurâ, quædam insuper aurita, nervo secundùm longitudinem & venis obliquis conspicua. *Radix* illius est candida.

25. *Convolvulus heptaphyllos Indicus pilosus* Breynii.

Breyn.

Flagella ei rotunda & cava, res quas arripere possunt circumplectentia: quibus *folia* longis pediculis adhærent, profundè in lacinias septem speciosas, inferiùs angustas, ad medietatem sensim latiores, & postmodum rotundiores, tandem in acuminatas desinentes distributa. *Flores* concavi & monophylli aliorum Convolvulorum more perhibentur. Planta tota villosa est, parte inprimis foliorum prona, & in sarmentorum summitatibus.

Locus. Insulæ Zeilan indigena est.

26. *Convolvulus Brasiliensis quinquefolius* Marggr.

Marggr.

Frutices atque arbores ascendit, iisque se implicat, *caulem* habens rotundum, uno latere plerunq; brunnum, altero viridem, per totum autem punctis brunnis undique variegatum & pilosum: intervallo autem semipedis ferè in caule ad latus extenditur semper ramus satis crassus, semipedem circiter longus, itidem hirsutus, qui subrotunda & quasi turbinata corpuscula, suis pediculis innitentia & hirsuta sustinet, quæ sese aperientia *florem* exhibent candidum, uno folio constantem instar Campanulæ: in eodem autem puncto è quo prodit pediculus qui florem sustinet, etiam pediculus ejusdem crassitiei, ac quatuor circiter dig. longus enascitur, quinque folia in orbem disposita sustinens ut in Pentaphyllo ad tactum mollia, superiùs viridia, inferiùs subalbicantia, ac ubique pilis albicantibus prædita.

27. *Totoycxitl seu Pes passerinus* Hern.

Hernand.

Folia producit Passeris pedibus similia, sinuosa nempe & in quinque aut plures cuspides more Quinquefolii aut Heptaphylli divisa. *Radicem* fundit ovis gallinarum Pyróve formâ & magnitudine similem, lacte affluentem, ex qua *caulem* profert teretem lentum, repentem humi, aut plantis vicinis sese advolventem. *Florem* Malvæ purpureum sed minorem.

28. *Convolvulus foliis laciniatis vel quinquefolius* C. B. *Ægyptiacus quinquefolius C. Bauhini* J. B. *major Arabicus sive Ægyptius* Park.

C. B. prod.

Viticulis est tenuibus, geniculatis, lævibus: ex quolibet geniculo *folium*, longo tenuissimo pedicello donatum prodit, quod in quinque lacinias angustas longiusculas dividitur, & quandoque inferior una alteráve bipartitur, & cuilibet laciniæ tenuissimus mollisque aculeus insidet. Supra folii exortum, pedicellus æquè tenuis, duarum triúmve unciarum longus & nudus exurgens *florem* purpuro-cœruleum, aliorum Convolvulorum formâ sustinet. Hujus ramulum tantùm vidit C. Bauhinus. A Pr. Alpino in Exot. describitur Convolvuli Arabici titulo, éstque proculdubio

* Notis in Alp. de Plant. Ægypt.

Convolvulus Ægyptius * Veslingii.

Ex cujus descriptione, eleganti sanè & ornata, nonnulla excerpemus.

Fruticat à *radice* lignosa, longa, fibratâque, cortice pallido, nodulis innumeris scabro, quorum operâ facili reptatu, adminicula omnia transcendens, quocunque trahes retrahésque sequetur. A caudice virgulæ exeunt numerosæ & lentæ, prompto flexu ductoris arbitrium admissuræ. *Folia* longulè productis petiolis insidentia, lætóque virore grata, septenis laciniis profundè discriminantur, quarum inferiores additamenta quoque sua nactæ sunt. *Flos* vulgatis Convolvulis amplior, collectus primùm contractúsque donec resupinis oris amœnam cœruleámque purpuram explicat: sinum obscurior inumbrat color, in quo brevis exurgens columella lepidum caput innumeris staminulis & appendicibus onerat. Flos discussis umbris à Sole expergefactus sese dilatat, eodem in meridie inclementiùs radiante collectis oris connivet. Emerito flore *capsulæ* sese proferunt Lini capitula æmulantes, in quibus terna vel quaterna semina, orobi magnitudinem haud superantia, fusca levitérque lanuginosa reconduntur.

Vix cultior est hortus in Ægypto cui non ornamentum commodet.

29. *Quamoclit* J. B. *Jasminum Millefolii folio* C. B. *Convolvulus tenuifolius sive pennatu sAmericanus* Park. *Quamoclit sive Convolvulus pennatus* Ger. emac. App.

J. B. Col.

Planta est anadendras, *foliis* prodiens oblongis & latiusculis, initio binis sibi invicem conjunctis, Aceris fructus referentibus, quæ diu durant, etiam sese perticæ involvente jam ipsâ plantâ; reliqua folia viticulis purpurascentibus [atrorubentibus] alternatim hærent, pinnata, tenui admodum divisura [Myriophyllo alteri apud Matthiolum similia] obscurè virentia, sed tenella pallentia, paucis primùm lobis seu pinnis, deinde pluribus utrinque ad terdenos usque, & unico in summo; at priores lobi bifurcantur. *Flores* elegantissimo rubore placent, in quinque angulos collectis oris Peti similitudine aut Jasmini albi vulg. longo petiolo hærentes interdum singuli, alias bini, alternato situ ex geniculis viticulorum prodeuntes, *apicibus* quinis pallidis. *Fructus* oblongus acuminatus ex squammoso calice exit, cartilagineo cortice, Convolvulorum modo, *semina* quatuor continens oblonga, nigra, dura. Sapor ipsius herbæ est subdulcis & modicè nitrosus: capsulæ verò nonnihil Piper seu brasma Piperis gustatu referunt, ut & *semen*, quod parùm abest quin haud minore caliditate fauces nonnunquam afficiat. Lacte quidem turget dilutiore. Perticis aut plantis vicinis se circumvolvendo scandit Convolvulorum more.

Tempus & Locus. Augusti fine floret, & Septembri deinde fructus perficit. Americæ indigena habetur.

Quamoclit plantam novam ex India allatam Cæsalpinus primus Gelsemini rubri alterius nomine breviter descriptam exhibuit: post eum Camerarius in horto & figuram & descriptionem ejus dedit sub titulo Quamoclit: eum secutus F. Columna accuratiùs descriptam & depictam edidit: tum J. Bauhinus, & tandem Parkinsonus & Johnsonus apud Gerardum, ut alios taceam. Vidi Florentiæ in horto magni Ducis.

* 30. *Convolvulus Africanus minimus* Park.

Moris.

Hic non scandit, sed aut humi cauliculi sternuntur, aut aliquando erecti stant. *Folia* sunt minima, subrotunda, plurimis venis à nervo medio ad marginem foliorum tendentibus donantur singula, & juxta appositionem singulorum foliorum alternatim positorum conspiciuntur petioli indidem exorti unciales, sustinentes *flosculos* campanulatos. Singulis floribus marcescentibus & decidentibus succedunt exiguæ *capsulæ* subrotundæ, tribus loculamentis separatæ pelliculâ membranaceâ trifariam ea dividente, atque in singulis bina minuta, angulosa interiùs, exteriùs rotunda continentur semina.

Locum titulus indicat.

* 31. *Convolvulus ramosus incanus foliis Pilosellæ* C. B. *Convolvulus ramosus minor* Morisoni; *Helxine cissampelos ramosa Cretica* Ponæ Ital. Park.

Moris.

Hic à cæteris omnibus antedictis hac notâ speciali distinguitur, quòd singuli *cauliculi* in plurimos ramos bifurcationibus suis findantur, atque ex sinubus inter caules & folia protrudantur *flores* campanulati, quibus succedunt capsulæ & semina, cæterorum convolvulorum similia.

Nihil habet, neq; de foliorum formâ, neq; de florum colore, neque de semine, neque de loco natali, nisi quòd inter Convolvulos peregrinos eum reponat, quæ omnia adjecta oportuit. Supple ergo ex Parkinsono, qui descriptionem suam puto ex Italica Baldi editione *Ponæ* transtulit (nam liber ille ad manum non est.) *Folia* parva, ad singula genicula bina, pilosa, Auriculæ muris vulg. valdè similia, superiora in caulibus minora. *Flores* ampli, pallidè rubentes, Convolvuli minoris in modum expansi: *semina* nigricantia aut fusca. *Radix* fibrosa annua.

Locus. Planta Ponæ visa & descripta Cretæ insulæ originem suam debuit: alibi etiam inveniri verisimile est hanc speciem.

* 32. *Convolvulus Brasiliensis* Marggr. *foliis Smilacis in longis pediculis.*

Marggr.
Humi serpit *caule* cavo, qui hinc inde *folia* obtinet in longis pediculis posita, cordis figurâ atque Smilacis æmula. *Flos* albus magnus, instar orbis mensarii minoris, uno tenui folio constans, in quinque angulos expanso, substratâ pallidâ stella quinquangulari. Sine odore est, nec lactescit hæc planta.

* 33. *Convolvulus Brasiliensis foliis cylindraceis in brevibus pediculis* Marggr.

Marggr.
Longè serpit *caule* suo sarmentoso, cinereo, paullùm piloso, qui duorum circiter digitorum intervallo *folium* habet brevi pediculo insidens, quatuor plus minùs digitos longum, figuræ cylindraceæ, nervo secundùm longitudinem, & venis aliquot obliquis conspicuum, pallidè viridis coloris. Prope quodlibet autem folium exoritur brevior pediculus, sustinens tria foliola figurâ cordis, quibus insidet *flos* Campanulæ figurâ, albus & in medio sex *stamina* alba habens, apicibus Ambræ coloris.

34. *Convolvulus rectus odoratus* Ponæ, *major, rectus, Creticus, argenteus* Moris. *Dorycnium Creticum Alpini*, Park. *Dorycnium Imperati* J. B. *Cneoron album folio Oleæ argenteo molli* C. B.

Mor.
Herba est fruticosa, multis ab eadem radice *caulibus* simplicibus, rectis, incanis ornata, altitudine cubiti: numerosis *foliis*, Oleæ figurâ, eosdem circundantibus, angustioribus, molli lanugine tectis & quasi argenteis, unde Argentinam vocant vulgò: in summis virgis, bicubitalibus & tricubitalibus & altioribus in hortis benè stercoratis, coma est prædensa, in qua *flores* candidi, calathi effigie, & fructus Convolvuli minoris instar: Lacte caret aut modicum tribuit. Etiamsi caules edat rectos, non verò scandentes, etiam parum aut nihil lactis habentes, in siccis & aridis arenosis proveniens, tamen propter conformitatem in floribus campanulatis, capsularumque triplici divisura, & seminibus binis in singulis loculamentis contentis cum cæteris Convolvuli speciebus, aptiùs hîc collocatur quàm inter Dorycnia dicta aut Jaceas.
Hyeme folia minimè abjicit, sed perpetua fronde viret.
Nascitur in Cretæ insulæ locis maritimis autore Pr. Alpino, à quo inter exoticas exactiùs describitur. *Locus.*
Ob notas characteristicas communes, quamvis non scandat, Convolvulis subjunximus.

* 35. *Convolvulus ramosus incanus foliis Pilosellæ* C. B. *Helxine cissampelos ramosa Cretica* Park. Ponæ Ital.

Pon.
Caulis huic in multos ramos diducitur, in ramulos minores subdivisos, *foliis* ad singula genicula binis, incanis & pilosis Auriculæ muris persimilibus vestitos, superioribus minoribus: *Flores* ampli colore incarnato, Convolvuli minoris similes: *Semina* in capsulis subrotundis singulis singula, nigricantia. *Radix* valdè fibrosa, annua tamen.
Si perpetuum ei sit in singulis capsulis singula duntaxat semina habere, à reliquis Convolvulis genere differt.

CAP. V.

De Herbis flore monopetalo uniformi, vasculis seminalibus divisis in loculamenta terna, lactescentibus.

HÆ in quinque genera vel classes dividi possunt.
Vel enim flore sunt Campanam referente, margine in quinque plurimùm lacinias secto: vel flore *corniculato*, flosculis parvis in florem quendam totalem constipatis, quæ *Rapunculi corniculati* vocantur: vel flore *galeato*, ut in Trachelio Americano ruberrimo dicto. Primum genus vasculi seminalis respectu dividi iterum potest in eas quæ vasculum habent breve & habitius, sive folio hirsuto sint *Trachelia* dictæ, sive glabro; *Campanulæ*: & eas quæ vasculum habent oblongum, & in siliquam productum; *Speculum Veneris.*
Omnibus his plantis commune est capsulam seminalem habere in terna loculamenta divisam, seminibus plurimis, lucidis ruffis repleta; florem fructui insidentem; succo lacteo scatere.

§. 1. *De Trachelio sive Campanula hirsuta.*

Trachelium dicitur quòd in colli affectibus commendetur; hinc Cervicaria, imò & Uvularia & à forma Campanula C. B. vel ab asperitate Trachelium dicitur. Τράχηλος enim à Græcis vocatur collum, atque adeò tota spina à capite usque ad os sacrum ἀπὸ τῆς τραχύτητος, ab asperitate, quæ nominis ratio & huic plantæ convenire potest, inquit J. Bauhinus.

A. 1. *Trachelium*

A. 1. *Trachelium majus Belgarum* Park. Lob. Cluf. *majus Belgarum five giganteum* Ger. emac. *Campanula maxima foliis latiffimis* C. B. *pulchra à Toffano Carolo miffa* J. B. *item Trachelium candidum Anglicum majus, foliis ferè Digitalis vel Campanulæ* J. B. Giant Throatwort.

J. B.
Hujus *radix* non altè quidem in terram demittitur, fed innumeris tamen fibris latè cefpitem occupat, candicantibus, lactifluis, dulcibus: *Caules* complures, duorum aut trium cubitorum altitudine, concavi funt, minimi digiti craffitudine, ftriati, minimùm hirfuti: *folia* Urticæ, Campanulæ majoris quidem formâ, hirfuta, palmari & fefquipalmari longitudine, latitudine palmari [folia noftratis Trachelii gigantei infra eam magnitudinem fubfiftunt, quatuor uncias longa, fefcunciam aut duas uncias lata, rugofa] in ambitu ferrata, alternatim ex certis intervallis cauli apponuntur: ex quorum alis fingulis finguli *flores*, partim furfum vergentes, & partim deorfum inclinantes ex brevi pediculo purpurafcente, albidi cum cœruleo, calathi effigie, in quinque lacinias longas, acutas, & interdum extrorfum reflexas partiti, foris glabri, intus hirfuti oriuntur: *apicibus* totidem luteis, *ftylo* dilutiore, qui fupremâ parte in tres partes finditur, quæ circumflectuntur. *Calix* quinque cufpides longos habet. Flore marcefcente fuccedit magnum capitulum, Mefpilo fimile, deorfum inclinatum, in quo *femen*.

Lobelius hanc plantam bis exhibet eodem in loco, nimirum *Obf.* p. 177. fub titulis 1. *Trachelii majoris Belgarum*, & 2. *Anglici Septentrionalis majoris Trachelii candidi*: ut facilè effet probare, fi operæ pretium foret. Gerardus quoque noftras bis eam defcripfit & depinxit: verùm error ifte in Gerardo à Tho. Johnfono emaculato detegitur & corrigitur.

Locus. In Septentrionalibus Angliæ montofis, agro v. g. Derbienfi, & Eboracenfi copiosè provenit.

Variat floris colore, nam in montibus propè maximum Carthufianorum cœnobium faturatiore cœruleo floris colore obfervavimus, nulla aliâ in re à noftrate diverfum, flore albo etiam in hortis fatum variat.

2. *Campanula hortenfis folio & flore oblongo* C. B. *Viola Mariana* Ger. *Mariana flore purpureo* Park. *Mariana Dodonæi, quibufdam Medium* J. B. Coventry Bells.

J. B.
Radix vefca, dulcis, alba, longa, craffa: quæ *caulem* emittit plufquam bicubitalem, teretem, hirfutum, afperum, in ramos divifum. *Folia* Trachelii majoris, anguftiora, longiora, hirfuta, crenata, & modicè per margines crifpa. *Flores* ramorum extremitatibus infident, Calathi feu Campanæ formâ, majores quàm Trachelii, ventriofi, oris in quinque lacinias exteriùs reflexas divifis, colore cœruleo feu violaceo, rariùs purpureo, aut albicante, in quorum medio *ftamina* latent lutea, *ftylufque* erectior, luteo pulvifculo refperfus.

Infidet autem totus flos *calyculo* crebris thorulis hirfutis inæquali, in quinque acuminata foliola floris lateribus appreffa diffecto. *Semen* exiguum fpadiceum.

Secundo poftquam fata eft anno caulefcit, cúmque femen perfecerit perit, & deciduo femine fe renovat.

Locus. Nafcitur (ut aiunt) in fylvis & montibus, necnon in opacis quibufdam tractibus, plerifque Italiæ & Germaniæ locis. *Matth.* Nobis neque in Italia, neque in Germania occurrit.

Vafculi feminalis refpectu à reliquis hujus generis differt, quod in quinque loculamenta divifum obtinet.

* 3. *Medium Diofcoridis Rauwolfio* J. B. *Viola Mariana laciniatis foliis peregrina* C. B. *Vi. Mariana peregrina* Park.

Rauwolf.
Violæ Marianæ perfimilis eft planta, nec ita obvia cuivis differentia apparet præterquam in foliis, quæ in hac divifa magis, Cichorii inftar. *Flores* etiam magis panduntur, octo foliolis in orbem difpofitis conftantes. *Radicis* aufteritas major quàm capitulorum feminum, quæ tamen nondum erant matura.

Locus. Inter fruteta fepéfque in altum affurgit, in profunda, tenebrofa & afpera valle Libani.

Floribus in octo foliola expanfis non folùm à Viola Mariana differt, fed à quavis alia Campanulæ fpecie; eæ enim omnes in quinque tantum fegmenta marginem partitum habent: ut mihi dubium fit an omnino ad hoc genus pertineat.

A. 4. *Trachelium majus* Ger. *majus flore purpureo* Park. parad. *Campanula vulgatior foliis Urticæ major & afperior* C. B. *Campan. major & afperior folio Urticæ* J. B. Great Throatwort, or Canterbury Bells.

J. B.
Multùm ad Violam Marianam accedit. *Radix* alba, vivax, Rapunculi fapore, non minùs grato. *Caules* cubitales [imo bicubitales non raro & altiores, minimi interdum digiti craffitudine, ftriati, concavi, purpurafcentes] hirfuti: in quibus alternatim nafcuntur folia Urticæ, pilofa, acutiora, [inferiora longis pediculis hærentia, fuperiora brevibus] *Flores* ex foliorum alis cœrulei aut violacei, interdum albi, nolæ fimiles, interiùs pilofi, calyce parvo, non ut in Viola Mariana torulis cannulato, in lacinias quinque acutas, ficuti & flores, divifo. *Stylus* triceps, furrectior, colore albido, *ftaminulis* circumftipatur quinque luteolis. *Vafculum feminale* ut in reliquis hujus generis.

In sylvosis & ad sepes frequens oritur. Variat interdum floris colore albo. Alitur etiam in hortis curiosorum Trachelium majus flore pleno seu geminato albo & purpureo. **Locus.**

Meminit Dodonæus speciei cujusdam, foliis aliquanto lævioribus, floribus elegantioribus, coloris purpurei è cœruleo: quæ *C. Bauhino* Campanula urticæ foliis oblongis minùs asperis.

Planta tota, sed præcipuè radix astringit & exsiccat, ideóque decoctum illius ad incipientes oris & tonsillarum inflammationes & exulcerationes, aliáque ejusmodi mala quæ adstrictione indigent confert. Utilis etiam est haud dubiè ad alia quævis ulcera ob insignem quem obtinet in exsiccando facultatem. **Vires.**

Radix alba, tenera, in acetariis apta jejunio verno præsertim. *Lob.*

* 5. *Trachelium sive Cervicaria major lævior, flore albo magno* J. B.

J. B.
Foliis glabris differt multùm à nostrâ Campanula majore & asperiore, ea enim vix apparentes habent pilos: serraturæ etiam minores, nec ità inæquales. *Flos* Campanulæ, alioqui magnus, albus. Tota planta prædicta minor atque tenerior apparet.

Plantam habuit ab Agerio *Cervicariæ majoris flore albo* nomine: de loco nihil addit.

6. *Campanula repens flore minore cæruleo* J. B. *Camp. hortensis Rapunculi radice* C. B. *Cervicaria* 4. Dod. *qui eam rectè descripsit.*

Persimilis est hæc planta præcedenti [Trachelio majori] in nonnullis tamen manifestè differt. Viz. 1. Quòd caules ejus teretes sint & ferè glabri, Trachelii verò majoris angulosi & hirsuti. 2. Quòd in hoc *flores* minores longa serie versùs unam duntaxat partem vergant, cùm in Trachelio quaquaversum diffundantur, & spica multo brevior sit. 3. Quod flores in Trachelio pluribus & longioribus intus pilis obsiti sint, in hoc paucis & brevioribus, quódque Trachelium in eodem communi pediculo duos trésve flores plerunque appensos habeat, cùm Campanula isthæc ut plurimum unum duntaxat. 4. Quòd in Campanula flores deorsùm nutant, in Trachelio erectiores sunt. 5. Campan. mirificè per radicem serpit, Trachelium non item. 6. Denique Trachelium robustior est planta & procerior, ejúsq; folia profundiùs serrata & longioribus pediculis fulta, eáque è quorum sinubus flores exeunt quàm in illa majora.

Hanc plantam in monte *Salevæ*, inque agris non procul Geneva versùs oppidum *Jay* copiosè crescentem observavimus. **Locus.**

* 7. *Campanula sive Cervicaria Bononiensis parvo flore* J. B.

J. B.
Caulis huic plusquam bicubitalis, rotundus, fungosus, nonnihil asper. *Folia* per caulem sine pediculis hærent, eum ferè amplectentia, in quo differt à præcedente, sunt etiam iis latiora, latitudinis pæne trium unciarum, longa quatuor plus minus, serrata, inferna parte albicantes pilos habent, valdè exiguos: Summitas quæ floribus vestita pedalis est, & quamplurimis abundat Campanulis, quibusdam ex brevibus pediculis cauli hærentibus, aliis ramulis brevibus duarum aut trium unciarum.

Ab Agerio siccam habuit. Circa Bononiam copiosè provenire dicitur. **Locus.**

* 8. *Campanula foliis subrotundis* C. B. *Trachelium subrotundis foliis* Park.

C. B. prod.
Ex *radice* tenui, repente *caulis* sesquipalmaris, levi lanugine pubescens exurgit, quem *folia* pauca subrotunda, uncias duas pænè longa lataque, pediculo oblongo donata, tenuia, subaspera, per ambitum crenata cingunt: in caulis summo *flores* pauci, dilutè cœrulei Campanulæ formâ, deorsum pendentes, ex quorum medio stylus exurgens extra florem fertur.

Hæc à Campanula hortensi Rapunculi radice differre videtur altitudine, foliorum longitudine, florum magnitudine & numero, quæ pro radicibus multas tenues, transversas & obliquè repentes fibras habet, à quibus *radices* longæ, candidæ Rapunculi similes demittuntur.

* 9. *Campanula Drabæ minoris foliis* C. B. Park.

C. B. prod.
Ex *radice* Rapunculi minoris forma *caules* sesquipalmares, lanugine levissimâ aspersi prodeunt: quos *folia* Drabæ minoris foliis similia, subrotunda, viridia, unciam longa, semunciam lata, per ambitum crenata, & in acumen fastigiata, subaspera, pediculis carentia alternatim vestiunt. *Flores* pauci, subcœrulei, sexanguli [hoc præter aliorum hujus generis normam; fortè error est in numero] calathi formâ, mediocri magnitudine, & pediculis oblongis donati, summo cauli insident.

In pratis circa Valesianorum thermas copiosè provenit. **Locus.**

* 10. *Campanula foliis Echii, floribus villosis* C. B. *Trachelium foliis Echii* Park.

C. B. prod.
Ex *radice* oblongiuscula *folia* angusta, quatuor aut quinque uncias longa, subaspera prodeunt, inter quæ *Caulis* palmaris, rariùs pedalis, rotundus, subasper, paucis, brevibus & angustis *foliis* vestitus

exsurgit; ex cujus summitate *flores* unciales, lati, Campanulæ formâ, quini, seni, cœrulei, alternatim dispositi brevibus pediculis dependent, quorum extremitates, quemadmodum & calices pili oblongi, pappi instar ambiunt.

Locus. Hæc in Baldo reperitur, & Helvetiorum Alpibus, Gothardo & monte Fracto.

Alia species. Hujus & minor species, quæ minùs hirsuta, semipalmaris *foliis* brevibus; cauliculo gemino, ex quorum quolibet reflexo *flos* unicus ille tamen minor, dependet.

Ex Helvetiorum Alpibus allata est.

* 11. *Trachelium altissimum, hirsutum asperius, foliis angustis, floribus parvis* J. B.

J. B.

Radice crassâ nititur & subdulci: *Caulem* erigit bicubitalem vel tricubitalem, crassiusculum, hirsutum, *foliis* ornatum angustis, longis, ad Echii folia accedentibus, asperis. *Flores* confertim conglomerantur ut in Trachelio minore, Campanulati sed minores, cùm tamen planta major.

Inter Sultz & Zenne Alsatiæ urbes, invenit descriptionis autor J. Bauhinus, mense Julio florens.

* 12. *Trachelium saxatile foliis Pulmonariæ Gallorum* C. B. *Saxatile spicatum* Park. *Rapunculus Saxatilis sive pyramidalis alter* Ger. emac.

Clus.

Radicem habet candicantem perennem, unde persiliunt interdum plures *cauliculi* teretes, inæquales & contorti, palmares aut breviores longioresve pro vetustate plantæ aut loco in quo nata, candidâ lanugine tecti, singulis annis pereuntes, novis sequente renascentibus qui summo fastigio multis elegantibus *floribus*, cœruleis, spicæ in modum digestis sunt ornati, ut in Trachelio min. quibus succedunt *vascula* etiam illius similia, minutissimo *semine* plena, longiusculo tamen potiùs quàm rotundo, coloris ex spadiceo fusci. *Folia* inæqualiter hinc indè sparsa caules ambiunt, ad Pulmonariæ Gallicæ foliorum similitudinem satis accedentia, cùm magnitudine, tum crenarum in ambitu formâ, atque ipsa etiam candidâ lanugine fermè obsita, pronâ præsertim parte. Tota planta lactescit, & ad Sonchi odorem proximè accedit, saporéque est dulci, præsertim radix, ut pænè Rapunculus vulgaris.

Locus. Nascitur in asperis & saxosis montibus Brixianis, circa specuum oras, inter durissima saxa, ut non sine magno labore radices erui possint, nec usquam observavit F. Gregorius de Reggio Capuccinus, nisi in locis cavernosis ubi nullæ aliæ plantæ proveniant, nec humor penetret.

* 13. *Trachelium majus petræum* J. B. Ger. emac. *petræum majus globosum* Park. *Campanula Alpina sphærocephalos* C. B.

Pon. J. B.

A *radice* lignosa & rugosa, colore pallido purpurascente exeunt *cauliculi* multi, striati, subhirsuti, cubitales & cum rubore virides, [crassi, firmi, lignosi, incano tomento pubescentes, in ramos nullo ordine divaricati *J. B.*] qui inordinatè emittunt *folia*, oblonga, crenata, nigricantia, suâ pariter hirsutie communita, parte prona potissimùm, ubi etiam albicant, & Salviæ folia referunt, magis tamen angusta & mucronata [quædam uncialia, longiora etiam, semunciam ferè lata, quædam breviora & angustiora præsertim quæ in summo constituta. Quæ verò ramis hærent prædictis multis numeris minora]. In summo caule sunt *flores* multi, acervatim congesti, & inferiùs ex eodem globuli quidam, at minori numero; & inferiùs adhuc inter caulem & folia alii, & adhuc pauciores, formam repræsentantes florum *Umbellatæ Cervicariæ* Penæ, sed minores, albi, in quinque & quandoq; septem mucronatas scissuras divisi, è quorum centro multa exeunt *stamina* sublutea, quorum unum modo proboscidis egreditur, versùs cacumen satis crassum, quod dum maturatur bifurcatum & aduncum evadit.

Tempus & Locus. Decedente Augusto florens conspicitur, atq; talis per plures dies conservatur, unde Pona semen observare non potuit. Inter rimas illorum asperrimorum lapidum Baldi solùm circa Coronæ Templum pullulat.

14. *Trachelium* ἀγχουσοειδὲς Clus. *spicatum tenuifolium* Park. *Alopecuros Alpinus quibusdam, Echium montanum Dalechampii* J. B. *Echium Alpinum luteum* C. B. ejusdemq; *Campan. foliis Echii.*

J. B. Clus.

Pollicaris crassitudinis habet *radicem*, sensim gracilescentem, palmo longiorem, in apophyses aliquot abeuntem, teneram, rubentem rugoso cortice tectam. *Caulis* dodrantalis aut pedalis, crassitie respondet radici, firmus, cavus, singularis, hirsutus, crebris *foliis* vestitus, aliis palmum ferè longis, aliis brevioribus, potissimùm superioribus, latitudine semunciali, hispidis, ad Echii folia accedentibus. Thyrsus seu potiùs *florum* inter foliola latentium, pulcherrimo ordine dispositorum, Trachelii aut Rapuntii floribus similium, sed minorum pallescentisq; coloris crassa *spica* nascitur. Evanescentes flores in *capitula* transeunt exile subflavúmq; *semen* continentia.

Locus. In altissimis jugis montis Juræ propè *Thuiri* copiosum invenimus.

15. *Campanula foliis Anchusæ, floribus oblongis* C. B. *Rapunculus montanus, sive Trachelium montanum* J. B. *Trachelium montanum majus* Park.

J. B.

Folia multa propter terram, in quibusdam duabus unciis longiora, in aliis quadruplo, ad Echium accedentia, ex angusto principio sensim latescentia, sensimq; deinceps in acumen desinentia, utrinq; hirsuta, nonnihil crenata, costâ medium secante. Inter hæc surgit *caulis* ferè cubitalis, hirsutus, enodis,

uno

uno aut altero foliolo exiguo donatus. *Flores* in caulis scapo superiore quinque aut plures, singuli in singulis pediculis non admodum longis, magni, Campanulæ urticæ folio similes, ex cœruleo albescentes, calyce hispido basin complectente. *Radix* crassiuscula & longiuscula, esui grata.

Burnonii in Rhætia invenit J. Bauhinus florentem Junio: Agerius in montibus Stiriæ collegit. **Locus.**

Huic eadem videtur quam

Campanulam minorem foliis Succisæ flore magno denominavimus.

Ad semipedalem altitudinem assurgit, foliis ad radicem oblongis, Succisæ ferè similibus quod ad figuram attinet, sed multo minoribus, hirsutis, per margines æqualibus, aut crenis vix conspicuis incisis. *Cauliculi*, tenues, teretes, hirsuti, non ramosi, uno vel altero folio vestiti antequam ad flores ventum est, qui alternatim caulem ad intervalla conscendunt, quatuor quinque vel sex, & quandam quasi spicam efficiunt laxam, nutantem, pediculis semuncialibus tenuibus, magni pro plantæ modo, & Trachelii majoris æmuli.

Invenimus inter *Glucknitz* & *Mertzuschlug* in montibus Austriam & Stiriam disterminantibus. **Locus.**

Siccam à D. *Philippo Skippon* asservatam descripsimus, nam virentem per festinationemnon licuit.

* 16. *Rapunculus nemorosus magno flore* Park. *minor* C.B. *Rapuntium sive Erinus magno flore* Col.

Col.

Radice est crassa, fibrosa, ex albo parum rufescente, sapore dulci ut Rapuntii vulgaris, lactescente, ac perenni, ut conjicere est ex novella sobole & radicis rugoso capite. *Folia* cum caule promit, primùm exigua, rotundiore cacumine, vulgaris Pepli magnitudine, deinde longiora, quæ vix unciam æquant vel superant, semper longiora & angustiora, illáque in extremo acutiora, quæ caulis medio hærent. *Caulis* tenuis est, pedalis, striatus, paucis foliis interceptus, in quibus deinde *flores*, post discussos priores qui supra caulium cacumen producuntur ex quinquefoliata basi angustifolia, ut in aliis. Floris effigies ad Trachelii angustifolii *Col.* accedit, unciali longitudine, & semunciali ferè latitudine, in quinque lacinias oris margine inciso, obsoletè cœruleo purpurascente colore venulis purpuro-cœruleis per longum depictus est flos, lacinias habens colore magis saturo; *apicem* in medio trifidum, in torto cacumine, quinis etiam *staminibus* circundatum. Fructus ut congenerum, & *semen* arenæ instar minutum decidit per foramina tunc pervia minutum. Tota planta cum floribus lactescit, dulci sapore, edulis, gratior in cibo quàm Rapuntium.

In Asprensium colle quodam Castro subjacente. **Locus.**

* 17. *Rapunculus nemorosus angustifoliis magno flore major* C.B. *Rap. nemorosus* Ger. Park.

Folia ima oblonga habet, & circa margines dentata, succedentibus tamen breviora; quæ prælonga sunt, & marginibus pariter dentata, brevibus pediculis nixa, ad quorum exortum alia minora cauli apponuntur. *Flores* aliorum Rapunculorum similes, pallidè cœrulei. *Radix* alba, longa, minùs tenera quàm reliquorum.

A. 18. *Trachelium minus* Park. Ger. emac. *minus multis* J. B. *Trach. sive Campanula pratensis flore conglomerato* C. B. **Little Throatwort or Canterbury-bells.**

Caules ex eadem radice plures erigit pedales aut cubitales, hirsutos, teretes, rubentes. *Folia* quæ à radice exeunt longis insident pediculis, ipsa tres digitos interdum longa, sescunciam lata, in acutum mucronem desinentia, circa margines crenata & veluti crispa, brevi & vix conspicua lanugine hirsuta, ad tactum aridiuscula: superiora in caule minora, absque pediculis adnata, situ alterno. In summis caulibus & foliorum alis sedent *flores* plures simul conferti, absque pediculis calathoides, erecti, pulchrè purpurei, ad medium ferè in quinque lacinias acutas secti, stylo intus oblongo trifido, quem circumstant quinque staminula alba. *Vasculum seminale* in imo calice infra floris fundum situm, in tria loculamenta dividitur.

In pascuis montosis & cretaceis plerunque nascitur, & post mediam æstatem floret. **Locus.**

Gerardus nostras hanc plantam bis descripsit & depinxit, primò *Trachelii minoris*, iterum *Violæ calathianæ* titulo; unde J. Bauhinus malá figurâ deceptus, cùm (ut ingenuè fatetur) linguam Anglicanam, quâ eam Gerardus descripsit, non intelligeret, sub titulo Trachelii sive Violæ Calathianæ eam iterum proponit.

Trachelium minus album J. B.

Floribus est albis, non magnis, multis simul in extremitate *caulis* cubitalis, lævis: foliis longo pediculo uncias tres longis, duas latis, non in acumen desinentibus ut cæterorum Tracheliorum, serratis, vix asperis, glabris. Ex sicca descripsit.

In horto *Meier* vidit. Q. an aliter quàm floris colore differat à Trach. min?

* 19. *Campanula media foliis inferiùs candida lanugine vestitis* C. B. *Campan. sive Cervicaria media Thalio, floribus cæruleis parvis* J. B.

Thal.
Locis montanis & Soli meridiano expositis nonnunquam prodit, *caule* tereti, aspero, *foliis* plurimis amicto, minoribus multò, viridioribus superiùs, inferiùs candidis, lanugine vestitis, quali folia Althææ, sicut & folia mediam figuram inter Urticæ majoris breviora folia & Althææ referunt. *Caulis* utplurimum unicus est sine ramosis adnatis, sæpenumero tamen in plures dividitur brachiatas virgulas. Circa medium ferè caulis, ubi majora folia exoriri desinunt, frequentes περιφύσεις adnascuntur, ordine per certa intervalla usque in apicem caulis consequenter, ac ex alis peculiaribus ad latera erumpentes, tenuibus quibusdam foliolis, iisque incrispatis parum, ac agminatim densèque sibi cohærentibus constitutæ, ex quibus longa serie in scapo *flores* crebri prodeunt, eleganter cœrulei, similes prioribus sed multò minores.
Planta hæc nobis incognita est, nec alii puto præter Thalium botanico visa, & descripta.

* 20. *Campanula hirsuta Ocimi folio caulem ambiente, flore pendulo* Boccon.

Bocc.
Caule constat pedali, striato, hirsuto, in multos cauliculos divaricato, quos ambiunt *folia* ampla, & illa quoque non leviter hirsuta, Violæ pentagoniæ æmula, caulem amplectentia, sed majora: *Flos* in summitate cauliculorum pendulus, purpureus, Campanularum formâ, variis foliorum longiorum & angustiorum appendicibus, quasi auriculis ad florum basin appositis, cinctus. Sequitur *semen* ut in aliis omnibus ejusdem classis. *Radice* nititur exili, quæ singulis annis perit.
Locus. Messanæ in loco dicto *lo Ringo* nascitur.

* 21. *Trachelium pumilum Alpinum, singulis floribus ex singulis ramulis satis magnis* J. B. *Campanula Alpina pumila lanuginosa* C. B. *Trach. pumilum Alpinum* Clus. Park.

Clus.
Dodrantalis est plantula, *cauliculo* striato, in plures ramulos diviso, quorum singuli sustinent *florem* satis magnum, cavum, Campanulæ instar efformatum, in quinque angulos desinentem, quemadmodum vulgaris Trachelii aut Campanulæ flos, cinereo colore præditum. Floribus succedunt *capitula* satis magna, trigona, nutantia, seu deorsum spectantia, quæ continent *semen* vulgaris Trachelii semini non dispar, sed minus & exalbidum. *Folia* quæ per caulem sparsa sunt latiusculâ basi eum amplectuntur, & in oblongum mucronem desinunt; quæ verò summâ tellure stirpi adhærent, latiuscula sunt & longiori pediculo innixa. *Radix* pro plantæ exilitate satis magna, candicans, superna parte in plura capita extuberans, & quibusdam fibris hirsuta. Tota planta lanugine pubescit lacteóque succo abundat.
Locus. Nascitur in Sneberg, aliarúmque vicinarum Alpium jugis. Flores profert Julio.

* 22. *Trachelium ramosum floribus plerisque singularibus* J. B. *à precedente non multum diversum.*

J. B.
Radix crassiuscula, uncias quatuor longa, parum fibrosa: *folia* ad radicem multa ex brevibus pediculis, unciam unam vel duas longa, mediam lata: *Caulis* hirsutus, pedalis, in ramos divisus, qui desinunt in folia brevia, lata, ex quorum medio oriuntur magnæ campanæ purpureæ, plerunque singulares. Ex Tracheliorum minorum genere est, (inquit J. Bauhinus) ex sicca quam nescivit unde habuit descripsit.

* 23. *Pyramidalis Valerandi hirsuta* J. B.

J. B.
Primo anno (inquit J. Bauhinus) mihi *caulem* non produxit, qui sequente demum anno in tantam excrevit altitudinem, ut facilè lanceam æquaret, hirsutus, medullâ albâ farctus, *foliis* vestitus infernè & supernè hirsutis, acuminatis serratísque Trachelio majori accedentibus. *Flores* longâ serie campanulas imitati, Rapunculi vulgaris haud minores, cœrulei, per oras laciniati, ex uno pediculo plures.
Ex semine per Valerandum Dourez ex Sclavonia delato J. Bauhino nata est.

* 24. *Campanula Alpina Tragopogi folio* C. B. *Trachelium Tragopogi folio montanum F. Columnæ* J. B. Park. *Trach. Tragop. folio* Clus.

Col.
Radicem habet crassiusculam, albidam, lactescentem, & ex ea plures propagines, habentes *folia* angusta, longa, duriuscula, Croci aut Tragopogi formâ & magnitudine: Veris fine *caules* pedales edentes, subrubentes, atq; hirsutos, quibus *folia* alternatim raráq; hærent; in quorum summo sex aut septem simul *flores* purpurei, Nolæ formâ, Trachelii vulgaris modo, ex basibus singulis quinque foliolis viridibus constructis exeunt. *Fructus* atque *semina* Trachelio etiam similia æstate perficit. *Radix* perennis est atque dulcis, esui apta sicuti vulgare Rapuntium.
Locus. In D. M. Virginis monte sic vulgò dicto exoritur.

Trachelium

Trachelium capitatum hirsutum foliis gramineis Pauli Boccone.

Foliorum præcipuè hirsutie à præcedente differre videtur & statura pedali, flosculorúmque in capitulum congestorum multitudine. Verùm his non obstantibus, cùm ipse P. Boccone dubitat an eadem illi planta sit nécne, non est cur nos separemus.

* 25. *Campanula Lychnoidea* J. B. *Lychnis hirsuta I, seu sylvestris Campanulæ flore* C. B. *Lychnidis sylv. species Myconi* Lugd.

Lugd.
Radice est fibratâ, palmum longâ, nigricante, nervum intus habente, in profundum actâ, sapore dulci, cum adstrictione. Ex ea *ramulos* fundit multos, rotundos, villosos, incanos, vix palmum excedentes, in quibus *folia* angusta, pilosa, incana, per cauliculos incerto ordine distributa, leviter adstringentia. In summo caulium vertice *flores* exeunt Campanulæ similes, quales in Convolvulo, rotundi, ex candido nonnihil purpurei.

Non alibi quàm in montibus *D. Mariæ* à Monteferrato à Mycono visa est. *Locus.*

Qu. Annon Convolvuli potiùs species sit?

* 26. *Campanula Urticæ folio Brasiliensis* Marggr.

Marggr.
Caule tereti, recto, paulum piloso, viridi, in tres aut quatuor pedum altitudinem assurgit, ac in longis pediculis bina semper *folia* opposita gerit, figurâ Urticæ foliis similia, sed majora, in ambitu serrata, ad foliorum exortus etiam hinc inde rami opponuntur, qui eodem modo folia obtinent, in summitate caulis & extremitate ramorum minora. *Flores* ibidem fert in longam quasi spicam congestos, elegantissimos, pediculo digitum longo insistentes, ac deorsum propendentes, figurâ mitræ Polonicæ, & in extremo ambitu habentes quinque incisuras, sunt autem coloris coccinei & interiùs punctis saturatè rubris variegati, præterea habent in medio staminulum longum, pallidum, cum apice Liliaceo. Tota autem planta cum flore odorem refert Marrubii.

§. 2. *Rapunculi & Campanulæ glabræ.*

1. *Rapunculus Creticus seu Pyramidalis altera* C. B. *Rapunculus Creticus, Petromarula* J. B. *Petromarula Cretica seu Rapunculus Creticus* Park. *Petromarula seu Lactuca petræa* Pon. Ital. Bell.

J. B. Bel.
Herbam teneram, lacte turgentem, floribus cœruleis, visui gratam Imperati sic describit Honorius Bellus. *Folia* profert cichoracea, magna profundè incisa, in orbem diffusa, saturè virentia, infernè splendentia, ad purpuram aliquando tendentia ut Cyclaminus, lævia; cum autem semine nata prodit, prima ejus folia Violæ nigræ foliis simillima sunt, rotunda, & aut nihil, aut parùm duntaxat serrata. *Cauliculos* autem multos habet, rotundos, striatos, bicubitales aut tricubitales: quibus innascuntur *flores* copiosissimi, purpurei, Hyacinthi Orientalis florum æmuli, densè compacti, ut spicam eámque magnam referre videantur; quibus succedunt *semina* minutissima. *Radice* firmatur magna, alba, in alas divisa, eduli, sapore Rapunculi radicem imitante. Tota planta lacte abundat.

In Creta ubique reperitur in arvorum marginibus, secus vias læto solo, inter saxa, & supra parietes. Floret ibi æstatis principio, deinde exarescit tota præter radicem, quæ Octobri folia proferre incipit & viret tota hyeme. *Locus & Tempus.*

2. *Campanula Linifolia lutea montis lupi flore Volubilis* Ad. Lob. *Camp. lutea linifolia* Ger. Park. *Linum sylvestre luteum foliis subrotundis* C. B. *item Rapunculus nemorosus angustifolius parvo flore* ejusdem. *Bis enim ponit hanc plantam sub diversis generibus. Linifolia Campanula lutea* J. B.

J. B.
Folia per caules, ferè sesquipalmares alterno situ, oblonga, angustaque, Lini sativi foliorum æmula, lævia. *Caules* superiùs in ramos abeunt, qui *flores* gestant insignis magnitudinis, unciâ longiores, croceo colore micantes, calyce in quinque longas angustas lacinias fisso, capitulo sequente Lini sed magis turbinato. *Radix* longa, crassa lignosa, in plura capita tuberosa divisa.

In devexis montis Lupi propè Monspelium collegit Lobelius, quà ad Septentrionem vergit, cui nec alibi visa, & usu minus cognita. Latioribus foliis in devexis montis *Capouladou* Junio mense cum flore invenit *P. Magnol.* *Locus.*

Vera Lini species est (inquit Morissonus) ex flore & semine: Campanula autem non est, quia nec lactescit, nec semen minimum lucidum, aliarum Campanularum more fert. H. B. p. 432.

Postea Hist. Ox. p. 576. sententiam mutat, & sibi contradicit. Est enim (inquit) à fine ultimo i. e. flore & capsula seminali Campanula, ergo malè collocatur inter Lini species à C. Bauhino.

Hujus plantæ ramulum cùm Monspelii essemus nobis communicavit D. Carolus Zueiker Dantiscanus.

An vera & genuina Campanulæ species sit, an inter Campanulam & Linum ambigat, me latet, ut qui vasculum seminale non observaverim.

3. *Campanula Persicifolia* Ger. Park. *angustifolia cærulea & alba* J. B. *Rapunculus persicifolius magno flore* C. B. Peach-leaved Bell-flower.

J. B.
Ad sesquicubitalem altitudinem assurgit *caule* anguloso aut striato, glabro, rigido, inani, crebris foliis vestito nullo ordine positis. *Folia* angusta longa, glabra, ex atro virore splendentia, ad margines raris, nullo ordine positis & vix conspicuis denticellis incisa. *Flores* in summitate caulis ex alis foliorum exeunt in eodem surculo seu pediculo plures simul, pedicellis privatis brevibus, monopetali, Campanulati, ampli, margine in quinque segmenta diviso, quàm Rapuntii magis patuli, plerunque cœrulei, interdum albi, è *calice* quinquepartito; infra quem consistit *vasculum* calicis figurâ, in tria loculamenta dispertitum, *semina* continens parva, splendentia, tribus foraminibus per maturitatem pertusum, è quibus semina fundit. *Radix* quàm Rapuntio minor, magis fibrosa tortuosaque.

Locus. Observavimus hanc in dumetis propè Spadam urbeculam acidulis celebrem in Germania inferiore, flore albo: in montibus & collibus Genevæ vicinis flore cœruleo. In Anglia quod sciam sponte non provenit.

4. *Campanula lactescens pyramidalis* Ger. *Pyramidalis lævis* J. B. *Rapunculus hort. latiore folio, seu pyramidalis* C. B. *Campa. major sive pyramidalis* Park. parad.

J. B.
Lacte turget *radix*, Rapunculi similis, restibili fœcunditate se multiplicans, etiam ex frustulis repullulascens; ex qua *caules* trium quatuórve cubitorum surgunt, læves; *foliis* vestiti glabris oblongis, fortuitis crenis incisis, verùm inferiora folia palmum aut sesquipalmum longa, palmo latiora, per extremum ferè obtusa, & ea quoque glabra, raris admodum cæsuris dissecta & vixdum serrata. *Flores* à medio caule ad summum usque fastigium cœrulei, campanulas oris laciniatis exprimunt, quàm Rapunculi vulgaris majores ac patentiores.

De loco natali nihil certi traditur. Floret Julio & Augusto.

Morisono folia hujus prima & terræ proxima Violæ nigræ forma similia, paulò tamen majora, quæ verò circa caules paulo longiore, utraque saturi viroris: caules validi & prææalti: quæ quidem vera sunt.

* 5. *Rapunculus Alpinus pyramidalis minor* C. B. *Rapunc. sive Campanula pyramidalis minor* Park.

C. B. Prod.
Radix Rapunculi formâ: *Caulis* unus, sesquipalmaris, *foliis* pallidè virentibus, per ambitum crenatis, acuminatis, unciam latis, tres longis, alternatim cingitur. In summo *flores* pauci, cœrulei, Campanulæ formâ, pedicellis annexi, & filamento oblongo ex eorum medio prodeunte donati propendent: quibus singulis *capitulum* oblongum, pertusum succedit, cui *semen* minutum includitur.

In Italia provenit, sed locus excidit. *C. B.*

6. *Campanula Pyramidalis minor* Alpin. Exot.

Alpin.
A radice tres vel quatuor, vel plures etiam *caules* assurgunt, bicubitales & etiam longiores, recti, graciles, rotundi, ex quibus hinc indè ramuli multi ascendunt, infernè longi, supernè breves, ità ut servato æquali ordine in iis ramulis, quasi pyramis cum ramulis floribúsque appareat, unde nos *Campanulam pyramidalem minorem* nominavimus, ad differentiam *vulgatæ*, quæ longè amplior est. Ex summitatibus verò ramulorum *flores* propendent numerosi, qui parvis Campanulis sunt similes, colore aut cœruleo dilutiore, aut candido, hæque campanulæ sunt cum suis filamentis tanto artificio à natura libratæ, ut artifex peritissimus ità perbellè vix eas faceret, deorsum propendentes, figurâ florum qui in vulgaribus Campanulis spectantur, sed paulò majores, suaviter olentes. Hæc stirps infernè juxta terram admodum est foliosa: *folia* verò spectantur, longa, viridia, inferiùs latiuscula, & in acumen desinentia, magnitudine & figurâ quasi ad Rapunculos accedentia, vel ad Intybum sylvestrem; longè tamen extrinsecè undique serrata, supernè longè minora, tenuiora, ac magis mucronata cernuntur, singuláque ad uniuscujusque ramuli in caule exortum. *Radix* prægrandis crassa, brevis, Nucis Juglandis ferè magnitudine, figura tamen longior, in acutum desinens, colore albo vel translucido, ad Rapunculi itidem radicem maximè inclinans. Sapor verò insipidus & viscidus observatus est. Stirps perennis est, & quo annosior eo radices habet numerosiores & crassiores.

Locus. In valle S. Fidatæ duobus à Bassano oppido m. p. in locis opacis & humidis, nec alibi usquam, nascentem vidit Prosp. Alpinus.

* 7. *Rapunculus petræus* Alpin. Exot. Park. Moris.

Alpin.
Radix huic oblonga est, digiti minoris crassitie, carnosa & alba, Rapunculo vulgari valdè similis, sapore dulci, subacri, unde in acetariis Rapunculi modo (ut audio) est satis accepta gustui. Ex radice *folia* complura fert, longissimis pediculis gracilibus inhærentia, Hederæ foliis carnosis similia, minora tamen, longiora, magisque in acutum desinentia, tenuiora, colore viridi nigrescentia. E foliorum medio prodeunt tres surculi, graciles, recti, longi, rotundi, dodrantales, cum parvis foliolis, longis, tenuibus, utrinque alternatim suis petiolis caulibus adnascentibus. In cauliculorum cacumine

cacumine *capitulum* parvum rotundum, aliquando oblongum extuberat, è *flosculis* complurimis cœruleis, in unum congestis, inodoris, quibus singulis succedunt *capsulæ* exiles, tribus loculamentis divisæ, in quarum singulis plurima minuta *semina* subrussa, splendentia.

Nascitur propè Bassanum in agro Marosticensi, à Brenta flumine vix tertia milliaris parte distante, in colle lapideo Septentrioni exposito, radice rimis saxorum infixa, ut propterea magno labore eruatur, vixque integra. *Locus.*

* 8. *Rapunculus nemorosus angustifolius major majore flore* C. B.

Hic *folia* exhibet etiam angusta vulgaris Rapunculi esculenti in modum, profundè serrata: *flores* verò ampliores, nolæ alicujus patentioris in modum, quinquefariam in margine partitos: quibus succedunt capsulæ trifariàm junctæ, singulæ singulis foraminibus pertusæ illius more.

* 9. *Trachelium parvum folio Bellidis subrotundo.*

Radix ei alba, simplex, lignosa, annua: *Caulis* erectus, striatus: *Folia* alternatim posita, subrotunda, absque pediculis cauli adnata *Flores* Trachelii majoris.

Circa Messanam in montium urbi imminentium lateribus observavimus. *Locus.*

Ad § præcedentem pertinet.

* 10. *Campanula Alpina glabra flore dilutissimè cœruleo* J. B.

J. B.

Nihil hirsuti aut asperi (inquit J. Bauhinus) nobis in hac planta apparet. *Folia* aliquid similitudinis habent cum Hieracio Sabaudo, in circuitu serrata, minora sunt quàm Campanulæ repentis flore minore; *flores* etiam paulò minores videntur, in unum latus versi, ex brevi pediculo nutantes.

Ramulum habuit ferè pedalem, datum ab Agerio, qui in vertice montis Tyrolensis collegerat. *Locus.*

Excepta glabritie parùm differt à Campanula repente flore minore.

A. 11. *Rapunculus esculentus* C. B. *esculentus vulgaris* Park. *vulgaris campanulatus* J. B. *Rapuntium parvum* Ger. **Rampions.**

Rapunculo vulgari *radix* alba est nunc simplex, nunc surculosa: *Caulis* sesquicubitalis, gracilis, hirsutus, angulosus & striatus, nunc unus, nunc plures, *foliis* cinctus nullo ordine positis, angustis, acutis, pediculorum expertibus, cauli adnatis basi latiuscula, sensim angustioribus ad apices usque, per margines crenis vix conspicuis leviter incisis, in summo ramosis, ramulis è foliorum sinubus exeuntibus.

In summis caulibus & ramulis, longis pediculis insident *flores* campanulati, in quinque lacinias acutas profundè divisi: singulæ autem laciniæ tribus striis purpureis insignes sunt. *Stylus* in medio flore trifidus in tria cornua reflexa; quem *stamina* quinque tenuia breviora circumstant. Floris color ex cœruleo purpurascens: *Calix* ex quinque angustis acutis foliolis componitur. Infra florem ad imum calicem *vasculum* est seminale tribus loculamentis distinctum, *semine* repletum copioso, exiguo, lucido. Tota planta lacteo succo turget aliarum Campanularum instar.

Vernis acetariis (inquit J. Bauhinus) expetitur hujus *radix*, minimi digiti ferè crassitudine, Napi parvi similitudine, alba, dulcis. Cum longo Pipere devorata lactis ubertatem facere perhibetur. *Usus.*

Estur non cocta tantùm sed & cruda in acetariis, quòd maximè gustui placeat, & appetentiam excitet; longe quàm Rapi aut Rhaphani delicatior. *Lob.*

In aggeribus fossarum, inque arvis non cultis nascitur; in hortis etiam ad acetariorum usum seritur & colitur ut grandior evadat. Æstate floret. *Locus.*

Erinos major Fab. Columnæ, Rapunculo affinis J. B.

C. Bauhinus hanc plantam habet pro Rapunculo esculento vulgari proximè descripto, cujus sententiæ & nos quoque accedimus: nihilominus descriptionem ejus Columnianam proponemus, ut Lectori judicium permittamus.

Radice constat carnosa, non magna, parvum Rhaphanum æquante ad summum, candida, gustu suavi, ex dulci acerba acetariis expetita, lactescente, in medio vel imo parùm extuberante, à qua *folia* exeunt primo vere, Ocimi foliis similia, minora tamen, medii Ocimi foliis æqualia, per ambitum serrata, supernè hirsuta parùm atque viridia, infernè verò lævia atque polita, albidioráque. *Caules* postea ab radice emittit plures, secundùm loci annique temperiem, pedales vel majores, angulosos, hirsutos: quos folia absque petiolis alternatim circundant, longiora admodum angustioráque, minúsque serrata, ita ut qui viderit plantam sine caule, atque postea caule præditam, diversam absque dubio esse censeat, nisi domi cultam observaverit. Folia quidem quæ antequam caules ederet habebat terram tangentia marcida evanescunt, nec in illa ampliùs inveniuntur. Ex foliorum alis ramuli exeunt, in quibus sicut in caulibus *flores* Maio exeunt, petiolis parvis hærentes, cavi, quinque divisuris in extremo dissecti, colore albicantes & etiam purpurascentes, intus thyrsum habentes, qui in tres curvas partes dividitur: quibus siccatis florum basis extuberat, quæ hirsuta est & in quinque viridia folia desinit, semen perficiens Junio & Julio fuscum, minutum, compressum, gustu acerbum, quod cùm perfectum & siccatum est, per basis foramina, quæ tunc pervia sunt decidit. Tota planta lacte manat dulci disrupta. Hæc descriptio Rapunculo vulg. esculento per omnia convenit, nisi fortè floris colore, qui pro cœli aut soli diversitate variare sæpenumero solet.

A. 12. *Campanula rotundifolia* Ger. *minor sylv. rotundifolia* Park. *minor rotundifolia vulgaris* C.B. **The lesser round-leaved Bell-flower.** *Campan. parva, Anguillaræ Cantabricæ* J.B.

Radice est albâ, crassiusculâ, modicè fibrosâ, subdulci. *Folia* primo ortu aliquatenus Violæ Martiæ primis minoribus foliis similia, minora, sinuata, ex semuncialibus & uncialibus pediculis, quæ mox laciniata fiunt hederaceorum instar: At quæ in caule sunt longa, angusta, acuta ad margines æqualia, nec ullis pediculis nixa. *Caulis* pedalem interdum altitudinem assequitur, teres, glaber, obscuriùs viridis, foliis vestitus crebris, nullo ordine positis. *Flores* in summitate caulis cœrulei, campanulati, Rapunculi similes, margine in quinque lacinias diviso, penduli; è calice in quinque longa angusta segmenta partito exeunt. In medio flore *stamina*, & quatuor foliola parva, alba, quæ introrsum ad floris umbilicum incurvantur. *Semen*, ut in hujus generis reliquis, vasculo infra florem sito, tribus loculamentis distincto includitur.

Locus & Tempus. In agrorum marginibus, inque dumetis & ad sepes præsertim in montosis, ubi pascua etiam occupat frequentissima est. Æstate & in multum Autumnum floret.

Descriptio est J. Bauhini à nobis interpolata.

13. *Campanula minor rotundifolia Alpina* C.B. *Rapunculus Alpinus minor rotundifolius* Moris.

Radicem hujus plantulæ non observavi; Morisonus noster tuberosam ei attribuit; Clusius, (si modò eandem describat) radicales fibras valdè serpentes & vicina loca occupantes, subinde germinantes & novas stirpes producentes. *Folia* ei ex rotunditate oblonga sunt & mucronata, circa margines serrata [longissimis pediculis innitentia] Flores Rapunculi vulgaris formâ similes, [nunc eleganti cœruleo colore prædíti sunt, vel saturato purpura sive violaceo nitentes, vel dilutiore purpureo colore & quasi cineraceo conspicui, interdum etiam nivei *Clusio.*]

Locus. In Alpibus Stiriacis & Carinthiacis invenimus aut hanc, aut sequentem plantam.

Campanula illa, quam in sylvis montosis propè Lindaviam urbem, & alibi in Alpibus Stiriacis & Carinthiacis invenimus, *folia* habuit qualia modò descripsimus; *Caules* sesquipalmares & longiores, tenues, paucis foliis vestitos, imis latioribus, reliquis sensim angustioribus, ad margines dentatis, exceptis iis quæ in summis caulibus sunt. *Flores* versùs summos caules ex alis foliorum exeunt, longis pediculis, cœrulei, & Campanulæ minoris rotundifoliæ similes. In uno autem caule tres, quatuor, & non rarò quinque flores sunt; totidémque persæpe ex eadem radice caules exeunt.

14. *Campanula Alpina minima folio serrato oblongo.*

Plantula est semipalmaris, foliis angustis, oblongis etiam iis quæ ad radicem sunt, circa margines serratis, in cauliculis crebris. In summis caulibus duo trésve *flores*, præcedentium similes, pro plantulæ proportione ampli cœrulei.

Clusius in hist. pro *Campanula minore Alpina* iconem habet Lobelii & Dod. Et revera descriptio ejus non convenit huic plantæ sed potiùs præcedenti: ut dubitem adhuc quam plantam intelligat Clusius *Campanulæ minoris Alpinæ* titulo, & putem J. Bauhinum rectè fecisse quòd non separet eam à præcedente.

Campanula minor rotundifolia flore in summis cauliculis C. B. *i. e. minor alba & purpurea* Ger. *minima sylvestris* Park.

An & quomodo differat à Camp. minore rotundifolia vulgari, examinent alii: mihi certe eadem videtur.

* 15. *Campanula rotundifolia minima* C. B. prod. Park.

C. B. prod.

Plantula est trium unciarum, ex cujus radicula alba, capillari, oblonga exurgunt cauliculi (sæpe unus, plerunque terni aut quaterni,) tenuissimi, subrubentes, & ad radicem subhirsuti, majori ex parte nudi, singuli unicum flosculum subcœruleum, deorsum nutantem, calathi formâ sustinentes. *Foliola* habet ad radicem potissimùm, exigua, subrotunda, serrata, rigidiuscula, quandoque rubentia.

Locus. In Rhætorum Alpibus inter saxa, florentem adhuc Septembri invenit C. Bauhinus.

* 16. *Campanula linifolia cærulea, vel Rapunculus campanulatus linifolius* J.B. *Camp. Alpina linifolia cærulea* C. B. *linifolia cærulea* Park.

C. B.

Ex *radice* tenui alba, *cauliculi* quaterni, quini, plures paucioré sve, palmares & sesquipalmares, graciles, rotundi, simplices emergunt; foliis oblongis, angustissimis confuso ordine septi. Flores in summitate cœrulei.

Locus. Rupes & summa juga montis *Wasserfall* Julio mense florens exornat. Monet C. Bauhinus hanc cum vulgari Campanula minore minimè confundendam. Diligentiùs conferant quibus montem illum adire contigerit, & plantam ipsam in statu videre.

A. 17.

A. 17. *Campanula Cymbalariæ foliis* Ger. emac. Park. *Cymbalariæ foliis, vel folio hederaceo* C. B. *Camp. folio hederaceo, species Cantabrica Anguillaræ* J. B.

Tenella eſt plantula, *radice* exigua, capillacea & albicante: *coliculis* tenuibus, palmaribus & ſeſquipalmaribus; per quos *folia* tenera, hilari virore perfuſa, Hederæ vel Cymbalariæ, angulosa angulis acuminatis, longis pediculis donata. *Floſculus* pediculo fili inſtar tenui, longiuſculo, uni unicus, inſidet gracilis, oblongus, per ſummas oras laciniatus, cœruleus, cæteroqui pallidus: [aliquando ſummo cauliculo, aliquando ex ejuſdem lateribus prodeunte.]

In aggeribus udis ad aquarum margines in Occidentalibus Angliæ copioſè provenit: invenimus & in Septentrionalibus propè Sheffeldiam. *Locus.*

* 18. *Campanula rotundifolia Catanæa longiùs radicata* Bocconi.

Bocc.

Radix hujus altè in terram depacta eſt: *Caules* multi ſunt, pedales, duri, rigidi: *Folia* Cymbalariæ rotunda, leviter ſinuata, ab imo uſque ad faſtigium fermè æqualia. Flos aliarum Campanularum formâ cœruleus; item & ſemen, lucidum, ruffum.

E rimis ſaxorum erumpentem propè Catanam inveni. Differt ab ea quæ Cymbalariæ foliis dicitur, radice, ſed præcipuè foliis ſuperioribus minimè anguſtis. *Locus.*

* 19. *Campanula ſerpyllifolia* C.B. Park. *Campanula Serpyllifolia* J. Bauhini.

C. B. prod.

Tota planta floribus exceptis Serpyllum refert, nam *radice* eſt tenui, obliqua, tenuiſſimis fibris capillata, & hinc indè repente: *cauliculis* plurimis rubentibus, in terram reflexis, cui novis fibellis adhærent, qui in ramulos plures tenuiores dividuntur; quos *foliola* Serpylli vel potiùs Nummulariæ quæ flore eſt purpuraſcente, formâ ſubrotundâ, duo ſemper oppoſita, quædam majora, quædam Serpyllo minora, crenata, ſubtus pallidè virentia, pediculis breviſſimis & leviſſimè pubeſcentibus, ambiunt. *Cauliculi* aliquando in pediculos nudos flores ſuſtinentes deſinunt: aliquando ex cauliculorum lateribus pediculi triunciales, in ſummo nudi, floribus ornati exurgunt. *Flores* bini vel terni, Campanulæ formâ, ex cœruleo rubentes, deorſum nutantes, ſinguli ſingulis pedicellis donantur.

In Baldo cum floribus legit deſcriptionis autor C. Bauhinus: in Rhætia florentem æſtate invenit J. Bauhinus. *Locus.*

* 20. *Campanula Alpina latifolia flore pullo* C. B. Park.

C. B. prod.

Cauliculo eſt tenuiſſimo, palmo minore, qui ad partem uſque mediam *foliis* uncialibus ſubrotundis, alternatim diſpoſitis, leviter crenatis, pallidéque virentibus cingitur: at pars ſuperior nuda eſt, cui ferè ſemper unicus *flos*, mediæ magnitudinis, pulli coloris inſidet.

In Alpibus Auſtriacis, ut Sneeberg & aliis oritur. Fortè hæc non differt ſpecie à *Campanula rotundifolia minima* ejuſdem C. B. nam vix animum induco ut credam dari tot Campanulæ rotundifoliæ minoris diſtinctas ſpecies. *Locus.*

21. *Campanula parva rotundifolia, flore cæruleo, pentagono, grandi.*

Folia huic Campanulæ rotundifoliæ minoris, in locis nonnullis hirſuta, aliis glabra. *Cauliculi* non aſſurgunt in altitudinem prout in illa. *Flos* pro parvitate plantæ grandis & inſignis.

Invenimus primo in clivis maritimis prope Scaleam & portum S.Nicolai in Calabria; poſtea etiam alibi in Regno Neapolitano. *Locus.*

22. *Rapunculi genus folio ſerrato rotundiore* J. B.

J. B.

Complures ſtatim à radice tollit *caules*, cubito altiores, nonnihil anguloſos, ſubhirſutos, ſimplices, quibus ab imo ad ſummum adnaſcuntur alternatim *folia*, nonnihil hirſuta, uncialia & ſeſcuncialia, ſemunciam circiter lata, pauca unciam attingunt, in acutum mucronem deſinentia, per ambitum ſerrata, obliquis venis à medio nervo in margines exporrectis. Summus ſcapus *flores* ex intervallis profert Rapunculi vulgaris floribus ſimiles, caliculo exiguo, pinnato, perſimili, ex pediculis uncialibus & ſeſcuncialibus tenuibus. *Radix* alba, Rapunculi vulgaris craſſitudine, multifida, longiuſcula. Floris color cœruleus; piſtillus longus extra florem prominet.

In monte Jura collegimus. *Locus.*

Folia hujus plantæ quæ in caule ſunt, nullis pediculis intervenientibus eidem adnaſcuntur, latitudine unciam unam æquant, inferiora etiam ſuperant. *Flores* campaniformes ſunt, pulchrè cœrulei, non autem exeunt ſingulares è foliorum ſinubus, prout eos repræſentat figura J. Bauhini, ſed tres, quatuórve ſimul in eodem communi pediculo.

* 23. *Ra-*

* 23. *Rapunculus umbellatus latifolius* C. B. *Rapun. umbell.* 2. Cam. hort. *Rapunculi sylv. umbellati prima species* Park.

Hujus folia semunciali sunt latitudine, mucronata, in margine pilosa: *Caulem* erigit dodrantalem, pilis scatentem; in cujus summo fastigio proveniunt plurimi *flosculi*, in unum caput coacervati, cœrulei, integri in fundo, nolæ instar, singuli quinquefariàm in margine partiti; quorum singulis deciduis succedunt *capsulæ* tribus loculamentis distinctæ, atque in singulis loculamentis plurima continentur *semina*, subruffa, splendentia.

* 24. *Rapunculus umbellatus angustifolius* C. B. *Rap. umbell.* 1. Cam. hort. depictus. *Rap. sylv. umbellati* 2. *species* Park.

Folia habet quàm præcedentis multò minora & angustiora paucioráque: *flores* minores, cœruleos, non tam patentes, plures simul in unum *capitulum* congestos, cum stylo in medio singulorum, qui in margine quinquefariam aliorum more dividuntur: *semina* in thecis tricapsularibus pellucida itidem producuntur.

Duas hasce species J. Bauhinus uno capite comprehendit, quod ità inscribit,

Trachelii minoris duæ species, sive Rapunculus sylvestris major & minor Thalio.

Utraque lacteo est succo sicut reliquæ Rapunculorum species: major ex una radice numerosissimos profert *coliculos* tenues, teretes, scabros, hispidos, sesquipedales, *foliis* plurimis, oblongiusculis, angustis, fimbriatis, ac hispidis præditos, in *umbella* parva *flores* cœruleos continentes: *semine* fulvente, exiguo.

Hæc rariùs obviam fit.

Locus. Minor species locis aridioribus ac Soli expositis frequens est, maximè verò arenosis, foliis & caulibus brevioribus, ut & umbellâ suâ cœruleâ.

§. 3. *Campanula vasculo oblongo in siliquam producto, Speculum Veneris dicta.*

Speculum Veneris dictum puto à semine splendente, lucido, & speculi instar polito.

1. *Speculum Veneris* Ger. *Sp. Ven. majus* Park. *Onobrychis arvensis vel Campanula arvensis erecta* C. B. *Avicularia Sylvii quibusdam* J. B. The greater Venus Looking-glass.

E *radice* parvâ, albâ, lignosâ, singulari, fibris tamen majusculis surculosâ plures interdum *caules* fundit, infirmos, dodrantales & longiores, ab imo statim ramosos, *foliis* vestitos mollibus oblongis nonnihil serratis, per extremum rotundis, crispis; è quorum sinubus *flores* exeunt pulchri, purpuroviolacei, monopetali quidem, in quinque tamen segmenta totidem folia imitantia expansi, qui occidente Sole in figuram pentagonam, sagittæ parti alatæ similem coeunt, unde & nonnullis viola pentagona dicitur. Floris umbilicus albus: *stylus* tricuspis è medio flore exit; *stamina* quinque alba in ejus tubo occultantur. Floris basi pro *calice* quinq; folia angusta, viridantia circumponuntur, quæ summum postmodum coronant fastigium clavæ quadratæ uncialis, *seminibus* parvis, rotundis compressis, per maturitatem lucidis & splendentibus colore leucophæis repletæ. Tota planta lacteum succum vulnerata fundit.

Locus. Inter segetes in exteris regionibus frequens occurrit.

Varietas. Datur hujus varietas per omnia major, foliis longioribus latioribúsq; cætera perquam similis, quæ Campanula s. Viola pentagonia folio oblongo latiori *Moris. prælud.*

2. *Speculum Veneris flore amplissimo, Thracicum.*

Plantula est palmaris, *radice* simplici alba; *caule* tenui, infirmo, ramulis crebris fruticoso; *foliis* digitum longis, angustis, longitudine latitudinis triplâ, pediculis nullis, immediatè adnatis; inferioribus latioribus, ad Gratiolæ aut Hyssopi folia accedentibus superioribus angustioribus & acutis. *Flores* in summis caulibus & ramulis duplo majores quàm Speculum Ven. vulgaris, purpurei, quàm illius pallidiores, fundo seu umbilico albo, minùs tamen quàm in illo; umbilicum album circulus latus cœruleus ambit, oræ extremæ purpurascunt. Flores magis concavi sunt & campaniformes quàm Sp. V. vulgaris, in quinq; quidem segmenta minùs tamen profundè divisi. Quinq; stamina imum florem occupant, cum stylo in medio longiusculo trifido. Florem circumstant pro *calice* quinq; foliola angusta, oblonga, acuta, ad margines nonnunquam setulis obsita. *Flores* antequam aperiuntur pari cum reliquis congeneribus modo in quinq; rugas sagittæ alas referentes complicantur, *siliquis* quadratis oblongis insidentes. Ad basin siliquæ bina plerunq; sibi mutuo opposita folia; & ex alis foliorum bini exeunt ramuli. Semina rotunda, in hoc genere majuscula, splendentia, coloro leucophæo.

Hujus plantæ semen in Thracia collectum à *D. Covill* Cantabrigiensi nobis communicavit *D. Dent*, Pharmacopola Cantabrigiensis, rei herbariæ peritissimus, vetus amicus noster.

3. *Speculum*

3. *Speculum Veneris perfoliatum, seu Viola pentagonia perfoliata.* **Perfoliate Venus Looking-glass.**

Caule simplici lanuginoso & anguloso altiùs assurgit quàm reliquæ hujus generis, excepto parvo nostrate, altitudine dodrantali. *Folia* in caulibus crebra, latitudine pollicari, subrotunda, circa margines dentata, pediculis nullis immediatè cauli adhærescunt, eúmq; ferè amplectuntur, ut ab eo perforari videantur; situ alterno. Ex alis singulorum foliorum oriuntur *flores* tres plerunq;, rariùs quatuor, nullis pediculis, non adeò expansi ut in vulgari majore, segmentis etiam rotundioribus, & colore dilutiore. Calicis segmenta quinq; latiora sunt quàm in vulgari. Caulis interdum ramos emittit.

A. 4. *Speculum Veneris minus* Ger. emac. Park. **The least Venus Looking-glass.**

Johnson.
E *radice* tenui, lignosa *cauliculum* exserit rectum, in sterilioribus duas trésve uncias altum, in lætiori solo pedalem plerunq;, striatum seu angulosum, concavum, *foliis* parvis, longiusculis, circa margines sinuatis seu crispis vestitum; è quorum sinubus versùs summum caulem, & interdum etiam inferiùs, exeunt ramuli *siliquas* parvas alatas seu cristatas sustinentes, fastigiis suis *flosculos* parvos purpurascentes, minùs pulchros aut speciosos, quinq; foliolis virentibus pro calice cinctos, gestantes. Floribus delapsis *siliquæ* in longitudine & crassitie augentur, & peramplæ evadunt, *semen* continentes minutum flavescens, foliola illa viridia flores obvallantia etiamnum retinentes. Planta est annua.

Extraneis scriptoribus nulla hujus mentio, quod sciàm quamvis ipse in transmarinis regionibus non minùs quàm in Anglia inter segetes observaverim.

5. *Erinos Fab. Columnæ minor* J. B. *Rapunculus minor foliis incisis* C. B. *Erini sive Rapunculi minimum genus* Col.

Col.
Radicem habet parvam admodum, fibris divisam, teneram, atque Rapunculo vulg. similem sapore, lactescentémque. *Folia* emittit parva admodum, digiti longitudine, parum hirsuta, oblonga, latioráque in summo, & per extremum serrata raris divisuris; nam quæ proximiora sunt radici octo dentes in circuitu habere videntur, superiora verò pauciores atque floribus hærentia binos. *Caulem* emittit, ab radice ex singulis foliolis alis divisum, ita ut fruticosa videatur, angulosum, hirsutum, tenuem. *Flosculos* edit Aprili mense & Maio, inter folia ex calyce parùm hirsuto, in quinque folia desinente exeuntes, oblongos, cavos, similes Tracheliorum floribus, purpureos, intus apicem vel thyrsulum luteum, in summo triplici divisurâ intortum, ut in congeneribus continentes. *Semen* perficit Junio & Julio minutum admodum, fuscum. Tota planta lacteo succo dulci turget uti Rapuntium.

In muris & siccioribus Messanæ & Monspelii observavimus. Cùm primùm eam vidimus ad Speculum Veneris retulimus. J. Bauhinus hanc plantam iterum describit sub titulo Alsines oblongo folio serrato flore cœruleo. Caules ei palmares & sesquipalmares hirsutos ascribit, *flores* parvos, cœruleos. *Locus.*

Nos plantam hanc cùm primò Messanæ vidimus sic breviter descripsimus,

Radix ei alba, simplex, paucis fibris capillata: *Cauliculi* plures: *Folia* alternatim posita, verùm ubi ramuli prodeunt bina ex adverso, profundiùs dentata, & foliis Alsines Chamædryoidis non longè dissimilia: *Flores* parvi, dilutè cœrulei, è simplici tubo in quinque apices seu folia expansi. Calyx pariter quinque foliolis herbaceis constat, inque ipsius ima parte infra florem continetur semen, ut in Rosa fit, inque Viola pentagonia.

§. 4. *Rapunculi corniculati.*

1. *Rapunculus spicatus* C. B. *spicatus alopecuroides* Park. *spicatus sive comosus, albus & cœruleus* J. B. *Rapuntium majus* Ger.

J. B.
Radix tum magnitudine tum sapore Rapunculo vulgari similis *folia* emittit Violæ Martiæ, longis appensa pediculis, nonnunquam nigrâ maculâ notata, quanquam videas & stricta, oblongáque, in *caule* bicubitali, inani, anguloso, lac manante: in cujus fastigio spicatus pulcher *flos* cœruleus, aut purpuro-violaceus, ex multis corniculis circa basin in segmenta arcuata fissis compactus, quibus succedunt *capitula* parva, subrotunda aut nonnihil angulosa, Rapunculi vulgaris similia sed minora, circa caulis fastigium arctè simul composita, in quibus *semen* minutum, subruffum, lucidum, copiosum.

In transmarinis invenitur sæpius in sylvosis. Nos primò in dumetis propè Spadam urbeculam Acidulis celebrem, postea in montosis circa Genevam & alibi. In Anglia, quod sciam, non reperitur, quicquid dicat Lobelius. *Locus.*

Flores colore albo & cinereo variant.

A. 2. *Ra-*

A. 2. *Rapunculus corniculatus montanus* Ger. *flore globoso purpureo* J. B. *folio oblongo, spicâ orbiculari* C. B. *Alopecuroides orbiculatus* Park. *Rapuntium montanum rarius corniculatum* Col. **Horned Rampions, with a round spike or head of flowers.**

Col.

Rotundum globosum *caput* atque purpuro-cœruleum conficiunt curvi atque in seipsos nutantes florum corniculi supra basin quinque viridantium foliorum in summo caule sitam, in orbem concinnati. Hi ex *calycibus* primùm orbiculare initium obsoleto colore ducunt, Orobi magnitudine crassescentes, deinde in supinum atque curvum satis corniculum desinentes, atque inter seipsos, centrum petentes & annuentes, implicati. Paulatim verò se perficientia cornicula lævia illa ac simplicia aliud tenuius, dimidio brevius, & in summo trifidum [stylus illud est] exserere incipiunt, deinde circa tuberculum imum incipiunt se sinuosè & undatim in quinque partes per longum findere, ac posteriùs in tenues limbos se dividentes atque dilatantes, formámque nostratis coli cui linum aptatur ad nendum imitantes, ita ab interno corniculo [seu stylo] separantur circa imum, & ventriosam formant effigiem, inter quos prorumpunt lutea staminula quinq; Perficiente se flore corniculorum [stylorum] apices trifidi etiam grandiores effecti torquentur, atque laciniæ illæ in totum ab interno corniculo [stylo] separantur, atque ita erectæ permanent, donec tandem seminum utriculi quibus insident turgescere incipiant & tunc inversæ recedunt deorsum spectantes [seu reflexæ] Tunc similes Rapuntiis vulgatis calyces, quinque apicibus ornati, foraminum notas ostendere incipiunt, qui postea perfecti non secus ac congeneres perforantur, *seménque* copiosum, fulvum, parùm latius quàm Trachelii angustif. montani decidit. Augusto floret. *Radice* nititur perenni, candidâ, crassiusculâ, rectâ Rapuntii instar, minore quidem, atque per terram brachiata admodum, ut plures ex uno radicis cespite plantæ perficiantur. *Folia* ima lævia, Rapuntii vulgati æmula, rotundiora, ad formam Violæ Martiæ vel Campanulæ pyramidalis accedentia, majoris digiti unguis latitudine, per ambitum obtusè dentata. *Cauli* pedali striato imâ parte septem circiter folia duplo longiora adhærent alternatim, vulgari Rapunculo similiora, per ambitum acutioribus dentibus divisa, & per medium caulem ad summum duo aut tria angustiora, acutiora, longis intervallis disposita, ut nudum caulem relinquant.

Tota planta dulci lacte turget, gustu suavi.

Locus. In montibus Sussexiæ & Southamptoniæ *The Downs* dictis copiosè provenit.

Non possum satis laudare diligentiam & industriam Nob. Fabii Columnæ, qui tam curiosè & exactè observavit & descripsit hujus plantulæ flores, eorúmque partes & progressus, ut summo jure oculatissimus cùm sit, Lyncei titulum & dignitatem, imò principem inter Lynceos suos locum sibi vendicet.

Cujus descriptionem quamvis satis longam transcribere non piguit, quoniam reliquis hujus generis corniculatis Rapunculis, mutatis mutandis, eam convenire puto, ut pro nota generica inservire possit.

A. 3. *Rapunculus Scabiosæ capitulo cæruleo* Park. C. B. *Scabiosa globularis, quam ovinam vocant* J. B. *Scabiosa minima hirsuta* Ger. emac. **Rampion with Scabious-like heads.**

Radix ei simplex, alba, lignosa, fibras breves tenues è lateribus emittens, in plura capita interdum divisa. *Caules* exinde oriuntur plures pedales aut cubitales, tenues, hirsuti interdum simplices, aliàs ramosi, *foliis* vestiti crebris, angustis, digitum longis, mollibus, hirsutis, non incisis, verùm ad margines nonnihil sinuatis aut crispis, absque pediculis immediatè adnatis nullo ordine positis. Caules & ramuli in prælongos pediculos, glabros, striatos terminantur, qui *flores* sustinent Scabiosæ æmulos, calicibus è plurimis foliolis latis in acutum mucronem desinentibus compositis obvallatos. *Flores* hi meritò compositi seu aggregati, sive mavis totales dicendi sunt, constant enim flosculis numerosissimis, densè stipatis, cœruleis, monopetalis quidem, verùm in quinque segmenta longa expansis, quorum unusquisque pedicello suo privato insidet, & vasculo seminali, seminibus parvis lucidis repleto, prævius est. Tota planta lactescit, unde Rapunculis potiùs quàm Scabiosis accensetur.

Locus. In arenosis & sterilioribus requietis agris & pascuis. Æstate floret.

Accuratissimam omnium hujus plantæ partium descriptionem vide apud F. Columnam, sub titulo Rapuntii alterius leptophylli capitati.

• 4. *Rapunculus Alpinus corniculatus* C.B. Ger. emac. *Trachelium petræum minus globosum* Park. *Rapunculo comoso spicato aliquatenus affinis ex Baldo* J.B.

C. B. prod.

Radice est tuberosa, inæquali, quasi ex pluribus grumis compactâ, albâ, digiti crassitie, [aliquando lignosa, pallida, rugosa & sesquipalmari *Pon.*] ex qua *Cauliculus*, (modò unus, modò plures) tenuis ac striatus, unciarum quatuor exurgit. *Folia* quæ ad radicem aliquando ex rotunditate oblonga, Bellidis cœruleæ forma; communiter subrotunda, crenata, Alliariæ formâ, sed minora, saturatè virentia, tenuia, pediculis uncias quinque vel sex longis prædita, ex radice unà cum cauliculis exurgunt: quæ verò cauliculis & quidem pediculis brevioribus adhærent, longiora sunt & angustoria, profundiùs sed rariùs incisa, quorum quina vel sena Umbellæ subjiciuntur stellæ in modum; quæ cauliculi summo insidet, & ex *floribus* viginti, etiam pluribus, arctè junctis & ex cœruleo purpurascentibus constat, qui ex *calicibus* pediculis latis brevibus & striatis donatis prodeunt. Ex singulo calice *flos* unus, ad exortum tumidus, oblongus, sensímque angustatus, & in extremitate crenatus, formam Cucurbitæ vitreæ referens, in medio corporis tumore incisuras quinq; obtinens,

obtinens, quæ neq; ad collum perveniunt, nec totum corpus ad calicem usq; discindunt, in cujus medio multa filamenta nutriuntur, quorum unicum illius longitudinis est, ut aliquantulum crassum collum multum egrediatur, & quod maturitate bifurcatum sit. *Semen* non fuit observatum.

In Baldi montis jugis inter præcipitia propendet. *Locus.*

* 5. *Rapunculus Alpinus parvus comosus* J. B.

J. B.

Radice squamis veluti compactili, ex veteribus foliis residuis, ut in Nardo Celtica pænè videre est, crassiuscula, sensim attenuatâ præditus est; *folia* fundente numerosa, unciam unam aut alteram longa culmum lata, ad Nardum Celticam accedentia, longis nixa pediculis: inter quæ *Cauliculus* surgit duûm unciarum, non sine foliis, quæ angustiora: cujus cacumini flores insident Rapunculi comosi, qui cœrulei, quantum ex sicca planta J. B. colligere licuit, stylis longis, recurvis prominentibus.

Videtur nonnulla similia habere cum Rapunculo montis Baldi. In Stiriæ montibus collegit Agerius. *Locus.*

* 6. *Rapuntium umbellatum* Col. *An Telephium purpureum majus* C. B? *Tel. floribus purpureis* Park?

Col.

Huic *radix* fibrosa, candicans, perennis, crassiuscula, lactescens: *folia* Ocimi, per ambitum serrata magnis dentibus, vulgari Trachelio proximis, sicut etiam positu & ramis, verùm levibus, nitidis; *caule* multis alis diviso, in quibus minora & angustiora folia alternata, & in summo umbellæ magnæ modo sunt densi *florum* corymbi, dehiscentes in oblongos & tenues admodum tubulos, quorum extrema pars in quinque lacinias stellæ modo divisa, purpuro-cœruleo colore micat, medium habentes oblongum *stamen*, tubulo pari, Valerianæ sive Nardo montano non dissimiles, minores & parum etiam odori, *fructibus* etiam insidentes, qui quamvis rotundi trigoni sunt. Junio mense incipientes, deinde per alas alii emicantes singulis mensibus, etiam Octobri: at prioris & summæ umbellæ *semen* Augusto perficit, quod ex foraminibus ima parte conceptaculi, tunc ut in congeneribus effluit, minutum arenæ instar, obscurè flavicans. Tota planta lacte turget concrescente, sapore dulci ut congenerum.

Hæc planta (si modò rectè à Columna describatur) omnes habet Rapunculi notas, ac proinde Telephium non rectè ab Herbariis denominatur. Verùm vix possum mihi persuadere eandem esse hanc plantam quam sub titulo Telephii floribus purpureis depingunt & describunt Clusius, Lobelius, aliique.

Trachelium umbelliferum cœruleum Ponæ Ital. Park. *Cervicaria Valerianoides cœrulea* C. B.

Nobis utriusque descriptiones exactiùs inter se conferentibus eadem omnino planta videtur cum præcedente à F. Columna descripta: notæ omnes conveniunt, nisi quòd Pona radicem satis tuberosam suæ plantæ adscribit, & saporem acrem nonnihil adstringentem, quæ non invenio in descriptione Columniana.

Proinde si planta à Columna descripta eadem sit Telephio floribus purpureis herbariorum, & hanc quoque eandem esse oportet.

* 7. *Rapunculus Sonchi facie umbellatus* J. B. *umbellatus Sonchi folio* C. B. Clus.

Clus.

Caulis in pedalem excrevit altitudinem, vel etiam breviorem: plura quàm primùm [Rapunculus corniculatus montanus] habebat *folia*, breviore pediculo eóque plano subnixa, supernè viridia, infernè exalbida, instar foliorum Sonchi, quibus formâ valdè respondebant, erant enim ut illa in ambitu dentata, sed minora. Summo cauli innitebatur veluti umbella longiusculorum caliculorum, striatorum, in quinque angulos desinentium, in quibus *flos* coloris mihi non comperti. Vidit sc. plantam duntaxat mutilam sine radice & floribus.

Considerandum inquit J. B. quantum hoc differat à Rapunculo montis Baldi ante dicto.

* 8. *Rapunculus umbellatus folio gramineo* C. B. *minimus folio tenui gramineo* J. B. *Rapuntium alterum angustifolium Alpinum* Col.

J. B.

Omnium Rapunculorum minimum in montibus Rhæticis invenimus, (inquit J. Bauhinus) cui *Radix* crassiuscula [longa, crassa, perennis, multos habens in summo cespites, annosos, ex quibus nova semper germina protruduntur. *Col.*] *Coliculus* tenuis, duûm unciarum [unico latiusculo interceptus folio *Col.*] comosum gerit *florem* cœruleum, Rapunculi spicati. *Folia* caulem comitantur, ipso pænè longiora, fili instar tenuia, numerosa.

Florentem observavit J. Bauhinus mense Junio.

§. 5. *Rapuuncli flore galeato.*

1. *Trachelium Americanum rubrum* Ferrar. *Trach. Amer. flore ruberrimo, sive Planta Cardinalis* Park. parad. *Flos Cardinalis Barberini* Col. *Annot. in Hist. Mexican.*

Col.

Ex *radice* perenni, vegetâ, fibrosâ, candidâ, lateribus repente, cespite facilè se propagante, tenera, lactescente, dulci cum pauca caliditate, plures *caules* sive soboles juxta radicis vetustatem & ubertatem promit Aprili mense [Romæ;] sed primo vere *folia* in terra strata erumpunt, vulgari Rapuntio non dissimilia, nisi quia minora & angustiora, serrata, lævia, obscurè virentia, & in orbem juxta radicis caput expansa, quæ deinde in lævi, rotundo sed anguloso, concavo, candicante *caule* (tripedalem observavimus & aliquando multis alis divisum) qui crassior & vegetior est Rapunculo vulgari, minimi digiti crassitudine, majora & latiora fiunt, illi alternatim hærentia, & cochleatim quino ferè ordine circundantia, semperque majora, ut in medio caule semipedalis fiant longitudinis, & duarum unciarum latitudinis, parùm incurva, per ambitum dentata, illaq; disrupta lacte manantia, sicuti & tota planta, verùm non ita copioso ut in congeneribus, sed exiguo. A medio caule folia decrescere incipiunt ad summum usque, in quo *flores* coacervatim in spicam crassam, longam, dodrantalem, & in summo duplici velut umbella coronatam coactos, Junii initio observavimus; illisque se perficientibus spica producitur, & flores rariore ordine inter foliorum alas densè exseruntur, brevi petiolo hærentes, & ex calyce quinquefoliato Rapuntii modo, tubulo oblongo sescunciali, in summo coloris saturè coccinei, hilaris admodum, paulatim dehiscentes, circa finem Junii in quinque foliola dividuntur, novo quidem ritu in hoc genere, ut tria foliola dependeant effigie barbularum, bina alia superiora & angustiora, veluti alæ obliquæ, tubulum medium exiguum ex illorum centro sive medio emicantem amplexentur, colore etiam coccineo, in cujus summo caput cœruleum sive violaceum, aviculæ cujusdam rostrum incurvum æmulans profertur. Ab aliorum congenerum floribus hi variant, ut non Campanulas, sed galericulatos potiùs flores imitari videantur, non parùm ad Gladioli flores accedentes, quanquam naturâ sint tubulosi, at in summa dissectione differentes. Hujus floris medius tubulus, ex quo caput exeritur violaceum, supernam externi majoris floris tubuli partem disrumpit, relicto canali, sicut & medius internus *stylus* fructui insidens. In floris externa parte ima supra fructum, si tubulus eximatur, melleus liquor non paucus reperitur. Flores diu durant in statu aperti antequam marcescant, quod non paucam iis gratiam conciliat. *Fructus* in calycibus extuberantiores observantur profecti, Violæ Marianæ vasculis sem. persimiles, *semina* flavicantia minuta ut in congeneribus continentes: Julio & Augusto mense perficiuntur, & ab imo planta denuo regerminat. Sapor dulcis in tota planta cum quadam caliditate, observatur.

Hæc omnia de planta Romæ culta intelligenda sunt; in frigidioribus regionibus semen rarò ad maturitatem producit.

* 2. *Rapunculus galeatus Virginianus, flore violaceo minore* Moris. *Flos Cardinalis cæruleus* Dodart.

Moris.

Hujus *folia* sunt prioris multò latiora, magisq; viridia, & paululum serrata: ex quorum alis sursum versùs exeunt *flores* ex calycibus quinque-foliatis, hirsutis, integri in fundo, profundiùs in margine divisi, purpuro-cœrulei seu violacei: quibus singulis subveniunt capsulæ, tribus loculamentis distinctæ, atq; in singulis conspicitur foramen ex quo decidit *semen* minutum, lucidum. *Radix* alba, multifida. Tota planta lacte scatet, sicut reliquæ omnes hujus generis.

* 3. *Rapuntium urens Soloniense* Bocconi; *Draba flore cæruleo galeato* C. B.

Boccon.

Radix huic minimi quasi digiti crassitudine, albicans, ex pluribus in apicem congestis seu concurrentibus Asclepiadis modo, non sine fibris. *Caulis* pedalis & bipedalis, atque in udis etiam major. *Folia* uncias tres longa, unam lata, tenuia, ambitu crenato, pallidè virentia, lata basi caulem cingentia. *Flores* è foliorum sinu exeuntes [in summis caulibus & ramulis plurimi velut in spicis] purpuro-cœrulei, in fundo integri seu fistulosi, per oras quinquefariam divisi, Cardinalis floris aut Rapuntii coccinei quadantenus æmuli, subsequente *semine* ruffo, lucido, capsulis triangularibus (Rapunculorum more) incluso, ex foraminibus quibus capsulæ pertunduntur effluente. Tota planta præfervidi gustûs est, atq; gustata linguam vellicando quasi accendit & urit: quin & è quacunque parte vulnerata lacteus succus emanat.

Locus. In humidis ericetis & sylvis annosis passim in agro Soloniensi, inque ericetis *Regiæ* intra septa *Chambort* passim in humidis viget.

* 4. *Ra-*

* 4. *Rapuntium Æthiopicum violaceo galeato flore, foliis Pinastri* Breynii.

Breyn.
Ex radice lignosa *virgulas* dodrantales profert, interdum etiam ampliores, lignosas, tenues, non valdè ramosas, *Foliis* uncialibus, angustissimis, rigidis, triquetris, Pinastri æmulantibus, Chamæpeuces Alpini in modum, circumquaq; densè stipatas. *Flores* in virgularum & ramulorum summitatibus, ac aliquando etiam lateribus, pediculis longis innixi haud multum à *Floris Cardinalis* dicti differunt, coloris autem violacei, Ajugæ non multo majores; labello antè in lacinias quinque diviso, in fundo verò integro seu fistuloso, constantes: è cujus centro cuculli loco *stylus* prominet longus, cujus extremitati crassum, oblongum, subalbidum, anteriùs pilosum caput, Rapuntiorum aliorum galeatorum ritu insidet. *Fructum* & *semen* non vidit Breynius.

* 5. *Rapuntium Æthiopicum cœruleo galeato flore, foliis Coronopi* Breynii.

Breyn.
Perelegans & humilis est planta, plurimis viridibus, hirsutis & teretibus prædita ramulis, per quos *Folia* nullo certo, sed confuso ordine posita cernuntur, pollicaria, angusta, hirsuta, in lacinias aliquot laterales, instar Coronopi, vel potiùs Leucanthemi Alpini *Clus.* divisa. Ramuli in *pediculos* abeunt graciles, nudos, læves, uncias quatuor vel quinq; longos: quorum apices sæpissimè rursus in duos pedicellos unciales dividuntur, in quibus singulis *flos* altero tanto, imo & triplo major, Cyani sive Lazuli cœleste decus æmulans, & longâ in medio maculâ alba notatus; qui anteriùs in fissuras breviores latioresq; divisus, & ex calyculo quinquefoliato, hirsuto, originem suam primæ in modum speciei petit.
Hoc cum antecedente primùm in Europam, anno 1663. Domino à Beverningk ex promontorio Bonæ Spei siccum transmissum.

* 6. *Rapuntium Æthiopicum cœruleo galeato flore, foliolis dentatis* Breynii.

Breyn.
Tenues & humi diffusos habet hoc genus *cauliculos*, frequentes, sesquipedales, interdum ampliores, *Foliis* parvis, crassiusculis, per circumferentiam crenatis, alternatim positis, & versus unam partem frequenter se torquentibus, amictos. *Flores* in extremis ramulis juxta longitudinem inter folia spicatim quadantenus exeunt, figura & magnitudine primi generis, coloris autem dilutè cœrulei.

* 7. *Rapuntio affinis Lini facie Capitis Bonæ Spei* Breynii.

Breyn.
In locis herbosis Promontorii bonæ spei nascitur hæc prorsus nova & venusta planta, Lini sylvestris magnitudine & facie, sed magis lignosa, numerosioribúsq; ramulis, quos *Folia* bina è regione ambiunt, lætâ viriditate picta, & Lini effigie. *Flores* caulium & ramulorum cymis, ex albo suaviter rubentes, seu humani vultus formosam temperiem bellè repræsentantes, innascuntur, eodem ordine & figurâ, quâ Lini sylvestris, ex quinis itidem foliolis conflati. Ast oblongus, subrotundúsque qui flori subest *fructus* plantam hanc Rapuntio alteri leptophyllo capitato *Col.* magis affinem declarat; quamvis calyculus ipsi subsideat parvus contra morem Rapuntii.

Cap. VI.

De Stramonio.

STramonii notæ genericæ sunt Flos ex oblongo tubo calathoides; conceptaculum seminis grande, in quatuor loculamenta divisum, in plerisque speciebus spinosum, facultas virosa.

1. *Solanum multis dictum seu Pomum spinosum* J. B. *Stramonium peregrinum* Ger. *minus, sive Nux Metel flore albo* Park. *Solanum pomo spinoso rotundo, longo flore* C. B. *Stramonium fructu rotundo, deorsum spectante & aspero* Col.

J. B.
Cubito altior est, *radice* multifidâ, lignescente. *Folia* per caulem longis appensa pediculis, ampla, sinuata, gravem odorem spirantia. *Flores* ex longo tubo calathoides, ampli, candidi, margine anguloso, quina in medio stamina cum longis apicibus occultant; quorum unumquodque sequitur pomum orbiculatum, Juglandis putamine calloso adhuc involutæ magnitudine, bullatum, brevibúsque spinis asperatum, *semine* compresso, cinereo.
Parkinsonus caulem simplicem, non ramosum huic plantæ attribuit.
Locus. Ex Asia & Ægypto allata sunt ejus semina.

Vires. Fructus ipse ac etiam tota planta soporiferæ sunt facultatis. Nucem Methel esse affirmant Pharmacopœi & Physici orientales, quia facultatibus iis præditus sit hujus fructus, quas Nuci Methel Avicenna tribuit. Eosdem autem effectus habere experientiâ comprobari testatur Dalechampius.

2. *Solanum fœtidum pomo spinoso rotundo, semine pallido* C. B. *Datura Ægyptia* Vesling. in Alpin. de plant. Ægypt. *Datura Contarena* Alpin. exot. *Ægyptiaca flore pleno* Ponæ Ital. *Stramonium minus flore geminato purpurante* Park. parad. *fructu rotundo, foliis per ambitum Xanthii modo incisis* Col.

Vesling.

Longâ crassâque fundatur *radice*, quæ subrubro perfusa colore odorantium capitibus gravedinosum Meconii halitum inspirat. Surgit ab ea *caulis* singularis, sed amplus, ramisque plurimis porro diremptus. Vidi quaternis quinisque ferè cubitis adultum, totum rotundo schemate, violæ obscurioris ornatu splendidè coloratum. *Folia* longis petiolis insistentia, virorem suum nigredinis aliquâ mistura obscurant, quorum inferiora producta ampliùs magisque dilatata variis utrinque divisuris inæqualiter exasperantur. *Florem* producit non vulgaris elegantiæ specimen, unicum odoræ suavitatis in totâ planta compendium. Hunc denticulato calice enixum, ab angustiore cervice, medióque turgidulo ventre tubuli instar sensim diducit. Foliis constat, modò simplici, duplici modò, imò & triplici, quamvis hoc alterius additamentum videatur. Externâ facie purpuræ decorem induunt, internâ lacteo candore largiùs perfusi flores, omnium hoc proprium est ut resupinatis labris in lacinias aliquot dirimantur, quæ retortis sensim oris collectæ velut in caudas attenuantur. Fructum edit plus minúsve rotundum, spinoso horrentem cortice, nonnunquam innoxiâ scabritie æquabiliorem, quâ *semina* copiosa flava primùm, tandémque pallescentia complectitur.

Hujus fructum Prosper Alpinus ex communi sententia Nucem Methel, plantam ipsam verum Dioscoridis Stramonium pronunciat. Viri clarissimii ad seminis vim deliram pariter ac stupefactoriam respicientes Solanum maniacum Theophrasti & Hippomanem Cratevæ nuncupant; ab Ægiptiis vulgò Datura vel Tatura appellatur.

Frigoris minùs patiens est, unde semen raró in hortis nostris perficit.

3. *Stramonium majus album* Park. *Stramon. spinosum* Ger. *Stramonia altera major sive Tatura quibusdam* J. B. *Solanum fœtidum pomo spinoso oblongo* C. B. **Thorn-Apple of Peru.**

J. B.

Est ubi humanam proceritatem adæquat, ramis patulis brachiata, *caule* crasso, subhirsuto. *Folia* sinuata, Pedis Anserini vocati foliorum instar, sed quadruplo aut quintuplo majora, abominando putore nares ferientia. *Flores* ad ramorum divaricationem ferè, niveo candore insignes, ex tubulo pentagono in longum latúmque calathum explicantur continuum, per marginem quinos mucrones totidem fissuris interceptos habentes, odore grato, sed obscuriore, in quibus latent *stamina* quinque, longa, herbida, *apicibus* ochris lineâ albâ variatis, unáque pistillum albidum. Cæterum floris tubulum obvolvit laxior folliculus quinquangularis, totidem laciniis, totidémque mucronibus alternis per oram divisus. *Fructus* succedit altero tanto major quàm Juglans suo callo obducta, oblongus, turbinatus, pungentibus spinis undique senticosus, qui per maturitatem in quatuor partes æquales dehiscit, dissepimento membranarum, quibus *semen* copiosum adhæret, nigrum, compressum, medullâ albâ, sapore ingrato, distinctas. *Radix* subest ex numerosis fibris compacta.

Variat floris colore, nimirum vel flavo, vel Hyoscyami floribus accedente. Hinc tria hujus plantæ genera Acostæ cap. 53. & Costæo. Columna quoque *Annotat. in res Medic. Novæ Hisp.* has pro distinctis speciebus habet.

4. *Stramonium majus purpureum* Park. parad.

Park.

Magnitudine & figurâ partium omnium, caulis foliorum, florum, fructus cum præcedente convenit: colore caulium obscurè purpureo, foliorum viridi saturatiore nonnihil purpurascente, florum denique dilutiùs purpurascente ex albo differt.

Hanc plantam in hortulo nostro Cantabrigiæ unà cum proximè præcedente aliquot annos coluimus, nec tamen, quantùm observavi, semine satæ unquam speciem mutârunt, sed suum singulæ genus semper propagârunt, quo fit ut specie distinctas existimem.

Habemus insuper Stramonii pumilum genus flore albo; quod non alia in re quàm staturâ & parvitate à Stramonio albo majore differt. Foliorum & florum, necnon fructuum figura, situs, magnitudo par: verùm bipedalem altitudinem rariùs excedit. Caulis insuper ramosus, & eodem quo illorum modo divisus. Ex semine autem deciduo facilè seipsum renovat.

5. *Solanum fœtidum pomo grandibus aculeis donato* Moris. prælud. *Stramonium ferox* Boc. *Datura Cochinensis spinosissima* Zanoni.

Bocc.

Ad Stramonii majoris altitudinem propè accedit (minor erat multò in horto nostro) *Ramis* constat latè expansis quasique brachiatis; *caule* crasso, cavo, medulloso & ramoso; foliis angulosis, sinuatis ad Pedis anserini dicti folia accedentibus, majoribus paulò atque crassioribus, è virore pallescentibus. *Flores* ad ramorum pæne omnium divisionem candidi absoluti, cœruleíve, qui in folliculo quinquangulari è longo tubo in calathum laxantur continuum, quinis angulis quinisque fissuris distinctum: in hisce floribus sunt stamina quinque cum pistillo. Florem excipit *fructus* Nuci

Juglandi

Juglandi magnitudine & formâ similis, crassioribus quàm in Datura putata spinis horridus & senticosus, unde ferox mihi dicitur, quatuor membranis intus divisus, è quibus nescio quid fungosum reflectitur, cui *Semen* adhæret copiosum, renis formâ, rugosum seu asperum, medullâ albâ refertum. *Radix* subest è numerosis fibris composita, annua. Floret æstate & semen perficit versùs finem Autumni.

Hujus si plenissimam & accuratam omnium partium descriptionem desideras, Jacobi Zanoni historiam Italicè conscriptam adeas.

Vires. Stramonii semen in pulverem redactum & in potu exhibitum mentem turbat & alienat, insaniam quandam 24 horas durantem inducens, unde à furibus inditur in cibos eorum quos depredari volunt referente Gareto; Acosta autem impudicas mulieres illum ʒß. pondere amasiis suis ex vino aut alia quæ magis arridet materia præbere ait. Miser qui eum hausit diu velut mente alienatus remanet, aut ridens aut ejulans, aut dormiens, plerunque etiam alteri colloquens & respondens, ut interdum etiam sana mente esse credas, tametsi mentis non sit compos, neque eum agnoscat cum quo sermones confert, & colloquii habiti planè sit immemor postquam ad se redit. Sunt verò nonnullæ adeò exercitatæ in hoc medicamento exhibendo, ídque sic temperare nôrunt, ut ad certas, easque quot velint horas, quibus id propinant mentem adimant. Nonnulli tamen ad provocandas urinas ex medicis Gentilibus utuntur. Horum prima cura est medicamenta vomitum cientia exhibere; deinde acres clysteres injicere, fortésque ligaturas & fricationes brachiis cruribúsque adhibere, interdum etiam cucurbitulas applicare; quæ si non juvant venam secare in majore pedis articulo necesse est.

Gentiles verò Medici & Christiani indigenæ, cùm à cucurbitulis & venæ sectione abhorreant, nihil aliud quàm vomitum provocant, fortésque ligaturas & fricationes adhibent. Quæ si non sufficiant, balnea ex aqua calida præscribunt ad eliciendum sudorem: porrò à vomitu vinum propinant cui piper & cinnamomum admiscetur.

Radicis drachma ex vino pota somnum profundum inducit, in quo varia insomnia & miræ rerum facies obversantur.

Semina per noctem in aceto macerata deinde exactè trita, utiliter illinuntur herpeti miliari & erysipelatis serpentibus.

Unguentum ex succo foliorum cum adipe porcino paratum, ad partem aliquam aut membrum corporis igne vel aqua fervente ustulatum sanandum efficacissimum esse remedium multorum experientiâ comprobatum est.

6. *Daturæ Malabaricæ Hummatu dictæ prima species* Hort. Malab.

Hort. Malab.

A Stramonio majori albo superiùs descripto parùm differt; nimirum floris origine è foliorum sinubus, cùm in Stramonio majore albo flores in angulo divaricationis ramorum ferè siti sint; tum fructus per maturitatem colore viridi, & seminum flavo seu subruffo, cùm illius fructus maturitate flavicent semina prorsus nigra sint.

Verùm hæ differentiæ non tanti sunt, ut specie distinctas putem: nam & in Stram. albo vulg. flores superiores è foliorum sinubus exeunt: & in *Hummatu* forte fructus & semina ante plenam maturitatem descripta fuere, vel forte etiam colore variant: reliqua certè descriptio Hummatu egregiè convenit Stramonio prædicto.

Vires. Herba trita & mixta cum oleo *Sirgelim* membris tumefactis imponitur. Succus foliorum expressus, & mixtus cum Saccharo dicto Lusitanis *Jegra de câna* confert in morbo sacro, parte affecta cum eo unctâ. Semina ad tria numero sumpta conducunt in febre frigido: eadem trita & mixta cum aqua in qua macerata fuit Oryza membris tumefactis commodè imponuntur. *Hort. Malab.*

Quàm periculosus sit seminum usus internus superiùs ostendimus.

* 7. *Nila hummatu, Daturæ Malabaricæ secunda species* Hort. Mal.

Hort. Malab.

In humanam altitudinem assurgit, *radice* fibrosa, abicante, *stipite* purpuro-cœruleo seu purpuro-rubro & nigricante. *Folia* quàm præcedentis minora, petiolis interiùs purpuro-rubescentibus appensa, oblongo-rotundo, cuspidata, uno latere ex inferiore parte petioli producta, margine æquabili, maxima ferme ad medium latitudine tactu lenia & fractu facilia, costis quæ obliquo & annulari ductu ex media exeunt, ac venulas etiam transversas emittunt, in adversa striata, odore quoque gravi: in foliis tenerrimis adversa pars ex rubro in totum nigricat, interiore viridi.

Flores ejusdem formæ, sed colore in totum ex cœruleo-purpureo-rubro fusci, qui in calyce magis fuscescit cùm in gemmis sunt; pars interior campanæ albicat.

Fructus oblongo-rotundi sunt, alii glabri, alii gemmulis hinc indè rigidis, ac valdè nitentibus, & purpureo-rubris obsiti, colore primum viridi, qui in purpureo-rubrum facessit. Calyx quoque rotundus sed minor, & fructui minùs proximè adstans. Semina ejusdem formæ ac coloris.

Locus. In arenosis crescit, & toto anno, maximè autem tempore pluvioso floret.

Vires. Decocta proficua est pro membrorum doloribus vel pro eorum induratione in ablutione corporis, uti & pro febre frigida cùm ejus decocto in oleo corpus ungatur, ad quod etiam servit radix eodem modo usurpata. Folia trita cum calce serviunt pro pruritu corporis facta perunctione.

Foliorum & fructuum decoctum cum oleo dolores corporis mitigat eodem modo adhibitum. Fructus contusi & triti demptis seminibus perbellè sanant apostemata & carbunculos iis impositi.

Semina largiùs sumpta saporem inducunt, ac periculosa est eorum sumptio, necem adferens.

Hæc in virtute prima est excellentior.

* 8. *Mudela-nila-hummatu, Daturæ Malabaricæ tertia species.*

Hort. Mal.

A præcedente nonnisi in *floribus* differt, qui huic duplicati sunt vel triplicati, altero alteri innato, ut in Datura Contarena, quorum secundus ex primo, qui latiori est orificio, duos ferme transversos digitos, tertius ex secundo fermè tres eminet. Sunt autem flores singulares orificio minùs lato quàm præcedentis, quinque cuspidibus longioribus, ac medio inter duos cuspides intervallo unâ plicâ corrugati, & exteriores duo è fundo ad singulos cuspides tribus nervis parallelis paullum eminentibus striati, interior uno nervo eminente & duabus venis parallelis.

Intra hasce campanas, ubi se arctè in collo apprehendunt etiam oblongo-angusta foliola, quorum alia supernè, alia infernè exoriuntur, exteriori superficiei interioris campanæ arctiùs annexa, parte exteriore quoque rubro-fusca; purpurascentia, interiori albicante conspiciantur.

In flore interiore *stamina* quinque rubro-purpurascentia cum oblongis surrectis apicibus ut in *Nila-hummatu* proveniunt, parte inferiori, quà quadrata, striata pilosa & candida, collo campanæ annexa & agglutinata. *Stylus* in totum purpurascens, supernè crassior ex capitulo oblongo, nigricante, purpureo, quod rudimentum fructus est, emergens.

Calyx quinque cuspidibus quoque eminet, ac versus singulos cuspides uno nervo eminente in longum striatus est, colore rubro-nigricante purpureo.

Hanc speciem superioris tantùm varietatem esse suspicor.

* 9. *Datura Indica foliis Malabathri* Breynii.

Breyn.

Ramus hujus ex India sub nomine *Dotter* seu *Dutroa* ad autorem transmissus pedalis longitudinis, quadrangularis, hirtus, & frequentibus internodiis distinctus erat; cui *folia* ex adverso bina adnata sunt, uncias quatuor aut quinque longa, duas lata ubi latissima, nervis, venis & toto habitu Malabathrum exquisitè repræsentantia, nisi quòd substantiâ minùs solidâ, magis herbaceâ, ac in utrâque planitie pilis albis, brevibus atque subasperis, sicut & petioli illorum parvi quibus innituntur, sint obsita. E foliorum ortu ramusculi eodem ordine & serie quo folia ipsa procreverunt, foliis itidem geminis, sed quadruplo minoribus condecorati. Geniculum autem superius ramulorum loco *flores* binos, & rami cacumen quaternos, in angulos quatuor aut quinque desinentes, Hyoscyami haud dissimiles, sed ex calyculis planè hirsutis, asperis & veluti argenteis prorumpentes, ostentat, quorum observare colorem non licuit; neque de fructu & semine, an Daturæ vel Stramonio rectius æquiparanda, quicquam certi habere potuit.

LIBRI

LIBRI DECIMI QUINTI
SECTIO SECUNDA.
De Herbis flore monopetalo difformi.

Herbæ flore monopetalo difformi sunt vel Pericarpio seu Vasculo subrotundo, bivalvi; Flore

Rictum exprimente; major & elatior; caule multis foliis cincto; LINARIA.

Violam referente, pusilla, palustris; caule nudo, unico in summo flore; foliis humi stratis, pallidis, humore pingui madentibus; PINGUICULA.

Rictum exprimente absque calcari; vasculo in bina loculamenta diviso, è tribus foraminulis semina fundente, vituli nares referente; ANTIRRHINUM.

Semifistulari seu corniculato, cum labello in palæ formam producto; pericarpio grandi, in sena loculamenta diviso; ARISTOLOCHIA.

Auriculato parvo; pericarpio bivalvi; foliis in caule ex adverso positis; SCROPHULARIA.

Dactylothecam referente, pendulo; floris calice itidem bivalvi; DIGITALIS.

Galeato; seminibus

Compressis, florum calicibus
Membranosis tumidis & velut inflatis, vascula seminalia occultantibus; PEDICULARIS, *Crista Galli.*
Tumidioribus,

Magnis, granorum Tritici æmulis, foliis paucioribus venis conspicuis; folio brevi laciniato & canaliculato pericarpium sinu suo excipiente; MELAMPYRUM, *Triticum vaccinum.*
Minutioribus; foliis ad margines serratis; EUPHRASIA.

Antirrhinum minimum dictum Linariæ species est, quia flos ejus rictum exprimit & calcari donatur; capsula quoq; seminalis binis loculamentis distincta est. *Elatine* quoque dicta utraque eodem pertinet ob easdem rationes. Tandem *Cymbalariæ Italicæ* nomine nota genuina Linariæ species est. Quæ flore sunt galeato omnes vasculo etiam sunt bivalvi, seu in bina loculamenta partito.

CAP. I.
De Pinguicula.

PINGUICULA Gesnero dicitur quòd folia ejus ad tactum pinguia sint ac si oleo aut butyro oblinerentur.

A. 1. *Pinguicula Gesneri* J. B. *Pinguicula sive Sanicula Eboracensis* Ger. Park. *Sanicula montana flore calcari donato* C. B. Butter-wort, Yorkshire Sanicle.

J. B.
Fibris aliquot albis pro plantulæ modulo satis crassis, non admodum altè in terram demissis radicatur. *Folia* per terræ superficiem sparsa sex aut septem, & interdum plura, pallidè ex luteo viridia, pinguiuscula & nitida ac si oleo aut butyro oblinerentur, binas uncias longa, unciam circiter lata, per extremum nonnihil obtusa, marginibus æqualibus & minimè crenatis. [Supina folii superficies brevi admodum lanugine curiosè intuenti obducta cernitur.] Inter hæc surgunt *pediculi* aliquot palmares aut altiores, quorum unicuique in summo fastigio hæret *flos* unicus purpuro-violaceus aut albus, Violæ

Violæ ſimilis, monopetalos tamen, calcari longo donatus, in quinque ſegmenta diviſus. [Noſtratis flos ferè ſemper dilute purpuraſcit aut ex pallida purpura cœruleſcit].

Locus. In paluſtribus humidis, & montoſis udis ubi aquæ ſcaturiunt ſæpius occurrit.

2. *Pinguicula flore albo minore, calcari breviſſimo.*

Hanc in ſummitatibus montis Juræ locis udis reperimus.

3. *Pinguicula flore amplo purpureo, cum calcari longiſſimo.*

Hanc unà cum priore iiſdem in locis obſervavimus. Floris colore ſaturè purpureo, ejuſdémque magnitudine & calcari prælongo, tum à præcedente, tum à vulgari noſtrate differt.

A. 4. *Pinguicula Cornubienſis flore minore carneo.*

Folia huic circa margines reflexa ſunt & velut convoluta, pellucida ferè, & venis rubentibus ſtriata. *Flores* quàm in vulgari noſtrate multo minores pallidiores, & ad incarnatum colorem dictum accedentes.

Locus. In Cornubia locis paluſtribus obſervavi circa *Kilkhamton* & alibi.

Vires. Vulnera recentia & plagas curare dicuntur folia trita & impoſita. Succo ejus pingui & butyroſo illito tum manuum rimas, tum tumores & fiſſuras in uberibus vaccarum ruſtici ſanant. Hinc & Saniculæ Eboracenſis ei nomen inditum. Plebs Wallica ſyrupum ex ea conficit, quo ſe ſuóſque purgant: quin & herbam juſculis incoquunt in eundem uſum. Purgat enim pituitam ſatis ſtrenuè. Præterea unguentum ex ea conficiunt ad obſtructiones hepatis utiliſſimum.

Dalechampius aſſerit radicem piſtam & pro malagmate impoſitam tertio die curare iſchiadicos, eandem tritam & impoſitam locis dolore affectis quoſvis dolores ſanare. *At radix nimis parva eſt quàm ut pinſi poſſit in hunc uſum.* Camerarius teſtatur vulnerariam eſſe herbam, præſertim ad ramicem puerorum eximiam. *S. Paulus.*

Tingit crines flavedine, & inſervit inſtar gummi ad contorquendos mulierum capillos. *Idem.*

CAP. II.

De Linaria.

Linaria dicitur à foliorum ſimilitudine cum Lini foliis.

Character ejus genericus eſt flos rictum exprimens, calcari donatus, cui ſuccedit vaſculum bivalve.

A. 1. *Linaria lutea vulgaris* Ger. J. B. *vulgaris noſtras* Park. *vulgaris lutea flore majore* C. B. **Common yellow Toad-flax.**

Radicibus albis, duris, lignoſis ſub terra reptando immensùm ſe propagat, ſi locus ſuppetat. *Caules* ex eadem radice plures ſurrigit, pedales aut cubitales, glabros, glaucos, *foliis* veſtitos crebris, nullo ordine poſitis, anguſtis, acutis, Pityuſæ ſimilibus adeò, ut niſi lac deeſſet difficile foret diſtinguere, antequam floreat planta. Caules autem ſumma parte ramoſi: *Flores* in ſummis caulibus & ramulis velut in ſpicas aut thyrſos digeſti, ſinguli pediculis brevibus, è foliorum alis egreſſis inſident, lutei, rictu croceo, labello trifido, erecto folio in duas velut auriculas diviſo, poſtica parte calcari ſeu corniculo, oblongo, acuto, Conſolidæ regalis in modum producto, quo ab antirrhini floribus differunt, quibus aliàs perſimiles ſunt. *Calix* floris parvus, quinquepartitus. *Vaſculum* ſeminale turgidulum per maturitatem in duas carinas dehiſcit, *ſeminibus* planis rotundis. Sapor plantæ amariuſculus & ſubacris.

Locus. Ad agrorum margines & vias publicas, ínque paſcuis ſterilioribus frequens occurrit.

* 2. *Linaria latifolia triphyllæ major* C. B. *Cretica latifolia major* Cluſ. Hiſt. Park.

A ſequenti planta (cui aliàs perſimilis eſt) differt *caulis* altitudine cubitali aut ampliore, eóque in multos ramos diviſo, quem ambiunt *folia* modò bina, interdum terna ſimul, aliquando incondita & nullum ordinem ſervantia, latitudine interdum unciali. Vaſcula ut in aliis Linariæ generibus nigrum ſemen continentia. Deſcriptionem pleniorem vide apud Cluſium & C. Bauhinum, ſufficit nobis notas poſuiſſe quibus à ſequente differt.

* 3. *Linaria triphyllos minor lutea* C. B. *Valentina* Park. parad. *Hiſpanica* 1. Cluſ. *Linaria trifolia* J. B. *Valentina Cluſii* Ger.

J. B.

Caules ternos quaternóſque ab eadem radice profert, pedales & longiores, craſſiuſculos, ſucculentos, teretes, inferiore parte rubentes, ſuperiùs viridantes; quos ambiunt *folia* ex certis intervallis pulchrè diſpoſita, ex eodem loco terna, caulem amplexantia, potiſſimùm parte inferiore, circa faſtigium enim ſparſim nullo ordine digeruntur: accedunt verò nonnihil ea ad Telephii folia, minùs craſſa, ſucculenta, minimè tamen per ambitum inciſa, circa exortum latiuſcula, in obtuſum deſinentia,

tia, pari ferè latitudine cum longitudine, ſinuatis nervis ad modum ferè plantaginis, poſtica parte minimè apparentibus, donata, acetabuli inſtar concava, cœleſtémque aquam exceptam continentia, ſapore amaricante. Verùm *flores* ſerie longa diſpoſiti, Linariæ vulg. ſimiles ſunt, lutei, tinctiore tamen labello, & rictu lanuginoſo, corniculo purpuraſcente, extra folia viridantia, quæ floris baſin ambiunt, porrecto: Floribus ſuccedunt capitula rotunda, in quibus *ſemen*, quod nec Cluſio nec J. Bauhino videre contigit. *Radix* ſingularis, craſſiuſcula, alba.

Locus. Circa Valentiam in pratis & locis umbroſis Martio florentem obſervavit Cluſius Linariam latifoliam triphyllam majorem *C. B.* Linariæ latifoliæ Valentinæ Cluſii nomine à Doldio miſſam nos cum J. B. non diſtinctam ſuſpicamur à deſcripta. C. B. præter mentem Doldii à Linaria Valentina Cluſii plantam à ſe in Prodromo ſub titulo allato deſcriptam ſeparat, & cum Linaria Cretica latifolia Cluſii conjungit. Et revera Lin. Cret. latif. Cluſii in omnibus ferè convenit cum planta nobis hoc in loco ex Joanne Bauhino deſcriptâ; præcipua & ferè ſola differentia eſt, quòd caules in *Cretica* Cluſii h. e. latifolia triphylla majore Bauhini in multos ramos diviſi dicantur, cùm J. B. in deſcriptione ſua ramorum non meminit: quam notam ab eo fortuitò omiſſam putâſſem, cùm pictura ramulos exhibeat, niſi Paulum Boccone in *Linariæ* ſuæ *Siculæ latifoliæ triphyllæ* deſcriptione hâc ſolâ notâ exceptâ, Bauhinianam Linariam triphyllam latifoliam cum ſua omnino convenire obſervantem animadvertiſſem. Sunto ergo, ſi videtur, Linaria Cretica latifolia *Cluſii* & Linaria triphylla latifolia *C. B.* una & eadem plantæ ſpecies, & diverſa à Linariâ trifoliâ *J. B.* h. e. Linariâ Siculâ latifolia triphyllâ *Bocconi*, Lin. Valentinâ *Cluſ.* cùm hæ caules habeant ſimplices & indiviſos, illæ ramis brachiatos. Mihi tamen nondum ſatisfactum fateor.

* 4. *Antirrhinum minus flore Linariæ luteum inſcriptum* Ger. emac. App.

Ger. emac.

Multos hæc cauliculos ſeu ramulos, tenues, teretes, glabros humi ſparſos initio à radice promit uncias quatuor aut quinque longos, foliolis crebris, viridibus, brevibus, acuminatis, Serpylli æmulis, niſi quòd longiora, glabra, tres quatuórve ſimul inter ſe oppoſita veſtitis inter quos exurgunt quinque aut ſex, interdum decem aut duodecim, recti, teretes, tenues, glabri *cauliculi*, cubitum alti, in ramulos diviſi, longis, anguſtis, tenuibus, virentibus, nullo ordine poſitis *foliolis* amicti. Summis caulibus & ramulis innaſcuntur quinque, ſex aut plures *floſculi* lutei, conferti, ab imo ſurſum versùs paulatim florentes, longam relinquentes ſpicam minutiſſimorum pericarpiorum, bifariàm lineâ impreſſâ diviſorum, ac ſi duæ valvulæ junctæ eſſent, altera ex valvulis alterâ paulò longiore: in quibus continetur *ſemen* minutiſſimum, nigricans. *Radix* brevis, exigua, alba, paucis fibris donata, annua.

* 5. *Linaria Sicula multicaulis, Molluginis folio* Bocconi.

Bocc.

Caules huic cubitales ſunt, rotundi, ramoſi, ſubrubentes. *Folia* anguſta, unciam longa, inferiora circum genicula ſtellatim radiata, Molluginis inſtar, ſuperiora autem inordinatè diſpoſita, illáq; Kali modo carnoſa, ſulco canulato per longitudinem decurrente. *Flores* lutei, & vulgaris Linariæ minores. Floribus fatiſcentibus ſuccedunt *Capitula* rotunda, in quibus *ſemen* latet. *Radix* ſubeſt perennis, tenuis & fibroſa.

Locus. Panormi tota æſtate floret, & copioſè etiam alibi in Sicilia.

Cùm dubitet Paulus Boccone annon Linaria Cretica anguſtifolia *Cluſ.* cum planta hîc propoſita ſpecie conveniat, ejus deſcriptionem ſubjiciemus, ut Lector ſtudioſus eas invicem conferat: nobis autem proximè accedere videtur ad *Linariam tetraphyllam luteam minorem* Columnæ, quam idcirco proximo [poſt Creticam Cluſianam minorem] in loco proponemus: Sola differentia eſſe videtur in numero foliorum ad ſingula genicula caulem ambientium: & quòd caulis Columnæ non dicatur ramoſus.

* 6. *Linaria Cretica anguſtifolia* Cluſ. Park. *Linaria quadrifolia exiguis floſculis cinereis* C. B. *Q. an eadem præcedenti?*

Cluſ.

Virgas initio profert ab unâ *radice* ſatis copioſas, rotundas, læves, ſeſquipedalis vel pedalis longitudinis, quos binis aut ad ſummum ternis intervallis quaterna ſimul ambiunt *folia*, vulgaris Linariæ foliis duplo anguſtiora, deinde alia ſingularia, nullo ſervato ordine. Virgis innaſcuntur frequentes ramuli, foliis valdè tenuibus donati, qui velut ex umbella exigua (cujus forma paullatim evaneſcit) *flores* protrudit valdè exiles, qui quinque foliolis conſtare videntur, binis ſcilicet erectis ſupra caſſidem albicantem vel cineraceam, binis latera occupantibus & uno propendente, caudâ inſuper ſive calcari ſub illis conſpicuo, antrorſum reflexo. *Semen* in pericarpiis ſeu vaſculis, Lino ferè ſimilibus, cineraceum & planum, quod deciduo flore brevi matureſcit, etiam herbâ adhuc virente.

Florebat ſub finem Julii.

* 7. *Linaria quadrifolia lutea* C. B. *tetraphylla lutea minor* Col. *Quintæ eadem videtur.*

Col.

Plantula eſt pedalis, exigua *radice*, viticulis multis, ſupinis aſſurgens; ſed *caulis* eſt rectus, geniculis ſingulis quaterna *folia* promens, in imo minora, atque à medio ad ſummum non quaterna, ſed alternatim ſingula, & breviora: *folia* Lini aut Linariæ æmula, colore Braſſicæ, infernè canaliculata, cauli cruciatim erecta hærentia. *Flores* in ſummo pauci, è petiolis brevibus prodeuntes, calycibus

bus quinquefoliatis hirsutis insidentes, effigie atque positu Linariæ vulgari similes, verùm minores atque lutescentes. *Fructus* crassi, rotundi, sex lineis distincti, apicello in summo emicante, in quibus *semen* nigrescens, lunatum, ut in congeneribus. Sapor idem amarus qui in aliis.

Tempus & Locus. Aprili mense floret, & æstate perficitur. Anversæ Valvensium in montium lateribus Soli expositis sterilibus oritur.

C. Bauhinus in pinace duarum Linariæ luteæ specierum meminit, quas tamen non describit.

Primam Linariam rectam angustifoliam IV. facit, titulo *Linariæ luteæ montanæ Genistæ tinctoriæ folio:* quæ inquit ad montem S. Bernardi, floribus aureis, mediæ magnitudinis reperitur.

Secundam, Linariam rect. angustif. V. titulo *Linariæ luteæ flore minimo:* quæ in agris Provinciæ Galliæ, brevibus & angustis foliis & minutissimis flosculis luteis occurrit. Hæc Linaria minor æstiva *Ger. emac. App.* forté.

Paulus Boccone Linariæ cujusdam meminit, quam pumilam triphyllam Siculam *appellat;*

Cui pro plantæ tenuitate *radicem* satis crassam attribuit, plurifariam in ramos divisam, non sine fibris quibusdam etiam adnatis: *Cauliculos* tres aut quatuor, palmares, geniculatos, per terram stratos, circa quos *Folia* parva, subrotunda, Cruciatæ *Dod.* magnitudine, decussatim ad genicula composita. Hujus flosculos non observavit; quare nescio unde ei constare potuit Linariam fuisse quam describit.

Locus. Ad montes Hyblæos in oppido *Melilli* nascitur.

Vires. Linaria lutea vulgaris alvi turbatrix est, autore Trago. Urinam tam potenter pellit, ut inde *Harnkraut* Germanis appelletur. Aquæ quantum vitrum exiguum capiat, admixtâ drachmâ corticis ebuli in pulverem redacti sumpta potio urinam potenter cit, quare hydropicis tantùm id medicamenti exhibendum erit. Eadem aqua destillata pota alvum laxat, morbum discutit Regium, adversùs quem herba ipsa in vino decocta ac pota inprimis facit, sicut & jecur obstructionibus liberat. Eadem aqua aut succus oculis inditus inflammationes eorum & ruborem tollit, quod se experientia & longa observatione didicisse scribit Tragus. Eadem linteolis imposita quævis ulcera emundat si cum ea colluantur loci affecti. Succus idem maculas & vitia faciei emendat. *Trag.*

Icteris non recentibus tantùm sed jam ad hydropem spectantibus verissimum & efficacissimum præstat commodum, observante Lobelio *in Adv.*

Sunt qui herbam hanc intra calceos plantis pedum supponunt ad febrem quartanam abigendam.

Ad dolorem hæmorrhoidum, ℞. Herb. Linariæ cum flor. q. s. decoquatur cum adipe porcino, quousque adeps valdè virescat, fiatque unguent. cui expresso & parum refrigerato vitellus ovi admisceatur. Ego non soleo vitellum ovi miscere nisi applicationis tempore, usûque comperi unguentum in hac regione viriditatem amittere post annum, & cum eâ virtutem: id quod Massiliæ non contingebat. *Chesneau.* Habui ab ingeniosissimo viro mihique amicissimo D. *Edw. Hulse M.D.*

Linaria sanat incredibiles hæmorrhoidum dolores, Grembs & Cardilucio autoribus, item Sennerto. D. *Tancredus Robinson.*

* 8. *Linaria pumila Hispanica* Park. *pumila supina lutea* C. B. *lutea parva serpens* J. B. *Osyris flava sylvestris* Lob. Ger.

Clus.

Palmaribus exit *virgulis*, frequentibus, humi sparsis, quas vestiunt *folia* vulgaris foliis similia. Extremos ramulos occupant multi *flores* flavi, vulgari minores, velut in spicam congesti; quibus succedunt capitula minora quàm in vulgari, exiguo *semine* nigro plena. *Radix* tenuis est & candida; vulgaris modo serpens. Valdè amara est, & quia plerunque cum Chamæpity nascens reperiatur, adeóque pumila sit, Salmanticenses Chamæpityos genus esse censebant.

Locus. Salmanticensi agro, aridis locis provenit, ubi tota ferè æstate floret. *D. Magnol* Linariam illam quæ in saxosis montis Lupi & montis Capouladou oritur pro hac habet.

* 9. *Linaria latifolia Dalmatica* Park. *maxima foliis Lauri Dalmatica* J. B. *latifolia Dalmatica magno flore* C. B.

C. B.

Caulibus est lignosis, rotundis, firmis, cubitum superantibus, in ramos brachiatis, quos *folia*, præsertim inferiora, uncias duas, aut etiam tres longa, unciam lata, pediculis carentia, in summitate caulium semper breviora & angustiora, in apicem acutissimum desinentia, nullo servato ordine ambiunt. *Flores* habet Linariæ vulgaris floribus similes, sed triplo imò quadruplo majores, Antirrhini majoris magnitudine ex luteo rufescentes aureósve, quibus vascula ut in aliis succedunt.

Ex semine Florentia à *Casabona* misso in horto Montbelgardiaco crevit.

* 10. *Linaria Americana parvo flore luteo* C. B. *Park.*

Ex radice *caules* plures sesquicubitales, rotundi, læves, rufescentes, in ramos plures divisi exurgunt; quos *folia* triplo quàm in priore angustiora, in acutum apicem desinentia, atrovirentia, alternatim nullóque ordine disposita, cingunt. *Floribus* est aureis iisque longè quam in vulgari minoribus.

* 11. *Linaria*

* 11. *Linaria Pannonica flore luteo minore quàm in vulgari* J. B. *Pannonica major* Park. *Lin. flore pallido, rictu aureo* C. B. *Pannonica* 1. Clus.

Clus.
Bicubitali interdum excrescit magnitudine, rectum ferens *caulem*, lævem, viridem, multis *foliis* sativo Lino similibus circumseptum, qui superiore parte in multos tenues brevésque ramulos divisus est, ferentes raros *flores*, Linariæ quidem vulgaris floribus respondentes, sed minores & pallidiores, rictu nonnihil villoso & aureo: *semen* in vasculis Linariæ vulgari similibus exile, nigrum: *Radix* longiuscula, candicans, multis tenuibus & majusculis fibris in latera expansis nixa, perennis, summo capite singulis annis novos caules profert quidem; sed ex lateralibus fibris non germinat ut vulgaris. Tota amariuscula est.

Crescit in montium declivibus secundùm publicas vias & gramine nudis locis, supra Posonium ad Danubium, Gumpostkirchen, Leytenberg, atque etiam in Moravia. Floret Junio & Julio, interdum etiam Augusto & subinde semen profert. *Locus & Tempus.*

* 12. *Linaria lutea parva annua* J. B. *pumila, foliis carnosis, flosculis minimis flavis* C. B. *lutea Moravica Clusii* Park.

J. B.
Magnitudine varia mihi crevit, alias sesquipalmari aliàs plusquam dodrantali, ex *radicibus* parvis, albicantibus, pluribus: Sunt autem *caules*, qui tenues & numerosi existunt, & *folia*, quæ teneriora, angustioráque & crassiora quàm in vulgari Linaria, colore glauco, terna vel quaterna aut quina, ex certis intervallis, aliàs vero incondita, subamaro sapore: *flosculi* in ramulorum fastigiis Linariæ formâ, crocei, sed quadruplo minores, odore nullo; quos excipiunt globuli oblongi *semen* continentes parvum, orbiculatum, compressum. Radix tenuis est & annua.

Nascitur plerisque Moraviæ locis in collium acclivitatibus: Lutetiæ etiam extra portam Honorii in arvorum marginibus & collibus. *J. B.* Floret quasi tota æstate in Autumnum usque. Ex semine sponte deciduo in hortis facilè renascitur. *Locus.*

Reperitur in sterilibus locis circa Boutonetum, Sellam novam, *la Columbiere* aliisque Maio mense florens. *Botan. Monsp.* Nos in cacumine montis Lupi duabus Monspelio leucis distantis Autumno florentem invenimus; diversum à nobis sentit D. Magnol: vid. Linariam 8.

* 13. *Linaria annua angustifolia flore majore luteo* Moris.

Moris.
Hujus *folia* sunt quasi Psyllii foliorum æmula, longiora. *Caulem* producit sesquipedalem, cujus cymis innascuntur *flores* lutei, multò majores quàm pro tenuitate plantæ. *Semina* compressa, nigra.

Circa Burdegalam in satis arvis provenit. *Locus.*

* 14. *Linaria maritima minima, viscosa, foliis hirsutis, floribus luteis,* Moris.

Folia edit hirsuta, viscosa, superioris foliis multò dilutiùs virentia, pilis scatentia: *caules* semipedales, in quorum cimis *flores* fert minimos, luteos: quibus evanescentibus succedunt *capsulæ* rotundæ, bisulcæ aliarum Linariarum more, continentes *semina* nigra, compressa seu foliacea.

Provenit in arenosis maritimis Armoricæ. *Locus.*

15. *Linaria pusilla procumbens latifolia flore pallido, rictu luteo.*

Radix huic simplex quidem, sed multis fibris majusculis donata, sublutea, annua: Ex qua *cauliculi* emergunt plures infirmi, teretes, palmares, humi procumbentes, glauci, quemadmodum & *folia*, quæ nunc singula, nunc bina ex adverso, nunc terna & interdum etiam quaterna simul in caulibus oriuntur, unde & ramuli quoque nunc singuli, nunc bini, nunc terni simul exeunt. *Folia* Polygoni foliorum æmula sed minora. *Flores* longis pedicellis subnixi, albi rictu luteo, calcaribus tenuibus longissimis retrorsum extensis. Pars illa floris quæ erigitur in medio fissa binas veluti auriculas repræsentat, ut in Linaria purpurea parva. Florem circumstant quinque foliola viridia pro calice. Postquam flos evanuit, pediculus ejus deorsum incurvatur. Vasculum seminale rotundum, bivalve, *seminibus* repletum pusillis, ruffis. Quamprimùm semen maturescit dehiscit capsula, ut difficile sit semen colligere.

Frequens est Messanæ in vineis & hortis: Floret Maio & Junio. *Locus. & Tempus*

* 16. *Linaria minima erecta* Park. *An Linaria minor æstiva* Ger. emac. Append.

Park.
Singulari assurgit *caule*, dimidium pedem altitudine vix excedente, *foliis* plurimis, pusillis, angustis, ex cœruleo viridibus amicto, Linariæ vulgaris similibus; summo fastigio *flores* multos gestante exiguos, pallidè luteos, rictu saturatiore, calcari exiguo. *Semen* minutissimum, compressum, nigricans. *Radix* pusilla, annua.

De loco natali nihil certi habet.

Linariæ

Linariæ minori æstivæ Johnſonus apud Gerardum *Caules* teretes, glabros, ex viridi albicantes, pedales, infirmos & vix ſe ſuſtinentes attribuit: *folia* anguſta, oblonga, acuminata, deorſum plerunque reflexa: *flores* in ſummis ramulis ſpicatos, ſed non confertos. Linariæ vulg. ſimilis eſt, ſed multis numeris minor.

* 17. *Linaria ſeu Oſyris alba* Park. *Oſyris alba Lobelii* Ger.

Moriſ.

Ex *radice* oritur lignoſâ, multis bifurcationibus inferiùs diviſâ, multiſque fibris indè emanantibus: Ex qua protruduntur multi *caules*, lenti, multis *foliis* anguſtis, oblongis, inordinatim diſpoſitis onuſti, haud abſimiles foliis vulgaris luteæ. In caulium cimis proveniunt *floſculi* multi, ſpicatim diſpoſiti, albi ſeu pallidi, vulgaris formâ, ſed magnitudine eos excedentes. *Semen* in bicapſularibus thecis, ſepto medio disjunctis & ſeparatis, foliaceum, compreſſum, nigrum. *Radix* eſt alba, longa, craſſa ſatis, multos annos durans.

Hæc herba à Lobelio in Hiſt. Belgica deſcribitur. C. Bauhinus Oſyridem albam *Lob. ico.* Linariæ Pannonicæ 1. *Cluſ.* Synonymam facit, verùm dubitanter: Nobis certè incognita eſt: Suſpicamur deſcriptionem Moriſoni partim ad iconem factam, partim è Parkinſoni Theat. mutuatam.

* 18. *Linaria annua Chalepenſis minor erecta, flore albo, lineis violaceis notato* Moriſ.

Moriſ.

Ad pedalem altitudinem rectâ aſcendit, *cauliculis foliis* compreſſis, uncialibus, rariùs diſpoſitis veſtitis. Ex horum ſinubus oriuntur *floſculi* albi, lineis parvis, violaceis notati, & quod obſervatu dignum, calyces ſuſtinentes prædictos *flores* habet ex quinis foliis compreſſis, uncialibus conflatos, & longitudine multùm capſulas ipſas ſuperantibus.

Semen hujus à D. *Rob. Huntington* in territorio Chalepenſi collectum & ad deſcriptionis autorem tranſmiſſum eſt.

19. *Linaria purpurea magna* J. B. *purpurea major odorata* C. B. *Lin. altera purpurea* Ger.

J. B.

Seſquicubitalem è longa, nigra, contorta, lignoſa *radice caulem* emittit, eúmque teretem, glabrum, firmum, in ramos prælongos diviſum, *foliis* ornatum longioribus latioribuſque quàm Linaria lutea, ſapore nullo evidente. *Flores* longa ſerie per ramos naſcuntur, antrorſum hiantes, poſtica parte calcar promittentes, colore purpureo præditi, minores multò quàm Linariæ luteæ vulg. *Semen* in vaſculis parvis, bifidis continetur.

Locus. Circa Neapolin & ad radices montis Veſuvii.

Maxima eſt omnium quas hactenus novimus Linariarum; flore parvo, intenſè purpureo.

A. 20. *Linaria odorata Monſpeſſulana* J. B. *Linaria flore albicante Caryophyllata* Cam. Hort. *Linaria odorata* Lugd. *Lin. capillaceo folio erecta, flore odoro* C. B. prod. *Q. Lin. caryophyllata albicans* Park.

J. B.

Rectis & rigidis ſtat *caulibus*, bicubitalibus, juxta terram rubeſcentibus, quos Linariæ vulgaris *folia*, anguſtiora denſo ſtipatu ornant, ſapore amaricante: Summum caulis faſtigium in ſurculos aliquot abit, qui *flores* ſuſtinent eodem quo in Linaria vulgata diſpoſitos ordine, calcare longè breviori & parùm apparente, quâ in re differunt à planta Linariæ aliquatenus ſimili, ſicuti & in eo quòd *flores* ſunt majores, odore gratiſſimo, ſuperiore folio pallido, purpuraſcentibus ſtriis variegato, inferiore in tres lacinias albidas diviſo, rictu lanuginoſo, amethyſtino, croceóque colore picto. *Semina* parva in vaſculis ſubrotundis, herbæ Linariæ jam dictæ ſimilibus, ſed majoribus, ſapore (ut mihi videtur) adſtringente. *Radix* vivax, inſigniter repens, colore candida.

Locus. Circa Monſpelium ubique occurrit: in Cornubia etiam Angliæ provincia, non longè ab oppido *Perin* in ſepibus invenimus, Occidentem verſus.

Deſcriptio quam proponimus J. Bauhini plena eſt & exacta. Cluſius (ut ille [J. Bauhinus] obſervat) *Linariæ odoratæ* nomine pingit, & deſcribit tantùm flores: cætera ſunt alterius plantæ, nempe Linariæ folio Bellidis. C. Bauhinus perperam folia capillacea ei attribuit; ni aliam, forte plantam intelligat.

* 21. *Linaria odorata Monſpeſſulana minor cærulea* J. B. *arvenſis cærulea erecta* C. B. prod.

Dodrantalibus & brevioribus, ex radicula fibroſa mox ortis *caulibus*, tenuibus, rigidis; quos *folia* veſtiunt rara, alternatim ex longis intervallis, fili inſtar tenuia, ſemunciâ longiora. *Flores* in cacumine ſerie quadam ſibi invicem ſuccedunt, Linariæ odoratæ majoris, cœrulei, calcari longo præditi.

An & quomodo à ſequente planta differat conſiderandum. D. Magnol diverſam facit, ſeque propè portum Cetium in arvis Aprili & Maio menſe legiſſe ſcribit.

22. *Linaria graminea floribus congeſtis cæruleis. An Lin. cærulea calcaribus longis* J. B.

Altitudo ei dodrantalis, *folia* graminea: *flores* in ſummo caule denſè ſtipati velut in brevi ſpica. Hanc ſic deſcribit J. Bauhinus;

Radix

Radix tortuosa, dura, alba, fibrata: *Caulis* singularis, simplex, pedalis, glaber, teres, gracilis: *folia* alia adversa, alia alternata, uncialia, angusta, acuminata, lævia: *flores* per summum scapum eo ordine quo in Linaria vulgari, eâdémque formâ, dimidio minores, calcari ferè longiore, cœrulei, quinque herbacei coloris angustis longisque foliolis basin suffulcientibus: Vascula minora quàm Lini vulgaris.

In pascuis ad radices montis Vesuvii copiosè oritur. **Locus.**

23. *Linaria purpurea parva* J. B. *quadrifolia supina* C. B. Ger. emac. *quadrifolia Alpina* Park.

J. B. Clus.

Radix subest tortuosa cum fibris longiusculis [tenuis, alba, multos ex uno capite ramulos profert, atque etiam summa tellure serpit *Clus.*] *Caules* complures, palmares & majores, in terram reclinati, ramosi, *foliis* amicti veluti ex geniculis, modò singularibus, modò ternis aut quaternis, vix quadrantem unciæ æquantibus, crassis, succulentis, coloris ex herbaceo candicantis & veluti cæsii. Extremis ramis *flores* multi, congesti hærent, Linariæ vulgaris, minores, longis calcaribus prædit, cœrulo-purpurei, folio superiore bifido, apicibus in rictu luteis, concolori etiam labelli portiunculâ penitiore [Clusio elegantissimo colore præditi, ex violaceo quodammodo purpurascente, labro inferiore ubi hiat aut diducto rictu aperitur planè aureo.] Succedunt *vascula* pænè rotunda, calyce ex quinque foliolis excepta, quæ continent *semina* longiuscula, compressa, qualia sunt Alyssi. *Dod.*

In Alpium prærupti per Stiriam & Carinthiam, ínque monte Jura observavimus. Clusius perennem esse scribit. **Locus.**

24. *Linaria purpurea parva foliis sine ordine dispositis* J. B. *Lin. cærulea repens* C. B. Park. *Moravica* 2. Clus. *Osyris purpuro-cærulea repens* Ger.

Clus.

Tenues & humi diffusos habet *cauliculos*, valdè frequentibus, angustioribus, sine ordine dispositis, crassiusculis, & coloris cæsii foliolis obsitos, in plures alas nonnunquam divisos; quarum fastigium occupant multi, spicæ instar confertim nascentes *flosculi*, colore superiori ferè similes, sed multò minores: quibus succedunt parva *capitula* semine plena, de cujus forma & colore nihil asserere possum (inquit Clusius) quandoquidem florentem & capitulorum rudimenta duntaxat præbentem in Moraviæ collibus inveniebam. *Radix* multis fibris latè sparsis constat, & perennem esse apparet.

In alveis fluviorum & torrentum Alpestrium observavimus. **Locus.**

Ab hoc genere parum admodum differt, quantum ego quidem perspicere possum,

Linaria Hispanica 4. Clusii. *Lin. foliis carnosis cinereis* C. B. *Lin. parva Hispanica altera* Park.

Multos graciles infirmos fundit *cauliculos*, quos ambiunt frequentia, carnosa, tenuia mollíaque *foliola*, cineracei quodammodo coloris: extremis cauliculis insident aliquot *flores*, superioribus minores, coloris cœrulei dilutioris ad cineraceum tendentis, quorum rictus flavus: illos sequuntur *vascula* maturitate hiantia, & cineraceum planum exiguum semen continentia. *Radix* alba, tenuibus villis prædita, annua.

Tota æstate & Autumno floret, & maturum semen profert. **Tempus.**

* 25. *Linaria tenuifolia æruginei coloris* C. B. *Hispanica* 2. Clus. *Hispanica atro-purpurea repens.* Park.

Clus.

Tenuibus frequentibúsque ex eadem *radice* assurgit *cauliculis*, iísque imbecillibus & plerunque procumbentibus; quos vestiunt frequentia tenuiáque admodum & mollia foliola, æruginei quodammodo coloris. Summis ramulis & cauliculis insident aliquot *flores*, Linariæ vulgari formâ similes, sed paulò minores, elegantes, coloris ex purpura ferè nigricantis, circa rictum flavescentes, tenui odore præditi. Floribus succedunt rotunda *capitula*, cineraceum planúmque *semen* continentia. *Radix* candida est, tenuibus quibusdam fibris & quasi villis donata. Tota planta tenella est, & frigore facilè corrumpitur.

Floret æstate, semen Augusto maturitatem consequitur, interdum etiam diutiùs floret. Semine ex Hispania misso nata est. **Tempus.**

* 26. *Linaria foliis angustis, ex viridi canescentibus* C. B. *Hispanica* 3. Clus. Hist. *Linaria Hispanica tertia Clusii* Park.

Clus.

Multi huic graciles pedalésque à radice *caules* proveniunt: hos frequentia ambiunt *folia*, angusta, longa, ex viridi canescentia, ejus ferè coloris qui in Lavendulæ foliis conspicuus est, amari autem saporis. Circa summum caulem multi nascuntur *flores*, utcunque odorati, spicæ in modum conferti, formâ superiori similes, quorum subrectum bifidum foliolum externa parte exalbidi coloris est, internâ purpurei, rictus deinde ὠχόλευκ☉, sive albicantis ex flavo coloris, hirsuto & purpureo labro, propendentibus tribus latiusculis, purpurascentibus barbulis. Flori succedunt *vascula*, sed plerunque inania [Francofurti.] Vivax est, & ex radice singulis annos novos profert caules.

* 27. *Linaria tryphylla cærulea* C. B. *cærulea Apula triphylla* Col. Park.

Col.

Radice alba, tenui firmatur; ex qua plures, teneri *caules* pedales fruticant [aliquando singulari caule invenitur] læves, albicantes, *foliis* per genicula ternis, Rutaceis paulò majoribus, latioribus, acutioribúsque, colore cinereo Rutæ aut Brassicæ, circa summum verò caulis alternatim dispositis, ex quibus Martio mense *flores* primùm coacervati, cœrulei, minuti, extumescentia labra tantùm lutea habentes, qui paulatim crescente caule decidunt, & *fructus* inter folia remanent rotundi; in quibus foliaceum, latum, compressum, nigrum, atque respectu plantæ magnum *semen*. Aprili mense perficitur. Sapore est palatum excalefaciente, nec dulci, nec amaro excedente.

Locus. Cirinolanis agris pratensibus incultis obvia est.

* 28. *Linaria tenuifolia Lugdunensis* Park. *Lin. capillaceo folio altera* C. B.

Foliis est angustis capillaceis creberrimis in *cauliculis* teretibus, pedalem altitudinem raró excedentibus, sapore amaricante & austero, ut uter alteri prævaleat vix internoscas, ramosis quorum fastigia occupant *flores* pauciores & minùs conferti quàm in aliis, dum adhuc clausi sunt rubentes, cùm explicantur albi rubore diluti: quibus succedunt *semina* parva, plana seu compressa in capitulis parvis oblongis. *Radix* nigra, fibrosa.

* 29. *Linaria flore pallido, rictu purpureo* C. B.

Hæc proceritate Linariam vulgarem non excedit, *foliis* autem planè latioribus est & lætè virentibus; floribus albicantibus, rictu purpurascente decoris & multò rariùs dispositis quàm *flores* vulgaris Linariæ, qui densiùs & spicatim summas caulium cymas vestiunt.

* 30. *Linaria minor cærulea erecta* Park.

Folia hujus plantulæ quæ è radice exeunt (si rectè pingantur à Parkinsono) præter normam aliorum sui generis omnium alata seu pinnata sunt, è tribus quatuórve pinnarum mediæ costæ adnexarum conjugationibus cum impari in extremo folio composita: [in descriptione cauliculos aliquot ei attribuit parvis brevibus, binis sibi adversis foliolis vestitos, adeóque, ut videtur, folia hæc composita cauliculos foliosos vocat] inter quæ duo trésve *cauliculi* assurgunt, vix pedem dimidium alti, *foliis* longioribus & angustioribus obsiti, *flores* in fastigio gestantes quàm præcedentis [Linariæ minimæ erectæ *ejusdem*] ampliores, subcœruleos quibus succedunt semina illius similia. *Radix* fibrosa annua. Hæc est proculdubio

Linaria annua purpuro-violacea, calcaribus longis, foliis imis rotundioribus, minor cærulea D. Pelisserii *Lob.* Illustr. *quæ*

Lobelio in *Illustrationibus stirpium* describitur, qui de florum calcaribus nihil dicit, quamvis longiores sint quàm in plerisque aliis speciebus.

Locus. In herbidis satorum marginibus intra lucum Gramuntium sitis Maio mense florentem vidit *D. Magnol.*

31. *Linaria semper virens* Alpin. exot. *Eadem videtur secundæ, seu Linariæ odoratæ Monspessulanæ* J. B.

Alp.

Caulibus exit multis, bicubitalibus ac amplioribus etiam, rectis, rotundis, colore cœruleo nigricante, *foliis* utrinque alternatim longissimis, tenuibus, angustis, latitudine ad Linum accedentibus, vestitis: in quorum summis fastigiis spicæ modo *flores* producuntur plurimi, parvi, cœrulei, elegantes, calcari posteriùs brevi, tenui, inflexo. Floribus hisce singulis succedunt *capsulæ* singulæ, bisulcæ, & septo medio pellucido divisæ, continentes hinc indè *semina* rotunda, tenuissima, nigra. *Radicibus* nititur multis, longis, crassis, albicantibus, ab uno principio scilicet, apice radicis, ut in Phalangii ramosi & non ramosi radicibus observare licet.

Perpetuò viret, & per æstatem totam floret; ac ita luxuriat & se diffundit, ut vix extirpari queat, aut impediri quin hortum totum ubi semel sata est occupet.

32. *Linariæ aliquatenus similis folio Bellidis* J. B. *Linaria Bellidis folio* C. B. *odorata* Park. *purpurea odorata* Ger.

J. B.

Ex vasculorum & superiorum foliorum argumento (inquit J. Bauhinus) in Linariarum classem refero. *Radix* subest crassiuscula, lignosa, alba, contorta, simplex, interdum multifida; ex qua germinant multa, per terram sparsa *folia*, ferè Bellidis majoris aut Agerati, profundè in ambitu serrata, glabra, amara; reliqua per ramos tenuia, angustissima, longiuscula: *Caules* ex radice statim plures oriuntur, cubitales, teretes, multùm ramosi, quos ferè totos unà cum ramis ornant longâ serie *flosculi*, è foliorum sinu prodeuntes, exigui admodum, & quodammodo hiantes, partim cœrulei, partim albi, nullo calcari donati: Vascula delapsis floribus succedunt, multa, parva, subrotunda, & veluti bipartita, quibus semen clauditur copiosum, minutum subrufum, amarum.

J. Bauhinus

J. Bauhinus hanc observavit in agris inter Lugdunum & Viennam; nos in agris Lugdunum inter & Gratianopolin, quinque aut sex leucis à Lugduno. **Locus.**

Descriptio Clusii *Linariæ odoratæ* conveniret plantæ à nobis descriptæ, si non diceret florem habere hamulum incurvum; sed & titulus odoris non convenit: Quare existimo una descriptione & uno titulo duas plantas esse ab ipso traditas, [nimirum Linariam odoratam Monsp. & plantam hic propositam] *J. B.*

Nos certè in hujus plantæ floribus nulla observavimus calcaria aut cornicula: & uterque Bauhinus eos calcaribus carere affirmat. Et quod ad odorem attinet, nos nullum in ejus floribus sensimus; quin & Clusius ipse in calidis regionibus aliquantulum duntaxat odoratam esse scribit, in Germania verò & Belgicis hortis inodoram. Quocirca J. Bauhini sententiam amplectimur, nimirum Clusium duas plantas tum in figura tum in descriptione sua miscuisse; quem secuti reliqui plerique Botanici eundem errorem errârunt.

Potest hæc non incommodè ad Linarias referri, verùm propria & genuina Linariæ species censeri non debet; nulla in flosculis ferè convenientia nobis visa fuit, nec folia ullius nobis cognitæ Linariæ speciei foliis similia, cùm è radice exeuntia ab iis quæ in caulibus plurimùm sint diversa, unde cùm primùm plantam vidimus pro anomala & sui generis habuimus.

33. *Linaria arvensis angustifolia flore pusillo non descripta* Hort. Lugd. Bat.

Flores calyce donati. Semen in vasculis bivalvibus rotundis; quod omnibus Linariis commune est.

A. 34. *Linaria Elatine dicta folio subrotundo.*

Elatine folio subrotundo C. B. Park. *mas folio sub rotundo* J. B. *Veronica fœmina Fuchsii sive Elatine* Ger. **Round leaved female Fluellin, or Speedwell.**

Radix alba, simplex, tenuis, paucis fibris donata, rectà in terram descendit. *Caulis* tenuis, rotundus, vix palmum altus, verùm flagella quæ ad latus supra terram spargit, longitudine non rarò spithamam excedunt. *Folia* quàm Alsines mediæ majora, rotundiora, pallidè viridia & canescentia, hirsuta & ad tactum mollia, circa margines plerunque æqualia, interdum tamen obiter dentata, pediculis brevissimis fulta, situ alterno. Ex alis foliorum emergunt pediculi singulares, longi, tenues, singulos *flores* sustinentes, Linariæ similes, parvos, cum calcare tenui incurvo, rictu amplo, labello ex herbido flavescente, superiore adversâ laciniâ bifidâ, pullâ. *Calix* floris pentaphyllos. Floribus succedunt *vascula seminalia* turgidula, è binis loculamentis composita semina continentia.

In arvis sponte & copiosissimè provenit. Seriùs post mediam æstatem floret.

A. 35. *Linaria Elatine dicta folio acuminato.*

Elatine folio acuminato, seu fœmina foliis angulosis *J. B.* ab hac præcipuè differt foliorum figurâ quæ ei longiora sunt, in acutum desinunt & ad basin auriculas habent velut Acetosa ovilla. J. Bauhinus Helxines cissampeli foliis comparat aut sagittæ mucroni. Hæc species, inquit idem, magis sessilis est quàm illa, viticulas longissimas spargit. Flores consimiles sunt sed minores.

Cum priore. **Locus.**

In transmarinis plantulam hanc florum colore dilutè cœruleo variantem observavimus.

Facultatibus cum Veronica convenire aiunt. **Vires.**

Succus herbæ expressus ejúsve aqua destillata, tum intus sumpta, tum exteriùs applicata ulcera sordida & cancrosa cohibere & perfectè sanare dicitur.

Nasum qui decreverant abscindere perdocti Medici complures, præceperántque ejusdem sententiæ Chirurgis valdè exercitatis id faciendum, quidam misellus Barbitonsor, qui de quopiam suo hero eximio Medico didicisset dissuasit: hujus litu & potu effecit, ut nec nasus abscindendus foret, & ut reliquo corpori in lepram prono optimè esset. Amaricant folia adstringúntque siccitate non exasperante. *Lob. Adv.* p. 197.

Linaria Cymbalaria dicta.

36. *Cymbalaria* C. B. *Italica* Ger. *Italica hederacea* Park. *flosculis purpurascentibus* J. B.

J. B.

Ex parietum rimis pendulas fibras evibrat, tenues, purpurascentes, teretes, læves, longas, nervo, quem facilè stringendo linquit cortex, farctas, in varias variè fibrillas facessentes; per quas *folia* est cernere longis appensa pediculis, hederacea, angulosa, supernè atrovirentia, infernè Cyclamini modo purpurascentia, tenera, succulenta, obscuro quodam amarore prædita. Ad exortum porro pediculorum quibus hærent folia tortiles surgunt alii pediculi, quibus *flores* singuli insident, Elatines aut Antirrhini minoris, purpurascentes, calcari brevi, rictu pallido. Succedit *capitulum* globosum, *semina* claudens parva, crispa.

Basileæ observavimus in ipsius urbis muris: in Italia autem, uliginosis parietibus, maceriis & saxis nihil frequentius. **Locus.**

Facultatis est humidæ frigidæque cum adstrictione quadam. Iis profectò hanc plantam pollere facultatibus facto periculo constat quibus primi generis Cotyledonem. Sunt qui eâ utuntur ad alba uteri profluvia, eandem recentem in acetariis propinantes, teste Matthiolo. *J. B.* Nostratibus qui acetariis rariùs utuntur conservam è foliis factam potiùs commendat Parkinsonus. **Vires.**

Linaria Antirrhinum dicta.

A. 37. *Antirrhinum arvense minus* C. B. *minimum* J. B. *minimum repens* Ger. emac. *malè. sylvestre minimum* Park. **The least Calves-snout, or Snapdragon.**

Radice nititur parva, albâ, simplici, durâ, longis & tenuibus fibris donatâ. *Caules* ei palmares sunt, teretes, hirsuti, ramosi. *Folia* caulibus inferiora conjugatim, superiora alternatim adnascuntur vix digitum longa, angusta, hirsuta, mucrone obtuso. *Flores* ex alis foliorum exeunt singulatim, Antirrhini similes, pediculis semuncialibus aut longioribus, dilutè purpurascentes, cum brevibus & tenuibus calcaribus, è *calice* tetrapetalo. Succedunt *capsellæ* oblongæ, ventricosæ, septi crassiusculi beneficio in duos loculos divisæ, *semine* parvo, obscurè russo aut pullo repletos.

Locus. In arvis sæpius obvium se dat, nonnunquam & in viis publicis, & locis cultis. Æstate floret.

Hæc planta ob florem calcare donatum, & vasculum bivalve eodem cum Linaria modo hians & semina fundens, Linariæ potiùs quàm Antirrhini species censenda est.

CAP. III.

De Antirrhino.

Ἀντίῤῥινον ἢ Ἀνάῤῥινον Dioscoridi l. 4. c. 133. dictum quod fructu sit vituli narium simili. Appellatur & *Os leonis* Cæsalpino, qui existimat plantam hanc eandem esse quam intelligit Columella per illa verba, *Et hiantis sæva leonis Ora feri*; Siquidem flores hujus rictum leonini oris æmulantur; quod verum est de hujus plantæ floribus, non de Aquilegiæ, quam alii à Columella denotatam volunt.

Notæ hujus sunt flos rictum exprimens quo cum Linaria convenit, calcari carens, quo ab eodem differt, vasculum in bina loculamenta divisum, è tribus foraminibus semina fundens, vituli caput & nares referens.

1. *Antirrhinum vulgare* J. B. *purpureum* Ger. *purpureum sive roseum* Park. *majus alterum folio longiore* C. B. **Purple Calves-snout, or Snapdragon.**

Radice firmatur lignosâ, albâ. *Caules* cubitales & sesquicubitales, teretes, solidi, glabri propè terram, superiùs brevi lanugine hirsuti. *Folia* longa angusta, glabra Leucoii lutei, alterno aut potiùs nullo ordine posita, sapore subacri. *Flores* in summis scapis in thyrsi morem dispositi, ampli, monopetali, colore carneo albóve, rictum leoninum exprimentes, bifido folio surrecto, labello trifido, antequam in lacinias dividi incipiat nonnihil luteo fimbriâque villosâ donato, stylum & quatuor stamina apicibus flavis insignia continentes. *Calix* floris brevis, quinque segmentis obtusis, hirsutis constans: *Pediculus* ejusdem brevissimus hirsutus, è sinu folioli exigui, brevis, concavi, acuminati exit. Flores versùs eandem omnes partem vergunt, suntque exteriùs hirsuti. Summitates caulium, & florum calices ad tactum viscosi sunt. Flori unicuique succedit *vasculum seminale* grande, caput vitulinum quodammodo referens, apice incurvo, in duo loculamenta divisum, quorum superius per maturitatem summa sui parte uno foramine, inferius duobus aperitur. *Semen* pusillum, angulosum, pullum seu nigrum.

Descriptio est J. Bauhini, à nobis interpolata & aucta.

Locus. In aggeribus fossarum & ad sepes circa Monspelium abundè oritur.

Variat non rarò floris colore albo.

2. *Antirrhinum luteum* Ger. *luteo flore* C. B. *flore luteo grandi* Cam. *flore subluteo* Dod.

Hoc à priore non floris tantùm colore, sed & foliis variat brevioribus, latioribus, subhirsutis.

Locus. Circa Messanam urbem in muris sponte nascentem observavimus hanc speciem, unde Petrus Castellus in suo Messanensium plantarum catalogo Messanensem illam appellat; quamvis & alibi quoque sponte proveniat, in præruptis scopulis, ut Cæsalpinus rectè observavit: nam & nos in rupibus non procul *Pietra santa* Hetruriæ oppido, cùm Massâ Lucam iter faceremus, copiosam invenimus: quin & in Germania spontanea occurrit.

Varietas. C. Bauhinus *Antirrhini majoris rotundiore folio* Camerario in horto *Antir. majoris flore roseo* dicti, meminit; quod in agro Monspeliensi & Nemausensi provenire refert. Nos à præcedente accidentaliter tantùm differre putamus, ut qui neque in Monspeliensi neque in Nemausensi agro hujusmodi Antirrhinum observavimus. V. *C. B.*

3. *Antirrhinum angustifolium sylvestre* J. B. *arvense majus* C. B. *sylvestre medium* Park. *minus* Ger. **The lesser wild Calves-snout, or Snapdragon.**

J. B.

Elegantula est plantula, tenui albicantéque *radice*; *cauliculis* palmaribus aut cubitalibus, teretibus, hirsutis, quos alternatim ornant *folia* Hyssopi paria, simul plura, inferiùs nonnunquam rubescentia, pinguia & nonnihil acria, subamara. *Flosculi* ex foliorum alis bicolores, partim albi, partim purpurascentes,

purascentes, Antirrhini majoris, sed multis numeris minores, quorum basin obvallant quinque vel septem folia viridantia, hirsuta, quædam longa, quædam brevia. Pericarpium calvariam catelli egregiè refert, ac oculorum fossas naresque corniculo inductas, in quo *semen*.

Locus. In arvis solo arenoso non raro occurrit.

Varietates. Hujus varietatem flore carneo, rictu striato in Italia & Sicilia observavimus.

Ex Hispania à Boelio allatam habuit Parkinsonus flore sanguineo splendido, rictu luteo, aut pallido:

Item aliam quam vocat Antirrhinum alterum flore albo minimum.

* 4. *Antirrhinum album serrato folio* J. B. *Ant. folio dissecto* C. B.

J. B.

Unico, recto, ad cubitum, interdum duos, alto *caule* assurgit, in quo *folia* eo ferè ordine quo Lini disposita cernuntur, satis dura & aspera, pulchrè serrata, longa satis & angusta. *Flores* albi, ferè similes sunt majori Antirrhino, satis magni proportione plantæ; calycibus vituli narium æmulis succedentibus.

Locus. Propè Monspelium in ora maritima, vulgo *Plage*, quæ respondet prædio dicto *Aresquies*, inter Juncos, versus Miramvallem & Frontignanam.

Accedit ad nostram Cristam Galli Messanensem, & fortè eadem fuerit.

* 5. *Antirrhinum saxatile Serpylli folio* C. B. prod. *Saxatile Bauhini* Park.

C. B.

Radice est parva; *ramis* multis reflexis, tenuibus, leviter hirsutis: *foliis* Serpylli vulgaris formâ, sed minoribus: *floribus* rubris, aliquando pallidè cœruleis, pedicellis oblongiusculis insidentibus, formâ & magnitudine unà cum capitulo insidente Antirrhino arvensi minori similibus.

Folia inferiora sunt Antirrhini, superiora verò Serpylli, annotante D. Magnol, qui copiosum invenit inter rupes montis *Capouladou* non longè à Monspelio, tum & in locis *Garrigues* dictis inter *Laverune* & *Pignan* Maio & Junio mensibus cum flore.

Antirrhinum rari usûs est in medicina, sed propter floris elegantiam in hortis colitur.

Fabulosa sunt, frivola & superstitiosa quæ circumferuntur de viribus hujus plantæ & aliarum nonnullarum contra spectra, incantationes, veneficia; ad conciliandam gratiam Principum, Magnatum, &c.

Cap. IV.

De Aristolochia.

Aristolochiam * Cicero nomen accepisse auctor est ab inventore Aristolocho, qua de causa dentem calumniæ vix evitare potuit. Contendunt enim nomen huic inditum quòd puerperis prosit. Sed quid impedit quo minùs ab Aristolocho nomen habeat, simúlque salutaris sit puerperis? Credibile enim non videtur Ciceronem de suo hoc finxisse, sed ab aliquo antiquo auctore, cujus scripta deperdita sunt, desumpsisse. Quod eò magis fit verisimile, quòd apud * Galenum, in carmine Andromachi legatur καὶ λεπτὴν ῥίζαν Ἀριστολόχου. Nicandri etiam Scholiastes Aristotelem testem vocat à muliere inventam Aristolochiam. Nomen autem inventoris herbæ inditum fuisse verisimile est, qui sive vir, sive fœmina fuerit perinde est.

* *Lib.* 1. *de Divinat.*

* *Lib.* 1. *de Antidotis.*

Rectiùs tamen indè deducitur nomen, quòd sit ἀρίστη ταῖς λοχείαις. * Dioscorides, Ἀριστολοχία ὠνόμασται μὲν ἀπὸ τοῦ δοκεῖν ἄριστα βοηθεῖν ταῖς λοχείαις: *Aristolochia ex eo nomen accepit, quòd optimè puerperis opitulari credatur.* * Plinius, *Inter nobilissimas Aristolochiæ nomen dedisse gravidæ videntur, quoniam esset* ἀρίστη λεχώσαις; *Nostri malum terræ vocant.* Unanimi consensu omnes restituunt λοχευούσαις, quæ vox parturientes non gravidas denotat. Quomodo Jo. Bodæus à Stapel Plinium defendit vide apud ipsum Comment. in Theophrast. hist. lib. 9. cap. 13. p. 1107.

* *Lib.* 3. *cap.* 4.

* *Lib.* 25. *cap.* 8.

Notæ Aristolochiæ diagnosticæ sunt flos semifistularis seu corniculatus labello in palæ formam producto, pericarpium grande in sena loculamenta dispertitum.

1. *Aristolochia rotunda* J. B. Ger. *rotunda vulgatior* Park. *rotunda flore ex purpura nigro* C. B. **Round Birthwort.**

J. B. Clus.

Multa fundit ex una radice *sarmenta* cubitalia quadrangula, imbecilliora quàm Clematitidis vulgaris; quibus alternatim adnascuntur *folia*, [mediæ inter Malvæ & Hederæ folia magnitudinis] admodum brevi pediculo hærentia, caulem alis suis penitus complexa, omnium maximè rotunda, mollia, [venosa,] pallescentia [colore ex viridi nigricante *Clus.*] ex quorum alis *flores* exeunt semunciali pediculo hærentes, tubulo ex luteo pallescente in palam ex rubro nigricantem desinentes, latiorem quàm in longæ aut clematitidis flore. [Succedunt *fructus* rotundi, parvi Melopeponis figurâ, qui multa grana continent ordine disposita, lata, nigricantia, intercursantibus quibusdam membranis, & materiâ etiam fungosâ, albâ, singulis granis interpositâ, quod reliquis Aristolochiæ generibus commune est.] J. Bauhino utriculi sequuntur turbinati, striati, per maturitatem in sex partes dehiscentes. *Radix* subest ampla, tuberosa [rotunda J. B.] rugosa, foris fusco, intus buxeo colore prædita, cortice crasso, tristi amarore gustum afficiens.

Locus. In Italia passim ad sepes & in aggeribus fossarum habetur, pingui solo: nec minùs frequens in Hispania & Gallia Narbonensi. Floret vere.

* 2. *Aristolochia rotunda altera* Park. *rotunda altera Clusii* J. B. *rotunda, flore ex albo purpurascente* C. B. **The other Round-rooted Birthwort.**

Clus.

Ramulos seu palmites habet prioris, sed frequentiores & breviores: *folia* longæ quidem formam & colorem æmulantia, sed majora, longioréque pediculo quàm superioris fulta: *florem* ex albo purpurascentem, interiùs fuscum, longæ flori pænè similem: Ejus *fructus* priore longior, pyri in modum turbinatus, graciliore quàm in illa meta: *semen* planum, minus priore & rufum: *radix* superiori similis, cortice tamen magis flavo.

Locus & Tempus. Floret paulò maturiùs superiore, omnéque semen ferè abjecit, quando prioris maturescere incipit. Hanc nonnisi campestribus & inter segetes sponte nascentem conspiciebat Clusius. Superiore firmior est, & injuriarum hyemis tolerantior.

3. *Aristolochia longa* J. B. Ger. *longa vera* C. B. Park. **Long-rooted Birthwort.**

Clus.

Huic etiam *cauliculi* quadranguli, duos palmos longi, interdum longiores [cubitali circiter longitudine *J. B.*] in multos ramos divisi, humi uti Rotundæ diffusi. *Folia* quam illius minora, firmiora, dilutioris coloris, longiore pediculo fulta, Soldanellæ foliorum pænè formâ. *Flos* similiter oblongus, concavus, ex viridi candicans, Rotundæ alterius florum effigie, sed extima parte coloris magis herbacei, intus ut reliquorum villis oblitus. *Fructus* Pyri in morem turbinatur, sed non adeò tenui metâ ut alterius rotundæ fructus, qui maturitate dehiscens *semen* ostendit, latum, rufum & tandem fuscum. *Radix* adultiorum plantarum crassitudine est brachiali, longitudine pedem æquante: Adultæ verò omnes plerunque extrema parte obtusæ sunt, & æqualis ferè per totam longitudinem crassitiei, subinde tamen cuspide ramosa: juniores gracilescunt, multásque fibras habent.

Locus. Provenit campestribus locis inter segetes, & quibusdam vineis in Narbonensi Gallia; & novo Vere floret.

* 4. *Aristolochia longa altera Clusii* J. B. *longa Hispanica* C. B. Park. **The other long-rooted Birthwort.**

Clus.

Hujus *flos* à Gallicæ flore diligentiùs inspicientibus nonnihil differre deprehendetur, quippe cujus extima pars interiore parte purpurei coloris sit, qui in alia herbaceus. Hispanicæ etiam radix extrema parte non est gracilis in novellis plantis ut altera, sed plerunque obtusior, & radix ipsa brevior.

Locus. Nascitur in Hispaniis inter vites regno Valentino frequentissima, ubi Martio florentem & jam semen perficere incipientem inveniebam.

Verùm hæ differentiæ non sufficiunt, me judice, ad diversitatem specificam, ut vocant arguendam; cùm in plerisque speciebus plantarum majores observari possint.

Utraque frigoris impatiens est, nec hyemes nostras tolerat, nisi in fictilibus asservetur.

Phebuame seu Aristolochia Mexicana II. longa *Hernandez* huic vel eadem est, vel simillima, quamvis ille Aristolochiam clematidem eam vocet; neque apud alterius Orbis colonos se vel vivam, vel pictam vidisse dicat.

5. *Aristolochia clematitis* Park. *clematitis recta* C. B. *clematitis vulgaris* J B. *Saracenica* Ger. emac. **Creeping Birthwort.**

Clus.

Præcedentes magnitudine superat: *caulem* habet firmiorem, rotundum, striatum, supra cubitalem altitudinem assurgentem. Hujus *folia* reliquarum foliis multò ampliora, ex viridi pallescentia, longo pediculo fulta, formâ Longæ vel potiùs Rotundæ alterius folia referentia. *Flos* pallidus, copiosus in singulis alis, qui in aliis generibus singularis, Longæ floris formam quodammodo referens, quo evanescente succedit *fructus*, reliquarum fructu major, exigui mali magnitudine, *semen* continens quale est reliquarum Aristolochiarum, sed majus. Hujus *radix*, quæ reliquis cum gravitate quadam est odoratior, tenuis est & ad minimi digiti magnitudinem nunquam accedens, longè latéque serpit, & sub terra altissimè mergitur, adeò vivax ut etiam frustulatim concisa facillimè renascatur, & magna difficultate eruatur; sapore est amaro, adeóque tenuium partium, ut statim gustata fauces eo imbuat.

Locus. Circa Monspelium in vineis fossis & aggeribus plus satis luxuriat; autore Clusio in vineis adeò ibi frequens, ut vina ab illius odore vitium contrahant. Invenitur & in aliis plerisque Galliæ, Hispaniæ, Ungariæ, Germaniæ superioris & inferioris locis referente Clusio: Nobis tamen in Germania peregrinantibus nusquam est conspecta. Floret cum reliquis.

Alia species. Aristolochiæ clematitidis speciem teneriorem foliis in extremo bifidis seu mucronatis in monte Hymetto propè Athenas observavit *D. Georg. Wheeler.* Itinerar. lib. 6. pag. 414.

* 6. *Aristolochia clematitis Bætica* Cluſ. Park. *clematitis* Ger. *clematitis non vulgaris* J. B. *clematitis ſerpens* C. B. **Climbing Birthwort.**

Cluſ.

Longa, carnoſa, tenuia ſtriatáque habet *ſarmenta*, quibus vicinas ſepes & interdum arbuſculas ſuperat, iis ſe convolvens & implicans Convolvuli aut Lupuli modo. *Folia* illi reliquarum Ariſtolochiarum foliis ſimilia, ſeu potiùs Scammoniæ Monſpeliacæ, extremo mucrone acuminato, ſupernè lævia & viridia, infernè ex purpura albicantia, longo pediculo innixa. *Flos* Ariſtolochiæ longæ, incurvus, oblongus, ex purpura nigricans, intus tenui lanugine plenus, longiſſimo omnium pediculo inſidens, reliquarum Ariſtol. ſimilis, æquè magnus ac in vulgari Clematitide, & à pediculo dehiſcens; *ſemen* etiam ſimile. *Radix* prælonga, ſarmentitia, Smilacis aſperæ inſtar, (cum cujus craſſioribus fibris magnam habet affinitatem) nunc per ſumma ſerpens, mox altè ſub terra ſe condens, pallidi coloris, non ingrati ſaporis, guſtata etiam aliquantulum adſtringens deprehenditur, & manifeſtæ acrimoniæ. Tota planta odorata eſt.

Locus & Tempus. Circa Hiſpalin, itinere Ulyſſipponenſi, plurimíſque aliis Bæticæ locis, in dumetis, vepribus & vetuſtis quibuſdam oleis, pingui ſolo ſponte naſcens obſervavit Cluſius, ſemper iſtic virens, & Januario, Februarióque florens.

7. *Ariſtolochia polyrrhizos* J. B. *Ariſtol. Piſtolochia dicta* C. B. *Piſtolochia* Ger. emac. *Piſtol. vulgatior* Park.

J. B.

Ex *radicis* argumento nomen invenit, quæ ex plurimis, longis, junceæ tenuitatis, buxei coloris radiculis, in unum tandem caput coeuntibus eſt compoſita. *Cauliculos* dodrantales habet aut pedales, rarò majores, graciles, anguloſos ſeu ſtriatos, ramoſos. *Folia* longæ foliis ſimilia, minora, magis rugoſa, & aliquantulum in ambitu ſinuoſa: *florem* Rotundæ priori formâ æqualem, minorem tamen & aliquando nigrum, interdum ex herbaceo flaveſcentem: fructum rotundæ primæ fructûs effigie, verùm minorem, cùm maturuit eâ quâ pediculo adhæret parte dehiſcens ut in præcedente, [longæ verò & reliquarum extremâ] *ſemen* etiam ſimile.

Locus. In arvis propè *Sellam novam* agri Monſpelienſis ſub oleis invenimus: Cluſius in olivetis & petroſis Hiſpaniæ Galliæque Narbonenſis locis. Seriùs floret reliquis Ariſtolochiis.

Folia in plantis nobis obſervatis breviſſimis pediculis inſidebant, erántque parva, acutiora quàm figura Cluſiana repræſentat, extimis marginibus undique eleganter ſinuata, ita ut dentata viderentur, colore, præſertim inferiore parte, caneſcentia, & Scammoniæ Monſpeliacæ æmula.

8. *Piſtolochia Cretica* C. B. *Cretica ſemper virens* Park. *Cretica ſive Virginiana* Ger. emac. *Ariſtolochia Piſtolochia altera* J. B.

Cluſ.

Multa è ſummo radicum capite profert tenuia *ſarmenta*, pedem aut plus vel minùs longa, anguloſa, ſtriata, ramoſa, lenta, fractu contumacia, humi ſparſa, & ex atro virentia, in quibus inconditо ordine naſcuntur *folia* nervoſa, ſuperiori ſimilia, magis tamen mucronata, & ad Smilacis aſperæ foliorum formam quodammodo accedentia, minora, atráque & immarceſcibili virore prædita, oblongis pediculis nitentia, è quorum ſinu naſcuntur longi cavíque *flores*, Ariſtolochiæ longæ floribus formâ ſimiles, ſaturâ tamen rubedine foris magis diſtincti, internè verò aliquantulum flaveſcentes, oblongíſque pediculis adhærentes. His ſuccedit *fructus* Ariſtolochiæ longæ fructui non diſſimilis, ſed minor: numeroſas autem hoc genus habet *radices* inſtar præcedentis aut Smilacis aſperæ, verùm graciliores, & fibris quibuſdam tenuibus donatas, odoratas.

Flores profert Julio & Auguſto.

Diligens & peritus Botanicus Thomas Johnſonus Gerardi Hiſtoriæ emaculator *Polyrrhizon* illam famoſam *Virginianam*, (quam è Virginia allatam in horto *Joan. Tradeſcanti* Lambethæ propè Londinum cultam & florentem vidit) cum deſcriptione Cluſiana *Piſtolochiæ Creticæ* ſtudioſè collatam, eandem omnino ſpecie plantam eſſe invenit, nec ullâ inſigniore notâ diverſam ſpeciem arguente differre: quocirca Parkinſoni judicium diverſam ſtatuentis non magni facio, ſed potiùs cum Johnſono ſentio eandem eſſe. Videſis deſcriptionem Parkinſoni in Theatro Botanico.

* 9. *Ariſtolochia Maurorum* C. B. *peregrina Rauwolfii* Cluſ. *Ariſtolochiis ſimilis Rhaſut & Rumigi Maurorum* J. B.

Rauwolf.

Aliquem ſpirat odorem, ſed ingratum. Ex *radice* ſurculi prodeunt plerunq; quatuor, albicantes, fili modo tenues ad radicem, ex quibus parte ſuperna hærent foliola ſeptem aut octo utrinque, cinerea, oppoſita, magnitudine & ſitu foliis Filicis Floridæ reſpondentia, niſi quòd verſus ima aurita ſint, ad inſtar Salviæ minoris. Inter quorum ima, ſuperioribus magis aliquanto inter ſe diſtantia, *flores* hærent Ariſtolochiæ ſimiles, paullò majores, colore magis fuſco, longioréque pediculo. *Radix* altè depacta eſt, qualitate ſiccâ calidáque, ut amaritudinem ejus docere putat Rauwolfius.

Vires. Utriuſque Ariſtolochiæ, tam longæ, quam rotundæ, radix calida & ſicca cenſetur. Utraque diſcutit, attenuat, aperit cum modica abſterſione: rotunda tamen tenuiorum partium eſt, longa craſſiorum. Quæ Clematitis vocatur fragrantior eſt (inquit Galenus) itaque eâ ad unguenta utuntur

tur unguentarii, ſed ad ſanationes infirmior, & longè minùs quidem tenuitatis obtinet quàm rotunda. Lobelius Polyrrhizæ Ariſt. radicem reliquis duabus [longæ & rotundæ] præferendam ait, tum ſuavi aromaticitate, tum medicata efficaciore facultate: cujus causâ meritò Andromachi & Galeni theriacis aptiorem. Clematitis tamen vulgaris utrâque reperitur ignavior.

Utraque Ariſtolochia Cephalica, Epatica, & Pulmonica imprimis eſt. Hinc prodeſt ad tartaream mucilaginem reſolvendam expectorandámque, ad menſes ciendos, tumores internos rumpendos, venena diſcutienda. Inſuper *Longæ* infuſio ad ſcabiem exſiccandam vel vulgo hîc [in Germaniâ] uſitatiſſima eſt. Extrinſecùs adhibetur uſu creberrimo ad exſiccanda & mundificanda vulnera.

Rotunda efficacior eſt, & imprimis menſibus ac ſecundinis ciendis celeberrima. *Schrod.*

C. Hofmannus itâ diſtinguit virium reſpectu, Commendatur *Longa* in vulneribus & ulceribus ſordidis, in vitiis cutis, in purificandis dentibus: *Rotunda* in affectibus pectoris à craſſis humoribus, in flatibus, in doloribus ventriculi, in ſingultibus, in ruptis, ubi ſanguinis grumi diſſolvendi ſunt, in obſtructionibus lienis, &c. Educit enim per urinas, menſes, cutim, varia excrementa.

Præcipua utriuſque vis eſt (ut nomen indicat) ad uterum à partu expurgandum, & menſes movendos. Tam efficaces ſunt (inquit * Lobelius) longa & polyrrhizos præſertim, ut radices utriuſq; pari momento, partim intrò datæ, partim in peſſario admotæ, elicuerint fœtum, jam ſeſquidiem erumpere conatum, fœtúſque involucra lacerata enixam puerperam tridui cruciatibus pænè enecatam.

* *In Adv.*

Exhibetur ad affectus uterinos plerunq; in decocto.

CAP. V.

De Scrophularia.

SCrophularia à radice nodoſa & ab affectu nomen accepit, quòd ad ſcrophulas prodeſſe credatur *C. B.* Sunt autem Scrofulæ ſive ſtrumæ & chœrades glandularum induratarum tumores in cervice, alis & inguinibus. Volunt ita dici quòd porcis ſunt familiares, aut quòd numeroſæ ſunt ſobolis & prolificæ veluti ſcrofæ. Eſt autem Scrofa Sus quæ fœtûs causâ alitur.

Scrophulariæ notæ ſunt flos auriculatus, vaſculum bivalve, ſubrotundum, acuminatum; folia in caulibus contrariis inter ſe pediculis bina, ſemina parva, fuſca.

1. *Scrophularia aquatica major* C. B. *maxima rad. fibroſa* J. B. *Betonica aquatica* Ger. *aquat. major* Park. Water-Betony, rectiùs Water-Figwort.

Radix craſſa fibris numeroſis, majuſculis, longis, albis donatur. *Caules* bicubitales ſunt, quadrati, craſſitudine minimi digiti, quàm Scrophulariæ vulgaris majores, glabri, inanes, ramoſi. *Folia* per intervalla longiora ex adverſo bina, pediculis ſeſcuncialibus inſident, duobus plurimùm lobis ad pediculum donata, tres aut quatuor digitos longa, duos lata, circa margines crenata, mucrone obtuſiore quàm Scrophulariæ vulgaris, & Betonicæ foliorum figurâ ſuâ æmula, verùm duplo triplóve majora. *Flores* in ſummitatibus caulis & ramorum, in eodem communi pediculo ſeu ſurculo plures, ex alis quidem foliorum quorundam, ſed perexiguorum, anguſtorum, acutorum, non crenatorum & omnino diſſimilium reliquis egrediuntur, parvi, monopetali, turgiduli, obſcurè purpurei, duobus in ſumma parte extantibus latis & obtuſis ſegmentis velut auriculis; *apiculis* flavis in ipſa floris apertura ſe oſtendentibus; quibus ſuccedunt *vaſcula ſeminalia* ſubrotunda, acuminata, è duobus loculamentis compoſita, *ſemina* intus continentia parva fuſca.

Locus. Ad ripas fluviorum copioſè provenit, in ipſis aquis.

Hujus ſpeciem quadruplo minorem, Londini alebat Thomas Bennæus, & Mutonus Belga Tornaci, referente Lobelio, quæ

* 2. *Scrophularia paluſtris non fœtida, ſive aquatica minor* C. B. *Betonica aquatica minor* Park.

A. 3. *Scrophularia major* Ger. *major vulgaris* Park. *vulgaris & major* J. B. *nodoſa fœtida* C. B. Figwort.

J. B.

Fœtidi odoris tota eſt, Sambucum referentis. *Radix* obliquè agitur, alba, craſſiuſcula, & tuberibus inæqualibus ſtrumoſa. *Caulis* firmus, rectus, quadratus, cavus, purpuraſcens, ad binos cubitos excreſcit, in alas diviſus. *Folia* Galeopſis, majora, acuta, ſerrata, ex caulis geniculis adverſa, (quod tamen perpetuum non eſt) atrovirentia. *Flores* ex hirſutis pediculis calicibus quinquefoliis inſident, Antirrhini minimi hiantis oris inſtar habentes, ſupremâ laciniâ in medio bifidâ, intus atropurpureâ, extrà nonnihil vireſcente, lateralibus duabus cum infimâ extrorſum reflexâ magis ex viridi palleſcentibus, prominulo è rictu ſtylo virente, altè reconditis tortuoſis ſtaminibus cum apicibus ochreis. [Stamina interdum in rectum exporriguntur, eorúmque apices pallidi è floris hiatu apparent.] Vaſculum ſeminale bivalve, ſubrotundum, in ſummo acuminatum.

Locus. In ſylvis, dumetis & ſepibus naſcitur non infreq. Julio & Auguſto floret.

Ex

Ex re nomen habet; siquidem radix ejus strumas & hæmorrhoidas sanat. Utilis insuper est in cancrosis ac similibus serpentibus ulceribus malignâque scabie. Siquis hæmorrhoidum cæcarum insano dolore torqueatur, minimum quid Scrophulariæ vel radicis, vel foliorum cum cibo aut potu capiendo statim dolore liberatur; sive ipsam plantæ substantiam siccam aut viridem, sive decoctum ejus assumat. Hen. ab Heers in Observ. qui se hoc sæpius expertum ait.

Siccæ radicis pulvis impositus hæmorrhoidas siccat: Idem drachmæ pondere potus lumbricos ventris pellit.

Aqua è radicibus destillata faciei ruborem tollit.

Ex hac herba unguentum conficitur ad omnis generis scabiem utilissimum: quo ipse (inquit Tragus) scabies Lepræ simillimas curatas vidi. Ejus autem compositio sic se habet, Maio mense sumatur herba cum radice, sordibus diligenter expurgata ac lota, eáq; contundatur, post succum indè expressum in angusto vitro probè obturato per annum asservetur. Cúmque unguentum parare volueris, tum expressi succi, ceræ & olei æquis portionibus tantum accipe quantum unguenti parandum erit, quod ubi feceris conjunctim ea super carbones decoquantur & eousque temperentur donec unguentum fiat. *Trag.*

Ad Scrophulas sequens Emplastrum præscribit *D. Sibbalds Prod. Histor. Natural. Scotiæ.* ℞ Axung. porcin. ℔ j. solvatur moderato ignis calore. Tunc ℞ folior. Scrophular. Cynoglossæ. Lamii flor. alb. Digitalis an. p. æ. q. ʒ. in minutas partes conscindantur, & in Axungiâ coquantur igne temperato, repetendo coctionem ter aut quater, usque dum unguentum saturati viroris sit. Tunc appendatur in librâ unguentum, sumendo dimidium ejus Ceræ & Resinæ tantundem, Terebinth. ℥ij. viridis æris ℥j. dissolvantur simul omnia, tunc per linteum colentur, & fiat massa, super alutam q. ʒ. extendatur, & parti applicetur.

* 4. *Hujus aliam speciem depingit & describit Parkinsonus titulo* Scrophulariæ majoris alterius elegantis.

Park.

A vulgari differt *floribus* non ut in illa hiantibus, sed quatuor foliolis rubentibus compositis, seu mavis in quatuor foliola rubentia expansis: *vasculis* seminalibus non acuminatis: *foliis* interdum pluribus ad idem geniculum, præsertim inferius, sitis.

5. *Scrophularia folio Urticæ* C. B. *peregrina* Cam. Park. *flore rubro Camerarii* J. B. **Nettle-leaved Figwort.**

Ex eadem *radice* fibrosa & tuberculis carente plures emittit *caules*, medium tamen reliquis multò majorem, crassitudine digitali, firmum, ab imo ramosum, ramulis ex adverso binis, è foliorum alis exeuntibus, cubitales & altiores, quadratos, concavos, lanugine admodum brevi & vix conspicua hirsutos. *Folia* Urticæ æmula, sed pro latitudine breviora, obscurè viridia, glabra & splendentia, inferiora in caule pediculis longis appensa, superiora ordine breviora. *Flores* in surculis è foliorum alis egressi sex, septémve aut plures, pediculis tenuibus hærentes, patentiores quàm Scrophulariæ vulgaris, nec adeò obsoletæ purpuræ, sed rubicundiores. His succedunt *capsulæ* subrotundæ, bivalves, *seminibus* intus exiguis pullis.

Odor plantæ fœtidus & ingratus Scrophulariæ vulgaris.

Locus. Circa Pisas copiosè provenit, etiam in muris ipsius urbis, & alibi in Italia. Hæc est proculdubio Scrophularia Cretica 2. *Clus.* quod folio Urticæ esse dicit.

Alia Species. Aliam Schrophulariæ peregrinæ speciem describit Parkinsonus, quam peregrinam alteram appellat, altitudine bipedali; foliis pulchrè viridibus & velut alatis: floribus subluteis cum staminibus pallidis.

6. *Scrophularia flore luteo* Ger. C. B. Park. *lutea magna, amplis foliis* J. B. *Lamium Pannonicum alterum sive exoticum* Clus. **Yellow flowered Figwort.**

Ex *radice* crassa, nigra, fibrosa, Scrophulis carente *folia* antequam caulem edat plura in terram convexa exeunt, magna, rotunda, hirsuta, uncias quinq; vel sex longa, similitérq; lata, ob pilos brevissimos aspersos mollia, Urticæ foliis simillima nisi ampliora utplurimum essent, pingui & lento quodam veluti rore leviter aspersa, profundè per ambitum serrata, pediculis longissimis, [trium quatuórve unciarum] Altero anno *caulem* [C. B. caules plures] profert, bicubitalem circiter, [cubitales & sesquicubitales C. Bauhino, tripedalem *Col.*] quadratum [quadrangulum vel sexangulum *Clus.* utriusque enim formæ nascuntur] crassum, cavum, leviter hirsutum, [hirsutie alba oblitum] rectum, geniculis distinctum, ad quos *folia* bina plerunque opposita, [interdum terna in caule sci. hexangulo] ab imo caule ad summum paulatim decrescentia, & pediculis sensim brevioribus fulta. Ex uniuscujusque ferè folii sinu, ab imo ferè ad summum, pediculus emergit palmaris circiter, C. Bauhino lævis, Clusio verò & Columnæ hirsutus, cujus circa fastigium foliola bina exigua conspiciuntur, supra quæ extremo pediculi cacumine *flores* hærent complures [tres vel quatuor *Col.*] lutei, Pisi minimi magnitudine, concavi, hiantes, quinque brevibus laciniis ora divisa parum habentes, apicibus itidem intus luteis, [tenui stylo cum staminibus emergente] Arbuti floribus admodum similes *Col.* basin habentes luteo-viridem, quinq; foliolis constructam: quibus succedunt oblonga *pericarpia*, in acutum desinentia, Scrophulariæ similia [capitulis Hyperici similia J. B.] in quibus similia *semina*, minuta & nigra continentur, Capitulorum acumini filamentum capreoli instar insidet.

Maio

Maio floret, ac etiam Æstate, & Autumno perficitur, deinde iterum ex radice germinat. *Col.*

Locus. In valle Campoclarensium atque etiam supra Matesium umbrosis Septentrionalibus, nivosis locis invenit Columna; postremò etiam in Æquicolorum montibus, in villa *Plagis* dicta.

Quatuor celeberrimi omnium Botanici, Carolus Clusius, Bauhinus uterque & F. Columna hanc plantam diligenter descripserunt, è quorum descriptionibus hanc nostram composuimus.

Galeopsis altera luteo-pallida *Park.* huic plantæ eadem est.

* 7. *Scrophularia Cretica* 1. Clus. *Cretica latifolia* Park. *Indica* Ger. *Scr. foliis Filicis modo laciniatis vel Ruta canina latifolia* C. B.

Clus.

Huic *folia* initio prodeunt humi expansa, Scabiosæ primis foliis non valdè dissimilia: deinde sesquicubitalis assurgit *caulis*, quadrangulus, cavus, viridis, angulis purpurascentibus, interdum etiam totâ eâ parte quæ Sole illustrata est purpureus: cujus infimam partem ambiunt longè ampliora *folia*, in multas lacinias divisa, ex adverso nascentia, deinde reliquum caulem alia, quæ alata sunt, & Filicis aut Alectorolophi foliorum instar ferè, multis laciniis prædita, quæ rursus in alias longè minores, & in ambitu serratas secantur. A medio caule ad summum ex alarum sinu nascuntur rami etiam quadranguli, minoribus foliis præditi, & illi similiter in alios ramulos divisi, sustinentes *flosculos* instar utriculorum cavos, Scrofulariæ vulgaris floribus non absimiles, ex flavo virescentes, sex foliis constantes, quorum bina infima valdè sunt exigua, & infernè aliquantulum reflexa, quæ in lateribus sunt, paulò quidem altiùs attolluntur, & suprema parte aliquantulum purpurascunt; sed bina superna majora sunt reliquis, & quodammodo reflexa, purpureíque ex atro coloris, paucis & brevibus flavis *staminibus* ex umbilico prodeuntibus. *Radix* pollicaris pænè crassitudinis est, in multas fibras divisa, candicantis coloris.

* 8. *Scrophularia foliis laciniatis* C. B. Prod. *Scrophularia Indica* Park. *An Scroph. Indica capitulis maximis* J. B?

C. B. prod.

Caule est crasso, striato, subrubente & lævi: *foliis* atrovirentibus, lævibus, tenuibus, oblongis pediculis donatis, inferioribus palmaribus, instar foliorum Raphani, in lacinias quinque oblongas, crenatas, divisis: ex quorum sinubus folia minora, etiam laciniata, prodeunt. *Flore* est magno, elegantissimo, croceo inferiore parte, intrinsecus rubro.

Hujus ramulum duntaxat accepit descriptionis autor C. B. nomine *Scrophulariæ Hispanicæ* non scriptæ.

Adde ex Parkinsono, *Ramulos* hujus crassos esse, sed infirmos & humi plerunque hinc indè stratos, geniculis crebris interceptos: *capitula* majora & duriora quàm in quâvis alia Scrophulariæ specie: *radicem* crassam fibris comosam, postquam planta semen dederit marcescentem, aliàs durantem.

9. *Scrophularia altera Ruta canina dicta* Park. *Scroph. Ruta canina dicta vulgaris* C. B. *Ruta canina* Lob. Ger. *Scrophularia tertia Dodonæo tenuifolia, Ruta canina quibusdam vocata* J. B.

J. B.

Radicem habet longam, simplicem, mediocriter crassam: *caules* cubitales, striatos, teretes, ferè nigricantes, medullâ fungosâ plenos, ramosos; per quos *folia* oblonga, angusta, profundè laciniata, graviter odorata: flores eo ordine dispositi quo in Scrophularia majore vulgari, copiosiores, parvi nigri; quos vascula excipiunt Scrophulariæ minora, acuminata, in duas carinas dehiscentia.

Locus. Ad Rheni ripas propè Basileam primò, deinde in Italia, Gallia Narbonensi, & circa Genevam copiosè nascentem observavimus. Radice est diuturna.

* 10. *Scrophularia Ruta canina dicta minor* Moris.

Moris.

Pedalis est planta, duplo minor priore: *folia* multò tenuiùs dissecta: *flores* integri in fundo, quinque laciniis in margine divisi, *stamina* & *stylum* admodum brevia, ex ipsorum fundo orta habentes; quibus fatiscentibus succedunt *capsulæ* omnium minimæ, bifidæ, virides adhuc arctè junctæ & strictè unitæ, pyramidalem exhibentes figuram, acumine pungente præditam, sed exiccatæ sponte aperiuntur & *semina* plurima, reliquarum minora effundunt.

* 11. *Scrophularia Scorodoniæ foliis* Moris. *Lusitanica* Hort. Leyd.

Moris.

Ad altitudinem bipedalem ascendit, caule quadrato, crebris geniculis intercepto & in multos ramulos brachiato. Ad singula autem genicula bina è regione apponuntur *folia* mucronata, serrata, scabra, Salviæ sylvestris instar, quibus adeò similia sunt, ut antequam flores & semen producat, pro Scorodonia haberi possit. *Florem* fert unciali pediculo innitentem, integrum in fundo, quinquefariàm in margine partitum, laciniis quatuor ferruginei coloris, infimâ virescentis: ex fundo floris exeunt quatuor stamina subviridia, perbrevia, unà cum stylo ejúsque apice ejusdem coloris. Hisce deciduis succedunt *capsulæ* pyramidales, mucronatæ, adhuc virides arctè sibi invicem junctæ,

exsiccatæ apertæ, inq; singulis cellulis *semina* continentes minuta, subfusca, cæterarum suæ sortis more.
De loco, florendi tempore & duratione nihil habet.

* 12. *Scrophularia Sambuci folio* Park. *Sideritis Sambuci folio* Alpin. exot.

Park.
Caulibus assurgit pluribus, quadratis, concavis, duos trésve cubitos altis, *foliis* aliquot alatis è geniculis exeuntibus cinctis, è pinnulis aliquammultis conjugatim ad costam mediam adnexis, foliorum Sambuci instar, compositis, Sambuci insuper ferè odore. E foliorum sinubus ad caulium ramosorum nodos, & summis caulibus exeunt *flores* multi, concavi, nutantes, obsoletè rubentis aut purpurei coloris; quibus succedunt *capsulæ* parvæ, rotundæ, nigricantes, acuminatæ, *seminibus* aliarum hujus generis æmulis repletæ. *Radix* longa, fibris aliquot aucta.

Ex Hispania transmissa est. Parkinsono è semine nata. Biennio tantùm vivit & perfectis seminibus exarescit. *D. More,* ad quem cùm Patavii commorabatur semina ejus cum aliis rarioribus transmisit Parkinsonus, eam Alpino communicavit. Locis umbrosis & humidis gaudet. *Locus.*

* 13. *Scrophularia peregrina Telephii folio non descripta* Hort. Lugd. Bat.

Cap. V.

De Digitali.

Digitalis à flore Digitale seu Dactylothecam referente dicta est, nec alio opus habet charactere generico quàm hujusmodi flore concavo, labiato, pendulo, cum vasculo bivalvi.

A. 1. *Digitalis purpurea* J.B. Ger. *purp. vulgaris* Park. *purp. folio aspero* C.B. Purple Fox-glove.

J. B.
Est ubi cubitos duos superat Digitalis purpurea, *caule* pollicem crasso, anguloso, hirsuto, subrubente, concavo, ex *radice* fibrosa, amara. *Flores* in thyrsi longioris morem, frequentes, ab uno caulis latere penduli, brevibus hirsutis pediculis, quorum singulis est appositum foliolum acuminatum, calathi aut Digitalis sartorii munimenti effigiaturâ, colore foris coccineo, exceptâ inferiore parte, quæ propter nonnullam admixtam albedinem carneo est, intus verò similiter purpurei, inferiore parte (quæ & longis pilis obsita est) versicolore albis maculis nigro guttatis: floris basi penitus adnascuntur *stamina* alba aut purpurascentia, contorta, quæ *apices* didymos croceos guttatos sustinent: *stylus* tenuis purpurascens ex hirsuti oblongíque *pericarpii* bivalvis mucrone protenditur, cui postea inclusum continetur *semen* minutum. *Folia* Verbasci opinionem rectè sustineant, oblonga, in acumen desinentia, hirsuta, in ambitu serrata, supernè atrovirentia, infernè incana: quæ ad radicem sunt longis nituntur pediculis, quæ in caulibus nullo ordine posita, crebra. *Calix* floris plerunque quinquefolius; floris margo in quinque dividitur segmenta.
Amat solum arenosum.

Variat interdum floris colore albo, sed rariùs; nam è millibus vix unam plantam reperies flore albo insignem: hinc Digitalis flore magno candido *J. B.* alba folio aspero *C. B.* major alba *Park.* alba *Ger.* *Digitalis flore albo.*

1. Parkinsonus alterius adhuc Digitalis albæ speciei meminit; quam *Dig. albam alteram seu minorem* appellat, cui folia præcedenti quidem similia tribuit, verùm minora paulò & breviora, obscuriùs virentia; *caulem* humiliorem vix tripedalem: *flores* minores: in reliquis conveniunt. *Varietates.*
2. Digitalis major flore carneo *ejusdem Park.* à vulgari purpurea, *foliis* paulò minoribus differt: floribus quoque minoribus, dilutiùs rubentibus seu carneis.
3. Digitalis media flore luteo rubente *ejusdem.* Mediæ est magnitudinis inter Digitales maximas & minores: *foliis* luteæ minoris aliquatenus æmulis, quàm præcedentis minoribus, *floribus* longis, angustis Dig. albæ alterius seu minoris ferè magnitudine, colore luteo aut Bætico, rubore velut perfuso, quem colorem nos Tawney appellamus, & in Aurantiis nonnullis cernitur. Cùm semen dederit radicitus exarescit, secundo plerunque à satione anno.

Hasce Digitalis varietates, quamvis accidentibus potiùs quibusdam quàm specie à vulgari purpurea differre putem, nolui tamen omittere, ut Lectori integrum sit de iis judicium ferre.

Digitalis herba emetica est. Somerseti Angliæ rustica turba hujus decocto febricitantibus purgationes & interdum superpurgationes & vomitiones humidioribus alvo molitur. *Lob. Ob.* *Vires.*

Parkinsonus efficacem esse contra Epilepsiam affirmat, si duo ejus manipuli cum ℥iv. Polypodii quercini in cerevisia decoquatur, & decoctum propinetur. Qui enim viginti & sex annos continuos eo morbo laborârant ita ut singulis mensibus bis térve caderent, hujus decocti usu penitus liberati sunt, saltem per integros sedecim menses nè unum quidem paroxysmum senserunt. *Verùm medicamentum hoc robustioribus tantùm convenit, siquidem violenter admodum purgat & vomitiones immanes excitat.*

Strumosis conducere tritam & impositam succúmve ejus in unguento experientiâ compertum est. *Park.* Novi plures (inquit D. Batesius in MS. nondum edito) qui in strumosis tumoribus Digitalis floribus valdè confidunt, quos quidam in butyro Maiali, quot possunt immittentes curant insolandos per æstatem. Alii cum adipe porcino miscent, & sub terra defodiunt per quadraginta dies, utrique flores cum unguento reservant, unà linteis inducunt & tumoribus applicant: hosce tumoribus discutiendis vel maturandis, ulceribus detergendis vel explendis sufficere ferunt se expertos. Quinto & sexto quoque die Diacarthamo purgant, interim continuè decoctum Herbæ Robertianæ præbent:

bent: pars ulceris rubens parte unguenti tenuiore illinatur: pars autem crassior unguenti linteamini imponatur, quod nunquam mutetur. Sunt qui novella & primò erumpentia plantæ germina accipiunt, eorúmque succum expressum in butyro coquunt ad succi consumptionem, atque hoc novo succo addito bis térve repetunt.

N. 1. Oportet ut paretur sufficiens quantitas unguenti eo anni tempore quo flores haberi possunt, cùm nonnunquam integer annus aut eo amplius ad curam perficiendam requiratur.

N. 2. Quamvis ulcera primò majora fiant nè metuas, siquidem unguentum postquam humores omnes absumpserit & exsiccaverit, ea demum sanabit & cute obducet.

N. 3. Unguentum hoc in Scrophulis humidis & purè manantibus præcipuè utile est, in siccis parum valet; sed ad Basilicon & præcipitatum confugiendum. Habui ex relatione viri amicissimi, tum rei Herbariæ tum totius Medicinæ peritissimi D. *E. Hulse*.

Proverbium est Italicum *Aralda tutte le piaghe salda*. i. e. Digitalis sanat omnia vulnera.

2. *Digitalis maxima ferruginea* Park. *angustifolia flore ferrugineo* C. B. *ferruginea folio angustiore* J. B. *ferruginea major* Ger. emac.

J. B.

Tres aut quatuor cubitos altus est *caulis*, mediocriter crassus, firmus, teres, lævis, cujus scapus summus in alas aliquot scinditur. *Folia* Digitalis sublutex angustifoliæ foliis proxima, longa, angusta, acuminata, atrovirentia, [ex viridi canescentia *Park.*] nervosa, aversa parte subhirsuta, levi crenarum vestigio per ambitum incisa alternatim cauli adnascuntur. *Flores* longa serie thyrsoide dispositi, Digitalis purpureæ, breviores, rigidiores, foris toti hirsuti, ferruginei, intus eodem colore saturatiore, & striis variegato picti, labro productiore villoso dependente, in medio rictu hiante, latentibus sub superioris folii margine *apicibus* luteis: insidet autem floris recurva basis calyci stellato quinque radiis constanti. *Capitula* quàm in vulgari purpurea minora *semine* minuto, fusco repleta.

Catalogus Horti Regii Paris. Digitalis ferrugineæ duplicis meminit, nimirum 1. *Latifoliæ*, cui synonymam facit Digitalem maximam ferrugineam *Park.* & 2. *Angustifoliæ*, quæ est C. Bauhini Digit. angustifolia flore ferrugineo; J. Bauhini Digit. ferruginea folio angustiore. An hæ duæ specie differant nescimus, examinent alii: certe Dig. fer. fol. ang. *J. B.* in parem cum Parkinsoniana *Dig. max. ferruginea* altitudinem assurgit. Verùm quicquid sit de ferruginea latifolia & angustifolia, dari duas Digitalis ferrugineæ species certum est, cùm Tho. Johnsonus vir summæ fidei & diligentiæ, utramque viderit & descripserit:

Digitalis ferrugin. major. Alteram *majorem* appellat, *foliis* imis pedalibus, atrovirentibus, venosis: *caulibus* tricubitalibus: *floribus* hiantibus, amplis, cum labello sursum inflexo.

Digit. ferrug. minor. Alteram *Dig. fer. minorem*; *cui folia* multò minora, angustiora, lævia & intensiùs viridia: *caules* pedales; *flores* parvi, superioris colore similes. Hanc apud Tradescantium vidit medio Julio florentem.

Hæc species caule est quadruplò humiliore quam superior, proinde eadem esse non potest quam J. Bauhinus describit, quæ in parem cum illa altitudinem assurgit. Quocirca vel tres dantur Digitalis ferrugineæ (quod non credo) species, nimirum 1. *Major latifolia*, quæ est Parkinsoni maxima: 2. Major angustifolia, *C.B. J.B.* 3. Minor *Ger. emac.* vel Parkinsono & J. Bauhino descriptæ specie conveniunt.

Hic insuper addit Catalogus Parisiensis quartam adhuc speciem, viz. Digitalem latifoliam flore ferrugineo minore.

3. *Digitalis lutea magno flore* C. B. *amplo flore* Park. *flore majore, folio latiore* J. B.

J. B.

Minor huic quàm purpureæ magnitudo; nec dissimilis *radix*: *Caules* angulosi, nonnihil hirsuti: *Folia* angustiora, longa, infernè nervis hirsutis rugosa, supernè penitus glabra, atrovirentia, in ambitu crenata, sapore subamaro & acri: *Flores* Digitalis purpureæ pares, foris intúsque hirsuti, sed colore, extra quidem dilutè luteo, intus verò croco saturatiore languidéque luteo versicolores.

Locus & Tempus. In montosis circa Genevam & in Germania invenimus. Floret Junio & Julio.

C. Bauhinus pro Ephemero Dioscoridis *Columnæ* hanc habet: verùm Columna flores albos Ephemero suo attribuit, qui huic lutei sunt. Fortè tamen Columna colorem pallidè luteum pro albo habuit; ni floris color interdum variet.

4. *Digitalis lutea vel pallida parvo flore* C. B. *flore minore subluteo, angustiore folio* J. B. *minor lutea sive pallida* Park. parad.

J. B.

Duorum cubitorum altitudinem æquat vel etiam superat, *caule* digitali, ramoso, lævi, ex *radice* pollicari emicante: cui alternatim adnascuntur *folia* spithamam longa aut breviora, duas aut tres uncias lata, acuminata, in ambitu crenata, supernè glabra, atrovirentia, infernè herbida, subhirsuta: *flores* tanquam thyrsum longa serie effigiantes, quanquam ortu diverso, eôdem tamen ferè omnes vergunt dimidio minores Digitalis purp. floribus, colore luteo in herbaceum languente, idque tam intus quàm foris, labro intrinsecùs villoso; quorum unicuique ad pediculum folium acuminatum penitus glabrum est appositum. *Semen* in loculis bivalvibus aliarum hujus generis more. *Radix* fibrosa, perennis, nec ulla cœli injuria aut gelu vehementiori facilè corrumpitur.

Locus & Tempus. In montibus circa Genevam, itémque circa Salernum & Neapolin in Italia copiosè provenit. Junio, Julióque mensibus floret.

C. Bau-

C. Bauhinus aliam adhuc *Digitalem angustifoliam luteo parvo flore* in Prodromo describit: quæ an aliter quàm partium omnium parvitate à præcedenti differat Lectori considerandum relinquo: Descriptionem ejus videat apud *C. B.* in *Prod.*

* 5. *Digitalis Virginiana, Lysimachiæ facie, foliis subrubentibus, flore violaceo minore* Moris. *An Digit. Virginiensis seu Americana serratifolia* Hort. Paris. & Lugd-Bat?

Moris.

Caules promit bipedales, subrubentes: quos ambiunt per intervalla ad singula genicula bina *folia*, mucronata, Limonii majoris primo ortu foliis haud absimilia, ex adverso adnascentia, quæ à caule perforari videntur adeò arctè eum cingunt. Ex alis ad genicula superiora enascuntur pediculi alios procreantes; quibus innascuntur flores calyce & forma Dactylothecæ seu Digitalis minoris, nisi quòd *flos* integer in fundo tantùm, in margine quinquefariam sinuetur, ut in Nicotiana fœmina, coloris violacei: in fundo autem floris quatuor *staminula* arcuata latent, quorum singulorum extremo, aliarum Digitalium florum more duo apponuntur testiculi rubelli, lentiformes in superiore floris parte: est enim *stylus* propendens versùs inferiorem partem luteus, lanuginosus. *Floribus* succedunt thecæ bicapsulares, in mucronem acutum bifurcatum desinentes, continentes in se semina minuta, infinita, cæterarum Digitalium more.

Floret Æstate, atque eadem exeunte & ineunte Autumno semen suum perficit. *Tempus.*

Foliorum situs & florum figura diversam à Digitali plantam arguunt.

Cap. VI.

De Pediculari seu Crista galli.

PEdicularem Lobelius scribit vocari hanc herbam, quòd facultatibus sit virosis, pratis infesta, & pediculis hostis. Contra Dodonæus Pedicularem ab effectu nominat, quòd pecori ac jumentis, quæ in pratis ubi hæc provenit pascuntur, pediculorum copiam gignat. Mihi hujusce herbæ folia, pediculi tergo rugis suis perquam similia sunt, & indè forte nomen.

Notæ hujus generis sunt præter flores galeatos & vasculum bicapsulare, florum calyces tumidæ & velut inflatæ folliculos seminum occultantes, *Semina* compressa.

A. 1. *Pedicularis sive Crista galli lutea* Park. *pratensis lutea vel Crista galli* C. B. *Crista galli* Ger. *galli fœmina* J. B. Yellow-rattle or Cocks-comb.

E *radice* parva, alba simplici, surculos ad latera emittente, non altè in terram demissa *caulis* assurgit plerunque singularis, pedalis, rigidus, lævis, quadratus, rectus, tenuis, inanis nigris non rarò maculis & lituris varius, & versùs supremam partem purpurascens, in ramos aliquot divisus, quos adverso situ posita bina semper ambiunt *folia*, sine pediculis, lata basi, exinde sensim angustata ad apices usque, longitudine digitali, acuta, per margines dentata, cristam galli imitantia, venis insignibus à medio ad singulos dentes hinc indè excurrentibus. E foliorum sinubus ramuli exeunt per paria seu duo adversi. In summis caulibus & ramulis conferti & spicam mentientes *flosculi* è foliorum pariter sinubus singuli singulis exeunt, brevibus admodum pediculis; *calicibus* turgidis, compressis, in quatuor acuta segmenta summo margine incisis. *Flores* monopetali, flavi, cucullati, stylum tenuem & quatuor stamina cum suis apicibus occultant. Delapso flore calix in majorem longè vesicam intumescit, & vasculum seminale amplum, compressum intus continet, in duo loculamenta per medium divisum, & *semina* plura, compressa, margine membranaceo cincta, colore pulvereo continens. Seminibus maturis illico dehiscunt vascula membranea, & cùm exiccantur lucida fiunt.

Floret Junio, & semen brevi maturat, quod statim effundit, & mox radicitus exarescit ante fœnisecium.

In pascuis præsertim sterilioribus exit, non rarò & in arvis, utrobique inutilis & vitiosa, ut rectè J. Bauhinus. *Locus.*

2. *Crista galli mas* J. B.

A fœmina differt statura & altitudine, interdum sesquipedali: caule robustiore, foliis latioribus: *floribus* multò majoribus; summitatibus magis albescentibus, utriculis hirsutis.

Hanc in pratis circa Genevam unà cum fœmina observavimus. In Anglia nondum invenimus. *Locus.*

3. *Crista galli spicata flore luteo magno Messanensis.*

Radice est surculosâ, annuâ tamen: *caule* cubitali aut etiam altiore, recto, firmo, quadrato, nonnihil lanuginoso. *Folia* plerunque bina ex adverso sita sunt, longa, angusta, pallidè viridia, rarius & majoribus circa margines dentibus, extantibus velut laciniolis, incisa, Cratæogoni Euphrosynes facie foliis similia. Spica florum in summo congesta, grandis, quadrata, lanuginosa, & nonnihil etiam viscosa. *Flores* lutei, ampli, cucullati, figurâ florum Ladani segetum, ex utriculis satis amplis, vasculum seminale bivalve claudentibus. *Semen* non observavimus. Columnæ arenæ instar minutissimum est, copiosum flavum.

In lateribus montium Messanæ imminentium hanc & sequentem invenimus, Maio mense in statu & vigore.

4. *Trixago Apula unicaulis,* πτεράχυς Col. *Crista galli spicata flore vario ex albo & purpureo. An Antirrhinum folio serrato* J. B?

Præcedenti simillima est, in his præcipuè differt: 1. Quòd minùs procera sit: 2. Quòd caules in ea & aliquando etiam foliorum margines rubeant. 3. Quòd *flores* minores sint & diversi coloris, cuculli v. g. rubent, labia in medio albent, ad margines rubore diluuntur.

F. Columna hanc pleniùs & exactiùs describit; Herba est unicaulis semper, ab *radice* singulari prodiens, *caule* pedali aut ad summum sesquipedali, quadrato, hirsuto, albescente aut purpurascente, *foliis* cincto ad intervalla digitalia ex adverso binis sine petiolo hærentibus, angustis, oblongis, obtusis, crassis & carnosis, ex viridi albicantibus, hirsutis, raris dentibus serratis, in medio caulis majoribus, triunciali longitudine. Summo cauli insidet spica quadrata, cristatis foliis rotundioribus, hirsutis, densis, Eufragiæ vulgari similibus constructa; ex quibus flores galericulati, magni admodum proportione plantæ latis barbulis, albis, pallentibus, capitulis verò purpurascentibus hirsutis, ex quibus luteum stamen veluti dens exeritur, &c.

Cum priore, à quâ fortasse non differt specie.

A. 5. *Pedicularis pratensis rubra vulgaris* Park. *pratensis purpurea* C. B. *Pedicularis* Ger. *Pedicularis, quibusdam Crista galli flore rubro* J. B. Red Rattle.

J. B.

Flores ut in Crista galli vulg. è vesiculis laxis, glabris emicant, verùm non ita compressis, canaliculatis, tantillum cum multo virore rubescentibus: colore sunt rubro, rariùs carneo aut albo, laciniâ superiore rostratâ, apices luteos quatuor bina cavitate insculptos stylúmque purpurascentem sinu suo occultante, inferiore seu labello in tres laciniolas circinatas profundè inciso. *Folia* cum Filipendula nonnihil habent simile, at longè minora, minutiúsque incisa, colore viridi vel spadiceo, in *caulibus* angulosis, concavis, palmaribus, aut dodrantalibus, infirmis. *Radix* nonnihil amaricat, alba, rugosa, formâ radicum Petroselini vulgò dicti, minimi digiti crassitudinem vix attingens, in crassiusculas fibras divisa. Ex summa porrò radice folia exoriuntur lata, crassa, in mucronem desinentia, per ambitum serrata, è quorum sinu reliqua folia cum caule emergunt. Sic & primogenitæ plantæ folia prima Dryopteris, æmula formâ & laciniis, ut etiam aliquos fallere possit. Cæterum *semen* fuscum, rotundum in vasculis magnis falcatis, in rostra desinentibus.

Locus. In pratis, pascuis & ericetis, locis humidioribus, abundè exit per totam Angliam.

A. 6. *Pedicularis palustris rubra elatior. An Pedicularia campestris prior species* Trag?

Hæc præcedente plus duplo major est & elatior, caulibus firmis, erectis: Differt quoque & floris calicibus, quæ in hac subhirsutæ sunt minúsque turgidæ quàm in illa, & ipsis etiam seminibus, ut conferenti patebit.

Locus. In locis palustribus & aquosis provenit.

Alectorolophum tertium *Clus.* huc refero; ejusdémque genus alterum ad præcedentem: nam & notæ omnes conveniunt: & Clusius eam propè Londinum collegit, ubi certo certiùs non alia occurrit species.

Hujus herba (si Trago fides) inter cætera pabula à pecoribus devorata pediculorum in illis ingentem procreat copiam, quo morbo vix tandem citra magnum periculum liberantur.

7. *Crista galli montana, floribus pallidis in spicam congestis.*

Radix ei simplex, alba, paucis fibris donata, magnitudine & figurâ radicis Tragopogi, nisi quòd longior sit, sapore non ingrato Nucis Avellanæ, paullò amariore. *Folia* ad radicem unum vel duo, alata ex pluribus pinnarum conjugationibus Filicis ferè in modum composita, inferiùs hirsuta, in acutum desinentia, singulis pinnis ad margines serratis Cristæ galli vulg. luteæ folia benè imitantibus, viroris ad luteum tendentis. *Caulis* ab eadem radice singularis, dodrantalis aut pedalis, teres, firmus, nonnihil hirsutus, intus concavus, [minimè ramosus quantum memini] spicam in summitate gestans palmarem florum densè stipatorum, pallidè luteorum, Cristæ vulg. luteæ similium, nisi majores essent & vix sese aperirent, è calyce ventricoso, pentagono emicantium, pediculis nullis. Ad singulos flores singula habentur folia iis quæ ad radicem similia, superiora tamen in spica pinnata esse desinunt, súntque Pedicularis vulg. lut. foliis persimilia. In calice latet seminis conceptaculum turbinatum, seminibus minutis, rotundis repletum. Unicum plerunque habet hæc planta in caule folium infra spicam.

Locus. In summis jugis montium altissimorum Maximum Carthusianorum cœnobium circundantium invenimus. Differt autem tum à Pediculari majore Dalechampii J. B. tum à Pediculari bulbosa *ejusdem*.

* 8. *Pedicularis major Dalechampii* J. B. *Alpina Filicis folio major* C.B. *major Alpina* Park.

Dalechamp.

Filipendulæ Alpinæ affinis est, *radice* foris nigrâ, Napi modo gracilescente, rugosa, nonnihil surculosa: *caule* fermè cubitali, virgato, unico; *foliis* Filicis, in longo pediculo ordine collocatis, per ambitum crenatis, exeunte per caulem alternatim unoquoque foliorum pediculo: *flore* pallido, spicatim

catim in summo caule congesto, semine copioso, in latis corticosis vasculis incluso, Alyssi modo.
In vertice montis aurei Gergobiæ Arvernorum propinqui gignitur. *Dalechamp.*
A præcedente differt radice foris nigra; foliis in caule pluribus, alternatim positis: vasculo seminali lato. *Locus.*

* 9. *Filipendula montana altera* C. B. *montana mollior altera* Park. *Alectorolophus* II. Clus. hist.

Clus.
Sequenti per omnia ferè simile est, sed longè mollius, cujus *flores* modo pallidi modo purpurei sunt: radix etiam crassa, & fibras Asparagi radicibus similes agens.
Non in summis tantùm Alpibus, sed & in inferioribus uliginosisque pratis nascitur. *Locus.*

* 10. *Pedicularis bulbosa* J. B. *Filipendula montana flore Pedicularia* C. B. *Filipendula montana major albida* Park. *Alectorolophos Alpinus major* I. Clus. *Filipendula montana* Ger.

Complures ab una radice emittit *caules* cubitales, minimi ferè digiti crassitudine, læves, concavos: in quorum cacumine *flores* multi, acervatim congesti, oblongæ spicæ instar, quemadmodum in Orchidibus; cucullati, Pedicularis, majores, è *calyculis* pentagonis inter minutiora folia prodeuntes, exalbido colore. *Folia* palmaribus nixa pediculis, pinnata, Filipendulæ divisurâ, statim ex radice prodeunt, qualia per caules pauca, præterquam in summitate, ubi florum spica incipit, quo loco satis sunt frequentia: Floribus succedunt mucronata capitula maturitate dehiscentia, *seménque* ostendentia exiguum inæquale, cineracei coloris. *Radices* capillaribus fibris intertextæ, multæ, principio angusto, sensim extuberantes, multùm Filipendulæ radicibus cedentes. Vestigia veterum caulium demonstrant non esse annuam stirpem.
An Herba foliis Asplenio similis *Gesn. m. fr?* Radicibus tuberosis, & caulibus ab eadem radice pluribus à Pediculari montana nostra differt.

* 11. *Pedicularis Alpina lutea* C. B. Park. *Alpina, flore luteo, radice nigra* J. B.

Lugd.
Hæret *radice* crassa, nigra, multifida: *folia* exinde profert longo pediculo nixa, quæ foliolis multis constant, toto ambitu minutissimè incisis ex adverso sitis ut in Filipendula, quæ causa nominis fuit [Filipendulæ Alpinæ *Lugd.*] *Caulis* pede altior *flores* luteos spicatim ferè congestos in vertice sustinet, quibus delapsis vascula succedunt oblonga, Antirrhini loculis similia, minuto semine plena.
Eam gignunt summa Alpium juga. *Locus.*
Descriptio hujus plantæ imperfecta: Differt à Pediculari montana nostra, radice nigra, & foliis in caule pluribus (ni pictura fallat) & minutissimè ut in Filipendula incisis.

* 12. *Crista galli umbellata* C. B. prod. *galli lutea umbellata* Park.

C. B. prod.
Radice est tenui, parva; *caule* palmo parùm altiore, tenui & erecto: *foliis* paucis, unciam longis, angustis, per ambitum crenatis: *Caulis* summo *flores* plures, quasi in umbella dispositi, triplo majores & latiores quàm in vulgari, quibus valvulæ latæ, membraneæ, semen continentes succedent.
In Castiliæ agris collecta fuit. *Locus.*

* 13. *Crista galli angustifolia montana* C. B. Park.

C. B. prod.
Caule est cubitali, anguloso: *foliis* oblongis, angustis, acuminatis, margine crenatis, binis sibi ex opposito correspondentibus; ex quorum alis foliola minora prodeunt, & plerunque *cauliculus* unam alterámve unciam altus, minutissimis foliolis cinctus: ipse verò caulis in ramos semipalmares, etiam majores, dividitur: quibus *flores* pallidi, eo quo in vulgari ordine, sed longè minores insident, quibus valvulæ *semen* latiusculum includentes succedunt.
Hæc in montibus urbi [Basileæ] vicinis reperitur. *Locus.*

Cap. VII.

De Euphrasia seu Euphrosyne.

*Εὐφροσύνη (inquit Dalechampius) dicta est hæc herba, quia oculos juvat & delectat, quam vocem imperiti linguæ Græcæ depravantes in Euphrasiam verterunt. Hunc refutat J. Bauhinus, quia nihil de hac herbula apud veteres Græcos aut Latinos occurrit.
Hujus notæ sunt folia venosa serrata, semina albicantia.

A. I. *Euphrasia* J. B. Ger. *vulgaris* Park. *Officinarum* C. B. Eye-bright.

Plantula est palmaris aut sesquipalmaris, *radice* simplici, tortuosâ tamen seu huc illuc reflexâ, fibris paucis majusculis donatâ, lignosâ, albâ *caulibus* teretiusculis subhirsutis & in apricis purpurascentibus

ſcentibus, ramoſis, ramulis crebris è foliorum alis exeuntibus, caulem medium interdum longitudine ſuperantibus. Sunt autem *folia* bino ordine in caule adverſa, ſine pediculis adnata, Chamædryos aut Alſines chamædry-foliæ, ſaturo virore ſplendentia, rugoſa, dentata, averſa parte hirſuta, ſapore pingui & ſubamaro. *Floſculi* in foliorum alis ſingulis ſinguli è calicibus quadripartitis ſeſſilibus exeunt, pulchelli, lactei, purpurantibus lineis intus ſtriati, labello in tres bifidas lacinias diviſo, & maculâ flavâ in medio picto; galea reflexa pariter bifida ſtaminula aliquot occultat. Flori ſuccedit *vaſculum ſeminale* oblongum, compreſſum, bivalve, in duo loculamenta diviſum, *ſemina* intus plura oblonga, cinerea continens.

Locus: In paſcuis ſterilioribus, vulgatiſſima, poſt mediam ferè Æſtatem in Autumnum uſque floret.

Vires. Euphraſia quoquo modo ſumpta, ſeu in pulverem redacta, & cum vino albo pota, ſeu per ſe ſola maſticata & deglutita, ſeu ſuccus ejus expreſſus, aut aqua deſtillata videndi potentiam mirificè roborat & adauget, debilem aut amiſſam reparat & reſtituit. Inflammationibus & caligini oculorum adhibetur tuſa, & impoſita, aut ſuccus ejus oculis inditus, ſed præcipuè aqua diſtillata.

Fit ex Euphraſia, autore Arnoldo Villanovano, vindemiæ tempore vinum, cujus uſu ſenum etiam oculi rejuveneſcere feruntur, &c.

Caſp. Hofmannus uſum ejus deſpicabilem facere ait incertitudinem herbæ, quódq; Arnoldus aliíq; uſum ejus reſtringunt ad pingues & pituitoſos. Et quod ad vinum attinet malè illud ceſſiſſe ſocio & commilitoni ſuo Pena ſcribit. Nec mirum, non enim curat quamvis caliginem, ſed illam quæ eſt à fridigitate, neque hanc omnem, ſed poſitivè à pituita. Calidam enim & ſiccam eſſe plantam oſtendit guſtus, qui amarorem quendam præ ſe fert. *Caſp. Hofman.*

Verùm ſi oculorum caligini conducit, non illud efficit calore aut ſiccitate: multa enim calida & ſicca oculis non proſunt, ſed vel tenuitate partium, vel ſpecifica quadam proprietate. Tenuium autem eſſe partium vel illud argumento eſt, quòd Tragus vino decoctam ac calidam propinatam morbo arquato utiliſſimam comperit.

℞ Macis ℥ ß. Euphraſiæ ℥ij. Fiat pulvis ſubtiliſſimus. Doſis factis debitis evacuationibus ℥ij. Valet ad Scotomiam & imagines. Maroldus pulverem Doctoris Helidæi appellat. Dodonæus ſemen fœniculi & ſaccharum addit. Fuchſius in catarractis & ſuffuſionibus commendat.

Fabric. Hildanus Autor imprimis celebris & fide digniſſimus *Centur. Epiſt.* 103. tantum eſſe ait Euphraſiæ in imbecillitate viſûs vim atque efficaciam, ut ejus uſu ſeptuagenarios quoſdam propter vigilias & ſtudia plurima amiſſo viſu, in decrepita iſta ætate eum recuperâſſe obſervaverit. *D. Tancred. Robinſon*; qui oculiſtas quos vocant tum in Anglia, tum in tranſmarinis regionibus herbam ipſam exhibere tum in acetariis, tum in juſculis, tum etiam pani incoctam & potui ordinario infuſam, extrinſecus autem in collyriis, & fomentis applicare adnotavit.

* 2. *Eufragia linifolia* Col. part. 2. *foliis Lini anguſtioribus* C. B. *minima* Park.

Folia huic longè exiliora & anguſtiora ſunt quàm Lino. Tota planta non excedit dodrantem cum radice. Vulgari Eufraſiæ flore, fructu, ſemine ac ſapore ſimilis eſt.

A. 3. *Euphraſia pratenſis rubra* C. B. *Euphr. parva purpurea* J. B. *Cratæogonon Euphroſynes facie* Ger. *Euphragia pratenſis rubra major* Park. **Red meadow Eye-bright, or Eye-bright-Cow-wheat.**

E *radice* alba, lignoſa, tenui, huc illuc reflexa, nunc ſimplici, nunc multiplici ſeu in plures fibras ſparſa *caulis* exurgit dodrantalis aut pedalis, firmus, teres, qui tamen quadratum ſimulat, lanugine brevi ſubhirſutus, ſolidus, ab imo ſtatim ramoſus. *Folia* digitum longa, anguſta [unam circiter tertiam partem digiti lata] à baſi ad mucronem ſenſim anguſtata, nervoſa, nervis ſeu venis admodum conſpicuis, denticulis per margines rarioribus ſerrata, Pedicularis in modum, bina in caule conjugatim, abſque pediculis adnata. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis in longas velut ſpicas digeſti, ſinguli ex alis foliorum ſingulis egreſſi pediculis breviſſimis, galeati, purpurantes aut carnei, rariùs albi, labello trifido. *Calix* pro floris modo ſatis grandis, ſummâ parte in quatuor acuta ſegmenta diviſus, vaſculum ſeminale intus continet oblongum, Euphraſiæ vulgaris.

Locus & Tempus. Inter ſegetes & in paſcuis, locis præſertim humidioribus frequens oritur & poſt mediam æſtatem floret.

A. 4. *Euphraſia lutea latifolia paluſtris.* **Yellow Marſh Eye-bright.** *An Criſtæ galli affinis planta Romana, ſeu Criſta galli major Italica* J. B?

Cratæogono Euphroſynes facie aut Criſtæ galli non admodum diſſimilis eſt. *Radix* ei ſimplex, alba, ſapore nullo inſigni: *Caulis* pedalis, teres, hirſutus. *Folia* in caulibus nunc bina ex adverſo, nunc alternatim adnata abſque pediculis, è lata baſi in tenuem mucronem ſenſim deſinentia, ſeſcunciam longa, per margines dentata, rugoſa. Ex alis foliorum emergunt *flores* Fiſtulariæ, galeati, flavi, labello latiuſculo, & in tres lacinias diviſo, è *calice* oblongo, ſtriato, in quatuor ſegmenta expanſo. *Vaſculum ſeminale* oblongum, in binas cellulas diviſum, geſtans in apice ſtylum prælongum à flore reſiduum. *Semen* exiguum, rotundum, ruffum. Tota planta, cùm in ſtatu eſt, glutine quodam ſeu lentore viſcoſo madet.

Tempus & Locus. Floret Julio & Auguſto. In agri Cornubienſis occidentaliori parte, ad rivos & in paluſtribus copioſè provenit: invenimus & in agro Staffordienſi. Planta hæc Euphraſiæ ſemen non habet. Nondum deſcriptam putamus, quod mirum, cùm in Cornubia adeò frequens ſit. Criſtæ galli affinis *J. B.* diverſa videtur.

A. 5. *Cratæogonon foliis brevibus obtusis Westmorlandicum.* **Short-leaved Eye-bright-Cow-wheat.**

Radix huic (ut putamus non descriptæ Euphrasiæ speciei) alba, dura, fibris majusculis prædita, & (ut mihi videbatur) repens. *Caules* semipedales, graciles, erecti, rigidi, non ramosi, nonnihil hirsuti, fragiles. *Folia* per paria sine pediculis caulibus adnascuntur, figurâ & magnitudine Alsines Chamædryfoliæ, rugosa, per margines dentata, viroris ad cinereum tendentis, & nonnihil splendentia. *Flores* in summis caulibus ex alis foliorum exeunt, brevibus pediculis nixi, figurâ florum *Cristæ galli*, tubo longiore, colore sordidè purpureo, calice quadripartito; quibus succedunt *vascula* ventricosa, in binas partes impressâ lineâ divisa. *Semina* albicantia Cratæogoni. Sapor plantæ acris nonnihil & amarus.

Propè *Orton* vicum in Westmorlandia, juxta rivulum, qui decurrit secus viam, qua inde Crosbeiam itur. Post mediam æstatem floret. *Locus & Tempus.*

6. *Euphrasia pratensis lutea* C. B. *prat. major lutea* Park. *Coris Monspessulana lutea* J. B. *Euf. lutea montana angustifolia major altera* Col. **Yellow narrow-leaved Eye-bright.**

Col.

Caule est singulari, cubitali, tenui, lignoso, ferè rubente, quadrato sed obtusis angulis [J. B. rotundo] *foliis* cincto angustioribus, Lino aut Hyssopo paribus, crassis, per ambitum rarioribus dentibus, ternis sc. serratis, per rariora genicula binis cauli hærentibus: ex quibus alæ [ramuli] utrinque cruciatim, alterno versu oppositæ binæ panduntur obliquæ, oblongæ, admodum caulis & plantæ proportione: à quorum medio ad summum usque densi *flores* uno versu disponuntur duplicati, galericulati, galericulati, deorsum spectantes, ex utriculis prodeuntes, sed colore luteo saturato seu aureo oculos recreantes. *Semina* perficit Octobri mense, Euphrasiæ similia angulosa candida, quæ pericarpiis siccis atque dehiscentibus ab imo incipiunt decidere.

Seriùs post mediam sci. æstatem floret: atque durat hyeme lignosa planta, sicca, foliis nuda, cacuminibus tantùm racemosis adhærentibus. Sapore amaro, adstringente, & extergente, linguam exasperante gustantibus nobis visa fuit *Col.* *Tempus.*

Primò eam invenimus in Germania, non procul Altdorfio Norimbergensium Academia, deinde in Hetruria, tandem in Narbonensi Gallia. *Locus.*

* 7. *Euphrasia pratensis Italica latifolia*, C. B. *pratensis minor purpurea* Park. *Euphrasia tertia non scripta* Col. **The lesser broad-leaved purple Italian Eye-bright.**

C. B. prod.

Radicem habet lignosam, parvam, nigricantem, in tenues fibras divisam: *caulem* semipedalem *Col.* Bauhino palmarem aut minorem, quadratum, rubentem, leviter hirsutum, sæpius simplicem, aliquando statim ab exortu in duos, rariùs plures parvos ramulos divisum: quem *folia* pauca, crassa, hirsuta, rotunda ferè, & bina adversa, in crenas profundas, inferiora quidem quæ minora in ternas, superiora verò in quinas senásve divisa suâ basi cingunt.

Flores è foliorum sinu, aliquando à medio caule, aliquando tanquam ex spicâ comâve, ex utriculis velut oblongo calice prodeunt bini, galericulati, purpurascentes, quibus *semen* oblongum angulosum candicans in utriculis succedit. Amaro est sapore. Ubi nascitur ita frequens invenitur, ut humum tapeto opertam purpureo inspicere videaris. Annua est planta. V. *Botan. Monsp.*

Variat in calidioribus regionibus v. g. in Apulia & Cirinolæ in pratis & pascuis floris colore atque etiam comâ albâ: in frigidis locis colliúmque pratensibus herbosis flore est semper purpureo. *Varietas.*

In via Romana, etiam Romæ in monte Testaceo provenit, passim etiam in Castilia, maximè circa *Escurial* reperitur. Circa Monspelium ultra pontem Sellæ novæ juxta viam qua itur ad pagum *S. Jordi* in sterilibus istis locis dictis *Garrigues* Maio mense florentem invenit D. Magnol. *Locus.*

* 8. *Euphrasia Italica latifolia altera* C. B. *purpurea latifolia* Park. *major sylvestris purpurea latifolia* Col. **The greater broad-leaved purple Eye-bright.**

Col.

Radice est tenui, intorta, lignosa, bifurcata vel magis divisa: *Caule* sesquipedali, quadrato, hirsuto, subrubente, per genicula, digitalibus intervallis, *foliis* vestito unciam longis, latis verò tertiam illius partem, in acutum desinentibus, per ambitum serratis: ex quorum sinubus à medio ad summum usque Caulis alæ [ramuli] surgunt utrinque, obliquæ parum, minutioribúsque foliolis ornatæ, quibus summa parte à medio usque densi *flores* insunt uno versu dispositi, ex alternatis tunc foliolis prodeuntes, galericulati, purpurascentes, ex utriculis emicantes hirsutis, non dissimilibus cæteris; quibus *fructus* succrescunt crassiores, minúsque congeneribus oblongi, *seminibus* turgidi angulosis, candidis, parùm Vulgari majoribus, quæ Septembri & Octobri mense perficiuntur.

Augusto floret, amaro tota sapore. Æquicolorum collium semitis & Quercetis, depressioribus etiam locis, umbrosis atque humentibus gaudet. *Locus.*

* 9. *Euphrasia lutea Alsinefolia radice squamata* C. B. *Anonymos radice Dentariæ* Col. *Euphr. lut. minor radice squamata* Park.

C. B. prod.

Radice est velut bulbosa, alba, ex quatuor crassiusculis squamis coagmentata: *caule* pedali, aliquando palmari, lævi, cavo & ramoso, ramulis ex alarum cavis prodeuntibus, quem *folia* bina,

petiolis carentia basi sua situ adverso cingunt, Alsines Trixaginis foliis formâ similia, sed acutiora. *Flores* lutei, Euphrasiæ floribus respondentes: quibus succedit *semen* nigrum rotundum, in apicem exiguum desinens, quod geminum parvo petiolo insidet.

Locus. Hæc montosis asperis & humidis gaudet. In Alpibus Helveticis & Austriacis, inque Pyrenæis montibus invenitur.

Semina quæ vocat vasa seminalia fuisse existimo; aliàs ad hoc genus minimè pertinet.

Dentaria Buguloides radice globosa Mentzel. *eadem videtur præcedenti.*

Mentzel.

Altitudine sua & foliis Bugulam luteam mentitur; at *radix* Dentariæ est, globosa, squamulis tanquam denticulis murium alabastrinis circumcirca referta. Ex hac *cauliculus* nunc unus, nunc plures & in ramulos divisi exurgunt quadrati, ad singula internodia foliola Chamædryos bina sibi opposita sustinentes. Ex horum alis *flosculi* erumpunt aurei, oblongis calycibus in quinque foliola divisis, florum Euphrasiæ formâ. Eos sequuntur *pericarpia* rotunda, in quibus *semen* observare non licuit.

Locus. Collegit hanc *Mentzelius* mense Maio in Alpium quodam excelsissimo & prærupto jugo dimid. mill. Germanico ab oppido *Mittenwald* dicto mediâ viâ inter *Insbruck* & *Munchen.*

* 10. *Euphrasia purpurea minor* C. B.

Mag.

Ex parvula *radice* fibrosa *caulem* emittit sæpiùs palmo minorem. *Folia* per caulem rara sunt, ex intervallis bina caulem cingentia, oblonga, rugosa, satis profundè crenata & leviter hirsuta: in summitate spicam *florum* producit, qui bini semper oppositi nascuntur, purpurei, & Antirrhini flosculos imitantes: labrum superius tripartitum est tribus punctulis albis notatum. Succedunt floribus longi utriculi, *semine* minutissimo subrusso pleni. Annua est planta. In seminis colore descriptio *C.B.* nostræ non convenit.

Locus. Maio mense florentem invenit descriptionis autor ultra pontem Salenovæ, juxta viam quà itur ad pagum *Saint Jordi* in sterilibus illis locis dictis *Garrigues.*

Semina non sunt Euphrasiæ sed Antirrhini, quocum & floribus convenit.

CAP. VIII.

De Melampyro seu Tritico vaccino.

MΕλάμπυρον à μέλας & πυρὸς. Ex tritici enim mutatione nascitur Melampyrum, ut ex melino nigrum fiat, teste Galeno. Nos ejusmodi in plantis specierum transmutationem dari non concedimus. Cæterum Melampyrum dictum putamus, quòd semen ejus triticeum referat magnitudine & figurâ, colore nigro differat: Cùm autem inter segetes tritici frequens nascatur, ejúsque grana triticeis sæpenumero admixta sint, hinc orta occasio fingendi ex tritici mutatione nasci.

Triticum vaccinum dicitur quòd gratus pastus sit bobus & vaccis saginandis.

1. *Melampyrum multis sive Triticum vaccinum* J. B. *Melampyrum purpurascente comâ* C. B. *purpureum* Ger. *Cratæogonon flore vario* Park. **Common purple Cow-wheat.**

J. B.

Lignosâ est & exiguâ radiculâ, aliquot consimilibus fibris donatâ: ex qua surgit *caulis* singularis, quadratus, hirsutus, purpurascens, multis alis concavus: *Folia* ex intervallis ex adverso posita, Linariæ alia, alia lata & profundè laciniata, aspera, atro-virentia: at quæ in supremo thyrso sunt crebriora existunt, brevia, latiora, digitata, hilari purpurâ tincta: ex quorum alis galeati *flores* exeunt, subhirsuti, casside purpurante, labello luteo, rubore confuso, cervice penitus lutea, reliquo tubulo purpurascente: quibus succedunt in capsellâ oblongâ, turgida, in bina loculamenta divisâ, tegmine membraneo in aristam desinente breviusculam, obvoluta *semina* duo aut tria, triticeis minora, nigriora.

Locus. Inter segetes passim reperitur in exteris regionibus: in Anglia, quod sciam, non provenit.

Usus. Melampyrum (inquit J. Bauhinus) nondum, quod sciamus, in medicina usum obtinuit, sed plerunque negligi solet. Scribit Clusius, eam in Occidentali Frisiæ seu Flandriæ parte (ubi copiosissimum ait) panem vitiare, & atriorem reddere: quinimo eos qui eo vescuntur plerunque capitis gravedine tentari solere, non secus ac si lolio victitâssent. Ego semine hujus sæpiùs quidem panem tinctum observavi, sed nullum pravum saporem ei adferre deprehendi, nec insalubriorem à rusticis ideo haberi animadverti, nec eam ullo modo separare student. Quin & Tabern. qui admodum sapidum panem ait, se sine ullo nocumento sæpe comedisse testatur.

Gratus pastus bubus & vaccis saginandis, ut non incongruè forsan Pabulum bovinum aut vaccinum quis nuncupare possit. *J. B.*

2. *Melam-*

2. *Melampyrum cæruleâ comâ* C. B. *cæruleum* Ger. *Melampyro affinis Parietaria cærulea quorundam* J.B. *Melampyrum* 4. Park. *quoad Synon. Cratæogonon flore vario quoad iconem.*

Cluſ.

Quadrangulo aſſurgit *caule*, pedali, nodoſo, villis quibuſdam hirto; in quo alternatim ad nodos bina ſemper ex adverſo naſcuntur longa *folia*, ſecundùm pediculum lata, & ſenſim in mucronem deſinentia, aliquantulum villoſa. Summus caulis & rami deſinunt in foliorum comam ſuperioribus minorum, ad pediculum laciniatorum, mollique lanugine pubeſcentium, coloris purpurei, nunc dilutioris, modò ſaturatioris elegantiſſimi & violacei: inter quæ bini ſibi ſemper oppoſiti *flores* naſcuntur, longiores concavi, aliquantulum hiantes, ſuperiore labro nonnihil reflexo & villoſo, inferiore latiuſculo & deorſum propendente, coloris initio lutei, deinde omninò aurei, omnes tamen, licèt alternis contrario ſitu naſcentes antrorſum exporrecti & ſpectantes. *Radix* candicans eſt, annua.

In ſylvis montoſis non longè à Gratianopoli, quà indè ad max. Carthuſianorum cœnobium itur. *Locus.*

Hanc cùm primò invenimus *Parietariam ſylv. ſpecioſiorem* denominavimus, cui Caulis quàm in vulgari noſtrate erectior, ſummitates purpureæ, flores pulchri, aureo colore nitentes; adeò tamen in paucis differt, ut neſciam an ſpecie diverſa cenſenda ſit.

Semen maturè colligendum antequam exiliat è vaſculis, & ſtatim telluri reddendum, ut ſponte excidat: Nudum enim ſi contrectetur fœcunditatem perdere exiſtimatur. De omne genus Melampyro hoc intelligendum.

A. 3. *Melampyrum criſtatum* J. B. *an luteum anguſtifolium* C. B? Park. **Crested Cow-wheat.**

Radice parvâ, lignosâ aliàs ſimplici, aliàs multifidâ, albâ alimentum haurit. *Caulis* ſemipedalis eſt & altior, aliàs teres, aliàs anguloſus valdè ramoſus, ramulis ipſo etiam caule longioribus, plurimùm adverſis, inæquali interdum ortu, *foliis* veſtitus Melampyri Sylvatici flore luteo, verùm longioribus & anguſtioribus, binis plurimùm oppoſitis. *Flores* in caulis & ramulorum ſummitatibus, in ſpicis craſſis, quadratis, longi, hiantes ſeu galeati, purpurei plerunque cum rictu luteo, quos ſequuntur *ſiliquæ* breves apicibus acutis, & Melampyri Sylvatici ſiliquis ſimiles: *Semina* itidem paria. *Calix* floris brevis, margine in quatuor ſegmenta partito. Singulos autem flores & ſiliquas ſinu ſuo ceu alveolo excipit *folium* ſurſum versùs duplicatum, cujus ſuperior margo utrinque figuram Lunæ falcatæ refert, arcu minutis denticellis concinnè crenato criſtatóque: quin & apex hujus folii in longum & anguſtum mucronem procurrit. Ex his foliis ita duplicatis & ſquamatim incumbentibus componitur ſpica: Sunt autem purpureo plerunque colore tincta.

In Sylvis Cantabrigienſibus & Bedfordienſibus copiosè provenit. Obſervavimus inſuper in ſylvoſis montium propè Genevam. *Locus.*

A. 4. *Melampyrum Sylvaticum flore luteo ſive Satureia lutea ſylveſtris* J. B. *Mel. luteum latifolium* C. B. *Cratæogonum vulgare* Park. *Cratæogonon album* Ger. **Common wild Cow-wheat.**

J. B.

Melampyri vulgatioris ſegetum *radices* habet, ſtrigoſius plerunque, *coliculis* dodrantalibus aut cubitalibus, quadratis, ſubhirſutis, in frequentes prælongos ramos conjugatim diviſis. *Folia* geniculis adnectuntur bina oppoſita, atropurpureo colore maculoſa, interdum culmum lata, interdum duplo latiora, uncias duas plus minus longa (ingrati & aliquantulum acris ſaporis *Cluſ.*) quorum quæ ſuprema floribus oppoſita ſunt vulgatioris Melampyri ſegetum modo laciniata ſunt. Cæterùm tubuli formâ flores hiantes alterius Melampyri, toti lutei ſunt, conſpectiores, bini & unam ferè in partem vergentes è *calycibus* quadripartitis; quibus compreſſa ſuccedunt vaſcula roſtro adunco, *ſemina* tria, vel etiam quatuor magna, oblonga, granorum Tritici æmula comprehendentia. In hac planta interdum obſervavi colorem cœruleum vel dilutè rubentem. *J. B.*

In ſylvis, ſylvarum marginibus, dumetis, ſepibus umbroſiſque locis circa Quercuum aliarúmque vetuſtarum arborum radices, in omnibus ferè Europæ regionibus invenitur. *Locus.*

* 5. *Melampyrum lanuginoſum Bæticum* C. B. *lanuginoſum* Park. *Parietaria montana Bætica* Cluſ. cur. poſt.

Cluſ.

Pedalis longitudinis *caule* prædita erat elegans hæc planta, quadrangulo, & tenui molliqúe lanugine tecto, in aliquot ramos ſecundùm radicem diviſo, quos per intervalla ex adverſo ſemper naſcentia ambiunt *folia* oblongiuſcula & anguſta, per oras ſerrata, perinde ferè ut Stœchados ſerratæ folia. Summum ramorum faſtigium in oblongiuſculam, ſquammatam, molliqúe tomento conſtantem *ſpicam* deſinit: è qua *flores* elegantes, oblongi prodeunt, formâ quidem aliorum floribus ſimiles & in latus propendentes.

* 6. *Scordio affinis Elephas ob florem* C. B. *Scor. af. Elephas Columnæ* Park. *Elephas Campoclarensium* Col.

Col.

Radicem habet parvam, obliquam, albeſcentem, teneris, craſſiuſculis, ex viridi albis, tranſlucidis foliolis, triticei grani effigie ac magnitudine, paulo tamen latioribus, inciſuram illam præferentibus, veluti dentatam, ut etiam in Scordio obſervavimus: *Caulem* quadratum, virentem, ſuccoſum, cavum, tenerum, nonnihil hirſutum, ſicut & *folia*, quæ primo obtutu lævia videntur, bina ex oppoſito cauli hærentia, primùm parva, deinde cum caule grandiora, atque oblongiora, magnitudine Menthæ, ſed retuſiora, ut etiam ſerraturâ, quæ rarior eſt, ad Scordii folia accedentia, colore albidiore, ſplendidiore atque ſuccoſa, ſapore linguam vellicante. Ex eorum verò ſinubus & caulis geniculis utrinque à medio ad ſummum, & aliquando etiam ab imo ferè, alæ multæ exeunt, ſed minoribus foliis atque acutioribus, formâ & ſerraturis: inter quæ folliculi bini ex ſingulis geniculis, parvo petiolo hærentes, Narciſſi ferè odore ſuavi *flores* emittunt luteos, aureo colore roſtratos, Elephantis caput repræſentantes. Caput enim è folliculo exerunt cum cervicis inciſura & craſſitie recurvum naſum ſive roſtrum proboſcidis inſtar, ſemunciæ longitudine producentes: in cujus medio ex inferiore parte ſuperioris velut mandibulæ dentes bini ſunt, recurvi: ex capitis verò fronte utrinque dependent veluti maxillæ ſupercilia formantes; ſub quibus maculæ ſunt excavatæ, ut oculos purpureo, roſeo colore repræſentent: indè ex inferiore parte & ſub collo latum eſt folium, auriculas referens, quatuor diviſum inciſuris, ut in galericulatis floribus, ſed longè latius, unciam enim æquat latitudine. Floribus deciſis, intra ſingulos folliculos parùm hirſutos *utriculi* perficiuntur ventrioſi, quadrati, ſed obtuſis angulis, in quibus *ſemina* ob cutis tenuitatem & illorum copiam extuberant, ut illorum craſſities videatur quæ Milii vel Anagallidis eſt magnitudine. Colore ſunt cinereo, gibboſa & rugis circum delineata, numero ferè triginta in ſingulis pericarpiis, quæ cùm perfecta ſunt utriculos diſrumpunt, atque decidunt.

Tempus. Ab imo florere incipit Junio, atque Julio perficitur.

Locus. Loca umbroſa diligit, frigida atque humentia Septentrionalia in Valle Campoclarenſium.

HISTO-

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER DECIMUS SEXTUS,

QUI EST,

De Plantis Flore uniformi tetrapetalo Siliquosis & Capsulatis.



HARUM notæ sunt calyx quadrifolius unà cum flore deciduus, flores plures simul in summis caulibus & ramulis, successivè se aperientes, nullis ad pediculorum bases appositis foliolis, loculamenta in singulis vasculis seminalibus plerunque singula, rarius bina.

Dividi possunt in siliquosas & capsulatas seu siliculosas.

Siliquosas voco quæ vascula habent in longitudinem producta, bivalvia ferè & membranâ intergerinâ duplicem seminum seriem disterminante secundùm longitudinem divisa; quibus etiam accenseo quæ vascula habent in latitudinem diffusa, modò majora sint, & membranæ dissepientes ad latitudinem seu planum vasculorum parallelæ.

Capsulatas seu siliculosas appello, quæ vascula proferunt brevia, seu simplici intus cavitate, seu dissepta, sive membrana alveolos disterminans ad latitudinem seu planum siliquæ perpendicularis sit, sive parallela.

N. Calycem habere unà cum flore deciduum non est perpetua & constans nota omnium hujus generis specierum; unam enim novimus, nimirum Thlaspi Alysson dictum campestre minus, in quâ à flore delapso restant calycis folia.

SECTIO PRIMA.

De Plantis flore uniformi tetrapetalo siliquosis.

Herbæ flore tetrapetalo siliquosæ sunt vel semine

- *Compresso*, lato, foliaceo, in nonnullis etiam margine membranaceo cincto; *siliquâ* vel
  - *Longâ*, angusta: hæ autem sunt *flore* vel
    - *Majore* : radice
      - *Æquali*, nec dentata squamosave, nec tuberosa; flore odorato
        - *Flavo*, in parietinis & ruderibus rupibusve plerunque nascens: KEIRI *Leucoium luteum.*
        - *Purpureo*, albo aut vario; foliis
          - *Incanis*: LEUCOIUM *vulgare purp.*
          - *Virentibus*; LEUCOIUM *folio virente.*
      - *Dentatâ* seu squamosa, tuberosave; caule non ramoso, foliis in uno pediculo ternis, quinis aut septenis: DENTARIA, *Coralloides.*

Minore;

Minore; variis nominibus Hesperidis, Drabæ, Leucoii insignitæ: LEUCOIUM *siliquosum flore minore*

Latâ, brevi,

- *Glabrâ*, major, flore purpureo majore, Urticæ folio: VIOLA *lunaris*, *Bulbonach.*
- *Hirsuta* minor, flore luteo aut albido, parvo, foliis incanis: ALYSSON, *Lunaria.*

Tumidiore & non compresso, siliqua

Lata, brevi: PARONYCHIA; item *Sedum petræum luteum* dictum, & *Bursa pastoris loculo oblongo.*

Tereti longa; semine

Sublongo, majore; flore

- *Majore*, odorato, præcipuè sub vesperam, Leucoii æmulo: HESPERIS.
- *Minore*, inodoro, foliis subrotundis, Allium olentibus: ALLIARIA.

Rotundo seu globoso

Majore, foliis seminalibus bifidis, siliquis

Secundum longitudinem, membranâ intergerinâ duplicem seminum seriem disterminante dissepitis; foliis

Lævibus,

- *Majoribus*, glaucis seu subcœruleis, carnosis, semine mitiore & minùs acri, per maturitatem nigro: BRASSICA.
- *Minoribus*, laciniatis, odore fœtido & ingrato, semine acriore & calidiore, per maturitatem fulvo aut pullo: ERUCA genuina.

Asperiusculis, imis saltem ad radicem, nam superiora in plerisque glabra sunt aut glauca: semine

Mitiore & minùs acri, radice

Carnosâ, esculentâ,

- *Majore & rotundiore*, substantia laxiore: RAPA.
- *Minore*, *longiore*, & subacri, substantia solidiore: NAPUS.

Duriore, minore, & minimè tuberosa; siliquis & seminibus Rapæ: NAPUS *sylvestris.*

Fervido & acerrimo; foliis tam quæ ad radicem, quàm quæ in caulibus asperis [excipe Sinapi genuinum, cujus folia in suprema glabra] SINAPI. Hujus generis humiliores, siliquis teretiusculis majoribus & longioribus, semine majore, minùs acri RAPISTRA appellantur

Crassis fungosis & in quibusdam speciebus articulatis membrana non dissepitis, radice

- *Carnosa*, esculenta, acri, flore subcœruleo aut purpurascente: RAPHANUS.
- *Tenui*, surculosa, dura, non esculenta. RAPISTRUM *articulatum.*

Integris floribus

Luteis, siliquis

- *Brevioribus* & crassioribus: ERUCA *spuria*
- *Longioribus* & tenuioribus: ERYSIMUM, *Irio.*

Albis, vel purpurantibus, aut etiam ex luteo albidis; siliquis per maturitatem

Valvulis in spiras revolutis dissilientibus, & semina cum impetu ejaculantibus: Cardamine.
Non dissilientibus, foliis minimè dissectis, iisdemque & caulibus imis asperis, summis lævibus;

Major, siliquis longioribus, erectis, cauli approximantibus; Turritis.
Minor, siliquis brevioribus à caule extantibus; Pilosella *siliquata*.

Angustis, curtis, exiguis, seu floribus *albis*, foliis amplis, integris, oblongis, radice reptatrice & vivaci, sapore & odore Rhaphani acri: Rhaphanus *rusticanus*: sive floribus luteis minoribus, foliis magis laciniatis: Rhaphanus *aquaticus*.

Cap. I.

De Leucoio folio incano.

Leucoion duplex est, aliud bulbosum, aliud fruticosum. Prius à floris candore nomen accepit; posterius à foliorum potius canitie cineraceâve albedine: illud ad Bulbosarum genus pertinet, hoc hujus loci est: éstque duplex, vel flore purpureo albôve; vel flore flavo. Notæ illius genericæ sunt Flos major odoratus purpureus aut albus; siliquæ longæ compressæ, bivalves, membrana intergerinâ secundùm longitudinem in bina loculamenta divisâ, semina itidem compressa.

Hujus duplex habetur genus, alterum folio incano, flore purpureo, alterum folio virenti, flore albo.

1. *Leucoium incanum majus* C. B. *Leucoium hyemale & diu durans, purpureum, roseum, ac etiam album* J. B. *Leucoium album, sive purpureum, sive violaceum* Ger. emac. *Leucoium simplex sativum diversorum colorum* Park. Stock Gillyflower.

J. B.

Non tam florum, quàm caulis & foliorum color Leucoio nomen fecit: siquidem *folia* incondita semunciam aut unciam [imò interdum duas minimum uncias] lata, palmum unum aut duos longa, per margines æqualia, tota albent, obtuso mucrone, incanâ mollique lanugine pubent. *Caulis* cubitalis & sesquicubitalis aut altior, lignosus, teres, in ramos multos fissus, incanus similiter & tomentosus. *Flores* extremis ramulis hærent, ex oblongo calice piloso erumpentes, ampli, è quatuor petalis oblongis in extremo subrotundis compositi, colore vel rubro vel purpureo, dilutiore aut saturatiore, vel etiam albo præditi, odore suavissimo fragrantes: unde *siliquæ* nascuntur palmum aut semipedem longæ, compressæ quando maturæ, mucrone bifido, duos *seminum* versus continentes, quæ compressa, orbiculata, medio rufa, margine seu fimbria canente cincta, sapore acriusculo. *Radix* lignosa, alba. Magna est in hujus plantæ floribus colorum varietas. Alii enim candidi sunt, alii incarnati, alii rosei, alii purpurei aut violacei, alii sanguinei, pulcherriméve rubentes, alii denique diversicolores, albi viz. maculis & lineis vel purpureis, vel suaverubentibus, vel roseis, vel violaceis picti & variegati; prout naturæ ludere placuit. Cœrulei coloris in hoc genere hactenus non vidimus. *C. B.* Et tamen Tragus Leucoii seu Violæ cœruleæ meminit. C. Bauhinus in Phyt. inter floris colores luteum numerat. Frater *J. B.* in hoc genere non putat extare luteum; nec nos unquam vidimus. At Parkinsonus noster in *Parad.* Leucoii speciem proponit titulo

Leucoii sativi albido-lutei simplicis:

Cui folia viridiora: *flores* pallidè lutei & propemodum albi; in aliis à Leucoio vulgari descripto nihil differenti.

Leucoium flore pleno diversorum pariter colorum

Ab eo quod simplici est flore specie minimè differt, siquidem ex ejus semine oritur: vel mangonio repetitâque crebriore transplantatione (ut aiunt) ex simplici multiplex fit. Lugdunensis tamen transplantandum monet antequam floruerit. Hujus flos non petalorum tantùm multiplicitate, sed colorum varietate insignis est. Reperiuntur enim colore albo, rubro, purpureo, variegato, ut in præcedente, insignes.

* 2. *Leucoium incanum minus* C. B. *Leuc. æstivum flore purpureo & roseo ac albo* J. B. The lesser Stock-Gilly-flower or July-flower.

Binis foliis emergunt, hyemalibus Leucoiis similibus, minoribus, tenerioribus, *flore* nunc purpureo, nunc roseo, nunc albo. A majore (inquit Lobelius) non formâ, sed magnitudine solâ differt: *Caules foliáque* habet similia, sed minora: *flores* etiam non unius coloris: sed vel candidos, vel rubentes, vel punicantes, uti majoris: *siliquas* etiam & *semina* similia.

J. Bauhinus

J. Bauhinus fratrem reprehendit quòd hoc & præcedens genus seu Leucoium majus solâ magnitudine differre scribit; in eo enim (inquit) etiam differunt, quòd hoc non arborescat, & folia etiam prima, ni fallor, differentiam aliquam habent.

Parkinsonus Leucoium habet, quod appellat Leucoii alterum genus ex seminio oriundum, quod à vulgari Leucoio majore differt, quòd majus multò & elatius non rarò evadat. Nunquam tamen flores variegatos edat, Hyemem etiam non ferat, quo cum Leucoio hoc minore æstivo convenit, quod Vere satum floret Julio, Augusto, Septembri; Autumno perit, nec hyemem profert, etiam repositum. Duplex ergo (si his Autoribus fides) Leucoii æstivi genus est alterum Leucoio hyemali majus & elatius, alterum eodem minus.

Leucoium melancholium Park. *floris colore livide rubente melancholico* Eyst. *Leucoium livide rubente colore* C. B. *Hesperidis species est, vide inter Hesperidas.*

A. 3. *Leucoium marinum maximum* Park. *Leucoium maritimum Camerarii* J. B. *item Leucoium maritimum magnum latifolium* ejusdem: *marinum majus* Park. *maritimum sinuato folio* C. B. *L. marinum purpureum Lobelii* Ger. emac. **Broad-leaved Sea-Stock-Gilly-flower.**

Park.

E *radice* alba, lignosa, longa, in multos ramos divisâ *folia* promit longa, crassa, albicantia, mollia, in orbem circa radicis caput humi sparsa, rigidiora quàm hujus generis reliquorum, in profundas lacinias utrinque, cornu cervi ferè in modum, incisa & velut dentata, pulchro aspectu. Secundo à satione anno *caulem* protrudit, incana lanugine candicantem, altitudine circiter tripedali, in multas alas divisum, crassum sed tamen infirmum & vix se sustinentem; cui innascuntur *folia* angustiora, parùm admodum laciniata, aut etiam æqualia, & in fastigio *flores*, alios supra alios, multos, minùs odoratos quàm Leucoii incani hortensis, tantillo majores, colore purpuro-cœruleo pallido: quibus succedunt *siliquæ* reliquorum similes, *semina* claudentes majora, obscuriora. Postquam semen dederit radicitus interit.

Locus. Hanc attulit J. Tradescantius in Angliam ex insula *Cracina* propè *Rupellas* in Gallia: eandem invenimus in litore arenoso insulæ Anglesciæ in Anglia è regione *Caernarvan* oppidi in Wallia, atque etiam in extrema parte Cornubiæ, & alibi in litoribus arenosis: cui specie omnino idem putamus *Leucoium marinum majus* Clusio descriptum, sed non rectè depictum; Leucoium maritimum magnum latifolium *J. B.*

Leucoium marit. majus. Clus. Descriptio Clusiana sic se habet. *Caulis* ei pedalis est, interdum major, ramosus admodum & humi procumbens: *folia* longa, crassa, mollia, canentia, & quodammodo lanuginosa, Cichorei aut Erucæ modo divisa, & velut præmorsa: *flores* secundùm ramulos odorati, dilutioris purpuræ colore sed ad rubri vini fæces quodammodo tendentis: *Siliquæ* longæ, crassiusculæ, planæ tamen ut vulgaris Leucoii, plana & subrussa *semina* continentes. *Radix* multifida, sed non perennis; postea enim quàm planta florem & semen protulit (quod altero plerunque à satu anno interdum & tertio fieri solet) perit. Æstate floret.

Locus. Nascitur in Mediterranei maris litoribus in Hispania & Gallia Narbonensi. Nos ad Mare Mediterraneum propè Monspelium invenimus ipsissimum illud Leucoium, quod in litoribus nostris oritur, quódque ex Parkinsono descriptum dedimus, unde minimè dubitamus quin una & eadem specie planta sint Leucoium marinum maximum *Park.* & Leucoium marinum majus *ejusdem* & *Clusii.*

C. Bauhinus è Keiri marino flore candido *Lob. ico.* (cujus figuram Clusius assumpsit quanvis descriptioni suæ non conveniat) novam Leucoii maritimi speciem fecit, titulo *Leucoii maritimi candidi*, quàm rectè ipse viderit.

4. *Leucoium maritimum angustifolium* J. B. C. B. *marinum minus* Lob. Clus. Park. Ger. **The lesser narrow-leaved Sea-Stock-Gilly-flower.**

Clus. J. B.

E *radice* crassa, lignosa, alba, cui plures crassæ fibræ & plura capita esse solent, multi *caules* exoriuntur, singulares vel ramosi, dodrantales, teretes, satis firmi, multò tenuiores [addit J. Bauhinus & candidiores quàm præcedentis, quod non probamus] *Folia* brevia, parva, candida, nullo aut obscuro laciniarum vestigio incisa, minùs crassa quàm præcedentis. *Flores* in ramulis superiore minores coloris pulcherrimè rubentis, & dum flaccescere incipiunt saturatioris, quales Leucoii vulgaris rubri flores, & odorati quidem illi, verùm minùs superiore: *siliquæ* succedunt tenuiores multò & breviores quàm in præcedente, teretes, semine copioso, minutissimo, russo refertæ.

Tempus & Locus. Floret Julio & Augusto, eodem quo satum est anno, deinde perit. In arenosis Maris Mediterranei litoribus propè Frontignanam & albi observavimus, sat copiosè.

* 5. *Leucoium maritimum repens* C. B. *maritimum procumbens* Moris.

Cauliculis surgit pedalibus, infirmis, atque idcirco humi facilè procumbentibus, in plurimas alas divisis: *foliis* constat Leucoii vulgaris incani figurâ, è diluto virore albicantibus. *Flosculi* in carneo colore modicè rubent: cætera cum præcedentibus conveniunt.

C. Bauhinus dubitat an ex semine prioris in hortis natum sit: cùm (inquit) in hortis satum longioribus quidem sit cauliculis, sed in terram reflexis, folio latiore, flore purpureo, totáque æstate floreat.

Hoc genus, siquidem à præcedentibus diversum sit, nobis certè incognitum est, ideóque nec plura habemus quæ de eo dicamus.

* 6. *Leucoi-*

* 6. *Leucoium sylvestre inodorum, flore parvo, pallidiore* Eyst.

Radices oblongiusculas, albescentes in terram demittit, è quorum capite numerosa expanduntur *folia*, oblonga, subincana, instar Leucoii majoris 4. *Tab.* variè inæqualitérque in ambitu circumrosa aut quasi sinuata. *Caulis* indè unus aut alter assurgit, nonnunquam cubitum æquans, nonnunquam pedalis, in summitate fasciculatim gerens flosculos, parvos, pallidiores, inodoros, Leucoii lutei vulgaris æmulos, sed minores, flavo-pallidos, quibus in longis, angustis, surrectis *siliquis* succedunt *semina* flavescentia, minuta, plana, compressa, reliquorum suæ sortis more.

* 7. *Leucoium maritimum latifolium* C. B. *marinum latifolium* Ger. Park. *maritimum latifolium, flore cœruleo purpurante* J. B.

Moris. Lob.

Foliis est latioribus, rigidioribus, hirsutioribus profundè laciniatis, quæ sursum versùs perforantur à caulibus. *Flores* ex cœruleo purpurascunt in palmaribus & sesquipalmaribus *coliculis*. *Siliquæ* quam Leucoii lutei vulgaris multo breviores & tenuiores, teretes, *semina* oblonga teretiuscula in se continentes. Unde patet plantam hanc ad Hesperidas potiùs quàm Leucoia referendam esse.

Maritimis gaudet natalitiis. In declivibus etiam montis *Capouladon* inter rupes primo vere floret in loco dicto las Cambrettes *Botan. Monsp.* *Locus.*

* 8. *Leucoium saxatile Thymi folio, hirsutum, cæruleo-purpureum* C. B. *Lithoreoleucoion minimum, supinum Valvensium* Col. *saxatile Thymi folio* Park.

Col.

Plantula est exigua, grata oculis propter *florum* copiam, colore venustorum, quos Maio mense profert, cœrulo-purpureos, variegatos, medium quid luteo-candidi habentes, *staminulis* intus parvis: *Siliquas*, illis deficientibus, è medio calice folioso profert parvas, breves, crassas, inanes, in apicem longum desinentes, in quibus *semina* continentur exigua, copiosa, rufescentia, æstate perfecta. *Folia* sunt brevia, magnitudine durioris Thymi, hirsuta, colore cinereo, sicuti tota planta. Alternatim viticulis multis densè adnata, ut unaquæque planta comosa sit admodum, atque orbem viticulorum frequentiâ conficiat. Quamvis æstate floreat, nunquam perit, semper regerminans, novas è geniculis densis viticulorum soboles foliorum proferens, quapropter etiam hyeme reperitur. Tota fumi odore gravi, ac sapore gustata putet.

Singulis viticulorum cacuminibus tres aut quatuor insunt *flores*, aut siliquæ, duratque ad Autumnum cacumine & siliquis. Acris est foliis & siliquis, linguam vellicans mansa, magis quàm Leucoium ad Thlaspeos gradus accedens.

Saxis præruptis montis Aversæ oppido hærentis Septentrionalis frequentissima est. *Locus.*

Plantulam hanc ad Leucoii genus non pertinere suspicamur ob siliquas crassas, teretiusculas, ut pictura eas repræsentat, & semina parva rotunda.

* 9. *Leucoium maritimum candidum* C. B. *marinum flore candido Lobelii* Ger.

Hujus iconem vide apud Lobelium, Gerardum, & Clusium in Hist. sub titulo Leucoii marini majoris, nam descriptio alterius plantæ est.

Cap. II.

De Leucoio folio viridi flore albo, odorato.

Hoc genus foliorum & florum formâ cum præcedente convenit, illorum colore viridi, horum naturaliter albo differt.

Leucoium album odoratissimum folio viridi C. B. *hyemale, diu durans, flore albo, folio viridi & livido glabro* J. B. *An Keiri simplex flore albo* Park. parad.

C. B. prod.

Radice est multifida; *caule* viridi, ramoso, aliquando minimi digiti crassitie: *foliis* glabris, atro virore splendentibus, crassis, Leucoii lutei [potiùs incani] foliis formâ respondentibus: *floribus* albis, Leucoii incani similibus, suaviter admodum, & quidem vesperi, Hesperidum modo, olentibus; quibus *siliquæ* longæ, crassiusculæ, virides, *seminibus* planis repletæ succedunt.

Hoc per plures annos durat, si hyeme in cella asservetur.

Leucoium Hispanicum foliis latis Rapistri perfoliatis, flo. purp. Mentzel.

Ultra pedem longum provenit.

Leucoia ob florum pulchritudinem & odoris fragrantiam in hortis coluntur.

CAP. III.

De Leucoio luteo seu Keiri.

HOC genus non tantùm foliorum colore viridi, sed & eorundem formâ præcipuè tamen floris colore à præcedentibus differt, qui in hoc luteus est, in illis naturâ purpureus aut albus, nunquam ne ex accidenti quidem, (quantum nos hactenus observavimus) luteus.

A. 1. *Leucoium luteum, vulgò Cheiri, flore simplici* J. B. *luteum vulgare* C. B. *Keiri sive Leucoium vulgare luteum* Park. *Viola lutea* Ger. **Wall-flower.**

Radicibus, surculisque seu ramulis ubertim fruticantibus luxuriat, lignosis, albicantibus quos obsident *folia* nullis appensa pediculis, crebra, unciali & ampliore longitudine, ex angusto principio sensim dilatata, virentia aut canescentia, idque maximè pronâ parte, sapore subacri. *Flores* crebri, lutei valdè odorati, sapore parùm grato, staminibus senis styloque chloris, in medio penitus ferè latentibus. Succedunt *siliquæ* longæ, in quibus *semen* latum, ruffum, gustu acri & amaro.

Locus. In muris passim & copiosè provenit.

Leucoium luteum flore pleno J. B. *& aliorum*

Non differt specie ab eo cui flos simplex, sed culturâ tantùm. Cultu & mangonio talem evadere aiunt, præsertim si tenellæ plantæ antequam floruerint sæpiùs transferantur. *Lugd.*

Vires. Flores Leucoii lutei partium sunt tenuium, discutiunt, extergent, cordiales ac nervini sunt, dolores mitigant, menses cient, secundinas proritant, fœtum pellunt; unde medicamentis, quæ Græcis φθόρια dicuntur accensentur à Galeno 7. *Simpl.*

In usu sunt conserva ex floribus, aqua destillata, & oleum ex floribus infusis, quod præservat ab Apoplexia, & paralyticos juvat, éstque insigne anodynum in vulneribus & inflammationibus partium nervosarum, ut & in malis uterinis internis.

Quæ de Leucoii viribus habent Veteres apud ipsos vide, vel, si placet, apud J. Bauhinum Hist. Plant. Lib. 21. Cap. 13.

Episcopus Tridentinus ad præservationem ab Apoplexia & Paralysi feliciter utebatur conserv. florum Cheiri in aqua sua propria adsumptâ. *D. Soame* ex Observat. Hier. Reusneri à Velschio editis Obs. 11.

2. *Leucoium luteum magno flore* C. B. prod. *Keiri sive Leucoium luteum simplex majus* Park. parad.

A vulgari Leucoio luteo differt magnitudine & colore, quia parvum fruticem valdè ramosum & totum virentem refert. *Foliis* est majoribus, viridibus, splendentibus: *floribus* magnis, itâ ut hujus folium unum vulgaris florem integrum pænè adæquet, odoratissimis, intensiorisque lutei coloris, [Park. aurei intensioris] quin & spica florum multo longior est quàm in illa, & diutiùs durant flores antequam marcescant aut contrahantur: *siliquæ* crassiores & breviores in apicem seu mucronem tenuem desinentes. Tenerius est quàm vulgare, nec adeò ramis luxuriat, nec ita facilè ramulis aut surculis depactum comprehendit & propagatur: nec hyemes nostras facilè tolerat nisi à gelu vehementiore defendatur.

C. Bauhinus *Leucoium luteum maximum foliis tuberculis obsitis* ab hoc specie distinctum facit, cujus (inquit) flores magnitudine thalerum Philippicum superant. J. Bauhinus Leucoium luteum arborescens proponit, cujus flos interdum pervenit ad amplitudinem monetæ quam *Julium* vocant, quamvis ipse tantæ magnitudinis non viderit. Nos non libenter agnoscimus differentiam quam vocant specificam inter hasce plantas. Examinent alii quibus utramque varietatem colere contigerit.

Utrumque hoc genus, tum majus, tum maximum flore pleno reperitur: Hinc Leucoium luteum pleno flore majus *C. B.* & Leucoium maximum luteum flore pleno *Park. parad.*

Varietates duæ. Duas insuper alias Leucoii lutei flore pleno seu species seu varietates recenset & describit Parkinsonus in *Parad.* nimirum

1. *Keiri sive Leucoium luteum alterum flore pleno.*

Cujus flores non spicatim dispositi sunt quemadmodum præcedentium, sed in latitudinem magis diffusi; ut omnes simul & eodem ferè tempore aperiantur, non gradatim alii post alios ut superiorum; & colore sunt pallidiore.

2. *Keiri sive Leucoium luteum majus flore pleno ferrugineo* Park.

Cujus *flores* non multò majores sunt quàm vulgaris lutei flore pleno, verùm colore saturatiore tincti, petalorum aversa parte ex fusco rubente, unde veluti variegati apparent. *Hanc varietatem & nos sæpiùs vidimus in hortis curiosorum enutritam. Ob floris elegantiam in pretio est.*

* 3. *Leucoium luteum serrato folio* C. B. *Leuc. lut. ser. fol. flore grandiore* Pin.

C. B. prod.

A Leucoio luteo magno flore foliis potissimùm discrepat, quæ duplo pænè longiora, angusta, per latera crenis asperis serrata, & in aculeum finientia, quæ similiter crassa sed pallidè virentia, mollia, quia parte inferna quasi lanugo aspersa est. *Flores* lutei sunt & magni.

4. *Leucoium sylvestre* Ger. *luteum sylvestre Clusii* J. B. *Keiri seu Leucoium sylv. Clusii* Park. *Leuc. luteum sylv. angustifolium* C. B.

Clus.

Multa secundùm radicem habet *folia* Leucoii lutei foliis similia, angustiora tamen, viridia, amaricantis gustûs, inter quæ unicus, interdum plures assurgunt *caules* pedales aut ampliores, angulosi, striati, multis alis concavi, carinatis foliis obsiti; multos sustinentes *flores*, flavos, Leucoii lutei æmulos, sed minores, minúsque odoratos. Floribus succedunt oblonga *cornicula* ut in sativo, plano *semine* plena. *Radix* longa est, candicans, & multis tenuibus fibris prædita.

Locus. Invenitur in montibus illis supra Badenses thermas, & in Leytenberg, salebrosis præsertim & meridiei obversis locis. Floret Maio.

J. Bauhino folia alia quidem sinuata, semunciam lata & angustiora, unciam & sescunciam longa, alia angusta nullóque modo incisa, viridantia: in hortis cultu multò magis luxuriat, duplâ longitudine latitudinéque. Habet & aliud Leucoii lutei sylv. genus, quod *Pannonicum* vocat *serrato folio* obtuso & acuto: An hujus sit alia species, an varietas tantùm asserere non audet.

Morisonus noster semen huic plantæ teres, oblongum, ruffum asscribit, unde ad Hesperidas potiùs referenda videtur.

Parkinsonus Leucoium sylv. inodorum flore pallidiore *Eyst.* quod C. Bauhinus Leucoio suo luteo sylv. hieracifolio synonymum facit Leucoio sylvestri Clusii eandem specie plantam esse verisimile existimat; cujus sententia nobis non improbatur: verùm descriptionem Leucoii illius Hieracifolii *C. B.* subjiciemus, ut utrisque collatis Lector judicium ferat.

Leuc. lut. sylv. hieracifolium circa *radicem* crassiusculam albicantem, in oblongas fibras capillatas abeuntem *folia* plura habet per terram sparsa, eáque oblonga, angusta, subaspera, sinuosa, & per æstatem in planta luxuriante Hieracii instar sinuata, quæ circa *caulem* pedalem, striatum, nonnihil incanum alternatim disposita, oblonga, latiuscula, ut in Keiri vulgari pallidè virentia, ob raras crenas inæqualia, tactúque ob levissimam hirsutiem aspera. *Caulis* major pars floridus est. *Flores* lutei sunt, Keiri floribus minores, oblongis pediculis donati, quibus *siliquæ* triunciales strictissimæ in summo utrinque parùm reflexæ succedunt.

Locus. In sylvis prope Neustadium Harciniæ reperitur.

Præter hirsutiem caulis & foliorum nihil video in hac descriptione, quod non conveniat cum præcedente. An caulis & folia hirsuta sint nécne in præcedentis descriptione omissum, hirsuta aut subaspera esse non negatum.

Keiri Alpinum foliis dentatis, flore flavo odorato Zanoni.

Non videtur nobis specie diversum à Leucoio luteo sylvestri Clusii *J. B.* nam & folia alia quidem sinuata, semunciam lata & angustiora ei attribuit, alia angusta, nullóque modo incisa: & D. Agerius (inquit) attulit Bononiâ Leucoium sylvestre folio valdè angusto (quod eandem fuisse speciem quam D. Zanoni describit verisimillimum est) Camerarius etiam pulchram & raram speciem Leucoii sylvestris reperit Bononiæ. Quin & Morisonus noster Leucoio luteo sylvestri *Clus.* semen teres, oblongum, ruffum asscribit; non planum ut Clusius.

Keiri Alpinum foliis dentatis Zanoni foliis est angustioribus quàm Leucoium luteum sylvest. Clusio descriptum; iísque ad margines sinuatis, & inferiore medietate rariùs utrinque dentatis: [folia tamen superiora dentata non sunt.] *Semen* majus est semine Leucoii Clusiani quamvis planta ipsa minor sit. Verùm hæ notæ non speciem diversam, sed varietatem potiùs accidentalem arguunt. Haud tamen præfractè negaverim specie distinctam esse à Clusiano Leucoio, sed ab omnibus J. Bauhino descriptis & memoratis, diversam neutiquam concesserim. Descriptionem particularem & exactam vide apud Jacobum Zanoni, qui in Alpibus Bononiensibus invenit inter rupium fissuras.

* 5. *Leucoium luteum montanum altum* Ponæ Ital. *luteum montanum serrato folio* C. B. *Keiri sive Leucoium montanum luteum* Park.

Pon.

Caulibus assurgit pluribus, rectis, firmis, lignosis, altitudinem humanam interdum superantibus; *foliis* obsitis brevibus, viridibus, acuminatis, circum oras dentatis. *Flores* simplices sunt, quàm vulgaris Keiri ampliores, nec minùs odorati. *Siliquæ* tenuiores sunt, semine rubente repletæ. *Radix* lignosa, in multos ramos sparsa, & in calidioribus regionibus vivax.

* 6. *Leucoium Creticum luteum utriculato semine* Alpin. exot. Park.

Alpin.

Frutex est pedalis altitudinis, ramulis multis, ab *radice* tenui, lignosa, in parvas radiculas divisâ exeuntibus, rotundis, albicantibus, asperis; in quibus *folia* multa, circum ramulos densa, simúlque stipata, alba, Leucoii vulgaris minora, in extremis latiora, asperis pilis obsita, dura, quæ in germinum fastigiis in orbem veluti aguntur. Ramuli in summitatibus, ut in nostris Leucoiis, *flores* producunt plures, circumstipatos, à suis longis petiolis pendentes, luteos, quinquefolios, parvos; à quibus fiunt *folliculi* rotundi, colore flavescentes, *semina* suis loculamentis continentes, Leucoiis similia, sed latiora tamen, albicantia. Planta non est annua.

Si hæc planta ab Alpino rectè describatur & depingatur cum quinque petalis in flore, in nostra Methodo ad aliud genus pertinet.

* 7. *Leucoium terrestre majus frigidarum regionum* Col. *Leucoium luteum Erucæ folio* C. B. Park.

Col.

Floribus est Leucoio maritimo non dissimilibus: odori sunt, suavémque ceræ novæ odorem remittunt, sapore acres, umbellatim ferè in summo alarum & caulis existentes; qui [caulis] parum hirsutus est, rotundus, cubitalis, tribus alis divisus, qui cùm decidunt flores è petiolo *siliquas* emittit, multas, alternatim in summo dispositas, Leucoio similes. At *folia* è *radice* pedali vel longiore bifidâ aut trifidâ, candidâ, in terram strata inveniuntur, pedem longa grandiora & quæ proxima cauli, verùm prima minora, & Erucæ sativæ vel Papaveris erratici folia laciniis profundis imitantia, colore virentia, parùm hirsuta, mollia, succosa & acri sapore, sicuti tota planta.

Locus. Junio floret inter saxa vallis Campoclarensium, supra locum vulgò dictum *il Colle di mez* locis umbrosis atque humentibus & frigidis.

In descriptione Columniana de floris colore nihil invenio. C. Bauhinus luteum facit.

CAP. IV.

De Dentaria.

Dentaria à radicis forma & colore denominatur, quæ candidissima ex pluribus quasi dentibus componitur. *C. B.*

Miror Clusium plerisque hujus generis plantis semina Hesperidis tribuere, hoc est crassa, teretia, & oblonga, cùm ex nostra & J. Bauhini observatione, in Dentaria heptaphyllo, tum siliquæ tum etiam semina compressa sunt: mirum autem hanc speciem hac in parte à reliquarum omnium norma abludere.

1. *Dentaria triphyllos* Clus. hist. C. B. Park. *enneaphyllos Clusii* J. B. *Dentaria coralloide radice, sive Dentaria enneaphyllos* Ger. Toothwort.

Clus.

Caulem profert pedalem, firmum, rotundum, lævem, quem in summo ferè ambiunt terni pediculi, (rarissimè plures) singuli terna *folia* sustinentes, ampla, mucronata, in ambitu serrata, saturè virentia, gustu fervido. Summum caulem exornant quini aut seni *flores*, Dentariæ Heptaphylli florum æmuli, deorsum spectantes & propendentes, colore ex herbaceo pallescente. *Flores* sequuntur oblonga *cornicula*, torosa, mucronata, qualia sunt Dentariarum pentaphylli & heptaphylli cornicula, & in his etiam simile *semen*, hoc est Hesperidis ferè, sed crassius & virescens, quod dissilientibus corniculis exsilit, antequam probè maturum videatur. Alia præterea folia à radice profert, terna tantùm in singulis pediculis oblongis nascentia, superioribus multò ampliora, sed breviora: *Radix* novella alba est, vetusta nigricat, multis articulis sic distincta, ut è plurimis dentibus coagmentata videatur, Dentariæ ἀφύλλου radici non valdè dissimilis.

Locus. Exit in umbrosis Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Pannoniæque sylvis, non modò ad montium radices, sed etiam circa mediam earum regionem, ubi præaltarum arborum sylvæ in Alpibus hujusmodi plerunque desinere solent. Inveniebam & ultra Dravum in monte Greben imminenti, atque etiam Harciniâ sylvâ Bohemiam ambiente. Floret Aprili, vicinis Viennæ Austriacæ sylvis, & aliis humilioribus; semine prægnans est Maio. At in montibus hæc omnia seriùs.

2. *Dentaria pentaphyllos* C. B. Park. *pentaphyllos Clusii* Ger. *Coralloides prima quinquefolia* J.B.

Clus.

A *radice* nodosa & in plurimos articulos distinctâ tenuibúsque aliquot fibris ex articulorum distinctione prodeuntibus donatâ exeunt aliquot *folia*, longis pediculis nixa, in quinq; profundas, & ad pediculum usq; sectas, lacinias divisa, in ambitu crenatas, scabra & tactu aspera, saturè virentia. *Caulis* pedalis & amplior, rotundus, quibusdam ex intervallo foliis, aliis paribus, donatus, summo fastigio quinos aut senos *flores*, bulbiferæ floribus similes gerens, colore tamen paullò magis saturatè pur-

purpurascente, qualis ferè in floribus Bulbonach: Succedunt longiora cornicula, *semine* quali præcedens plena.

Dentaria πενταφυλλος altera Clusii cùm non aliter à descripta differat quàm *foliis* mollioribus, neq; adeò satura viriditate præditis & radice magis dentata, sive inæquali, & pluribus crassis squamis exasperata; nos cum C. Bauhino eam à præcedente non separamus. *Dentaria pentaph. altera.*

In sylvosis jugis montis Juræ copiosè nascentem observavimus: Clusius ad Allobrogicarum Alpium radices supra Lemanum lacum. *Locus.*

3. *Dentaria heptaphyllos* C. B. Park. *heptaphyllos Clusio* Ger. *Coralloides altera sive septifolia* J. B.

Clus.

Folia aliquot è radice exeunt, quina interdum, sed maxima ex parte septena, longæ costæ inhærentia, foliorum Fraxini instar digesta, h. e. ut ex adverso bina semper respondeant, folium impar extremam alam occupet, omnia in ambitu serrata, dilutiùs virentia quàm sextæ [Dentar. quinquefoliæ] folia, & subtus candicantia: *caulem* etiam pedalem, rotundum binæ aut ternæ foliorum alæ, iis quæ à radice prodeunt non dissimiles, ornant; ejus autem summum *flores* superioris floribus pares, candidi tamen coloris. *Cornicula* quæ succedunt etiam paria, simile *semen* continentia. *Radix* minùs squamata quam præcedentis, & paucis crassioribus fibris firmata; [J. Bauhino Alabastritis marmoris politi æmula, obliqua, tuberibus inæqualis] Semina compressa *J. B.*

In Jura & Saleva montibus copiosè exit. *Locus.*

* 4. *Dentaria baccifera* Clus. *bulbifera* Ger. Park. *heptaphyllos baccifera* C. B. *Coralloides minor bulbifera* J. B.

Clus.

Oblongâ serpit *radice*, dentata quidem, sed veluti ex multis nodis constante, tenui, alba, interdum etiam purpurascente, subinde ex lateribus novas propagines generante, ingrato, & linguam primùm siccante gustu, deinde acri: Ex cujus lateribus prodeunt oblongo pediculo sive costæ (quæ secundùm terram purpurascit, postea viridis est) inhærentia *folia*, quina plerunque, interdum plura, magna ex parte inter se opposita, alteróque latere tantùm crenata, eò quod imparem numerum facit, & extremæ alæ insidet, duntaxat utrinque crenato, gustu initio acido, postea acri & fervente. *Caulis* cubitalis est, gracilis, nudus, quem circa medium binæ aut ternæ alæ, interdum plures, ex tribus tantummodo foliis, jam descriptis respondentibus, constantes ambiunt, [J. Bauhino foliis quinis ad rachin annexis compositæ, modò rectâ è regione positis, modò alternatim, sescunciam aut duas uncias longis, semunciâ latioribus] superna verò pars oblongis angustisq; foliis, nunc leviter, modò nihil crenatis, confuso ordine, obsita est. Extremo cauli insident quaterni, quini, aut plures *flores*, Leucoii aut Hesperidis quidem florum æmuli sed minores, albi aut ex candido leviter purpurascentes; quibus succedunt *siliquæ* seu cornicula, Sinapi corniculis similia, breviora tamen, quæ unà cum suis pediculis marcescentia plerunque decidunt & pereunt, nonnunquam tamen crassescunt & matura *semen* ferunt Hesperidis semini ferè par, quod dissilientibus corniculis excutitur. Sed præter id semen, ad singulorum ferè foliorum quæ caulem ambiunt alas & exortum tubercula quædam adnascuntur, bulbulis Lilii cruenti bulbiferi haud absimilia, ac velut è squamis compacta, initio viridia, deinde pulla, ingrati admodum gustûs, quæ facillimè decutiuntur, & præmatura sponte decidunt, terrâque sepulta novellas plantas gignunt.

Reperitur hoc genus (ut putat Clusius) in omnibus Germaniæ montanis sylvis; v. g. in sylvis Hassiæ non procul Martpurgo, Misniæ, Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Pannoniæ, &c. *Locus.*

Florere autem solet Aprili: bulbuli nigricantes Maio conspicui alarum cavis inhærentes. *Tempus.*

* 5. *Dentaria baccifera foliis Ptarmicæ* C.B. *angustifolia bulbifera* Park.

Eyst.

Radice constat obliquè procedente, multis, carnosis, dentatis, subalbicantibus articulis coagmentata, indéque propagines fundit, atque *caulem* unum aut alterum erigit, rotundum, lævem cubitalem, circa quem arctâ sede articulatim *folia* longa, lævia, Ptarmicæ modo tenuiter serrata, in acutum mucronem finientia porriguntur, saturati viroris, ac juxta exortum singulorum in geniculis ipsis soboles, seu impropriè magis loquendo bulbuli, crassè squamati, subobscurè purpurascentes. *Flores* in cacumine emicant tetrapetali, albidi, fasciculatim dispositi, floribus Bulbonach dictæ consimiles. Semina non vidit descriptionis autor in corniculis, sed semina præcedentis paria & compressa esse conjectatur.

CAP. V.

De Leucoiis quibusdam flore parvo montanis aut peregrinis.

1. *Leucoium sylvestre latifolium flosculo albido, parvo. Hesperis sylvestris latifolia flore albo, parvo* Park. *Hesperidi Alpinæ murariæve affinis surrecta & magna* J. B.

Park. J. B.

FOlia hujus plantæ quæ ad radicem ampla sunt & lata, ex crasso pediculo, circa margines sinuata & dentata, asperiuscula, subhirsuta & lanuginosa, præsertim æstate. Secundo à satione anno exoritur *caulis* bicubitalis & altior, nunc unus, nunc plures, crassi, hirsuti, recti, supernè ramulos rectos alternatim inter folia proferentes lato principio eum amplectentia. In extremis ramulis multi *flosculi* exigui, albidi, ad luteum nonnihil vergentes, in longas spicas dum sensim aperiuntur excurrentes; quibus succedunt *siliquæ* plurimæ, sex, septemque uncias longæ, latiusculæ, compressæ, multo tenuiores & infirmiores quàm Leucoii incani, ideóque deorsùm nutantes, glabræ, *semine* compresso, latiusculo, & pæne quadrato repletæ. *Flores* parùm odorati & ferè inodori: Foliorum sapor J. Bauhino amaricans, Parkinsono calidiusculus & exiccans. *Radix* alba, lignosa, non altè descendens, sapore acri J. Bauhino, quæ semine ad maturitatem perducto interit.

Locus. In monte Saleva propè Genevam copiosè oritur. Collegimus etiam in montibus non longè à Lucâ versùs Massam.

J. Bauhinus dubium movet annon hæc sit Sinapi & Thlaspi media Provincialis planta *Lob. Ad.*

2. *Leucoium montanum minus flore parvo. Draba alba siliquosa* C. B. Park. *Draba prima repens* Ger. emac. *Hesperis Alpina, sive muralis minor repens* J. B. *rectiùs Leucoium montanum, quo nomine ab Alphonso Pancio ad Clusium missus est.*

Radix obliquè serpit summo ferè cespiti hærens, fibras crebras subinde demittens, capita etiam plura habet. *Folia* in orbem multa per terram sparguntur, ex angusto principio sensim latescentia, sinuata & serrata, candicantia, & hyeme quidem rubentia, pilosa, Barbareæ murariæ foliis accedentia, sapore acri prædita, at quæ per caules cernuntur, lata basi eos complectuntur, non minùs jam dictis dentata. Cæterum *flores* in dodrantalis *caulis* ramorúmque fastigiis multi, coacervati, albicantes, quos longa serie sequuntur *siliquæ* duas, tresve uncias longæ, aliàs ferè sesquipalmares, angustæ, compressæ, in quibus *semina* foliacea ruffa, saporis acris.

Locus. In montibus Jura & Saleva propè Genevam, præsertim locis humidis ad aquarum scaturigines nobis observata est. In parietinis, murorúmque rimis & inter saxa nasci tradit Hist. Lugd. Floret Aprili.

* 3. *Leucoium montanum succulentum. Draba alba siliquosa repens* C. B. Park. *altera repens* Ger. *Hesperidi Alpinæ sive murariæ affinis, Draba succulenta* J. B.

Clus.

Frequentibus ramulis prædita est ex eadem radice prodeuntibus, tenuibus, deinde in caput extuberantibus; ex quo aliquot *folia* quasi in orbem disposita prodeunt, crassa, succulenta, atra viriditate splendentia, Auriculæ ursi flore carnei coloris foliis magnitudine & formâ ferè respondentia, sed nonnihil in lateribus dentata, acri gustu & illico linguam vellicante. Ex horum medio pedalis aut major exit *caulis*, gracilis, quem per intervalla ambiunt & amplectuntur folia superioribus minora & ad petiolum latiora. *Flores* spicæ instar supremum caulem ambiunt ut in priore, albi: quibus succedunt teretia & oblonga *cornicula*, ruffum, pusillum & planum *semen* continentia. *Radix* tenuis & repens latè sese diffundit, novas plantas singulis annis producens, vivax & totâ hyeme virens.

Locus. Crescit in declivi montis *Herrenalben* supra *Zeehof* villam cœnobii Gamingensis: ubi serò floret, at in hortos translata maturiùs cum præcedente.

* 4. *Leucoium Creticum minimum folio subrotundo* C. B. *Creticum marinum cæruleum* Park. Alpin. exot.

C. B.

Cauliculo est palmo minore, viridi, striato, levissimis pilis asperso: *foliolis* subrotundis, pallidè virentibus, longis pediculis donatis, aliquando binis ex opposito, aliis alternatim sitis. *Cauliculi* summum in duos pedicellos abit [interdum plures] quorum singuli *flosculum* oblongum, cœruleum, quadrifolium, modò unum, modò duos [aut etiam plures] sustinent, parvos, oblongos, pulchrè cœruleos, quibus succedunt in *siliquis* longis *semina* minuta, nigricantia. *Radix* exigua, tenuis à semine perfecto marcescens: verùm Autumno sata hyemem perfert, & sequenti Vere in caulem abit. Pleniorem descriptionem videsis apud Alpinum.

Leucoium maritimum minimum C. B. *marinum minimum* Park.

Ab hoc non multùm differre videtur. In litore maris, inquit, propè Terracinam reperitur.
An hæc sit vera & genuina Leucoii species semine scil. plano & compresso nescimus, verùm cùm Leucoii nomen illi imposuerunt qui de eo scripserunt, Leucoiis annumerandum censuimus; idem de sequentibus Creticis dictum esto.

* 5. *Leucoium Creticum thlaspifolium* C. B. *marinum Creticum majus* Park. *marinum Creticum* 1. Clus.

Clus.
Caules habet procumbentes, rotundos & duriusculos, multis ramis donatos, in quibus *flosculi* initio rubentes, deinde ex cœruleo purpurascentes, petalis extremo bifidis, & cordis, ut vulgò pingitur, effigiem propemodum referentibus, quasi ex umbella, Irionis vulgaris instar, sensim prodeuntes, qui (ubi floris folia conjungebantur) radiantem imitabantur flavam stellam. Floribus successerunt duarum ferè unciarum *siliquæ* sive cornicula teretia, in quibus *semen* oblongiusculum castanei coloris. Ipsius verò plantæ *folia* longiuscula sunt, à Thlaspi foliis non valdè differentia, nullis (in caule præsertim) evidentibus crenis donata, crassiuscula & aliquantulum amara.

Locus. Josephus Casabonus, ex peregrinatione Cretica redux semen ad Clusium mittebat, Leucoii marini appellatione, è quo tres diversæ plantæ ortæ sunt, hæc & sequentes duæ, quæ idcirco hujus potius varietates, quàm species distinctæ censendæ sunt.

* 6. *Leucoium Creticum floribus minoribus* C. B. *Creticum minus* Park. *marinum Creticum* 2. Clus.

Clus.
Hæc priori similis est, nisi quòd flosculos habeat dimidio minores, & initio prorsus albos, deinde tamen paulatim purpureum quidpiam contrahentes, sed nihilominus magis ad albedinem inclinantes.

Tempus. Floret utraq; [hæc & præcedens] Julio, medio Vere, hoc est Aprili, sata.

* 7. *Leucoium Creticum foliis oblongis crenatis* C. B. *Cret. oblongis foliis crenatis* Park. *Creticum* 3. Clus.

Clus.
Folia initio promit præcedentibus duabus longiora, evidentibus & conspicuis crenis secundùm oras donata, Leucoii Dioscoridis Lobeliani [i. e. Leucoii incani vulg.] è quorum medio exit *cauliculus* rectus, palmari altitudine minor quum florere incipit, nempe Augusto: A latere verò plures fundebat ramulos, in quibus *flores* secundo generi amplitudine pares, colore tamen differentes, nam propiùs accedebant ad Leucoii marini Lobeliani latifolii colorem, magísque purpurantes erant quàm in primo genere.

Turritim vulgarem Morisonus ad hoc genus refert; & rectè si semina compressa habeat prout ille asserit, quod nobis non observatum.

CAP. VI.

De Leucoio siliqua lata, brevi, Viola Lunaria, & Alysson dicta.

1. *Viola lunaria major siliquâ rotunda* C. B. *Lunaria major siliquâ rotundiore* J. B. *Viola lunaria sive Bulbonach* Ger. Park. **Sattin, or Honesty.**

J. B.
C*Aule* assurgit sesquicubitali aut altiore, [digiti minimi interdum crassitie,] colore glauco aut rubente, hirsuto. *Folia* Urticæ, majora aliquando duplo aut triplo, hirsuta, serrata, opposita interdum, aliàs ad ramulorum propagationes singularia, sapore oleraceo. Ramis [& summitati caulis] insident *flores* multi, [eodem ferè modo dispositi quo in Brassica,] purpurascentes aut carnei, striati [Brassicæ vulgaris floribus pares, Leucoii minores, aliàs iis similes] odore debili, ungue intus conspicuo & albicante. *Stamina* quatuor virescentia *apicibus* luteis seu chloris [vix è calice emergunt.] Hæc omnia excipit *caliculus* oblongus, phœniceus, è quatuor foliolis, duobus majoribus totidem minoribus, compositus, [Leucoii calici similis.] *Siliquæ* latæ, subrotundæ [nonnihil tamen longiores,] compressæ, bivalves, argenteâ bracteolâ exteriores utrinq; laminas intercedente, filum summa parte emittentes, *seminum* orbiculatorum compressorum duplicem ordinem continentes. *Radix* strumosa seu glandulosa, [unde nomen *Bulbonach.*] *Semen* ut in hoc genere maximum est, ex ruffo nigricans, & cum aliqua amaritudine acerrimum. Folia per hyemem retinet: secundo à satione anno caulem fundit, & cùm semen maturuit perit.

Copiose

Locus. Copiosè crescit in saltubus Thuringiæ sylvæ *Cam.* In montanis sylvis Austriæ, Stiriæ, viciniarúmque sylvosis locis, atque etiam in Pannonia interamni sponte magnâ copiâ provenit. *Clus.*

Violam lunariam majorem alteram & *Cam. C. B.* quam præcedente minorem & flore albo esse scribit à sequente planta non differre puto, nihil tamen temere affirmare ausim. J. Bauhinus Lunariam majorem aliam flore albicante odorato perennem *Cam. hort.* sequentis plantæ synonymam facit.

Vires. Calido, acríque & amaro gustu est, præsertim semina, sed tamen radices in acetariis ut Rapuntia manduntur. Absterget, modicè calfacit, & urinam cit ut Rapunculus. Pulvis seminis amarissimi cum aqua appropriata exhibetur in epilepsia. *Cam. Schwenckf.*

Quidam in Helvetia chirurgus ex Lunariæ perennis contusis foliis & Sanicula parabat unguentum vulnerarium non contemnendum. *Idem.*

* 2. *Leucoium lunatum seu lunarium latifolium majus alterum, siliquâ rotundâ, flore albo* Moris.

Hoc priori foliis latis, & siliquis planis rotundis simile est. Perenni nititur radice quæ hyeme non marcescit: *caules* ei sunt cubitales, lignosi: *folia* multa, lata: *siliquæ* planæ, compressæ, rotundæ, utraque paulò minora quam prioris. Flores autem profert candidos instar Violæ matronalis.

Locus. Provenit in sylvis nonnullis Germaniæ, ut Hercinia.

3. *Viola lunaris longioribus siliquis* Ger. *Viola lunaria major siliquâ oblongâ* C. B. *Lunaria major siliquâ longiore* J. B.

Latis hæc est Lunariæ præcedentis *foliis*, serratis acuminatísque: flos consimilis purpureus: at quæ eum excipit *siliqua* oblonga est, & quæ prædictæ Lunariæ siliquis multùm cedit latitudine, binis utrinque membranis mediam argenteam sponte per seminis maturitatem relinquentibus. *Radice* est perenni.

Locus. In montibus Jura & Saleva propè Genevam provenit quidem, sed non copiosè, quod nos vidimus. Maio mense in hortos translata floret.

4. *Leucoium Alyssoides clypeatum majus* C. B. *Alysson Dioscoridis* Ger. Park. *Alysson siliquâ latâ aspera, quibusdam Lunaria flore luteo* J. B. Dioscorides his Madwort.

J. B.
Radice simplici & lignosa candicantíque nititur, sapore prædita fervido: ex qua plures eriguntur *caules*, recti, rigidi, incanâ lanugine hirti, qui cis fastigium in ramos aliquot abeunt: in quibus *flores* numerosi, parvi, melini, Erysimi floribus formâ & magnitudine similes: quibus delapsis *siliquæ* oriuntur, ex oblongo rotundatæ, villo aspero tectæ, compressæ, *semen* claudentes similiter compressum. *Folia* germinatione prima ex oblongo rotunda, postmodum in longum porrectiora, in obtusum mucronem desinunt, nonnihil sinuata, Leucoii foliis similia, albicantia, hirsuta & tactu aspera, sapore oleraceo prædita.

5. *Leucoium Alyssoides clypeatum minus* C. B. *Leuc. pellatum Romanum minus* Col. *Alyssum alterum Dioscoridis minus* Park. *Thlaspi incanum Mechliniense nobis videtur.*

Differt hoc à præcedente natalibus calidioribus; *radice* perenni; *foliis* minoribus mollioribúsq;; *flore* majore, candido, cùm illius luteus sit, petalis in cordis figuram dissectis; peltis duplo minoribus. Ab imo flores & fructus Vere incipit proferre.

Locus. Copiosè circa Romam undique in incultis fruticat. Plenam omnium partium descriptionem si desideras, Columnam adeas.

Nos hanc plantam à Columna descriptam pro Thlaspi Mechliniensi habemus, nam & descriptiones per omnia, semine fortè excepto, conveniunt, & nos circa Romam Thlaspi illud dici solitum copiosum observavimus. Semen Thl. Mech. nec Clusius, neque J. Bauhinus, describunt, Lobelium autem, qui exiguum semen, cæteris minus ei attribuit non multùm moror. Tale ei esse quale describit Columna mihi planè persuadeo. Quòd si ità sit, rectiùs hîc disponitur planta quàm inter Thlaspeos species.

Semina, describente Columna, ruffa sunt, rotunda, compressa, tenuia.

Thlaspeos Mechliniensis synonyma sunt

Thlaspi fruticosum incanum C. B. Ger. *incanum Mechliniense* Park. *Thlaspi capsulis sublongis incanum* J. B.

Thlaspeos

Thlaspeos capsulis sublongis incani J. B. *incani Mechliniensis* Park. *fruticosi incani* C. B. Ger. *descriptio sic se habet apud J. Bauhinum.*

Ex *radice* satis crassa cubitum longos ac etiam longiores, lentósque ramos, & planè lignosos, rubentes, erectos producit, in ramulos aliquot divisos. *Folia* priora longa quatuor uncias, & unam lata, superiora Leucoii lutei, incana aut in nigro virentia, subhirsuta, sapore oleraceo, subacri. *Flores* inæquali licèt pediculorum tenuissimorum ortu, in umbella dispositi, albi, quatuor foliis cordatis constantes, staminibus in medio luteolis. *Capsulæ* succedunt sublongæ, hirsutæ. Radix sub terra latè serpit Drabæ instar, autore Clusio.

In agro Romano abundat, ad hyemem usque florens. *Locus.*

Leucoii peltati Romani minoris descriptio apud Columnam cum hac egregiè convenit. Radix perennis; Flores albi, umbellatim nascentes, petala cordata; staminula luteola. Locus etiam suffragatur.

A. 6. *Leucoium seu Lunaria vasculo sublongo intorto.*

Radicem habet albam, duram, simplicem, fibris majusculis donatam: *Caulem* erectum, teretem, striatum, hirsutum, altitudine dodrantali, versùs summum ramulos hinc indè emittentem, in quibus, ut & in summo caule *flosculi* parvi, albi, petalis in medio fissis. Floribus succedunt *siliquæ* oblongæ, latiusculæ, glabræ, & (quod huic speciei peculiare est) intortæ, membrana tenui dissептæ, cui adnascuntur hinc indè quatuor aut quinque *seminum* oblongorum, compressorum paria. *Folia* in caule crebra, nullo ordine absque pediculis adnata, non tamen eum amplectentia, utrinque pilosa, rarioribus incisuris ad latera dentata, vix digitum longa, aut dimidium lata, in acutum desinentia. Sapor herbæ vix ullus manifestus. Semen nonnihil acre.

In udis ad scaturigines aquarum è lateribus montium *Ingleborough, Hinckelhaugh* aliorúmque vicinorum in Septentrionalibus Angliæ erumpentium nascitur, & post mediam æstatem floret. *Locus.*

Cap. VII.

De Herbis quibusdam Siliquis latis, semine non compresso, flore parvo.

A. 1. *Paronychia vulgaris* Ger. *vulgaris Alsines folio* Park. *Bursa pastoris minor loculo oblongo* C. B. *B. pastoria minima oblongis siliquis, sive verna loculo oblongo* J. B. **Common Whitlow-grass.**

J. B.

RAdice est tenui & tandem fibrosa: à qua per terram sparguntur folia multa, vix unciam longa, mucronata, hirsuta, virentia modò, modò rubentia, oris per extremum aliquot crenis incisis, sapore primùm subastringente, tandem acri, nitroso & vellicante: inter quæ caulis nunc unus, aliàs bini, terni & plures, teretes, palmares, aliquando vix sextantales, foliis nudi flosculos sustinent simul multos, albos, quatuor foliolis ad ungues ferè bifidis constantes, ex pediculis oblongis: loculo longiusculo, compresso, nullâ lacunâ, ut in Bursa pastoris distincto, sed in acutum desinente, membranâ tenui valvas intercurrente dissepto, *Semen* minutum rotundum continente.

Floret mense Martio, seriúsve aut citiùs prout hyems acrior aut mitior fuerit. In agris & hortis præsertim sterilioribus & arenosis, nonnunquam & in muris & tectis. Annua est planta, semine deciduo se quotannis renovans. *Locus & Tempus.*

2. *Bursa pastoria Alpina hirsuta* C. B. Park.

C. B. prod.

Radice est unciali, *foliolis* copiosis, pallidè virentibus, in orbem humi stratis, mollibus, incanis, Lenticulæ magnitudine, leviter crenatis, aliquando integris: *cauliculis* aliquot tenuissimis, leviter hirsutis, penè nudis, tres quatuórve uncias longis: *flosculis* parvis, albis: *loculis* flavescentibus, oblongis, multo quàm in vulgari majoribus, *semen* minutum, rufum continentibus.

In Alpibus Helvetiorum, ut monte Fracto & Spligel reperitur. *Locus.*

3. *Paronychia Sediformis flore luteo Leucoium luteum Aizoides montanum* Col. *Sedum Alpinum hirsutum luteum* C. B. *petræum* Ger. *petræum montanum luteum* Park. *Phyllon thelygonon Dalech.* J. B.

Radix ei simplex [tenuis, sesquipollicem longa *Col.*] paucioribus fibris donata, superiore parte in plura capita divisa ut in Caryophyllis & Psyllio perenni. In singulis capitibus, seu ramulis in quos plantæ radix supra terram divaricatur, densum foliolorum agmen ceu cæspes extat. *Folia* singula angusta, velut graminis aut Caryophylli, in acutum desinentia, ad latera utrinque brevibus pilis rigidiusculis hirta, ut Aloes folia, si magnis parva componere licet, quadantenus imitari videantur, siquidem setulæ hæ adeò concinnè dispositæ sunt, ut incuriosiùs spectanti folia dentata videantur;

tur. E centro seu medio singulorum cæspitum, (seu ut Columna vocat globulorum) foliorum, emergit *cauliculus* triuncialis rariùs palmaris, firmus, rotundus, lævis, viridis, foliis nudus, in summo gestans *flosculos* quinque, sex aut etiam plures, luteos, tetrapetalos, petalis obtusis, longis petiolis fultos, relinquentes post se *vasculum* seminale oblongum, compressum, in acutum desinens, figura Paronychiæ vulgaris, nisi quòd majus sit & longius membranâ pariter ad planum siliquæ parallelâ disseptum.

Locus. In monte Saleva è scopulorum rimis exit, floretque sub finem Aprilis & initio Maii.

A. 4. *Bursa pastoris major loculo oblongo* C. B. *Bursæ pastoriæ loculo sublongo affinis pulchra planta* J. B. *Thlaspi Veronicæ folio* Park.

J. B.

Per terram spargit folia Barbareæ muralis aliquatenus similia, breviora, latiora, magísque rotundata, unciam [J. Bauhino duas uncias] lata, per ambitum serrata, hirsuta, aspera nonnihil, cujusmodi etiam per caules ramósque, sed portione minora cernuntur, sine pediculis. Statim autem è radice tenui plures emittit *caules*, alios aliis feliciùs adolescentes, cubitum altos & ampliores, nonnunquam in ramos plures divisos, quos non ut Barbarea cauli apprimit, sed abscedentes diducit. *Flores* singulis alis multi cohærent, parvi, albi, quos excipiunt serie longa loculi Paronychiæ vulgaris similes, bifores, qui in medio striam habent, quorum altrinsecus abscedentibus valvulis *semen* apparet minutum, relictâ dissepiente membranulâ. In singulis siliquis plura continentur semina, sex aut octo utrinque numeravimus.

Locus. Ad latera montium in Occidentali Comitatûs Eboracensis parte *Craven* dicta non infrequens est: invenimus etiam in Italia, medio circiter itinere inter Lucam & Pisas ad sæpes; & in Gallia Narbonensi circa Monspelium oritur.

CAP. VIII.

De Hesperide.

HEsperis unde dicta sit in ejus descriptione dicemus. Notæ ejus genericæ sunt flos speciosus Leucoii æmulus, semina teretiuscula oblonga majora.

1. *Hesperis hortensis* C. B. *Hesperides flore purpureo, albo & vario* J. B. *Viola matronalis* Dod. Lob. *matronalis purpurea* Ger. *Eruca alba & purpurea* Lugd. **Dames Violet, or Rocket.**

Radicibus aliquot parvis lignosis & albis nititur; *caules* erigens cubitales & sesquicubitales aut altiores, [teretes] hirsutos, [medullâ farctos;] in quibus alternatim folia Erucæ, sed non ità laciniata, in ambitu serrata, acuminata, hirsuta, in virore nigricantia, [quatuor digitos longa, pediculis brevibus nixa,] sapore acriusculo. Ex alis foliorum erumpunt ramuli, in quibus, [ut & in summitate caulis,] flores formâ ad Leucoium luteum accedentes, odoris suavissimi, quadrifolii, colore nunc albo, nunc purpureo, aliàs confusis cum albedine maculis purpureis variato, [pediculis semuncialibus & longioribus insidentes.] Semen in siliquis longis, [bivalvibus, membranâ intergerinâ disseptis] continetur oblongum, ruffum, acre.

Tempus & Locus. Aprili, Maio & Junio mensibus floret. Provenit, inquit J. Bauhinus, in Sequanorum vallibus, qua Rhenus fluit sub sepibus. In agro Neapolitano, cùm Salerno Neapolin iter facerem, in pratis florentem observavi mense Junio. In Anglia nondum vidi spontaneam, quamvis Lobelius in Angliæ pratis eam fruticare scribit.

Nominis ratio. Hesperis dicitur, quoniam ejus flos sub vesperam præsertim grato odore nares feriat, interdiu aut nullum, aut levissimum spiret, quod Theophrastus & Plinius de Hesperide tradunt.

Varietates. Ab hortulanis nostris **Rocket**, i. e. Erucæ nomine colitur cum flore pleno purpureo albo, & vario.

Vires. Erucæ ut sapore ità facultate proxima videtur tum foliis tum semine *Dod. Lob.* tussi, convulsis & difficulter spirantibus mederi traditur apud Clusium: urinas insuper & sudores propellere, incidere, abstergere & digerere. *J. B.*

2. *Hesperis flore viridi* C. B.

Magnitudine quoad omnes sui partes à vulgata differt. Flore est viridi & inodoro.

In horto quodam Basileæ legit C. Bauhinus. Degener quædam prioris speciei esse videtur è semine nata.

3. *Hesperis Syriaca* J. B. *Syriaca Camerarii* Park. *peregrina siliquis articulatis* C. B. *quibusdam Leucoium melancholicum, & nostrâ sententiâ rectè.*

Dodrantalia *folia* aut minora, palmum lata, valdè aspera & hirsuta, longis nixa pediculis, Hesperide flore obsoleto multò ampliora, nonnihil in ambitu sinuata: *Flores* in brevibus sed crassioribus caulibus, figurâ quidem vulgaris Hesperidis, sed colore fusco & lurido, multis venulis per eorum

rum petala discurrentibus, sub noctem valdè odorati, interdiu odoris expertes. Sequuntur *siliquæ* insignis longitudinis, recurvæ torosæ, multo quàm Hesperidis colore obsoleto crassiores: *Semen* paulò crassius: *Radix* non absimilis.

In Syriæ montanis crescit teste Clusio. C. Bauhinus à Parkinsono reprehenditur quòd Hesperidem Syriacam Leucoio melancholico eandem plantam faciat. Alii Leucoium melancholicum Hesperidi montanæ primæ Clusii idem statuunt; & revera Hesperis Syriaca & Hesperis montana prima *Clus.* in paucis magnitudine excepta differunt. Syriaca scil. multò vegetior est, ampliora habens folia, crassiores caules majoréśque flores, ejusdem planè coloris sub noctem valde odoratos, interdiu odoris expertes: Cornicula multò crassiora, semen paullo crassius. Hæ autem diversitates cœli fortasse & soli differentiis tribuendæ sunt. **Locus.**

* 4. *Hesperis sylvestris flore parvo* C. B. *sylv. angustifolia flore parvo* Park.

C. B. prod.

Caule est cubitali, viridi, striato, nodoso, multis alis ferè palmaribus donato & concavo: *foliis* quàm in vulgari acutioribus in ambitu profundiùs serratis, viridibus, subhirsutis, & minùs vulgari asperis: *floribus* plurimis, quadrifoliis, subcœruleis, parvis, ita ut hujus flos integer vix vulgaris foliolum adæquet, quibus *siliquæ* strictissimæ succedunt.

Circa Monspelium in horto Dei, ad aggeres riparum collecta fuit. D. Magnol in incultis circa urbem. **Locus.**

5. *Hesperis sylvestris Hieracii foliis hirsuta* C. B. *sylv. folio sinuato* Park.

C. B. prod.

Tota planta hirsuta est, *caulem* habens pedalem, angulosum, hirsutum, pallidè virentem, in summo in ramos aliquot alternatim dispositos divisum: *folia* Hieracii instar laciniata & sinuata, oblonga, angusta, acuminata, crassa, hirsutie aspera, quorum superiora pediculis carent. *Flores* in calicibus hirsutis rubri, magnitudine Hesperidis vulgaris flores æquantes, quibus similes *siliquæ semen* continentes succedunt.

In saxosis humidis Provinciæ lecta fuit. **Locus.**

* 6. *Hesperis montana & prima* Clus. *montana, pallida, odoratissima* C. B. *Hesperis colore inelegant*i J. B. *Hesperis Pannonica* Park. parad. *Viola matronalis flore obsoleto* Ger. emac.

Clus.

Cubitali excrescit altitudine, multísque ramis prædita est, quos confuso ordine ambiunt *folia* Matronali Violæ similia, paulò tamen latiora & crassiora, acidiusculo primùm gustu, postea acri & salivam ciente: extremis ramis in oblongis pediculis insident *flores*, Leucoii aut Hesperidis foliis formâ similes, non explicati tamen, sed se contorquentes, coloris admodum inelegantis & obsoleti, hoc est, pallidi & furvi, infinitis venulis ex atro purpureis singula foliola intercursantibus, odore interdiu nullo, aut adeò tenui, ut vix naribus percipi possit, sub vesperam autem gratissimo & suavissimo. Flori succedunt longa torosáque, ut in vulgari, cornicula, ferè tamen quadrangula, in quibus continetur *semen* vulgari Hesperidi simile, subruffum. *Radix* fibrosa, quæ utplurimum biennium non superat, sed postquam defloruit & semen tulit perire solet: si tamen præcisis caulibus ad frugem pervenire non sinatur, nova germina interdum producit.

Sponte nascentem & semine prægnantem invenit Clusius in Prellenberg Hamburgensi monti vicino, Ungariæque extremo quà Austriam spectat mense Junio. **Locus.**

Solent quæ semine nascuntur plantæ floris colore multùm variare, nonnullis maternum colorem retinentibus, aliis aut dilutiùs pallescentibus, aut magis obsoletum adquirentibus, omnia tamen folia crebris venis ex atro purpurascentibus distincta habentibus.

Suspicatur Johnsonus apud Gerardum emaculatum plantam hanc minimè diversam esse à Leucoio Melancholico *Horti Eyst.* siquidem flores & siliquæ Leucoii illius conveniunt hujus descriptioni, nec caules & folia multùm abludunt. Consule si placet *Gerardum emac.* in hac planta.

Parkinsonus Leucoium illud melancholicum dictum Leucoio alteri saxatili obsoleto flore Columnæ unam & eandem specie plantam esse fidenter affirmat: unde & iconem Leucoii saxatilis obsoleto flore *Col.* assumit, & proponit in Theat. Bot. sub titulo Leucoii Melancholici. C. Bauhinus ipse Leucoium melancholicum Hesperidis Syriacæ synonymum facit; & revera Hesperis Syriaca ab Hesperide montana prima Clusii vix alia in re quàm magnitudine differt, unde eadem specie planta videtur. Quæ si ità sint, (ut mihi quidem etiam videtur) C. Bauhinus ex una planta quatuor facit, nimirum, 1. Leucoium incano folio hortense VII. seu lividè rubente colore: 2. Hesperidem montanam pallidam odoratissimam: 3. Hesperidem siliquâ corniculatâ, flore obsoleto. 4. Hesperidem peregrinam siliquis articulatis.

Certè planta illa *Leucoium Melancholicum* dicta, non est verum & genuinum Leucoium (ut & Parkinsonus rectè monet) sed Hesperidis species. Quocirca & huc transferenda, & Hesperis flore obsoleto denominanda.

Leucoii autem Saxatilis alterius obsoleto flore Col. *quod Parkinsonus Leucoio melancholico idem esse fidenter affirmat, descriptio sic se habet.*

Hujus *radix* crassa, longa, foris pulla, intus alba est & nervosa. Caulis verò semipedalis, rotundus, viridis, hirsutus, alis duabus divisus [hoc non constans & perpetuum esse puto] in quarum summo

ſummo *flores* alternatim Leucoio ſimiles, hirſutis calycibus, colore ex luteo & viridi purpurante obſoleti, parum odori; è quibus *ſiliquæ* producuntur trientales, hirſutæ, nodoſæ, corniculatæ, in terram deflexæ, ſex aut ſeptem ſemina intus habentes in ſingulis valvulis. *Folia* in imo longo petiolo, diviſura Papaveris maritimi; vel etiam Leucoii in arenis orti, hirſuta, craſſa velut albi Hyoſcyami & magis, odore gravi: quæ cauli hærent breviora & abſque petiolo, nec lacinioſa, ſed ſerraturis & magnis dentibus diviſa, Hyoſcyamo ſimilia, ſed quadruplo minora, propè caulem latiora.

Locus & Tempus. Maio floret & Junio ſiliquas perficit, in ſaxorum rimis & vetuſtorum mœnium Campoclarenſium, inque rupibus Vallis Soli expoſitis. Sapore dulci calfaciente Raphani ferè tota planta eſt, odore gravi non ingrato.

Foliis magis laciniatis ab Heſperide 1. Cluſii differre videtur, quæ differentia accidentalis potiùs eſt quàm ſpecifica.

Leucoium melancholicum Parkinſonus ſic deſcribit:

Folia habet majora, longiora & viridiora quàm Leucoium incanum majus minúſve, ad margines ſinuata, humi jacentia, aſpera nonnihil & hirſuta; è quorum medio exſurgunt caules bicubitales, ſubaſperi pariter, foliis conſimilibus ſed minoribus hic illic obſiti, ſummitatibus ſuis *flores* geſtantes numeroſos, amplos, priorum ſimiles, majores, colore obſcurè aut ſordidè luteſcentes, quibus ſuccedunt *ſiliquæ* oblongæ, teretiuſculæ, *ſeminibus* oblongis, itidem teretiuſculis & majoribus quàm Leucoii incani repletæ.

7. *Heſperis Pannonica inodora* J. B. Park. *ſylv. inodora* C. B.

J. B.

Cubitali aſſurgit altitudine, duûm generum foliis donatum: infima ex anguſta cervice mox dilatantur, tandémque in acumen deſinunt, ſinuatis nervis prædita; alia lata ſeſſilique baſi cauli adnaſcuntur, utraque ſerrata, hirſuta, candidiora molliorâque quàm in Heſperide noſtra vulgari: *flores* colore ſunt exalbicante, vel purpuraſcente, formâ tamen, unà cum ſubſequentibus longis toroſis *ſiliquis*, *ſeminéque* ruffo cum vulgari Heſperide conveniunt.

Cluſius ſolo floris odore, cujus in hac nullam gratiam percipere potuit, à vulgari differre aſſerit.

Locus. Creſcit paſſim ad montium radices, & vinetorum in collibus ſitorum margines Viennenſi agro. Floret cum vulgari, nempe Maio & Junio. *Cluſ.*

CAP. IX.

De Alliaria.

SEminibus oblongis, teretiuſculis majoribus cum Heſperide convenit; floribus parvis albidis, foliis ſubrotundis, odore Allii, unde nomen ſumpſit, ab eadem differt.

Alliaria Ger. Park. J. B. C. B. **Jack by the hedge, Sawce alone.**

Ex radicula tenui, lignoſa, alba, Allium obolente caules promit cubitales & ſeſquicubitales, tenues, ſubhirſutos [teretes, ſtriatos, ſolidos.] Folia primùm rotunda Hederæ terreſtris modo [verùm iis longè majora] mox nonnullum acumen aſſequuntur per ambitum crenata [pallidè virentia, glabra, pediculis longis nixa] ſapore & odore Allii mitiore [ad intervalla longiora in caulibus alterno aut nullo ordine ſita] in ſummitate caulis & ramulorum floſculi multi, albidi, quatuor foliolis exiguis conſtantes [brevibus admodum pediculis nixi] in quorum medio apices ex viridi flaveſcentes. Semen in ſiliquis longis, anguloſis [bivalvibus membranâ intergerinâ diſſeptis] oblongum nigricans.

Locus. In ſepibus & aggeribus foſſarum, Vere floret.

Vires & Uſus. Alliaria dicitur quia Allium redolet digitis comminuta. Uſus ejus eſt ad embammata ſive intinctus. Ruſtici pro ſalſamentorum condimento utuntur. Recens urinam ciere dicitur, ſicca veneno adverſari ſi in vino coquatur. Contra veterem tuſſim ex reſina & melle ſicca lingitur. Podagras acri aceto circumlita mulcet.

Singularem vim habet quâ putredini reſiſtit, unde & herba ipſa ex melle, & ſuccus ejus inſpiſſatus ad gangrænam aliaque ulcera putrida atque maligna unguentis cataplaſmatibúſque inditur.

Semen emplaſtri modo impoſitum, vulvæque admotum mulieres uteri ſtrangulatu oppreſſas liberat & excitat.

Semen tritum naribúſque impoſitum ſternutamenta excitare cerebrumq; purgare Tab. prodidit.

Herbam in oleo & aqua decoctam & potam aſthmaticis ſubvenire ſcribit Cam.

Folia enematis incoquunt nonnulli ad colicos & nephriticos dolores, & calculum.

Scordium legitimum ut odore ita & viribus refert. G. Fabr. Hildanus Centur. 2. Obſ. 44. Succus (inquit) Alliariæ in Gangrænis, ulceribus putridis & ſordidis magnarum eſt virium, ut à frequenti experientia edoctus ſum: mirum igitur nemini videri debet, quòd nonnulli Antiquorum, Arabum præcipuè, pro Scordio vero Alliariam aliquando ſubſtituerint, non quòd verum Scordium ipſis fuerit incognitum, ſed quòd in Alliaria eaſdem ferè vires repererint: præterea Scordium minimè creſcit in multis regionibus, neque niſi ſiccum & obſoletum haberi poteſt, cùm Alliaria ubique fere locorum prodeat. Communicavit *D. Tancredus Robinſon.*

Cap. X.

De Leucoiis quibusdam spuriis, Erysimi siliquis & semine.

HErbas hasce ob convenientiam cum Leucoiis in floribus, quamvis siliquis & seminibus discrepent, iis subjungendas duximus.

* 1. *Leucoium marinum parvum folio virente crassiusculo* J. B.

J. B.

Caules ei tenues palmares: *folia* per illos rara, quædam unciâ paullò longiora, nonnihil sinuosa, succulenta & crassiuscula, glabra, virentia: *flores* satis magni pro herbæ proportione, purpurascentes; quibus succedunt *siliquæ* tenues semunciales circiter, aut paullò longiores breviorésve, *semina* minuta ruffa, verùm non compressa, continentes.

* 2. *Rapistrum floribus Leucoii marini* C. B. *parvum Massiliense* Park.

C. B. prod.

Planta semipalmaris est, *radice* oblongiuscula, alba, fibrillis donata; *cauliculis* trium quatuórve unciarum: *foliis* vulgari Rapistró luteo similibus, uncialibus, crenatis & subasperis: *flosculis* parvis, subcœruleis, Leucoii marini similibus, quibus *siliquæ* parvæ, angustæ *semen* minutum continentes succedunt.

Circa Massiliam in rupibus. *Locus.*

* 3. *Sinapi marinum Ægyptium* Alp. exot. Park.

Alpin.

Ex *radice* oblonga, gracili, lignosa, alba, *caule* unico vel duplici assurgit, rotundo, rubescente, pingui, Macropiperis crassitie, obliquè sursum & non rectà in aere acto: qui hinc indè inæqualibus intervallis fert alios cauliculos, in apice habentes *flores* cœruleos ut in Leucoiis, parvos; à quibus deflorescentibus succedunt *siliquæ* parvæ, tenues, oblongæ, in acutum desinentes, quæ habent minuta *semina* rotunda, gustui acerrima, ad Rutæ odorem inclinantia. *Folia* habet hæc planta pauca, longa & lata, utrinque foliolis oblongis, ordinatis, quinis, Senecionis aut Cinerariæ modo crenatis, crassis, pinguibus & succosis, Erucæ colore & quandoque rubescentibus. Tota hæc planta valdè acris est, & ad erucæ odorem aliquatenus inclinare videtur.

Leucoium spurium Erucæ folio.

4. *Eruca purpurea aliis cœrulea sive Viola petræa* J. B. *Eruca cœrulea* Park. *cœrulea in arenosis crescens* C. B.

J. B.

Radice nititur recta, palmari, alba vel subrubra, tenui, subacri, fibris aliquot capillata, matrice lignosa. *Folia* per terram spargit plurima, oblonga, hirsuta, Bursæ pastoriæ divisurâ profundâ, crebrâ, sapore oleraceo quodammodo, colore viridi, aliquando infernâ parte rubente. *Caules* modò singularis, modò terni, quaterni, seni & plures, palmum nonnunquam superantes, interdum cubitales, hirsuti, striati, propter humum purpurantes, supernè virentes, concavi, brachiati: in quibus ex intervallis *folia* infimis alis breviora, latitudine iis parum cedentia, nec tam altè utplurimum laciniata. *Flores* ex ramorum lateribus, & summo fastigio alterno situ multi insident pediculis semuncialibus tenuibus, tantilla lanugine obsitis, odorati, suaviter cœrulei, aut purpurei, vel purpuro-violacei, albive, suaveolentes, quatuor foliolis latiusculis constantes, *Staminula* lutea cum *stylo* continentes: quibus decidentibus suboriuntur *siliquæ* oblongæ, glabræ, in quibus *semen* minutum, subruffum, acre.

Variat hæc ætatis ratione, necnon loci, prout læto solo surgit, vel squallido aut sabuloso nascitur, ac sæpe iisdem in muris modò major, modò minor, foliis valdè varians.

In muris & rupibus variis in locis invenit J. Bauhinus, ut circa templum & castellum Beffordiæ, Bisantii, &c. Nos inter *Hertznach* oppidulum & Moguntiam urbem in Germania observavimus & collegimus. *Locus.*

5. *Rapistrum floribus Leucoii marini* C. B.

Plantula semipalmaris est, *Radice* oblongiuscula, alba, fibellis donatâ. Cauliculi trium quatuórve unciarum, *foliis* vulgari Rapistro luteo similibus, parvis, uncialibus, crenatis & subasperis: *flosculis* parvis, subcœruleis; quibus *siliquæ* parvæ, angustæ, *semen* minutum continentes succedunt.

Circa Massiliam in rupibus inventum fuit. *Locus.*

CAP. XI.

De Brassica.

Brassica, Catonis panacea, Festo seu Verrio dicta videtur à *præseoando*. Dura sanè Etymologia, sed mollior videbitur, si duo sciamus; unum est composita à *seco* in compositione *e* solere mutare in *i*, unde *dissico, subsico*, aliáque de quibus fusè Aldus in Orthographia: Alterum est *B* in multis olim sonuisse ut *P*, qua de re vide Lipsium de Pronunciat. L.L. cap. 12. Quibusdam placet *Brassicam* dici quasi *Passicam*, quòd ex scapo præsecetur & *passa* fiat: imò hanc Etymologiam Varroni ipsi tribuunt Grapaldus, Raderus & alii. Sed Varro idem scripsit quod Festus. Sic enim ille lib. 4. de L. L. *Brassica ut præsica*, quòd *ex scapo præsecetur*. Sic enim locus is legitur non solùm in nuperis editt. sed etiam Aldina Anni 1513. & Mediolanensi Ann. 1500. Tertia eorum sententia est, qui deducunt à βορῶ i. e. *voro*, quia avidè eâ Veteres vesci solebant. Quartum est etymon Jos. Scaligeri. Docet is in conjectaneis Brassicam dici à Græco πρασική, utpote hortulanum olus. Nam πρασιὰ notat areolas hortenses, unde & *pratum* nomen accepit. Hoc Etymon inprimis placeret, nisi esset Brassica vox à majori Græcia, quæ pro ea dixit βράσκη. Hesychius, Βράσκη, κράμβη Ἰταλιῶται, ubi Ἰταλιῶται non sunt Latini sed Tarentini & alii. *Hæc omnia Vossius in Etymolog.*

Brassica Recentioribus Caulis dicebatur quod præ cæteris herbis insigni caule vigeat; Hinc nostrum **Cole & Colewort.**

Notæ Brassicæ characteristicæ sunt folia in hoc genere maxima, glauca seu subcœrulea, carnosa, semina rotunda, minus acria.

1. *Brassica capitata alba* J. B. C. B. Park. Ger. **White Cabbage.**

J. B.

Caulem producit crassum, albicantem, crasso cortice tectum, medullâ parùm acri & subdulci. *Folia* quæ primùm erumpunt lata habet & amplia, subrotunda, nullis effatu dignis laciniis sinuata, longis crassis pediculis hærentia, costis nervisque albicantibus crassis intertexta, colore cæsio aut cinereo cœrulescente, quorum inferiora avulsa aut fortè decidua stipitem relinquunt densa vestigiorum serie rugosum & inæqualem: Superna verò quæ remanent lata quoque & subrotunda, & ex viridi albicantia & cæsia, mutuo incubitu in caput maximum durissimum conglobantur; tam arcto complexu ut difficilè separentur. Horum interiora planè albicant. Porro glomer appetente vere, quo tempore seminii ergo transplantari solet, parum dehiscens, è medio caulem erectiorem profert, *floribus* luteis aut luteo-pallidis, quibus delapsis *siliquæ* longæ nascuntur, teretes, acuminatæ, *semina* parietum medullosorum interseptu claudentes rotunda.

Hæc interdum elegantissimâ naturæ varietate ad quinquaginta capitula minora fert, magni illius glomeris loco.

Radix alba, plurimis fibris donata, neque altè in terram descendit, neque in latitudinem multum se diffundit, unde gelu asperiore facilè corrumpitur.

Brassicæ folia (ut rectè C. Hofmannus) in superficie habent salsum quid, nitrosum & leviter amarum cum acredine quadam, cùm in profundo aquea & frigida sint.

Vires. Scribit Galenus Brassicam habere contrarias vires solvendi & stringendi alvum. Si enim (ait) illud voles, aut leviter coctum cum suo jure dabis, aut jus ipsum: si hoc, effuso jure primo, affundes aliam aquam calidam (hoc enim peculiariter monet) eâque post coctionem iterum effusâ, edendam dabis ipsam Brassicam. Quod tanto meliùs fiet quò sæpius effusa fuerit aqua, & repetita coctio. Hinc illud Scholæ Salernitanæ,

Jus caulis solvit, cujus substantia stringit.

Brassica in cibis ex sententia Galeni & omnium ferè Medicorum, quocunque modo præparetur facit in corpore χυλὸν μοχθηρὸν καὶ δυσώδη, succum crassum & melancholicum; quod facile quivis in seipso colligere potest ex ructibus fœtidis & ingratis quos excitat.

Ipse vidi verrucas illitas succo Brassicæ ingenti miraculo spatio quatuordecim dierum evanuisse in ancilla quadam, cui manus obsitæ erant verrucis, quas sinebat sponte exsiccare sua citra detersionem ullam. *Sim. Pauli.*

Julius Alexandrinus testatur se scire in longum sinuosum vulnus protensum ab humero propemodum ad nates usque ipsas, qua in parte extrema ejus ora plurimum semper remitteret saniosæ materiæ cujusdam, nec profundum tamen, nec ultra carnosam membranam valdè adactum, cùm remediis aliis non posset, ex foliorum Brassicæ vino nigro & austero incoctorum applicatione resiccatum coaluisse intra paucos dies.

Camerarius dicit folia ejus in ulceribus & lepra vino incocta admodum utiliter adhiberi. Tragus tantæ Brassicam esse efficaciæ ait, ut urina eorum qui vescuntur Brassicâ, Fistulis, Cancro, Serpigini & similibus vitiis mederi queat. *Sim. Pauli.*

Noto ex Platero, quòd in principio inflammationis faucium, ubi refrigerare & repellere simul studemus, aqua ex acido liquore in quo Brassicam capitatam condire & asservare solemus exstillata, vulgo magno successu usurpetur.

Cùm quidam Scorbuto tam miserè laboraret, ut maculis toto pectore & cruribus diffusis, membrísque rigentibus vix incedere posset, jussus est potu quotidiano uti ex Vini ℔ iij. quibus Brassicæ rubræ concisæ m. iv. cum zingib. ʒß. Cinnam. ʒij. immaceratæ fuerant. Ex Observ. Ottonis Heurnii

Heurnii Prof. Lugd. Bat. habuit *G. Hieron. Velschius*: è cujus Observ. 51. transcripsit, & ad nos misit *D. Barnham Soame*.

Ad lateris dolorem, ℞ fol. Brassicæ; butyro illinatur frustulum, & pulvere Cynimi aspersum calidè imponatur. *Hartman*.

Brassicam ad arcendam ebrietatem valere Veteres unanimi consensu tradunt, confirmant etiam Recentiores. Fontanus Med. Pract. lib. 1. cap. 8. Brassicæ folia ebrietati mirè adversantur.

2. *Brassica capitata rubra* J. B. C. B. Ger. Park. **Red Cabbage.**

J. B.

Quod *folia* attinet albæ similia quodammodo sunt: at colore magna varietate ludunt. Quædam enim atro-purpurea, quædam atro-virentia, aut etiam dilutiùs virentia; nonnulla quoque cæsio nebulæ aspersu glauca sunt, at omnes rubris costis ac nervis intertexta: in reliquis cum alba convenit.

Hyemem facilè perfert autore J. Bauhino.

3. *Brassica Italica tenerrima glomerosa, flore albo* J. B. *Bras. alba capite oblongo non penitus clauso* C. B. *Bras. Sabauda* Ger. Park. **The Savoy Cabbage.**

J. B.

Hæc caule & foliis adeóque tota stirpe inter albas candidior teneriórque videtur. *Folia* quoque, quæ ampla sunt atque rotunda, per se dilutiùs virentia, candicantibus venis intertexta sunt, quædam etiam eorum modicè crispa, ac vario contortu nonnihil rugosa: Foliorum quoque pediculis brevibus auriculæ quædam foliaceæ adhærent. *Flores* albi, quadrifolii uti cæterorum, quos nonnisi tepidiore Sole illustrata profert, quippe algidi frigoris impatiens, minùs arcto foliorum implexu glomerem laxiorem minoremque efformans.

Lautior hæc, quippe tenerior, delicatioribus expetita, eorum potissimùm qui ejus nôrunt gratiam, mensis apponitur.

4. *Brassica Sabauda rugosa* J B. *patula* Ger. Park. *An Brassica alba crispa* C. B?

J. B.

Hujus *folia* rotunda, rugosa valdè, ac ità quidem rugis inæqualia sunt, ut singula ceu ex vesicis aut valvulis quibusdam consimilibus congesta videantur, subtus extuberantibus atque prominentibus, aversâ parte cavis, ex brevibus pediculis hærentia: color foliorum ex luteolo quodam & atro viret, quæ pallidè viridantibus costis quoque intertexta sunt. Eadem etiam in densum globum coguntur, sed parvum & candicantem, dum extremitates interim obscuriùs virent. *Flos* luteus: *semen* ut in reliquis. Hyemem non fert. Brassica patula *Ger. Park.* diversa videtur à J. Bauhini Bras. Sabauda rugosa, cùm Bras. patulæ folia in caput non conglobentur: Synonymam feci quia utrique [Gerardus & J. Bauhinus] eandem adhibent figuram. Descriptio

Brassicæ rugosæ longioribus foliis *J. B.* meliùs convenit Brassicæ patulæ, quæ hujusmodi est.

Folia ampla, sesquicubitalia ex longis pediculis inferiore parte hærent. Hæc quàm Sabaudicæ scriptæ dilutiore virore, candidiorúmque costarum interceptu, candidior apparet, totáque rugosa, ac veluti sacculis referta est: tenera quoque magis videtur, nec in capita cogi solet ut Sabauda flore luteo. Hyemem vix fert.

5. *Brassica florida* Ger. *cauliflora* C. B. *multiflora* J. B. *caule florida* Park. **Colliflower.**

J. B.

Perampla hæc quoque fert *folia*, cubitalia, longiora quàm Brassicæ capitatæ albæ, acutiora, nec ità lata, nullâ insigni laciniarum divisurâ, dilutè virentia, quædam etiam colore magis glauco, exteriora præsertim, nervis candicantibus conspicua, per ambitum ex longiuscula distantia denticulata & veluti serrata. In *caput* glomeratur sed mollius, minùs denso foliorum incubitu formatum: Inter quorum sinum *flores* densissimo stipatu prodeunt exigui pallidi aut candicantes, velut in umbella positi, qui cum cauliculis suis asparagorum tenellis germinibus teneritudine & gratiâ certare videntur: atque ob id lautioribus tantùm patinis expetiti.

Hujus semen è plantis in hortis nostris nascentibus collectum si seratur, mirabili metamorphosi Brassicam capitatam, aut albam vulgarem producit, ut oporteat quotannis semen è transmarinis calidioribus regionibus petere. Verùm de hac degeneratione ex semine diximus in parte generali.

* 6. *Brassica caulorapa* J. B. *Rapocaulis* Park. parad. *gongylodes* C. B. *Caulorapum rotundum & longum* Ger.

J. B.

Hæc patulis foliis glomerem nullum facit, verùm quo solo signo ab aliis facilè separatur, brevis caulis, quà foliorum comæ subest, in Rapum esculentum extuberat. [*Flores* in caulibus tenuibus lutei, parvi, quos excipiunt siliquæ angustæ, oblongæ, Seminibus Sinapeos ferè paribus repleta.]

7. *Brassica rubra vulgaris* J. B. *rubra* C. B. Ger.

J. B.
Procerior hæc reliquis esse videtur. Stipite namque velut arborescit alto, duorum trium aut quatuor pedum aut etiam cubitorum, crasso, atropurpureo, imâ parte verrucoso, aliàs singulo, aliàs in ramos divaricato: quem *folia* fortuito positu stipant lata, ex viridi rubentia, aliàs sanguineo rubore aut obscuriore etiam tota perfusa, non sine obductu nebulæ cujusdam glaucæ: crebro crassarum venarum discursu rugosa, patula sinuatáque. *Flores* lutei cauli erecto hærent: quos *siliquæ* excipiunt palmares, in quibus semen ruffum, rotundum. Hujus folia patula manent ac expansa. Hyemem profert, ac sæpe, præsertim culta, arboream acquirit proceritatem firmitatémque, ac ita in plures durat annos. Sæpe etiam laterales producit ramulos. Ramorum extrema adventante Vere delicatioribus in acetaria expetuntur.

8. *Brassica laciniata rubra* J. B.

A præcedente vixdum magnitudine variat. *Folia* potissimam faciunt differentiam, quæ profundis laciniis sinuatis nonnihil variant, iisdem modò in latiores, modo in minores rursus sectis, ut tota penè crispa videatur, ídque potissimùm propter minorum laciniarum contortum. Hyemem fert.

* 9. *Brassica rubra minor* J. B. *arvensis* C. B. *tertia* Fuch. *Sylvestris* Ger. Park.

Minutioribus est caulibus & tenuioribus foliis, flore luteo. *Fuch.* Omnium minima, sylvestri pænè similis, *foliis* primæ rubræ, multò minoribus, alioquin omnino similis. Seritur propter semen, ex quo oleum paratur quod venditur pro Napi seminis oleo. *Dod. gall.* Confusio est inter Botanicos de hac planta, ut suspicer eos non satis clarè intellexisse quid scriberent.

10. *Brassica alba vulgaris* J. B. *alba vel viridis* C. B. *vulgaris sativa* Ger. *sativa* Park.

J. B.
Radix tophosa est, ex qua stipes, qui foliis nervorúmque divisurâ atque intertextu rubræ quodammodo respondent: *folia* tamen subrotunda, ex longis crassis pediculis delicatiora videntur, in quibus in circuitu præsertim serraturæ quædam apparent. Tota planta albicat, & cæsio quodam colore obducta est; auriculas habet uti prædictæ. *Flos* albus est, [potiùs pallidus.]

11. *Brassica laciniata alba* J. B.

Rubræ laciniatæ haud multùm absimilis proportione est, non penitus alba, caule interdum purpurascente; cui *folia* pallidè viridantia glaucâ quâdam nebulâ obducta sunt. Foliorum quoque laciniæ profundæ quidem, minùs tamen crispæ.

12. *Brassica fimbriata* C. B. *tophosa* J. B. Ger. *nigra* Dod.

Moris.
Hujus *folia* angustiora sunt & longiora antecedentis foliis ad costam usque mediam semel atque iterum profundiùs incisa, per margines verò admodum crispa, quæ adversâ parte bullis seu quasi ampullis numerosissimis protuberantibus, in aversâ parte concavis inæqualia sunt. Tota quasi nigrescunt aut ex atro virescunt.

A. 13. *Brassica arborea seu procerior ramosa maritima* Morisoni. *An Brassica arvensis* C. B? *Sylvestris* Ger. Park? **Wild Colewort.**

Descriptio Brassicæ rubræ vulgaris superiùs è Joan. Bauhini historia proposita non ineptè convenit huic plantæ, ut dubitem an specie diversa censenda sit nécne: certè quòd in maris vicinia oriatur accidentarium esse puto: deinde in plures annos durare Brassicæ illi rubræ cum hac commune est, ut testatur J. Bauhinus. Hanc inquiens [Bras. rubram] per aliquot annos ex semine deciduo, in muro, è regione fenestrarum ædium in quibus moror durantem vidi: tandem Ramosam esse seu in ramos divaricari Brassicæ rubræ ex æquo convenit. Vel ergo J. Bauhinus Brassicam maritimam proceriorem à rubra vulgari specie revera diversam per errorem pro Brassica rubra habuit & descripsit; vel Brassica rubra vulgaris & Brassica hæc procerior maritima una & eadem specie planta sunt.

Locus. In clivis maritimis propè Doveram oppidum observavimus, & alibi etiam locis consimilibus. Hæc planta est quam in Cat. Ang. titulo Brassicæ sylvestris exhibuimus.

14. *Brassica Anglicana minima nivea* J. B. *fimbriata pumila* C. B.

Ad. Lob.
Meminimus (inquit Lob.) etiam in Angliæ hortis pusillam Brassicellam, totam niveam præterquam extremas oras laciniosas, fimbriatásque plicis crispantibus & undulis rugosis, purpureis aspersas maculis, quas etiam ad corollas & olfactoriola nectenda dum tenella adhuc est, in hortis colunt.

15. *Brassica*

15. *Brassica alba crispa* C. B. *crispa laciniosa* J. B. *Sativa crispa* Ger. *Caulis crispa* Park. parad.

J. B.

Omnium hæc elegantissima fert *folia*, ex longis pediculis auritis oblonga, cubitalia, altiora, nervis albidis eleganter picta, atque multiplici eorum divaricatione intertexta, ambitu quoque suo multiplicibus convolutionum spiris sinuato, ità crispa ut Struthii avis plumas, militibus gloriosis cristarum loco expetitas quodammodo repræsentent. Costæ etiam plerunque dilutè purpureæ sunt, sicut & ipsi caules. *Flos* luteus. Hæ in cibo rubris non inferiores.

16. *Brassica thyrsoides* J. B. *asparagodes crispa* C. B. *epiphyllitis*.

J. B.

E rubræ Brassicæ genere est, patulis, ex viridi atrorubentibus foliis, subinde *laciniatis*, per quæ passim supina parte nova crisporum foliolorum soboles consurgit, pulchris lemniscis, naturæ lusu spectando, hinc indè exorientibus, nunc brevi amento tenuique appensis, nunc latiusculo petiolo hærentibus, atque etiamnum in alia deinceps sertula struppósque luxuriantibus. *Flores*, *siliquæ*, *seménque* ad Brassicam rubram vulgatiorem accedunt.

De hâc verè scripsit hist. Lugdunensis autor. *Folia* hujus nunc sunt laciniata & frequentissimis divisuris incisa, qualia Brassicæ crispæ, nunc planè lata & expansa. Eadem nonnunquam tota virent, nonnunquam venis per ipsa folia dispersis & mediâ costâ rubent. Omnes hæ varietates & plures adhuc nobis ortæ sunt in hortulo nostro Cantabrigiæ ex semine hujus plantæ deciduo. *Varietates.*

Vivax est, & in multos annos durat, nec hyemes nostras reformidat.

* 17. *Brassica tenuissimè laciniata* J. B. *Brassica angusto Apii folio* C. B. *Bras. Selinoides* Ger. *Item Brassica lato Apii folio* C. B. *laciniata* Park.

Huic folia crispa & per ambitum profundè incisa ad mediam usque costam: in hoc genere quædam frequentioribus & profundioribus, aliæ rarioribus & minùs profundis incisuris dissectæ apparent. Hinc duæ species C. Bauhino, altera lato Apii folio, altera angusto Apii folio.

* 18. *Brassica spinosa* C.B. Alpin. Exot. Park.

Hujus solùm binos ramulos habuit C. Bauhinus, quorum descriptionem dedit. *Caulis* lignosus, crassus, in ramulos duos, alterum palmo majorem, alterum minorem, rotundum, lævem, striatum dividitur: circa quos *folia* biuncialia, & semunciam lata, per ambitum leviter sinuata, quibus & minora interjiciuntur: ramuli in spinas acutas, unciales & minores abeunt.

Pr. Alpinus in Exot. eam pleniùs describit *caule* cubitali & ampliore; multis *ramis* longis, teretibus, mollibus Brassicæ colore, crassis & firmis, in alios innumeros ramulos subdivisis, in plures tenues albas acutas spinas exeuntes; juxta quas flosculi Hyacinthinis similes, in rubro albicantes, in singulis ramulis singuli, quibus succedunt *fructus* rotundi parvi, cicerum magnitudine, in acutum desinentes, colore flavescentes, gustui non injucundi. Hæc planta à radice foliacea est *foliis* longis, crassis, Brassicæ similibus tum colore, tum sapore,

Hanc dum viridis est decoctam in aqua Ægyptii, Æthiopes, Syri, apud quos nascitur, comedunt.

* 19. *Napo-brassica* C B. prod.

C. B. prod.

Radicem habet Napo aut Carotæ pæne similem, admodum fibrosam & villosam, ut barbata aut pilosa, propter multiplices & minutas fibras, dici possit: & licet frequenter fibram pollice crassiorem habeat, attamen semper prima *radix* tuberosior & longior, quæ Napum imitatur, conspicitur. Ex hac *caulis* sesquicubitalis, lævis, rotundus, in ramos brachiatus exurgit. *Folia* ad radicem unà cum pediculis oblongis palmaria, Brassicæ sylvestris modo & subrotunda, & in profundas lacinias divisa; quæ verò in caule oblonga sunt, angusta, sinuata, pediculis carentia. *Flores* lutei, intensioris coloris quàm in vulgari, magni, qui in caule palmum excedente inordinatè longis pediculis insident, quibus *siliquæ* angustæ, unciales succedunt.

In locis frigidioribus agri Norici, montanis potissimum & versùs Bohemiam colitur. Radix esui apta est, quare aliqui eam ut Brassicam floridam condiunt; pauperes minutim ut Rapas concidunt. *Locus.*

20. *Brassica campestris albo flore* Clus. *campestris perfoliata flo. albo* C. B. *Perfoliata siliquosa* J. B. Ger. *Perf. siliquosa vulgaris, seu Brassica campestris* Park.

J. B.

Sesquicubitalis & altior est, [pedalis *Clus.*] *caule* tereti, tenui, candicante, & in alas diviso è foliorum sinu prodeuntes. *Folia* non divisa, oblonga, subrotunda, Napi, colore glauco, rigidula, pinguia, fragilia, à caule videntur quasi transadigi, sapore oleraceo, [fervido *Clus.*] *Flores* exalbidi, [albi *Clus.*] Brassicæ. *Siliquæ* perquam longæ, angulosæ [quadrangulæ *Clus.* & *Cord.*] in quibus continetur *semen* Brassicæ semine minus ex russo fuscum *Clus.* *Radix* tenuis, alba, gustu Brassicæ.

Locus. Clusius hanc & sequentem in agris & campestribus nascentes conspiciebat, & Martio mense florentes in Murciano agro, juxta vias ad Eliocrotam urbem, vulgo *Lorca* dictam: J. Bauhinus in agris segetum circa *Marbach* Ducatûs Wirtembergensis. In Anglia, quod scimus, sponte non provenit, quantumvis Lobelius eam Perfoliatam Napifoliam Anglorum siliquosam appellet. An Brassica sylv. folio Betæ *Thal*?

* 21. *Brassica campestris purpureo flore* Clus. *campestris perfoliata flo. purpureo* C. B. *Perfoliata siliquosa purpurea Clusii* J. B. *Perf. siliq. flore purpureo* Park.

Clus.

Firmioribus est *virgis* nec adeò ramosis, cujus *folia* in summo aliquantulum serrata. *Flores* prioris floribus similes sunt, majores tamen, Leucoii aut Hesperidis floribus magnitudine pares, colore autem Lunariæ Græcæ floris, purpureo videlicet: *Siliquæ* & *semen* præcedenti similia. *Radix* licet dura fibrisque quibusdam prædita sit, vivax tamen non est, sed prolato semine perire solet.

Locus: Cum priore.

* 22. *Brassica sylvestris Fabariæ foliis* Bocconi.

Bocc.

Caulis huic pede longior est, tenuis, ramosus, teres; quem amplectuntur (Perfoliatæ modo) lævia rotundáque Telephii *folia*, ambitu nonnihil sinuata. *Flosculi* in summitate purpuro-cœrulei, quibus succedunt *siliquæ* angustæ & longæ.

Non differt à præcedente nisi radice quæ in hâc perennis est. Ad Tauromenium invenit Autor.

* 23. *Brassica sylvestris latifolia foliis non sinuosis* C. B. *Bras. sylv. major latifolia Thalio* J. B.

Thal.

Radicibus constat inutilibus, lignosis, candidis: *caule* sesquipalmari, non admodum recto, rotundo, simplici, nonnunquam etiam brachiato: *foliis* mollibus, lævibus, subflavis, integris sine incisuris aut sinuosis crispaturis, mucronatis, duas uncias longis, unam latis. In summitate in exiguis pediculis racemus *florum* candidorum existit, ex oblongis vasculis Brassicarum sativarum modo prominentium: quibus deperditis *siliquæ* oblongæ pronascuntur, *semina* Brassicæ sativæ minora continentes.

* 24. *Brassica sylvestris Alpina* C. B. *Turritis Alpina* Park? *Q. an Barbarea muralis* J. B?

C. B. prod.

Ex *radice* exigua alba, *Caulis* palmo altior, rotundus, lævis exurgit. *Foliis* est tenuibus, pallidè virentibus, leviter sinuatis, circa radicem oblongis, plerisque uncialibus, in caule paucis, pediculo carentibus. In summo *flores* albi, quasi in umbella dispositi, longiusculis pediculis donati.

Locus. In montibus Austriæ nata est.

Quò pertineat hæc planta ex imperfecta hac descriptione certò colligi nequit: locum ergo quem occupavit per me teneat, donec certius quid de ea edoctus fuero.

Duas tresve adhuc præter superiùs propositas Brassicæ sylvestris species adjicit Thalius, nimirum sylv. foliis membranaceis, sylv. mediam, & sylvest. minorem, quas cùm se non novisse scribat C. Bauhinus, nec quisquam præterea Botanicus aliquid lucis iis illustrandis, & ab aliis congeneribus distinguendis attulerit, non est cur nos illarum rationem habeamus.

CAP. XII.

Brassica sylvestris seu Brassicæ affinis Turritis dicta.

HÆc in multis à Brassica differt foliis imis hirsutis, flore minore albo, vel ex albo in luteum languente, siliquis erectis, cauli approximantibus. Turritæ autem nomen accepit ab extremorum caulium forma, qui in metæ aut pyramidis effigiem desinit.

1. *Brassica sylvestris foliis circa radicem Cichoraceis* C. B. *Glastifolia Cichoroides* J. B. *An Turrita major* Clus. Ger. Park?

J. B.

Radice est annuâ, mediocriter crassâ, albâ, nonnihil purpurascente, fibrosâ, subacri. *Folia* germinatione prima antequam caulem proferat, partim laciniata Cichorei vulgaris instar, vel Hieracii, partim nullo modo incisa, glauca, Isatidis foliis similia, palmo sæpe longiora, semunciam lata, lanuginosa, sapore acri & amaro: adulta & quæ in caulibus sunt integra, nullâ divisurâ incisa, glabra, utrinque glauca, oblonga, ità pinnis alarum coeuntia, ut à caule perforari videantur, sapore Brassicæ vulgaris. *Caulis* cubitalis & bicubitalis tenuis, colore herbaceo admixtâ aliquâ purpurâ, multis ramis longis tenuibusque brachiatus. Ex alis & summis ramis *flores* prodeunt multi simul juncti ex pediculis semuncialibus, ex luteo in albidum languentes, odore nullo manifesto, quaternis foliis constantes, quæ totidem *foris* circumstant, sed longè minora & virescentia, mucronatáque cum

cùm illa subrotunda sint; in medio crocata stamina multa cum stylo viridi. Succedunt tandem *siliquæ* longæ, rectæ, graciles, in quibus *semen*.

Invenitur circa Basileam in sabuletis ad Rhenum & alibi. *Locus.*

Quærit J. Bauhinus Annon hæc sit Turrita major sive altera Clusii, & revera eadem videtur.

2. *Turritis pulchra nova* J. B.

J. B.

Caule surgit tricubitali, striato, hilari virore perfuso, subhirsuto: *Foliorum* inferiorum quædam tres uncias longa, angusta, circumquaque integra, pediculo longo: alia longiora, quatuor aut quinque uncias colligentia, pediculum versus profundiusculè incisa: at enim quæ per caulem conspiciuntur latiora & breviora sunt, sextantalia circiter, caulem pinnulis complexa, Myagri foliis aliquatenus similia, sapore nullo evidente: color omnium viridis. Porrò ex folii uniuscujusque per caulem sinu, cubitali serie sursum versùs, ramulus prodit, ut in præcedente; cujus extremum occupant conferti *flosculi* exiles, foliolis oblongis albis constantes, fatuo sapore. Succedunt *siliquæ* longæ.

Florentem mense Maio Argentinæ in horto Frid. Meier vidit J. Bauhinus. *Locus.*

A. 3. *Turritis* Ger. *vulgatior* J. B. Park. *Brassica sylvestris foliis integris & hispidis* C. B. **Tower-mustard.**

Radice nititur simplici, albâ, lignosâ, altè in terram descendente, paucis fibris capillatâ. *Caulis* ei singularis, sesquicubitalis & altior, firmus, teres, solidus, propè terram hirsutus, supernè glaber. *Folia* ad radicem hirsuta, ad margines sinuata, obtusa duas uncias longa; quæ in caulibus sunt glabra, alternatim posita & nonnihil glauca, latâ basi cum processu hinc inde velut auriculato, absque pediculis adnata, in acutum desinentia. *Flores* in summis caulibus parvi, tetrapetali, pallidi; quibus succedunt longa serie *siliquæ*, tres digitos longæ, teretes, membranâ intergerinâ duplicem *seminum* seriem disterminante dissептæ. Sunt autem *semina* parva, per maturitatem rufa. Siliquæ non dependent deorsum, neque à caule extant, sed ei velut appressæ ad perpendiculum ferè eriguntur, pediculis semuncialibus aut longioribus insidentes, súntque crebræ admodum ut caulem ferè occultent.

In Anglia quatuor in locis Spontaneam observavimus, viz. 1. In agro Norvicensi, viâ inter Nordovicum urbem & *Yarmouth* portum in sepibus: 2. Circa *Slough* vicum, viâ quæ Londinum ducit, in aggeribus terrenis: 3. In colle *Dorsthill*, non longè ab oppido *Tamworth* in agro Warwicensi: Et nuper 4. propè Colcestriam in Essexia, in ascensu collis *Lexdeni* vici, ad viam utrinque, copiosè. *Locus.*

Floret Junio, & semine maturo radicitus exarescit. *Tempus.*

* 4. *Brassica sylvestris minor seu Turritis supina folio Bellidis* Moris.

Moris.

Hæc à superioribus caulibus procumbentibus & folio omnino Bellidis simili, facilè distinguitur. De loco natali nihil addit, nec unde habuit.

* 5. *Turritis major* Ger. Park. *Turrita major* Clus. *Brassica sylvestris ramosa, tota pæne glabra* C. B. *Item Brassica sylv. foliis circa radicem cichoraceis* ejusdem?

Clus.

Multa promit secundùm radicem *folia* Turritæ vulgatioris foliis majora, in ambitu nonnihil crispa & sinuosa, minùs tamen aspera, & colore dilutiùs virente: inter quæ *caulem* promit, interdum plures, bicubital es utplurimum, in aliquot ramos divisos; per quos inordinata nascuntur *folia*, valdè latâ sede eos complectentia, foliorum Perfoliatæ siliquosæ dictæ pæne instar. Summo caule multos similiter fert *flores*, * superioris floribus paullo majores, coloris ex albo interdum pallentis, aliquando omnino nivei: quos subsequuntur conferta longa *cornicula*, *semine* altero aliquantulum crassiore plena. *Radix* est alba, prioris radice crassior & durior, paucioribúsque fibris donata, nec vivax, verùm altero à satione anno prolato semine exarescit. ** Turritæ vulgaris.*

Rariùs invenitur priore, & umbrâ magis delectari videtur. Floret Aprili & Maio.

Quærit J. Bauhinus, annon Brassica sylvestris foliis circa radicem Cichoraceis *C. B.* huic eadem sit. Et revera nobis utriusque descriptiones diligenter conferentibus omnino eadem videtur.

A. 6. *Barbarea muralis* J. B. *Erysimo similis hirsuta planta* Park. *Erysimo similis hirsuta, non laciniata alba* C. B. **Wall-cress, or Tower-mustard with Daisie-leaves.**

Radice lignosa, albida, tenuissimis fibris capillata, sapore oleraceo est: *caulis* teres, hirsutus, interdum rubescens, rectus, pedalis vel cubitalis, ac etiam major, ramosus aliquando: ad cujus imum *folia* multa, circumquaq; procumbentia utplurimum, unciam longa, aliquando longiora, trientem unciæ ferè lata, subrotunda, hirsuta, asperiuscula, serrata, pediculis brevibus aut nullis, interdum ubi caulescere potissimum incipit, satis longis pediculis adhærent: in caule minora, nullo pediculo adnexa, pinnata, sapore eodem cum radice. *Flores* in ramulorum extremitate multi simul juncti, candidi, apicibus in medio luteis, quibus succedunt *siliquæ* copiosæ, longæ, tenues, secundùm caulem surrectæ.

J. Bauhinus

J. Bauhinus Barbaream, Herbam S. Alberti Bononiensium *Lob.* unam eandémque cum hac plantam esse existimat, quamvis C. Bauhinus diversam faciat. Hanc olim pro Cardamine pumila Bellidis folio *Clusii* habuimus. Ostensa est nobis aliquando pro Turrita minore, & reverà magnam habet cum Turrita vulgari convenientiam, ut non ineptè ità denominari posset.

Locus. In muris & rupibus in Borealibus & Occidentalibus Angliæ partibus copiosè provenit.

Brassica spuria minima foliis hirsutis & glabris.

A. 7. *Bursa pastoria sive Pilosella siliquosa* J. B. *Bursæ pastoris similis siliquosa major & minor* C. B. *Paronychia major & altera minor* Park. Codded Mouse-ear.

J. B.

Radix huic tenuis & fibrosa. Folia per terram sparsa, pediculis donata, nonnihil hirsuta & per margines nonnunquam sinuata, vulgaris Alsines magnitudine sed longiora, & ad Bursæ pastoriæ folia accedentia, non laciniata. Caulis interdum adeò brevis ut unciam non excedat, aliàs etiam dodrantalis & major, juxta terram nonnihil hirsutus & ruber, superiùs glaber & viridis [seu potiùs glaucus.] Cùm ramosus est ad ramulorum exortum apponitur folium absque pediculo, aliàs nudus. Flosculi ordine nullo è tenuibus & oblongis pediculis parvi, albi, tetrapetali, petalis subrotundis non bifidis. Siliquæ tenues teretes & oblongæ.

Locus. In arenosis & siccioribus, vere floret.

CAP. XIII.

De Rapo.

Rapum, Græcis γογγύλη, γογγυλὶς, item ῥάφυς & ῥάπυς. Rapa quòd ex terra rueret, quasi Rupa, Varrone teste, dicta est. Alii quod passim rapiatur nomen inditum esse putant. A Græcis tamen traxisse id nomen facilè videri potest, qui Raphyn & Rhapyn, auctore Athenæo dicunt. *J.B.*

A reliquis hujus generis Radice carnosa, dulci in grandissimum tuber excrescente facilè à congeneribus distinguitur.

A. 1. *Rapa sativa rotunda* C. B. *Rapum majus* Ger. *Rapum* Park. *Rapum sativum rotundum & oblongum* J. B. Round and long Turneps.

J. B.

Rapis *folia* per terram sparguntur ampla, ad Brassicæ rubræ folia quodammodo accedentia, atrovirentia, aspera, & ad costam usque ferè utrinque laciniata, saporis holeracei: *flores* lutei: *semen* in siliquis russum, rotundum, Brassicæ proximum: *radix* sessilis in ventrem amplissimum capite humano interdum paullò minorem extuberat, tenuem fibram alimentum sucturam demittens, aliàs pugillari par aut etiam suppar, quibus utrisque caro candida, firma satis, sapore acri, magis minúsve vegeto prædita. Hactenus J. Bauhinus. His adde, *Caulem* hujus plantæ humanam altitudinem æquare: *folia* superiora quæ in caule sunt, oblonga esse, glabra, glauca, lata basi caulem amplecti & in acutum mucronem desinere: *Flores* quales Rapistri vulgaris, pediculis longis, tenuibus, glabris insidere; quibus succedunt *siliquæ* teretes, bivalves, membrana intergerinâ disseptæ binos seminum rotundorum ordines continentes.

Locus. Passim in agris & hortis seruntur radicum causâ tam in Anglia, quàm in exteris regionibus.

Varietates. Variat colore radicis externo, viridi, puniceo obsoletè nigricante: Habentur etiam non rarò apud nos in Anglia, quæ foris & intus flavescunt, qui color à coctione manifestior & saturatior evadit. Variat insuper radicis magnitudine & parvitate: Plinius & Tragus quadraginta, Amatus quinquaginta, & sexaginta libras, pendentes viderunt: Matthiolus etiam in territorio Ananiensi infinitos se vidisse quinquaginta libras excedentes refert, & nonnullis in locis ad centum libras accedentes. Quàm hoc incredibile? nec tamen temere rejiciendum, cùm ad magnitudinem augendam multum conducat solum pingue & regio calida, modò humor nè desit.

2. *Rapa sativa oblonga seu fœmina* C. B. *Rapum radice oblonga* Ger. emac.

Non aliter differt à præcedente quàm figurâ radicis in longitudinem productæ, & sapore delicatiore.

3. *Rapa sylvestris & Cæs.* C. B. *Rapum sylvestre* Ger. *sylv. non bulbosum* Park. *sylvest. Matthioli* J.B.

Rapum sylv. Matthiolus sic describit, exit folio, caule, flore, semine domestico simile, sed agrestioribus foliis. [Non ergo aliter differt à sativo quàm ut neglectum à culto.] *Radix* illi inest Raphani modo longa, crassaque, sed sapore per omnia domesticum refert. J. Bauhinus suspicatur Rapum hoc *Matth.* non differre à Rapistro, quem consule.

Lobelius in Adv. de Rapo sylv. non bulboso hæc habet. Est frequentissimum, præsertim apud Flandros, Germanos, qui serunt hoc quo *folia* bobus pabulo cedant. Luxuriat enim tanto foliorum numero, ut *radix* jam non tuberosa aut Raposa, sed exilis nec ventriosa uspiam fit, alioqui sativæ

rotundæ

rotundæ turbinatæ non absimilis, sed discretu facilis crispiore rugosioreque & uberiore folio.

Apud nos in Anglia, & ut puto apud Flandros etiam & Germanos, Rapum illud quod bobus saginandis in agris seritur, idemmet est quod radicis gratiâ vel in hortis colitur vel etiam in agris seritur. Verum quidem est, si vel nimis densè succrescat, vel etiam foliis luxuriet, radicem non grandescere, aut in caput extuberare; sed exilem manere. Verùm hoc accidentarium est & Rapo sativo evenit, nec speciei diversitatem arguit: ideóque hortulani nostri cùm Rapas serunt, plantarum exorientium plus dimidiam partem evellunt & exstirpant ut locus reliquis suppetat, aliter enim radices grandescere & in latitudinem se diffundere nequeunt: nec officit Raporum auctui à jumentis aut ovibus depasci, quin potiùs cùm folia demordentur & coercentur, radices in magnitudinem magis proficerent, ni à pedibus depascentium animalium violarentur. Quocirca nullum adhuc sylvestre Rapum agnoscimus à sativo specie diversum. Nec moratur, quòd Gerardus nostras oleum nostratibus vulgò **Rape Oil** i.e. *oleum Rapi* dictum, ab hujus semine, (quod in insula Eliensi in hunc usum copiosè seri affirmat) tuso & presso elici scribat. Est enim (ni multùm fallor) Napus sylvestris, qui ibidem seritur ad oleum **Rape Oil** dictum conficiendum, aut Brassicæ sylvestris species. Ex quo hæc scripsi, Indicem Plantarum circa Monspelium nascentium à *Petro Magnol* M.D. editum nactus, invenio ibidem pro distincta specie propositum Rapum sylvestre non bulbosum, quod Autor se Septembri mense cum floribus collegisse asserit in herbidis satis & pratensibus locis circa Boutonetum. Utinam certas notas nobis dedisset quibus possemus distinguere Rapum sylvestre à sativo: nam quod ad radicem attinet, illa in sativo, ut dixi, non rarò tenuis & gracilis evadit.

Vires. Radix culinaria est, modicum nutrit, inflationem parit, humentem ac laxam carnem generat. Quamobrem (inquit J. Bauhinus) ut id vitium emendetur, solent nonnulli eam cum lacte decoquere, ut palato magis arrideat, & efficaciùs nutriat. Nostrates decoctæ succi aquei partem exprimere, deinde butyro & pipere condire solent. Urinam ciet, & genitale semen auget: Ventrem nec sistit nec movet.

Seminis usus præcip. est in Antidotis. Venerem excitat, variolásque & morbillos expellit, semidrachmæ pondere potum. *Matth.*

Raporum succus & jusculum in quo decoquuntur commendantur ad febrem quartanam abigendam.

Raporum crudorum comestorum in Scorbuto sanando efficaciam experti sunt nostrates, qui primi in *Terra nova* dicta Americæ insula sedes fixerunt.

Raporum longorum assatorum succus cum saccharo ad tussim infantium usûs est non contemnendi. *Schwenck.*

Rapi orbiculati, sub cinere calente assi infimus orbiculus calidissimus, post aures applicitus magnâ efficaciâ revellit, capitísque & dentium dolores citissimè sedat, magno secreto. *Idem.*

Rapum extrinsecùs adhibetur in ulceribus crurum &c. optimo successu, ut in mammarum tumoribus, alibíque in tumoribus scrophulosis & scorbuticis. *D. Needham.*

Desperata tussis orta ab assiduo usu succi limonum tandem curata erat ab usu decocti raporum. *Tulpii Observ.* p. 311.

In aphthis plebs nostra (de Hollandis loquitur) usu & medicorum præceptis edocta, posthabitis omnibus operosioribus & sumptuosioribus medicamentis, tutissimè utitur vel solo Raporum jusculo saccharo edulcorato, vel si tempestas anni id negat, solâ cerevisiâ tenui saccharatâ. Quæ duo ubi intepuerunt, omnes oris partes alluendo, & in imas fauces descendendo, non modò aphtharum acrimoniam, si quæ sit, placant, sed omnes etiam qualitates excessivas mitigant, atque hoc pacto maturationem perficiunt. *Ketelaer in Commentario medico de Aphthis.* Habui inter alia multa à Cl. viro *D. Edv. Hulsio* M. D.

Raparum decoctum, tam crudarum, quàm priùs assatarum copiosiùs haustum est laudatum in Ileo: item juscula decoctionis raparum, quæ & leniunt, & blandè simul abstergunt. Ab *eodem* ex Ettmulleri prax. cap. de Ileo.

Cap. XIV.

De Napo.

1. *Napus* J. B. *Napus sativa* C. B. *Bunias* Ger. **Navew gentle.**

J. B.

Caule assurgit cubitali & altiore, multis alis concavo: *folia* parte infima pinnis caulem ramósque amplectuntur pediculis destituta, aut iis membraneis hærentia, & inferiora quidem sinuata, superiora non item, in acumen desinunt: [Lobelio folia minùs scabra quàm Rapo.] *Flores* lutei Brassicæ *semen* quoque simile aliquatenus in *siliquis* longis; at *radix* Rapitia est, minùs tamen in ventrem extuberans, altiúsque demissa, sapore carnis compactioris candidæ acriusculo, [suaviore quàm Rapi Longi, cibísque delicatiore *Lob.*] Color radicis plerunque candidus, interdum luteus aut croceus.

Locus. In hortis seritur. Monspelii copiosè provenit, non tamen sponte, ut puto.

Vires. Radices Napi calidiores sunt quàm Rapi, iisdem tamen viribus pollent, ut eadem repetere non sit opus. Semen potum venenorum vires hebetat, ob id & antidotis admiscetur, ut Theriacæ.

Napi Grotlandici vires in Scorbuto ab experimentis deprædicat Th. Bartholinus Act. Med. An. 176.

A. 2. *Napus sylvestris* J. B. C. B. *Bunias sive Napus sylvestris nostras* Park. *Bunias sylvestris Lobelii* Ger. **Wild Navew.**

Flores, siliquæ, semina sativæ proxima sunt, folia crebriùs dissecta laciniatáque, nullis itidem pediculis cauli adnexa. Verùm radix sylvestrem naturam sapit, minor & pollicis articulum parùm superans, turbinata, saporis acris. *J. B.*

Folio ad Brassicas magis accedit quàm ad Rapas; folia autem inferiora quæ è radice exeunt asperiuscula sunt superficie supina saltem.

Locus. Inter segetes & in aggeribus fossarum sponte & quidem frequens oritur apud nos in Anglia.

Usus. *Semen* hujus calfactum, trusatilibúsque molis pressum magnam olei vim remittit, quo non ad obsonia modò, sed ad lumina quoque lucernarum utuntur. Aviculas caveis inclusas Carduelеs, Miliarias, Fringillas & id genus similes semine hujus apud nos Aucupes alunt. *Ruel.*

Ex hujus semine tuso & presso oleum **Rape-Oil** nostratibus dictum elici censemus, ut superiùs, quoque innuimus.

* 3. *Napus sylvestris Cretica* Park. C. B.

C. B. prod.

Foliis est ad palmi longitudinem accedentibus, instar foliorum Rapistri albi vel Irionis vulgaris, in lacinias octo vel decem divisis, per margines crenatis, asperis: *caule* albido, rotundo, ramoso, subaspero, summitate, (cui flores non insident) aculeatâ: floribus (quos non vidit C. Bauhinus, ut nec radicem) *siliquæ* angustissimæ, biunciales succedunt, quæ *semen* exiguum, nigricans continent.

Buniadis agrestis nomine ex Creta ab Honorio Belli accepit C. Bauhinus, à Cretensibus σιλλοσρυζις vocatur.

Cap. XV.

De Sinapi & Rapistro.

Σίνηπι dictum putatur παρὰ τὸ σίνεσθαι τοὺς ὦπας τῇ ὀδμῇ· Quod olfactu oculos lædat, vel quasi σίνω νάπυ, Atticis enim idem est νάπυ cum σίνηπι· Nos potiùs exoticum esse putamus hoc vocabulum, cujusmodi sunt κόμμι & πέπερι & alia nonnulla similiter terminata. Quòd verò Gallis *Moustard* vocatur, ex eo factum videtur, quod cum musto Sinapi ad intinctus conteri soleat. Camerario Mustarda dicta placet quasi mustum ardens, quòd ignea vi semen nares & cerebrum apprehendat, lacrymas excutiendo, nullo asperrimi saporis odore prævio. *J. B.*

Rapistrum dicitur ob similitudinem herbæ cum Rapo.

Notæ Sinapeos genericæ sunt sapor foliorum, sed præcipuè seminum, fervidus & acerrimus; folia tam quæ in caulibus, quàm quæ ad radicem aspera.

In hoc genere species illa elatior, siliquis quadratis, brevibus cauli appressis, semine minore & acriore propriè Sinapi dicitur: Humiliores siliquis teretiusculis majoribus à caule extantibus, semine majore, at minùs acri, Rapistra appellantur.

A. 1. *Rapistrum arvorum* Ger. Park. *flore luteo* C. B. J. B. **Charlock or wild Mustard.**

Tanta Rapistri lutei, ubi adolevit, cum Sinapi affinitas, ut obiter intuentem fallat. *Radix* alba, lignosa: *Caulis* cubitalis & sesquicubitalis, in ramos crebros divisus: *Folia* Rapitia, non tamen in tot lacinias utrinque divisa, extremâ etiam parte latâ & oblongâ; attrita non acri illo Sinapeos odore nares feriunt, sed oleraceo penitus; *Flos* luteus, minimè diversus: At in *siliquis* longè maximum discrimen; siquidem eæ in Rapistro duplo longiores quàm in Sinapi, nec ut illæ quadrangulæ, compressæ, sed multangulæ & turgidulæ, brevibus pediculis insidentes nec à caule multum extantes: quibus dehiscentibus *semina* comparent, similiter membranulæ mediæ adhærentia, sed numero plura, eaque lucida & nigra, cùm Sinapeos sint ruffa, nec ullo nitore perpolita, minoráque, quibus tamen acrimoniâ parùm admodum cedunt.

Locus. Inter segetes copiosum nimis.

A. 2. *Sinapi siliquâ hirsuta, semine albo vel ruffo* J. B. *Sinapi album* Ger. *Apii folio sive album* C. B. *at folia Apii non habet hoc genus, sed Rapi.* **White Mustard.**

Hujus *radix* simplex est, alba, lignosa, [digitali crassitudine, longitudine palmari & sesquipalmari, multas, longas è lateribus fibras obliquas emittens. *J. B.*] *Caulis* cubitalis aut sesquicubitalis & altior interdum, ramosus, hirsutus, inanis [J. Bauhino duos aut tres cubitos altus, crassitudine pollicari: verùm in nostris agris eam staturam & magnitudinem non assequitur, sæpius infra cubitum subsistit.] *Folia* Rapæ, profundè sinuata seu laciniata, præsertim inferiora, pilis spinulisve supra infráque donata. *Flores* lutei, Rapistri vulgaris, præterquam quòd longioribus pediculis insideant, suaveolentes: quibus succedunt *Siliquæ* à caule extantes, hirsutæ, & seminibus protuberantibus quodammodo nodosæ,

sæ, in latum tenuem & oblongum mucronem desinentes, qui excidentibus duabus siliquæ partibus remanet appensus cum interjecta membranâ lucidâ *semina* separante tria vel quatuor hinc indè, quàm Rapistri majora, alba, rotunda, quàm Sinapeos minùs acria.

Quod in agris nostris abundat, & frumentorum vitium est, semen habet russum, & plena maturitate fuscum, aliter non differre videtur à descripto. *Varietas.*

A. 3. *Sinapi sativum* 2. Ger. emac. descrip. *Sinapi siliquâ latiusculâ glabrâ, semine russo sive vulgare* J. B. **Common Mustard.**

J. B.

Ad cubitos aliquot excrescit, *caule* imâ parte hirsuto, superiore glabro, frequentibus ramis brachiato [imo omnium hujus generis nobis cognitorum altissimo & ramosissimo] eóque tereti & fungosâ medullâ pleno. *Folia* inferiora quidem lata, dissecta tamen, Rapitiis similia, hirsuta, superiora verò tenuiora & glabra, [hoc est, minus aspera quàm inferiora] odore si terantur eodem qui in semine percipi solet. *Flores* Erucæ minores, & Rapistri lutei, ex quatuor foliolis apicibúsque medium occupantibus compositi, quos quatuor foliola, pallido herbaceo colore prædita obvallant, odore suavi. Hos excipiunt *siliquæ* glabræ, satis breves, Erucæ majoris similes, sed minores, ex brevi pediculo, quæ commissuræ ratione, ut in illa, dehiscunt, *semina* claudentes plus minus octo, cùm in Eruca multò sint plura, colore minùs obscuro & paulò majora, in hoc à Rapistri seminibus differentia quòd russa sint, nec lucida, cùm illa nigra sint & nitida. *Radix* candida, lignosa, fragilis, fibrata.

[Sinapi Rapi folio *C. B.* sativum *Ger.* sativum Rapi folio *Park.* pro Sinapi vulgari accipitur, verùm malè ab Autoribus describitur, ut descriptiones eorum cum nostra conferenti patebit.]

Annotat J. Bauhinus ad hanc plantam, Nullum, quod noverit, botanicum bonam iconem exhibuisse Sinapeos de quo hîc agitur, vixque ab aliquo ritè descriptam videri. Et revera mira est inter Botanicos confusio & obscuritas in historia hujus generis.

Thomas Johnsonus omnium optimè, quamvis breviter & succinctè Sinapi hoc vulgare, nostratibus **Mustard** dictum descripsit, in suo Gerardo emaculato. Sinapi nostrum vulgare (inquit) *folia* habet Rapacea: *Caulem* teretem, superiùs glabrum, tres, quatuor, vel quinque cubitos altum, in multos ramos divisum, *foliis* angustis, oblongis, deorsum dependentibus, superiore præsertim parte vestitos: *Siliquæ* breves sunt, cauli appressæ & ferè quadrangulæ: *Semen* russum, aut ex russo nigricans.

Siliquas quadrangulas esse & cauli appressas, miror J. Bauhinum in descriptione omisisse: cùm in Rapistri vulg. arvorum illius meminerit.

C. Bauhinus, annotante fratre, hîc omnia turbare videtur, & Entia præter necessitatem multiplicare.

In hortis & areis, ínque fossarum aggeribus, & terra recens effossa spontè & copiosissimè exit. *Locus.*

Seminis Sinapeos pro condimento usus est frequentissimus. Nostri (inquit J. Bauhinus) musteum semen nocte macerant aquâ, deinde manibus expressum adjecto aceto pilâ terunt. In variis modis condimentum hoc præparant. Quidam Semen Sinapeos ad ignem exsiccant, deinde in mortario tundunt, tusum per setaceum trajiciunt; & farinam cum aceto probe permiscent ad Electuarii propemodum consistentiam. Alii in mola ad id parata cum Agresta unà conterunt. Confectio hæc Mustarda tam Anglis quàm Gallis dicitur, quòd cum musto Sinapi ad intinctus conteri solet. Camerario Mustarda dicta placet quasi Mustum ardens, quòd ignea vi semen nares & cerebrum apprehendat, lacrymas excutiendo, nullo asperrimi saporis odore prævio, ut superiùs monuimus. *Vires.*

Nihil hodiè Mustardâ ad intinctus ubique, hyeme præsertim, frequentius: nihil magise pulas commendare videtur. Quòd si vel assidua consuetudine, vel esu gratia ciborum exolescit, hujus acrimoniâ fastidiosis gustum revocant, & hoc velut irritamento elanguescentem appetentiam invitant, quo velut igniculo morosius palatum titillante, vorandi moliuntur aviditatem. J. B. Sed hujus vis confestim in sublime fertur, nec aliud magis in nares & cerebrum penetrat, unde sternutamenta ciet, & sensum vellicans lacrymas elicit. Hinc Comitialibus auxiliatur, & uteri strangulatu oppressos excitat, quin & Lethargicis somnolentiam excutit, & omnibus in genere morbis cephalicis auxiliatur, paralyticis & apoplecticis, vel naribus inditum, vel in sinapismis adhibitum.

Multas præterea vires Sinapi tribuunt Medici & Botanici tum Veteres, tum recentiores, menses & urinam ciendi, Venerem irritandi, accessus febriles arcendi, catarrhos minuendi, raucedinem curandi, pituitam expectorandi, alvum molliendi, tumores discutiendi.

Inter hæc est vis rubificandi, hoc est, cutim in ruborem attollendi, quod fit per phœnigmos aut sinapismos, indè dictos quòd materia eorum sit Sinapi. Hoc fit ideò ut humores in profundo habitùs latentes ad superficiem trahantur; quod vocabant Methodici μετασυγκρίνειν, & medicamenta indè μετασυγκριτικά. C. Hofman.

Sinapi insigniter conducit iis quibus ventriculus ac intestina multis viscidis lentísque humoribus scatent, quos liquefacit, fundit, atque abstergit, quâ ratione quoque Scorbuticis commendandum, cujus quidem nimia acrimonia aceto temperanda, nè nimis nares feriat. Qui edulcorant sacchato valetudini minùs consulunt, quippe Saccharum figit ejus acrimoniam, quâ Scorbuto resistit. *Simon Paullus.*

Semen Sinapeos in mortario tritum & cum vino albo mixtum, multas centurias Scorbuticorum & languentium hominum in obsidione Rupellensi sanitati restituit. Plerique enim obsessorum & urbe inclusorum fame & inedia pressi, multa sordida & quæ natura abhorret esitare coacti, respirandi difficultatem, gingivarum putredinem, dentium nigritiem & vacillationem, aliáque Scorbuti symptomata contraxerant, unde multi moriebantur, donec tandem Sinapi in fossis circa urbem copiosè inventum, & quo dictum est modo adhibitum omnes liberavit. Ex relatione *D. Mervault*, qui toto obsidionis tempore in urbe manebat. Communicavit D. *Tancredus Robinson.*

Sinapi

Sinapi cum vino calido magna quantitate potum curat febrem quartanam si exhibeatur duabus horis ante paroxysmum. D. *Palmer ex relatione D. Hermanni.*

Dantiscanus quidam valdè pronus ad Vertiginem & Apoplexiam consilio Medicorum solebat semen Sinapeos ad præservationem masticare. Cùm verò propter senium ulteriùs id facere non posset, in pollinem redactum assumebat ore volutando. Tandem cùm nè hoc quidem modo eodem frui posset, in linteolo ligatum olfaciebat. Hoc autem efficiebat, ut diutissimè vivens, ab his malis omnino immunis degeret. *D. Soame* ex Observat. Hieron. Reusneri à Velschio editis.

4. *Eruca Monspeliaca echinata siliquâ quadrangulâ* C. B. *Monspeliaca siliquâ quadrangulâ* Park. *Sinapi echinatum* J. B. Lugd.

C. B. prod.

Ex *radice* semipalmari, crassiuscula, leviter fibrata, albicante *caules* ad exortum purpurascentes, terni quaternive pedales, aliquando cubitales [J. Bauhino sesquicubitales] teretes, striati, pilis rubris hirsuti, in ramos brachiati exurgunt. *Folia* ad radicem humi sparsa, pauca, oblonga, angusta, sinuata, hirsutie aspera, bina ternáve simul juncta; in caulibus, præsertim siliquis onustis, penè nulla, oblonga, leviter sinuata. *Flosculis* est luteis; quibus *siliquæ* succedunt brevissimæ, trientem pollicis vix æquantes,] quadrangulæ in apicem acutum rigidúmque desinentes, læves, oblongo pediculo insidentes, per maturitatem durissimæ, quarum quælibet latera quatuor habet, quæ ad formam alarum Percæ piscis elevatæ in medio sinum ostendunt. His per longum dissectis utrinque duæ *capsulæ* distinctæ conspiciuntur, in quarum qualibet *semen* unicum, ruffum, cochleæ instar convolutum, acuminatum & acre continetur.

Locus. Floret in segetibus circa Monspelium Martio, Aprili & Septembri mensibus: Nobis conspecta est inter segetes non longè à Luca Italiæ urbe, secus viam qua indè Pisas itur.

Hæc planta in suo genere singularis est, & à reliquorum Rapistrorum analogia florum & siliquarum respectu abscedit, ut nesciam planè quò eam referam. Foliis quoque ab hujus generis reliquis differt; ima enim & è radice exeuntia longissima sunt, angusta, utrinque ad mediam usque costam incisa, Cichorei sylvestris foliorum modo, in triangularia nimirum segmenta quorum basis costæ adnascitur; bina autem adversa sibi mutuò occurrunt & coaptantur, & figuram rhomboidem efficiunt. Potest fortè non incommodè ad Erucam referri.

CAP. XVI.

De Rhaphano.

Ῥάφανος ἀπὸ τοῦ ῥᾶ i. e. ῥαδίως φαίνεσθαι, auctore Athenæo, i.e. quòd facile appareat, sibi nomen ascivit: nam tertio à satu die prosilit, & revera nullam hactenus plantam novimus, quæ citiùs è semine germinat.

Radicis nomen, ut autor est Varro, è Græcia venit in Latinum, cùm veteres Græci radicem dixerint, quam nunc Rhaphanum. A Radice autem nomen Anglicum **Radish** deducitur, non à colore hujus radicis rubro, ut nonnulli perperam imaginantur, quoniam corruptè **Reddish** pronunciatur & scribitur, quasi rubida aut subrubra.

Hujus notæ sunt siliquæ crassæ, fungosæ, membranâ non interceptæ, at neque manifestè bivalves, in nonnullis speciebus articulatæ seu nodosæ.

1. *Raphanus* J. B. *sativus* Ger. *vulgaris* Park. *Raph. major orbicularis vel rotundus* C. B. *item minor oblongus* ejusdem. **Radish.**

J. B.

Folia proximè ad Rapi folia accedunt, sic ut facilè versatissimis imponere possint; paullò tamen magis sunt sinuosa: cætera etiam minùs conveniunt, Raphano enim *flos* purpurascens, apicibus luteis: *Siliquæ* crassiores, breves, fungosæ, in loculos tuberosos convallibus interceptos, [minùs manifestos] distinctæ, acuminatæ; in quarum spongiosæ substantiæ meditullio latent *semina* simplici serie, subrotunda, rubra, quàm Brassicæ aut Sinapeos cujuscunque majora. *Radix* crassa & carnosa, longa, magnitudine varia exteriore cortice, præsertim parte quæ extra terram eminet rubro, rariùs albo, gustu acri & mordaci. Recto vix surgit *caule*, cubitum unum aut alterum alto, valdè ramoso.

Raphani præter vulgarem jam descriptum tres aut quatuor sunt varietates, nimirum,

1. *Raphanus niger* C. B. *niger rotundiore radice* Park. *pyriformis, sive radice nigra* Ger. **Black Radish.**

Foliis, caulibus, floribus, siliquis & semine à vulgari Raphano non multùm differt. [Parkinsonus folia ei minora attribuit & profundiùs laciniata, flores & semina minora] præcipua differentia est in radice, quæ foris nigra est, seu cortice nigricante tecta, intus alba, crassa, figurâ Rapi, aut potiùs Pyri turbinata, substantia duriore & firmiore quàm vulgaris Raphani, nihilo tamen minùs acri & mordaci.

Hujus semen satum Raphanos dedit quorum nonnulli nigricabant, maxima tamen pars foris cortice albo integebatur. *Park.*

2. *Raphanus orbiculatus* Ger. *orbicularis vel rotundus* C. B.
3. *Raphanus minor præcox* Park. parad. *Radicula sativa minor* Ger. *Raphanus minor oblongus* C. B.

Raphani radix culinaris potissimùm est, rarioris in medicina usûs: ex iis quibus assiduè vescimur (inquit Galenus) & obsonium potiùs est quàm medicamentum. Acrem & calidam esse sapor evincit; unde nos iis potius assentimur qui vim roborandi ventriculum concoctionémque promovendi ei attribuunt, quàm Galeno aliisque contrarium asserentibus, ob eam maximè (ut puto) rationem quià ructus movet; unde cibus illiberalis Plinio dictus est. *Vires.*

Utilis esse putatur ad calculos atterendos, urinásque & menses ciendos: ad tussim prodest cum melle. Salutaris esse traditur adversùs fungorum & Hyoscyami venena. Elixa si sumatur valet ad eos qui tussi diuturna infestantur, quique crassiores succos in pectore cumulant, autore Dioscoride: cui libenter assentior, nam Rhaphani cocti (ut rectè Plinius) dulcescunt & in Naporum vicem transeunt. In tussi & asthmate infantium succum Raphani cum saccharo paratum per vices exhibendum præscribit Dolæus Lib. 5. C. 4. S. 18.

Rhaphanus domesticus esculentus (ait Fernelius) sine offensione ulla vomitione purgat, atque ventriculum blandè exinanit ····· nulli ætati, neque prægnantibus infensus. Teruntur autem radicis ejus concisæ unciæ duæ, affusâque mulsâ succus exprimitur tepidus offerendus. Seminis [quod efficacius est] semuncia vel ℨiij. similiter teruntur, additâ mulsa, aut sero lactis, aut aquâ hordei.

Radicem cum sale tritam in malignis febribus sub pedibus ligari testatur Schwenckfeldius.

Aqua Rhaphani per triginta dies manè ac vesperi pota singulis vicibus tribus aut quatuor unciis medetur calculo, facitque ad aquam intercutem.

Non temnendus est Rhaphani usus adversus pedum clavos, quippe qui decrescente Luna post pedum lotionem eò usque rasi ut doleant quidem sed non cruententur, plerunque evanescunt si cubitum iturorum clavis corticis Raphani id latus aut ea pars applicetur quæ à Raphano resecatur saucia.

Qui plura de Raphani viribus velit J. Bauhini historiam adeat.

Ad calculum, ℞. Succ. radic. Raphani ℥iv. Mel. ℥ß. F. potio, tribus vel quatuor matutinis iteranda. Valdè probatum remedium. *Liber Arcanorum.* Vel ℞. Radic. Rhaphani in taleolas incisæ q. s. Mellis quantum necesse est ut lento igne coquantur. Effluet indè aqua, quæ ad ℥iv. data mirabilem præstat effectum. *Chesneau.* Has duas formulas inter alias multas à se ex variis autoribus collectas ad me transmisit ingeniosissimus & eruditiss. Vir D. *Edv. Hulsius*, M. D. vetus Amicus noster: item sequentem ad nephriticos affectus.

℞. cortic. acerr. Rhaphani ℥j. ossium Mespilorum ℨij. Blandè conquassat. infund. horas octo in Vini albi ℥iv. & modicè calens propinetur. Est secretum quod vocant rhaphaninum. Ex Corbei pharmacia, Autore Antonio Mizaldo multis probatum experimentis.

A. 2. *Rapistrum album articulatum* Park. *flore albo, siliquâ articulatâ* C. B. *flore albo striato, Sinapi album agreste Trago* J. B. *Rhaphanus sylvestris* Ger. **White-flowred Charlock with a jointed Cod.**

E *radice* alba, lignosa, alias simplici, aliàs multifida *caulis* emergit pedalis & major, à radice statim ramosus, & spinulis rigidioribus asper. *Folia* utrinque hirsuta sunt, laciniata, præsertim inferiora, & propè exortum, nam eorum extrema lata sunt & integra, colore ad glaucum nonnihil tendente. *Flores* albi, Erucæ majoris aut Leucoii lutei similes è calice rubente exeunt [non enim in hoc genere, ut in Sinapi & reliquis Rapistris quamprimum flos aperitur dehiscunt calices] striis cœruleis variegati. *Siliquæ* succedunt pediculis longiusculis hirtis insidentes, glabræ, oblongæ [longitudine digitali *J. B.*] nodis instar caudæ scorpionis distinctæ, sex interdum aut octo, in quibus pro nodorum numero semina magna, ruffa.

Inter segetes passim & copiosè reperitur. *Locus.*

Rapistrum flore luteo, siliquâ, glabrâ, articulatâ.

Floris præcipuè colore à descriptâ differt, nec minus frequens inter segetes reperitur.

* 3. *Alsine nodosa Dalechampii* J. B. *Alsine nodosa Gallica* C. B. Lugd.

Lugd.
Radice constat simplici, longa, parùm capillata, ex candido flavescente: *Foliis* propè terram multis, ex eadem radice ortis, & in orbem radicis caput cingentibus, longiusculis, angustis, Alsines [Androsaces Matthioli *Moris.*] haud multùm dissimilibus: *caulibus* multis, pedalibus aut minoribus longioribúsve pro ratione soli: *flore* albo, non tamen quinque ut perperam Lugdun. sed quatuor petalis composito: *semine* in nodosis, striatísque globulis, multis sese ordine consequentibus & quasi veruculâ transfixis, siliquam parvam, uncialem componentibus. In singulis nodis seu globulis striatis singula continentur *semina* rotunda, ruffa.

In agro Monspeliensi plurima gignitur. Nescio (inquit D. Magnol) ubi tantam viderit copiam circa Monspelium cùm nullus alius Botanicus (quamvis sedula adhibita perquisitione) eam adhuc invenire potuerit. Verendum ne parum hanc plantam perspexerit *Lugdunensis* historiæ autor. Forte non aliam viderit quàm Rapistrum album vulg. *Locus.*

* 4. *Raphanistrum siliquâ articulatâ, striatâ maximâ* Moris.

Non differt à Rapistro albo vulgari, nisi magnitudine florum & siliquarum propiùs ad Raphani sativi vulg. siliquas accedentium spongiosâ suâ substantiâ. Semina in articulis seu nodis contenta major.

* 5. *Eruca palustris major flore albo* J. B. *Eruca palustris major* Tab.

Radice nititur crassa, lignosa, aspera: *cauliculis* donatâ pluribus, magnis, rotundis mediocriter altis: quibus insident *flores* multi, exigui, candidi. His decidentibus succedunt *siliquulæ* oblongæ, tenues, *semen* acris saporis includentes: *Folia* ejus magna, profundè serrata, acuminata.

C. Bauhinus Erucam palustrem majorem *Tab.* Sinapeos sui 2. Apii folio seu albi synonymam facit. Verùm si intelligit Sinapi semine albo descriptio Erucæ pal. majoris ei neutiquam convenit, cùm Eruca pal. florem habeat album, Sinapi verò illud luteum; & Sinapeos albi siliquæ non tenues sint & oblongæ, sed crassæ satis & nodosæ. Verùm in Sinapeos speciebus, earúmque synonymis ordinandis admodum confusus est & obscurus C. Bauhinus: nec mirum cùm apud Botanicos omnes qui ante eum scripserunt Sinapeos species breviter, imperfectè & obscurè descriptæ sunt, nec bene à se invicem distinctæ: ut difficillimum sit, nè dicam impossibile, decernere quas plantas describant, aut intellectas vellent, imò nè ipsos satis scivisse arbitror. Consule J. Bauhinum in historia Sinapeos albi.

CAP. XVII.

De Eruca.

ERuca Εὔζωμον, eò dicitur quia erodit: nam si gustaveris os & linguam satis acriter vellicabit. Aliis ab urendo, quasi Uruca, *u* in *e* verso, quòd igneæ sit virtutis, & in cibo sumpta Veneris incendium moveat.

Hujus notæ sunt folia laciniata, glabra, siliquæ angulosæ, odor fœtidus.

1. *Eruca major sativa, annua, flore albo, striato* J. B. *Er. sativa* Ger. *latifolia alba sativa Dioscoridis* C. B. *sativa alba* Park. Garden Rocket.

Albâ, lignosâ, tenui *radice* est donata, sapore acri: *caules* subhirsuti, cubitales & sesquicubitales: *folia* Sinapi albi, minora, tenera, glabra, ejusdem cum radice saporis: *flores* è cœruleo [potiùs è luteo] albidi, striis nigricantibus picti, ex calycibus hirsutis: *Siliquæ* ex brevibus pediculis glabræ, quales in Sinapi siliquâ glabra, sed longiores, à lateribus se aperientes: per membranam distinctæ cui adhærent multa *semina* flava, majora quàm Sinapi jam dicto, minúsque rotunda. Odor hujus plantæ validus & ingratus nè dicam fœtidus, nec minùs sapor, quanvis Itali eo delectentur, & acetariis gustûs gratiâ Erucam perpetuò admiscent: fortè tamen viribus potius quàm sapore se illis commendat initio, & postea usu frequenti palato etiam se conciliat.

Vires. Eruca (ut rectè Plinius) diversæ est à Lactuca naturæ, conciliatrix Veneris, idcirco jungunt illi ferè in cibis, ut nimio frigori par fervor immixtus temperamentum æquet. Itali etiam nunc dierum Acetarii Erucæ tantillum admiscent, ejúsque gustu mirificè delectantur.

Eruca non Medicorum tantùm, sed & Poetarum testimonio stimulandæ Veneri nata videtur.

Martialis, *Et Venerem revocans Eruca morantem.*

Columella, *Excitat ad Venerem tardos Eruca maritos.*

Ovidius, *Nec minùs Erucas jubeo vitare salaces.*

Folia (ut autor est Matthiolus) decoquunt, additoque saccharo tussientibus pueris propinant. Semen contusum, ex vino potum lumbricos interimit, tumentem lienem minuit. Folia contusa palpebris imposita visum acuunt. Semen cum melle mistum maculas omnes & nævos faciei illitu tollit, efficaciùs verò addito felle vaccino aut bovino. Ossium fragmenta extrahit radix in aqua decocta; & imposita *Ego præfero folia radici, quicquid scribat Matthiolus* J. B. At Matthiolus hoc & pleraque alia è Plinio transtulit.

Sunt qui pro certo (inquit Camerar.) affirmant, multos sese annos ab Apoplexia & ejusmodi affectibus immunes perstitisse pulvere ex Erucæ & Cymini partibus æqualibus.

2. *Rapistrum*

2. *Rapistrum flore albo lineis nigris depicto* C. B. *album, nigris lineis* Park. *Lampsana Apula Plinii & Dioscoridis. An Eruca Romana seu gentilis siliquâ angustâ, folio lato* J. B? *Idem videtur Rapistro flore albo, articulatâ siliquâ.*

Col.

Foliis, caule ac flore Erucæ sativæ adeò similis est, ut primo aspectu florida quemlibet falleret: differt foliorum duritie, atque nervorum asperitate inferna parte & caulis. *Radice* est candidâ, crassâ, longâ, sylvestris Raphani modo, acríque sapore. *Folia* emittit in terra jacentia, dura, virentia, parum hirsuta, nervis aspera, magnitudine & divisurâ Erucæ sativæ, sapore oleraceo. *Caules* edit plures, bipedales ferè, alis divisos, sed summa alarum folia circa flores oblonga sunt Raphani modo, non ut in Eruca utrinque incisa, & in hoc ab illa etiam differt. *Flores* in summo albi, nigris lineis depicti Erucæ sativæ modo, magnitudine atque positu adsimiles: *siliquis* verò postmodum ab illa differt, quas non Erucæ modo breves & ventriosas, sed longas & tenues profert.

Floret Martio & Aprili, atque Maio perficitur: margines aggerésque viarum atque agri Cirinolæ hanc fundunt. *Tempus & Locus.*

Foliorum sapor magis herbaceus quàm acris, unde indigenæ iis vescuntur, Lampsanam etiam appellantes.

* 3. *Eruca Chalepensis caulibus & siliquis hirsutis, foliis inferioribus maculatis* Moris.

Hæc *caules* protrudit cubitales & sesquicubitales, in multos ramos brachiatos, hirsutos, quorum summis fastigiis innascuntur *flores* satis ampli, albi, striis nigris picti. *Folia* per terram strata maculis insigniuntur nigris. Floribus deciduis succedunt *siliquæ* curtæ, quadrangulares, hirsutæ: quibus notis ab Eruca sativa vulgari satis distinguitur.

Hujus semina Chalepo transmisit ad descriptionis autorem D. *Robertus Huntington.*

A. 4. *Eruca sylvestris* Ger. Dod. *sylvestris vulgatior* Park. *major lutea, caule aspero* C. B. *tenuifolia perennis flore luteo* J. B. **Wild Rocket.**

J. B.

Radice hæret albâ, crassa, satis longa, ex qua multi prodeunt *caules*, crebris alis concavi, striati, parum hirsuti. *Folia* crebris incisuris Dentis leonis, aut argutioribus Hieracii minoris divisa, alias Nasturtii, cujus etiam folia colore atrovirente & glabro imitantur, sapore fervido sativæ; cujus & *flores*, sed colore præditos luteo, serie simili dispositos gerit odoratos; *siliquis* succedentibus longis, angulosis, erectis, *seminibus* Sinapis sylvestris similibus, acribus & amarusculis repletis. *Odor totius plantæ fœtidus & ingratus, nostris saltem naribus.*

Circa muros, inque ipsis muris & ruderibus multis in locis observavimus, v. g. *Cestriæ, Yarmuthi, Tauntoni, Lichfeldiæ, &c.*

* 5. *Eruca sylvestris angustifolia, flore luteo* J. B. *sylv. angustifolia* Lob. Ger. Park. *angustifolia Austriaca* C. B. **Narrow-leaved wild Rocket.**

Lob.

Promit inflexis cubitalibus *cauliculis flores* luteos Erucæ sylv. *Cornicula* siliquarum Sinapi sunt aut Nasturtii sylv. ubi *semen* acre, uti *folia* angustiora, Erucæ sylvestris concoloria, sed minimè divisa, Tarraconis ferè paria, quibus idcirco affinis naturâ putatur.

Si à præcedente diversa sit nobis incognita est.

* 6. *Eruca Bellidis folio* Moris.

Caules edit pedales & altiores aliquando; in quorum cymis proveniunt *flosculi* lutei, tetrapetali, Erucæ sylvestris fœtidæ floribus magnitudine pares; quibus succedunt *siliquæ* spicatim quasi digestæ longiores & crassiores siliquis Erucæ sylvestris fœtidæ. Deinde hujus caules non sunt ut illius recti sed reflexi. Hisce notis distinguitur ab Eruca sylvestri fœtida, sed præcipuè foliis adeò Bellidis majoris similibus; ut siquis ea cerneret per terram in orbem strata circa radicis caput antequam planta excaulescat & floreat, audacter assereret esse Bellidis majoris speciem, ni gustum in opem advocet.

CAP. XVIII.

De Erucis spuriis.

HIs folia, ut reliquis, laciniata sunt, verùm flores minores, siliquæ breves at strictiores quàm in genuinis Erucis.

* 1. *Eruca Alpina radice serpente* Zonani.

Zanon.
Ex *radice* crassa, fibris scatente multa prosiliunt *folia*, supernè obscurè viridia, infernè subalbida, undique lucida, carnosa, crassa, multùm sinuata: ex quorum medio proveniunt plures *caules*, fractu faciles, versus terram cortice albicante tecti, qui sursum versus virescunt: Ex horum singulis geniculis, (qui sunt satis frequentes) præcipuè in inferiore parte versus terram, singula exeunt folia, cæteris per terram stratis similia sed minora, minúsque incisa, atque per singula genicula alternatim disposita, cauli duabus auriculis foliosis adhærentia. Ex alis inter caulem & folia exiliunt interdum quaterna aut quina foliola, unciali pediculo innixa, paulò cæteris minutiùs incisa, imò quasi crispata, concurrentia in unum & idem centrum, pediculi sci. summitatem; atque in caulium cymis nascuntur plurimi *flosculi* albidi, quorum singula petala in extremo sunt bifida, cum staminulis multis, tenuibus, luteis in medio. Floribus evanescentibus succedunt *siliquæ seminibus* flavis repletæ.

Locus. Provenit in montibus saxosis territorii Bononiensis & Mutinensis, præcipuè in monte *Cimone* inter saxa.

Hanc plantam rectiùs fortè ad Erysimum retuleris.

* 2. *Eruca Monspeliensis siliqua aspera. Sinapi Monspessulanum siliquâ asperâ hirsutâ* J. B.

J. B.
Statim è radice lignosa *folia* exeunt frequentia, similia ferè Erucæ minoris foliis, acria, intérque hæc *caules* aliquot palmares aut etiam cubitales, in ramulos aliquot divisi, *floribus* Sinapeos luteis, parvis. Decidentibus *siliquæ* succedunt crebræ, unciam longæ, teretes, asperæ, aliquæ secundùm caules ramósque ascendentes, aliæ longè ab iis abscedentes, & veluti rectâ foràs protensæ, semen claudentes minutissimum saturatè ruffum.

Locus. Autumno invenit autor inter Monspelium & montem *Esperon:* Cherlerus in udis fossis inter Monspelium & thermas Ballerucanas: D. Magnol inter Lateram & Perauls in humidis.

A. 3. *Eruca aquatica* Ger. emac. Park. *Eruca quibusdam sylvestris repens flosculo parvo luteo* J. B. *Eruca sylvestris minor, luteo parvóque flore* C. B. *Sium alterum aquaticum luteum, vel Cardamine tenuifolia montana* Col.

J. B.
Spithamam unam aut duas altos habet *caules*, striatos, modicè pertusos, interdum rubentes: quibus *folia* adnascuntur Nasturtio vel Erucæ paria, consimiliterq; crebris divisuris incisa, latiora in inferioribus partibus, gustu oleraceo, colore atrovirente. *Flores* parvi, lutei, quadrifolii, acri sapore; quibus succedunt *siliquæ* cylindraceæ, breviores quàm in Eruca, longiores quàm in Radicula sylv. *Dod.* cum qua magnam habet affinitatem, *semen* continentes minutum. *Radix* insigniter repens albet, sapore magis ignavo quàm Raphanus.

His adde foliorum lobos per oras dentatos esse ut rectè annotat Columna, quòd florum calices unà cum floribus ipsis dehiscant, ut in Rapistro vulgari: quòd siliquæ pediculis modicè longis & à caule extantibus insident, quòd siliquæ ipsæ nonnihil sursum recurvæ sunt.

Locus. Ad fluvios & fossas, inque alveis torrentum siccatis saxosis oritur, & Junio mense floret.

Cùm C. Bauhinus Sium alterum aquaticum luteum &c. *Col.* ab hac planta separet, & specie distinctam faciat, Columnæ descriptionem subjiciemus:

In excelsis montium planis inter Marerii Comitatûs Æquicolorum fines & Tornempartis quodam torrentis alveo saxoso, æstate siccato, Septembri mense hanc invenimus inter saxa repentem, cauliculis per genicula aquaticarum more multis capillamentis hærentibus villosis; *foliis* utrinque longis petiolis in lobos divisis ut in vulgari Crescione [Nasturtio aquatico vulgari] sed ampliùs per oras dentatis, minoribus & angustioribus; ex quorum sinubus alæ exeunt in summo, densis botribus, parvis admodum onustæ, qui in luteos *flores* parvos dehiscunt, iisque defluentibus locum occupant *siliquæ* tenuiores, vulgari eodem modo dispositæ, in quibus *semen* extuberat minutum præ maturitate hiante siliqua deciduum. Parum acris gustu est, colore flavicante.

Tempus. Aprili floret, Maio caulescit, & perficitur Junio.

Hæc descriptio meliùs convenit Erucæ nostræ aquaticæ quam Bauhiniana, ut non dubitem eam esse quam describit Columna.

In secunda & nupera editione pinacis *C. B.* Eruca palustris minor *Tab.* sylv. fœtida *Gesn. col.* separatur ab Eruca sylvestri Fuchsii *Tur. Lugd.* Erysimum verum *Lugd.* & sub titulo Erucæ palustris & Nasturtii folio, siliquâ oblongâ proponitur.

* 4. *Rapha-*

* 4. *Raphanus minimus repens luteus foliis tenuiter divisis.* Moris.

Radicem edit longè latéque repentem Raphani rustici modo, quin & uda humidáque amat loca. *Folia* gerit tenuiter divisa, Nasturtii hortensis in morem: *flores* luteos, amplos satis pro tenuitate plantæ, *caulibus* vix palmaribus aut sesquipalmaribus innixos; post quos deciduos sequuntur *siliquæ* curtæ, vix semunciales, terna, quaterna *semina* acria, mordacia in se continentes.

Q. quomodo differat hæc planta ab Eruca aquatica *Ger.*

* 5. *Eruca sylvestris minor Bursæ pastoris folio* C. B. Park. Prod. *pumila Sicula Bursæ pastoris folio* Bocconi.

C. Bauhinus in Prod. sic eam describit: Ex *radice* crassiuscula *cauliculis* palmo altior, subasper, brebus alis brachiatus exurgit. *Folia* ad radicem sparsa, sesquiunciam longa, Bursæ pastoris mediæ modo laciniata, subaspera, in caule nulla, nisi quæ alis, & vix quidem laciniata subjiciuntur. *Flores* subaurei satis magni, longis pediculis insidentes, quibus siliquæ breves succedunt. Monspelii passim in vineis reperitur Æstate & Autumno florens. B. M. Paul Boccone Erucæ suæ pumilæ Siculæ &c. caules numerosos, reclinatos tribuit, siliquas mediocriter longas, quæ (quod præcipuè notabile est) semen maturum tactæ dissiliendo evibrant.

Exit ineunte Maio inter saxa oppidi *Montaperti*, non procul *Agrigento*: in agris etiam Lutetiæ vicinis frequens reperitur, ubi Novembri mense vix unciam caulis excedit.

Eruca minimo flore Monspeliensis *J. B.* ab hac diversa videtur, quam se Monspelii florentem observâsse ait circa æstatem in quibusdam muris: foliis quippe accedebat ad Erucam luteam sylvestrem: *flores* habuit minimos luteos: siliquas unciam longas.

Eruca Monensis laciniata lutea qu. an ab hac differat.

* 6. *Sinapi aquaticum Patavinum* J. B.

J. B.

Folia huic minutim dissecta divisurâ Chondrillæ à Matthiolo exhibitæ; quæ autem juxta radicem sunt latiora minúsque dissecta existunt, per segmentorum oras serrata: *radices* parvi ferè digiti crassitudine, sesquipalmum longæ, teneræ, albæ, paucis fibris donatæ, sapore acri & amaro.

Patavii observavit J. Bauhinus ad Portam Livianam in aqua & juxta aquam, mense Februario.

Cum radicula sylv. *Dod.* aliquid similitudinis habere videtur, potissimùm quod folia inferiora attinet, non tamen eadem est.

Ex brevi hac & imperfecta descriptione ad quod genus pertineat hæc planta expiscari nequimus.

* 7. *Eruca sylvestris minor incana* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex radice *cauliculi* læves, virentes, quatuor, sex, & octo unciarum, in plures alas unciales divisi prodeunt. *Folia* ad radicem plura, biuncialia, tenuissimè laciniata, quæ etiam cauliculos alternatim cingunt, omnia incana sunt. *Flosculi* plurimi, pallidè lutei, quibus strictissimæ & breves *siliquæ* succedunt.

Monspelio allatum habuit C. Bauhinus: verùm D. Magnol eam ibi non invenit.

A. 8. *Barbarea* J. B. Ger. *flore simplici* Park. *Eruca lutea latifolia sive Barbarea* C. B. *Nasturtium hybernum* Thal. **Winter-cresses.**

Radice albâ donata est, crassâ & oblongâ, perenni, sapore acriore. *Caules* cubitales, striati, firmi, medullâ farcti, multis alis concavi, in quibus *folia* Raphani minora, laciniâ extremâ Nasturtii folium extremum æmulante, atro virore splendentia, sapore minùs vegeto quàm radix. Ex alis foliorum versùs summos caules ramuli creberrimi exeunt, in quibus, ut & in summo caule, *flores* in spicas longas excurrentes parvi, lutei, tetrapetali, quibus succedunt *siliquæ* tenues, teretes, unciam circiter longæ, caulibus appressæ in quibus *semen* exiguum & colore ruffum. Tota planta glabra est. Flosculi pediculis brevibus insident.

Locus & Tempus. In muris & aggeribus fossarum juxta rivulos & aquas fluentes, non raro etiam in campestribus cultis, Maio & Junio mensibus floret.

Species alia. Datur & hujus alia species distincta, cujus *folia* sunt minora, frequentiùs sinuata, *caules* pares, *siliquæ* crassiores, & *semina* grandiora, minùs fusca & quasi subalbescentia: etiam planta est perennis, & à præcedente prædictis notis quàm facillimè distinguitur. Hujus *flos* conspicitur in hortis plenus.

Vires. Nasturtio ut sapore ità facultate affinis est, acris & calida. Acetariis additur, hyeme præsertim cùm Nasturtii copia non est, unde Nasturtium hybernum dicitur; medetur verò eadem & Scorbuto non minùs quàm Nasturtium. Unguentis admiscetur succus ad sordida & impura ulcera expurganda & siccanda.

Semen acre est, diureticum & lithontripticum: Herba quoque autore Lobelio, urinam ciet, calculos & farctus vesicæ decocto aut cibo expellit, ut Laver.

Inexplicabili cum ægrotantium juvamento apud Francisc. Indiæ de Gatta vomitorium medicamentum paratur cum aqua stillatitia Aranciorum immaturorum tepida, & sufficienti quantitate pulveris Scopæ regiæ (quo nomine quid intelligat nisi Barbaream velit nescit J. Bauhinus) podagricis, gonagricis & ischiadicis affectibus præcipuè præsentaneo & maximo juvamento. *J. B. tom. 2. part. 2. lib. 21. cap. 12. pag. 869.*

A. 9. *Eruca siliquâ cauli appressâ Erysimum dicta. Erysimum vulgare* C. B. *Er. Dioscoridis Lobelio* Ger. *Er. Tragi flosculis luteis, juxta muros proveniens* J. B. *Irio sive Erysimum vulgare* Park. Hedge-mustard.

Radice nititur albâ, lignosa, simplici, acri & Rapæ sapore; [minimi digiti crassitudinem rariùs assequitur.] *Folia* altè sinuata [potiùs laciniata] hirsuta, quorum forma ad Erucas aut Bursas aut Cichoreum sylvestre accedit, extremo tamen obtusa sunt. *Caulis* sesquicubitum altus, foliorum ortu alterno stipatus, hirsutus, ramosus. *Flosculi* pusilli, luteoli, quatuor foliolis constant, qui cùm successivè aperiantur in spicas prælongas excurrunt. *Siliquæ* breves, vix digitum longæ, teretes, hirsutæ, cauli appressæ, pediculis brevibus nixæ, in acutum mucronem desinentes, geminam *seminum* seriem continent oblongorum, exiguorum. In muris & ruderibus, & ad sepes non raró invenitur.

Vires. Irionis usus est in mucilagine tenaci pulmonum, atq; tussi chronica.

Est (inquiunt Adversariorum auctores) moderata quædam totius substantiæ & incidentis cum humidis abstergentibus partibus permixtio, cujus beneficio crassæ pituitæ citra exsiccationem nimiam inciduntur, & incisæ propter flatum nonnihil commixtum non magno conatu expectorantur & absterguntur. Arteriacum igitur est laudatissimum, nempe idem unum præparans & educens. Exempla succurrunt quamplurima, quæ secundissimè tum præceptoribus, tum nobis postea successerunt. Phonascos memini tum juvenes, tum ætatis provectæ, quibus fermè jam amissa voce & spiritu limpida sonoraq; vox pauculis diebus restituta fuit, unius Erysimi & opera eximii præceptoris Rondeletii, qui primus usum monuit. ℞ Erysimi totius recentis M. 6. Radicum Helenii, Tussilaginis succo adhuc prægnantium, Glycyrrhizæ ana ℥ iij. Boraginis, Cichorei, Capill. Veneris an. M. ii ß. Florum cordialium, Anthos, Stœchadis vel Betonicæ an M. ß. Anisi ʒ vj. Passularum mundatarum ℥ ij. Incisis & contusis fiat omnium decoctio in q. s. aq. Hordei, hydromelitis & succi Irionis ℥ vi. Ad. lib. ij vel iij. Expressionis dissolve Sacchari q. s. Fiat Syrupus: qui diu & continuè utendum purgato corpore.

Extrinsecùs utile est Erysimum in Cancro non exulcerato, tumoribúsque renitentibus.

Erysimi decocto multos colico dolore laborantes curavit Riverius, quod etiam ex vino efficacissimum est remedium. Communicavit *D. Hulse*.

10. *Eruca flosculis pediculis carentibus. Erysimum alterum Italicum* Ger. *verum sive montanum* Park. *alterum Matthioli siliquis parvis, quibusdam Dentaria* J. B. *Erysimum polyceration sive corniculatum* C. B.

Radix alba, nunc simplex, nunc surculosa & fibrosa lignescit. *Cauliculi* plures, non erecti, sed deorsum nutantes, teretes, striati, lenti, satis validi, cubitales. *Folia* quæ ad radicem Erysimi vulgaris aut Dentis leonis foliis non valdè dissimilia, profundè ad nervum medium usq; propemodum dissecta, reliqua verò quæ caulem & ramos vestiunt Atriplicis folia primâ facie referre videntur leviter laciniata, unciam plus minus longa, crebra, nullo ordine posita. *Flores* è foliorum sinubus exeunt perpusilli, lutei, nunc unus, nunc duo trésve simul, pediculis vel nullis, vel brevissimis; quibus succedunt *siliquæ* compressæ nonnihil, modicè in arcum curvatæ, ad imum crassiores & paulatim versus apicem gracilescentes, *semen* copiosum, minutissimum ruffum continentes.

Locus. Hanc plantam propè Rhegium in Calabria invenimus.

Notabilis est in hac planta pediculorum carentia in floribus & siliquis.

11. *Eruca maritima Cretica siliquâ articulatâ* C. B.

C. B. prod.

Tota planta albicat, *folia* habens ad radicem brevia, angusta, in minores lacinias divisa & subaspera: *cauliculis* est palmaribus, reflexis, striatis, (*flores* non conspecti) *siliquis* plurimis, incurvis, articulatis, trium quatuórve unciarum, asperis, *semen* minutum, subruffum continentibus, quam ex Creta Honorius Belli misit.

CAP. XIX.

De Erysimo.

Erysimum aliis ἀπὸ τοῦ ἐρύκειν, à foliorum multiplici sectione: aliis quasi ἐρίτιμον, quòd sit pretiosum; aliis ἀπὸ τοῦ ἐρύειν, quòd ob suam caliditatem trahendi facultate præditum sit, dictum videtur *C. B.*

Erysimum Latini ab irruendo nuncupárunt Irionem, quòd ignea vi & fervido sapore irruat in gustum. *J. B.* Eadem habet Jo. Bodæus à Stapel.

Irionem seu Erysimum hoc in loco appellamus Herbam hujus generis quamcunque flore luteo, siliqua longa angusta.

Difficile admodum est inter Erucam & Erysimum certas distinctionis notas constituere. Nos pro Erucis habemus herbas hujus generis flore luteo, siliquis brevioribus & habitioribus; pro Erysimis quæ flore luteo sunt, siliquis longioribus & strictioribus.

1. *Erysi-*

1. *Erysimum non laciniatum Draba dictum. Draba lutea* Park. *lutea siliquis strictissimis* C. B. *Draba* 4 Ger. emac. *lutea quibusdam* J. B.

J. B.

Lignosa est *radix*, alba, minimo digito minor, sapore Raphani rusticani, minùs fervido: ex qua *caules* aliquot attolluntur, recti, rigidi, cubitales & majores, ramosi; quibus *folia* ab imo ad summum crebra alternatim adnascuntur, omnia uniformia, longitudine quadrantali & majore, latitudine circiter unciali, acuminata ex angusto principio, quà pedicello brevi adnectuntur, hirsuta, serrata, sapore remissiore quàm radix. *Flosculi* Erysimi, luteoli, quadripartiti, quibus succedunt *siliquæ*, quæ in sicca semen claudebant tenue, longum, ruffum.

Assurgit interdum in humanam altitudinem: Superficies quotannis emoritur, radice restibili.

Locus. J. Bauhinus viridem vidit in montibus Rhæticis Junio mense florentem. Nos in Italia aliquoties vidimus viis humidis ad sepes; in Germania propè oppidum *Weissenbergh.*

A. 2. *Erysimum Galeno & Theophrasto, Myagro affinis planta siliquis longis* J.B. *Camelina* Ger. *Camel. sive Myagrum alterum amarum* Park. *Myagrum siliquâ longâ* C. B. **Treacle Wormseed.**

Hujus plantæ *radix* lignosa, alba, simplex, fibris aliquot donatur. *Caulis* cubitalis vel bicubitalis, singularis, firmus, striatus, subhirsutus & nonnihil rubescens, medullâ subamarâ plenus, in surculos aliquot divisus: folia Camelinæ similia, alternatim posita, unciam lata, tres quatuórve longa, ex angusto principio sensim dilatata, sensim deinde in mucronem desinunt, tactu aspera, viridia, sapore amaro prædita: *flores* parvi, multi, conferti, lutei, *apicibus* itidem luteis, brevibus pediculis insident: quibus delapsis alternatim succrescunt *siliquæ* tenues, unciâ longiores, quadratæ, erectæ, in pediculis à caule extantibus, *semen* copiosum, flavescens, tenue, oblongum, amarum claudentes.

Locus. In insula Eliensi, in Salicetis propè urbem copiosam invenimus.

Parkinsonus plantam hanc bis ponit. Primò, Pro Myagro sativo. Secundò, Pro Myagro altero amaro.

A. 3. *Erysimum latifolium Neapolitanum* Park. *latifolium majus glabrum* C. B. *Irio lævis Apulus Erucæ folio* Col. **Smooth broader-leaved Hedge-mustard.**

Col.

Autumno exit *foliis* parvis, per terram in orbem stratis, oblongis, [adulta in profundiores lacinias sex aut septem dividuntur, Erucæ sativæ minora, ad Erysimi vulg. magis accedentia, verùm lævia, virentia, & in extremum angustius desinentia] *Caulem* edit unicum, bipedalem, quàm illius crassiorem, lævem, teretem, solidum, candicantem sicut & foliorum nervos, foliis multis alternatim hærentibus vestitum, ex quibus alæ multæ foliis refertæ, angustioribus, paucioribúsque laciniis divisis, longiore & angustiore cacumine, odore gravi, amaro sapore, statim acri. In summo insunt *flores* multi, simul congesti, parvi admodum, lutei; qui siliquas per caulis cacumen dispositas relinquunt post se copiosas, duas minimùm uncias longas, tenues, teretes, extuberante intus *semine* copioso utrinq, minuto, flavo, salso primùm & acri sapore. Differunt hujus siliquæ ab alterius vulgaris longitudine quâ illas excedunt, & positu; non enim hærent cauli Sinapeos modo ut in illa, sed rectæ & elatæ sunt, sylvestris Erucæ modo dispositæ. *Folia* acriora sunt semine. *Radix* candida, gustu admodum fervido ut Sinapi.

Tempus & Locus. Floret mense Aprili, (seriùs apud nos) Cirinolæ frequens, locis aridis, marginum viarum atque mœnium amantior. Circa Londinum in aggeribus terrenis & locis ruderatis copiosè provenit, v. g. inter urbem & *Kensington* vicum, itémq, circa *Chelsey*: invenimus & alibi in Anglia, nimirum in ipsis Bervici oppidi mœniis; & circa ædes *D. Edv. Bullock* Ar. Faulkburni propè Withamiam in Essexia.

4. *Erysimum angustifolium majus* C. B. *item Rapistrum Italicum siliquis longissimis* ejusd. *angustifolium Neapolitanum* Park. *Rapistrum montanum Irionis folio* λεπτομακροκέρων *Col.*

Col.

Radice nititur longa satis, omnibus tenuiore, longísque fibris divisa atque candicante, gustu acri. *Foliis* est Rapistro æqualibus aut æmulis, aliquanto minoribus, in lobos binos aut ternos divisis, cacumine acuto Irioni multùm similibus, sed majoribus, ex viridi albicantibus, hirsutis, mollibus, præsertim caulem ambientibus, quæ longè tenuiora, longioribus lobis & cacumine, ut lobi duas uncias longi, cacumen verò palmum sit. [Folia nobis Rapistro Genevensi sylvestri similiora visa sunt quàm vulgari Rapistro, pediculis longis insidentia, quæ primò exeunt integra, nec omninò laciniata, succedentia & quæ in caule existunt inferiora duos vel tres vel etiam quatuor hinc indè lobos obtinent, cacumine in longum procurrente, quæ in summis caulibus & ramulis angusta, oblonga, integra absq, laciniis.] Caule unico tripedali, aliquando ab radice fruticoso, alis multis diviso, hirsuto, aspero, à cujus medio ad summum semipedales, & deinde paulo minores eriguntur siliquæ, admodum tenues, crasso cacumine [unde ob imbecillitatem & gravitatem deorsùm nutant] brevibus & vix semuncialibus pediculis insidentes, *semina* intus ab utroq, latere continentes minuta, non multùm acria, obscurè flaventia: quas antecedunt *flores* lutei, parvi, coacervati, è calicibus parvis quadrifoliis prodeuntes, minores congeneribus.

Locus. Juxta semitas saxosas vel maceries, atq, juxta ædificia montana Æquicolorum provenit. Maio mense floret.

* 5. *Erysimum flore pallido, Erucæ foliis.*

Eruca inodora J. B. *An Erysimo similis herba S. Alberti* Cæs?

J. B.

Longa nititur *radice*, simplici, cum paucis fibris, lignescente, satis gracili: *Caulis* cubitum æquat, ramosus: *Folia* dodrantalia ferè, Erucæ luteæ sylv. cultæ quodammodo divisurâ, quanquam inferiora Jacobææ penè modo latescant: *Flores* ex luteo pallidi: *Siliquæ* uncias duas longæ, graciles. Nullum ego in hac planta insignem sive odorem, sive saporem animadverti.

Locus. In terra argillosa vitium quæ sunt ultra Rhenum ad *Burckheim*, uno milliari ab urbe Brisaco invenit J. Bauhinus.

* 6. *Sinapi & Thlaspi media Provincialis planta* Ad. *Draba Erysimi flore & siliquis* C. B. Park.

Ad.

Provenit hæc non procul Magdalenæ fano & cautibus illis celsissimis, famigeratissimis Galloprovinciæ; *floresque* Augusto promit luteos Erysimi, nec *siliquas* dispares; in gracilibus ramis ad summum & imum, una è *radice*, digitum crassâ, fibrosâ, pedem longa. Rapistri *folia*, Thlaspi aut Drabæ, leviter laciniata, albida & hirsuta, sapore Erysimi aut Buniadis Barbareæ. J. Bauhinus dubium movet annon hæc sit Hesperis sylv. latifolia flore albo parvo *Park*?

* 7. *Sinapi Erysimo Tragi cognatum sive simile* J. B.

J. B.

Cubitalis est planta, *radice* nixa crassiusculâ, candidâ, paucis fibris donatâ. *Cauliculos* surrigit pedales, cubitales, altiores, teretes, canâ & mollicellâ lanugine pubescentes, in ramos longos divaricatos: *Folia* inferna Erysimi vulg. profundis laciniis divisa; superna angustiora, *sagittæ minoris* instar alata, paucis aut nullis laciniis dissecta. Per cauliculorum extrema ex pediculis *flores* prodeunt lutei, quadrifolii, Erysimi prædicti floribus majores: quibus *siliquæ* etiam longiores succedunt, trientales ferè, angustæ, teretes, caulibus non appressæ, *semen* continentes exiguum, fuscum, acre.

Locus. In Austria secus vias observatum & lectum est ab Agerio.

8. *Sinapi, potiùs Erysimum, Genevense sylvestre* J. B.

J. B.

Huic ex *radice* simplici, alba, lignescente multi statim exoriuntur *caules*, propter terram nonnihil hirsuti, ramosi: per quos *folia* Erucæ similia, divisurâ non minùs frequenti dissecta, verùm latitudine Monspessulano majori [proxime describendo] cedentia, divisurâ etiam diversâ; licet *flores* Monspessulani floribus sint majores: *Siliquæ* ex pediculo mediocriter longo graciles, tres uncias longæ, *semen* bipatentibus valvis claudens minutissimum, ruffum.

Locus. In alveo fluvii Arvæ prope Genevam copiosè exit.

* 9. *Erysimum Monspessulanum Sinapeos foliis. Sinapi sylvestre Monspessulanum, lato folio, flosculo luteo minimo, siliquâ longissima* J. B.

J. B.

Per hujus *caules*, sesquicubitales ferè, nonnihil striatos, teretes ferè & solidos *folia* conspiciuntur Dentis leonis foliis respondentia, tum magnitudine, tum laciniatâ divisurâ, glabra, aut nullis certè effatu dignis pilis donata, odore & sapore acri prædita: *Flores* lutei parvi: *Siliquæ* dein oriuntur densissimæ & longissimæ, admodum acri *semine* refertæ.

Locus. Floret & siliquas fert mense Martio circa Monspelium locis siccis.

A. 10. *Erysimum Sophia dictum.*

Sophia Chirurgorum Ger. Park. *Nasturtium sylvestre tenuissimè divisum* C. B. *Seriphium Germanicum sive Sophia quibusdam* J. B. **Flixweed.**

J. B.

Alta est cubitum aut sesquicubitum, compluribus *ramis* fruticans, duris, lignosis, in multas alas divisis, teretibus, subhirsutis. *Folia* tenuiter incisa Absinthii Pontici Officinis dicti, sapore oleraceo, levi acrimoniâ prædita: *Flosculi* crebri, parvi, luteoli: quibus succedunt *siliquæ* unciam circiter longæ, fili instar tenues, seminum loculos foris ostentantes: ipsum verò *semen* minutum, ruffum. *Radix* alba.

Locus. In veteribus maceriis, locis ruderatis, lapidosis, ac non rarò arenosis, ac aliis incultis exit, ubi semel nata singulis facilè recurrit annis, ut rectè J. Bauhinus. A Junio in Autumnum usque & quidem particulatim floret.

Vires. Præstans habetur remedium ad Diarrhœas ℨj semin. Sophiæ Chirurgorum. Nec semen tantùm verùm etiam herba ventris fluores sistit, adversus dysenterias commendatur, & sanguinis profluvia reprimit. Ad vulnera & ulcera sordida ac maligna valere dicitur [in emplastris.]

In agro Eboracensi semen hujus plantæ exhibetur in affectibus nephriticis & calculosis, nec sine successu. *D. Tancredus Robinson.*

11. *Erysimum*

11. *Erysimum Germanicum Trinciatellæ folio.*

Foliis est ad radicem multis, oblongis, angustis, ad margines utrinque raris hinc indè extantibus laciniolis, seu dentibus donatis, Trinciatellæ Cordi foliorum æmulis, subtus saltem hirsutis. *Cauliculi* semipedales consimilibus *foliis* sed multò minoribus cincti. *Flores* satis ampli lutei: *Siliquæ* longæ, graciles.

Hæc ex sicca à *D. Phil. Skippon* asservata, nam virentem ob festinationem describere non licuit.

Locus. In arenosis & umbrosis propè *Rot* oppidum & inter *Donavert* & *Weissenberg* in Franconia Germaniæ invenimus.

* 12. *Erysimum latifolium foliorum laciniis triangularibus. Eruca latifolia* C. B. Park. *An Eruca tertia Anglica* Cam. hort?

C. B. prod.

Caule est cubitum excedente, albo, crasso, striato, ramoso; *foliis* glabris, pallidè virentibus, ad radicem pedalibus, profundis incisuris laciniatis, per quorum medium nervus latus excurrit, quem utrinque foliorum laciniæ biunciales, alarum instar, triangulares, corrosæ, figuræ diversæ, supernè & infernè continuæ cingunt; quæ verò in caule breviora sunt, & horum quædam Erucæ vulgaris foliis similia, suprema verò angusta & parùm sinuata. In caulis summo *flores* satis magni, aurei; staminibus plurimis donati; quibus *siliquæ* oblongæ strictissimæ succedunt.

Erucæ nomine in horto C. Bauhini sata est.

* 13. *Erysimum fruticosum Indicum Tanaceti folio. Eruca Indica Tanaceti folio* Zanoni.

Folia profert multa, per terram strata, viridia, Tanaceti foliis quoad dispositionem & divisuram haud dissimilia: ex quorum gremio exit *caulis* sesquipedalis, qui sursum versùs in multos ramusculos finditur, inque horum cymis proveniunt *flosculi* multi, *flavi*, quibus pereuntibus singulis superveniunt singulæ *siliquæ* biunciales, bivalves, spicatim longis petiolis cauli adhærentes. Tota planta gustui calida & acris est.

Tempus & Locus. Floret versùs Augusti mensis finem, Septembri exeunte semen maturat [in Italia scilicet.]

* 14. *Erysimum Dioscoridis* Zanoni, *Erysimi annui Cretici nomine missum.*

Zan.

E radicis capite cespitem foliorum exerit, longis & subrotundis pediculis annexorum, maculis sanguineis, per æstatem evanescentibus, hic illic aspersis. Sunt autem folia ipsa laciniata, duos circiter digitos transversos lata, palmo subinde longiora, in apicem deorsum reflexum desinentia, tenera & succulenta, supernè viridia, subtus pallida, Erucæ sylvestri similia. E foliosi cespitis supradicti medio exurgit caulis, ramosus, medullâ viridi plenus, succulentus, frangi contumax, lævis & nonnihil splendens, colore viridi dilutiore, ad nodos ubi folia adnectantur maculosus guttulis sanguineis, crebris geniculis præcipuè versus radicem, distinctus, è quorum singulis singulæ enascuntur folia, & è foliorum sinubus ramuli, foliis consimilibus verum minoribus & magis incisis amicti. Circa finem Aprilis in summis caulibus & ramis apparent florum umbellæ seu noduli, qui explicati florem flavum ostendunt cum apicibus concoloribus: quibus decidentibus succedunt siliquæ corniculatæ Fœnugræci figurâ, verùm angustiores multò & tenuiores. Umbella floribus sese paullatim explicantibus in spicam longam excrescit siliquarum paululum compressarum, unciali circiter longitudine aut majore, per maturitatem seminibus protuberantibus repletarum. Circa finem Augusti siliquis dehiscentibus excidunt *semina*, flava, lucida, oblonga, Nasturtii seminibus similia. *Radix* longa, alba, nodosa, tactu aspera, summa parte unciam dimidiam crassa, mediâ tenuior, lenta & obsequiosa odore valido, acuto, sapore subamaro & subacri: folia minus acria & amara sunt; semina acriora, & mordacia Sinapeos in modum.

* 15. *Eruca maxima Canadensis* Cornuti.

Cornut.

Inter dendrolachana hæc Eruca numerari potest, siquidem hominis proceritatem implet: potissimùm quando radix ejus, quæ fibris albis constat, lætiori solo cohæret. Sylvestres enim plantæ, quo levi magis & subactâ terrâ differuntur eò majus incrementum capiunt. Numerosis *caulibus* adolescit, rotundis, & tomento quodam asperiore vestitis, quos undique *folia* exornant uti Lysimachiæ, longa, acuta, in ambitu crenis inæqualibus serrata, tenui lanugine obsita; gustu subacido initio, tandem subacri. *Flosculi* in cymis mira fœcunditate luxuriant, Junio ac Julio mensibus. Lutei sunt illi, quatuor foliis constantes, in quorum medio staminula *quatuor* & pistillum hæret, quod collapso postmodum flore in siliquam efformatur longiusculam, rectam & seminibus turgentem exiguis, sapore dulcibus, maturis Augusto, Septembri deciduis.

* 16. *Erysi-*

* 16. *Erysimum alterum siliquis Erucæ* C. B. Park.

Tab.

Duobus tribúsve *caulibus* assurgit, obscurè viridibus, Erysimi vulgaris nonnihil similibus, minùs ramosis, *foliis* undique obsitis, amplis, obscurè itidem virentibus, in tres, quatuórve lacinias æqualibus ferè incisuris sectis, extrema parte latiore, circa margines inæqualiter sinuatâ seu dentatâ: *flores* parvi, lutei, quàm illius tamen majores, spicis brevioribus, nec *siliquis* adeò arctè cauli appressis, neq; adeò angustis aut tenuibus, sed brevioribus, Erucæ *Radix* minus longa, magis fibrosa, annua. Nobis incognita est.

CAP. XX.

De Cardamine.

CArdamine indè dicta est quòd gustu Cardamum, id est, Nasturtium repræsentet.

Cardamines autem nomine nobis censentur plantæ flore tetrapetalo albo, siliquis angustis seu tenuibus valvulis per maturitatem revolutis dissilientibus & semina cum impetu ejaculantibus, foliis in plerisque speciebus pinnatis.

Nasturtii aquatici siliquæ (quantum meminimus) siliquæ non dissiliunt, quo à reliquis hujus generis differt.

A. 1. *Nasturtium aquaticum amarum* Park. *aquat.* 2. *sive majus & amarum, item* 3. *sive aquat. erectum folio longiore* C. B. *Sium Matthioli & Italorum* Ger. *Sisymbrium Cardamine, sive Nasturtium aquat. flore majore elatius* J. B. **Bitter Cresses.**

Caules habet cubitales & altiores, in opacis ferè infirmos & teneros, in apricis firmiores, versùs superiora canaliculatos, *foliis* stipatos ex intervallis alternatim nascentibus, odore & sapore Nasturtii vulgaris, nonnihil amaricante, tribus plerunque pinnarum conjugationibus compositis cum impari in extremo folio. Sunt autem pinnulæ seu segmenta singularia oblonga & sinuata, infima verò ubi primùm prodeunt rotundiora. Propè summitatem caulis ramuli aliquot è foliorum sinubus exeunt, in quorum extremis *flores* simul multi, ut in Cardamine vulgari, & eadem ferè magnitudine, tetrapetali, petalis subrotundis, minimè bifidis, albi, cum staminibus in medio sex apices purpureos sustinentibus, pediculis tenuibus uncialibus insidentes: quibus succedunt *siliquæ* sescunciales tenues, quæ per maturitatem extremo tactæ dissiliunt, *seminibus* parvis rufescentibus repletæ.

Locus. In palustribus & aquosis provenit. Vere floret. Quod Nasturtium aquaticum II. & III. *C. B.* ad idem caput reduco, in eo Joannem ejus fratrem sequor, qui non præter rationem id facere mihi videtur.

A. 2. *Cardamine* Ger. *Nasturtium pratense majus, sive Cardamine latifolia* Park. *Nast. prat.* I. *sive pratense magno flore* C. B. *Iberis Fuchsii, sive Nasturtium prat. sylvestre* J. B. **Ladies Smock, or Cuckow-flower.**

E *radice* satis crassa, alba, multísque fibris tenuibus capillata, vivaci, *caules* profert, rariùs plures, plerumque unicum, dodrantalem, rectum, reretem, firmum, glabrum & quasi contortum, juxta terram rubentem, qui in ramos dividitur, in quorum summitate *flores* simul multi, ex albo purpurascentes, ampli & speciosi, quatuor foliis obtusis venosis constantes, in quorum medio *stamina* lutea sena cum stylo, pediculis uncialibus insidentes; quibus succedunt *siliquæ* atro-purpureæ, sesquidigitales ferè, aut certè digito longiores, erectæ, rigidæ, nonnihil compressæ, membranâ intergerinâ secundum longitudinem in duo loculamenta divisæ, duplicem *seminum* seriem exiguorum, longiusculorum, è viridi luteorum continentes. Siliquæ hæ per maturitatem levi tactu valvis se convolventibus dissiliunt, & cum impetu semen ejaculantur ad modum Persicariæ siliquosæ aut Cardamines impatientis dictæ. Folia duûm sunt generum, inferiora enim per terram sparguntur, ex longis & tenuibus pediculis in quatuor quinque aut sex foliola rotunda divisa, ad costam per intervalla adhærentia [plerunque bina sibi invicem respondent, ut folia alata videantur, & quatuor aut quinque segmentorum conjugationibus cum impari in extremo composita] superiùs brevi lanugine hirsuta, inferiùs glabra. Superiora verò quæ in caule sunt, quaterna aut quina per intervalla, sine pediculis singulatim cauli adnexa, glabra, in tenues portiunculas pinnásve conjugatim ad sex interdum septémve, paria mediæ costæ adhærentes divisæ, cum impari in extremo. Sapore est tota Nasturtii aquatici.

Locus. Ad rivulos & in pratis passim Aprili & Maio mensibus floret.

Altera species. Aliam speciem habet C. Bauhinus quam Nasturtium pratense parvo flore vocat. Parkinsonus Cardaminem minorem laciniatis foliis.

* Cardamine

* *Cardamine odorata granulosa* Park. *Nasturtium pratense odoratum, radice granulis tuberosa* C. B.

Præcipua inter hanc & præcedentem plantam [Nasturtium pratense parvo flore *C. B.*] consistit 1. in Radicibus quæ plurima tubercula granulosa fibris intermixta obtinent, 2. in Floribus, qui quàm illius aut cujusvis alterius Cardamines odoratiores sunt.

* *Nasturtium pratense rotundifolium minuto flore* C. B. *Sisymbrii alterius seu Nasturtii aquatici tertiæ species* Thal.

De hoc consule Thalium.

* 3. *Sio minimo Prosperi Alpini affinis siliquis latis* Bocconi.

Bocc.

Cauliculi huic sunt tenues, geniculati & ramosi: *Folia* exigua, per marginem, uti Fumariæ, divisa: *Flores* in ramulorum fastigiis pauci, subeuntibus *siliquis* planis, latis, in mucronem desinentibus, è quibus vel levi tactu quatuor aut quinque *semina* compressa ac penè quadrata exiliunt. *Radix* tenuibus fibris constat.

Nascitur in *Madonia* monte Siciliæ, Veteribus Nebrode dicto. *Locus.*

A. 4. *Cardamine impatiens vulgò Sium minus impatiens* Ger. *S. minimum* Noli me tangere *dictum, sive impatiens Nasturtii sylvestris folio* Park. *Sisymbrii Cardamines species quædam insipida* J. B. **Impatient Ladies-Smock.**

Radice nititur alba, simplici, surculo uno vel altero & fibrillis paucis capillaribus donatâ, sapore Nasturtii remissiore. *Folia* ad radicem pauca, pallidè viridia, mollicella, quinque aut sex pinnularum medio nervo annexarum conjugationibus composita. Sunt autem pinnulæ singulæ eodem ferè modo incisæ quo Nasturtii amari dicti. *Caulis* simplex, cubitalis, ramosus, inferius purpurascens; satis firmus & erectus, striatus, glaber, *foliis* per intervalla vestitus crebris, alternatim positis, eodem modo divisis quo inferiora, verùm segmentis longioribus & acutioribus, sapore Nasturtii remisso & vix perceptibili. In summitatibus caulis & ramorum, *flores* eodem situ quo in reliquis hujus generis albi, perexigui, tetrapetali, quibus succedunt *siliquæ* tenues, erectæ, digitales, quæ per maturitatem, si extremo tangantur, cum impetu dissiliunt, & *semen* ejaculantur parvum, fulvum.

In plantis vegetis & lætioribus folia latiora sunt, & ad Nasturtii amari folia proximè accedunt, in reliquis Erucæ aquaticæ minoris folia ferè imitantur.

Inter saxa sub rupibus propè vicum *Wherf* dictum tribus circiter milliaribus ab oppido *Settle* distantem versùs montem *Ingleborough*, in Comitatûs Eboracensis parte Septentrionali, oritur. *Locus.*

Considerata paulo attentiùs plantæ quam proposuimus descriptione à nobis inventæ & observatæ in loco prædicto, suspicamur eam diversam esse à Cardamine impatiente seu Sio minimo *Alpini* cujus idcirco descriptionem subjiciemus.

Cardamine impatiens. Autumno exit è semine deciduo, foliola in orbem spargens pinnata, unciâ non multò longiora, quæ per hyemem durant, vere autem novo augentur & aliquanto majora evadunt, Erucæ palustris æmula, verùm minora, pinnulis circa margines duabus tribúsve crenis profundiùs incisis. E foliorum centro exsurgit caulis tenuis, pedalis aut etiam altior, multis alis divisus, in quibus ut & in summo caule *flosculi* parvi, albi, alii supra alios paulatim se aperientes, quos excipiunt *siliquæ* longæ, graciles, seminibus minutis ex albido luteis repletæ, quæ vel leviter tactæ actutum ejaculantur: imò quod longè mirabilius videtur, etsi siliquas non tetigeris, si tamen manum velut tacturus proximè admoveas, semina in appropinquantem evibrabunt; quod tum Morisonus se sæpius expertum scribit, tum Johnsonus apud Gerardum verum esse affirmat; quod tamen mihi vix persuaserint.

Hanc plantam Cantabrigiæ olim in hortulo nostro coluimus, postea in rupibus quibusdam udis propè Rhenum in Germania invenimus spontaneam. Folia autem minora ei sunt quàm Nasturtio nobis descripto & omnino glabra: nostrum ergo fortasse idem est Nasturtio aquatico Italico *Park.* seu aquat. erecto folio longiore *C. B.* Sio Matthioli & Italorum *Lob.* quod Gerardus & alii pro Nasturtio aquatico amaro habent: vel species quædam nondum descripta. An Cardamine Alpina media *Clus?* i. e. 13. nobis.

Eandem (puto) æstate præterita Anni 1685. invenimus non procul Halstedio oppidulo, via quæ Londinum ducit in fossa ad viæ latus ubi aqua scaturit, cujus folia infima quæ è radice exeunt nonnihil aspera seu pilis brevibus hirsuta sunt.

A. 5. *Cardamine impatiens altera hirsutior. Sisymbrium Cardamine hirsutum minus flore albo* J. B. **The lesser Cuckow-flower, or Ladies Smock.** *Nasturtium aquat.* IV. *sive aquat. minus* C. B.

Radix ei alba, simplex, surculosa. *Folia* per ambitum spargit Nasturtio pratensi similia sed minora, nonnihil hirsuta, tribus plerunque conjugationibus eidem costæ adnexis composita cum impari in extremo folio segmento, odore & sapore Nasturtii hortensis sed remissiore. *Caules* surrigit plures palmares aut dodrantales, uno vel altero folio donatos, ramosos, in summitate *flores* gestantes perexiguos, albos, quadrifolios, petalis minimè bifidis; quibus succedunt *siliquæ* unciales aut tantillo longiores, angustæ, pediculis longiusculis insidentes, bivalves, membranâ intergerinâ duplicem seminum

ſeminum ſeriem diſterminante diſſeptæ, quæ per maturitatem extremo tactæ cum impetu diſſiliunt, & ſemen undique ſpargunt. *Semina* parva, rotunda, nonnihil compreſſa, & ſubruffa.

Locus & Tempus. Floret Aprili & nonnunquam etiam Martio: nec in udis tantùm & umbroſis, ſed & hortenſibus provenit. Ad acetaria utuntur plurimi etiam apud nos.

A præcedente differt ſapore acriore; foliis hirſutioribus, mollioribus, ſordidiùs virentibus, paucioribus ad mediam coſtam pinnulis & minùs concinnis adnexis.

Si hæc ſit Siſymbrii alterius ſive Naſturtii aquat. tertia ſpecies *Thal.* quod conſiderandum proponit J. Bauhinus; itémque Cardamine ſive alterum Siſymbrium Dioſcoridis *Lob.* ut idem dubitat, C. Bauhinus in *Pin.* tres ex ea ſpecies facit, ut examinanti patebit.

Naſturtium aquaticum minus *C. B. Park.* Cardamines ſpecies eſſe videtur & præcedenti eadem, ut ibi monuimus. Hinc quatuor ex una ſpecies facit C. Bauhinus.

A. 6. *Naſturtium aquaticum vulgare* Park. *aquaticum ſupinum* C. B. *aquat. ſive Cratevæ Sium* Ger. *Siſymbrium Cardamine ſive Naſturtium aquaticum* J. B. **Water-creſſes.**

Radicis vicem ſupplent capillares fibræ candidæ, quas intra aquas è geniculis demittit. *Caules* oblongi, procidui ferè, ſatis craſſi, concavi, ſtriati, glabri, ramoſi, ex viridi nonnihil rubentes. *Folia* viridia & atrovirentia, Erucæ facie, è duabus tribuſve pinnarum conjugationibus compoſita, cum impari in extremo, glabra, ſapore Naſturtii hortenſis mitiore. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis parvi, albi, quadrifolii, apicibus in medio luteis, qui quoniam ſenſim aperiuntur, in longas velut ſpicas procurrunt. Succedunt *ſiliquæ* in pediculis ſemuncialibus unciales ferè, à caule extantes, ſurſum nonnihil incurvæ, bene habitæ, duobus ſeminum exiguorum fulvorum ordinibus repletæ.

Locus. In aquis vadoſis circa piſcinas & rivulos frequens Julio & Auguſto præcipuè menſibus apud nos in Anglia floret, interdum etiam maturiùs.

Uſus. In acetariis utuntur, & juſcula ad ſanguinem purgandum verno tempore ex eo conficiunt noſtrates.

Naſturtium aquaticum ſpecificum contra Scorbutum medicamentum cenſetur: ad calculum etiam valere creditur: urinam ciet, menſes educit, hydropicos juvat.

Septentrionales, (ut verè Lobelius) in quadrageno veris jejunio multum in acetariis vorant ad ſanguinem purgandum; ac potionibus ad calculum admiſcent, nec malè cedit; juſculis etiam incoquunt.

Viribus cum Naſturtio hortenſi convenit, ut plura addere non ſit opus.

Hoc modo Sennertus ſpiritum Naſturtii aquatici comparavit:

℞ magnam copiam Naſturtii aquat. contunde in mortario marmoreo: exprime manibus ſuccum, in quo portio aliqua fermenti ſolvatur, ut ſuccus conſiſtentiam ſapæ dilutioris acquirat. Ex hoc ſucco & Naſturtio manibus expreſſo, ſeu glebis aut pilis Naſturtii fiat quaſi SSS. Pinſentur omnia fortiter manibus aut piſtillo, reponantur in convenientem locum per octiduum: deinde l. a. per B. deſtilletur ſpiritus. Doſis C. j. aut ij. hybernis menſibus Scorbuto laborantibus. Ad hunc modum ſp. Chelidon. Becabung. Cochlear. Trif. fibrini elici poteſt. *Sim. Paullus.* Ex notis Cl. Viri *D. Edv. Hulſii.*

Modus præparandi ſalem volatilem è Naſturtio aquatico, Cochlearia, &c. extat Ephemer. German. An. 6. & 7. Ex obſervatione D. Below. Obſer. 21.

* 7. *Naſturtium Alpinum paluſtre rotundifolium* Zanoni. *An Naſturtium montanum Aſari folio* Bocconi?

Zan.

Radice conſtat rotundâ, durâ, tuberoſâ, aſperâ, exteriùs ſubrubente, multis fibris ſcatente, cortice ablatu contumace tectâ, quæ major & viridis ſurſum versùs pennam anſerinam magnitudine excedit, at deorſum verſus minor & fibroſa albeſcit. *Folia* indè proveniunt ſubrotunda, paululum ſinuata, in margine parùm crenata aut dentata, ſpiſſa, membranea, lævia, modicùm lucida, præcipuè prima è terra exeuntia, quæ multis ſcatent nervulis à pediculi centro in circumferentiam decurrentibus, quæ innituntur petiolo ſtriato, ruptu facili, relicto intus filamento nervoſo: ex meditullio horum foliorum à radice ortorum protruditur *caulis* dodrantalis, ſucci plenus, terram versùs viridis; cui alternatim ad ſingulas alas adhærent *folia*, ſimiliter rotunda, ſed multò minora. In ſummis caulibus & ramulis pullulant menſe Maio plurimi *flores* albi: quos ſequuntur *ſiliquæ* breves, bivalves, tenues, ab initio virides, at exſiccatæ colorem mutant: Aperiuntur Julio, & ſi tangantur illico ſemina per terram ſpargunt, imperfectè rotunda, flava, lucida, fervidíq; guſtûs; ut aliorum congenerum.

Locus. Reperitur in loco aperto ubi paſcuntur pecora in territorio Mutinenſi, propè fontem jugem aquæ limpidæ & frigidiſſimæ, qui ab indigenis paſtoribus *Baccara* appellatur.

Huic nobis idem eſſe videtur

Naſturtium montanum Aſari folio Bocconi; *quod ſic deſcribit.*

Bocc.

Foliis eſt rotundis, Aſaro ſimilibus, ambitu nonnihil ſinuatis: *Flos* albus: *Siliquæ* longæ innumeræ, quæ maturæ ad leviſſimum tactum diſſiliunt. *Radix* ſubeſt craſſa, cava, nodoſa, ſerpens aut repens, tenuibus fibris ſubinde ad nodos enatis terræ ſe affigens. Perpetuum eſt, & quibuſdam Cochlearia Italica dici meruit.

Locus. Circa fontes & rivulorum margines montis *Bargæ* in Hetruria crebrò naſcitur.

* 8. *Car-*

• 8. *Cardamine Alpina minor Resedæ foliis* Park. *Nasturtium Alpinum minus Resedæ foliis* C. B.

C. B. prod.

Ex *radice* alba, tenui & oblonga *cauliculi* læves, tenues & recurvi, communiter indivisi, palmóq; minores prodeunt: *foliis* longis pediculis, instar Resedæ vulgaris, prædictis, in lobos tres vel quatuor subrotundos divisis: *flores* in cauliculorum summis albi, mediocris magnitudinis, quibus *siliquæ* strictissimæ, sesquiunciales succedunt.

In Rhætorum Alpibus Julio florens reperitur, inque Helvetiorum Alpibus & Pyrenæis minus. *Locus.*

• 9. *Nasturtium Alpinum Bellidis folio majus* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex radice *caulis* cubitalis, rotundus, lævis, ad exortum statim divisus prodit. *Folia* habet tenuissima Bellidis formâ, uncias quatuor longa; quæ verò in caule sunt pediculis carent, & instar Thlaspi vulgaris lato semine, leviter sinuata, eum ambiunt. *Flores* albi in caulis summo, quasi in spica, uncias sex longa; quibus *siliquæ* triunciales, angustæ, *semine* rufescente, rotundo, plano refertæ succedunt.

Circa Fabarias thermas ad aquæ defluxum. *Locus.*

A. 10. *Nasturtium Alpinum Bellidis folio minus* C. B. *Sinapi pumilum Alpinum folio Bellidis Clusio* J. B. *Cardamine pumila Bellidis folio Alpina* Ger. emac. *Plantula Cardamines alterius æmula Clusii* Park.

Clus.

Sena aut septena humi secundùm radicem expansa habet foliola, Bellidis foliolis non dissimilia, teneriora tamen, & levi acrimonia prædita: è quorum medio tenellus & gracilis prodit *cauliculus*, raris foliolis septus, palmaris aut paullò altior, in cujus summo seni aut septeni erant flosculi [in planta Clusio descriptâ] albi, in quibusdam plantis totidem sine flore *siliquæ* sive cornicula, satis magna pro plantulæ ratione, duplici serie, quemadmodum in Cardamines alterius & similium corniculis, *semen* continentia exiguum, planum, rufescens, nonnullâ acrimoniâ præditum. *Radix* summâ tellure serpens nova germina subinde profert.

Observabat eam Clusius in Etscheriano jugo scopulis inhærentem. Eandem nuper in rupe S. Vincentii propè Bristolium in Anglia invenit *D. Jac. Newton.* *Locus.*

11. *Cardamine trifolia* Ger. *Alpina trifolia* Clus. Park. *Nasturtium Alpinum trifolium* C. B. *Iberidi Fuchsii affinis trifolia Cardamine* J. B.

Clus.

Nigricantibus ex purpura ramulis per terram serpit, in quibus oblongo ejusdem coloris pediculo terna perpetuò folia immittuntur, circa pediculum angustiora, per oras latiora & quasi orbiculata, in ambitu nonnihil crenata, initio tenella & viridia, deinde dura, nigricantia, acidulo primùm gustu, postea acri: *Cauliculi* teretes inter folia erumpunt, ex purpura nigricantes, palmares, nullis aut rarissimis (quæ terna etiam eisdem inhærent) foliis præditi. *Flores* extremis ramis insident candidi, Cardamines pratensis vulg. persimiles. His succedunt torosæ & oblongæ *siliquæ*, Dentariarum corniculis ferè similes sed minores, semine etiam minore, licèt simili, plenæ. *Radix* summa tellure serpit, & subinde parvulas candidásque fibras agit, sic ut facilè ramulis terrâ obsitis pangi possit.

Invenit Clusius in sylvosis montibus, nudo solo potiùs quàm herbido, ad Abietum & præaltarum arborum radices, tota etiam hyeme virentem. Floret Junio, in cultis verò etiam Aprili. *Locus.*

• 12. *Cardamine Alpina media* Clus. *Alpina media Clusii* Park. *Nasturtium Alpinum minus foliis in orbem sparsis* C. B.

Clus.

Folia habet elegantissimo ordine in orbem disposita, duarum ferè unciarum longitudine, profundioribus crenis incisa, & laciniata ut Nasturtii aquatici vulg. folia, hirsuta & aspera, supernè veluti cinereo colore aspersa, infernè autem viridiora, gustu initio aliquantulum acido, deinde acriusculo; ex quorum medio prodit *cauliculus*, dodrantalis, tenuis, albos flosculos in summis ramulis ferens, deinde cornicula teretia, parva: Semen observare non licuit. *Radix* longiuscula est, alba, quibusdam fibris capillata.

Nascitur in Stiriæ inferioris scopulis ad cœnobium *Newberg*, quod Alpium ejus provinciæ jugo ipsi imminenti nomen imposuit. Florebat Augusto. *Locus.*

• 13. *Nasturtium foliis Barbareæ* C. B. Park.

C. B. prod.

Radice est parvâ, capillaceâ, albicante; *cauliculis* pluribus, tenuissimis, fragilibus, reflexis, nonnihil villosis, nonnunquam in alas divisis, semipalmaribus, palmaribus, & nonnullis cubitalibus: *foliis* ad radicem pluribus, parvis, tenuissimis, viridibus, foliorum Barbareæ modo, sed minùs frequenter sinuatis: quæ in cauliculis rariora sunt & quædam minimè sinuata. *Flosculis* est minimis, albis; *siliquis* oblongiusculis & strictissimis.

In finibus Bohemiæ versus Austriam collectum est. *Locus.*

* 14. *Cardamine Alpina insipida* Col. Park. *Nasturtium Alpinum insipidum* C. B.

Col.

Radice est admodum tenui, brevi, nullis prædita fibris: *Foliola* habet pollicari longitudine, incisuris Chondrillæ, aut Sinapis echinati, verùm aspera & hirsuta, sicuti & *caulis*, qui tenuis, dodrantalis, in summo ramis aliquot divisus, alternatim *siliquas* in longis petiolis elatas profert, & exiles admodum, digitali longitudine, & magnas respectu plantæ, in quibus *semen* minutum, vel ut punctum siliquæ inscriptum. *Flores* in summo plures, parvi, Napacei, albi.

Locus. F. Gregorius supra pontem quendam hanc reperit inter *Rosennahim* & *Abling.* arenoso aliquantulum loco, quam recentem suo gustui insipidam & inodoram cognovit.

* 15. *Sinapi agreste flore purpureo* J. B. *Sinapi umbellâ purpureâ* C. B. *agreste Neapolitanum* Park. *Sin. alterum agreste nostras* Col.

Col.

Radice firmatur parvâ, tenui, fibrosa, parùm altè in terram descendente, albidâ: ex qua *folia* exeunt Chelidonii majoris incisurâ, distant quod nec succum luteum edunt, nec cæsia, sed viridia sunt, asperâ hirsutie obsita, atque extremum folium non retusum ut Chelidonia sed acutum habent, atque minora sunt: *Caulis* angulosus est, atque alis multis dividitur: *Flores* edit purpureos, umbellatos, Chelidonio pares: *siliquas* postea alternatim frequentérque hærentes, rectas, quarum extremæ partes cœlum versùs tendunt, quibus spica confici videtur siliquarum duorum digitorum, quæ cùm exsiccari incipiunt flavescunt, atque vento flante vel aliquo illas tangente disrumpuntur ab imo, atque *semina* ejaculantur flava Cardamines modo, parva, gustu acri, sicut etiam folia.

Locus & Tempus. In agro Neapolitano oritur, in valle supra ædem S. Mariæ vitæ inter rubos, cynocramben, &c. Floret Martio & Aprili.

CAP. XXI.

De Rhaphano sylvestri cum siliquis curtis.

A. 1. *Raphanus rusticanus* Ger. Park. C. B. *sylvestris sive Armoracia multis* J. B. **Horse-Radish.**

R*Adix* crassa, surculosa, repens, sapore fervidissimo: *Caules* singulares, bicubitales, concavi, striati, recti & rigidi: *Folia* inferiora antequam caulem proferat ampla, Lapathi, rugosa; ubi caulem autem profert, in eo folia palmum longa unciali latitudine aut paulo majore, in ambitu profundè satis serrata, gustu minùs fervido quàm radix, ex quorum alis surculi tenues prodeuntes *flores* sustinent positu & formâ Nasturtii palustris cum apicibus luteis. Succedunt siliculæ parvæ, breves pro plantæ magnitudine.

Locus. Gaudet solo humido. Copiosum observavimus sponte natum in fossis & ad rivulos in Northumbria circa Alnevicum & alibi. D. Martinus Lister ad ripas rivuli Skiptonensis & alibi in *Bolland* in ea Eboracensis comitatûs parte quæ *Craven* dicitur.

Vires. Easdem cum Rhaphano sativo facultates obtinet, sed fortiores. In condimentis appetitum facit, at caput lædit. Urinam & arenulas violenter pellit. Commendatur & ad tussim & phthisin. Specificè scorbuticis prodest. Ciet vomitum si succus vel infusio in aceto cum melle tepida assumatur & aqua superbibatur. *Schrod.*

Hujusce radices in aqua priùs maceratas ad acrimoniam tollendam Lemovicensis plebs oleo conditas esitat, tum fresas, tum elixas, tum aliis modis præparatas. *Le Jardinier François.*

Raphani rusticani vires in calculo ab experimentis deprædicat Tho. Bartholinus, Act. Med. An. 1676. Observ. 38, 39. Affirmat succum Rhaphani resolvisse calculosam substantiam è corpore humano exemptam. E collectan. D. *Tancr. Robinson.*

Radix Armoraciæ meritò commendatur à Gabelcofero Centur. 1. Cap. 14. ad Anorexiam. *D. Hulse* ex Ettmulleri praxi.

A. 2. *Raphanus aquaticus* Ger. Park. *aquat. Tabernamontani* J. B. *aquat. foliis in profundas lacinias divisis* C. B. **Water Radish.**

Caules huic bicubitales aut altiores, striati, concavi subinde rubentes. *Folia* interdum profundè laciniata, aliàs integra & per margines duntaxat serrata, oblonga, acuminata, in caule alternatim posita. *Flores* in summitatibus caulis & ramorum pro plantæ ratione parvi, tetrapetali è calice quadrifolio, lutei, tenuibus & longiusculis pediculis insident; quibus succedunt *siliquæ* parvæ, breves, a caule extantes, & rectos ferè angulos cum illo efficientes.

Locus. In fossis lacustribus & fluviis sub finem Junii mensis & Julii initio floret.

Ego hanc plantam omnino specie eandem esse existimo ei quæ J. Bauhino describitur sub titulo Radiculæ sylvestris sive palustris, h. e. Rapistro aquatico Tabernæmontani. Confer descriptionem J. Bauhini cum ipsa planta. Proinde Raphanus aquaticus *Tab.* & ejusdem Rapistrum aquaticum non differunt specie.

Icon *Raphani aquatici* qui apud C. Bauhinum in *Prodr.* & alios extat, minimè convenit plantæ nobis hoc in loco descriptæ: sed alterius cujusdam speciei esse videtur. Lobelianam iconem non multum improbamus.

3. ***Raphanus aquaticus alter*** C.B. Park.

Moris.

Caulem emittit tripedalem, aliquando altiorem, in ramulos tenuiter divisum, glabriores multo cæterorum suæ familiâs, ad quorum genicula nascuntur folia costis asperis prædita, profundiùs sinuata, serrata versùs eorundem partem inferiorem.

In summis alis proveniunt flores albidi, tetrapetali, cum staminulis luteis in medio singulorum. *Radice* constat longâ flexili, fibris scatente.

Si detur hujusmodi Raphanus aquaticus flore albido aut purpurascente, qualis describitur à Parkinsono & Morisono, nobis certè incognitus est. Figura Raphani palustris alterius apud Parkinsonum & C. Bauhinum in prod. bene respondet Raphano aquatico priore in loco nobis descripto qui tamen flores luteos minimos profert, non albos aut purpurascentes, quod ego unquam viderim. J. Bauhinus Rapistrum aquaticum *Tab. Ger.* pro Radicula sua palustri cui flores luteos tribuit, habet, hoc est ut nos existimamus pro Rhaphano aquatico vulgari nostrate.

Duæ species esse videntur, altera folio in profundas lacinias diviso, quæ à C. Bauhino depicta est.

Altera folio plerunque integro, interdum ad pediculum laciniato, quæ apud nos vulgaris: utraque autem flore luteo.

LIBRI DECIMI SEXTI
SECTIO SECUNDA.
De Tetrapetalis siliculosis seu capsulatis.

Herbæ flore tetrapetalo capsulatæ seu siliculosæ sunt vel

- *Polyspermæ*, capsulâ
  - *Tumidiore & subrotundâ*, seminibus
    - *Rotundis* aut tumidioribus, flore
      - *Luteo*: MYAGRUM.
      - *Albo*: DRABA.
    - *Compressis.* LEUCOIUM *siliquâ subrotundâ*: duplex est spinosum & non spinosum.
  - *Tumidiore sed nonnihil compressâ*, foliis crassis & carnosis, subrotundis, flore albo, semine globoso, sapore salso & amaro, in maritimis plerunque nascens: COCHLEARIA.
  - *Compressiore* & *latiore*, sapore
    - *Acriore*, foliis plerunque
      - *Variè incisis*, odore acuto & nares torquente: NASTURTIUM.
      - *Integris* magnis, sapore & odore Piperis, radice reptatrice: LEPIDIUM *vulgare*, *Piperitis*.
    - *Minùs acri*, membranâ cellulas dissepiente ad planum siliquæ
      - *Parallelâ*: ALYSSON.
      - *Transversâ*: THLASPI, cujus varia genera, nimirum vel 1. Floribus & siliquis in longas spicas excurrentibus; vel 2. In umbellas dispositis. 3. Seminibus compressis, capsulis biscutatis, cujus generis *Leucoia biscutata* dici possunt; vel 4. Sapore fatuo: BURSA PASTORIS dicta.
- *Monospermæ*, foliis

Lævibus

Glaucis,

Maritima, flore albo, Brassicæ foliis & facie: BRASSICA *marina* monospermos.
Terrestres, flore luteo, 1. Foliis laciniatis, vasculo erecto, cauli appresso, tumidiore, per maturitatem albo: MYAGRUM *monospermon*. 2. Foliis integris, ad tingendum utilibus, siliquis compressis, latis, pendulis, per maturitatem nigris *Linguam avis* dictam referentibus: GLASTUM, *Isatis*, vel flore albo, foliis Glasti, capsulis rotundis: LEPIDIUM *glastifolium*.

Virentibus,

Erucæ facie maritima: ERUCA *marina*.
Myagri facie, capsulis rotundis: MYAGRO AFFINIS.
Nasturtii facie, capsulis verrucosis: Coronopus Ruellii.

Hirsutis aut asperis

Virentibus Rapistri facie: RAPISTRUM *monospermon*.
Incanis, Leucoii facie: LEUCOIUM *Siliculosum*, Lunaria peltata, &c.

CAP. I.

De Tetrapetalis siliculosis capsula tumidiore & subrotunda.

De Myagro.

MYAGRUM nomen accepit, quòd insidentes vel prætervolantes muscas lentore suo implicet & retineat, necnon captet.

Nos hoc in loco Myagrum habemus pro herba tetrapetala siliculosa capsulis tumidioribus, floribus luteis, seminibus oblongis aut subrotundis.

A. 1. *Myagrum* Ger. *sativum* C. B. *sylvestre seu Pseudomyagrum* Park. *item Myag. sativum* ejusdem. Gold of pleasure.

J. B.

Ex uno *caule* cubito altiore rami tenues, teretes, recti, subhirsuti, fungosâ medullâ farcti, ramosi prodeunt; quibus alternatim latiore basi adnascuntur *folia* Drabæ, oblonga, mollia, non aspera & Rubiæ cui Myagrum Dioscorides comparat, pallida, pinnis caulem amplectentia, leviter in ambitu serrata, sapore oleraceo. Ex pediculis satis longis *flores* pusilli, luteoli, quadrifolii; quorum singulis singula succedunt *pericarpia*, gigartis uvarum aliquatenus similia, turgidula, oblonga, cum quatuor angulis vel costis, *semina* continentia multa, oblonga, triangula, Nasturtio minora, coloris ferè Fœnugræci, sapore Nasturtii, quæ in ore retenta contrahunt mucilaginem quandam. *Radix* ubi adolevit lignosa nonnihil & fibrosa.

Locus. Inter segetes Lini non rarò invenitur.

Non est cur Parkinsonus Pseudomyagrum Matthioli à Sesamo Tragi diversam speciem faceret cùm C. Bauhinus qui in Phytop. & Matthiolo à se edito ea separaverat in Pinace iterum conjungat, & errorem illum emendet. Vide J. Bauhinum in hac planta, qui fratrem notat, quòd ea in Phyt. & Matth. distinxerat.

Aliquibus in locis (inquit C. Bauhinus) seritur olei causâ, & latioribus foliis est, multis locis sponte provenit, & hoc strigosius: hinc figurarum varietas, ut in Matthiolo nostro videre est.

2. *Myagrum sylvestre* C. B. *Myag. Turcicum* J. B.

Hoc longè tenerioribus virgulis quàm præcedens nascitur, sed culturâ fruticosior fit, [ait Camer.] semen minus in vasculis vegetioribus profert.

Quia rarius est Myagri Turcici nomen sortitur ab hortulanis.

3. *Myagrum fœtidum* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex radice *caules* cubitales, aliquando sesquicubitales, virides, crassi, rotundi & asperi exurgunt: quos *folia* pallidè virentia, subaspera, levissimè sinuata, quatuor vel quinque uncias longa, sesquiunciam lata, alternatim cingunt, qui in summo in alas breves dividuntur, quibus *flores* pallidè lutei, longis petiolis donati, veluti umbellæ, insident; hisque utriculi orbiculati minutum semen continentes succedunt.

Locus. In Alpibus Helvetiorum, ut monte Fracto & *Spligel* reperitur.

Cap. II.

De Draba.

DRabæ notam genericam faciam capsulas tumidas & subrotundas, flores albos.

1. *Draba vulgaris* Park. *Dioscoridis* Ger. *multis flore albo* J. B. *Draba umbellata, vel Draba major capitulis donata* C. B.

Vix cubitum superat Draba, *caule* tenui, rotundo, striato, firmo, ex *radice* lignosa surgente, candicante, tenui, longè latéque serpente & quibusdam fibris præditâ: quem *folia* alternatim basi suâ amplectuntur oblonga, unciam & sescunciam lata, sinuata ex viridi cineracea. Caulium fastigia in creberrimos abeunt surculos, & ipsos quoque foliosos: quibus umbellatim insident *flosculi* candidi; quibus delapsis *capsulæ* suboriuntur, corculum imitatæ, ex cono stylum exiguum promentes, quæ binis suis loculis totidem *semina* parva, russa continent.

In agrorum marginibus, in Germania, Italia, Gallia non infrequens est. Nulli ferè agrorum margines circa Viennam, totâque adeò inferiore Austria hâc plantâ non sunt obsiti (inquit Clusius) quæ subinde in ipsa etiam arva latè irrepit. Floret Maio & Junii initio: semen sub finem Junii maturum est. *Locus.*

2. *Draba foliis Barbareæ. Camelina Myagrum Aldrovando* J. B.

J. B.
Folia numerosa è radice exeunt, longo pediculo hærentia, repanda, principio subangusto, oblonga, laciniata, qualia ferè sunt Barbareæ, costâ insigni, pallidè virenti donata, à qua nervi saturatiore colore exeunt. *Caules* inter hæc prodeunt multi, pedales, teretes, ac crassi satis lentique, quibus *folia* præcedentibus ferè similia, sed superiùs nullo pediculo hærent.

Summitatibus *flosculi* insident candidissimi, tetrapetali, quales Scorodothlaspi, velut in umbellis dispositi. Succedunt vascula sublonga. *Radix* alba est, simplex, fibris tenuibus capillata. Odor foliorum herbidus, sicut & sapor, gratus tamen satis: radicis verò ad Nasturtii saporem quodammodo accedit, sed minùs acris, ac minùs palatum, & linguam vellicat.

Semen hujus ab Aldrovando acceptum in horto Monbelgardensi J. Bauhino succrevit.

* 3. *Draba minor cum orbicularibus capitulis* J. B. C. B. Park. *minor* Clus.

Clus.
Multa promit à summo radicis capite *foliola*, longis pediculis nixa, aliquantulum angulosa, villis quibusdam obsita; inter quæ gracilis exilit *cauliculus*, palmaris, paucis foliolis longioribus obsitus, qui à medio ferè ad summum orbicularibus capitellis onustus est, membranulâ in binas partes divisis, *semen* exile, fuscum continentibus. *Radix* pro plantæ exilitate satis crassa, paucissimis fibris donata. *Ægrè à nobis impetramus, ut hanc plantam Historiæ nostræ inseramus, cujus descriptio ex sicca planta desumpta est, eaque floribus carente.*

* 4. *Draba Chalepensis repens humilior, foliis minùs cinereis quasique viridibus* Moris.

Moris.
A Draba vulgari triplici nomine distinguitur: 1. Parvitate, est enim humilior: 2. Foliis minùs cinereis & quasi viridibus: 3. Pluribus siliculis, utrinque etiam tumidis, onerantur cauliculi, qui copiosè sic provenientes numerosiorem seminum copiam ad maturitatem facilè perducunt, cùm in Draba Arabum semina rariùs ad maturitatem perveniant, ob nimiam rependi licentiam.

Semine Chalepo misso orta est Oxonii. Floret cum prima specie.

5. *Thlaspi Alpinum minus, Nobis Draba Alpina minor, capitulo rotundo* C. B. Park. *petræum minus* Ger. *foliis Globulariæ affine, sive Alsinefolia cum Myagri foliis* J. B.

Ad Thlaspi Globulariæ folio accedere videtur, sed hoc quàm illa exilius. Nam & *radix* longa, crassa in plura capita divisa, & foliola numerosissima quibusdam albidis pilis obsita, quædam interdum sinuata, succulenta, crassiuscula & oblongiuscula, humi sparsa, atrovirentia: quibus præteritorum foliorum filamenta substrata. Ex quibus *surculi* emergunt palmares, aut etiam longiores teretes, glabri, per quos alternatim nascuntur folia, angusta, subpinguia, atrovirentia, ex ima parte coliculum amplectentia. In surculorum divisorùm cacuminibus *flosculi* quoque plurimi, lactei, dictæ plantulæ floribus similes; Sapore est acri.

In rupibus humidioribus montium Juræ & Salevæ propè Genevam invenimus. C. Bauhinus in monte Wasserfall collegit: J. Bauhinus in monte *Nombre* propè Burmium Rhætorum cum vasculis mense Junio, &c. *Locus.*

Descriptio C. Bauhini in Prod. meliùs convenit Plantæ nobis inventæ in rupibus Juræ & Salevæ, quam superiùs posita è J. Bauhini Hist. Siquidem Plantæ nobis observatæ caules tenues erant, & in

plures ramulos brachiati: *folia* ad radicem plura, brevia, acuta, leviter crenata, in caulibus pauca & angustiora: *Flosculi* in summo albicantes, oblongis pedicellis insidentes, &c.

* 6. *Thlaspi Alpinum majus* C.B. *Alp. majus capitulis rotundis* Park. *Nobis Draba Alpina major.*

Vix alia in re quàm partium omnium magnitudine à præcedente differre videtur. Fortè hoc est quod J. Bauhinus describit.

Sunt qui Thlaspi Alpinum petræum myagryodes *Ponæ* ab utroque hoc Thlaspi distinguunt.

* 7. *Draba tenuifolia* Park. *tenuifolia, velut spicata* C.B. *Drabæ species glabra* J.B.

C.B. prod.

Radice est oblonga, tenui, albicante: *caulibus* pedalibus, aliquando cubitum superantibus, fragilibus, brevibus, brachiatis: *foliis* paucis, tenuibus, pallidè virentibus, nonnihil in ambitu dentatis, triuncialibus, unciam latis, basi lata caulem cingentibus, alatis, gustu ferventi & acri præditis: floribus albis, parvis, in *cauliculis* palmaribus quasi in spica natis: quibus singulis *semen* rotundum parvum, longo pedicello insidens succedit. [J. Bauhino capsulæ parvæ flosculis succedunt.]

Uterque Bauhinus ab Agerio plantam hanc accepit siccam, in horto Bononiensi collectam.

CAP. III.

De Cochlearia.

COchlearia à foliorum forma modicè cava, parvum & non valdè profundum cochlear referente Recentioribus dicta: quam aliqui Telephium, alii Britannicam Plinii l. 25. c. 3. volunt (licet formâ & sapore Thlaspi & Nasturtiis affinis sit) eò quòd ei malo, quod Stomacacen & Scelotyrben vocant (Scorbutum esse volunt) auxilio esse Britannicam Plinius scripserit. *C.B.* Verùm Cochlearia Britannicæ descriptionibus quæ apud Veteres extant non respondet; proinde verisimilius videtur Hydrolapathum magnum Britannicam Plinii & aliorum esse, ut multis probare nititur Abrahamus Muntingius lib. de Britannica antiquorum vera.

Notæ Cochleariæ genericæ sunt Statura humilis, vascula modicè tumida, folia subrotunda, crassa, succulenta, semina globosa, locus maritimus.

A. 1. *Cochlearia* J.B. *rotundifolia* Ger. *major rotundifolia sive Batavorum* Park. *folio subrotundo* C.B. **Common round-leaved Scurvy-Grass or Garden Scurvy-Grass.**

J.B.

Cochleariæ *radix* subest crassiuscula, recta, cui adnatæ fibræ aliquot longæ, albæ, tenuissimis capillamentis comatæ: à qua statim oriuntur *folia* multa, pediculis secundum terram purpurantibus, palmum longis, crassa, succulenta, modicè in Cochlearis ferè modum cava, saturato virore prædita, supina parte profundo nervorum discursu sulcata, rotunda, alias angulosa: at quæ in caulibus nascuntur magis sunt laciniata, longioráque & sine pediculis, geminâ alâ caulem amplectentia. *Caules* à radice plures, angulosi, in apricis subpurpurei, alias virides, solidi, ramosi, infirmi & vix se sustinentes, dodrantales & longiores. *Flores* multi, candidi, quadrifolii, petalis angustis extremis subrotundis, minimè bifidis, cum sex circiter in medio staminulis luteis, pediculis semuncialibus à caule extantibus. *Capsulæ* seminales turgidulæ binis loculamentis constant, in quorum singulis tria aut quatuor plerunque semina parva, rotunda, russa, continentur. Totius plantæ sapor cum amarore quodam acris, Nasturtium resipiens, sicut & odor.

Locus. Ad litus maris sponte oritur variis in locis circa Angliam, præsertim in Cumberlandia & Lancastria, in ipsis etiam scopulis è saxorum fissuris & petrarum rimis exit: quin & procul à mari ad latera montium, secus rivulos aquarum ibidem defluentium observavimus plurimam v.g. in Montibus *Penigent, Ingleborough, Stanemore, Castleton, &c.* Hujus autem quæ in montibus oritur folia multò minora sunt & rotundiora planioráq; quàm maritimæ & Cotyledonis foliis similia: Verum in hortos translata faciem mutat planta & maritimæ magnitudinem assequitur.

Vires. Cochlearia acris est & calida, sale volatili abundat, unde fixos & crassos humores spirituales ac volatiles reddit. Morbis illis medetur qui à sale fixo nimis copioso originem ducunt; inprimis verò Scorbuto, cujus peculiare aut proprium seu specificum (ut vocant) medicamentum est, unde & Germanicè & Anglicè indè nomen sumpsit. Usurpari solet à nonnullis in lacte aut vino decocta. Verùm quia partes illæ in quibus præcipua vis & utilitas hujus herbæ consistit, admodum volatiles sunt, & coctione facilè evanescant, succus herbæ expressus, aut ejus infusum efficacius esse videtur quàm decoctum.

Recens cerevisiæ infusa in vitro probè obturato brevi intra tres quatuórve dies totam suam vim antiscorbuticam seu spiritum volatilem ei communicat: Nos experientiâ edocti ejusmodi cerevisiam pro potu ordinario Scorbuticis commendamus. Minus commoda est in qua Cochlearia diu infusa fuerit, nam diuturna infusione partes terreæ & fixiores herbæ eliciuntur & Cerevisiæ communicantur, partésque volatiles vel avolant, vel cum fixioribus complicatæ vim suam amittunt.

Scorbutus

Scorbutus populis qui in salsis & maritimis degunt, præsertim Septentrionalibus, ferè endemius est, iisque qui piscibus Sale conditis plurimum victitant. Hinc quæcunque Sale volatili abundant, ut *Cochlearia, Nasturtium, Raphanus, Becabunga,* ad hujus curationem maximè valent.

Tales plantarum species in quacunque regione à Deo creantur quales hominibus & animalibus ibidem natis maximè conveniunt, imò ex plantarum nascentium frequentia se ferè animadvertere posse quibus morbis [endemiis] quælibet regio subjecta sit, scribit Solenander. Sic apud Danos, Frisios, Hollandos, quibus Scorbutus frequens, Cochlearia copiosè provenit.

Qui Cochleariæ succum fastidiunt iis extat tinctura seu essentia liquida, quæ passim in Germania usurpatur. ℞. Cochlear. recentis q. v. Contunde in mortario marmoreo, eámque inditam vasi convenienti aquâ vix subtepida, vel, quod melius, proprio succo crudo irrora, in quo tantillum fermenti vel fæcis cerevisiæ solutum est. Consperge raro sale. Ubi hæc probè l. a. remista sunt, reponantur vase optimè operculato tandiu in locum subterraneum, usque dum acriorem odorem spirant quàm cùm recens Cochlearia contusa est : quod ubi advertis destillentur per Alembicum in *M. B.* & obtinebis Sp. Cochleariæ. Postea ℞. nova Cochleariæ folia, contunde & exprime torculari valido ex iis succum, eúmque levi aqua in *M. B.* in vase aut vitro optimè lutato defæca, & per chartam bibulam filtra. Hujus hac arte depurati succi tribus partibus affunde partem 1. Sp. Cochleariæ paullo ante descripti. Digere vel circula l. a. quibus si addideris paululum Sacchari essentia Cochleariæ parata est, quam præstantissimam & efficacissimam in Scorbuticis affectibus comperi, ubi in aquis destillatis convenientibus, imò vel vino Rhenano & similibus vehiculis, una itémque altera uncia diluitur, maximè si misturæ simplicis dictæ aut diaphoretici in peracutis aliquot guttulæ ad ℈j. pro dosi remisceantur. Atque ea hac & Trifolii fibrini essentia invicem remista æquis partibus constat essentia liquida. *S. Paulus.*

Cochleariæ succus cum herba contusa imposita & alligata faciei maculas sex horarum spatio tollit, postea verò decocto furfuris est abluenda. *D. Palmer* è prælect. D. Hermanni.

In Epilepsia contortas partes præ reliquis spirituosis aromatis fovere convenit, inprimis Spiritu Cochleariæ, quo sæpissimè hostem fugatum gloriari possumus. *D. Soame* è Dolæi. L. 2. C. 1. S. 19.

In excrescentia gingivarum scorbutica succus Cochleariæ cum alumine usto mistus perquam egregius est : sicuti ad hæc ipsa gingivarum vitia ex scorbuto nulli cedit Vermicularis, cujus decoctum cum alumine & melle nobile experimentum est gargarizando usurpatum. *D. Hulse* ex Ettmulleri praxi.

A. 2. *Cochlearia folio sinuato* C. B. *Coch. vulgaris* Park. *Britannica* Ger.

Folia promit multa, crassa & succulenta, longiora quàm lata, & interdum angusta, aliàs ad margines æqualia, aliàs nonnihil sinuata, interdum etiam plana, æqualia & acuminata, vel è contra in medio paullum concava, & subrotunda, obscurè viridia & nonnunquam subfusca, longis pediculis insidentia : inter quæ surgunt *cauliculi* tenues, paucis foliis cincti, longioribus & minoribus, *flosculos* sustinentes multos, albicantes, cum *staminulis* in medio luteis, *capitulum* viride ambientibus, quod augescens fit vasculum seminale, turgidulum, cùm tamen maturuit nonnihil compressum Thlaspeos in modum, cui inest *semen* minutum, russum, acre. *Radix* multis fibris albentibus constat, in limum altè demissis.

Ad ripas Tamesis fluvii utrinque copiosè oritur, inque salsis palustribus quæ maris æstus aliquoties inundat, in Essexia, Cantio, & universâ orâ maritimâ Meridionali Angliæ ad Portlandiam & Plimostium usque. Ego equidem suspicor Thlaspi hederaceum *Lob. Ger. Park.* nihil aliud esse quàm hoc genus Cochleariæ, quæ non rarò foliis triangulis Hederaceorum æmulis provenit. ***Locus.***

A. 3. *Cochlearia minor rotundifolia nostras, &* Park. *An Thlaspi hederaceum* Lob ?

Hæc præcedenti per omnia ferè similis est, sed minor. *Folia* parva subrotunda, unguem minimi digiti magnitudine vix excedentia, angulosa, præsertim quæ in caulibus sunt. *Caules* dodrantales tenues, infirmi : *flosculi* parvi, purpurascentes.

Ad mare in insula Angleseia invenimus. ***Locus.***

Hæc quamvis in hortis sata, è semine deciduo se aliquoties renovans, statura & magnitudine augeatur, nunquam tamen præcedentes dimensiones ullatenus assequitur, unde specie distinctam opinamur.

* 4. *Cochlearia minor erecta* C. B.

C. B.

Ex *radicula* capillacea *cauliculus* tenuis, lævis, palmo minor prodit : *foliola* habet ad radicem pauca, exigua, oblongis capillaceis pedicellis donata ; & quæ cauliculum alternatim ambiunt lente minora sunt, exiguis pedicellis donata, & instar Cochleariæ Britannicæ sinuata. In cauliculo summo *flosculi* albi, quibus *siliquæ* parvæ oblongæ, *semen* minutissimum nigrum continentes.

In Daniæ insula Amagria oritur. ***Locus.***

Cauliculis erectis ; flosculis albis, siliquis oblongis, si modò rectè describatur, à præcedente differt.

* 5. *Cochlearia Danica repens* C. B.

Hæc unciarum trium est, radiculâ & foliis priori similibus, sed numerosioribus, inter quæ *cauliculi* semiunciales, minutis *flosculis* albis ornati. Hæc eodem quo prior loco provenit, humi instar Herbæ Cancri [Herniariæ] serpit, omnino foliis, floribus, seminum loculis & gustu priori respondens.

Si

Si hæc revera cauliculis ſerpat, omnino ſpecie diſtincta eſt à præcedente, verùm ſi duntaxat humi procumbat Herniariæ in modum, fortè eadem fuerit vel præcedenti, vel Cochleariæ noſtrati rotundifoliæ minori.

6. *Cochlearia Aremorica Thlaſpi hederaceum* Hiſt. Lugd. Cat. Pariſ. *Thlaſpi hederaceum* J. B. Ger. Park. *Thl. exoticum I. ſeu repens hederæ folio* C. B.

Lob. Ob.

In Portlandiæ peninſula, Cornubiæ vicino portu Plimuthæ aliiſque maritimis Angliæ cautibus repens herbula dodrantalibus & ſpithamæis gracilibus cauliculis, ſtriatis, punicantibus; *foliis* ſinuoſis, hederaceis, carnoſis. *Floſculi* candidi, & *ſemen* exile in folliculis guſtu & habitu Thlaſpi exprimunt.

Hanc plantam, niſi ſit Cochlearia minor rotundifolia noſtras (cujus folia quæ in caulibus anguloſa ſunt & hederacea referunt) neque nos, neque quiſquam alius, quod ſcimus, Anglus in locis à Lobelio memoratis, aut alibi in Anglia (quod mirum) invenit.

CAP. IV.

De Leucoio ſiliqua ſubrotunda.

1. *Leucoium cum ſiliquis rotundis flore luteo* J. B. *Thlaſpi incanum marinum Hiſpanicum, Eruca peregrina Cluſii* Park. *Leucoium incanum ſiliquis rotundis* C. B. *Leucoium marinum luteum majus Cluſii & Lobelii* Ger.

J. B.

PLures ex *radice* candida, fibrata, mediocriter craſſa *caules* profert, cubitum altos, teretes, leviter hirſutos, & in multas alas diductos. *Folia* ſemunciam plus minùs lata, palmum longa, ſubhirſuta & nonnihil incana. *Flores* extremis ramis copioſè congeſti hærent, parvi, lutei: quibus ſuperveniunt utriculi turgidi, medium diſſepiente membranula tenui, cui adhærent *ſemina* foliata orbiculata, ruffa, Leucoii granis ſimilia.

Tempus & Locus. Aprili menſe floret, & in maritimis Iſtriæ & Illyriæ paſſim provenit. *Dourez.* Creſcit quibuſdam locis incultis & ſecus vias in Caſtella, ubi Maio floret. *Cluſ.*

2. *Thlaſpi ſpinoſum* Ger. *ſpinoſum fruticoſum* C. B. Park. *Leucoium ſpinoſum ſive Thlaſpi ſpinoſum alìis* J. B.

J. B.

Dodrantali ferè eſt *radice*, craſſiuſculâ, contortâ, lignoſâ, foris propemodum fuſcâ, intus buxeâ, in plura capita faceſſente. *Stolones* lignoſi, crebri, duarum triúmve unciarum, aut paullò longiores, fuſco aut incano, porraceóve cortice veſtiti, in ramos frequentes diviſi, alii in ſpinas longiuſculas, rigidas, mordaces rectaſque abeunt, poſitu & formâ Pimpinellæ ſpinoſæ. *Folia* per imos ramos pauca, per ſuperiores conferta, incondita, Thlaſpeos montani lutei, ſemiuncialia, atq; uncialia, vix culmum lata, mucrone obtuſo, craſſa, incana, ſapore Braſſicæ acriuſculo. Extremis ramulis hærent ex mediocribus pediculis gemino ordine, viridantes *capſulæ*, capitulis Myagri ſimiles, bifores, diſſepimento membranulæ lucidæ in duos loculos diſtinctæ, *ſemen* continentes ruffeſcens, rotundum, compreſſum, guſtu acri.

Locus. In ſummis rupibus montis Lupi non procul Monſpelio copioſè provenit.

Cardamine puſilla ſaxatilis montana ἰδιογενής Col. *Naſturtium pumilum vernum* C. B.

Ob fructum ovalem tumidum ad hoc genus pertinere videtur. Vide inter Naſturtia.

CAP. V.

De Tetrapetalis ſiliculoſis capſulâ compreſſâ.

De Naſturtio.

NAſturtium κάρδαμον Dioſcoridi l. 2. c. 185. Theophr. 7. Hiſt. 1. vel quaſi καρηδάμον quia κάρα δαμᾷ *caput domat*, h. e. purgat acrimoniâ ſuâ. Nam id quod nigrius eſt capitis vitia purgare ait Plinius l. 20. c. 13. vel eſt id nomen à καρδία, quòd *cordatos facit.* Nam dicunt τὲς ἐσθίοντας κάρδαμον ὀξυτέρες τὴν διάνοιαν γίνεσθαι· Hinc proverbium in pigros & deſides κάρδαμον ἔσθιε, *Naſturtium comede.* Quò Plinius reſpexit, cùm verbis ante allatis ſubjungit: *& indè vigoris ſignificatio proverbio id vocabulum uſurpavit, veluti torporem excitantis.* Naſturtium autem quaſi Naſitortium

tium dictum est, quòd nasum torqueat, odore & seminis acrimoniâ sternutamenta provocans. *Plin. Varro, Isidor.*

Nasturtii notæ characteristicæ sunt Sapor acris, odor acutus & nares feriens, folia plerunque variè incisa.

1. *Nasturtium hortense* Ger. Park. *vulgare* J. B. *hortense vulgatum* C. B. **Common Garden-Cress.**

Radice est albâ, lignosâ, simplici, nonnunquam tamen multifidâ aut surculosâ, fibris tenuibus capillatâ, minùs acri quàm sunt folia, quæ minutis incisuris secta sunt: adulta & quæ in caulibus existunt, vel *Erucæ* modo dividuntur, vel integra sunt & oblonga, sapore acri, acetariis expetita. *Caulis* plerunque singularis, (interdum plures) teres, glaber, solidus, in alas multas divisus, ab imo statim ramosus, & crebra ramulorum subdivisione fruticosus admodum, glauco quodam polline obductus, qui facilè detergi potest. *Flosculi* in summitatibus caulis & ramorum exigui, tetrapetali, ex albo dilutè rubentes, pediculis brevibus insident, qui dum successivè aperiuntur, in spicas longas excurrunt surculi seminibus onusti. *Semen* fulvum seu ruffum in siliquis seu vasculis parvis, compressis, rotundiusculis Thlaspeos vulgatissimi, in summo fissis. Singula *vascula* in binas cellulas divisa, bina duntaxat *semina* continent; in singulis scilicet cellulis singula.

Floret Maio & Junio, cùmque semen perfecerit radicitus exarescit. *Tempus.*

Duæ præterea habentur Nasturtii hortensis seu Species seu varietates, altera folio integro æquali, J. Bauhino Nasturtium hortense latifolium seu Dioscorideum dicta; *C. B.* Nast. hort. latifolium; *Gerardo* N. h. Hispanicum; *Park.* N. h. latifolium Hispanicum. **Broad-leaved Garden-Cress:** altera folio crispo, quæ Nasturtium hortense crispum Joh. Bauhini J. B. hortense crispum C. B. hort. crispum latifolium & angustifolium *Park.* **Curled Cress.**

Caulibus, floribus, seminibus cum Nasturtio vulgari convenit, foliis plurimùm differt, quæ huic miris modis laciniata & crispis oris fimbriata sunt: quin & folia seminalia in hac specie non sunt tripartitò divisa, quemadmodum in vulgari, sed integra, unâ duntaxat utrinque in margine incisurâ secta.

Acris & calida est tum herba, tum præcipuè semen: unde atten. aper. abstergit. Usus præcip. est in tumido liene, mensibus obstructis, fœtûque mortuo expellendo: tartaream mucilaginem pulmonum incidit, & Scorbuto confert. Vulgo quidem ad expellendos morbillos inservit semen. Extrinsecùs usu venit in apophlegmatismis, errhinis, phœnigmis: furfures ac scabiem fœdum capitis aliarumque partium sanat tritum aut frixum cúmque porci axungia illitum. *Schrod.* *Vires.*

Usurpatur passim ad ciborum condimenta & intinctus. Venit quoque vere & per æstatem cum Lactuca atque aliis herbis oleo, aceto & sale, in mensas. Lactucæ frigiditatem attemperat, ventriculum calore suo refocillat, & concoctionem promovet.

Belgæ Nasturtio cum pane & butyro Maio mense frequenter utuntur. Facit ad grave illud malum quod Scorbutum appellant: nec minor est hujus quàm vel Cochleariæ, vel Nasturtii aquatici in hoc morbo vis & facultas.

In affectibus comatosis seu lethargicis nil præstantius est quàm Nasturtium tam coctum, quàm in acetariis ab experientia *P. Foresti Observ. Med. Lib.* 10. *Obs.* 39.

Ex Paræo observat Sim. Paulus, ad fœdam crustosam puerorum scabiem nihil tam promptum esse & efficax, quàm Nasturtium hortense tritum aut frixum cum porci axungia: nam intra viginti & quatuor horas crustæ ut decidant perficit, quinetiam si eo quis utatur diutius, persanat, ut ille experientia cognovit.

A. 2. *Nasturtium sylvestre J. Bauhini: Thlaspi angustifolium Fuchsii* J. B. *Thlaspi minus* Ger. *Nasturtium sylvestre Osyridis folio* C.B. Park. **Narrow-leaved wild Cress.**

Dodrante majus est, sativo simile formâ & odore & sapore, ni minor esset; *radice* satis crassa, lignosa, fibris donatâ, albâ, saporis fervidi: ex qua *caules* emittuntur plures, crassitudine radici suppares, perquam carnosi, duri. *Folia* infima caduca, Nasturtii vulgaris foliis similia, laciniata, multò tamen minora: ab Iberide huic absimili differunt, utpote cui folia infima per extremam oram serrata duntaxat aut crenata existunt, & latiora: nam superiora tenuia, angusta, Iberidis pæne sunt odore, & sapore vehementer acri. *Flosculi* minimi, albidi, visum ferè fugiunt, ad Iberidis flores accedentes: quos necdum delapsos *siliquæ* numerosissimæ excipiunt, ex longiusculis pediculis parvæ, rotundæ, compressæ, & supremo margine fissæ: quibus dehiscentibus duo *seminula* ruffa, oblonga cum valvulis excidunt, relictâ membranâ albâ dissepiente.

Spiritus Nasturtii (nescio an de hoc intelligat) exhibetur à Danicis medicis maximo cum successu. Sed hic spiritus fermentatione elicitur, circulatur, & unitur cum proprio suo sale fixo & oleo. Modus præparationis extat in *Tho. Bartholini Act. Med. An.* 1671. *Obs.* 184. hæc nobis suggessit D. *Tancredus Robinson.* *Vires.*

Castra ego in Germania secutus observavi complures meorum commilitonum hydrope vel dysenteriâ laborantium pristinæ sanitati esse restitutos, quibus suasu Chirurgi castrensis singulis vicibus seminis Thlaspeos ʒß. propinabatur. S. Paulli Quadrip. Bot. Clas. 3. p. 505.

* 3. *Nasturtium Alpinum capsulâ Nasturtii vulgaris Joh. Bauhini* J. B. *Alpinum capsulis Nasturtii hortensis* C. B. Park.

J. B.

Vix tres uncias altum est, *radice* lignosa, paucis fibris donata: *Coliculi* duo aut tres, per quorum summa *capsulæ* Nasturtii vulgaris, non dissimili ordine positæ: *Folia* parva, simplicia, crassa, angusta, unciâ, quantum animadverti, breviora: *flosculi* parvi, albi, ut existimo.

In

Locus. In Rhætia monte *Nombre*, propè balnea *Wurmbes* æstate florebat & siliquas habebat. Ex herba sicca descripsi.

4. *Nasturtium Alpinum tenuissimè divisum* J. B. C. B. *Cardamine Alpina* Ger. *Alpina minima* Park.

Aliàs trium unciarum plantula est, aliàs ferè dodrantalis, [Clus. uncialis,] *Foliola* habet minutissima, terna, quina, septena ad costam annexa [Clusio viridia, gustu acri & fervido] sic ut tota interim ala semunciâ interdum non sit longior, aliàs uncias duas excedat, sapore fervido Nasturtii. *Coliculos* habet plures, nonnunquam unicum: in cujus fastigio *flores* multi sunt coacervati, candidi, pro plantæ proportione magni, è quatuor foliis Pastoriæ minimæ. *Radix* alba, crassiuscula, longa, fibris longis donata.

Locus. In ipsis scopulis summi jugi *Sneberg* invenit Clusius, Augusto mense florentem. Invenitur etiam in Tirolensibus & Salisburgensibus montibus, teste Camerario.

In planta nobis observata in monte Jura *siliculæ* succedebant oblongæ, compressæ, mucronatæ, Paronychiæ vulgaris similes, verùm minores: fortè cùm adultiores sunt in crassitiem intumescunt. Huic aut potiùs proximè sequenti similis est si non eadem planta

5. *Thlaspi montanum minimum Monspeliensium folio laciniato* J. B.

J. B.
Lignosis, albis prolixis, multifidis *radiculis* nititur, ex quarum capite *surculi* emergunt numerosi, interdum vix unciales, aliàs trium, quatuórve unciarum altitudine, ramosi; *Flores* congesti, exiles, albi; quibus paullatim delabentibus sensim succedunt longiore intervallo dissitæ *siliquæ*, milii grano æquales, ex rotundo oblongæ, in duos loculos interveniente candida membranulâ divisæ, ex pediculis longiusculis pendentes: *Semina* minuta, rufa. Folia tum ex radice statim, tum ad caulium ramorúmque divisiones uncialia vel semuncialia, in profundas angustissimas lacinias ad costam usq; incisa.

Locus. In Boutonet propè Monspelium à Cherlero collectum est. D. Magnol nec ibi nec alibi circa Monspelium invenit.

Flore exili à præcedente planta differt & cum sequenti convenit; verùm siliquæ formâ præcedentem potiùs imitari videtur.

6. *Nasturtiolum Alpinum folio alato, Thlaspi montano minimo Monspel.* J. B. *simile, si non idem. An Cardamine pusilla saxatilis montana* φυλλοειδὴς Col.

Ex *radice* simplici, albâ, lignosâ, fibris majusculis donatâ *cauliculus* exurgit nunc simplex, nunc multiplex, ab imo statim ramosus, palmi interdum altitudine, sæpiùs tamen duarum duntaxat triúmve unciarum, rotundus, foliis vestitus alternatim positis ad ramulorum exortum. Sunt autem *folia* tam quæ à radice exeunt, quàm quæ in caulibus existunt, ad modum Valerianæ Græcæ, septem vel octo vel etiam pluribus, (interdum paucioribus) pinnularum mediæ costæ adnexarum conjugationibus cum impari in extremo folio composita. Sunt autem pinnulæ figurâ ferè rhomboide & à se invicem remotiùs seu rariùs sitæ. *Flosculi* in summitatibus caulis & ramulorum, eodem modo dispositi quo in reliquis hujus generis, minutissimi, albi, quadrifolii, cum *staminulis* in medio luteis. Vascula seminalia Thlaspeos minoris, compressa, exteriùs gibba, interiùs concava, *semen* continentia exiguum, rufum.

Tempus & Locus. Initio Maii floret, & maturo semine (quantum quidem ego ex habitu plantæ conjicere potui) exarescit. In Saleva monte, locis udis, observavi.

Cardamine pusilla, saxatilis montana φυλλοειδὴς *Col.* ab hoc non diversa videtur; siquidem descriptiones conveniunt, nisi quòd Columna fructui ovalem figuram attribuat. Vide descriptionem apud Columnam, quæ in nonnullis nostrâ paullo plenior est. Montibus umbrosis, & humentibus locis terrenis invenit.

* 7. *Nasturtium pumilum supinum vernum* Botan. Monsp.

Magn.
A pumilo verno præcipuè distinguitur, quòd ramulos supinos habeat, divisuras foliorum inæquales & ultimum ac impar folium majus. *Flores* & *capsulæ* eædem sunt.

Locus. In humidis versùs Lateram & Perauls invenit *D. Magnol.*

* 8. *Nasturtium sylvestre Erucæ affine* C. B. *Nast. syl. Valentinum Clusio* J. B. Park. *Eruca Nasturtio cognata tenuifolia* Ger.

Clus.
Unico hæc planta assurgit *caule*, sed statim à *radice* supra solum multis alis diviso, hirsuto & aspero, virente, rotundo, pedalis longitudinis: inferiora *folia* qualia sint pronunciare non possum, quia jam in semen magna ex parte evaserat planta cùm observabam; quæ tamen sub alis cauli inhærebant, tenuia erant & multifida, Nasturtii vulgaris & legitimi foliorum pæne æmula, tenuiora tamen & viridia, acri gustu, ut Nasturtium. Extremis ramis fert multos spicæ in speciem congestos *flosculos*, quatuor foliolis pallescentibus constantes, in quibus totidem *stamina*; quibus evanescentibus succedunt *siliquulæ* breves, duabus valvulis sive utriculis constantes cum lingula prominente, non quidem sursum erectæ ut reliquorum congenerum, sed deorsùm inflexæ, in quibus Nasturtii æmulum *semen*. *Radix* est singularis, candicans, satis crassa, non tamen vivax, sed quæ singulis annis perit.

In

In regno Valentino Martio mense, florentem hanc plantam & semine jam plenam inveniebat Clusius. *Locus.*

A. 9. *Nasturtium petræum* Tab. Ger. *Bursa pastoris minor* Park. *minor foliis incisis & Thalii* C. B. *B. pastoria minima* Ger. *parva folio glabro spisso* J. B. The lesser Shepherds Purse, or Rock-cress.

Radix ei alba, lignosa, simplex, fibris paucis majusculis donata, languido sapore Nasturtii. *Folia* primò erumpentia simplicia, rotunda, parva; reliquæ Bursæ pastoris modo nonnihil laciniata, crassa, glabra, vix sextantalia, à radice crebra. *Cauliculi* plures semipedales aut dodrantales, interdum nudi, aliàs foliis parvis, nullo ordine positis vestiti, non ramosi. *Flosculi* plurimi in summis caulibus parvi, albi, tetrapetali, successivè aperiuntur; quibus succedunt *capsulæ* minores & rotundiores quàm in vulgari Bursa past. duo plerunque seminum paria continentes.

In solo arenoso apud nos plerunque provenit, nonnunquam & in petrosis. *Locus.*

Nasturtium petræum *Tab. Ger.* huc refero, cum J. Bauhino.

* 10. *Nasturtium minimum vernum foliis tantum circa radicem Botan. Monsp.*

Magnol.

In isto foliola in orbem disposita tantùm circa radicem oriuntur, leviter incisa, quædam etiam sine incisuris. Cauliculum unum, aliquando duos producit, uncias duas altum, in cujus summitate flosculi albi sunt, ex quibus capsulæ oriuntur sicut in Thlaspi, pro plantæ parvitate satis magnæ.

Primo vere floret in ingressu luci Grammuntii. *Locus.*

Cap. VI.

De Nasturtio Iberide,

Iberis vox Latina est ab Iber Iberis vel Hiberis, quòd in Hispania copiosè nasceretur. Nasturtii species est, à flore, siliquis & odore.

1. *Iberis* J. B. *Ib. Cardamantica* Lob. *Iberis latiore folio* C. B. Park. Ger. emac. Sciatica cresses.

J. B.

Statim è *radice* alba, lignosa, mediocriter crassa, paucis fibris donatâ plures profert *caules*, dodrantales & altiores, duros, frequentibus alis concavos. *Folia* quidem prima longis pediculis appensa, semunciam lata, duas trésve uncias longa, per extremum serrata: superiora verò & quæ in caulibus ramísque Linariæ foliis paria, angusta, acuta, nullo pediculo donata, nec crenâ ullâ incisa: sapor omnibus fervidus Nasturtii. *Flores* extremis ramulis coacervati hærent, candidi, Nasturtii floribus similes. *Semen* continetur minutum in parvis thecis oblongis, quarum valvulas dissepit membranula.

In incultis, ruderatis & secus vias ubique ferè tum in Germania, tum etiam in Italia, Sicilia & Gallia Narbonensi. *Locus.*

2. *Iberis Nasturtii folio* C. B. Park. *h. e. Iberis* Cam. ep. *& Matth. mag. fig. Cardamantica tenuifolia* Ger. emac.

Nihil aliud est quam Thlaspi angustifolium *Fuch.* sive Nasturtium sylvestre *J. B.* ex sententia J. B. cui & nos libenter suffragamur: ideóque Iberidem in duas species non distinguimus.

* 3. *Iberis humilior, annua Virginiana ramosior* Moris. *Aliis Piperitis seu Lepidium Americanum.*

Moris.

Hæc facilè distinguitur à priore 1. Duratione: 2. *folia* producit latiora, viridiora, magis crenata: 3. *Caules* humiliores & ramosiores: 4. tandem *Flores* duplo majores, & consequenter majores itidem capsulas.

Iberis dicta odore & sapore est Nasturtii, proinde etiam viribus cum eo convenire videtur.

Veteres, Dioscorides, Galenus, Plinius è Damocrate ad dolorem ischiadicum eam commendant. *Vires.* Radix contusa magnâ copiâ (difficulter autem tunditur æstate & recens, tunc enim fortissima, & usus efficacior) cum modica axungia, adhibetur toti cruri & maximè coxendici; sinitur per quatuor horas in viris, minùs in mulieribus, deinde aufertur & crus in balneo ponitur, post inungendum ex oleo & vino, ac demum tersa pinguedine & sudore, tegendum molli lana, ut æger ambulet: Si opus fuerit repetendum post dies viginti.

Cap.

CAP. VII.

De Lepidio.

ΛΕπίδιον Dioſcoridi l. 2. c. 205. ſic dictum quòd λεπίδας ſeu ſquamas & maculas faciei deleat; vel ἀπὸ τοῦ λεπίζειν, id eſt, ἐκδέρειν, quòd ſuâ acrimoniâ urenti ulceret, excoriet, eâque facultate vel ferro notas fronti ſervorum inuſtas deleat, de quo forſan Columella lib. 10. Lepidium Plinio lib.20. c. 17. *C. B.*

Lepidii notæ genericæ ſunt Folia integra magna, floſculi parvi albi, ſiliquæ itidem parvæ, ſapor & odor Piperis, & in vulgari ſpecie radix reptatrix.

A. 1. *Lepidium latifolium* C. B. *Lep. Pauli* J. B. *Piperitis ſive Lepidium vulgare* Park. *Raphanus ſylveſtris Officinarum, Lepidium Æginetæ Lobelio* Ger. **Dittander, Pepper-wort.**

Radix digitali craſſitudine & major, alba, guſtu acri & calido ſed qui ſubitò evaneſcit, ſub terra reptat. *Caules* emittit plures, bicubitales, teretes, læves, medulla farctos, ramoſos, minimo digito minores, glauco quodam polline, qui facilè detergi poteſt obductos. *Folia* longa, lata, in acutum deſinentia, Mali Citriæ ſimilia, ſed ſæpiùs majora, glabra, pinguia, obſcuriùs virentia, alternatim adnata, per margines ſerrata: quæ è radice exeunt & in imo caule ſunt, pediculis longis ſuffulta. *Floſculi* in ſummis caulibus & ramulis pro plantæ proportione minimi, tetrapetali, albi, conferti & copioſi, pediculis tenuiſſimis inſident; quos excipiunt *vaſcula ſeminalia* minutiſſima, compreſſa, apice acuto, *ſemina* continentia.

Locus. Reptatu ſuo hortulanis inviſa eſt. Semen autem ad maturitatem raro perducit. Ad fluviorum ripas ſed rariùs apud nos provenit: ut v. g. prope pontem Hithenſem Colceſtriæ, necnon Camaloduni, ad pontem *Heybridge* dictum copioſè & alibi propè *Fulbridge*.

2. *Lepidium glaſtifolium* C. B. *Lepidium non repens* J. B. *Lep. annuum* Lob. Ger. Park. *ſed perperam.* **Annual Dittander, or Pepperwort.**

Moriſ.

Radix fibrata, ex qua *folia* oriuntur, primùm palmaria & ſeſquipalmaria, anguſtiore principio penes pediculum ſextantalem aut quadrantalem, ſenſim dilatata ad ternas circiter uncias, ſenſim denuò in obtuſum mucronem deſinentia, nullis per ambitum crenis dentata, ſapore Lepidii fervido. *Caulem* profert bicubitalem & altiorem aliquando, qui ſupernè in multos ramuſculos finditur, *floſculis* onuſtos plurimis, albidis, majoribus multò quàm ſint præcedentis *flores*; quos ſequuntur *ſiliculæ* rotundæ, planæ, bifidæ, membranâ per maturitatem pellucidâ & albâ diſſeptæ, *ſemina* plurima, ſubruffa continentes, ſapore acri Thlaſpeos æmula. *Folia* inferiora glauca, Glaſti foliorum colore & glabritie æmula; ſuperiora, caulibus alternatim aut nullo ordine adnaſcentia, perquam anguſta ſunt & tenuia.

Quamvis annuum dicatur Lob. & aliis: *radix* tamen hyemem perfert interdum, & in plures annos durat, etiam poſtquam ſemen perfectum dederit.

Locus. In agris prope Ratiſponam in Germania obſervavimus copioſè enatum. Verùm quam ibidem collegimus planta capſulas habuit numeroſiſſimas, perexiguas, ſphæricas monoſpermas, unico in ſingulis ſemine ruffo: unde ſpecie ab hac diverſa ſit oportet.

* 3. *Lepidium Dioſcoridis* Zanoni; *maximum Chalepenſe* Moriſ.

Radicem demittit ſatis craſſam, longitudine circiter palmari, albam, ruptu difficilem, ſuperiùs viridem & aſperam, plurimis radiculis longis, rotundis à majore hac exeuntibus, quæ huc illuc rependo alias plantas producunt, more Lepidii vulgaris, quibus undique ſcatere conſpicitur locus in quo plantatur, ut difficulter indè erui & penitus eximi poſſit. *Caulem* edit ſimplicem aut aliquando duplicem, rotundum, lævem, lucidè virentem, qui in pingui ſolo proveniens ſuperat cubitalem altitudinem; ex cujus ſingulis geniculis exſiliunt *folia* caulem ambientia, quemadmodum fit in Lepidio vulgari, ſed Laurinis foliis ſimilia. In ſummis caulibus ramatim prodeunt *flores* tetrapetali, albidi, cum ſtaminulis & apice in medio, quibus flacceſcentibus totidem ſuccedunt *capſulæ* rotundæ, bivalves, includentes in ſe *ſemina* ruffa, Naſturtii vulgaris ſiminibus minora.

Sapor hujus plantæ acrior eſt quàm Lepidii vulgaris, ac proinde potentius remedium eſt contra dolorem Iſchiadicum, Lepram, & dolorem Splenis.

Locus & Tempus. Floret æſtate: Semina Chalepo tranſmiſſa ſunt à D. Rob. Huntington.

Vires. Vis foliorum acris & excalfaciens (inquit Dioſcorides) quapropter trita herba iſchiadicis præſentiſſimum eſt auxilium, ſi cum Helenii radice quatuor horis illinatur lienoſis ſimili modo prodeſt, lepras eximit. Radix appenſa collo [adalligata brachio *Plin.*] dolore dentium liberare exiſtimatur.

Mulierculæ noſtrates Buriæ ſeu S. Edmundi burgi in Suffolcia, referente Parkinſono, ad partum facilitandum decoctum in cereviſia propinant.

Cap. VIII.

De Thlaspi.

Thlaspi à fructûs forma, qui veluti infractus & contusus est, à θλάω *infringo, conquasso,* nomen accepit.

Thlaspeos notæ characteristicæ sunt capsulæ seu vascula seminalia compressa.

Duo autem Thlaspeos genera sunt, vel enim membrana cellulas seu loculamenta dissepiens ad planum seu latitudinem capsulæ parallela est, & quæ ejusmodi capsulam habent *Alyssa* dicuntur; vel ad latitudinem siliquæ transversa seu perpendicularis, quod genus *Thlaspi* simpliciter dicitur.

De Thlaspi Alysso dicto.

Alysson ab α privativa & λύσσα rabies dicta est, quòd demorsos à cane rabido mirificè juvet. Alysson Galeno 2. de Antid. herba est Marrubio similis, orbes habens in surculorum summitatibus asperiores & magis spinosos, flores ad cœruleum vergentes: unde specie diversa est ab Alysso Dioscoridis & Plinii, quæ foliis est rotundis, & fructu duplicium Scutulorum effigie.

1. *Thlaspi Narbonense Lobelii* Ger. *Thlaspi Alysson dictum maritimum* C. B. *Nasturtium vel Thlaspi maritimum* J. B. **Sea-Treacle-Mustard.**

E *radice* alba, simplici, lignosa, perenni, paucis fibris capillata *ramulos* emittit plures, imbelles, humi procumbentes striatos [lignosos satis, fragiles, hirsutos, subrubentes *J. B.*] quos *folia* occupant alterno aut potiùs nullo ordine posita, [uncialia, perangusta, incana hirsutie obsita, sapore Nasturtii] *Flosculi* in summis ramulis congesti, albi, quadrifolii, medio seu umbilico obscuriore, in universum floribus Nasturtii aquatici vulg. simillimi. *Vasculum seminale* parvum, compressum summa parte acutâ [J. B. utrinque acuminatum] *semina* duo vel tria continens pusilla, rufa.

Locus. Ad mare Mediterraneum ubiq; ferè occurrit, & Leucoii lutei quandam similitudinem habet, nisi quòd ramuli infirmiores sint & procumbant, quódque tum ramuli, tum folia multò minora. Semina in hac specie compressa & plana sunt, in singulis vasculis bina; Nam siliculæ membranâ intergerinâ, in duas cellulas discreta sunt, in quorum singulis singula semina.

Parkinsonus hanc speciem cum Thlaspi Cretico albo umbellato majore confundit.

2. *Thlaspi minus quibusdam, aliis Alysson minus* J. B. *Thl. Alysson dictum campestre minus* C. B. *Thl. arvense minus luteum* Park. *Thl. Græcum* Ger. **Small Madwort.**

J. B.

Plantula hæc è semine deciduo se quotannis renovans crebris *virgultis* fruticat, duris, teretibus, asperis & incanis, in ramos fissis, & in terram aliquando reclinatis. *Flosculi* in summis caulibus & ramulis crebri, [è calice quadripartito,] velut in spicas excurrentes, ut in Thlaspi minore & hujus generis aliis, pediculis brevibus insident, flavi tetrapetali, adeò exigui, ut vix aperiantur, nec eorum partes facilè possint discerni: quibus serie longâ (ut in hoc genere fieri adsolet) *capsulæ* succedunt, à caule extantes, Lenticulæ grano formâ non dissimiles, verùm multò minores, supina parte concavi, circumacto circulo in medio protuberantes, ubi *semina* subsunt pusilla, quaterna, singulis locellis membranâ disclusis bina, rufa. *Folia* infima ad Thymi aut Alsines minimæ folia accedunt, semunciali longitudine, pediculo angusto, versùs apicem dilatantur, incana, ad tactum aspera, minùs tamen quàm ea quæ in caule sunt, crebra, oblonga, & pro longitudine angustiora iis quæ ad radicem. *Radix* demittitur lignosa, alba, simplex & interdum surculosa. Sapore est Nasturtii, sed multò remissiore, radix tamen satis acris est & mordax.

Tempus. Aprili & Maio floret, serius citiúsve pro veris temperie.

Locus. Circa Genevam in glareosis passim, atque etiam circa Moguntiam in Germania, Monspelium in Gallia Narbonensi.

Non unâ semper facie occurrit hæc planta, aliàs pusilla admodum, aliàs dodrante major. Variat etiam non raro floris colore albo, autore J. Bauhino, qui Montbelgardi in sua vinea copiosè provenire flore albo scribit. Clusius qui florem pentapetalon huic attribuit proculdubio falsus est.

C. Bauhinus duas hujus species facit, minorem hic propositam, & majorem: verùm distinctas esse non fidenter affirmat, quin potiùs unam & eandem suspicatur: Morisonus in Prælud. Thlaspi Alysson minimum habet: ab Alysso majore & minore partium omnium parvitate discretu facile.

At nos majoris speciei ramulum habemus vasculis duplo quàm descriptæ majoribus quæ fortè

3. *Alysson Anguillaræ* J. B.

J. B.

Fruticosa est, ramis duris, lignosis, teretibus, hirsutis: *folia* similia Thlaspi minori Alysso dicto, latiora, asperiora, hirsuta, subrotunda, in obtusum acumen desinentia. *Siliquæ* eâ sunt dispositæ serie quâ in jam dicto Thlaspi, hirsutis pedicellis hærentes, compressæ circinatæ rotunditatis, in umbonem modicè protuberantes, triplo majores quàm Thlaspi modò dicti, multùm asperæ, stylum exiguum è summo proferentes, membranulâ lucidâ valvulas disterminante.

Ex siccâ planta descripsit, unde nec quale semen animadvertere potuit, nec quales flosculi asserere.

Dubitat J. Bauhinus & quærit, Annon hoc sit Thlaſpi Græcum propinquius fortè Dioſcoridis, Polygoni folio aut Oleæ, Lentis ſemine *Lob?* h. e. Thlaſpi Alyſſon dictum campeſtre majus *C. B.* quod à minore ſpecie non differre ipſe C. Bauhinus ſuſpicatur.

4. *Thlaſpi montanum luteum* J. B. *montanum luteum majus* Park. *montanum incanum luteum Serpylli folio majus* C. B. *ſupinum luteum* Ger.

J. B.

Non pauca huic cum præcedente [Alyſſo minore] communia, potiſſimùm verò *folia* oblonga, incana, maximè infernâ parte, aſpera, ad Oleæ formam nonnunquam accedentia: *Radix* longa, lignoſa, multifida, numeroſos, humi fuſos, lignoſos *caules* profert, cinericeos, dodrantales & longiores. *Flores* copioſi, eo ordine digeſti quo in jam dicto Thlaſpi, multò majores, & ſaturatè lutei: *capſellæ* quoque non diſſimiles, *ſtylum* è capite proferentes, umbilico prominulo, *ſemen* claudentes.

Locus. C. Bauhinus invenit propè Baſileam, circa *Burſecken* ſupra rudera in monte.

Magnitudine excepta nihil invenio in deſcriptione hujus plantæ quod non conveniat præcedenti. Verùm quam accepit J. Bauhinus à Toſſano Carolo ex *Champagnole* Burgundiæ, *folio* erat multò majore, ad Oleam accedente; *floribus* Leucoii lutei, ejuſdémque odoris. *Floruit* toto Junio ac Julii principio.

D. Magnol in *Botan. Monſp.* in priore juxta capſulam quatuor foliola viridia adeſſe obſervavit, in hoc verò nulla, capſulas etiam multùm differre. In iiſdem locis cum priore reperitur, & eodem tempore floret.

Nos in Ætna Siciliæ monte hujus generis plantam obſervavimus palmarem, plurimis cauliculis, floſculis albis qui ut in reliquis ſucceſſivè aperiuntur, non tamen in longas ſpicas excurrunt, ſed velut in capitula conglomerantur, ob loci frigiditatem ut puto, nam habemus alibi collectas hujus generis ſpicas prælongas. Ab omnibus aliis hujus generis plantis differt, quòd folia calycis una cum flore non decidant, ſed maneant vaſculo ſubjecta, quod P. Magnol Thlaſpi Alyſſo dicto campeſtri minori proprium facit.

5. *Thlaſpi verum primum Dioſcoridis* Zanoni.

Zan.

Mirum in modum ludit natura in productione foliorum hujus inferiorum, versùs terram provenientium, & ſuperiorum caulis ejúſque ramorum geniculis adhærentium: prima enim *folia* densè protrudit, longis coſtis innitentia, quorum lobi alternatim coſtis ſingulis adhærent, quíque ſunt tenuiter diviſa foliorum Hypecoi adinſtar, à radice uſque ad tertiam caulis partem, deinde quædam folia latiore baſi cingunt caulem diviſa in aliquot lacinias, ſuperiora autem folia ſunt integra, mucronata, ac Perfoliatæ modo cingentia caules & caulium ramos ad ſingula genicula; quod in nulla alia Thlaſpeos ſpecie obſervatur. In ſummis faſtigiis caulis & ramulorum *flores* proveniunt minutuli, albi, quorum ſingulis ſingulæ ſubveniunt *ſiliculæ*, rotundæ, bifidæ. Hæ capſulæ ſecundùm ramorum cymas ſpicatim proveniunt, relinquentes (poſt ſemina matura & valvulas delapſas) ſepta media pellucida exiccata petiolis adhærentia, ut in aliis.

Locus. Provenit hoc Thlaſpi non ſolùm in Perſia ſed & in Syria.

CAP. IX.

De Thlaſpi membranâ cellulas diſterminante ad latitudinem ſiliquæ transverſa, & primò

§. 1. *De iis quorum ſurculi floriferi floſculis paulatim ſe explicantibus in ſpicas longas excurrunt.*

A. 1. *Thlaſpi vulgatius* J. B. *Vulgatiſſimum* Ger. *Vaccariæ folio* Park. *arvenſe Vaccariæ incano folio majus* C. B. Mithridate-Muſtard.

J. B.

EX *radice* ſatis craſſa, fibroſa, lignoſa, alba, ſubacri *caules* exſurgunt hirſuti, teretes, rigidi, brachiati: quibus *folia* ſine pediculis adhærent, longa, ſenſim anguſtiora reddita, ſerrata ſive crenata, geminis pinnulis caulem amplectentia, ſapore cum morſu acri. *Floſculi* minimi, albi, multi, ut in Burſâ paſtoria diſpoſiti, quatuor foliis vireſcentibus ſuſtentati, apicibus candidis. Capſulæ præmaturo ortu *flores* occupant, foliaceæ, ſubrotundæ, infractæ, in ſummo fiſſæ, in quibus *ſemen* acre Sinapi aut Naſturtii.

His adde, Folia quæ è radice exeunt longis pediculis inniti; ſiliculas ſeu vaſcula ſem. longioribus pediculis inſidere quàm in Naſturtio hortenſi, deorſum reflexis, & bina duntaxat ſemina, hinc indè unum, continere.

Locus. Inter ſegetes præſertim ſolo arenoſo aut glareoſo frequens oritur.

Vires. Thlaſpeos ſemen calidum eſt & ſicc. Uſus præcipuè in internis abſceſſibus rumpendis, menſibus ciendis, Iſchiadicis affectibus curandis. Extrinſecus abſtergit ulcera quæcunq; manantia, inſuperq; ptarmicum eſt, ſed minùs vulgare. *Schrod.*

Gravidis, quia fœtum necat, infeſtum cenſetur. *Idem.*

Ingreditur hoc ſemen Theriacam.

A. 2. *Thlaſpi*

A. 2. *Thlaspi Vaccariæ incano folio perenne. An Thlaspi capsulis hirsutis* J. B? *An Thlaspi villosum capsulis hirsutis* C. B. prod? Park.

Hæc species præcedente humilior est & minor, aliàs ei admodum similis. *Radix* pariter simplex, alba, plurimos *caules* fundit, humiliores quàm illius, & vix se sustinentes quin humi procumbant. *Folia* in eo differunt quòd & minora sunt & altiùs sinuata. Verùm differentia maximè conspicua est in *floribus*, qui in hac specie triplo majores sunt quàm in illa, & in vasculis seminalibus, quæ & longiora & hirsutiora, habéntque in summo apiculam seu spinulam longiorem. *Semina* quàm præcedentis minora.

Floret cum priore. Maio mense in Wallia primò observavi hanc plantam, quæ hyemem pertulerat. *Locus.*

Thlaspeos capsulis hirsutis descriptio apud J. Bauhinum in plerisque convenit nostræ huic plantæ, verùm, quod miror, nullam in floris magnitudine differentiam notavit. *Folia* quoque inferiora in nostra planta (quantum memini) Erucæ modo divisa non sunt, sed integra & per margines duntaxat leviter sinuata; neque capsulæ pilosæ sunt, sed potiùs brevi lanugine & veluti tomento incanæ. C. B. *radicem* tenuem, oblongam suo Thlaspi villoso attribuit, *caulem* unicum, pedalem, quo à nostro differt: *folia* ad radicem humi strata, longis pediculis donata, orbiculato cuspide: reliqua conveniunt.

* 3. *Thlaspi Vaccariæ incano folio minus* C. B. Park.

C. B.
Tota planta villosa & incana est: Ex *radice* crassiuscula rufescente *cauliculi* semipalmares, etiam minores, recurvi & quasi repentes, villosi & incani prodeunt, *foliis* parvis, incanis, Vaccariæ similibus, pediculis carentibus & alternatim dispositis vestiti; quorum summitate *flosculi* plures, albi, quasi in subrotunda spica uniti, quibus *thecæ* parvæ succedunt.

In agris Monspeliensibus repens, & in Provincia propè Massiliam paulò majus & erectius reperitur. *Locus.*

Suspicor hoc non differre specie à præcedentibus. Fortè parvitas & foliorum canities loco natali debetur. Verùm nihil affirmo. *D. Magnol* copiosè in sylva Valena, viâ qua itur ad pagum *Viols*, invenit Maio mense cum flore.

* 4. *Thlaspi Vaccariæ folio, Bursæ pastoris siliquis* C. B. *Vaccariæ folio Monspeliacum* Park.

C. B.
Caule est cubitali, rotundo, striato, lævi, viridi, ramoso; quem *folia* Vaccariæ similia, atrovirentia, glabra, pediculis carentia cingunt: *flores* parvi, albi: *siliquæ* Bursæ pastoris formâ, sed majores.

Non longè Monspelio in *horto Dei* dicto collectum est. *Locus.*

A. 5. *Thlaspi Dioscoridis* Ger. *Drabæ folio* Park. *Thl. cum siliquis latis* J. B. *arvense, siliquis latis* C. B. **Treacle-mustard, Penny-cress.**

J. B.
Vulgaris notitiæ est hoc Thlaspi, *radiculâ* obliquâ, albâ, lignosâ, sapore oleraceo, tandem subamaro: *caulibus* sesquipalmaribus & cubito altioribus, angulosis, striatis, alatísque. *Folia* sine pediculo adnascuntur sinuata, pinnulis acutis productioribus, in atro virentia, sapore inter Brassicam & Cepas, odore ad Allium accedente: *Flores* pusilli, Bursæ pastoriæ, albidi: quibus succedunt *siliquæ* latæ, rotundæ, compressæ seu foliaceæ, glabræ, supremâ orâ fissæ, in medio magis eminentes propter *semina* contenta, rotunda cum striis circularibus, saporis acris. Flores in summitatibus caulis & ramulorum (ut in reliquis hujus generis) successivè expansi in spicam quandam longam percurrunt, nullis ad eorum pediculos (qui in hoc genere unciales sunt) appositis foliolis aut ligulis: Folia mollia & glabra sunt.

In agris inter segetes occurrit, sed rariùs in Anglia: invenimus Worminfordæ in Essexia propè fluvium Sturam; item propè oppidum S. Osithæ, Saxmundhamiæ in Suffolcia, & circa oppidum *Stone* in Staffordiæ comitatu. *Locus.*

* 6. *Thlaspi arvense Acetosæ folio* C. B. *Thlaspi majus* Tab. Ger. Park.

Hujus *folia* inferiora longa angusta, Glasti aut potiùs Acetosæ pratensis foliorum æmula esse dicuntur: *caules* pedales & altiores, foliis crebris longiusculis vestiti, summa parte ramosi; in quibus *flosculi* parvi, albi, quos sequuntur *capsulæ* bivalves, prona parte convexæ, supinâ cavæ, seminibus ruffis repletæ.

Mihi hactenus non satisfit de hac planta, an sci. detur ejusmodi in rerum natura. Tabernæmontani autoritati non multum tribuendum est.

7. *Thlaspi arvense perfoliatum majus* C. B. Park. *rotundifolium* Ger. *oleraceum* Tab. *Bursa pastoria foliis Perfoliatæ* J. B.

J. B.

Radix huic tenuis est, supra unica, mox fibrosa; aliquot *cauliculos* palmares & breviores (interdum unicum) emittens, colore in fusco leviter rubente & virente, veluti glauco, læves, teretes, ex foliorum alis ramulos interdum producentes. *Folia* superiora alternatim caules sine pediculis amplexantur, alis eorum ferè concurrentibus, ut à caule perforari quadantenus videantur, unciali longitudine, dimidio angustiora, densiuscula, glabra, glauca ut Perfoliatæ. *Flosculi* positu florum Bursæ vulgaris, parvi, albi, involucro quatuor foliorum in fusco viridium circundati, ex pediculis tenuissimis semuncialibus: in medio *stamina* crocea. Decidentibus floribus, imò antequam etiam in totum decidant subnascuntur *siliquæ* parvæ, Bursæ pastoriæ, formâ cordatâ, veluti infracta, ut in Thlaspi, *seminaq;* continent parva, compressa, rotunda, subrussa. Sapor plantæ subacris.

Locus. Circa Bresciam in Italia, & Genevam in Gallia observavimus. Occurrit etiam variis Germaniæ in locis, & circa Monspelium.

Thlaspi alterum mitius rotundifolium Bursæ pastoris fructu *Col.* huc proculdubio pertinet; quo C. Bauhinus rectè illud refert.

8. *Thlaspi arvense perfoliatum minus* C. B. *Thl. perfoliatum minus* Park. *Thl. minus Clusii* Ger.

Clus.

Aliquot habet *foliola* per terram sparsa, Brassicæ campestris foliorum formam & colorem penè imitantia, sed longè minora: quæ verò per *caulem* sparguntur (qui singularis est & palmaris altitudinis, raro major) rara sunt, latioráq; pediculo ipsum quodammodo amplectuntur, Brassicæ campestris foliorum instar, & gustu aliquantulum acri. *Flores* pusilli, albi, summis cauliculis insident, quos subsequuntur compressa *vascula*, iis quæ in Cretico Thlaspi conspiciuntur similia, superiore parte fissa, duobus utriculis planis prædita, in quorum singulis bina aut terna *granula*, flavescentia, acris saporis.

Locus. Crescit in petris, & siccis quibusdam, umbrosis tamen, Austriæ collibus. Floret Aprili: Semen Maio maturum *Clus.*

Q. An hæc planta reverà specie differat à præcedente. Fortè (inquit J. Bauhinus) eadem est cum nostra [præcedente] sed minor ratione loci ubi provenit.

* 9. *Thlaspi montanum minimum Monspeliensium folio laciniato* J. B.

J. B.

Lignosis, albis, prolixis, multifidis *radiculis* nititur, ex quarum capite *surculi* emergunt numerosi, interdum vix unciales, alias trium quatuórve unciarum altitudine, ramosi, congesti, exiles, albi: quibus paullatim delabentibus sensim succedunt longiore intervallo dissitæ *siliquæ*, Milii grano æquales, ex rotundo oblongæ, in duos loculos interveniente candidâ membranulâ divisæ, ex pediculis longiusculis pendentes: *semina* minuta, russa. *Folia* tum ex radice statim, tum ad caulium ramorúmque divisiones uncialia vel semuncialia, in profundas angustissimas lacinias ad costam usque incisa. Sapor acer.

Locus. In Boutonet juxta Monspelium à Cherlero collectum est. Diligentissimus P. Magnol quid sit se ignorare scribit.

10. *Thlaspi foliis Globulariæ* J. B. *Alpinum Bellidis cæruleæ folio* C. B. *Thlaspeos albi supini varietas* Ger. *Thl. montanum Glasti folio minus* Park. C. B. app.

J. B.

Longè latéque serpit *radiculis* longis, crassiusculis, in aliquot capita divisis nixum, quæ subinde reptando demissis fibris denuò radicantur. *Folia* per terram sparsa, aut in eam reclinata, satis crebra, Globulariæ foliis quodammodo similia, pediculo unius aut duarum etiam unciarum, ad exortum rubente nitentia, vix totam unciam longa, subrotunda, crassiuscula, atrovirentia, potissimum hyberna, sapore amaro: *Caules* palmares, aut etiam longiores, teretes, glabri; per quos alternatim nascuntur *folia*, coloris ferè glauci, pediculorum expertia, ima parte caulem amplexa, quo ferè modo folia Bursæ pastoris perfoliatæ, acuminata. Summum caulis cacumen confertos sustinet *flores*, Iberidis Fuch. in modum nec ita dissimiles, majusculos, lacteos, plusculis etiam apicibus in calyce viridante latentibus: Quibus succedunt *siliquæ* latiusculæ, compressæ, Bursularum pastoriarum æmulæ, ex sinu suo apiculas exiguas emittentes: *semen* complectentes subrussum, exiguum, acriusculum & subamarum.

Locus. In montosis pascuis inter *Settle* & *Malham*, & versus *Ingleborough* in provincia Eboracensi plurimum. Clusius in declivi montis urbi Badensi imminentis quarto à Vienna Austria milliari invenit.

* 11. *Thlapsi siliquâ cordatâ peregrinum* J. B.

J. B.

Pedalem altitudinem assequitur. *Caulis* in aliquot ramulos divisus, *foliis* stipatur lini facie, in summo obtusis, glaucis, temere oppositis. Cujus ut & ramulorum ejus extrema *flosculi* ornant exigui purpurei, quos excipiunt *siliquæ* foliaceæ, cordatæ, eleganti virore conspicuæ, minimi digiti unguem latæ, lineâ quadam bipartitæ, & ut uno verbo dicam, siliquis Thlaspeos Drabæ folio figurâ

râ persimiles. *Radicula* duriuscula est & alba. Plantæ sapor subamarus, non sine acrimonia quadam. *Semen* ejus parvum, oblongum, luteolum, acriusculo est sapore, minimè ingrato.

Floruit Julio & Augusto in horto Zuingeri, Basileæ. *Tempus & Locus.*

* 12. *Thlaspi Alpinum repens* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex *radice* oblonga *cauliculi* plures, per terram repandi, trium, quatuor vel quinque unciarum; *foliis* parvis, subrotundis, inordinatè dispositis vestiti prodeunt, *floribus* copiosis, magnis & albis ornati, quibus *siliquæ* Thlaspi Bellidis folio similes succedunt. Sapore est Erucæ.

Ad Thermas Fabarias Helvetiorum collectum est; Variat ratione loci: illud enim foliis est leniter hirsutis, floribus communiter purpurascentibus rariùs albis: hoc verò foliis est glabris, floribus albis. *Locus.*

* 13. *Thlaspi saxatile rotundifolium* C. B. Park.

C. B.

Ex *radice* alba, longa, fibris carente, sublignosa *cauliculi* plures, tenues, pedales, reflexi, & fibris capillaceis deorsum missis terræ affixi prodeunt. *Foliis* est parvis, subrotundis, tenuibus, inter quæ *cauliculi* palmares, nudi exsurgunt, *flores* paucos, pallidos sustinentes, quibus *siliquæ* parvæ tenuissimo filamento donatæ, semen minutum concludentes succedunt.

In locis petrosis circa oppidum *Lauffen* reperitur. Suspicor hanc plantam Veronicæ speciem esse. *Locus.*

* 14. *Thlaspi parvum saxatile flore rubente* C. B. Park. *montanum carnoso rotundo folio* Park. *Lithothlaspi quartum carnoso rotundo folio* Col.

Col.

Saxorum rimis etiam hæc gaudet; verùm locis magis depressis invenitur, propè Castrum Podium Poponiscum Æquicolorum: cujus *radix* longa satis, lævis, candicans, dura; ex qua tres, quatuórve prodeunt *viticuli*, in diversa tendentes, recti, rotundi, rubentes: circa quos densa, carnosa, rotunda, parva admodum *folia*, nec fructûs magnitudinem superantia, circa radicem in imo rubescentia aliquando, sed colore Brassicæ reliqua, ac per viticulos semper angustiora, longiora, densiora, ad flores usque. In summo verò parvæ umbellæ huic proferuntur botris ex viridi rubentibus, circa quos exteriùs in orbem aperiuntur *flores*, velut coronantes umbilicum ac compressi, suaverubentes, sanguineis lineis eleganter depicti, *staminibus* intus luteis, deinde succrescentibus paullatim mediis floribus & se aperientibus, viticuli ad pedalem interdum longitudinem producuntur, succedunt fructus, dispositi ut in superiore, sed minores, & circa summum serratis vel dentatis oris purpurantibus. *Sapor* radicis & foliorum amarus; *seminis* verò parum acris, quod minutum Irionis modo atque flavescens est, copiosum in folliculis utrinque, à superioribus differens. *Locus.*

Maio floret.

In declivibus montis *Capouladou à las Cambrettes*, non procul Monspelio inter rupes cum flore & semine Maio & Junio mensibus collegit *D. Magnol.* *Tempus. Locus.*

Parkinsonus plantam eodem capite repetit: primò eam ponit sub titulo Thlaspeos parvi saxatilis flore rubente; deinde Thlaspeos montani carnoso rotundo folio; aut certè titulos confundit.

* 15. *Thlaspi saxatile Polygalæ folio* C. B. Park.

C. B.

Cauliculis est pedalibus, foliis Polygalæ formâ, sed longè minoribus, flosculis exiguis albidis; thecis rotundis, infractis; semine minutissimo. In saxosis circa Monspelium.

In Appendice ad Pinacem C. Bauhinus hanc videtur substituere pro Thlaspi montano nono, i. e. saxatili vermiculato folio, si eum rectè intelligimus, & tamen describit pro diversa specie; fortè pro nono interserendum vult inter octavam speciem & eam quæ pro nona ponitur in Pinace, quæ jam pro decima habenda est, &c.

* 16. *Thlaspi montanum semper virens* C. B. Park. *Thlaspi semper virentis species candida* J. B.

Caulis hujus crassus est & lignosus, à radice ad ramos usque cortice subfusco scabro tectus, multis *foliolis* oblongis, incanis sive candidis cinctus. *Flores* in umbellis albi: *Siliquæ* parvæ, subrotundæ: *Semen* acre.

* 17. *Thlaspi fruticosum alterum Lob.* J. B. *Thlaspi fruticosum folio Thymbræ hirsuto* C. B. *Thlasp. fruticosum Hispanicum* Park. *fruticosum minus* Ger. *VI. Hispanicum albo flore* Clus.

Multas statim è radice emittit virgas inæquales, frequentibus ramis donatas. *Folia* illius angusta, mucronata, nullo servato ordine caulem & ramos ambiunt, satis manifestæ acrimoniæ. Extremi rami multos albos *flosculos* in caput congestos ferunt: quibus excussis subsequuntur planæ *thecæ* in spicæ speciem nascentes, superioribus similes, duobus utriculis constantes, in quibus semen. *Radix* crassiuscula dura non vivax.

J. Bauhinus siccæ plantæ ramulum Heidelbergæ à Sprengero accepit pro Thlaspi fruticoso Lobelii altero: cujus *folia* alternatim disposita, rara, unciâ breviora, vix culmum lata, in acumen desinentia, & albida sive cinerea: capsulæ cum cuspide in extremo, similes Thlaspi Mechliniensi; *flosculi* majusculi albi, illius similes, similitérque dispositi: folia tantùm diversa. Hæc autem planta vel eadem est, vel similis Clusio descriptæ.

• 18. *Thlaspi fruticosum folio Leucoii marini* Ger. *frutic. folio Leucoii marini minoris* J. B. *frutic. Leucoii folio angustifolium* C. B. Park.

Lob.
Virgæ huic numerosæ, sparsæ, crebris Leucoii minoribus *foliis*: *flores* candidi, copiosi, & *semen* compressum Thlaspi, parvi. *Radix* lignosa, fibrosa.

• 19. *Scorodothlaspi Ulyssis Aldrovandi* J. B.

J. B.
Radice nititur singulari, albâ, paucis fibris donatâ. Ea veluti in capita divaricatur, numeroso *foliorum* stipatu longis pediculis præditorum, quæ ex principio angusto sensim ovatam figuram acquirunt, & subrotundo ambitu finiuntur; quorum priora foliis Bellidis quodammodo respondent, quædam leviter laciniata, quædam paucis denticulis, alia ferè nullis donata. Color virens est, pluscolis ex costa nervis excurrentibus. At quæ alterno positu cauliculis hærent *folia*, præsertim suprema, minimis ceu alis *caules* amplectuntur. Cauliculorum fastigio *flosculi* insident albi, parvi, Bursæ pastoris vulgaris; quos bursæ sequuntur obliquæ, subrotundæ, cordatæ, non multùm compressæ, ad Thlaspeos cordati bursulas accedentes. Tota cæterùm planta Allium redolet manifesto odoratu, ac etiam non tacta. Radicula & folia oleraceo gustu prædita sunt, grato & vel tantillum acredinis sapidæ in faucibus relinquente, non sine halitu Alliariæ.

Tempus. Flores & siliquas produxit Julio.

• 20. *Thlaspi Alexandrinum* C. B. Park. *Alexandrinum Cortusi Joh. Bauhini* J. B.

J. B.
Herba est dodrantalis, ex *radice* singulari quaternos [aut etiam plures] *caules* emittens, teretes, glabros, multis alis concavos: ad quorum divaricationes, propagationésque, superiore præsertim parte, *folia* singula, velut Perfoliatæ, ramos amplectuntur, subrotunda. Ramorum extremis longa serie utrinque ex brevibus pediculis appenduntur *siliquæ* circinatæ, quales ferè Thlaspeos tenuifolii Fuchsii, majores, in mucronem leviter obtusum desinentes, quas secundùm longitudinem percurrit costa, à qua utrinque valvulæ bipatentis *siliquæ* dehiscentes abscedunt, dissepimento medio relicto, ínque singulis valvulis singula *semina* compressa, russa, ex latiore basi in acutum desinente.

21. *Thlaspi spanospermon Americanum* Park. *luteum spanospermon* Cornut.

Huic plantæ *radix* est durior, multísque fibrillis hæret: *folia* sunt digitali longitudine initio, admodum angusta, humi sparsa, & subpinguia: *cauliculi* semipedales, non sine adnatis ramulis longiusculis & capillaribus, foliis quidem vacuis, sed mille *flosculis* luteolis, tetrapetalis ornatis: qui postmodum, relictis aridis cauliculis quibus appendebantur, omnes decidunt; fructúsque unus tantummodo aut alter sparsim hinc indè spectatur, folliculi sci. compressi & oblongi, quales sunt Glasti sativi, in quibus *semen* concluditur acri sapore. *Sapor* plantæ subacris vulgaris instar Nasturtii leviter linguam pungit.

• 22. *Thlaspi clypeatum arborescens Creticum* Park. Alpin. exot.

Alpin.
Cubitalis altitudinis ramulos multos à brevi caudice digiti crassitie producit, longos, teretes, lignosos, à quibus alii ramuli exeunt, qui in summitatibus utrinque ex opposito *flosculos* parvos, albos habent, crebros, à quibus *siliquæ* parvæ, oblongæ, depressæ, scutorum figurâ à suis pediculis parvis pendentes, *semen* intus continentes rotundum, depressum, acre: Ramuli superius *folia*, pauca habent, longa, incana, tenuia, in extremis acuta; sed ramuli inferiùs ferunt surculos tenues, multos, ex quorum una parte *foliola* oblonga, tenuia, densa simul stipata pendent, quæ incana sunt. *Radice* nititur hæc planta multiplici, tenui, lignosa, inutili; *Semina* acria sunt, calida & sicca.

Hæc planta eadem videtur Thlaspi fruticoso alteri *Lob.* *J. B.* superiùs è Clusio & J. Bauhino descripto, aut Thl. fruticoso folio Leucoii marini minoris *J. B.*

§. 2. *Thlaspi umbellatum.*

In hoc genere petala florum exteriora duo duobus interioribus plus duplo majora sunt, capsulæ bina tantum semina continent, hinc indè unum.

1. *Thlaspi Creticum quibusdam flore rubente & albo* J. B. *umbellatum Creticum Iberidis folio* C. B. *Creticum umbellatum flore purpureo & albo* Park. *Thlaspi Candiæ* Ger. **Candy-Tufts.**

E *radice* alba, simplici, surculosa, satis crassa pro plantæ modo, sapore acri & amaro, *caulis* emergit pedalis aut dodrantalis, teres, solidus, ab imo statim ramosus, ramis creberrimis, durus, lignosus, glaber, viridis. *Folia* in caulibus & ramulis crebra, alterno aut nullo ordine posita, oblonga, angusta, glabra, Iberidis foliis æqualia & majora, paucis & majusculis crenis seu denticulis & margines incisa. Summi caules & ramuli striati *flores* sustinent velut in umbellas dispositos, speciosos, tetrapetalos petalis duabus exterioribus plus duplo majoribus quàm sunt interiora, successivè se aperientes,

tes, pediculis semuncialibus nixi, colore plerunque purpureo, rariùs albo. Singulis flosculis succedunt *thecula* compressæ, oblongæ, mucrone bifido, cum stylo oblongo à flore residuo: *Semina* bina ruffa in singulis.

Annua est planta. Sapor totius acris & vehementer amarus. Floris gratiâ in hortis colitur.

In sylvis montosis propè Salernum in regno Neapolitano, & Viterbum in Etruria spontaneum invenimus. *Locus.*

2. *Thlaspi umbellatum arvense amarum* J. B. *umbellatum arvense Iberidis folio* C. B. Park. *Thl. amarum* Ger.

J. B.

Sesquipalmaris est & altior planta; *cauliculis* pluribus, ramosis, striatis, subhirsutis: quibus adnascuntur *folia* oblonga, Iberidis, ex angusto principio sensim dilatata, & circa extremitatem crenata, crassiuscula, subhirsuta, sapore perquam amaro, subacri. *Flores* tanquam in umbella dispositi, quanquam inæquali ortu, ex albo purpurascentes, aut etiam penitus albi, quatuor constant foliolis, quorum duo majora longiora, ità ut ex iis unum simul utrunque inferius æquet aut etiam superet. Capsulæ fissæ, infractæ, Nasturtii vulgaris *semen* continent minutum, acre. *Radix* lignosa, albida, fibrosa.

A Thlaspi Cretico differt foliorum angustiâ; floribus sensim expansis summis caulibus & ramulis in spicas procurrentibus; cùm in Cretico seminalia etiam vascula floribus delapsis umbellatim disposita sint: florum colore ex albo leviter purpurascente: omnium denique partium minore magnitudine.

Morisonius in Præludiis Thlaspeos quandam speciem habet, Iberidis folio tenuissimè diviso, cui folia multò tenuius dissecta sunt quàm Thlaspeos Iberidis folio; flores & semina: cæteræque partes minores. *Alia species.*

Inter segetes in monte Saleva prope Genevam & circa Thuiri vicum prope Juram montem. Variis locis occurrit inter segetes in Germania. *Locus.*

• 3. *Thlaspi umbellatum Creticum flore albo odoro minus* C. B. *umbellatum Creticum, flore albo odorato* Park. *parvum, umbellato flore niveo odorato* J. B.

Clus.

Humile est, ex semine natum, singularibus *virgis* assurgit, rotundis, in plures ramos divisis, per quos, ut & per caulem, sparsa erant angusta, & extremo mucrone serrata *folia*, Cretici foliorum æmula, acri gustu prædita. Summo caule & extremis ramis nascebantur veluti quædam in unum caput congestæ umbellæ *florum* niveorum, odoratorum, quibus successerunt thecæ Cretici Thlaspi vasculis similes, in quibus *semen*. *Radix* etiam Cretici instar non vivax.

Considerandum proponit J. Bauhinus quantum differat Thlaspi hoc ab ejusdem Clusii Thlaspi in Allobrogibus invento, flore niveo.

4. *Thlaspi umbellatum Nasturtii folio Monspeliacum* C. B. Park. *umbellatum Narbonense* Ger. *umbellatum tenuiter diviso folio amarum Narbonense* J. B.

J. B.

Planta est multùm accedens Thlaspi umbellato arvensi amaro: *foliis* crassiusculis cum aliquot parvis laciniis sive portiunculis: *floribus* ferè iisdem, sed paullò minoribus: altitudine semispithamæâ: *cauliculis* aliquot firmiusculis in ramulos divisis: *radice* singulari, crassiuscula, in fibras distributâ. Hæc J. Bauhinus, qui plantam è semine Monspelio misso Thlaspi umbellati nomine natam fusè describit his verbis:

Præcedenti anno sata per hyemem eduravit, & sequenti ineunte Aprili *cauliculos* primùm protrudere cœpit ex una radice plurimos, striatos, longâ serie foliorum ad extimam usque prominentiam caulis donatos. *Folia* autem ima sustinentur petiolo unciali, supernè in quatuor portiones crassiusculas, latiusculas, mediâque sui parte sulcatas desinente: media porro folia summáque petiolo duas circiter uncias plus minúsve longo producuntur, crenarúmque imparili numero pro petioli longitudine brevitatéque differunt, ita ut longiores pediculi quatuor vel quinque portionibus à se invicem impari intervallo è regione collocatis diffitísque constent: breviores verò, modo duobus, sed rarissimè, modo tribus, Trifolii in modum, modò quatuor, modò quinque quoq; sed rariùs dispariq; longitudine donantur. Florere porro cœpit jam declinante Maio: in reliquis cum Nasturtio prædicto convenit: quæ si placet vide.

• 5. *Thlaspi Creticum flore albo majus* C. B. *Creticum album umbellatum majus* Park.

C. B. prod.

Radice est oblonga, paucis fibris donata: *cauliculis* palmum superantibus, rotundis: *foliis* paucis, oblongis, angustis, lævibus, alternatim caulem vestientibus. In cauliculorum summo *flores* candidi, magni, quibus thecæ magnæ, apice medio donatæ succedunt.

• 6. *Thlaspi*

* 6. *Thlaspi saxatile vermiculato folio* C. B. *montanum vermiculato acuto folio* Park. *Lithothlaspi montanum fruticosius vermiculato acuto folio* Col.

Col.

Radice lignosâ, albâ, magnâ, inter saxorum rimas se insinuat; ex qua crassa, lignosa, rugosáque propago multos *viticulos* breves, palmares emittit, angustis, parvis, carnosis, vermiculatis, rotundis ferè *foliis* nigrescentibus, acutis in summo, atque per ambitum hirsutis parùm, densis circa illos hærentibus; at circa flores rarioribus & brevioribus. *Flores* verò in magnas velut umbellas rotundas conferti, candidi vel suave-rubentes, petalis superioribus parvis, inferioribus majoribus, Thlaspeos Cretici florum ritu, quibus paullo minores sunt; staminibus intus quatuor luteis. *Flores* autem adeò crebri & densi sunt, ut planta tota iis obtecta videatur cùm floret. Succrescentibus mediis floribus atque dehiscentibus, exteriores & imi, *fructus* per caulem brevibus admodum petiolis, minoribus corpore *fructûs* insidentes relinquunt, latos admodum, cavos Cochlearis modo, atque Thlaspeos vulgaris Vaccariæ folio dicti majores, parùm elatos, cavam caulibus, convexámque nobis partem ostendentes. *Fructus* hi lati sunt, supernâ parte fissa, non rotundi sed angulosi. Gustu admodum acri sunt folia, at *semina* acriore, quæ lata, compressa, fulva, alis minora, singula medio folliculo vel disco, ut duo insint singulis fructibus integris.

Tempus & Locus. Maio floret, ac æstate perficitur. Reperitur Anversæ Valvæ saxosis montibus, in quibus nihil terreni reperitur.

7. *Thlaspi marinum Bæticum* Park. parad.

Park.

A Thlaspi Cretico umbellato vulgari differt foliis primis quæ à radice exeunt antequam excaulescat nonnihil dentatis seu serratis circa margines, caulibus minùs ramosis; umbellis tamen florum purpurascentium similibus; *semine* pallidiore flavo.

§. 3. *Thlaspi seu Leucoium biscutatum.*

Hujus generis plantæ ob semina compressa rotunda ad Leucoia accedunt, & Leucoia siliculosa seu biscutata dici possunt.

1. *Thlaspi biscutatum asperum hieracifolium & majus* C. B. *clypeatum Lobelii* Ger. *clypeatum hieracifolium majus* Park. *Lunaria biscutata* J. B. Buckler Mustard.

J. B.

Caules habet exiles, pedales aut dodrantales, ab eadem radice plures, uno vel altero *foliola* ad ramulorum divaricationes donatos; ea enim magna ex parte statim ex radice oriuntur, per terram sparsa, palmum longa aut breviora, paullo semunciâ latiora, crassiuscula, saturo virore prædita, ad latera sinuata, aspera & brevibus pilis utrinque hirsuta. Summis caulibus & ramulis *flores* innascuntur coacervati, tenuissimis pediculis hærentes, parvi, luteoli: atque hos sequuntur *pericarpia* pulcherrima, foliacea, peltata, didyma, ad ligulam, extra Scutulum quoq; prominulam, adnexa, quorum singulis singula clauduntur semina, latiuscula, orbiculata, compressa, rufa: [sapore & effigie Leucoii purpurei & albi potiùs quàm Nasturtii *Lob.*] *Radix* altè in terram descendit, mediocriter crassa, per plures annos vivax, & hyeme folia retinens.

Locus & Tempus. In Germania, Italia, Sicilia & Gallia variis in locis observavimus, Maio, Junio, & reliquis æstivis mensibus florentem.

* 2. *Leucoium Alyssoides umbellatum montanum* Col.

An ad præcedentem plantam, cujus eam synonymam facit C. Bauhinus, referre debeam dubito: quocirca descriptionem ejus è Columna hìc proponam, & rem Lectoris Botanici judicio submittam.

Folia huic longa, Leucoio luteo magnitudine proxima sed minora, per ambitum magis sinuata, hirsuta, carnosa, dura atque aspera, è *radice* longa, nodosa, candicante ex pullo, nervosa, sicco sapore, simul ex pluribus germinibus prodeuntibus Leucoii more; ex quibus *caulis* tenuis, hirsutus, bipedalis aliquando, raris interceptus foliolis, in cujus summo parùm dividitur, & *flores* veluti Corymborum modo densi, in umbellam dispositi emicant, lutei, ampli: quibus succedunt *fructus* læves, rotundi, duplices, latere conjuncti, compressi, apicem habentes medium, in medio extuberantes: quo *semina* singula, compressa, parva, flava, continentur; ut bina singulis duplicibus fructibus insint, sapore etiam sicco. *Folia* gustu dulci ferè, non acri.

Tempus & Locus. Augusto mense floridam & semine refertam invenit autor in excelsis Æquicolorum frigidísque jugis herbidis *Cornino* dictis, inque Valvensium montibus in valle supra Anversam præruptis umbrosis saxis juxta fluminis decursum.

* 3. *Thlaspi biscutatum asperum minus* C. B. *clypeatum asperum minus* Park. *Iondraba Alyssoides Apula spicata* Col.

Col.
Martio mense exit, *radice* admodum exiguâ, albâ, ex qua *folia* è terra parum el[illegible]ta sed convexa, hirsutie albâ, molli, densâ obsita, digitali latitudine majora, oblongâ formâ, nervulis crassis, pilosis; quorum aliqua circa petiolum, radicem versùs, laciniam habent, reliquam partem raris & magnis respectu folii serrata dentibus. *Caulem* è medio emittit rotundum, hirsutum, asperiusculum, pedalem aut paullò majorem, duabus vel tribus in summo alis divisum, è foliolis angustioribus multùm nec laciniatis prodeuntibus, reliqua parte nudum, nisi propè humum duo vel tria hærerent folia. In summo *flosculi* emicant Sinapeos modo, lutei, exigui, quibus deficientibus ab imo paullatim locum implent *folliculi* duplices, rotundi, Lentis magnitudine, simul latere conjuncti, compressi, parum hirsuti, in spicæ modum sursum elati, atque Aprilis fine perficiuntur.

Cirinolæ in sylva propè D. Rocchi *Mezzana* appellata, inter Pyrastros, Oxyacanthas & Asphodelos. Sapor plantæ totius acris. *Locus.*

* 4. *Thlaspi biscutatum villosum flore calari donato* C. B. Park. *Leucoium montanum flore pedato* Col.

Huic *folia* sunt Napi modo circa caulem, atque etiam à radice prodeuntia, quæ hirsuta, profundè incisa, candicantia ex viridi, parùm carnosa, mollia, gustu acriuscula, linguam mansa diu vellicantia; *Flores* in summo caulis hirsuti, crassi, albicantes, & cohærentium alarum densos profert, quorum externi primùm dehiscunt, Leucoii ritu, colore luteo, minùs saturo, tetrapetali, apice inter brevia staminula in medio prominente, caliculos habentes hirsutos, ut in Leucoio: sed his accedit, quòd binas appendices rotundas, inanes demittant inferna parte, quâ petiolo hærent. His succedunt exigui clypeoli effigie *fructus*, in apicem desinentes, Lenticulæ magnitudine. *Radix* carnosa, pedem longa, candicans, lignosa, ex dulci parum acris, minimi digiti crassitudine.

In saxosis Gallo-provinciæ, Bornii non procul ab insulis Stœchadibus provenit. *C. B.* Columna Maio floridam habuit ex oppido *Filettino* in montibus Romanæ ditionis ortam, cujus flores & fructus gustu acres esse percepit. *Locus.*

5. *Thlaspi biscutatum flore sulphureo* Hort. Oxon. *An Thlaspi biscutatum annuum asperum* Hort. Paris?

Foliis est asperis, & canescentibus, non saturè viridibus, ut in vulgari Thlaspi biscutato: *Floribus* etiam sulphuris colore tinctis non ut in illius flavis. *Radice* insuper annua, non ut illud vivaci. Q. Annon hoc sit Leucoium Alyssoides umbellatum montanum *Col.*

* 6. *Thlaspi biscutatum Raphani aut Irionis folio* Bocconi.

Cum reliquis biscutatis Thlaspeos speciebus convenit hæc nostra *Caule, Flore, Fructu*: Foliis solummodo discrepat, quæ Raphani aut potiùs Irionis formâ & magnitudine sunt. *Radice* est admodum exili & imbecilla, ex qua sæpenumero plures *cauliculi* exeunt. Annuum est hoc nostrum.

Circa Panormum, Agrigentum & Massiliam copiosè gignitur locis incultis & asperis. *Locus.*

* 7. *Thlaspi fruticosum Persicum foliis Keiri* Zanoni; *latifolium platycarpon Leucoii foliis* P. Boccon. *fruticosum Leucoii folio* C. B. Park.

Zan.
Ex *radice* longa, satis crassa, fibrillas plurimas in terram demittente oriuntur quasi in cespite multa *folia* longa, crassa, lævia, supra obscurè viridia, subtus pallescentia (decurrente per medium nervo subtili & vix perceptibili) ad extremum subrotunda; inter quæ oritur *caulis* pedalis, similibus foliis sed minoribus, ad genicula alternatim dispositis vestitus, qui in plurimos ramos se findit; atque in summis fastigiis ramorum proveniunt umbellatim plurimi *flores*, albi, petalis duobus majoribus, & duobus duplo quasi minoribus; in horum medio apparent plurima *staminula* russa, *apicibus* totidem luteis ornata. Florum odor satis gratus ad Violæ nigræ odorem accedens. *Flores* evanescentes relinquunt post se *capsulas* peltatas latas, in mucronem obtusum desinentes, colore obscuriore, versùs petiolum quadratas, bifidas *semina* continentes compressa, lata, Cinnamomei coloris, sapore amaro, acuto & pungente, velut Sinapi.

Floret per totam æstatem, sed copiosiùs vernâ tempestate, & frigore durante. Sponte provenit in Persia. *Locus & Tempus.*

Huic proculdubio idem est Thlaspi latifolium platycarpon Leucoii foliis *Bocconi*, quamvis Jac. Zanoni dubitet, quoniam P. Boccone neq; florum ullius odoris, neq; foliorum amaroris (qui in Thlaspi insignis Persico observatur) non meminit. Verùm hoc est argumentum tantùm negativum & nihil concludit. Potuit enim Boccone has qualitates, aliásve quas in descriptione præterit, vel non animadvertere, vel oblivisci, vel brevitati studens omittere. Descriptio Bocconiana sic se habet:

Surculis frutescit fragilibus, cubitalibus, subinde majoribus, rotundis, circa quos *folia* plura nullo ordine servato densè congesta sunt, crassa, glabra, indivisa, Leucoii æmula, per extremum retusa. Summitatem occupant *flores* Leucoii, albidi, quasi in umbellam congesti; quos excipiunt vascula biscutata, in quibus semen utrinque compressum. *Radix* subest crassa, vivax.

S. 4

§. 4. *Thlaspi fatuum Bursa pastoris dictum.*

Bursa pastoris J. B. Ger. *major vulgaris* Park. *major folio sinuato* C. B. **Shepherds purse.**

Nonnunquam palmaris, pedalis interdum & cubitalis [aut etiam sesquicubitalis] est planta. *Radice* nititur exili, rectâ, albâ, fibrosâ, sapore subdulci & nauseoso; è qua prodeunt *folia* oblonga, modò integra, plerunque tamen profundè utrinque laciniata, laciniis in acutas cuspides desinentibus, Dentis leonis ferè in modum, nonnihil hirsuta, pediculis uncialibus [potiùs ex angusto principio sensim dilatata] cùm superiora quæ in caulibus sunt latâ basi, absque pediculis iis adnascantur, laciniâ ceu auriculâ utrinque productâ eos velut amplectentia, nec omnino laciniata sint. E foliorum medio *caulis* unus, duo, tres, quatuórve, aut plures exsurgunt, in ramulos alternatim positos divisi, medius ab imo statim. Summi caules & ramuli in longas veluti spicas excurrunt flosculorum pediculis tenuibus semuncialibus insidentium. Sunt autem *flosculi* parvi, albi, quatuor petalis subrotundis minimè bifidis compositi, cum *staminulis* aliquot apices luteos gestantibus. Flosculis delapsis pediculi in uncialem longitudinem excrescunt, & seminum receptacula sustinent, ex acuto principio in latiusculam bifidam crumenulam desinentia, à caule extantes, & rectos cum eo angulos efficientes, aut etiam deorsum nonnihil reflexi. *Semina* in singulis vasculis continentur multa minutissima, per maturitatem fulva aut subrussa.

Hæc planta foliis mirè ludit, unde illam quæ folio est integro & non sinuato pro diversa specie non habemus: atque idcirco cum J. Bauhino ad idem caput reducimus B. past. folio sinuato primam, secundam & tertiam species *C. B.*

Locus. Secus vias locis desertis & incultis, inque areis, compitis ac ruderibus passim provenit, totâque æstate floret, viget ac semen perficit.

Vires. Astringit & constipat, hinc valet in hæmorrhagia narium [si pessum è cotone factum & ejus succo intinctum naribus indatur *Brunf.*] diarrhœâ, dysenteriâ, lienteriâ, [vino rubro vel aqua fluviali in qua chalybs candens extinctus fuerit decocta ac pota, vel ejus succus expressus] in mictione cruenta & gonorrhœa [succi expressi ℥ j. epotâ aut herbæ siccatæ juris duplo *Matth.*] menstruorum fluxu nimio. Externè vulneribus solidandis à plebeiis adhibetur, nec sine successu. Quinimo additur sæpius cataplasmatis febrifugis quæ carpis imponuntur.

Bursa pastoris non tantùm hæmoptoicis opitulatur, sed etiam certò medetur gonorrhœæ; quam singularem observationem post Tabernamontanum celeberrimo Seberio practico insigni debemus. *Sim. Pauli.*

CAP. X.

De Tetrapetalis siliculosis monospermis.

De Brassica marina monospermo.

Foliis carnosis cæsiis cum Brassica convenit, floribus albis, capsulis subrotundis, monospermis ab eadem differt.

Brassica maritima C. B. *marina monospermos* Park. *marina Anglica* Ger. *monospermos Anglica* J. B. **Sea-Colewort.**

Folia aliquot è *radice* ampla, lata, crassa, circa margines undulata, & veluti crispa, fragilia, pediculis crassis insidentia, colore cæsio seu ex viridi cinereo promit: è quorum medio *caulis* exsurgit crassus, bipedalis aut altior, foliis aliquot vestitus, summa parte in multos ramulos & surculos variè divisus & subdivisus, *florum* pallentium alborum congeries densas & umbellosas sustinentes, quibus succedunt *siliquæ* breves & crassæ, aliæ nuclei cerasi magnitudine, aliæ altero tantò majores, figurâ utrinque turbinatâ & acuminatâ, & thorulis quibusdam secundùm longitudinem donatæ, vel aliàs tuberculis exasperatæ, colore cinereo, quibus singulis singulum inest *semen*, pullum, viciæ ferè magnitudine. *Radix* crassa in multos ramos divisa, multos annos vivax: quin & folia per hyemem virorem suum retinent.

Locus. In arenosis maris litoribus circa Angliam ubique ferè invenitur. Verno tempore pro olere estur.

Cap. XI.

Myagrum monospermon J. B. *monospermon majus* Park. *monospermon latifolium* C. B.

J. B.

CRassa & alba est *radix*, annua tamen: quæ *caules* profert aliquot cubitum aut sesquicubitum altos, glaucos, teretes, læves, solidos, medullâ candidâ farctos, multis alis concavos, superiore parte valdè ramosos, ramulis prælongis à caule extantibus & angulos ferè rectos cum eo efficientibus. *Folia* Glasti sativi superioribus foliis nonnihil similia, plerunque tamen laciniata, præsertim inferiora, [parva, cum Brassicanis magnitudine neutiquam conferenda,] similitérque illis cæsia, pinnis suis caules amplectentia, sapore oleraceo. *Flores* lutei, quadrifolii, minores multò quam Brassicæ (imo Erysimi vulgaris pares) paullatim nec eodem tempore sese explicant, aliis primulùm è calice erumpentibus, aliis in *semen* abeuntibus, quod singulare in singulis spiculatis bursulis sursum spectantibus, & caulibus ramulísque appressis.

J. Bauhinus spontaneam observavit in agro inter *Dampierre* & S. Mauritium. Junio mense apud nos floret, & semine plenam maturitatem adepto radicitus interit. *Locus & Tempus.*

Cap. XII.

Myagro affinis capitulis rotundis J. B. *Myagro similis siliquâ rotundâ* C. B. Park.

J. B.

MUltos (inquit ille) ex *radice* simplici, lignosa producit *caules*: [Quæ in nostro hortulo vere satæ sunt plantæ è singulis radicibus singulos produxerunt,] cubitales & bicubitales, [Quæ apud nos provenêre cubitalem altitudinem non excedebant,] teretes, fragiles, hirsutos, ab imo statim ramosos, frequentibus ramulis è foliorum alis egressis: per quos *floribus* tenuissimis, minoribus quàm in Myagro, pallidis, longa serie succedunt alternatim disposita *capitula* exigua, Coriandro minora, semuncialibus pediculis tenuibus à caule extantibus hærentia, per maturitatem nigra, in apiculum desinentia, à quo quatuor costulæ minimùm alatæ ad pediculum usque porriguntur. In singulis capitulis *semen* inest unicum flavum, oleaginosum, nullo sapore manifesto. *Folia* Myagro similia, minora, aspera, obscuriùs virentia, nonnihil succulenta; quæ per caules & ramos alternatim disposita, nullis pediculis, amplexicaulia, alas utrinque pinnatas proferunt sapore viscido, & nisi obstet leviuscula acrimonia [quæ postea sentitur & linguam calefacit] fatuo: infima ex longis pediculis leviter sinuata sunt. *Descriptio est Jo. Bauhini à nobis interpolata & aucta.*

Annua est planta, semine deciduo se renovans.

Hujus ramulum invenimus inter plantas nostras siccas, ubi collegimus jam non recordamur. Ex semine Londino misso in hortulo nostro succrevit, floruit & semen perfecit.

Cap. XIII.

Myagro similis flore albo J. B. *Myagrum monospermon minus* C. B. Park.

J. B.

NUmerosa statim à radice fundit *folia*, glabra, uncias tres longa, ad Iberidis folia accedentia, laciniata nonnihil: Inter quæ *caules* surgunt medullâ farcti, alis concavi: Quarum exortum *folia* ambiunt alata & veluti denticulis laciniata. *Flosculi* in fastigiis candidi, exigui, quos vascula sequuntur subrotunda, acuminata, longo pediculo hærentia, ad Myagrum cum rotundis capitulis accedentia. *Radicula* longa, alba, simplex, vel cum paucis fibris.

Inter Bononiam & Florentiam reperit J. Bauhinus. Passim in satis circa Monspelium reperitur Maio & Junio cum flore & capitulis. *Botan. Monsp.* *Locus & Tempus.*

CAP. XIV.

Eruca marina Ger. *marina Anglica* Park. *item maritima Italica* ejusdem. *Eruca maritima Italica, siliqua hastæ cuspidi simili* C.B. *Cakile quibusdam, alii Eruca marina & Raphanus marinus* J. B.

J. B.

QUamvis tenuis longa tamen satis est hujus *radix*; numerosos *caules* proferens, dodrante altiores: *folia* Resedæ minora, pinguiora, gustu acri, subsalso. *Flores* peculiaribus surculis lateralibus insident, Erucæ aut Brassicæ positu & formâ, colore purpureo. *Siliquæ* crassiusculæ, breves, bina *semina* singulæ continent. Nos unicam in vasculo cellam seu cavitatem observavimus.

CAP. XV.

Lepidium glastifolium C. B. *Lep. non repens* J. B. *Lep. annuum* Lob. Park. *minus rectè.* Woad-leaved Dittander.

HÆc herba ex observatione nostra hujus loci est, siquidem *capsulas* producit monospermas; numerosissimas, sphæricas cum apice in summo, perexiguas, scabras, pediculis tenuibus semuncialibus, acuto, cum caule angulos facientibus, insidentes, qui *flosculis* parvis, albis succedunt. Flosculi autem successivè se aperientes paulatim in prælongas spicas excurrunt.

Miror Morisonum siliculas bifidas, membranâ per maturitatem pellucidâ & albâ disseptas ei attribuere, nisi fortè aliam plantam describat, nobis incognitam.

Locus. In agris quibusdam propè Ratisponam Germaniæ urbem copiosum observavimus.

CAP. XVI.

Rapistrum monospermon J. B. C. B. Park.

J. B.

EX *radice* longiuscula, albicante, parùm fibrosa, *caules* pedales, aliquando altiores, rotundi, tenues, ramosi, eleganter virentes, levitérque hirsuti exurgunt. *Folia* humi sparsa crassa sunt, Rapi foliis similia, ad principium laciniata, deinde subrotunda, leviter sinuata & hirsuta. *Flores* secundùm cauliculos palmares & tenues velut in spica dispositi, eleganter lutei aureíve, quibus *siliquæ* succedunt rotundæ, elegantes; propter strias [per eas quemadmodum in semine Coriandri discurrentes] in filamentum oblongum abeuntes, quæ quasi geminæ sibi insident, parte tamen superiore majore, cùm in ea *semen* parvum, oblongiusculum, sed unicum (unde ei nomen) contineatur.

Locus. In Italia non procul à Liburno portu; circa Genevam etiam & Monspelium spontaneum invenimus.

* 2. *Rapistrum maximum rotundifolium monospermon Hispanicum* Park. *maximum rotundifolium monospermon* Cor.

Præcedente elatior est, foliis majoribus in lacinias dissectis, extremo majore, subrotundo, magísque piloso. Quin & ramulis crebrioribus, floribus amplioribus, albis in calycibus subluteis, seminibus [potiùs vasculis seminalibus] rotundioribus, summa parte minimè acuminatis ab eodem differt.

Hanc speciem pleniùs describit Jacobus Cornutus in historia Plantarum Canadensium his verbis: Omnes hujus generis species *foliorum* amplitudine superat: hæc verò sunt, Raphani modo, extremâ parte rotunda, & ambitu crenata, supinâ variis asperitatibus in spinulas setaceas leviter extuberant, amplitudine palmari. Circa caulem subnascuntur his utrinque in eodem pediculo minora.

Caulis ad duo cubita elevatur, striatus, angulosus, ut folia hispidus in multiplices surculos divisus, in quibus longè minora quàm in caule folia glomeratim aggeruntur & sine ordine locantur: sunt enim illa & magnitudine & figurâ urticæ Græcæ similia; onusti sunt surculi innumera florum propagine, adeò ut integrâ vigeant æstate; *Flos* ex rotundo capitulo subflavo in quatuor candida foliola separatur, inter quæ tenuia filamenta & pistillum viride cum apicibus luteis apparent. Cuique flori succedit *semen* unicum, parvum, subflavum, rotundum, rotundâ quoq; capsulâ membranaceâ Coriandri magnitudine inclusum, quamvis initio dum viret paulo longior appareat, per maturitatem tamen orbicularis est figuræ.

Locus. In Hispania nascitur.

CAP.

Cap. XVII.

De Leucoio siliculoso monospermo.

1. *Leucoium siliculosum flore luteo umbellatum monosp. Thlaspi saxatile incanum, luteum, Serpylli folio minus* C. B. *Ionthlaspi luteo flore incanum* δασυφύλλον, *montanum, umbellatum* Col. *Thlaspi montanum luteum minus* Park.

Col.

Foliis exit incanis, asperis, parvis, angustis, oblongis, formâ & effigie congeneri plantæ à Matthiolo pro Alysso depictæ, minoribus duplo, circa *viticulos* rotundos, purpurantes, in terra stratos, hirsutie albâ asperâ obsitos: in quorum summo *flores* odorati, non parvi ut in congenere, sed magni respectu plantæ, atque non in umbellam, sed veluti longum corymbum in orbem per viticulos disponuntur, colore luteo, hilari aureóve, petalis infractis in cordis figuram: quibus ab imo *fructus* succedunt, alternatim etiam per orbem circa viticulos longis petiolis hærentes, figurâ rotundâ, Lentis magnitudine, incanâ hirsutie asperi, longum habentes apicem, in quibus unicum *semen* compressum fulvúmque continetur.

Maio & Junio florida & frequentissima in Æquicolorum montibus habetur: plana juga diligit. Folia dura & veluti humore carentia sicco sunt sapore, herbaceo, nec acrimoniam exserere videntur, sicuti & semina. Eadem radice regerminat post *flores*, sempérque vivit. *Tempus & Locus.*

2. *Leucoium siliculosum monosp. fructu compresso. Lunaria peltata minima quibusdam, ad Thlaspi referenda* J. B. *Thlaspi minus clypeatum* Ger. *clypeatum minus Serpylli folio* Park. *Thl. clyp. Serpylli folio* C. B. *Ionthlaspi minimum, spicatum, lunatum* Col.

Col.

Hujus *radix* exigua, tenuis & albicans, fibrillis aliquando divisa invenitur: plures emittit *viticulos*, tenues, asperos, dodrantales ad summum, supinos, aliquando rectos in unicaule planta: quos *folia* circundant alternatim disposita, candicantia, exigua admodum, duplo minora quàm Thymi durioris dicti, asperiusculi uno versu quandoque disposita. A medio verò viticulorum, (qui aspera hirsutie & candicante obducuntur) ad summum usque *fructus* cartilaginei rotundi, Lentis magnitudine, compressi, velut in longam spicam dispositi dependent, uno etiam ferè versu penduli è petiolis incurvis exiguis, minimum, in quatuor foliola divisum calycem habentes, oculos ferè fallentem. *Flores* velut in umbellam confertos in summo semper habet exiguos, & omnium minimos, luteolos, qui statim *folliculos* proferunt è medio rotundos, hirsutos [J. Bauhino non rectè glabros] in medio parum ventriosos, limbo circumductos, in ima parte veluti fissos Thlaspeos modo. Hi profecti paleæ colore fiunt, ab imo decidentes, Maii fine; *semen* intus unicum habentes ovali figurâ, compressum, flavum aut russum. Plantæ sapor parùm acris, Leucoii modo siccans.

In montium radicibus & collibus Soli orienti expositis sterilibus frequens Anversæ Valuensium, Aprilis mensis fine & Maio. Circa Monspel. collegimus: Cherlerus in Nemausensi agro. *Locus & Tempus.*

Cap. XVIII.

Thlaspi montanum Glasti folio C. B. *montanum Glasti folio majus* Park. *Thlas. Pannonicum Clusii* Ger. *Thl. folio Alliariæ* J. B.

J. B.

Hujus *folia* infima lata & rotunda sunt: quæ autem superiùs in caulibus, quos à fibrosa, obliquè acta, serpente, alba, tenui, lignosa, Alliúmque obolente *radice* plures emittit, teretes, læves, cubitales altiorésque. *Folia* inferiora sunt Alliariæ similia, alia ad Napi folia quodammodo accedunt, oblonga, aversa parte cæsia, adversâ in luteo virescentia, duabus pinnulis subrotundis caulem amplectentia, sapore oleraceo, nonnihil ad Cepas quoq; accedentes è quorum alis rami enascuntur, similiter foliati. *Flores* Nasturtii aquatici albi, quadrifolii. *Siliquæ* uno loculo donatæ, subrotundæ, nullâ fissurâ, *semen* continent singulæ singulum, flavum, gustu amaro & acri.

Invenitur umbrosis locis ad arcem Stichenstain, & quà iter est ex ea arce ad *Sneberg*: nusquam alibi Clusio observatum. Floret Junio, semen Julio & Augusto ad maturitatem pervenit. *Locus & Tempus.*

CAP. XIX.

De Glasto seu Isatide.

GLastum Latinis, *Vitruvio, Mela, Cæsare & Marcello Empirico* testibus, vitrum dicebatur. Vitrum ideò à Latinis dictum existimo quòd Gallis & Britannis antiquis *Glassa* diceretur, quod Vitrum rectè interpretati sunt. Glassa autem fortè dicta est à colore vitreo seu ὑαλίνῳ.

Glasti notæ sunt folia ad tingendum utilia, siliquæ compressæ, latæ, pendulæ, per maturitatem nigræ *Linguam avis* dictam imitantur.

Glastum sativum Ger. Park. *Isatis sativa vel latifolia* C. B. *Isatis sive Glastum sativum* J. B. **Woad.**

Pollicaris hujus *radix* albida & lignosa ad cubitum & sesquicubitum descendit, inquit J. Bauhinus. *Caules* surrigit minimi digiti crassitie, bicubitales, rigidos, teretes, læves, subrubentes, in summo valdè ramosos; *foliis* creberrimis, nullo ordine positis vestitos. *Flores* in ramulis lutei, crebri, exigui, quatuor foliolis longiusculis, obtusis, minimè bifidis compositi, pediculis longis, tenuibus subnixi [J. Bauhinus octo folia flori tribuit, verùm quatuor illa quæ minora vocat calicis sunt non floris] *Stamina* lutea, exigua. Capsulæ seminum per maturitatem nigricantes, latæ, obtusæ, *Linguæ avis* similes sed minores, costa longitudinem percurrente, secundùm quam etiam aperiuntur, singulæ singula semina flavicantia continent. Ob pediculorum tenuitatem capsulæ deorsum dependent ac si pilis appensæ forent. Folia ima ad Cynoglossum accedunt, nonnihil glauca, oblonga, glabra. Quædam tamen ex prioribus interdum hirsuta, inquit J. Bauhinus, ac etiam nonnunquam sinuata, ad Hesperidis folia accedentia. Quæ in caulibus & ramis nullo pediculo interveniente adnascuntur, pinnatis barbulis ad basin donata, oblonga, angusta, in acumen desinentia, glauca, glabra, quædam tamen ex inferioribus aversa parte ad margines præsertim & nervum medium rarioribus pilis hirsuta. Tum caules tum folia glauco quodam polline obducta sunt, quæ facilè detergi potest. Secundo à satione anno caulescit & floret, & postquam semen perfecerit radicitus exarescit, semine deciduo se renovans.

Locus. Seritur in Mediterraneis Angliæ. Sylvestris à Sativo nonnisi culturâ differre videtur.

De Isatidis cultura & præparatione ad lanas tingendas integrum librum scripsit Henricus Crolachius.

Vires & Usus. Glastum facillimè & copiosissimè præbet salem volatilem, imò sine igne, egregii usûs in Scorbuto & Angina. Hæc planta multò meliùs tingit lanas quam *Indigo*, quod admixtione salis corrosivum evadit. *Wedelius de Sale volatili plantarum.*

Cultura & Præparatio. De cultura & præparatione Isatidis lubet huc transferre quæ habet Wedelius loco citato.

Optimè inquit crescit iis in arvis, quibus priùs Linum satum fuerat; sin minùs antecessore hoc gaudeat, stercorari eadem probè postulant.

Alterutro horum facto, aut foditur terra ad sationem, aut aratro ad id aptato quadrijugali profundiùs aratur. Sin communi aratro præstare id libuerit, lentè festinandum est, morâ enim eget.

Quod Autumno aratro præparatum est arvum hyemalibus feriis ad Purificationis Mariæ festum relinquitur uberi irrigationi.

Semen ipsum perinde est, recénsne an vetustum sit, modò non fumi accessione (quod notabile est) corruptum fuerit.

Post festum Purificationis, molliori cœlo, seritur, & ex voto quidem magis modicâ nive positâ, & ea quidem cautione, nè densè nimis satio fiat.

Elapso uno alteróque die, quæ mora non de nihilo est, studiosè mediante occatione, terrâ obtegitur.

Post Pentecosten diligenter repurganda ab aliis herbis.

Post festum S. Joannis ad primam messem maturescit: cùm extima folia flavedinem præ se ferunt, vel metus est flores ipsum meditari, ferro ad id parato in terra herba detruncatur in cumulum hinc colligitur & ad loturam fertur.

Factâ lotione pabone ad locum aptum mittitur, sparsim dispergitur, & vertendo siccatur: marcor hic seu colono, si minor fiat & superficiariè, seu emtori, si justus, lucrum fœnerat, illi quidem aucto globulorum numero, huic meliori præparatione. Sin inconstans tempestas minùs faveat, ut modò siccetur, modò imbribus irrigetur, quæ liberari ab extraneo humore debebat, periculum subit corruptionis, & testis hujus, nigredinis, quod sæpe unicâ nocte contingit.

Absumpta superflua humiditate congeritur, & trusatilibus molis infertur.

A conquassatione seu comminutione & tritura hac, qualis quidem succulentis adhuc convenit, in acervum obtusum seu rotundum compingitur, superna parte tecta pro arcenda pulvia, circa latera verò ventilabra fabrificantur, ut herbacea sanies residua per noctem excludatur.

Abacto liquore digeritur in magnos globos, & tecto patulo ad id facto, ad machinam illam vecta imponitur, ut siccetur, adeò omni studio superflua humiditas abigitur, nè in putrilaginem fatiscat. Relinqui hic loci potest, quamdiu id fert occasio; aut globuli jam leniter exsiccati propriæ inferri domui, vel ad ulteriorem præparationem mercatoribus vendi possunt.

Globuli enim hi, quos sexagenos vendi videas, tabulatis ingesti & accumulati, sensim incalescunt, & urinosum sal volatile de se exhalant, eò citiùs quo calor ambientis æstivo tempore & eorum copia major; illud verò non solùm quo continentur spatium, sed totam sæpe domum & vicinas odore suo replet. Tandem aquâ etiam affusâ magis intenditur calor, donec non in cineres, ut quidam volunt, sed pulverem grossum tinctorum usibus aptum fatiscat, quod hinc Glastum κατ' ἐξοχὴν, seu præparatum audit.

Secunda

Secunda vice propullulans, non, uti prius, solicitis unguiculis ab immixtis aliis herbis repurgatur, sed oves in agrum mittuntur ut pasti intersito hoc gramine repurgent isatidem, neque enim illi vel esu nocent, vel conculcando in terram, nisi pastoris negligentiâ diutiùs ac par est inhæreant agro.

Exactis sex septimanis à prima messe denuò ut superiori tempore detruncatur, & iterum elapsis totidem hebdomadis, si cœlum Autumnale faveat, tertiâ vice; licet hæc minori bonitatis notâ, tum ob caloris Solaris digerentis insufficientiam, tum ob tempus loturæ minùs aptum.

Sequenti anno iisdem arvis, quæ priùs isatidem tulerant hordeum inseritur.

Sin semina desiderantur, tertia messe pars intacta relinquitur, unde vertente anno in semen exit. Hactenus Wedelius.

Nostrates in præparando Glasto methodum hanc non per omnia observant, ut ab amico, quem super hac re consului, certior factus sum.

Seritur circa initium Martii apud nos, solo pingui, calido & bene stercorato; circa medium Maium seriùs citiúsve pro anni temperie & herbæ maturitate decerpitur.

Quamprimum demetitur ad molam ilico defertur & molendo comminuitur tandiu donec in globulos formari aptum sit absque ulla mixtura.

Globos hosce craticulis vimineis (**hurdles** nostrates vocant) imponunt ad exsiccandum; cúmque penitus sicca evaserint, molæ iterum subjiciunt & in pulverem quàm possunt subtilem comminuunt.

Pulverisatum in area complanata, seu tabulato in acervum componunt, & copiosâ aquâ affusâ irrigant seu madefaciunt, donec concalescat & vaporem emittat; adeóque per plures septimanas calentem & effumigantem sinunt ut paulatim maceretur & maturescat, humore aqueo evaporante, medicamentoso concocto. Ad calorem autem moderandum nè nimis invalescat, per tres, quatuórve hebdomadas palâ quotidie versant; mucedinem autem inter exsiccandum & canitiem contrahit, quam iterum deponit, antequam plenam maturitatem adipiscitur, perfectum saccis inferciunt, & divendunt.

Æstate calida & serena succo meliùs concocto ad pigmentum conficiendum nobilius & præstantius evadit; pluviâ autem & humidâ foliis magis luxuriat, & uberiore proventu serentem ditat, cùm citâ regerminatione ad quatuor aut etiam quinque messes eâdem æstate adolescat. Prima messis omnium præstantissima habetur, reliquæ ordine, sequentes antecedentibus, deteriores.

Glastum autem non solùm colorem cœruleum de se præbet, verùm aliorum ferè omnium colorum basis & fundamentum est. Verùm pro instituti nostri ratione de Isatide satis: qui plura desiderat (nec enim hæc ad artis hujus prorsus rudem & ignarum instruendum sufficiunt) eos consulat qui hanc materiam ex professo tractârunt, nimirum Crolachium prædictum, & Auctorem anonymum *Artis Agriculturæ* Anglicè conscriptæ.

Joanni Bodæo à Stapel non assentio agrum Glasti proventu non emaciari sed lætificari potius, quamvis frumento producendo magis fortasse idoneum evadat: nec enim triticum solo valdè opulento satum fertilissimum est; siquidem foliis & culmis supra modum luxurians vim omnem in ea effundit, nec granorum admodum ferax est, neque plena & farinâ prægnantia procreat.

Cap. XX.

Coronopus Ruellii Ger. *recta vel repens Ruellii* Park. *Coron. Ruellii sive Nasturtium verrucosum* J. B. *Ambrosia campestris repens* C. B. **Swines Cresses.**

J. B.

Terræ apprimit *caules* nunquam surgentes, spithamæos, ramosos, rigidulos; per quos *folia* laciniata, cæsurâ foliorum Nasturtii, nec ita dissimili aut odore, aut sapore: *flosculi* secundùm caules minuti, albi; *seminum loculi* scabri, inæquales, lappulas imitati, quasi echini parvi muricati, quorum singulis *granum* unicum, nigrum, gigarto vitigineo ferè par inest. *Radix* longiuscula, satis crassa.

Locus. In uliginosis & ad vias tam in Anglia quàm in exteris regionibus reperitur.

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER DECIMUS SEPTIMUS,

QUI EST,

De Herbis flore tetrapetalo anomalis.

PRo floribus tetrapetalis hoc in loco habeo monopetalos etiam profundè in lacinias petalorum æmulas ad ungues ferè fissos, nè à recepta Botanicorum sententia nimis recedam.

Herbæ flore tetrapetalo uniformi anomalæ & sui generis variæ.

Harum notæ Characteristicæ, generum indices sunt.

Florum petala tenuia, ampla, fugacia, succus lacteus aut flavus, acer, vis narcotica; & in plerisque speciebus *calix bifolius* seu *bivalvis caducus*; PAPAVER, cujus duo sunt genera; *Alterum,* vasculis seminalibus brevibus in plurimas cellulas divisis, operculo stellato; iisque vel glabris; PAPAVER *Sativum* & *sylvestre* plurimarum specierum; vel hispidis; ARGEMONE: *Alterum* siliquosum; PAPAVER *corniculatum*; cujus omnino species est *Chelidonium majus* dictum, siquidem succo flavo acri turget, & calicem habet bivalvem caducum.

Vasculum seminale in quaterna loculamenta partitum, loculamentis superiore parte aliquousq, disjunctis, & in angulos eminentibus; foliis in plures lobos seu segmenta divisis, glaucis, glabris, odore vehementi; RUTA. Rutæ flos interdum pentapetalos est, & vasculum quinis loculamentis compositum: verùm hoc accidentarium esse puto & luxuriantis naturæ lusui tribuendum: naturaliter enim & ordinariè quaterna tantùm petala, & totidem in seminis conceptaculo loculamenta obtinet.

Vasculum seminale tricoccum in summo stylo, & succus lacteus in plerisque speciebus acer & fervidus; TITHYMALUS.

Flores staminosi; in spicas congesti, Flosculorum tubi in vascula seminalia elliptica, (quæ per maturitatem horizontaliter rumpuntur) intumescentes, seminibus intus binis, puliciformibus. Hujus generis aliæ caulibus sunt

- *Nudis,* foliis vel
  - *Latioribus,* nervosis; PLANTAGO.
  - *Angustis,* in nonnullis etiam ad margines dentatis aut laciniatis; CORONOPUS.
- *Foliosis,* foliis angustis, binis oppositis, florum spicis è foliorum alis egressis; PSYLLIUM.

Siliquæ flores antevertentes, quæ per maturitatem quadrifariàm partiti & dehiscentes, quatuor seminum series ostendunt. Flores summis siliquis insident, & integri unà cum calicibus decidunt; LYSIMACHIA *siliquosa.* Hujus species quas novimus omnes præter *Virginianas luteas* siliquas producunt lanigeras.

Vascula seminalia in bina loculamenta divisa, & plerunque compressa: Flosculi parvi, petalis ad ungues junctis, ita ut integri decidant, suntque vel floribus

- *E foliorum alis exeuntibus,*
  - *Singulatim,* ità ut è singulis alis singuli egrediantur flores; ALSINE *spuria,* nimirum foliis *Chamædryos, Hederulæ, Veronicæ.*
  - *Spicatim,* ita ut è singulis foliorum alis egrediantur singuli surculi flores multos in spicas dispositos sustinentes, vasculis sem. compressis, Bursæ pastoriæ æmulis; VERONICA.
- *In summis caulibus spicatis;* VERONICA *spicata.*

Anagallis aquatica dicta *major* & *minor* tam *rotundifolia*, quàm *longifolia*, itémque *Anagallis aquatica quarta Lob.* floribus & seminum conceptaculis cum *Veronicis* conveniunt ideòque *Veronicæ* potiùs quàm *Anagallidis* speciebus annumerantur. Ad idem etiam genus pertinent *Chamædryos Spuriæ* dictæ species omnes.

Papaveris spinosi, si rectè accipio mentem Botanicorum qui illud descripserunt, calix trifolius est, quâ in re differt à reliquis *Papaveris* speciebus nobis observatis. Loculamentorum vasculi seminalis respectu plurimùm inter se differunt *Papaveris* species; Nam *Chelidonii majoris* siliqua simplex est & indivisa, unicâ intus continuâ cavitate; *Papaveris corniculati lutei* in bina loculamenta secundùm longitudinem dividitur; *Pap. corniculati flo. phœniceo* in terna; ejus quæ *flore* est *violaceo* in quaterna. *Papaveris vulgaris* tam *Hortensis* quàm *Sylvestris* capitulum in plurimas cellulas dividitur incerto numero, usque ad duodecim aut interdum quindecim, prout planta vegetior est aut languidior. Operculi autem stellati radii indicant numerum cellularum in quas capitulum dividitur.

Hinc patet à numero loculamentorum in quæ dividitur seminis conceptaculum solo & per se plantarum genera non rectè semper distingui.

Huc etiam referenda sunt *Pentaphyllum siliquosum primum & secundum* Morrisoni, nec non *Trifolium Lusitanicum bivalve flore rubro* ejusdem, quæ siliquarum respectu cum Chelidonio majore conveniunt.

Cap. I.

De Veronica.

Veronicam Recentioribus quasi φερονίκην dictam existimat C. Hofmannus, quia triumphat inter plantas noviter repertas.

Veronicæ notæ sunt, Flosculi parvi tetrapetaloides, nam quæ videntur petala distincta ad ungues juncta sunt, adeò ut flos integer decidat, unde strictè & propriè loquendo flores monopetali sunt non tetrapetali. 2. Vascula seminalia in bina loculamenta divisa & plerumque compressa Thlaspeos instar.

In hoc genere calycis folia non decidunt unà cum flore, ut in Tetrapetalis siliculosis, *Nasturtio*, *Thlaspi*, &c. sed à flore delapso restant ad seminis usque maturitatem: præterea flores è sinu foliorum exeunt, præter illorum normam, in quibus nulla ad florum exortum apponuntur foliola.

Veronicæ autem in triplici sunt differentia. Aliæ enim flores spicatos producunt, spicis summos caules & ramulos terminantibus quæ Veronicæ spicatæ dicuntur. Aliæ florum spicas producunt è foliorum alis exeuntes: quod genus Teucrii seu Chamædryos spuriæ nomine insignitur.

Aliæ denique flores singulares seu solitarios secundum caules, è foliorum sinubus proferunt, quæ Alsinæ spuriæ censentur.

§ 1. *Veronica spicata.*

1. *Veronica spicata latifolia* C. B. Ger. *major latifolia foliis splendentibus & non splendentibus* J. B. *spicata latifolia major* Park. **Great broad-leaved spiked Speedwell or Fluellin.**

Clus.

Cubitales profert *caules*, interdum etiam ampliores, non valdè ramosos, certè quàm rarissimis alis, sed multis nodis præditos; *folia* contrariis inter se petiolis ad singulos nodos nascentia, duas aut tres uncias longa, unam lata, crassa ex atro viridia, splendentiaque, raris & vix conspicuis crenis serrata, gustûs admodum astringentis & exsiccantis, deinde acris. Summo caule spicatim crescunt multi conferti *flosculi* Veronicæ rectæ dictæ floribus formâ similes, sed colore paulò dilutiores, ab infima parte spicarum explicare se incipientes quemadmodum Teucrii & aliarum spicatarum flores. *Semen* in planis vasculis continet, exile, fuscum. *Radix* crassa est, multisque fibris donata, singulis annis novos ex lateribus caules producens.

2. Est alia hujus species cubitalem altitudinem non excedens, multisque in summo caule ramis prædita, cujus *folia* superioribus non minùs ampla & crassa sunt, sed neque splendent, neque adeò atra sunt. *Secunda species.*

3. Conspicitur & tertia species, secundæ non valdè dissimilis, cujus folia evidentioribus crenis serrata sunt, ramulique oblongiore florum spicâ præditi: in reliquis conveniunt; utrique sapor idem qui priori. *Tertia species.*

Invenitur hoc genus cum suis speciebus in multis Pannoniæ sylvosis montibus, & ad radices Stiriacarum Austriacarúmque Alpium, gaudétque umbrâ. *Locus.*

Floret Julio, aliquando etiam Junio, in hortis præsertim: Semen Augusto & Septembri maturum est. *Tempus.*

2. *Veronica spicata recta, profundè serrata, quam Lysimachiam cœruleam quidam vocant* J. B. *Lysimachia spicata cœrulea* C. B. *cœrulea* Ger. emac. *cœrulea spicata* Park.

J. B.

Cubitalis, teres, glabra, ex certis intervallis terna aut plura *folia* ad nodos habet, Ptarmicæ foliis similia, uncias duas aut tres longa, culmum lata, valdè serrata, glabra. Spica longa *floribus* densè congestis constat, cœruleis, quibus deciduis remanent longa staminula. Succedunt plura exigua

marsupiola in quibus *semen* minutum. Parvâ & fibrosâ *radice* nititur, non reptante, sed plures à capite turiones seu germina novella protrudente quotannis, quibus valdè se propagat.

Locus. In Pannoniâ & vicinis Austriæ atque Stiriæ regionibus vel secundùm rivos, vel in montanis pratis sponte nasci narrat Clusius.

A. 3. *Veronica spicata recta major & minor* J. B. *spicata minor* C. B. *assurgens sive spicata* Ger. *Item Veronica spicata angustifolia* C. B. *erecta angustifolia* Park. **The lesser spiked Fluellin or Speedwell.**

J. B.
Obliquam *radicem* agit, fibratam; *caulem* rectum tollens, interdum quatuor unciarum tantùm, aut pedalem vel cubitalem; interdum altiorem multò, simplicem plurimum, ad cujus nodos *folia* nascuntur angustiora, acutiora quàm Veronicæ vulgaris, leviter crenata, hirsuta, ad radicem latiuscula. *Caulis* in spicam longam desinit, plerumque visu simplicem, interdum *floribus* Veronicæ vulgatæ cœruleis densissimè stipatum, paullatim florescentibus, primùm inferioribus denique summis: quibus excidentibus staminula remanent longa: *Semen* autem planis bifidis *capsulis* continetur.

Veronicam spicatam majorem à minore magnitudine tantùm variare existimat J. Bauhinus. Clusius & Lobelius specie diversam faciunt. Altera (inquit Clusius) major est, latioráque habet folia & longiorem florum spicam: altera minor graciliorem breviorémque caulem, angustiora folia, minorémque spicam. Ego equidem non libenter multiplico species præter necessitatem, ideóque cum J. Bauhino sentio has duas non distingui specie; nihil tamen fidenter affirmo.

C. Bauhinus Veronicam secundam erectiorem angustifoliam *Clus.* ab ejusdem Veronica recta vulgari majore non distinguit. J. Bauhinus quoque Veronicam secundam majorem angustifoliam *Clus.* multum convenire scribit cum Veronica sua spicata recta. Descriptio Clusii sic se habet:

Fibrosa *radix* lateribus se propagat, novos singulis annis stolones promens, cubito non minores, rectos, virides, veluti nodis aut geniculis distinctos. *Folia* in singulis nodis bina ex adverso nascentia, oblonga, Lysimachiæ cœruleæ dictæ pænè similia, sed crassiora & in ambitu minùs serrata, gustu adstringente & ingrato, postea acriusculo. Summi rami in spicas desinunt cœruleorum flosculorum quatuor foliolis constantium, in quorum umbilico duo *staminula* cum exiguo stylo. *Semen* in bifidis vasculis, planis quidem, sed aliquantulum tumentibus & pulvinatis, exile admodum & rufum.

Variat foliis paullò latioribus, prima tamen specie angustioribus, caulibus minùs ramosis, dilutioréque florum spicâ. Sapor quidem astringit & exiccat, sed non adeò vehementer ut in prima specie.

Locus & tempus florendi eadem quæ primæ speciei. *Clus.*

Cæterùm Veronica spicata minor nobis observata est in pascuis quibusdam medio circiter itinere inter Cantabrigiam & Novum Mercatum.

J. Bauhinus Genevæ & in Sabaudia observavit florentem Julio: Montbelgardi etiam in agris propè *Audincourt*.

4. *Veronica parva saxatilis cauliculis nudis. Teucrium minimum* Clus. hist. *Chamædrys spuria minima* Park.

Eodem modo per terram sese expandit in varios divisa cespites, quo Cotyledon Matthiolo altera aut Sedum serratum. Clusio instar minoris Gentianæ vernæ elegantis, ex eodem radicularum capite breves ramusculos in ambitu fundit, humi recumbentes & sustinentes quaterna aut sena foliola, alternis quidem sibi opposita, sed adeò arctè congesta, ut eodem exortu nasci videantur, quæ parva, subrotunda, hirsuta, per margines crenata. E foliorum medio, ut in Sedo serrato dicto, exilit cauliculus, duarum triúmve unciarum, teres, gracilis admodum, foliis nudus flores in summo fastigio gestans, non binos tantùm (ut vult Clusius) sed quinque, sex, aut etiam plures Chamædryos spuriæ aut Veronicæ, cœruleos cinereósve, quadrifolios, qui tamen ut in reliquis integri decidunt. Ad singulos florum pediculos singula foliola oblonga. Vascula seminalia magna, compressa, bifida.

Locus. In montis Juræ vertice *Thuiri* copiosum invenimus: Clusius in summo *Sneberg* jugo.

An Chamædrys Alpina minima hirsuta *C. B. Prod?*

* 5. *Teucrium sextum* Clus. *Chamædrys Alpina saxatilis* C. B. Park. *Teucrium petræum pumilum* Ger. emac.

Clus.
Pumilum est admodum, semipalmaribus *virgulis*, quadam lanugine pubescentibus, quas bina semper inter se opposita vestiunt *folia*, minoris Chamædryos foliis satis respondentia, inter quæ summis virgulis oblongiusculi nascuntur è barbatis *calyculis flores*, à superiorum formâ diversi, concavi enim sunt extremis oris laciniati, latiores, cœrulei tamen etiam coloris, è quibus duo *staminula* cum longo *stylo* exeunt. Defluentibus integris flosculis succedunt crassiores & majores *siliquæ*, exiguo semine plenæ. *Radix* etiam per summa serpit, tenuibusque fibris prædita est.

Locus. In summo Etscheri jugo nec usquam alibi invenit Clusius.

Veronica petræa semper virens Ponæ. C. Bauhinus Veronicam petræam semper virentem Ponæ in Baldo huic synonymam facit: At Descriptiones non satis conveniunt. V. Ponam.

* 6. *Cha-*

* 6. *Chamædrys spuria minor angustifolia* C. B. J. B. Park.

C. B. prod.

Radice est nigricante, lignosa & fibrosa: *ramulis* plurimis in terram reflexis, palmaribus, rotundis, rufescentibus, nonnihil pilosis, rigidis, duris, & in ramulos plures subdivisis: *foliis* ad radicem nonnunquam oblongis, latiusculis, obtusis, minimè crenatis: reliquis verò ad cauliculos, brevibus, angustis, crenatis & in apicem desinentibus. *Flores* habet copiosos in spica oblonga dispositos, modò pallidè cœruleos, modò carneos, staminulis & stylo donatos, quibus ut sylvestri *semen* minutum succedit in parvis thecis.

Æstate floret in agris nostris ficcioribus & incultis; copiosè circa balneum *Bruglingen* occurrit. *Locus.*

* 7. *Chamædrys spuria hederacea repens, sive scutellata repens* C. B. *Chamædrys hederacea, sive Teucrium pratense foliis hederaceis* Cat. Altdorf. *Jungermanni.*

Nomen sine descriptione. Circa Altdorfiam in Germania oritur.

* 8. *Veronica Alpina Bellidis folio hirsuta* C. B. *minima Bellidis folio* Park.

C. B. prod.

Radice est per terram transversim repente, fibris oblongis nigricantibus donatâ: *cauliculo* semipalmari vel paulò altiore, tenui, hirsuto, duro, flexili, reclinato: cujus *folia* ad radicem plura, Bellidis cœruleæ foliis formâ respondent, parva, subrotunda, atrovirentia, hirsuta & crassa, in cauliculo pauca, binis ex opposito sitis: Cauliculorum summitatibus *flosculi* aliquot cœrulei, quasi in umbella, ex parvis hirsutis calyculis prodeuntes, quaternis quinisve foliolis & staminulis binis cum stylo compositi insident: *Semen* verò in vasculis brevibus, compressis, ex medio veluti umbone stylo prodeunte, continetur.

Hanc in Helvetiorum Alpibus reperimus. *Locus.*

§ 2. *Veronica cum floribus foliis intermixtis, è singulis eorundem alis singulis.*

* 1. *Veronica terrestris annua, folio Polygoni, flore albo* Moris.

Moris.

Plantula est palmaris, *cauliculis* rectis: *foliolis* ad singulos nodos oblongis, angustis, Polygoni æmulis; è quorum sinubus singulis singuli exeunt *flosculi*, albi, tetrapetali; quos sequuntur *capsulæ* cordiformes, tumidæ, septo medio distinguente duplicem seriem *seminum* compressorum, rufforum. *Radix* tenuis est, inutilis: post semina ad maturitatem perducta exsiccatur tota planta.

Floret Maio, & semina perficit Junio; ubi sponte oriatur nescimus, sed semine deciduo singulis annis sese propagat in hortis nostris copiose. *Tempus.*

A. 2. *Alsine foliis Veronicæ* Ger. *foliis subrotundis Veronicæ* Park. *Veronicæ foliis, flosculis cauliculis adhærentibus* C. B. *Serrato folio hirsutiore, flosculis & loculis cauliculis adhærentibus* J. B. **Speedwell-Chickweed.**

Radice nititur tenui, simplici, fibrillis aliquot tenuibus oblongis capillata. *Caules* profert plures, [interdum unicum] palmarem aut dodrantalem, ima parte ramosum, rubentem, hirsutum, *foliis* vestitum infra flores conjugatim binis, triangularibus, minimi digiti ungue minoribus, hirsutis, circa margines serratis, pediculis brevibus aut nullis donatis. Verùm folia illa è quorum sinubus flores exeunt alternatim adnascuntur, suntque longiuscula, non crenata, Thymi similia. *Flores* perexigui, monopetali, quadripartiti, cœrulei, intus striati calice quadrifolio continentur, pediculis breviffimis in foliolorum alis sessiles singulis singuli; quos excipiunt *loculi* bipartiti Veronicæ aut Thlaspeos, pluribus *seminulis* compressis, per maturitatem fulvis repleti.

Ad margines agrorum ficciores, non rarò & in muris antiquis, hortorum areis & locis ruderatis. *Locus.*
Planta est annua; Maio plerunque mense floret.

A. 3. *Alsine foliis Trissaginis* Ger. Park. *Chamædryfolia, flosculis pediculis oblongis insidentibus* C.B. *Alsine serrato folio glabro* J.B. **Germander-Chickweed.**

J. B.

Pumila est planta è *radice* alba fibrosa *caules* aliquot surrigens rubentes, nonnihil hirsutos, articulatos, ad quorum singula genicula oriuntur *folia* parva, bina semper adversa, nervis rubentibus intersecta, longiora quàm latiora, serrata ut Chamædryos vulgaris, breviffimis pediculis appensa. Ex alis singulis singuli pediculi semunciales foliolis quatuor glabris circumseptum sustinent *flosculum* ex quatuor foliolis cœruleis, rariùs albis, infernè continuis, *staminula* pauca & stylum tenuem circumstantibus. Floribus decidentibus succedunt *loculi* bipartiti, turgiduli, in quibus *semen* rotundum.

In hortis & areis locisque cultis tota æstate floret. *Locus.*

A. 4.

A. 4. *Alsine hederacea* Ger. *hederulæ folio* C. B. *hederulæ folio minor* Park. *Alsines genus Fuchsio folio hederulæ hirsuto* J. B. **Ivy-Chickweed or small Henbit.**

J. B.
Radicem habet superiùs singularem & glabrum, rubentem, sine ullis adnatis, inferiùs verò quampluribus fibris tenuissimis, albicantibus capillatam, sapore terrestri. *Ramulos* per terram spargit dodrantales & longiores, infirmos, angulosos, lanuginosos, nonnunquam in alios ramulos subdivisos, nervulo medio separabili farctos; in quibus *folia* alternatim sita, semuncialibus pedicellis, hirsutis appensa, prima germinatione rotunda, mox in Hederacei folii modum angulata, sed crebrius incisa in tres, quinque, septémve portiunculas, carnosa, supernâ parte atrovirentia, infernè dilutiora, admixtâ interdum obscurâ purpurâ, utrinque hirsuta: Ad uniuscujusque folii exortum pedicelli fusci aut purpurascentes, unciales ferè, in aversam partem intorti, sustinent quatuor foliola cordata, glabella, margine lanuginoso, quæ complectuntur *flosculum* pallidè cœruleum, quaternâ divisurâ insectum, infernè continuum, striatum, *staminulis* binis tantillum cœruleis donatum, qui facillimè excidit. Succedunt didymæ *capsellæ* per transversum suturâ commissæ, in quibus *semina* bina, terna, quaterna, aliquando unicum, oblonga, gibba foras, intus concava, naviculæ instar in cujus meditullio tuberculum prominet, malum cymbulæ æmulans.

Locus. In arvis inter sata primo vere floret.

A. 5. *Alsine recta triphyllos sive laciniata* Park. *triphyllos cærulea* C. B. *folio profundè secto, flore purpureo seu violaceo* J. B. *Alsine recta* Ger.

J. B.
Aliquando duarum aut trium unciarum est plantula, non rarò etiam palmaris, aut dodrantalis, *coliculis* non, ut vult J. Bauhinus, supinis sed rectis ferè & pilosis; in quibus *folia* opposita, in aliquot profundas lacinias cæsa, alia integra, potissimum inferiora, pinguiuscula; ex quorum sinu orti petioli *flosculos* gestant purpureos, qui bifidas post se relinquunt *capsellas*: aliàs inter folia sedent flores. *Radix* parva, fibrosa.

Locus. In transmarinis inter segetes sæpius observavi: in Anglia rariùs invenitur; loca vide in Catal. Angl.

Hanc plantam bis ponit Parkinsonus, primò sub titulo allato *Trib.* 6. *cap.* 17. *n.* 5. *p.* 760. secundò sub titulo *Alsines rectæ flore cæruleo* Trib. 14. cap. 32. n. 6. p. 1260.

A. 6. *Veronica pratensis minor* Park. *minor* Ger. *pratensis serpyllifolia* C. B. *fœmina quibusdam, aliis Betonica Pauli, serpyllifolia* J. B.

J. B.
Plurimas *fibras* longas, tenues albas in terram demittit. Cauliculi quoque & ramuli in terram reclinati è geniculis radices agunt. *Coliculi* attolluntur aliquot semipalmares aut palmares, tenues, geniculati: ad singulos articulos *folia* bina opposita Serpylli, oblonga, subrotunda, nonnihil interdum crenata. *Flosculi* ex foliorum supremorum alis tenui & brevi pediculo singulatim exeunt, hoc est, ex singulis alis singuli, pulchelli, inodori, quatuor foliolis ad ungues junctis constantes, quorum tria cœrulea aut albicantia, striata, quartum reliquis minus albidum, nullis striis pictum: *stamina* in medio alba, apicibus cœruleis. Succedunt *Utriculi* Veronicæ similes.

Locus & Tempus. In pratis ac humentibus exit, inque sylvis, locis arenosis, & agrorum limitibus: Maio & Junio mensibus viget ac floret, sed per totum annum durat.

* 7. *Veronica maxima* Lugd. *Chamædrys spuria major latifolia* C. B.

Lugd.
Radice est nigra, pluribus fibris capillata: *caulibus* multis, fruticosa, cubitalibus: *foliis* Quercûs, multùm crenatis, semper geminis caulem quadratum Chamædryos instar amplexantibus, surculis multis ex alarum sinubus provenientibus, minimè foliosis. *Floribus* constat minoribus, Veronicæ more tetrapetalis, puniceis, densè & quasi spicatim in summis caulium digestis: quibus succedunt *capsulæ* cordiformes, bivalves, rotundiores, septo medio junctæ, *semina* hinc indè à latere ejusdem septi continentes. Floret ineunte æstate & paulò post semina perficit.

Locus. In Sequanis gignitur ad montium confragosa præcipitia inter saxa.

8. *Veronica saxatilis* J. B. *minor Alpina* Park. *serpyllifolia omnium minima* Ponæ. *Alpina frutescens* C. B. *frutescens Serpyllifolia* Ger. emac.

J. B.
Multis *ramusculis* surculosis, rotundis & lævibus exoritur, altitudinis ad summum unius palmi cum dimidio. Fert *folia* Serpylli modo, sed aliquanto longiora, in nigro colore virentia, obiter subinde crenata, sed rariùs, glabra, per extremum rotunda, bina opposita. Summos caules ornant *flores* majusculi, tetrapetali, colore cœruleo dilutiore, Chamædryos spuriæ vulgaris floribus similes. Succedunt *capsulæ* compressæ, cordatæ, Veronicæ vulgaris repentis similes.

Locus. In summis jugis montis Juræ propè *Thuiri* invenimus: Pona in altioribus summitatibus Baldi Orientem versùs.

Uterque Bauhinus huic synonymam faciunt Veronicam tertiam fruticantem Cluſ. *quam ſic deſcribit.*

Pedalibus eſt *ſurculis*, duris, lignoſis, lentis & flexibilibus, humi ſparſis & diffuſis, ac veluti cinctis frequentibus nodis, unde ex adverſo ſemper utrinque *ramuli* enaſcuntur vireſcentes, in quibus bina inter ſe oppoſita *foliola*, viridia, craſſiuſcula, ſplendentia, longiuſcula & minutulis crenis ſerrata, amari ſaporis. Extremis ramulis ſeni aut octoni inſident *floſculi*, ex alarum ſinu prodeuntes, tetrapetali, cœrulei coloris elegantiſſimi, pallente umbilico & rubro circulo eum ambiente, unde duo *ſtaminula* prominent, & ex medio velut umbone *ſtylus* muſcæ proboſcidi ferè ſimilis. *Semen* in latioribus majoribúſque vulgari Veronica vaſculis & compreſſis, exiguum, planum, fulveſcens. *Radix* lignoſa & multas fibras ſpargens: quin & ipſi ſurculi proximè radicem, atque etiam longiùs à radice (ſi paulum terrâ operiantur) ad ſingulos nodos fibras & radices agunt.

Provenit in Sneberg & Alpeſtribus Stiriæ jugis, ubi Junio floret. *Locus.*

Parkinſonus, & rectè quidem meâ ſententiâ, ſeparat Veronicam fruticantem Cluſii ab Alpina minima ſerpyllifolia Ponæ: Hæc enim non fruticat, neque pedalem longitudinem aſſequitur, ſed palmaris eſt & herbacea ſemper: quin & florum colore differt. Veruntamen ſi non conveniant ſpecie, admodum affines ſunt, & vix ulla alia in re quàm magnitudine differunt hæ duæ.

* 9. *Chamædrys ſpuria tenuiſſimè laciniata* J. B. *Cham. Auſtriaca foliis tenuiſſimè laciniatis* C. B. *Auſtr. laciniata* Park.

J. B.

Sanè quàm elegans hæc eſt Chamædryos ſpecies. *Caules* erigit pedales & altiores, teretes (præterquam craſſiores qui ab ima parte quadrati videntur) firmos, ramoſos, lanugine quâdam modicâ obſitos. *Folia* ſecundùm genicula ſingula plerunque hærent utrinque plura tenuiſſimè ac profundis ſegmentis laciniata. Ramulorum extrema *vaſcula* ex longiuſculis pediculis gerunt ſingularia, cordata, Chamædryos vulgaris ſpuriæ, foliaceo caliculo comprehenſa, in quibus *ſemen* exiguum coloris ſpadicei, compreſſum. *Radix* craſſiuſcula, multis nigris fibris donata.

In Goritienſi agro ab Agerio lecta ad J. Bauhinum tranſmiſſa eſt. *Locus.*

C. Bauhinus floſculos ſubcœruleos in ſpicam oblongam diſpoſitos huic aſſcribit.

* 10. *Chamædrys Hiſpanica foliis tenuiſſimè diviſis* C. B. Park.

C. B. prod.

Hæc caule eſt priore multò teneriore, rotundo, leviter piloſo, geniculis pluribus diſtincto; *foliis* brevioribus anguſtiúſque diviſis, & ad ſingula caulis genicula junctis: at cauliculus in tenuiſſimorum & parvorum foliorum quaſi ceſpitem abſumitur; & ad ſummum geniculum in duos pedicellos, triunciales, foliis nudos dividitur, quibus *floſculi* parvi, ſtylo oblongo donati inſident. Plura non licet.

§. 3. *Veronica ſpicata, ſpicis è foliorum alis egreſſis,* Chamædrys ſpuria *dicta.*

1. *Chamædrys ſpuria anguſtifolia* J. B. *ſpuria major anguſtifolia* C. B. *Veronica ſupina* Ger. emac. *Ver. Teucrii facie* Park. *Teucrii tertii quarta ſpecies* Cluſ.

Multas ab una *radice*, tenui ſed longâ, repente, lignoſâ, fibroſâ *virgulas*, per terram diffuſas, interdum nonnihil humo elatas profert, teretes & hirſutas, itidémque lignoſas, tenues, longitudine palmari & dodrantali: in quibus bina per intervalla *folia* opponuntur, oblonga, in ambitu ſerrata. Virgulæ in ramulos aliquot circa extremum diviſæ *flores* ſuſtinent in ſpicam digeſtos, non ſimul ſe expandentes, ſed inferiores primùm, cœruleos, *ſtaminibus* concoloribus & *ſtylo* tenuiſſimo, quorum pedicellis brevibus & tenuibus appoſitum eſt foliolum tenuiſſimum, oblongum, viride.

Naſcitur pluribus locis in pratis, juxta flumina, rivulos, ſcrobes ac fontes, ſubinde & in nemoroſis, ut rectè J. Bauhinus: Et Junio, Julio ac Auguſto cum floribus viget. In Anglia non invenitur ſpontanea. *Locus.*

2. *Chamædrys falſa maxima, an Teucrium* 1. *ſive majus Pannonicum Cluſio* J. B. *Chamædrys ſpuria major altera ſive fruteſcens* C. B. *Ch. ma. ſp. fruteſcens* Park. *Teucrium majus Pannonicum* Ger. emac.

J. B.

Congener vulgari Chamædryi ſpuriæ, verùm multis numeris eâ major eſt. *Folia* longa acuminata ſerrata per hirſutos *caules* bina: *Rami* itidem ex adverſo poſiti longam ſuſtinent *florum* ſpicam, Chamædryos vulgatæ ſimilem, majorem, ſuccedentibus compreſſis, bifidis capſulis.

In ſylvoſis Germaniæ atque etiam circa Genevam plurimis in locis oritur. *Locus.*

Cluſius *caules* cubitales, quadrangulos, ſubhirſutos Teucrio ſuo quarto attribuit: *folia* Chamædryos ſpuriæ vulg. bina ſemper inter ſe oppoſita, per ambitum ſerrata, amari ſaporis. *Flores* in ſpicis longis è foliorum ſuperiorum ſinubus egreſſis cœruleos, quatuor foliolis conſtantes, quorum quod ſuperiorum partem obtinet latiuſculum ſemper eſt venîſque diſtinctum: *Radicem* fibroſam admodum & vivacem, quotannis novos caules producentem, qui infima parte ſecundùm matrem radices agunt & ſe propagant.

Hujus

Hujus genus invenitur inter vepres, non minoris longitudinis virgas ferens, tenuiores tamen humíque diffusas, adeò frequentes ut magnos cæspites interdum latè tegunt, minoribus foliis & dilutiore flore.

A. 3. *Chamædrys sylvestris* Ger. *spuria sylv.* Park. *spuria latifolia sive fœmina* J. B. *spuria minor rotundifolia* C. B. **Wild Germander.**

Numerosis fibris *radicatur*, & reclinatis in terram ramulis subinde radices agit, séque reptando propagat. *Caules* surrigit spithamam & interdum cubitum altos, lanuginosos, teretes, tenues & infirmos; quibus adversa inter se per intervalla adnascuntur *folia* sine pediculis, serrata, hirsuta, saturè viridia, rugosa, è lata basi in mucronem non admodum acutum sensim desinentia, Chamædryos legitimæ similia, unde plantæ nomen. Ex alis foliorum exeunt *flores* in thyrsum digesti, qui quadrifolii videntur cùm sint revera monophylli, petalis ad ungues junctis, hilari cœruleo colore nitentes, saturatioribus lineis striati, umbilicis albis: in medio stylus prætenuis, violaceus cum duobus *staminulis apices* albos sustinentibus. *Calix* floris quadrifolius. Flores autem pediculis brevibus insident è sinu folioli exigui seu ligulæ exeuntes. *Vascula* seminalia compressa didyma, Veronicæ similia.

Locus. Maio mense floret, in pascuis frequens.

Sapor huic plantæ amariusculus; odor ferè nullus. Folia quæ in summis caulibus sunt, contra aliorum plantarum normam, pediculos habent longiores quàm quæ in imis.

A. 4. *Chamædrys spuria foliis pediculis oblongis insidentibus. Alysson Dioscoridis montanum* Col. *Chamædryi spuriæ affinis rotundifolia scutellata* C. B. **Wild Germander with leaves standing on long foot-stalks.**

Plurimis exiguis prælongis fibris in terram demissis *radicatur*. *Caules* teretes, hirsuti, tenues, in terram resupini, & subinde radices agentes, *foliis* vestiti per intervalla binis oppositis, pediculis semuncialibus insidentibus, hirsutie longa candicante subasperis, circum oras serratis magnis dentibus, brevioribus & pallidioribus quàm Chamædryos spuriæ vulgaris. *Flores* in thyrsos digesti ex alis foliorum similiter exeunt, rariùs dispositi [tres aut quatuor ex tenui admodum petiolo ac hirsuto] semuncialibus pediculis insidentes, monopetali sed in quatuor segmenta ad ungues ferè fissi, pallidè purpurei aut cœrulei, saturatioribus lineis striati: [quibus succedunt fructus depressi, ex duobus ovalibus folliculis scutulorum formâ constructi, latere inter se conjuncti, ipsique per oras hirsuti, foliola bina utrinque basis habentes, atque intus depressa semina fulva quina aut sena singulis lateribus continentes.]

Locus. In sylvosis humidis ad aquarum præcipuè rivulos nascitur.

Vires. Chamædrys spuria [de præcedenti specie intellige] optimum est remedium in Rachitide, si ex ea fiat decoctio. *D. Palmer.*

* 5. *Chamædryos falsa species Teucrium quintum Clusii* J. B. *Cham. spuria minor latifolia* C. B. Park. *Teucrium Pannonicum* Ger.

Clus.

Multas statim à radice fundit *virgulas* dodrantales, purpurascentes, humi procumbentes, quas alternatim bina semper ex adverso sita amplectuntur *folia*, Chamædryos foliis formâ & colore similia, & eodem modo per oras serrata, minora tamen, gustu linguam exsiccante, deinde amariusculo: summæ virgulæ in ramulos divisæ numerosos *flosculos* in spicæ formam nascentes gestant, quatuor foliolis constantes, eo quod superiorem floris partem occupat reliquis majore & latiore, cui circa umbilicum duo *staminula* inhærent, *stylúsque* è medio umbilico protuberat; integri deinde flosculi, qui sunt aut cœrulei coloris elegantissimi, aut dilutioris & quasi cineracei, sponte decidentes *siliquulas* relinquunt planas, exili subrusso *semine* plenas. *Radix* valdè fibrosa est & vivax, singulis annis novas virgulas producens: quin & ipsæ virgulæ nonnunquam secundùm radicem fibras agunt.

Locus. Nascitur omnibus fere siccioribus agris incultis, herbosisque aggeribus & colliculis secundùm vias publicas inferioris Austriæ.

* 6. *Veronica tetragona montana recta minima* Col. *Chamædrys spuria latifolia minima* C. B. *Cham. spuria minima* Park. *q.*

Col.

Pratensi Teucrio Veronicæ facie dicto admodum similis est, at minor omnibus sui partibus præter *flores* qui in hac plantula majores omnibus congeneribus sunt, colore cœruleo saturatiore, brevibus insidentes petiolis, circa summas duas alas, quibus dividitur *caulis* palmaris, quadratus, rubescens, hirsutus, geniculis senis divisus, quibus *folia* hærent bina alternatim [caulis laterum respectu] disposita, in imo tritici grano magnitudine paria, atque in singulis geniculis [paullatim] majora, donec indicis unguis magnitudinem assequantur, hirsuta, oblonga, circumserrata obtusis dentibus multis, Chamædryos ferè modo, sed absque petiolis, & circa caulis genicula latiora; in summo duas alas emittentia, caulémque foliolis intermediis parvis admodum veluti detruncatum terminantia. Julio proficitur, atque *thecas* apice longo Chamædryi spuriæ vulg. similes promit duplices per alas dispositas, tenuibus ramulis etiam divisas. *Radix* repit ex geniculis composita ex quibus dependet. Sapor foliorum exiccans.

Locus. In summis frigidisque montium Æquicolorum pascuis oritur, loco dicto *S. Angelo.*

A. 7. *Veronica*

A. 7. *Veronica mas supina & vulgatissima* C. B. *mas vulgaris supina* Park. *vulgatior folio rotundiore* J. B. *vera & major* Ger. Male Speedwell or Fluellin.

J. B.

Viticulis supinis, è geniculis radices agentibus in terræ superficie reptat. Sunt autem *cauliculi* seu viticulæ hæ tenues, teretes, longæ, hirsutæ, geniculatæ, *foliis* binis adversis, ad singulos articulos enatis, hirsutis, in ambitu serratis, Pruni foliis similibus, sapore amaro & acri, donatæ. *Flores* ex alis foliorum spicatim oriuntur Chamædryos adulterinæ more, è quatuor foliolis ex dilutâ purpurâ cœruleis, striatis compositi, staminibus concoloribus medium occupantibus: quibus decussis semen relinquitur Chamædryos adulterinæ loculamentis parvis Bursæ pastoriæ æmulis inclusum.

Flosculi revera monopetali sunt, nam quæ foliola distincta videntur ad unguem coalescunt, unde & flos integer decidit. Ad singulos autem flosculos apponitur ligula.

In pascuis siccioribus & ericetis copiosè provenit. Locis apricis, arenosis, & sabulosis delectatur. Æstate floret. *Locus.*

Est & alia (inquit J. Bauhinus) mihi hujus generis, foliis duabus unciis longioribus, & unciâ latioribus; caulibus cubitalibus, & alia multò minor foliis ad Veronicam fœminam serpyllifoliam accedentibus.

8. *Veronica mas erectâ* C. B. Park. *recta mas* Ger.

J. Bauhino eadem est præcedenti, & revera si vel figuram ejus, vel descriptiones quæ extant attendas, parùm variare animadvertas. *Caulibus* dicitur esse erectioribus & assurgentibus, Gerardo tamen repentibus; *foliis* magis dentatis; (icon tamen pauciores dentes ostendit) in summis caulibus longis & angustis: *floribus* & capsulis minoribus.

Vulneraria insignis ac sudorifera est. Usus præcip. in erosione ac obstructione pulmonum ac lienis; hinc & imprimis in colica, phthisi, scabie, pruritu, peste, vulneribus. Extrinsecùs famosissima est in vulneribus abstergendis, in duritie lienis, & in colica. *Schrod.* *Vires.*

Summatim intus sumpta valet 1. Adversùs tussim & vitia pulmonum. 2. Adversùs pestem & morbos contagiosos. Extrinsecùs ad vulnera, ulcera, scabiem, cutis vitia commendatur.

Decoctum Veronicæ satis magnâ dosi aliquando assumptum fœminam quandam calculo, quem per sedecim annos in rene sinistro aluerat liberavit. Calculus nempe primo ad ureteres protrusus est, deinde in vesicam delatus, tandémque continuo ejusdem decocti usu foras ejectus. *Ephemer. German. An.* 1. *Observ.* 107.

Insigniter Veronica sterilibus prodest. Nobilissima quædam fœmina post septennium sterilitatis meo consilio pulverem Veronicæ in aqua ejusdem per multos dies sibi propinabat, & statim concepit. Postea illa hoc consilium aliquot aliis dedit, & X. vel XII. ex illis ex sententia profecit. Syrupus Veronicæ ulceribus pulmonis est admirabilis. *Hofman.*

Cùm immedicabili tibiarum ulcere illustrissimus Guntherus per aliquot annos laboràsset, ac serpentis ulceris totam propemodum tibiam obsidentis cacoethis dolores per intervalla septimanarum aut mensium recrudescentes mitigari deberent, nullum præsentius percepit levamen quàm si madefaceret lintea aquâ Veronicæ, eáque tibiis applicaret. Cessabat enim inflammatio, & alia quæ eam comitari solebant symptomata.

Veronica vim insignem traumaticam obtinet: Fistula thoracis quæ balneatorum industriam, omniúmque medicamentorum vires elusit, tandem sanata est solius aquæ hujus plantæ usu interno. *Ephemer. Germ. An.* 13. *Observ.* 166.

Extractum Veronicæ mixtum cum extracto baccarum Juniperi in obstructionibus viscerum & pectoralibus morbis est præstantissimum remedium; maximo cum fructu non raro eo usus sum: materiam morbificam per urinam expellit, sed præmittenda sunt laxativa & aperitiva. D. *Tancr. Robinson*, è G. Fabric. Hildani Epist. 73.

Ingenuè fateor cum aliquando variis medicamentis adversus crustosam scabiem puerorum usus essem incassùm, me ad recensiti exempli imitationem jussisse parentibus dicto modo aquâ Veronicæ intincta linteamina applicarent compressa nè stillarent suris brachiisque pueruli ejusdem, méque sic eum ex voto restituisse pristinæ valetudini; jussi tamen ut nutrix decoctum Fumariæ ex sero lactis quotidie hauriret. *Sim. Paullus.*

In colica, calculo, ipsa peste Crato plurimi fecit hanc herbam: imò vel simplex decoctum Veronicæ longè præfert omnibus aliis generosioribus internis medicamentis contra calculum, cujus hæc sunt verba. *Idem.*

Usus clysteris ex solo decocto Veronicæ cum Saccharo magis quàm ulla medicamenta per os sumpta proderit. In decoctum vel adeps vervecinus ad renes, vel cuniculi, vel capi adjiciatur, ut ita lubricitatem faciat. Si ista non sunt ad manum parum butyri recentis addatur. *Idem.*

Ipse sanctè testare possum sæpiculè plus commodi & levaminis percepisse multos ægros, sive colicis passionibus, sive nephriticis doloribus tortos, ab usu simplicis clysteris, ex lacte vaccino & saccharo parati, in quo ad exemplum Cratonis, vel Veronicæ, vel florum Chamomil. non Romanæ sed vulgaris temperatioris decoxi, quàm ex aliis majoris apparatûs, v. g. ex pulegio, origano, ruta, calamintha, &c. confectis: Cùm hi sæpe exagitent humores. *Idem.* Ex collectaneis D. Edv. Hulsii cui ob plurimas Observationes communicatas ego & Lectores mei, si qui futuri sunt, multùm debemus.

§. 4. *Veronica*

§. 4. *Veronica aquatica Anagallis aquatica dicta.*

A. 1. *Anagallis rectiùs Veronica aquatica minor folio subrotundo* C. B. *aq. flore cæruleo, folio rotundiore minor* J. B. *aq. vulgaris sive Becabunga* Park. *aq. sive Becabunga* Ger. **Common Brooklime.**

J. B.
Radicibus nititur albis, fibrosis, quas ex geniculis subinde demittit. *Caules* rubentes, rotundi, fungosi, in terram reclinati, quam ubi attigerint, fibris enatis radicantur denuo. *Folia* ex adverso bina singulis geniculis, longiusculis pediculis hærentia, adnascuntur, pinguiuscula, atrovirentia, ad uncias duas longa, subrotunda, crenata: è quorum sinu ramulus prodiens flores sustinet spicatos, cœruleos, ex quatuor foliolis compositos, [veriùs unifolios in quatuor lacinias totidem folia mentientes divisos] striato umbilico albo, apicibus dilutissimè cœruleis, ternis; ex *calicibus* quos quaterna folia viridia componunt. *Semen* capsulis supervenientibus didymis clauditur copiosum. Sapor plantæ nullus manifestus.

Locus. In rivulis & ad fluviorum margines exit.

2. *Anagallis rectiùs Veronica aquatica folio rotundiore major* J. B. *aquat. major folio subrotundo* C. B. *aquat. sive Becabunga major* Park. *Anagallidis sive Becabungæ varietas major* Ger. **The greater round-leaved Brooklime.**

Anagallis hæc aquatica est jam dictæ omnino similis, nisi quòd *caulibus*, *foliis* (quæ ubi maxima trientem longa sunt & sextantem lata) & *floribus* major est ac latiùs diffusa.

3. *Anagallis, rectiùs Veronica, aquatica major folio oblongo* C. B. *aquat. flore cæruleo, folio oblongo major* J. B. *aquat. major* Ger. *aquat. folio oblongo crenato* Park.

J. B.
Illis similis & hæc *radicibus* fibrosis ex articulis caulium hærens. Verùm *caules* recti, angulosi, crassi, cavi, cubitales & majores, infernè rubentes: *folia* bina opposita, sine pediculis caulem amplexa, longiora quàm jam dictæ Anagallidi, palmi longitudine, latitudine unciali & sescunciali circiter, crenata, sapore nullo insigni: Caulis in ramulos finditur è foliorum alis ortos. *Flores* spicati, crescendi modo figurâque prædictæ Anagallidis similes, calyculis & capsulis didymis itidem respondentibus.

A. 4. *Anagallis, rectiùs Veronica aquatica minor* Ger. *aq. min. folio oblongo* C. B. *aq. flore purpurascente, folio oblongo minor* J. B. *aq. folio oblongo crenato* Park. **The lesser long-leaved Brooklime, or Water-Pimpernel.**

Radicibus fibrosis, ex articulis caulium demissis hæret. *Caulem* erigit crassum, teretem, concavum. *Folia* bina opposita, sine pediculis caulem amplexa ad singulos geniculos; [vidimus & terna ad geniculum naturæ lusu] longa, angusta, in acutum desinentia, circa margines crenata. *Flores* in surculis ex alis foliorum exeuntibus spicati, spicis laxis, dilutè purpurascentes, parvi, monopetali, in quatuor tamen segmenta totidem folia imitantia ad unguem ferè divisi, minores quàm in Becabunga, brevibus insidentes pediculis, quorum singulis ad exortum ligula apposita est. *Calix* floris quadrifolius. Succedunt *capsulæ* didymæ quales in Becabunga, *seminibus* exiguis turgidæ. Planta hæc pedalem altitudinem vix superat.

Locus. In rivulis & aquis vadosis non infrequens est.

Vires. Viribus [Becabunga] cum Nasturtio aquatico convenit, nisi quòd imbecillior sit. Calfacit & humectat moderaté. Usus præcip. in Scorbuto. Calculum renum & vesicæ insigniter expellit: menses ciet; fœtum mortuum ejicit. Extrinsecùs opitulatur phlegmonis & erysipelati. *Schrod.*

Rustici certo experimento vulnera recentia consolidare norunt Becabunga recenti, si ei modicum salis & telæ aranearum misceant, atque ita duplicato linteo instar cataplasmatis obducant ac vulneri applicent. *Sim. Pauli.*

Muliebri experientiâ doctus sum fotûs formâ miracula edere in condylomatis & hæmorrhoidum cœcarum doloribus. Retulit mihi honestissima matrona, cùm nullis anodynis sibi mitigari hæmorrhoidum cœcarum dolores potuissent, cessâsse eos illico dummodo per horæ quadrantem Becabungam in aqua coctam cataplasmatis formâ hæmorrhoidibus applicuisset. Et testatur Fabricius in notis Crollianis se scire solâ Becabungâ coctâ in Cerevisia, & bis quotidie appositâ satis magnum ulcus, universam ferè tibiam occupans, & ad os ferè profundum feliciter in scorbutico quodam sublatum fuisse. *Idem.*

A. 5. *Anagallis rectiùs Veronica, aquatica angustifolia* J. B. *angustifolia scutellata* C. B. *aquatica 4. Lobelii* Ger. emac. *aquat. angustifolia sive 4. Lobelii* Park.

Radiculis pluribus fibrosis terram apprehendit. *Caules* palmares & longiores [J. Bauhino cubitales] teretes, infirmi & humi procumbentes, crebris geniculis intercepti, è geniculis subinde radices agentes quibus se propagat. *Folia* ad singula genicula ex adverso bina, oblonga, angusta, acuminata Graminis leucanthemi minoris figurâ & magnitudine, & interdum majora, [J. Bauhino trium quatuórve unciarum longitudine, latitudine culmi, nervo unico per longum donata] ad margines interdum denticulis quibusdam vix conspicuis incisa, aliàs omnino æqualia, in aquosis glabra, in siccio-

ſiccioribus & extra aquas hirſuta, utì ſunt & caules, & ſubinde rubentia. *Flores* in pedicellis tenuibus ex alis foliorum exeuntibus, ramoſis, ſinguli privatis pedicellis prætenuibus inſident ſemuncia brevioribus, parvi, tetrapetali petalis tamen ad ungues junctis, plerunque lactei, interdum dilutè purpuraſcentes, è *calice* quadrifolio. Floſculis ſuccedunt *vaſcula* compreſſa, didyma Veronicæ aut Thlaſpeos, *ſeminibus* intus parvis. Surculi flores ſuſtinentes ſingulatim plerunque ex alis foliorum exeunt, non bini ex adverſo, & paucos omnino flores ſuſtinent, ad ſingulorum autem pediculos apponitur ligula. Sapor plantæ herbaceus.

In aquoſis & ad rivulos, ínque paluſtribus & foſſulis per æſtatem exiccatis ſæpiùs obſervavi. **Locus.**

* 6. *Anagallis aquatica, Pulegio ſimilis, caulibus quadratis* Trag. *Anag. aquat. foliis Pulegii* Park. *foliis Pulegii, Serpyllive* C. B.

Floſculis cœruleis eſſe dicitur Anagallidis terreſtris ſimilibus: radicibus albis reptatricibus, reliquarum in modum.

Si à præcedentibus diſtincta ſit, nobis certè incognita eſt.

Cap. II.

De Papavere.

PApaver dictum cenſet Voſſius à *Papo,* quomodo *cadaver* à *cado.* Nomen ex eo fuerit, quòd inderetur *Papæ* ad conciliandum ſomnum. *Papa* (pro quo vulgò minùs rectè *pappa* ſcribunt gemino *pp*) puerorum eſt cibus, quem & nos hodie **Pap** appellamus; unde verbum *pappo* apud Perſium, — *pappare minutum Poſcis,* &c.

Græcis Μήκων & Μηκὼν dicitur, (utroque enim modo ſcribitur) ἀπὸ τὸ μὴ κονεῖν à *non miniſtrando* dicitur, quod veſcentes eo ſuis muneribus fungi non poſſint.

Ex his aliud Rhœas dicitur à ῥέω fluo, quòd ab eo liquor emanet, ut aliqui volunt. Gaza *fluidum* vertit, quia flos ſtatim defluit poſtquam ſemel explicatus fuerit.

Papaveris characteriſticæ ſunt florum petala ampla, tenuia, fugacia; ſuccus lacteus aut flavus, acer; vis narcotica; & in pleriſque ſpeciebus calyx bifolius ſeu bivalvis, caducus.

Papaveris duo ſunt genera, Alterum conceptaculo ſeminis breviore & craſſiore in plurimas cellulas diviſo, operculo ſtellato tecto; idque vel foliis integris majus; *Papaver ſativum:* vel foliis diſſectis minus, ſeu flore minore, & in nonnullis ſpeciebus capitulis hiſpidis, in Argemonis dictis, ſeu flore majore, in Papavere rhœade.

Alterum *Siliquoſum,* Papaver corniculatum: cujus revera ſpecies eſt Chelidonium majus dictum, ſiquidem ſucco flavo acri turget, calycem habet bivalvem caducum & florum petala tenuia fugacia.

Papaver ſativum J. B. **Poppy.**

J. B.

Digitali craſſitudine circiter *radicem* habet, amaro lacte, ſicuti & tota planta, turgentem. *Caulis* ſurgit bicubitalis, in alas diviſus, lævis plurimùm, nonnunquam modicè hirſutus: cui *folia* adnaſcuntur Lactucæ, oblonga, laciniata, criſpa, colore glauco. *Flores* aliàs ſimplices, aliàs multiplices, fimbriati & non fimbriati; colore albo, rubro, carneo, variegato: quibus *codia* ſuccedunt globoſa, ventrioſa magis, magíſve oblonga, alias pugno paria, alias juglandi, ſtellato operculo intecta, ſeptis membraneis *ſemen* nunc atrum, nunc fuſcum, nunc album diſcluſum continentia: ac odorem ſpirat virens planta viroſum & καρηβαρικόν. Hæc eſt Deſcriptio Papaveris ſativi in genere, cujus aliquammultæ ſunt ſeu ſpecies ſeu varietates, quæ ad duo genera, (quantum mihi videtur) reduci poſſunt; Alterum

1. *Papaver ſativum petalis circa margines æqualibus, unguibus coloratis capitulis clauſis.*

Hoc genus vel eſt ſemine albo, vel ſemine nigro; quorum utrumque tum floris colore, tum petalorum multiplicitate variat.

Alterum

2. *Papaver ſativum, petalis laciniatis, unguibus albis, capitibus ad opercula per maturitatem foraminulis hiantibus.*

Hoc etiam genus ſemine albo, vel nigro: floribus ſimplicibus vel plenis: utriſque vel albis, vel purpureis, vel pulchrè rubentibus & penè coccineis, vel ex diverſis coloribus mixtis variat.

In C. Bauhini pinace has ſpecies invenio.

1. Papaver hortenſe ſemine albo: ſativum Dioſcoridi, album Plinio.
2. Papaver hort. ſemine nigro: ſylv. Dioſcoridi, nigrum Plinio.
3. Papaver flore rubro, ſemine fuſco.
4. Papaver criſtatum floribus & ſemine albis.

5. Papaver cristatum floribus rubris, semine nigro.
6. Papaver pleno flore album.
7. Papaver pleno flore nigrum.
8. Papaver laciniatis floribus.

Quæ omnes ad genera superiùs posita facilè reduci possunt.

3. *Papaver spontaneum sylvestre* Ger. emac. *vulgare, cujus capitula foraminibus hiant, semine incano ἀγριώτερον, Dioscoridi* C. B. **Wild Poppy.**

Radix ei alba, simplex [interdum surculosa] crassiuscula. *Folia* sinuata, glabra, glauca, per margines dentata, absque pediculis caulibus adnata, singulatim posita. *Caulis* cubitalis aut altior, digiti interdum crassitie, teres, glaber, solidus, ramosus. *Flores* in summis caulibus & ramulis nascuntur singulares, pediculis longis, amplissimi, quadrifolii, ex albo purpurascentes, petalis propè ungues maculis amplis saturè purpureis notatis. In medio flore *capitulum* styli loco circumstant numerosissima *stamina* alba, *apices* nigricantes sustinentia. *Calix* floris bivalvis, qui quamprimum flos aperitur defluit. Capitula subrotunda, grandia, operculo ad umbilicum stellato, in tot cellulas dividuntur quot sunt in umbilico radii, innumeris seminibus repleta.

Tota planta succo lacteo amaro turget, qui incisione facta emanat.

Tempus. Junio mense apud nos floret.

Vires. Succus papaveris inspissatus *Opium* dicitur: est autem succus ille qui sponte emanat vulnere in capite facto, nam qui è tuso Papavere exprimitur *Meconium* appellatur [Cùm capita ipsa & folia decoquuntur succus Meconium vocatur, multùm Opio ignavior. *Plin.*]

Est autem cùm aqua Papaveris destillata, tum oleum, tum maximè Opium narcoticum & anodynum, soporem utique conciliat, & sensum doloris aufert. Hoc efficit, non frigiditate sua, ut nonnulli volunt, (siquidem sapor amarus, virosus odor, inflammabilitas, & vis exulcerandi planè contrarium arguunt) sed qualitate hactenus incomperta. Usûs est eximii in diarrhœa, dysenteria, catarrhis, tussi, &c. Verùm in eo sumendo summa cautio adhibenda est.

** Observ. l. 3. c. 15.* Quæ * Bellonius de Opio habet merentur legi, ideóque huc transferemus: Opium nunc fit in Turcia, maximè in Achara, Carachara, Spartada, Emetelinda, & aliis urbibus vicinis Paphlagoniæ, Cappadociæ & Ciliciæ. Conserunt agros Papavere albo ut nos Tritico. Serendo observant, ut unusquisque rusticus tantum serat, quantum putat se habiturum homines qui colligant. Ubi papaver capita produxit leniter dissecant, unde effluunt aliquæ lactis guttæ, quas concrescere sinunt: nullus autem est Turca qui non coemat, etiam pauper, & secum circumferat, tum tempore Pacis, tum Belli. Mercator quidam Judæus ex Natolia certò nobis affirmavit nullum elabi annum quin efferentur ex Paphlagonia, Cappadocia, Galatia & Cilicia onera quinquaginta Camelorum, ut transferrentur in Persiam, Indiam & Europam, & alias regiones longinquas, atque in universum Dominium Magni Turcæ. Dicebat præterea in majori adhuc usu esse apud Persas quàm Turcas. Semel experiri voluimus quâ dosi exhiberi posset unâ vice sine nocumento. Invenimus quendam consuetum quotidie comedere, qui nobis præsentibus comedit pondus ʒß: sequenti die dedimus ei unâ vice drachmam unam, nec ullum ei detrimentum evenit, nisi quòd quasi ebrius videretur. Turcæ commendant, qui sibi persuadent se magis strenuos & minùs timidos periculorum belli reddi, itâ ut Turcâ exercitum colligente ita consumatur, ut regio vacua eo remaneat.

Nos Opium experti sumus, verùm nullum symptoma animadvertimus, nisi quòd excalefaceret pectus, & nonnihil caput turbaret, & insomnia pareret. Credimus quòd si in Europa, ut Gallia, Germania & Italia ea diligentia adhibeatur quam adhibent, posset etiam fieri sicut in Asia. Natoliæ clima est æquè frigidum atque Galliæ.

Optimum Opium valdè amarum est, gustu calidum, ita ut os inflammet. Coloris est lutei, inclinantis in colorem pilorum Leonis, simul coacervatum massa velut ex multis parvis granis diversi coloris. Odor gravis est & vehemens.

Quamvis autem verum sit Turcas, Persas aliásque nationes Orientales Opio, uti ad spiritus recreandos, addendos animos, audaciámque in bellicis conflictibus augendam (inebriat enim non secus ac vinum aliique generosi liquores) potissima tamen causa cur illud assiduè ingerunt, est ad appetitus venereos excitandos; ut in secretis colloquiis iis fatentur quibus familiariùs utuntur. Et D. Sachsius in *Ephemer. German.* An.2. Observ.69. plurimorum testimonio sibi relatum narrat, quòd post pugnam in Hungaria ad *Levenz* oppidum commissum, Christiani milites Turcas occisos spoliantes plerosque erectâ hastâ & Priapismo fœdatos invenerunt, quod ex sumptione Opii ante prælium proculdubio contigit. Quod verò Sachsius Opium in quibusdam, puta Orientalibus, Venerem stimulare, in aliis verò, ut Occidentalibus aut Septentrionalibus, eandem frænare existimet, mihi non probatur: in utrisque enim stimulare minimè dubito.

** Itinerar. Ind. Orient. p. 11.* Ex Opio (inquit * *Joh. Jacob. Saar* novennali Indiæ peregrinatione celebris) parant Indi Electuarium, quo Chinenses utuntur ad excitandam Venerem, cujus usu adeò Veneris œstro irritantur, ut per totam noctem ei litent, sæpe aufugientibus, nec ulteriorem vim sustinentibus scortis. Apud Persas & Indos ad eosdem usus crebrò adhiberi Opium testis est Olearius in *Itinerar. Persic. l.* V. *cap.* 15. & 18. Et cùm *Mandelslo* apud Cham in urbe *Amadabat* convivio interesset, variæ oblatæ fuerunt præparationes Opii in cista aurea; de qua convivæ ad Venerem irritandam sumpserunt. Papaveris semen olim, ut ex Dioscoride, Plinio, & Apuleio liquet, in sanitatis usum compinsebatur panibus, quod & nos etiam novimus ab aliquibus factitatum (inquit P. Gassendus.) Scribit Matthiolus gentes Alpinas quæ Tridentinas valles, Stiriam, superiorémque Austriam incolunt, semine Papaveris placentulis mistto vesci, oleóque expresso in cibis continuè uti, nec tamen ob id veternosos fieri, aut diuturniore somno capi. Et Wagnerus Histor. Natural. Helvetiæ p. 262. In Argovia, inquit, Papaver uberrimè satum provenit, ac oleum è semine ejus exprimitur, cujus usus in lampadibus præcipuè loco olei Olivarum: nonnulli etiam id butyri loco in cibis adhibent, cum farina

etiam

etiam subigunt, laganáque conficiunt, quæ sine noxa comedunt [*D. Tancred. Robinson* historiolam misit.] utcunque usum ejus sine necessitate nemini inassueto consulerem. Sistit enim spirituum motum & in morbis acutis concoctionem impedit, adeóque materiæ peccantis separationem & sanguinis depurationem.

Ad dolorem acerbissimum opthalmiæ, ℞ emulsion. factam ex sem. Papaveris cum lacte, aquâ lactucæ & decocto Fœnugræci: est efficax remedium. *Sennertus.*

Laudanum opiatum eximii usus est in medicina ad dolores leniendos, humorum orgasmos seu motus effrænes & inordinatos sedandos & coercendos.

A. 4. *Papaver rhœas* Ger. *erraticum rhœas sive sylvestre* Park. *erraticum rubrum campestre* J. B. *erraticum majus, ῥοιὰς Diosc. Theophr. & Plinio* C. B. **Red Poppy, or Corn-rose.**

Radice nititur albâ simplici, paucis fibris donata, minimi digiti crassitudine. Caules ab eadem radice in solo lætiore plures assurgunt cubitales & altiores, teretes pilis rarioribus rigidiusculis hirsuti [pili versùs summitates caulis & ramulorum non eriguntur & extant ab iisdem, sed appressi sunt] solidi, ramosi, ramulis alternatim è foliorum sinubus ortis. *Folia* in multas lacinias hinc indè secta, Senecionis majoris aut Jacobææ vulgaris, aut Coronopi divisurâ; laciniæ singulares in acutum terminantur, hirsuta, circum oras dentata. Flores in fastigiis caulium & ramulorum (qui inlongissimos pediculos excurrunt) singulorum singuli è conico, bivalvi, viridante, hirsutóque involucro, perquam caduco se explicant, perampli, quadrifolii petalis ex angusto principio in circularem circumferentiam dilatatis, puniceo colore insignes, qui brevi decidunt. *Capitulum* in medio flore plurima denso agmine circumvallant *stamina* obscurè purpurea, cum *apicibus* concoloribus, pulvisculo flavo intus repletis. Est autem *capitulum* oblongum, glabrum, cum umbilico seu operculo stellato, in tot cellulas divisum quot sunt in stella radii, semine copiosissimo ex obscurè cœruleo purpurascente repletum. Caules incisi lac amarum fundunt copiosè, odore viroso.

Inter segetes passim, Junio mense ineunte floret. *Locus.*

Duas hujus plantæ seu species, seu varietates observavimus. Alteri *radix* sublutea, alteri alba: spinulæ illi in caule albæ, huic rubræ; illi *calix* longior, *flos* amplior, colore saturatiore, unguibus nigris; huic calix brevior, flos minor, pallidior, petalis ad ungues angustioribus, absque ullis maculis. *Species duplex.*

Dodonæus, Bauhinus aliíque duplicem hujus speciem faciunt, majorem jam descriptam, & minorem, foliis minoribus oblongis, non Erucæ per margines divisurâ, sed tantummodo serratis, reliqua majori similem.

Variat insuper interdum hoc genus Papaveris floris colore albo, & petalorum multiplici serie: quæ ob raritatem & elegantiam in hortis coluntur. *Varietas.*

C. Bauhinus aliam adhuc habet speciem, quam vocat Papaver erraticum Pyrenaicum flore flavo: quam cùm siccam tantùm viderit & imperfectè descripserit, nec nos aliunde ejus notitiam habuimus, omittimus.

Hujus flores præcipuè Officinis in usu sunt, Refrigerant validè, somnum conciliant, dolorem sedant. Usus præcip. in febribus, pleurisi (cui specificè prosunt) angina, aliisque morbis (imprimis pectoris) refrigeratione opus habentibus; in inordinato mensium fluore (infus. florum in Sp. vini.) *Vires.*

Extrinsecùs sunt qui herbâ hepati impositâ hæmorrhagiam narium sistere conantur: quam vim & radici ascribunt. In usu sunt pulvis florum, aqua stillatitia, syrupus & conserva eorundem. *Schrod.*

Aquam destillatam florum si eorundem colore phœniceo tinctam desideras, cùm aqua inter destillandum in vas recipiens incipit defluere, sublato Alembici capitello in ejus rostrum florum manipulum immittas, qui ob humorem roridum rostri lateribus adhærescentes ibidem manebunt. Reponatur deinde capitellum. Aqua destillata elegantem Rubini colorem contrahet. Hoc modo aliorum quoque florum aquæ destillatæ eorundem coloribus imbui possunt. *D. Hulse.*

Decoctum corticis median. Sambuci vel Ebuli cum syrupo Papaveris ad sudores movendos efficacissimum est. N. B. Narcotica addita diaphoreticis vel diureticis, sudores magis promovent, ut patet in Theriaca & Mithridatio cum Opio. *D. Bowle.*

De papavere Argemone dicto.

Argemone dicta est, quòd ἄργεμα oculorum & nubeculas expurget.
Argemone à reliquis Papaveribus foliis dissectis, floribus minoribus differt.

A. 5. *Argemone capitulo rotundiore* Park. *capit. breviore* C. B. *capit. breviore hispido* J. B. *capit. torulo* Ger. **Round rough-headed bastard Poppy.**

J. B.

Folio est Adonidis, aut Papaveris corniculati violacei tenuiter dissecto, piloso: *caulibus* ex *radice* simplici gracili multis, pedalibus & majoribus, tenuibus, hirsutis, racemosis: *Flores* sunt punicei, valde caduci, paullo Adonidis floribus majores, formâ papaveraceâ. *Capitula* turbinata, nucleo Avellanæ paria, rigidulis spinulis undequaq; obsita, denticulata stellâ operculata, *semine* farcta copioso, minutissimo, rotundo, nigro.

Inter segetes, ínque agris restibilibus & fossarum aggeribus, solo præsertim glareoso non rarò invenitur. *Locus.*

A. 6. *Argemone capitulo longiore* C. B. Ger. Park. *capitulo longiore spinoso* J. B. **Long rough-headed bastard Poppy.**

Folia huic minora & tenuiùs incisa quàm Papaveri erratico vulgari. *Caules* ex eadem radice plures, [interdum unicus] longis pilis hirti. *Flores* phœnicei, unguibus nigris, multis numeris minores quàm Papaveris rhœados, admodum caduci. Succedit *capitulum* oblongum, canaliculatum, stellato operculo obtectum, spinulis mitiusculis, albis, rariùs dispositis, sursum spectantibus obsitum: *Semina* minuta, per maturitatem nigra, rugosa. *Radix* longiuscula, simplex.

Locus. Inter segetes & ad agrorum margines reperitur, sed non ità frequens.

A. 7. *Argemone capitulo longiore glabro* Moris. prælud.

Moris.
Folia habet magis dissecta quàm sunt Papaveris rhœadis folia; minus autem quàm sunt Argemones capitulo hirsuto. *Florem* fert phœniceum, cui succedit *capitulum* biunciale, glabrum, per loculamenta triangularia continens minuta *semina* aspera, aliorum Papaverum & Argemonarum more.

Locus. Plantam hanc in agro Cantabrigiensi observavit & ad nos ejus capitula transmisit *D. Pet. Dent*, medicus & pharmacopœus Cantabrigiensis, insignis Botanicus, & vetus amicus noster: & nuper etiam in vicinia nostra invenit & ad nos attulit *D. Sam. Dale* vicinus & amicus noster qui Brantriæ pharmacopœiam & medicinam exercet, rei Botanicæ, apprimè gnarus. Nobis virentem & florentem nondum videre & observare contigit. Quod si hæc planta Argemone dicenda sit capitulum hirsutum habere non erit Argemones nota characteristica.

8. *Papaver spinosum* J. B. C. B. Ger. emac. *Spinos. Americanum* Park. *Ficus infernalis Italorum, an Glaucium Dioscoridis?*

C. B. J. B.
Ex *radice* tenui, oblonga, fibrosa *caulis* sesquipalmaris, aliquando altior [dodrantalis, unicus *J. B.*] ramosus, rotundus, striatus, minimis aculeis donatus, [minacibus spinis armatus] albâ medullâ plenus exurgit. *Folia* omnium prima ex semine prodeuntia oblonga, angusta sunt, subsequentia verò, quemadmodum & ea quæ in caule sunt, Papaveris corniculati instar laciniata, succo luteo prægnantia, mollia & nitida, medium caulem amplectentia, palmum aut sesquipalmum longa, duas uncias lata: laciniarum mucrones in flaventes spinas acutas exeunt. Parte supina folii virorem intercipiunt maculæ lacteæ ut in Carduo Mariæ [parte supina viridi, at nervis quasi tenui pulvere asperso albicantibus] posticâ parte neutiquam conspiciendæ, ubi tamen nervi acutis spinulis horrent, & costa, quæ supinâ parte innocens, caulem versùs nonnihil rubescit, indè ad mucronem usque albet. Caulis & ramulorum summis insident *flores* Papaveris corniculati lutei, tetrapetali, è capitulis papaveraceis senticosis in tria cornicula aculeata desinentibus exeuntes, concoloribus fibris de more medium occupantibus, odorem Chelidonii majoris quodammodo referentes: quos excipiunt capitula oblonga, hexagona, pentagona & tetragona, quæ tenella summa parte rubescunt, matura verò nigricant, spinis frequentibus & firmis horrida; *semine* nigro, sextuplo aliorum majore, rotundo, in apicem desinente & elegantissimè striato plena. Julio & Augusto floret.

A. 9. *Argemone Cambro-britannica lutea* Park. *Cambr. lut. capitulo longiore glabro, paucis spinulis ad loculamentorum juncturas ornato* Moris.

Folia à radice longâ, exteriùs fuscâ, in ramulos aliquot divisâ cum fibrillis appensis, in plures annos vivaci, promit multa, humi fusa, ampla, alata, seu ex pluribus pinnarum mediæ costæ annexarum conjugationibus composita, impari in extremo folio alam claudente, pinnulis circa margines altiùs incisis, saturatiùs viridia & (quantum memini) subglauca: inter quæ plures exurgunt *cauliculi*, cubitum alti, foliis consimilibus, sed minoribus ad intervalla vestiti, in alas aliquot divisi, in quibus singulis singuli *flores* satis ampli & speciosi, pulchrè lutei, quatuor petalis subrotundis constructi, multis in medio *staminulis* luteis *capitulum* ambientibus oblongum, viride, glabrum; quod flore delapso extumescit, donec per maturitatem majus evadat Argemones capitulo, consimiliter tamen ima parte angustius, summâ latius & majus, operculo stellato tectum, & in multas cellulas aliorum Papaverum more divisum, in loculamentorum juncturis paululum hispidum, plurima *semina* minuta, per maturitatem nigra & rugosa continens.

Locus. Ad latera montis *Snowdon* in Wallia secus viam quà à *Caernarvan* oppido ad *Llanberris* vicum itur, spontaneam observavimus.

* 10. *Argemone Alpina lutea* Park. *Alpina lutea Scandicis foliis* C. B.

C. B. prod.
Huic *folia* sunt ad radicem parvam multa, in multifidas tenuésque alas instar foliorum Scandicis incisa, viridia & lævia: inter quæ *cauliculi* bini ternive, palmares, nudi, levissimis pilis vestiti rectà assurgunt, qui *florem* unicum mediæ magnitudinis, luteum, quadrifolium sustinent: ex floris umbilico plurimi *apices* flavescentes emergunt. Flori *capitulum*, parvum subrotundum, asperiusculum, semen continens succedit.

Locus: In monte *Sneberg* inter saxa reperta est.

* 11. Arge-

• 11. *Argemone Alpina Coriandri folio* C. B. *Argem. lutea* Ponæ.

A præcedente differre videtur, si modò utraque rectè descripta sit, quantumvis Parkinsonus eandem esse asserat.

Huic enim folia *Ranunculi Coriandri folio* formâ similia esse dicuntur, longis hirsutis pediculis nixa, leviter hirsuta.

A. 12. *Papaver corniculatum luteum* J. B. Park. *cornutum flore luteo* Ger. *corniculatum luteum, κεράτιτις Diosc. & Theophr. sylv. ceratitis Plinio* C. B. **Yellow horned Poppy.**

J. B.

Digiti crassitudine est *radix*, longa, nigricans, luteo succo, sicut & tota planta, eóq; viroso & amaro prægnans. *Folia* crassa & hirsuta, spithamam longa, digitos verò quatuor lata, Verbasci Monspeliensis foliis similia, per ambitum serrata & profundiùs incisa & sinuata, ac veluti crispa, glauca & pinguia. Humi autem procumbunt, & hyemis injuriam contumaciter perferunt, quæq; ad radicem oriuntur crassos pediculos habent, potissimum primo anno cùm caule destituuntur, quem sequenti æstate primùm fert, robustum, solidum, glabrum, geniculatum, & in multos ramos divisum, foliis è geniculis prodeuntibus, prædictis minoribus & parciùs incisis quò summitati propiora sunt, aliquâ hederaceorum similitudine: E cujusq; autem sinu bina plerunq; erumpunt germina, unum individuum, florem fructúmq; ferens, alterum juxta alterius folii sinum rursus in bina prædicto modo dividitur, eáq; divisio ad summitatem ramulorum ab hac herba servatur. Minora igitur & individua germina seu pediculi singulos ferunt *flores*, colore luteos, Papaveris sativi floribus æquales, quatuor latis tenuissimísq; foliis constantes: in quorum medio ejusdem coloris numerosa *stamina* capitulum constituunt, ex quo deinde incurva, gracilis, corniculatáq; *siliqua*, tangenti aspera, digitali longitudine [imo sesquipalmari] erumpit. Fœnugræci siliquæ æqualis, non tamen adeò in acumen desinens, & in summitate nigricans, capitulum alatæ sagittæ quandam similitudinem præ se ferens habet, sed obtusa acumine siliqua utrinque lineam profundam ceu incisam per longitudinem habet, quæ commissuræ ejus sunt, quibus matura aperitur. *Semina* intus continentur Papaveri similia, colore admodum nigro, duplici serie, nam siliquæ per longitudinem disseptæ sunt.

In litoribus maris arenosis sponte oritur, & non alibi apud nos in Anglia. Æstate floret & siliquas maturat. *Locus.*

13. *Papaver corniculatum phœnicium hirsutum* C. B. *item phœniceum glabrum* ejusdem, *corniculatum rubrum* Park. *cornutum flore rubro* Ger. *corniculatum Phœniceum glabrum* Ger. emac.

Clus.

Folio est Erucæ foliorum instar laciniato & altè inciso, * vulgari minore, tenuiore non adeò incano, sed hirsuto. *Caules* interdum vulgari non minores, teneriores tamen & graciliores procumbunt in terram: *flores* minores, nonnunquam intenso colore rubent, & illi primi sunt, quos planta florere incipiens producit, interdum languidiore & quodammodo pallente colore mediis foliis ad phœniceum tendentibus, qualis ferè in Adonidis flore dicto cernitur, nimirum quando mediam ætatem superans planta jam deficere incipit, & hirsutia illa in caule & foliis dilabi: aliòqui siquis vigentem plantam & flores primùm producentem conspiciat, deinde jam adultam & senescentem, ex florum colore, & caulis ramorum foliorúmque hirsutie vel glabricia facilè quis diversas esse stirpes sibi persuadeat. Prælonga autem floribus succedunt *cornicula*, tribus loculamentis distincta, quibus insident latiuscula quædam opercula seu capita, in quibus triplici serie *semina* nigra, rugosa, papavere majora. *Radix* longa est, alba, satis crassa, & in ramos divisa, quæ tamen perennis non est, sed plerunque prolato semine, sequente hyeme perire solet.

* *Papav. cornic. luteo.*

Nascitur agro Salmanticensi, secundùm vias & agrorum marginibus, ubi florebat Junio, semen autem Julio proferebat: Viennensi etiam agro & per Moraviam atque Bohemiam sponte nascitur, in arvis, &c. Succo croceo minimè turget hæc planta. *Locus.*

Quærendum an hæc sit cujus meminit D. Wheeler circa Trojam à se observatæ, flore nigro in fundo, superiùs rubro, paulatim in aureum languente, circa margines.

A. 14. *Papaver corniculatum violaceum* J. B. C. B. *cornutum flore violaceo* Ger. *corniculatum flore violaceo* Park.

Clus.

Folia huic multò sunt minora, teneriora, valdè minutim dissecta, non candicantia sed viridia: *Coliculi* tenelli, subhirsuti: *Flos* superiore non minor, coloris ex purpureo cœrulei exsaturati, & nigræ Violæ pænè æmuli, fugax admodum & qui levissimâ aurâ excutitur. Huic succedunt cornicula digitali duntaxat longitudine, plerunque etiam breviora, exilia, duriuscula rigidioréque hirsutie prædita, in quibus continetur semen valde exile, coloris ex cineraceo nigricantis. *Radix* tenuis est & inutilis, nec supra annuum spatium perdurat.

Invenitur (authore Clusio) multis Hispaniæ locis, sed nonnisi inter segetes; Maio mense floret. In agro Cantabrigiensi inter segetes spontaneum observavimus inter *Swafham* & *Burwel* vicos. *Locus & Tempus.*

De papavere dicto Chelidonio.

Chelidonium à χελιδὼν hirundo dictum est. *Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstravêre vexatis pullorum oculis eâ medentes: quibusdam sic dictum quòd in hirundinum adventu floreat, & discessu marcescat.* Plin.

Cùm autem Chelidonium notis genericis cum Papavere conveniat, ut in hujus capitis initio ostendimus; ejus species censenda est.

A. 15. *Chelidonium majus* Ger. *majus vulgare* C. B. Park. *Chelidonia* J. B. **The greater Celandine.**

J. B.

Radix minimo digito craſſior, fibroſa, rubra, rubrum croceúmve ſuccum, ut & folia cauléſque, fundit. Aliquot caules producit teretes, hirſutos, propter radicem & genicula tuberoſos, ut in ea planta quam *Noli me tangere* vocant, ruffum mordacémque & ingratum illum ſuccum fractos remittentes. *Folia* cum Aquilegiæ foliis ſimilitudinem aliquam habent, utcunque tamen majora, longiora, numeróque plura, ad coſtam ex intervallis adnexa, plurimùm ſena, Septimo alam claudente, non raro tamen quaterna cum quinto in extremo impari. Singularia folia Quercinorum æmulam diviſuram habent, Trago tenera, colore herbaceo, altera verò parte ex cæſio viridi. *Florum* ſurculi ad genicula ex adverſo foliorum exeunt; ramuli ex ipſis foliorum alis: in ſummitate autem ſurculi ſeu pediculi communis flores quatuor aut quinque privatis ſuis pediculis ex ipſo ſurculi faſtigio oris unciam aut ſeſcunciam longis inſidentes, umbellam quandam efficiunt. Flores crocei, quadrifolii, cum multis intus ſtaminibus concoloribus. Hos calix bivalvis tegit, qui quamprimum flos aperitur defluit ut in Papaveribus, è quorum genere hæc planta eſſe videtur. *Siliquæ* oblongæ, bivalves, minimè diſſeptæ, quibus *ſemina* utrinque adhærent parva, longiuſcula, per maturitatem nigra & ſplendentia.

Locus. In parietinis & maceriis, ad Sepes, & in locis ruderatis, umbroſis potiùs quàm apricis, gignitur.

Ab Aprili menſe in multam æſtatem floret.

16. *Chelidonium majus laciniatum* Park. *majus foliis magis diſſectis* Ger. emac. *majus foliis quernis* C. B. *folio laciniato* J. B.

Qui vulgatius illud Chelidonium majus novit facilè oblatam hanc ejus varietatem diſcet: Cætera ſimilia, *folia* minora, concinniùs crebriúſque inciſa: *florum* itidem folia aliquibus inciſuris ſecta, & veluti fimbriata, accedentia ad flores plantæ, quæ quibuſdam dicitur Cuminum ſiliquoſum & Hypecoum.

Variat interdum foliis tenuiſſimè laciniatis.

Vires. Calidum eſt & ſiccum: Bilem per alvum & urinam educit, viſum acuit. Hinc conducit in ictero [ſyrupus è ſucco cum toto] obſtructione hepatis, lienis & ureterum. Radix quantum ejus manus capere poteſt, purgata, in ſextario roſacei aceti decocta, ita ut deinceps percoletur, decoctoq, adjiciatur Theriacæ ℥ ij. cyathiq, vulgaris menſurâ exhibita, à peſte correptos atteſtante certâ experientia (inquit Tragus) liberabit, ſi poſtquam biberunt in lectum ſe compoſuerint & ſudaverint. Aqua ejus deſtillata oculis indita, claritatem iis adfert, maculas eorum rubras emendat, ſicut & faciei ſi indè colluantur: eadem per aliquot dies pota obſtructos meatus hepatis adaperit, morbóque regio medetur. Herbæ pulvis ulcera & vulnera purgat ſanatque inſperſus.

Succus herbæ illitus Herpetem miliarem efficaciter compeſcit & ſanat. Herbam tritam cum axungia verrucas abſumere refert Rondeletius. Hoc multoties expertus eſt Zacutus.

Lobelius rarò intus ſumendam ſentit Chelidoniam, ſed commodiùs foris utendam ad impetigines & pſoras puerorum. Nos etiam ob acrimoniam plantæ in Lobelii ſententiam propendemus. Unde nec ſuccum, cùm acerrimus ſit, ad oculorum affectus adhibendum cum J. Bauhino aliiſque cenſemus, niſi iis additis quæ acrimoniam ejus retundant, cujuſmodi dicitur eſſe lac muliebre.

Succi hujus magna quantitas ingreditur compoſitionem Aquæ illius ardentis, quam *Mirabilem* vocant.

Chelidonium majus in curanda tabe magnopere celebrari nos monuit D. *Tancredus Robinſon*; eſſéque egregium illud ſpecificum D. *Garenciers* de tabe Anglica; idem affirmat (inquit) Simon Pauli *Quadripart. Botan.* p. 46.

Succo Chelidoniæ verrucam linguæ ſublatam narrat Zacutus Luſitanus Prax. Admir. lib. 1. obſ. 73. Folliculum Nattæ & Ranulæ ſub lingua ejuſdem uſu extirpavit noſtro tempore Pet. Marchettus exp. Med. & Chir. Patavii Profeſſor. Ex obſerv. Marcelli Cumani à Velſchio editis excerpſit D. *Soame*.

Ulricus Gaſſerus Pater meus impetigines & maculas manuum volarúmque, necnon ſciſſuras ex morbo Gallico relictas experimento ſequenti in multis ſuſtulit, ℞ Chelidoniæ cum toto M. iij. Coq, in lixivio tonſorio bono, & teneantur manus quotidie à jejuno in hoc fomento per duas vel tres horas, ut ſudent, idque continuetur per quatuor vel quinq, hebdomadas. *Idem* ex Obſervat. Achillis Gaſſeri.

Sæpiùs à noſtris in dyſenteria cum ſucceſſu probatum eſt experimentum Cratoni adſcriptum, quod ſic habet, Aq. Chelidonii datur ad ℥ iij. vel iv. cum pulvere radicis ejuſdem ℈ ij. vel ʒ j. Hieron. Reuſnerus in * Obſerv. à Velſchio editis. D. *Soame*. An de Chelidonio minore hoc accipiendum?

* Obſ. 71.

Extractum Chelidoniæ non ſolùm in externis nubeculis, verùm incipiente ſuffuſione præſtantiſſimum eſſe ſæpiſſimè expertus ſum; incidit enim & attenuat craſſos humores viſum obfuſcantes. Sed quia utcunque acre eſt, non ultra magnitudinem capitis aciculæ pro vice oculo imponendum eſt, idq, fiat manè in lecto. *Fabric. Hildani Centur. Epiſtolar.* 59.

17. *Othonna vera Dioſcoridis* Zanoni, *Chelidonii majoris ſpecies.*

Zan.

Radix ei ſatis craſſa, per duorum digitorum altitudinem æqualis deſcendens, aliquantulum criſpa, ſubſtantia mediocriter duræ, deinde attenuata, in varios ramos & fibras minores undique diffuſas ſpargitur, colore intus & foris è flavo rubeſcente velut Chelidoniæ majoris, ſapore mordaci & exſiccante. E cujus capite exit foliorum ceſpes, pediculis nixorum concavis ſatis longis, ſupernâ parte

parte canaliculo per longum extenso excavatis, costâ elevatâ inferna parte oppositâ subrotundâ, unde pediculi quodammodo triangulares evadunt. Folia autem ramosa sunt, ramis majoribus minoribusque, in quos dividuntur & subdividuntur, Erucæ foliis satis similibus, verùm circumscriptione subrotunda sunt, adeò ut ad Geranii primi Matth. similitudinem propiùs accedant, tenera, flaccida, succosa, hirsuta, crebris nervulis subtus satis elevatis, & variè divaricatis, aliis rectis, aliis retortis, ad margines undique excurrentibus prædita, sursum reflexa, unde ad tactum aspera redduntur, partim ob pilos, partim ob nervulos supradictos, qui superna parte apparent depressi in totidem sulcos tenues, colore clariore, dentibus majoribus, minoribus, aliis acutis, aliis in extremo subrotundis, nullo ordine positis cincta. Foliorum incisuræ admodum irregulares sunt, nonnullæ adeo profundæ ut ad mediam usque costam pertingant. E medio foliorum cespite *caulis* exit, nunc unus, nunc plures pro radicis magnitudine, inferna parte præcipuè hirsuti admodum & pilosi, teretes, à nodo ad nodum concavi, lenti & obsequiosi, nodis crassis raris tuberosis intercepti, teneri, succulenti, rupti aut incisi succum flavum stillantes Chelidoniæ majoris in modum, in ramulos divisi, & subdivisi, qui summitatibus suis foliola aliquot sustinent oblonga, angusta, acuta, in stellæ formam disposita, è quorum medio enascuntur pediculi aliquot tenues, oblongi, singuli florem sustinentes calice è quatuor foliolis ovatis composito inclusum, tetrapetalon, petalis variè incisis & laciniatis, incisuris ad ungues ferè pertingentibus, coloris flavi, multis in medio staminulis flavis apices pariter flavos sustinentibus in rotundum diffusis, ut flos Anemones cujusdam florem parvum repræsentet. Delapsis floribus restant *siliquæ*, aliæ longæ, aliæ breves, aliæ rectæ, aliæ incurvæ, primò virides, postea per maturitatem flavicantes, *seminibus* repletæ nigricantibus, Chelidoniæ majoris seminibus simillimis, quæ pariter ab una parte oculum habent velut pupillam unde cristulam emittunt ex albo flavicantem.

Hoc modo satis prolixè describit hanc plantam Jacobus Zanoni, quæ nihil aliud est quàm Chelidoniæ majoris species, nec satis scio an distincta à Chelidonia quernis foliis, quicquid ille contradicat. Suspicor illum lapsum in numero foliorum ex quibus calix componitur, quæ in Chelidoniis ex nostra observatione bina tantùm sunt.

CAP. III.

De Pentaphyllo siliquoso.

1. *Pentaphyllum siliquosum Brasilianum Tareriaya Brasiliensibus: an Fraxinella siliquosa? an Quinquefolium; folio Caprifolii* Marggr?

Marggr.

EX *radice* longa paucis filamentis prædita, lenta, albissima assurgit *caulis* tres circiter pedes longus, multis ramis præditus: *folia* ejus in longis pediculis alternatim positis quatuor, quinq, sex aut septem juxta se in orbem posita, oblonga, viridia, nervo & multis venulis intersecta, foliis Caprifolii haud absimilia, sed ad tactum mollia & glutinosa. In summitate *caulis* primò parvis foliis alternatim positis ornatur, brevibus, obrotundis; dein alternatim prodeunt ad ea pediculi longi, ad quodlibet unus, continens cylindraceum corpus album, quatuor foliolis viridibus, parvulis, acuminatis insidens, hoc corpus sunt quatuor *floris* petala, quo se aperiente inferiùs primò prodeunt filamenta septem, tres aut quatuor digitos longa: hinc quatuor foliola floris expanduntur, quæ stant erecta, figuram habentia cochlearis, filamenta autem septem barbæ felinæ modo, directè ad latera vel antrorsum extenduntur, egregiè purpureæ: foliis albis decidentibus decidunt & sex stamina, septimum in medio manet, ac abit in siliquam teretem semipedem longam, continentem semen vix magnitudine Sinapis, rotundum quidem, sed quod in uno latere incisuram habere videtur. Tota planta ad tactum glutinosa est, & ad cujuslibet rami seu pediculi foliorum annexum acuta est spinula. Flos inodorus est, sed folia referunt odorem Majoranæ.

Fert flores & semen toto anno.

2. *Pentaphyllum peregrinum siliquosum bivalve minus* Moris. *Lupinus peregrinus pentaphyllos* C. B. *Lup. Arabicus sive pentaphyllon peregrinum* Ponæ Ital. *Pentaphyllum siliquosum Arabicum albidum* Park.

Moris.

Plurima *folia* per terram strata obtinet, longis pediculis innixa, quina Pentaphyllorum more in idem centrum i. e. summum pediculum coeuntia, molliuscula. Ex horum meditullio oritur *pediculus* pedalis aut semicubitalis, qui in alios ramusculos dividitur, rotundus, rectus, gracilis, mollis totus, à principio ad fastigium usque foliolis trifoliatis densè convestitus, inferioribus majoribus multò, & pentaphyllis, petiolis satis longis insidentibus; superioribus trifoliis & brevibus admodum pediculis innixis. In caulis alis superioribus umbellæ in modum multi pediculi longi satis & æquales apparent, in quibus singulis quaterna *petala* parva, alba, longa, tenuia satis sub exortum è capsula, & versus finem formam seminis Ferulæ aut Pastinacæ latifoliæ repræsentantia, alba, leviter olentia, constituentia florem album, cum *staminulis* quinis senisve, uncialibus, subnigris: quibus singulis succedunt *siliquæ* singulæ, bivalves, unciales, crassæ satis pro proportione plantæ, nullâ siliquæ cavitatem in loculos dirimente membranâ intergerinâ secundum longitudinem productâ, *seminibus* infinitis nigris, rotundis, minutissimis repletæ.

Flores

Tempus. Floret per totam æstatem, floribus citò evanescentibus, siliquis uncialibus crassis residuis. Annua est planta: Autumno se serens, ineunte æstate pullulat, & circa finem æstatis aut initium Autumni semen perficit.

Locus. Ex semine Chalepo Syriæ urbe transmisso enata est.

3. *Trifolium corniculatum Lusitanicum flore rubro* Park.

Park. Moris.

Folia aliquot longa, angusta, in eodem pediculo terna, humi strata è radice emittit; è quorum medio protrudit *cauliculos* rotundos, hirsutos, dodrantales, in plurimos ramos brachiatos, ima parte consimilibus foliis vestitos, superiùs singularibus, longiusculis, angustis, è quorum sinubus egrediuntur pediculi unciales, singuli singulos *flores* sustinentes, pentapetalos [tetrapetalos *Moris.*] rubros, staminula quina senáve continentes, corniculi rudimento in medio apparente, quo sensim augescente & productiore facto *flores* tandem decidunt, relictis siliquis cùm jam perficiuntur longis, angustis, teretibus, hirsutis, bivalvibus propendentibus, innumeris minutissimis seminibus repletis, nullâ membranâ intergerinâ in duo loculamenta divisis. *Radix* tenuis, annua.

CAP. IV.

De Lysimachia.

Lysimachia à Lysimacho rege inventore, teste Plinio, nomen accepit; vel à pugna dirimenda, id enim est λύειν τὴν μάχην. Est namque vis ei (si veteribus fides) belluarum etiam animos feroces & mutuos hostiles congressus placandi. Et hoc autorem habet Plinium, cujus lib. 25. c. 7. verba sunt, *Invenit & Lysimachus herbam Lysimachiam, quæ ab eo nomen retinet. Vis ejus tanta est, ut jumentis discordantibus jugo imposita asperitatem cohibeat.*

Hujus notæ sunt siliquæ flores antevertentes, quæ per matur. quadrifariam partiti & dehiscentes, quatuor seminum series ostendunt; Flores summis insidentes & integri una cum calycibus decidentes unde tetrapetali propriè dicti non sunt. Hujus species quas novimus omnes præter Virginianas luteas siliquas producunt lanigeras.

A. 1. *Lysimachia speciosa, quibusdam Onagra dicta, siliquosa* J. B. *Lysim. Chamænerion dicta latifolia* C. B. *Chamænerion* Ger. *Chamænerion flore Delphinii* Park. **Rosebay-Willow-herb.**

J. B.

Lysimachiæ species reliquas proceritate superat, tres, quatuórve aut plures cubitos alta, *caule* glabro, canaliculato, subrubente, copiosâ medullâ albâ, fungosâ pleno, *foliis* multis ab imo ad summum, sicut & in ramis donato, ad Salicis aut Nerii folia accedentibus, oblongis, mediocriter angustis, acuminatis utrinq; glabris, rara quædam per ambitum crenarum vestigia ostendentibus, obliquis ad latera venis à nervo medio secundùm longitudinem decurrente deductis, sapore subastringente & glutinoso, non sine aliquâ obscurâ acrimoniâ. In ramis rubentibus longa serie nascuntur *siliquæ* longæ, quadratæ, rubentes aut ex rubore in cinereum declinantes, subhirsutæ, per maturitatem in quaternas carinas dehiscentes, quatuor *seminum* papposo tomento delicatissimo involutorum perpusillorum, oblongorum cinereorum ordines continentes. Siliquarum porrò fastigia in quaterna foliola angusta explicantur *flores* sustinentia speciosos Leucoii, purpurascentes, quorum medium occupant *stamina* candida *apicibus* rubentibus aut luridis, pistillo longiore in quatuor cruscula desinente. *Radix* alba, crassa, longè latéque repit, gustu insipido viscosóque.

Locus. In pratis propè Sheffeldiam Eboracensis provinciæ oppidum, & alibi in Septentrionali Angliæ parte provenit; invenitur & circa Basileam in monte *Moutets*, &c. Ob florum pulchritudinem in hortos sæpe transfertur, verùm ob effrænem reptandi licentiam odiosa est.

2. *Lysimachia siliquosa, speciosa, angustifolia* J. B. *Chamænerion alterum angustifolium* Ger. *Lysim. Chamænerion dicta angustifolia* C. B. *Lysim. siliquosa angustifolia, Chamænerion Gesnero dicta* Park.

Superiori tota quidem facie similis est. *Foliis* confertim multis simul coacervatis, Linariæ foliis & longitudine & latitudine paribus. *Flores* consimiles, purpurantes, longis, incanis jam dictæ corniculis insident, minores [non tamen multo.] *Radix* repens cum præcedentis radice convenit.

Locus. In alveis torrentum & fluviorum in Foro Julii Italiæ, & ad Arvam & Rhodanum fluvios propè Genevam copiosè spontaneam observavimus.

* 3. *Lysimachia Chamænerion dicta Alpina* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex *radice* fibrosa *cauliculi* rotundi, supernè albicantes, palmares, nonnunquam pedales exurgunt, *foliis* duplicibus cincti, aliis Rorismarini formâ, sed brevioribus & angustioribus, nullo ordine dispositis, aliis brevissimis, iisque vel prædictis interjectis, vel ex eorum sinu prodeuntibus. Cauliculorum summis *flores* longis pediculis subcœruleis vel candicantibus insident, elegantes, purpuro-cœrulei vel albo-cœrulei quadrifolii, satis magni, quibus foliola quatuor brevia & viridia subjiciuntur, & ex eorum

eorum medio *stamina* aliquot exurgunt: *siliquæ* longæ, angustæ, *semen* minutum cum lanugine continentes, succedunt.

In Alpibus Helvetiorum provenit. *Locus.*

Non video, magnitudine excepta aliisque accidentibus à loco natali ortis, quid differat à præcedente.

A. 4. *Lysimachia siliquosa hirsuta majore flore purpureo* J. B. *Siliquosa hirsuta magno flore* C. B. *Filius ante patrem* Dod. Lob. *Lysimachia siliquosa* Ger. **Great hairy codded Loose-strife or Willow-herb, called also Codlings and Cream.**

Radice est surculosa fibrillis capillata, è cujus capite plura erumpunt germina majuscula, rubentia, in summa tellure reptantia, quibus se latè diffundit & propagat. *Caules* tenues, sed tamen rigidi, bicubitales & altiores, teretes, hirsuti, medullâ farcti, ab imo ad summum usque ramosi. *Folia* ex adverso bina, oblonga, modicè lata per margines argutè denticulata, utrinque hirsuta, & Salicis cujusdam aut malûs Persicæ foliorum æmula, absque pediculis caulibus adnascuntur. *Flores* ex alis foliorum versùs caulis & ramulorum summitates exeunt singulares, siliquis quadratis hirsutis rubentibus, duas trésve uncias longis insidentes, purpurei speciosi, ex quatuor foliis cordatis striatis compositi, in quorum medio stamina aliquot apicibus albidis insignia cum stylo productiore albo, quadrifariam in summitate diviso, reflexis segmentis. Calix floris quatuor acutis laciniis constat. Flos & calix unà decidunt. Siliquæ præpropero ortu flores antevertentes, per maturitatem in quatuor partes reflexas à mediâ erectâ dissiliunt, quatuor seminum exiguorum lanugine candida adhærente alatorum ordines continentes. Odor plantæ compressæ suavis; sapor amaricans & nonnihil acris.

Juxta scrobium, fossarum, fluviorum, rivulorúmque margines aliisque humidis locis reperitur, ut rectè J. Bauhinus. Seriùs apud nos & post mediam æstatem floret. Tota superficies hyeme marcescit radice restibili. *Locus & Tempus.*

Trago Salicaria, nostratibus **Willow-herb** à foliorum similitudine dicitur. Hæc autem species privatim **Codlings and Cream** ab odore foliorum paululum compressorum, Poma elixa flori lactis immissa referente.

A. 5. *Lysimachia siliquosa hirsuta parvo flore* C. B. *Siliquosa hirsuta flore minore* J. B. 12. *sive sylvatica* Ger. *An Lysim. siliquosa sylvestris hirsuta* Park. **The lesser hairy codded Loose-strife or Willow-herb.**

E *radice* fibris creberrimis albis comosa *caules* erigit cubitales aut etiam bicubitales, teretes, hirsutos, *foliis* vestitos ima parte ex adverso binis, salignis, utrinque molli lanugine hirsutis, ad margines perexiguis denticellis incisis, modicè in acumen desinentibus. *Siliquis* longis insident *flosculi* exigui, longè minores quàm supra descriptæ siliquosæ hirsutæ, coloris ex rubro pallentis vel albidi.

In aquosis & ad rivulos invenitur. *Locus.*

A superiore statura humiliore, foliis minoribus nec pariter rugosis, floribus longè minoribus & pallidioribus differt.

A. 6. *Lysimachia siliquosa major* Park. *siliquosa glabra major* C. B. *campestris* Ger. *lævis* J. B. **The greater smooth-leaved codded Willow-herb or Loose-strife.**

Caules huic bicubitales & altiores, teretes, rubentes, ramosi: *Folia* per intervalla bina opposita pediculis perquam brevibus insident, sesquidigitum lata, duos trésve digitos longa, in acutum mucronem desinentia, figurâ ferè foliorum Urticæ aut Asclepiadis, glabra, aut adeò raris pilis obsita ut oculorum aciem ferè fugiant, per margines serrata. In summitatibus caulis & ramorum folia sigillatim sita sunt, è quorum alis singulis singuli exeunt *flores*, oblongis siliquis insidentes, calice in quatuor acuta segmenta diviso, foliis quatuor in medio bifidis compositi, minores dilutiorésque quàm in prima specie. *Stamina* intus octo albicantibus apiculis capitata, cum *stylo* in medio exili, apice crasso quadrifido insigni. *Radix* subest multifida, fibrillis quamplurimis capillata.

In humidis & uliginosis saxosis hortis, areis, sylvis; æstate floret. *Locus.*

A. 7. *Lysimachia siliquosa glabra media sive minor* Ger. emac. *siliquosa* 4. *sive glabra minor* C. B. **The lesser or middle smooth-leaved codded Willow-herb or Loose-strife.**

Radice est fibrosa, & ut mihi videbatur, reptatrice: *Caulibus* cubitalibus & bicubitalibus, rigidis, quodammodo quadratis, propè terram rubentibus, *foliis* per intervalla cinctis ex adverso binis, semunciam latis, duos digitos longis, absque pediculis lata basi cauli adnatis, glabris, per margines serratis, in acutum mucronem sensim desinentibus. In summitatibus caulium & ramorum folia sigillatim sita sunt, è quorum alis singulis singuli exeunt flores, parvi, quatuor foliis bifidis compositi, pallidè purpurei, saturatioribus lineis striati, è calice in quatuor acuta segmento divisa. *Stylus* non ut in præcedente quadrifidus est; *stamina* quoque multo sunt breviora. *Flores* siliquis insident prælongis, quadratis, brevi lanugine hirsutis, rubentibus, *Folia* inferiora in surculis primò erumpentibus breviora sunt & pro longitudinis ratione latiora quàm superiora, non serrata, ad prunellæ aut Anagallidis luteæ folia accedentia.

A. 8. *Lysimachia siliquosa glabra minor angustifolia* Ger. emac. *siliquosa glabra angustifolia* C. B. **The least smooth codded Willow-herb.**

Radice videtur esse reptatrice, quæ è superiore sui parte fibras tenues, prælongas, purpurantes in terram demittit. *Folia* primò erumpentia exigua, angusta, Hyssopi aut Anagallidis quartæ Lobelii foliorum æmula. *Caules* pedales, interdum etiam cubitales, teretes, tenues, rigidi, fragiles, brevi & vix conspicua lanugine hirsuti. *Folia* ex adverso bina, præterquam in summis caulibus, ubi (ut in reliquis) alternatim nascuntur, duos digitos longi, vix semunciam lati, nullis pediculis, ad appositionem angustiora, medio latiora, in acutum deinde paulatim mucronem desinentia, ad margines reflexa plerunque, ut aversa parte quodammodo concava videantur, vel omnino glabra, vel brevi adeò lanugine hirsuta ut visum ferè fugiat. Ad margines interdum nescio quæ dentium rudimenta habere videntur, interdum omnino æqualia sunt. *Siliquæ* quadratæ, hirsutæ, rubentes, digitales aut sesquidigitales, pediculis uncialibus insidentes, *flores* in summitatibus suis gestant tetrapetalos, pallidè purpurantes, saturatioribus lineolis striatos, è calice quinquepartito, petalis in medio profundiùs fissis.

Hæc humilior est multò quàm præcedens foliis minoribus, obscuriùs virentibus nec per margines dentatis.

Locus. In palustribus oritur. Hyeme ad radicem sparsi cernuntur foliorum brevissimorum subrotundorum, crassorum densè stipatorum globuli quidam Sedi iminimi summitates mitantes, quæ sunt prima plantæ Vere exoriturae germina.

A. 9. *Lysimachia siliquosa glabra minor latifolia nostras.*

Folia huic glabra, atrovirentia magnitudine & figurâ Ocymi ferè aut Origani. *Caules* infirmi, bipalmares: *Siliquæ* longæ nutantes.

Locus. Ad rivulos in lateribus montis Cheviotæ in Northumbria Angliæ observavi, nec dubito quin & alibi in montibus ad rivulos nascatur.

10. *Lysimachia lutea Virginiana* Ger. emac. *lutea siliquosa Virginiana* Park. *lutea corniculata* C. B. App. **Tree Primrose.** *Lys. Americana* Col. *Axochiotl* Hernandez.

C. B.

Ex *radice* oblonga, alba, digitalem crassitudinem superante, paucis fibris capillata *caulis* exurgit initio rotundus, at supra medium ob plurimos ramos angulosus, subcinereus, lævis [hirsutus,] crassitudine digitali, medullâ farctus, & superiùs punctis rubentibus variè notatus. *Folia* longa, angusta, in caule crebra, alternatim posita, ad margines sinuata & obiter dentata. *Flores* Lysimachiæ modo summis siliquis insident magni, tetrapetali, lutei, Primulæ veris floribus similes, è *calice* quadrifolio, pediculo rotundo, articulato donato. In medio flore *stylus* conspicitur, qui viridis usq; ad articulum descendit, & apicibus quatuor sulphurei coloris crucis in modum dispositis donatus est, quem *stamina* octo circumstant, quorum quatuor singulis foliis adposita, alia quatuor ipsis interjecta sunt; hisque singulis capitulum oblongum albicans insidet. *Flos* odoratus est, ultra diem non persistens, cùm is qui sub vesperam aperitur ad sequentis diei vesperam flaccescat, unde Ephemerum dici meretur. Flore cum pedicello ad articulum delapso altera pediculi pars sesquiuncialis, sensim ad uncias binas, etiam ternas, oblongatur, & in siliquam sive corniculum abit, & propter semen copiosum, parvum, angulosum, pullum quod continet, intumescit; quod ubi maturuit, ipsa cornicula, (quæ utrinque ad caulis latera numerosa sunt) in quatuor partes dehiscunt, quaternis loculamentis quatuor seminum ordines continentia, nullâ intus lanugine seminibus adhærescente. [In singulis foliorum alis singuli flores sedent: cornicula sessilia pediculis carent, ad basin crassiora, sensim versùs apicem tenuiora, raris pilis hirsuta.]

Plantam hanc *Lysimachiæ Americanæ* titulo describit & depingit F. Columna, Annotat. ad *Res medicas Novæ Hispan.* Nard. Ant. Recchi: & *Axochiotl* seu *Florem aquæ* prædicti Recchi seu Hernandez, lib. 7. cap. 48. Hist. Mexicana, descriptum & depictum esse existimat, quod & nobis etiam videtur.

Primâ qua sata est æstate caulem non edit, verùm anno sequente, semine autem ad maturitatem perducto radicitus exarescit.

Camaranbaya Brasiliensis altera species *Marggr.* huic eadem esse videtur.

11. *Lysimachia Virginiana altera, foliis latioribus, floribus luteis majoribus* Cat. Altdorf.

Hæc præcedente elatior est & major, ut quæ humanam interdum altitudinem multùm superet, *foliis* latioribus, & pro magnitudine brevioribus, ad margines minus sinuatis & propemodum æqualibus: *floribus* etiam multò amplioribus.

In hortis nostris frequentior est præcedente.

12. *Lysimachia fruticescens Brasiliensis,* Camaranbaya *indigenis* Marggrav.

Marggr.

In quatuor pedum altitudinem assurgit, & dividitur in multos ramos russos, pilosos. *Folia* solitariè posita in brevibus pediculis oblonga, hirsuta, ad quorum quodlibet *flosculus* provenit, calyce fere duos digitos longo, cui insident quatuor foliola viridia, & cuique ex his supersidet foliolum flavum, con-

stâtque

ſtátque quilibet flos quatuor foliolis flavis. Ex calice floris fit *ſiliqua*, ut in congeneribus, quæ *ſemen* continet minutulum, rotundum ſplendens, coloris ex pallido ſubflaveſcentis.

Fert florem & ſemen ab Auguſto in Novembrem. *Tempus.*

Præcedentibus perſimilis eſt, ſi non alteri earum eadem.

* 13. *Lyſimachium Indicum* Bontii.

Bont.

Creſcit in Java circa fluminum ripas. Florum colore albo, & totius plantæ facie à vulgaribus Lyſimachiis multum abludit: Eſt enim Lyſimachio Europæo procerior, *caule* unico, duro, firmo, in coronam aliquot foliorum novitiorum deſinente, quem ambiunt ordinatâ quâdam ſerie ab imo ad ſummum *folia* bina ex adverſo poſita, longiora & ſolito anguſtiora, unico nervo recto, multis venulis obliquis diviſa. Circa horum pediculos ad caulem alii cauliculi emergunt longiuſculi, in quorum extremitatibus *flores* naſcuntur, Periclymeni flores, quos vulgò Lilia ſylveſtria appellant, non malè referentes.

Inter olera à Mauris recipitur. Ad Malvæ naturam quàm proximè accedere videtur: nam in clyſmatis ad ventrem & inteſtina eluenda in frequenti eſt uſu.

An propriè ad Lyſimachiæ genus pertineat ob deſcriptionis imperfectionem neſcimus. Icon florem tetrapetalum repræſentat.

Cap. V.

De Tithymalo.

Tithymalus & Tithymallus cum duplici *ll* à τιθὸς mamma & μαλὸς tener dictus putatur, quòd tenerum lac non ſecus ac mamma quædam effundat. Lobelius Adv. autor eſt hanc vocem ſcribendam eſſe per diphthongum Tithoimalus, quod mammam ſive papillam uberis exitioſam viroſámve non ineptè interpretatur. Nam μαλὸς vocem exitioſam ſignificare Euſtathius docet. Hujus una ſpecies Characias dicitur, id eſt, vallaris, ſic dicta quia vallis ſeptíſque muniendis apta ſit, aut quòd plerunque his in locis proveniat.

Notæ Tithymali characteriſticæ ſunt vaſculum ſeminale tricoccum in ſummo ſtylo, & ſuccus lacteus, acer in pleriſque ſpeciebus, in una alterâve inſipidus.

Pityuſa, Apios, Peplus, Peplis, Lathyris, Chamæſyce, Eſula, Catapuția nomina ſunt variis Tithymali ſpeciebus impoſita.

Pityuſa dicitur quaſi πιτυοῦσα, quòd folia Piceæ ſimilia ferat.

Apios à radice pyriformi.

Peplus & Peplis à peplo ſive flammeolo, quòd ramulorum ambitu & quaſi rotundo amictu velum efformet, ac tellurem operiat. *Lob.* & alibi, quia fruticat uberiore undequaque ramulorum comoſa concinnáque ſobole, in pepli ſpeciem collecta.

Lathyris, quod folia duo, quæ caulis partem ſummam amplectuntur cavitatem ſatis magnam oſtendunt. Etenim inter duo folia quæ umbellam ambiunt ſemen quaſi inter duas januas ſeu bivalvi continetur. *J. Bod. à Stapel.*

Cataputia, quòd ſemen in pilulis quibuſdam ſive catapotiis ferat: vel (quod magis arridet,) quòd ſemen in catapotiis ſumptum purget. *Stapel.*

Chamæſyce à lacteo Fici ſucco & humilitate nomen accepit. *Idem.*

Eſulæ non invenio etymon probabile, nam quod J. Bodæus adfert non placet.

A. 1. *Tithymalus Characias Amygdaloides* C. B. Ger. emac. *Characias vulgaris* Park. *Tithymalus ſylvaticus toto anno folia retinens* J. B. **Wood-spurge.**

J. B.

Radice nititur albâ, validâ, lignoſâ, intortâ, variè diviſâ, multis fibris donatâ, à qua exurgunt *rami* lignoſi, cubitali longitudine majores, flexiles, cortice exteriore inſigniter rubente & hirſuto, interiore virente; *foliis* ſupra rami medietatem crebris, quatuor ferè uncias longis, ſemunciam aut paulo plus latis, infernè canâ lanugine pubeſcentibus, excurrente per longum nervo ad medium uſque folium rubente, deinceps viridi, ſupernè quoque pilis ſed minùs evidentibus leviter hirſutis, atro virore ſplendentibus. Ex ſummis ramis oriuntur *pediculi* in umbellæ formam, rubentes ſimiliter & hirſuti, ſinguli ſingula folia ad exortum, iis quæ in ramis ſunt minora, reliquis ſimilia habentes, ſeſcunciam longi ad geniculum quoddam, ubi rurſum duo folia præcedentibus minora, oppoſita, pedicellíque bini ex præcedentium pediculorum unoquoque explantantur, iique rurſum cum foliolis ſuis minimis bipartiti *floſculos* ſuſtinent foliolis circumdatos, minimos, herbaceo colore præditos, ita compoſitos ac ſi quatuor ſemilunulis, gibbis omnibus introſpectantibus rhombum aliquo modo quis imitetur. Tota planta odore gravi eſt præter lignoſam radicem, & lac fundit.

In ſylvis & dumetis copioſè provenit, tum in Anglia, tum in exteris regionibus. *Locus.*

2. Tithy-

2. *Tithymalus Amygdaloides sive Characias* J.B. *Characias rubens peregrinus* C.B. *Characias Monspeliensium* Ger. Park. *Characias* 1. Clus.

Clus.
Unicus huic magna ex parte est *caulis*, interdum plures, cubitales & ampliores, rubente cortice tecti, minimi digiti crassitudinem æquantes, infima parte glabri, foliorum duntaxat vestigiis insigniti, veluti insecti ac vulnerati essent, supernâ verò foliis duris, lævibus, viridibus, majoribus quidem longioribúsque quàm sint Oleæ folia, minoribus tamen quàm Amygdalæ, ornati, deinde in plures junceos & firmos ramulos, umbellæ in modum divisi; quos ambiunt veluti acetabula aut caveolæ, foliis balinearum similes, & in his *flos*, non subluteus aut pallidus, ut in aliis, sed niger: postea *fructus* tricoccus, in quo *semen* per maturitatem exiliens, reliquarum Lactariarum seminis instar. *Radix* dura est & lignosa.

Locus. In saxosis circa Monspelium: in Italia quoq, propè Lericium & alibi in asperis & montosis observavimus. Martio flores profert, autore *Clusio*.

3. *Tithymalus Characias folio lanuginoso* C. B. Park. *Tithym. Characiæ vulgari sylvatico idem est, ut nobis videtur.*

Præcedenti ferè similis est, plures tamen ei caules ab una radice prodeunt: *folia* molliora & lanugine pubescentia; flores pallidi.

Locus. Crescit etiam in Hispaniis, deinde tam in Narbonensi quàm reliqua Gallia, tum etiam apud Helvetios cæterósque Germanos.

J. Bauhinus eandem facit Tithymalo Characiæ nostrati vulgari sylvatico, cui & nos suffragamur, adeóque C. Bauhinus ex una plantæ specie duas facit. Verùm Morisonus Tithymalum Characiam lanuginosum pro distincta specie ponit in Prælud. Bot. quem passim in sylvis Galliæ Soloniensis provenire & à foliis lanugine obductis à cæteris suæ sortis facilè dignosci scribit.

* 4. *Tithymalus Characias radice repente* Moris. prælud.

Moris.
Folia gerit oblonga, radicem longè latéque serpentem producit, quâ notâ distinctu est facilis.

* 5. *Tithymalus Characias radice pyriformi* Moris. prælud.

Moris.
Sola radicum tuberositate pyriformi dignoscitur inter omnes Tithymalos Characias dictos.

* 6. *Tithymalus Characias Salicis minoris folio* Moris. prælud.

Moris.
Hic à similitudine foliorum Salicis longifoliæ vimineæ notu facillimus.

* 7. *Tithymalus arboreus* Alpin. exot. Park. *dendroides* J. B. *myrtifolius arboreus* C. B. *Myrsinites arborescens* Ger. **Tree-spurge.**

Cæs.
Frutex est bicubitali altitudine & ampliore, lignosus, arboris æmulus, uno quasi caudice pollicem & ampliùs crasso, in ternos aut quaternos ramos perpetuè fisso, digiti crassitie; foliis circa surculos novellos longioribus Myrsinite ac virentioribus [Lobelio folia Esulæ majoris foliis paria & admodum similia, *imò majora*] comâ luteâ, fructu Characiæ.

Locus. In scopulis nascitur & præruptis, copiosiùs in præcipitio qui Saltus Cerviæ vocatur inter Massam & Petram sanctam, ubi & nos eum observavimus: invenimus & in montosis supra Messanam Siciliæ urbem. Folia figurâ suâ & magnitudine accedere videbantur ad Mezerei Germanici folia. Flores [Alpino] velut in umbellis parvis.

A. 8. *Tithymalus magnus multicaulis, sive Esula major* J. B. *Tithymalus palustris fruticosus* C. B. *Esulæ major Germanica* Ger. Park.

J. B.
Mirum quàm luxuriet fœcundiore solo enatus Tithymalus iste, quem vulgò Esulam majorem Germanicum vocant. Lignosa enim candidáque *radix*, non brachii modò humani crassitudinem assequitur, sed & suræ nonnunquam superat, longè latéque vario implexu propagata perennat. Nec minor caulium quos emittit luxuriosa ubertas, minimi digiti circiter crassitie, rubescentes, & plurimis alis concavos. *Folia* Cataputiæ minoris oblonga, multùm illis magnitudine cedentia, hyeme decidunt. *Flosculi* umbellati, concavi, luteoli, quatuor peltata foliola surrigunt, cum totidem staminibus. *Semen* in loculis triquetris reliquis non dissimile.

Locus. Rarior est in Italia, Gallia & Anglia, nisi in hortis colatur. In Germania verò superiore & inferiore ad Rhenum, ut & in Silesia ad sabulosas fluminum crepidines, copiose oritur.

Uterque Bauhinus Tithymalum palustrem Cæsalpini hujus Synonymum faciunt. Verùm Tithymalus ille quem nos in paludibus Pisanis frequentem observavimus ab hoc diversus videbatur, siquidem folia ejus hirsuta erant, & ad Tithymali Characiæ Amygdaloidis nostratis folia accedebant, quibus

quibus & ea comparat Cæsalpinus: folia autem Esulæ majoris Germanicæ dictæ Tithymali paralii foliis similia sunt. Est ergo palustris noster Pisanus (ut puto) idem qui

9. *Tithymalus Characias pratensis incanus* Botan. Monsp. *incanus hirsutus* C. B. *inscribitur. An Tithym. Characias lanuginosus* Moris. prælud.

Magnol.

Cui *radix* crassa, multos *caules* pedales & cubitales, rubentes proferens; in quibus plurima *folia* indiscriminatim oriuntur, caulibus adhærentia, longa & lata, leviter in ambitu serrata & sinuata, supra & infra molli lanugine pubescentia. *Flores* aliorum more velut in umbellam congesti, ex luteo rufescentes, *loculi* triquetri, villosi & verrucosi in quibus *semen* continetur.

In pratis circa Lateram Junio mense cum flore & semine plurimis in locis reperitur. *Locus.*

Morisonus Tithymalum suum characiam lanuginosum in sylvis Galliæ Soloniensis provenire scribit, unde videtur potiùs varietas Tythymali sylvatici toto anno folio retinentis.

A. 10. *Tithymalus paralius* J. B. Ger. *paralius sive maritimus* Park. *maritimus* C. B. **Sea-Spurge.**

Virgis aliquot lignosis, rubentibus, ad pedalem aut cubitalem altitudinem assurgit, *foliis* crebris ab imo ad summum usque obsitis, angustis, oblongis, medio tamen latioribus, Lini foliis nonnihil similibus, verùm crassis & cæsiis, succo lacteo acerrimo turgidis: summis virgis innascuntur umbellatim ferè ut in aliis Tithymalis *flores* pallidè lutei, quibus singulis subsunt folia bina lata surculos & pediculos cingentia: sequuntur capsulæ tricoccæ ut in hujus generis reliquis. *Radix* subest satis crassa, oblonga, lignosa, vivax.

In arenosis maris litoribus frequens est. *Locus.*

Dubitat Gesnerus hort. an Tithym. paralius à Matthiolo & Trago pictus sit cyparissias: idque sanè summa ratione: Nam descriptio Tithym. Cyparissiæ similis Pityusæ multis *J. B.* qui aliorum Botanicorum Tithym. cyparissias est, Tithymalo paralio convenit: & planta illa quæ in sabulosis ad Rhenum copiosè provenit, (qui locus Tithym. cypar. simili à J. Bauhino assignatur) mihi non alia visa est quàm Tithymalus noster paralius. Alii curiosiùs examinent, & plantas invicem conferant.

* 11. *Tithymalus fortè dictus Lucæ Ghino Pityusa, quibusdam Characias Pannonicus* J. B. *Tithym. Characias* 4, *sive rubens Germanicus* C. B. *ejusdémque Tithym. Characias* 5, *seu angustifolius. Tith. Characias angustifolius* Park. Ger. emac.

J. B.

Radice est magnâ, longâ, crassâ, è qua crebri nascuntur *caules*, inæquales, dodrantales sextantales ac fortè dodrante majores, *foliis* multis amicti, Paralii foliorum latitudine, longitudine majori, interdum breviore, acuminatis, spissis, colore ferè myrsinitis.

Hunc Clusius titulo Characiæ 3. Austriaci sic describit:

Multos ab una *radice* profert *caules* pedales, nonnunquam etiam cubitales, firmos, læves, infima parte nonnihil purpurascentes, & foliorum quæ deciderunt vestigiis notatos. Hos deinde ambiunt confuso ordine nascentia *folia*, crassiuscula, lævia, duas interdum uncias longa, mucronata. Summi caules in multas virgulas inter folia emergentes dividuntur, quæ bina subrotunda seu quodammodo circinata foliola, & quasi vasculum seu labellum imitantia sustinent, in quibus *flores* reliquorum Tithymalorum floribus similes, qui cum suis virgulis & vasculis pallido subluteóve colore prædiri sunt: succedunt triangula *capitula*. *Radix* longa, digitalis crassitudinis, infimâ parte in aliquot fibras divisa. Maturo semine caules singulis annis emoriuntur, novo autem Vere recentes alii è radice germinant, qui subsequente anno flores ferunt.

Nascitur plerisque Pannoniæ locis, sed Viennensi agro tantâ copiâ in gramineis & siccioribus pascuis, ut Junio mense (tum enim floret) omnino pallescere videantur. *Locus.*

D. Magnol in umbrosis circa pontem Castri novi Salenovæ & Lateræ passim reperiri asserit.

12. *Tithymalus serratus Dalechampii* J.B. *Characias serratus* Ger. *Characias folio serrato* C. B. *Char. serratus Monspeliensium* Park.

J. B.

Cubitali *caule* præditus est, per quem *folia* uncialia, alia culmo latiora, alia etiam minùs lata, pleraque non acuminata, sed subrotunda, denticulis per ambitum crenata, glabra: at verò quæ umbellæ pediculis ad coitum subjiciuntur folia, multò latiora quàm longiora, nonnulla quoque orbiculata, nihilóque seciùs in ambitu serrata. *Flores* acetabulorum cavo insidentes muscosi, lutei: *capitula* majuscula, triquetra, ex tenui pediculo Myrsinitis ferè paria.

In Gallia Narbonensi passim & copiosè oritur, circa Nemausum, Monspelium, &c. nec alibi (inquit J. Bauhinus) temere reperitur: Verùm Clusius Tithymalum myrtiten Valentinum appellat, unde Valentino etiam regno communem esse colligitur. *Locus.*

13. *Tithymalus Myrsinites* J. B. Park. Lob. *Myrsinites latifolius* Ger. C. B. *item Tithymalus angustifolius Myrsinites* eorundem.

J. B.

Ramis dodrantalibus crassiusculis per terram maximâ ex parte funditur, quos serie quadam ambiunt *folia* Myrti, pinguiuscula, colore glauco prædita, in acumen desinentia. Ramorum extrema in surculos abeunt indidem ortos, pyxidata folia rotunda transadigentes, umbellatim dispositos: quibus

bus inter folia insident *flores* colore herbido, quorum singularia foliola pulvilli instar habentia, ansulis croceis donata sunt. Pericarpia triquetra, totidem grana continent.

Locus. Juxta arcem Rhegii in Calabria sponte ortam invenimus.

Tithymalum latifolium & angustifolium *C. B.* pro eadem planta habeo: siquidem figuræ Lobelii, quæ in *Adv.* habetur titulo *Tithymali Myrsinitis*, quæque in Obs. tit. *Myrsinitis myrthifolii* unius & ejusdem plantæ sint, cùm in Observationibus ad Adversaria Lectorem referat: nec refert quòd utramque ponat in Icon. Plant. alteram nomine *Tithymali myrtifolii* Obser. p. 192. alteram titulo *Tithym. myrtitis Diosc.* Adv. p. 150. cùm ipsemet in Obs. utramque iconem pro ejusdem plantæ habuerit.

14. *Tithymalus maritimus Juniperi folio* Bocconi. *An Tithymalus cyparissias vulgaris* Park?

Bocc.

Hic (inquit) Tithymali arborescentis facie fruticat: pedali & altiore quandoque est *caule*, supernè variis ac multiplicibus ramis distincto, valdè comoso; tenuibus *foliis* copiosissimis, longissimis, Juniperi formâ, sed mollioribus & minoribus circumvestito, ad Tithymali leptophylli figuram accedentibus. *Flores* & *capsulas* seminales aliorum Tithymalorum more (id est fructum tricoccum) profert. Perpetuus est.

Locus. Propè Massiliam in arenosis ad mare invenimus, ubi & Paulus Boccone.

Tithymali cyparissiæ vulgaris tum figura tum descriptio apud Parkinsonum ab hac planta non multum abludunt, ut examinanti patebit.

* 15. *Tithymalo marino affinis Linariæ folio* C. B. *amygdaloides angustifolius* Tab. *linifolius paralio congener* Park.

Hic (inquit C. B.) à Linaria antequam floreat solo lacteo succo distinguitur: quomodo ergo differt ab Esula Officinarum sive Tithymalo pineo?

Locus. In declivibus montis *Capouladou* soli expositis, inter rupes versus *las Cambrettes* & in aliis campestribus lapidosis copiosè oritur. *Botan. Monsp.*

* 16. *Tithymalus maritimus spinosus* C. B. *maritimus Creticus spinosus* Park. *An Tithymalus spinosus Creticus* Alpini?

Bel.

E Tithymalorum genere est (inquit Bellus) spinas proferens, floribus luteis, foliis parvis rotundis, lac copiosum effundens, radice (si rectè memini) carnosa.

Tithymalum suum spinosum Alpinus ità describit, Planta est dodrantalis, primo ætatis suæ anno ramulis & foliis Apios Græcorum maximè æmulatur. *Radice* nititur in principio crassâ, tuberosâ, sed longâ, in acutum desinente, non absimili Apios radici. Anno verò secundo ramuli breves, tenues dodrantales in cymis fruticant, & in crucium modum ramulorum extrema dividuntur, & desinunt in spinulas tenues, acutas. Æstate foliola ramuli abjiciunt, quo spinulæ duriores & nigræ evadunt. Lacteo succo acri turget.

17. *Tithymalus maritimus Venetus* Park. *maritimus purpurascentibus floribus* C. B. *Esula rara in Lio Venetorum insula* Lob. *Es. Veneta maritima* Ger.

Lob.

Sesquicubitum duósque cubitos longos *caules*, fungosos, rugosos, fuscos, crassos minimum digitum, multis ramulis divisos emittit pedalibus; & *foliis* situ binis per intervalla, majoribus quàm terribilis Alypi, ad Glycyrrhizam proximis, lentis, pinguibus Thymelææ; *flores* pendulos promentibus purpurascentes & fusco, obsoleto Aristolochiæ, Vincetoxici effigie. *Radix* foris pulla, intus villosis lineísque pelliculis, cujusmodi in *Tarton-raire*, cinereis, sesquicubitum longa, digitum minimum crassa, succo distenta: Universa planta lactescit, & prorsum Tithymali paralii cui convictrix ferè semper visitur æquiparatur.

Locus. Sed non alibi quàm in litoribus & insulis sinus Adriatici facilè reperitur, & in *Lio* insula exigua, quæ obex est maris alluvionibus.

18. *Lathyris major* C. B. *Cataputia minor.* *Lathyris major hortensis* Park. *Lath. sive Cataputia major & minor* Ger.

Radix huic simplex, fibris aliquot capillata. *Caulis* sesquicubitalis, teres, solidus, crassitudine pollicari, *foliis* vestitus crebris, tres digitos longis, salicis similibus, cœruleo-viridibus in crucis formam dispositis. Primo à satione anno hyemem tolerat, sequenti æstate in ramos dividitur, in quibus folia ad singulos flores bina, iis quæ in caule sunt multùm dissimilia, nimirum à lata basi in acutum mucronem sensim desinentia, nonnihil initio concava, aliàs ad foliorum Hederæ aut Asclepiadis formam accedentia, colore ex viridi flavicante & minimè cœrulea. Ad flores singulos ramuli in surculos duos divaricantur, adeò ut flos in ipso ramulorum divortio seu divaricationis angulo collocetur: in plures deinde surculos minores intus concavos singuli majores dividuntur. *Flos* quatuor foliolis componitur. *Vasculum* seminale majusculum, tricoccum.

Ab hac non alia in re quàm partium omnium magnitudine differt Lathyris minor hortensis *Park.*

Lathyris

* 18. *Lathyris minor conglomerato flore* C. B. *minima* Park. *minima* C. B. *Lathyris minor Dalechampii* Lugd.

19. *Tithymalus cyparissias* J. B. C. B. Ger. *Pityusa Tithym. pinea sive Esula minor* Park. *cupressinus* J. B. **Common Cypress-Spurge.** *Tithymalus pineus* Ger. *huic idem videtur.*

J. B.

Radix minimo digito crassior, sæpè tenuior, fibrosa, lignosa & nonnunquam serpens. *Caules* promit dodrantales & cubitales, primò simplices, postea ramosos, in quibus *folia* primò Linariæ, mollia, quæ postea tenuiora multò cùm in ramos dividitur. *Flores* in umbellæ quasi formam dispositi, longis pediculis folia quibus donantur perforantibus, lutei, ex quatuor quasi semilunulis conjunctis, extrorsum vergentibus corniculis compositi, *apicibus* item luteis: quibus triquetri succedunt *loculi*, in quibus *semen*. Ab eadem quoque radice exurgunt *cauliculi* (ego pro abortu habeo, licèt à nonnullis pro privata specie proponatur) quorum folia breviora multò, pinguiora, subrotunda, aversâ parte plurimis punctulis seu stigmatis rufis notata, in quibus ramulis non memini florem observare. Hinc patet quid sentiendum sit de Tithymalo stictophyllo *Thal.* i. e. cyparissia foliis punctis croceis notatis *C. B.* foliis maculatis *Park.* Lacte autem partibus omnibus turget.

Hic Tithymalus pro anni tempore & ætate insigniter variat: non raro enim verno tempore comâ rubente aut flavâ exit.

Pratorum margines & sepium istam sæpius alunt Esulam. In Anglia sponte non provenit, quod sciam. Mirum nobis videtur Botanicos de *Tithymalo pineo*, sive Esula minore, planta passim cognita & vulgo in hortis cultâ tam confusè & obscurè scribere, ut nesciam planè quid sibi velint, quóve titulo illum proponant. Ab aliis speciebus, mihi saltem notis, discretu facilis est, radicibus reptatricibus, statura humili, foliis oblongis, angustis, virentibus, mollibus & teneris, in caule creberrimis, Linariæ adeò similibus ut obiter intuentem pro iis fallant; verùm succo lacteo facilè distinguuntur secundum versiculum illum vulgarem, *Escula lactescit, sine lacte Linaria crescit.*

Tithymalo Cyparissiæ similis, Pityusa multis J. B. *Tith. foliis Pini, fortè Dioscoridis Pityusa* C. B. *Tithymalus pineus* Ger. *Pityusa, Tithymalus pinea sive Esula minor* Park. *potius Tith. cyparissias vulg.* ejusdem.

J. B.

Tithymalus hic rarus etsi Cyparissiæ vulgò dictæ similis, ab eo tamen alius est, *radice* longiore, crassiore, minúsque fibrosa: *Caules* multi, ferè cubitales, simplices, interdum in ramos multos dodrantales diducti; per quos *folia* conferta, crassiora, firmioráque quàm Cyparissiæ & magis glauca: extremis ramorum insident *umbellæ* magnæ, foliis peltatis, non majoribus Cyparissiæ.

De Tithymalo cyparissia & pineo dictis confusè admodum scribunt Botanici, ut mihi pænè persuadeam unam & eandem specie plantam esse. Ast hoc in loco à J. Bauhino descripta, videtur esse Tithym. paralius, aut alia quædam species nobis incognita. Notandum tamen plantam Parkinsono sub titulo allato descriptam esse Tithymalum cyparissiam J. Bauhini superiùs proximè descriptam: quæque hoc in loco à J. Bauhino describitur, sub titulo *Tithymali Cyparissiæ vulgaris* à Parkinsono describi; siquidem foliis brevioribus & crassioribus & in caule crebrioribus magisque confertis seu densiùs sitis à Tithymalo pineo differre scribit, Lobelium secutus.

Crepidines sabulosi fluminum & vicini colles frequentiùs hunc alunt, inquit J. B. Abundat in planitie arenosa propè Argentinam, & Basileæ ad Rhenum versus *Haltingen*, ut & propè Monspelium. Planta autem illis in locis frequens nobis non alia visa est quàm Tithymalus paralius, ut superiùs diximus. **Locus.**

Omnia Tithymalorum genera adurendi vim obtinent (inquit Tragus) imprimis verò lacteus eorum succus, quare raro citra noxam sumi possunt. Dodonæus Tithymalorum omnium succum per inferna purgandi validam vim habere scribit, Bilem, pituitam & aquosos humores ducere, etiam in exigua quantitate sumptum; sed ventriculum vehementer conturbare, & interna viscera inflammare; eámque ob causam ab ejus usu doctos ac prudentes medicos abstinere. ***Vires.***

Esula pituitam validissimè, præcipuè per inferiora, purgat, unde & Rusticorum Rhabarbarum audit. Est autem acris, ignea & erodens, adeò ut impudentium mendicorum fraudi inserviat, qui ejus succo cutem sibimet exulcerant scabritiei specie. *Schrod.*

C. Hofmannus se nunquam consuluisse ait, sed fuisse tantum spectatorem audaciæ vulgaris quæ tota Cochlearia admetitur. Si quis tamen (inquit) uti velit, *Esulâ præparata* Offic. utatur, quæ per viginti quatuor horas steterit in infusione acerrimi aceti, iterúmque exsiccata. Hujus dosis est à ℈ij. ad ʒj. & sine noxa purgat. Casp. Dornavius ita corrigit, ℞. Esulæ præp. ℥iv. Macis, Galangæ à ʒij. Spodii præp. ʒj. Trag. Bdellii ana ℈iij. Fiat pulvis, cujus dos. à ʒß. ad j.

20. *Tithymalus Cyparissias* Alpin. exot.

Alpin.

A *radice* crassa, quatuor digitos longa, lacteo succo turgente, (ut & reliqua planta tota dum recens est) *caules* producit multos, tenues, junceos, parvis capillamentis, brevibus, multis, tenuibus, Pini foliis similibus vestitos, propè radicem nudos, sed punctis nigrescentibus crebris maculatos, quorum singuli umbellam ex tribus aut pluribus surculis constantem obtinent, & in principio umbellæ unum utrinque foliolum, oblongum, parvum, extremo acutum, Myrti folio simile, minus tamen & tenuius, quilibet etiam umbellæ surculus circa medium utrinque folium prædicto simile & minus; à quo surculus usque ad extremum spicæ modo fert foliola, ex una parte inclinantia,

nantia, aliis longè breviora latioráque cum floribus parvis, Leucoii similibus, atque fructibus parvis triquetris, *semina* terna parva, rotunda, alba, Pipere minora continentibus. Inter caules prædictos graciles nonnunquam unus vel duo, crassitie minoris digiti visuntur, qui in plures itidem cauliculos foliatos dividuntur, ad exortum antequam dividantur nudi & punctis emaculati.

Locus. Cretam insulam agnoscit matrem hæc species.

21. *Tithymalus annuus Lini folio acuto* Botan. Monsp. *An annuus Pityusæ folio* Lob. *An Tithymalus linifolius* Cam?

Magnol.

Dodrantalem & interdum pedalem altitudinem acquirit, quamvis modò minor, modò major conspiciatur. Secundùm caulem plurima oriuntur *folia*, longa, Lini folia æmulantia, in aculeatum quasi apicem desinentia. *Flores* ut in aliis speciebus. Folia circa flores disposita, latiora sunt & multis apiculis donata. Radix lignosa est, quæ singulis annis perit.

Locus. In marginibus satorum circa Salenovam, *la Colom. Oiere* & alibi pluries vidit *D. Magnol.* Nos in Sicilia inter segetes observavimus, & pro Tithymalo linifolio *Cam.* habuimus.

Tithymalus Linariæ folio, lunato flore Morif. prælud.

A foliis Linariæ similibus, & flore Lunæ crescentis referente figuram facilè dignoscitur.

At hæ notæ Tithymalo cyparissiæ J. Bauhino superiùs descriptæ conveniunt, ergo illi idem videtur.

A. 22. *Tithymalus segetum longifolius* Append. Cat. Cant. **Long-leaved Corn-Spurge.** *An Esula minor sive Pityusa* Ger. emac?

Altitudinem dodrantalem vix assequitur. *Folia* oblonga in acumen desinunt. Tota planta colore est luteo-viridi præter caulis partem terræ proximam, quæ rubescit.

Hæc species cum præcedente seu XXI. convenit magnitudine, foliorum figurâ, colore, loco, ut eandem esse suspicer, non tamen fidenter affirmaverim, cùm plantam nondum viderim.

Locus. Inter segetes prope pagum *Kingston* dictum ultra sylvam via quæ *Gamlingay* ducit reperitur: observavit etiam *D. Dale* inter segetes circa *Comberton* cis Kingstoniam; ostendit etiam nobis siccam plantam à se collectam, cujus altitudo semipedalis, aut dodrantalis, *caulis* firmus, foliis non admodum crebris cinctus, neque ut in Esula exigua Tragi in acutos apices terminatis, sed obtusioribus & subrotundis. Summis caulibus ut in reliquis congeneribus velut umbellæ quædam florum insident: umbellarum autem basin totidem folia acuminata cingunt quot sunt umbellam componentes radii. Vascula seminalia parva & ut in reliquis tricocca. Radix parva, annua, paucis fibris donata.

Tithymalus foliis brevibus aculeatis C. B. *i. e. Pityusa Matthioli & aliorum, nobis incognitus est, quæratur apud Autores à Bauhino citatos.*

A. 23. *Tithymalus leptophyllos* Park. *minimus angustifolius annuus* J. B. *Esula exigua Tragi* Ger. emac. *Tithymalus sive Esula exigua* C. B. **Dwarf Spurge or small annual Spurge.**

J. B.

Palmaris aut semipalmaris est plantula, *radiculâ* nitens tenui, tres aut quatuor uncias longâ, *cauliculos* & ramulos multos eâ quâ jam dixi longitudine, ac etiam dodrantales obtinens, *foliolis* stipatis semunciam unciæve trientem longis, semiculmum latis, in acutum mucronem productis, crebris, sursum spectantibus, lacte turgidis. *Flosculi* herbidi, & pericarpium ut in reliquis congeneribus triquetrum, *semina* rotunda, canentia continens.

Locus. Planta est annua: inter segetes frequentissima.

* 24. *Tithymalus sive Esula exigua foliis obtusis* C. B. J. B. Park.

Radice est exili, oblongiusculâ, capillatâ: *cauliculis* pluribus, ad terram resupinatis, aliquantùm repentibus, biuncialibus, triuncialibus, aliis palmo minoribus, rotundis, lacteo succo turgentibus, qui *foliolis* oblongis angustis, sed semper in summo obtusis & velut abscectis inordinatè vestiuntur.

Locus. In agris Patavinis & Massiliensibus reperitur.

Tithymalus exiguus saxatilis C. B. J. B. Park.

C. B. prod.

Radiculam habet capilli modo tenuem, longiusculam; *cauliculos* tenues, unciales & biunciales, angustissimis & brevibus *foliolis* cinctos: *flosculos* exiguos, rubentes.

Hæc planta non alia esse videtur à Tithymalo leptophyllo fol. obtusis, partium omnium parvitate solâ diversa, quam soli sterilitati deberi verisimile est.

Locus. Circa Monspelium locis asperis provenit, vide *Botan. Monsp.*

25. *Tithymalus*

* 25. *Tithymalus Siculus polycoccos, Portulacæ folio* Bocconi.

Bocc.
Caule assurgit pedali aut altiore, supernè amplo & valdè ramoso: *Foliis* ad Portulacæ aut Tithymali helioscopii figuram circumvestito. *Flores* & *semen*, ut in cæteris suæ classis, in alarum sinubus atque ipsis ramis insident, & ordine distribuuntur; rotundis subsequentibus *capitulis*; binis, tenuibus *apicibus* donatis, in quibus *semen* Cannabis figurâ atque colore concluditur. Ea est plantæ ejusque alarum durities & contumacia, ut media hyeme arida & foliis spoliata perduret adhuc, & capsulas seminum (quod notatu dignum) unguibus frangere aut evellere (adeò pertinaciter hærent) sine rami particula non possis. Ex semine deciduo quotannis nascitur.

A. 26. *Tithymalus helioscopius* Ger. Park. C. B. *helioscopius sive solisequus* J. B. **Sun-Spurge or Wart-wort.**

Radix ei simplex, alba, rectâ descendens, fibris aliquot donata, unde *caulis* exurgit singularis, semipedalis aut pedalis, teres, raris pilis hirsutus. *Folia* in caule frequentia, nullo ordine posita, Portulacæ aut Peplios similia, digitum & interdum sesquidigitum longa, extremitate subrotunda, argutis denticellis circa margines crenata. Surculi [quinque ferè] è summo caule nati umbellam quodammodo efficiunt, quos totidem circumstant folia, iis quæ in caule majora & rotundiora. Singuli surculi in tres alios pariter sparguntur, quos tria circumstant folia. *Flores* in ipsis caulis & surculorum divaricationibus singulatim siti, parvi, herbidi, tetrapetali, petalis subrotundis & minimè lunulatis. E medio flore egreditur *stylus*, cujus apex in *vasculum* seminale turgescit triquetrum, tricoccon, ad floris latus reflexum. Tota planta succo lacteo acri turget.
Æstate floret & semen maturat; hyeme perit.
In hortis oleraceis & arvis pinguioribus, nec rarò in ruderibus ad urbium mœnia, &c. occurrit.

Tempus & Locus.

A. 27. *Peplus sive Esula rotunda* C. B. Ger. J. B. *Esula rotunda sive Peplus* Park. **Petty Spurge.**

Dod.
Dodrantalis herbula est, lacteo succo manans, Helioscopio Tithymalo similis, ejusque quædam veluti species, sed omnibus partibus minor. *Cauliculi* subrubent: *Folia* exigua, in rotunditate oblongiuscula, circa margines æqualia, (quâ certâ notâ à Tithym. Helioscopio distinguitur, cujus folia crenata sunt) infernè majora, supernè minora. Coma circinata, seu in umbellæ formam coacta. *Capitula* tribus loculis discreta *semina* continent reliquis similia. *Radix* tenuis, fibrosa, annua.
In hortis & vineis exit, & subinde in agris neglectis aut non cultis. Æstate viget, ac usque ad Hyemem perdurat.

Locus & Tempus.

28. *Peplus minor* J. B. Tab.

J. B.
Patulis in orbem ramis varièque divaricatis terram subjectam inumbrat, *foliis* Pepli majoris, rotundis ferè, in modicum acumen leviter desinentibus, dimidio minoribus: *pericarpia* pusilla majoris, aut Chamæsyces, triquetra, lævia, tribus locellis totidem claudunt *semina*.
In arvis requietis circa Monspelium observavimus.

Locus.

A. 29. *Peplis* J. B. Ger. Park. *maritima folio obtuso* C. B. **Small purple Sea-Spurge.**

J. B.
Terræ faciem ceu muliebre flammeum patulis ramis, variè divaricatis, palmaribus & sesquipalmaribus, rubentibus, crassiusculis operit, per quos veluti ad articellos *folia* adversa nascuntur, rubentia, duplo triplóve Chamæsyces majora, crassiora paulò, longiora, per extremum rotunda, quorum pars ea quæ sub nervo (qui solus folium per longitudinem medium dividit) productior est quàm quæ supra nervum, & veluti pinnata. *Flosculi* luteoli proximè ramos oriuntur. *Capitula* tricocca, lævia, duplò majora quàm Chamæsyces. *Radix* longiuscula, crassiuscula, simplex.
In litore maris arenoso inter Pensantiam & *Marketjeu* Cornubiæ oppida. In maris Mediterranei litoribus frequens reperitur.

Locus.

* 30. *Peplis annua foliis acutis, flore muscoso* Bocconi.

Dodrantalis est huic *caulis*, subrubens; dum in hortis colitur amplâ laxâque umbellâ & quasi comosâ, alioqui contractiori donatur, ubi natali solo spontanea est. *Folia* exigua, è rotundo acuminata sunt, Herbæ terribilis minora. *Flores* muscosos gerit. *Semina* verò in capsulis ad echini formam aliquatenus involucris suis accedunt.
In agro Lugdunensi frequens inter segetes reperitur.

Locus

31. *Chamæsyce* Dod. Lob. J. B. C. B. Ger. Park.

J. B.
Gracilem *radiculam* habet, longitudine circiter palmari, fibris aliquot tenuissimis donatam: *ramulos* quadrantales, ac etiam pedales, in alas subdivisos, rubentes, subhirsutos in orbem terræ apprimit: quibus ad genicula adnascuntur *foliola*, conjugatim disposita, subrotunda, quà terram spectant rubentia, supernè viridantia, nisi quod in medio purpureâ notâ sunt maculosa; quædam tamen in extremis ramulis suprà infráque omnino saturâ rubedine tincta sunt. *Flosculi* ad ramulorum divaricationes

cationes inter folia emicant purpurei. *Pericarpia* tricocca Esulæ exiguæ Trago dictæ sub foliis latitant.

Locus. In agris & vineis tam Siciliæ & Italiæ quàm Galliæ Narbonensis frequens oritur, quicquid contradicat Lobelius.

A. 32. *Tithymalus platyphyllos Fuchsii* J. B. *arvensis latifolius Germanicus* C. B. *Tithymalus peregrinus* Clus. Hist.

J. B.

Radice nititur simplici, alba, lignosa, adnatis aliquot donata. *Caulis* indè exurgit sesquicubitalis & bicubitalis rectus, teres, glaber, rubescens, intus concavus, singularis modò, modò plures, inter quos eminet medius inter contractioris altitudinis socios, per quos tamen omnes frequentes observantur rami, quorum exortui *folium* magnum semper apponitur, duarum unciarum longitudine, latitudine unciali, talia quoque fortuito ortu crebra per caules ramósque spectantur: at caulis fastigium in pediculos aliquot seu radios umbellam mentientes abit, unico in medio sedente flosculo, quorum coitum coronat rosa foliorum oblongorum, crenis parùm conspicuis denticulatorum: è quibus pediculis unusquisque subdividitur pari modo in alios, & horum quilibet denuo in alios, flosculis singularibus singulas divaricationes occupantibus. *Flosculi* cotylis insident perexigui, luteoli, quatuor petalis exiguis, flavis, non cordatis compositi: quos sequuntur vixdum delapsos tricocci *fructus*, minores & minùs asperi quàm *Verrucoso* dicto, sex sulcis ita insculpti ut hexacocci videantur. Annua est planta ex semine deciduo sese quotannis reparans: interdum tamen hyemem tolerat.

Locus. In agris non admodum infrequens est. In hortulo nostro & pomario hic Notleiæ in Essexia sponte provenit.

* 33. *Tithymalus platyphyllos* Clus. Ger. *latifolius Hispanicus* C. B. Park.

Clus.

Pedali, interdum majore altitudine assurgit, in aliquot à radice divisus ramos, nonnunquam simplici *caule* præditus, quem ambiunt ampla *folia*, rotundiore & quasi orbiculato mucrone prædita, ad Isatidis novellæ foliorum formam accedentia, viridia, crassiuscula & aliquantulum carnosa, pallescente & acri succo turgentia. *Flos* ramulis insidet ex flavo purpurascens, ac veluti acetabulis sive balinearum foliolis comprehensus, ut in aliis. *Radix* crassa est & candida.

Uno Valentino regno inter *Biar* & *Huentiniente*, viâ salebrosâ inter medios frutices, Martio mense florentem duntaxat observabat Clusius.

34. *Tithymalus non acris flore rubro* J. B. *montanus non acris* C. B. *qui huc refert Esulam dulcem Tragi, & Pityusam sive Esulam minorem alteram floribus rubris* Lob. Ger. Park. **Sweet red-flowred Spurge.**

J. B.

Tuberculis inæqualem habet *radicem*, longiusculam, fibratam: *caules* pedales vel cubitales, primò purpurascentes, non sine adnatis ramulis, *foliis* amicti Tithymali verrucosi, modicè in acumen rotundum desinentibus, glabris. *Pediculi* è caulis fastigio aliquot exeunt (subjecta foliorum oblongorum rosulâ) umbellæ formâ, in surculos subdivisi; singuli *flosculi* in medio foliorum duorum similium acetabulis, parvi, quadripartiti, rubentes: E medio flosculo rubro exoritur ex brevi pediculo *fructus*, parvus triqueter, tuberculis exasperatus, ex cujus medio stylus, & ad latus pediculus vel ramulus sustinens folia alia duo & in medio alium florem ac fructum. Cæterùm emanat è vulnere lacteus liquor, ut in reliquis Tithymalis, verùm nequaquam acer aut fervidus, sed adstringens, unde Tithymali aut Esulæ dulcis nomen meruit.

Locus. In montibus circa Genevam observavimus.

* 35. *Tithymalus tuberosus Germanicus* C. B. Park.

Hujus meminit Camerarius in horto. An & quid differat à præcedente inquirendum.

* 36. *Tithymalus Ragusinus non descript.* Hort. Lugd. Bat.

* 37. *Peplis major Brasiliensis flosculis albis Caacica indigenis* Marggr.

Marggr.

Ex *radice* alba, lignosa, lactescente, paullo majori semipede, multi prodeunt *caules*, teretes, nodosi, virides, uno latere rufescentes, multis ramis donati, qui partim humi jacent, partim stant erecti: ad nodos caulium & in ramulis bina *folia* opposita reperiuntur, in ambitu subtiliter serrata; ramulorum paulo minora iis quæ ad caules. In extremitate caulium & ramorum multi nascuntur *flosculi* subtilissimi, albi, tetrapetali, quos excipit triangularis *capsula*, in qua semen. Tota planta copiosè lactescit, quod lac commendatur à Lusitanis ad oculorum rubedinem & dolorem auferendum.

Tithymali non acris species esse videtur.

38. *Apios* J. B. *vera* Ger. *Apios seu Tithymalus tuberosus* Park. *Tithymalus tuberosa pyriformi radice* C. B.

J. B.

Facilis à *radice* est Apii cognitio, quæ quia oblonga, turgida, inque Pyri modum turbinata, plantæ nomen fecit, quam Napi radici rectè comparaveris. Hujus è capite ramuli aliquot exeunt palmo breviores, *foliis* satis frequentibus amicti Esulæ rotundæ seu Pepli, at minoribus, ex angusto principio sensim dilatatis, pérque extremum rotundis.

Adfer-

Adfertur ex Creta, sed & Apuliæ peculiarem esse monet Imperatus. Apios à radice pyriformi Græcis dicitur. *Locus.*

* 39. *Peplis montana folio Nummulariæ* C. B. *altera* Ang.

* 40. *Apios radice oblonga* Ger. emac. *Apios sive Ischas altera* J. B. *Tithymalus tuberosa oblonga radice* C. B. *Apios sive Tithymalus tuberosus oblonga radice* Park.

Clus.

Radice constat tuberosâ, non in Pyri formam turbinatâ instar prioris, sed æquali propemodum ubique crassitudine, unciam, interdum etiam binas uncias, longâ, cujus extrema pars in quatuor alias radices sive crassas fibras sensim gracilescentes desinit, & paucis fibris prædita est, colore foris fusca, intus candida, lacteo succo turgens ut Tithymali. Ex summo ejus capite exeunt quini aut seni *ramuli*, in terram procumbentes, palmares aut ampliores, secundùm radicem nonnihil purpurascentes, *foliis* viridibus non magnis, sed prioris foliorum instar, & incondito ordine eas ambientibus prædit; illi deinde in minores & graciliores dividuntur; bina folia paullò rotundiora & contrario situ nascentia sustinentes; in quorum medio exoritur *flos*, ex flavo rubescens; cui succedit *capitulum* trigonum, rugosum & tuberculis obsitum, in quo *semen*.

Semine peregrè accepto Jacobo Plateau nata est.

41. *Tithymalus lunato flore Columnæ* Park. *sylvaticus lunato flore* C. B.

Col.

Hujus *radix* exigua respectu plantæ, foris nigra, plures edit *caules*, pedales ab imo rubentes & læves, à medio (ubi plura simul folia in rotæ ferè speciem hærentia) ad summum usque virescentes, & hirsutos, *foliolis* brevibus, rotundioribus, alternatim dispositis vestitos, [circa imum foliis denudantur Characiæ ritu.] E summis foliis alæ aliquot exeunt, cava *folia* rotunda in cacumine gerentes, ex quibus bina alia, petiolis junceis insidentia exeunt, cava pelvicularum modo; in quibus *flores* ex herbaceo lutei, quatuor foliolis constructi Lunæ effigiem exprimentibus nuper crescentis, corniculis extrorsum conversis, gibbis intro spectantibus & sibi invicem admotis, *staminibus* intus quatuor luteis, ex quorum umbilico exit *stylus* in summo fructum sustinens deorsum nutantem, trigonum, apicibus aliquot in summo villosum. *Folia* mollia, hirsuta, cinerea ex viridi, latitudine ferè unciali, & longitudine quadruplo majora, reliqua verò minora eadem proportione. Comæ basis quinquefoliata est, quinque etiam petiolis cacumen divisum, in quo flores & fructus comam effigiant ut in aliis.

In valle supra D. Mariæ sanitatis Neapoli reperit Columna copiosam, Martio mense florentem, inque Asprensibus Sabinorum vallibus. Loca diligit parùm umbrosa, edita, atque humentia. *Locus.*

Accedere videtur hæc planta ad Tithymalum Characiam nostratem vulgarem. At verò florum petala lunulata non sunt huic speciei propria, sed aliarum nonnullarum communia.

42. *Tithymalus verrucosus* J. B. *verrucosus Dalechampii* Park. *myrsinites fructu Verrucæ simili* C. B.

J. B.

Plures hujus *radices*, tenues, in unam tandem coeunt, minimi digiti crassitudine, ac etiam majore, lignosam, cubitalem ferè, cortice externè nigro, internè albo, lacte viscido prægnante: virgæ multæ, lentæ & fractu contumaces, tenues, subrubentes, pedales ac etiam cubitales, alternatim adnata *folia* sustinent, deorsum ferè secundùm caulem reflexa, unciâ longiora, semunciam ferè lata, tenui lanugine obtecta, magis tamen infrà quàm suprà, quò fit ut inferior quoque pars magis quàm superna albicet: inferiora folia interdum rubent, necnon etiam superiora. *Flores* in umbella flavescunt, foliolis peltatis, ut Umbilici Veneris primulùm à satu è terra prorumpentis: quibus succedunt capitula rotunda, crispo ceu arenularum minutissimarum congestu, aut verrucarum instar asperata, quæ matura ubi se aperiunt in tres partes dividuntur, in quibus terna *semina*, colore & figurâ ferè similia Gallitricho medullam habentia albam, oleaginosam valdè.

In aridis & sabulosis gignitur propè Lugdunum ad Rhodani fluenta *J. B.* Nos circa pagum *Thuiri* duabus à Geneva leucis invenimus, & in Germania aliquoties. *Locus.*

43. *Peplios altera species* C. B. *Tithymalus Epithymi fructu* Col.

Col.

Saxorum rimas, montium & vallium incolit hæc planta, perenni fruticans *radice*, pluribus tenuibus *ramulis*, pedalibus, in imo lignosis, rubentibus amplam comam efformans. *Folia* alternatim exigua, Lino æmula, in imo minora hærent, & circa summum semper majora latioráque, ut propè capitula sint ferè rotunda, Helioscopii modo, sed minora. Comam profert ex basi quinquefoliata, Tithymalorum ritu, & *flores* non ex pelviculis cavis, sed ex binis oppositis foliolis distinctis brevi petiolo producuntur, quinis rufescentibus foliolis compositi, ex quibus longo petiolo *fructus* eriguntur, criniti, orbiculati, Ciceris vegetioris magnitudine aut magis crassi, hirsutie obducti, pilulis Cynorrhodi, aut potiùs Cuscutæ pares: quibus ob siccitatem hiantibus terna *semina* inveniuntur, cellulis distincta ut in congeneribus. Ramuli à medio ad summum virescunt teneriorésque sunt, & *folia* mollia ex cinereo virentia. Tota planta acri lacte turget.

Maio mense floret, & Æstate perficitur. *Tempus.*

Tithymali verrucosi species est, à præcedente tamen, ut mihi videtur, distincta.

In floris descriptione vel Autoris vel Typographi errore pro quaternis foliis quinis positum est.

44. *Tithymalus folio longo glauco, caule rubro, capsulis verrucosis, elatior, Siculus.*

Elatior & major est multò Tithymalo verrucoso vulgari, *foliis* longis, dimidiam plus unciam latis, in mucronem acutum sensim desinentibus, in caule crebris, alternatim positis, colore glauco. *Caules* cubitales & altiores, teretes, rubentes minores seu graciliores multò quàm Tithym. Characiæ Monspeliensis, foliis minùs crebris obsiti, nec ut in illo abscedentibus & vestigia sui relinquentibus. Propè summum caulem ramuli aliquot è foliorum sinubus exeunt, in quibus ut & fastigio caulis florum coma qualis in aliis sui generis. Flores eorúmque pediculos & acetabula describere negleximus; in sicca autem non possunt discerni. Fructus verrucosus est.

Locus. Propè Messanam invenimus.

CAP. VI.

De Euphorbio.

EUphorbium unde dictum sit nos docet Plinius *lib. 25. cap. 7. Invenit* (inquit) *Rex Juba quam appellavit Euphorbiam medici sui nomino & fratris Musæ, à quo Divus Augustus conservatus fuit.* Lege, monente Jo. Bodæo, frater is fuit Musæ.

Dioscorides Euphorbium Libycam arborem esse scribit Ferulæ specie; Plinius foliis Acanthinis spectari ait: * Galenus spinosam arborem dixit; quod (inquit Stapelius) experientia comprobat. Verùm quam pro Euphorbio proponit Dodonæus herba potiùs esse videtur quàm arbor.

* 3. κτ᾽ τόπους. δ.

Bodæus à Stapel Dodonæum tenellam plantam describere ait Euphorbii nomine, Lobelium adultam Cerei spinosi titulo, vidisse se tenellam bis in Horto medico Lugduno-Batavo; adultam semel ibidem.

At neque Euphorbium *Dod.* neque Cereus spinosus *Lob.* sive diversæ sint plantæ, sive una & eadem, vera & genuina Euphorbiæ plantæ sunt: Ea enim est quam describunt Horti Malabarici Auctores sub titulo *Schadida-calli.* Quæ quoniam notis præcipuis succo lacteo acri, & vasculo seminali tricocco cum Tithymalo convenit ei merito subjungitur; quamvis flore, si rectè describatur, pentapetalo ab eodem differat.

Ut olim, ita nunc dierum Euphorbium è mediterraneis Africæ à mari remotissimis delatum est.

Falsum est quod de fructu refert Leo Africanus, & Jul. Scaliger, exire eos è radice cucumerum specie, sed oblongos adeò, ut binos interdum pedes expleant, viginti aut viginti quinque numero, qui ubi maturuerint ferro punctim aperiuntur.

1. *Euphorbium vulgò sed falsò creditum. Euphorbium* Ger. Park. C. B. *Euphorbii tenella planta* Bod. à Stapel.

Bod.

Huic *folia* longa, crassa, virentia sunt, in rotunda ac tereti nonnihil plana figura angulosa: cucumerem referrent si non anguli & eminentiores partes albicantibus spinis plurimis duplici ferè ordine obsiderentur. Effluit ex his vulneratis liquor vehementer acris & mordax, facilè concrescens. *Folia* exsiccata ex cinericeo albicant.

Vires. Euphorbium est succus concretus acerrimus, non tamen plantæ descriptæ sed paulò inferiùs describendæ titulo *Schadida-calli.* Genera Euphorbii duo sunt. 1. Sarcocollæ modo pellucidum, flavum, Pisi magnitudine, in guttas æquales densatum, modicè cavernosum. 2. In utriculis quibus excipitur in massam densatur candicantem, aut vitri colore. *Schrod. è Dioscor.* Dos. à. gr. ij. ad x.

Eligendum est purum, transflucidum, candidum aut flavum & acre, quod levi linguæ contactu os accensum diu detinet, Annotinum, nimirum per ætatem perfectionem suscipere creditur, acrimoniâ cum tempore mitiore redditâ. Recens improbandum, ceu virium violentiâ suspectum.

Insignem quidem vim obtinet serum ac aquas ex toto corpore purgandi. Verum enimverò non sine violentia ac molestia, quam præter substantiæ proprietatem malignam, vi inflammandi exserit. *Schrod.*

Monet C. Hofmannus non tutum esse Euphorbii usum interiorem ne in visceribus refrigeratis. Monet autem, 1. Nè detur ulli calido & sicco, præsertim in morbo tali. 2. Nè tenuerit pulverisetur; contrà enim quàm in Colocynthide faciendum esse.

Euphorbii usum egregium in carie ossium & vulneribus vide apud *Fabric. Hildanum* & *Wisemannum* nostrum. Sed cavendum est nè inspergatur ulceribus faucium, narium, palati ac linguæ, aut iis locis ubi tendines aut nervi patent & denudantur, ne mordicando & vellicando symptomata periculosa excitet. *D. Tancr. Robinson.*

2. *Cereus Peruanus spinosus fructu rubro, nucis magnitudine* C. B. *Cereus spinosus* Ger. *Cereus spinosus Americanus* Park. *Euphorbii adulta planta sive Cerei effigie Lobelii* Bod. à Stapel.

Lob.

Hastas surrigit quaternas & quinas, novendecim & viginti cubitorum, virgatis & ad normam directis striis canulatas: in externis extantibus striarum angulis obtusis exseruntur stellulæ, corneis stilis radiatim è suo centro quoquoversum minacibus, uno duntaxat prominulo horsum, éque directo longiùs tota quandam effigiaturam Echino-melocacti præfert & concolorem superficiem, sed brachium æquabili ductu æquante; Columellæ aut Cerei funalis prælongi instar. Ejus è medio & striarum

arum dorsis, ansatim, angustiore cervice, cucumeris ventre, surriguntur brachia terna, quasi folia teretia, crassa, eundem commensum proportionis & figuram sortita. Intus torulus ligneus prædurus, carpi crassitie, obductus est callosâ carne & succo Aloes: gummeo enim turget perquam amaro lentore. *Flores* in fastigio summo promit, referente qui attulit, Digitalis purpureæ. Fructus hilari purpura miniata rubet, Ficûs ferè effigie, gustu non insipido.

Bodæus ut diximus, hanc plantam à præcedente non aliter differre scribit quàm ut juvenem ab adulta.

3. *Euphorbium verum Antiquorum, Schadida-Calli* Hort. Malab.

Frutex est altitudine duorum hominum, nascens in arenosis, *radice* crassâ, rectâ in terram descendente, fibras hinc inde emittente, intus lignosâ, cortice exteriùs fusco, intus candido & lacteo tecta. *Stipes* qui ex radice simplex exoritur, diversis nodis distinctus, ac inter nodos in tres oras angustas eminentes, quæ planis lateribus terminantur extenuatus; in oris angulis extuberat, inter angulos sinuatus, & in angulis spinis rigidis, acutis & rectis fuscis & nitentibus, quæ binæ & binæ, ac cuspidibus à se mutuo aversis prodeunt, munitus, cortice crasso, exteriùs viridi-fusco, etiam cùm est vetustior, vestitus: intus sub cortice pulpâ humidâ & albicante; nullo ligno; ex qua, ut & è suo cortice inciso lac copiosum emanat. *Folia* in oris in extuberantibus angulis, supra ex spinis surrecta prodeunt, & quidem rara in singulis angulis unum numero in uno parvo, crasso plano, viridi ac lacteo pediculo, suntque minuta, rotunda, crassa, lactea, nullis striata venis, oris versùs spinas nonnihil inflexa. *Flores* in oris prodeunt maximè ex sinubus cavis inter angulos extuberantes seu spinarum ordines intermediis ex parte eorum profundiori, terni simul in uno pediculo parvo, fermè semidigitali rotundo, viridi, lacteo, crasso, ex sinubus rectâ exsurgente, qui duos minores pedunculos laterales transversim versùs opposítas partes emittit; éstque medius flos pedunculo communi insidens, reliqui duo pedunculis lateralibus: constant autem foliis quinque curtis, crassis, solidis, rigidis, planis in superiore parte, medio corculo rotundo-plano, piloso, exteriùs ex viridi flavo circumpositis; súntque etiam lactei & viridi-diluti seu ex viridi subflavi coloris odoris nullius; habéntque in medio stamina quatuor, quinque aut sex, surrecta, bifurcata, supernè rubra, quæ ex corculo inordinatè prodeunt, súntque etiam lactei. Floribus prodeuntibus folia decidunt. Fructus qui ex florum corculo medio pedunculo surrecto, crassiolo, semidigitali, rotundo & viridi prodeunt, sunt plani, ac tribus eminentibus rotundiolis ungulis constantes, lactei ac colore viridi, dein ex parte parum rubescentes, saporis quoque adstringentis, continéntque in unoquoq; angulo, tanquam propriâ capsulâ *semen*, quod rotundum est ac cinereum, intus albicans.

Tota planta lactiflua est lacte acri & linguam adurente: semel in anno floret, Januario aut Februario maximè. *Tempus.*

Jo. Commelinus qui in Horti Malabarici Partem secundam commentatus est, hanc plantam verum esse Euphorbium se exinde scire scribit, quòd sibi frustum hujus cum gummi ex Barbaria fuerit allatum, & deinde invenerit complures capsulas seminales, flores & frusta plantæ in succis coriaceis inter Euphorbium.

Videtur autem Malabaribus modus colligendi gummi esse incognitus, & lacteus succus Medicis tantùm esse in usu.

Non est ergo cur C. Hofmannus fabulosum putet, quòd Cordus 4. Hist. 108. tribuat huic plantæ fructum in trifido folliculo, ternis utriculis conjunctum, Lathyridi similem.

4. *Esula Indica* Bontii.

Bont.

Præcedenti plantæ affinis & similis esse videtur. In tantam (inquit) altitudinem assurgit ut ingentes arbores scandat, crassitudine sæpe brachiali & amplius: plena est spinosis extuberantiis, quæ tamen utpote molles puncturas non inferunt, foliolis hinc inde excrescentibus quæ admodum similia sunt foliis Sedi majoris vulgaris. *Caule* est trigono, quo vulnerato succus lacteus qualis ex Esula desultim exit; ut nisi tibi caveas facilè vestem, & quod pejus est, faciem & oculos commaculet, quibus propter vim causticam admodum inimicus est.

Ex hoc succo conficimus extractum utile ad Cachexiam, hydropem, paralysin & reliquos stupidos & frigidos affectus, qui levi pharmaco non moventur. *Vires.*

Ab hac planta neq; formâ, neque figurâ, neque crescendi modo differt ea, quæ lachrymam istam flavam à se emittit, quæ Officinis nostris *Gutta Gemou* corruptè dicitur, Indis *Lonan Cambodia* vocatur; quòd in Cambodia vicinâ Chinæ regno Provincia proveniat, ubi etiam copia Aloes hepaticæ exprimitur. Succus hic præparatus longè tutiùs quàm crudus sumitur; nam eo modo vomitivam suam & infestam ventriculo facultatem maxima ex parte deponit. Modus autem præparandi talis est. ℞ Gutt. Cambodiæ ℔ j. contundatur grosso modo: contusa inf. in vitrea phiala capaci, in aceto acerrimo destillato, ut materiam superet tres digitos circiter, expone dein Solaribus radiis qui propter fervorem nobis in multis ignis Chymici usum præstant: post octo aut decem dies rursus arctissimè coletur, & rursus s. a. inspissetur in extracti debitam consistentiam. Hujus extracti gr. 12. ad 20. exhibentur in forma catapotiorum solida, vel vino diluta, & sic materiam peccantem educunt copiosè & sine molestia per alvum solummodo: Hoc extractum ego longè prætulerim Scammonio in his calidis & humidis regionibus.

De viribus Schadida-calli apud Horti Malab. Auctores hæc habes.

Ex radice addito pauxillo Assæ fœtidæ vulgò Emplastrum, præparatur, quod ventri puerorum pro lumbricis commodè superimponitur. Cortex radicis contritus & sumptus cum aqua purgativus est. Lignum ejus contritum & decoctum cum aqua juvat in doloribus podagræ, si ejus fumus seu vapor excipiatur in parte affecta.

CAP. VII.

De Ruta.

RUta, Πήγανον, haud dubiè Græcæ originis est, siquidem Ῥυτὴ apud Athenæum legitur, & Nicandri Theriacorum interpres & Iolas Græcorum scriptor antiquissimus & cujus nomen vel olim tantùm audiebatur, in Peloponnesiacis suis, scribunt, quam tota Græcia πήγανον vocant in Peloponneso ῥυτὴν appellari: & Hesychius ῥυτὴν τὰ σύμφυλα, καὶ πήγανον λευκὸν interpretatur. Varro denique l. 4. de L.L. *Quæ in hortis nascuntur alia peregrinis vocabulis, ut Græcis, Ocimum, Menta, Ruta, quam nunc πήγανον appellant*, &c.

Est autem ῥυτὴ à ῥύω *servo*, quia (ut Dioscorides docet) valetudinem conservat. *Voss. Etymolog.* Φασὶ δὲ καὶ τὸ πήγανον ἀπὸ τῆς δυνάμεως ὠνομάσθαι πήγνυσι γὰρ ξηρότητι διὰ θερμότητα τὸ σπέρμα, καὶ ὅλως πολέμιόν ἐστι ταῖς κυούσαις. *Aiunt facultate sua πήγανον dictum, quòd siccitate sua & calore condenset & coagulet semen. Hinc uterum gerentibus inimicum est.* Plutarch.

Rutæ characteristicæ sunt, Vasculum seminale in quaterna loculamenta partitum, quæ superiore parte aliquousq; disjuncta sunt & in angulos elata; folia in plures lobos seu segmenta divisa, glabra, glauca, odore vehementi.

1. *Ruta sativa vel hortensis* J. B. *hortensis latifolia* C. B. *hortensis major* Park. *hortensis* Ger. **Garden Rue.**

Cord.

Frutex est [potiùs Suffrutex] *caudice* cubitali aut bicubitali, crassitudine digitali, colore cinereo, in multos ramos divisus: Ex his veris initio multos emittit longos, teretes, egregiè virides & flexiles *surculos*; in quorum summitate Veris exitu & Æstate in æquali ordine *flores* sunt, Leucoio similes, minores tamen, quatuor & interdum quinque, luteis & Cochlearis modo concavis foliis constantes, sursum spectante eorum concavitate: in medio flore quadripartitum & nonnunquam quinquepartitum est *capitulum*, colore viride, exiguum quendam apicem habens: *Stamina* ab ima ejus parte exeunt lutea, octo aut decem, in latitudinem resupinata: ex his medius numerus supra foliorum concavitatem extenditur; reliqua autem quatuor foliorum spatiis interposita sunt. *Semen* in mediis capitulis fert parvum, in rotundo modicè oblongum, colore nigrum. *Folia* omnibus ramulis adnascuntur, in longis pediculis incerto ordine disposita, parva, in plures & inæquales partes secta, virentia, [potiùs subcœrulea] mollia & pinguia; ex his maxima pars semunciam longitudine non excedit, latitudine paullò minore. *Radice* nititur ex uno principio multifidâ, numerosâ, capillamentis fibratâ, colore flavâ. Viret tota hyeme, non flaccescentibus foliis, antequam novo Vere alia enascantur, quo tempore etiam surculi qui semen protulerunt in summitate exarescunt. Coma ejus acrem, aromaticum, interímque gravem spirat odorem; eadem sapore amaro, fervido & tenui palatum excalefacit, maximè viridia adhuc florum capitula.

2. *Ruta hortensis altera* C. B. *hortensis minor* Park.

Parkinsoni sententiâ à sylvestri majore mox describenda non differt specie, sed culturâ tantùm. *Virgis* humilioribus minoribúsque assurgit quàm præcedens: *foliis* est minoribus & obscuriùs virentibus. Rariùs apud nos floret, odore est minùs gravi, & sapore non adeò amaro. Ita eam describit Pakinsonus; paulò aliter Cordus, Rutæ latifoliæ per omnia respondet, præterquam quòd multo minoribus constet omnibus partibus: *folia* siquidem Fumariæ modo in exiles partes divisa habet; non tamen in tantam latitudinem diffunditur. *Semen* habet oblongum, nigrúmque, gustu vehementer acre. Parkinsono descripta non alia esse videtur quàm Ruta sylvestris major in hortos translata & culta. Si detur Rutæ species inter vulgarem sativam & sylvestrem majorem media, tum foliorum tum capitulorum respectu, nobis certè incognita est.

3. *Ruta sylvestris major* J. B. C. B. Park. *montana* Ger. **Wild Rue.**

Hæc hortensem majorem omnibus partibus refert verùm minor & humilior est multo; *folia* quoque in angustiora longioráque segmenta divisa habet, colore obscurius viridi, nec adeò cæsio; odore est graviore magísque viroso, sapore quoque acriore. *Flores* excipientia *capitula* multò sunt quàm in sylvestri altera majora, nec ut illius quadrangulo ut vult J. Bauhinus, cui contrariatur Parkinsonus & ipsa etiam experientia, nam & hujus capitula quadrangula sunt quamvis minùs manifestè quàm illius.

Locus. In collibus petrosis circa Monspelium & Nemausum provenit. Observavimus etiam in Hetruria non longè ab oppido Massa.

De Ruta minore sylvestri *Park.* & *Dod.* non habeo quid dicam: consulat Lector Dodonæum.

4. *Ruta sylvestris minor* C. B. J. B. *sylv. minima* Ger. *Peganium Narbonensium* Lob. *Ruta montana* Park.

Clus.

Herba est multis *foliis* per terram stratis, multifidis, tenuissiméque divisis, ex pallida viriditate candicantibus, gravissimi acerrimíque odoris: ab *radice*, quæ longa est, candida, lignosa, & minimi interdum digiti crassitudine, binos aut ternos aliquando fert *caules*, in ternos aut quaternos ramulos

sese

sese superiore parte dividentes, qui florem sustinent hortensi similem, minorem tamen, & ex luteo pallescentem, deinde *capita* quadrangula, multò quàm præcedentis minora, in quibus *semen* continetur exile, nigrum, acre. Frigoris valdè impatiens est.

Locus & Tempus. In agris sterilioribus non circa Monspelium tantùm, sed per totam Narbonensem Galliam invenitur. Siccis petrosisque & Sole adustis locis (inquit Clusius) sponte nascitur, tum in Hispaniis, &c. Floret Junio & Julio: Semen Augusto maturum est.

Vires & Usus. Tota planta gravissimi odoris est, tantæque acrimoniæ ut per triplices chirothecas ad legentis manus penetrare non semel expertus sum: & siquis quâ eam decerpsit manu faciem demulceat, ilico vehementem inflammationem excitat, quemadmodum rectissimè scripsit Dioscorides. *Clus.*

Ruta (inquit J. Bauhinus) ut experientia testis est, ferculis abdicatur, nec culinæ servit, propter injucundum quem habet odorem, & saporem quem obtinet ferventem, quo homines graviter afficit. Quia tamen omni veneno resistit, ideò peculiaris fit pauperum Theriaca. Est enim tantarum virium, ut eas neminem satis describere posse arbitratur Tragus.

Ruta omnis digerit & incidit viscidos & crassos humores, flatus discutit, à peste aliisque affectibus malignis præservat, visum acuit, somnia venerea arcet & lasciviam reprimit, pleuritidi medetur, imbecillitatem ventriculi corrigit, colicam discutit, morsum canis rabidi curat, menses & urinam movet.

Extrinsecùs ejus usus est in ictibus serpentum, carbunculis, febrium paroxysmis arcendis (inunct. dorſ.) cephalalgia ex crapula, hemicrania, in febribus malignis (pro epithemate pulsuum cum sale & aceto) in dolore capitis, febrium ardentium ac malignorum, (similiter pedum plantis adhibita.)

Ob tria autem præcipuè celebratur Ruta, 1. Ob castitatem præservandam, & libidinem reprimendam, secundùm illud Scholæ Salernitanæ, *Ruta facit castum.* Cur autem *Ruta viris coitum minueret mulieribus augeret*, ratio est quòd viri calido sunt temperamento, mulieres frigido. Interim tamen an revera res ita sese habeat meritò ambigitur.

2. Ob visum acuendum: quod & Schola Salernitana docet,

Nobilis est Ruta quia lumina reddit acuta:
Auxilio Rutæ vir lippe videbit acutè.

Et alibi,

Fœniculum, Verbena, Rosa, Chelidonia, Ruta,
Ex his fiet aqua quæ lumina reddit acuta.

3. Ad pestem aliósque morbos malignos & contagiosos præservandos & curandos. Vel vino indita, juxta illud ejusdem Scholæ Salern.

Salvia cum Ruta faciunt tibi pocula tuta.

Vel alio quovis modo usurpata.

Rutæ præparationes quasdam è J. Bauhini historia proponemus.

1. Rutæ conserva hoc modo fit. ℞ Comarum Rutæ recentis & foliorum ℥j. Sacchari albissimi ℥iij. Comæ cum foliis in mortario lapideo tundantur cum pistillo ligneo. Deinde iis optimè tusis Saccharum in pulverem tritum adjicitur, Rursus omnia simul tantisper tunduntur, donec in unum corpus redigantur, & deinde pyxide vitrea insolentur per mensem.

De hoc sume jejunus contra pestem ʒ ß.

2. Acetum ita conficies, ℞ comas cum foliis; Pone super linteum 24 horas, ut aliquo modo flaccescant: postmodum conscinde, phialam imple, superaffunde Vini acetum optimum, obtura & insola; Post duos menses cola & serva ad usum.

3. Ut Oleum conficias, ℞ Rutæ recentis incisæ & contusæ ʒ iiij. Olei veteris lib. 1. Macera ad Solem aut in loco aliquo calido diebus quindecim, deinde in duplici vase coquito, & abjecta Ruta priori recentem injicito, & iterum quindecim diebus macerato, postea simili modo coquito, & tertio demum idem repete, & colato.

Si vel Oleum Rutæ, vel defectu illius expressum ex recenti Ruta succum capias, & instilles aliquot guttulas in aquam Graminis, Rutæ, Scordii, &c. & pueris propinaveris, feruntur certo experimento lumbrici ad unum omnes emori. *Sim. Paullus.*

Ad Epilepsiam, ℞ succi Rutæ ℥j. Mel. Scyllit. ʒ ß. M. Est præsens remedium Epilepticis. *Valleriola.*

Sylvius Prax. L. 1. C. 46. S. 80. inter medicamenta antepileptica, quæ ibi ordine recenset, primum locum tribuit Rutæ tam hortensi quàm sylvestri, quarum utraque Sale volatili acri & mordicante, adeóque convenienti spiritûs acidi correctorio turget. *D. Soame.*

Dolæus etiam L. 2. C. 1. S. 19. consulit ut in Epilepsia Ruta digitis teratur & naso indatur quomodo applicandum Polium montanum; aliáque salia volatilia naribus admoveantur, quæ inserviunt abbreviando paroxysmo. *Idem.*

Et Fabric. Hildanus Observ. Centur. IV. Succum Rutæ in Epilepsia sibi in frequenti usu fuisse scribit, ejúsque efficaciam & successum se non rarò invenisse.

D. Bowle Syrupam è succo Rutæ paratum in omnibus capitis & nervorum affectibus summopere commendat in Observationibus ad nos transmissis.

In mensium difficultate Anton. Mizaldus Rutam cum vino Hyssopi coctam & haustam commendat. *D. Soame* è Dolæi L. 1. C. 14. S. 14.

Ad matricis suffocationem, ℞ Fol. Rutæ minutim incis. cum albo & luteo ovi agitentur & coquantur in sartagine in formam *Aumelette*, & calidè supra umbilicum applicentur. Experimentum erat cujusdam qui etiam ovorum testas imponebat.

Calculo

Calculo arenulisque pellendis efficacissimam deprehendi dec. Rutæ Sylvestris quam lapideam vulgo vocant. Achilles Gasserus Obs. 70. *D. Soame.*

* 5. *Ruta sylvestris flore magno albo* C. B. *Harmala* Ger. *Ruta quæ dici solet Harmala* J. B. *Ruta sylvestris Syriaca, sive Harmala* Park.

Fruticosa hæc est planta, multos ab una *radice* emittens *cauliculos*, pluribus ramis donatos, pedales, ex viridi nigricantes: in quibus *folia* oblonga, densa sive pinguia & carnosa, saturè virentia, multifida, Anthoræ foliis non valdè dissimilia, gustu lento, gummoso, amaro, aliquantulum tamen mordaci: *flores* in summis ramis candidi, pentapetali, multis in medio fibris luteis præditi, deinde *capitula* hortensis Rutæ capitibus majora, molliora tamen quàm illa & triangula, *semine* referta inæquali, anguloso, ex rufo nigrescenti. *Radix* dura est, minimi interdum digiti crassitudinem æquans, fibrosa, colore ex luteo pallescente. Tota autem planta graveolentis atque ingrati odoris est.

** Observ. lib. 2. cap. 21.* *Locus & Tempus.*

* Bellonius ait arenosis circa Alexandriam Ægypti locis nasci. Plurimam in Castella nova circa Madritium & Guadalaiara collibus & læto solo provenire prodidit Clusius: florere Julio & Augusto, semen Septembri maturescere. In frigidioribus regionibus vix aut raro admodum ad florem pervenit; est enim frigoris valdè impatiens. Ruta aliquibus in locis excrescit in magnitudinem & proceritatem arboris æmulam. Ipsi etenim vidimus baculum satis grande è stipite Rutæ factum. Et Josephus Rutæ cujusdam Machærunt in ipsa Regia plantatæ meminit quæ à nulla Ficu vel celsitudine, vel magnitudine vincebatur.

CAP. VIII.

De Plantagine.

Plantago à latitudine foliorum plantam pedis æmulantium dicta existimatur. Ἀρνόγλωσσον à linguæ agninæ similitudine.

Hujus notæ genericæ sunt flores staminosi in spicas congesti; flosculorum tubi in vascula seminalia elliptica (quæ per maturitatem horizontali sectione in medio dissiliunt) intumescentes; semina intus bina puliciformia.

Hujus generis aliæ caulibus sunt nudis foliis vel latioribus & nervis insignibus *Plantagines* simpliciter dictæ, vel angustis, & in quibusdam speciebus dentatis aut laciniatis, *Coronopi* & *Holostei* nominibus notæ: Aliæ caulibus sunt foliosis, foliis angustis, binis oppositis, florum spicis è foliorum alis egressis, ut Psyllia.

§. 1. *Plantago simpliciter dicta.*

A. 1. *Plantago latifolia vulgaris* Park. *latifolia sinuata* C. B. *latifolia* Ger. *major folio glabro non laciniato ut plurimum* J. B. **Great Plantain or Way-bread.**

Radix ei digitali crassitudine, obliquè acta, brevis & velut abscissa, plurimas fibras albentes in terram demittit. *Folia* lata, ad margines interdum propè pediculos nonnihil laciniata aut velut dentata, aliàs æqualia, brevi lanugine hirsuta, quæ in teneris & primò erumpentibus admodum conspicua in explicatis & vetustioribus vix apparet, adeò ut omninò glabra videantur, septem nervis aversa præcipuè parte conspicuis distincta, pediculis longis nixa, quo ab Arnoglosso differt. *Caules* ab eadem radice multi, teretes, hirsuti, breviores quàm illius, ad terram reflexi, verùm *spicæ* florum multò longiores sunt, *stamina* breviora cum *apicibus* purpureis. *Semina* singulis flosculis succedunt bina.

Locus. Ad vias ubique.

2. *Plantago latifolia minor* Ger. Tab. J. B. *latifolia glabra minor* C. B.

In omnibus excepta magnitudine præcedenti similis esse dicitur. Fortè strigosior in sterilibus nata planta Tabernamontano visa & descripta est.

Plantago rosea J. B. *rosea spicata* Ger. *latifolia rosea multiformis* Park. *latifolia rosea, flore expanso* C. B. *ejusdémque latif. rosea, floribus quasi in spica dispositis.* **Rose Plantain.**

J. B. Plusquam pollicari *radice* perennat, folia per terram spargens Plantaginis latifoliæ, pilosa & nervosa: inter quæ *caules* surrigit satis crassos, hirsutos, in quorum fastigio *folia* crebra, inferioribus dimidio minora, interiore orbita Alsines, admodum parva, virescentia, rosam deformant. Hæ foliolorum congeries aliquando in spicas longas pyramidales excurrunt. E foliolorum sinubus enascuntur *flosculi* & *semina*.

Plantago

Plantago incana latifolia Gareti Cluſ. *roſea exotica* Ger. emac. *roſea flore expanſo* J. B. *latifolia incana ſpicis variis* C. B.

Folia huic præcedentis, magis tamen incana, uti eſt & tota planta. Capita mirum in modum variant: nam quædam Roſeæ Plantaginis capita æmulantur, alia ſpicæ inſtar ſunt efformata, nonnulla ex media roſa brevem veluti ſpicam producunt, in quibuſdam ex infima ſpicæ parte alia capitula dependent: alia aliter ſunt efformata.

Videtur eſſe Plantago incana ſeu Arnogloſſus roſea: & variè ludere in ſpicæ forma.

* 3. *Plantago maxima Hiſpanica, quam Hiſpani cauleſcentem vocant* Cornuti. *Plantago maxima tota glabra* C. B. *latifolia maxima* Park. *Plantago marina magna* J. B. **Great Spaniſh Plantain.**

C. B. prod.

Ex *radice* nigricante, fibroſa *folia* ſex, ſeptem, octo, glabra, carnoſa, & nervoſa, uncias ſex longa, quatuor lata, pediculis pænè palmaribus, initio rubentibus donata, prodeunt: inter quæ *pediculi* nudi, tres, quatuor, quinque, bicubitales, atrorubentes, rotundi, ſtriati, *ſpicam* pedalem ſuſtinentes exurgunt.

Circa Monſpelium reperitur, in maritimis verſus *Perauls. D. Magnol.* *Locus.*

Non video qua in re, præterquam magnitudine & caulium altitudine, à Plantagine majore latifolia differat.

Reperitur quoque foliis tenuibus, laciniatis, glabris, pedalibus, uncias ſex latis; caule etiam ſuperante, & ad ſpicæ exortum folia habente.

Cornutus pedalem foliis longitudinem aſſignat, latitudinem ſemipedalem, pediculum palmarem, colorem ex viridi obſcurè rubeſcentem.

Floret, inquit, apud nos ſub exitum Septembris. *Tempus.*

A. 4. *Plantago major Paniculâ ſparſâ* J. B. *latifolia ſpicâ multiplici ſparſâ* C. B. *latifolia ſpiralis,* Park. *Plant. paniculis ſparſis* Ger. emac. **Beſome-Plantain.**

Sola differentia [inter hanc & latifoliam vulgarem,] in paniculâ ſpicatim ſparſâ, onuſtâ innumerâ herbaceorum floſculorum racematim cohærentium fœturâ.

A Th. Johnſono Gerardi emaculatore in inſula *Thanet*, & à Th. Williſello in eadem inſula circa *Reculver* inventa eſt. *Locus.*

A. 5. *Plantago incana* Ger. *major incana* Park. *latifolia incana* C. B. *major hirſuta, media à nonnullis cognominata* J. B. **Hoary Plantain or Lambs-tongue.**

Radix craſſa & velut præmorſa plurimis fibris è capite exeuntibus terram apprehendit. *Folia* reſupina & terræ accumbentia, pediculis brevioribus quàm Plantago major, ſeptem nervis inſignioribus prædita, denſa & incana lanugine utrinque hirſuta, per margines æqualia. *Caules* inter folia exeunt plures, pedales, teretes, hirſuti, nudi, minimè ſtriati aut ſulcati, in faſtigio ſpicas ſuſtinentes duos digitos longas, floſculis denſè ſtipatis compoſitas, longâ & denſâ coma ſtaminum pallidè purpuraſcentium cum apicibus albis inſignes. *Vaſcula* ſeminalia parva, ſubrotunda, ſingula *ſemina* bina Pſyllis æmula ſed minora continent. *Floſculi* ſummis vaſculis inſident, è quatuor foliolis acutis aridiuſculis & velut membranaceis compoſiti.

In glareoſis & ad vias paſſim. *Locus.*

Plantago Salmanticenſis villoſa ſeu incana lanuginoſa *Cluſ.* quid differat à deſcripta non video, niſi quòd maxima anni parte caule viduam & floris expertem eſſe ſcribat. *Plantago Salmanticenſis Cluſ.*

* 6. *Plantago exotica ſinuoſa* Park. *peregrina ſinuoſa* C.B. *umbilicata* J.B.

Lob. Park.

Radix ei Plantaginis vulgaris ſimillima, ſpithamam longa, creberrimè fibrata: è cujus nodulo ſive baſi, primo à ſatione anno, plantagineum, latum, unicum, admirabili naturæ opificio expanſum folium prodiit, paulatim propagando in latum gyrum umbilicatum excreſcens, & Cochlidis inſtar per circuitum aſcendens, in ſpiras duas tantùm, aut ſemiternas convolutum, ac veluti ex pluribus conjunctis in unum contiguiſque Plantaginis majoris foliis conflatum, ſpithamææ altitudinis aut pedalis ferè, cujus ſummum folium Plantaginis latifoliæ ſervat figuram, ſinuoſam tamen & rugoſiorem. Folio hoc hyeme marceſcente vere proximo plura *folia* exorta ſunt arctè ſtipata, ac ſi plura folia in unum conjuncta eſſent, ſingula formam Plantagineam gerentia, verùm rotundiora & per margines ſinuata & rugoſa; è quorum medio *caulis* exortus eſt cubitalem altitudinem ſuperans, ſumma parte capitula ſpicata, craſſa, brevia, paululum compreſſa geſtans, in quibus *ſemina.*

Semine à Caſp. Pilleterio ad Lobelium Monſpelio miſſo ſuccrevit Londini in horto *J. Niſmit* Scoti, Chirurgi & Archibotanici Regii.

* A. 7. *Plantago quinquenervia* Ger. *quinquenervia major* Park. *lanceolata* J. B. *major anguſtifolia* C. B. **Ribwort or Ribwort Plantain.**

Radix huic qualis latifoliæ: *Folia* longa, anguſta, acuta, nervis quinque inſignioribus longitudinem percurrentibus, hirſuta, minùs tamen quàm Arnogloſſi dicti, & obſcuriùs viridia, obiter nonnunquam dentata, aliàs per margines æqualia. *Caules* pedales, nudi, ſtriati & anguloſi, ab eadem radice plures, ſemipedales & dodrantales, in cacumine *ſpicas* geſtant breviores & habitiores quàm

 latifolia

latifolia vulgaris, è *flosculis* pariter densè stipatis compositas. *Stamina* longa tenuia *apices* sustinent majores, è luteo albos. Spica ab imo summum versus sensim floret, unde & pauciora unà stamina apparent quàm in latifoliis; antequam floret nigricat secus quàm in illis, in quibus virescit. *Semina* Psyllii majora & longiora quàm prædictis.

Locus. In pascuis ubique invenitur.

Plantago angustifolia minor C. B. Park. *quinquenervia minor* Ger.

Parvitate sola omnium partium à præcedente differt. Qu. annon loco natali debeatur hæc diversitas.

Plantago quinquenervia rosea Ger. emac. *angustifolia rosea & multiformis* Park. *angustif. major caulium summitate foliosa* J. B. C. B. *item angustifolia prolifera* C. B.

Clus.

Multa ex *radice* promit *folia* Plant. angustifoliæ foliis non dissimilia: inter quæ emergunt nudi pediculi seu potiùs *cauliculi*, summo fastigio sustinentes *capita* multis longiusculis foliis (minoribus tamen & angustioribus quàm ea quæ ex radice nata) constantia: deinde interdum ex illis foliosis capitibus plures alii pediculi, quorum fastigio innascuntur spicarum loco alia foliacea capitula: prodeunt tamen & alii ex radice pediculi foliacea duntaxat capitula sustinentes.

Variant hujus capitula Rosas imitantia foliorum componentium angustiâ & latitudine; alia enim foliolis longioribus & angustioribus rariùs sitis componuntur; alia latioribus & brevioribus densiùs stipatis, concinniorem & pulchriorem Rosam efformantibus. Videsis descriptionem J. Bauhini.

Nos Roseam quinquenerviam Gerardi & C. Bauhini, & angustifoliam exoticam Clusii pro una & eadem specie habemus: utramque autem pro Plantaginis angustifoliæ varietate.

8. *Plantago quinquenervia cum globulis albis pilosis* J. B. *angustifolia paniculis Lagopi* C. B. Park.

J. B.

Ex *radice* oblonga, fibris oblongis capillata & rufescente numerosa per terram spargit *folia*, quinquenervia hirsuta, coeuntibus pediculis in caput radicis, ita ut propter tomentum coitus vix appareat. *Cauliculi* plurimi, aliquando supra viginti, alii erecti, alii supini, nudi, leviter hirsuti, rotundi, altitudine impares, alii palmares & spithamæi, alii duas, trésve uncias non superantes *capitula* gestant tomento albo villoso iulos Salicis imitata [C. Bauhinus capitulis Lagopi ea comparat in quibus ad latera *flosculi* rufescentes, parvi, tenuissimis pedicellis insidentes conspiciuntur, quibus *semen* minutissimum succedit.]

Locus. Circa Messanam, Monspelium & Nemausum hanc observavimus.

* 9. *Plantago angustifolia fruticans* C. B. Park. Clus. cur. post.

Park.

Folia huic quam Plantagini angustifoliæ lanceolata albidiora; *caules* elatiores & lignosi, foliolis exiguis vestiti: *spicæ* admodum breves, & quàm illius molliores.

Locus. Nascitur ad ripas fluminum in Hispania, *Boël.*

10. *Plantago trinervia folio angustissimo* C. B. Park. *angustifolia Alpina* J. B.

J. B.

E *radice* crassiuscula, longa, [albicante *C. B.*] parùm fibrata, circa caput crassescente, *folia* oriuntur ad lanceolatæ Plantaginis *folia* accedentia, sed multò angustiora, & trientem circiter unciæ lata, sesquipalmaria, quinquenervia [C. Bauhino trinervia] parùm hirsuta, nigricantia, solidiuscula. *Caules* plures exurgunt, ad radicem hirsuti, [aliquando villosi, glabri nonnunquam *C. B.*] foliis longitudine æquales *capitula* gerunt semuncialia, Plantagineis nigriora.

Locus. Nos cum J. Bauhino hanc in monte *Thuiri* invenimus. C. Bauhinus sæpius ad vias, maximè ad rudera, suam notavit.

Plantago trinervia altera minima montana incana Col. *trinervia montana* C. B. Park.

A nostra foliorum canitie præcipuè differt, in reliquis satis convenit, ut vix dubitem eandem esse. Lector si placet descriptiones invicem conferat.

11. *Plantaginella aurea Alopecuroides Brasiliana foliis gramineis* Breynii.

Breyn.

Radix ei exigua, mille fibris niveis comata: *Foliola* multa, graminea & angusta Graminis Luzulæ minoris *J. B.* sed omninò glabra, in orbem diffundens: ex quorum gremio *coliculi* quinquaginta vel plures prosiliunt, tenuissimi, plantæ exilitatem globulis oblongiusculis lanuginosisque *Plantaginis angustif. paniculis Lagopi* minoribus uberrimè compensantes, singuli singulis coliculis triuncialibus vel brevioribus insidentes, compositi ex pilis lenissimis leucophæi coloris, inter quos *flosculi* flavi perminuti, summâ amœnitate, veluti punctula aurea, emicant, quod jucundissimum huic plantulæ in Brasilia vigenti aspectum conciliat.

Vires. * *6. Simplic.* Plantago (ut habet * Galenus) aquosum quiddam frigidum obtinet, & quiddam austeri, quod terreum est, & siccum, ut refrigeret simul ac siccet. Vulneraria est herba. Usus præcip. in fluxionibus cujuscunque generis, v. g. alvi, expuitione sanguinolenta, gonorrhœa, mictione involuntaria, mensium profluvio, &c. Extrinsecus in mundandis consolidandisque vulneribus & ulceribus. *Schrod.*

℞. Radicum

℞. Radicum Symphyti majoris recentium uncias ſex, foliorum Plantaginis manipulos duodecim. Horum ſucco expreſſo unà cum radicibus prædictis ſufficienti quantitate Sacchari exceptis, & in mortario lapideo aut ligneo contuſis fiat Electuarium. Adverſus vomitum aut expuitionem ſanguinis nullum certius & præſentius remedium. *D. Boyl. de Utilitate Philoſoph. nat. part.* 2. *p.* 150.

Succus Plantaginis vel merus, vel cum ſucco Limonum mixtus inſigne eſt diureticum. *D.Needham.*

Ipſe recordor quendam ex impuro concubitu gonorrhœam cruentam ſibi paraſſe, poſt univerſalium uſum ſolà Plantaginis eſſentià in decocto Sarſæ & Saſſafras dilutâ reſtitutionem in integrum eſſe conſecutum, cum parum abeſſet quin neſcio cujus partis deminutionem pati coactus fuiſſet. *S.Paul.*

Radix lota, recens ex terra extracta, tantillum cultro raſa, auris meatui indita obſervatur inſtar incantamenti quandoque dolores dentium ſiſtere. *Sim. Paulli.*

Heurnius videt in Hydrope intumeſcentibus cruribus plantaginem aquaticam humorem in veſicas evocâſſe, quæ maximam vim aquarum profundebant. *Idem.* Ad febrium chronicarum rigorem, ℞. ſucci Plantaginis q. ſ. bibatur cum aqua mellis. Eſt mirabile medicamentum, inquit *Bayrius.*

In hernià & umbilici eminentia cataplaſma Joelis commendatur, quod conficitur ex Arnogloſſà & Muſco qui ſupra frutices Prunorum ſylveſtrium naſcitur: ſimul in vino cocta & contuſa inſtar cataplaſmatis imponantur.

Non diffiteor æquè feliciter conſolidatam fuiſſe non ſolùm puerorum, ſed etiam natu majorum, imò honeſtiſſimarum matronarum umbilicalem herniam à Plantagine ſeu Arnogloſſa & muſco Quercino quàm ab illo qui Acaciam German. ſeu Prunum ſylv. inveſtit: ſed ille, qui tener & friabilis albicat, & qui non trunco ſed frondibus Quercus innaſcitur, qui ἄοσμος eſt, nec terram ſapit, nec redolet. *Simon Paullus.* Ex excerptis *D. Hulſii*, Hæc omnia. Mulierculæ Gallicæ toto geſtationis tempore ad abortum præcavendum ſingulis ferè diebus ſumunt ſem. Plantaginis ℨß. in juſculo aut ovo, & non ſine fructu. *River. prax.* pag.479.

Quidam cùm per menſem gonorrhœâ laboraſſet, in fluxum ſanguinis è pene incidit; quapropter petiæ intinctæ in Aq. Roſarum & aceto applicatæ fuere; à quibus nihil fuit adjutus, tandem juſſimus ſuccum Plantaginis per Syringam immitti, Unguento Comitiſſæ renibus applicato, ceſſavitque fluxus. *D. Soame* ex Obſerv. Hieremiæ Martis.

Ego curo puellas impetigine laborantes butyro loto in aqua violarum: poſt hoc butyrum miſceo ſucco Plantaginis, & linitur facies. *D.Soame* ex obſervationibus Marcelli Cumani ab Hieronymo Velſchio editis. Obſerv.21.

§. 2. *Plantago Coronopus dicta.*

Coronopus, id eſt, Pes cornicis, dicitur à foliorum figura; quæ ita in orbem diſponuntur ut eum quadantenus repræſentent.

Differt à Plantagine foliis anguſtis, & in nonnullis ſpeciebus dentatis ſeu laciniatis.

1. *Plantaginellæ affinis Bibinella Siciliæ herbula* Cæſ. J.B. *Coronopus foliis acutis in margine dentatis* nobis. *Coron. Prochytæ inſulæ* Col. Park. *Coron. ſylveſtris hirſutior* C.B. *Plantago anguſtif. ſerrata* Cluſ. Park.

Cæſ.

Minor eſt Lanceolà & viridior: *Folium* medio quodam modo ſe habet inter Lanceolam & Plantaginem; parvis circumquaque apicibus ut Coronopo, frequentioribus. *Coliculos* fert palmares, plenos ſemine ut Plantago. Herba aſſumitur inter olera.

Huic omnino eandem puto *Plantaginem* illam *alteram anguſtifoliam* Cluſ. cur. poſt. quæ circa Hiſpalin creſcit, cui à radice multa exeunt *folia*, valdè ſerrata & quodammodo aculeata: inter quæ dodrantales emergunt pediculi, ſuſtinentes oblongam florum ſpicam inſtar Holoſtei ferè.

Coronopum Prochytæ inſulæ ſic deſcribit Columna. A vulgari differt foliis parùm latioribus carnoſioribus, hirſutis admodum, atque parum aſperis, dentibus ſequenti plantæ ſimilioribus. Cætera non differt à vulgari.

Propè Meſſanam in lingula illa quæ portum efficit, & alibi in Sicilia invenimus. *Locus.*

2. *Plantago Apula laciniata bulboſa* Col. *Apula bulboſa* Park. *piloſa bulboſa* C.B.

Radice (inquit Columna) nititur craſſis admodum fibris compoſita, Ellebori craſſioribus, longis, ſemipedalibus, nigreſcentibus, corroſis, tenuibus capillamentis adhærentibus terram undique amplexantibus, è craſſo, rotundo veluti bulbo Avellanæ nucis magnitudine dependentibus: Ex quo *folia* multa in orbem in terra ſtrata, Plantaginis quinquenerviæ ſimilia, ambitu verò Coronopi vulgaris modo inciſa, dentata magnis lobis, inter quos alii ſunt intermedii, parvi admodum, Coronopo maritimo Prochytæ inſulæ rupibus frequentiſſimo ſimilia, pariter hirſuta, ſed minùs aſpera. Thyrſos emittit æſtate plures (ſeptem invenimus) pedales, teretes, tenues, quorum tertia aut major pars in *ſpicam* teretem *floribus* Arnogloſſæ modo refertam abit, *ſtaminibus* pallentibus dependentibus.

Copioſa hæc in incultis Apuliæ præſertim Cirinolæ, quibus pro Armentorum paſcuis utuntur. *Locus.*

A. 3. *Coronopus vulgaris ſive Cornu cervinum* Park. *Coronopus hortenſis* C.B. *Coronopus ſive Cornu cervinum vulgo ſpicâ Plantagineâ* J.B. Bucks-horn Plantain. *Cornu cervinum* Ger.

J.B.

Ut plurimum tenuis eſt *radix*, adultior tamen digiti craſſitudine reperitur, alba, vix ullo excellenti ſapore exceptâ adſtrictione. *Folia* ſtatim à radice crebra, longa, anguſta, nervoſa, in lacinias aliquot laterales, ceu cervini cornu ramos, unde nomen, diviſa, ſapore nonnihil adſtringente. Inter hæc *caules* ſurriguntur Plantaginis, rigiduli, tenues, teretes, hirſuti, dodrantales & cubitales, thyrſulum Plantagineum ſuſtinentes, *flores* & *ſemen* Plantaginis proferentem.

In hortis colitur, nec aliter à ſylveſtri differre videtur, quàm magnitudine aliiſque accidentibus à cultura ortis.

Qui ſponte provenit folia per terram ſpargit numeroſa in orbem, Coronopi vulgaris modo, diviſuris & laciniis crebrioribus, longioribus, rigidis pilis hirta, eóque nomine ferè incana: in umbilico ad foliorum veluti radiorum in centro concurſum multa lanugo, mollis, candida. *Cauliculi* complures, palmares & dodrantales, rigidi, aſperi, hirti ſpicam gerunt Coronopi vulgaris ſpicæ ſimilem. *Radix* ſingularis, fibrata, craſſiuſcula, mediocriter longa, lignoſâ matrice farcta, C. Bauhino Coronopus ſylveſtris hirſutior appellatur: non eſt tamen Coronopus Prochytæ inſulæ *Columnæ*, ut nobis videtur.

Locus. Naſcitur (ut rectè Dodonæus) locis incultis, aridis, præſertim arenoſis & glareoſis, in Anglia frequentiſſimè. Quoniam arenoſa loca amat in maritimis ubique ferè reperitur.

* 4. *Coronopus minimus tenuifolius maritimus* Col. *marit. tenuif. lævis* C.B. *tenuifolius maritimus* Park.

Col.

Hanc plantulam invenit Columna in mœniis & locis contra *Ceſtrum Ovi* dictum Neapoli, *Foliis* in terram ſtratis, exiguis admodum, ut maritimi Abrotani foliorum lacinias latitudine ſuâ minimè ſuperarent, quatuor uncias longis, tribus utrinque barbulis diſſectis, longis, incurvis, effigie laciniatam nobis dictam Tragopogona referentibus, ſed longè minoribus: *radice* vulgari ſimili ſed minore; *Thyrſulis* ſpicatis non diſſimilibus, qui exſiccati in terram procumbunt, eodem modo quo in congeneribus; ſapore aſtringente. Tota planta lævis eſt, nec hirſuta.

Coronopus min. Marit. hirſutus. Suſpicor hanc plantulam non differre ſpecie à Coronopo vulg. ſed ratione loci tantum: obſervavimus enim in maritimis & humidioribus locis provenientem foliis lævibus variare.

Ejuſdem farinæ eſt & Coronopus maritimus minimus hirſutus *C. B. Park.* cui *folia* in tenues lacinias Scabioſæ minoris ſive Stœbes foliorum inſtar diviſa, parvitate ſola à Coronopo ſylv. vulgari diverſa.

A. 5. *Plantago marina* Ger. *marina vulgaris* Park. *Coronopus maritima noſtras* J.B. *maritima major* C.B. **Sea-Plantain.**

Radix brevis, nigricans [at Parkinſono longa, albicans] craſſa, fibris aliquot donata. *Folia* quàm in Coronopode vulgari craſſiora ſunt longè, & ſucculentiora, ſtrictiora, interdum pænè juncea, plerunq, ad margines æqualia, nec ullis dentibus donata, interdum tamen uno vel altero; quadrantalia ac etiam palmaria, ſapore ſalſo: *flos* purpureus, ſpicatus vulgati, ut & *ſemen*.

Locus. In maritimis & ſalſis paluſtribus ubique ferè per Angliam reperitur, ubi luxuriat valdè, foliis prælongis, obiter dentatis; ſpicis etiam longis. In Cornubia & Epiſcopatu Dunelmenſi etiam procul à mari copioſè provenit, ubi foliis eſt anguſtioribus & brevioribus, nullis denticulis, ſpicis etiam brevioribus, ut minus attentis facilè poſſit imponere pro diverſa ſpecie.

Holoſteum à mollitie foliorum & capitum per antiphraſin dictum volunt, ut fel dulce *Plin. lib.* 27. *cap.* 10.

6. *Holoſteum Plantagini ſimile* J. B. *Salmanticenſe primum* Cluſ. *hirſutum albicans majus* C. B. *Salmanticum* Ger. Park.

J. B.

Radix huic longa, craſſa, nigricans, lignoſa, plurium capitum: *folia* per terram ſparſa, tota albida, hirſuta & tomentoſa palmaria quædam, quædam multò minora, non totam ſemunciam lata, quinque nervis per longum diſtincta, guſtu adſtringente; exſiccata convolvuntur & in acumen deſinunt: *caules* ſpithamæi aut breviores, [reperiuntur etiam cubitales] ſimiliter hirſuti, *thyrſum* gerunt longum aliquot unciarum, interdum unius, Plantagini & Cornu cervino *floribus* & ſeminibus ſimiles.

Locus. Circa Monſpelium in aridis olivetis & ad vias. Cluſius aridis collibus Salmanticæ vicinis obſervavit, ubi flores proferebat Maio. Monſpelii floret Aprili & Maio, & nonnunquam Autumno. Frigoris impatiens eſt.

* 7. *Holoſteum Salmanticenſe minus* Cluſ. *Creſcit iiſdem in locis, foliis Pſylli foliorum latitudinem non excedentibus, longioribus tamen & minus incanis, in cæteris prorſus ſimile eſt præcedenti. Diverſæne ſint ſpecies Holoſteum majus & minus Cluſii aſſerere non auſim.* J.B.

Holoſteum Alpin. exot. non multum differre videtur à Salmanticenſi *Cluſ.* folia longè ferre affirmat Alpinus & icon quam exhibet demonſtrat.

8. *Holoſteum ſtrictiſſimo folio majus* C. B. *Holoſt. anguſtifolium majus ſive Serpentaria major* Park. *Coronopus* Ger. *Coronopus Serpentina* J. B.

J. B.

Inſignis craſſitudinis & longitudinis eſt *radix*, in capita aliquot ſubinde diviſa, ex qua foliorum ſeges magna pullulat, longitudine Coronopi eſculenti, ſed latitudine trientem aut quadrantem non adæquantium: *Caules* inter ea plures, palmares & altiores, nudi, enodes, thyrſo Coronopi inſignes.

Locus. Provenit in montibus Gallo-provinciæ, Arverniæ, & paſſim in Italia, autore Lobelio.

Coronopus Maſſilienſis Lobelii Serpentariæ fortè varietas J. B. *Coron. ſive Serpentaria minor* Ger. *Holoſt. Maſſilienſe* C. B.

Lob.

Denſiſſimo ſparſoq, foliorum ſtipatu luxuriat, Sedi minimi ſaxei montani vel Pinaſtri ritu, poſitu & rigiditate; innumera etiam ſobole cauliculorum dodrantalium *ſemen* puſillum Plantaginis aut Serpentinæ vulgaris ſpicis includentium. *Radix* longiuſcula, lignoſa, craſſior, guſtu nonnihil calida aromatica.

Collibus

Collibus & cautibus Massiliæ vicinis ad Maris allisiones inter Tragacantham passim luxuriat. **Locus.**

Mihi sanè videtur (inquit J. Bauhinus) iconem Lobelii esse lusum Coronopi Serpentinæ, & non respondere descriptioni Lobelii quæ videtur convenire nostro Coronopo maritimo Rainaudeti.

Titulus Lobelii, nimirum *Coronopi & Sedi montani media planta Massiliensium* optimè convenit Coronopo maritimo Rainaudeti *J. B.* qui quidem in arenosis ad mare propè Massiliam copiosè provenit, non tamen icon, quæ (ut rectè J. Bauhinus) videtur esse Coronopi serpentini: icon Serpentinæ omnium minimæ *Lob.* meliùs convenit Coronopo illi maritimo Rainaudeti dicto *J. B.* at folia cauliculis perperam appicta sunt.

Ego equidem duas duntaxat dari Coronopi strictissimo folio species suspicor, nimirum Coronopum serpentinum *J. B.* dictum, & Coronopum minimum maritimum Rainaudeti *ejusdem.*

* 9. *Coronopus serpentina omnium minima* J. B.

Radice est crassa: *caulibus* verò & floribus Coronopi serpentinæ, sed *foliolis* latioribus. A J. Bauhino mense Junio Burmii Rhætorum collecta est. Eadem videtur præcedentibus.

Dubitat J. Bauhinus an tres plantæ quas figuris exhibet Lobelius ab invicem sint distinguendæ, vel non potiùs varietates. Hæ sunt, 1. Serpentina *Adv.* Coronopus sylvestris sive Serpentina Matthioli *Obs.*

2. Coronopi & Sedi montani media planta Massiliensium *Ad.* quoad iconem.

3. Serpentina omnium minima *Obs.*

10. *Coronopus maritimus Rainaudeti* J. B.

J. B.

Huic *radix* sesquipalmaris, crassa, fusca, sicca, insipida, è qua innumeræ oriuntur radiatorum foliorum stellæ, tali verò ferè dispositione, quam in Phyllo Dalechampii videmus vel Erica *Matth.* confertiorum, repandorum, semunciâ breviorum, angustiorum quàm Serpentinæ *Matth.* Radiorum umbilicus totus villosus, Lupini latitudine, è quo *coliculus* exit uncialis, nudus, hirsutus, *thyrsulo* ferè totus obsessus.

In arenosis ad mare propè Massiliam invenimus. **Locus.**

* 11. *Coronopus Siculus fruticosus platyphyllos* Bocconi.

Boc.

Nihil differt ab aliis Coronopi speciebus hic nisi quòd crassâ *radice*, atque in summo multipliciter brachiatâ quasi frutescat. Ei *folia* sunt hirsuta, lata, brevia, paululum in ambitu divisa, quæ denso cespite plantam coronant.

In plaga maritima *Brazzetto* dicta propè Pachynum promontorium videre licet. **Locus.**

An differat specie à præcedente dubito.

* 12. *Coronopus maritimus roseus* Bocconi.

Boc.

Spicas fert foliaceas, depressas; Florem herbaceum (ut in Plantagine rosea majore & media) ex densa frequentíque foliorum dilutè viridium structura compositum: *Folia* subtus glabra, in lacinias aliquot per latera incisa exhibet, hortensis Coronopi foliis per terram stratis paria. *Radix* illi est crassa, altè in terram depacta.

Lusus naturæ esse videtur, ut hoc genus alia.

* 13. *Holosteum sive Leontopodium Creticum* C. B. Park. Ger. *Leontopodium Cretense* Clus.

C. B. prod.

Ex *radice* rufescenti & quasi squamata, paulatim gracilescente & in fibras divisa *folia* viginti, etiam plura, palmaria, angusta, nervis tribus per longitudinem discurrentibus distincta, & hirsutie subaspera prodeunt: inter quæ pedicelli plures, molli, rufescente lanugine pubescentes, duarum triúmve unciarum conspiciuntur, quibus singulis *capitulum* crassiusculum, rufescens insidet: *flosculi* albicantes, umbilico nigricante præditi, quandam foraminum speciem præbent: at in senescente & arescente planta pediculi crassiores & rigidi facti unà cum capitulo, terram versùs ad radicis caput adeò curvantur, ut pedem leoninum quodammodo referant. *Semen* parvum, Psyllio simile, autore Bello.

Holosteum Creticum alterum *C. B.* Leontopodium Creticum aliud *Clus. hist.* Parkinsonus præcedenti eandem facit. Nobis nondum constat an eadem sit nécne, in Parkinsoni tamen sententiam magis propendemus.

§. 3. *Plantago caulifera Psylium dicta.*

Psyllium à figura seminum Pulices referentium, magnitudine etiam parium dicta est.

1. *Psyllium vulgare* Park. *majus erectum* C. B. J. B. *Psyllium sive Pulicaris herba* Ger. Fleawort.

Radice alitur simplici, alba, fibris tenuibus capillata. *Caulis* ab eadem radice exoritur nunc simplex, nunc multiplex, teres, hirsutus, erectus, solidus, ab imo ad summum usque ramosus, pedalis aut altior, *foliis* vestitus ad intervalla ex adverso binis, angustis, acutis, pilosis, Hyssopi aut Draconis herba foliis figurâ suâ non multùm dissimilibus, verùm angustioribus, nervosis & plantagineis, obiter nonnunquam dentatis. Summi caules & ramuli ad tactum pingues & viscidi sunt. E foliorum alis pediculi exeunt oblongi, tenues, spicas gestantes breves è pluribus flosculis compositas. *Flosculi* autem in quatuor segmenta acuta totidem folia simulantia divisi, colore pallido; *stamina* oblonga, apicibus suis insignia,

ſignia, ut in Plantagine, exſerunt. *Floſculi* cujuſque tubus turgeſcens in vaſculum ſeminale degenerat, *ſemina* intus bina, compreſſa, ſplendentia, puliciformia, unde herbæ nomen, continens, quod per maturitatem in medio horizontaliter rumpitur.

Sapor plantæ amarus; odor nullus manifeſtus.

Locus. Circa Monſpelium in agris copioſè provenit.

2. *Pſyllium Dioſcoridis vel Indicum crenatis foliis* C. B. *Indicum foliis crenatis* Park.

In Prodromo deſcriptum, à præcedente non aliter differt quàm foliis crenatis aut Coronopi foliorum inſtar nonnihil lacinatis. Hunc deſcribit Paulus Boccone ſub titulo Pſyllii foliis laciniatis.

3. *Pſyllium majus ſupinum* C. B. J. B. *majus ſemper virens* Park. *ſemper virens Lobelii* Ger. *Lob.*

Iiſdem in tractibus, ſed marginibus & ſqualidis olivetorum incultis collibus ſarmentoſius lignoſiuſq, prolixâ *foliorum* & *ſurculorum* caudatâ comosâque fœturâ denſiſſima implexa fruticat, & reptando cæſpitem ornat lætiore aſpectu, ſed hirſutie ex viridi albicante: *Semine* haud diſſimili, ſed majore fuſcóque ſive Caſtaneæ corticis colore: *Radice* lignoſâ dura, fibrarum procurſu prolixa.

Locus. Circa Monſpelium & in Italia frequens habetur.

Vires. Evacuat bilem flavam, mucilaginéque ſua acrimoniam humorum obtundere aptum eſt. Hinc commendatur maximopere in Dyſenteria & corroſione inteſtinorum.

Semen Pſylli hoc peculiare præ cæteris purgantibus habet, quòd qualitate refrigerandi ſit præditum. Verum enimverò non tamen extra reprehenſionem poſitum eſt, quam incurrit ratione virulentiæ ſuæ. *Schrod.*

Dubitat C. Hofmannus an ſit venenatum nécne: Interim inquit valdè me movent Ægyptii, de quibus ſcribit Alpinus 4. Medic. 1. uti illos Pſyllio in febribus ardentibus.

Nimius uſus ſtomachum offendit & animi deliquium inducit, una cum mortis periculo.

Ad Ophthalmiæ dolorem, ℞ mucilag. ſem. Pſyllii & Cydoniorum in aq. roſ. & plantag. factæ ana ℥j. album. ovi bene conquaſſat. tantundem Camphoræ gr. v. miſta in oculos inſtillentur à cauſa calidâ affectos *Cheſneau.* Ex collectaneis *D. Hulſe.*

Experientiâ ſcio in excoriatione palati vel uvulæ & linguæ ex materiâ calida aduſta Aq. Portulacæ vel Pſyllii conferre. Ex Pſyllii tamen ſemine præſtaret fortaſſis lentum illum & viſcidum humorem elicere Mucilaginem Officinis dictam. Excerpſit ex Obſervationibus Marcelli Cumani ab Hieron. Velſchio editis, & ad me tranſmiſit *D. Barnhamus Soame.*

Dolores capitis maximos ex cauſa calidâ ſubortos, quos alia remedia non mitigabant, felici ſucceſſu curabat Sebaſtianus medicus Argentinenſis applicito fronti epithemate ex ſem. Pſyllii cum Aq. Roſarum infuſ. extractâ mucilagine & pauculo aceto mixtâ. Idem *D. Soame* ex Obſerv. Hieron. Reuſneri.

CAP. IX.

De Coride.

Coris cærulea maritima C. B. *cærulea Monſpeliaca* Ger. *Monſpelienſium* Park. *Monſpeſſulana purpurea* J. B. *Cluſ.*

Multis fruticat *ramulis*, palmaribus utplurimum, interdum dodrantalibus, firmis, rotundis, purpuraſcentibus, qui denſis *foliis* ſtipantur Ericæ [majoris ſci.] craſſiuſculis, ſucculentis, amariuſculis, ſerie quadam interdum diſpoſitis, aliquando autem inordinatis & inconditis. *Spicæ* aut *capitula* extremis ramulis inhærent, ex innumeris calyculis in quinque mucrones diviſis, & totidem maculis nigris in ſingulas diviſiones impreſſis, conſtantia; è quibus *flos* emicat non inodorus, purpureus aut ex purpura cœruleus, elegantiſſimi & quaſi immarceſcibilis coloris, quatuor foliolis bifidis conſtans, quorum duo ſuperiora reliquis majora ſunt. *Semen* deinde in calyculis nonnihil pungentibus continetur, rotundum, nigricans. *Radix* craſſa eſt pro plantæ proportione, palmaris longitudinis, foris rubra, ut quâ interdum linei panni etiam infici poſſunt. Nullum ego (inquit J. Bauhinus) in ulla parte plantæ ſive odorem, ſive ſaporem manifeſtum ſentio.

Tempus & Locus. Floret Maio menſe nonnunquam etiam Martio, ſiccis quibuſdam circa Salmanticam & Monſpelium locis; maritimis item Valentiæ & Galliæ Narbonenſis, ubi tota major, craſſior & ſucculentior.

HISTO-

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER DECIMUS OCTAVUS,

QUI EST,

De Herbis flore papilionaceo, seu leguminosis.



FLORES papilionacei dicuntur, quia Papilionem alis expansis quadantenus referunt. Folia seu petala his difformia sunt, nec figurâ, nec situ inter se convenientia, numero quatuor, verùm ad ungues juncta; unde tetrapetali propriè dicti non sunt, sed monopetali tetrapetaloides: Sed ut aliàs diximus, nos in hoc opere flores monopetalos profundè & ad unguem ferè in lacinias petala æmulantes divisos pro polypetalis cum Botanicorum vulgo habemus. Quod siquis hoc nolit, ad monopetalos flore difformi facile transferuntur hæ plantæ. Florum petala, seu mavis laciniæ quatuor sunt, ex quibus unum erigitur reliquisque ferè latius & majus est, *clypeus* seu *vexillum* nonnullis dictum, alterum ei inferiùs opponitur carinatum, tum stamina, tum siliquæ rudimentum protegens & occultans, bina lateralia sibi invicem similia sunt.

Nos clarioris doctrinæ gratia librum hunc in tres sectiones dividemus. *Prima* erit de Leguminibus seu Herbis flore papilionaceo scandentibus.

Secunda de leguminibus & Leguminosis non scandentibus, seu erectis seu provolutis, non trifoliatis.

Tertia de Leguminibus non scandentibus trifoliatis. Quibus subjungemus siliquosas quasdam anomalas siliqua bivalvi, tum floribus tum siliquis ad Papilionaceas accedentes.

SECTIO PRIMA.

De Leguminibus & leguminosis seu Papilionaceis scandentibus.

Herbæ flore papilionaceo scandentes sunt vel

Volubiles, quæ perticis aut plantis vicinis se circumvolvendo à dextra sinistram versùs, in altum enituntur, suntque trifoliæ, semine reniformi; PHASEOLUS *plurimarum specierum.*

Capreolatæ, quæ capreolis aut claviculis intortis plantas aut fulcimenta vicina arripiunt, & se sustentant: suntque vel foliis

Glaucis glabris, è pinnis paucioribus & majoribus in hoc genere compositis, caule

- *Æquali*, h. e. nec compresso, nec membranulis aucto, foliis
  - *Simplicibus*, seu integris, ex adverso binis, triangulis; APHACA.
  - *Pinnatis*, pinnis paucis, in hoc genere maximis, duabus præcipuè ad ῥάχεως exortum caulem amplexantibus, caulibus majoribus & fistulosis; PISUM.
- *Membranulis* secundum longitudinem excurrentibus aucto, compresso, anguloso, foliis
  - *Simplicibus*, seu integris & non pinnatis, nisi pro pinnis accipiantur quæ in summis foliis sunt auriculæ aut lobi; OCHRUS sive *Ervilia* Dod.
  - *Pinnatis*,

Unico tantùm pinnarum pari, siliquis

- Secundùm longitudinem aversâ parte duabus membranulis extantibus alatis; LATHYRUS *sativus.*
- *Planis* & *æqualibus*, nullis in dorso extantibus membranulis, radicibus

Tuberosis;

Tuberosis; CHAMÆBALANUS *Leguminosa*; *Terræ glandes.*
Fibrosis; LATHYRUS *Sylvestris.*

Pluribus pinnarum conjugationibus; CICERCULA.

Viridioribus & *plerunque hirsutis*, è minoribus & pluribus pinnis compositis, semine

Tumidiore, globoso, siliquis pro plantæ modo longioribus; VICIA *plurimarum specierum.*
Compresso, & pro plantæ modo grandi, siliquis brevibus; LENS.

Faba Sylvestris & *Græcorum* seu *Veterum* vulgo dicta, cum capreolis scandat, ob siliquarum conformitatem *Viciæ* speciebus potius quàm *Fabæ* accensenda est, quamvis foliorum figurâ & pinnarum paucitate *Fabam* potiùs quàm *Viciam* imitetur.

CAP. I.

De Phaseolis.

Phaseoli nomen acceperunt ab effigie & longitudine siliquarum aut fructûs, qui lintrem lembumque naviculam, Phaselum dictum exprimunt, hinc etiam δόλιχοι dicuntur. Phaseolum autem à Phaselo diversum esse monet Galenus: Phaselum enim inquit Lathyrum esse vel illius speciem.

Phaseolorum notæ sunt caulibus scandere, trifolios esse, semina habere reniformia, siliquas simplices.

His ob convenientiam in reliquis notis nonnullas non Trifolias subjicimus.

1. *Smilax hortensis* J. B. *Sm. hort. sive Phaseolus major* C. B. *Phaseolus albus* Ger. *Phaseolus vulgaris* Park. **Common Kidney-beans.**

Convolvulorum more perticas & pergulas proximas conscendit, *sarmentis* à sinistra dextram versùs circumvolutis. *Folia* ad intervalla exeunt in communi pediculo oblongo terna Trifoliorum more, è lata basi in acutum mucronem desinentia hederaceis ferè similia, per margines æqualia, glabra, obscurè viridia. E foliorum alis exeunt *flosculi* duo trésve, interdum plures ad sex usque simul in eodem communi pediculo seu surculo breviusculo, purpurascentes, albi vel pallidi, in quibus petalum superius non reflectitur retrorsum, sed concavum est, & ad latera striatum; lateralia duo ampla sunt & concava. Ad basin uniuscujusque floris præter calicem duo folia concava triangula, nullis pediculis donata, ad florum nondum expansorum tutelam apponuntur. Floribus succedunt *siliquæ* palmum & sesquipalmum longæ, angustæ, compressæ, crassæ & carnosæ, cùm teneræ adhuc sunt edules, sex, septem aut plura semina continentes, renis figurâ, sinum in medio impressum habentia lævore eximio, colore mirum in modum vario, albo, cinereo, luteo, glauco, rubente, cœruleo, amethystino, albo nigris venis & lituris distincto, &c.

Tempus. Æstate & Autumno floret, frigoris impatiens est, & pruinis facilè corrumpitur.

2. *Phaseolus niger* J. B. *Phaseolus Æthiopicus, lobis flavescentibus, fructu nigro* C. B. *Phaseolus peregrinus* 14. Clus.

Clus. Sarmentis, foliis, floribus cum vulgari Phaseolo convenit. Pediculi seu surculi floriferi Clusio oblongi esse dicuntur, *floresque* binos, ternos, quaternos, senos, interdum etiam octonos, ex adverso utplurimum nascentes sustinere: quibus succedunt totidem, oblongi, teretes *lobi*, initio virides, deinde maturitate flavescentes, in quibus bina, terna, quina, sena, vel etiam octona *grana* vulgarium quidem formam referentia, sed tantillo minora, & coloris quando matura nigri.

Phaseolum hunc in hortulo nostro aluimus aliquot annos, & à vulgari specie distinctum existimamus, cum aliquoties satis fructus seu seminis colore non variavit.

3. *Phaseolus flore coccineo* Park. Ger. emac. **The Scarlet Kidney-bean.**

Hic in multis à Phaseolo vulgari primo in loco descripto differt. Ille enim seminum valvas seu lobos è terra exserit foliorum formâ: hic autem minimè. Deinde hujus *flores* majores sunt & ex alis foliorum exeunt plurimi simul in surculo seu pediculo communi prælongo, velut racematim; cùm illius longè pauciores sint in surculo triplo breviore: color florum in hoc coccineus pulcherrimus, in illo albus aut purpureus, minùs venustus aut spectabilis. Hujus porro *siliquæ* eminentiis plurimis seu tuberculis asperæ sunt, illius læves; breviores quoque sunt & crassiores hujus quàm illius. *Semina* in utroque ejusdem propemodum figuræ sunt, verùm in hoc majora & crassiora purpurea, nigris ductibus & lituris, varia. Quin & folia huic minora & acutiora rugosioráque esse videntur quàm vulgari Phaseolo; flores autem ampliores. Duobus denique concavis ad basin floris foliis caret hæc species.

Phaseolus puniceo flore Jac. Cornuti esse videtur. Ob florum pulchritudinem & durabilitatem potius quàm ob fructum in hortis colitur: nec dedignantur Matronæ nostræ sertis suis & corollis eos intexere.

4. *Phaseolus vulgaris Italicus humilis, seu minor albus cum orbita nigricante* J. B. *Smilax siliquâ sursum rigente: vel Phaseolus parvus Italicus* C. B. *Item, Phaseolus niveus minor circa hilum nigrâ maculâ insignitus* J. B. *Phas. peregrinus, minore fructu albo, nigrâ maculâ insignito* C. B. *i. e. peregrinus* 4. Clus. *Phaseolus erectus* Park. *peregrinus fructu minore albo* Ger. emac. *Matth.*

Hoc genus passim in campis seritur mense Maio, & quandoque post messem, sine pedamento per se subsistens, & in latum sese expandens, *foliis* hederaceis, majoribus tamen & mollioribus, venosis, ternis ex uno pediculo prodeuntibus. *Flores* emittit candidos, Piso majores, è quibus palmaria *cornicula* prodeunt, teretia, & in acutum desinentia, primo quidem exortu viridia, & per maturitatem albicantia. In his *semina* plura continentur reniformia, alba, præter umbilicum, qui tantùm in iis nigricat.

Clusius Phaseolo suo peregrino quarto brevem firmúmque caulem tribuit, pedalem longitudinem rarò excedentem, in brevissimos ramos divisum: *folia* breviori pediculo inhærentia: pediculos ex alis prodeuntes longos, crassiusculos, firmos, binos flores magna ex parte sustinentes: fructum niveum, circa hilum maculâ nigrâ insignitum.

Cùm Clusius binos tantum in uno pediculo flores habere hunc dicat: Matthiolus autem in icone plures eidem appingat, colligit J. B. Phaseolum Clusianum à Matthiolino diversum esse. Verùm cùm descriptiones conveniant, ego mallem dicere Matthioli iconem falsam esse, aut Clusium fortè erràsse in numero siliquarum eidem surculo inhærentium, quàm species temere multiplicare. An Matthioli icon falsa sit nécne Itali facilè determinabunt, apud quos Phaseolus isthic in agris magno proventu seritur. Nos plenos saccos Romæ in foro venales vidimus, & totos agros eo consitos in vicinia urbis, ut & Florentiæ, non satis tamen curiosi fuimus in eo observando.

Variant (si C. Bauhino fides) hoc genus Phaseoli. Sunt majores & minores, sunt albi, subnigri: illi maculâ nigrâ, hi albâ notati: est & minor albidus cum orbita rubente aut nigricante. At unius erant generis quos nos in Italia vidimus, nimirum candidi cum macula circa hilum nigra, ex quibus Itali juscula conficiunt.

Memorat insuper J. Bauhinus duos congeneres descripto Phaseolos; primum vocat Phaseolum parvum album cum orbita minima rubente & parvo hilo albo; alterum Phaseolum minimum album cum orbita magna rubente, & hilo in medio albo: quales nobis nondum videre contigit.

Quin & Morisonus duas seminum species è Tingi Africæ urbe sibi missas narrat maculâ circa hilum nigrâ notatas majorem & minorem: altera alterius magnitudine duplâ.

5. *Phaseoli tumidi minores nivei* J. B. *Phaseolus peregrinus* 2. Clus. *Phaseolus peregrinus hortensi affinis fructu tumidiore, minore niveo* C. B. *peregrinus* 2. *Clusii* Park. *J. B.*

Magnitudine vulgatis Phaseolis minores sunt, nec ut illi sinuati circa umbilicum, interim pulvinati magis & tumidiores omni ex parte proportione sua. Colore nivei sunt & splendicantes, ac si ex ebore tornata essent. Planta autem ipsa totâ formâ & nascendi modo à vulgari haud differt, at non opus sit eam pluribus describere.

E Guatimala novi Orbis provincia delatus esse dicitur.

6. *Phaseolus tumidus minimus niveus siliquâ brevi, Virginianus.* **The Virgin, or Virginia-pease or Kidney-bean.**

Præcedenti persimilis est, nec scio an specie diversa: siliquâ brevi latiusculâ, fructu Pisi majoris magnitudinem vix excedente, non tamen perfectè sphæricâ, sed in longitudinem productiore.

* 7. *Phaseolus latâ siliquâ, fructu exiguo nigro, umbilico candido* J. B. *Brasilianus alter, fructu nigro, Pisi magnitudine* C. B. *Phas. Brasilianus alter* Clus. ad Monard. *Brasilianus alter Pisi magnitudine* Park. *Clus.*

Est hoc genus vulgari simillimum *flore* purpureo: at *siliquæ* scabræ sunt, breviores & latiores quàm nostri vulgaris: *Fructus* est exiguus, Pisi vulgaris magnitudine, totus niger, nisi quâ parte siliquæ adhæret, quæ candida est.

Brasilianis frequentem esse audivit Clusius.

* 8. *Smilax hortensis sive Phaseolus Anagyridi similis ferè colore rubescente,* J. B. *Phas. peregrinus Anagyridis fructui similis, colore rubescente* C. B. *Ph. peregrinus* 3. Clus. *tertius Clusii* Park. *hortensis rubra* Ger.

Sarmenta habet oblonga ex singulari *caule* statim secundùm radicem ipsam prodeuntia, & in multos ramos divisa: purpurascunt ea juxta alas, ad quas etiam adnascuntur terna folia, minùs ampla quàm vulgaris, & dilutiore colore virentia, longo pediculo inhærentia, qui ex parte qua folia sustinet, contrariáque quâ sarmentis inhæret ex atro purpurascit. *Flores* in oblongis petiolis plerunque bini, magni, Pisi formâ, foris ex candido pallescentes, interiore verò parte ex purpura cœrulei. His succedunt totidem prælongi lobi, teretes & quasi cylindracei, in quibus fructus reliquis Phaseolis minor, Anagyridis legitimæ fructui pæne similis, rubescentis coloris.

Semine ex Hispaniis misso Clusio natus est.

* 9. *Pha-*

* 9. *Phaseoli Africani parvi, nonnihil albicantes* J. B.

De Phaseolorum more scandit. *Folia* terna, minora strictioráque quàm in vulgaribus obtinet, paulò duabus unciis longiora, non totam semunciam lata, nervosa, glabra, crassa. *Flores* ex obsoleta quadam fuligine in luridum pallorem languescunt, vix dehiscentes. *Siliquæ* sesquipalmum longæ, vulgaribus angustiores, vix culmum latæ *grana* claudunt nonnihil candicantia, dimidio minora Phaseolis nostratibus, circa germen fusca.

Ex Africa & insula D. Thomæ semen delatum est.

* 10. *Phaseolus Laburni fructu ex nigro subvirescente, sive Ægyptius flore luteo* J. B. *Phaseolus peregrinus, Anagyridis fructui similis ex nigro subvirescens* C. B. *peregrinus* 5. Clus. *quintus Clusii* Park. *peregr. fructu minore frutescens* Ger. emac.

Clus.

Sarmenta tenuia habet Phaseolo peregrino tertio Clusii similia: *folia* aliorum Phaseolorum vulgarium longè minora, & Trifolii * mœnianthis foliorum perquam similia, ex atro virentia, circa pediculos purpurascentia. *Flores* in spicæ modum congesti, magni, Pisi vulgaris formâ & magnitudine ferè, coloris flavi, in oblongo crassiusculóque pediculo ad foliorum exortum prodeunte nascuntur. Lobos breves angustósque esse intelligebam ab his qui conspexerant, & terna aut quaterna grana continere, parva, Laburni granis non minora, utroque tamen mucrone plerunque obtusiore, pulli coloris seu potiùs ex nigro subvirescentis.

* *Palustris.*

11. *Phaseolus peregrinus Purkircherianus* 1. Clus. *Phas. lato, striato sive radiato semine* J. B. *Ph. peregrinus hortensi affinis, semine lato, albo, multis nigris venis striato* C. B. *peregrinus primus Clusii* Park. *niger* Ger.

Clus.

Caules huic & sarmenta reliquorum similia; *folia* vulgaris foliis similia sed atriora: è quorum alis breves ramuli prodeunt, multis floribus, vulgaris haud absimilibus, minoribus tamen, albis, uvæ in modum congestis onusti: quibus succedunt oblongæ *siliquæ* seu lobi, vulgaribus multò latiores, continentes ternos aut quaternos fructus planos, communibus Phaseolis latiores, albos, sed multis nigris maculis sive venis ab hilo in latitudinem ductis elegantissimè depictos.

In frigidioribus regionibus ob defectum Solis radiorum fructum non facilè ad maturitatem perducit.

Hujusmodi Phaseolum habemus à J. Bauhino Tom. II. p. 267. icone eleganter expressum, qui potius niger dicendus est cum albis striis seu venis, quàm albus cum nigris.

* 12. *Phaseolus peregrinus* 6. Clus. *peregrinus angustifolius, an idem cum Smilace hortensi minore?* C. B. Ger. emac. *peregrinus* 6. *Clusii* Park.

Foliis angustioribus à Smilace minore differt. Fructu est vulgaris Phaseoli fructu minore & planiore subrubri coloris.

* 13. *Phaseolus peregrinus* 7. Clus. *peregrinus angustifolius alter, fructu ex albo & nigro vario* C. B. *peregr.* 7. *Clusii* Park.

Sarmenta huic Purkircheriani similia, non tamen adeò luxuriant aut altè assurgunt: *Folia* quàm Phas. vulgaris multò angustiora, præcedentis non valdè dissimilia. *Flores* in uncialibus pediculis parvi, uvæ in modum congesti, albi initio, sed ubi senescunt pallescentes: *Siliquæ* planæ latæque sunt, Purkircheriani lobis ferè pares, breviores tamen, per maturitatem fulvescentes, *semen* continentes planum, illius granis minus, sed similibus coloribus albo & nigro varium, nunc in longitudinem extensis nigris striis, nunc confuso ordine sparsis maculis nigris majoribus aut minoribus per universum Phaseoli corpus, nonnunquam integro fructu nigro, vel exiguis maculis albis consperso aut dimidia duntaxat ex parte.

Exigua nobis esse videtur inter hunc & Purkircherianum differentia.

* 14. *Phaseolus peregrinus* 8. *Clus. peregrinus foliis minoribus, fructu exalbido, nonnunquam variegato* C. B. *pereg.* 8. *Clusii* Park.

Folia ei Purkircheriani foliis similia, sed paullò minora: *Flores* etiam illius floribus similes, uvæ instar nascentes; quibus & planæ, ut in præcedente, succedunt *vaginæ*, duo, tria aut quatuor grana continentes, superioribus magnitudine respondentia, non adeò candicantia, sed coloris interdum exalbescentis aliquando nigricantibus maculis secundùm longitudinem vel confusè notata, interdum toto etiam pæne fructu nigricante.

Præcedenti adeò similis est ut nobis non videatur specie distincta.

15. *Phaseolus peregrinus* 9. Clus. *peregrinus Purkircheriano similis, fructu lato, albo, striato* C. B. *peregr.* 9. *Clusii* Park.

Fructus Purkircheriano major, sed totus albus, nisi quidam radii sparsi varium quodammodo effecissent. Sarmentis, foliis, floribus & vaginis eidem similes erat. *Quid ergò vetat quin eundem specie dicamus?*

* 16.

• 16. *Phaseolus peregrinus* 10. Clus. *peregrinus lobo & fructu nigro* C. B. *peregr.* 10. *Clusii* Park.

Sarmenta huic ut in aliis: *folia* octavi generis *Clusii* similia, secundùm articulationes quibus connexa sunt purpurascentia: *Flosculi* in ramulo digitali superiorum similes, uvæ quoque instar congesti, sed quorum galea obsoletè purpurascit, bina lateralia folia coloris sunt floridioris: His succedunt planæ, latæ, fuscæ & nigricantes *vaginæ*, *semina* continentes plana Purkircherianis minora, per maturitatem prorsus nigra.

• 17. *Phaseolus peregrinus* 11. Clus. *peregr. fructu variegato* C. B. *peregr.* 11. *Clusii* Park.

Cætera præcedenti similis *flores* habet octavi floribus pares, albos, *vaginas* septimi & octavi generis lobis similes; in quibus *semina* tria vel quatuor, plana, dilutâ rubedine prædita, quæ nigris venis seu radiolis secundùm longitudinem distincta sunt, nonnunquam magnis vel exiguis maculis nigris confusè aspersa, interdum etiam utrinque prorsus, vel altera duntaxat ex parte nigra, emicantibus sparsim parvis rubentibus maculis, ut ex marmore aliquo ποικίλῳ tornata videantur.

• *Phaseolus peregrinus* 12. Clus. *peregr.* 12. *Clusii* Park. *Phas. lati, coloris tegularum, cum striis per medium nigris* J. B. *Ph. peregr. fructu subrubente, nigris striis variegato alter* C. B.

Præcedenti per omnia ferè similis est: sed *flores* ejus Decimi floribus valdè similes sunt, paulò tamen dilutiùs purpurascunt: *fructus* autem magis diluta rubedine præditus, tegularúmque colorem quodammodo refert, quem raræ per longitudinem nigræ striæ varium faciunt, aliquando autem plurimæ totum pæne atrum reddunt.

• 18. *Phaseolus peregrinus* 13. Clus. *Ph. Æthiopicus lobis nigris venis aspersis, fructu atro splendente* C. B.

Decimo cætera non dissimilis est, *Lobis* tamen longioribus & quasi cylindraceis, non fuscis aut nigricantibus ut illius, sed per maturitatem nigris duntaxat venis confusè sparsis insignitis, octo, novem, aut plura interdum continentibus *semina*, renis quidem formam exprimentia, sed longiora, tumidiora, atri omnino & splendentis coloris. Floret paullò maturiùs superioribus, eam ob causam *semen* faciliùs ad maturitatem pervenit.

• 19. *Phaseolus peregrinus* 15. Clus. *Phas. Æthiopicus lobo saturo purpureo, fructu atro* C. B. *Clus.*

Hujus *sarmenta* purpurascunt: terna illa longo pediculo inhærentia *folia*, pro parvis appendicibus, quæ in aliis generibus, bina interdum foliola adjuncta habent: *flos* etiam magis satur [quàm decimi quarti] & prorsus Amethystinus: *lobi* præterea, initio quidem virides, paulatim purpureum colorem contrahunt, maturitate tandem purpureum saturum & ferè nigrum. *Fructus* in ipsis comprehensus initio purpurascens, deinde atri omnino coloris.

• 20. *Phaseolus peregrinus* 16. Clus. *Ph. Guinensis fructu fusco spadiceo* C. B. *Clus.*

Hujus lobum non conspexit Clusius, sed tantùm *fructum*, qui semuncialem magnitudinem non superabat, satis densus & crassus, coloris fusci cum spadiceo commixti: Satus crevit ad palmarem altitudinem, *cauliculo* satis firmo & rotundo, binásque aut ternas foliorum alas protulit, in quibus ut reliquis Phaseolis terna *folia*, sed valdè crassa & pinguia, Trifolii Asphaltitis foliorum magnitudinem non excedentia.

• 21. *Phaseolus Zurratensis siliquâ hirsutâ*, **Couhage** *dicta. Phaseolus siliquâ hirsuta* Park. *Phaseolus pruritum excitans hirsutie siliquarum* Ger. emac. *An Mucuna Brasiliensium* Marggrav?

Hujus *siliquæ* ex India Orientali ad nos delatæ, variæ magnitudinis, aliæ breviores & rotundiores Phaseoli vulgaris lobis, aliæ etiam multò iis longiores, brevi & densa hirsutie villosa obsitæ sunt, quæ cuti affricta pruriginem quandam molestam Urticarum instar excitat, brevi sine ulteriore nocumento evanescentem; siliquæ hæ confertim & quasi racematim nascuntur, & semina continent fusca, punctata [Parkinsono nigra, splendentia] Fabæ equinæ magnitudine, hilum habentia album in parte laterali, non verò in umbilico aliorum Phaseolorum more. Terræ commissa in horto *D. Caroli Hatton* plantas produxere.

Vires. Hujus plantæ siliquæ duodecim duobus Cerevisiæ sextariis infunde, & infusum propina, ad ¼ sextarii singulis matutinis; certissimum est Hydropis remedium. Communicavit D. *Samuel Husbands* eques auratus, qui in insula Barbados aliquot annos vixit, ejúsque sæpe in servis suis Æthiopibus experimentum fecit.

• 22. *Planta*

* 22. *Planta leguminosa Brasiliana Phaseoli facie, flore purpureo maximo* Breynii.

Breyn.

Sarmentorum longissimorum beneficio arbores & frutices proximos, sese iis circumvolvens, scandit. Ramuli ejus juniores, per intervalla unciarum duarum triúmve, *Foliis* tribus oblongis ex uno pediculo, uncialibus vel sescuncialibus ad summum, Terebinthi foliorum instar duriusculis & admodum venosis, ornantur. Ex foliorum appendicum sinu petioli exeunt singulares, *Florem* gerentes unicum, valdè speciosum, Lathyri Narbonensis facie, sed vel quadruplo majorem, gratioréque purpurâ coloratum, cujus basin calyculus, foliolis duobus membranaceis, rigidiusculis constructus ambit; & huic alius adhuc calyculus subest, qui medio petioli appositus, & quà formam priori similis.

Locus. Oritur in saltibus & dumetis Brasiliæ.

* 23. *Phaseolus minimus fructu rubro, siliquis longissimis erectis* Moris.

Moris.

Phaseolus hic minimus *siliquas* fert longas, tenues, palmares & sesquipalmares, petiolis curtis innixas & per consequens erectas, continentes in se *semina* dena aut duodena, reniformia rubra minima, magnitudine Phaseoli minoris Italici.

* 24. *Phaseolus minimus fructu viridi, exiguo, ovato* Moris.

Moris.

Caule constat pedali aut sesquipedali: *folia* etiam edit terna subviridia, minora, tenuiora, singulis distinctis petiolis innitentia, majorum Phaseolorum more. Petiolis curtis junguntur *flores* parvi, ex luteo virides: quibus fatiscentibus succedunt *siliquæ* tenues, teretes, tres uncias longæ, recentes adhuc virides, intumescentes ubi apparent semina, in quibus singulis continentur *semina* ovata viridia, decem aut duodecim, nunc plura, nunc pauciora, Pisi minoris magnitudine, sed figurâ ovatâ seu oblongâ.

25. *Phaseolus Lablab Alpini* J. B. *Phaseolus Ægyptiacus nigro semine* C. B. *Item Ægypt. semine ruffo* ejusdem.

Arbor est sarmentosa (inquit Alpinus) quæ crescit ad Vitis magnitudinem, sarmentísque Vitis modo extenditur. *Foliis* figurâque similis est omnino vulgari Phaseolo. *Flores* fert bis anno, Vere & Autumno, Phaseolorum floribus aliquatenus similes, à quibus *siliquæ* longæ, instárq; Fabarum latissimæ cernuntur, quæ *semina* Phaseolis planè similia continent, quorum alia niger, alia subrubra cernuntur.

Locus. Hæc arbor vivit annos 100. & amplius, perpetuóque viret, Ægyptiis frequens in cibo, nostrísq; non minùs suavis. Hoc (inquit Clusius) creditu difficile est iis qui Phaseolorum & leguminum naturam nôrunt.

Veslingius notis in *Alpini lib. de Plant. Ægypt. Leblab* hunc in modum describit. *Folia* obscuriùs virescentia ramulis insident ad nigrum tendente purpurâ coloratis: Nec dissimilis *florum* tinctura, qui copiosi, ac spiceo veluti congestu, non circa summum tantùm caudicem, sed sparsim juxta foliorum exortus virgulâ suâ prodeunt: alibi candido colore lactescente nascuntur, cætera vix ab aliis Phaseolis specie mutantes. *Semina* in siliquis rectè notavit Prosper Alpinus, alia nigricantia, subrubra alia sed maculis ferè nigris infuscata, hilísque candentibus insigniuntur.

Descriptio hæc in omnibus, excepto semine, cum ea quam Honorius Belli elaboravit ad intuitum plantæ sibi ex semine Ægypto transmisso enatæ, adeò exactè convenit, ut nemini dubium esse possit, eandem specie plantam fuisse quam uterque descripsit.

Quin & ex Veslingiana descriptione constare arbitror, utramq; Clusii Leblab, [ut & Belli] ejusdem specie plantæ semina fuisse. Non enim aliter differunt quàm colore, qui in altera niger erat, hilo admodum longo albo eminenti; in altera ruffus [J. Bauhino spadiceus, maculis nigris ut Bellus, saturè rubentibus ut J. Bauhinus, aspersus] hilo pariter eminente candido.

Descriptio Alpini in siliquarum longitudine à Clusiana recedit. Fortè ex brevioribus fuit quam Clusius à Paludano recepit.

26. *Phaseolus Brasilianus foliis molli lanugine obsitis, fructu magno* C. B. *Phas. Brasilianus multis, spadiceus, magnus, cum magno hilo nigro plurimum ambiente* J. B. *An Macouna Brasilianis* Marggr? *Brasilianus* Ger. *Brasilianus magnus* Park.

J. B.

Castaneæ magnitudine est, orbiculatus, unciali plus minùs latitudine, pulvinatus, cortice tectus rugoso, spadiceo, dilutiore saturatioréve, circa hilum verò dilutiore & fere albicante; cujus orbitam ferè totam ambit hilum pullum, culmum latum, sulco medio secundùm longitudinem exaratum, in principio punctum impressum habens.

Planta Clusio è semine nata *foliis* Phaseolo vulgari ferè similis erat, nisi quòd minora erant & aversâ parte hirsuta, præsertim teneriora folia, & extremi caules tenui mollique lanugine fulvescente obsiti.

Habetur & hujus varietas cinerea aut ex cinereo nigricans.

Duæ species. An planta Clusio descripta eadem sit J. Bauhino descriptæ dubito. Certè nos fructum habemus ei qui à J. Bauhino describitur non dico simillimum sed eundem prorsus; alium etiam cinereum, hilo non eminente, adeò politum ac splendentem ac si torno elaboratus esset.

Singulare est & insigne in hoc fructu quòd hilus totum ferè in circulum ambit; quod miror à Clusio tam sicco pede præteritum, si quem nos & J. Bauhinus intelligimus describat. Marggravius Brasilianorum Macunam his verbis describit:

Caule

Caule sarmentoso, satis crasso, lento, altas ascendit arbores, & implicat se ramis; in quolibet pediculo tres aut quatuor digitos longo tria ubique *folia* sibi invicem apponuntur, phaseolorum more, tres aut quatuor digitos longa, nervo & venis obliquis prædita, superius saturatè viridia, inferius albicantia, & subtilissima lanugine ad tactum sericum æquantia. In pediculo tres, quatuórve digitos longo, qui superius in plures breviores dividitur, proveniunt *flores* quatuordecim aut sedecim, juxta se, calycibus insistentes instar siliquarum Pisi. Figura floris est quasi duæ siliquæ Pisi apertæ, una alteri insertæ essent: nam quinque foliis constat *flos* quilibet, quorum quatuor duos digitos singula longa, quinta unum digitum; sine odore, coloris flavi: in medio stamen fistulosum pallidum, superius multipliciter divisum in fila, quorum quodlibet apicem habet fuscum. Flores sequuntur *siliquæ*, spithamam longæ aut etiam longiores, tres dig. circiter latæ, exterius rugosæ, utpote setis pungentibus ruffis præditæ, quæ non solum adhærent & pungunt, sed etiam pustulas ardentes excitant, quæ vix octiduo sanantur, & insignem excitant pruritum. Siliquæ maturæ exterius nigrescunt, & aperiunt se atque dissiliunt: interior earum superficies est instar matris perlarum, alba, splendida & quasi polita: in qualibet continentur utplurimum tres phaseoli orbiculares, compressi, coloris luridi, cum semilunari macula nigra in uno latere, majores verticillo. Floret plerunque mense Junio & Julio.

Si hæc planta rectè à Marggravio descripta sit flore pentapetalo à reliquarum Papilionacearum seu leguminosarum norma recedit.

Siliquarum setæ pruritum excitandi facultate cum Phaseoli Zurratensis, **Couhage** dicti siliquarum villis conveniunt. Differre videtur specie à Phaseolo Brasiliano nobis è J. Bauhino descripto, & forte Zurratensi idem est.

* 27. *Phaseolus Brasilianus* Jaroba *indigenis dictus* Marggr.

Altissimas arbores ascendit *caule* lento tereti, qui hinc indè in longis pediculis tria folia apposita habet Phaseoli modo, sunt autem planè similia foliis *Macuna.* Fructus autem similis fructui * *Cuete,* sed utplurimum minor, eâdem pulpâ, iisdem seminibus, ejusdem quoq; usûs.

* *Higuero Oviedi.*

Ubique provenit, sed præcipuè hortensibus locis sata atque exculta.

Usus est radicum ad mensas secundas.

Usus.

28. *Phaseolus Indicus ruber* Bontii. *Pisum Indicum minus coccineum* C. B. *Pisum Americanum coccineum, aliis Abrus* J. B. *Arachus Indicus sive Africanus* Park. *Clus.*

Hujus semina sata Clusio, aliisque, Viciæ aut Lentis modo prodibant, duobus duntaxat crassiusculis foliis initio, ipso videlicet semine bifariam se dividente, & in folia formante, ut in aliis nonnullis leguminibus accidere solet: inter ista verò folia nascebatur *cauliculus,* sustinens aliorum foliorum alas, quæ ex multis foliolis, contrario situ semper nascentibus constabant denis, duodenis aut pluribus, nullo impari alam finiente, instar Viciæ sylvestris aut Lenticulæ: valdè caduca est planta quæ nisi fulciatur procumbit, Pisorum instar: inter foliorum alas, quæ sarmenta aut caules amplectebantur, satis firmi & oblongiusculi exoriebantur pediculi, sustinentes alternis decem aut duodecim *flores,* [Phaseoli florum figurâ fortè, aut Viciæ seu Lentis, nam nihil certi de illis traditur] Istis pediculis inhærebant (floribus sc. delapsis) decem, duodecim aut plures pediculi, breviusculi satis crassi & rugosi, è quorum singulis graciliore brevioréque adhuc petiolo dependebat *siliqua,* rugosa, spadicei foris coloris, unciam aut paullo amplius longa, semiunciam lata, illáque aliquantulum plana, mucrone instar hamuli curvo, interna parte albi, in qua continebantur quaterna aut quina *semina* durissima, orbicularis ferè vel ovalis figuræ, prorsus rubra, & nitentia instar Coralii expoliti, quum probè matura sunt, summa autem parte, quâ siliquæ inhæserant omnino atra, & præ lævore splendentia.

Alpinus lib. de *Plant. Egypt.* arborem appellat, at valdè impropriè Clusii sententiâ, & etiam nostrâ, cùm volubilem, *Leblab* modo serpentem, altiùs se attollentem, latiúsque expandentem, esse scribat, & ridicæ se convolventem pingat.

Est hic fructus insigniter durus, qui satus & post triennium è terra erutus adeò incorruptus repertus est, ac si pridie duntaxat terræ commissus fuisset. *Clus.* J. Bauhinus tota nigra habuit, aliáque quæ colore spadiceo sunt, nigrâ tamen maculâ notata, quæritque an naturale ipsis hoc sit, an accidat per vetustatem: Nos naturale potiùs esse putamus; nam satis vetusta habemus, quæ colorem adhuc retinent. *Veslingius* notis in *Alpin. Plant. Ægypt.* se tota coccineo colore decora non vidisse scribit, sed quâ parte folliculo nectebantur splendido semper atrore maculata. *Folia* eodem observante, virgulis suis æquatis insident ordinibus, omniáque cœlestis caloris promum condum mirâ conversione prosequuntur; siquidem ut nocte media terram, [adductis proximè ad se invicem singularum conjugationum foliorum pronis seu infernis superficiebus] sic meridie culminante sole, οὐρανόσκοποι, [adductis ad se supinis eorundem partibus] & sublatis alarum extremis cœlum spectant.

Alpinus ex Arabia in Ægyptum delata scribit hæc Pisa: Proveniunt tamen tum in Africa, tum in America.

Hoc Pisum rectiùs in puellarum cultum quàm corporis alimentum vel medicamentum cedit (inquit Piso) nec memini unquam in Brasilia hæc sicut cætera legumina advenis vel indigenis, etiamsi probè elixa accepta fuisse, quòd ea pravi nutrimenti & difficillimæ concoctionis esse deprehenderent.

29. *Pisum Americanum aliud, magnum, bicolor, coccineum & nigrum simul, sive Phaseolus bicolor* Anacock *dictum* J. B. *Phaseolus peregrinus ex rubro & nigro distinctus* C. B. *Phaseolus Ægyptius* Ger. Park.

J. B.

Fructus hic durus, qui dentibus frangi non potest, resistens etiam malleo: injectus in aquam subsidit instar lapidis, colore miniato sicuti Abrus, eleganti atque splendente, verùm media ferè parte, [in aliis vix tertia] niger est, compressus, nec exquisitæ rotunditatis, sed in oblongum vergens, eâ præsertim parte ubi umbilicus est. Hic diversarum magnitudinum est ac formæ; magnus, qui Lupini semine duplo ferè major; mediocris cum eodem æqualis ferè, & parvus eodem minor. Est eis omnibus velut umbilicus sublongus, qua parte adhærebat siliquas ut existimamus. Apertis cum difficultate medulla est durissima, ex albo flavescens: saporem notabilem non profert.

Fructus hosce vidimus, qualis stirps eos producat nescimus; putamus ex Phaseolorum genere esse.

* 30. *Flos Clitoridis Ternatensibus* Breynii.

Breyn.

Lepidissimum sui spectaculum oculis offert anadendras etiam hæc per se infirma, sed tortilibus virescentibus ramis proxima adminicula quæ arripere potest conscendens planta, quam *folia* multa alterno situ ambiunt, Glycyrrhizæ sylv. Herbariorum quodammodo æmula, minora tamen, pulchriúsque viridia, ac bina tantùm vel terna, ac totidem ex adverso uni costæ inhærentia, uno impari extremam alam occupante. E quorum appendicibus pedicellus tener & parvus circa medietatem, ubi nonnihil reflexus, foliolis duobus tenuissimis cinctus exsurgit, *Florem* sustinens admodum magnum, hiantem ac speciosum, quasi papilionaceum, cujus tamen inferius labellum superiori folio videtur adnatum. Hic Flos ex magno calyce subviridi, membranaceo, in quinque lacinias desinente, & foliola duo rotunda ac membranacea circa basin habente, prorumpens, tam saturè profundo cœruleo est colore, ut etiam multos siccus post annos, aquam in qua maceratur, brevi temporis spatio, colore adeò fermè cœruleo tingat veluti *Anil* quod ex Indiis in Europam transfertur. Floribus labentibus succedunt (ut fertur) *siliquæ* longæ & tenues, seminibus formam Phaseolorum parvorum exprimentibus refertæ.

Flores coctos Ternatensibus cibo esse aiunt.

* 31. *Phaseolus quadrangulus* Bontii.

Bont.

Mirum hoc leguminis genus foliorum magnitudine & fructûs insuetâ figurâ cæteris præeminet: licet crescendi modo & qualitate iisdem similis sit. Ex uno eodémque caule tria folia sibi conjuncta emergunt, atque ex eadem quasi centro pediculus provenit, ex quo Phaseolus quadrangularis dependet, Pisis rotundis repletus, qui ubi maturuerit dehiscit & fit edulis.

CAP. II.

De Piso.

Pisum à πτίσσειν tundere dictum existimatur. Frangere legumina Veteribus solenne fuit: Aliis à Pisa quæ inter Ossam & Olympum, in qua copiosissimè nascitur. *Gassend.* Verùm non memini usquam legisse de alia Pisa quàm quæ sita erat ad Alpheum amnem in Elide Peloponnesi: Aliis demum ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, quòd humi procumbat.

Notæ Pisi genericæ sunt folia glabra, glauca, pinnis amplissimis caulem adeò arctè amplectentia, ut ab iis transadigi videatur, è paucioribus & majoribus in hoc genere lobis composita, caulis quàm congeneribus major & fistulosior.

Pisi Descriptio generalis.

J. B.

Generali quadam notione Pisa circumscribemus, quorum differentias petet studiosus Lector ex Synonymis. In genere ergo hoc legumen, sicuti alia, brevis durationis, tenui est *radice*, fibrosa: *caules* fistulosi, dum adhuc teneri sunt, fragiles, longi, alienæ opis indigi, & nisi palis sustententur procidui. *Folia* genicula adverso situ ita complectuntur, ut ab eo transadigi videantur, quanquam in annatis surculis eorundem sit pinnata dispositio, eo quod surculi superest in capreolos tortiles, quibus proxima quæq; arripit, abeunte. *Flores* ad genicula è foliorum sinubus exeunt duo tresve simul in eodem surculo seu pediculo communi, formâ ad Genistæ flores accedentes, sed colore albo, vel purpureo, vel ex albo virescente, vel variegato. *Siliquæ* succedunt binæ ferè, teretiusculæ, pensiles, bifores, & carnosâ pulpâ, minùs tamen multò quàm in Faba, in quibus reclusis ad commissuram annectuntur Pisa, aliàs majora, aliàs minora; nunc rotunda, nunc quadrata, aut alias inæquali superficie, interdum alba, flava, rubra, fusca, subcœrulea aut virescentia. Color totius plantæ glaucus aut ex viridi canescens.

1. *Pisum*

1. *Pisum vulgare, parvum, album, arvense* J. B. *sylvestre primum* Park. *arvense flore candido, fructu rotundo albo* C. B. **Common white Field-pease.** *Pisum minus* Ger.

Flores huic albi, duo tréſve ſimul in eodem communi pediculo; quibus totidem ſuccedunt *ſiliquæ*, minores quàm hortenſium, *ſemina* continentes parva, rotunda, alba.
Hoc genus vulgò in agris ſeritur; & ad juſcula hyberno tempore expetitur.

2. *Pisum arvense flore roseo, fructu fusco, aut ex cinereo nigricante. An Pisum minus fructu subnigro* Matth? **Gray Pease.**

Hujus *flos* roſeo aut purpureo eſt colore [*folio* erecto ſeu clypeiformi pallidiore, lateralibus, quæ quaſi umbonis locum obtinent, ſaturatioribus] *Fructus* fuſcus aut ſubniger, Piſo albo vulgari aliquanto major, per maturitatem non adeò exactè rotundus, ſed valleculis depreſſis inæqualis & interdum nonnihil anguloſus.
Seritur in agris.

3. *Tertium genus arvense, quod in Catalogo Plant. Angl. Pisum flore roseo, fructu variegato Anglicè* **Maple-Pease** *denominamus. An Pisa minora rubra variegata* J. B.

A præcedente fructûs tantùm colore differt, qui ex cinereo & rubente colore variegatus eſt.

* 4. *Pisa minora ex purpureo variegata, Viciæ similia* J. B.

J. B.
Parva hæc ſunt, nec Viciis multò majora, in quibus tamen puncta quædam ex cinericeo purpurea conſpiciuntur, ut in Viciis vulgaribus, à quibus ideo non ità facilè diſtingui poſſunt. Herba verò, caulis & *ſiliquæ* multùm à Viciis vulgaribus differunt, quia anguſtiores, rotundiores, nec hirſutæ.

* 5. *Pisa parva, viridia* J. B.

C. B.
Piſa viridia, minora, rotunda, ejuſdem valdè magnitudinis cum Piſis ex purpureo variegatis, ni minora, quaterna vel quina in una ſiliqua, coloris ex albo virentis, unicoloria demptâ eâ parte qua ſiliquæ hærent, quæ pars nigricat. In foliis diſcrimen non animadverto.

* 6. *Pisum sylvestre nigrum maculatum Bæticum* Park. *Pisum maculatum Boelii* Ger. emac. App.

Flores è luteo pallido vireſcunt: *Semina* fuſca ſeu obſcurè cinerea, maculis nigerrimus velut holoſericeis punctata. Annua eſt planta.

7. *Pisum erectius comosum* J. B. *umbellatum* C. B. Ger. **Rose-pease.**

Erectius eſt vulgari Piſo, *caule* firmiore, craſſiore, potiſſimùm parte ſuperiore, ſtriato, inani, ſua vi aſſurgit; ex intervallis foliorum alas, coſtâ mediâ cui annectuntur in tortiles capreolos abeunte, producens, ſed nullo flore, nullo fructu, præterquam in ſummo caulis faſtigio, quod floribus albis, numeroſis, in orbem poſitis densè ſtipatur, quos *ſiliquæ* vulgato ſativo eædem, radiata ſerie comantes excipiunt, geminæ aut tergeminæ, eidem pediculo appenſæ; *Piſa* continentes alba, ſativis vulgatis minora paullò, orbiculata, ad arvenſia accedentia, permiſtis pinnatis foliis quàm in reliquo caule minoribus. *Radix* fibroſa ut in cæteris.

8. *Pisa sine tunicis durioribus in siliqua magna alba* J. B. *Pisa sine cortice duriore* C. B. *Pisa leptoloba quæ simul cum folliculis comeduntur* Cam. hort. *Pisum excorticatum* Ger.

In magnam altitudinem excreſcit: *Siliquæ* magnæ, albæ, ſine duriore tunica, totæ mandi poſſunt. In cæteris vulgari Piſo correſpondet.
Huic fortè idem eſt

9. *Pisum siliquâ carnosâ incurvâ seu falcata, eduli.* **The Sickle Pease.**

Flos huic albus eſt: *Siliquæ* latæ craſſæ & carnoſæ, incurvæ, quæ Phaſeolorum modo coctæ antequam maturuere, edules ſunt. *Folia* maculis albis quàm in aliis generibus latioribus infecta ſunt. Piſa rotunda, alba, hortenſibus albis præcocibus minora.
In horto noſtro aliquot annos aluimus. Fructuum autem aviculæ valdè avidæ ſunt, ut ab earum rapinis eas ægrè poſſis defendere.

10. *Pisum flore rubente, striato, pro coccineo misso.* **The Scarlet Pease.**

Ex Piſis majoribus eſt, *ſiliquis* longis, teretibus, rectis, multa intus *ſemina* continentibus, ad octona, albicantia aut flaventia, rotunda.

11. *Pisum majus quadratum* C. B. *majus* Ger. **The Rouncival Pease.**
Dod.

Caules habet longos, fistulosos, fragiles, ex candore virescentes, ramosos, humi sparsos, nisi propè appositis adminiculis sustineantur. *Folium* frequens amplum & longum, ex multis rotundis, lævibus ac candidis, uni costæ adnatis, & ex adverso sitis compositum, extrema parte in capreolos ac claviculas desinit, quibus juxta assistentibus adminiculis sese implicat. *Flos* candidus circa umbilicum purpuream notam habet: *siliquæ* longæ sunt, teretes, cylindri figurâ, in quibus grana continentur Ochris, id est, Pisis minoribus majora, quæ exsiccata angulosa sunt, inæqualésque angulos habent, colore aliàs candido, aliàs sordido. Radices subsunt parvæ.

12. *Pisa majora alba* J. B. **The white Hasting.**
J. B.

Pisa alba maxima, Pisis vulgaribus sunt similia, flore albo. *Semina* quidem alba, non ita angulosa ut illa [Pisa magna rubra variegata J. B.] majora quàm sunt Pisa comosa, nec ita rotunda.

13. *Pisa magna rubra variegata* J. B. *Pisum hortense majus* C. B. *Pisum majus* Matth.
J. B.

Hominem magnitudine multum excedit. *Florem* fert purpureum in medio, & in latiori parte roseum. *Siliquæ* magnæ, succulentæ: Pisa intus valdè magna, non rotunda ut minora, sed angulosa, vel potiùs compressa pulchri coloris variegati ex albedine & rubedine, cortice crasso ubi coquuntur, à Germanis magni fiunt in cibo.

14. *Pisa Virginiana* C. B.

Hoc Pisum ex nobis hactenus cognitis longè maximum & altissimum est, ad hastæ ferè altitudinem assurgens, *flore* præcedentis simili. Fructus magnus, per maturitatem compressus nonnihil & angulosus, superficie valleculis inæquali, colore cinereo, cum hilo nigro: *Siliquæ* magnæ, teretes, longæ, octo, novem aut decem interdum Pisa continent.

Sapore & bonitate (ut rectè scribit C. Bauhinus ex Descr. Virgin.) Pisa nostratia longè superant, potuisset addere & magnitudine.

* 15. *Pisi pulchra species folio anguloso* J. B.

Hujus *viticulæ* multò quàm vulgaris teneriores, delicatiorésque apparent: Ad foliorum origines *foliola* bina lata, Aphaces *Dod.* folia quodammodo æmulantia, obtusiora, imâ utrinque parte angulosa, & quasi serrata. In pediculis verò, qui in capreolos desinunt, quaterna tantùm folia hærent, geminâ oppositione, Pisi vulgaris minora, plerunque etiam denticulata. *Flores* singulares tenuibus pediculis hærent quàm in Piso vulgari multò minores, rubelli in sicca planta, quibus singulis singulæ succedunt *siliquæ*.

* 16. *Pisum sylvestre* Clus. *sylvestre perenne* C. B. Ger. *sylv. alterum* Ger.

Nec sarmentis nec foliis à vulgari Piso, quod in arvis seritur multùm differt: numerosa enim & oblonga ab eadem radice profert *sarmenta*, angulosa, striata, fractu contumacia: *folia* deinde uncialia, membranacea, viridiáque, bina semper, modò hinc, modò illinc ipsa sarmenta amplectentia, è quorum medio ala extenditur quatuor aut sex foliorum, contrario semper situ nascentium, quæ in capreolos, quibus sese vicinis plantis implicat, desinit. Summa sarmenta in multos deinde ramos dividuntur, qui ex foliorum alis oblongas tenuésque virgulas promunt, in quibus multi exigui candicantésque *flores* spicæ instar congestis nascuntur, Ciceris sylv. *Matth.* flosculis persimiles; quibus excussis succedunt *lobi* Pisi vulgaris vaginis paullò graciliores, continentes grana Clymeni *Matth.* granis similia, fusca, ingrati saporis. *Radix* lignosa, nigricans, minimi digiti crassitudinem interdum æquat, & tenuibus fibris donata est, perennis & singulis annis nova sarmenta, longè sub terram sese condentia proferens, antequam germinent.

Locus & Tempus Variis Pannoniæ in locis invenit Clusius & circa Viennam sylvosis montibus. Floret Junio, semen Julio maturum est.

A. 17. *Pisum marinum* Ger. *pag.* 1250. *spontaneum maritimum Anglicum* Park. *item Pisum aliud maritimum Britannicum* ejusdem. **English Sea-Pease.**

Caulibus est angulosis [triangulis] crebris geniculis interceptis, humi procumbentibus, ramosis; binis ad singulos articulos & ramulorum exortus appositis *foliis*, è quorum medio (ut cum Clusio loquar) ala extenditur quinis aut senis pinnularum viridium, subrotundarum paribus, mediæ costæ adnexis composita, extremâ ala in capreolos abeunte. *Flores* propè summos ramulos octo aut decem simul juncti in eodem surculo seu pediculo communi, è foliorum sinu egresso, ut in reliquis Leguminibus, dilutè rubri, cúmque omnino aperti sunt in medio pallidè cœrulei, quos sequuntur totidem *siliquæ*, breviores & minores quàm in Piso vulgari, octo aut decem interdum *semina* continentes, hilo albo ad dimidiam ferè partem semicirculi in modum cincta, per maturitatem olivacei fere coloris, aut paulo obscurioris, Piso albo vulgari minora, non tamen rotunda, sed nonnihil angulosa & inæqualia, sapore amaro, uti est & tota Planta.

Radix

Radix inter filices & lapillos in maris litore aggeſtos ad ulnæ altitudinem ſe inſinuat, donec ad arenam uſque penetret, ibidémque longè latéque vagatur fibris tenuibus longiſſimis, quibus immenſum ſe propagat, locum idoneum nacta. Superficies quotannis emoritur, radice ſuperſtite. Semine ſata etiam in hortis haud difficulter provenit, & feliciter adoleſcit, ut ipſe expertus ſum, quicquid repugnat Parkinſonus. *Locus.*

Refert *Geſnerus* lib. de *Aquatilibus* 4. p. 256, ex Epiſtolis *D. Caii*, & poſt eum *Joan. Stow* in Chronico ſuo, litoris Aldeburgici & Orfordienſis accolas, tenuioris conditionis homines in magna annonæ caritate, quæ contigit Anno 1555. piſis hiſce ſe ſuóſque ſuſtentâſſe. Quæ [verba ſunt Geſneri] ſaxis inſidentia (mirabile dictu) nullâ terrâ circumfuſa Autumnali tempore ſponte nata ſunt, adeò magnâ copiâ, ut ſufficerent vel millibus hominum.

Quòd Piſa hæc miraculo quodam ad ſublevandam inediam tunc primùm enata ſint mihi vix perſuaſerint, quòd ſolito copioſior fuerit eo anno illorum proventus non abnuerim. Proculdubio enim tam hic, quàm alibi, conſimilibus in locis multis antea ſeculis extiterunt, quamvis in uſum non fuerint recepta: Et certè niſi urgente fame & in melioris alimenti inopia, ob amarorem nemo illis libenter veſceretur, cùm etiamnum ab hominibus ſint neglecta, quamvis locus eorum nunc ſatis notus ſit, & ubertim quotannis proveniant: quin & ab Avibus ipſis plerunque intacta manent, quamvis in nudis ſilicum & lapillorum cumulis marini æſtûs impetu aggeſtis eorum viſui expoſita ſint.

Camdenus autem noſter aliíque à ſcopo nimiùm aberrant, cùm Piſa hæc ſeminibus è naufragiorum reliquiis in litus fortè fortuna vi tempeſtatis aut æſtu maris ejectis tunc temporis orta ſuſpicantur; cùm ſint radicibus prælongis, perpetuis, fructu minore, amariore, & ut verbo abſolvam, totâ facie à Piſis ſativis cujuſcunque generis diverſa.

J. Bauhinus Piſi ſylveſtris titulo hanc ſpeciem intelligere videtur, quamvis eam cum Piſo ſylveſtri Pannonico perperam confundat. Folia rectè Capparum foliis ſimilia, modo leviter acuminata, obliquis venis ſtriata eſſe ſcribit, reliqua etiam deſcriptio benè convenit.

In crepidine ſeu aggere illo è lapillis & ſilicibus æſtûs marini impetu coacervatis compoſito, qui ab Aldeburgo Suffolciæ oppido in longum ad Orfordiam ferè uſque procurrit, portúmque Orfordienſem ab Oceano dividit, copioſè provenit; invenimus etiam non longè ab *Haſtings* Suſſexiæ portu, & alibi in maris litore ſaxoſo, ſed rariùs.

Piſa cujuſcunque generis flatulenta ſunt, ideóque Turnerus omnibus quotquot ventriculum habent aut lienem flatibus obnoxium nimium earum uſum quacunque ratione præparatorum fugiendum ſuadet, niſi addatur Aniſum, aut Cyminum, aut Mentha, aut aliud aliquid ἄφυσον. *Vires & Uſus.*

Piſa alba & hortenſia, viridia adhuc, antequam plenam maturitatem adepta ſunt, in aqua cocta, & deinde butyro condita æſtivo tempore delicatiſſimum noſtratibus habentur ferculum, & nobilium menſis præocia & verna inferuntur; nec valde flatulenta ſunt. Dodonæus medium quodammodo locum obtinere ait inter ea quæ boni ac pravi ſunt ſucci; multum ac parùm nutriunt; facilè ac difficilè concoquuntur; tardè & citò deſcendunt; flatulenta ſunt & flatûs expertia:

Eadem ſicca tempore Quadrageſimali juſculis incoquuntur, & ex iiſdem pultes fiunt, vulgo & etiam ditioribus acceptæ. Verum ſicca nobis multò flatulentiora videntur quàm viridia & recentia, palato & ventriculo delicatiorum minùs grata.

Scholæ Salernitanæ Piſa

Sunt inflativa cum pellibus atque nociva;
Pellibus ablatis ſunt bona Piſa ſatis.

Piſa nigricantia cum Avena mixta à noſtratibus pro equorum pabulo uſurpantur; in frequentiſſimo etiam uſu ſunt ad porcos ſaginandos. Dodonæus totâ ſubſtantiâ quandam cum Fabis ſimilitudinem habere ſcribit, duobus ab eiſdem differre, tum quòd non æquè ac Fabæ ſunt flatulentæ, tum etiam quod detergendi facultatem non habent, ideóque ſegniùs quàm illæ per alvum ſecedunt.

Piſa viridia cruda comeſta in Scorbuto à piſcium & carnium ſalitorum eſu contracto inter navigandum, ſummopere commendantur.

Mart. Rulandus, referente J. Bauhino, in Balnear. Lib. 1. Claſ. 3. c. 1. ad Scabiem, lepram, ulcera, & omnia cutis vitia balneo utitur ſæpius experto ex Piſis cum foliis Quercûs in aqua fluviali decoctis.

Cap. III.

De Lathyro.

ΛΑ'θυρ☉ q. λάθυρ☉ dicitur, quòd Venerem maximè excitet, à λα particula augmentiva, & θῦρ☉, quod ſignificat ἀφροδισιαςὴς, ὁρμητικός· *J. Bod. à Stapel.* At nobis non arridet illud etymon.

Lathyri notæ genericæ ſunt caules membranulis ſecundùm longitudinem extantibus aucti, compreſſi & anguloſi. Folia ex unica tantum pinnarum mediæ coſtæ annexarum conjugatione compoſita.

1. *Lathyri majoris species flore rubente & albido minore dumetorum, sive Germanicum* J. B. *Lathyrus sylvestris* Dod. *Lathyrus angustifolius* Clus. *ex sententia* J. B. *Lathyrus syl. major* C. B. *Lath. sylv. Dodonæi* Park.

J. B.

Lathyro huic longissima sunt *flagella*, ad cubitos aliquot porrecta, angulosa & membranulis aucta, in varios ramos divisa: *Folia* ex pediculis palmo longioribus, longa, venosa & acuta, bina juncta, pediculo inter utrumque in capreolos abeunte, proxima fulcra amplexantes. *Flores* longis hærent pediculis, Pisorum æmuli, rubentes, minores quàm Narbonensis Lathyri. *Siliquæ* rubræ, angustæ, pænè rotundæ, grana continent minora quàm Viciæ sativæ, nigricantia rugosa nonnihil & maculosa. Hilus mediam partem seminis occupat: Sapor leguminosus. *Radix* subest perennis, longa, digito crassior, singulis annis germinans. Eadem est (ni fallor) quam reperi colore partim albo ac nonnihil ex luteo pallido.

Locus. In dumetis & sepibus variis Germaniæ in locis reperit J. Bauhinus, quæ apud ipsum vide. Nos propè maximum Carthusianorum cœnobium: quin & in Angliæ Sussexia, ni multum fallor, propè pagum rusticum *Poynings* dictum: item in Comitatu Cantabrigiensi propè *Castle-Campes* vicum ad sepes juxta viam publicam quæ Bartloviam ducit, observante *D. Dale*.

Aves hujus semina perquirunt, & siliquas perforant ut ea devorent.

A. 2. *Lathyrus major latifolius* Ger. emac. *major perennis* Park. *latifolius* C. B. *major latifolia, flore majore purpureo speciosior* J. B. *Clymenum* Matth. Pease everlasting.

J. B.

Lathyro præcedente omnibus partibus speciosior est, membraneis alis venosis secundùm *caules* prolixos aptis: *Folia* bina, nervosa, rigidiora, in obtusum mucronem desinentia, unciam circiter lata, pediculo membraneo in cirros facessente adnectuntur. *Flores* singulari appendice, dodrantali interdum, nituntur, multi juncti, magni, purpurei, & colore grati [addit Parkinsonus & odore] quos sequuntur *siliquæ*, uncias tres longæ aut etiam majores, vix semunciam latæ, nonnihil compressæ, *semina* parva, quàm Viciæ minora, rotunda, nigricantia continentes, & ut vult Gerardus, saporis amari.

Locus. In sylvis apud nos invenitur, sed rariùs. Occurrit etiam in agro Monspeliano.

3. *Lathyrus major Narbonensis angustifolius* J. B. *Lathyrus angustifolius* Park.

Foliorum angustiâ præcipuè differt à præcedente, imò hac notâ solâ, ut affirmat Camerarius. J. Bauhinus folia quaterna ad originem pediculi foliati observavit, quorum duo majora & alia duo minora; quæ tamen in ramulo quem habemus sicco non cernuntur. Possent proculdubio & aliæ differentiæ observari si quis plantas diligenter inter se conferre voluerit, nam tanta est in foliis differentia, ut vel sola sufficiat ad diversitatem specificam, ut vocant, arguendam.

Morisonus Lathyrum sylvestrem majorem *C. B.* hujus synonymum facit, quàm rectè ipse viderit. Fortè tamen hic fuerit quem Clusius in Francofurtensi agro observatum *Lathyrum sylvestrem angustifolium* appellat; quem tamen nos cum J. Bauhino ad primam speciem retulimus.

Locus. Circa Monspelium variis in locis observavimus. V. *Botan. Monsp.*

A. 4. *Lathyrus luteus sylvestris dumetorum* J. B. *sylvestris flore luteo* Park. Ger. emac. *sylv. luteus foliis Viciæ* C. B. Tare everlasting. Common yellow bastard-Vetch.

J. B.

Ex *radice* repente, vivaci, angulosis fistulosisque flagellis latè se propagat, infirmis tamen & humi provolutis ni sustineatur, bicubitalibus & altioribus. *Folia* quædam calamos pinnatis alis amplectuntur, alia extremis adnatorum insident, bina opposita, ut Lathyro siliquâ hirsutâ, vel Cicerculæ, breviora; inter quæ tortiles capreoli enascuntur. *Flores* cæteris Lathyris similes, ex longis pediculis, parvi, lutei. *Siliquæ* succedunt glabræ, quæ maturæ nigræ, striatæ, interdum nonnihil incurvæ; *Semina* parva sex vel septem, pænè rotunda, lucida, non variegata, sublutea.

Locus. In dumetis & sepibus passim luxuriat, non rarò etiam in pratis & pascuis.

* 5. *Lathyrus luteus latifolius* Botan. Monsp. *Lathyri species lutea* J. B. *An Lath. arvensis annuus luteus, siliquis hirsutis* Moris?

J. B.

Folia habet bina, oblonga, ex quorum medio capreolus in aliquot partes supernè divisus prosilit: *Flosculus* luteus à præcedente diversus, cui flores sunt simul in uno pediculo juncti. *Folia* etiam sunt minora, & tota planta multo major ramosiórque, quatenus hucusque observare potuit J. Bauhinus.

In horto Frid. Meier J. Bauhino visa est. Pediculi flores ochroleucos sustinentes in Morisoni planta longi sunt, sesquipedales aliquando, vulgò palmares: *siliquæ* longæ, asperæ.

Locus. In satis circa Salenovam non longe à Monspelio & alibi Aprili & Maio mensibus cum flore occurrit.

6. *Chamæbalanus*

6. *Chamæbalanus leguminosa* J. B. *Lathyrus arvensis repens tuberosus* C. B. *Lath. arvens. sive Terræ glandes* Park. *Terræ glandes* Dod. Lob. Ger. Pease-Earthnut.

J. B.

Ex radicis argumento Chamæbalanon, quasi terrestrem glandem dicas, denominarunt; siquidem ex filis tenuibus, longissimis pendulæ subsunt glandes, crassiusculæ, oblongæ, pulpâ candidâ, dulci, nonnisi alta fossione inveniendæ; unde infirmi emergunt *coliculi*, sed longi, cubitales vel majores, ramosi, humi procumbentes: in quibus observare est bina ferè *folia*, ex adverso sita, Viciæ similia, unciam circiter longa, obtusiore mucrone, reliquo pediculo in capreolos abeunte. *Flores* leguminosi, Pisi, plures congesti privato inhærent surculo, purpurei & odorati, *siliquas* relinquentes parvas, oblongas, compressas, *semina* claudentes quatuor aut quinque, rotunda, compressa.

Non eget prolixa descriptione hæc planta, siquidem radicibus suis tuberosis, esculentis, ab aliis Lathyris abundè distinguitur.

In agris inter segetes frequentissimè reperitur in regionibus transmarinis. Observavimus in Brabantia & circa Genevam: In Anglia, quod sciam, spontanea non occurrit. *Locus.*

* 7. *Lathyrus* ἀμφίκαρπος, *seu supra infráque terram siliquas gerens* Moris.

Moris.

Parvula hæc Lathyri species *cauliculos* pedales per terram stratos producit: ad quorum singula genicula bina exeunt *foliola*, angusta, mucronata, atque ex alis inter cauliculos & folia protruduntur capreoli curti, & petioli breves itidem, sustinentes *flores* dilutè rubicundos, papilionaceos, quibus succedunt *siliquæ* unciales, duplici membranaceâ alâ in prona parte cinctæ, Lathyri sativi in modum; ínque singulis continentur bina, aut ad summum terna *semina* rotunda. *Radice* constat satis numerosa, fibrillis juncta: atque insuper *siliquas* intra terram gerit, continentes in se *semina*, siliquarum floribus succedentium supra terram paria, Arachidnæ Theophrasti instar.

Semina Chalepo accepta à D. *Roberto Huntington*: Provenit in Asia Syriâque sponte. Floret apud nos Augusto & Septembri; Octobri maturantur semina. *Locus & Tempus.*

Huic affinis & fortasse eadem est,

Araco similis planta ex Hisp. missa Bod. à Stapel.

Infra supráque terram *siliquam* fert parvam, sed magnitudine & formâ æqualem, in qua semen rotundum, unicum, colore foris obsoleto sive nigricante, intus ex luteo albicante. *Cauliculos* statim è radice emittit plures quincunciales aut paullo majores, tenues, humi procumbentes. *Foliola* è caulium geniculis exeunt glabra, angusta, parva, in mucronem desinentia Araco sive Ciceræ *Dod.* non dissimilia, sed minora, bina uni insistentia, inter quæ medius hæret capreolus. *Flores* purpurei.

Seminibus in singulis siliquis singulis à præcedente differt.

* 8. *Lathyrus Bæticus flore luteo* Park. *Lathyrus æstivus flore luteo* Ger. emac. App.

Mor. Park.

Caules profert ternos aut quaternos, ulnam excedentes, binis alis membranaceis auctos aliorum more: quin & bina *foliola* brevia, latiuscula, ad exortum pediculi folia sustinentis bina angusta, longa, qui deinde in capreolos abit. *Flores* fert luteos, venis purpureis distinctos: quibus succedunt *siliquæ* longæ, plures simul junctæ, *semina* continentes rotunda, aspera & velut reticulata, sena aut plura. Adde ex *Gerardo emac.* *Folia* bina minutissima, hinc indè unum, cauli apposita ad exortum pediculorum foliorum, quæ angustissima sunt, tres uncias longa: *Flores* parvos esse; *siliquas* glabras, teretiusculas, biunciales: *semina* arenæ colore obscuriore.

* 9. *Lathyrus arvensis siliquis Pisi minoris* Moris.

Moris.

Hæc parvula & annua Lathyri species convenit in reliquis cum antedictis; solâ siliquâ curtâ cylindracea ad instar Pisi minoris ab illis differt & distingui potest.

* 10. *Lathyrus angustifolius leptomacrolobus, semine rotundo, flore rubello* Moris.

Moris.

Folia gerit angusta, longa & quasi graminea; *Caules* exserit pedales & sesquipedales, procumbentes, è quorum sinubus oriuntur pediculi triunciales, sustinentes *flores* minores, papilionaceos, eleganter rubellos, obsoleti veluti coloris, nunc singulos, nunc binos; quorum singulis succedit *siliqua* tenuis, rotunda, longa, triuncialis, sequentis siliquâ tum longior, tum crassior: in singulis continentur *semina* novena, dena, rotunda, parvula, Viciæ sylvestris more. *Radice* constat tenui, gracili, quotannis pereunte.

Provenit inter segetes copiosè circa Blæsas: floret Junio, & semina maturantur Augusto. *Locus & Tempus,*

* 11. *Lathyrus angustifolius, leptomacrolobus, semine anguloso, flore cæruleo* Moris.

Moris.

Folia edit quàm præcedentis angustiora, graminea pariter, sed omnino tenuiora. *Florem* fert parvum, papilionaceum, cœruleum, præcedentis minorem: cui succedit *siliqua* angulosa, brevior & tenuior quàm præcedentis, continens septena, octona, minuta pariter, angulosa, & quasi triquetra *semina*.

Floret

Locus. Floret promiscuè cum præcedenti mense Julio inter segetes eundo Blæsis ad villam Domini *de la Noue.*

A. 12. *Lathyrus siliquâ hirsutâ* J. B. **Rough-codded Chichling.** *An Lath. angustif. sil. hirsutâ* C. B?

J. B.

Radice est singulari, tenui, annua: angulosi *caules* cubito longiores sunt: *folia* bina Lathyri flore rubro albive: at *florum* purpurascentium pediculi longi sunt, sesquipalmares aliquando, licet & vix palmares interdum existant, in quorum fastigiis plures dispositi *flores*, qui delapsi *siliquas* relinquunt, breviores & latiores quam in majore Germanico, sesquiunciam ferè longas, non totam semunciam latas, hirsutas, asperas, *semina* comprehendentes majoris Germanici seminibus similia, minora, ruffa, vel nigricantia, rotunda, superficie crispa.

Locus. Circa agrorum limites in *Hockley, Ralegh* & alibi sponte nascentem invenimus in Essexia: necnon in transmarinis propè Genevam inter segetes.

13. *Lathyrus sativus flore fructúque albo* C. B. *Lathyrus anguloso semine* J. B. *Cicercula sive Lathyrus sativus flore albo* Park. *angustifolius flore albo* Ger. emac. **Manured Chichling.**

J. B.

Angulosis, prolixis satis *caulibus* præditus, in ramos multos divisis. *Folia* pediculo hærent latiusculo, duabus ad exortum appendicibus caulem amplectentibus: sunt ea verò gemina, oblonga, acuminata, glabra, striata, inter quæ prosiliens pediculi reliquum in tortiles abit *claviculas*, quibus proxima apprehendit. Ex pinnatarum appendicum sinu pediculi exeunt singulares, *florem* gerentes unicum, majusculum, album; quem excipit *siliqua* lata, compressa, duabus membranulis extantibus aversâ parte secundùm longitudinem alata, semina claudens angulosa, candida: *Radix* fibrosa, gracilis.

Locus. Circa Genevam in agris copiosè seritur; & etiam in Germania.

14. *Lathyrus sativus flore purpureo* C. B. *angustifolius flore purpureo* Ger. emac. *Lath. flore rubro* J. B. *Cicercula flore purp.* Park.

Dod.

Flores habet ex rubra purpura in puniceum inclinantes: grana angulosa, obsoleta nigróque proxima. *C. B.* cætero præcedenti similis.

Hic est, ni fallor, Lathyrus æstivus Bæticus flore cæruleo Boelii *Ger. emac. App.*

* 15. *Lathyrus angustifolius semine maculoso* C. B. *Lathyrus quædam, quibusdam Ægyptia Aracus* J. B. *Lath. Ægyptiacus* Ger. emac. *Cicercula Bætica & Ægyptiaca Clusii* Park.

J. B.

Lathyro albo similis est, infirmus, clavicularum ope bacillis juxta depactis sese implicans; *caulibus* angulosis, quibus membranulæ secundùm longitudinem adnatæ: *foliis* culmum latis, acuminatis, crassiusculo pediculo adnexis, binis, striatis, inter quæ capreoli oriuntur: ad basin autem pediculi duæ veluti alæ, & *flores* ex longo petiolo inflexo singulares insident Pisi floribus æquales, supremo folio lato sursum expanso, foris carneo, intus cœruleo, exceptâ infimâ ora rubente, colore prædito, alis duabus foris coccineis, maculâ cœruleâ medium pingente, intus cœruleis exceptâ angustâ purpurascente orbitâ, carina ex herbaceo albicat. *Siliquæ* latæ, sescunciam longæ, compressæ nonnihil, insigni sulco fimbriato altiùs exaratæ, *semina* continent bina vel terna, magnitudine Lathyri albi angulosi, ac ferè quadrata, à crassiori latere ad oppositum devexa, & in angustum compressa, coloris fusci, minutissimis maculis anthracinis conspersa, gustu Pisorum dulcescente, & dentium attritu substantiâ qualis Pisorum æquabili.

Locus. Reperitur non in Ægypto tantùm sed & Hispania.

* 16. *Lathyrus folio tenuiore floribus rubris* J. B. *angustissimo sive capillaceo folio* C. B. prod. *An Lath. major angustissimo folio* Park? *angustifolius brachyplatolobus flore rubello* Moris.

J. B.

Hæc aliàs est cubitalis, aliàs vix palmaris, *radice* tenui, fibrosa: *Coliculi* crebri, per quos *folia* tenuissima, longa, Caryophylli holostei vel graminis. *Flores* rubri pro plantæ proportione magni, similes Lathyro flore rubro, cui forte eadem est, foliis tantùm ludens. *Siliquæ* latæ sunt, *semina* continentes tria quatuórve, Orobi existimati magnitudine, pæne rotunda, asperata, fuscis maculis obsita, hilo lineis fuscis picto.

Locus. Quà itur Monspelio Frontignanum invenit J. Bauhinus siccis & sylvestribus locis Aprili mense florentem. Hujus descriptionem Parkinsonianam vide in fine hujus capitis inter Lathyros Parkinson.

17. *Lathyrus flore coccineo. An Cicercula flore rubente* Park? *Lath. Bæticus miniatus Boelii?*

Hic inter segetes nobis inventus circa Genevam, atque etiam circa Liburnum portum in Italia, *cauliculis* assurgit semipedalibus, erectioribus ferè quàm aliorum, *foliis* vestitis in oblongo pediculo binis oppositis, angustis, acutis, unciali aut sescunciali longitudine: Ad exortum pediculi bina apponuntur foliola, pro plantæ magnitudine majora latioraque quàm aliis plerisque Lathyris. *Flores* è foliorum sinubus exeunt in pediculis uncialibus aut longioribus, tenuibus singulares, coccinei. *Siliquas* non observavimus.

Lathyri Bætici miniati Boelii descriptionem accuratam vide inter Lathyros Parkinsonianos, à Johnsono elaboratam, & à nobis Latinam factam ex Appendice ad Gerardum emaculatum, huc translatam.

Præter

Præter hunc & alium adhuc observavimus Lathyrum flore coccineo, foliis gramineis, ad radices montis Vesuvii propè Neapolin, in Italia: An

18. *Lathyrus angustifolius humilior Ervum Monspeliensium* C. B ?

Fortè inquit *D. Magnol* intelligit *C. B.* Lathyri speciem quam in sterilibus circa Boutonetum & in aliis sterilibus satorum marginibus habemus humilem cum foliis gramineis, venosis, & floribus phœniceis.

19. *Lathyrus Tingitanus flore amplo ruberrimo.*

Caules ex eadem radice exeunt plures, bicubitales & longiores humi procumbentes nisi adsint plantæ aut fulcimenta quæ arripiant & scandant; compressi, appendicibus duabus membranaceis secundùm longitudinem productis donati. *Folia* ut in reliquis congeneribus ad singula genicula singula, è binis pinnulis ad mediam costam annexis composita, Lathyri perennis dumetorum magnitudine & figurâ: costa cui adnectuntur pinnulæ in capreolos exit. Tum caules tum folia glauca sunt, ut in plerisque congeneribus. Ex alis foliorum exeunt surculi palmares & longiores, duos plerunque, interdum tres *flores* amplos, pulcherrimos saturo rubore & velut sanguineo tinctos sustinentes, quibus succedunt *siliquæ* tres digitos longæ, latiusculæ compressæ, læves, sex vel etiam octo *semina* continentes compressa, oblonga, pulla, obscurioribus lineis varia. Siliquæ ubi semina sunt protuberant paulum, ut in Orobo. Planta est annua & semine renovanda.

Semen hujus plantæ cum aliis rarioribus D. *Alexander Balam* primus, quod sciam, à Tingi Africæ urbe in Angliam intulit.

Cap. IV.

Lathyri Parkinsoniani, quorum nonnulli Johnsono etiam descripti sunt in Appendice ad Gerardumemaculatum.

1. *Lathyrus annuus major Bæticus.* Park.

Park.

DUos trésve *cauliculos* producit, bicubitales, compressos, membranulis secundùm longitudinem excurrentibus utrinque veluti alatos: ad quorum genicula in pediculo * oblongo, in capreolos desinente *folia* bina adversa, modicè lata & oblonga, & ad pediculi exortum duo minora, cauli apposita. *Flores* in pediculis oblongis quadratis singulares, saturatiore purpurâ tincti quàm Lathyri majoris perennis flores, verum minores; quibus succedunt *siliquæ* longæ, pallidæ, Lathyri prædicti similes, uti sunt & semina.

* *Unciali.*

Radix neque altè in terram descendit, neque in crassitudinem excrescit, sed quotannis emoritur.

2. *Lathyrus major siliquâ brevi* Park.

A Lathyro annuo siliquis Orobi nascendi modo parùm differt; Floris duntaxat petalum exterius seu erectum albicat, interiora seu lateralia purpurascunt: quæ sequuntur *siliquæ* breves sunt & crassæ, *semina* continentes parva, rotunda, nigricantia.

3. *Lathyrus minor siliqua brevi* Park.

Hic à præcedente parvitate sua præcipuè differt, & quòd *siliquæ* ejus subasperæ sunt. Alium adhuc minorem habemus siliquâ longiore & angustiore.

4. *Lathyrus major angustissimo folio* Park. *An Lathyrus major angustissimo folio* C. B. prod?

Caulis hujus tenuis est & infirmus; *folia* longa gramineis angustiora, bina & interdum terna simul. *Flores* in singulis pediculis singuli, cœrulo-purpurei, & interdum rubentes. *Semina* parva nigricantia *siliquis* parvis extremitatibus incurvis contenta.

Hunc eundem esse existimat Lathyro majori angustissimo folio C. Bauhino in Prodromo descripto: cujus descriptionem superiùs positam vide.

5. *Lathyrus palustris Lusitanicus* Park. *palust. Lusitanicus Boelii* Ger. emac. App.

Hic initio parum admodum à prima specie differt. *Flores* plerunque bini in eodem pediculo; petalo exteriore splendente purpurâ tincto, mediis pallidioribus: *Siliquæ* graciliores quàm primæ speciei, & longitudine pares, colore pallidi, *semina* intus continentes septem aut octo, parva, ante maturitatem incana & nigris maculis notata, per siccitatem nigricantia. Caules, folia, siliquæ earúmque pediculi nonnihil pilosa sunt & hirsuta.

6. *Lathyrus*

6. *Lathyrus minor angustissimo folio* Park.

Hic præcedente omnibus sui partibus minor est, infirmior & tenerior: *Folia* tenuitate, angustiâ & longitudine Fœniculaceis paria: *Flores* pallidè rubent. *Siliquæ* & *semina* præcedentis similia.

7. *Lathyrus æstivus flore miniato* Ger. emac. App. *Cicercula flore rubente* Park. *Lathyrus Bæticus miniatus Boelii.*

Cicerculæ sive potiùs Lathyro Ægyptiaco *Clus.* in omnibus ferè similis est, nisi quòd folia huic angustiora & longiora sint; *flores* colore Aurantii mali sordidiore; quos excipiunt *siliquæ* breves, teretes, *seminibus* fuscis, angulosis repletæ.

Omnes hæ Lathyri species Parkinsono enatæ sunt ex seminibus à Gulielmo Boelio ex Hispania delatis, exceptâ duntaxat antepenultimâ cujus semina ipse invenit Anisi seminibus mixta, dum ea repurgaret.

Ultimam speciem sic describit Johnsonus in Appendice ad Gerardum suum emaculatum: *Caulibus* & *foliis* Lathyridi latiore folio *Lob.* similis est, sed multò minor, bicubitalem longitudinem non attingens: *foliola* pariter obtinet exigua, acuminata, caulibus adnascentia bina ad exortum pediculi semuncialis compressi, folia sustinentis bina, tres uncias longa, & in capreolos desinentis. *Flores* minii colore minùs splendido tincti, singuli in singulis pediculis, brevibus, glabris: *Siliquæ* Pisi vulg. arvensis similes sed minores, sescunciales, semina quatuor, quinque, vel sex, angulosa, colore sabuli aut obscurè luteo, Pisorum magnitudine & sapore, continentes.

Præter descriptas alias adhuc duas species nobis ignotas, nec scio an à quoquam descriptas memorat & C. Bauhinus in Pinace, nimirum

1. Lathyrum angustissimo folio, Americanum variegatum, quem Orobi Americani nomine in horto suo crevisse refert.

2. Lathyrum peregrinum foliis Viciæ, flore subcœruleo, pallidéve purpurascente: eundem fortè cum Cicercula nostra Messanensi. Hic etiam Bauhino in horto suo crevit.

CAP. V.

De Lathyro viciæformi, seu Vicia Lathyroide.

1. *Lathyrus annuus siliquis Orobi* Ger. emac. *Bæticus elegans siliquis Orobi* Park. *Rectiùs ob folia pinnata, Viciæ æmula, Vicia Lathyroides diceretur.*

CAules fundit plurimos, prælongos, infirmos, humi stratos, nisi in propinquo sit quod viticulis suis arripiant, angulosos, alis membranaceis utrinque extantibus. *Folia* quæ primò emergunt & in caule inferiora simplicia sunt, angusta, oblonga, acuta, & omnino qualia Cicerculæ Messanensis nobis descriptæ; superiora alata, duabus tribúsve pinnarum conjugationibus, quæ tamen non semper sibi mutuo ex adverso respondent; media costa ut in reliquis hujus generis in capreolos exit. E foliorum alis emicant *flores*, pediculis palmaribus & longioribus, nunc singulares, nunc bini in eodem pediculo, mediæ magnitudinis, bicolores, folio erecto rubente, reliquis albis, quibus succedunt *siliquæ* oblongæ, compressæ, nodosæ seu protuberantes ubi semina sunt, velut Orobi, *semina* quinque aut sex continentes, pulla, variegata.

Locus. Bæticæ Hispaniæ Indigena est.

2. *Lathyrus seu Cicercula Messanensis. An Lathyrus viciaoides, vexillo rubro, labialibus petalis rostrum ambientibus cæruleis* Morisoni?

Radix ei simplex, tenuis. *Caules* compressi, membranacei, pedales & longiores, humi strati. *Folia* primò erumpentia minimè pinnata sunt, sed velut graminea aut Caryophyllea, foliis Erviliæ Dodonæi adeò similia, ut pro eadem planta habuerim, cùm primò è terra exiret: quæ in superiore caulis parte folia pinnata sunt uno aut altero atque etiam tertio pinnarum pari; folium deinde medium in capreolos facessit. E foliorum sinubus emergunt *flores* pediculis sescuncialibus. Color in folio erecto seu clypeo ruber intensior, inter coccineum & sanguineum medius, striatus, in reliquis purpureis dilutior. Sequuntur siliquæ duas uncias longæ, latæ, cùm nondum maturæ sunt, ductu in medio lato rubro secundùm longitudinem insignes, per maturitatem albentes, *semina* continentes tria quatuórve, fusca lineis tamen nigrioribus pulchrè variegata.

Locus. In Sicilia insula circa Messanam urbem inveni.

Eandem hanc putamus Cicerculæ sive Lathyro Bætico dumetorum *Park.* Lath. Bætico æstivo dumetorum Boelii *Ger. emac.* ex cujus descriptione adde, *Caules* membranulis secundùm longitudinem extensis auctos: *Folia* duabus tribúsve pinnulis hinc indè ad mediam costam annexis, non tamen semper ex adverso sitis constare, iísque angustis, obscuriùs virentibus, extremo subrotundis. *Flores* in eodem pediculo plerunque binos.

Vide etiam hujusce descriptionem in Appendice ad Gerardum emaculatum, ubi nonnulla invenies à nobis omissa.

A. 3. *Lathyrus Viciæformis seu Vicia Lathyroides nostras.*

Folia ex tribus aut quatuor pinnularum, medio nervo annexarum conjugationibus composita sunt; nervo in claviculas desinente. *Flores* communi pediculo prælongo è foliorum sinubus exeunte tres vel quatuor aut quinque insident ampli, purpuro-cœrulei.

Hujus ramulum ad nos attulit *Tho. Willisellus* à se inventæ in prato quodam *Peckham-field* dicto, loco squalido & aquoso non longè à *Southwark* oppido. *Locus.*

Quod ad vires attinet Lathyrus cum congeneribus convenit.

Chamæbalani leguminosæ radicibus seu Terræ glandibus per inopiam frugum pauperiores vescuntur. Sapor illis subdulcis & astringens Glandis aut Castaneæ, ac uti Castaneæ tardiùs conficiuntur difficilius, autore Dodonæo, quàm Rapam aut Pastinacam, sed alimenti tamen non minus quàm Pastinacæ subministrant, minùs quàm illæ inflant, tardiùs descendunt. Crudæ difficiliùs concoquuntur & ægriùs descendunt. Veneris incentivæ sunt: sanguinis, uteri, renum & ventris fluores compescunt. Nauseam fortasse nonnullis movent, at vomitiones minime cient ut Tragus scripsit. Vereor (inquit J. Bauhinus) ne Tragus, qui putabat hanc plantam esse Apion, sibi etiam persuaserit ejus radices & vomitiones ciere. *Vires.*

Ex hujus floribus, autore Camerario in horto, aquam destillant quidam, qui adeò rosaceam ementitur, ut pro illa non raro vendi soleat.

Cap. VI.

De Ochro sive Ervilia.

Ochrus sive Ervilia Dod. Ger. emac. *Och. sive Er. flore & fructu albo* Park. *Och. folio integro capreolos emittente* C. B. *Lathyri species quæ Ervilia sylv. Dodonæo* J. B.

J. B.

Angulosos aliarum Lathyrorum instar *caules* profert, cubitales & bicubitales, quibus, nullo intercedente pediculo, amplexicaulia adnascuntur *folia*, oblonga, priora simplicia, reliqua in capreolos abeuntia, non raro non in hos tantùm degenerantia, verùm novam foliorum sobolem è lateribus aut mucrone, jucundo naturæ lusu, parientia. *Flores* è foliorum sinu prodeuntes singulares & pediculis brevibus hærentes, ὠχροὶ, petalo erecto seu clypeo intus circa mediam partem nigris lineis striato. *Siliquæ* uncias duas longæ [nobis vix sescunciales] semunciam aut tertiam unciæ partem latæ, secundùm longitudinem pinnatæ Lathyri sativi modo, in quibus quinque aut sex plus minùs continentur pisa, melina & obscura quadam flavedine, non exactè rotunda, sed ex mutuo compressu utrinque sessilia, linea quadam albicante media longitudine prædita, quæ nihil aliud est quam hilum quo pisum pediculo suo adhæret, magnitudine Pisi albi [nobis tantillo minora fuere] cum quo magna similitudo, idem quoque sapor. Siliquæ per maturitatem ferè stramineo aut xerampelino colore sunt.

Inter segetes propè Liburnum portum in Italia spontaneum observavimus. *Locus.*

Parkinsonus alterius speciei meminit, cujus flores ad purpuram rubentem inclinant: semina obscuriora sunt & nigricantia. *Altera species.*

Cap. VII.

De Aphaca.

Aphaca quibusdam dicta videtur ab ἀ privativa & φακῆ Lente, quòd Lentem minimè referret: vel potius ab ἀ i. e. ὁμῶ & φακῆ lente, quod Lenti simillima sit.

Foliis integris, triangulis, & ex adverso binis à Piso & Lathyro distinguitur.

Aphaca Park. Ger. emac. *Vicia quæ Pitine Anguillaræ, latâ siliquâ, flore luteo* J. B. *Vicia lutea foliis Convolvuli minoris* C. B. **Yellow Vetchling.**

J. B.

Ex *radice* tenui & annua plures profert *caules* dodrantales, cubitales & sesquicubitales, angulosos, ramosos, tenues, imbecilles, nec nisi capreolorum ope, quibus se proximis circumvolvunt, humo surgentes; *Folia* ex intervallis bina opposita cauliculis sine pediculo adnascuntur, triquetra, Helxines cissampeli, lævia, tenera, striata, sursum plerumque spectantia, & caulem veluti complexa; ex quorum alis subinde rami prodeunt, foliis itidem vestiti, necnon *claviculæ* tortiles, itidemque pediculi duabus unciis longiores, quibus singulis singuli insident *flores* lutei, Lathyri lutei floribus similes, quos *siliquæ* excipiunt unciales aut sescunciales, latiusculæ, modicè falcatæ, compressæ, in quibus sex septémve *semina*, Lentibus minora, non ita compressa, sed paullo rotundiora, quæ modò nigricant, modò rubescunt, modò variegata videntur.

Inter segetes frequens est. *Locus.*

CAP. VIII.

De Vicia.

VIcia aliis à vinciendo ut Varr. de R.R. cap. 31. quòd capreolos habet ut Vitis, quibus scandit, & alias plantas vincit. At nos cum Vossio in Etymolog. Viciam à Græcis esse censemus. Nam Asianis Βίκιον vocatur, teste Galeno, lib. 1. de aliment. facult. cap. penult.

Notæ Viciæ characteristicæ quibus à reliquis leguminibus scandentibus distinguitur sunt folia minimè cæsia seu glauca, sed viridiora & plerunque hirsuta, è minoribus & pluribus pinnis composita.

1. *Vicia sylvatica maxima, Piso sylvestri similis* J. B.

J. B.

Omnium Viciarum quotquot hactenus videre licuit maxima est, multorum cubitorum, *foliis* ad Viciæ sepium folia accedentibus, multò majoribus, & Piso sylvestris respondentibus, sescuncialibus, unciam latis, modicè obtusis. *Flores* surculi cujusdam longissimi extremum occupant, numerosi, purpurascentes, subsequentibus *siliquis* pari cum Pisorum magnitudine, compressioribus, latis, glabris. *Radix* crassa, nodis intercepta, reptatrix, caulium complurium propagine fertilis, perennis.

Locus. In sylvosis in ascensu montis Salevæ, ab eo latere quod Genevam spectat: J. Bauhinus propè Tigurum & alibi in Germania invenit.

A. 2. *Vicia* Ger. *vulgaris sativa* Park. J. B. *sativa vulgaris semine nigro* C. B. Common Tare or Vetch.

J. B.

Annua est planta; caulibus cubitalibus & procerioribus, angulosis, striatis, hirsutis, cavis. *Foliorum* conjugationes decem aut duodecim, costæ adhærent, longæ, tandem in tortiles claviculas, quibus proxima arripit adminicula, desinenti, uncialia aut paullò minora, angusta, per extremum lata, hirsuta; eadem interdum alternatim rachi alligantur. Ex uniuscujusque costa *flos* aliquando enascitur unus, [interdum plures] pediculo brevi, quem *siliqua* excipit quadrantalis & longior, unciam ferè lata, hirsuta, ubi semina sunt protuberans, *semina* claudens Pisis arvensibus albis suppariа, nigricantia, compressa.

Locus. In agris seritur ubique per totam ferè Europam.

Usus ejus est apud nostrates cum Pisis & Avena mixta pro equorum pabulo. Seritur interdum seorsim & viridis in herba demetitur pro jumentorum pabulo in graminis inopia, &

Vicia pastæ distendunt ubera vaccæ.

3. *Vicia albo semine* J. B. *Vicia sativa alba* C. B. Park. *An Vicia Indica fructu albo, Pisum Indicum Gerardo* Ger. emac. App?

J. B.

Mirifico *foliorum* lusu pæne imponat alicui, veluti Proteus aliquis, ut eadem non eadem putari possit: ex his enim alia ferè rotunda, alia longa & angusta: *flos* unicus, vel geminus, multâ purpurâ pictus, brevi pediculo hærens: *Siliquæ* diversæ quoque à præcedente, seminibus copiosis (novem enim grana in una numeravi) gravidæ, albis penitus, aut subpurpureis, variis, aut virore pallentibus ad Pisorum viridium (quæ magnitudine quoque adæquant) figuram pallorémque accedentibus, à quibus tamen sejunguntur, quòd quà siliquæ adnectuntur non, ut illa, nigricant.

Locus. J. Bauhinus propè Beffordiam reperit in agro, satam cum Pisis.

Vicia Indica flore albo. Vicia Indica fructu albo *Ger.* à vulgari Vicia sativa non alia in re differt quàm quòd elatior sit, & fructum seu granum producat majus, rotundius Piso albo vulgari colore, figurâ & magnitudine simile & æquale.

At neque Viciam majorem folio cordato, flore rubro, fructu albo Pisi minoris instar *Moris.* ab hac specie differre putamus.

* 4. *Vicia sylvestris quasi incana, flore albo* J. B. *sylvestris flore albo* Ger. emac. *sylv. alba* Park. *sylv. hirsuta, incana* C. B.

Clus.

Multos ex eadem radice, quæ perennis est, profert *ramos*, teretes, striatos, pedales, etiam cubitales interdum, quos ambiunt *foliorum alæ*, quemadmodum in Vicia vulgari sativa & sylvestri, sed densiore lanugine obductæ & quasi incanæ: capreolis, quibus vicino gramini se implicat, extremam alam occupantibus. *Flores* in supernis foliorum alis terni plerunque, Viciæ vulgaris floribus persimiles, candidi coloris, superiore tamen folio obsoleti coloris venis internè distincto, inferiore folio lo ejusdem coloris. Succedunt *siliquæ* seu vaginæ planæ, (quantum videlicet ex illarum rudimentis colligere licuit) Viciæ vulgaris siliquis similes. *Radix* fibrosa est, tuberculisque, ut Leguminum pleraq; radices vivaces, [imò & non vivaces, ut Fabæ] donata.

Locus. Nascitur in arvis desertis apud *Chyztreg* oppidum in Pannonia situm; Maio mense florens.

* 5. *Vicia maritima flore albo longo* Moris. hist.

Hujus *caules* pedales sunt & sesquipedales. Ex geniculis hinc inde, aliarum Viciarum ritu, alternatim proveniunt costæ mediæ, protrudentes capreolos aliquot versus finem, atque costis singulis *folia* obtusa, quasi cordata, è regione sena adnascuntur: Inter caulem & costam exiliunt *flores* albi, longi,

longi, quibus succedunt *siliquæ* unciales, subrotundæ, continentes *semina* quina, nunc plura, nunc pauciora.

6. *Vicia luteo flore sylvestris* J. B. *sylv. lutea, siliquâ hirsutâ, nondum descripta* C. B.

J. B.

Ex una *radice* numerosi iidémque flexuosi exeunt *cauliculi*, angulosi, in alas alternatim divisi; quibus *folia* hærent Viciæ sativæ similia, dena, duodena, plus minus, quorum costa in tortilem claviculam terminatur. Alarum foliorúmque commissuris *flores* singulares ex brevissimis pediculis pendent, speciosi satis, ex luteo pallidi, quibus *siliquæ* succedunt, vulgatæ Viciæ siliquis breviores, habitiores, crassiores, latiorésque, alba hirsutie pubescentes, in quibus *semina* quaterna aut quina, fusca, maculata, aliquantùm angulosa, compressáque, sapore leguminoso.

Circa Liburnum & alibi in Italia inter segetes observavimus: J. Bauhinus circa Monspelium mense Martio & Aprili. *Locus & Tempus.*

* 7. *Vicia sylv. lutea cum galea fusca* J. B.

J. B.

In sicca inferiora labra lutea apparent. *Flores* majores quàm luteæ superiùs proximè descriptæ, bini ex brevibus pediculis juxta folium, ut in illa, *folia* verò diversa, quinque tantum conjugationes supputavi, foliola breviora, latiora, ad foliola Viciæ sepium perennis accedentia, paulò rotundiora tamen. *Siliqua* etiam quamvis nondum matura nobis videbatur, attamen ad modò dictæ Viciæ siliquam eam suo tempore accessuram colligere haud difficile fuit.

Circa Bononiam ab Agerio collecta est. *Locus.*

Ex imperfecta hac descriptione à sicco ramulo sumpta nihil certi colligi potest. Morisonus pro prioris varietate habet.

* 8. *Vicia multifolia cum siliquis latis* J. B.

J. B.

Folia huic omnino similia erant Viciæ multifloræ: Foliorum ut in illa conjugationes plurimæ, ad duodecim supputavi; angusta autem sunt & in acutum desinunt; in iis magni pili: *flores* parvi, singulares, ex brevissimis pediculis, sicci lutei apparent: *siliquæ* singulares etiam, primò valdè hirsutæ, postea minùs, sed tactu asperæ, unciâ unâ & semis breviores, & unciam semis ferè latæ, in iis grana quinque observavimus, cujus sint coloris vel magnitudinis dicere non possumus, quia immaturæ.

Ab eodem Agerio siccam accepit. In satis intra & circa lucum Gramuntium Aprili & Maio mensibus invenit D. Magnol. Flos non luteus est, prout in sicca apparuit, sed pallidè albus. *Locus.*

9. *Vicia flore obsoletè purpureo, siliquâ hirsutâ. An Aracus major Bæticus Boelii* Ger. emac. app. Park.

Totâ facie ad Viciam sativam accedit, verùm *folia* summâ parte crenata sunt. *Flores* obsoletè purpurei, umbone obscuriore seu saturatiore, ex alis foliorum singulis singuli, nullis pediculis; quibus succedunt *siliquæ* hirsutæ, breviores quàm Pisi vulgaris, non minùs tamen per maturitatem turgidæ & ferè teretes, duo aut duo ½ uncias longæ, per maturitatem nigricantes: *Semina* qualia fuerint per oblivionem aut incuriam à nobis observatum non est.

In foliis plantæ nobis descriptæ non plures quinque pinnularum mediæ costæ adnexarum conjugationes numeravimus.

Hujus semen unde habuimus jam non recordamur.

Araci Bætici *caules* cubitales & longiores: *folia* ex sex, septem aut pluribus foliolis acutis Lentis similibus mediæ costæ adnexis composita: *Semina* in singulis siliquis quaterna circiter, rariùs rotunda, plerunque nonnihil compressa & interdum angulosa, nigricantia, magnitudine Pisis sylvestribus suppariа, Viciæ sapore.

10. *Vicia sepium perennis* J. B. *maxima dumetorum* C. B. Ger. emac. Park. **Bush-Vetch.**

J. B.

Ad sepes provenit, *caule* duorum triúmve cubitorum longitudine, non admodum crasso: *foliis* non multùm à Viciæ vulgaris sativæ abludentibus, subinde tamen variantibus, in tarsum dispositis per conjugationes, quales aliquando in uno folio tredecim numeravi, quamvis soleant multò etiam paucioribus constare [in planta quam præ manibus habemus non ultra septem numeramus.] Singularia folia seu pinnulæ à Vicia sativa eo potissimùm differunt, quòd qua parte costæ adnectuntur latiora sint, indeq; sensim attenuentur in mucronem [licet & quædam rotunda satis reperiantur] minùs hirsuta, sapore fatuo, viscido. *Flores* unico pediculo rubenti hærent plures, ad sex usque, è calice purpureo exeuntes, unicolores, non bicolores, ut in Vicia sativa & sylvestri vulgatiori, quanquam intensionem quandam & remissionem coloris in partibus floris est observare, siquidem folia ejus inferiora saturatiore purpurâ tincta sunt & pænè nigricant, superiora dilutiùs purpurascunt [in nostrate hanc coloris differentiam non est observare, sed omnia folia ejusdem sunt coloris, saturatioribus lineis obscuriùs striata.] *Siliquarum* insigne discrimen, tam fœlicem sci. florum ubertatem una duntaxat aut altera, [interdum tres] siliquæ excipiunt, minores multóque breviores, latiusculæ interim & compressæ, glabræ, non ut sativæ hirsutæ, per maturitatem nigræ, præque nigredine pæne lucentes, *semina* claudentes Pisi sapore, medullâ luteâ, formâ variâ, modò longiora, interdum susque deque aut altrinsecus compressa, non exactè rotunda, plusquam dimidio sui siliquæ adhærescentia, intercedente apophysi longissimâ, ut in Lathyro minore, minora quàm Viciarum sativarum, coloris albi punctulis discursantibus. *Radix* perennis, reptatrix, Aristolochiæ clematis instar, tenuior tamen, & fibris multo minoribus, dulce quid [aliorum leguminum de more] resipiens.

In sepibus & dumetis Maio mense florens ubique reperitur. *Locus.*

11. *Vicia sylvestris sive Cracca major* Ger. *Aracus seu Cracca major* Park. *Vicia vulgaris sylvestris semine parvo & nigro frugum* J. B. *Vicia semine rotundo nigro* C. B. Strangle Tare or Wild Vetch.

Radix ei nunc simplex, nunc ramosa, *caules* emittit plures, infirmos, humi procumbentes nisi quando capreolis suis vicinis stirpibus se alligant, dodrantales aut pedales. *Folia* ut in Vicia sativa hirsuta, angustiora tamen, nec in extremitate adeò obtusa, paucioribus etiam conjugationibus ad eandem costam adnexis [sex ad summum] composita. *Flores* ad singulas foliorum alas singuli, in lætiore solo bini ternive, hilari purpurâ nitentes, non bicolores ut in Sativa, pediculis brevibus aut nullis hærentes. Succedunt *siliquæ* longæ, graciles, teretiusculæ, per maturitatem nigræ, *seminibus* parvis, rotundis, viciæ sativæ triplo ferè minoribus, copiosis (ad decem aut duodecim eximere memini) repletæ. Color seminum non penitus niger (ut volunt Botanici) sed ex pallidè viridi & nigro varius.

Tempus & Locus. Vere floret & per totam deinde æstatem. Ad sepes & in aggeribus, locis præsertim arenosis, sæpius provenit apud nos quàm in arvis & cultis: imo verò in pascuis arenosis non rarò invenitur. Hinc & quia semen non perfectè nigrum est, aliquando dubitavimus, an hæc planta sit *Cracca major* Botanicorum nécne, necdum planè nobis satisfactum est, putamus tamen eandem esse.

12. *Vicia angustifolia purpuro-violacea siliquâ latâ, glabrâ* Botan. Monsp.

Magn.

Folia multa habet, oblonga & angusta, obtusa, *florem* magnum, purpuro-violaceum, cui succedit *siliqua* sescuncialis longitudinis, semuncialis latitudinis, glabra.

Hæc est (inquit) proculdubio quam invenit J. B. ut dicit cap. de *Vicia vulgari sylv.* inter saxa mense Aprili, quà itur Frontignanam foliis angustissimis, flore pulchro purpureo: ego ad præcedentem potiùs retulerim Viciam illam J. B. quin ni siliquarum latitudo obstaret hanc illi eandem dicerem.

13. *Vicia sylvestris flore fusco.*

Hanc in Sicilia invenimus ad pedem montis Ætnæ.

14. *Aracus minor Lusitanicus* Park. *Legumen pallidum Ulyssipponense Nonii Brandonii* Ger. emac. App.

Caulibus, foliis, siliquis Araco majori Bætico similis est, verùm minor, minúsque aut potiùs non omnino pilosa: *Flores* pallide lutei: *Siliquæ* minores, glabræ: *Semina* minora.

A. 15. *Vicia segetum cum siliquis plurimis hirsutis* C. B. *Vic. parva sive Cracca minor cum multis siliquis hirsutis* J. B. *Vic. sylvestris sive Cracca minima* Ger. emac. Small wild Tare or fine Tare. *Aracus sive Cracca minor* Park.

J. B.

E *radice* exili & tenui quadrati, tenues & infirmi exeunt *cauliculi*, dodrantales & longiores, importuna alarum ubertate luxuriantes. *Folia* Lentis foliis paria, lævia, pinnata, rarò sibi mutuò respondentia, ad medium nervum adnexa, ad octo aut novem paria, qui in tortiles capreolos variè partitos facessens, segetem infesto complexu arripit & strangulat. E foliorum alis hinc indè enatis pediculis *flosculi* insident racematim, septem aut octo interdum, eodem spectantes, pusilli, dilutè cœrulei, quos *siliquæ* excipiunt semunciales, hirsutæ, quarum singulis bina *grana* insunt, rotunda, nigricantia, Rapistri vulgaris majora.

Locus. Inter segetes nimis frequens.

* 16. *Vicia pratensis verna seu præcox Soloniensis, semine cubico seu hexaedron referente* Moris. hist.

Moris.

Florem fert exiguum, rubentem, papilionaceum, ex singulis geniculis ortum; atque singulis floribus singulæ succedunt *siliquæ*, curtæ, tenues, pollicares: in quarum singulis continentur *semina* angulosa, minuta, terna aut quaterna, hexaedrum referentia.

Præcocitate & tenuitate partium, denique seminibus cubicis à cæteris Viciis nullo negotio distinguitur.

Locus. Sub exitum hyemis in pratis neglectis & minimè herbidis, contra regiam *Chambort* in agro Soloniensi intra septa ejusdem nominis sitam viget.

A. 17. *Viciæ sive Craccæ minimæ species cum siliquis glabris* J. B. *An Vicia segetum singularibus siliquis glabris* C. B. Fine Tare with smooth pods.

Præcedente minor est & tenerior, tota glabra, *foliis* longioribus & angustioribus, paucioribus ad mediam costam, quæ in capreolos facessit. Pediculo tenuissimo, longo ex foliorum alis exeunte, innascitur *flos* unicus, sæpe vel duo, vel tres, majores quàm * præcedentis, pallidè cœrulei lineis purpureis saturatioribus striati; quibus succedunt *siliquæ* glabræ, nonnihil compressæ, semina tria quatuórve continentes.

* *Viciæ cum siliquis plurimis hirsutis.*

Locus. Inter segetes, non rarò & in sylvis locis humidioribus oritur.

* 18. *Viciæ*

* 18. *Viciæ parvum genus folio longo* J. B.

J. B.
Cubitalem, Monspelio allatum dedit ramum frater C. Bauhinus angulosum, foliis alatis, costâ in capreolos facessente; singularia folia sescuncialia & duarum unciarum, graminea, vix culmum lata, in acumen desinentia. *Flosculi* longo surculo peculiari hærent, multi, oblongi. Sequuntur siliquæ Craccæ minores, nonnihil longiores.

Circa Monspelium in plurimis siccioribus satorum marginibus occurrit. *Bot. Monsp.* *Locus.*

A. 19. *Vicia multiflora* C. B. Ger. *sylvestris multiflora sive spicata* Park. *multiflora nemorensis perennis seu dumetorum* J. B. *Sylvestris spicata* C. B. **Tufted Vetches.**

Radices huic longæ, tenues. *Caules* cubitales aut bicubitales, ramosi, infirmi, ut hujus generis omnium, striati, brevi lanugine hirsuti. *Folia* componuntur è plurimis pinnularum conjugationibus ad mediam costam quæ in capreolos desinit, annexis. Sunt autem pinnulæ longitudine digitali, angustæ, utrinque hirsutæ, obscurè virides, mucronibus acutis. E foliorum sinubus exeunt spicæ prælongæ florum purpurascentium longiusculorum, deorsum dependentium, quibus succedunt *siliquæ* unciales, latiusculæ, deorsum dependentes, *semina* continentes subrotunda, per maturitatem nigra, Lentis magnitudine, tria aut quatuor in eadem siliqua.

In dumetis & sepibus, non rarò etiam in pratis æstate floret. Floribus deorsum dependentibus cum Galega convenit, unde nonnullis Galega sylvestris dicitur. C. Bauhinus ex una specie ni multùm fallimur duas, imo tres facit. Sunt enim ex sententia fratris Vicia ejus multiflora h. e. Galega sylvest. *Dod.* & Vicia sylv. spicata, i. e. sylvestris secunda *Clus.* una & eadem Viciæ species: nec diversa videtur Vicia Onobrychidis flore ejusdem *C. Bauhini*, ut & D. Magnol arbitratur. *Locus.*

A. 20. *Vicia sylvestris multiflora maxima.* **The great tufted Wood-Vetch.** *Vicia perennis multiflora spicata major* Moris. hist.

Hæc præcedenti persimilis est sed elatior & ramosior; *foliis* latioribus, pariter hirsutis; *floribus* subalbidis, aut dilutè admodum cœrulescentibus, saturatioribus lineis cœruleis striatis.

In sylvis sed rariùs invenitur. In sylva quadam propè *Caerwent* in Wallia primùm observavi: D. Johnson copiosam invenit in sylvis propè pontem *Greta* in confiniis Comitatûs Eboracensis & Dunelmensis Episcopatûs. *Locus.*

21. *Vicia maritima multiflora alba Messanensis.*

Hæc floris colore à sylvestri multiflora vulgari differt. Invenimus spontaneam in lingula illa Fretum Siculum & portum Messanensem intercedente. Circa Neapolin eandem observavimus flore vario ex albo & cœruleo. Aliter etiam, ut putamus, differt, verùm nos non satis curiosi fuimus in differentiis observandis.

* 22. *Vicia perennis incana multiflora* Botan. Monsp.

Magn.
Viciæ multifloræ vulgaris magnitudinem assequitur, à qua differt quòd *folia* villo incana & quasi argentea sint: *flores* similiter spicati, purpuro-violacei, sibi invicem propinquiores; & antequam explicati sunt spica recurva est.

In pratis circa Lateram Junio mense floret: Siliquas nondum viderat D. Magnol. *Locus.*

* 23. *Viciæ pulchrum genus multifolium, sive Galegæ species quibusdam* J. B.

J. B.
Costæ longæ in capreolum desinenti alligantur *folia* interdum viginti, in acumen desinentia, glabra: *Florum* idem positus ex longo pediculo, qui pauciores, ut animadvertere adhuc licuit, paullò majores singuli, quales ferè Viciæ sepium, purpurascentes, nisi fallat sicca planta.

Agerius dedit nomine Galegæ alicujus ex monte Apennino.

Vicia Onobrychidis flore C. B.

C. B.
Caules habet pedales, teretes, striatos; quos foliorum alæ, ut in Vicia vulgari, sed breviores & angustiores, uni costæ ex adverso respondentes ambiunt, capreolis extremum occupantibus. Ex foliorum alis superioribus pediculi semipalmares, nudi exurgunt, quorum summitatibus *flores* plures, oblongi, galericulati, Onobrychidi tertiæ *Clus.* formâ similes, infernè pallidi, supernè violacei coloris insident.

Floribus succedunt *siliquæ* planæ, deorsum reclinatæ, *semina* sena, septena numero continentes.

Monspessuli provenit. Viciæ multifloræ eadem videtur D. Magnol & nobis.

24. *Faba sylvestris Græcorum sive Faba Veterum* Park. *sylv. fructu rotundo atro* C. B. *Aracus fabaceus & Faba Kairina, cui semina minora* J. B. *Faba sylvestris* Ger.

J. B.
Legumen plusquam cubitale, cujus *caules* satis crassi, angulosi, inanes, nonnihil hirsuti: *Folia* quaterna vel sena [rariùs] conjugationibus duabus digesta, costæ adhærent longiusculæ, Fabæ vulgaris foliis similia, hirsuta, nigricantia, neque ullum est folium quod imparitatem faciat, pediculus enim sive ῥάχις in capreolos abit, quibus proxima apprehendit: verùm ubi cauli pediculus adnectitur, pinnæ adnascuntur binæ, veluti in Pisis; atque ex eodem oriuntur loco *flores* purpurei, similes ferè

 floribus

floribus Viciæ vel Aphacæ, ex singulis foliorum sinubus singuli, pediculis brevibus & ferè nullis, albidi, saturatioribus lineis purpureis striati, umbone è purpureo nigricante; quibus decidentibus superveniunt *siliquæ*, mediocriter longæ, magnæ, hirsutæ, latiusculæ, per maturitatem nigricantes, quibus *semina* continentur, Pisi ferè magnitudine, gravissimi & ingratissimi saporis & odoris, nigra & Holoserici in modum splendentia, rotunda, sex aut septem numero.

Locus. Planta est annua, æstate florens: provenit sponte in Apulia, campestribus locis, inque Gallia Narbonensi & Aquitania.

25. *Aracus fabaceus serratus & Cocco vico semine majore* J. B. *Faba Veterum foliis serratis Boelii* Ger. emac. App. *F. Veterum serratis foliis* Park.

Præcedenti similis est caule, flore (ut existimo) purpureo, Viciæ sepium, & siliquis, quæ, ut illi, latæ, uncias tres longæ, singulares, ex brevi pediculo hærentes, in circuitu hirsutæ. In foliis tres conjugationes, pulchrè dentatæ, præter alas binas. Folia in capreolos desinunt, ad quorum latus præter conjugationum foliolum unum solùm adest, minus cæteris.

Cocco vico Bello dictum, J. Bauhino satum, plantam produxit, quæ florebat Maio, similis autem erat præcedenti Araco fab. verùm *flores* bini, omnino purpurei, internè non striati: ternus ordo parvorum foliorum, quorum quædam similia sine serraturis, alia verò cum serraturis: Alæ in principio pediculorum cristatæ ut in descripto. Sapor non displicet. In siliquis latis numeravi septem grana: *Sapor* in virentibus leguminosus cum aliqua ingratitudine. Mense Junio siliquæ maturæ, latiores multò quàm in Faba Veterum vulg. Pisa autem duplo majora, minùs nigra cum hilo albo.

Hoc genus cum serrato supra dicto idem esse puto; obstant siliquæ binæ ad singulas alas: verùm, seu idem sit illi, sive diversum, ipsissimum est quod nos inter frutices circa Baias invenimus à vulgari veterum Faba multùm diversum, ternis in singulis alis foliorum conjugationibus eorúmque majorum, & circumserratorum. Floribus binis in singulis foliorum sinubus iísque non striatis, siliquis latioribus, seminibus majoribus.

CAP. IX.

De Lente.

Lens vel ex *lenis* factum est, vel ex *lentis*, quomodo Vett. dixisse in recto, ait Priscianus in VII. Ratio nominis esse creditur quia comesa lenes & lentos faciat. *Invenio* (inquit Plinius lib. 17. cap. 12.) *apud Auctores æquanimitatem fieri vescentibus ea.*

Lens à reliquis viciis distinguitur, semine compresso & pro plantulæ modo grandi, siliquis latis, brevibus.

Cæterùm Lens minutum & vile est legumen, unde proverbium *mira de Lente*, apud Græcos dici solitum, quoties res humilis & pusilla splendidis encomiis magnificisque laudibus attolleretur cui Anglicum nostrum respondet **Great matter of a wodden Platter.**

Pauperum & tenuium cibus est, quæ fastiditur simul ac lautior fortuna contigit, unde Proverbium *Dives factus jam desiit gaudere Lente*, in eos dictum, quibus ad uberiorem conditionem evectis fastidio sunt ea quæ priùs inopes boni consulebant.

Vires. Quod ad vires attinet, Lens ex Veterum autoritate oculorum aciem obtundit, ægrè concoquitur, stomacho incommoda est, eúmque & intestina inflat: alvum autem sistit si cum cortice edatur inducit gravia insomnia, ad nervosa, & pulmonem & caput incommoda est. Galeno corpus Lentium siccat & ventrem sistit, Decoctum verò propellit. Quapropter prior aqua diffunditur cùm cohibendi gratiâ sumuntur. Præcipua vis adstringendi est in cortice, detergendi in succo. Lens ergo decorticata illam adstringendi vehementiam & ea quæ ipsam consequuntur amittit; magis tamen nutrit quàm quæ cortice spoliata non est, verùm succum crassum ac pravum gignit, tardéq, commeat, non tamen alvi fluxus desiccat uti ea cui cortex non est ademptus. Externè in cataplasmatis ad multa adhiberi solebat à Veteribus. Vide Dioscoridem & Plinium.

1. *Lens* J. B. *minor* Ger. Park. *vulgaris* C. B. **Lentils.**

Planta est annua, *radice* tenui, alba, paucis fibris donata. *Caulis* ei satis crassus pro plantulæ modo, dodrantalis, hirsutus, angulosus, infirmus & procumbens nisi in propinquo sit quod scandat, à radice statim ramosus. *Folia* è quorum sinubus ramuli exeunt alternatim posita, ut in reliquis ferè leguminibus, quinque aut sex pinnularum mediæ costæ adnexarum conjugationibus composita, costa media in claviculam exeunte. Singulæ autem pinnulæ oblongæ, angustæ, hirsutæ in acutos apices desinunt. Ex alis foliorum exeunt surculi tenues, oblongi, duos aut tres *flores* gestantes, parvos, albentes; superius tamen folium, quod clypeum appellant, cœruleis intus, lineolis striatum est. Flosculis succedunt *siliquæ* breves, latæ, compressæ, glabræ, duo vel tria semina, quàm pro plantulæ modo majora, compressa, per maturitatem flavicantia continentes.

2. *Lens major* J. B. C. B. Ger. Park.

Lente vulgari omnibus partibus speciosior est & major, herba, foliis, flore albo, siliquis, ut & semine, quod Lentis vulgaris duo aut tria grana facile æquat.

* 3. *Lens Hungarica major perennis* Hort. Leyd.

Reliquæ omnes Lentis species singulis annis intereunt, hæc perennat.

* 4. *Lens maculata* Park.

* 5. *Vicia sylvestris cum Lentis siliqua* J. B.

Dodrantalem habet *caulem*, gracilem, angulosum, glabrum, ramosum : *folia* duarum triúmve unciarum, tarsi effigie, singularia Craccæ minimæ foliis non majora, per extremum obtusa & veluti cordata: costæ extremum in tortiles cirros abit. Ex alæ sinu enatus pediculus uncialis *florem* gerit unicum Lentis flori similem, quem excipit *siliqua* unciâ longior, semunciam lata, glabra, compressa, duo aut tria claudens semina, orbiculata, Lentis majoris.

Locus. Nemausi collegit Cherlerus.

SECTIO SECUNDA.

De Herbis flore papilionaceo seu Leguminosis non Scandentibus.

HÆ vel sunt siliquis simplicibus, vel siliquis geminatis duplici alveolo duas seminum series continentibus. Prioris generis plantæ sunt vel siliquis articulatis, vel articulis carentibus iisque vel erectis, [apertis aut utriculis inclusis] vel propendentibus. Quocirca Sectionem hanc in quinque membra seu subsectiones dividemus.

Prima erit, De leguminosis siliquis erectis.
Secunda, De Legum. siliquis propendentibus.
Tertia, De Legum. siliquis utriculis inclusis.
Quarta, De Legum. siliquis articulatis.
Quinta, De Legum. cum siliquis geminatis.

SUBSECTIO PRIMA.

De plantis leguminosis non scandentibus siliquis simplicibus erectis: Lupino, Faba, Glycyrrhiza, Galega, Onobrychide, Orobo, &c.

Herbæ flore papilionaceo erecta seu non scandentes sunt vel siliquis ad singulos flores

- *Simplicibus*, unico alveolo unicum semen aut unicam seminum seriem continentibus; suntque vel
  - *Monospermæ*, floribus in spicas è foliorum alis egressas dispositis, siliquis
    - *Rariùs* & à se invicem remotiùs *sitis*,
      - *Echinatis* seu aculeatis; ONOBRYCHIS *vulgaris*, *Caput gallinaceum*.
      - *Lævibus*, orbiculatis seu peltatis; *Polygalo Gesneri affine*, CAPUT GALLINACEUM, *J. B.*
    - *In capitulum conglobatis*, asperis, Glycyrrhizæ facie; GLYCYRRHIZA *echinata*.
  - *Polyspermæ*, siliquis
    - *Articulis non interceptis*, calicibus
      - *Expansis*, siliquis visui expositis
        - *Erectis*, foliis
          - *Digitatis*, caule tereti, floribus in summis caulibus & ramulis in spicas digestis, semine amaro; LUPINUS.
          - *Pinnatis*, pinnis

Majoribus, conjugationibus paucioribus, floribus è foliorum alis exeuntibus, siliquis & seminibus maximis, caule angulofo inani; FABA.
Minoribus & *pluribus*, radice
Dulci repente lutea, caule procero, siliquis brevibus compressis; GLYCYRRHIZA.
Insipida, saltem non dulci, floribus spicatis, siliquis
Tenuioribus seu strictioribus; GALEGA.
Habitioribus; OROBUS *Sylvaticus siliquâ erectâ*.
Propendentibus,
Nodosis, torulis seminum protuberantibus velut articulatis; OROBUS *sativus*.
Æqualibus seu planis,
Longis & minoribus,
Teretioribus, foliis
Pinnatis, aliàs cum, aliàs sine impari in extrema ala folio; OROBUS *Sylvaticus siliqua propendente*.
Integris, longis gramineis, caule erecto tereti; CATANANCE.
Compressis, floribus corollæ in modum confertis, seminibus compressis quadratis; SECURIDACA.
Brevibus tumidis & vesicarum instar inflatis; CICER *sativum*.
Membranaceis tumidis & vesicarum instar inflatis siliquas occultantibus; LOTO AFFINIS, *Anthyllis leguminosa*, *Trifolium halicacabum*.
Articulatis; *v.* Tab. sequentem.
Gemellis seu duplicatis.

CAP. I.

De Lupinis.

LUPINUS nonnulli à *lupo* dici existimant, rationémque hanc adferunt, quòd *lupinâ quadam naturâ terram voret*. Nam (ut Plinius ait lib. 18. cap. 14.) Tellurem adeò amat, ut quamvis frutetoso solo conjectum inter folia vepresque, ad terram tamen radice perveniat. Sed rectiùs Isidorus Lib. 17. Orig. cap. 4. qui Græcum esse origine docet. Est enim ἀπὸ τῆς λύπης, quo respiciens Maro 1. Georg. ait *tristisque Lupini*.

Nempe quia, ut loco dicto Isidorus ait, *Vultum gustantis amaritudine contristat*. Aquâ tamen si macerentur amarorem exuunt: unde Zeno Cittieus rogatus unde fieret, quòd cùm naturâ adeò tetricus esset, vinum si biberet, fieret suavior, sibi hoc cum Lupino commune esse respondit. Meminere Athenæus lib. 3. & Laertius in Zenone.

Ex Lupino macerato fiebant nummi, quorum in Comœdiis usus erat. Plaut. Pœn. Act. 3. Sc. 2.

AG. *Agite, inspicite aurum est.* Col. *Profecto spectatores Comicum.*
Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boves.
Verùm ad hanc rem agendam Philippeum est.

Hinc Horat. Lib. 1. Epist. 7.
Nec tamen ignorat quid distent æra lupinis.

Ubi, ut Turnebus à Mureto edoctus scripsit lib. 1. Advers. cap. 15. per *æra* intelliguntur *nummi ærei*, per *lupinos nummi Comici è Lupinis confecti*, ut omnino fallantur qui corrigunt, *quid distent erva Lupinis*. Hæc omnia è Clariss. Vossii Etymologico.

Lupini notæ sunt folia digitata, caules teretes, flores in summis caulibus & ramulis in spicas digesti, siliquæ erectæ.

1. *Lupinus sativus* Ger. *sativus flore albo* C. B. *sativus albus* Park. *vulgaris, semine & flore albo, sativus* J. B. **White Lupines.**

Caulis huic cubitalis & sesquicubitalis, mediocriter crassus, teres, hirsutus, erectus, ramosus, medullâ farctus [quamvis alii concavum faciant] foliis nullo aut alterno ordine positis vestitus. *Folia* pediculis duas trésve uncias longis innituntur, ex septem plerunque segmentis oblongis angustis, è pediculi

pediculi fastigio eodem puncto enatis, Pentaphyllorum in modum composita: (Folia hujusmodi *Jungio* non ineptè digitata dicuntur) è glauco obscurè virentia, ad margines æqualia, subtus hirsuta lanugine incanâ & quasi argenteâ ad margines præcipué. Horum latera noctu contrahuntur, ipsaque insuper ad pediculum terram versùs reflexa dependent. *Flores* in summis caulibus & ramulis in spicas digesti, papilionacei, albi, pediculis brevibus. Floribus succedunt *siliquæ*, tres uncias longæ, hirsutæ, erectæ Fabacearum instar, pulposæ, compressæ, quinque vel sex *semina* majuscula, orbiculata & nonnihil angulosa, compressa, qua parte siliquæ adhærent cavitatem quandam velut umbilicum exiguum habentia, foris alba, intus lutea, sapore amaro, continentes. *Radix* subest dura, alba, multifida.

In Italia in agris seruntur: non modò ad alimentorum usum, sed (si Matthiolo credimus) ad agros impinguandos. *Locus.*

Lupinum alterum album *Park.* huc refero.

Seruntur in Hetruria (inquit Matt. & nos etiam id observavimus) non modò ad alimentorum usum sed ad agros impinguandos, & Plinius pinguescere hoc satu arva vineásque dixit, ità ut optimi fimi vicem repræsentet. *Vires.*

Semen in aquâ dulci calida maceratum amaritudinem deponit, & gustui gratum redditur ut citra aliam coctionem esitetur. Galenus elixum cum garo ac oxygaro, vel etiam sine his sale mediocri conditum mandi scribit, & fieri tunc nutrimentum succi crassi, & tardè descendere. At ubi nativa etiamnum amaritudo manet extergendi digerendíque vim obtinet, interficit lumbricos tum illitus tum addito melle linctus, tum in posca potus; quin & decoctum ejus idem præstat. Foris impositus ex emplasticorum genere est; unde & decoctum in fotu, & farina in cataplasmatis vitiligines, achoras, pustulas, psoras, gangrænas, ulcera maligna juvat, partim extergendo, partim citra mordacitatem digerendo. Sunt qui farinam ischiadicis cum aceto illinunt. Elicit menses & fœtum cum Myrrha & melle impositum, & alia multa præstat, quæ vide apud Dioscoridem, Galenum & Plinium.

Quod Theophrastus dixit viridem à nullo animali mandi propter amaritudinem, de fructu intelligendum est: nam hodie etiam pro boum pabulo seritur inter rapas. *J. B.*

2. *Lupinus cæruleus major villosus* C. B. *exoticus hirsutissimus* J. B. *cæruleus maximus* Park. *major flore cæruleo* Ger. emac. *Indicus* Cornuti. The greatest blew Indian Lupine.

Radice est lignosa, rufescente, fibrosa: *Caule* cubitali, rotundo, firmo, striato, molli lanugine obsito, (nam in hoc longè major est hirsuties quàm in aliis Lupinis) in summitate in paucos ramulos diviso, [*Cornuto* multis ramulis brachiato] ramulis quandoque etiam subalaribus rudimenta floris futuri habentibus, qui rarò nostro cœlo perficiuntur. *Folia* septena aut octona, [Corn. novem aut undecim] molli lanugine obsita & quàm in cæteris latiora, stellæ in modum disposita, pediculis villosis, tres quatuórve uncias longis, insident; quæ decidua sunt, maximè ubi *semen* perfici incipit. *Flores* magni sunt, eleganter cœrulei & inodori, semper quini in ordine ceu verticillatim dispositi, ita ut quamplurimum quatuor, rariùs quinque ordines conspiciantur, & quo planta perfectior fit eo etiam magis à se invicem distinguuntur, & quintus ordo plerunque perit, dum inferiores semen perficere student. *Siliquæ* sequuntur hirsutæ, unciam latæ, duas longæ, sed paucæ, cùm ex quinque ordinibus vix binæ singulo ordine proveniant (quod raritatem & peregrinam plantæ naturam ostendere videtur) quæ *semen* vulgaribus majus, compressum & rufescens, asperum, J. Bauhino totum luridum continent. [*Cornuto* Siliquæ trium ad summum seminum capaces sunt; semina non lævem, ut reliqua, superficiem habent, sed pumicosâ asperitate rudem.]

Hæc planta tum à Clusio in Hist. describitur, tum à C. Bauhino in Prodromo, cujus etiam descriptionem adhibuimus, & tamen (quod mirum) à Jac. Cornuto in *Hist. Plant. Canad.* pro non descripta habetur.

3. *Lupinus medius cæruleus. An Indicus medius cæruleus* Park?

Præcedenti similis est sed minor & humilior, pariter villosus. *Flores* etiam minores, colore itidem cœruleo amœno lucentes, cum maculâ in medio albicante, vetustate, antequam flos marcescit, in rubellum colorem mutatâ. *Siliquæ* villosæ, minores: *semina* etiam minora, valdè compressa, per maturitatem contracta cavitatem quandam utrinque obtinent, pulchrè variegata, minimè ut superioris aspera, sed lævia ut in reliquis.

Londino semen habuimus, quod in hortulo nostro Cantabrigiæ satum plantam produxit, quæ semen maturum dedit. *Locus.*

4. *Lupinus cæruleus minor* Park. *flore cæruleo* Ger. *sylvestris flore cæruleo* C. B. *sylvestris purpureo floreo, semine rotundo vario* J. B.

J. B.
Ex sylvestrium Lupinorum genere est, *caule* cubitali, robusto, recto, tereti, striato, solido, alis satis frequentibus concavo & ramoso. *Folia* Lupini sativi, nonnihil hirsuta, multò minora, in quinque, sex, vel septem radios longos, angustos fissa; pediculo inhærent longo, sapore ingrato & odioso. *Flores* longa serie crebri, agminatim ascendentes, Cicercularum & Pisorum flores referunt, coloris purpurei [potiùs cœrulei] quibus succedunt *siliquæ* rectæ, *semina* continentes parva, stigmatis variata, rotunda. *Radicem* porro demittit satis profundè, non magnam tamen, glandulis ad fibras adnatis strumosam.

In Sicilia circa Messanam sponte & copiosè provenit: alibi etiam tum in Italia tum in Narbonensi Gallia, locis arenosis & inter segetes invenitur. *Locus.*

5. *Lupinus*

5. *Lupinus angustifolius cæruleus elatior. An Lupinus Gadensis marinus flore cæruleo* Park? *Lupinus minor cæruleus Tingitanus* Moris?

Lupino sylvestri cœruleo similis est, sed erectior & elatior multò, ut qui ad cubitalem altitudinem assurgat, ipsum etiam Lupinum sativum proceritate æquans vel excedens: *Folia* ut in sylvestri minore angusta, novena plerunque in eodem pediculo, extremis obtusioribus quàm in aliis Lupinis, ut quasi abscissa videantur. *Semina* Lupini sylvest. cœrulei seminibus *similia*, sed colore nonnihil diversa, maculis nimirum ex fusco flavicantibus varia.

Semen hujus *Lupini Gadensis* titulo nobis communicatum est.

* 6. *Lupinus flore flavo Indicus* Bontii.

Bont.

Sapore est fastidioso & amaro. *Flores* fert flavos, quibus *siliquæ* succedunt Pisorum nostrorum siliquis similes. Pediculi ex ipso caule satis longi & rectà extensi emergunt, qui desinunt in quinque vel sex *folia* oblonga, tenuia. Flores autem & siliquæ etiam cauli cum tenui pediculo adnascuntur.

Agrestes sunt, & in hortis (quod sciam) non coluntur.

Vires. Decoctum eorum alvum movet & urinas, ideóque magis inter medicamenta quàm alimenta locanda veniunt.

Folia & sapor Lupinum indicant, at spicæ pendulæ ad aliud genus pertinere arguunt: Lupinus est anomalus.

7. *Lupinus flore luteo* Ger. Park. *Sylvestris flore luteo* C. B. *luteo flore, semine compresso vario,* J. B. **The yellow Lupine.**

Hic prima specie minor est & humilior, verùm & ramosior, & in latitudinem magis diffusus. *Folia* angustiora longioribus pediculis insident, utrinque hirsuta, & in acutos mucrones desinentia. *Flores* in summis caulibus & ramulis in spicas longas digesti, è pluribus florum verticillis compositos, [sex septémve interdum] in singulis verticillis quinque plurimùm flosculi, pediculis brevissimis nixi, flavi, odorati. Ad exortum pediculi uniuscujusque floris antequam aperitur apponitur foliolum lanuginosum, concavum, quod explicato flore decidit [Hoc & aliis Lupini speciebus commune est] Flores ejusdem figuræ cum præcedentis, nec pro plantæ modo minores. Floribus succedunt *siliquæ* surrectæ, hirsutæ, compressæ, sescunciam aut duas uncias longæ, quatuor vel quinque semina compressa, colore ex albo flavicante & fusco varia continentes: Ramuli in hoc, sed magis in præcedente, supra florum thyrsum, qui in summo caule est, assurgunt & in altum emicant. Folia contrahunt se noctu instar primæ speciei, non tamen dependent deorsùm reflexi, sed potiùs sursùm eriguntur.

* 8. *Lupinus peregrinus minor, sive angustissimo folio* C. B.

C. B. prod.

Ex *radicula* oblonga capillacea, *cauliculus* tenuis, palmaris, quàm minimùm hirsutus exurgit, circa quem *foliola* quina, sena, septena, brevia, angustissima, subhirsuta, quæ oblongis pedicellis insident. Flores & semina nondum vidimus.

Ex horto Contareni *Lupini Africani minimi* nomine habuit C. Bauhinus.

** Ex dictatis D. Hermanni.* Fructus, annotante * *D. Palmer*, rotundus, orbiculatus & in lateribus crenatus. Ex eo farina in Officinis conficitur pro cataplasmate.

* 9. *Lupinus cæruleus minor perennis Virginianus repens* Moris.

Moris.

Hic quoad caules, folia, flores, siliquas, semináque cum sylvestri cœruleo minore convenit: sed (quod notatu dignum) à duratione & rependi sub terram facultate à cœruleo minore (cum quo prima facie maximam habet affinitatem) cæterisque suæ familiæ quàm facillimè discernitur, ut prolixiore descriptione ei opus non sit.

Præter descriptas alias adhuc Lupinorum species exhibet & describit Parkinsonus: nimirum 1. *Lupinum alterum album*, cui florum petala media, superiore seu gibbâ parte; supremum cavâ, cœruleo colore tincta seu maculata sunt: major est vulgari.

2. *Lupinum minimum cæruleum*, qui partium omnium parvitate præcipuè à sylvestri cœruleo minore differt. An fortè idem Lupino peregrino minori *C. B?*

3. *Lupinum flore carneo*, à Lupino Indico medio (cui aliàs similis est) colore floris, parvitate omnium partium, & hirsutie minore diversum.

Verùm cùm hæ nobis nondum visæ, nec à quoquam alio descriptæ, nihil ampliùs habemus quod de illis dicamus, nisi quòd semina à *Gulielmo Boelio* collecta fuerint, quódque valde teneræ essent, & semen post primum annum ad maturitatem non perducerent.

D. Magnol Lupinum flore purpurascente latifolium hirsutum *C. B.* in *Matth.* se in satis in luco Gramuntio sitis & in aliis circumpositis invenisse scribit. *Botan. Monsp.*

CAP.

Cap. II.

De Faba.

FAba, Græcis κύαμος, à Faliscis, Hetruriæ populo, *Haba* dicta est, unde vocabulum sumptum videtur. Martinius à πάω, i. e. *vescor, pascor*, deducit, ut sit quasi Paba. Isidorus à φάγω.

A Dodonæo hoc genus leguminis *Boona* Latinè dicitur, qui Germanismo fultus, idiomatéque Alemannico abusus, at aliis doctior videretur, nomenclaturam hanc novam excogitavit (inquit J. Bauhinus.) Cæterum Boonæ sive Bean nomen à Baiana Italico deductum videtur, quâ totâ Insubriâ & Liguriâ recentes Fabas vendentium voce appellari autor est Hermolaus.

Κύαμοι Græcis dicti creduntur quia sunt εἰς τὸ κύειν δυνοί, ἢ ἀπὸ τοῦ κύειν.

Fabæ notæ genericæ sunt siliquæ erectæ, crassæ; semen maximum, ad latera compressum oblongum cum hilo magno in extremo, caules angulosi, firmi, concavi.

A. 1. *Faba* C. B. *Faba, Cyamos leguminosa* J. B. *major hortensis* Ger. Park. Garden-beans. *J. B.*

Radice partim est recta, partim serpente, strumosâ & fibris donata, ex qua *caules* surriguntur duobus cubitis altiores, [imò in lætiori solo humanam altitudinem superantes, vel singuli vel bini ternive pro fertilitate soli] quadrati, inanes, *foliis* adversis, cæsiis, ex oblongo rotundis, ad unam costam adnexis: ex quorum alis *flores* oriuntur simul aliquot juncti, congeneribus Pisis similes, quorum supremum folium ungue purpurascente albidum, striis purpurantibus pictum est; duo lateralia in medio nigra, in ambitu alba, stamina occultans colore est ex albo herbaceo. *Semen* in *siliquis* magnis, crassis, carnosis, hirsutis, surrectis, oblongum, latum, planum, compressum, maximum, dimidiam drachmam interdum pendens, colore plerunque albo, interdum rubente, hilo in summa parte longo, nigro.

Postquam semen dederit radicitus exarescit.

Faba fructu albo & fructu rubro, non sunt duæ distinctæ Fabarum species; siquidem experientiâ nostrâ, Fabæ rubræ satæ non semper rubras producunt, sed interdum, imò sæpiùs albas. Hæc coloris mutatio accidentalis est varietas, quæ vel solo, vel culturæ debetur.

2. *Faba minor sive equina* C. B. *minor sylvestris* Park. 3. *sive communis* Ger. emac. Field-beans, or Horse-beans.

Caulibus, foliis, floribus & siliquis hortensi seu majori Fabæ similis est, sed minor. *Folia* tamen pluribus pinnarum conjugationibus constant, magísque conferta sunt. *Flores* è foliorum sinubus exeunt in pediculis parvis, sex plerunque in eodem pediculo, qui delapsi totidem relinquunt *siliquas*, minores & rotundiores quàm præcedentis, *semina* claudentes minora, tumidiora, rotundiora & modicè oblonga, alia pallidiora, alia nigriora. Fœcundius est plerunque hoc genus Faba majori seu hortensi, tum siliquarum ad singulas alas numero, tum seminum in singulis siliquis.

Usus & Vires. Fabis [hortenses intellige] in cibis utimur frequentissimè: súntque in multis regionibus (ut rectè Adversariorum auctores) vere & tota æstate magnum annonæ supplementum. Nos Trago subscribimus recentes innoxias esse in cibo, & bonum succum gignere. Veteres eósque secuti Dodonæus, Casp. Hofm. & è recentioribus alii, Fabas flatulentas esse aiunt, & tanto flatulentiores quò viridiores, cujus consequens est, difficilis etiam esse concoctionis; *quod tamen nos non experimur quamvis æstivo tempore Fabis frequenter vescimur; nec probamus sententiam Dodonæi aridas & exsiccatas recentibus præferentis, quòd sci. minus flatulentas putet, sed potius cùm Trago eas operariis relinquimus. Nec video cur porcos aliáque animalia saginent, & non æquè homines.*

D. *Mundy* de esculentis p. 121. se novisse scribit rusticum quendam pauperem, qui in gravi annonæ difficultate fabis solis elixis, nec alia re, liberos aluit; pueris tamen ità pastis meliùs coloratos aut habitiores vix alios videres, unde constat copiosè nutrire fabas aridas, postquam ventriculus eas ferre assueverit. *D. Tancredus Robinson.*

De facultate adstrictoria farinæ fabarum, ejúsque proinde usu in dysenteria medicos dissentire video. Casp. Hofmannus à farina fabacea, seu Faba fresa Veteribus dicta & lomento fabæ, quia paratur sine cortice non oportere ait ullam exspectare adstrictionem, quæ corticis est, non autem substantiæ. Qua, pergit, ex limitatione intelligit unusquisque, quo in errore versentur illi, qui hac farinâ vel in aceto solo, vel in aceto & aqua decoctâ utuntur in alvi fluxibus ex debilitate retentricis; nisi enim totæ decoquantur nihil fit.

Dodonæus è contra Fabam cum putaminibus descendere ait nec omnino facilè, nec omninò tardè; absque his autem alvum constringere; *Nos in Dodonæi sententiam propendemus, cùm videamus in frumento florem farinæ furfuribus excussis potentiùs astringere, & furfures extergere, farinæque descensum promovere: rem tamen experientiâ determinandam relinquimus.* Faba minor facultate ac temperamento admodum similis est majori; non tamen tam hominum cibo quàm equorum saginæ servit ac utilis est.

Farina Fabarum non tantùm intra corpus utilis est in diarrhœa & dysenteria, sed & extra in maculis à Sole contractis, aliisque cutis sordibus extergendis (si illâ fricentur) in sugillatis discutiendis. Aqua destillata ex floribus diuretica est, maximíque usûs in maculis faciei extergendis eâque fucanda. Flores autem suavissimum odorem exhalant, ut agri aut horti Fabis consiti, cùm in flore sunt, odor etiam è longinquo sentiatur.

An Boona sive Bean sit Veterum Faba non levis est inter botanicos controversia. Vide sis Dodonæum, J. Bauhinum & Casp. Hofman: in *De Medicam. Officin.* Certè Veterum Faba parva fuit

&

& rotunda, ut patet ex innumeris ferè locis Theophrasti, Dioscoridis, &c. E contra impossibile videtur, certè vix credibile est legumen adeò vulgare & quotidiani usûs in desuetudinem abiisse, aut nomen mutâsse, inque ejus locum & nomen Boonam successisse nemine conscio. Hæc enim nobis pro Faba, & Faba Latinis pro κυάμῳ unanimi consensu tradita est. Contra sentientium argumenta (inquit C. Hofman.) peccant in eo quòd comparationem instituant cum Faba nostra majore, cùm deberent cum minore. Fortassis illa tum non fuit perducta ad id magnitudinis mangonio.

Ad renum Affectus, ℞ Cinerem è truncis Fabarum. Fiat ex iis lixivium, coletur per manicam Hippocratis, dulcoretur saccharo & aromat. cinnamom. de quo ℥vj. propina. Ab atroci dolore renum in feb. dupl. tertiana subintrante sum liberatus hoc auxilio. *Guido à Cauliaco.* Provocat urinas vias mundificando, pus & arenulas expellendo & menstrua provocando. Communicavit *D. Edv. Hulsius* M. D. Philosophus & Medicus insignis, cum aliis multis ex variis Autoribus in gratiam nostram à se collectis. Effectum autem, & rectè, tribuendum sentit salibus in lixivio contentis. Nam & ego (inquit) aliquando fœminæ cuidam Nephriticis doloribus obnoxio, cujus pedes valdè intumuerant diætam præscripsi in qua bona quantitas cinerum genistæ incocta est, quæ magno numero calculos è renibus deturbavit, verùm dolore adeò atroci, ut usum ejus omittere coacta sit.

Hinc ad provocandam urinam præscribit *Chesneau* Salem ex truncis fabarum extractum, ad gr. viij. in aliquo liquore convenienti sumendum; vel si sal in promptu non sit, lixivii ex cineribus facti & clarificati ad ℥vj. cum Syrup. de Althæa ℥j.

Memini quendam alvi cruenta excretione jugi per tres vel quatuor menses laborantem solo usu Fabarum rubrarum pulmenti in modum in lacte coctarum, manè & vesperi devoratarum sanatum fuisse, aliis medicamentis nil juvantibus. *Sim. Paulus* Quadrip. Botan. p. 30.

Symbolum illud Pythagoricum ἀπὸ κυάμων ἀπέχεσθαι variè interpretantur Veteres & Recentiores. Alii de Fabis simpliciter accipiunt, à quibus ideò abstinere præcipit Pythagoras, quia sunt flatulentæ, Veneris incentivæ, & mentis tranquillitati contrariæ, insomnia turbulenta efficientes: vel ut alii volunt, (teste Plinio lib. 18. cap. 12.) quia mortuorum animæ sunt in iis, & quia in floribus earum literæ lugubres reperiantur. Alii κυάμους symbolicè & ænigmaticè testiculos appellatos aiunt, quia sunt αἴτιοι τοῦ κύειν, unde non à Faba comedenda, (quâ ipse frequenter vescebatur) sed à rei Venereæ proluvio voluisse philosophum homines deducere. Tandem alii, ut Plutarchus ipse, à muneribus Reip. tractandis abstinendum interpretantur. Nam Veteres vice calculorum in magistratibus eligendis Fabis utebantur.

CAP. III.

De Glycyrrhiza.

Glycyrrhiza, id est, radix dulcis, recentioribus Græcis, Theophrasto Scythica radix dicta est, quia Scythæ hac & Hippace, id est, caseo equino, ad duodecim dies durare posse dicuntur in fame & siti. Hippacen nonnulli Plinium secuti pro herbæ nomine perperam habuerunt. Plinius hac de re sibi non constat ut patebit loca conferenti: nam lib. 28. c. 14. *equinum coagulum quibusdam hippacen vocari* ait; at l. 25. c. 8. herbam eam facit, inquiens, *His duabus herbis*, Scythice sci. & Hippace, *Scythas etiam in duodenos dies durare in fame, sitive tradunt.* Reprehendendus etiam est Plinius, quòd Scythicam radicem *Theophr.* diversam fecerit à Glycyrrhiza.

Glycyrrhiza insuper à sedanda siti nonnullis Adipson vocatur. Columella. Et quia famem sitimq; sedat glycyrrhiza, ob hoc ἄδιψον vocata est: nonnulli ipsum hydropicis dedere, teste Galeno, nè sitirent: Hoc (inquit Jo. Bod. à Stapel) non parvo ægrorum levamine fieri recentiorum comprobatum est experimento.

Glycyrrhizæ notæ sunt radices dulces, repentes, luteæ, caules proceri, siliquæ breves compressæ, erectæ.

Glycyrrhiza vulgaris Ger. emac. *vulgaris* Park. *siliquosa vel Germanica* C. B. *radice repente, vulgaris Germanica* J. B. **Liquorice.**

J. B.

Sarmentosæ *radices* longè latéque implexu vago reptant, colore buxeo, foris nigricantes, sapore melleo, cui stipes multum dulcedine cedit, subhirsutus, nonnihil purpurascens. *Folia* in alam Fraxini instar disposita, quorum singularia minora, per ambitum integra, atrovirentia, modicè viscosa, dum adhuc tenera; sapore acerbo & subacido [Trago autore, Dictamno vulgari aut Ciceri sunt similia.] *Flores* racemosi, purpurantes, Dod. dilutè cœrulei, singularibus Trifolii bituminosi floribus persimiles. Hos excipiunt *siliquæ* glabræ in quibus *semina* parva, rotunda, compressa, dura, tria aut quatuor.

Apud nos seritur Pontefracti in Comitatu Eboracensi, & Worksopi in Notinghamia. Glycyrrhiza autem Anglica præcipuæ æstimationis est, & ex transmarinis regionibus advectæ præfertur. In Germania quoque multis in locis, in agris colitur. Rariùs autem in Germania & Anglia floret, ideóque sterilis à nonnullis, sed temere, credita.

Tam folia quam caules hyeme quotannis pereunt, & novæ sequenti vere proveniunt.

Locus & Tempus, Non paucis Galliæ Narbonensis locis autore Lobelio multum sponte oritur, etiam propè *Latera* oppidum. Floret Julio & semen fert Septembri.

Vires. Glycyrrhiza caliditate & frigiditate temperata est, in reliquis ad humiditatem inclinat, pulmonica ac nephritica, acrimoniam mitigat, expectorationem promovet, asperitatem lenit, (humores sci. in-

incrassando) alvum infantium leniter mollit. Usus præcip. in tussi, raucedine, phthisi, pleuritide, vesicæ erosione, urinæ acrimonia. *Schrod.*

Succus Glycyrrhizæ inspissatus ad hæc præcipuæ æstimationis est.

Tragus Glycyrrhizæ radicem ejúsque succum extractum ipsi etiam Saccharo præfert. Nemo enim (inquit) ignorat amara & Saccharum sitim excitare, quam dulcis radix & succus ejus restinguunt.

Cortex ejus (inquit Dodonæus) amaritudinem quandam habet, & calidioris est qualitatis particeps, quam idcirco abradere oportet. At C. Hofmannus hoc nihil esse ait, nam Amaror est interior (augetur is etiam à diuturna coctione ut in aliis dulcibus) ab eo verò est abstersio. Estne ergo, pergit, semper tutus in leniendis asperis? non est, quantumvis reclament ignari. In universum omnibus malis succurrit ab acribus, salsis & mordacibus humoribus excitatis.

Ex hujus succo cum aromatibus mixto fiunt parvi panes seu rotulæ ad tussim & pulmonis vitia.

Glycyrrhiza cum tantillo Cinnamomi in aqua decocta, inservit nonnullis pro potu ordinario, & post fermentationem inebriat non minùs quàm Cerevisia.

CAP. IV.

De Galega.

Galega Herbariis cur dicatur ignoramus. *C. B.* quasi Gallica Fracastorio dicta putatur. Verùm Galega Italica vox est testibus Matthiolo, Dodonæo, aliis. Quod nomen apud Veteres obtinuit non constat. A quibusdam Rutæ nomen inditum ab effectu & viribus, non verò odore.

Galegæ notæ genericæ sunt Flores spicati penduli, reliquæ erectæ teretes, tenues.

1. *Galega* Lob. Ger. J. B. *vulgaris* C. B. Park. *Ruta capraria* Gesn. **Goats Rue.**

J. B.

Hinc indè per terram spargit tenues *radices*, albas; *Caules* verò tollit bicubitales, & altiores, striatos, inanes, ramis compluribus brachiatos. *Folia* Viciæ, pinnata, impari alam claudente, longiora, spinulam mollem ex extremitate proferentia, sapore leguminaceo. *Flores* peculiaribus insident surculis, ex foliorum alis exortis, viciæ multifloræ, jubam longam efficientes, colore albo, vel ex albo violaceo. *Siliquæ* teretes, tenues, longæ, erectæ, in quibus *semen.*

Locus. In Italia passim provenit, ad aquarum rivos præcipuè; &, ut aiunt, in Hispania. Clusius in Pannonia abundantissimam vidit, inter Muram & Dravum flumina, paullò supra eorum confluentes. Radix multos annos durat.

Vires. Celeberrimum est Alexipharmacum ac sudoriferum, venenum, imprimis pestilentiale, insigniter discutiens. Usus ejus præcipuus in petechiis expellendis, aliísque morbis pestilentialibus, ipsâque peste curanda, in morbillis, in Epilepsia infantum (exhibetur succi cochl. i.) in ictibus serpentum, in lumbricis, quos etiam extrinsecùs applicata fugat. Estur & herba ipsa cruda vel cocta ad hos usus. *Schrod.*

Herba hæc, secus ac aliæ [Alexipharmacæ] citra saporem est, & insuper qualitatibus primis temperata. *Idem.* quod imprimis notabile est.

Galegæ planta tota, & totius illius aq. stillatitia commendatur ad pellendos contagiosos, pestilentes & malignos morbos, cujus adeò certa experimenta volunt nonnulli, ut qui Galegâ solum sit instructus vindicari ab his malis certò queat.

Nobiliss. Vir, Patriæ suæ decus, *D. Robertus Boylius* in tractatu de *salubritate & insalubritate aeris*, tres quatuórve paginas impendit Galegæ viribus celebrandis in pestilentialibus & malignis morbis ex propria observatione & experientia; ut nos monuit *D. Tancred. Robinson.*

Galegæ sylvestris succus Epilepsiam sanat. *D. Palmer* ex dictatis D. Hermanni: Quam plantam intelligat Galegæ sylvestris nomine non satis scio, fortè viciam sylvestrem multifloram.

Varias Galegæ præparationes ad usus prædictos vide apud Hofmannum, Schroderum & alios.

2. *Galega Indica minor hexaphyllos.*

Spheræ species est (inquit P. Ammannus.) Est enim planta siliquosa pentapetala *floribus* aureis, quasi in globum contortis, *siliquis* angustis, recurvis, *seminibus* flavescentibus propemodum, ex oblongo quadratis.

3. *Sofera* Alpini & Belli J. B. *Galegæ affinis Sophera dicta* C. B. *Sophera sive Securidaca Ægyptiaca villosa* Park. *An Hoxocoquamodit* Cam. hort?

Belli.

Suffrutex est, ad duorum triúmve cubitorum altitudinem assurgens, *caule* firmo, recto, fibroso, multos ramos firmos è foliorum alis undique spargente, in quibus *folia* Myrti foliis similia quidem, verùm angustiora, alata, h. e. in longo pediculo utrinque sita contrariis semper inter se petiolis, numeróque paria, ut in Lentisci folio conspicere licet, supernè lætè virentia, infernè verò saturâ viriditate prædita, graviter olentia, vesperi supernâ folii parte, quà petiolo inhærent coeuntia, infernâ parte terram spectante, sicque clausa totâ nocte permanent, manè verò circa Solis ortum denuo expanduntur. Croceos fert *flores*, inodoros, plures in uno ramulo pendentes, multáque intus stamina

ſtamina cum *ſiliquæ* rudimento continentes, in caulis & ramorum ſummitatibus naſcentes: quibus ſuccedunt *ſiliquæ* rotundæ, digitum longæ & cœlum ſpectantes, plurima *ſemina* continentes rotunda, aliquantulum compreſſa. Diutiſſimè floret, ſubinde novos & recentes *flores* proferens, ſemperque virens. *Radicem* habet multifidam, lignoſam. Non ultra ſena in eodem folio pinnarum paria obſervavit Bellus.

Hon. Bello videtur ſuam plurimum ab Alpini Sophera differre, quod ex deſcriptione & icone colligere licet. Equidem Alpini figura vitioſa, duplici potiſſimùm nomine (inquit C. Bauhinus) primùm quòd in coſtæ extremitate malè poſuerit folium quod imparitatem faciat; dein quòd ſiliquas dependentes pinxerit, cùm omnes oblongæ, cylindraceæ, ſurſum ſpectant. Non tamen differentes facio, cùm ab Hon. Belli integram plantam ex Creta, & à Proſpero Alpino ſemina*(unde plantæ enatæ) acceperim, in utraque ſolam differentiam in foliis notavi, quæ in Ægyptiaca acutiora & atrovirentia ſunt. *C. B.*

Alpinum defendit Cl. Veſlingius *Obſerv. in lib. P. Alpini de Plant. Ægypt.* Utriuſque inquiens culpæ [quam Bellus ſci. & Bauhinus Alpino imputant] facilè & fidenter Proſp. Alpinum purgo. Quamvis enim frequentiùs paria ſint foliorum agmina, interdum tamen adjectum extremæ virgulæ privum folium : imò in eadem plantâ & parem foliorum ordinem & imparem obſervavi.

Siliquæ cœlum ſanè ſpectant. At nec hoc perpetuum eſt, cùm cœleſtis caloris inæqualis diſpenſatio humiditatúmque modò copia, modò inopia poſitum illarum permutet. Hæc Veſlingius, cui ut oculato teſti & veraciſſimo libenter fidem adhibemus.

Camerarius Noribergæ ſuæ decus Sopheram circa ramorum exortus, ſeu in alarum cavis, qua parte coſtarum latior extremitas caulem amplectitur, verrucis parvis rubentibus, quæ æſtu intenſiſſimo liquorem candidum, pellucidum exudabant, ſpectabilem in horto aluit. *C. B.*

CAP. V.

De Orobo ſylveſtri ſiliquis erectis.

• 1. *Orobus Braſilienſis flore luteo* Paiomirioba *dictus* Marggr.

Marggr.

EX unica radice multi prodeunt *caules*, circiter tres pedes longi, lignoſi, virides, nodoſi, in multos ramos divaricati, qui è nodis prodeunt: in quolibet ramulo octo vel novem folia, nimirum quatuor vel quinque paria, ſibi invicem oppoſita, planè ſimilia Orobi Pannonici *Cluſ.* In extremitate ramorum enaſcuntur *floſculi*, pentapetali, planè ſimilis illius Orobi Pannonici ſed omninò lutei. Flores ſequuntur *ſiliquæ*, quatuor, quinque, ſex, aut ſeptem dig. longæ, teretes, paulum compreſſæ, haud craſſæ, incurvatæ ut Enſis Polonicus; quæ per maturitatem fiunt fuſcæ & ſponte rumpuntur, atque effundunt *ſemen* rotundum, latiuſculum, compreſſum, fuſcum, paullò majus Lentibus. In qualibet ſiliqua 50 & interdum paullò plura continentur ſemina. Toto anno floret & fert ſemen. *Radix* longa, recta, multa ſuperiùs habet filamenta, flavi coloris.

Vires. Aqua deſtillatur ex hac planta, quæ comminuit & expellit calculos Veſicæ. *Radix* contra venena & ſtranguriam : folia contra *Bichos de Cu*; ſemen cum aceto contra impetiginem valet: Planta quoque contuſa & calidè applicata laterum doloribus auxiliatur. An ſiliquas erectas producat, non dicit autor, ut in icone erectas appingit; Puto Marggravium erráſſe in numero petalorum floris, niſi ſit error Amanuenſis aut Typographi.

• 2. *Orobus Braſilienſis* Tareroqui *dictus, Metapaſto Luſitanis* Marggr.

Marggr.

Species eſt Payomiriobæ, ejuſdem *figuræ* & eadem radice, caule, ramis, flore quoque ſed paulum minore, eadem diſpoſitione foliorum & ejuſdem coloris, differt tamen foliorum figura: nam hujus ſunt digitum aut paulo plus longa, figuræ ovalis, ad exortum ſuum anguſtiora, ſuperiùs viridia, inferiùs nonnihil incana, nervo ſecundùm longitudinem & venis obliquis prædita. *Semen* rotundum, nigrum, minutum, & multùm diverſum à ſemine Payomiriobæ.

Poſt Solis occaſum folia ſua componit & quaſi marceſcit, manè iterum explicat. *Hoc & aliis fere omnibus leguminibus convenit.*

3. *Orobus ſylvaticus purpureus vernus* C. B. *ſylvat. purpureus major* Park. *Pannonicus* 1. Cluſ. *ſylvat. vernus* Ger. emac. *Galega nemorenſis verna* J. B.

J. B.

Veris munus Galega ſylvat. pedem altos habet *caules* cum incipit florere, *foliáque* ſatis anguſta & mollia, poſtea majores, anguloſos, ex radicibus multiplicibus, fibroſis, nigris, perennibus numeroſos ſurgentes: in quibus *folia* ex duabus tribuſve conjugationibus compoſita, quorum ſingularia Parietariæ foliis paria, unciam aut ſeſcunciam lata, uncias circiter tres longa, in longum mucronem deſinentia, tribus ſecundùm longitudinem decurrentibus coſtis; bina quoque foliola caulem foliorúmque pediculos amplectuntur veluti pinnulæ. *Flores* in longo pediculo veluti ſpicati, ſex vel ſeptem aut octo, quales Leguminibus, purpurei primùm, poſtmodum cœrulei, quos *ſiliquæ* excipiunt, uncias duas longæ, nigræ, erectæ, in quibus *ſemina* rotunda, exigua, interdum verò oblongiuſcula, amaricantia. *Radix* quotannis iterum pullulat.

Locus. In dumetis *à la Baſtie*, & alibi circa Genevam ínque Germaniæ & Helvetiæ ſylvis frequens.

C. Bauhinus

C. Bauhinus Astragalum Columnæ hujus plantæ synonymum facit: J. Bauhinus valdè dubitat an sit eadem nécne, quoniam majorem florum numerum Astragalo suo tribuit Columna, (viginti nimirum) quàm unquam in Orobo descripto observavit: in foliis præterea non depinguntur, nec describuntur nervi ad Plantaginem accedentes.

4. *Orobus sylvaticus pallido flore* C. B. *Galega montana Dalechampii* J. B. *An Orobus Alpinus latifolius* C. B. Park?

J. B.

Cubitalis est planta, *caule* striato, ex quo per intervalla orti pediculi longitudinis mediocris quinas senásve annexas denso agmine sustinent foliorum conjugationes, quæ Galegæ vulgo notæ foliis quàm simillima: *Flores* in peculiari appendice spicam æmulantur, colore prædita luteo-pallescente, figurâ florum Genistæ quoque. *Radix* subest multiplex, tuberosa & longissimis fibris donata. *Siliquas* (quas mihi, inquit J. Bauhinus, observare non licuit) testatur Dalechampius esse nigras *seminibus* plenas Lenticulæ similibus.

Invenit J. Bauhinus in monte *Thuiri* non longè à Geneva: nobis ibi plantas indagantibus non comparuit. **Locus.**

Sibi persuadet Parkinsonus, & mihi unà, Orobum Alpinum latifolium *C. B.* in Prodromo descriptum non differre specie à planta hîc proposita. Vide & confer descriptiones Bauhini & Lugdunensis.

5. *Galegæ nemorensi vernæ similis flore albo* J. B. *Orobus Pannonicus* 4. Clus. *Orobus sylvaticus annuus flore albo* Park. *Orobus montanus flore albo* Ger. emac.

Clus.

Aliquot ab una radice prodeunt *caules*, cubitales, striati, recti, *folia* alternatim proferentes pennata, quaternis foliis satis amplis & mucronatis constantia (quibus adnascitur aliquando extremâ alâ quintum) viridibus, per quæ aliquot venæ transversim à medio nervo excurrunt, subacidi quidem initio gustûs, sed postea amariusculi. *Flores* ex alarum sinu brevi petiolo insidentes prodeunt quini aut seni, antrorsum spectantes. Viciæ floribus non dissimiles, albo colore præditi, qui in binis foliolis sursum reflexis [atqui unum duntaxat folium in floribus papilionaceis sursum reflectitur] pallescit, odoris expertes. Lobi quales in primo genere ferè, in quibus *semen* fuscum majus quàm in reliquis generibus. *Radix* minimè vivax est, sed prolato fructu perire solet ut plerisque Leguminum generibus accidit.

In Alpibus Austriacis nascentem invenit Clusius: itémque in Pannonia interamni in monte quodam sylvoso Greben arci vicino. Flores protulit Aprili & Maio in hortos translatus, deinde semen.

Orobum Pannonicum 4. Clusii C. Bauhinus Galegæ montanæ Dalech. eandem facit: J. Bauhinus, cui potiùs accedo, distinguit. Nam in Galega montana plures sunt in foliis pinnarum conjugationes. Judicet Lector.

* 6. *Orobus sylvestris angustifolius Asphodeli radice* C. B. *sylvaticus angustifolius* Park. *Orobus quorundam radice bulbosa, flore albo.* J. B. *Orob. Pannonicus* 3. Clus. *montanus angustifolius* Ger. emac.

Clus.

Graciles promit *cauliculos*, rectos, firmos, angulosos, pedales & cubitales: *folia* per intervalla uni costæ inhærentia, quaterna plerunque, ex adverso sita, erecta, angusta, trium ferè unciarum longitudinis, gustu aliquantulum acido initio, deinde amariusculo, nullis capreolis prædita, quòd *caules* satis firmi adminiculis non egeant. *Flores* in longis nascuntur surculis, spicæ instar congesti, florum Pisi aut Viciæ formâ, seni aut octoni, candidi coloris: deinde oblongi *lobi* nigricantes, prioris lobis pares, *semine* nigro, interdum etiam maculoso pleni, qui per maturitatem cum strepitu dehiscentes semen abjiciunt. *Radicibus* nititur quinis aut senis, minimi digiti longitudine, crassiusculis, Asphodeli aut Pæoniæ fœminæ minoris oblongis bulbis ferè similibus, minoribus tamen, foris nigris, intus albis.

In pratis Austriæ Thermis Badensibus vicinis, inque montosis ultra Danubium locis ad cæduarum sylvarum margines invenit Clusius. Floret cum superioribus & semen Junio perficit. **Locus.**

Araci vel Apios leguminosæ species Tossano Carolo J. B. excepto floris colore purpureo in omnibus cum descripta planta convenit.

Cap. VI.

De Leguminibus siliquis aculeatis seu echinatis monospermis Onobrychide & Glycyrrhiza echinata.

Onobrychis nonnullis ab ὄνος Asinus & βρύχω quasi Asini palmes dicta putatur: aliis ab ὄνος & βρύχω *frendeo*, ab asini ruditu, quòd eo depasto fremant asini, nec injuria, siquidem cum semen jam maturuit depascantur: Semen enim rigidis suis aculeis eorum palatum & os compunget.

Notæ ejus genericæ sunt floris spicati, siliquæ aculeatæ monococcæ.

A. 1. *Onobrychis sive Caput gallinaceum* Ger. *Onob. vulgaris* Park. *foliis Viciæ, fructu echinato major* C. B. *Polygalon Gesneri* J. B. **Medick Fetchling, or Cocks-head,** *& nunc vulgò nota nomine* **Sainct-foin.**

J. B.

Multarum notarum argumento Polygalon indigitabat Gesnerus herbam è radice mediocriter crassa longa, vivaci, cortice obtectâ nigro, intus albâ, *ramos* proferentem multos, palmares vel etiam cubitales, rubentes, in terram reclinatos; è quibus orti pediculi *folia* conjugatim disposita sustinent Lentis, inferiùs magis albicantia & pilosa, superiùs viridantia magis, plurima, cum impari in extremo, mucronata: E foliorum alis exeunt pediculi prælongi, florum spicas sustinentes in longum excurrentes unde & semina non coacervata sunt sed rariùs disposita. *Flores* pulchrè rubent supremo folio (quod plerunque reflectitur) lineolis saturatioribus eleganter striato, è calice hirsuto. Sequuntur seminum *conceptacula* subrotunda, modicè compressa, spinulis asperata, & per ambitum gibba, cristam serratam, membraneam erigentia, *semina* singularia, reniformia continentia.

Locus. Ad latera collium *Gogmagog* dictorum propè Cantabrigiam, inque satorum ibidem marginibus necnon campestri planitie propè Novum mercatum, inque ejusmodi planitie montosa *Salisburiensi*, ut & alibi in Anglia sponte provenit, semper tamen solo cretaceo & sicco, locis apricis, ut circa *Royston* oppidum. In transmarinis propè Genevam copiosè provenientem observavimus in pratis, ubi & J. Bauhinus.

Hæc est quæ non ità pridem seri apud nos cœpit pro jumentorum pabulo **Sainct-foin,** i.e. Sancti fœni nomine, semine è Gallia petito, maximo multorum emolumento. Multam enim ex ejus esu Vaccis & aliis animalibus lactis copiam contingere compertum est, unde Polygalon & meritò Gesnero dicitur. Præterea solo gaudet sterili & cretaceo, aut ficciore, nec graminis neque frumenti admodum feraci; unde à quo seri cœpit hujusmodi agrorum annui reditus soli Dominis multoties iterantur.

Diensibus Allobrogum, ubi pratorum copia non est, in asperis & lapidosis locis, pauculâ terrâ tectis, bidente tantùm scalptis, injecto fimo & diligenter comminuto ea gens serit, & humo inspersо stercore operit. A satu imber si subsequatur facillimè comprehendit, & optime proficit, dispersis huc illuc cauliculis, sic vestiens & operiens solum, ut in jejuno & squalidissimo solo latissimi prati speciem ostendat. Secatur singulis annis ter, cùm adolevit & corroborata est, & pecori gratissimum pabulum est. Gaudet præcipuè locis aridis & sabulosis, in quibus floret Æstate & semina perficit Autumno. *Moris.*

Ingeniosissimus Vir & rei herbariæ peritissimus *D. Sloane* exhibuit nobis ramulum ficcum Onobrychidis cujusdam quam majorem non descriptam vocat. Vulgarem Onobrychidem foliis & spicâ refert; sed florum color videtur esse cœruleus.

2. *Onob. minor flore parvo purpureo, siliquâ echinatâ, majoribus aculeis. An Onobrychis fructu echinato minor* C. B.

Omnibus sui partibus, filiquis exceptis, præcedente minor est foliis brevioribus & angustioribus, paucioribus ad mediam costam adnexis, non ultra sex paria numeravimus; *cauliculis* procumbentibus sesquipalmaribus aut etiam interdum dodrantalibus, geniculatis, internodiis longioribus, ramosis. E ramorum sinubus *pediculi* exeunt unciales aut sescunciales, flores aliquot congestos sustinentes, parvos, purpureos, quibus succedunt *siliquæ* echinatæ & cristatæ, præcedentis similes, verùm majores, spinulis crassioribus & longioribus munitæ, sex septémve in eodem pediculo, eæque satis confertæ, unicum intus semen continentes singulæ, petiolis brevissimis hærentes.

Locus. In insula ad Promontorium Siciliæ Pachynum invenimus. Reperitur etiam circa Monspelium.

Miror C. Bauhinum fructus parvos Onobrychidi suæ minori tribuere, cùm nostræ hujus Capitis gallinacei vulgaris (ut diximus) majores sint.

* 3. *Polygalum minus saxatile* J. B.

J. B.

Tota quanta est vix palmum superat. *Radicula* candida est, longiuscula, modicè pro plantulæ modulo crassa, divisa in capita, paucis fibris donata. Ex qua *foliola* statim emergunt, costæ hærentia, repanda, Capitis gallinacei, sed obtusiora, latioráque, pilis candidis obsita. *Colieuli* graciles sunt, consimilibus foliis vestiti, supernè divisi: quorum extremis *flosculi* insident, luteoli, aut pallliduli, hiantes, exigui, pauci, Astragalorum positu, nec in spicam abeuntes, ut in Polygalo Gesneri: *Capitula* sequuntur exigua, rotunda, aliquot apiculis supernè donata.

Locus. Collegit Cherlerus circa arcem Episcopi Monspeliensis, in locis incultis, asperis & saxosis: Nondum invenire potuit *P. Magnol.*

4. *Glycyrrhiza echinata* Park. *echinata Dioscoridis* Ger. *Glyc. Dioscoridis echinata, non repens* J. B. *Glyc. capite echinato* C. B. **Rough-headed Liquorice.**

J. B.

Ut minùs nota ità minoris hodie usûs Dioscoridis Glycyrrhiza, cui non, ut vulgatæ, *radices* tenues, circumquaque repentes, sed crassæ, latæ, rectáque depactæ, simplices, brachii longitudine ac crassitudine, buxei (inquit Dod.) luteive intus coloris, foris raró alterius, sed tamen quandóque nigricans, minori verò dulcedinis gratia (Dod. ait, dulci sapore cum austeritate quadam) stolones autem plures virgultei hominis proceritatem subinde assequuntur: *Folia* Lentisci majora, acuminata, conjugatim rachi alligantur, viroris saturati, & tactu nonnihil glutinoso. *Flores* è foliorum alis exeunt parvi,

parvi, cœrulei: sequuntur *fructus* ex pluribus oblongis *siliquis* echinatis glomerati, ad imum cohærentibus, quorum singulis singula insunt *semina*.

Ubi sponte proveniat ab idoneo aliquo autore traditum non invenio: verisimile tamen est circa Antiochiam Syriæ nasci: Nam Lobelius à Valen. Dourez se Glycyrrhizam spinosam Antiochenam accepisse scribit, quæ J. Bauhini sententiâ non erat diversa ab echinata. *Locus.*

SUBSECTIO SECUNDA.

Legumina non scandentia siliquis simplicibus, non articulatis propendentibus.

Cap. I.

De Orobo vero seu genuino credito.

Orobus dicitur παρὰ τὸ ἐρέπτεσθαι ὑπὸ τῶν βοῶν, quòd boves eo vescantur & saginentur. Dioscor. lib. 2. cap. 131. βοῦς δὲ λιπαίνει ἑφθὸς παρατιθέμενος, *boves autem saginat si elixum apponatur.*

An Orobus vulgo creditus seu Mochus Italorum sit verus Antiquorum Orobus ambigitur: non esse arguit quod nulla huic insit amaritudo, nullúsque ingratus sapor, sed leguminosus & pisorum vulgarium. Inter legumina præter Lupinum nullum amarum inveni, inquit J. Bauhinus. Orobus ergo Antiquorum huic ævo incognitus videtur. Adde siliquam non esse cylindraceam ut Orobi Theophr. E contra Honorius Belli ex Cydonia Cretæ ad J. Bauhinum misit semen (ut ipsi videbatur) Orobi vulgaris, hâc addita inscriptione Orobus ὀρόβι sive ῥόβι, quod rustici serunt singulis annis & boves eo saginant Antiquorum more.

Hujus nota est siliqua nodosa, torulis seminum protuberantibus velut articulata.

1. *Orobus sive Ervum multis* J.B. *Or. receptus Herbariorum* Ger. *vulgaris Herbariorum* Park. *siliquis articulatis, semine majore* C. B.

Cauliculis infirmis, ab eadem radice pluribus assurgit, pedalibus aut altioribus, angulosis glabris, ab imo statim ramosis. *Folia* longa, decem aut duodecim, aut etiam pluribus pinnularum obtusarum extremo crenatarum conjugationibus ad medium nervum seu ῥάχιν adnexis, composita, nullo in extremo impari pinnâ, neque verò claviculâ. E foliorum alis ut in hujus generis reliquis, exeunt pediculi *flores* in summo gestantes nunc singulos, nunc binos, exiguos, quàm Lentis tamen majores, folio clypeiformi exteriùs purpurascente, interiùs albo, purpuro-cœruleis lineis striato. Flosculis succedunt *siliquæ* unciam longæ, tenues, cylindraceæ, per maturitatem albentes, articulatis torulis, in quibus semen rotundum, (angulosum redditur ubi siccum) leguminoso duntaxat gustu, non amaro.

In agris circa Monspelium & Genevam vulgaris est. *Locus.*

* 2. *Orobus Creticus* Park. Matth. *semine minore* C. B.

Hunc præcedente majorem facit Parkinsonus: At Matthiolus semina minora ei attribuit. Verisimile est eundem specie esse, & siquid intercedat discriminis, id loco & culturæ deberi, autor Parkinsonus, quem & nos libenter sequimur. Idem etiam videbatur J. Bauhino, qui semen ejus ab Honorio Belli è Cydonia Cretæ missum accepit.

Orobo similis Lathyrus Cretensis Belli J.B.
item,
Orobo similis Aracus Cretensis Belli ejusdem.

Horum semina Orobi seminibus simillima erant. Primi solum discrimen erat in colore, qui medius erat inter Orobum & Aracum ab eodem Bello missum: Secundi semina paulò majora erant, & colore ad glaucum accedente.

Cæterùm cùm Orobus Veterum hodie incognitus est, vires ei adscriptas omittemus, siquis curiosior eas scire Dioscoridem, Galenum, Plinium consulat.

3. *Cicer Orobæum* Park. *Orobæum Theophrasti* Ad. Lob. *Orobus semine obtuso triangulo* C. B.

Ad. Lob.

Culmo assurgit sesquipedali, geniculato lateratim, quasi in obliquum flexo, leviter striato, fistuloso: *foliolis* in imo nervulo prolixo hærentibus Lentis aut Araci. A medio autem ramulis donatur & foliatis pediculis: & juxta summos alarum geniculos complures confertæ *siliquæ*, uno ferè exortu nixæ, sese tangunt & stipant, cylindreæ, unciam longæ, rectæ, teretes, inter transversa pusilla intervalla foras protuberantibus singulis quasi torulis, ternis & quaternis, articulatim distinctis: ipsa

 intùs

intùs *semina* nullâ membranulâ distincta Pisum Arietinum fermè æquant, obtusè triangula, Orobo duplo majora, colore albida, pallida & subfulva, non ingrati saporis Ciceris aut Pisi.

Locus. Norbonæ & Gallo provinciæ plerisque satis per messes flavet.

Cap. II.

De Orobo sylvatico siliquis propendentibus.

A. 1. *Astragalus sylvaticus* Ger. *sylv. foliis oblongis glabris* C. B. *Astragaloides sive Astragalus sylvat. Astragalo magno Fuchsii vel Chamæbalano leguminosæ affinis planta* J. B. *Lathyrus sylvestris lignosior* Park. **Wood-pease, or Heath-pease.**

J. B.

EX *radicibus* longis, quasi repentibus, variéque implicatis, partim tenuibus, partim tuberosis, Chamæbalani Dodon. perquam similibus, nisi è tuberibus plures capillares fibræ prodirent, externè nigris, internè albis, sapore subdulcibus, *caules* exurgunt multi dodrantales aut pedales, angulosi. *Foliorum* ad eandem costam adnexorum duo aut tria paria præter ea quæ ad caulem sunt, nullo in extremo neque impari folio, neque capreolo, costâ mediâ in pilum tenuem procurrente. Ex alis foliorum emergunt *surculi* floriferi, non admodum longi, duos aut tres *flores* sustinentes pallidè purpureos, & ad carneum dictum colorem tendentes. *Siliquæ* flores excipiunt sesquidigitum aut duos digitos longæ, angustæ, teretes, primùm subrubræ, deinde per maturitatem nigræ *semina* octo aut plura parva, subrotunda, ex viridi flavicantia continentes.

Locus & Tempus. In sylvosis & dumetis Aprili floret, & Maio semen perficit.

Vires & Usus. Saporem habent hujus radicis tubera ad Glycyrrhizam accedentem, iisque utuntur Scoti montani ad eosdem thoracis affectus quibus Glycyrrhiza convenit. *Karemyle* illis dicitur, & ea tubera cum aqua temperata ad famem & sitim diutiùs tolerandam utuntur, & utilissima experiuntur: dulci enim suâ substantiâ humores in ventriculo acidos & acres corrigit & mitigat, imò figit & compescit, adeóque famis & sitis remedium est. Et propterea si non sit eadem planta quæ Theophrasto *Scythica* dicitur (quæ Glycyrrhiza esse communiter à doctis censetur) ei certè consimilis est, leguminosa, siliquosa quoque & facultatis ejusdem. Et verisimile admodum Autori nostro videtur, hujus plantæ tubera cibum esse à Dione in Severi Imperatoris vita memoratum, quo usos dicit Britannos, ut per aliquot dies (ab hostibus pressi) famem & sitim tolerarent. Hæc enim vires Glycyrrhizæ pares habet, pasśimque in montibus nostris sponte provenit planta, & ad hunc usque diem montanis nostris (qui priscorum Scotorum mores & vivendi rationem retinent) ad eosdem usus ejus tubera usurpantur. Glycyrrhiza autem (quod sciam) nullibi in tota insula nisi plantata nascitur. *D. Sibbald. in Prodr. nat. Hist. Scotiæ.*

Siliquæ hujus plantæ erectæ vix possunt dici, sed potiùs propendentes, aut sitûs inter erectum & propendentem medii. Quæ sequuntur etiam an siliquas erectas, an propendentes obtineant non satis scio. Nonæ autem & undecimæ speciei Clusius siliquis propendentes appingit. Verùm quia Orobi nomine à Botanicis insigniuntur illis subjiciendas censui.

* 2. *Astragalus quibusdam, Araco Tossani Caroli similis* J. B.

J. B.

Hujus *flores* vario constant colore, albo quippe, luteo, & leviter rubescente. *Radix* bulbosa ut Pæoniæ: *Caules* cubitales, angulosi: *Folia* duas, tres, quatuórve conjugationes habent, quæ Arachi foliis longiora sunt, de cætero eis valdè similia, sed non in capreolos desinentia. Florum pediculi palmo minores, angulosi, in quorum extremitatibus *flores* plures, quales Lathyro luteo sylvestri. Juxta principium foliorum & pediculorum appendices acutæ.

Locus. In editioribus pratis circa Bononiam collegit Agerius.

3. *Orobus sylvaticus Viciæ foliis* C. B. *Pannonicus* 2. Clus. *Astragaloides* Ger. *Astragalus Herbariorum* Park. *Astragalus major Fuchsio* J. B.

J. B.

Radice est satis longâ & crassâ, dulci: *Caulibus* rectis, cubitalibus, striatis angulosis: *Foliola* Viciarum modo disposita, novem, vel undecim, interdum unguibus longiora, aliàs multò minora, ex rotundo oblonga, ad costam unam adnexa, subcœrulea, quæ exsiccata nigrescunt. *Flores* ex pediculis longis satis magni, purpurei, ex eodem pediculo plures; formâ Viciarum: quibus succedunt *siliquæ* longæ, teretes, admodum affines siliquis Astragali sylvatici *Thal.* Clusio flores purpurascente sunt colore, qui vetustate in cœruleum commutatur.

Locus. Abundat in colle *la Bastie*, ad ripas Rhodani, & in montis Salevæ sylvosis propè Genevam: in Germania quoque non admodum rarus est.

* 4. *Astragalus Alpinus Helveticus* C. B. *Astragalus Alpinus* Park. *Astrag.* 2. Clus. *Astragaloides Helvetica* Park.

Clus.

Hanc plantam in Cantabris, Helvetiorum Alpibus atque etiam Pannonicis observabat Clusius, *ramulis* aliquot ex una radice prodeuntibus, gracilibus, interdum surrectis, utplurimum autem procumbentibus, *foliis* Ciceris foliorum instar in ala ordine dispositis, sed rarioribus & longioribus,

nec

nec in ambitu serratis, sed valdè accedentibus ad Orobi primi folia: *flore* Viciæ aut Ciceris flori similli, ex cœruleo purpurascente, cui succedunt *lobi* Arachi siliquis ferè pares, in quibus *semen* continetur. *Radix* est tuberosa, nigra, dura, cui propagines adnascuntur sarmentitiis radiculis inhærentes, illi similes sed minores.

Hanc Clusius habet pro Astragalo Dioscoridis legitimo *Col.* quem C. B. (ut diximus) Orobi Pannonici 1. *Clus.* synonymum facit.

* 5. *Orobus Venetus* Clus. Ger. emac. *Sylvaticus Venetus* Park. *latifolius parvo flore purpureo* C.B. *Galegæ nemorensi vernæ similis multiflora, flore purpureo & albo* J.B.

Multos ex eadem *radice* fundit ramos pedales & angulosos, & ad singulas foliorum alas modò in hanc, modò in illam partem inflexos, humique utplurimum diffusos: *folia* ad singulas alas quaterna aut sena, uni costæ inhærentia, bina semper ex adverso sita, nullo extremo imparem numerum faciente, Orobi Pannonici 1. foliis pænè similia, sed dilutè virentia. *Flores* oblongis virgulis, ex alarum cavis prodeuntibus innascuntur, numerosi, in comam inflexi, pusilli, coloris purpurei. Oblongi *lobi*, mucronati, Viciæ loborum pæne æmuli, rotundiores & magis teretes, maturitate rufescentes, *semen* continent Orobaceum, oblongiusculum, albicantis coloris. *Radix* dura, lignosa, multis fibris in diversa tendentibus donata, vivax est & singulis annis frequentiores caules profert.

Hæc species semine Venetiis misso Clusio enata est, & Maio mense floruit.

Differt à Pannonico primo *Clus. foliis* dilutiùs virentibus, pauló obtusioribus, nec trinerviis: *floribus* pluribus in eodem surculo, minoribus, in utramque partem conversis, non in unam tantùm ut in illo: addit Morisonus, & siliquis propendentibus.

* 6. *Orobus Americanus luteus siliquis incanis* Breynii.

Breyn.

Rara, inquit, ad nos ex *Curacao* insula delata est planta, Viciæ instar nascens, penitus autem hirsuta ac incana; *caules* verò proferens rectos, pedales cubitalésve: quos *Folia* vestiunt alata, dena & aliquando duodena, ex adverso ordine uni rachi biunciali inhærentia: singularia verò folia à Polygalo Gesneri in eo tantùm discedunt, quòd tam inferiore quam superiore parte incanâ densâq; lanugine sunt pilosa. *Flores* pusilli, Medicæ similes, ex calyculo villoso in plumatas cuspides instar Lagopi exeunte provenientes, quadrantalibus & longioribus insident pediculis, è foliorum alis exortis, spicam longam efficientes, flavi: quos *siliquæ* excipiunt incanæ, teretes, uncias ternas longæ, & acinacis in morem contortæ, in quibus multa *semina* oblongiuscula, parva, ceu Fabeolæ minutæ formata, obscurè cinerei coloris, nigricantibus maculis interstincta & subdulci gustu, continentur. *Radix* eandem fermè vim quam Cocci Orientales ad pisces attonitos reddendos obtinere dicitur.

7. *Orobus Alpinus latifolius* C. B. Park.

C. B. prod.

Ramis est cubitalibus aut altioribus, angulosis, viridibus: foliis in singulis alis octonis, uni costæ adnatis, & sibi invicem oppositis, uncias tres longis duas latis, viridibus, nervosis, & cæteris Ororum foliis minùs acutis: è virgulis ex alarum cavis, palmaribus, nudis prodeuntibus *flores* unciales, Genistæ formâ, pallidè lutei, at folio superiore rufescente, dependent, stylo ex illorum medio prominente. Lobos & semina non vidimus.

Locus. Ex Helvetiorum Alpibus habemus.

Cap. III.

De Cicere sativo.

Latini nominis ratio incerta est. Cicer à Græcis esse ait Isidorus, lib. 17. cap. 4. Sed Græcis est ἐρέβινθος. Fortasse tamen sit à Græco κῖκυς, i. e. *robur, vires*, ob vim quam habet; solum enim ob salsilaginem suam urit: ideóque nonnisi pridie madefactum seri debet, ut ait Plinius lib. 18. cap. 12. Ab eo dicti *Cicerones*, ut à *Piso Pisones*, à *faba Fabii*, à *lente Lentuli*, uti testatur Plinius lib. 18. cap. 3. ubi ait prima hæc cognomina indè esse, ut quisque genus aliquod optimè sereret. *Voss. Etymolog.* Ἐρέβινθος Græcis dicitur, vel quod semina in vasculo quasi flatu distento bina ferat ad instar testiculorum, vel quòd maximè Venerem excitet. Ἐρέβινθος enim, teste Suida & Aristophanis scholiaste, τὸ τῦ ἀνδρὸς αἰδοῖον.

1. *Cicer sativum* C.B. Ger. *arietinum* J. B. *sativum sive arietinum, nigrum, rubrum, vel album* Park. **Chiches, or Chich-pease.**

J. B.

Suâ vi surrigitur Cicer, *caulibus* hirsutis, durioribus, ramosis. *Folia* pinnata, hirsuta, claviculárum expertia, quorum singularia haud malè foliis Ononidis comparaveris, denticulata sive serrata: ex quorum alis *flores* emicant singulares, colore purpurascente vel albo. *Siliquæ* teretes, breves, turgidæ, ac velut flatu distentæ vesicarum instar, *semine* farctæ, Piso æquali, colore albo, russo aut nigro, cujus capiti appositum corniculum. Sapor ad Pisa accedit, ut & *radix*. Bina aut ad summum terna sunt *semina* in singulis siliquis.

Triplex habetur Cicer Sativum, 1. *Candidum*, quod & Columbinum vocatur: 2. *Rubeum*, Venereum dictum: 3. *Nigrum*, cæteris minus & angulosius, quod Arietinum appellatur. *Matth.*

Locus. In Hispania, Italia & Gallia passim in agris seritur: pullo crassóque solo gaudet. Floret Junio & Julio mensibus, atque subinde in siliquis semen producit.

Vires. Cicera apud Veteres erant in cibario usu, ut hodiéque apud Italos, à quibus non tantùm cocta sed & cruda dum viridia adhuc sunt, esitari observavimus: præstat autem in aqua elixa mandere, & virentia adhuc ante adeptam maturitatem, ut Pisa & Fabas solemus. Est autem Cicer edulium non minùs quàm Faba flatulentum, sed valentius quàm illa. Ad Venerem autem stimulat, creditúmque est etiam semen generare, unde quidam equis admissariis ipsum exhibent. Attrahendi, extergendi, aperiendi, incidendi, digerendi vi pollent: urinam cient & calculum frangunt: lædunt autem vesicam exulceratam & renes. Tragus & Plinius decocti jus calculum pellere scribunt, rectiùs & modestiùs quàm Dioscorides, Galenus, Simeon Antioch. qui evidenter lapides confringere affirmare non erubescunt. Si (inquit J. Bauhinus) tanta vis est Cicerum, maximè Bithyniensium, ut evidenter frangant calculos, pretiosiores erunt auro & cæteris omnibus lithontripticis: nullum enim existimamus veraciter dici posse frangere calculum; nec etiam si fieret evidenter id appareret.

Cicera Dioscoridi εὐκοίλια sunt: Quomodo hoc (inquit C. Hofman.) cùm sint πνευμάτων γεννητικὰ καὶ φυσώδη? quia propter substantiam quandam terream (potiùs nitrosam) abstergunt & alvum movent, non secus ac Beta, Brassica, alia hujus generis. Tum verò edere oportet non sicca, sed in aqua decocta. Sicca enim, qualia etiam frixa sunt, alvum sistunt. Dicendum cum Antiocheno habere quasdam partes salsas in superficie quas in decoctione deponunt, quibus ventrem movent, quasdam dulces in centro, quibus urinam eliciunt.

Jus eorum ictericos juvat: decoctum lumbricos ejicit, menses & fœtus educit, & lac gignit. In cataplasmatis psoras, lichenas, parotidas sanant, testes inflammatos discutiunt, ulcera maligna consolidant.

Apud nos tantùm ferè usurpatur decoctum Cicerum rubrorum in impedita urina: sed monent Practici nè usurpetur frequentiùs in iis, in quibus exulcerationes sunt dictarum partium (quod ex Dioscoride & Plinio habent.) Idem datur vel solum, vel cum maci, petroselino, aliis ad cienda τὰ λόχεια: imò etiam ad augendum lac, si Diis placet. At hoc è Veteribus habent. Sed quomodo εὐχροίας ποιητικὸν ὁ ἐρέβινθος? Abstergendo cutis vitia. *C. Hofman.*

* 2. *Cicer montanum ἄγκυλον* C. B. Park.

C. B. prod.

Radice est longâ, in profundum, nisi fissilium lapidum interventu prohibeatur, descendente; à quâ exurgunt *pediculi* palmares, tenues, hirsuti, utrinque *foliis* duodenis & pluribus, subrotundis, sed nonnihil quàm in Cicere sativo longioribus, marginibus hirsutis, modò æqualiter, modò inæqualiter ex adverso nascentibus, folio tamen extremo impari, vestiti. *Flosculi* ad radicem oblongiusculi, pallidi, formâ ad florem Loti tetragonolobi accedente: His succedunt *siliquæ* prætumidæ, duabus valvulis constantes, semine reniformi, Medicæ in modum flavescente prægnantes.

Locus. Vernis mensibus floret in montibus Thuringiæ circa Northusam.

* 3. *Cicer montanum lanuginosum erectum* C. B. Park.

C. B. prod.

Ramis est pedalibus, rectis, rotundis, molli lanugine hispidis, in ramos semipalmares, etiam multo minores, brachiatis, in quibus *folia* Viciæ sylv. formâ, longa, modò latiora, modò angustiora, mollia, levi lanugine obsita, dena, duodena, & totidem ex adverso eidem costæ inhærentia, extremo semper imparem numerum faciente ramulorum: apicibus spica *florum* pallidorum & hirsutorum insidet; quos sequuntur *siliquæ* oblongæ, lanuginosæ, in exiguum recurvum filamentum desinentes, quæ *semen* nigrum, minutum continent.

Locus & Tempus. Hoc angustioribus foliis in Valesia ad Thermas Lucenses Julio florens reperitur: at quod paulò latioribus, in montibus Francenhusanis.

CAP. IV.

De Leguminibus supra infráque terram fructum ferentibus, seu Arachydna.

ARaci vel Arachi nullam apud Grammaticos invenio Etymologiam.

* 1. *Arachydna aut Aracoides Honorii Belli* J. B. *Viciæ similis, supra infráque terram fructum ferens* C. B. *An Theophrasto Araco ὅμοιον* Clus. *Arachidna Cretica* Park.

Bell.

Herba est dodrantalis, *foliis* leguminosis Lentis, vel Viciæ, minoribus, obtusis, cordatis. Viticulis tenuibus, quorum extremis *flores* hærent purpurei Viciæ. Circa radices sub terra fert *siliquas* parvas, Lenticulæ similes, in quibus modò unum, modò bina *semina*, rotunda, nigra, in altera verò non nigrum, sed Orobo simile. At quos fructus in caule proferat pluribus occupationibus præpeditus hactenus observare non potui.

Addit

Addit J Bauhinus, Nigrum semen Viciæ sativæ simile esse, dentibus durum attritu, sapore Pisorum; medullâ alba: Album verò simile formâ, sapore & duritia.

Clusius plantam siccam inter semina à Jo. Pona missa in Horto Botan. Lugd. Bat. serenda, in quibus nonnulla ab Hon. Bello communicata, repertam sic descripsit.

Statim à radice in plures ramulos dividitur, semipedalis aut dodrantalis ad summum longitudinis, tenues, angulosos: quos alternis ambiunt exiguorum foliorum alæ, Lenticulæ aut Araci foliorum alis similes: ea parte extimâ latiuscula, & quodammodo cordis (ut vulgò pingi solet) formam imitantia, per medium secundum longitudinem nervo secta, qui extimam foliorum partem nonnihil superat; nascuntur autem in singulis alis ex utroque latere quaterna vel quina, vel ex adverso sita, vel inæquali serie: ipsa vero extrema ala in capreolum desinit; & se convolvit, ut in Lenticula & Vicia. Illius florem non conspexit Clusius, sed siliquas duntaxat in alarum sinu nascentes, latiusculas, unciam longas, aut paullò longiores, fuscas, nonnihil villosas, mucrone incurvo & quasi hamato præditas, continentes bina aut terna *semina* nigra, rotunda, non angulosa, quæ maturitate dissiliunt. *Radicem* habebat Lenticulæ aut Araco similem, è cujus capite, summâ quasi tellure, plures parvas, tenues, albas fibras quaquaversum spargebat, è quarum singulis dependebant singulares, interdum geminæ *siliquæ*, breves & rotundæ, extima parte in curvum mucronem desinentes, tenellæ & candicantes, continentes unicum utplurimum semen, nonnunquam [quæ majores] & alterum, rotundum, illo non minus quod siliquæ in plantæ ramis nascentes proferunt, sed albicantis aut subfusci coloris.

Mirum J. Bauhinum in planta à Bello accepta nullos observâsse capreolos, cùm Clusius, ut vidimus, capreolos plantæ à se descriptæ attribuat, atque etiam in icone appingat.

Parkinsonus duas adhuc alias profert Arachidnæ species: primam è semine Ulyssippone sibi à Boelio misso ortam, quam Jo. Bodæo à Stapel sub titulo Araco similis descriptæ eandem esse suspicor.

* 2. *Arachus sub terra siliquifera Lusitanica* Park.

Park.

Præcedenti similis est: *Ramuli* tenues pedalem longitudinem non multùm superant, in terram plerunque procumbentes, *foliis* parvis, angustis, numerosis, ordine dispositis, ad summitates usque vestiti. *Flores* è foliorum sinubus exeunt, parvi, rubentes, quibus excussis succedunt *siliquæ* parvæ, *semina* exigua, rotunda continentes. *Radix* in terram rectâ descendit, fibris multis adhærentibus. A radicis capite & inferiùs exoriuntur *siliquæ* breves, crassæ, dum adhuc sub terra latitant albicantes, quæ postea aeri expositæ colorem mutant & obscuriores fiunt, singula, vel bina summùm *semina* continentes, iis quæ supra terram nascuntur multò majora, & nonnihil maculosa.

Ex imperfecta hac descriptione an capreolis donetur necne non discimus.

Planta hæc, si eadem sit Bodæo à Stapel * descriptæ, ad hoc genus non pertinet, sed ad Lathyrum, ubi descriptionem ejus Stapelianam vide. Hanc autem illi eandem esse suspicor, quia & illa Stapelio nata est ex Hispanico semine à Guil. Boelio misso.

† *Annot. in Theoph. Hist. lib. 1. cap. 11.*

* 3. *Aracus* ὑπόγαιος *Americanus* Park. *Mundubi Brasiliensibus* Marggr.

Marggr.

In pedalem aut bipedalem altitudinem assurgit, *caule* quadrato aut striato, ex viridi rufescente, & piloso. Hinc indè enascuntur ramuli, primò quasi caulem amplectentes, & foliolis angustis acuminatis stipati: mox habent nodum, ac trium vel quatuor digitorum longitudine extenduntur; continétque quilibet ramulus quatuor folia, duo semper sibi opposita, paulò plus quàm duos digitos longa, sesquidigitum lata, supernè lætè viridia, instar Trifolii, infernè paulùm canescentia, nervo conspicuo & subtilibus venulis quasi parallelis dotata, raris quoque pilis vestita. Ad exortum ramulorum qui folia gerunt prodit pediculus sesquidigitum circiter longus, tenuis, flosculum gerens flavum, & per oras rubentem, duobus foliolis constantem more Viciarum aut Trifolii. *Radix* illius haud longa, tenuis, contorta, filamentosa, cui adnascuntur folliculi, ex albicante grisei, figurâ minimæ cucurbitæ, oblongæ, magnitudine Myrobalani, fragiles, quilibet autem in se continet duos nucleos, pelliculâ saturatè purpureâ vestitos, carne intus albâ, oleaginosa, sapore Pistaciorum, qui comeduntur cocti, & inter bellaria apponuntur: multùm tamen comesti capitis dolorem causare aiunt. Fructu integro quassato nuclei intus strepunt.

Hæc est proculdubio planta illa, cujus siliquam describit Parkinsonus sub titulo allato, quámque in Americæ regionibus tam versùs Austrum quam versùs Occidentem sitis, ínque insulis adjacentibus frequentissimam esse scribit, cujus fructus nautis nostris nuculæ terrestres perperam dicuntur.

* 4. *Legumen trifolium sub terra fructum edens. Mandubi d'Angola* Marggrav.

Marggr.

Caliculo tenui, sarmentoso, longè super terram serpit, instar *Jeticu*, ac novas fibras agit in terram, atq, hinc indè, unius, duorum, aut trium digitorum intervallo, profert pediculos, tres aut quatuor digitos altos, striatos, qui tria folia Phaseolorum modo disposita sustinent, dilutè viridia, duos & ampliùs digitos longa, figuræ ellipticæ, nervo secundùm longitudinem & venis obliquè currentibus. In eodem caule etiam *flosculi* proveniunt in suis pediculis egregiè flavi. Caulis multas fibras agit, quibus sub terra annascuntur retis ferè figurâ & nucis Avellanæ magnitudine aut paulò majores *folliculi*, quorum substantia alutam ovillam crassitie æquat, exteriùs terrei aut umbrosi coloris, interiùs splendidè albi: quilibet autem folliculus secundùm longitudinem circumcirca quasi suturam monstrat, & pressus secundùm illam finditur, continens in se duo grana, vel etiam unum, si minor sit, more seminis Pisorum adhærentia, Pisiformia & ejusdem magnitudinis, & consistentiæ cum Pisis recentibus, flavo-pallida, & cum siccis saporis; quæ comeduntur. Sæpiùs irrigari desiderat, amat enim humiditatem.

CAP. V.

De Legumine floribus spicatis, siliqua tumida semine reniformi.

SIliquis tumidis & vesicæ instar inflatis cum Cicere convenit, semine reniformi & floribus spicatis necnon magnitudine sua & duratione ab eodem multùm differt.

Astragalus Bæticus Clusii Park. *Astragalus Lusitanicus Clusii* Ger. *Astr. Bæticus lanuginosus, radice amplissima* C. B. *Astrag. fortè lanuginosus Bæticus* J. B.

Clus.

Cubitales aut ampliores sunt huic Astrag. *caules*, minimi ferè digiti crassitudinem æquantes, pentagoni sive angulosi, duri, subrubentes & lanuginosi: *folia* lanuginosa & incana in longa costa ex adverso semper inter se opposita, veluti in Viciæ aut Ciceris foliis, gustu primum adstringente, deinde fervido. *Flores* copiosi, Lupini aut Fabæ vulgaris florum æmuli, secundùm oblongos ramulos seu virgas, ex alarum sinu prodeuntes nascuntur, serie quadam digesti, albidi omnino, sed antequam aperiantur & explicentur ex luteo foris nigricantes. Fructum ferre dicitur (nam florentem duntaxat observabat Clusius) in lobis, qui gustatus fauces, os & linguam inflammatione torqueat. *Radix* pro stirpis magnitudine amplissima, brachialis nonnunquam crassitudinis, palmaris verò longitudinis, deinde in duos aut tres ramos divisa, foris nigra, rugosa, intus candida, dura & lignosa, ingrati saporis, quæ arefacta cornu duritie superat.

Locus. Collibus quibusdam supra Ulyssipponem, quos Tagus alluit, inter vepres observavit Clusius: item, sylvosis locis non procul Hispali.

Honorius Bellus, (si modò eandem plantam intelligat, quod opinatur Clusius, titulo *Phaseoli novi generis*) *siliquas* ei attribuit rotundas, pollicari crassitudine, tumentes & multo aere plenas, colore rubras, in quibus continentur sex aut octo *semina*, ad luteum tendentia, compressa, Phaseoli figurâ.

CAP. VI.

De Leguminibus nonnullis incertæ sedis.

* 1. *Onobrychis* 5. Clus. *Onob. Tragacanthæ foliis, floribus in globum congestis* C. B. *Onobrychis globoso capite* Park. *An Astragalus Syriacus* Lob. Ger. Park. J. B? *Syriacus hirsutus* C. B?

FOlia huic mollia, incanâ lanugine pubescentia, ut Tragacanthæ legitimæ folia, & eodem modo uni costæ inhærentia, quindecim & plura, interdum etiam viginti quinque, uno extremam costam occupante. *Cauliculi* in hac oblongiores sunt [quàm in Onobr. 4. *Clus.*] fusco cortice tecti, lenti, fractu contumaces, humi fusi & plerunque nudi, qui extrema parte frequentes ramulos suis alatis foliis onustos proferunt, & in unciali villosóque pediculo multos *flosculos* in caput & globum congestos, Tragacanthæ floribus proximos, candicantes; deinde membranaceas *siliquas* Ervi siliculis minores & Dorycnii Hispanici valvulis pares, singularia semina Fœnugræco similia continentes.

Locus. Londini in horto J. Richæi pharmacopœi Regii observavit Clusius Julio & Augusti initio florentem. Descriptio Lobelii in Observ. adeò brevis est & generalis, ut nihil certi ex ea colligi posse videtur.

* 2. *Astragalus Alpinus magno flore* C. B. *Alpinus claviculatus magno flore* Park.

Lugd.

Radicem edit nigram, lignosam, dimidium pedem longam, supernè in multa veluti caulium principia divisam, crassiuscula, laminulis corticosa; ex quibus *foliola* multa exeunt, longa, humi strata, Lenti similia, utrinque ex adverso ordine digesta. *Flores* in cacumine nudarum virgularum emicant oblongi, lutei: deinde *siliquæ* oblongæ, nigræ, bivalves, in quarum vertice tenuis villus oritur, capreolo, viticulæve similis.

C. Bauhinus suæ hujus generis plantæ Florem ex cœruleo purpurascentem esse scribit.

Locus. In solo macro & sabuletis Alpium apricis gignitur; floret vere, & semen suum perficit æstate.

* 4. *Hedysarum argenteum* Alpin. exot. *argenteum Creticum* Park.

Alpin.

Planta est fruticosa, foliáque habet complura, Ciceris similia, & flores argenteos, Trifoliis proximos, multos in cauliculorum cacumine simul congestos, parùm olentes, sapore subdulci amarescente: Floribus tenuia cornicula succedunt, in quibus sunt *semina* parva, rotunda.

Planta est perpetua, & nunquam vel etiam hyeme foliis se exspoliat.

* 3. *Onobrychis minima* Park. *Astragali persimilis palmaris pusilla planta* Ad. *Ferro equino Gallico affinis* C. B.

Adv.

In collibus quibusdam Gallo-provinciæ (inquiunt Adversariorum auctores) hanc sublegimus, elegantiâ neutiquam spectatu indignam; *radicibus* namque prorepit lignosis, implexis, corticosis, denso exortu,

exortu, numerosos *cauliculos* fruticantes, duros sed breves, vix binas aut ternas uncias excedentes, & *foliola* emittentes pusilla, Lentis, Astragali aut potiùs Tragacanthæ, quam tota refert, rigidiuscula, incanâ hirsutie: flosculis luteolis aut albidis, Ornithopodii gustu præsicco & æquè duro.

De hac nihil habemus quod dicamus, nisi nobis incognitam esse, si modò rectè describatur floribus luteolis.

Cap. VII.

De Securidaca genuina.

SEcuridaca, Græcis πελεκῖνος, à forma seminis in utraque lingua dicitur securem ancipitem æmulante, quæ & hujus generis nota esto: nullius enim plantæ semen Clusii judicio, Veterum Securim aptius refert quàm hujus.

Securidaca lutea major C. B. *majus, sive Securidaca major vera* Park. *Securidaca flore luteo, siliquâ latâ oblongâ* J. B. *Hedysarum majus* Ger.

J. B.

Ex *radice* multos statim emittit *caules*, cubito longiores, ramosos procumbentes: *folia* lævia, Lentis majoris, sensim latescentia, sex, octove conjugationibus ad costam annexis, uno in summa alâ imparitatem faciente: indidémque adeò unde foliorum pediculus appendix peculiaris, in fastigio umbellatim *flores* sustinens Meliloti nobilis Tragi, luteos, quibus succedunt *siliquæ*, palmo longiores, nonnihil sulcatæ, rostro recurvo, compressæ; valdè brevi pediculo hærentes, duobus hinc & indè aggeribus veluti fossam intercipientes, *seminum* receptaculum, rufforum, quadrangulorum, membranis distinctorum.

Nullius plantæ semen Clusii judicio aptiùs Veterum securim refert, quàm hujus, quam aliquot locis inter segetes in Hispania observavit. Nam infra Madritium secures videre meminit quæ essent huic semini simillimæ, nempe in medio quà manubrium trajicitur & adaptatur crassiores & utrinque in planam aciem desinentes. *Locus.*

Cap. VIII.

De Catanance leguminosa.

CAtanance dicta creditur quasi amoris illicium esset necessarium seu necessitate inconcussa & fatali adigeret ad amandum.

Hæc planta foliis integris gramineis, caulibus erectis teretibus ab aliis omnibus leguminibus abunde distinguitur.

Catanance leguminosa quorundam J. B. *Ervum sylvestre* Ger. *sylvestre sive Catanance* Park. *Lathyrus sylvestris minor* C. B.

J. B.

Lathyrorum familiæ congener legumen est, tenuibus firmis, erectis, ramosis *caulibus*, quibus nullæ membranæ aptæ. *Folia* & longitudine & latitudine graminea, interdum angustiora pediculis destituuntur, venosa, acuta. *Flores* tenuibus pediculis insident è foliorum sinu ortis, palmum nonnunquam longis, *Siliquæ* tres uncias plus minùs longæ, angustæ, rectæ, *grana* decem, duodecim aut plura continent, nigricantia, rotunda. *Radice* nititur simplici, parva, alba, inutili.

Flores ex singulis foliorum alis exeunt in pediculo prælongo plerunque singuli, rariùs bini, colore cremesino seu sanguineo amœno splendentes.

In agrorum marginibus & inter vepres non raró occurrit. *Locus.*

Cap. IX.

Sagittaria cordialis Brasiliensis Marggr.

Marggr.

IN tripedalem altitudinem assurgit, *caule* tereti, hirsuto, alato, foliis in illum insertis Sagittæ figurâ, eo sci. modo quo plumæ sagittis inseri solent, ex caule prominentibus, in utroque latere hirsutis. *Folia* præterea habet caulis & ramuli ejus angusta, oblonga, superiùs viridia, inferiùs incana in totum autem pilosa, & majora sunt cauli inferiùs adnata. In summitate caulis pediculi aliquot longi erumpunt, in quibus *flosculi* proveniunt, figurâ florum Pisorum, lutei, tribus foliis constantes, quorum superius secundùm longitudinem striis purpureis est variegatum. Post flores sequuntur *siliquæ* fuscæ aut nigræ, Pisorum siliquis similes, continentes *semen* splendens, virescens seu Olivaceo colore, figuræ quasi semilunulæ, seu rectiùs cordis, ut pingi solet. Admodum autem vermibus obnoxium est, & vix inter decem unum reperitur, quod non sit perforatum. *Radix* recta est, tres aut quatuor digitos longa, tenuis, unam atque alteram prolem adjunctam habens.

SUB-

SUBSECTIO TERTIA.

De Leguminibus cum siliquis utriculis seu vesiculis inclusis.

HUjus generis siliquæ in calycibus in vesicas membranaceas intumescentibus occultantur.

1. *Loto affinis Ægyptiaca* C. B. *Absus* Alpin. Vesling. *Absus seu Lotus Ægyptiaca* Park. *Alpin.*

Herbula est palmi magnitudine, vel aliquanto major, foliis trifolii sed rotundioribus, quaternis singulæ alæ appensis, *Flores* parvos albos & semina Pyri seminibus proxima ferens.

Veslingius flosculos nivei candoris producere scribit, & dilutiore flavedine lactescentes: nec circa summum tantùm caulem, sed etiam inter foliorum exortum dispositos. *Semen* atro colore splendidum parvis includit siliquis cicerum æmulis; & caulem suum raris brevibúsque spinulis innocenter obarmat.

Planta hæc ad Ciceram potiùs quàm Anthyllidis genus pertinere videtur: quamvis nos C. Bauhinum secuti huc retulimus.

A. 2. *Anthyllis leguminosa* Ger. *leguminosa vulgaris* Park. *Loto affinis Vulneraria pratensis* C. B. *Vulneraria rustica* J. B. **Kidney-Vetch or Ladies finger.**

Radix ei simplex, longa, recta, lignosa, nigricans, sapore leguminoso. *Caules* semipedales & altiores, ex eadem radice plures, in terram reclinati, teretes, tenues, hirsuti, rubentes, foliis paucis alternatim positis vestiti. *Folia* pinnata è quatuor aut quinque conjugationibus composita cum impari in extremo, pinguiuscula, infernè hirsuta, modicéque canescentia, supernè ex luteo virescentia, sapore subdulci & subacri: At quæ in extremis ramis floribus subjecta sunt, lata sunt, digitata, oblonga, membranea. *Flores* in ramulorum fastigio in capitulum latum conglomerati, luteoli, odore nullo excellenti, quorum singuli ex vesicula laxâ, lanugine argentea villosâ emicant, parvi, papilionacei. Succedunt *siliquæ* in folliculis latitantes, parvæ, quarum singulæ singula semina, rariùs bina continent, sublutea, sapore leguminoso.

Locus. In pascuis siccioribus, præsertim cretaceis & arenosis, macro solo, frequens oritur.

Descriptio est J. Bauhini, à nobis aucta.

3. *Anthyllis leguminosa purpurascente flore* Clus. *Loto affinis hirsuta flore subrubente* C. B. *Anthyllidis leguminosa vulgaris varietas* Park. *cujus sententia nobis etiam arridet.* **Purple-flowered Ladies finger.**

Lugd.

Radice est tenui, modicè fibratâ; *foliis* multis, humi quaquaversùm jacentibus, quæ ex multis aliis foliolis constant, inæqualiter dispositis, supremâ parte grandioribus & latioribus: *caule* dodrantali, *flores* multos sustinente, antequam aperiantur subrubentes, postquam reclusi sunt luteos: *semen* fert parvum in brevibus *siliquis*, quarum singulæ vesicâ includuntur, ut superioris.

Verùm non opus est tanta verborum ambage, nec enim alia in re à præcedente differt quàm floris colore, obiter saltem intuenti observabili, nec enim nos utramque inter se curiosè contulimus cùm utraque simul ad manum non fuerit.

Locus. In agrorum marginibus circa portum Liburnum & alibi in pascuis Italiæ observavimus.

4. *Trifolium halicacabum sive Vesicarium* J. B. *Anthyllis leguminosa vesicaria Hispanica* Park. *Lotus pentaphyllos vesicaria* C. B.

J. B.

Caules fundit cubito longiores, villosa lanugine obductos, in ramos alternatim ortos divisos: *folia* terna, non rarò quaterna, sena aut septena, hirsuta, ità certè ut extremum folium longè reliqua magnitudine excedat, Oleæ folio majus: Ex alarum ortu prodeunt pediculi, quorum cacumini insident *flosculi* lutei, parvi, quibus succedunt insignis magnitudinis turgidæ *vesicæ*, fuscæ, lanuginosæ *siliquas* claudentes in quibus *semina* bina aut terna, compressa, satis crassa pro plantæ tenuitate. Vesiculæ dictæ florum calices sunt, imâ parte lati, summâ ad acutum vergentes.

Locus. Circa Messanam & alibi in Sicilia: observavimus & in Italia.

5. *Auricula muris Camerarii* J. B. *Anthyllis leguminosa marina, Bætica vel Cretica, sive Auricula muris Camerarii* Park. *Loto affinis hirsutis circinatis siliquis* C B.

J. B.

Radice nititur parva, colore buxeo, sapore dulci; ex qua *caules* pedales circiter, numerosi supini, in terram reclinantes, teretes, hirsuti. *Folia* alternatim è caulibus exeunt, mediocriter crassa, rigidiuscula, tactu aspera & pilosa, pinnato, eo quidem ordine, ut extimum impar sextuplo ferè conjugatim dispositis in alam foliis majus sit, principio angustiore, medio ampliore, denique in mucronem desinens; sapor utrisque aliquantulum fervidus. *Flores* cujusmodi Leguminibus, parvi, crocei, hirsutis viridantibúsque foliolis ambiti. *Siliquæ* latæ, compressæ, similes Medicæ lunatæ, sed paulò minores, in se convolutæ, hirsutæ, *semen* claudentes figurâ renis, alterâ parte gibbosum, altera sinu insculpto cavum.

Locus. In insula ad Promontorium Pachynum & alibi in Sicilia invenimus.

Hæc

Hæc planta anomala & sui generis esse videtur, nec nota generica cum Anthyllide leguminosa convenit: ob convenientiam tamen in foliis ei subjungendam duximus.

6. *Anthyllis falcata Cretica* Park. *Trifolium falcatum* Alpin. exot. *Alpin.*

Falcata admodum est, versùs radicis caput foliosa: *folia* enim longa, lata, rotunda & aspera, ex albo nigricantia, densè & confertim humi procumbunt, quæ ex tenui exortu in latitudinem semipollicarem versùs extremum desinunt obliquè seu semicirculariter. *Cauliculos* ex radice protrudit plures, graciles, longos, humi stratos, obliquè actos: quorum geniculis terna aliquando nunc quina adnascuntur folia, terna superiùs simul juncta, & bina inferiùs, quæ cingunt caulem. Flosculi sunt lutei, aut ex albo pallidè lutei, fastigiis cauliculorum insistunt, papilionacei; quorum singulis succedunt *siliquæ* membranaceæ, bivalves, in margine fimbriatæ & sinuatæ, exteriùs circinatæ, unguis humani magnitudine, rotundæ, simul junctæ, unum eundémque exortum è caulis summo habentes. Radicibus nititur parvis & tenuibus.

Hæc planta persimilis videtur præcedenti, si non eadem.

SUBSECTIO QUARTA.

De Papilionaceis seu leguminosis non scandentibus quarum Siliquæ per maturitatem articulatim rumpuntur.

Herbæ flore papilionaceo siliquis articulatis, sunt vel iisdem

- *Lævibus,*
  - *Ad alterum latus dentatis,* seminibus arcuatis aut lunatis; FERRUM *equinum.*
  - *Æqualibus* ad margines,
    - *Rectis,* seminibus oblongis, teretibus, rectis POLYGALON, *Cornilla.*
    - *Recurvis*; ORNITHOPODIUM.
- *Asperis,* foliis
  - *Pinnatis,* floribus spicatis, siliquis longis, isthmo loculos dirimente; HEDYSARUM *clypeatum.*
  - *Integris,* siliqua campoide; SCORPIOIDES *Bupleuri* folio.

CAP. I.

De Colutea, Scorpioide dicta.

Quamvis Colutea frutex lignosus sit, ob convenientiam tamen cum hoc genere in floribus & siliquis, ab iis non separandam putavimus, sed principem inter Leguminosas siliquis articulatis locum ei tribuendum.

1. *Colutea scorpioides* Ger. J. B. *Scorpioides major* Park. *siliquosa sive Scorpioides major* C. B. *J. B. Clus.*

Suffrutex est ex *radice* se spargente, satis lentis & fractu contumacibus *ramulis*, majoribus cinereo cortice obductis, minoribus viridantibus, striatis & angulosis. *Folia* quina, septena aut novena, ad Lentis folia accedentia, rotundiora, pinguiuscula, Coluteæ Vesicariæ, si magnitudinem excipias, consimilia. *Flores* inter folia ex pediculis semuncialibus, & uncialibus lutei, bini ferè, rariùs singulares aut terni, unciam circiter longi; Genistæ floribus similes, labello duplici, inferiore rotundo, integro, striato, superiore bifido & quasi alato, duobus crusculis innixo: galea in Rostri acutiem mucronata, ex luteo virescens apicum albicantium cirros occulit, quos subsequuntur *siliquæ* longæ, siliquis Telephii sive Scorpioidis *Matth.* similes, teretes, quibusdam velut articulis distinctæ, quæ oblonga, lævia, subfusci coloris & ingrati saporis, *semina* singula singulis articulis inclusa habent. *Flores* nonnihil odorati. Folia ingrati & amari admodum Saporis.

In collibus circa Genevam, Monspelium & Salernum observavimus spontaneam. Maio & Junio floret. *Locus & Tempus.*

2. Colutea

2. *Colutea Scorpioides humilis* Ger. J. B. *siliquosa minor* C. B. *Colutea humilior* Park.

Clus.

Est jam dicta humilior, humique diffusa, neque foliorum numero, aut situ, aut formâ, neque florum formâ & colore à superiore differens: sed hujus *virgæ* palmares aut pedales duntaxat hyeme interdum marcescere solent, & novo Vere denuo è radice nova germinare: siliquæ & semina paria: *radix* similiter dura & lignosa latè se spargit.

Locus. Sponte nascitur ad *Calenberg* viciniśque Viennæ montibus abundè, tum etiam in nonnullis Pannoniæ montanis locis; in hortis culta paulò major fit, & utplurimum virgas hyeme retinet. Floret Maio.

• 3. *Colutea Scorpioides humilior, siliquis & seminibus crassioribus* Moris. hist.

Moris.

Foliis est glaucis, *virgis* pedalibus aut cubitalibus, lignosis, rotundis, rugoso & rufescente cortice vestitis, in frequentes ramos divisis. *Folia* alata, terna, aut aliquando plura, uni costæ, binis semper ex adverso sitis, adhærent, uno impari extremam alam occupante, Coluteæ vulgaris foliis similia, sed majora, glaucique vel cæsii coloris. *Flores* & forma & colore Coluteæ vulgaris similes, sed majores; quos excipiunt *siliquæ* breviores & crassiores, magis & distinctiùs articulatæ quàm vulgaris Coluteæ, atque in singulis internodiis siliquarum singula semina cylindracea majora & crassiora continentur.

Locus. Ad oram maritimam Tingitanam viget, unde ejus semina habuit descriptionis autor, ut & ex Italia ab Alexandro Balam communicata.

• 4. *Colutea siliquosa minor coronata* C. B. *Col. scorpioides montana Clusii* Ger. *Colut. scorpioides quædam, sive Polygalo Cortusi similis planta, sed major* J. B.

Clus.

Radice nititur crassa & lignosa, lentâ tamen, & flavescente cortice obductâ, multisque fibris prædita: ex qua plures singulis annis, ineunte Vere novas producit *virgas*, pedales, nonnunquam etiam cubitales, lentas, vimineas, læves, virides, & in his temere sparsa alata *folia*, quina, septena aut novena uni costæ inhærentia, exiccantis primùm gustûs, deinde nonnihil acrimoniæ in summis labris relinquentis. *Flores* in foliorum oblongis virgulis inhærent copiosi, leguminacei, in orbicularem coronam dispositi, flavi, nullo grato odore commendati: quibus succedunt articulatim distinctæ *siliquæ*, superioribus breviores, *semen* in singulis articulis continentes, Coluteæ parvæ sive Polygali Valentini Clusii modo.

Locus & Tempus. Crescit in montium qui à Danubio & Calenberg illi imminenti ad Alpes extenduntur radicibus inter vepres & ad vinetorum margines. Floret Junio, nonnunquam etiam Maio: subsequens hyems virgas corrumpit.

5. *Colutea minima sive Coronilla* Ger. *Coluteæ parva species Polygala Valentina Clusii* J. B. *Polygala Valentina Clusii* Park. *Polygala altera* C. B.

Clus.

Fruticosa est hæc planta, binos palmos alta, multas ferens virgulas lentas, Sparti aut Junci instar. *Folia* singulis costis inhærent, impari plerunque numero, quina, septena aut plura, Lenticulæ similia, magis tamen carnosa, & ad Rutæ colorem accedentia, adstringentis & ingrati gustûs. *Flores* Meliloto similes, lutei, coronæ in modum summis virgulis [quæ magna ex parte nuda sunt & maturo semine exarescere solent] insident. Incurvæ deinde, longæ & teretes succedunt *siliquæ*, tribus aut quatuor internodiis distinctæ, quæ *semen* continent durum, oblongiusculum, nigrum, ingrati saporis. *Radix* longa, dura, lenta, crassiuscula est.

Locus & Tempus Clusius agro Salmanticensi, Murciano & Valentino regnis, locis arenosis & collium declivibus observavit. Floret Aprili, Maio & Junio: Semen Julio maturum est.

J. Bauhinus Coluteæ suæ, cujus titulum inter Synonyma præmisimus, virgulta tribuit dura, lignosa, crebrò veluti articulata, &c.

Nos plantam hanc in clivis maritimis propè Salernum in Regno Neapolitano, atque etiam in Hetruria collegimus.

6. *Polygala Valentina secunda* Clus. *An Polygala major Massiliotica* C. B? *major montana* Park. *Colutea scorpioides Coronata* Lob. Obs.

Clus.

Præcedenti admodum similis est, majoribus *virgis*, firmioribus & utcunque rubentibus; majoribus etiam, viridioribus, frequentioribus & carnosis *foliis*; majoribus & dilutioris coloris *floribus*: *siliquis* etiam paulò crassioribus, *semine* verò omnino simili.

Locus. In collibus sylvosis Valentiæ Hispaniæ vicinis invenitur. Viret perpetuò & diutissimè floret & Vere & Autumno. In monte Cetio inter alia arbusta versùs mare Maio florentem legit *D. Magnol*, & in sylva Valena circa *Caravettes. Botan. Monspel.*

7. *Colutea scorpioides maritima glauco folio* C. B. prod.

C. B. prod.

Virgis est pedalibus, rariùs cubitalibus, lignosis, rotundis, rugoso cortice vestitis, in frequentes ramos divisis: *folia* alata, septem aut novem uni costæ, binis semper ex adverso sitis, adhærent, uno impare extremam alam occupante, Coluteæ foliis similia, sed multo minora, obtusa & cordata, glaucique vel cæsii coloris. *Flores* & formâ & colore Coluteæ similes, sed minores, pediculis tenuibus

nuibus *siliquæ* tenues oblongæ, unciales, articulis distinctæ insident, quarum singulis articulis singula *semina* parva inclusa sunt.

Hæc in maritimis propè Terracinam collectæ. *Locus.*

8. *Colutea caule Genistæ fungoso* J.B. *Polygala major Massiliotica* C. B. *Polyg. Valentina* 3. Clus. *Val. marina* Park.

Oblongis, lentis, fungosis seu medullosis & omnino virentibus virgis prædita est, quas rara obsepiunt *folia*, superioribus adhuc crassiora & molliora: *flos* secundæ par. *Semen* observare non licuit.

Invenitur in Valentiæ Hispaniæ urbis maritimis. Hæc descriptio apprimè convenit plantæ illi quam in clivis montosis propè *S. Chamas* Gallo-provinciæ oppidum invenimus. *Locus.*

J. Bauhinus *flosculos* exiguos satis huic attribuit, in orbem coaggestos: *Siliquas* angustas articulatas, ut in Scorpioide folio Portulacæ, in tenuissimum, Scorpionis simillimum spiculum terminatas.

• 9. *Colutea Scorpioides Cretica odorata* Alpin. exot.

Alpin.

Suffrutex hic totus argenteo colore lucidus, crescit cubitali altitudine & majore. *Folia*, *flores* & *siliquæ vulgaris Coluteæ Scorpioidis* more proveniunt. Differunt, primò quoad *folia*, quæ in extremo latiora sunt, & costæ nudæ pauciora adhærent, quippe quinque utrinque binatim seu conjugatim apposita, & unum in costæ mediæ extremo, coloris argentei. *Flores* & figurâ & colore similes videantur floribus Coluteæ prædictæ, odore tamen differunt qui his suavis est & fragrans, illis fœtidus & ingratus. *Siliquæ* insuper vulgaris sunt exiliores & tenuiores, albæ, brevioresque, Creticæ autem siliquæ crassiores sunt & nigricantes, atque articulis magis evidenter apparentibus conspiciuntur; & consequenter *semina* ibidem contenta sunt multò majora.

Vere & ineunte æstate flores fert, toto mense Maio: Julio & Augusto siliquæ maturescunt & sub finem nigrescunt. *Tempus.*

Frigoris est impatiens hæc stirps, unde ægerrimè hyeme vivit, nisi summâ curâ custodiatur sub tecto.

Cap. II.

De Coronilla herbacea.

1. *Ferrum equinum Gallicum* Park. *Gallicum siliquis in summitate* C. B. *Polygalon Cortusi* J. B.

J. B.

Crassæ huic, lignescentes duræque *radices*, dodrante longiores, nunc simplices, nunc multifidæ, intus albæ: quæ statim plurimas emittunt *virgulas* lignosas, dodrantales aut breviores, humi stratas: quibus conjugatim hærent *folia*, utplurimum novena, similia Ornithopodio quorundam, nisi essent breviora & rotundiora, solidiora, spissiora & magis alba, saporis adstringentis, nervo unico secundùm longitudinem prædita. *Flores* ramulorum nudorum extremo insident lutei ut Ornithopodii jam dicti vel Polygalæ Valentinæ primæ *Clus.* *Semina* item consimiliter in *siliquis* longis, crebris internodiis interceptis.

Ad latera montis Salevæ propè Genevam & in Delphinatu propè Gratianopolin, & alibi in transmarinis inveni: J. Bauhinus in Rhætiæ monte *Nombre*. *Locus.*

2. *Securidaca major articulata* Park. *dumetorum major, flore vario, siliquis articulatis* C. B. *Melilotus quinta Tragi* J. B. *Hedysarum majus siliquis articulatis* Ger. emac.

J. B.

Vivaci *radice* reptat, multis adnatis variè se propagans: fibris aliquot donata, crassitie radicum convolvuli majoris, lignosâ candidâque matrice farctâ, sapore amaricante: hinc emergunt longissimi *caules*, crassitudine cum radice pari, striati, intus concavi, ramosi: *folia* pinnata, Securidacæ, pinguiuscula, atrovirentia, octo, decem, aut duodecim foliorum conjugationibus constantia, impari uno extremam alam claudente. Ex foliorum alis pediculi producuntur palmares & breviores, angulosi, quibus pendulæ impositæ sunt coronæ *florum* Securidacæ, quorum folium supremum purpurascens sursum explicatur, lateralia bina in album languescunt, carina penitus albet, sub rostro atro-purpureo stamina occultans argentea: *flos* interdum totus albet, solo carinæ rostro purpurascente. *Siliquæ* succrescunt uncias duas aut tres longæ, angulosæ, tenues, crebris nodis articulatæ, *semine* longo, mediocriter amaro.

Ad agrorum margines in Germania passim, inque pratis, agris & secundùm vias, per universam Pannoniam, Austriam, Stiriam, Moraviam atque Bohemiam. *Clus.* Floret Junio & interdum totâ etiam æstate. *Locus.*

CAP. III.

Sesban Alpini. *Sesban sive Securidaca Ægyptiaca articulata* Park. *Galega Ægyptiaca siliquis articulatis* C. B.

Alp. Vesling.

FRutex est in Ægypto, Myrti magnitudine; *foliis* Securidacæ, sed longioribus & angustioribus, virgarum latera pari ferè numero stipantibus, si maturior planta fuerit: *Ramos* habens diluto virore nonnihil rufescentes, asperitudine quadam ad contactum inæquales. *Flores* fert croceos, Anagyridi perquam similes, racematim multos ab ala vel ramulo pendentes; à quibus *siliquæ* longæ producuntur, Fœnugræco proximæ, in quibus semina sunt Fœnugræci seminibus non parum similia. Siliquæ (id adnotante Veslingio) seminibus inclusis prægnantes pro illorum numero distinctis velut loculis coarctatæ sunt. Idem truncum ipsum fruticis raris brevibúsque spinis aculeatum observavit; unde non mirum Ægyptios eo uti ad sepes texendas pro agrorum distinctione.

Vires. Semina humentem stomachum siccare & roborare aiunt, & ad cohibendum quemcunque fluxum alvi, nec minùs ad menses immoderatos sistendos utilia esse, seu in decocto, seu in pulvere sumpta.

Morisonus in Hist. C. Bauhinum & Parkinsonum reprehendit quòd siliquas articulatas huic plantæ tribuerint, cùm non satis intelligerent quid sit siliqua articulata propriè loquendo. Siliqua enim articulata (inquit) in multos articulos suis interstitiis distinctos dividitur transversim, & in singulis interstitiis (exsiccatâ siliquâ & ruptâ) singula continentur semina.

Nos plantam nondum vidimus, at nec Morisonus se vidisse ait, ideóque an Siliquæ ejus reverà articulatæ sint, an nodosæ tantùm seu protuberantes ubi semina sunt, & in interstitiis depressæ seu angustatæ, nescimus.

CAP. IV.

Nil sive Anil, Glastum Indicum Park. *Coluteæ foliis Anil nominatum* J. B. Herva de Anil *Lusitanis* Marggr. *Phaseolus Americanus vel Brasilianus VI.* C. B. *at perperam Phaseolum vocat. Ameri* Hort. Mal. *Polygala Indica frutescens* Hermanni.

QUalisnam planta sit ex qua *Indigo* vulgò dicta conficitur inter Botanicos non convenit. Verior sententia est fruticem leguminosum esse, Coluteæ affinem. J. Bauhinus quos habuit ramulos pedales similes ferè ramis Cytisi siliquâ latâ fuisse scribit, rigidulos, incanos, ac ferè argenteos, in folia divisos Coluteæ vulgaris, ovata, glauca, quinquefolia communiter, rariùs trifolia ex communi costa incana. D. *Finchius* apud Parkinsonum folia Senæ ei attribuit, sed breviora & latiora, qualia & Parkinsoni icon repræsentat. Marggravius *Anil* plantam sic describit:

Ex radice gracili, longa, in multos ramis distributa lignosa ac lenta plures assurgunt *caules* duos, tres, & quandoque plures pedes longi, teretes, humi serpentes, & hinc inde filamentis in terram demissis se firmantes, versùs extremitatem autem se surrigentes: ex hisce maximam partem jacentibus caulibus alii plures in altitudinem assurgunt, ex quolibet octo, novem, sæpiùs & decem, itidem teretes, lignosi, uno latere paulùm rufescentes. *Caules* omnes ornantur ramulis unum digitum longis, alternata serie dispositis, & quilibet habet septem cinerascentia foliola, bina sibi opposita, & extremum solum. Foliola in medio secundùm longitudinem nervulum habent, non serrata, similia foliis Trifolii corniculati *Dod.* Juxta ramulos enascuntur breves pediculi, & in iis *flosculi* quatuor, quinque, sex aut plures, planè parvuli, purpurei cum albo diluti, figurâ cassidis apertæ, ut in Hedera terrestri vel Urtica mortua, odoris jucundi.

Malè comparat flores hujus plantæ floribus Hederæ terrestris aut Lamii, cùm hujus flores procul-dubio papilionacei sint.

Fr. Hernandez stipites multos, sex cubitos longos, ac minimum digitum crassos ei attribuit, coloris cinerei, læves; *folia* Ciceris; *flores* ex albo rubescentes; *siliquas* acervatim cauli appensas, ascaridibus crassiusculis similes, semine nigro plenas, sapore nonnihil amaro & leguminoso.

Parkinsonus fruticem hunc *Sesban* Alpini affinem facit, *siliquis* teretibus, uncialibus, Fœnugræci *seminibus*, sed utraque extremitate acutioribus.

Siliquula Anil quam Terentius ad C. Bauhinum transmisit angusta erat, vix uncialis, cui grana aliquot exigua, subviridia cum hilo albo in medio, ut in Phaseolis, inerant.

Cùm ergo in florum colore, & siliquarum parvitate consentiant hi Autores, unam & eandem plantæ speciem esse quam describunt mihi persuadeo: quamvis in descriptione foliorum non bene conveniant. Nec diversam esse puto quam sub *Ameri* titulo proponunt & describunt *Horti Malabarici* Autores pro Arboris specie, cùm tamen hæc planta vix frutex, nedum arbor censenda sit, siquidem duos duntaxat [Finchius apud Parkinsonum tres annos durare scribit] annos vivat, ut Hernandez asserere videtur. In magnitudine certè insignis est differentia: quocirca *Ameri* descriptionem subjiciemus.

Arbuscula

Arbuscula est altitudine humana, brachii crassitie, ligno duro, ramis maximè transversis; *foliis* alatis, è quinq; aut septem pinnarum mediæ costæ adnexarum conjugationibus compositis cum impari in extrema costa folio; sunt autem singulæ pinnæ seu foliola oblongo-rotunda, texturâ tenui & densa, nervo medium percurrente aversa parte, elato, nullas, saltem conspicuas, venas emittente, colore ex viridi subcœruleo, parte adversâ obscuriore, aversâ clariore, sapore subamaro, & languido ardore diutiùs masticata. *Flores* in brevibus surculis è foliorum sinubus exeuntibus plures simul spicatim aggregati, parvi, papilionacei, quatuor petalis compositi, quorum inferius & carinatum stylum viridem occultans viride, lateralia duo angusta, interiori ora saturo rosaceo rubore tincta, superius & clypeatum reflexum est ac viridi-dilutum. Sunt autem flores odoris nullius. Calyx florum quinque cuspidatorum & viridium foliorum est.

Floribus deciduis succedunt parvæ, fermè unciales, rectæ, rotundiolæ, & angustæ *siliquæ*, suis surculis brevibus, tenuibus pedunculis appensæ, spadiceo-fuscæ, *semina* oblongo-rotunda, per maturitatem fusca & nitentia continentes.

In arenosis & petrosis locis nascitur. *Locus.*

Parandi pigmenti, quod Latini cœruleum, Mexicani *Mohuitli* & *Tlecohuilli* appellant, referente Hernandez, hic est modus. Folia incisa in ahenum cortinámve ferventis aquæ sed jam ab igne sepositæ tepentísque aut meliùs (ut rei affirmant periti) frigescentis neque ignem expertæ conjiciuntur, concutiuntúrque vehementer rutris, ac paulatim aqua infecta transfunditur in testam aut dolium, & tandem per foramina paulo sublimiora effuso humore, quicquid è foliis discessit permittitur residere. Fæx illa pigmentum est: siccatur id sole, & sacco cannabino percolatur, mox efformantur parvæ rotæ, quæ catinis superpositis carbonibus solidantur, ut recondi tandem queat in annuos usus. *Usus.*

Pigmenti hujus parandi modum paulò aliter describit Autor anonymus historiæ gemmarum à *D. Chapezeau* editas; quem apud ipsum vide, vel apud Wedelium in Experimento novo Chymico de Sale volatili plantarum. Descriptio enim Hernandez mihi verisimilior videtur.

Cæterum Wedelius non levi errore tenetur, cùm Indigo & Glastum ex eadem prosapia propullulare scribit, neque nisi præparatione differre: cùm certissimum sit plantas ipsas diversissimas esse, nec minùs naturâ quàm loco distare, cùm hujus respectu toto cœlo, illius toto genere differant.

Datur & alia *Nil* sive Indici species, quam Marggravius describit, toto genere à præcedente diversa, & Corymbiferis plantis annumeranda; Hernandez quoque aliam describit speciem, & fortè diversam à Marggraviana; Nos inter Corymbiferas dictas plantas de iis agemus.

Quod ad vires attinet, Ad dolores calculi nephriticos mitigandos servit radix in decocto data. Eadem & viribus veneni obsistit decocta cum aqua *Lanie*, scilicet teneri *Coqui Indici*, & epota. Folia in difficultate mingendi juvant, si trita cum aqua ventri applicentur. *Amè* vulgò dicta Indigo pro exsiccandis tumoribus proficua est. *Hort. Malab.* *Vires.*

Hernandez scribit pulverem mederi plagis veteribus si ante urinâ abluantur. Folia contusa & emplastri modo applicata dolorem capitis mitigare dicuntur, maximè in infantibus, etiam in aqua macerata & cerebro applicata.

Ingeniosissimus Vir * D. *Martinus Lister* M.D. in Ictericis affectibus pilulas ex Indigo Barbadensi ad drachmam quotidie sumendas præscripsit aliquoties; quæ id effecerunt ut ægri copiosius urinam redderent. Et revera verisimile videtur Indicum non minùs quam Crocum huic morbo profligando idoneum esse; cùm partium tenuium sit & facile penetret, quemadmodum alia tingendo apta. Observat D. *Tancred. Robinson* confectionem hanc venenosæ qualitatis participem à Medicis antehac haberi solitam.

* *De fontibus Medic. Angl. Angl. Exercit.* 2.

Color vulgò dictus *Indigo* fluxiones mirè sistit, nam valdè astringit; ut lochiis nimium fluentibus, & alvi, uterique procidentiæ decantatum remedium præbeat. Ex observatione D. Muralti. *Ephem. German.* Ann. 11. 113.

Plantam hanc ob convenientiam in multis cum Colutea eidem subjungendam duximus, quamvis revera siliquarum respectu, quæ ut puto articulatæ non sunt, ad hoc genus non pertineat.

Cap. V.

De Hedysaro clypeato lævi.

* 1. *Onobrychis clypeata lævis* Park. *semine clypeato lævi* C. B. *C. B. prod.*

Ex *radice* rufescente, paucissimis fibris donata, *caulis* unus [nonnunquam duo] pedalis, nodis distinctus exurgit: circa quem *folia* alata ex senis septenísve fibris, oblongis, glabris, uni costæ inhærentibus, unóque extremam alam occupante composita. Ex alis tenues & oblongæ *virgulæ flores* purpuro-cœruleos, velut in spica dispositos sustinentes prodeunt: quos sequuntur *fructus* plani, læves, clypeiformes, communiter terni, sibi invicem per longum cohærentes, *semen* minutum includentes.

In Helvetiorum Alpibus, ut monte Fracto & ad thermas Fabarias provenit. *Locus.*

Hujus descriptio in multis excepto siliquarum lævore, Hedysaro nostro clypeato minori convenit: specie tamen diversam esse vel locus convincit.

* 2. *Onobrychis incana foliis longioribus* C. B. *Astragalus incanus siliquis incurvis* Botan. Monsp.

C. B.

Caulem habet rotundum, ramosum, incanum; *folia* plura, acuminata, angusta, uni costæ adnexa, incana velut cinere aspersa: *Cauliculi* semipalmares, nudi spicam *florum* purpurascentium, aliorum formâ sustinent: quibus succedunt *siliquæ* oblongæ, incanæ, incurvo mucrone donatæ, duabus valvulis constantes: *Semen* minutum, nigrum, planum & semicirculare continentes.

Locus. In Provincia Galliæ reperitur.

* 3. *Onobrychis incana foliis rotundis* C. B.

Hujus meminit C. Bauhinus in Prodromo his verbis,

Alteram non minùs incanam, sed minorem, semipalmarem, foliis brevioribus & rotundis, ex Aragoniæ & Castiliæ saxosis D. Albinus attulit.

Hujus & præcedentis an siliquæ articulatæ sint non meminit C. Bauhinus; nec nos aliunde earum notitiam habemus, proinde an plantæ ipsæ ad hunc locum pertineant nescimus. Ob nomen commune impositum huc retulimus.

4. *Hedysarum triphyllum Canadense* Cornuti Park.

Cornut.

Hujus altitudo in frigidis locis duorum ferè cubitorum est, in apricis in unum tantùm erigitur. *Caulis* numerosus ab radice pullulat, angulosus ac medullosus: fibris ille multis striatur, aliis virentibus, aliis pallentibus, aliis rubentibus. Mediâ caniculâ spicatim *flores* prodeunt Hedysari legitimi facie, ampliores multò. Horum superiora folia saturatiùs rubescunt, laterum alæ & subjecta carina dilutiùs ac pallidiùs rubet. *Siliqua* per floris marcidi centrum oritur, falcatim per internodia discriminata, asperrima, quæ lineis supra & infra rubentibus clauditur. *Radice* nititur fibrosâ, subnigra, maximè vivaci. Aprili pullulant folia, initio quidem rubentia, quæ tandem atrovirescunt, & Trifolii Asphaltitis more dividuntur. Tota planta inodora est. Sapor virenti non ita conspicuus, siccatæ subacris.

Locus. Mediis in sylvis nasci dicitur in Americæ Septentrionalis regione nova Francia dicta. Siliqua, annotante Morisono, constat pluribus siliculis seu loculis triangularibus articulatim junctis, asperis: Ob conformitatem siliquarum quamvis planta trifolia sit, Hedysaris adjunximus; ut & sequentem.

* 5. *Polygalo Gesneri affine Caput gallinaceum* J. B. *Securidaca Pennæi, sive Securidacæ 2. altera species* Clus.

J. B.

Prolixam agit *radicem* & crassiusculam, lignosam & in fibras filamentorum instar ductilem, lentam, fractúque contumacem, foris nigricantem, intus albam, simplicem aliàs, aliàs multifidam, & in numerosa capita diductam; ex quibus densa pullulat foliorum cauliúmque seges: *Caules* autem palmares, aut etiam dodrantales, tenues, subhirsuti, ad medium usque foliosi, cætera nudi, *spicam* gerunt unius, duarum aut trium ferè unciarum, *floribus* congestam purpureis Polygali Gesn. quæ tamen hîc in latum diffunditur per extrema, non autem in metæ formam fastigiatur: floribus etiam adhuc non omnino delapsis succrescunt *siliquæ*, Acaciæ siliquarum quodammodo formâ, unico aut duobus peltatis orbiculis constantes, quodam velut isthmo loculos disterminante; quòd si unicum est conceptaculum, brevem mucronem profert (id quod etiam in extremo ubi plura sunt observare licet) margine aliàs æquabili, nec cristato, umbone protuberante ob contentum *semen*, Craccæ minori par, nigricans, rotundúmque, nisi quippiam uncinuli instar inæqualitatem faceret.

Singuli porro orbiculi præter tunicam semen integentem extrinsecus reticulatum habent obductum plexum, circa oras hærescentem, aliàs liberum, spinulis mitibus asperatum, radiis rectis in margines exporrectis. *Folia* quædam à radice mox germinant, alia per caules, trium plus minùs unciarum longitudine, foliolis conjugatim dispositis constantia, duplo minoribus quàm Polygali Gesneri, acuminatis, utrinque hirsutis, & argenteo splendore subindè micantibus. Foliorum per ramos pediculi longiusculi squamulas habent appositas rubentes.

Locus. In sabuletis & campestribus ad semitas propè montem Lupi Monspeliensium eruit Cherlerus.

Hæc est proculdubio Securidaca Pennæi *Clus.* i. e. Securid. dumetorum minor pallidè cærulea *C. B. Ger.* Securidaca articulata minor *Park.* Item fortasse Onobrychis clypeata aspera minor *C. B. prod.* V. Hedysarum clypeatum minus superiùs positum.

Pennæus Securidacæ suæ siliquam securis formam quam nos **Billhook** (ea vox, putatoriam sive arborariam falcem significat) vulgò appellamus, probè referentem, vel cultri genus, quo nostri & Belgici sutores uti solent.

* 6. *Trifolium Americanum spicatum* Marggravii.

Marggr.

Ex *radice* lignosa, lenta, gracili aliquot assurgunt *caules* sesquidigitum circiter alti, qui unum atque alterum ramulum nanciscuntur. *Caulis* rotundus, pilosus & quasi geniculatus: ad geniculum autem in brevi petiolo nascuntur juxta se tria *folia*, superiùs viridia, inferiùs pilosa & canescentia. *Flosculos* fert in spicam congestos, purpurei coloris. Post quos proveniunt *siliculæ* compressæ, hirtæ, curvæ seu lunatæ, ut in Ferro equino, & quasi decisæ; nam matura in tot concedunt partes, quot grana continent seminis. *Semen* est magnitudine Sinapi, sed figurâ Phaseoli, ex albo flavescens, &

punctum

punctum fuscum parvulum loco hili habens, sapore quasi Pisi. Inter eundum hæ siliquulæ facillimè vestibus adhærescunt, ideóque Lusitani vocant hanc *herbam Amoris*.

Passim in Brasilia nascitur. *Locus.*

Cap. VI.

De Hedysaro clypeato aspero.

Hedysarum à Suaveolentia dicitur; odorem enim emittit Fœnugræco, Lupino & Meliloto non dissimilem. Hujus notæ sunt flores spicati, siliquæ oblongæ, asperæ, articulatæ, isthmo loculos dirimente.

1. *Hedysarum clypeatum* Ger. emac. *clypeatum vulgare* Park. *Astragalus Romanus sive Hedysarum clypeatum, siliquâ asperâ* J. B. *Onobrychis semine clypeato aspero major* C. B. French Hony-suckle.

J. B.

Ramis est cubitalibus, bicubitalibus & tricubitalibus, concavis, procumbentibus, glabris, crassiusculis, multis ex radice statim ortis: per quos alternatim ferè nascuntur *folia* palmaria & ferè dodrantalia, alæ instar hærentia, quinque aut sex conjugationibus, extremóque folio impari constantia. *Folia* singularia Glycyrrhizæ foliis quodammodo similia, paullò breviora, latioráque & glabra, exceptis marginibus brevibus pilis ornatis, sapore nullo manifesto, nisi tantillum adstringente. Ex alarum sinu prodeunt surculi singulares, qui in spicam digestos ferunt *flores* amœnos, Genistæ, sed rubentes: è quibus *siliquæ* compressæ, asperæ, ternis aut quaternis aut quinis *seminibus* orbiculatis, clypeoli effigie in eadem rectâ locatis complures visuntur. [Siliquæ ex pluribus orbiculis clypeiformibus asperis sibi invicem articulatim commissis componuntur.] In plures annos vivit, nisi hyems asperior fuerit, quam non facilè tolerat.

In montibus Messanæ imminentibus provenit, ubi & flore albo observavimus. Frid. Meyerus in pratis Senensium copiosè enatum observavit. *Locus.*

Ob florum pulchritudinem in hortis colitur.

2. *Hedysarum clypeatum minus flore purpureo. An Onobrychis semine clypeato aspero minor* C. B.? *Onob. clypeata aspera minor* Park?

Radice nititur tenui albâ, lignosâ, simplici cum paucis fibris. *Folia* exigua admodum, oblonga, angusta, bina ex adverso, ad quatuor vel quinque paria, eidem pediculo seu costæ adnectuntur, cum impari in extremo. *Cauliculi* ex eadem radice duo aut tres, palmares, in summitate & in pediculis oblongis *flores* gestantes in capitulum coacervatos, quinque vel sex, aut fortè plures, purpureos, satis amplos pro plantulæ modo: qui decidentes relinquunt *siliquas* præcedentis pares aut etiam majores, consimiliter ex multis clypeolis hirsutis aut asperis, sibi mutuò in eadem rectâ commissis compositas, quorum singulis singula insunt *semina*.

In insula parva ad promontorium Siciliæ Pachynum dictum, nunc *Capo Passaro*, collegimus. *Locus.*

Onobrychis clypeata aspera minor *C. B.* si rectè descripta sit, *radice* crassa, *foliolis* brevibus, *flosculis* parvis & rubentibus, *semine* minutissimo in clypeolis exiguis, à nostra diversa est, quod tamen mihi non videtur verisimile.

* 3. *Onobrychis major annua siliculis articulatis asperis, clypeatis, undulatim (id est) antrorsum & retrorsum) junctis, flore purpuro-rubente* Moris.

Moris.

Caules producit non tam proceros, nec tam crassos quàm Hedysarum clypeatum vulg. Iis ad eundem modum costæ adnascuntur, quibus pariter *folia* adhærent, dilutiùs multò virentia, foliis Hedysari prædicti flore albo similia. *Flores* in cymis caulium spicatim proveniunt, à floribus dicti Hedysari colore diversi, sunt enim multò dilutiùs rubentes, admixto pauco cœruleo aut violaceo colore: deinde *siliquæ* longæ articulantur siliculis asperis clypeatis, non rectâ junctis, ut in priore perenni, sed undarum in modum ante & retro plicatis, seu angulos obtusos in singulis articulorum plicis efficientibus.

Semine ex Aleppo misso à D. Huntington enata est Oxonii in Horto Academico. *Locus.*

Cap. VII.

De Ferro equino.

Ferrum equinum à figura seminis soleam equinam referente dicitur, quæ & hujus generis nota characteristica est.

1. *Ferrum equinum* Lob. Ger. *equinum majus* Park. *equinum siliquâ singulari* C. B. *Solea equina* J. B. **Horse-shooe Vetch.**

J. B.

Radix hujus alba, paucis donata fibris lignescit, [Matth. gracilis quatuor digitorum longitudine] à qua statim plures proferuntur *caules*, palmares aut dodrantales, angulosi [striati Matth.] unde *folia* exeunt Securidacæ minoris, pinnatim digesta, & per extremam oram latescentia, leviterque in corculi morem fissa: Hinc ex sinu, viz. foliorum *flosculi* exeunt lutei, singulares, quos *siliquæ* etiam excipiunt singulares, nullo pediculo, tres circiter uncias longæ, culmum latæ, nonnihil incurvæ, compressæ, artificis naturæ rarum spectaculum. Dorsum his continuum, opposita pars fimbriatis sinubus laciniosa, vel (ut Matthiolus ait) *siliquæ* oblongæ, pressæ altera parte, incurvæ, incisuris divisæ, foraminum rotundorum speciem referentibus, prominente utrinque foraminum orificio; *semen* lunatum bicorne, Soleæ equinæ figurâ; ut siliqua pro contenti seminis figurâ numeróque totidem equinæ soleæ simulacra repræsentet.

Locus. Circa Liburnum & Neapolin in Italia observavimus.

* 2. *Ferrum equinum* πολυκέρατον Col. *Ferrum equinum siliquâ multiplici* C. B. *equinum polyceraton* Park.

Col.

Totius figuræ brevitate distat à vulgari ferro equino, ac etiam *siliquarum* copia, quas inter foliorum alas longo petiolo insidentes, non ut in vulgari hærentes, quaternas aut plures profert, tenuiores, rufescentes, incurvas, C literam lunatam exprimentes, velut resupinas iterum crescentis Lunæ modo.

Locus. In Valuensium montibus Soli expositis tenuibusque locis reperimus, atque etiam Cirinolæ. D. Magnol prope Monspelium in locis sterilibus dictis *la garrigue dau Tarral*, & depressis incultis montis Ceti vere cum flore & siliquis sæpius legi. *Botan. Monsp.*

A. 3. *Ferrum equinum Germanicum siliquis in summitate* C. B. Ger. emac. *equinum comosum* Park. *Ornithopodio affinis vel potiùs Soleæ vel Ferro equino herba* J. B.

J. B.

Longissima *radice* nititur, crassa, lignosa, fibrosa, nigricante, subdulci; *viticulas* producens multas, palmo longiores, interdum dodrantales & cubitales, in terram reclinatas, ramosas, tenues, subrubentes; in quibus *folia* Lentis pinnata, paullo quàm Ornithopodii majora, [primùm bina utrinque pediculo seu ῥάχει adnexa, deinde terna, postmodum quina atque sena, & in ῥάχει extrema aliud, ut 13 numero insint] non continua usque serie costæ ad caulem usque adhærentia, ut in Ornithopodio *Dod.* jam dicto, cùm costa quà cauli adnascitur fit aliquousque foliis vidua, ut in Ferro equino, subamara. E summis foliis & caule producuntur petioli nudi semipedales & longiores, in quorum summis *flores* octo aut novem, coronæ instar radiatim penduli colore luteo saturato & effigie Meliloti quam nobilem vocant, quibus succedunt *siliquæ*, crebris internodiis interceptæ, aduncæ, in acutum desinentes, siliquis Ferri equini similes, minores tamen, minúsque incurvæ, nec ita latæ, nec adeò sinuatæ ut veluti perforatæ videantur ut in vulgari, sed minùs dimidio circulo, in quibus *semina* oblonga minùs incurva, ut Lunulam referant.

Locus. In Anglia variis in locis occurrit solo cretaceo ínque montosis Septentrionalibus. Nec tamen loca calidiora refugit; nam J. Bauhinus Monspelii propè patibulum invenit, florentem Aprili & Maio. Columna in Æquicolorum montibus & sylvula Capuccinorum.

CAP. VIII.

De Scorpioide bupleuri folio.

HÆc planta Campoides rectius diceretur quàm Scorpioides, siquidem siliquæ ejus erucam in se convolutam proxima similitudine referunt, suntque plurimùm hirsutæ.

1. *Scorpioides siliquis singularibus villosis: an Scorpioides majus* Park. parad? **The great rough Caterpillars.**

Ex radice plerunque singulari, ferè buxea, exili, rectâ, longiusculâ, dodrantales vel pedales [& læto solo etiam longiores] ramulos per terram sparsos, subhirsutos emittit; ex quibus nascuntur *folia* Bupleuri pinguiora, minùs nervosa, locis calidis albida, mediocriter spissa, brevibus & raris pilis nonnihil hirsuta, longiusculis pediculis, duabus longis angustis auriculis ad exortum donatis, appensa, alternatim posita, sapore herbaceo cum aliqua acrimonia, & ex eorundem alis pediculi singuli palmares & sesqui-palmares, aut etiam longiores, tenues, quorum summitatibus singulis singuli *flores* insident, papilionacei, flavi, similes Meliloto Germanicæ Fuchsii: Quibus succedunt *siliquæ* hispidæ, non tamen asperæ, majores quàm in vulgari Scorpioide, per maturitatem citrinæ, in se convolutæ erucarum instar, tuberculis semen continentibus [minùs tamen conspicuis quàm in vulgari] gibbosæ, quæ per maturitatem articulatim rumpuntur.

2. Scor-

2. *Scorpioides siliqua campoide hispida* J. B. *Bupleuri folio* Ger. C. B. *Bupleuri folio minor, pluribus corniculis asperis* Park. Prickly Caterpillars.

J. B.

Descriptio quam ex J. Bauhini hist. desumptam præcedenti accommodavimus hujus plantæ erat. Scorpioides enim non aliter inter se differunt quàm numero siliquarum in eodem pediculo, earundem superficie magis minúsve asperâ, ipsisque magis minúsve contortis & convolutis; & fortè etiam totius plantæ magnitudine. Huic ergo in eodem pediculo duæ trésve *siliquæ* hærent, magis convolutæ, magísque hispidæ seu asperæ quàm præcedentis, per maturitatem fuscæ, tuberculis *semen* falcatæ Lunæ effigie continentibus gibbosæ.

Hæc species frequentissima est circa Monspelium & alibi in Gallia Narbonensi. *Locus.*

Scorpioides multiflorus Boelii *Ger. emac. App.* idem videtur præcedenti.

* 3. *Scorpioides siliquâ crassâ Boelii* Ger. emac. App. *An Scorp. majus* Park. parad?

Hujus *flores* nonnihil ampliores sunt quàm reliquorum cujusvis, in singulis pediculis singuli vel bini: *Siliquæ* contortæ, non tamen villosæ aut asperæ ut præcedentium, sed striatæ duntaxat eleganter & velut reticulatæ, quàm alterius cujuscunque Scorpioides siliquæ septuplo majores, Erucæ densiùs pilosæ maximæ magnitudine. *Semen* rotundum sed paulò oblongius, Pisi arvensis ferè magnitudine, obscurè luteum.

* 4. *Scorpioides Bupleuri folio, siliquis lenibus* Park.

Hoc genus per omnia præcedentibus simile est, exceptis *floribus*, qui in singulis pediculis singuli, rariùs bini; & siliquis quæ angustæ sunt & læves, absque ulla omnino asperitate aut hirsutie. Morisono idem habetur sequenti seu Scorpioidi Bupleuri folio, corniculis asperis & rugosis seu rigidis striatis, seu sulcatis à sese dicto: malè ergo siliquis lenibus à Parkinsono inscribitur.

5. *Scorpioides siliquâ cochleatâ & striatâ Olyssipponensis* Hort. Paris.

Siliquas in eodem pediculo plures gestat, valdè contortas & in se convolutas, nullis neque spinulis asperas, neque villis hirsutas, sed secundùm longitudinem duntaxat striatas, graciles, per maturitatem nigricantes.

6. *Scorpioides Matthioli* Ger.

A nobis Trifoliis siliquosis, Fœnugrœco & similibus annumeratur. Possit tamen hîc non ineptè collocari ob siliquas articulatas longas se contorquentes: aptiùs sanè quàm inter Trifolia.

* 7. *Scorpioides Viciæ foliis minima* Moris. hist.

Cauliculos edit pedales, humiles, & per terram stratos: ex quorum geniculis oriuntur costæ mediæ, alternatim cauli adhærentes, & bis quatuor *foliis* longis, mucronatis, glabris, alternatim etiam sitis, uno impari extremum costæ claudente, onustæ; atque ex alis inter costam & caulem oriuntur petioli biunciales aut triunciales, sustinentes in eorum fastigio binos aut ternos, nunc plures, nunc pauciores *flosculos* papilionaceos, luteos; quorum singulis singulæ succedunt siliquæ longæ, tenues, articulatæ, continentes *semina*, minuta, rotunda, longa, in singulis interstitiis singula.

CAP. IX.

De Ornithopodio.

ORnithopodium à siliquis aviculæ pedes cum unguiculis referentibus dicitur.

A. 1. *Ornithopodium radice nodosâ* Park. *tuberculis nodosa* C.B. *item Ornithop. majus* Ger. C. B. Park. *item Ornith. minus* eorundem. *Orn. flore flavescente* J. B. *& Orn. tuberosum Dalechampii* ejusdem. Birds-foot.

Radice donatur, alba, simplici, fibras aliquot majusculas subinde emittente. Tum radix ipsa, tum fibræ majores fibrillis tenuibus capillatæ sunt, quibus tubercula seu granula quædam appenduntur. *Cauliculos* emittit plurimos, humi ferè fusos, aut paululum extantes, in lætiori solo semipedales aut longiores, tenues, hirsutos, teretes, *foliis* per intervalla vestitos alternatim positis, pinnatis per costam totam ad ejus usque cum ramis aut caulibus connexum, quinque aut sex fere conjugationibus, impari extremum occupante. *Flores* tres, quatuor aut quinque, rariùs plures, simul juncti umbellæ ferè in modum, surculorum ex alis foliorum emergentium fastigiis insident, pediculis brevibus aut nullis, foliolo alato ad umbellulæ basin apposito, perpusilli, leguminacei, folio supremo purpurantibus lineis striato, lateralibus duobus albidis, medio siliquam occultante vix conspicuo, subluteo. Floribus

bus totidem *siliquæ* succedunt, compressæ, sursum reflexæ, hirsutæ, articulis seu nodis quinque, sex, septemve distinctæ, in acutum velut unguiculum desinentes, omnes simul pedem aviculæ digitatum exprimentes. Singulis nodis singula insunt semina, parva, flaventia.

Hæc proculdubio est Ornithopodium tuberosum Dalechampii, quamvis in nonnullis minùs rectè describatur: Ornithopodium etiam perpusillum *Lob.* ut vel locus arguit: nam in marginibus herbidis Greenwici ad Tamesin fluvium non procul Londino oriri asserit. Nullam autem præter hanc neque ibi, neque alibi in Anglia Ornithopodii speciem sponte provenire audacter affirmaverim.

Locus. In arenosis & glareosis plurimis in locis occurrit, æstate florens.

Videntur Herbarii tres ex una planta species fecisse.

2. *Scorpioides leguminosa altera* J.B.

Plures ex eadem *radice* emittit *cauliculos*, tenues, teretes, dodrantales, humi procumbentes, ramosos, *foliolis* cinctos quatuor aut quinque pinnularum ad mediam costam annexarum conjugationibus compositis, impari extremam claudente costam, Ferri equini foliis similibus [quippe quæ cordata ferè, notabili nervo donata sunt.] Ex alis foliorum egrediuntur pediculi, duas uncias longi, in summitate *flores* duos, tres vel etiam quatuor gestantes velut in umbella, flavos, quibus succedunt totidem *siliquæ*, tenues, recurvæ, interdum in circulum flexæ, quas cornicula vocat Jo. Bauhinus, minime articulatæ [Jo. Bauhinus obscuris quibusdam articulis distinctas scribit] quæ quamvis rotundæ videantur incuriosiùs spectanti, sunt tamen paululum compressæ, multò angustiores quàm Scorpioides leguminosæ vulgaris, glabræ, nullis interim neque striis, neque lanugine donatæ, *semina* oblonga, flavicantia claudentes.

Locus. In vineis & hortis ad latera montium Messanæ imminentium observavimus & collegimus Maio mense florentem. Agerius in agro Neapolitano propè *Fundi* collegit, ad vias inter Scillas.

3. *Ornithopodio similis hirsuta Scorpioides* C.B. *Scorpioides leguminosa* J.B. Ger. Dod. Park. *J.B.*

Radicem habet longam, tenuem, simplicem, in capita aliquot subinde divisam: ex quibus non tantùm prodeunt *coliculi* palmares, & sesquipalmares, hirsuti; verum etiam *folia*, quæ Ornithopodii foliis æqualia, exigua, hirsuta, acuminata, & nonnihil incana, pinnatim digesta in conjugationes decem aut plures, ad costam adnectuntur: quanquam & ex ipsis caulibus consimilia quoque folia oriantur. *Flores* extremis ramulorum hærent coacervati, Ornithopodii floribus haud absimiles: quibus superveniunt intortæ *siliquæ*, sensim attenuatæ, modicè compressæ, striatæ.

Locus. Circa Messanam Siciliæ & Neapolin Italiæ urbes frequens oritur.

SUBSECTIO QUINTA.

Legumina non scandentia siliquis geminatis.

Herbæ flore papilionaceo, siliquis geminatis, duplicem seminum seriem continentibus sunt vel floribus

- *Luteis* aut *pallidis*, siliquis
  - *Glabris*, crassioribus & durioribus,
    - *Angulosis*, nonnihil incurvis, dorso sulcato,
      - *Major* perennis, folio dulci, GLAUX *vulgaris*, *Glycyrrhiza Sylvestris*.
      - *Minor annua*, siliquis
        - *In foliorum alis sessilibus*; VICIA *Sesamacea Apula* Col. *Astragalus marinus Bæticus* Park.
        - *In spicis è foliorum alis egressis*; SECURIDACA *Sicula siliquis falcatis* BOCCONI.
    - *Teretibus*,
      - *Rectis mucronatis*, floribus radiis nigris notatis; ONOBRYCHIS 3. Clus.
      - *Recurvis* falcem referentibus; SECURIDACA *minor*.
  - *Pilosis*, *membranaceis*,
    - *In alis foliorum sessilibus*, *oblongis*; FOENUGRÆCO *Sylvestri Tragi in quibusdam accedens planta* J.B.
    - *In spicis è foliorum alis egressis*, tumidis & vesicæ instar inflatis; CICER *Sylvestre* Matth.
- *Purpureis* vel *cæruleis*.

Scandens

{ *Scandens*, Americana, major, radice tuberosa; APIOS *Americana* Corn. *Terræ glandes Amer. seu Virginianæ* Park.
{ *Erectæ* seu non scandentes, siliquis

[*Turgidulis*, floribus confertis in spicis

{ *Productioribus*, ex alis foliorum egressis; ONOBRYCHIS I. Clus.
{ *Brevioribus* & in rotundum coactis, summos caules & ramulos terminantibus; GLAUX *Hispan.* Clus.

Tenuioribus & angustioribus, floribus in spicis rariùs sitis, & paucioribus, siliquis

{ *Brevioribus*; ONOBRYCHIS 2. Clus. Huc etiam refert *Onobrychidem* 4. Clus. quæ à secundâ vix aliquâ notâ characteristicâ differt.
{ *Longioribus* & arcuatis; ASTRAGALUS *Monspessulanus* J.B.

[*Compressis*, *latis*, ad margines serratis; SECURIDACA *peregrina* Clus. *Lunaria radiata Robini* J.B.

CAP. I.

De Tragacantha.

TRagacantha i.e. hirci spina, folia habet pinnata, viciæ in modum, costâ mediâ cui pinnulæ annexæ sunt in longam, rigidam, acutam spinam procurrente; siliquas geminatas, duplici alveolo duplicem seminum seriem continentes.

Est & Tragacantha gummi è vulnere radicis incisæ emanans: quale autem ad nos adfertur (inquit J. Bauhinus) est glutinosum, candidum aut flavum, aut ex russo pallescens, contortum in erucarum vermiculorúmve formam, tanquam violentiore pressu per densius colum transmissum, sapore subdulci & ferè fatuo aquam cui infunditur in lentam sequacémque mucaginem convertens.

Vim habet, auctore Discoride, meatus obstruendi, & acrimoniam obtundendi. Usus ejus est ad medicamenta ocularia, & ad tusses & arteriæ asperitates, & vocem retusam, & destillationes in eclegmate cum melle. Subdita etiam linguæ liquescente succo devoratur. Sed & macerata in passo drachmæ pondere bibitur ad renum dolorem & vesicæ rosionem, admixto cornu cervino usto ac loto, aut modico alumine scisso. Extrinsecùs (inquit Schroderus) ad dysenteriam valet (in clysteribus) ad rubedinem & acres destillationes oculorum (soluta in aqua rosacea vel lacte) ad palpebrarum scabritiem. *Usus.*

Aqua calidâ solvitur, mucilaginémque exhibet, aliis medicamentorum formulis, e. gr. trochiscis formandis, convenientem.

1. *Tragacantha Massiliensis* J. B. *Tragacantha* C. B. *Trag. vera* Park. *Trag. sive Spina hirci* Ger. *J. B. Ad.*

Frutex est *virgis* mediocriter crassis donatus, extremum versùs magis crassescentibus, iísque albidis & lanuginosis, cubitalibus, è quibus squammatim prodeunt spinæ candidæ, creberrimæ, sextantales, rigidæ & infestæ, *foliis* utrinque quasi pinnis donatæ, parvis oblongis, incanis, quæ per hyemem etiam retinent, vere sequente abjiciunt, novis succrescentibus foliorum alis. [Spinæ hæ dum adhuc foliorum costæ seu nervi medii sunt molles sunt & vix pungentes, postea decidentibus foliis pinnatis crassescunt & in spinas rigidas abeunt.] In summo inter spinosa folia & spinas stipantur multi *flosculi* invicem collecti, Genistellæ similes, sed albi. *Siliqua* etiam numerosa, recta, Ciceris aut Genistellæ spinosæ modo, curta, gemella, duplici alveolo binos seminum ordines continens [exilium, albicantium, Sinapi magnitudine, angulosorum. *Radix* alba, longa, lignosa, crassitie digiti, prolixis flexibus subter humum mersa. *Lob.*]

Propè Massiliam ad maris litus invenimus. Quin & in Sicilia in ascensu montis Ætnæ quatuordecim supra Cataniam milliaribus propè nivis repositoria vel hanc vel aliam Tragacanthæ speciem invenimus, quod mirum in loco tam frigido. *Locus.*

Easdem vires cum gummi obtinet.

* 2. *Tragacantha altera Poterium fortè Clusio* J. B. *Trag. altera seu minor, Poterion fortè Dioscoridis* Park. *Tragacanthæ affinis lanuginosa, sive Poterium* C. B. *Trag. Granatensis foliis incanis deciduis, flore albo* Moris.

Clus.

Præcedenti Tragacanthæ simillima est, fruticosa admodum, multos pedales habens *ramulos*; flexibiles, latè circumquaque sese diffundentes, candicantes & dum adhuc tenelli sunt lanuginosos, multis, longis, canescentibus spinis horrentes. *Foliorum* plurimæ simul junctæ alæ, Lenticulæ aut Tragacanthæ proximæ, exiguæ, candidæ, lanuginosæque primo vere exeunt per intervalla, dulcis saporis. Foliis hyeme decidentibus nervi illi medii quibus folia inhærebant in rigidas & acutas spinas evadunt, ut eo tempore tota planta sine foliis conspiciatur, contra quàm in præcedente.

Istam neque florentem, neque semen ferentem vidi sed sub ea plurimos folliculos bombycinis similes aut Hypecoi *Matth.* folliculis pænè pares, inanes, inveni, quos ab illa excidisse & florem ex similibus prodire album, non magnum incolæ referebant: de semine nihil certi intelligere potui.

Radix

Radix lenta, longa, in multos ramos divisa, nigro cortice foris obducta, materie intus candida fungosâ, dulci: interior pars gummosum quidpiam & subdulce refert.

Locus. Nascitur plurima circa *Guadix* & *la Venta el peral* Granatensi regno, in collibus, arido & inutili solo; nec alio loco conspexi.

Johnsonus in Gerardo suo emaculato iconem hujus plantæ accuratam exhibet, è Clusio ut ait, in qua flores & siliquæ seorsim pictæ exhibentur. Siliquæ autem crassæ & curtæ, duplicem intus seminum reniformium seriem continent, ut figura ostendit.

* 3. *Tragacantha humilior floribus luteis* C. B. *Syriaca flavescens* Park. *Trag. Rauwolfii* J. B. *An Tragacantha* Alp. ex?

Paulò humilior est prima [Tragac. præcedenti] persimilis tamen, nisi quòd flosculos fert luteos, confertos, pediculis longis hærentes, quorum singulares rotundis & flavescentibus folliculis insident.

* 4. *Tragacantha tertia Rauwolfii. Trag. Syriaca purpurascens* Park.

Huic altitudo præcedenti par; *virgæ* robustæ, rubentiores, in quibus conspiciuntur alba, lanuginosa Poterii *capitula*, purpureis *flosculis* ornata speciosis.

5. *Tragacantha altera seu Poterium densiùs ramificatum* Alpin. exot.

Alp.
Ramulis nigris in latum diffunditur, eósque & breves habet & longè plures, & spissos, ita ut in planta nihil vacui appareat. A ramorum cymis proveniunt spinæ horridæ, & veluti spinis crebris densis tota planta est undique stipata, ut tota ipsis planta tegatur, & nulli rami extra folia & spinas conspiciantur: cimæ etiam omnes lanugine spissa infarctæ, latiores apparent. Hic frutex parvus, incanus totus, per terram sparsus terram ipsam attingit, & vix è terra sese erigit, ipsiúsque rami subter spinas obruti, nigrescunt & subtiliores sunt.

Cretæ insulæ indigena est.

Hæc planta esse videtur quam in Sicilia ad pedem montis Ætnæ vidimus & collegimus: *Caules* satis crassi erant, nigricantes, creberrimis spinis horridi, summa parte valdè ramosi. Spinæ tenuiores brevioresque quàm Tragacanthæ Massiliensi: folia etiam minora, angustiora, breviora, minùs incana, longiore tamen lanugine pubescentia. Ramuli à terra non assurgunt. Flores & siliquas non observavimus.

Locus. Ad pedem montis Ætnæ loco satis frigido invenimus, unde à loco sequenti potiùs eandem diceremus, verùm nec icon respondet, neque descriptio per omnia.

* 6. *Tragacantha altera* Alpin. exot. *Cretensis aut Idensis nigra, tota echinata* Moris.

Alpin.
Radice nititur longâ, crassâ, lignosâ, nigrâ, à qua quatuor aut plures exeunt *caules*, nigri, rotundi, duri, lignosi, qui in complures ramulos dividuntur, nigros, breves, subtiles, totos spinis albis armatos, sed in summitatibus habent spinas quasdam germinum instar, multis foliolis parvis tenuibus, ex una tantùm parte præditas, in quibus surculorum summitatibus *flores* parvi, prioris Tragacanthæ proximi. Tota hæc planta est veluti similis Echino. *Radix* insipida est, sed aliquantulum quasi odorata.

* 7. *Tragacantha altera humilior & spinosior Echinus dicta* Alpin. exot. *Echinus Creticus* Park.

Alpin.
Planta est parva, Echini terrestris magnitudine, & figurâ orbiculari tota, terræ inhærens, vix palmari altitudine supra terram eminens, atque *radicem* usque ad surculorum medietatem terræ infixam habens: in parte interna qua terræ adhæret, apparent ramuli breves, subtiles, nigri, multi densè simul stipati, à multis, parvis, tenuibus, simul conjunctis, terrâ occultatis proficiscentes, desinentes in spinas parvas, breves, acutas, tenues, albicantes, in extremo stellatim compositas, nudas & spoliatas foliis, unde superficies partis extimæ non plana sed ad rotunditatem inclinans cernitur, tota spinis densissimè stipatis & undique horridis armata; quæ spinæ ex germinibus ramulorum, qui innumeri sunt, in orbem stellarum modo desinentes, totam superficiem complent ex germinibus. Numerosi flosculi papilionacei, ac veluti Hyacinthi floribus figurâ ferè similes, sed longè tamen minores, quibus thecæ parvæ, oblongæ, & geminis cellulis præditæ succedentes, totum Echini dorsum exornant.

CAP. II.

De Astragalo seu Vicia sesamacea.

SEquentes plantas siliquis geminatis seu duplici alveolo binos seminum ordines continentes non ineptè Astragali nomine donat Morisonus, quem sequimur, à forma seminum, in plerisque Talum seu Astragalum aut ossicula sesamoide articulis digitorum substrata referentium. His notis à reliquis leguminibus facile distunguuntur, à Tragacantha autem quòd herbaceæ, nec spinosæ.

A. 1. *Glaux vulgaris leguminosa sive Glycyrrhiza sylvestris* Park. *Glycyrrhiza sylvestris floribus luteo-pallescentibus* C. B. *Fœnum Græcum sylvestre, sive Glycyrrhiza sylvestris quibusdam* J. B. *Hedysarum Glycyrrhizatum* Ger. emac. **Wild Liquorice or Liquorice-Vetch.**

Crassâ *radice* nititur, cubitum & sesquicubitum longâ, albâ, sapore dulci: *ramos* vimineos per terram spargens, tres aut quatuor cubitos longos, atque etiam interdum longiores, teretes, glabros, fractu contumaces. *Folia* instar Glycyrrhizæ disponuntur, conjugationibus quatuor, quinque, aut sex, uno impari alam claudente, quod tamen non est perpetuum. Sunt ea verò, si singula seorsim contempleris, Pisi sylvestris foliis similia, supernè ex viridi glauca & glabra, infernè ex viridi flavescentia & hirsuta, sapore eo quem radici inesse dicebamus. Ex foliorum porro alis pediculus circiter palmaris enascitur, qui leguminaceos crebros *flores* ex flavo pallentes sustinet. *Siliquæ* non minùs floribus frequentes, incurvæ, dorso sulcato; unde si nervum auferas ex duabus compositæ videntur, quarum singulæ suis membranis dissepiuntur, *semen* claudentes Fœnugræci, minus, lucidum, cui sinus insculptus.

In dumeris & ad latera montium, inque pratorum marginibus non raro obviam se dat. **Locus.**

Quam plantam intelligant Adversariorum Autores *Glaucæ vel Glaucis cujusdam leguminosæ herbariorum floribus purpureis*, titulo me fugit. Cur in titulo *floribus purpureis* ponunt & tamen in descriptione flores non rariùs flavere aiunt? Cur juxta agrorum viarúmque margines obviam sese dare in Anglia scribunt, cùm nobis nihil ejusmodi in Anglia nec visum, nec auditum? Videntur Anthyllidem leguminosam describere, quæ quidem satis frequens in Anglia, verùm neque descriptio huic bene convenit, & alibi eam proponunt.

2. *Cic. sylvestre* Matth. Ger. *sylv. multifolium* J. B. *sylv. majus* Park. *sylv. foliis oblongis hispidis majus* C. B.

J. B.

Perenni *radice*, crassâ & dulci donatum est, *ramos* bicubitales & altiores profert, striatos, tortuosos, concavos: *folia* hirsuta, pinnata, sativi Ciceris positu, sed longiora, angustiora, nec per ambitum serrata, ad Lentis majoris folia propiùs accedentia, nisi in obtusum & subrotundum mucronem desinerent, subdulcia: conjugationes multæ, ad tredecim supputavi. Ex foliorum alis pediculus palmaris exit, rigidulus, *spicam* brevem sustinens *florum* subluteorum, quibus racematim cohærentes succedunt folliculi breves, ventriosi, hirsuti, geminati, *semina* continentes duplici loculamento, autore Dod. exigua, dura, plana, splendentia, gustu Phaseoli.

In agris inter segetes copiosè crescentem vidimus, inter Genevam & oppidum *Jay*. **Locus.**

Hæc planta sapore dulci, florum colore & spica, siliqua geminata, aliisque accidentibus Glaucem vulgarem sive Glycyrrhizam sylvestrem refert, unde & primo aspectu *Glaucem alteram perennem folliculis turgidis* eam denominavimus.

3. *Securidaca Sicula siliquis foliaceis* Bocconi. *Astragalus marinus Lusitanicus Boelii* Ger. emac. App. *Ast. marinus Bæticus* Park.

Johnson.

Ex eadem radice quinque vel sex, aut etiam plures exserit *caules* [in hortis lætiore solo sata] teretes, striatos, rubentes, modicè crassos, erectos, siliquarum tamen pondere subinde versùs terram reclinatos, cubitum altos: *Foliis* multis viridibus per intervalla obsitos, nullo ordine, Glaucis vulgaris similibus, sed minoribus, unoquoque folio ex quatuordecim aut pluribus foliolis in apices rotundos desinentibus, mediæ costæ, novem aut decem uncias longæ utrinque conjugatim adnexis, composito. *Flores* pediculis longis teretibus, striatis, hirsutis è foliorum cavis versùs summos caules exeuntibus insident, plures simul, in spicas breves conferti, colore pallido seu ochroleuco, Securidacæ minoris similes, sed multò majores, qui in spicas abeunt semipalmares circiter, è multis *siliquis* uncialibus per maturitatem albentibus, modice incurvis, triangulis, dorso sulcato, arctè stipatis Glaucis vulgaris in modum, conflatas. Singulæ autem siliquæ binos seminum ordines continent, inque singulis ordinibus *semina* tria vel quatuor, obscurè seu ex luteo liventia, Securidacæ minoris similia, sed quadruplo majora, sapore nullo insigni. *Radix* parva, tenuis, alba, paucis fibris donata, rectâ in terram descendens, & semine maturo inarescens.

In lingula illa inter fretum Siculum & portum Messanensem hanc invenimus, & à florum colore siliquarum tum figurâ, tum crescendi modo, & foliorum similitudine *Glaucem peregrinam annuam* denominavimus; & per errorem pro *Vicia Sesamacea* Apula Columnæ habuimus, próque Fœnugræco sylvestri Tragi in quibusdam accedente planta *J. B.* quas jam pro distinctis tum ab hac, tum à se invicem speciebus agnoscimus. Ejus semina olim Londino accepimus, nescio quo titulo.

Miror Parkinsonum pro *Astragalo marino Bætico* Boelii nobis exhibere *Viciam Sesamaceam Apulam Col.* cùm Johnsonus Gerardi emaculator plantam quam proposuimus hoc in loco apud ipsum viderit, & pro Astragalo marino Lusitanico Boelii descripserit, cujus etiam descriptionem omnibus numeris absolutam Latinam factam mutuati sumus.

Ex quo hæc scripsi, re seriò perpensâ, & consideratis quæ de *Fænugræco sylv. Tragi in quibusdam accedente planta* observata sunt à *D. Magnol*, sententiam muto, & Parkinsonum excuso: Verisimillimum enim puto hanc etiam plantam florum & siliquarum situ variare, alias nimirum eas caulibus adnasci pediculis brevibus aut nullis, in ipsis foliorum sinubus sedentes; alias pediculis longis ex iisdem sinubus egressis insidere, [in diversis plantis, intellige, non in eadem] unde eundem Boelii *Astragalum marinum Bæticum* Parkinsonus cum floribus & siliquis in foliorum alis sessilibus descripsit; Johnsonus cum eisdem longis pediculis insidentibus.

4. *Vicia*

4. *Vicia Sesamacea Apula* Col. *Astragalus marinus Bæticus* Park. *Ornithopodio affinis hirsuta semine stellato* C. B.

Col.

Hujus *radix* tenuis est & pusilla, lignosa, flavescens, pluribus surculosa *cauliculis* rotundis, pedalibus aut paullò majoribus, albicantibus, pilosis; *foliis* pinnatis, Viciæ modo cauli alternatim hærentibus, novenis utrinque pinnulis, atque in cacumine singulis, auriculas circa caulis genicula utrinque angustas ut in congeneribus habentibus. Inter illorum & caulis sinus congesti sunt *flores* parvi, leguminosis adsimiles, ex pallido albicantes, vix conspicui, atque statim ex illis *siliquæ* sex vel septem, vel octo succrescunt gibbosæ, oblongæ, albescentes, pilosæ, curvo cacumine, sylvestri Nigellæ, Isopyro aut Sesamo similes, fissuram grani Tritici modo habentes, per quam siccatæ dividuntur, *semine* intus hærente Pisi vel Sesami modo, fulvo, parvo, minore atque compresso. Maio mense perficitur, & ab ima florere incipit ala.

Locus. Cirinolæ in Reguli vinea *Acquamena* dicta & sterilibus agris, nec alibi Columnæ visa.

Hæc præcedenti quidem similis est, verùm tum florum & seminum parvitate, tum siliquarum hirsutie, tum situ seu modo crescendi, manifestè differt, ut specie diversam esse minimè dubium sit. Ast jam mutatâ sententiâ, suspicor vel eandem omnino esse, his non obstantibus, ob rationes in præcedente planta dictas; vel potiùs Fœnugræco sylvestri Tragi in quibusdam accedenti plantæ *J. B.* ut & *Stellæ leguminosæ* dictæ, ut rectè C. Bauhinus.

5. *Onobrychis quibusdam flore pallido, vel Polygalon* J. B. *Onob. spicata floribus pallidis, nigris radiis notatis* C. B. *Onob. foliis Viciæ longioribus* Park. *Onob.* 3. Clus. *Onob.* 3. *Clusii flore pallido* Ger.

Clus.

Sesquicubitalibus assurgit *ramis*, rectis, firmis, duris, viridibus, in quibus *folia* Lentis sive Viciæ sylvestris, longa angusta, duodecim aut quindecim, & totidem ex adverso, eidem costæ hærentia, uno etiam (quod extremæ costæ insidet) impari, lanugine obsita, gustu ingrato & amaro, deinde nonnihil acri: Ramuli extremo caule ex alarum sinu prodeuntes palmares, striati, in dodrantales spicas, *flosculorum* Trifolii flores æmulantium, oblongiusculorum, pallidorum desinunt, quibus impressi nigricantes quidam radii. His succedunt *siliquæ* Onobrychidis 2. *Clus.* similes, mucronatæ, duabus valvulis constantes, in quibus *semen* Fœnogræco pæne simile, sed minus & nigrum. *Radix* crassa, dura, lignosa, longa, aliquot fibris donata, candicans, perennis.

Locus & Tempus. Valde rara est, invenit Clusius ad Hamburgum urbem duobus supra Posonium mill. & ad oppidum *Fischmuntz* ad Fischam flumen situm paulò supra quàm in Danubium se exonerat, publica viâ. In hortos translata mense Maio floruit atque tota deinceps æstate: Augusto semen protulit.

6. *Astragalus Africanus flore luteo odorato* Botan. Monsp. Breyn.

Breyn.

Foliis gaudet pennatis, Hedysari clypeati positu, sed multò angustioribus, minoribus, magisque pilosis, in quibus etiam conjugationes longè plures supputantur. *Flores* in spicam circiter dodrantalem fert, Hedysari clypeati pariter quà formam respondentes, flavos autem & odore cerebrum mirifice oblectantes: Quos *siliquæ* excipiunt unciales, subalbidæ, Coluteæ instar tumentes, corticosæ, duræ, intrinsecus cuticulâ duplici membranaceâ in duas distinctæ cellulas, in quarum singulis semina tria vel plura, Coluteæ majora, ex glauco sublutea, ac molli lanugine alba pubescentia pedunculis suis inferiori siliquæ margini adhærent.

Locus. In Barbaria juxta *Gigeri* sponte nascitur.

Ad Cicer sylvestre Matthioli accedit.

D. Magnol eandem hanc plantam (ut videtur) sub eodem titulo describit his verbis,

Radix ejus longa & crassa est: folia ex variis capitibus orta plurima habet, in orbem disposita, lobata, semunciam lata, unciam longa, superiùs & inferiùs glauca, in marginibus tantùm pilosa; in quarum costis quæ etiam pilosæ sunt, quindecim & viginti foliorum conjugationes numeravi, folio ultimo semper impari: inter quæ scapi plures oriuntur pedales, spicam florum papilionaceorum sustinentes, qui ex luteo pallidi & odoratissimi sunt: ipsisque succedit siliqua tumida villosa, paulò major quàm siliqua Ciceris, subtus per longitudinem concava, in extremitate mucronata, duos seminum ordines continens, quæ majora sunt quàm semina Astragali Bætici *Clus.*

Locus. In Barbaria circa propugnaculum dictum *la Tour de France* sponte nata inventa est, & Monspelium delata hæc planta; ubi nos in horto Regio à *D. Mich. Chycoineau* cultam vidimus multos ante annos cùm Monspelii commoraremur, Anno 1665.

7. *Securidaca minor* Lob. *minor lutea* Ger. emac. *altera sive minor* J. B. *lutea minor corniculis recurvis* C. B. *Hedysarum minus sive Securidaca minor* Park.

J. B.

Lignosâ simplici *radice* & candida nititur; ex qua emergunt *caules* striati, cubitales, aliquando vix duas uncias longi. *Folia* pinnata, Securidacæ majoris, minora, per extremam oram latescentia, sæpe & fissa. *Flores* singulares, pediculi fastigio ordine ascendentes insident, ex luteo pallidi: quibus succedentes *siliquæ*, ut minores quàm Securidacæ siliquâ latâ oblongâ, ità multò magis incurvæ; parum abest quin utriusque finis coitu circulum efficiant, torosiores quàm Securidacæ jam dictæ, & propemodum, rotundæ, in quibus geminus granorum crassorum, quadrangulorum, rufforum versùs, intergerina membranâ disseptus.

Locus. In collibus circa Messanam & Monspelium collegimus.

Hæc

Hæc planta pro Astragalo Monspessulano à nonnullis habita est, ob iconum transpositionem apud Lobelium & Clusium.

8. *Apios Americana* Cornuti. *Terræ glandes Americanæ sive Virginianæ* Park.

Cornut.

Radix hujus in multas subrotundas & oblongas olivarum magnitudine glandes mediis inter se nervulis cohærentes exit. Veris initio *surculis* multis vitilibus, non validioribus Convolvulo pullulat, quibus proximis quibusque circumvolvit sese, & illaqueat pedamentis aut perticis, quarum proceritatem vel summam crescendo assequitur. *Folia* his hinc inde nascuntur non è regione cauliculorum disposita, sed inæquali situ, in amplas lacinias dissecta, nunc septem, nunc novem, numero semper impari ex eadem costa oriuntur: Singula sunt Asclepiadis figurâ, breviore tamen pediculo fulciuntur. [*Flores* fert papilionaceos, coloris obscurè carnei vel potius obsoleti seu fuliginei, in spicam digestos; quibus succedit spica brevis, conflata ex pluribus siliquis gemellis in unum centrum, caulis sci. fastigium coeuntibus, sursum spectantibus, atque unicuique *siliquæ* duplex est series seminum: seu potius unaquæque siliqua duplex est, ex duabus secundùm longitudinem cohærentibus & veluti agglutinatis composita.] Folia simul Octobri mense decidunt, cauliculique tabescunt. Tubercula radicum sub terra adolescunt, & Hyeme tota interquiescunt donec sequente Vere regerminent.

Descriptionem Cornuti è Morissoni nostri historia supplevimus, additis verbis uncis inclusis.

Hæc planta caulibus scandit, adeóque incerti laris est: Nam caulium respectu ad scandentes spectat, siliquarum verò ad hanc classem.

* 9. *Onobrychis flore purpureo* Ger. *spicata flore purpureo* C.B. Park. *Onobrychis quibusdam purpureo flore* J. B. *Onob.* 1. Clus.

Cubitales plerunque habet *caules*, frequentes (si vetusta sit planta) rotundos, duros, humi procumbentes; in quibus frequentia *folia*, Lenti similia, angusta, hirsuta, seu lanugine quadam obducta, quindecim subinde, & totidem alia ex adverso uni costæ adhærentia, uno impari extremam alam occupante, gustu amaro & ingrato. Ex alarum cavis exoriuntur ramuli, similibus foliis septi, ex quibus dodrantales exeunt pediculi, striati, ferentes multos *flores*, Trifolii florum æmulos, oblongiusculos, eleganti purpurâ nitentes, inodoros, confertos, & veluti spicam trium interdum unciarum longitudinem æquantem efficientes, nonnunquam etiam longiorem, præsertim quando in semen abeunt, quod bifidis, brevibus, turgidiusculisque *vasculis* continetur, exile, nigrum, durum, sapore ingrato, ut alia legumina. *Radix* illi magna, longa, dura, in obliquas nonnullas fibras sese spargens, & subinde ad cauliculorum exortus recentes fibras agens, vivax & perennis.

Frequentem ad Danubii ripas, supra Posonium, arido solo, apud Petronellam oppidum invenit Clusius, &c. *Locus.*

* 10. *Onobrychis floribus Viciæ dilutè cæruleus* C. B. *floribus cæruleis* Park. *Onob. quibusdam subcæruleo flore* J.B. *Onobrychis* 2. *Clusii* Ger.

Clus.

Multos ex eadem radice promit vimineos *cauliculos*, pedales, nonnunquam etiam longiores, humi fusos, crebris nodis distinctos, & in his alata *folia*, h. e. tredecim, quindecim, septendecim, aut pluribus & oblongis foliolis uni costulæ inhærentibus constantia, extremo semper imparem numerum faciente. Prodeunt deinde ex alis tenues pediculi seu virgulæ, *flosculos* in spicam confertos ferentes, Pisi aut Viciæ florum formâ, sed longè minores, colore dilutè cœruleo, vel ex cœruleo purpurascente: His succedunt exiles *siliquæ*, quasi duplicatæ, continentes pusillum *semen* renis formâ, nigrum. *Radix* minimi digiti crassitudinem fermè æquat, dura, lignosa, contorta obliquè se spargens, & altè sub terra condens, rarisque fibris donata, quæ summa parte in aliquot capita extuberat, è quibus singulis annis novos cauliculos fundit.

Rara est: infra Viennam invenit Clusius viâ publicâ, secundùm orbitas, inter *Schwecker* & *Gotzestorf* paucas duntaxat plantas, Junio florentes; item non procul à *Znaim* Moraviæ oppido. *Locus.*

11. *Astragalus quidam montanus vel Onobrychis aliis* J. B. *Onobrychis* 4. *Clusii* Park. *Onob. montana* 4. *Clusii* Ger. *Onobrychis floribus Viciæ majoribus cæruleo-purpurascentibus, vel foliis Tragacanthæ* C. B.

Clus.

Multa *folia* promit ab eadem radice, Lenticulæ aut Tragacanthæ foliis proxima, uni similiter costæ inhærentia, molliora tamen, viridia quidem illa, sed lanugine quadam candicante pubescentia, lento primùm gustu, deinde nonnullam amaritudinem relinquente, postremò linguam vellicante. Nascuntur inter foliorum alas *cauliculi* ferè dodrantales, supini, exiles, quadam lanugine obducti, aliquot *flosculis* onusti, Viciæ sylvestris aut Lenticulæ florum magnitudine, colore ex cœruleo purpurascente: quos excipiunt *siliquæ* pusillæ, geminis cellulis constantes, *semine* (quod cùm probè maturum non esset, observare non potuit Clusius) plenæ. Multas ex eadem *radice*, quæ longa crassiusculáq; est) & obliquas fibras agit, propagines & ramulos dodrantales, humi fusos in latera emittens.

Crescit in summo Sneberg jugo, atque in Etscheri summis scopulis. *Locus.*

Vel hanc plantam, vel ei valdè similem invenimus in altissimo vertice montis Juræ *Thuiri* dicto. Descriptio J. Bauhini satis bene convenit nostræ plantæ, non item figura: nostra caules habet rubentes, folia in acutum desinentia.

* 12. *Astragalus Monspessulanus* J.B. *Securidaca minor* Ad. descr.

J. B.

Radice est durâ, lignosâ, crassitudine digitali & crassiore, longitudine cubitali, dulci, intus albâ, cujus cortex crassus, subfuscus, quæ antequam è terra erumpat dividitur in aliquot portiones sive capita, tres quatuorve digitos longa, ut nisi quis profundè fodiat, multas esse plantas existimet: ex quibus prodeunt *coliculi* simplices, concavi, rubentes, vix palmares *foliolis* vestiti brevibus, in mucronem exacutis, pilosis, amarescentibus, crebris, sic ut ad costam unam adnexa foliola 21. supputârit J. Bauhinus. In virgularum extremitate *flores* multi, non multùm floribus Polygali Gesneri dissimiles, purpurei, interdum albi, non in spicam digesti, sed conglomerati, Trifolii floribus similes sed majores: quibus succedunt *siliquæ* duas uncias longæ, incurvæ, rubentes, teretes.

Lobelius, Clusius, aliique Botanici Securidacam minorem pro Astragalo Monspeliensi habent, & ob id à J. Bauhino reprehenduntur. Verùm & nobis, cùm Monspelii essemus Anno 1665. Securidaca minor ab ipsis Monspeliensibus pro Astragalo Monspel. ostensus est. Utcunque Planta J. Bauhino sub titulo Astragali Monspeliensis descripta & depicta à Securidaca minore diversa est, *foliis* primo, quæ mucronata, non obtusa, *radice* dein crassâ, numerosâ: *Floribus* denique quæ in Securidaca & minores, & alterius coloris.

Ex quo hæc scripsimus D. Magnol Botanicum Monspeliense seu Indicem plantarum circa Monspelium nascentium nacti sumus: à quo moniti Astragalum hunc Securidacæ minoris nomine à Lobelio in *Ad.* describi, librum illum consuluimus, & rem ita se habere comperimus: siquidem Securidaca minor eo in loco à Lobelio descripta floribus purpureis esse dicitur, & toto anno in aridis & glareosis Frontignani florere, quod Securidacæ luteæ corniculis reflexis non convenit; quamvis per errorem ejus figura pro Securidaca minore posita fuerit in *Obs.*& *Icon.Plant.* quod nobis aliisq; imposuit.

Locus. In locis siccis vulgo *Garrigues* circa Salenovam, & in elato colle dicto *Ferrand* ad lævam Ladi amnis, quà respicit Castrum-novum, multò copiosiùs crescit quàm loco à J. Bauhino designato, secus vias itinere Narbonam versùs, propè *Gigant*, uno à Monspelio milliari, ubi florentem vidit mense Aprili J. Bauhinus.

* 13. *Astragalus incanus siliquâ incurvâ* D. Magnol. *Onobrychis incana* C. B. prod.

C. B.

Caulem habet rotundum, ramosum, incanum: *folia* plura, acuminata, angusta, uni costæ adnexa, incana velut cinere aspersa: *cauliculi* semipalmares, nudi, spicam florum purpurascentium aliorum formâ sustinens: quibus succedunt *siliquæ* oblongæ, incanæ, incurvo mucrone donatæ, duabus valvulis constantes, *semen* minutum nigrum planum & semicirculare continentes.

Locus. In Provincia Galliæ reperitur. *C. B.* In via qua itur ad montem Lupi Aprili mense cum flore reperitur, & abundè etiam inter vicos *Asses* & *Fontanes*. *D. Magnol.*

14. *Fænugræco sylvestri Tragi in quibusdam accedens planta* J. B. *Ornithopodio affinis hirsuta*, *Stella leguminosa* Botan. Monsp.

J. B.

Palmari est altitudine, *caulibus* donata teretibus, hirsutis, striatis, crassiusculis: *Folia* Tribuli terrestris paria, perquam hirsuta, conjugatim costæ duûm unciarum ex caulis geniculis ortæ adhærent: indidémque *flores* copiosi, dimidiatum verticillum efficientes, parvi, palliduli, quorum unicuique succedit *siliqua* hirsuta, in acumen desinens, in duas partes findi facilis, quarum unaquæque suis undique membranis convestita *semen* continet copiosum, Fœnugræci sativi minus. *Radix* duûm unciarum, simplex, gracilis.

Locus. Circa Monspelium, ad Episcopi Monspeliensis castellum, loco arido, vix unam atque alteram plantam observavit Cherlerus.

Hujus duplicem differentiam observavit D. *Magnol*: in plerisque flores & siliquæ pediculis insident, sicut in figura Stellæ leguminosæ; in aliis verò cauliculis adhærent ut in figura *J. B.* exprimitur, in reliquis similes sunt, & flores habent purpuro-cœruleos, non pallidulos, quales suæ plantæ tribuit J.Bauhinus. Sunt ergo (ut videtur) Fœnugræco sylvestri accedens, &c. *J. B.* & Stella leguminosa una & eadem species plantæ.

Stella leguminosa J B. Park. Ger. *Ornithopodio affinis hirsuta, fructu stellato* C. B. *Arturo* Cortusi.

Foliis exit leguminosæ Scorpioidis, *flosculis* Lampsanæ. *Semen* exile, pullum in corniculis tantillum falcatis, uno pediculo aptatis & radiatim congestis, stellam exprimentibus, gustu leguminoso & glutinoso.

C. Bauhinus Viciam Sesamaceam Apulam *Col.* hujus Synonymam facit, sed malè; siquidem Viciæ sesam. Ap. *flores* & iis succedentes siliquæ in ipsis foliorum sinubus sedent, pediculo brevi aut nullo: hujus autem in longis pediculis, è foliorum alis egressis, ob quam etiam rationem diversa sit oportet à Fœnugræco sylvestri Tragi in quibusdam accedente plantâ *J. B.* [Hæc ratio non concludit: Variat enim hæc species florum situs respectu, qui, nonnunquam in foliorum alis sessiles sunt, brevi aut nullo pediculo, aliàs in longis pediculis è foliorum alis egressis plures simul stipati nascuntur ut nos docuit D. Magnol; unde nec reprehendendus est C. Bauhinus.] Quòd si rectè describatur flosculis Lampsanæ, anomala est & sui generis planta; quod non libenter concesserim.

Hanc præcedenti eandem statuit *D. Magnol*, cui sanè multum debemus quòd Stellæ huic nebulosæ illustrandæ aliquam lucem attulerit.

Locus. Reperitur (inquit) copiosè in sterilibus locis ultra pontem Salenovæ, tum & in loco dicto *la garrigue dau Tarrall* Maio mense cum flore.

15. *Astra-*

15. *Astragalus Monspeliano candidior & Onobrychis aliis* J. B. *Astrag. purpureus montanus* Park. *villosus floribus globosis* C. B.

Folia huic multò candidiora quàm præcedenti, pili longiores: caules non multùm majores quibus insident *flores* multi, purpurei, multò plures quàm in Astragalo Monspeliensi, conglomerati, densa pilorum lanugine hirsuti.

Genevæ in monte Salevæ collegit J. Bauhinus florentem mense Junio. *Locus.*

Nos in eodem monte in saxosis Soli expositis hanc ut putamus plantam invenimus; erat autem nostra *radice* crassâ, in multa capita divisâ, unde propagines multæ, crassæ, lignosæ, in ramos creberrimos divisæ, variè intortæ & scabræ, denso veluti cespite terram operiunt. Germina inde erumpunt plurima quæ in folia explicantur alata, decem aut duodecim pinnularum, molli & incana lanugine pubescentium, quàm Lentis minorum, acuminatarum, ad mediam costam seu nervum adnexarum conjugationibus composita. *Cauliculi* multi, sescunciales, interdum tamen palmares, teretes hirsuti, mediâ parte, interdum etiam imâ, foliis cincti in eodem pediculo coacervatis, ut vix alata videantur. *Flores* in summis cauliculis numerosissimi, in capitulum Anthyllidis leguminosæ simile conglomerati, ad basin, pariter ut illius, duobus foliolis latis & in multos radios acutos divisis, ceu calice quodam, cinctum. Florum color rubescens: Vascula seminalia non vidi, nondum enim defloruerat, Junio mense.

J. Bauhinus Astragalum 3. Clusii huic similem si non eandem putat; & revera descriptio Clusiana in omnibus, exceptâ forte radice, huic plantæ convenit; ea autem hujusmodi est:

Folia habet pusilla Ciceris aut Lentis, tota incana; *cauliculos* breves, duros, & in his flosculos Pisi formâ, pusillos, congestos & purpureos, summis pediculis inhærentes: *radicem* tamen utplurimum singularem.

Descriptio autem Astragali purpurei herbariorum quorundam, quæ habetur in *Hist. Lugd.* huic exactè respondet, ut non dubitem eandem esse, cùm & locus etiam suffragetur. In Juræ montis saxosis collibus provenit, radice grandi, foliis Ciceris sylvestris, villosis, gustu adstringentibus; *flore* ex albo purpurascente.

Tandem descriptio Astragali persimilis pusillæ plantæ palmaris apud *Lobelium* in *Adv.* excepto floris colore, huic etiam plantæ quadrat. *Radicibus* (inquit) prorepit implexis, corticosis, denso exortu numerosos producentibus *cauliculos*, fruticantes, duros, sed breves, vix binas aut ternas uncias excedentes, & *foliola* emittentes pusilla, Lentis, Astragali, aut potius Tragacanthæ, quam tota refert rigidiusculâ, incanâ hirsutie; *flosculis* luteolis aut albidis Ornithopodii, gustu præsicco & æquè duro.

Suspicor hanc plantam non rectè hìc collocari, verùm quoniam J. Bauhinus eam Astragalo Monspeliensi affinem & similem facit, tantisper locum quem ei assignavit tueri permisimus, donec certiùs nobis innotescat ubi disponi debeat. Foliola digitata capitulis subjecta Anthyllidi leguminosæ potiùs congenerem arguunt, ut & ipsa capitula numerosis floribus densè stipatis composita. Vide descriptionem.

16. *Securidaca siliquis planis dentatis* Ger. emac. *siliquis planis utrinque dentatis* C. B. *peregrina Clusii* Park. *Lunaria radiata Robini* J. B.

J. B.

Radix huic longa cum aliquot fibris, *coliculos* plures profert, angulosos, in ramulos subdivisos: *Folia* dodrantalia, Viciarum ac Securidacæ minoris modo disposita; in quibus foliola multa, sibi invicem apposita, nonnihil cordata, (ultra viginti novem supputavimus) desinunt in unicum foliolum sine capreolo. Inter superiora folia exoritur pediculus longus, in cujus extremitate *flosculi* hiantes, quales ferè in Vicia Cracca minore dicta, rubelli, plures simul. Sequuntur *siliquæ*, unciam longæ, recurvæ, ex russo subcinereæ, utrinque dentatæ, nervo per medium decurrente distinctæ, in quibus gemino versu continentur *semina* exigua, compressa, Lentis colore ac rotunditate, verùm multis numeris minora, sapore leguminoso. Septem supra unum pediculum supputavimus. *J. B.*

Hæc est descriptio in hortis cultæ, in sylvestribus multò strigosior est.

In lingula illa inter fretum Siculum & portum Zanclæum procurrente, atque alibi circa Messanam frequens oritur. In horto nostro æstate præcedenti Anno 1685. sata, hyemem pertulit, unde perennis esse videtur, de quo tamen dubito, cùm æstate ad frugem vix pervenerit & subsequens hyems admodum clemens & mitis fuit. *Locus.*

A. 17. *Glaux montana purpurea nostras.* Purple mountain-Milkwort.

Radix ei parva, lignosa, fibras subinde per intervalla in terram demittens; *ramulos* per terram spargit plures, infirmos, hirsutos, *foliis* crebris vestitos, octo aut novem pinnarum conjugationibus cum impari in extremo compositos, exiguis, hirsutis, sapore nullo manifesto. *Flores* summis cauliculorum fastigiis insistunt, in spicas breves digesti, Glycyrrhizæ sylvestris in modum, pro plantulæ modo ampli, purpurei: Singuli autem è calice longiusculo villoso in margine quinque-partito exeunt. *Siliquæ* succedunt breves [vix quartam digiti partem longæ;] tumidiusculæ, hirsutæ, latiusculæ, intus duplici membranâ intergerinâ [arctè tamen cohærent hæ membranæ] in duo loculamenta divisæ, ut singulæ siliquæ in duas digitis facilè diduci & dividi possint. In utrovis loculamento quatuor aut quinque *semina* continentur parva, subrotunda, nonnihil compressa.

In montosis & campestribus Cantabrigiensis Comitatus *Gogmagog-hills*, *Newmarket-heath*, *Royston-heath*, &c. Observavimus etiam similibus in locis in Comitatu Eboracensi. *Locus.*

Hanc olim habuimus pro Glauce Hispanica Clusii: verum ab eruditissimo & amicissimo viro *D. Hansio Sloane* diversissimam plantam pro Glauce illa accepimus quam idcirco seorsim nunc proponemus, & differentias ostendemus.

18. *Glaux Hispanica Clusii* Park. *Hispanica* J. B. *Glaux Dioscoridis* Ger. *qui pro præcedente eam habet. Ciceri sylvestri minori affinis, si non idem* C. B. Dioscorides his Milkwort, or Spanish Milk-wort.

Clus.

Ternis vel quaternis à radice assurgit *cauliculis*, dodrantem altis, gracilibus, incanâ lanugine pubescentibus: *foliis* serie quadam secundùm costæ longitudinem utrinque digestis, sive alâ foliorum illos vestiente, Onobrychidis aut Astragali prioris in modum, mollioribus tamen, supernè virentibus, infernè canâ lanugine obsitis, gustu nonnihil amaro. *Flos* extremo cauliculorum fastigio innascitur, confertus, capituli spicæve brevioris & obtusæ instar, Glycyrrhizæ vulgaris florum formâ & colore perquam similis. *Radix* candicans & exilis, quæ an vivax sit asserere nequeo. Hactenus Clusius.

In planta sicca ad nos à *D. Sloane* transmissa radix erat simplex, rectâ descendens, ima parte in surculos [unum vel alterum] divisa; unde exibant cauliculi quatuor vel quinque, quales describit Clusius, rubentes, firmiores & robustiores multo quàm præcedentis; foliis vestiti è decem aut duodecim pinnularum oblongarum, obtusarum, aversa parte hirsutarum conjugationibus cum impari in extremo compositis. *Flores* quales describit Clusius, non tamen summos caules terminant, sed è foliorum alis in pediculis oblongis hirsutis egrediuntur. Singulis flosculis succedunt *siliquæ* breves & velut triangulæ, linea ab uno latere recta, ab altero incurva terminatæ, exteriùs musco quodam subruffo denso innascente scabræ, geminatæ, & in duas facilè separabiles, quarum singulæ unicum duntaxat intus *semen* continent, satis grande, compressum, subfulvum, præter muscum villosum siliquæ etiam lanugine pubescunt.

Locus. Nusquam alibi quàm ad ripas fluminis Thormis Salmanticam alluentis, paulò infra eam urbem observabat Clusius, nomine vulgari carentem, mense Junio. Verùm (inquit) is locus procul à mari distat, juxta quod Dioscorides Glaucem nasci tradit.

19. *Glaux Catalonica non descripta.*

Elegantissimæ hujus plantulæ ramulum ad me transmisit idem ingeniosiss. Vir *D. Sloane*. Qualis fuerit radix aut ima folia nescimus: ramulus transmissus vix palmaris erat, foliis, ut in hoc genere, seu foliorum alis, crebris vestitus. Folia autem quatuor duntaxat aut quinque pinnularum, oblongarum, angustarum, acutarum, lanuginosarum, (subtus præcipuè) conjugationibus constant, impari folio alam terminante. *Flosculi* in glomerulis seu globulis in foliorum alis sessilibus, aut certè brevissimis pediculis donatis, quantum in sicca discernere licet, cœrulei, quorum singulis succedunt *siliquæ*, structuræ & figuræ insolitæ, breves, & propemodum quadrangulæ compressæ in acutos apices productæ, incanæ & hirsutæ, è duabus siliquis sibi mutuò commissis propemodum ut in Thlaspeos biscutati vasculo, compositæ; non enim, ut in aliis hujus generis siliquis, planis lateribus commissis cohærent, sed dorsis tantùm lineâ rectâ conjunctis, versùs apicem ad se mutuò retrorsum reflexæ, imis lateribus sursum recurvis. An plura an singula semina sit in singulis siliquis nobis non constat.

* 20. *Astragalus perennis, foliis hirsutis, caule recto aphyllo, flore ochroleuco odoratissimo* Moris.

Moris.

Hæc planta plurima edit *folia*, alata, hirsuta & per terram strata, binatim seu conjugatim ἀντιζυγῶς ex adverso adhærentia, uno impare extremum costæ claudente. Ex meditullio foliorum per terram sic stratorum oriuntur *cauliculi* hirsuti itidem, pedales & altiores, sustinentes plurimos *flores*, luteopallidos seu ochroleucos, fragrantissimi odoris, ad longitudinem trium unciarum in summis caulium spicatim digestos, quorum singulis succedunt *siliquæ* gemellæ, crassæ admodum, triquetræ, vix unciam longitudine superantes: harum singulæ bina vel terna continent *semina*, ossa sesamoidea referentia, seminibus cæterorum suæ sortis crassiora. Planta est perennis.

SECTIO TERTIA.

De Leguminibus trifoliatis.

LEGUMINA trifoliata sunt vel Trifolia propriè dicta, quæ terna duntaxat habent folia in extremo pediculo; vel minùs propriè sic dicta, quæ præter folia terna in extremo pediculo bina insuper habent ad ejus à caule exortum seu basin, quæ *Loti* appellantur, & quodammodo pentaphylla sunt.

Trifolia propriè dicta sunt vel floribus in *capitula* aut *spicas congestis*, vel eisdem *magis sparsis* & *rariùs sitis*.

Quæ floribus sunt in capitula aut spicas congestis, sunt vel 1. *Seminibus & siliquis in calycibus plerunque occultatis*, floribus erectis, capitulis aut spicis summos in plerisque caules terminantibus, seu spicæ lanugine nulla aut rariore obsitæ sunt, calycibus florum vel strigosioribus & striatis nec à delapso aut marcescente flore in vesicas intumescentibus ut in *Trifolio pratensi montano*, &c. vel *in vesicas tandem intumescentibus*, ut in *Trifolio fragifero*, &c. sive spicæ molles sunt & villosæ mollitie sua pedem leporinum referentes, ut in *Lagopo*. 2. *Seminibus & siliquis visui expositis & extra calyces apparentibus*, floribus pendulis, capitulis aut spicis è foliorum alis egressis, siliquis seu folliculis scabris aut rugosis, in *Meliloto*.

Quæ floribus sunt magis sparsis & rariùs sitis sunt vel siliquis *rectioribus*, seu *productioribus* in *Fænugræco*, seu *brevioribus* in Anonide, vel iisdem *intortis & cochleatis* in *Medica*.

Herbæ flore papilionaceo non scandentes trifoliæ sunt vel

- *Propriè sic dictæ*, quæ terna duntaxat folia habent in extremo pediculo, suntque vel floribus
  - *In spicas congestis*, seminibus & siliquis
    - *In calicibus occultatis*, suntque vel spicis
      - *Mollibus & villosis*; LAGOPUS dicta, quia mollitie sua pedem Leporis refert.
      - *Lanugine nullâ aut rariore obsitis*, calicibus
        - *Delapso flore in vesicas intumescentibus*; TRIFOLIUM *Fragiferum* seu *vesicarium*.
        - *Strigosioribus & striatis*, in vesicas membranaceas non extumescentibus; TRIFOLIUM *spicatum* plurimarum specierum.
    - *Expositis*, & extra calices apparentibus, floribus in spicis è foliorum alis egressis, pendulis, odoratis; siliquis seu vasculis seminalibus scabris aut rugosis; MELILOTUS.
  - *Sparsis & rariùs sitis*, siliquis
    - *Rectis* aut nonnihil incurvis,
      - *Productioribus*, compressis, seminibus lineâ ab angulo ad angulum depressâ sulcatis, FOENUM *Græcum*.
      - *Brevioribus*, semine reniformi; ANONIS.
    - *Intortis*, gyris paucioribus aut pluribus, fructu lævi aut spinoso, scutellato, doliato, orbiculato, plurimarum specierum; MEDICA, seu *Trifolium cochleatum*.
- *Minùs propriè dictæ*, quæ præter folia terna in extremo pediculo, bina habent ad ejus exortum cauli adnata, adeóque etiam pentaphyllæ dici possent; LOTUS *herba plurimarum specierum*.

Species illæ Medicæ quæ jumentorum pabulo seruntur, radice sunt perenni & vivaci; Siliquis intortis quidem sed paucioribus volutis, nec sibi invicem contiguis ut unum glomerem efficiant.

CAP. I.

De Trifolio capitulis minùs mollibus, calycibus strigosioribus,

§. 1. *Trifolium pratense montanum album.*

A. 1. *Trifolium pratense album* Park. C. B. *minus pratense flore albo, sive* 2. Ger. *pratense flore albo minus, & fœmina glabrum* J. B. **White-flowred Meadow Trefoil.**

CONtractiore est habitu quàm mas; *coliculis* brevioribus, infirmis, per terram sparsis, per quos *folia* terna, parva, rotunda, glabra, retusa. *Flores* glomerati, minores, ex longioribus appensi pediculis, coloris albi, gustui dulces. *Semina* in exiguis & curtis *siliquis* bivalvibus, quaterna aut quina minuta in singulis conspiciuntur, quo à Trifolio purpureo vulg. differt. Folia præsertim inferiora maculâ lunulatâ albicante pinguntur.

Locus. In pascuis non minùs vulgare est quàm Trifolium pratense purpureum.

Ab hoc specie diversum esse non concesserim

2. *Trifoliis affine Quadrifolium phæum Lobelii* J. B. *Quadrif. hortense album* C. B. *Lotum quadrifolium* Ger. *Quadrif. fuscum* Park.

Folia huic supinâ superficie colore nigro-purpureo tincta sunt, quatuor non rarò in eodem pediculo, quod ubertati soli, aut loco umbroso, aut alii cuidam accidenti primò deberi suspicor, quamvis flagello plantatam speciem retineat.

Vires. A matronis nobilibus summo studio in hortis colitur pro præsentaneo remedio purpureæ puerorum febris.

3. *Trifolium pratense album, siliquâ bivalvi, caule fistuloso, folio subtus nigropurpureis maculis notato* Moris.

Moris.

Cauliculos profert procumbentes, cavos seu fistulosos, pedales & sesquipedales; in quorum summis alis exeunt *flores* papilionacei, magni, subalbidi seu ochroleuco colore prædití; quorum singulis succedunt *siliquæ* parvæ, bivalves, singulæ continentes *semina* bina aut terna minuta. A præcedente distinguitur *foliis* latioribus, & subtus maculis nigro-purpurantibus notatis; *caulibus* multò longioribus & fistulosioribus; *siliquis* brevioribus cum paucioribus intus seminibus.

Locus. In humidis pratis, præsertim ubi hyeme aquæ stagnârant oritur, & cum præcedente floret æstate.

A. 4. *Trifolium pumilum supinum flosculis longis albis* P. B. *An. Trif. parvum, album, Monspessulanum, pilosum, cum paucis floribus* J. B?

E *radice* annua plurimi exeunt *cauliculi* semipedales & longiores, resupini, & terræ velut appressi, ramosi, ramulis è foliorum alis egressis, villosi, *foliis* alternatim adnascentibus per intervalla vestiri; quæ pediculis longis [in lætiori solo sesquipalmaribus] hirsutis, duabus ad basin veluti auriculis membranaceis caulem amplexis, insident, terna simul ut in reliquis Trifoliis, villosa, cordata, maculâ albicante lunulatâ in medio picta. Versùs superiorem caulium partem è foliorum alis exeunt *pediculi* palmares & breviores, in summo *flosculos* sustinentes quatuor vel quinque, albos, papilionaceos, tubo longiusculo, è *calicibus* striatis, zonâ rubente cinctis, & in quinque longa & tenuia segmenta divisis. *Flosculis* delapsis aut marcescentibus *calices* ad pediculum reflectuntur & capitula sub terra condunt, éque summo seu extremo pediculo in medio caliculorum emergunt radii plurimi, seu pali rigidi, compressi, ima parte latiores, versùs apices continuè angustiores, apicibus ipsis, quinque spinulis longiusculis in stellæ dimidiatæ modum expansis & cum primùm apparent ad latera villosis, radiatis. Radii hi non omnes unà erumpunt, sed successivè alii post alios, & versùs pediculum reflectuntur, ut tandem capitulum quoddam echinatum componant. Singulis calicibus singula insunt *semina* capsulâ inclusa majusculâ spadicea.

Locus. Multis in locis, solo arenoso aut glareoso, tum in Anglia tum in exteris regionibus observavimus rarum hoc Trifolii genus.

D. Morisono hæc planta titulo Trif. albi tricocci, subterranei Gustonii reticulati: D. *Magnol* tit. Trif. subterranei sive folliculos sub terram condentis descripta est. Nobis ante triginta annos observata est post Autores Phytologiæ Britannicæ, ut patet ex Appendice ad Catalogum plantarum circa Cantabrigiam nascentium. *Maio floret.*

5. *Trifolium minimum supinum flosculorum & seminum globulis plurimis confertim ad radicem nascentibus.*

Foliola omnium Trifoliorum minima, prælongis & tenuissimis pedicellis insident, triangula ferè, obtusa, crenata. Globuli quamplurimi denso cæspite circa radicis caput conferti, terræ incumbentes, è flosculis eorúmque calicibus, (quorum tamen neque formam neque colorem observavimus) compositi.

Locus. Circa Messanam in sterilioribus & arenosis invenimus.

6. *Trifolium*

* 6. *Trifolium montanum album* C. B. *mont. majus albo flore* Park. *majus albo flore incanum Clusii* J. B. *majus flore albo* Ger. emac.

Clus.

Ternis aut quaternis interdum assurgit virgis aut *coliculis*, pedalibus, firmis, rectis, teretibus: circa quos nascuntur rara *folia*, oblonga, angusta, dura, nervosa, carinata, & dorso elatiore, terna semper ab uno exortu prodeuntia ut in reliquis Trifolii generibus, incana, in ambitu veluti dentata, ab radice frequentiora & majora. *Flores* extremis ramulis, in quos cauliculi separantur, inhærent, parvi, frequentes, conferti, & spicam quodammodo formantes albo colore & nonnullo odore præditi. *Radix* vivax, minimi digiti crassitudinem æquans, fusco & denso cortice tecta, longa, aliquot fibris donata.

In pratis siccioribus Viennæ Austriæ vicinis, tum in Moravia & Bohemia floret Maio & Junio. In herbidis Sylvæ Valenæ *D. Magnol* sæpiùs occurrit. *Botan. Monsp.* *Locus.*

7. *Trifolium pratense album à Fuchsio depictum, sive mas* J. B.

J. B.

Folia huic hirsuta, oblonga, venosa, crenata, terna ex longo pediculo appensa, per *caules* cubitales, simplices, plures ex *radice* crassiuscula, inque plura capita interdum divisa: exorti *flores* glomerati, albi, Trifolii pratensis purpurei alioqui similes.

Circa Genevam in pascuis & agrorum marginibus observavimus: J. Bauhinus aliis etiam in locis variis florentem Augusto, Septembri & Octobri. *Locus.*

Alii Botanici speciem hanc cum Trifolio albo vulgari confundunt, à quo tamen diversissima est.

A. 8. *Trifolium pratense hirsutum majus flore albo-sulphureo seu ὠχρόλευκο* The great white or yellowish Meadow Trefoil.

Ex *radice* nigra, minimo digito tenuiore *caules* exurgunt plures, pedales vel cubitales, teretes, hirsuti, ad terram inclinati. *Folia* etiam hirsuta sunt, neque crenata, neque ullo modo incisa, inferiora minora & rotundiora, longis pediculis hirsutis insidentia, superiora longiora, cauli propiùs admota. *Florum* spica longiuscula, acuminata, congesta, colore pallido seu ὠχρόλευκο & in adultioribus plantis ad sulphureum accedente. Ubi spicæ pediculus incipit bina adversa oriuntur folia, cùm inferiùs semper alternatim cauli adnascantur.

In pascuis siccioribus & dumetis frequens reperitur. Observavi & in transmarinis propè Genevam, unde mirari subit à nemine hactenus descriptum. *Locus.*

A præcedentibus duabus plantis differt florum colore albo-sulphureo seu ochroleuco, foliis non crenatis, imis minoribus, summis majoribus ut alias notas omittam.

§. 2. *Trifolia floribus purpureis in capitula vel globulos congestis.*

1. *Trifolium bituminosum* Ger. *Asphaltites sive bituminosum* Park. *bitumen redolens* C. B. *Asphaltites sive bituminosum odoratum* J. B. *& non odoratum.*

J. B.

In fruticem excrescit cubitalem & sesquicubitalem, *virgultis* rigidis, incanis, ac etiam nigricantibus, striatis. *Folia* terna, per primam adolescentiam rotunda, mox oblongantur in acuminatum mucronem desinentia, incana itidem & hirsuta, odore Bituminis fastidioso, tactu glutinoso. *Flores* non planè glomeratim congesti, sed oblongiori capitulo dispositi, colore purpuro-violaceo, ex *calicibus* oblongis, striatis, villosis. *Semen* nigrum, asperum, hirsutum, in cuspidem desinens foliaceum, ejusdem cum reliqua planta odoris, saporis Cæsalp. medicati.

Congener huic totóque adeò vultu idem jamdudum colo, excepto eo quòd *folia* quidem odore omni penitus destituta sunt, *flores* verò suaviter, licet obscurè, redolent. Quod huic plantæ unde accidat C. Bauhinus ostendit.

Semen (inquit) Italicum in Germania terræ mandatum profert plantam odore bituminoso: at semen plantæ in Germania educatæ rursus satum sapore & odore deficientem producit, & si iteretur satio verisimile est sobolem degeneraturam tandem in plantam omni odore & sapore destitutam.

In Italia, Sicilia & Gallia Narbonensi, in saxosis collibus non procul à mari abunde provenire observavimus. *Locus.*

In Paralysi oleum ex hujus semine expressum valdè commendatur. *D. Soame* è Sylvii L. 2. C. 21. S. 134.

Hujus varietas habetur magnitudine omnium partium, præcipuè florum & seminum, differens. *Moris. prælud.*

A. 2. *Trifolium pratense purpureum* C. B. *pratense purp. vulgare* Park. *pratense* Ger. *purp. vulgare* J. B. Common purple Trefoil or Honey-suckle Trefoil.

J. B.

Ex *radice* crassiuscula, adultiori ferè digitali, fibratâ, *viticulæ* tenues, striatæ, partim humi repunt, partim surriguntur, subhirsutæ. *Folia* terna in eodem pediculo, nunc rotunda, alias oblonga, interdum spiculatis albis lineis notata, nonnunquam obliquis candicantibus striis virgata. *Flores* glomerati plerunque purpurascunt seu rubent, rariùs & ex accidenti albent, odore non insuavi, gustanti siccitatem afferentes. Flosculorum tubi melleum liquorem continent quem pueri flosculis è caliculis evulsis exugere solent. J. Bauhinus refert se observâsse Trifolium hoc in area arcis Montbel-

Montbelgard. in horto & extra urbem habere maculata folia; maculas autem esse albicantes, semicirculares, ad cordis formam nonnihil accedentes, quod pro re insolita habere videtur, cùm nihil apud nos sit usitatius.

Locus. In pratis & pascuis ubique vulgatissimum habetur.

Usus. Sunt Hiberni, qui suo *Chambroch* (quod est Trifolium purpureum pratense) aluntur, celeres, & robusti, ut nos monuit D. *Tancredus Robinson.*

A. 3. *Trifolium pratense purpureum majus.* **The greater purple Meadow-Trefoil.**

Radix hujus lignosa, minimum interdum ferè digitum crassa, superiùs in multos veluti ramos dividitur, qui sub terra undique reptantes, & hic illic germinantes latè plantam diffundunt, & magnum spatium occupant. *Cauliculi* indè emergunt dodrantales aut pedales, in terram reclinati, purpurei, crassiores quàm in purpureo vulgari, ramosi ramulis è foliorum alis exeuntibus, quæ alternatim ut in illo posita, sed crebriora. *Folia* ipsa majora longiora & acutiora quàm in vulgari, brevioribus pediculis, notis albis semilunaribus non semper picta. *Flores* in summis caulibus & ramulis majores, saturatiùs purpurei, in spicas seu capitula majora & breviora coacervati quàm in illo; quin & spicæ longiore pediculo insident quam in illo. Venæ seu nervi obliqui manifestiores sunt magisque conspicui aversâ præcipuè folii parte in hac planta quàm in illa.

Locus. In pascuis satis frequens est, minùs tamen quàm Trifolium purp. vulg. Seritur etiam in agris pro boum & jumentorum pabulo; quibusdam audit **Common Clover-grass.**

* 4. *Trifolium pratense minus flosculis purpureis* C. B. *prat. min. purpureum* Park.

Cauliculi huic tenues, rigidi, pedales, ramulis crebris divisi. *Folia* parva brevibus pediculis modo terna, modò quaterna habet. *Flores* in summis ramulis multi, perexigui, velut in umbellas laxas congesti, purpuro-rubentes. *Radix* tenuis, alba, fibris capillata.

5. *Trifolium purpureum majus folio & spica longiore* J. B. *montanum, spicâ longissima rubente* C. B. *Lagopus major folio pinnato* Park. *major, spica longiore* Ger. *Trif. majoris tertii altera species* Clus.

J. B.

Ad cubitum & sesquicubitum excrescit, *caulibus* crassiusculis, valentulis, variè divaricatis. In *foliis* subinde ludit, interdum semunciam vix excedunt, subrotunda, frequentiùs oblonga, acuminata, trium unciarum, semunciali latitudine, concinnè per ambitum crenata, admodum venosa, crispa, tergemina, pediculo nixa in vaginam valdè latam, pinnatam, trium unciarum aut longiorem, caulem complectentem desinente. *Flores* rubentes in spicam palmarem & majorem, satis crassam dispositi, ex *calicibus* in pinnas longas, tomentosas dissectis.

Locus. In collibus circa Genevam invenitur spontaneum. *D. Magnol* observavit copiosum in umbrosis, herbidis locis sylvæ Valenæ, viâ qua itur ad pagum *Viols*, non longè à Monspelio.

* 6. *Trifolium montanum purpureum majus* C. B. Park. *Trif. majus Clusii secundum, non album sed rubrum* J. B. *majus flore purpureo* Ger.

Clus.

Trifolio majori albo non valdè dissimile est, vel amplitudine, vel formâ: *folia* tamen paullò angustiora, & crassior *flosculorum*, qui confertim nascuntur, spica, eáque summo caulis fastigio inhærens, sine ullo petioli vestigio, & quasi inter folia latens, cui plerunque adnascitur alia brevior, rarissimè tertia. *Flosculi* verò differunt colore, qui non albus est sed ruber, & odore cujus sunt expertes. *Radix* illius radici ferè par.

Locus. In Hamburgensi monte & aliis Pannoniæ & Austriæ montibus Alpestribúsque pratis, præsertim siccioribus Viennæ vicinis, tum pariter in Moraviæ & Bohemiæ sylvis copiosè invenitur.

* 7. *Trifolium spicâ oblongâ rubrâ* C. B. *Trif. majus flore purpureo* Ger. *montanum majus purpureum* Park. *majus tertium purpureum Clusio* J. B.

Clus.

Majore multò excrescit altitudine, quæ plerunque cubitalis est: *caules* etiam habet crassiores, nodosos. *Folia* ex singulis geniculis alternatim prodeuntia, longa, striatáque, dorso magis eminente & elato, laxâ quâdam veluti vaginâ, in binas appendices desinente, caulem amplectentia, deinde terna numero ex eodem pediculo nascentia, superioris duplo longiora, illis tamen non minùs dura & per oras denticulata, gustu nonnihil adstringente. Huic spica longior & major, elegantissima rubrorum flosculorum è caliculis hispidis emergentium serie composita. *Radicem* habet superiorum radici similem, vivacem & singulis annis plures caules proferentem.

Locus. Cum priore invenitur. Vide loca: non multùm differt, ipso Clusio fatente, à Trifolio purp. majore, folio & spicâ longiore *J. B.* loco penultimo descripto.

* 8. *Trifolium montanum purpureum minus* C. B. *montanum minus Thalio purpureum* J. B.

Brevioribus constat cauliculis, & foliis acutè mucronatis, & capitulis etiam, éstque flore quandoque purpureo, quandoque candido.

Ex brevi hac descriptione an hæc sit species à reliquis distincta certò colligere nequimus.

* 9. *Trifolium montanum purpureum folio acuto crenato* C. B.

C. B. prod.

Cauliculis est pedalibus, firmis, rectis: *foliis* rarioribus, oblongis, angustis, nervosis, acutis sursúmque spectantibus, in ambitu dentatis, aliquando profundiùs incisis. In cauliculi summo *flores* purpurei, quasi in globo conferti.

Locus. In montosis pratis Maio Junióque florens reperitur.

* 10. *Trifolium montanum purpurascens folio obtuso crenato* C. B. Park.

C. B. prod.

Caule est ramosiore, *foliis* oblongis, angustis, sed obtusis, & supernè & utrinque crenatis, cujus ramuli frequentioribus & angustissimis *foliis* donantur. *Flores* quàm in priore rariores & purpurascentes.

Locus. In pratis montosis circa Genevam.

Utraque hæc planta nobis incognita, nimis breviter tamen descripta est.

A. 11. *Trifolium stellatum glabrum* Ger. emac. *capitulis Dipsaci* quorundam. **Smooth Starry-headed Trefoil, or Teasel-headed Trefoil.**

E *radice* alba, simplici, annua *caules* emergunt plures, palmares aut dodrantales, in terram ferè procumbentes, teretes, hirsuti, ramosi. *Folia* longis pediculis insident, lanugine molli pubescentia, non crenata, longiuscula, extremitatibus subrotundis, è quorum alis oriuntur *ramuli* alterni. In summis caulibus & ramulis *capitula* Dipsaci aut Eryngii similia, pediculis brevibus insident, ad quos folia bina opposita appendicibus suis caulem amplectuntur. *Flosculi* pallidè purpurascunt, quorum calices in quinque radios seu spinulas terminantur, quorum infimus maximus longissimúsque.

Locus. In palustribus maritimis pluribus in locis occurrit, in aggeribus maximè. Vidimus & collegimus prope *Hollandiam* vicum non procul *Harvico* in Essexia copiosum; circa *Leigh* non procul ab ostio Tamesis fluvii in eodem Comitatu. *D. Johnson* Gerardi emaculator in paludibus salsis Darfordiæ in Cantio. Observavimus etiam in transmarinis circa Messanam Siciliæ. *D. Balam* è Tingide Africæ urbe misit.

12. *Trifolium stellatum* C.B. *stellatum Monspessulanum* Park. *stellatum purpureum Monspessulanum* J. B. *stellatum hirsutum* Ger. emac. **Rough starry-headed Trefoil.**

J. B.

Palmares & interdum bipalmares, non planè surrectos, interdum etiam in terram prociduos, fundit ex gracili, albâ, lignosâ, capillatâ *radice caules*, totos densâ lanugine obsitos, inanes, quandoq; rufescentes, rarissimè in alas divisos: *folia* longis nixa pediculis, cordata, tantillum per oras superiores crenata, penitus hirsuta. *Florum* glomeres subrotundi, coloris purpurei, perquam villosis constant calycibus, quorum pinnæ diductæ radiatam stellam repræsentant. Planta est annua. Pleniorem descriptionem videsis apud C. Bauhinum in Prodr. qui flores interdum sed rariùs luteos esse scribit, quod nunquam vidimus.

Locus. Ad radices montis Vesuvii copiosum observavimus, nec minùs frequens in Sicilia circa Messanam, & Gallia Narbonensi circa Monspelium. Hoc genus est (ni multùm fallimur) quod depingit & describit Alpinus in *exot.* Trifolii clypeati argentei titulo, cui *semina* nigra, oblonga, lata, tenuia, foliacea, figurâ ad antiquos clypeos Venetos maximè accedere visa tribuit; quod observandum an huic Trifolio conveniat nécne. C. Bauhinus semen planum esse scribit. Descriptio Alpini in floris colore, quem argenteum facit, à planta nostra abludit, cui flos rubescens. Fortè per florem capitulum intellexit.

* 13. *Trifolium glomerulis Personatæ Cherleri* J. B. *globosum repens* C. B. prod. Park.

J. B.

In humum reclinat palmares *caules*, quos à reptante capillacea, rufescente *radice* emittit plures, hirsutos, *foliis* vestitos per extremum latioribus, pilosis: uniuscujusque coliculi fastigio *capitulum* hæret unicum, majusculum, in Personatæ modum glomeratum, & aristis longis, sed lanugine quadam albicante intertextis horrens, *flosculis* inter aristas apparentibus parvis, purpureis: basin autem amplectuntur terna *folia*, magna, squamatim incumbentia subeuntiáque, lata, albicantia, per margines purpurascentia, similibusque striis virgata, nescio quid Garyophyllatæ aquaticæ foliis simile habentia.

Locus. Monspelii in squalidis & siccis locis circa Episcopi castellum legit Cherlerus. Provenit etiam in luco Gramuntio copiosé. *C. B. Botanic. Monsp.* Descriptionem. *C. B.* vide & confer.

A. 14. *Trifolium parvum hirsutum, flore parvo diluti purpureo, in glomerulis oblongis, semine magno.* **Small large-seeded Trefoil.**

J. B.

E radice alba, simplici, adnatis aliquot donata, annua *caules* emittit plures, teretes, hirsutos, ramosos, in sterilioribus vix palmares, in lætiori solo cubitales & longiores, in terram reclinatos, ad genicula nonnihil recurvos. *Folia* hirsuta, per margines æqualia, obscurè viridia; quæ à radice exeunt minora, obtusiora, interdum etiam cordata, pediculis longis insident: quæ in caulibus sunt inferiora breviora & obtusiora, longioribus pediculis fulta: superiora paulatim longiora, acutiora, brevioribus pediculis. *Flores* exigui, pallidè purpurei, evanidi, in capitula densè stipata glomerati, summis caulibus & ramulis insident. *Capitula* in sterilioribus in globuli formam coacti, læto solo in longum excurrunt; ad singulorum capitulorum basin unum semper, interdum duo opponuntur folia,

folia, pediculis in membranas striatas dilatatis. E latere capituli majoris seu primarii subinde erump t capitellum aliud secundarium pediculo donatum. *Calices* sive vascula seminalia singularia striata, turgidula, hirsuta, in quinque spinulas desinentia, singula singula *semina* flavicantia, majuscula, folliculis occultata continent. Planta est annua.

Locus. In pascuis sterilioribus frequens occurrit in Anglia.

A. 15. *Trifolium parvum rectum, flore glomerato cum unguiculis* J. B.

Longis tenuibúsque fibris radicatum multos simul *caules* supinos emittit, palmares & sesquipalmares, teretes, glabros, propter terram albescentes, cætera atro-rubentes aut virentes: *folia* minuta, tergemina, glabra, venosa, leviter serrata, nonnulla etiam cordata, longis pediculis caulem membraneis appendicibus ima parte amplexis nixa, brevibus interdum, præsertim in summis ramis, hærentia. *Flores* tum summo caulium fastigio, tum ex eorum lateribus glomeratim cohærent minuti, unguiculum aviculæ imitati, ex calycibus majusculis, glabris, striatis, per extrema denticulatis, duris.

Locus & Tempus. Nemausi ex locis hispidis & saxosis evulsit Cherlerus, ubi rariùs occurrit: Maio floret: ingruente æstu, ut alia multa, fatiscit & exsiccatum abit.

D. Magnol Trifolium capitulis Thymi *C. B.* hujus synonymum facit: meritò autem quærit cur J. Bauhinus rectum dicat, cum in descriptione caulem supinum ei optimè attribuat.

Vel hanc speciem, vel ei simillimam observavi propè *Novum Mercatum* oppidum, juxta Molendinum, alibi etiam in arenosis ad mare. Quin & *D. Sam. Dale* idem vel ei proximum Trifolium invenit in agro quodam dicto *the Parsonage Field* quam transit semita Cressingam ducens, dimidio à Brantria milliari.

Instanti æstate, Deo dante, hanc speciem curiosiùs observabimus, quod si differre comperietur Lectorem ejus rei in Appendice certiorem faciemus.

16. *Trifolium cujus caules ex geniculis glomerulos oblongos proferunt* J. B. *A* 13. *in paucis differt. J. B.*

Tenuem hoc sed duram & lignosam agit *radicem*, quæ plures quidem emittit *surculos*, sed pedales, teretes, rigidos, pallidè virentes, & ad singula genicula recurvos. *Folia* quam in præcedente altero tanto majora, longiora, neque cordata, neque serrata, longiusculis pediculis insidentia, qui ex membranea quadam articulos vestiente appendice prominent. Geniculis porrò *capitula* etiam oblonga, denso flosculorum purpureorum agmine stipata insident, quatuor, quinque, aut plura, sed pro singulis geniculis singula, quorum calyculorum nullis striis donatorum apices recurvi, rigidi, interim in acutum fatiscunt mucronem, nec tamen ità durum, ut spinosum dicere ausim, nullis item denticulis præditum.

Locus. Nemausi in incultis rupetis legit Cherlerus. In plerisque cum sequente convenit, [in omnibus inquit *D. Magnol,*] nisi quòd C. Bauhinus flores luteos illi attribuat; at J. Bauhinus huic rectè purpureos. Nè Lectori imponere videamur C. Bauhini descriptionem subjiciemus.

Trifolium capitulo oblongo aspero C. B. Park.

C. B. prod.

Radicem habet capillaceam albam: *cauliculos* plures, pedales, læves, rotundos, & quasi articulatos, paucis *foliis* rotundis vestitos. Ex singulis articulis *flosculi* plures simul juncti, iique lutei prodeunt. His succedunt *capitula* oblonga, pluribus quasi spinis recurvis donata, & per maturitatem exasperata, quibus singulis folium tripartitum subjicitur. *Semen* exile est.

Locus. Patavii in edito monte propè *Arqua*, quod longè minus altero (quod Monspessulo habemus) legimus.

Secluso floris colore præcedenti non admodum dissimile est: quod notavimus antequam D. Magnol Botan. Monspel. *videremus.*

17. *Trifolium capitulis Thymi* C. B. Park.

C. B.

Radice est oblongâ, albâ, tenui, capillaceâ: *Cauliculis* semipalmaribus, humi sparsis: *foliolis* obtusis, in ambitu serratis, cujus virgulis *capitula* rotunda, ut in Thymo, *flosculorum* rufescentium insident; quæ per maturitatem indurantur, minutúmque *semen* subruffum continent.

Locus. Monspessuli locis siccioribus provenit.

Vide Trifolium parvum rectum flore glomerato cum unguiculis *J. B.*

§. 3. *Trifolia calyculis in vesicas intumescentibus seu spumosis, Fragifera dicta.*

18. *Trifolium fragiferum* Ger. emac. *fragiferum Frisicum* C. B. Clus. Park. **Strawberry-Trefoil.**

Cauliculis supinis ad nodos radices agentibus latè se propagat. *Folia* singularia ad exortum suum appendicibus latis membranaceis in duo oblonga & acuta segmenta exeuntibus caulem amplectuntur: pediculis autem longis hirsutis insident, terna simul ad eundem exortum, parva, obscurè viridia, argutè denticulata, mucronibus obtusis, non tamen cordata. *Florum* spicæ è foliorum alis egrediuntur, pediculis semipalmaribus aut palmaribus insidentes, parvæ, subrotundæ, Trifolii pratensis æmulæ, *flosculis* exiguis, pallidè purpureis gradatim se aperientibus, evanidis compositæ: quibus marcescentibus calices in *vesiculas* turgidas hirsutas, deorsum flexas, bicornes extumescunt; unde capitulum augetur in magnitudinem Nucis myristicæ, Tragi figuram imitatum. Singulæ vesiculæ singulas *siliculas* unicum intus *semen* claudentes continent.

Locus & Tempus. Julio & Augusto mensibus floret in locis aquosis ubi per hyemem aquæ stagnarant.

19. *Tri-*

19. *Trifolium pratense folliculatum* C. B. *Trif. Salmanticum* Ger. *pratense Salmanticum Clusii* Park. *folliculaceum sive vesicarium minus purpureum* J. B. *An Trif. vesicarium ampullatum rubello flore* Moris.?

J. B.
Humi fusos producit ex tenui simpliceque *radice caules* dodrantales, *foliis* ornatos ternis, parvis, per extremum obtusis, circumcirca crenatis, pediculo longo appensis: è quorum sinu exit pediculus, unciâ longior, *flores* sustinens, in orbem glomeratos, parvos, rubentes, quos membranei excipiunt *utriculi*, satis laxi, bicorni fastigio dehiscentes. *Semen* exile, subrufum.

Hæc pulchella planta se per terram spargit, degustata nullum habet manifestum saporem. Clusius flosculos elegantissimâ purpurâ rubere scribit, quod & nobis observatum, cùm plantam circa Liburnum & alibi in Italia primò videremus, unde *Trifolium fragiferum sive vesicarium floribus nitidis rubellis* eam denominavimus. Figura Clusiana non exprimit folliculos membranaceos in capitulum Fragi æmulum conglomeratos.

Circa Monspelium in hortis inter olera; in pratis etiam aliisque quamplurimis humentibus & herbidis locis oritur. *Botan. Monsp.* **Locus.**

An Trifolium fragiferum Lusitanicum tomentosum *Park?*

* 20. *Trifolium caule nudo glomerulis glabris* J. B.

Ex *radice* crassiuscula *caules* exeunt simplices, nudi, glabri, pedales, in glomerem *florum* purpureorum fastigiati, subjectis foliis exilibus viridantibus. Sequuntur *utriculi* flosculorum numero respondentes, laxiusculi, squalidi, veluti nervulis intertexti, albidi, è quorum orificio adhuc flosculorum prominent reliquiæ. *Folia* tergemina, glabra, subrotunda, ferè uncialia, pediculo hærent palmari & sesquipalmari è *radice*.

Viâ quâ Nemauso ad Gari pontem itur collegit Cherlerus haud ità frequentem. **Locus.**

* 21. *Trifolium capitulo spumoso levi* C. B. *vesicarium læve* Park.

C. B. prod.
Radice est albâ, oblongâ, fibrosâ & capillatâ: *cauliculis* multis, humi sparsis, tres, quatuor, rariùs sex uncias longis: *foliolis* parvis, oblongo petiolo hærentibus, per marginem acutiusculè crenatis: *floribus* parvis, luteis; quibus *capitula* incana, veluti ex pluribus vesiculis sibi invicem insidentibus composita, squamámque referentia succedunt; quibus *semen* parvum rotundum & planum inclusum est.

Circa Monspelium in agris & luco Gramontio reperitur: circa Neapolin Italorum in maritimis. **Locus.**

* 22. *Trifolium capitulo spumoso aspero minus* C. B. *vesicarium asperum minus* Park.

C. B. prod.
Hujus *radix* transversim fertur, & fibris capillaceis terræ infigitur: *ramulis* suis per terram repit: è quibus pediculi biunciales & triunciales, nudi eriguntur, qui *capitulum* parvum, subrotundum, ex rufescentibus *floribus* compositum sustinent; quibus capitulum quasi ex vesiculis pluribus compositum, subasperum & initio virens, minutum *semen* subruffum continens succedit. *Folia* parva sunt, rotunda & crenata.

Hoc apud nos ad Rheni ripam herbido & arenoso loco, & circa Monspelium provenit. **Locus.**

* 23. *Trifolium glomerulis tomentosis per caulium longitudinem* J. B.

J. B.
Angulosi & glabri *caules*: *folia* parva, ex oblongo rotunda, glabra, crenata, pediculo donata ferè unciali, cujus exortui adnata gemina pinna, majuscula, ex lato mucronata, caulem complexu suo comprehendit; indidémque *flosculi* minuti, pallidi, glomerati oriuntur, quos sequuntur glomeruli folliculorum tomentosorum, candicantium, conclusorúmque: in quorum singulis *semen* unicum, pullum, ruffescens, nitidum, apophysi veluti donatum, quemadmodum in Fœnugræci semine animadvertimus.

In squalidis Gallo-provinciæ quibusdam locis legit Cherlerus, mense Julio. **Locus.**

Hanc plantam *D. Magnol* in *Botan. Monsp.* accuratiùs describit & depingit *Trifolii fragiferi tomentosi* titulo.

Radix (inquit) alba & fibrosa est, ex qua plures oriuntur *cauliculi*, palmares, humi sparsa: in articulis duæ sunt appendices satis latæ, inter quas pediculi *folia* sustinent trifolia, venosa, glabra, serrata. Ex quolibet articulo *flosculi* glomerati purpurascentes producuntur, similes floribus pratensis folliculati, brevissimis pediculis nixi, quibus *globuli* succedunt magnitudinis fragorum, veluti cotone incani, pluribus utriculis vel glomerulis compositi: in quolibet utriculo unicum *semen* continetur, parvum, subrotundum, cerei coloris. Multitudo globulorum aspectu pulcherrimum reddit.

Maio & Junio reperitur variis in viis herbidis, præcipuè ubi aquæ per hyemem stagnârant, circa Gramontium quà itur *Grabals* & alibi. **Tempus & Locus.**

An Trifolium capitulo spumoso lævi *C. B. prod?* verùm C. Bauhinus flores luteos illi attribuit, fortè per errorem.

D. Magnol tribus Trifolii parvi speciebus flores luteos, quos illis C. Bauhinus attribuerat, abjudicat. 1. Trifolio capitulo oblongo aspero. 2. Trif. capitulo spumoso lævi. 3. Trif. capitulo Lagopi rotundiore, seu globoso flore.

A. 24. *Tri-*

A. 24. *Trifolium supinum cum glomerulis ad caulium nodos globosis, floribus purpurantibus. An Tr. nodosum capitulis Thymi* Moris. prælud.?

Radix ei alba, simplex, fibris majusculis donata: ex qua emergunt *ramuli* complures, in terram procumbentes, glabri, versùs radicem supina parte nonnunquam rubentes, *foliis* alternatim positis, in pediculis longiusculis ternis, subrotundis & ad margines dentatis vestiti. *Globuli* sessiles ad alas foliorum, non spinosi, ex quibus emergunt *flores* pallidè purpurei, rariùs dispositi. Semen nondum maturuerat.

Locus. In marginibus arenosis propè Saxmundam Suffolciæ oppidum inveni: postea attulit *Thomas Willisellus* circa Londinum collectum: tandem etiam in transmarinis circa Messanam Siciliæ urbem inveni. Capitula seu globuli è calicibus arctè stipatis congesti sunt.

* 25. *Trifolium capitulo glomerato rigido* J. B. *globoso flore, vel capitulo Lagopi rotundiore* C. B. *capitulo globoso* Park.

C. B. prod.

Radicem habet longam, tenuem & capillaceam, fibrosam, albam: *caules* plures, tenues, rotundos, palmo minores, quandoque pedales, in ramulos leviter hirsutos divisos; quos *folia* parva, nonnihil pilosa, longiora quàm stellati majoris, per extremum rotunda, crenata cingunt, [quibus juxta pediculum communiter duo alia subjiciuntur.] Caulium fastigia ornant *capitula* singularia, glomerata, compactiora quàm *majoris stellati*, Botonariæ paria, sed Bardanæ echinorum asperitate hispida. *Flores* parvi, lutei, [rufescentes D. Magnol.]

Locus. Maio mense Monspessuli circa Castelnovum copiosè provenire observavit C. Bauhinus. In satis copiosè oritur, sed semper cum floribus rufescentibus. *Botan. Monsp.*

CAP. II.

Trifolia spica molli & villosa Lagopi dicta.

1. *Trifolium albo-incarnatum spicatum, sive Lagopus maximus* J. B. *Lagopus maximus* Ger. *max. flore rubro* Park. *Trifolium spica subrotunda rubra* C. B. **The greatest Hares-foot-Trefoil.**

J. B.

SAtis prolixa *radice* donatum est, gracili, fibrata. *Caules* plures, dodrantales & cubitales, hirsuti, simplices. *Folia* ex piloso pediculo, vaginâ suâ brevi, hirsutâ caulem complexo, terna, subrotunda, latiora quàm longiora, crenata, non cordata. Spica duarum aut trium unciarum, *floribus* constat albis dilutâ purpurâ remistis ex *calycibus* admodum villosis, in quinque pinnulas desinentibus. *Semen* majusculum, subrotundum, lucidum, pallidum, accedens ad Meliloti vulgaris, sapore Pisorum.

Annua est planta, ex semine deciduo, siquidem maturo Julio & Augusto, se conservat.

Locus. In Italia circa Neapolin observavimus cum floribus pulchrè rubentibus aut coccineis: Quod prope Genevam oritur albo-incarnatos obtinet.

A. 2. *Lagopus vulgaris* Park. *trifolium quorundam* J. B. *Lagopodium sive Pes leporis* Ger. *Trifolium arvense humile spicatum sive Lagopus* C. B. **Hares-foot, or Hares-foot Trefoil.**

J. B.

Nomen ex argumento *spicæ* indeptus est, quæ molli villo cineraceo, purpurascentéve leporinos pedes imitatur, *flosculis* albidis & minutis, tantillum prominulis, quos semen excipit exile fulvum. Spicæ pediculis longis insident, è foliorum alis exeuntibus. *Coliculi* plurimi palmum aut sesquipalmum alti, [imò in lætioribus dodrantales aut pedales] ramosi, toti incana lanugine pubent; in quibus hirsuta Trifolii *folia*, unciam circiter longa, culmum lata, acuminata, villosa & incana, aversa præsertim parte, pediculis lata & striata basi, in duas prælongas velut auriculas exeunt, caulem amplectantibus. Quæ è radice exeunt folia, multo latiora sunt, & pediculis longioribus fulta. Sapor plantæ stringens & strenuè exiccans.

Locus & Tempus. Frequens est inter segetes, maximè solo arenoso, seriùs autem & post mediam plerunque æstatem floret.

* 3. *Ebenus Cretica* Alpin. exot.

Alpin.

A radice stipes assurgit rectus, tricubitalis & amplior, argentei coloris, è quo plures rami exeunt, sursum ex obliquo in rectum acti, foliis Cytisi, sed longioribus & tenuioribus, in acutum desinentibus, ternis simul junctis, totis candidis. In summitate verò caulium flos visitur rotundus, flori pratensis trifolii figura & magnitudine quàm similes, coloris purpurei, & in aliquibus carnei, ex multis flosculis Cytisi florum æmulis congestus, qui circumquaque intermixtos habet quosdam villos, albos, tenuissimos, velut sericeos, quorum mixtione ex rubro colore flos redditur longè visui elegantior. *Radix* istius plantæ est longa, gracilis, lignosa, nigra, bifida.

* 4. *Lagopus minor flore ruberrimo* Park.

Park.

Folia habet mollia, incana, angusta, in acutum mucronem desinentia, breviora tamen quàm Lagopi angustif. Hispan. *Clus.* *Caules* ad semipedalem altitudinem vix ascendunt. *Spicam* gerit tenuem, barbulis multò tenuioribus quàm prædicti Lagop. frequentiorem. *Flores* protrudit elegantissimos, rubicundi coloris; quibus singulis flaccescentibus succedunt *capsulæ* singulæ, villosæ, pluribus radiis in margine earundem stellatim dispositis onustæ, quando *semen* in capsularum fundo est maturum. Planta est annua.

Semine ex Hispania accepto J. Parkinsono exorta est.

* 5. *Lagopus supinus* Park.

Ex Hispania attulit Boelius.

* 6. *Trifolium lagopodoides annuum hirsutum pallidè luteum seu ochroleucum* Moris. hist.

Moris.

Folia edit terna acuta, incanâ lanugine obsita, atque ex vaginulis aliorum more pediculis biuncialibus ortis innitentia: in fastigio caulium pedalium erectorum, nonnunquam reclinantium, proveniunt *spicæ* longæ, unciales & biunciales, Lagopi vulgaris instar, coloris pallidè lutei, seu potiùs ὠχρόλευκοις *floribus* compositæ. Floribus hisce evanidis singulis singulæ succedunt *capsulæ*, quinquepartitò in margine divisæ, & singula *semina* subrotunda continentes in fundo. De loco nihil habet.

7. *Trifolium angustifolium spicatum* J. B. *Trif. montanum, angustissimum spicatum* C. B. *Lagopus major angustifolius* Park. *Lagopus altera angustifolia* Ger. emac.

J. B.

Radix huic unica, tenuis, longiuscula, lignosa: *caules* ex eâ plures, satis firmi, palmares aut pedales, simplices; in quibus *folia* terna, graminea, hirsuta, pediculo nixa unciali, caulem longâ, striatâ vaginâ obvolvente: *Spica* duarum circiter unciarum longitudine aut major, ex *floribus* purpureis congesta, in calicibus lanuginosis, pinnas quinque protendentibus. Vidimus hujus generis altitudine cubitali, foliis angustissimis duas trésve uncias longis.

In montibus supra Messanam, atque etiam circa Monspelium, utrobique copiosè provenit. Flores in nostra dilutè rubent. *Locus.*

8. *Lagopus angustifol. Hispanicus* Clus. Ger. emac. Park. *Trif. angustif. Hisp. sive Lagop. angustif. flore dilutè rubente* J. B. *Trif. Hispanicum angustifolium spica dilutè rubente* C. B.

Clus.

Unicum fert *caulem*, gracilem & satis firmum, nodis quibusdam distinctum & in aliquot ramos divisum, nascentibus ad singulos nodos pediculis, satis laxa sede caulem & ramulos amplectentibus, quorum extremis terna insident *folia*, non orbiculata, sed longiuscula & angusta, carinata, sive dorso elatiore, canescentia instar foliorum vulgaris Lagopi: Summi rami desinunt in longas calycularum spicas, è quibus emergunt *flosculi* vulgaris floribus formâ similes, & ferè concolores, hoc est, dilutè rubentes.

Semine ex Hispaniis accepto natum est: cui simile, vel fortè hoc ipsum genus se observâsse meminit Clusius Salmanticensi agro ad Vinetorum margines.

Nos in montibus Messanæ imminentibus, item circa Monspelium observavimus. A præcedente tota specie diversum agnoscimus. *Locus.*

Cap. III.

Trifolia spicata flore luteo.

A. 1. *Trifolium luteum lupinum* Ger. emac. *pratense luteum fœmina flore pulchriore sive Lupulino* J. B. *pratense luteum capitulo Lupuli, vel agrarium* C. B. **Hop-Trefoil.**

Plures *cauliculos* spargit, infirmos, & vix se sustinentes, palmares, aut dodrantales, hirsutos, rubentes ramis creberrimis fruticosos. *Folia* parva, latiuscula obtusa, glabra, præsertim supina parte, venulis creberrimis, si luci objiciantur, vel ex adversa parte facilè conspicuis, striata, pediculis longiusculis appensa. Versùs caulis & ramulorum summitates *florum spicæ* ex alis foliorum exeunt, lupulorum capitula imitatæ, sed minores multo, flosculis luteis compositæ, per maturitatem deorsum reflexis, minimè deciduis. Petalum in flore superius & erectum amplum est & striatum. Singuli autem flores singula semina occultant. Ab aliis plerisque Trifoliis differt quod flosculorum singularium calyces perexigui sunt & vix visibiles.

In agris inter segetes, solo præsertim arenoso aut glareoso. *Locus.*

A. 2. *Trifolium lupulinum alterum minus. An Trif. luteum, flore Lupulino minus* J. B? **The lesser Hop-Trefoil.**

A *radice* simplici, surculosa tamen & minutissimis etiam fibrillis capillata, è quibus tubercula quæ-

dam seu granula dependent, plurimos fundit *ramulos*, paris cum præcedente longitudinis, aut etiam majores, tenuiores, glabros, infernè rubentes. *Folia* quàm illius minora, viridiora, obtusiora, & ad cordis formam propiùs accedentia. *Flosculorum* spicæ longis pariter & tenuibus pediculis è foliorum alis egressis insident, plus duplo minores, minoribus flosculis compositæ, saturatius flavæ. Flosculi pari modo per maturitatem deorsum reflectuntur. *Semina* quàm illius majora, in singulis flosculis singula.

Locus. In pascuis inter gramina frequens occurrit.

* 3. *Trifolium montanum Lupulinum* C. B. Park.

C. B. prod.

Ramis est cubitalibus, glabris: *foliis* rarioribus, parvis, subrotundis, levissimè denticulatis, longissimo pediculo donatis: Rami fastigio capitulum Lupuli formâ, sed oblongum ex flosculis spadiceis compositum insidet.

Locus. In montibus supra Ilfeldam provenit.

Ob formam capituli Lupulinis Trifoliis adjecimus quamvis colore florum differat.

4. *Trifolium capitulo spumoso aspero majus* C. B. prod. *vesicarium asperum majus* Park.

C. B. prod.

Radice est oblonga, fibrosa: *Caulibus* bicubitalibus, tenuibus, flexibilibus, à vicinis fruticibus sustentatis; *Foliis* rotundis, Trifolio vulgari similibus, crenatis, prælongis pediculis donatis: inter quæ pediculi nudi, palmares, quandoque pedales efferuntur; qui singuli capitulum subrotundum, ex floribus aureis compositum, nonnunquam parvæ Avellanæ magnitudine sustinent. Hos *folliculi* membranacei, sibi invicem incumbentes, nonnihil à filamentis quibusdam exasperati sequuntur.

Locus. Hoc in Salicetis Michelfeldæ Huningam versus, iis se suffulciens reperitur.

Nos ob floris colorem ad Trif. lupulinum potiùs quàm ad folliculaceum seu vesicarium retulimus, quamvis & Trifolium lupulinum quodammodo vesicarium & squamosum seu spumosum sit.

Trifolium saxatile hirsutissimum C. B. prod. Park.

C. B. prod.

Radici lignosæ, transversim repenti, rufo cortice tectæ quasi truncus ex multis plantulis simul junctis, caule carentibus insidet, tota planta duas trésve uncias non superante. *Folia* habet Trifolii, parva, mollia, incana & velut argentea, supernè crenata & pedicellis brevissimis insidentia: inter ipsa folia capitula parva, rotunda, longiusculis pedicellis donata, in quorum medio pili breves mollissimi flavescentes conspiciuntur. Nec florem, nec semen vidimus, & in altissimis Helvetiorum jugis legimus.

Ex imperfecta hac descriptione, quò referenda sit hæc Trifolii species colligere non possumus.

Trifolium erectum annuum capitulis sublongis è calycibus magnis constatis, Calabrense.

Cauliculi huic semipedales, teretes, recti, rigidi, hirsuti, ramosi: *folia* parva, modicè lata, extremis subrotundis, argutissimis denticulis circumcirca crenata, in summis caulibus & ramulis *flores* in capitula sublonga congesti, è calyculis majusculis, in summo, ut moris est, quinquepartitis, segmentis singulis latioribus quàm in hujus generis plerisque, exeunt; quorum nec formam, nec colorem observare potuimus; jam enim, circa medium Junium, præterierant. Singuli calyces singulas occultant *siliquas* breves, latiusculas, bina intus semina subrotunda, compressa [in planta sicca] continentes.

Locus. Hanc speciem in Regno Neapolitano ad maris littus collegi, cùm Messanâ Neapolin redirem.

CAP. IV.

De Meliloto.

AMελι & Λωτὸς, quasi Lotus mellea, vel à flavo colore florum, vel ab odore melleo quem siccata emittit; vel, ut vult, Jo. Bodæus à melleo sapore, qui in caule ejus & radice deprehenditur dum comeduntur: verùm hæc de Meliloto Ægyptiaca intelligendum.

Notæ hujus generis characteristicæ sunt Flores penduli in spicis è foliorum alis egressis, siliquæ seu folliculi breves, scabri rugosive.

1. *Trifolium odoratum* Park. Ger. *Lotus hortensis odora* C. B. *Lotus sativa odorata, annua* J. B. **Sweet Trefoil.**

Radix ei gracilis, simplex, alba, lignosa, fibris aliquot donata. *Caulis* cubitalis & altior, rectus, gracilis, striatus & nonnihil angulosus, glaber, inanis, ab imo statim ramosus. *Folia* cauli alternatim adnascuntur in pediculis longis terna simul, pallidè viridia, glabra, circum oras serrata, inferiora in caule breviora, obtusiora & rotundiora, superiora longiora & acutiora, ut in aliis Trifoliis ferè fit. E foliorum superiorum alis longis pediculis nixæ egrediuntur *spicæ* seu globuli, *flosculis* papilionaceis dilutè cœruleis, (quorum in odore pertinaci præcipua gratia) compositi. Singulis flosculis

culis singula succedunt *vascula*, duo aut tria intus *semina* continentia, fulva, odorata. Semine ad maturitatem perducto quotannis perit.

A. 2. *Melilotus vulgaris* Park. *Germanica* Ger. emac. descript. *Officinarum Germaniæ* C. B. *Trifolium odoratum sive Melilotus vulgaris flore luteo* J. B. **Common Melilot.**

Radice albâ, tenui, lentâ, fibrillis brevibus capillatâ, altè in terram descendente firmatur. *Caules* emittit plures [interdum unicum] cubitales, sesquicubitales & altiores, glabros, teretes, striatos tamen, infirmos, inanes parva intus cavitate, ramosos, *foliis* ad intervalla alternatim nascentibus vestitos, ternis in eodem pediculo tenui, sescunciali, oblongis, denticulatis & plerunque circumrosis, glabris, obscurè virentibus. *Flores* in spicis longis ex alis foliorum exeuntibus, rariùs siti, exigui, flavi, pediculis brevibus, tenuibus penduli, quibus succedunt *siliquæ* breves, pendulæ, rugosæ, per maturitatem nigræ, *semina* singula aut bina flavicantia continentes, sapore leguminoso.

Junio & Julio mensibus floret, & ad sepes & in vepretis, interdum & inter segetes copiosè exit. *Tempus & Locus.*

Leniter resolvit, digerit, emollit, dolores sedat. Hinc emplastris & cataplasmatis digerentibus ac resolventibus, necnon concoquentibus, tum & acopis omnibus utiliter admiscetur. Utuntur eâ vulgò Officinæ pro vera Veterum Meliloto. *Vires.*

Ad Pleuritidem mitigandam hunc fotum prodesse experiemini, ℞ Herbæ Meliloti, Parietariæ veræ ana M. ij. Betonicæ M. j. mista & decocta in aq. sæpe pectori superponantur. *Simon Paullus.*

Emplastrum de Meliloto Mesue egregium est anodynum, discutiendo non flatus tantum, sed & frigidam crassámque materiam in tumoribus externis, necnon hepatis lienísque.

Cùm Dioscorides dixit Meliloton esse boni odoris, intelligendus est de exficcata herba, quia nullum ferè odorem virens habet, sed quum aruerit fragrantissimum, quod neque Theophrasto prætermissum, *lib.* 6. *de causis Plantar.* Sertula (inquit) campana siccata plenius olet. * *Marantha.*

Trifolium caballinum *Camer.* & Italis dicitur, quia equi herbam hanc avidissimè in pabulum sequuntur. Apud nos etiam in Anglia subinde seritur pro equorum & jumentorum pabulo. * *Method. cogn. simp. l.* 2. *c.* 6.

3. *Melilotus flore albo* Park. *Germanica* Ger. *major candida* Trag. **White flower'd Melilot.**

Præcedenti persimilis est, differt tamen *caulibus* crassioribus, firmioribus magísque lignosis, altioribus etiam & erectioribus; *foliis* minoribus vestitis, minùs odoratis: *floribus* candidis, minoribus, pluribus simul in spicis longioribus, succedentibus *capitulis* parvis, subrotundis, non ut in præcedente incurvis. *Radix* subest lenta, tenuis, albicans, quæ plerunque secundo à satione anno, postquam planta semen dederit, præsertim si copiosius fuerit, interit.

A præcedente reverâ specie differt, quamvis plerique Botanici utrasque eodem titulo comprehendant, & hanc illius varietatem tantùm accidentalem faciant, solo floris colore diversam.

In Germania, Italia & Gallia Narbonensi frequentem observavimus; in Anglia, quod sciam, non occurrit spontanea. *Locus.*

Dodonæus quinque Meliloti differentias recenset. 1. Flore luteo. 2. Flore candido. 3. Peregrinam flore purpuro-cœruleo inodoro. 4. Flore luteo, longioribus siliquis. 5. Flore luteo foliis per circumferentiam non crenatis. *Quinque species.*

Tertiam & quintam species invenio in Catalogo Hort. Reg. Parisiensis.

4. *Melilotus magno semine [rectius folliculo,] rotundo, rugoso* J. B. *Mel. Italica folliculis rotundis* C. B. *Italica* Park. *Italica & Patavina* Ger. **Italian Melilot.**

J. B.

Duorum cubitorum altitudinem assequitur, *radice* simplici, rectâ, lignosâ, alba, gracili. *Caulis* angulosus, purpurascens, rigidus, lævis, arcto tubulo pervius, plurimis ramis brachiatus. *Folia* trigemina pediculis rubescentibus sescuncialibus & longioribus appensa, inferiora lata, cordata, per margines æqualia, superiora minora, angustiora, crenata, *Flores* melini, vulgaris Meliloti sed majores, in spicas longas ex alis foliorum egressas digesti. *Pericarpia* rotunda, Pisi minoris magnitudine rugosa, *semen* modò unum, modò duo continet. Radicitus quotannis emoritur & semine deciduo se renovat.

5. *Melilotus angustifolia repens, folliculis rotundis* C. B.

C. B. Prod.

Radicem habet albam, oblongam, tenuem, capillaceam: à qua *cauliculi* plures semipalmares, rariùs palmares, per terram sparsi prodeunt: circa quos *foliola* oblonga tribus petiolis pediculo insidentia, quæ lævia sunt & per margines crenata: ex quorum alis pediculi emergunt tenues, oblongi; quibus *flores* parvi, luteoli, octo, novem, decem, & quandoque plures, alternatim dispositi affiguntur. His totidem *folliculi* rugosi, singuli *semen* unicum continentes succedunt.

Monspessuli in arvis & ad pedem montis Lup. *Locus.*

6. *Melilotus nova Berardi, seu erecta folliculis rotundis minor.* **The lesser round-codded Melilot.**

Præcedente [Italica] omnibus suis partibus minor est; *caulibus* cubitalibus & altioribus, erectis, rotundis, virentibus; nec enim caules, nec foliorum pediculi rubent, ut in præcedente. *Folia* multò quàm in Italica minora, minùs glauca, aliàs similia, inferiora nempe lata & cordata ferè, per margines

gines æqualia; superiora longa, angusta, circum oras crenata, supremis mucronibus obtusis & velut abscissis. *Flores* similiter melini, at minores, in spicis ex alis foliorum superiorum egressis, crebriores quàm in præcedente, quibus succedunt *Pericarpia* rotunda rugosa. *Radix* alba simplex quotannis emoritur.

Locus. Provenit in montosis pratis Delphinatus Galliæ.

* 7. *Melilotus lutea minor, floribus & siliculis majoribus, spicatim & rarò dispositis, foliis angustioribus, maculis sub exortum notatis* Moris.

Moris.

Caules profert ejusdem altitudinis cum præcedente, sed magis ad rubedinem inclinantes: *Folia* quàm illius angustiora sunt, & sub exortum maculis subrubentibus afficiuntur. In summis ramulis proveniunt spicatim *flosculi* lutei, præcedentis majores, quorum singulos singulæ sequuntur *siliculæ*, majores & rariùs dispositæ, spicatim pariter pendulæ, in quibus continentur *semina* duplo majora seminibus præcedentis.

Ex seminibus Chalepo transmissis Oxonii orta est.

A. 8. *Melilotus minor* Trag. *Trifolium luteum minimum* Ger. emac. Park. *pratense luteum capitulo breviore* C. B. *prat. luteum mas flore minore, semine multo* J. B. **Small yellow Trefoil, or Melilot Trefoil.**

Radice nititur simplici, lignosa, altè in terram descendente, fibris aliquammultis tenuibus, quibus granula seu tubercula subinde appensa sunt, donata. *Cauliculos* fundit plurimos, humi procumbentes, pedales & longiores, striatos, brevi admodum lanugine hirsutos, ramosos, *foliis* ad intervalla vestitos in eodem pediculo ternis, obscurè virentibus, obtusis, per margines crenatis, brevi & vix conspicua lanugine aversa præcipuè parte obsitis. Ad imum folii pediculum ubi cauli apponitur appendices duæ in acutum terminatæ membranaceæ caulem amplectuntur. Quæ è radice exeunt & in imis caulibus sunt folia, minora sunt, longioribus pediculis, & plerunque cordata. Ex alis foliorum pediculi exeunt sescunciales, tenues, *spicas* sustinentes *flosculis* parvis, luteis aggestas, quos excipiunt *pericarpia* compressa, rugosa, per maturitatem nigra, *semina* continentia.

Locus. In pascuis frequentissimum est.

* 9. *Meliloto vulgari nostrati affinis, folio minore & angustiore* J. B.

J. B.

Angulosos & prolixos *caules* profert, minores quàm vulgaris Meliloti, divisione pari: *folia* itidem tergemina & odorata, sed non parùm tum longiora, tum angustiora, quàm nostratis vulgaris, per ambitum crenata: *flores* lutei, consimiliter spicati, sed singuli minores: *pericarpia* circularibus lineis rugosa, singula unicum *semen* continent. Adeò coactæ brevitatis reperitur interdum, ut palmum non superet, *radice* prolixa & simplici.

Hujus figura quæ habetur apud J. Bauhinum rectè refert plantam quam *D. Magnol* pro Meliloto angustifolia repente folliculis rotundis *C. B.* habet, in saxosis *la Colombiere* propè Monspelium inventam: & fortasse una eadémque planta est quæ C. Bauhino describitur sub titulo allato, & J. Bauhino sub titulo initio proposito. Descriptionem *C. B.* quinto in loco propositam vide & confer.

* 10. *Melilotus corniculis reflexis major* C. B. *Mel. Syriaca* Park. *Syriaca odora* Ger. *Trifolium Italicum sive Melilotus Italica corniculis recurvis* J. B.

J. B.

Præcelsum est hoc Meliloti genus, trium quatuórve cubitorum, & altius interdum, alis multis brachiatum, iisque crassis satis & firmis. *Folia* terna, ex brevibus pediculis, Meliloti vulgaris haud multùm dissimilia, oblonga, serrata, glabra: è quorum sinu pediculi exeunt palmares, in cacumine comantibus onusti *floribus* Meliloti Syriacæ, luteis, odore fragranti & pertinaci: quos siliquæ sequuntur falcatæ, unciales, compressæ, striatæ, gemino versu alato pendulæ.

In Syriaca siliqua videtur magis curva falcatáve, in Italica minùs, propter degenerationem, ut vult Lobelius.

Locus. In Gargano Apuliæ monte provenit, Matthiolo referente. Seminibus Syriacæ Patavii satis corniculis exiit minùs falcatis, & ignaviore odore.

Melilotum alteram pusillam Londinensem *Ad. Lob.* C. Bauhinus huc refert.

11. *Melilotus Messanensis procumbens, folliculis rugosis sublongis, spicis florum brevioribus.*

Plantam hanc in lingula illa fretum Siculum & Portum Messanensem interjacente observavimus, loco humido. *Rami* in terram procumbebant: *flores* lutei in spicas breves congesti: *Siliquæ* sublongæ, sed breviores quàm Meliloti Syriacæ, circularibus lineis rugosæ, per maturitatem ex flavo albicantes; *semina* quam vulgaris Meliloti majora.

Locus. In lingula portum Messanensem à Freto Siculo dirimente, loco humido collegimus.

A. 12. *Trifolium Meliloto affine Ornithopodii siliquis, rectiùs ad Trifolia siliquosa refertur.*

E *radice* alba simplici multos emittit cauliculos in terram reclinatos; in humidiore aut pinguiore solo palmares aut sesquipalmares, aliàs vix quadrantales, satis crassos pro plantulæ modulo, solidos & non concavos, ramosos. *Foliola* perexigua, è membranea appendice cauliculos amplectente exeunt,

eunt, pediculis prælongis circa margines velut spinulis dentata, obtusa aut extremis subrotunda. E foliorum sinubus exeunt pediculi semunciales aut breviores, tres plerunque *flosculos* pallidè purpureos sustinentes, (interdum binos vel etiam unicum,) quibus succedunt totidem *siliquæ* crassiusculæ, curtæ, recurvæ, seminibus majusculis arctè stipatis ad octo aut decem farctæ, per maturitatem pallentibus.

In aggeribus ad mare arenosis, & alibi etiam in Mediterraneis occurrit. *Locus.*

* 13. *Melilotus Ægyptia Alchimelech vocata* J.B. *Melilotus Ægyptiaca* Park. *Mel. corniculis reflexis minor.* C. B.

Alpin.

Supra terram expansa planta est, parva, modicè repens, ferè nihil aut parum in altum se attollens: *foliis* Trifolii siliquosi minoribus tamen, floribúsque parvis, multis, longis, racemi modo ordinatis, croceis, odoratis, à quibus promanant *siliquæ* parvæ, obliquæ; *semen* continentes minutum, rotundum, subnigrum, declinans ad rubrum, odoris non omnino expers, sapore stiptico cum aliquo amarore.

* 14. *Melilotus Indiæ Orientalis* Park.

Park.

Semipedalem altitudinem vix superat, *caulibus* tenuibus, fuscis, *foliolis* viridibus, in eodem pediculo ternis, parùm aut non omnino dentatis obsitis, non ramosis; quorum fastigia occupant *flosculi* multi, perexigui, flavi; quibus succedunt *capitula* rotunda Meliloti Italici, *semen* parvum, nigricans, odore valido Meliloti, claudentia. *Flores* valdè remissum aut potiùs nullum Meliloti odorem exhalant. *Radix* tenuis, annua.

Plantam hanc cùm nondum viderim, an sit vera & genuina Meliloti species me nescire fateor; ex descriptione Parkinsoni nihil certi concludi potest. Capitulis & flosculis cum Melilotis convenit, sed non eorum situ in summis caulibus.

Parkinsonus se semina hujus sub titulo superiùs posito inter alia rariora ex Italia accepisse scribit.

Hanc eandem esse puto Meliloto minimæ rectæ luteæ, siliquis crassis curtis in capitulum congestis semine Fœnugræci *Morisoni*, cujus idcirco descriptionem subjiciemus.

Melilotus minima recta lutea, siliquis crassis curtis in capitulum congestis, semine Fœnugræci Moris.

Moris.

Reliquas Melilotos parvas, procumbentes excedit magnitudine & latitudine foliorum, quibus proximè accedit Meliloto luteæ Italicæ folliculis rotundis rugosis. Vix pedalem attingit altitudinem. In cymis caulium *flosculos* profert plurimos, satis raros, luteos; quibus succedunt *siliquæ* parvæ curtæ, crassiores prædictarum omnium Melilotorum siliquis; in quarum singulis continentur *semina* bina, ternáve, satis magna, ab angulo ad angulum Fœnugræci modo cavata.

* 15. *Melilotus Syriaca seu Chalepensis, major, coronata, siliquis curvis biuncialibus* Moris.

Moris.

Caules producit pedales, rectos; in quorum cymis proveniunt *flores* lutei, capituli in modum digesti, ejusdem cum cæteris magnitudinis: quorum singulis deciduis succedunt *siliquæ* singulæ, usque ad numerum denarium, compactè junctæ, communi petiolo propendentes, curvæ, binas uncias longæ: in singulis continentur plurima *semina* recentia flavescentia, quæ tandem subrussa evadunt.

E semine à *D. Huntington* Chalepo Syriæ emporio transmisso Oxonii in Horto Botanico Academenata est. *Locus.*

16. *Trifolium Americanum* C. B. J. B. Park. *Americum* Ger.

Trifolio bituminoso simile, *caules* fert à radice complures, rotundos, ramosos, in latus declinantes: *folia* colore in virore subnigra, figurâ rotundiuscula, primis & è radicibus exeuntibus bituminosi Trifolii formâ, colore & odore quoque quadantenus similia, latiora tamen & per ambitum magis crenata. *Flores* in summo ramulorum exeunt exigui, subcandidi, spicatim digesti. *Fructus* inde rotundi, aliquantulum plani, Aphaces à nobis (inquit Dodonæus) descriptæ semini fere similes. *Radix* in plures dividitur.

Melilotis annumeravimus quia *flores* in spicis è foliorum alis egressis pinguntur.

17. *Melilotus vesicaria Cretica* hort. Altdorf.

Hujus ramulum habemus ex horto Altdorfino. Persimilis videtur Meliloto Italicæ, verum major, vasculis seu siliculis vesicæ instar inflatis, majoribus, pendulis.

CAP. V.

De Trifoliis floribus magis siliquosis, siliquis angustioribus & productioribus, & primò

De Fœno Græco dicto.

FOEnugræcum, ità enim in Columellæ & Plinii codicibus scribitur, Græcis τῆλις, à Veteribus pro jumentorum pabulo seri solitum est.

Notæ ejus sunt siliquæ productiores, incurvæ, compressæ, seminibus angulosis, lineâ ab angulo ad angulum depressâ sulcatis, repletæ.

1. *Fœnum Græcum* Ger. *Fœnugræcum* J.B. *Fœnum Græcum sativum* C. B. Park. **Fenugreek.**

Dod. J. B.

Caulem emittit singularem, tenuem, virentem, intus concavum, in alas ramósque divisum, [semicubitum non excedentem *Cæs.*] *Folia* pratensi Trifolio similia, rotundiora tamen ac minora, [majuscula, crenata, modò oblonga, modò latiora quàm longiora *J. B.*] quæ superiore parte virent, inferiore verò parte ad cineritium inclinant. *Flores* ex foliorum alis exeunt, Lupinorum pares, aut potiùs minores, subcandidi: *Siliquas* longas palmares & sesquipalmares profert, brevissimis pediculis hærentes, falcatas, graciles, angustas, compressas, mucrone tenui, longo, inani, in quibus *semina* non magna, formâ oblongâ, ferè quadrata, flavescentia, odorata [cum gravitate nonnullâ] cavitate quâdam singulis obliquè impressâ. *Radice* nititur tenui, candida, simplici, lignosa.

Multis in locis seritur, ubi sponte oriatur proditum non invenio.

Vires. Farina seminis (quod solum in usu est) emollit, digerit, maturat, discutit, paregoricum est, usúsque adeò famosi, ut cataplasma dictarum intentionum Chirurgis vix usitatum sit, quin Fœnugræcum vel hujus mucilaginem recipiat. Crebrique usûs est in clysteribus emollientibus; mucilaginosâ quippe suâ substantiâ obtundit acrimoniam, intestináque erosa oblinit: insuper conducit ejus mucilago ad oculorum sugillationes discutiendas imposita. *Schrod.*

Decoctum, secundùm Veteres, quos consule, fœminarum malis plurimis subvenit.

Ad Ischiadem; ℞. Fœnugræci in melicrato cocti usque ad dissolutionem q. v. quod deinde contundatur & cum melle iterum coquatur, extensúmque super pannum applicetur: confestim juvat & ad podagram, & ad omnem dolorem articularem inquit Bayrius. Hanc observationem inter alias multas à se ex variis Autoribus collectas ad me transmisit Eruditissimus & amicissimus Vir D. Edv. Hulsius, M.D. Londinensis.

Certissimum est Fœnugræcum optimum esse ophthalmicum, & notavi in quodam puero, qui post purgationem syrup. foliorum Senæ cum tantillo radicis Mechoacannæ sequenti remedio spatio tridui omnino discussam esse sugillationem adnatæ oculi tunicæ, quam violentior Epilepsiæ insultus invexerat. ℞. pulp. pomorum dulcium ad consistent. pultis in s. q. aq. Fœniculi & Verbenæ coctæ ℔ß. agita per setaceum novum. Deinde add. mucilag. Fœnugræc. aq. ros. extract. ℥j. Lapidis hæmatitis exquisitè triti ʒj. Camphoræ, Tutiæ præparatæ ℈j. Boli Armeniacæ parum, Aq. rosac. q. s. F. epithema pro oculis. *Ex ejusdem* notis è Sim. Paulli Quadrip. Botan. excerptis.

Tumoribus mammarum frigidis applicetur farina Fœnugræci cum succo Apii mixta. D. *Barnh. Soame* ex Observationibus Marcelli Cumani è Velschio editis. Obs. 44.

2. *Fœnugræcum sylvestre Dalechampii* J. B. *sylvestre* C. B. Park. Ger. emac.

J. B.

Minus est sativo, *caule* tamen dodrantali interdum. *Folia* gerit terna, & inter hæc *flores* per totum caulem corniculatos: *Siliquæ* multò breviores, sescunciales, recurvo vacuóque & tenui mucrone donatas, quàm in sativo tamen latiores; *semen* quidem continentes minus: *Radicem* longam, lignosam, surculosam.

Locus & Tempus. Monspelio attulit Cherlerus collectum in via Frontignana versùs *Balleruch*, florens Maio & Junio, Julio siliquas ferens. Copiosè etiam oritur ad lævam Ladi amnis ultra pontem *Castri novi* in colle dicto *Ferrand. Botan. Monsp.*

* 3. *Fœnum Græcum sylvestre alterum polyceration* J. B. *Fœnum Græcum aliud sylvestre* Park. *Fœn. Græc. sylvestre alterum* Dod.

Lob.

Folia Fœnugræci æmula, nonnihil etiam ambitu serrata. *Flores* exiles Scorpioidis leguminosæ Narbonicæ: agro calidiore, iisdem natalitiis quibus Scorpioides gaudet. *Siliquæ* succedunt oblongæ, graciles, minùs aduncæ, quaternæ aut quinæ, *semen* parvum claudentes.

Hortis hic duntaxat quibusdam reperitur, Hispaniâ delato semine.

Hedysarum minimum *Lugd.* C. Bauhinus hujus synonymum facit, J. Bauhinus sequentis, ut & Fœnum Græcum sylv. alterum *Dod.* sed dubitanter: unde verisimile est has non differre specie. Certè Monspelienses plantam sequentem nobis ostenderunt pro Fœno Græco sylvestri.

Quod si ità sit, icon *Lob.* & *Dod.* minùs proba est, neque descriptio exacta. Breynius Hedysarum minimum *Lugd.* à Fœno Græco sylvestri altero *Dod.* specie diversum esse concludit: Nobis nondum constat: maneant tamen interim, si videtur, separatæ.

4. *Securidaca*

4. *Securidacæ genus triphyllon* J. B. *Hedysarum minimum* Lugd. *An Fœnum græcum sylvestre alterum* Dod? *Fœn. græc. sylv. Herbariorum* Lob?

J. B.

Pedales habet, graciles, sed robustos *caules*, *foliis* donatos ternis simul junctis, per extrema brevioribus, crenatis: quibus veluti ad caulium articulos, mediocribus intervallis distantes *siliquæ* falcatæ verticillatim apponuntur, Meliloti Italicæ siliquis pares, denæ aut duodenæ *caulem* coronantes, semunciâ longiores, graciles, striatæ.

In collibus propè *Castelneuf* cis Ladum Monspeliacum amnem. Locus.

* 5. *Fœnum Græcum sylvestre polyceration majus Creticum* Breynii.

E *radice* alba, oblonga, in multas fibras divaricata *caulem* sesquipedalis aliquando longitudinis emittit, qui statim propè radicem in plures ramos virescentes, ac terræ plerunque incumbentes dividitur; à quibus alii minores exeunt ramuli, qui cæteri *foliis* vestiuntur numerosis, Fœnugræci sylv. polyceratii Monspeliaci paribus, nisi aliquanto majora, cordata, venis eminentioribus prædita, ac per extremum minùs crenata essent. E foliorum alis *flosculi* luteoli, plerunque terni vel bini tantùm, Monspeliaci multò majores, longioribúsque pedicellis innixi emergunt: hi in *siliquas* dependentes, falcatas & admodum venosas, triplo Monspeliaci majores. *Semina* lutea, itidem grandiora, Galegæ non malè convenientia continentes, abeunt.

In Creta sponte provenit. Locus.

Cap. VI.

Reliqua Trifolia siliquosa miscellanea continens.

* 1. *Tripholium Asphaltion Canadense* Cornuti.

Corn.

FRutex hic ad cubiti altitudinem in America Septentrionali attollitur: *Virgam* habet tenuem junceam, atro-purpuream, quæ statim ab infima parte ὀζομένας, h. e. ramulares propagines emittit; Summitate in plures diducitur, à quibus *folia* Loto arbori similia prodeunt, acutiora tamen & angustiora, qualia ὀξύφυλλα Dioscorides nominare consuevit, leviter etiam hirsuta sunt, ac velut oleosâ pinguedine obsita, ex uno longiori pediculo nascuntur. Hæc defracta aut ex attritu non olent, verùm cum leviùs attrectantur, oleosus hic humor digitis apprimitur, molestus gravitate odoris, qui quidem odor in novella planta Rutæ est, in adultiore hirci aut bituminis. Cujusque rami extremum *flos* occupat purpureus, ut in Scrophularia tribus exertis foliolis constans, & uno semper intus reflexo, quod postremum superant tenuia filamenta tria, albo apice donata. Floris foliola intus alba sunt, licèt à tergo sint purpurea. Flori succedunt *siliquæ* digitum longæ, æquè quàm folia hirsutæ, oleosæ, virides, extremo purpureæ, in quibus alveolis discreta conduntur *semina*, lata, oblonga ut Cytisi, medio sinu excavata, ut Faba purgatrix, aut renes Animantium, quo fit ut intortum veluti corniculum efforment. *Radix* longa fibrosa, insigni fervore prædita est, ac ferè pari acrimonia linguam mordicat quâ Anemone.

Annua est, & nonnisi satu perennat.

* 2. *Mungo sive Phaseolus orthocaulis* Col. Annot. in res medicas Novæ Hisp. *Fructus niger Coriandro similis* C. B. *Mungo Garciæ* Park.

Col.

Mungo apud Indos Orientales, à Persis ac etiam à Turcis dicitur *Masc*; quod ab Hispanis diceretur *Max*. Planta est tripedalis, hirsuta tota, foliis Phaseoli nostratis effigie & magnitudine, albicante hirsutie obsitis, *caule* erecto non procumbente, angulis quinque distincto, singulisque geniculis auriculatis ut in Phaseolo, nunc in dextram, nunc in sinistram inflexo, alternatim longis petiolis hærentibus, & ad cacumen usque semper decrescentibus. In summo ex foliorum alis breves producuntur petioli Septembri mense; in quibus *flores* parvi, ex viridi lutescente colore languido, Phaseolo similes, ex quibus *siliquæ* hirsutæ, triunciales, in rostrum incurvum desinentes, per maturitatem rufescentes, in quibus dena *semina* distincta continentur, primùm virentia, oblonga, teretia, ut in Phaseolis latere hærentia, in quibus est linea alba, sed non incurva; & perfecta nigrescentia, exiguis Castaneis maculis variegata.

Apud Orientales cibo frequens est elixum semen & butyro conditum, uti alia legumina, è quibus hoc in deliciis habetur, & suavius ac jucundius aliis videtur. Usus.

Sato semine post aliquot dies germen extra terram exurgit, turgidum capite bifido, ferè ex petiolo purpuro-rubente. Postea hians emittit parumper foliola in summo seminis corticem deferentia; tertiò magis emissa foliola conjuncta ostenduntur, adhuc seminis corticem habentia: quartò expansa foliola ex germinis medio erupta: deinde caulem emittit, & in singulis geniculis terna foliola, plantáque perficitur.

Garcias semen Mungo viride per maturitatem nigrum fieri tradit, Coriandri sicci magnitudine; equorum pabulum esse, interdum etiam ab hominibus edi. *Nihil habet quo quis legumen esse suspicari posset.*

Guzarate & Decan incolæ, eodem Garcia referente, in febribus hoc modo utuntur. Febricitans cibo abstinet per decem, nonnunquam per quindecim dies, post quos hujus fructûs decoctum illi propinatur,

propinatur, in quo nonnihil pulpæ remanserit; deinde cortice delibratum *Mungo*, & instar Orizæ coctum febricitanti exhibent: panem verò Triticeum nonnisi post multos dies.

Quæ Avicenna de hac, ut creditur planta, sub nomine Meisce sive *Mex* habet. Vide apud ipsum Lib. 2. tract. 2. p. 499.

Columna autem nec ubi vidit, nec unde aut à quo habuit hanc quam describit plantam nobis retulit.

Hæc planta tota facie Phaseolum refert, in eo tantùm differt, quòd non scandat, sed erigatur & per se subsistat: Rectiùs ergo ad Phaseolos refertur, quamvis nostra Methodus id non patitur.

3. *Trifolium Alpinum Rhæticum Astragaloides* J. B. *angustifolium Alpinum* Park. Ger. emac. *Alpinum flore magno, radice dulci* C. B. **Liquorice or Sweet-rooted Trefoil.**

Non ità obvium alibi quàm summis montium jugis hoc Trifolium, cui *radix* crassa, longa, in plura capita aliquando divisa, terram versùs comosa, substantiâ albâ, dulci: ex qua pediculi germinant longiusculi, ima parte vaginam imitati. *Folia* tria, oblonga, uncialia aut sextantalia, angusta, acuminata, glabra, obliquis venulis intertexta. Inter hæc surgunt *cauliculi* nudi, enodes, vix foliorum cacumen attingentes: quorum fastigio insident glomerati *flores*, magni, rari, purpurei. *Semen* Craccæ minoris, compressum in *siliquis* semuncialibus, foliaceâ vagina textis.

Locus. In Rhætia in monte prope Burmium invenit J. Bauhinus, mense Junio florens.

Pona radici saporem subamarum attribuit, uterque Bauhinus dulcem, unde & plantam ipsam *Glycyrrhizam Astragaloidem* quibusdam dictam refert C. Bauhinus, sibique ex Hispania *Glycyrrhizæ Hispanicæ* nomine missam ait. Fortè variat radicis sapore pro loco natali, non enim tot curiosos gustatores in radicis sapore falsos fuisse facilè crediderim.

In *Horto Dei* dicto apud Monspelienses multò majus invenitur *C. B.* unde delatum nobis Monspelii ostensum est.

* 4. *Trifolium Glycyrrhizites* Park. *Trif. dulce montanum Monspeliensibus.*

Radice nititur crassâ, longâ, profundè in terram descendente & variè diffusâ, Glycyrrhizæ persimili; è cujus capite emergunt *ramuli* aliquot, *foliis* frequentibus vestiti, ab eodem exortu ternis, oblongis & angustis, circa margines æqualibus, pediculis brevibus nixis: pediculi indè seu surculi exeunt breves, *flores* in spicas congestos sustinentes purpureos, Trifolii pratensis æmulos.

An & quomodo à præcedente differat considerandum: Lobelius diversum affirmat. Idem est proculdubio ei cujus meminit C. Bauhinus sub priore quod in Horto Dei apud Monspelienses multò majus inveniri ait: nam & hoc ibidem loci oritur, referente Parkinsono.

* 5. *Trifolium peltatum Creticum* C. B. J. B. *odoratum, peltatum Creticum* Park.

C. B. prod.

Ex *radice* tenui, oblongâ, fibrosâ *cauliculi* exurgunt palmo minores, glabri, penè nudi, *foliis* parvis, parum crenatis, oblongis pediculis donatis vestiti. Cauliculorum summis *flosculi* quaterni quinive, ordine succedentes, formâ Ornithopodii, luteo-pallidi insident: quibus *siliquæ* luteæ, planæ, membraneæ, quasi semicirculares, in filamentum abeuntes, *semen* unum vel alterum parvum, compressum continentes, succedunt: quæ dum molles sunt dulcissimæ, esui aptæ, at ubi induruerint amarissimæ.

Hoc rusticis in Creta *Μαcrεῖαs* dici Honor. Belli auctor est, qui Trifolii Cretici odorati nomine misit.

Trifolii quoddam genus observavi in agro Neapolitano annuum, erectum capitulis è glumis acerosis conflatis. Florem non vidi quia tum circa finem Junii jam defloruerat.

6. *Scorpioides Matthioli* Ger. *Scorpioides Matthioli sive Portulacæ folio* Park. *Telephium Scorpioides* J. B. *Telephium Dioscoridis seu Scorpioides ob siliquarum similitudinem* C. B. *Item Scorpioides Portulacæ folio* ejusdem *ex sententia Parkinsoni & nostra.*

J. B.

Ex gracili *radice* aliquot emittit *ramulos*, palmares & sesquipalmares, tenues, teretes. *Folia* rara, brevi pediculo annexa, Portulacæ minùs succulenta, lævia, indivisa, [candicantia *Cæs.*] quibus subsunt bina, exigua, circinata, Coluteæ Scorpioidis formâ & magnitudine. In summis ramulis *flosculi* exigui, Lentis floribus minores, persimili tamen formâ, colore luteo: quibus *siliquæ* succedunt, Scorpionum caudas imitatæ, crebris internodiis interceptæ intortæque, graciles, prælongæ.

Locus & Tempus. Circa Liburnum, Messanam, Monspelium abundè oritur, Aprili, Maio & Junio florens, brevique siliquas & semina perficiens.

Rectiùs fortè inter Legumina siliquis articulatis collocaretur.

7. *Trifolium siliquis Ornithopodii nostras: vide inter Melilotas; rectiùs tamen huc refertur, ob flores sparsos & siliquas longas, quibus à Melilotis differt.*

CAP.

Cap. VII.

De Trifoliis siliquis brevioribus seminibus deliquium passis, seu De Anonide.

A. 1. *Anonis spinosa flore purpureo* C. B. Park. *An. sive Resta bovis* Ger. *An. sive Resta bovis vulgaris, purpurea & alba spinosa* J. B. **Rest-harrow, Cammock, Petty-whin.**

J. B.

LOngè latéque *radices* spargit albidas, fractu contumaces: *ramis* verò lignosis, simplicibus & frequentibus fruticat, cubitum unum aut alterum longis, tenuibus, rotundis, hirsutis, rubescentibus, lentis, spinis longis & rigidis armatis, interdum verò nullis priusquam decidant folia. *Folia* spinis ferè proximo ortu, incondita, sublonga, Ciceris singularibus foliis simillima, nigricantia, hirsuta, in ambitu crenata, sapore leguminoso, tactu glutinosa, odoratáque [imò fœtida.] *Flores* Coluteæ sed colore purpurascente vel carneo, rariùs albo. *Siliquæ* parvæ rotundum *semen* continent, Viciæ formâ & sapore.

Anonis spinosa lutea major *C. B.* spinosa montana lutea major *Park.* foliis paulo majoribus & longioribus, floribus luteis, ejus quæ spinis caret similibus à descripta differt.

Aliam adhuc speciem seu varietatem proponit Parkinsonus, quam spinosam luteam minorem vocat, quæ non alia in re quàm brevitate & parvitate sua à præcedente differt.

Locus. In pascuis sterilioribus passim.

Vires. Cortex radicis, ut & radix ipsa, urinam ciet, calculos renum & vesicæ atterit, carnosam ramicem absumit, dentium dolores mulcet, hepatis infarctus liberat, vel in pulverem redactus, & vino albo tenui infusus, vel in posca decoctus, & aliquandiu bibitus.

Hujus radici, aut potiùs radicis cortici (inquit Sim. Paulus) vix suppar remedium reperitur, quod cum eo componi queat, tam in vesicæ quàm renum calculo. Matthiolus in Dioscor. notat, se novisse quendam, qui radicis hujusce pulvere duntaxat pluribus mensibus sumpto carnosum ramicem absumpsit, licèt à medicis nullo alio modo quàm sectione ustionéve curari posse statutum esset.

Hæmorrhoidibus cæcis mariscísve discutiendis infusum aliquandiu bibitum prodest.

Antequam spinas protrudit conditur cum sale pro cibario. *Schrod.*

A. 2. *Anonis non spinosa purpurea* Ger. *non spinosa flore purpureo* Park. J. B. *spinis carens purpurea* C. B. **Purple Rest-harrow without prickles.**

Clus.

Multos annuatim ex *radice* dura lignosa & perenni fert cubitales, nonnunquam longiores *surculos*, rotundos, lentos, firmos tamen, ramosos, molli lanugine obductos: multa *folia* alternatim caulem latâ basi amplectentia, plerunque terna ex eodem pediculo prodeuntia, interdum singularia, molliora & ampliora quàm vulgaris: summæ virgæ & rami desinunt in oblongam spicam *florum* vulgari quidem similium sed coloris magis sanguinei. Fert deinde *siliquas* vulgari persimiles, & ipsum etiam *semen*. Tota planta lento quodam humore & hircinum virus olente obsita est, Fraxinellæ ferè odoris instar: nullo autem aculeorum vallo munita est.

Locus. Silesiaca prata hoc genus alunt.

Descriptio Clusii in omnibus ferè convenit *Anonidi nostræ vulgari non spinosæ purpureæ*, non tamen icon. Anonis enim non spinosa nostras spinosæ alioqui similis est; cujusmodi D. Agerium sibi dedisse refert J. Bauhinus, in Slavonia collectam.

Locus. In pascuis sterilioribus & agrorum marginibus passim provenit nostras, quam Clusianæ eandem esse vel hircinus odor, quem in ea observavi, mihi persuadet.

* 3. *Anonis non spinosa repens* Morisoni.

Mor f.

Hæc primo statim intuitu ab Anonide vulgari spinosa discernitur, primò quòd non donetur spinis; secundò, quòd radice longè latéque repente prædita sit.

Hanc autor in multis Galliæ & Angliæ locis, præcipuè circa Oxonium provenire scribit, & æstate florere. Si à præcedente specie diversa mihi incognita est.

4. *Anonis non spinosa purpurea supina minima.*

Hanc in sterilioribus Calabriæ juxta mare observavimus. Fortè Anonis æstiva minor floribus rubris Boelii *Park.*

* 5. *Anonis purpurea spicata erecta, annua latifolia, siliquis rectis lentiformibus* Moris.

Moris.

Caules huic sunt bipedales, nonnunquam in solo lætiore tripedales, erecti, nullis spinis donati, quibus adhærent pediculis satis longis tergemina *folia*, satis ampla, bis térve Anonidis vulgaris spinosæ foliis longiora (præcipuè inferiora) serrata, non viscosa. In caulium summis fastigiis spicatim proveniunt *flosculi* plurimi, minores, purpurei, papilionacei: quibus fatiscentibus succedunt *siliculæ* lentiformes, bivalves, erectæ, curtæ, & suis calycibus immersæ quasi, & vix extra eosdem conspicuæ, vulgaris Anonidis ritu, sed densiùs multo in spicam compelluntur; *semina* minuta reniformia, seu deliquium in medio patientia continentes.

6. *Anonis*

* 6. *Anonis purpurea procumbens verna seu præcox fruticosa annua, viscosa, siliquis crassioribus lentiformibus, rariùs dispositis* Morisoni.

Moris.
Caules protrudit pedales & longiores, ligneos, duros; ad quorum singula genicula oriuntur *folia* tergemina, rotunda, valdè crenata; atque pediculis curtis, ex geniculis ortis innituntur flosculi papilionacei, dilutè rubri: quorum singulis succedunt siliquæ singulæ, bivalves, continentes *semina* satis magna pro proportione plantæ.
Junio & Julio florentem observavit descriptionis autor: Verùm nec hujus, nec præcedentis locum natalem novit.

* 7. *Ononis lutea sylvestris minima* Col. *Anonis spinosa lutea minor* C.B. *montana spinosa lutea minor* Park.

Col.
Pusilla hæc satis est, nec semipedem superat caulis altitudine; è *radice* dodrantali, tenui, nuda, nigra. Ex illa plures fruticant tenues *cauliculi*, veluti squamosi auricularum cartilaginibus exiċtis: è quibus *folia* exigua, vulgaris Ononidis modo terna, & per ambitum dentata exeunt: inter quorum & cauliculorum sinus quinquepartiti oriuntur singuli *calyces*, respectu plantæ magni, rigentibus foliolis, angustis, oblongis, aculeatis constructi; in quibus post *flores* luteos, exiguos ut à calyce occludantur, *siliquæ* suboriuntur rotundæ, breves admodum, *semina* renum effigie incurva, exigua, Phaseoli similia continentes.
Locus. Augusto floret in Æquicolorum incultis, depressis aridis locis, à Villa Mercato via ad molendinum. Quærit D. Magnol, annon hæc sit Anonis pusilla glabra fruticans Trifoliis affinis J. Bauhino?

8. *Anonis lutea, parva, procumbens, maritima. Anonis maritima mitis folio lucido serrato* Bocconi *forté.*

Radice alitur albâ, longâ, simplici, raris fibris capillatâ [in nonnullis fibræ plures sunt & majores] *Cauliculi* indè exorti plures, teretes, villosi, nonnihil rubentes, humi procumbunt. *Folia* parva, tripartitò divisa, pediculis nullis: (verùm inferiora duo foliola caulem amplectuntur ut in Lotis fit, ac proindè hæc planta eodem modo trifolia est quo Lotus quinquefolia) saturè viridia, splendentia, in margine eleganter dentata, alternatim posita. *Flores* lutei Anonidis. *Siliquæ* breves, tumidæ, teretiusculæ, duobus intus seminum reniformium ordinibus. Annua est planta, mitis nec aculeis prædita.
Locus. In arenosis maris litoribus in Sicilia frequentissima est, Cataniæ, ad Promontorium Pachynum, *Punto Cerciolo, &c.* Addit Bocconus, Saccæ Agrigenti & alibi passim. In Maremma Hetruriæ etiam nota est.
Ni trifolia esset, ad genus Leguminum siliquis geminatis referri deberet. Planta est singularis & sui generis.

9. *Anonis viscosa spinis carens lutea major* C.B. *lutea non spinosa, Dalechampio Natrix* J.B. *Natrix Plinii sive Anonis non spinosa lutea major* Park. *Anonis sive Spina lutea* Ger. **Yellow Rest-harrow.**

Caules ex eadem radice plures exurgunt, rotundi, pedales atque etiam cubitales, in multos ramos divisi, spinarum expertes. *Folia* Anonidis vulgaris, hirsuta, pallidè viridia, alternatim posita, per extremum crenata seu potiùs dentata. *Flores* Genistæ vulgaris, lutei, pediculis oblongis insidentes, qui ultra florem nonnihil procurrunt: nam petiolus ille è quo flos immediatè dependet, ex hoc modò dicto pediculo longo erectóque exoritur. His succedunt *siliquæ* longiores strictioresque quàm in vulgari Anonide, [unciales *J. B.*] teretes, hirsutæ, *semen* continentes pullo colore, *Cam.* Herba tota hirsuta est & ad tactum glutinosa seu pinguis, graviter odorata, ut reliquæ congeneres.
Locus. Primò hanc observavimus in arenosis insulæ exiguæ à Promontorio Siciliæ Pachyno dicto, nunc *Capo Passaro*, vi maris nuper abruptæ: deinde ad fluvium *Arve* propè Genevam; tandem circa Monspelium copiosè.
Planta quam in Sicilia observavimus major & elatior videtur ea quæ circa Genevam & Monspelium oritur, foliis etiam majoribus, floribus, quantum ex sicca discernere licet minimè striatis.

* 10. *Anonis non spinosa flore luteo variegato* C.B. *non spinosa lutea variegata* Park.

A descripta differt floris colore, qui luteus sed pallidior est, & lineis subrubris variegatus.

11. *Anonis pusilla, glabra, fruticans, Trifoliis affinis Cherleri,* J.B. *An Ononis sylvestris lutea minima* Col? *superiùs posita.*

J. B.
Lignosis palmaribus & brevioribus fruticat *surculis*, subrubentibus, tenuibus, glabris: quos *folia* stipant crebra, tergemina, glabra, viridantia, circumcirca crenata, oblonga, Medicæ nostratis foliis quadantenus similia: ex quorum sinu prodeunt per totos ramos *flores* majusculi, conformatione leguminosorum, lutei, calyce in quinque segmenta flore longiora, acuta, ex rubro nigricantia diviso. Succedunt *siliquæ* turgidæ, nigricantes glabræ, Craccæ minimæ minores, *semina* quatuor aut quinque sinuata continentes.
Locus. In collibus sterilioribus Narbonensis Galliæ, inter Ilices, Thymos aliósque frutices multa:

* 12. *Anonis*

* 12. *Anonis non spinosa floribus luteis Brasiliana* Marggravii.

Multi *caules*, teretes, lenti, pilosi, ex una radice enascuntur, longi, partim humi procumbentes, partim surrecti, ad tactum quasi pinguiusculi seu glutinosi: è quibus hinc indè alternatim, & quasi se amplecterentur in exortu, prodeunt *ramuli*, quos eodem modo hinc indè petioli breves complectuntur, atque quilibet tria *foliola*, quidam etiam tantùm unum continentes; suntque foliola oblonga, angusta, nervo secundùm longitudinem & venulis obliquis infernè prædita, & leviter pilosa. *Flosculos* ex finu prodeuntes fert luteolos Ononidis modo.

* 13. *Trifoliis affinis Anonis minima hirsuta Cherleri* J. B. *An Anonis viscosa spinis carens lutea minor vel An. viscosa minor flore pendulo* C. B?

J. B.

Pari cum lutea minima glabra assurgit altitudine, lignosâ duráque & albicante demissa *radice*, in multos ramulos hirsutos, rubentes, vel incanos fissa: *folia* terna, angustiora, longiora, per extremum duntaxat crenata, alioqui cæsuræ ignara, hirsuta: *calyces* per ramos crebri, magni, pilosi admodum, in quinque longas aristas desinentes, pediculo contorto, deorsum terram spectantes, cancellis suis florem complexi parvum, cætera albidum, rostello ferrugineo. Tota est tactu viscida.

In rupetis Monspeliacis & Nemausinis utcunque obviam animadvertit & legit Cherlerus. In asperis versus Miravallem circa rupes quæ antro imminent, & supra Boutonetum versus *Monsferrier*. *Botan. Monsp.* Locus.

Anonis viscosa minor flore pendulo C. B.

Quam Morisonus præcedenti synonymam & eandem facit, in Prodr. sic describitur,

Plantula est semipalmaris, totaque hirsuta: *radiculâ* albâ oblongâ, tenui, parùm fibrosâ; à qua *cauliculi* plures, duarum triumve unciarum, exurgunt, iisque tenues, rotundi, foliolis parvis, plerumque ternis ex uno pediculo prodeuntibus, forma & situ vulgaris Anonidis similibus, viscosis, *flores* parvi sunt, lutei, propendentes, quibus minutum *semen* in exigua siliqua succedit, & nullis spinis donatur. Ex Gallia Narbonensi habuit.

* 14. *Anonis lutea annua recta hirsuta, viscosa, siliquis hirsutis brevioribus* Moris. *An Anon. viscosa spinis carens, lutea, latifolia annua* Botan. Monsp?

Moris.

Ad pedalem altitudinem ascendit, *caulibus* rectis, ad quorum singula genicula alternatim appensa conspiciuntur *folia* longiora, trifoliata, viscosa simul & hirsuta, crenata: [latiora & majora quàm in Natrice]: atque in cymis caulium proveniunt *flosculi* papilionacei, lutei, minores, è longis pediculis propendentes; ex quorum summitatibus prostant filamenta rigida, uncialia. Floribus singulis evanescentibus singulæ succedunt *siliquæ* bivalves, hirsutæ, viscosæ, *semina* in se continentes reniformia reliquarum Anonidum more.

Anonis viscosa spinis carens lutea latifolia annua Botan. Monsp.

Magnol.

Caulem habet elegans ista Anonidis species pedalem & sesquipedalem, in plurimos ramos divisum, villosum: *folia* terna ex eodem pediculo propè ramum foliaceo prodeuntia, villosa, latiora & majora quam in Natrice Plinii. In summitate ramulorum spicæ velut florum oriuntur, qui lutei sunt, calycibus foliorum viridium villosorum circundati. *Siliquæ* parvæ, latæ, leviter pilosæ unum, duo, & aliquando tria *semina* rotunda, subnigra continentes: radix pro plantæ magnitudine satis crassa, sed quæ singulis annis perit. Tota planta viscosa est.

Copiosè reperitur parùm ultra antrum Frontignanense sub ilicibus, juxta viam, Augusto & Septembri mensibus cum flore. Locus & Tempus.

* 15. *Anonis lutea annua siliquâ glabrâ breviore* Moris.

Moris.

Caules emittit pedales & altiores, quorum geniculis singulis adhærent longis pediculis terna *folia* viscosa, longa, crenata: in caulium cimis longis etiam pediculis propendent *flores* lutei, satis magni pro proportione plantæ, raro seu singulatim petiolis insistentes: quibus deciduis succedunt *siliquæ* curtæ, glabræ, propendentes ex calycibus quinquefariam divisis. Anonidis vulgaris siliquis crassiores multò, in quarum singulis bina ternáve continentur semina.

Hujus semina ex Syria habuit, communicata à D. Huntington.

* 16. *Anonis latifolia Cicer sylvestre trifolium* J. B. *dicta. Cicer sylv. latifolium triphyllon* C. B. *Cicer sylv. triphyllum* Park. *syl. latifolium* Ger.

J. B.

Digitalem demittit *radicem*, singularem aliquando, aliàs in paucas fibras divisam, lignosam, dodrantalem, quæ terram versùs in plura capita squammata dividi incipiens, ex singulis unum vel plures tollit *caules* cubitales & in ramos aliquando subdivisos, lignescentes, hirsutos: Pediculis autem longis tria hærent conjunctim *folia*, majora quàm sativi Ciceris, rotunda, hirsuta, circumquaque serrata: *flores* Ciceris, mediocriter magni, quos *siliquæ* excipiunt, binæ ferè, ex unico longo pediculo, unciâ longiores, hirsutæ.

Genevæ provenit in monte Salevæ *J. B.* & alibi in Alpibus. Locus.

17. *Anonis purpurea præcox frutescens flore rubro amplo* Moriſ. *Cicer ſylveſtre alterum* Lugd. *Cicer arboreum Indicum perenne* Zanoni. *C. ſylv. alterum triphyllum* Park.

Moriſ.

Suffrutex eſt lignoſâ materiâ conſtans, *radice* craſſâ, longâ, lignoſâ, multifidâ, cortice nigro tectâ, intus candidâ: *ramulis* multis ſurculoſis: *foliis* ternis, ſubrotundis, ſimul junctis & ſerratis: *flore* amplo, rubro Piſi inſtar, ineunte Vere ſeſe expandente, undè Verna ſeu præcox dicitur; quibus ſingulis evaneſcentibus ſuccedunt *ſiliquæ* ſingulæ, propendentes, hirſutæ, viſcoſæ, biunciales & bivalves, cum parvo aculeo ad extremitatem, Natricis Plinii ſiliquis multo craſſiores, *ſemina* in ſe continentes pæne duplo cæterarum ſuæ familiâs majora, & deliquium Anonidum cæterarum more patientia. Bipedali altitudine aſſurgit, & perpetuâ fronde viret.

Locus. Provenit in montibus Delphinatus, à *D. Berbardo* Apothecario Gratianopolitano detecta.

Hujus ramulum in horto Regio Pariſienſi collectum ad me tranſmiſit D. *Hans Sloane* M. D. & rei herbariæ peritiſſimus.

18. *Trifolium fruticoſum ſpinoſum Braſilianum* Marggr.

Ex *radice* recta, paucis filamentis prædita ad unius aut duorum pedum altitudinem arbuſculæ pæne figurâ aſſurgit, in multos ramulos expanſa: ſuntque caulis ramuli lignoſi, atque hinc indè acutis ſpinis muniti. In pediculis propriis in quolibet ramulo tria *foliola* ſibi ſunt appoſita, more Trifolii. Hinc inde prodeunt in pediculis digitum longis *floſculi*, ex viridi albi, magnitudine florum Anagallidis, ſubtilia *ſtaminula* in medio habentes. Floſculos ſequuntur *ſiliquulæ* teretes, circiter duos digitos longæ, in quibus *ſemen* rotundum referens Limacis concham, coloris epatici. Quando ſemen eſt maturum ſiliculæ ſponte diſſiliunt & effundunt ſemen. Herba odorem habet inſtar Fœnugræci.

Locus. Copioſè naſcitur in ſinu omnium Sanctorum. Ob floris deſcriptionem imperfectam an ad hoc genus propriè pertineat nécne non auſim aſſerere, aut negare. Staminula tamen ſubtilia in medio flore huic generi minimè conveniunt.

CAP. VIII.

De Medica Sativa & fruticeſcente radice perenni.

MEdica natales ſuos ipſo nomine fatetur, locúmque unde venerit vocabulum indicat, inquit J. Bauhinus. Externa olim Græciæ (verba ſunt Plinii) à Medis eſt advecta per bella Perſarum, quæ Darius attulit: hinc Gentile nomen obtinuit.

Gallis *Saint foin* & *Foin de Burgogne* & *grand Treffle* dicta eſt: Onobrychis autem vulgaris *Luern* ſeu *Luzarne*; quam Auctor Hiſt. Lugd. perperam confundit cum Medica ſativa. Hinc patet quanto in errore verſentur tam Spermatopolæ, tum etiam Agricolæ noſtrates, qui pro Fœno ſancto ſeu Burgundiaco, Onobrychidis ſeu capitis Gallinacei ſemen habent.

Hoc genus ſiliquis paucioribus volutis intortis, iiſque non contiguis ſibi invicem ſed paulò remotioribus à Medica minore annua differt.

1. *Medica major erectior floribus purpuraſcentibus* J. B. *Trifolium ſiliquâ cornutâ ſive Medica* C. B. *Trif. Burgundiacum* Ger. *Fœnum Burgundiacum ſive Medica legitima* Park. Burgundy Trefoil, or Medick-fodder.

J. B.

Valdè quàm luxuriat, obſequioſo fœnore cultorem fovens, *caulibus* ut numeroſis ità prolixis: *folia* terna, oblonga, per extremam oram, quæ obtuſa eſt, crenata: *flores* copioſi, velut in ſpicam digeſti, purpuraſcentes: *ſiliquæ* cornu caprini inſtar contortæ, in quibus *ſemen* minutum & candidum. *Radix* ſubeſt longa, tenuis & lignoſa, in multos annos vivax.

Locus. Circa Genevam & Avenionem in Provincia in agris ſatam vidimus pro jumentorum pabulo. Circa Monſpelium ſpontaneam obſervavimus.

Siliquæ hujus intortæ quidem ſunt ſed paucioribus volutis, iiſque non contiguis ſibi invicem ut unum glomerem efficiant, ſed paulò remotioribus.

A. 2. *Medica fruteſcens, ſive flavo flore Cluſii* Park. *Medica ſylveſtris* J. B. *Trifolium luteum ſylveſtre ſiliquâ convexâ, vel Medica fruteſcens* C. B. *Trif. ſiliquâ cornutâ* Ger. emac.

Cluſ.

Multos ex eadem *radice* profert *ramos*, cubitales aut longiores, humi plerunque fuſos, teretes, viminales & flexibiles, in multas alas diviſos: *Folia* terna uni petiolo inhærentia, legitimæ Medicæ foliis reſpondentia, & dorſo eminente, ſed longè minora. *Flores* in extremis ramulis confertos, alterius floribus formâ pares, flavo tamen colore, non inodoros: *cornicula* deinde plana, contorta, corniculorum legitimæ Medicæ inſtar, anguſtiora tamen quàm illa: in quibus grana ſativæ granis ſimilia continentur, ſed paullò minora. *Radix* legitimæ radici par, craſſiuſcula, latè ſparſa, fibroſa, perennis, ſingulis annis novos caules profert.

Locus. In montoſis & campis patentibus inter ſegetes, ínque aggeribus terrenis floret Junio & Julio.

Flore purpuraſcente ex viridi variantem obſervavimus propè Nordvicum urbem; niſi fortè ea fuerat Medica legitima, cum hac ſpecie promiſcuè orta, quæ eo loci copioſiſſimè provenit.

Medica

Medica sativa & legitima non modò in variis Hispaniæ locis sponte oritur, sed etiam diligenter colitur in pecudum pabulum, sed maximè equorum, vice Fœni communis, quippe quod propter ubertatem singulis annis pluries demeti possit. Gallis, ut diximus, *Saint Foin*, & *Foin de Burgoigne* dicitur, inque meridionalibus Galliæ regionibus rigua sua prata ejus seminibus conserunt, ter eundem singulis annis secantes, restibili radice & inexhausta fœcunditate. Agro pingui & bene stercorato delectatur; è contra Onobrychis arido & glareoso seu sabuloso, edito tamen. Quomodo nostrates harum duarum plantarum nomina permutârunt, superiùs diximus Morisonus, & rectè, nobilibus & Viris generosis consulit, ut ex agro Turnonensi aut Burgundiaco seminum involucra cochleata [aut ipsa semina nuda] Fœni verè & propriè Burgundiaci *Saint Foin* dicti acquirant, & serant in agris suis, quæ cum triplici fœnore persolvent ipsis pretium, modò in aquis bene subactis & pinguibus seratur. Cùm enim apud Gallos ter quotannis secetur, quidni etiam hic in Anglia? ubi terra pinguior, magisque rigua, & ubi humor magis abundat ex frequentibus imbribus. Qui in Hispania rem observârunt (annotante Camer. in hort.) ubi quotidianus ejus usus est, referunt nullo cibo tam viridi, quam arido, priùs magisque lætari, saginari & pinguefieri jumenta pecusque omne, parcius tamen dari, quoniam inflat, & multum sanguinem creat. Agrum stercorat, ac adeò suavis est ac nutriens, ut pecus arcere necesse sit, nè vel disrumpatur aut sanguinem detrahere oporteat. Animalium vitiis plerisque medetur. Ad Maciem mularum, ut Columella prodidit, nulla res tantum quantum Medica prodest. Semen (ut tradit Diosc.) siccatum jucundi saporis gratiâ conditaneo sali admiscetur. Viride quibus refrigeratione opus est illitu suffragatur. *J. B.*

Locus & Usus.

Semel sata in multos annos durat: Plinius tricenos (inquit, mendum in codice subesse suspicor,) rectiùs Palladius denos.

3. *Medica frutescens perennis fructu orbiculato* Slonii.

Ramulis numerosis, longissimis, in terram prociduis, nisi vicinis plantis sustententur luxuriat. *Folia* parva, ima latiora, summa angustiora & productiora, utraque obtusa, & circa margines denticulata. *Flores* versus summos caules è foliorum sinubus exeunt, in pediculo communi plures, ad quatuor vel quinque parvi, lutei, quos excipiunt *siliquæ* orbiculatæ, Medicæ orbiculatæ majoris seu *J. B.* similes & æquales, laxiores tamen paulò, nec spiris adeo arctè sibi mutuò commissis, per maturitatem nigricantes; *semina* continentes non reniformia ad modum Medicarum annuarum, sed quodammodo triangula, & si parva magnis componere licet, Mayzii seu frumenti Indici granis similia. Sero florum ortu, quos non ante mediam æstatem promit, nec minùs tarda fructuum maturitate, quos Autumno demum perficit redivivam & perennem pollicetur plantam, quamvis superficies hyeme marcescat.

Ex semine ab ornatissimo Viro D. Hansio Sloane misso nobis enata est.

Cap. IX.

De Medica cochleata minore seminibus reniformibus.

1. *Medica scutellata* J. B. *Trifolium cochleatum* Ger. *Trifolium cochleatum fructu latiore* C. B.
The most common smooth Snail-Trefoil.

J. B.

Cubitales, robustos hirsutósque habet *caules*, non tamen semper erectos (ut vult J. Bauhinus) sed interdum procumbentes. *Folia* longiora, acutiora, profundiùs circa margines dentata, pediculis longis fulta. *Flores* singuli aut bini, in eodem pediculo è foliorum alis exeuntes, flavi, tantillo minores quàm Medicæ turbinatæ spinulis recurvis, minúsque striati, quibus succedunt *siliquæ* cochleatæ magnæ, læves velut è scutellis quatuor aut quinque compositæ, ut inferior major superioris convexum suo cavo excipiat, cochleas terrestres bene imitantes, per maturitatem nigræ, *semina* plura, majuscula, reniformia, per maturitatem flavicantia, continentes.

Ad agrorum margines propè Liburnum Etruriæ portum observavimus. Folia hujus maculâ in medio sordidè flavicante interdum notantur, quæ tamen nisi curiosiùs intuenti non facilè est observabilis. In hortulo nostro singulos duntaxat in singulis pediculis flores profert, non binos. Fructûs magnitudine, & figurâ cochleæ terrestris æmulâ ab aliis omnibus hujus generis facilè distinguitur.

Locus.

2. *Medica orbiculata* J. B. *Trifolium cochleatum vel scutellatum fructu latiore, folio minuto obtuso* C. B.

J. B.

Subest ei radix parva, lignosa, multos fundens ramulos, palmares, aut in lætiore solo pedales, per terram sparsos; *Folia* terna, parva, glabra, ferè triquetra, per extremum lata & nonnihil crenata, maculis interdum nigris respersa. *Flores* exigui, flavi, oblongis pediculis donati. *Siliquæ* helicoides, compressæ, membraneæ, ex tribus quatuórve orbiculis, altero alteri imposito constantes, magnitudinis fere unguis [& majores] ubi maturuerunt nigricantes; *semina* continentes russa, plana sed recurva. Hujus siliquæ in ambitu nonnihil undulatæ seu crispæ sunt.

In insula ad promontorium Pachynum & alibi in Sicilia hanc observavimus.

Locus.

3. *Medica orbiculata πολύκαρπος fructu minore.*

Cauliculi huic dodrantales aut pedales: *folia* parva, triquetra, ut in præcedente, per extremum lata & crenata: *Flores* in pediculis oblongis, tenuibus, è foliorum sinubus egressis, plures simul (quinque vel sex interdum numeravimus) lutei, quibus totidem succedunt *siliquæ*, præcedentis similes sed duplò minores & per oras æquales, minimè undulatæ, maturitate pariter nigricantes.

Locus. Propè Messanam in Sicilia invenimus.

4. *Medica orbiculata fructu lato, simplici voluta.*

Ramulum duntaxat hujus vidi cum fructu inter plantas siccas *D. Philippi Skippon*. *Folia* brevibus pediculis insidebant, ipsa etiam brevia, extremo lata, circumscriptione subrotunda, circa margines dentata, glabra, nervosa, non maculata. *Flores* ex alis foliorum exeunt singuli aut bini in eodem pediculo, flavi; quibus succedunt *fructus* pro plantæ magnitudine latissimi, circinatæ rotunditatis, è sesquigyro vel duobus gyris membranaceis, quorum inferior duplo angustior est quàm superior, compositi, parvo in medio foramine, oris minimè fimbriatis aut undulatis sed planis. *Semen* non vidimus.

5. *Medica orbiculata minor spinosa, simplici majore volutâ.*

Folia huic admodum sunt exigua, circa extremum dentata. *Flores* tres quatuórve in eodem pediculo prælongo & tenuissimo. Fructus pro plantæ proportione magni, lati, duobus gyris constantes, uno integro, lato, in medio duarum medietatum, alterius supra, alterius infra multo angustiorum; circa margines spinis raris, brevibus duplici ordine huc illuc vergentibus, muniti. Verùm (quod præcipuè notabile est in hoc fructu) nervi supra ejus superficiem eminent, veluti totidem rugæ, variè huc illuc reflexi & inosculati. Fructus autem per maturitatem non nigricat.

Locus. Circa Messanam in Sicilia observavimus.

6. *Medica orbiculata elegans, orbiculus circum oras rugosis.*

Folia huic, ut reliquis congeneribus ima obtusiora, summa acutiora, minùs tamen quàm Medicæ scutellatæ, circa margines denticulata denticellis rarioribus majoribúsque. *Flores* è foliorum alis duo trésve simul in eodem communi pediculo exeunt, lutei, quàm præcedentium pallidiores, omnium minimi, quibus succedunt *fructus* orbiculi aut rotulæ figurâ, per maturitatem albicantes, aspectu pulchri, rugis circum oras eminentibus eleganter velut crispati; *semen* reliquorum simile flavicans.

Locus. Hanc speciem in Sicilia propè promontoriolum *punto Cerciolo* dictum, non longè à *Puzallu* collegimus, ubi & multas alias rariores plantas.

Orbiculis circum oras rugosis ab aliis omnibus Medicis facilè distinguitur, præsertim si colorem per maturitatem è flavo albicantem adjicias.

7. *Medica doliata seu orbiculata, orbiculorum gyris circa margines utrinque rugosis, per maturitatem nigricantibus.*

Folia huic ampla, superiora acuminata, inferiora extremitate subrotunda. *Fructus* parvi, in longis pediculis bini, doliati potiùs quam orbiculati, è tribus vel quatuor circumvolutionibus constantes, ad spirarum margines utrinque profundis rugis sulcati.

8. *Medica doliata lævis, tornata major & minor lenis* Park.

Fructus hujus læves sunt, duri, per maturitatem nigri, dolii figurâ, plures simul in eodem pediculo congesti, minores: reperiuntur tamen, Parkinsono autore, majores, singuli & bini in eodem pediculo nascentes.

Locus. Hanc etiam in Italia & Sicilia invenimus.

9. *Medica Catalonica elegans* Edwardi Morgani.

Fructus figuræ doliaris est, & crebris tuberculis scaber, similis ligno illi quo brachia manúsque muniunt Itali, ad pilam inter ludendum defendendam & feriendam propellendámve.

Hancubi collegimus jam non recordamur.

10. *Medica cochleata spinosa, echinis magnis utrinque turbinatis cum spinulis reflexis. Medicæ majoris Bæticæ species prima, spinulis intortis* Ger. emac.

Caules fundit cubitales aut sesquicubitales, quadratos, hirsutos, striatos, satis crassos, ramosos, infirmos tamen, nec se sustinentes, rubentes interdum, maximè propè terram. *Folia* in caulibus alternatim posita sunt longioribus intervallis, terna simul in pediculis longis, quæ propè radicem obtusiora, versùs summitates caulium in mucrones acutiores exeunt; singula singulis maculis nigris mediam partem occupantibus insignia, circa margines leviter crenata. Ad exortum uniuscujusque pediculi hinc indè opponitur veluti auricula quædam dentata & in acutum exiens. E foliorum sinubus propè summitates caulium exeunt pediculi, *flosculos* sustinentes duos vel tres, rariùs plures, flavos, satis grandes, clypeiformi petalo nigricantibus lineis striato. Flosculis succedunt fructus echinati grandes, nucis myristicæ parvæ magnitudine, utrinque turbinati, singulis volutis duplici serie

spinularum

spinularum mitiorum, hinc inde reflexarum & recurvarum, non extantium sed fructui appressarum munitis; *semina* intus continentes magna, reniformia colore rubro seu spadiceo splendente.

Hæc species foliis maculosis, echinorum magnitudine, spinulis recurvis, seminibus spadiceis à reliquis suæ sortis distinguitur.

11. *Medica magna echinata. An magna turbinata* J. B? *Medicæ majoris Bæticæ spinosæ species altera* Ger. emac. **Hedge-hogs.**

Hujus etiam cauliculi seu ramuli humi procumbunt, striati, glabri, quadrati, subinde rubentes, tres vel quatuor pedes longi: *Folia* pariter lævia, circa margines eleganter crenata, acutiuscula, nullis maculis notata: *flores* parvi, lutei, reliquorum similes: Fructus echinati magni, nucis myristicæ parvæ magnitudine, & interdum etiam figurâ, elliptici sci. aliàs rotundi, turbinati, sex aut plurium circumvolutionum arctè commissarum; unaquæque spira gemino spinularum [rigidiusculárum acutarum oblongarum utrinque extantium] ordine munita est, medium secante zonulâ perpetuâ. *Semen* compressum renis instar sinuatum, colore spadiceo obscuro seu nigricante, & velut polito. Fructus seu echinus hujus nonnihil lanuginosus videtur, quod in nullo alio genere hactenus observavimus.

In insula ad Promontorium Siciliæ Pachynum dictum invenimus. Apud nos ob fructûs echinati elegantiam frequens in hortis seritur. *Locus.*

Fructûs magnitudine & hirsutie, spinulis crebris rigidis, & seminis colore spadiceo ab omnibus nobis hactenus cognitis Medicæ speciebus facilè distinguitur.

A. 12. *Medica echinata glabra cum maculis nigricantibus* J. B. *Trifolium cochleatum folio cordato maculato* C. B. *Trif. cordatum* Ger. *Medica Arabica Camerarii, sive Trifolium cordatum* Park. **Heart-Trefoil, or Claver.**

J. B.

Bicubitales per terram spargit *caules* [in solo lætiore aut hortis culta fortasse, apud nos enim spontanei caules vix pedalem longitudinem superant] glabros, & in iis *folia* terna, glabra, per extremum latiuscula & serrata, quorum quædam cordis effigiem nonnunquam exhibent, quam, cùm planta primùm provenit, asperſæ maculæ nigricantes repræsentant [Apud nos folia maculas hasce ex rubro nigricantes perpetuò retinent] *Flores* lutei, parvi, duo, aut tres: *Siliquæ* cochleatæ, parùm compressæ, spinulis per margines non tamen admodum rigidis aut pungentibus obsitæ, magnitudine mediocri. Semina per maturitatem flavicant.

In pascuis ficcioribus & arenosis maritimis præcipuè, in Angliâ nostrâ, nec minùs in regionibus transmarinis, frequens est. *Foliis* cordatis, maculâ in medio singulorum ex rubro nigricante pictis, *siliquis* parùm compressis, spinulis minùs rigidis armatis, ternis quaternisve in eodem communi pediculo seu surculo, minoribus, ab aliis speciebus facilè discernitur. *Locus.*

Medicæ speciem habemus nescio ubi collectam, fortè circa Messanam, cum hac inscriptione.

13. *Medica foliis & semine Medicæ cordatæ echinatæ, echinis durioribus.*

Fructus majores sunt, spinis longis, crassis, duris & rigidis muniti, è quatuor aut quinque volutis compositi.

14. *Aliam adhuc foliolis minimis, echinis satis magnis pro plantæ parvitate, compressis, quatuor volutis constans, spinis longis, crassis rigidis horrentibus.*

15. *Medica doliata spinosa major* Ἀκανθ.

Hujus caules & folia reliquorum similia sunt, [in sicco hirsuta videntur] *Flores* eósque sequentes fructus in pediculis uncialibus singuli aut bini; hi majusculi, figuræ doliaris, spinulis brevibus rigidis, non extantibus, sed fructui ferè appressis, horridi è quatuor, quinque, aut sex summùm spirarum voluminibus compositi, arctè junctis.

Circa Messanam observavimus. *Locus.*

Aliam hujus speciem habemus fructu majore & longiore, spinulis brevibus arctiùs appressis.

16. *Medica magna turbinata* J. B. *Trifolium cochleatum turbinatum sive fructu compresso, oblongo* C. B.

J. B.

Cubitales & sesquicubitales *caules* emittit, hirsutos, multis ramis fissos, *foliis* tergeminis, hirsutis, Trifolii pratensis purpurei paribus, aliis veluti triquetris, per oras incisis, quorum pediculi longiusculi pinnis caulem ambiunt. *Flores* parvi, lutei, pediculo hærent unciali & sescunciali; quos sequuntur *fructus* turbinati, sex aut plurium circumvolutionum, arctè commissarum, duri. Unaquæque spira gemino denticellorum ordine cælata est, medium secante zonulâ perpetuâ. *Semen* compressum, renis instar sinuatum, Fœnugræci semini par, aut etiam paullò longius.

Hæc planta, si descriptionem rectè intelligo, mihi hactenus incognita est: accedit tamen ad Medicam nostram magnam echinatam.

17. *Medica spinosa* Ἀκανθ. *fructu ovali spinulis brevioribus & rigidioribus.*

Caules huic glabri, vel raris admodum pilis hirsuti, rubentes. *Folia* prælongis pediculis insident, quàm Medicæ doliatæ spinosæ majora, breviora, obtusiora, argutiùs denticulata, aversa parte glauca, brevi

brevi & vix conspicuâ lanugine hirsuta. *Flores* duo trésve simul in eodem pediculo è foliorum alis exeunte, flavi, exigui. E foliorum singulorum sinu unà cum pediculo florifero ramulus etiam exit ut in aliis congeneribus. Quæ primò exeunt folia cordata sunt, posteriora, quæ in caulibus sunt, lata & obtusa, non tamen cordata, nervis seu venis plurimis conspicuis parallelis à media costa versùs margines tendentibus pulchrè striata. Flosculis succedunt *echini* figuræ ovalis, spinis brevibus, rigidis, extantibus horridi, duri, piso majores, [semina intus reniformia, flavicantia continentes] per maturitatem nigricantes.

Locus. Propè Messanam Siciliæ hanc speciem invenimus.

18. *Trifolium cochleatum spinosum Syriacum foliis laciniatis* Breynii. *Trif. fructu echinato, foliis eleganter dissectis* Botan. Monsp.

Breyn.

Radix humum non admodum profundè nixa petit alba & fibrata: à qua *cauliculi* lignosi, rotundi, virides, pedales vel etiam cubitales, in terram reclinati, plurimis præditi ramis, prodeunt: in quibus hinc inde sparsa sunt *folia*, angusta, terna semper uni petiolo longo inhærentia, dilutè viridia, Medicæ frutescentis, sed profundiùs serrata, vel potiùs laciniata. *Flores* ex foliorum alis in oblongo pediculo frequenter bini tantùm simul enascuntur, flavi coloris, à Trifoliorum cochleatorum floribus nihil differentes: quibus fructus cochleæ modo circumvoluti, longis & rigidiusculis spinulis rectà extantibus vel non multum reflexis, exasperati, Trifolii cochleati fructu spinoso majore, sed dimidio minores succedunt, *semina* flava, compressa, renis instar formata continentes.

Locus. Circa Haleppum Syriæ à Rauwolfio inter segetes observatum. *D. Magnol* sibi Monspelii in horto sponte enatum ait; verùm, ut probabile nobis videtur, è semine è Syria allato ibi fortè fortuna sparso: nam alibi (quod sciam) circa Monspelium non invenitur: Suspicor enim D. Car. Sweikerum à *D. Magnol* communicatum habuisse, non invenisse in vicinia Monspelii spontaneam.

19. *Medica doliata spinosa, πολύκαρπος. Medica tornata spinosa* Park. **Prickly tun-trefoil, or Medick.**

Caules huic hirsuti, minores & breviores quàm Medicæ scutellatæ. *Folia* longioribus pro magnitudine pediculis insident, circa margines dentata, minora quàm illius, quadrata ferè, in acutos mucrones desinentia, subglauca, media parte maculâ oblongâ, luteo-viridi notata, aversâ parte hirsuta. E foliorum alis exeunt pediculi *flores* luteos sex septémve confertos gestantes; quibus succedunt doliolorum figurâ *pericarpia* parva, cochleata, spinosa, spinulis brevibus, raris, per maturitatem nigricantia & *semina* fulva continentia. Pericarpia imâ parte quâ pediculo junguntur latiora sunt, summâ angustiora, utrâque plana, coni segmentum cui vertex abscissus est, imitantur, quinque circiter spiris seu circumvolutionibus constantia.

20. *Medica doliata spinosa, hirsuta minima.*

Hujus folia plus quadruplo minora sunt quàm præcedentis, hirsuta, prona præsertim parte, non raró cordata. Fructus præcedentis similes, plus quadruplo pariter minores.

• 21. *Medica echinata, magna, hirsuta* J. B. *Trifolium cochleatum polycarpon* C. B. *ex sententia D. Magnol. At C. Bauhinus inter Trifolia cochleata hispida id non reponit.*

Folia huic prima subrotunda, postmodum nonnihil acuminata & serrata, terna uni pediculo innixa, *Caules* ad duos trésve cubitos per terram sparguntur. *Flores* multi, coacervati, ex longo pediculo, lutei. *Siliquæ* simul aliquot cohærent, spiris duabus aut tribus, vel etiam quinque ferruminatæ, brevissimis velut spinis obtusis exasperatæ.

• 22. *Medica hirsuta echinis rigidioribus* J. B. *Trifolium fructu compresso, spinis horrido* C. B. *ex sententia* D. Magnol.

Per terram se expandit cubitalibus & longioribus caulibus. *Folia* parva, hirsuta & per extremam oram lata: *Flores* lutei: echini cochleati, pauci & ferè singulares, longis susque deque vergentibus rigidiusculis spinis horrent, non admodum densis: convolutiones sunt tres aut quatuor.

• 23. *Medicæ marinæ spinosæ species* Ger. emac. *marina major spinosa* Park.

Ger. emac.

Hujus caules seu ramuli omnium [intellige species majores de quibus antea scripserat] minimi sunt & brevissimi, vix pedem unum aut alterum longitudine excedentes, quadrati, virides, subhirsuti, humi strati. *Folia* Medicæ scutellatæ similia, mucronibus pauló obtusioribus, non maculata, mollia & pilosa. *Flores* secundùm ramulos è foliorum sinubus exeunt, pediculis prætenuibus insidentes singuli singulis, perexigui, lutei: in ipsis caulium fastigiis & propè summos caules nulli. Floribus succedunt *pericarpia* parva, rotunda, intorta, Piso non majora, brevissimis acutis spinis horrida, in quibus *semen* continetur flavicans, renis figurâ, exemptu difficillimum. *Radix* ut superiorum albicat; & sub Hyemis adventum emoritur.

Cum præcedente convenit floribus in singulis pediculis singulis, ab eodem differt spinis echinorum brevibus.

Descriptio est *Goodyeri* apud Gerardum emaculatum, à nobis in Latinum versa.

24. *Medica*

24. *Medica echinata hirsuta* J. B. *Trifolium echinatum arvense* C. B. *Tribulus terrestris minor repens* Lugd.

J. B.

Crassiuscula est & prolixa, sed singularis *radix*, alba. *Caules* multi, tenues, per terram sparguntur, dodrantales & cubitales, striati, hirsuti. *Folia* terna, subrotunda, ad Trifolium pratense luteum accedentia, nullo notabili sapore prædita, pilosa, albescentia, maximè parte inferiore. *Flores* parvi, lutei, simul aliquot congesti; eodémque modo simul coacervata ex eodem pediculo longiusculo *capitula*, Piso non majora, contortis helicibus constantia, globosa, quatuor, aut quinque, atque etiam plura, mollibus spinulis echinata.

Passim provenit maximè inter segetes propè patibulum Monspelii & alibi. Floret & semina perficit mense Aprili & Maio. *Locus & Tempus.*

A. 25. *Medica echinata minima* J. B. *echinata parva recta* Park. *Trifolium echinatum arvense fructu minore* C. B.

J. B.

Hæc est *caulibus* circiter pedalibus aut minoribus, tenuibus; quos ornant *folia* terna, Medicæ echinatæ foliis similia penitus, parva, hirsuta: *Flosculi* pusilli, lutei, multi simul congesti. Sequuntur ejusdem pediculi fastigio hærentes quàm proximè glomerati *echinuli* muricati, tres aut quatuor vel quinque juncti, Orobi grano non majores: *radices* tenues.

In arenosis & sabulosis locis Dalechampius legit, & nos etiam sæpiùs in Anglia & transmarinis: ni fortè altera præcedens species sit quam nos observavimus, nostra enim plerunque procumbit non erigitur: locus tamen exigere videtur ut hæc sit; nec enim alibi unquam nostram quàm in arenosis & sabulosis invenisse meminimus. Revera, nisi J. Bauhini autoritas obstaret, utramque speciem eandem dicerem. *Locus.*

26. *Medica marina* Clus. Park. *Trifolium cochleatum marinum* Ger. *Trifol. cochl. maritimum tomentosum* C. B. *Trif. cochl. marinum, sive Medica marina* J. B. Sea-Claver.

Quantum quantum est totum villosâ incanaq; lanugine obductum est. *Caules* tres aut quatuor, pedales atque etiam cubitales, ramis frequentibus brachiati, humi fusi & procumbentes. *Folia* ex brevibus pediculis terna, parva, obtusa, frequentia. *Flores* extremis ramis inhærentes, suis petiolis ex alarum sinubus exiliunt quini aut seni simul congesti lutei, Trifolii lutei ferè similes: *siliquæ* deinde glomeratæ & contortæ sive inflexæ, spinulis obsitæ, dolioli ferè figurâ [J. Bauhino orbiculares] in quibus *semen* continetur subruffum, Medicæ semini simile. *Radix* crassa, cubito longior, tenera, perennis seu vivax, ex candido pallescit, gustu quodam ingrato, salsuginoso & amaricante.

In litoribus arenosis Maris Mediterranei frequentem observavimus. *Locus.*

27. *Medica ciliaris Guilandini.*

Radice est perenni longè latéque repente: *caulibus* bipedalibus, surrectis: *folliculis* pluribus in eodem pediculo congestis, compressis, orbiculos aut rotulas imitantibus, mollibus & oblongis spinulis seu setis, ciliorum æmulis in circumferentia donatis, per maturitatem nigricantibus.

Hanc in Alpibus Carinthiacis invenimus, ad sepes. *Locus.*

Folia parva sunt pro magnitudine plantæ, brevia obtusa.

28. *Medicæ ciliari Guilandini similis sed minor,* πολύκαρπος, *annua. An Trifolium fructu cochleato ciliare* Botan. Monsp.?

Flagellis est pedalibus aut cubitalibus, procumbentibus, reliquorum instar: *Foliis* oblongis, per extremum latis & obtusis: *Floribus* eísque succedentibus *siliquis* in pediculis uncialibus tenuibus pluribus simul coacervatis, (sex septémve numeravimus) compressis & latiusculis, duabus ferè circumvolutionibus compositis, spinulis longiusculis, minùs rigidis, non rectâ extantibus sed incurvis, per circumferentiam, Medicæ ciliaris instar, cinctis.

Circa Messanam in Sicilia invenimus. *Locus.*

29. *Medica cum orbiculis laxis echinatis minoribus, non extantibus spinulis.*

Hujus *folia* parva sunt, per extremum lata, crenata, & interdum in mucronem seu angulum leniter producta: *caules* tenues: *flores* in pediculis è foliorum sinubus egressis multi, coacervati, quibus succedunt totidem *capsulæ* echinatæ, compressæ, exiguæ, tribus ferè spirarum circumvolutionibus, non tamen arctè junctis, compositæ. Spirarum zonulæ utrinque dentatæ sunt, denticulis non extantibus, sed in zonulæ aut fructûs superficiei plano jacentibus, duplicem coronam imitatæ.

Circa Messanam invenimus. *Locus.*

Octo aut decem siliquas in eodem pediculo observavimus. Huic persimilis est, & fortè eadem

30. *Trifolium folio obtuso, folliculis cordatis* C. B. *Medica coronata Cherleri parva* J. B. *An Trifolium folliculis coronæ similibus* C. B. prod.?

J. B.

Pedalibus donata est *caulibus*, tenuibus, subrubentibus: è quibus alternatim ex longis intervallis *surculi* exeunt singulares, unciales & longiores, qui extremo mucrone ternos quaternósve gestant *echinulos*, unicâ ferè aut sesquialterâ circumvolutione constantes, utrinque denticulatâ, gemellam coronam

nam imitatâ. Echinos sustinenti surculo ad exortum, brevi pediculo hærent tergemina *folia* hirsuta, aliquando subrubra ferè cordata, in ambitu crenata tam exigua ut simul omnia dimidiatus unguis digiti minimi facilè possit tegere.

Locus. In saxosis, aridis & squalidis Galliæ Narbonensis, maximè verò in collibus inter Nemausum & Usetum observavit & legit Cherlerus.

Hæc parvitate sua & spirarum paucitate à præcedente nobis observata differre videtur: hæc autem accidentia loco fortè natali steriliori & sicciori imputanda.

31. *Medica lunata* J. B. Park. *Trifolium siliquâ falcatâ* C. B. *siliquâ lunatâ* Ger. emac.

Folia huic parva, Medicæ legitimæ, circa margines dentata: *flores* lutei: *siliquæ* latæ, compressæ, pollicis ungue majores, ad Auriculam muris *Cam.* accedentes, sed speciosiores & majores, striatæ, in circuitu longiusculis spinulis munitæ, cristam galli non malè exprimunt. De loco nihil certi traditur, nisi quòd Lobelius Lunariam radiatam Italorum eam vocet.

Locus. Nos circa Messanam Siciliæ Medicæ speciem invenimus cui titulum fecimus *Medica fructu compresso circum oras dentato*, quæ multo minor erat descriptâ [fructum intelligo] & integrâ aut sesquialterâ circumvolutione constabat, aliàs similis. An Medica lunata quædam minor *J. B?* Ad margines vinearum provenit.

Restant adhuc tres quatuórve Medicæ cochleatæ species, à C. Bauhino in Prodromo descriptæ. Verùm descriptiones adeò obscuræ & generales sunt, absque certis, characteristicis & distinctivis notis, ut nos dubios relinquant, an specie distinctæ sint ab omnibus suprascriptis nécne, præsertim cùm nullis iconibus illustrentur. Quicquid tamen de his sit, superesse adhuc alias species, nec à nobis, nec ab alio quoquam hactenus descriptas, aut observatas minimè dubitamus, cùm natura in hoc genere, specierum varietate & figurarum elegantiâ, mirum in modum ludere & sese (ut ita dicam) oblectare gestiat.

* 32. *Trifolium falcatum* Park. *F. Gregorii Rhegiensis* Clus. ap. ult. *Trifolium siliquâ falcatâ alterum* C. B.

Clus.

Hujus ramuli binos circiter palmos longi sunt, & humi sparsi: *folia* Trifolio similia: *Flosculi* exigui, flavi & inodori: *cornicula* alternis, jam in hoc, modò in altero ramuli latere per brevia intervalla confertim nascuntur, & cauliculo vel ramulo adhærent nullo ferè petiolo, & in singulis nodis quinque plurimum conjunctim, semunciam longa & falculæ modo curva.

Locus. Invenit hoc genus Fr. Gregorius in summo quodam colle arenoso cœnobio Montis Calvariæ ad Bononiam vicino.

A. 33. *Trifolium cochleatum modiolis spinosis* Cat. Ang.

Cùm diu est ex quo hoc viderim non bene recordor, an ab omnibus superiùs traditis distinctum sit nécne. Fructus parvus erat coni segmentum aut rotæ modiolum aliquatenus repræsentans.

Locus. Orfordiæ Suffolciæ in aggeribus maritimis ad portum copiosè.

Trifolium cochleatum fructu magis tortili, quod Μασκελα *Cydoniæ*, Κορωνὶς *Retimi nomine ex Creta Honor. Belli misit.*

Hujus meminit C. Bauhinus, non describit, quod sciam.

CAP. X.

De Loto herba.

LOtus nomen accepit à voluptate, ab antiquo verbo λῶ, quod significat θέλω, ἐπιθυμῶ, βλέπω, *volo, expeto, desidero, video.* Jo. Bod. à Stapel.

Loti à reliquis leguminibus trifoliatis distinguuntur quòd præter folia terna in extremo pediculo, bina habeant ad ejus exortum cauli adnata, ut quodammodo Pentaphyllæ dici possint.

1. *Lotus siliquosa flore fusco tetragonolobus* J. B. *siliquâ quadratâ* Ger. emac. *quadripinnatis siliquis* Park. *ruber siliquâ angulosâ* C. B. Square codded Petch.

J. B.

Radice tenui, paucis fibris donata nititur, ex cujus capite oriuntur *caules* pedales interdum aut longiores, teretes, hirsuti, in aliquot alas divisi, procumbentes ferè. *Folia* ex certis intervallis terna juncta, reliquis duobus semper caulem amplectentibus, ut in Loto corniculata, sed longè majora, hirsuta. *Flores* ex singulis foliorum alis plerunque singuli, pediculis sescuncialibus insidentes, exeunt: ad ipsam tamen calicis basin apponitur folium reliquis quæ in caule simile, tribus tantùm partibus constans. Flores autem Pisi formâ, minores, holosericum coccineum vulgo dictum saturum provocantes; Scutum tamen seu folium erectum dilutius est umbone seu folio medio. *Siliquæ* sescunciam circiter longæ, angulosæ, crassiusculæ, quatuor membranis sinuatis, ceu sagittarum alis, appositis donatæ: in quibus continentur *semina* magna, rotunda, subflava, quæ dentibus resistunt, sapore pisi, esculenta, unde & ipsa planta, *Pisum quadratum* nonnullis dicitur.

Floret

Floret Junio, cúmque semen perfecerit radicitus exarescit. *Tempus.*
In collibus Messanæ Siciliæ imminentibus spontaneam inveni. *Locus.*

2. *Lotus siliquosa lutea Monspeliensis* J. B. *pratensis siliquosus luteus* C. B. *pratensis Monspeliensium* Park. *trifolia corniculata* Ger. *icon malè siliquas incurvas repræsentat. Lotus quadratâ siliquâ, flore luteo* Hort. Pat.

J. B.
Ut fibris multis obsitam habet *radicem*, ità plurium aliquando capitum: *folia* Loti corniculatæ quina, quorum duo cauli adnascuntur, majora tria simul cohærent, jam dictæ Loti [Ornithopodii siliquis] folia magnitudine vincentia: *flos* unicuique cauliculo in cacumine unicus, magnus luteus, quatuor striis ad latera donatus, ex longo calice erumpens: *siliqua* succrescit unica, sescunciam longa, quatuor secundùm longitudinem membranulis angustis decurrentibus velut quadrata, prioris instar.

Circa Genevam in pratis, necnon circa Monspelium copiosè provenit. *Locus.*

Aliam hujus speciem invenimus in pratis propè Tybridis fluvii ostia unà cum descripto nascentem cui titulus in Catalogo nostro plantarum transmarinarum,

3. *Lotus siliquosa lutea siliquis pinnatis strictioribus & longioribus.*

Hanc videtur describere *D. Magnol* sub titulo *Loti marit. luteæ siliquosæ, folio pingui glabro*, quæ foliis glabris pinguibus & crassis, siliquis etiam angustioribus à præcedente distinguitur. In utraque radix magna est, quæ tuberum habet odorem.

In toto tractu maritimo in herbidis, præcipuè circa stagnum Volcarum inter juncos oritur. *Botan. Monsp.* *Locus.*

4. *Lotus edulis Cretica* Park. *pentaphyllos siliquâ cornutâ* C. B. *Trifolium sive Lotus* Hierazune *edulis siliquosa* J. B.

Bel.
Multos tenues *caules* à radice profert. *Folia* Trifolii, angusta, crassiuscula, aliquantulum mucronata, terna semper sibi conjuncta. *Flores* luteos Pisi, quibus succedunt *siliquæ* rotundæ, falcatæ, ac pro ratione plantæ magnæ.

Inter segetes invenitur & in marginibus agrorum frequentissimè, herbâque omnibus nota est. *Siliquæ* ejus, antequam durescere incipiunt, in foro venales reperiuntur: à pueris & fœminis libentissimè eduntur, succosæ enim sunt & dulces, Pisi recentis gustu. *Locus.*

Hanc vel ei similem plantam invenimus propè Neapolin in Italia, atque etiam in Sicilia. Trifolium corniculatum Creticum flore luteo *Park. app.* corniculatum Creticum *Alpin. exot.* huc refero: cùm Alpinus ipse eandem credat Lotum *Hierazune* dictam & Trifolium suum corniculatum Creticum.

Lotus nostra quam circa Neapolin copiosam invenimus, cauliculis erat longis, ad terram reclinatis, ad intervalla satis longa foliis vestitis reliquarum similibus, duobus ad pediculi exortum, tribus in ejus extremo, pro longitudine sua satis latis, glabris, quantum in sicca discernere licet. Ex alis foliorum egrediuntur pediculi tres uncias longi, unicum singuli florem sustinentes luteum, ad cujus basin apponuntur folia terna. Floribus succedunt siliquæ crassæ, digitum circiter longæ, recurvæ. Semina quot vel qualia continuerint non recordamur.

Loti speciem circa Neapolin in Italia observavimus, quam Lotum incanum majorem, seu Trifolium corniculatum siliqua grandi, incanum maritimum denominavimus.

Magnitudine sua & foliorum canitie à reliquis hujus generis differt. Propè urbem ipsam è petrarum rimis versus Pausilypum montem oritur & Trifolio corniculato primo *Dod.* multo major & fruticosior visa est. An Lotus pentaphyllos major alter *C. B*?

A. 5. *Lotus corniculata glabra minor* J.B. *Lotus sive Melilotus pentaphyllos minor glabra* C.B. *Trifolium siliquosum minus* Ger. *corniculatum primum* Dod. **Birds-foot Trefoil.**

J. B.
Nigro cortice *radix* lignosa, multifariam partita, coeuntibus in unum portionibus longissima evadit, raris fibris donata, reptans, sapore subdulci & adstringente: *virgulæ* tenues, humi ferè procumbentes, brachiatæ, *folia* sustinent ex intervallis terna Trifolii aut quina, quorum duo inferiora cauliculo adnectuntur, pilosa: [sunt quæ paucos aut nullos pilos habent] acuminata, pinguia, adstringente sapore prædita. *Flores* densè tanquam in umbella stipati, Genistæ floribus similes, lutei, quorum supremum folium reliquis latius, rotundúmque, sursum flexum, foris intúsque lineis purpurantibus striatum, infimum sursum quoque mucronem spectans, *apices* luteos continens ipsúmque utrinque geminis foliis tanquam alis coercetur: quibus delapsis *cornicula* sive *siliquæ* rectæ, tenues subnascuntur.

In pascuis ubique obviam se dat. *Locus.*

Hujus aliam speciem invenimus inter segetes & in locis humidioribus fruticosiorem & ramosiorem, foliis angustioribus: cui titulum fecimus in *Cat. Ang.*

A. 6. *Trifolium corniculatum minus, angustioribus foliis fruticosius.*

An Trifolium corniculatum frutescens tenuissimis foliis C.B. Prod. *cujus descriptionem v. infra.*

A. 7. *Loti*

A. 7. *Loti corniculati major species* J. B. *Lotus pentaphyllos flore majore, luteo, splendente* C. B. *Trifolii siliquosi varietas major* Ger. emac. *Trif. corniculatum tertium* Dod. **The greater Birds-foot-Trefoil.**

J. B.

Altior est multò quàm vulgaris: *caulibus* enim cubito ac etiam sesquicubito altioribus assurgit. *Foliis* per ramos tribus ex uno pediculo, uncialibus circiter, duobus itidem pediculi expertibus caulem complexis. *Flores* peculiaribus surculis, & in summo caule in orbem congesti, majores, lutei foliis quibusdam coronæ subjectis. *Siliquæ* numerosæ, rectæ, unciales & sescunciales. Hujus *caules* & *folia*, sed præcipuè umbellæ antequam flores aperiantur incana lanugine hirsuta sunt, seu pilis mollibus canescentibus obsita. In pratis humidis & ad sepes.

Videtur hanc describere D. *Magnol* sub titulo Loti pentaphylli majoris hirsutie candicantis *C. B.* Vide *Botan. Monsp.*

* 8. *Lotus pentaphyllos major hirsutie candicans* C. P. *Melilotus vulgaris alter sylv.* Cæs.

In sylvestribus & veteribus ædificiis nascitur, brevior, *foliis* subhirsutis, candidioribúsque: *flore* velut in capitulis copioso, odoris exigui, Lotum æmulantis, siliquas fert incurvas.

Quam plantam intelligat Cæsalpinus nescimus: nullam enim Loti speciem novimus floribus in capitula congestis, siliquis incurvis. Rectiùs fortasse ad Melilotum retuleris.

9. *Lotus pentaphyllos minor hirsutus, siliqua angustissimâ* C. B. *Lotus corniculata siliquis singularibus vel binis tenuis* J. B. *Lot. cornic. minor pilosus* Park. *Trifolium corniculatum minus pilosum* C. B. prod.

J. B.

Multifidâ, infirmâ *radice* terræ hæret: *caules* emittens rectos, numerosos, pedales, ramosos, subrubentes, longis albicantibus pilis obsitos: ad quorum nodos terna folia Meliloti nobilis, oblongiora, acutiora, binaque nihilo minora cauli ad pediculi exortum adnata. E foliorum sinu *pediculus* exit singularis, tenuis, uncialis & longior, in cujus cacumine *flos* luteus ex calicibus hirsutis. *Siliquæ* plerunque singulares, rarissimè binæ, unciam longæ, teretes, *semine* copiosissimo, ad vicenarium ferè numerum, tenui, Portulacæ pari, ruffo, rotundo, sapore leguminoso refertæ.

Propè Neapolin in Italia collegimus. Invenitur & in Gallia Narbonensi.

Locus.

10. *Lotus pentaphyllos frutescens tenuissimis glabris foliis* C. B. pin. *Trifolium corniculatum frutescens tenuissimis foliis* C. B. prod. *Lotus corniculatus frutescens* Park.

C. B. prod.

Caulibus est tenuibus, viridibus, glabris, pedalibus, in plures ramos palmo minores brachiatis, foliis angustissimis cinctis. Cauliculorum summitatibus, quemadmodum & pedicellis ex foliorum alis prodeuntibus, *flosculi* bini terni, rariùs quini, in orbem dispositi, lutei coloris insident; quos *siliquæ* binæ, ternæ, breviores & crassiores quàm in præcedente, in longum apicem desinentes, in quibus *semina* exigua, sequuntur.

Monspelio habuit C. Bauhinus & ex Italia. Hoc persimile est, si non idem Trifolio nostro corniculato angustifolio fruticosiori, cujus superiùs meminimus sub prima specie. Flores tamen, eósque sequentes *siliquæ*, in hoc pauciores sunt in eodem pediculo quàm in illo.

11. *Lotus siliquosus glaber flore rotundo* C. B. *Trifolium hæmorrhoidale alterum minus, sive Lotus Libyca Dalechampii* Park. *Trif. rectum Monspessulanum* J. B.

J. B.

Caules habet rectos, robustos, bicubitales, ramosos, nonnihil angulosos, glabros penitus, aut parùm hirsutos: *folia* quina, bina minuta, cauli apposita ad pediculorum exortum, reliqua tria extremo hærent pediculo, quibus folia Trifolii albi *Dod.* magnitudine cedunt & rotunditate, superant verò lanugine. *Flores* confertim conglomerati privatis surculis ex foliorum sinu ortis, corollæ instar penduli, albicantes, inferioris folii rostello atropurpureo. *Siliquæ* in orbem radiatæ, numerosissimæ, tenues, viginti quatuor interdum, omnium pediculis mediocriter brevibus, in surculi caput coeuntibus, unciâ breviores, teretes, glabræ, fuscæ, seminibus refertæ nigricantibus, Papaverina æquantibus.

Locus.

Ad rivos & in locis humidis, circa Messanam Siciliæ, Tropiam Calabriæ, & Monspelium Galliæ Narbonensis hanc observavimus.

Oxytriphyllum Scribonii, Lotus sylv. *Clus. hist.* i. e. Lotus fruticosus Granatensis *Park.* huic eadem videtur.

12. *Lotus pentaphyllos siliquosus villosus* C. B. *Lotus incana sive Oxytriphyllum Scribonii Largi* Ger. *Lotus hæmorrhoidalis major sive Trifolium hæmorrhoidale majus* Park. *Trifolium album rectum, hirsutum valdè* J. B.

J. B.

Multis ex eadem radice *stolonibus* rectis, cubitalibus & bicubitalibus fruticat, gracilibus, lignosis, teretibus, hirsutis & ramosis. *Folia* canâ lanugine pubescunt, terna, quædam subrotunda, potissimum priora & parva, cum parvis duabus appendicibus: superiora in obtusiorem mucronem desinunt, & ex iis quædam majora, ad quæ appendices etiam magnæ, ita ut sint quina folia, sapore insigniter citra morsum ullum aliámve ascititiam qualitatem astringente. *Flores* extremis ramulis emicant,

plures

plures juncti, positu patulo: singularium forma quæ Trifolio Asphaltio, sed color candidus, ex calice valdè hirsuto & viroso. Juxta calices & flores foliola longa: breves, crassiusculæ superveniunt *siliquæ*, coloris spadicei, formâ stercoris magni muris caudati: *semen* in iis rotundum exiguum flavescens.

Inter Monspelium & *Peroul*: Circa Messanam Siciliæ major & lignosior habetur. D. *Magnol* in Valenâ Sylva se bicubitalem & tricubitalem observâsse refert. *Locus.*

13. *Dorycnium Monspessulanum fruticosum* J. B. *suppostitium Monspeliense & Hispanicum* Park. *Hispanicum* Ger. *Trifolium album angustifolium, floribus veluti in capitulum congestis* C. B.

J. B.

Totum albidum est, ad sesquicubiti altitudinem excrescere solitum, cujus novelli adhuc ramuli obsequiosi, fractûque contumaces existunt, adultiores, aut loco asperiore nati, multùm durescunt: *Folia* ex intervallis terna, quaterna, sed sæpius quina, radiata sine pediculis adhærent, oblonga, angusta, albâ lanugine pubescentia, Clusio adstringentis gustûs. *Flores* extremis ramulorum innascuntur, in orbem glomerati, albi, quorum singulares ad Trifolii pratensis albi flores accedunt, sapore (ut nobis quidem videtur) nonnihil adstringente. Hosce excipiunt *folliculi* plures simul juncti, parvi, quibus singulis *semina* continentur singula, versicoloria (ut prodidit Clusius) seu varia, qualia ferè Tithymali paralii semina tum figurâ, tum colore, tum etiam magnitudine. *Radix* satis crassa, dura & lignosa, exteriùs nigra, interiùs alba.

In saxosis collibus & ad sepes propè Monspelium nascitur. *Locus.*

14. *Dorycnio congener planta* J. B. *Dorycnio congener Clusii* Park. *Lotus pentaphyllos incanus* C. B. *Doryc. Monspeliensium* Ger. *quoad iconem, nam descr. est alterius plantæ.*

J. B.

Cubitalibus & viminis modo obsequiosis virgis, superioris gracilioribus, nec ut illius lignosis, ab eadem radice pluribus oritur, in frequentes ramos divisis, *foliis* cinctis crebris, quinis simul ab eodem puncto ortis, quàm præcedentis longioribus, angustis, acuminatis, minùs etiam quàm illius incanis. In summis caulibus inque pediculis longis è foliorum alis egressis *flosculi* parvi, plures simul in capitulum subrotundum congesti, quantum memini ex albo rubescentes; quibus succedunt *siliquæ* parvæ subrotundæ, per maturitatem spadiceæ, singulæ singula *semina* continentes rotunda, Sinapeos magnitudine.

In palustribus propè stagnum marinum *L'estang* dictum non longè Monspelio copiosè provenit. In Germania juxta fluv. Lycum Augustam Vindelicorum præterfluentem invenimus. Dorycnio congener Clusii species à nostro diversa esse videtur: cùm *flores* longè majores sint & diversi coloris: *folia* breviora latioráque. Glaux *Alpina* in *Exot.* quoad folia & florum colorem, & locum natalem cum planta nobis descripta convenit; differt paucitate florum in eodem capite, & numero seminum in eadem siliqua: in his accedit ad Trifolium album rectum hirsutum valde J. B. *Locus.*

15. *Trifolium argentatum floribus luteis* J. B. *Lotus asperior fruticosior* Park. *Lotus fruticosus incanus siliquosus* C. B. *An Trifolium glutinosum saxatile argenteum flore odorato* Zanoni?

J. B.

Basis hujus singularis, lignosa, gracilis *caules* fundit palmares & longiores, tenues, hirsutos: *Folia* terna alterâ parte argenteo nitore splendentia, pilosa, alterâ verò viridantia. *Flores* cacumini caulium hærent, magno, lutei, hirsuti, è laciniato villosa calice.

In collibus circa Monspelium collegimus. *Locus.*

Secundùm *Zanoni* floribus succedunt siliquæ hirsutæ unciam longæ, continentes semen planum, ovale. Ad pedem *Montis Baldi* crescit & locis saxosis gaudet.

16. *Lotus sylvestris Dioscoridis* Ponæ Ital. *Sylv. Creticus* Park.

Pona.

Caules surrigit pedales *foliis* vestitos ad singula genicula quinis, quorum duo minora cauli hinc indè adnascuntur, reliqua tria intermedia ejusdem originis brevissimis & ferè nullis pediculis intercedentibus hærent, parva, obscurè viridia. *Flores* parvi, lutei, partim è foliorum alis exeunt, partim summos caules terminant, bini plerunque simul; quos totidem sequuntur *siliquæ* valdè tenues & longæ, *semina* continentes Sinapeos non majora. *Radix* parva, dura, annua. Sapor totius plantæ leguminosus cum aliqua amaritudine mox evanescente.

* 17. *Melilotus quædam Cretica* Alp. exot.

Alpin.

Ex *radice* tenui, longa, gracili, in aliquot tenuiores radiculas divisa *cauliculos* fert longos, graciles, *foliis*, *Trifolii corniculati Cretici* similibus, sed longioribus pediculis innitentibus, vestitos, & per terram stratos, ac veluti circa radicem luxuriantes; in quorum summitatibus proveniunt bini *flores* lutei, Trifolii falcati floribus magnitudine & figurâ similes, quibus singulis singula *cornicula*, longa, recta succedunt, inque his continentur *semina* flavescentia, parva & rotunda, gustui primò subdulcia, mox cum modico calore aliquantulum astringentia.

* 18. *Lotus πολυκέρατος fruticosa Cretica argentea, siliquis longissimis propendentibus rectis* Moris.

Moris.

Caules edit fruticosos, bicubitales, aliquando altiores, incanos, ad quorum singula genicula exeunt bina *folia*, in mucronem obtusum terminata, atque in summo pediculo terna majora & obtusiora, omnia tam subtus quàm supra argentei lucidi coloris. Ex singulis alis inter pediculum folii & caulem exiliunt pediculi unciales, gerentes in cymis summis ternos, quaternos, nunc plures, nunc pauciores

pauciores *flores* luteos; quorum singulis delapsis succedunt *siliquæ* singulæ, Loti vulgaris glabræ siliquis duplo crassiores, sesquiunciam longæ, rotundæ, rectæ non curvæ, quo à Trifolio corniculato Cretico *Alpini* distinguitur.

Semina Chalepo usque Syriæ emporio transmissa hanc plantam descriptionis autori produxere.

19. *Lotus flore luteo, corniculis articulatis, Sicula. An Trifolium Scorpioides* Park?

Radix alba, simplex, in nonnullis plantis in fibras spargitur imâ parte: *Cauliculi* plures, in terram procumbentes: *Folia* glauca, è quinque foliolis composita, si annumeras pinnas seu auriculas ad pediculorum exortum hinc indè cauli adnatas, ut in reliquis Lotis. *Flores* parvi, lutei, Trifolii corniculati, sed minores, ad nodos vel singulares, vel bini & interdum terni simul. *Siliquæ* longæ, tenues, corniculatæ seu contortæ spiræ in modum, aut Scorpioidis Telephii, articulatæ, *seminibus* oblongis, flavicantibus in singulis internodiis.

Locus. In Sicilia propè promontoriolum dictum *Punto Cerciolo* non longè à *Puzallu.* Hæc nobis ostensa est Monspelii (quantum menini) pro Coronopo ex codice Cæsareo.

20. *Lotus siliquis Ornithopodii* J. B. C. B. *An sylvestris Creticus* Park? *cujus icon non bene respondet Plantæ.*

J. B.

Unica ex *radicula,* albâ, duriusculâ, paucis fibris donatâ, *cauliculi* exeunt aliquot, teretes, in aliquot ramulos ex sescunciali intervallo divisi: Ex quorum geniculis *folia* hærent quina quorum inferiora duo superioribus tribus magnitudine cedunt, nullo sapore manifesto prædita: Extrema *flosculi* occupant lutei, quales in Loto corniculatâ glabrâ, nigris lineis striati; quibus succedunt *siliquæ,* ex uno geniculo duæ, tres aut plures, [imo sex plerunque] sescunciam aut ad summum duas uncias longæ, falcatæ, compressæ, atro-purpureæ, seminum extuberantias pulchrè exprimentes. Nobis in una siliqua ad quatuordecim semina animadversa compressa.

Locus. Propè Messanam Siciliæ in lateribus montium urbi imminentium invenimus, & in insula ad promontorium Pachynum nunc *Capo Passaro* dictum.

* 21. *Melilotus, rectiùs Lotus, Hispanica foliis maculatis* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex *radice* parva *ramuli* palmares, aliquando pedales, tenues, emergunt, quos ambiunt *folia* bina hinc indè: ex quorum alis petiolum prodiens tria folia sustinet, obtusa, atrovirentia, & ob venas candidas per ea discurrentes maculata. *Flores* parvi, pallidi.

Locus. In montibus Castiliæ frequens.

22. *Dorycnium Dioscoridis fortè Ponæ* Park. *Jaceæ Oleæ folio affinis* C.B. *item Cneoro albo affinis* ejusdem.

Pon.

Ad sesquipedalem altitudinem assurgit, multis ramis fruticosus, quibus adnascuntur *folia* crebra, parva, longa, angusta, rugosa & venosa, quàm Oleæ minora, nullo ordine posita. *Flores* papilionaeei, nunc albi, nunc pallidi. Semen non vidit autor; verum leguminosa fuerint oportet siliquis inclusa congenerum modo. *Radices* fibrosæ.

Hujus semina è Creta ab Honorio Belli ad se missa Lago-chymicæ nomine scribit C. Bauhinus in *Pin.*

Imperfecta Ponæ descriptio nobis non satisfacit.

23. *Lotus sativa Græca maculato folio* C. B.

Lotus sativa, & cùm folium modò maculâ rufâ, modò nigrâ notatum sit, & caligini oculorum medeatur, à quibusdam τετραφυλλομματη, id est, Trifolium oculatum vocatur *Ang.*

CAP. XI.

De Cytiso.

CYtisum à Cythno insula in qua inventus est dictum volunt. Plin. lib. 13. cap. 24. *Inventus hic frutex in Cythno insula, indè translatus est in omnes Cycladas, mox in urbes Græciæ, magno casei proventu, propter quod maximè miror rarum esse in Italia. Non æstuum, non grandinum, non nivis injuriam expavescit: Adjicit Hyginus nè hostium quidem ob nullam gratiam ligni.*

Jo. Bodæo à Stapel nomen impositum videtur ἀπὸ τοῦ ἴσως ποιεῖν χύσιν, quòd *mammillas lactæ æqualiter distentas faciat.* Lac copiosum generare Cytisum docet Columella lib. 5. c. ult. *Cytisum in agro esse quamplurimum maximè referet, quod Gallinis, apibus, capris, bubus quoque & omni generi pecudum utilissimus sit, quod ex eo citò pinguescit, & lactis plurimum præbet* ovibus, *tum etiam, quod octo mensibus viridi eo pabulo uti, & postea arido possis. Mulieres quidem si lactis inopia premuntur Cytisum aridum in aqua macerare oportet, & cùm tota nocte permaduerit, postero die expressi succi ternas heminas permisceri*

modico

modico vino, atque ità potandum dari, sic & ipsæ valebunt, & pueri abundantiâ lactis confirmabuntur. Eadem ferè habet Plinius loco supra citato.

Cùm Cytisus nihil aliud sit quàm Trifolii siliquosi genus fruticescens, non obstante ligneâ substantiâ quâ constat, iis subjungendum duxi.

1. *Cytisus hirsutus* J. B. *Cyt. foliis subrufsa lanugine hirsutis* C. B. *Hispanicus arboreus* Park. *Pseudo-cytisus hirsutus* Ger. Shrub-trefoil.

J. B.

Trium & quatuor cubitorum *virgis*, nigricantibus, hirsutis, non admodum fruticosis, neque lentis, donatus est. *Folia* terna, nonnihil oblonga, hirsuta utrinque: [Clusio supina parte viridia, pronâ subrufsa lanugine hirsuta] *Flores* in ramulorum fastigiis potissimum fert, licèt & ad latera interdum habeat, plures simul congestos, magnos, luteos, [aureo colore fulgentes *Clus.*] è *calicibus* longis, lanuginosis: *siliquas* verò longis pilis obsitas, sescunciâ longiores, paulò triente unciæ latiores, per maturitatem nigricantes, *semina* claudentes Genistæ seminibus paria, subnigra, ex observatione Parkinsoni.

Hanc speciem Clusius solummodo ad montium radices circa Calpen, & in Bæticæ maritimis florentem invenit: Nos in Italia & Sicilia frequentem observavimus. Locus.

2. *Cytisus incanus* Ger. *incanus folio oblongo Austriacus* C. B. *incanus Germanicus* Park. *Cyt. Clusii Pannonicus alter foliis omnino incanis* J. B. *Cytisus V.* Clus. hist.

Clus.

Cubitales nonnunquam fert *virgas*, rectas, tenues, vimineas, lentas, quas ab infimo ad summum usque exornant *folia*, terna, uni petiolo inhærentia, Cytiso Gesneri ferè similia, sed omnino incana, angustiora, gustu amaro, quæve trita pinguia esse videntur. Ex singulis interdum foliorum sinubus ramuli prodeunt, similibus foliis sed minoribus obsiti, ferentes in summo quinos aut senos *flores*, Loti pratensis herbæ [quam à prægrandibus siliquis nonnulli siliquosam cognominant] floribus persimiles, coloris aurei, odoris non expertes: & ex folliculis deinde *siliquas* planas, oblongiusculas, hirsutas omnino, atque in his *semen* subrufsum, planum, nonnunquam tumidiusculum & rotundiusculum, durum, quod maturitate dehiscentibus siliquis excidit. *Radix* dura est & lignosa, nigricans & summâ tellure sparsa.

Clusio frequens est toto Viennensi agro, & multis aliis cùm Austriæ superioris & inferioris, tum Pannoniæ locis aridis propter vias. Floret Julio & subinde usque in Autumnum; semen sub Augusti finem & Septembri maturescit. Locus & Tempus.

Parkinsonus Cytisum album sylvestrem *Cord. hist.* huc refert, quam C. Bauhinus pro distincta specie proponit sub titulo Cytisi albicantis folio trifolii vulgaris.

* 3. *Cytisus hirsutus major foliis pinnatis* C. B. *Cytisus pinnatis* Ger. *incanus major foliis pinnatis, sive quinti species altera Clusii* Park. *Cytisi secundi species altera Pannonica Clusio, hirsuta valdè* J. B.

Clus.

Multò major est, crassioribus *virgis* [quàm quinta species *Clus. hist.*] admodum hirsutis, *foliis* duplo amplioribus, *siliquis* seu lobis majoribus: ipsi etiam *flores* colore magis aureo rutilant.

Juxta sepes in Pannonia & Austria nascitur hoc genus, sed rarius est, & minùs obvium superiore [V. *Clus.*] illius etiam semen vermiculis obnoxium. Locus.

* 4. *Cytisus incanus siliqua longiore* C.B. *Cytisus octavus* Ger. *Cytisus montis Calearis* J. B.

J. Bauhinus è ramo sicco ita describit, Teretes, tenues propagines alternatim producit, tantillum hirsutas, in extremis, per quas folia terna, Dorycnii ferè Monspeliensis paria, quædam brevissimo & pænè nullo pediculo; inter Cytisi genera minora folia non observavi. Qui collegerunt dicunt ad aliquot cubitos excrescere. *Flores* pediculo brevi hærent, longo per ramulorum extrema agmine, Genistellæ pares, lutei, calyculo subhirsuto, in acutas lacinias diviso. Rami interdum candidi cùm defloreścit.

Adversariorum auctores sequentibus verbis, Qua quis Româ regiâ viâ Florentiam adit, oppidulo cui nomen Aquapendulæ, declivi & depressa etiam planitie feracissima Cytisum fruticem quinque sexve cubitis prociorem, Genistæ sarmentis pluribus, gracilibus, præduris, striatis, vidimus statim ab imo, aut paulò superiùs lignosa radice, è tenuibus pediculis folia terna, non ità numerosa, similia Fœnugræco, angustiora, habitiora, Rutacea: Genistæ vel Spartii vel Pisi flores lutei, sed minores. Siliqua Genistæ par, cinericea, gracilior, compressior; intus loculis sunt dissepta *semina* nitentia ex atrore, Genistæ. Est cana universa planta, ut Rhamnus Monspeliensis aut Halymus. Sapor Ciceris aut similis leguminis. Reliqua vide apud auctorem.

J. Bauhinus Cytisum hunc Lobelii non separaret ab Hispanico primo *Clus.* nisi ipse Clusius ac etiam Lobelius separarent: in quam sententiam & nos etiam propendemus. Parkinsonus extra scopum jaculari videtur, cùm hunc habet pro Cytiso incano folio oblongo Austriaco *C. B.*

* 5. *Cytisus incanus folio medio longiore* C. B. *Cyt. tertius Hispanicus cum brevi pediculo* J. B. *Cyt. Hispanicus incanus sive sextus Clusii* Park. *Cyt. semper-virens* Ger.

Clus.

Pedalibus, rarò cubitalibus assurgit ramulis, tenuibus, omnino incanis, quos exornant terna semper folia, brevi pediculo inhærentia, quorum medium duplo longius est reliquis, cinerei & canescentis coloris, adstringentis verò & linguam exsiccantis saporis. Ramusculi ferè ab imo ad summum

mum per singulorum foliorum exortus, *floribus* luteo colore fulgentibus, jucundi odoris onusti sunt, binis aut ternis simul nascentibus, ex molli quadam & candida lanugine hirsuta vaginula, similis cum superioribus formæ, sed minoribus. Semen non observavit Clusius.

Locus & Usus. Invenitur variis Hispaniæ locis, præsertim Bætica, sed nusquam abundantiùs quàm Valentino regno, ubi plurimus ejus usus est: nam illius ramis nudis & à suis foliis liberis, supra tegetes ab his qui bombyces alunt sparsis, jam saturi Mori foliis bombyces sericea sua stamina his ramis advolvunt, quæ deinde à mulierculis & pueris explicantur. Valentini *Boga* & *Boxa blanca* appellant.

6. *Cytisus supinus foliis incana lanugine infernè pubescentibus* C. B. *hirsutus* Ger. *Austriacus, sive septimus Clusii* Park. *Cytisus tertia Clusii Pannonica sparsis ramis* J. B.

Clus.

Aliquot *ramis* præditus est, sparsis & humi fusis, tenuibus, lentis, fractu contumacibus, qui nullis aut certè rarissimis *foliis* sunt obsiti, multos autem ex lateribus ramulos proferunt, tenellos, hirsutos, in quibus *folia* longis pediculis nixa, terno semper numero, superioribus breviora, elato dorso, supernè viridia, infernè canâ lanugine pubescentia, amariusculi saporis & herbacei odoris. Ex alarum in extremis ramulis, & per totos interdum ramulos sparsarum sinu prodeunt terni aut quaterni simul juncti, nonnunquam singulares *flores* Quinti [*Clus.*] flori forma similes, lutei coloris, qui tamen dum marcescere incipiunt aureum colorem adeò saturum contrahunt, ut purpurascere videantur: folliculi unde flores emergunt pallent & lanugine pubescunt. *Siliquæ* planæ & hirsutæ subfuscum exiguum *semen* continent. *Radix* dura, lignosa, juxta quam rami per terram sparsi subinde fibras agunt.

Locus & Tempus. Sponte provenit sylvulâ quadam ad *Lachn* pagum primo ab urbe Vienna milliari, & plerisque aliis locis urbi vicinis: crescit etiam in utriusque Pannoniæ sylvis, & in Interamni ultra Dravum fluvium. Maturiùs floret reliquis Pannonicis, Maio videlicet, nonnunquam etiam Aprili, & novos interdum ex ramulis flores per totam deinde æstatem profert.

7. *Cytisus supinus foliis infernè & siliquis molli hirsutie pubescentibus* C. B. *Cytisus Pannonicus sive septimi species altera Clusii* Park. *Cytisi tertii Pannonici tertia species Clusio supinis ramis* J. B.

Clus.

Pedalibus exit *virgis*, tenuibus, viridibus, supinis & humi fusis, quas ambiunt similia *folia*, *flores* etiam pares extremis virgis quini, seni aut plures simul congesti innascuntur, nulli autem per virgas sparsi ut in superiore: *Siliquæ* & *semina* non differunt. Virgarum foliorumque pars inferior & siliquæ molli hirsutiâ pubescunt.

Locus. Hunc in solis Pannoniæ sylvis Maio mense florentem invenit Clusius.

8. *Cytisus supinus sylvestris Ratispcnensis floribus luteis ad exortum foliorum prodeuntibus* Hort. Altdorf.

Hanc plantam in Suevia, inque Bavaria propè Ratisponam invenimus. Folia utrinque hirsuta, acuminata, pediculis oblongis insident.

* 9. *Cytisus minoribus foliis, ramulis tenellis, villosis* C. B. *Cyt. Hispanicus primus Clusii, folio virescente* J. B. *Pseudo-cytisus primus* Ger. *Hispanicus primus* Park.

Clus.

Hic interdum arbusculæ magnitudine excrescit, duro stipite, cujus materia flavescit, sed cor sive pars interior nigricat: is autem cum majoribus ramis & virgultis candicante cortice obducitur: tenelli ramuli toti villo obsiti: *folia* numerosa ramos ambiunt, terna uni pediculo inhærentia, Medicæ modo, dilutioris viriditatis, sapore viridium leguminum, amari tamen. Aliquot *flores* extremis ramulis quasi spicæ instar nascuntur, Genistæ similes, minores, lutei, nonnihil odorati: deinde lobi Genistæ pares, oblongi, asperi tamen & hirsuti, in quibus exiguum *semen* tumidiusculum, nigricans, Genistæ minus. *Radix* lignosa, & in diversa tendens.

Locus & Tempus. Crescit in Salmanticensi agro, & aliis utriusque Castellæ locis secundùm publicas vias. Floret Junio; semen profert Julio & Augusto.

10. *Cytisus foliis angustis, incanis quasi complicatis* C. B. *Cyt. Hispanicus Clusii secundus* J. B. *Pseudocytisus* 2. Ger. *Hispanicus secundus* Park.

Clus.

Hic duorum cubitorum duntaxat altitudinis, fruticosus, virgas profert candidas omnino, tenues, ramosas: *folia* superiori similia, terna semper ex uno pediculo nascentia, minora, prorsus incana, nunquam expansa, sed semper quasi complicata, prominente dorso, impensè amara. *Flores* ut in altero, extremis ramis insident, superioribus formâ similes, sed intensior & planè aureus color; *siliquæ* etiam longiusculæ, asperæ, ex purpura nigrescentes, mucrone deorsum inflexo. *Semen* paulò majus est & subnigrius altero: Radix similis.

Locus. Loco & florendi tempore cum præcedente convenit.

Nos in sylvis montosis propè Viterbum viâ quâ Romam itur Cytisi speciem invenimus cortice glabro candicante; foliis parvis, obscurè viridibus, glabris, minimè expansis, sed quasi complicatis, pluribus simul, siliquis oblongis, compressis, asperis seu hirsutis, parvo intus semine; quam huic eandem dicerem, ni magnitudo & foliorum color obstaret. C. Bauhinus tamen adnotat hunc circa Monspelium foliis esse viridibus; qualem & D. Magnol se copiosum observâsse ait in Gramuntio luco, Maio mense florentem.

11. Cyti-

11. *Cytisus glaber nigricans* C. B. *Cyt. Gesneri, cui flores ferè spicati* J. B. *Cytisus* Ger. *Pseudocytisus niger* Park.

J. B.

Virgultis est cubito longioribus, lentis & multis alis tenuibus concavis, brevi pilo circa fastigium ramulorum hirsutis. *Folia* semper terna uni pediculo inhærent, prona parte hirsuta, quarum longitudinem nervus percurrit, Clusio folia saporis amariusculi, Ramorum extrema in longas abeunt spicas *florum* luteorum Pisi floribus similium, sed minorum & brevibus pediculis hærentium, odoris grati, Clusio melleum quiddam spirantis; quibus *siliquæ* superveniunt unciam aut sescunciam longæ, planæ, culmum latæ, compressæ, hirsutæ, *Semen* parvum, spadiceum, Clusio flavescens, continentes. *Radix* dura, lignosa, longa, rarioribus fibris donata.

In Austria & Stiria, itinere à Vienna ad Venetias copiosum observavimus. *Locus.*

* 12. *Cytisus glaber viridis* C. B. *glaber siliquâ angustâ* J. B. *Cytisus siliquosus* Ger.

J. B.

Folia huic Cytiso terna quidem illa, ex rotundo sublonga, ut Cytiso Gesneri, verùm glabra. *Flores* ad virgularum angulosarum latera ex foliorum alis singulares, quantum animadvertere licuit, satis magni, longiore calyce quàm in Cytiso glabro siliquâ latâ, à quo & siliquæ distingunt, ex latere, ut mox de floribus dicebamus, prorumpentes, culmo angustiores uncias duas longæ, pediculo brevissimo hærentes, glabræ, quæ sicca nigræ; inter Cytisos tenuiores siliquas non observavimus, in quibus *semen* orbiculatum, ruffum, compressum, Lente minus.

Thomas Johnsonus in Gerardo suo emaculato hanc speciem parum admodum vel non omnino à præcedente differre scribit: sed florum situs repugnat. Ni folia glabra essent, Ratisponensem nostrum existimarem.

13. *Cytisus glaber siliquâ latâ* J. B. *Cytisus* 2. Ger. *glabris, foliis subrotundis, pediculis brevissimis* C. B. *Pseudocytisus foliis subrotundis* Park.

J. B.

Accommodus est tonsilibus arearum marginibus, reliquisque topiarii operis deliciis, obsequiosis virgulis, quæ alicubi ad tertium & quartum cubitum assurgunt, glabræ, & ubi tenuari occipiunt angulosæ: per has *folia* terna, semper juncta concinna & rotunda, unciâ brevioribus pediculis hærent; at verò in ramulorum qui flores aut siliquas sustinent extremis non jam ea terna, sed bina aut singularia, fortuito positu, latiora & in acumen desinentia. Verùm tum hæc, tum illa læto virore arrident, nullis obsita pilis. *Flores* summitatibus ramulorum acervatim insident, lutei, Genistellæ æmuli, ex pedicellis semunciâ brevioribus, quibus succedunt *siliquæ*, unciam unam aut alteram longæ, semunciam latæ, compressæ, glabræ, in quibus *semina* fusca, subrotunda, compressa.

Hanc plantam in clivis maritimis propè Salernum in Italia sponte nascentem observavimus: Cantabrigiæ in hortulo nostro aliquot annos coluimus. Folia in virgis inferiora pediculis satis longis insident. *Locus.*

14. *Cytisus foliolis glabris, siliquis Ornithopodii hirsutis* C. B. *Pseudocytisus Hispanicus Bauhini* Park.

C. B. prod.

Hic virgis est rotundis, striatis, duris, tricubitalibus, in varios ramos, nonnihil lanuginosos brachiatis, quos *folia* numerosa, terna uni pediculo inhærentia, in summis ramulis exigua, dilutè virentia ambiunt. *Flores* parvi, lutei, Genistæ similes, quibus *siliquæ* unciales, molli hirsutie tectæ, ternæ, quaternæ, quinæ uni pediculo inhærentes, quibus *semina* parva, plana, nigricantia inclusa sunt.

In Hispania ad agrorum limites frequens est; non tamen cum Cytiso primo Clusii, cujus pars interior nigricat, confundi debet, & ramuli toti villis obsiti sunt. *Locus.*

Nescio an hæc species ad legumina siliquis articulatis potiùs referri debeat.

15. *Cytisus hirsutus flore luteo purpurascente* C. B. *magnus flore luteo purpurascente* Pona Italic.

16. *Cytisus serratifolius seu glaber Dioscoridis Laugerio flore rubro* Hort. Altdorf.

17. *Cytisus incanus siliquis falcatis* C. B. *Cyt. siliquâ incurvâ, folio candicante* J. B. 7. *Cornutus* Ger. *Galeni creditus Maranthæ, cornutus* Park.

Marant. J. B.

Cytisus Maranthæ frutex est totus candidus, eam altitudinem attingens ad quam Myrtus crescit. *Folia* singulis pediculis terna, retusa & nonnihil fissa, quæ si digitis terantur odorem Erucæ proximum, gustata verò Cicer recens æmulantur. *Florem* excludit in ramorum cacuminibus, lætum aspectúque pulcherrimum, colore luteum sed saturato, [parvum, Genistæ pilosæ flori proximum, ex longo pediculo.] *Siliquas* producit pulchras, latas, contortas unâ & nonnunquam pluribus spiris, in quibus *semina* parva, vix ineunte æstate maturescentia. Caudex nigrum cor retinet Ebeno simillimum, quod evenit ratione vetustatis; nam inadolescente non observatur.

Ad Baias propè Neapolin in Italia copiosum invenimus. Marantha eum sæpius collegit propè Neapolin, in colle quodam, quà ad Nesidem insulam itur. Honor. Bellus in insulis Rhodo propinquis & Rhodo ipsa nasci tradit. *Locus.*

Ex hujus ligno ensium manubria Turcæ conficiunt; & *Caloieri* Patmi sphærulas precatorias efformant. *Bellus.* *Usus.*

Appendix ad Legumina,

Continens plantas quasdam, ob siliquas bivalves quas producunt, Leguminosis affines.

HÆ vel sunt foliis pinnatis Leguminum instar, vel foliis variè dissectis, floribus tamen ad papilionaceos accedentibus.

Prioris generis plantæ sunt vel foliis bicompositis seu ramosis Filicum nonnullarum in modum, vel foliis tantum pinnatis.

SECTIO PRIMA.

De Siliquosis anomalis, Leguminosis affinibus, foliis variè dissectis, floribus ad Papilionaceos accedentibus seu

De Fumariis siliquosis.

FUMARIÆ notæ sunt Flores spicati ad Papilionaceos accedentes, calcaribus retrorsum productis, quorum medio circiter tubo pediculus inseritur, Siliquæ bivalves velut Leguminosarum, folia dissecta aut pinnata.

A. 1. *Fumaria alba latifolia* Park. *alba latifolia claviculata* Ger. emac. *claviculis donata* C. B. *Fumaria cum capreolis* J. B. **Climbing Fumitory.**

E *radice* simplici, tenui, sublutea, paucis fibris capillata, gustu amaricante *Cauliculos* emittit plures, tenellos, infirmos, angulosos, humi procumbentes, nisi in propinquo sint frutices quos claviculis suis apprehendant. *Folia* ex intervallis alternatim oriuntur, tenella, pallidè virentia, acuminata, Lentis quodammodo figurâ, integra, nec laciniata neque ullo modo incisa, quinque aut sex pinnulis ad eandem costam adnexis composita, extremâ costâ in claviculam prætenuem exeunte. *Flores* in spicis ex adverso foliorum oriuntur, Fumariæ vulgaris floribus figurâ similes, sed minores brevioresque, colore albo nonnihil virente, duabus partibus compositi, alterâ sursum, alterâ deorsum reflexâ, marginibus velut crispis aut fimbriatis. Succedunt *siliquæ* breves, nonnihil compressæ, tria vel quatuor *semina*, exigua, nigra, splendentia, reniformia continentes.

Tempus & Locus. Floret circa finem Maii: inque uliginosis saxosis, arenosisve & ad ripas lacuum & fluviorum reperitur, sed rariùs.

C. Bauhinus aliam præter hanc Fumariæ viticulis & capreolis plantis vicinis adhærentis speciem habet; quam & *D. Magnol* Aprili & Maio mensibus florentem circa Thermas Ballerucanas, & sub magnis rupibus ultra pontem *S. Jean de Vedas* propè primum molendinum se invenisse asserit. Nos tamen suspicamur non diversum esse à præcedente quam intelligit *D. Magnol.* Quòd si C. Bauhinus Fumariam nostram majorem scandentem flore pallidiore intelligat, perperam viticulos & capreolos ei attribuit. Nos dubios & suspensos relinquunt, qui Entia sine necessitate multiplicare odimus.

2. *Fumaria siliquosa semper virens* Cornuti. *Siliquosa Americana* Park.

Corn.

Rectâ surgit *caule* pedali, rotundo, glabro, tenui velut cinere asperso, qui leviore tactu facilè defloratur. In *foliis* cæsius lævor & divisura similis vulgari, amplitudo tamen est major. Brumale tempus ea non metuunt. *Cauliculi* alatim pullulant: *floribus* in apice spicantur, *Radici cavæ* similibus, colore autem diversis: horum enim canaliculus carneo, os autem patulum fulvo atque aureo colore splendet. Floribus succedunt *siliquæ*, falculæ in modum contortæ, flavescentes, in quibus *semina* Milii, modo compressa, rotundiora tamen concluduntur. *Radix* fibrosa est, vulgarique densiùs capillata.

Planta hæc acris simul & amaræ qualitatis est particeps.

3. *Fumaria quæ Split dicitur* J. B. *Fumaria lutea* Ger. C. B. *lutea montana* Park. **Yellow Fumitory.**

J. B.

Numerosos, teneros & delicatos profert *caules*, dodrantales, per quos *folia* spectantur Radicis cavæ vel Adianti, sed minora multò, mollicella, glauca, potissimum parte inferiore, sapore insigniter

gniter acri & fauces vellicante, pauco adjuncto amarore. *Flores* lutei vel albidi cornicula relinquunt Fumariæ bulbosæ, minora, *semine* plena nigro, nitido. *Radix* crassiuscula nigricat.

Provenit in collibus cultis & agris Apuliæ & Calabriæ, alibi etiam in Italia & Illyria. *Locus.*

De hac herba Achilles Gasserus in Observationibus ab Hier. Velschio editis, Observ. 99. hæc habet; Cùm in Italia studiorum gratiâ versarer, in magno usu & fama erat herba quàm *Split* in Sclavonia, Venetiis autem herbam Sclavonicam vocabant, amara & foliis Rutam ferè æmulantibus, quæ causa est ut quibusdam illius genus, aut *Harmel* Arabum videretur. Hæc copiosè nata in finibus Bosniæ, circa Castrum dictum *Bosmaprin* mirè laudabatur ad varios affectus, Podagram, Arthritidem, Ischiadem, nervorum affectus, Spasmum, Paralysin, Epilepsiam, Apoplexiam & similes. Quod cùm clariss. Viro Georgio Laubio Med. Aug. & amico meo literis significâssem, hoc modo respondit: Mitto tibi pro 'Αντιδότῳ quæ habeo de herba *Split*, ex Venceslao Lavinio Moravo hom. liter. Est species Fumariæ seu Corydalis. Invenitur in montibus Bosniæ inter saxa; folio, sapore & flore Fumariam referens: Semen habet in siliquis. Est semper viridis, pluresque radices agit, inter se commixtas: possit Fumaria Alpina nominari. Usus ejus in omnibus nervorum affectibus frigidis: Cerebrum confortat, leniter purgat, urinam movet, oppilationes mesenterii aperit & hepatis. Radix amara & acris est: Formula hæc, *Vires & Usus.*

℞. Radic. Split ℥j. vel *M*j. contunde minutim; pone in Vini albi *M.* j. in olla vitreata sat magna: integatur crusta panis bene oblita in circumferentia: Bull. lento igne per horam j. Datur jejuno pro vice ℥j. hujus decocti tepidè, & per quinque dies continuetur. Prima vice sumptum inebriat, post leviter exhilarat & morbum citò levat, victu convenienti instituto. Corroborat Cerebrum, & quòd Melancholicis ac Maniacis conveniat credit quidam Medicus. Greg. à Klo Medicus in Bavaria asserit hæc omnia vera esse, & ipsemet cùm esset debilitatis artubus, ut vix ambulare posset, timens præterea Epilepsiæ superventum curatus est hac herba, ità ut in alium quasi novúmque hominem se conversum putaret. Hic verò dat. ℥ij. decoct. Ex excerptis *D. Soame.*

4. ***Fumaria bulbosa radice cava major*** C. B. *F. b. radice cava flore purpurascente & albo* J. B. *Radix cava major alba* Ger. *Item R. c. major purpurea* ejusdem. *R. c. ma. flore albo* Park. *item R. c. ma. flore carneo* ejusdem.

J. B.

Radice est bulbosa, cava, lata & sessili, fibris aliquot donata, colore intus forisque buxea, sapore amaro, interdum non major nuce Juglande, aliàs pugno maximo major, quasi ex compluribus bulbis compacta, continuis tamen eâ formâ qua Brutorum renes nonnunquam conspiciuntur. Hinc exsurgit *caulis* unus aut plures, teneri & magnâ sui parte sub terra latentes, angulosi, compressi, dodrantales & altiores, foris obsoletâ purpurâ colorati, intus pallidi, nervorum agmine rubentium in circulo stipati, succum remittentes, qui primo statim occursu linguam cum amarore & acrimonia vellicat. *Folia* in caule bina ortu inæquali, pediculis crassis, cauli concoloribus & longis; colore glauco prædita, quæ trifariam rursum cum peculiaribus pediculis subdividuntur: singularia folia divisurâ Aquilegiæ minoris: A caulis medio ad summitatem usque in thyrsi modum digesti *flores* pulcherrimi, ex brevibus pedicellis, veluti Consolidæ regalis, calcaris extremo recurvo & veluti nucleato obtusóve, ut in Aquilegia, purpurei vel albi, labris utrinque divulsis rictum ostentantes, lingula tanquam in ore latente, binis foliolis ad capita coeuntibus, cannulatis, foris albis, intus puncto coccineo saturo in summitate notatis, id quod commune est tam ei quæ flore albo est, quàm ei quæ purpureo: quin etiam utrique inter flores quà eorum pediculi oriuntur pro singulis pediculis singula folia oblonga, striata, mucronata, integra & modicè concava. *Siliquæ* maturo ortu sequuntur oblongæ, in quibus *semen* parvum, nigrum.

Plantulæ ex semine deciduo folium unicum producunt oblongum, subrotundum, simile Auriculæ Leporis primùm provenienti.

Eam quæ flore est purpurascente in agro Mediolanensi copiosam invenimus primo vere, cùm Mediolano Taurinum iter faceremus. Flore albo prædita ubique ferè ad sepes, inque scrobibus umbrosis Alpium Helveticarum nobis observata est. *Locus.*

Radicem cavam viridi flore *Lob.* à descripta non separat C. Bauhinus, quem nos hac in parte non inviti sequimur.

5. ***Fumaria bulbosa radice solida, calcari & folio cristato*** J. B. *F. bulb. radice non cavâ major* C. B. *itémque minor* ejusdem.

J. B.

Radice est bulbosa, non cavâ, rotundâ, Avellanæ magnitudine, interdum majore, non tam altè defixa ut ea quæ radice cava, membranula quæ facilè trahenti cedit investita, foris buxea, intus subalba, amara, cui fibræ capillares aliquot adnatæ. Planta sæpe palmaris & minor, interdum dodrantalis & pedalis, nec multò minor Radice cava, *caule* lævi, subrubro, binis foliis prædito, ex oblongis pediculis cauli concoloribus, non adversis, in tria alia subdivisis, quæ tenuiùs deinde subdividuntur. Juxta radicem aut paulo altiùs folliculus unicus carinatus, calcaris gallinacei instar, membraneus, in quo aliorum foliorum rudimenta. Extremo cauli insident *flores* Radicis cavæ, purpurantes, qui pediculo mediocriter longo tenuique adhærescunt, albi, tres, quatuor, novem, duodecim aut plures, conferti in spicæ formam; inter quos ad singulorum pedicellorum exortum folium unum, dissectum variè, fimbriatum & cristatum. Succedunt siliquæ, ut in præcedenti.

In hoc genere flores albos nondum observavi.

In Belgio, Germania & Sabaudia arvorum quorundam sepes & margines hac scatere dicuntur. *Locus.*

Non separabimus nos unquam (inquit J. Bauhinus) has duas Fumarias radice solida non cava [majorem & minorem *C. B.*] siquidem magnitudine tantùm varient. C. Bauhinus diversas affirmat, & florum herbaceis rudimentis differre ait. Nos fratris senioris sententiam amplectimur.

* 6. *Fumaria tuberosa insipida* Cornuti. *Tuberosa Americana* Park.

Corn.

Insipidam ideò appellamus hanc quod gustanti & olfacienti omnis pæne saporis & odoris expers esse percipitur. Ramosum huic & velut pennatum *folium* nascitur, tam tenui divisurâ quàm est Juniperi: ejusdem coloris est cum reliquis Fumariis. Pediculi ab radice ad folia usque dilutissimè purpurascunt. *Radix* in duo tubercula rotundatur, quæ geminum velut testiculum repræsentant, villis quampluribus velut adnata pube vestitum, ac ferè ei similis est Satyrio, quod ab eadem radicis figura Cynosorchidem nominârunt. De flore nihil statuo (inquit) necdum enim apud nos floruit, eum tamen album esse intelligo.

A Canadensi solo repetitur.

SECTIO SECUNDA.

De Siliquosis anomalis folio bicomposito seu ramoso, flosculis in globulos coactis.

PLANTAS hasce ob lobos seu siliquas bivalves conformes Leguminibus subjungendas duximus quamvis foliorum compositione, sed præcipuè florum figurâ, situ, aliisque accidentibus ab eisdem plurimùm differant.

Harum pleræque ad tactum aut frigidioris aeris appulsum folia illico contrahunt ac si sensu præditæ essent, unde Æschynomenæ & Mimosæ & Sensitivæ dictæ sunt: quâ facultate, quamvis obscuriore, fortasse etiam Acacia Ægyptiaca & Indica pollent, quæ foliis & floribus cum Æschynomenis conveniunt; atque idcirco ab iis minimè separandæ sunt, quantumvis lignescant & in frutices satis grandes aut etiam arbores evadant. Primum ergo de Acacia agemus, deinde de Æschynomenis.

CAP. I.

De Acacia.

1. *Acacia vera* J. B. *Acacia foliis Scorpioidis leguminosæ* C. B. *Acacia Dioscoridis* Ger. *Acacia vera sive Spina Ægyptiaca* Park. *Acanthus Theophrasti.*

J. B.

Acaciæ plantam adolescentiorem, ex semine natam à se Patavii visam describit J. Bauhinus spinis horrentem simili ferè spinis Berberis, eodémque ferè ordine dispositis, binis utplurimum simul junctis, à se invicem divaricatis albis, cortice ex nigro cineraceo, ligno ex luteo pallescente, foliis ad lentis folia accedentibus, pinnatim multis, ad costam unam cohærentibus, ut pollice, teste Bellonio, possis tegere 350. folia. Siliquæ, quas hactenus habere contigit, Lupini siliquis quodammodo similes, nigricantes sive fuscæ, compressæ, angusto isthmo interceptæ (an pluribus quàm duobus soleat isthmis distingui, αὐτόπτης non habeo quod dicam: *Ast eruditiss. Veslingius ex αὐτοψίᾳ siliquarum ejusdem arboris alias digiti, alias manûs quoque spithamæve mensuram superâsse didicit, nec ternis tantùm aut quaternis, sed octonis, etiam denis, pluribúsque seminibus, inter arctatos lobulos invicem subornatis*) eóque fragili: unicuique loculo, ad latera apertili *semen* inest unicum, minus quàm Carobæ, spadiceum, circulo in unguem ducto, ut in Tamarindis, dentium contemptrici duritie in eo medulla. Cæterum siliquam intrinsecùs succingit pellicula rufescens, inter quam & extimum corticem concretus liquor apparet, qualis ferè in *Cajous*, sed valdè paucus. *Flores* pulcherrimi sunt, sphærica rotunditate globuli, *in corollarum contextum olim recepti, staminum innumerabilium densa phalange, Cerasi minoris ambitum æquantes*, ex se pulverem remittentes. Coloris sunt flavi, pediculi singulorum globulorum tenues unciales. Alpinus ait odore esse non ingrato, Cayri quidem flavos vel pallidos; in montanis verò Arabiæ albos: Arborem magnitudine esse Mori, ramísque latiùs expansis, caudice Pruni, trunco æquali. Veslingius caudicem spinis carentem non raro ampliorem se deprehendisse ait, quàm ut brachio suo circundari potuerit: non ὀρθοφυῆ, teste Theophrasto, sed à mediocri saltem altitudine, densiore sylva ramorum, in latus magis quàm in rectitudinem se exporrigentem.

Hujus arboris, Alpino auctore, mas atque fœmina reperitur. Mas quidem spinis est horridus, & fructum non edit: Fœmina spinis paucioribus mollioribúsque referta est, eásque extra ramos tantùm habet, non autem intra: quæ arbor est fœcundissima, floreréq; orientibus Pleiadibus, Novembri scilicet mense, incipit; & rursus iisdem occidentibus, mense scilicet Martio, bísque in anno fructus fert atque maturat.

Vires. Ægyptii, ex observatione Alpini, Acaciæ arboris utuntur succo, ex siliquis immaturis expresso, vel etiam ex floribus vel foliis, ad oculos roborandos, atque ab inflammationibus, quæ ibi sunt frequentissimæ, tuendos, ad oris auriúmque omnia ulcera, necnon ad labiorum fissuras, ad dentes collabentes roborandos atque firmandos, succo in pulverem redacto, post ablutionem ex decocto ejusdem

dem succi vel foliorum, vel florum parato, factam, utuntur supra gingivas asperso, ac eo dentibus confricatis. Sanguinem spuentibus drachmam singulo mane, aliquo liquore dissolutam potandam offerunt, mirásque ad quamcunque sanguinis fluxionem firmandam semper vires habuisse apud eos cognitum est. Ego sæpissimè hoc solo auxilio multas mulieres ab immodico uteri profluvio pænè mortuas revixisse atque sanatas fuisse certò scio. In iis quidem quæ has immodicas patiuntur vacuationes, clysteribus ex Acaciæ foliorum florúmque decocto paratis in uterum injectis utuntur, atque etiam succo pulverisato prædicto cum decocto dissoluto atque immisso. In alvi fluxionibus eodem modo tum clysteres frequentant, tum per os succum feliciter exhibent. Ad anum uterúmque foras procidentem succo dissoluto cum foliorum florúmque decocto nihil habent præstantius ac frequentiùs quo utantur. Ad eos qui ex quacunque causa articulos debiles habent fomentum ex iisdem omnibus paratum pro præsentaneo auxilio habent. Omnes ejus fomento utuntur ad defendendos articulos ab humorum decursu, atque non minùs in eisdem tumefactis atque inflammatis, præsertim in principio dum humores adhuc in cursu sunt. Hincque usus ad podagricos dolores frequentissimus est, maximámque vim habet Acacia, ut à podagricis incursibus homines præservet. Non desunt qui ad ea mala non modò foris fomenti vel balnei modo Acaciâ utuntur, verùm etiam succi modicum per os sumere ante fluxionis tempus per aliquot dies consuescunt, ut ipsæ internæ viæ angustiores factæ minùs cursui humorum pateant. Aliqui etiam ex succo Acaciæ atque aceto linimentum parant ad liniendos articulos debilitatos, quo sanè mirificè eos roborant ac firmant. Multos novi recenter à podagra tentatos usu assiduo Acaciæ planè convaluisse, qui singulis diebus per horam ad minus, pedes in decoctum Acaciæ calidum detinebant, eoque fomentabantur, pedésque abstersos linimento ex succo Acaciæ opobalsamo, acetóque parato etiam inungebant. Ad pudendorum aliarúmque debilium ulcera difficilia succi aquâ pluries loti pulverizati usus est illis familiarissimus; decocto etiam utuntur ad exficcandas pustulas omnes, præsertímque Gallicas, sed decoctum parant, etiam cum modico ligni Guaicai. In pueris etiam ad achores in capite orientes & decocto, & pulvere utuntur. Hæc omnia Alpinus.

Acaciæ vim validam adstringendi inesse veteres & recentiores consentiunt: qua mediante prædicta pleraque præstat; ad quæ Dioscorides eam commendat. Pro succo Acaciæ Officinæ olim Pruni sylvestris succum substituere solebant.

De Gummi Arabico dicto.

Cortices, spinas, siliquas & semina quæ reperiuntur cum gummi Arabico satis demonstrare censemus gummi illud provenire ex Acacia, inquit J. Bauhinus. Accedit Bellonii & Alpini testium idoneorum id asserentium autoritas; quibus potiùs fidendum quàm Matthioli & aliorum ratiunculis in contrarium adductis, quibus refutandis immorari non erit operæ pretium. Scio (inquit Alpinus) totam gummarum quantitatem quæ ex Ægypto convehitur esse Acaciæ arborum, quando nulla ibi arbor sit excepta hac, quæ gummas educat, ac Ægyptus & Arabia Prunis, Cerasis atque Pomis careat.

Vim habet gummi meatus obducendi, acria medicamenta quibus admiscetur hebetandi, & in ambustis pustulas excitari non sinit illitum cum ovo, autore Dioscoride. *Vires.*

2. *Acacia Indica Farnesiana* Aldini.

Ad Avellanæ nucis magnitudinem in horto Farnesiano succrevit, cubitorum duodecim altitudine, caudicis diametro semipalmari [palmum Romanum intellige] figurâ suâ & cortice dictam Nucem omnino æmulans si aculeis careret, dum scilicet sine foliis spectatur hyemali tempore. Rami insunt longi, alti atque erecti, sed juncturis haud in rectum sibi respondentibus, fractu contumaces & flexiles cortice lævi, ut in Avellana. At ramusculi novelli ex parte terram aut Septentrionem spectante viridi cinerei, superiore Solíque opposita obscurè rubentes atque albis punctis commaculati apparent, qui tandem solidiores effecti cinerei cum diluto virore toti visuntur. Folia Maio mense alternatim in ramis, modò ex una parte, modo ex altera ante primos flores elucescunt, ramosa, pinnatáque Filicis fœminæ in modum, quatuor, quinque, sex, septem, aut octo ramulorum paribus composita, nullo in extremo impari foliorum ramulo; in quorum unoquoque parva & oblonga sunt foliola viridia, instar foliorum Lentium, invicem opposita, sese ex ordine contingentia, interdiu expansa, noctu ad se mutuò adducta [opposita scilicet] Aculei cuilibet folio in lateribus pediculi connascuntur bini, initio colore carneo, postea albescentes, validi, unciam & ampliùs longi, qui remanent diu in ramis & caudice etiam decidentibus foliis.

Flos Quintilis mensis initio apud nos, postquam folia pauca è vetere ligno emerserunt, apparet, non quidem in multa copia, sed qui fructum perficiat: Septembre autem incipiente, post plurima etiam alia enata folia, iterum floret copiosè ex novellis surculis: At fructum ex his non edit, fortè ob frigus insequens: nam Alpinus bis in anno Acaciam in Ægypto fructus ferre & maturare scribit. Verni flores pauciores sunt numero, & singulatim oriuntur, brevíque annectuntur pediculo: Autumnales verò copiosissimi prodeunt, atque tres, quatuor, quinque, vel sex propè orti & quasi simul, longóque pediculo pendentes hærent, cæterò non differunt. Porro flos iste cùm parvulus est viridi cernitur colore, parvúmque figurâ imitatur Fragum, deinde lutescit, & post duos vel tres dies albescens, fit cano hominis capillo haud absimilis, parvæ etiam pilæ in modum est rotundus, apparétque quodammodo tomentosus ac lanuginosus, quasi ex pluribus flocculis consarcinatus: sed revera à medio prodeunt infinita quædam, mirum in modum tenuissima filamenta, in summo luteum apicem parvum, rotundúmque, ac arenæ granulo similem habentia, quæ circumposita cum suis appendiculis globum luteum efformant, fructûs Cerasi magnitudine ac figurâ. Adhuc autem exactiùs hunc florem examinans, reperi parva & oblonga vascula [seu potiùs caliculos) optimè *Tempus.*

 simul

simul confarctæ in perfectam rotunditatem, numero aliquando 95, 100, 110, & plus, & minùs, quæ omnia occlusa sunt viridia, aperta verò, scilicet cùm efflorescunt, singula quælibet quadraginta vel quinquaginta, tenuissima breviáque & lutea filamenta (seu capillamenta aut potiùs pilos) in summo sortita, parvulum granum luteum pro apice continent atque emittunt. Sapore est flos iste parùm adstringente cum levicula amaritudine: odor verò gratus & suavis, nec dissimilis Keiri, at paulò acutior: quem siccatus diu pertinaciter retinet. Per mensem integrum prima vice, secunda per duos & plus florens conspicitur, floribus aliis marcescentibus, aliis subnascentibus.

Siliquæ è floris centro prodeunt, numero variæ, solitariæ interdum, aliquando verò binæ, ternæ, quaternæ, senæ, septenæ, denæ etiam, nec raro plures ab uno eodémque flore. Cum enim ortum ducant siliquæ ab illis vasculis in flore dictis quæ centenæ quandoque numerantur, nec etiam erit impossibile ab uno globoso tantùm flore centenas oriri siliquas: positu autem figuráque simillimæ conspiciuntur Piperi Æthiopico *Matth.* sed sapore & internis seminibus differunt; per maturitatem nigerrimæ dum parvæ adhuc valdè adstringentes sunt, contortæ, rotundiores & veluti cornicula, maturescentes paullatim minùs adstringentes, magísque acres; maturæ figurâ & magnitudine Lupinorum siliquas æmulantur, aliquantulum contortæ, sex uncias longæ, digiti minoris crassitie, rotundiusculæ & tuberculosæ ob semina inclusa, Cortex siccus validus est.

Semina Carobæ similia; matura dura atque nigra, non rotunda sed longiuscula, medullâ bivalvi, in quolibet lobo plura, incerto numero, sine ordine posita & confarcta, substantiâ quâdam candida & levi interposita. Mirum, vel unum semen tantùm paululum ore mansum adeò calefacit os & palatum, atque Allii odorem adeò æmulatur, ac taliter eo odore os inficit, ut etiam à longè mirè fœteat halitus ejus qui hujusmodi semen parum manderit.

Semen ab insula S. Dominici dicta seu Hispaniola transmissum fuit. Plantæ è semine Indico enatæ post triennium florere cœperunt.

Acacia secunda Vet.

Acaciæ alterius meminit Dioscorides in Cappadocia & Ponto nascentis, similis Ægyptiæ, multò tamen minoris, & ad humum depressæ ac tenerioris, sed spinâ aculeorum specie obsitæ, folia habentis Rutæ similia: Semen autem in folliculis conjunctis, trium aut quatuor capacibus, minus Lente.

Hæc tota in succum expressa astringit, verùm inferior est facultate, & ad ocularia medicamenta inepta.

Cordem, quæ Acacia Dioscoridis quibusdam.

Halepi in mercatorum tabernis nomine *Cardem* reperit Rauwolfius siliquas venales, castaneæ modo fuscas, quæ duos aut tres sacculos habent compressos, & in unoquoque *semen* rubens simile Balsaminæ nostræ mari, ex Ægypto maximè allatas. Quidam existimant veram Dioscoridis Acaciam.

Acaciæ congener Lob.

Quædam Acaciæ congener est, foliis & spinis Jujubæ concoloribus, cui surculi tortiles per crebra intervalla geminis aculeis donantur, cornua Limacis exerta referentibus, intérque cirri exiles foliola Acaciæ primæ positu & similitudine gerunt. *Lob. Adv.*

Acaciæ congener alia.

Ex Peruvianis insulis alia, quæ non foliolis dissimilis, in viminibus sesquipedalibus spinulis aduncis donatur, concoloribus Uvæ crispæ. *Ad. Lob. & Penæ.*

CAP. II.

De Plantis Æschynomenis seu vivis & mimosis dictis in genere.

FAcultas sentiendi Animalibus tam propria censeri solet, ut eorundem differentia essentialis à Philosophis constituatur. Verùm Plantæ nonnullæ *Æschynomenæ* Veteribus dictæ, Recentioribus *vivæ* & *sensitivæ* & *mimosæ*, haud obscura sensûs indicia produnt: siquidem folia earum manu aut baculo tacta & paululum compressa, pleno etiam meridie, splendente Sole, illico se contrahunt; in nonnullis etiam speciebus cauliculi teneriores concidunt & velut marcescunt; quod idem ab aere frigidiore admisso patiuntur. Quomodo hæc fiant si sensum omnem & motum spontaneum iis denegemus mechanicâ aliquâ ratione explicare perdifficile est. Quid si dicamus spirituum nervos & vasa replentium contractioni aut ingressui prohibito ea deberi? Quemadmodum enim Animantium pulmones aere inspirato repletæ extenduntur & attolluntur, sic pariter folia spiritibus & vaporibus per nervos influentibus; quemadmodum etiam iidem pulmones aere seu expirato, seu per poros elapso vacuæ concidunt & contrahuntur, sic itidem folia spiritibus exhausta. Jam verò spiritus folia distendentes cùm in continuo fluxu sint, pérque eorum poros expirent, nisi novi jugiter à radice subministrentur, flaccescant ea & contrahantur necesse est, ut in avulsis videmus.

Fieri ergo potest ut tangentis manus, nervorum compressu spirituum influxum impediat ad tempus, aut fortasse etiam repercutiat nonnihil, unde iis qui nervos implebant evaporantibus *folia* necessario contrahentur aut collabascent. Fieri etiam potest, ut tam digiti quàm ambientis frigus, spiritus contrahat & condenset, eorúmque motum sistat, adeóque folia contrahi & collabascere faciat. Valvulas enim in plantarum vasis, nisi quis eas ad oculum demonstraverit, non libenter admiserim.

Locus.

Hujus plantæ Theophrastus nomine Æschynomenes circa Memphin Ægypti nascentis meminisse creditur. Verùm hodie in Ægypto non invenitur, siquidem Bellonius & Alpinus nullam ejus mentionem faciunt; & Guilandinus se istam diu multúmque in Ægypto circa Memphin, Heliopolin,

polin, Tanaim & Alexandriam quæsitam nunquam offendere potuisse. Verisimile ergo est aliunde advectam ibi olim plantatam fuisse.

Plinius Lib. 24. Cap. 17. ejus meminisse videtur his verbis, *Adjecit* his Apollodorus sectator ejus [Democrati] herbam Æschynomenem, quoniam appropinquante manu folia contraheret.

Cap. III.

De Plantis Æschynomenis foliis bicompositis seu ramosis.

1. *Caaco Brasiliensibus; Herba viva vulgo* Marggrav. *Æschynomene spinosa II. seu foliolis Acaciæ latioribus, siliquis longis hirsutis* Breyn. *An mimosa spinosa Fernambucensis* Zanoni? **The Sensitive Plant.**

CAulem habet striatum, viridem, longum, haud crassum, lignosum, aculeatum, fragilem tamen & medullosum, qui partim terræ incumbit, partim assurgit & aliis se implicat. In varios panditur ramos, & rami in ramulos, duos aut etiam quatuor digitos longos, aculeatos: quilibet autem ramulus quinque, sex aut octo costas habet sibi semper oppositas, quamlibet unum aut sesquidigitum longam, quæ costæ continent foliola læte viridia, ordine posita & sibi opposita, angusta, oblonga ut Lentium, sine pediculis, ad tactum tenera, in medio secundùm longitudinem subtili nervulo donata, qui non potest videri nisi foliolum lumini obvertatur. [Nobis folia sunt quæ Marggravius ramulos vocat.] Folia autem in plantula nobis visa, quæ ex semine provenit, observata bicomposita fuêre *Filicis fœminæ* in modum, primò ex duabus tribúsve costarum paribus medio nervo adnexis; secundò ex sedecim, octodecim, aut etiam viginti pinnarum paribus singulis costis adnexis, absque impari in extrema costa: Ad caulem ubi ramuli prodeunt brevis provenit pediculus, (rarò plusquam unus in uno loco, sed in uno habens multos [flores] & in summitate, caulis quasi spicatim congesti sunt globuli) unum digitum longus, qui capitulum producit rotundum magnitudine Globulariæ Monspeliensium *Clusii*, vel etiam majus, constans cœruleo-purpureis, (vel etiam incarnati coloris) flosculis egregiis, arctè junctis, ità ut capitulum hirsutum videatur. Post flores proveniunt *siliquæ*, tenues, striatæ, hispidæ, mollibus aculeis munitæ, tres circiter digitos longæ, in quibus semen nigerrimum splendens, oblongum, figuram ferè habens cordis, magnitudine grani siliginis. *Radix* hujus plantæ perennis est, & semper protrudit caules recentes: Est autem pedalis aut paulò majoris longitudinis, quatuor circiter digitos crassa superiùs, sed quæ paulatim attenuatur versùs inferiora; est autem contorta instar funis, & multa habet filamenta ad latus è sui medio, unum aut duos pedes longa, exteriùs coloris Umbræ, interiùs alba, lignosa, medullosa, lenta, filamentosa: tota fortem odorem habet, planè similem Raporum nostratium diu in cella tempore hyberno servatorum. Herba inodora sed saporis subdulcis: Mirabilis autem, nam manu, pede aut baculo tacta, statim contrahit se & componit, brevi autem post iterum se explicat. Etiam circa Solis occasum quasi tristitiâ affecta se componit.

Eandem huic omnino plantam esse mihi planè persuadeo *Mimosam spinosam Fernambucensem* Jacobi Zanoni, quamvis ille diversam velit, figura duntaxat seminis, (quod summa parte per longum sulcatum scribit, frumenti nostratis similitudine) repugnare videtur.

2. *Caaco seu Herbæ vivæ tertia species* Marggr. *Æschynomene spinosa tertia sive foliolis Acaciæ angustioribus, siliquis parvis echinatis* Breynii. *Planta humilis hortulanis nostris. Breyn.*

Validioribus spinis undique horret hic frutex, Rosarum magnitudine; *ramis* multis rotundis, hirsutissimo cortice, atrorubenti obductis: quos frondes nullo ordine & temere nascentes, sescunciam longæ, tenues hirsutæque ambiunt; subtus ad exortum duobus hamatisque sentibus armatæ, & superius in quovis latere quatuor aut subinde quinque suffraginibus *foliola* obscurè virentia, Acaciæ angustiora habentibus, densè adeò in orbem alatæ ut flabellum è plumis confectum perminutum non malè exprimere videantur. Globulos secundæ fert minores, *flosculis* rigidioribus & magis patulis congestos, ternos, senos, vel nonnunquam plures simul junctos: quibus *siliquæ* superveniunt pilis rigidis echinatæ, tenues, in tres distinctæ loculos, quorum singulis singula *semina*, præcedentium paria, sed aliquanto minora, coloris ex spadiceo fusci, inclusa.

Marggravius siliquas & semina ità describit. Semen continetur in siliquulis parvulis, teretibus, hispidis, fuscis, quarum multæ conjunguntur, figurâ Rosæ: quælibet autem siliquula habet tria grana & totidem tubercula; Semen autem coloris est olivacei, paulò obscurioris, rotundum & paulò compressum, instar lentium, sed minus. Siliquulæ etiam sponte dissiliunt in tot partes quot semina continent.

Hæc fortè est Pinahuihuiztli seu Herba verecunda Fr. Hernandez, quæ imperfectè admodum describitur Lib. 4. Cap. 32. Hist. Mexic.

Hæc ex seminis figura ea esse videtur quæ hortulanis nostris Plantæ humilis nomine colitur, ad frugem tamen, quamcunque curam adhibueris in regionibus nostris ob ambientis frigus non pervenit.

3. *Æschynomene*

* 3. *Æschynomene spinosa* IV. *seu foliolis Acaciæ angustioribus, frondibus validissimas spinas habentibus* Breynii. *An Herba viva alia fruticescens, Lusitanis Silva d'Agoa dicta* Marggr?

Breyn.

Frutex hic itidem Brasilianus, spinis adhuc validioribus passim armatus, & altiùs utpote in Oxyacanthæ altitudinem excrescens, cortice purpurante, lento, & in ramis piloso tectus. Hujus frondes seu *folia* Acaciæ instar sunt ramosa, ac observatione profectò digna: illorum enim quodlibet ex pediculo pæne dodrantali, crasso, lignoso, pilóque abundante hirsuto & rufescente constat, per intervalla semuncialia octo, decem aut duodecim paria suffraginum, biuncialis latitudinis, sibi directè opposita habens: qui foliolis compluribus utrinque, admodum exiguis, densiùs quàm congeneres omnes mirabiliter adeò pennatæ, ut tanquam in alis avicularum pennulæ appareant: inter cujuslibet suffragnium paris medium, ex petioli supina & carinata parte aculeus longus & gracilis progeneratur, & in mediâ suffraginum distantia utrinque ad petioli latus crassæ, aduncæ, Rosarum similes, validissimæque spinæ, eo modo ut par semper suffraginum & par spinarum, par spinarum & par suffraginum, (in medio sicuti dictum aculeum semper habentium) alternatim ordine accuratissimo se invicem excipiat. *Flosculos* fert sui congenerum de more in globulum coagmentatos sed majorem; deinde *siliquæ* è floris centro longissimæ, hirsutæ progerminare feruntur.

4. *Æschynomene spinosa* I. *seu latifolia Brasiliana siliquis radiatis* Breynii. *Juqueri-omnano* Marggrav. *An Herba mimosa* Clus?

Breyn.

Planta est fruticescens, caules ramósque proferens pallidè virentes, quadrangulares, fragiles, medullâ niveâ refertos, & in angulis densissimè spinarum vallo lutearum munitos. Hi alternatim per interstitia uncialia longioráve frondibus æquè ac rami quadrangularibus spinosísque ornantur: quæ in extremitate ferè in duas semunciam vix attingentes expanduntur suffragines, quarum singulæ *foliolis* utrinque duobus, aversâ parte hirsutis, adversâ verò glabris & lætè virentibus præditæ, Senæ haud minoribus, nec dissimilibus, excepto quòd altera eorum pars alteram longitudine & latitudine vincat, & interius foliolum inferius multo brevius semper & longè minus observetur: cujuslibet folii longitudinem nervus erectus, superiori tamen lateri propiùs quàm inferiori transit, costas quasdam semilunaris figuræ in inferiori latere cum venulis parvis in utroque fundens. Inter frondium appendices pilis rigidis exasperatas petiolus vel solitarius tantùm (vel subinde plures simul juncti) angulosis, tenuis, uncialis longitudinis, atque spinulis multis præditus exit; globulum sustinens villosum, Acaciæ dimidio minores, ex innumeris tubulosis *flosculis*, staminula pallida emittentibus, purpurei coloris, & squamulis compluribus, pallidiusculis, spinosis consarcinatum: quem *siliquæ* tandem subsequuntur membranaceæ, novem, decem, imo & duodecim in orbem, Glycyrrhizæ Dioscoridis instar dispositæ, longitudine unciam superantes, pallidi coloris, & pilis longiusculis hirtæ, circúmque margines longioribus veluti spinulis radiatæ: hæ per intervalla sunt tumidiusculæ, depressæ interstitiis, ac Securidacæ instar geniculatæ; de quibus semine maturo filum utrumque latus fimbriæ instar cingens solvitur, & siliqua ipsa dissilit in capsulas quatuor aut quinque parallelogrammas; in singulis *semen* unicum comprehensum; olivacei coloris & figuræ ovalis, Acaciæ quadruplo minus continens, cujus utramque superficiem area circularis pingit.

* 5. *Æschynomene spinosa foliolis Acaciæ latioribus, frondibus longissimos aculeos habentibus* Breyn.

Breyn.

Hæc ex semine Americano, oblongiusculo, olivacei coloris tam feliciter extitit, ut intra annum ternos in cubitos adoleverit. *Caudicem* habebat ligneum, rotundum, digiti crassitie, & multis spinis deorsum inflexis rigentem: ex quo *ramuli* confuso ordine oriebantur spinosi, frondibus inumbrati frequentissimis; præcedentis admodum similibus, nisi quòd tenuiores, multò minùs hirsutæ, spinísque minoribus ac infirmioribus, aculeis contrà altero tanto longioribus præditæ, & suffragines eorum, quæ laxiùs dispositæ, foliolis majoribus Æschynomenes spinosæ secundæ *Breyn.* meliùs convenientibus minus arctè pennatæ. Hæ frondes æquè ac antecedentis tactæ, ut & vesperi sine contrectatione, sed tardiùs paulò foliola complicantes, deorsum suffragines detorquebant.

6. *Æschynomene mitis* I. *seu Herba casta Americana, foliolis Acaciæ latioribus, siliquis latis, compressis, majoribus* Breynii *Plantæ sensitivæ nomine hortulanis nostratibus nota. Herba mimosa Jamaicensis* Zanoni.

In cubitalem altitudinem [imo ulnæ Italicæ & dimidiæ *Zan.*] attollitur, *caule* unico principali, verùm prope terram multos ramos emittente, lignoso, glabro, splendente ac si vernice oblineretur, subinde rubente, frondibus seu foliorum alis per intervalla crebra vestito, uti sunt & rami, qui si reclinati ut sæpe terram attingant radices plerunque agunt. Frondes seu foliorum alæ bicompositæ sunt, ut in spinosa secunda *Breyn.* primò ex duobus tribúsve alarum seu suffraginum paribus, pediculis brevibus, crassis mediæ costæ adnexis; deinde suffragines dicti seu foliorum totalium alæ ex foliolorum seu pinnularum paribus sedecim, octodecim, aut etiam viginti, & fortasse etiam pluribus. Sunt autem pinnulæ hæ angustæ, glabræ, glaucæ, aut obscuriùs virentes, per margines æquales, in acutos mucrones terminatæ, nullâ in extrema ala impari pinnulâ: dum tenellæ sunt rubent aut purpurascunt, qui color in plenam maturitatem adeptarum marginibus durat. Ex frondium sede pediculus exurgit sescuncialis, nudus, cujus cacumini insident *flores* tubulosi in spicam Pimpinellæ instar globosam condensati. His evanidis apparent siliquæ novem, decem, plurésve simul junctæ, unciales, membranaceæ, fuscæ, compressæ, à Genistæ siliquis haud multùm abhorrentes, tot in utroque latere extrinsecus tuberculis præditæ quot semina numerantur intrinsecus, quæ nigra, forma & circulis Æschynomenes spinosæ secundæ paria. Ja. Zanoni semina gigartis seu vinaceis similia sed minora,

nora, nonnihil compressa, lucida, valde dura, colore castaneo [verius ex spadiceo nigricante.] Idem accuratiùs florum spicas seu globulos describit his verbis. Versus summos caules & ramos, Septembri mense, è foliorum sinubus singulis singulos exserit oblongos pediculos, uno vel altero foliolo, diversæ à reliquis figuræ, nimirum cordiformi donatos, summo fastigio capitulum granulatum viride, quod postea in luteum mutatur, sustinentes. Excrescente paullatim capitulo granula inferiora primò aperiuntur & fiunt florum calices, quibus exiccatis superiora gradatim explicantur, ut nunquam plus media parte capituli florida appareat. Sunt autem flosculi in quatuor vel quinque dentes seu angulos secti, habéntque in medio multa filamenta seu *staminula* è luteo albicantia, *apices* minutos, subrotundos coloris obscuri & odoris tenuis sustinentia.

Plantæ hujus semen ex insula Barbados, ubi sponte oritur, quotannis in Angliam mittitur. *Locus.*

* 7. *Æschynomene mitis secunda seu Herba casta Zeilanica siliquis latis, compressis, minoribus* Breyn. *Breyn.*

Hujus siliquam duntaxat habuit J. Breynius, quæ cum quinq; aliis uni adnata fuerat pediculo: erat autem ex spadiceo fusca, nullis articulis intercepta, Herbæ castæ primæ perquam similis, ut & semen; ex quo D. *Sye* propullulavit planta, Mimosæ minori haud absimilis facie & motu.

* 8. *Æschynomene mitis Americana foliolis Acaciæ angustioribus, siliquis longis angustis, semine quadrangulari* Breyn. *Mimosa spuria Fernambucensis, dicta Mimosa Italica* Zanoni.

Neque statura & magnitudine, neque foliorum figura à reliquis Mimosis differt. Folia duntaxat nonnihil tenuiora sunt, superna parte perfectè viridia, infernâ pallidiora. Caulis plerunque sesquicubitalem altitudinem assequitur, propè terram subrotundus.

Differt à prima specie seu Mimosa spinosa Fernambucensi Zanoni, 1. Parvitate totius plantæ, præcipuè foliorum. 2. Quòd folia tactu non se comprimant illius in modum. 3. Siliquis longis, tenuibus, mucronatis, caulibus spinis destitutis, quo differt à mimosa quartâ Zanoni, cujus siliquis sunt etiam tenues & longæ, verùm caules spinosi.

Hæc à multis annis variis Italiæ locis familiaris facta est, adeò ut advena & peregrina jam non habeatur planta in illis regionibus, unde & nomen *Mimosæ Italicæ* adepta est.

Pleniorem omnium ejus partium descriptionem qui desiderat Jacobi Zanoni historiam petat.

* 9. *Æschynomene mitis Americana foliolis Acaciæ brevioribus* Breynii. *Breyn.*

Arbuscula est rarissima, in *Corocao* insula nascens, Frondibus Acaciæ, in quibus folia breviora, pedunculis longioribus, quàm in reliquis Æschynomenes generibus insidentia cernuntur. Globulos uberrimos, Æschynomenes spinosæ 3. *Breyn.* simillimos, *flosculis* verò majoribus, elegantioribus paucioribúsque compositos gerit. Siliquarum figura nos latet, inquit Descriptionis autor Jac. Breynius.

* 10. *Frutex pavoninus sive Crista pavonina Sinensium* Breynii. *Foliis ramosis cum hoc genere convenit, floribus cum sequente.* *Breyn.*

Frutex hic cortice lævi, præprimis in junioribus purpuratus, in *Ambon* insula aliisque Indiæ locis ad quinque cubitorum altitudinem assurgit: *Frondibus* purpureis spithamæ longitudinis, sub origine spinam hami modi incurvam habentibus alterna vice inumbratus, quæ per certas distantias suffraginibus quinque, septem, pluribus paucioribúsve, in quolibet latere biuncialibus sunt præditæ, purpurei itidem coloris, aculeolúmque etiam purpureum sub singularum exortum monstrantibus. In harum suffraginum unaquâque octo, decem, duodecim, vel quatuordecim foliola observantur Coluteæ Scorpioidis venosiora, pari semper numero sibi mutuo opposita, ità ut nullum Suffraginis extremum claudat. Floribus exornatur incomparabilis suavitatis, de quibus in ramorum summitatibus plures subinde quàm quinquaginta, *spicam* longam spectabilem efformantes numerare licet. Illorum quilibet triunciali petiolo purpureo, inferiùs juxta sedem spinulâ, & superius geniculis sæpissimè duobus donato suffulcitur, ac Cassiæ in modum Brasilianæ, in globoso ante perfectionem celatur utriculo; quinq; ex obsoleto purpurascentibus foliolis composito, quorum infimum carinatum, extrema parte inflexum veluti cucullus super reliqua minora resupinatur, atque *florem* in illis reconditum venustissimum cum explicatur petalis quinque, è purpureo rubentibus & ex aureo fulgore variegatis constantem occulit. Singulorum in medio florum *stamina* stant decem, purpurea, longissima, sursum versùs reflexa, flaventes in *crocos* desinentia, inter quæ *stylus* custoditur prolixus & crassus, tandem in *siliquam* à Pisorum haud multùm recedentem excrescens, corticosam, duram ex purpureo castanei saturati coloris, intrinsecùs verò album, ac valvulis spongiosis & crassis ex cinereo ferrugineis in novem vel decem separatam cellulas: quarum unaquæque *semen* Ceratiæ simile continet, olivacei coloris, cum tempore ex spadiceo rufum seu fuscum, circularibus lineis densissime cinctum, quod ex pedunculo in margine siliquæ supremo dependet.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Plantæ Æschynomenæ foliis pinnatis tantùm, non ramosis, floribus vel papilionaceis vel pentapetalis.

CAP. I.

Mimosa non spinosa major Zeilanica Breyn. *Dyabibala Cingalensium* D. Hermans.

D. Syen.

RAdice firmatur rotundâ & subrufâ, quæ paulò infra terræ superficiem in tres quatuórve partes finditur, & rursus postquam profundiùs delituerit, in plures subdividitur, paulatímque in capillamenta coloris albicantis desinit. Huic innititur *caulis* rotundus, concavus, mollis & tener, coloris dilutè virescentis, cui alterno ordine adnascuntur *folia* longa, ex plurimis aliis lateralibus, nervo medio intercurrente conflata, pari modo ut in aliis Mimosis liquet, nisi quòd folium hocce angustius, ac non ramosum, & tota planta præterea dilutiorem colorem obtineat, sensúque obtusiore sit prædita. Juxta foliorum exortum flores enascuntur papilionacei, nunc singulares, nunc bini ternívе, pediculis brevioribus inhærentes, figurâ (quantum ex sicca planta colligere datum) ad Genistæ flores propemodum accedentes, colorísque lutei vel aurei, labello autem inferiore hirsuto. Hisce succedunt *siliquæ* angustæ, compressæ & articulatæ, trium unciarum utplurimum longitudine, quinque vel sex *semina* suis internodiis distincta continentes, quorum numerum externè facile quis distinguat, cùm non solùm foras promineant, sed & iis in locis ubi conspiciuntur semina, siliqua planè sit aspera & scabrosa, articulationibus præterea, quæ ea distinguunt, tam teneris, ut si vel leviter tantummodo tractentur, facili negotio à se invicem separentur: siliquæ extremitati insuper appendicula quædam ut plurimum adhæret capillacea. *Semen* ipsum Lentis fermè est magnitudine, coloris ex griseo vel subfusco flavescentis & exactè renis figuram exhibens, pari modo ut in Spartio monospermo altero *C. B.* videre licet.

Calorem intensum & solum apprimè humidum amat.

CAP. II.

Herba viva Hist. Lugd. Acostæ Park.

Acosta.

NOnnullis Asiæ locis planta quædam invenitur, vulgò *Herba viva* nuncupata, à circumforaneis illis *Joques* appellatis *Herba amris*, ab Arabibus & Turcis *Suluc*, & à Persis *Sulique* dicta. Exilem habet *radicem*, à qua supra terram exiliunt octo ramuli, (costæ potiùs) duos digitos longi, *foliis* utrinque è regione digestis, & inter se respondentibus onusti, quæ utplurimum ad Ervi folia accedunt, nec dissimilia foliis Polypodii, sed longè tenuiora, itémque lævia, & grato virore oculos pascentia, uti Tamarindorum folia. E medio capite radicis prosiliunt pediculi quatuor, foliis vix longiores, *florem* singuli suum sustinentes flavum, aspectu pulcherrimum, minorum Caryophyllorum floribus similem, sed sine odore.

Locus. Nascitur nonnullis Asiæ locis calidis & humidis.

Hæc Planta singularis est & ab aliis Æschynomenis longè diversa. Integram ejus historiam vide apud Acostam. Herba est magica & ad amatoria celebratur.

CAP. III.

1. *Chamæcrista pavonis Brasiliana siliquâ singulari* Breyn.

Breyn.

EAdem pænè quâ mimosa spinosa secunda *Breynii* facie procrescit, quanquam minus, nec adeò ramosum, & nullo aculeorum vallo munitum. *Caules* namque ex sua radice fundit quadrangulares rubentes, spinarum penitus expertes, & ad singulas foliorum alas modo in hanc, modo in illam partem inflexos, ac geminatis, latis, in acutum desinentibus, nervosis circúmque pilosis auriculatos appendiculis: inter quas *folia* alternatim exoriuntur palmaria, pennata, seu ex innumeris, pallidè virescentibus foliolis, Acaciæ haud parùm æmulantibus, trinerviis, uni costæ adnatis, sibi invicem oppositis congesta, vesperi se complicantibus & mane illucescente Sole se aperientibus reliquorum hujus generis more. E foliorum alis solitarius plerunque tantum, tener & oblongus exit pediculus, cui Flos insidet amœnus, Sophera Alpini quadruplo minor, subrubicundíque coloris, petalis quinque acutioribus compositus; cujus in meditullio corniculum falcatum, lanugine densâ hirsutum staminula inter multa ludit; quod collapso postmodum flore hirsutiem suam exuens in *siliquam* efformatur pulchram, angustam, sextantalem, breviorémve Cristæ pavoninæ, sed nigerrimam, cum pluribus intus membranulis, veluti parietibus intergerinis in diversas concamerationes, singulis seminibus singulis repletis, dispescitur.

2. *Herba*

2. *Herba mimosa spuria seminibus quadratis.*

Cauliculos surrigit dodrantales, teretes, graciles, satis rigidos, erectos, cacumine tamen nutante, rubicundos, hirsutos, ab imo statim ramosos, ramulis alternis è foliorum alis exeuntibus: imi tamen ramuli ex adverso bini in singulis plantis oriuntur. *Folia* per intervalla crebra, hinc indè singula, caulibus per totam longitudinem ab imo ad summum usque adnascuntur, alata Viciæ alicujus in modum, è pluribus pinnularum oblongarum obtusarum conjugationibus composita [decem interdum aut duodecim numeravimus] per margines æqualia, glabra, supernè viridia, infernè glauca, brevibus pediculis fulta cum auriculis acutis hinc inde ad exortum racheos cauli adnascentibus. Versùs summos caules ex alis foliorum [aliàs ex parte caulis inter duo folia mediâ] exeunt *flores*, tres plerunque simul, pediculis tenuibus semuncialibus sustentati, calyci è sex segmentis in longos & acutos mucrones exeuntibus composito inclusi, pentapetali, petalis obtusis, flavi, magnitudine & colore florum Ascyri aut Chamæcisti, cum plurimis intus staminibus seu corniculis crassis, erectis & stylo in medio.

Huic persimilis est, si non eadem, Chamæcrista Pavonina Americana siliquâ multiplici *Breynii, quam sic describit,*

Breyn.

Venustate ac concinnitate priori [Chamæcristæ pavoninæ Brasil. siliquâ singulari] in multis cedit. *Caulem* habet rotundum, striatum haud inflexum, ramos multos, pilis tenerrimis pubescentes ferentem. Horum alæ quam illius breviores, earúmque foliola pauciora ac ampliora, Mimosæ spinosæ secundæ *Breyn.* foliorum lobulos superantia, & aversa parte subhirsuta. *Flos* dimidio minor quàm Brasilianæ, & copiosiùs in singulis alarum sinubus, pediculo breviore fultus; quo evanescente succedit *siliqua* nigricans, Brasilianæ angustior, magísque compressa, ac in plures itidem concamerationes divisa, *semen* continens quale est Brasilianæ, sed minus.

Locus. In Americana insula dicta *Curacao* oritur. Nobis descripta ex semine Londino accepto, colore spadiceo, figurâ quadratâ aut rhomboide, enata est. Siliquas non vidimus, nec enim eas in hortulo nostro perfecit. Semen quotannis ex insula *Barbados* unà cum Plantæ sensitivæ & humilis dictæ seminibus in Angliam delatum est.

FINIS.

De ICONIBUS *Sculpendis Admonitio.*

Cum accuratæ specierum Icones non tantum ad Historiam Stirpium exornandam, sed etiam ad descriptiones illustrandas, ut à quibusvis etiam rudioribus & fastidiosis facile intelligi & comprehendi queant, summopere conducant: ne Opus hoc tam necessariis adminiculis destituatur, Typographus & Bibliopolæ, quorum Typis & Impensis excudi cœptum est, decreverunt, quàm elegantes & accuratas, vel ex figuris ad vivum delineatis, vel ex optimis exemplaribus excusis, à præstantissimis Chalcographis expressas Icones quanta fieri potest festinatione adjicere & evulgare, modo sumptus ne deficiant. Quod ne fiat, generosos aliosque huic studio deditos, sive faventes orant ut in Societatem Operis veniant, & ad sumptus sublevandos modico ære initio deposito in partem pretii pro uno pluribusve exemplaribus, cum jam absoluta & tradita sint, persolvendi, inceptum suum promovere dignentur.

Ne vero Mecænates suos immodicis collationibus nimium gravent, aut longa expectatione fatigent, figuras per partes edere statuerunt, singulis tribubus seorsim exhibitis, nec pro sequenti tribu symbolam petere, priusquam antecedens peracta & contributoribus tradita fuerit.